
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
E
3
NAPOLI





R.P. MATTHIÆ
FABRI
Societatis IESV
OPVS CONCIONVM
Quinque voluminibus comprehensum.
Cui accessere
CONCIONES
Funebres & Nuptiales
hactenus numquam editæ.
Editio quinta auctior et correctior.

ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum et Ioanb. Verdussen. A. M.DC.LXIII
Cum Gratia et Privilegio.







OPVS CONCIONVM TRIPARTITVM

MATTHIÆ FABRI

S. THEOL. LICENTIATI
PAROCHI NEOFORENSIS.
Et Palatinatus Superioris per Diœcesin
Aichstadianam Visitatoris,

NVNC SOCIETATIS IESV.

Pluribus in singula Euangelia Argumentis instructum:

PARS HIEMALIS.

Huic quintæ editioni accessere in fine Tomi III.
Conciones Funebres & Nuptiales.

Cui Indicibus prioribus additus ab Auctore nouus locorum Sacræ Scripturæ, quæ in toto Opere continentur, repositus ad calcem Tomi III.



ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum & Ioan. Bapt. Verdussen.
Anno M. DC. LXIII.

Cum Gratiâ & Priuilegio.

INDEX CONCIONVM.

6. Quid-

4. Quid

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

DOMINICA PASSIONIS.

DOMINICA PALMARVM.

FERIA QVINTA IN COENA DOMINI.

IN DIE PARASCEVES.

DOMINICA QVARTA POST EPIPHAN.

DOMINICA QVINTA POST EPIPHAN.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHAN.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

FERIA QVARTA CINERVM.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ,

4. Quid

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

DOMINICA PASSIONIS.

DOMINICA PALMARVM.

FERIA QVINTA IN COENA DOMINI.

IN DIE PARASCEVES.

§. 21.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

FERIA SECVNDA PASCHÆ.

FERIA TERTIA PASCHÆ.



DOMI-

DOMINICA
PRIMA ADVENTVS.

Euangelium. Luc. 21.



IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores: quum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

CONCIONES.

CONCIO I.

Quæ nos excitare debeant à Somno peccatorum.

1. *Somni vanitas.*	4. *Propinquitas mercedis.*
2. *Tempus gratiæ.*	5. *Præsens calamitas.*
3. *Hostium insidiæ.*	

THEMA.

Hora est, iam nos de somno surgere. Ad Rom. 13.

A. INcipimus hodie Auditores, expectare Dominum nostrum breui ad nos venturum, & propterea Ecclesia Mater nostra, vt à somno peccatorum dormientes excitet & Christo obuiam mittat velut virgines prudentes, clamorem ac strepitum edit illis S. Pauli verbis: *Fratres hora est iam nos de somno surgere, quia propior est iam nostra salus.* Quibus verbis aliud non vult, quàm quod Christus *Matth. 6.* & Ioan. Baptista *Matth. 3.* exordio suæ prædicationis voluerunt, videlicet: *pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cælorum.* Quia enim hoc tempore conari omni modo debemus, vt Christus Dominus in die Natiuitatis suæ nascatur in nobis nouo & spirituali modo, nouoque emolumento, necesse est ante omnia, vt à peccatorum somno priùs euigilemus. Quemadmodum enim cùm in Bethlehem Augusti Imp. tempore Christus nasceretur, ad illos solummodò perlatum est tanti gaudij nuncium, qui in eâ regione erant vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum, *Luc. 2.* Sic etiamnum illi tantùm venturæ Natiuitatis gaudium, & fructum poterunt percipere, qui abrupto peccatorum somno in pœnitentiâ ac virtutum operibus vigilauerint. Hunc igitur in finem excitat nos Ecclesia verbis illis Apostoli. *Fratres hora est.* Potuerunt sanè verba hæc excutere peccati Lethargum S. Augustino, qui vt scribit ipse lib. 8. confess. c. vlt. diuinâ voce monitus, vt tolleret & legeret: cùm fortuitò aperuisset librum & incidisset in ea verba: *non in comessationibus & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicitijs; non in contentione & æmulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum;* statim è somno peccatorum excitatus, in virum alterum mutatus est. Eccur verò hæc vox nonqueat excitare etiam peccatores alios? Audiamus igitur, quâ ratione, quibus ictibus, & clamoribus hoc faciat Apostolus.

B. MOTIVVM PRIMVM, Somni lethiferi, de quo surgendum vult Apostolus, vanitas & periculum. Vanitatem vidit S. Chrys. hom. 62. ad popul. cùm ait: *Nox præcessit, expergiscamur iam à somnijs: etenim secunda sunt præsentia, sed somnijs nihilo minus fallacia.* Somnus quietem quidem affert homini, sed non delectationem, quia eius suauitas à nemine percipitur; siquidem tunc omnes corporis & animæ vires sunt sopitæ, sola phantasia interdum operatur, quæ multoties mira somnians, proponit sibi dignitates, honores, opes, delicias, illisque quasi I. *Somni vanitas.*

quasi reuerâ possessis delectatur; postquam verò euigilauerit homo, tum videt merum somnium meramque illusionem fuisse, quidquid paulò ante se possidere credidit. Talis est ex Apostoli sententia status peccatoris, in quo ratio superior, quæ attendere deberet ad æterna & spiritualia, consopita est. Ratio verò inferior, quæ attendit ad temporalia, sola vigilat, quæ quidem hìc fluxis bonis ad tempus afficitur & delectatur, quasi veris & solidis: sed interim veriùs dormit & somniat; postquam enim aliquando euigilabit & æterna clarè intuebitur, temporalia illa omnia vana & imaginaria fuisse intelliget, sola verò æterna, vera & solida esse bona. Voluit hoc demonstrare Philippus cognomento bonus, Belgij Princeps (*refert Marol. tom. 2. can. coll. 7.*) qui stertentem aliquando in foro hominem sublatum in Regiam secum abduxit: eumque Regio lecto collocari, donec edormisset, posteroque die hominem more ducali splendidè indutum ita tractari & honorari iussit, ac si iam ille Dominus & Princeps Belgij esset: circa vesperam verò rursus inebriatum vestibusque prioribus indutum, loco quo eum reperetat, reposuit: qui postridie experrectus, collatis rationibus omnibus somnium fuisse vitam illam ducalem, quam egerat, conclusit: Idem eueniet peccatoribus & mundi amatoribus, qui cùm aliquando aperient oculos rationis superioris, & æterna conspicient, agnoscent se hìc dormijsse & somniasse: delicias, diuitias & honores suos somnia fuisse & phantasmata. Audi *Isaiam cap. 29. Sicut somniat*, inquit, *esuriens & comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit: sic omnes, qui dimicauerunt contra montem Sion.* Quod ad literam quidem loquitur Propheta de Chaldæis & Babylonijs vel Romanis, quos prædicit non magis ditandos esse ex spolijs, quæ auferent ex Ierosolymis, quàm ditetur somnians; &c. Idem tamen rectissimè intelligitur de peccatoribus, qui & ipsi omnes præliantur contra montem Sion, & contra Deum sceleribus suis dimicant; hi enim dum possident opes & voluptates, beatos se existimant, putant se Reges & Principes & sedere super nubes, omnesque alios homines repere in terrâ velut formicas, & nesciunt interim se esse cæcos, pauperes, & nudos, miseros & miserabiles; Quemadmodum & Episcopus Laodiciæ, qui dicebat: *Diues sum & locupletatus, & nullius egeo* &c. *Apoc. 2.* Hanc autem veritatem demonstrabit illis aliquando superuentura dies, cùm iterum nudi reponentur in vtero Matris suæ, terræ, vnde & nudi egressi sunt; ibi cum aperient oculos, manifestè cernent, breuissima & vanissima fuisse mundi solatia, iuxta id *Psal. 75. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis omnes viri diuitiarum.*

Periculum huius somni ex eo patet, quia per consuetudinem hominem terræ affigit. Cuius rei typus fuit Sisara, qui postquam lactis potu ad somnum inuitatus est, & dormijt in terrâ, clauo tempora transfixus & terræ affixus est à Iahele. *Iud. 4.* Sic qui ad peccati somnum se componit dulcedine mundanorum bonorum illectus, breui ita terræ affigitur clauo consuetudinis, vt surgere vix queat, & interdum pereat, seque in inferno esse videat, antequam euigilet. Accidit sæpè vt quis æstuante sole subter arborem se proijciat, quò sub vmbrâ dormiat, sed vbi per horam vnam alteramuè dormiuit, digressâ paulisper vmbrâ, radij solis caput eius feriunt, & dolorem afferunt. Sic aliquando Ionas fecit sibimet vmbraculum subter vnam hederam, quam Deus excitarât super caput eius, *& lætatus est Ionas super hederâ, lætitiâ magnâ*, ait scriptura. Sed mox parauit Devs vermem in crastini diluculum, vt hederam arroderet: quæ & mox exaruit. Et cùm ortus esset Sol præcepit Deus vento, calido & vrenti, vt feriret caput Ionæ: qui vehementer ex hoc æstuans petiuit animæ suæ vt moreretur, *Ionæ 4.* Habemus hoc loco expressum peccatorum typum, qui quidem faciunt sibi vmbraculum ex hederâ bonorum temporalium, quæ Deus illis concedit; sed dum sub vmbrâ illâ quiescunt & inordinatè lætantur, subitò adest vermis mortis à Deo præparatus vt hederam erodat & vitam illis eripiat. Tunc experiuntur ventum vrentem conscientiæ malæ, & vident se æstuare in gehennæ incendio. An non ita ad vnguem euenit Epuloni illi, qui postquam dormisset aliquamdiu sub hac hederâ, mortuus est & *sepultus in inferno? Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè* &c. Ecce nunc tandem aperuit oculos, rationis scilicet superioris æterna considerantis, quæ priùs dormiebat: & quid vidit? Abraham & Electos à longè, ignem verò cruciantem propè & se ambientem vndique. Atque ita qui priùs excutere somnum & aperire oculos noluit, nunc tandem malo suo aperuit. *Eat nunc diues*, inquit S. Greg. lib. 18. moral. c. 12. *& acceptis rebus tumeat, seseque super ceteros extollat, glorieturque se habere, quod proximus nō habeat. Veniet quandoque tempus, vt euigilet & tunc cognoscat, quàm vacuum fuerit, quod in somno tenuerat*, hæc Greg. Hora est igitur fratres, de somno vitiorum surgere.

Secvndvm, Aduentus lucis, id est, Christi in carne, seu tempus gratiæ; siquidem iam aurora & diluculum, adeoque tempus surgendi aduenit. Hoc vult Apostolus, cùm ait: *nox præcessit, dies autē propinquauit.* Quemadmodum aurora media est inter tenebras noctis & lucē meridiei: Sic tempus gratiæ & Euangelij inter tenebras infidelitatis ac peccatorum & inter lucem cœlestis gloriæ. *Nox est tempus ante Christum, dies est dies resurrectionis, aurora media est tēpus Euangelij*, ait S. Greg. lib. 29. moral. 2. Ante Christvm Gentiles omnes in tenebris ambulabant; nesciebant enim, quo tenderent, vtrum ad mortem an ad vitam. Ipse Aristoteles omnium philosophorum facilè doctissimus, moriens dicebat: *nescio quò vado:* q. d. nescio an corpo-

C. II. Tempus gratiæ.

corpore simul & animo moriar: & si animus nõ moriatur, nescio quò pergat. Vnde nec poterant facilè instituere vitam suam, cùm nescirent viam siuè quâ iretur ad cœlum, siuè quâ ad inferos, vt illam quidem tenerent, hanc verò fugerent. Itaque obscurissimam illi habebant noctem. Patres veteris testamenti in nocte fuerunt non omninò obscurâ; siquidem propheticis luminibus, tanquam syderibus quibusdam illustrati fuerunt, sed tamen in vmbrâ figurarum & expectatione futuræ lucis degebant, nec adeò dilucidè viam cœli & viam perditionis cognoscebant; habuerunt etiam suas errorum tenebras in cæremonijs, traditionibus, legis intellectu, &c. quia lucem mundi & viæ Ducem ac Doctorem Christum nondum audierant. Vnde Apostolo teste 1. Cor. 10. *omnes sub nube fuerunt*. Denique beati in cœlo, quasi in luce meridianâ sunt, omniaque clarissimè vident, *facie ad faciem*, vt ait Apostolus. Nos verò Christiani auroram quasi & diluculum habemus, quia lucem & Ducem viæ Christum habemus, eoque Doctore scimus quò ambulandum sit, ad cœlum: Scimus etiam viam quæ ducit ad perditionem; etsi nondum videmus viæ terminum, Deum scilicet & gloriam, ad quam tendimus. Vnde *nos ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*, ait Apostolus, 1. Cor. 13. Itaque cùm hora surgendi, & aurora sit, tempus est iam nos de somno peccatorum surgere, quia aurorâ Euangelij iam aduenit. *Nemo debet dormire solem cernens*, ait S. Chrysostomus in hunc Apostoli locum, *ho*. 62. ad populum. Quid non fecissent Gentiles: si lumen hoc habuissent? Patres veteris testamenti *à longè tantùm aspicientes & salutantes* hanc lucem, quò magis ei appropinquabant, eò ardentiori studio ad omne genus probitatis virtutumque perfectionem aspirabant. Vnde Ecclesia cum D. Thomâ hodiernæ Epistolæ adhortationem ex personâ veterum patrum dictam intelligit, quasi ipsi ad se mutuò dicerent: Par est iam nos de socordiæ somno excitari, atque in virtutem studiosiùs incumbere, quia propior est nostri saluatoris aduentus, quàm olim. Quid igitur fecissent, si Christum attigissent? condemnabunt ergò stertentem in peccatis Christianum Iudæi & Gentiles.

Deinde noxium est vehementer tam præclaram operandi & lucrandi occasionem, qualis est lux, negligere, vt indicat Apostolus, cùm ait; *Scientes tempus* q. d. tempus breue est. Totum verò illud tempus, quo in peccatis persistis, perdis & iacturam facis ingentium bonorum, quæ eo tempore comparare tibi posses. Cùm opulenta Ciuitas militibus diripienda traditur, & milites omnes summa festinatione domos penetrare, arcas reserare, auro atque argento, variâ & pretiosâ supellectile, se onerare student, si vnus eorum militum illo ipso tempore subter arborem se abijceret ad somnum capiendum, dicens se spoliorum direptionem & prædam in aliud tempus differre, nónne cæteri milites eum stultum dicerent & posteà irriderent? Cùm igitur hoc tam pretioso tempore regnum cœlorum nobis diripiendum datum, à diebus Ioan. Baptistæ, vt Dominus ait *Matth*. 11. vim patiatur, & violenti rapiant illud, prudentésque omnes festinent cœlestes illos thesauros rapere, quæ tua sapientia est, peccator, hoc tempus somno perdere? Neque solùm hæc bona negligis, sed insuper debita pœnarum tibi auges, quæ omninò alicubi solues. Vt enim pecuniæ sub fœnore acceptæ, nisi maturè restituantur, quotidie debitum augent: sic & peccata, quæ non mox per pœnitentiam delentur, grauiorem pœnam merentur, & facilè ad alia trahunt, vnde vsuræ pœnarum quotidie crescunt. Hora est igitur, &c.

D. III. Hostium insidiæ.

TERTIVM, Hostium nostrorum insidiæ. Horum alij intra nos sunt, peccata videlicet, quæ obsident conscientiam, perpetuis quasi bombardarum ictibus quatiunt & exagitant, arguendo, condemnando, flagellando, quo supplicio in hâc vitâ nullum atrocius esse videtur, nec alia via est tranquillandi hostes illos, nisi per pœnitentiam. Ad hos accedunt hostes externi. Dæmones; siquidem ipsi in vinculis retinent peccatorem & nihil magis desiderant, quàm vt è vitæ statione confestim expellatur, vel potestas sibi à Deo detur illum occidendi, ne aliquando iterum eis elabatur. O si cerneret peccator quales triumphos super ipso edant, quæ tripudia ducant, quam solertiam adhibeant, vt eum vinciant & perdant! totus vtique tremeret & statim à somno exiliret. An nescimus quid euenerit Samsoni? postquam is à Dalilâ illectus (licet sciret Philisthæos sibi necem machinari) dormiuit super genua eius, mox Philisthæi ipsi infensissimi circumsteterunt, vt captum & ligatum abducerent. Vbi enim Dalila rasit ei caput & per hoc ademit vires, cœpit eum abigere & à se repellere ac clamare: *Philisthijm super te Samson*. Quem mox apprehensum Philisthæi eruitísque oculis clausum in carcere, molam circumagere coëgerunt. *Iud*. 16. Ad eundem modum postquam peccator mundi illecebris irretitus dormit in peccatis, circumstant eum vndique mali Genij, & primò quidem spoliant cæsarie virtutum, ac per consequens resistendi fortitudine: deinde excæcant & adducunt in gehennam. Et quàm facilè contingit vt mundus illum repellat & ad mortuos efferat? Væ tibi tunc peccator: quia *Philisthijm super te*; quorsum putas, te abducent, nisi in carcerem gehennæ vt ibi perpetuam pœnarum interminabilium circumagas molam? Vtrumque hoc genus hostium insinuat nobis Apostolus in Epist. hodierna, cùm ait: *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*. Quid opera tenebrarum nisi peccata? ad quid arma lucis nisi contra Dæmonum insidias?

E. IV. Propinquitas mercedis.

QVARTVM, Propinquitas mercedis promissæ, *quia propè est jam nostra salus*; quo eodem argumento vsus est Christus & Ioannes cùm dixerunt: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*: Appropinquauit autè primò, quia

quia nunc post Christi aduentum parum distamus à regno cœlorum, & jam quasi fines patriæ nostræ in peregrinatione nostrâ attingimus: partim quia non plus absumus à regno cœlorum, quàm ab ipsâ morte; siquidem cœlum iam claue crucis Christi reseratum est, & si nihil purgandum restat, statim illuc euolare possumus, quod non potuimus cùm olim credidimus; id est, non potuerunt illi Patres, qui Christi mortem præcesserunt, quorum alij centum, alij mille, alij plures annos in Limbo expectare debebant; partim quia nunc non tamdiu viuimus, quàm olim veteres Patres, quorum aliqui ad nongentos & ampliùs vixerunt annos. Iam ergò si filius ab extera natione in patriam reuertens, alacriùs procedit & quasi nouas vires sumit: si equi licet fatigati currere incipiunt, cùm stabulo suo appropinquant: nec non & lapides tanto celeriùs descendunt, quanto viciniores centro suo fiunt: Si hæc inquam, à naturâ sic comparata sunt, an non decet vt homines Christiani à somno & torpore peccati surgant, nouasque vires sumant, tantò festinantiùs ad beatitudinem currendo quantò ea propior est? Certè cœli ciues qui ad patriam illam anhelabant, quò magis accedebant ad mortem, tantò instantiùs DEO seruiebant & alacriùs procedebant. Sed cur hoc argumentum non mouet peccatorem? An quia ipse cœli ciuis non est, ideoque ad patriam illam non aspirat, sed mundi ciuis esse mauult? Ita vereor profectò; sed cùm nemo ciuis mundi esse perpetuò queat, vtrumque tandem perdet, cælum & mundum; quemadmodum Iudæi, qui vt ait *S. Aug. tract. 49. in Ioan. Temporalia perdere timuerunt* (quando videlicet dixerunt: *Venient Romani & tollent nostrum locum & gentem*) *& vitam æternam non cogitauerunt, ac sic vtrumque amiserunt.* S. Gregorius lib 5. moral. cap. 3. ait: *Qui thesaurum effodientes quærunt, quanto fiunt viciniores ad finem, tanto se exhibent ardentiores.* propè est thesaurus absconditus in agro cœli, quem inuenire per pœnitentiam potest peccator & breui obtinere. Cur ergò non præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum? Sed nimirum plerique fodiunt pro thesauro suo, non sursum sed deorsum. Fodiunt in terrâ, & in terrâ thesaurizant: inde fit vt erga cælestem thesaurum nihil afficiantur. Sed aduertant isti, ne fodiant ad infernum vsque; non enim propior est salus iustis, quàm perditio peccatoribus. Quod si igitur eos non mouet ad conuersionem propinquitas thesauri cœlestis, moueat saltem propinquitas gehennæ.

2. Secundò. Appropinquauit regnum cælorum & propior est iam nostra salus, quia nunc DEI gratia & misericordia adeoque regnum DEI, quod DEI gratiâ emitur, liberalissimè nobis offertur, ita vt Christus *Luc. 17.* quærentibus regnum DEI, responderit: *Ecce regnum Dei intra vos est*, hoc est in manu & potestate vestrâ est; siquidem gratiam meam liberaliter vobis offero, quam si in vobis habueritis, habebitis etiam in vobis regnum Dei! propterea tempus nouæ legis, tempus gratiæ vocatur, quòd in eo liberaliùs gratia erogetur & faciliùs obtineatur. Quemadmodum enim in fine Nundinarum omnia communiter viliori emuntur pretio: ita & in hoc tempore nouissimo. Hoc indicat Apostolus, cùm ait: *hoc scientes tempus.* (Græcè *καιρὸν*, id est, opportunitatem.) Quid dubitas ô peccator surgere à somno? num quia Deum abnegasti? Atquì & Petrus abnegauit & ad gratiam redijt. Num quia hominem occidisti? Atquî latro etiam gratiam & paradisum apud Christum inuenit. Num quia adulter fuisti? Atquî fuit etiam adultera Mulier illa, quæ dicentem sibi Christum audiuit: *Nec ego te condemnabo, vade & iam ampliùs noli peccare. Ioan.* 8. Num quia Mammonæ addictus fuisti? At fuit etiam huiusmodi Matthæus & Zachæus, ambo in filios & amicos à Christo recepti. An quia persecutor Ecclesiæ & blasphemus? Habes socium S. Paulum, qui & ipse talis cùm fuisset, misericordiam consecutus est.

QVINTO, Præsentis temporis & futuri calamitas, in quem sensum intelligere possumus, quod Apostolus in hodiernâ Epistolâ dixit: *Et hoc scientes tempus, quia hora est*, &c. Pueri cum virgâ solent excitari. Hoc medium adhiberi his temporibus à DEO ad nos excitandos quis non videt? Ieremiam Prophetantem interrogabat DEVS *cap. 1. Ier. Quid tu vides Ieremia?* Et ille: *Virgam vigilantem ego video.* Cui Dominus: *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud.* Hoc est, iuxta versionem Chaldæi: Vidisti Regem Chaldæorum, quo vtar ad castigandum populum meum, quia enim ipse dormit in sceleribus suis, vigilabo ego super illum & excitabo eum cum virgâ non dormiente. Quid agit aliud nunc nobiscum DEVS? an non cernimus super nos vigilantem virgam belli, famis & pestis? Et cur hæc super nos vigilat, nisi quia nos dormimus? dormiret vtique illa, si nos vigilaremus: quia verò dormimus, idcircò ipsa vigilat. Cùm filius tardat è lecto surgere, ostendit ei pater virgam, propè lectum excubantem: & puer exsilit è lecto, alioquin virgam non visurus tantùm, sed etiam sensurus. Multos iam populos in peccatis dormientes castigauit non ita pridem acriter DEVS, & castigat etiamnum. Ostensa est tantùm nobis hactenus hæc virga. Sed quia adhuc dormimus & profundiùs indormimus, timeo ne breui insiliat in dorsa nostra. Nemo sibi blandiatur, nemo se decipiat: non obdormiet virga ista, sed semper magis, ac magis vigilabit, nisi euigilemus nos. Idcircò post virgæ visionem vidit mox Ieremias ollam succensam, hoc est, vindictam DEI grauiorem, quâ medio Nabuchodonosore succendere & vastare decreuerat Ierosolymam. Hunc igitur in modum, si ad virgæ castigationem nondum surgimus, timendum ne ollam furoris sui effundat in contumaces eosque tandem præcipitet in Vulcani ollam, quemadmodum fecit Theodorico Regi apud

F. V. Præsens calamitas.

S.Greg.

S.Greg.l.4.dialog.c.30. Hic enim cum Ioannem Papam & Symmachum patricium iniquissimè necasset, flagellatus primò est obiurgante conscientiâ, quando appositum est ad mensam grande piscis caput hiante rictu; perterritus enim putabat se videre caput Symmachi occisi. Hinc mærore occupatus in lectum concessit, & paulò pòst mortuus est, quem Sanctus quidam & Solitarius Vir in Insulâ Liparitanâ agens, vidit discinctum, & discalceatum vinctisque manibus deduci & iactari in Vulcani ollam, ignem continuum euomentem, apud *Baron. anno* 526. Quæ visio vtique contigit propter impœnitentes, vt illius exemplo cautiores facti resipiscant. Sanè videtur hoc tempore infernus Os suum aperire ad degluttiendos impios, dum tot malis castigamur, nec inde tamen emendamur, sed cum Theodorico illo potiùs ad pristinum vitiorum lectum concedimus. Quid aliud igitur superest, nisi vt impœnitentes in ollam illam mergantur? ac nisi per pœnitentiam eripiamus Deo virgam, Væ nobis, quia non mentita est veritas dicens: *nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, Luc.13.* Euigilêmus igitur, auditores, & cum pastoribus illis custodiamus vigilias noctis, vt digni fiamus Dominicâ visitatione. *Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem.*

CONCIO II.

N.B. Huic materiæ de morte correspondent per Aduentum, conciones 2. loco positæ.

Tribulationes morientium, & earum remedia.

Tribulationes præcipuè assignat Auctor has quatuor.	2. *Timorem Iudicij.*
1. *Spem longioris vitæ ademptam.*	3. *Amorem erga res creatas.*
	4. *Dolorem infirmitatis.*

THEMA.

Erunt signa in Sole & Lunâ & stellis, & in terris pressura gentium. Luc.21.

A. HOdiernum Euangelium videbitur forsan alicui ad nos nihil pertinere, eò quòd de die Iudicij extremâ solummodò loquatur. Sed isti multùm errant, siquidem Ecclesiastes *cap.12.* hæc quæ prædicit in Euangelio Dominus Macrocosmo senescenti, eadem ferè prædicit euentura cuiuis homini seu Microcosmo morituro. Christus ait de mundo, fore signa in Sole, Lunâ, & stellis, &c. id est, ea obscuranda. Similiter Ecclesiastes ait de homine: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas, non mihi placent; antequam tenebrescant Sol & lumen, Luna & stella &c.* Ergò ista signa etiam nos sensuri sumus. Et sanè nisi ad nos etiam modo aliquo pertinerent, ea nobis tam seriò & accuratè non, puto, descripsisset, qui optimè sciebat nos ad vltimum Iudicij diem minimè victuros. Videbimus igitur, ne quis dubitet, hæc omnia in agone mortis, qui non minùs timendus est, quàm iudicium extremum; siquidem hoc ab illo pendet, & qualem quisque habuerit è vitâ exitum, talem habebit ad iudicium reditum, vt de quouis Christiano dici queat, quod Angeli illi de Christo ascendente dixerunt: *Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, sic veniet.* Ita enim expressè ait & exponit S. Augustinus Psalm. illum 48. *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, q. d. si malus fuerit vitæ meæ calcaneus, mala etiam erit dies illa; vnde potius timendus vitæ exitus. Quod si in diem mortis bene armatus fueris, èris & in diem Iudicij: sin verò, actum est etiam in die illo. Itaque videndum quæ sint potissimùm tribulationes morientium, & quomodo superandæ. *Matth.7.* Seruator noster dixit virum sapientem ædificare domum suam supra petram, vt cùm flauerint venti, immota persistat: Virum verò stultum ædificare super arenam, & flatu ventorum deijci domum illam. In hora mortis, si vnquam aliàs flabunt venti tribulationum, & oppugnabunt domum cordis nostri, ibique apparebit, quo in fundamento illam statuerimus.

Sunt autem quatuor præcipuè venti, qui irruunt in domum illam, & rectè conferri possunt cum quatuor illis ventis *Dan.7.* qui pugnabant in mari magno, scilicet Spes vitæ longioris adempta: Timor Iudicij: Amor creaturarum: Dolor mortis.

B. I. Spes longioris vitæ.

Primo. Erunt signa in Sole; hoc est, vt Matthæus explicat, Sol obscurabitur. Obscurabitur inquam tempore mortis, cùm audies à Medico vel Sacerdote, quod audiuit à Prophetâ Isaia Rex Ezechias: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non viues*: quando videbis discedendum tibi esse, cùm adhuc non putabis. Hoc enim sensu. *Amos cap. 8.* dixit: *Et erit in die illâ, dicit Dominus Deus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Et conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum. Et inducam super omne dorsum vestrum saccum & super omne caput caluitium.* Quem locum mystico sensu explanans Ribera inquit: *Solis occasus rectè mortem significat, quæ peccatoribus inexpectata sæpè aduenit, sicut de die Iudicij ait Dominus Luc. 21. tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedēt super faciem omnis terræ. Et hoc est Solem occidere meridie.* Et tunc vertetur festiuitas in luctum, & omnia cantica in planctum, quia cùm tu proponebas ire ad festiuitates, Nuptias, amicos, &c. videbis tibi fenestras claudi, ad Medicum & Confessarium mitti, audiesque circa te planctum liberorum & Amicorum: deinde parabitur tibi saccus quo insuaris, & cùm tu adhuc plurima perficere cogitaueris, erit occasio calua. O qualis ictus erit ille, cùm eo tempore, quo te in meridie primùm ætatis esse & multos adhuc annos victurum sperabas, cùm de luctis, honoribus, Nuptijs, ædificijs, delicijs cogitabis (hoc enim est occidere Solem in meridie) intelliges de morte tibi potiùs quàm de vitâ cogitandum, deserendum iucundissimum

Solis lumen, æternùm valedicendum omni creaturæ, omnibus hominibus beatam noctem optandam, quos ad extremum iudicij diem non es ampliùs visuris! Sanè Ezechias Rex post illam mortis denunciationem, *conuertit faciem ad parietem, & fleuit fletu magno.* 4. *Reg.* 20. Rex alioqui tam bonus & pius, cœpitque Deum precari pro vitæ suæ prorogatione. Vir fortis & strenuus erat Saul Rex Hebræorum, multis prælijs interfuerat, multos homines occiderat, & multa præclarè gesserat; vbi tamen à Samuele sibi post obitum apparente audiuit. *Cras tu & filij tui mecum eritis*; tanto horrore perculsus est, vt caderet *porrectus* & velut exanimatus in terram 1. *Reg.* 28. Eiusmodi nuntius quemlibet nostrum expectat, venitque ordinariè; cùm minimè expectatur. *Va autem pragnantibus in illa die*: Væ illis, inquam, qui adhuc plurimos dies sibi pollicebantur, & plurima adhuc perficere sperabant. Hi enim ô quàm concident animis, cùm furem intra domum cernent, & mortem foris, pulsantem audient? Prægnans erat diues ille *Luc.* 12. qui dicebat: *Destruam horrea mea & maiora faciam, & illic cõgregabo omnia, qua nata sunt mihi & bona mea, & dicam anima mea: Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, quiesce, comede bibe, & epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & qua parasti cuius erunt?* Stultus vocatur, quia promisit sibi dies multos, qui non erant in eius potestate; *hac nocte*, inquit, quia veniet mors cùm tu in quiete eris & dormies quasi securus. *Repetunt à te animam tuam*, quia vi extorquebit seuerus exactor, quando tu ægerrimè dabis animam. Væ igitur istiusmodi prægnantibus. Quàm multa à multis tentantur, vt retardent vel prorsus retro agant Solis occasum tam repentinum? quàm multa expenduntur in Medicos & Pharmacopæos? quàm optatur sæpe cum Iosue: *O Sol contra Gabaon ne mouearis!* O Sol ne priùs occidas, quàm meis rebus & saluti prouidero, negotia mea omnia composuero, iuuentutem meam iucundè transegero? sed frustrà. Grauis igitur est hæc morienti tribulatio.

Remediũ. Sed quid remedij in tempore illo? vtique facere ex necessitate virtutem, vt quod vitare nequis, promptè & hilariter acceptes, tanquam Dei voci obediens. Vnde Cyprianus de mortalitate *cap.* 7. ait: *Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundũ quod nos Dominus quotidie iussit orare. Quàm præposterum est quamque peruersum, vt cum Dei voluntatem fieri postulemus: quando euocat & accersit nos Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus? obnitimur & reluctamur, & peruicacium more seruorum ad conspectum Domini cum tristitiâ & mærore perducimur. Exeuntes istbinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis, & volumus ab eo præmijs cælestibus honorari, ad quem venimus inuiti. Nõ hoc est, quod ipse nobis commendauit, cùm dixit, vt similes essemus seruis expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs: vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Hæc Cyprianus. *Venit Dominus*, ait S. Gregorius *hom.* 13. *in Euang. cùm ad iudicium properat: pulsat verò cùm iam per ægritudinis molestias mortem esse vicinam designat: cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim Iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum, quem contempsisse se meminit iudicem, formidat.*

Secvndò. Erunt signa in lunâ: quia vt Matthæus explicat, *luna non dabit lumen suum.* Qui interdiu ambulans ab occasu solis & nocte ingruente præuenitur, hoc solatij habet, vt de nocte ambulans saltem lunam speret sibi affulsuram, ne ab itinere deuiet, aut in præcipitium ruat: sine hoc enim lumine ambulare tristissimum est & horridum. In articulo ergò mortis etiam luna obscurabitur. Deficiente enim vitâ & occidente sole, ibis nocte obscurissimâ, per viam tenebrosam, quam nunquam ambulasti, nescius quò deuenturus sis, propitiumne an iratum Devm inuenturus; atque ita tibi in illo articulo luna non dabit lumen suum. Et si absque horrore nemo ambulat nocte obscurâ, quanta erit afflictio morienti cùm solus incognitam, longam & obscurissimam viam ambulare debebit? Audi Chrysostomum serm. de Patientiâ. *Moriturus*, inquit, *cunctos salutat, donec sua mẽtis Dominus est, donec lingua loqui poterit, dicens: Valete, Amici mei, & Devm pro me exorate. Iter enim perago extraneum, quod nunquam ambulaui, & in Regionem longinquam, quam nunquam vidi, & in alterum sæculum, vnde nullus reuersus est & in mansiones metuẽdas, ad quas nullus me comitatur, & ante Iudicem terribilem, vbi nescio quid mihi contingat. Ecce quare Adiutorem, & nullus est qui eripiat, quare qui me comitetur, & nullus mihi compatitur.* Hæc ille Aristoteles etsi gẽtilis, moriens dixisse fertur: *dubius vixi, anxius morior, nescio quò vado, Ens Entium miserere mei.* Quid si certò sciuisset, se ad Tribunal Dei pergere; de quo nos Christiani non dubitamus? Moriens Christianus statim in illam æternitatem oculos figit, & in eâ mox seu felicitatem seu miseriam sempiternam inueniri nouit, nescit tamen vtra sors sibi euentura sit, vnde non potest non maximo metu concuti & plus timere, quàm sperare, tristari quàm gaudere. Cuius rei figura erat Balaam asinâ vectus. *Num.* 22. Cùm enim in angustijs duarum viarum Angelus euaginato gladio ei obsisteret; asina quæ Angelum cernebat, progredi reluctatur, & aliò diuertere conatur; Balaam contrà; quia nõ Angelum, sed viam tantùm vidit ante se apertam & planam, percutere animal & ad progressum stimulare: sed horret asina, & iungens se parieti, pedem Sessoris atterit, tandemque sub ipso concidit, ac loqui & lamentari incipit: donec tandem etiam ipsi Balaam aperirentur oculi, ad videndum Angelum; tunc enim vidit quàm meritò horruerit asina. Balaam designat spem, quam sæpè nimiam nobis ipsi facimus; quasi aperta & plana sit nobis ad salutẽ via. Asina verò timorẽ Iudicij & incertitudinem salutis. Hæc enim coram se iudicem districto videt gladio, cùmque in angustijs duarum se cernit viarum, beatitudinis nimirum & damna-

C. II. Timor Iudicij.

damnationis, quomodo non poteſt non horrere & trepidare? Et licet ſpes animet & timorem ſtimulet, iſte tamen horrere non deſinit, quia videt, quod ſpes non videt. Adhæc timor eſt magis naturalis quàm ſpes, ideoque trahit ad ſe totam cogitationẽ. Et ita demum pedem, id eſt, finem hominis vehementer torquet, quomodo enim non maximoperè anguſtiabitur anima, in biuio gloriæ & gehennæ conſtituta? Erigit quidem ſpes animum, recordatio tamen peccatorum & rigor diuinæ Iuſtitiæ deprimit; quia *iudicia* DEI *abyſſus multa*, & cor hominis ſoli DEO cognitum eſt. Vnde nõ dubium quin longe præualeat timor. Propterea etiam ſancti viri, qui vix habebant quod metuerent, in morte metuebant. *S. Bern. ſerm. 56. in Cant.* aiebat, ſponſum propè quidem eſſe ſpõſæ, quæ vno tantùm corporis pariete ab illo diuiditur, & propterea cupit diſſolui, & rupto medio pariete, cum illo eſſe, quem poſt parietem ſtatim eſſe confidit. *Ego autem*, inquit, *quoniam peccator ſum, diſſolui non cupio, ſed reformido, ſciens quia mors peccatorum peſſima, Formido exitũ & in ipſo contremiſco portûs ingreſſu: dum non confido propè aßiſtere, qui excipiat exeuntem.* Abbas Agatho Ægyptius cùm & ipſe mortem timeret, hanc ſui timoris cauſam edixit: *Multum à iudicijs hominum Dei Iudicium differt, illi enim etiam quæ damnationem merentur, bona iudicant nonnunquam. Dei verò iudicia abyſſus.* Similiter S. Hilarion diu cum morte luctans, dicebat: *Egredere anima mea, egredere, quid times? ſeptuaginta annis ſeruiuiſti Deo & mori times?* refert Hieronymus in eius vita. Et nónne hic erat Hilarion, qui olim in latrones mortem ſibi minitantes incidens, reſpondit mortem non timeri ab eo qui paratus eſt mori? Quid igitur nunc moriens timet? Profectò ſi iam non timemus Iudicium, timebimus tamen in articulo mortis: & ſi modò cum Balaamo Angelum Michaëlem nobis obuiaturum diſtricto gladio, velut remotum, non videmus, videbimus tamen vicinum, cùm conciderit aſina corpois noſtri in lethalem morbum; tunc aperientur oculi noſtri.

Remediũ. Sed quia remedij in tãtâ illâ anguſtia, & viæ obſcuritate? Præcurſor Dñi per totum hunc Aduentum clamat: *parate viã Domini, rectas facite ſemitas eius.* Cũ enim de nocte ambulas in medijs tenebris, dummodo ſcias planam eſſe viam & rectam, iam ſecurus ambulas. Suadet igitur Ioannes vt dirigamus per pœnitentiam & complanemus nobis viã mortis, quæ ad Iudicis aduentũ ducit. Et hoc fiet; cùm omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, id eſt, cùm omnia ſalutis impedimenta per pœnitentiam remouebis. Sic erit via plana, & vt Iob *cap. 11.* ait: *ſi iniquitatem, quæ eſt in manu tuâ, abſtuleris à te, & nõ manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia; Tunc leuare poteris faciẽ tuã abſque maculâ, & eris ſtabilis, & non timebis.* Leuare ſcilicet, quo modo hodie dicitur: *reſpicite & leuate capita veſtra.* Neque dubitare debes etiam tunc acceptam fore DEO tuam pœnitentiam, quia primo ipſe dixit, per Ezechielem, *cap. 18. In quacumq; horâ ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor ampliùs.* Secundo quia paterfamilias noſter non exijt tantùm primo manè & meridie vocare operarios, ſed etiam veſperè vndecima & vltimâ diei horâ: etſi tunc potiùs te vitia, quàm illa tu relinquere videntur. Nam etiam Latro in cruce non tam reliquit furta, quàm relictus eſt ab eis, & tamen Chriſtus acceptam ſtatim habuit eius pœnitentiam, vt & te animaret. Tertiò, quia ipſe iubet nos nunquam deſperare veniam. Quartò quia propterea præcepit & ordinauit, morituris maximè Sacramenta Confeſſionis, Communionis, Vnctionis, vt intelligeremus hæc Sacramenta ſemper efficacia eſſe, & ſe per hæc omni modo cupere promouere noſtram ſalutem. Ad quid enim tot remedia nobis ordinaret Cæleſtis Medicus, ſi inefficacia forent aut ſera nimis?

D. III. Amor erga res creatas. TERTIÒ. Erunt ſigna in ſtellis. Secundùm Matthæum, *Stellæ cadent de cælo* hoc eſt, abſcõdent & retrahent ſplendorem ſuum, ſicut dicitur *Ioelis 3.* Vel vt alij explicant, inflammatæ exhalationes & fulgura de cœlo cadent & micabunt, velut cùm nocte putamus ſtellas ſe emungere & partes aliquas ignitas deijcere. Stellæ, noctis deliciæ, delicias huius ſæculi obſcuriſſimi repræſentant, & has pariunt tibi primò diuitiæ, dignitates & voluptates: Secundò amici, parentes, liberi, cognati, noti. Tertiò corpus proprium, eius robur, venuſtas, iuuentus, nobilitas, &c. Hæc ſunt ſolatia mundanorum ambulantium de nocte. Inter ſtellas ſeu potiùs conſtellationes ſunt Venus & Virgo, Mars, Canis & Lepus, Lyra, Gemini, Crater, Taurus, Piſces, &c. quia talium rerum ſimilitudinem aliquo modo repræſentant. Hæc eadem ſuo modo reperiuntur & in terrà quibus homines delectantur & putant quodammodo in his conſiſtere cœlum ſuum. Sed morte per ægritudinẽ pulſante, hæc omnia retrahent ſplendorem ſuum, calorem, influxum, quia ſubtrahent tibi tunc ſolatium, quod olim afferebant; Venus & Amaſia te deſeret, amici & noti vix inuiſent, haſtiludijs & venationibus nequaquã adeſſe poteris nec crateres exhaurire: Cythara & Lyra te non recreabit, &c. Clariſſima hæc lumina omnia obſcurabuntur, & quæ anteà ſummam tibi afferebant lætitiam, poſteà te cruciabunt & Carnifices tui erunt: Dilecta Coniunx, dulces liberi, iucundi amici, præſtantia vina, lautæ epulæ, ingens theſaurus & aurea argenteaque ſupellex, honores & voluptates, olim ſolâ mentis cogitatione te recreabant, ſolo aſpectu, ſolo auditu: tunc tibi cruces erunt, quia relinquenda. Hinc prudens Vxor & dulces liberi eo tempore à conſpectu patris ſolent recedere, arceri conuiuia & Muſica, amoueri delectabilia, ne præſentiâ ſuâ affligant morientem. Vnde veriſſimè Eccleſiaſticus c. 41. inquit: *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habẽti in ſubſtantijs ſuis!* Expertus fatetur Agag Rex ille pinguiſſimus, qui mox interficiendus dixit: *Siccinè ſeparat amara mors? 1. Reg. 15.*

Sed quid in his remedij? Quod Chriſtus Diſcipulis præſcripſit *Matth. 10.* vt exeuntes de domo in quâ accepti non ſunt, excute-

rent puluerem de pedibus in testimonium, *Remediũ.* quòd nihil è domo efferre voluerint. Similiter & tu si benè & suauiter mori cupis, excute de pedibus, id est, vltimis vitæ tuæ diebus puluerem terrenorum affectuum & concupiscentiæ erga res omnes creatas. Non frustra dicitur Diabolus insidiaturus calcaneo nostro, id est, fini vitæ: aduerte enim sedulò num tu puluerem aliquem eiusmodi tecum è mundo efferas, vt te quasi furem & mundi amatorem comprehendat spolietque. S. Hilarion à Latronibus comprehensus & interrogatus an timeret, dicebat: *Nudus Latrones non timet.* Ita etiam qui à se abijcit omnem affectum inordinatum erga res creatas, Dæmones in illo die non timet, quia non habet vnde teneri queat: *Vestitus autem quispiam cum altero luctans citius ad terram deijcitur,* ait S. Gregorius, *ho. 32. in Euang. quia habet vnde teneatur.* Transcribe igitur eo præsertim tempore omnia Domino Deo cum Iob, & dic: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Incipe ea cum Salomone tandem resipiscente, odisse & cognoscere, quòd aliud non sint, nisi vanitas vanitatum. Huc facit, quod suadet Dominus: *Qui in tecto est, non descendat in domum tollere tunicā suā: qui in agro, nō reuertatur tollere aliquid de domo;* id est, qui iā in fugâ mortis est, nō se retardet his nugis, ne impeditus capiatur.

E. IV. Dolor infirmitatis. QVARTÒ. In terris pressura gentium, id est, in corpore ingentes dolores, plures morbi superuenientes. Terra enim corpus est, gentes mors & vita sunt, qui in moriente confligunt atrocissimo duello. Cùm Rebecca vterum ferens magnis teneretur doloribus & colliderentur in vtero eius Infantes, Iacob & Esau, consuluit super hac re Deum, qui dixit: *Duæ gentes sunt in vtero tuo & duo populi: & maior seruiet minori. Gen. 25.* Ita in agonizante pugnant mors & vita: hæc conseruari nititur: illa eam expugnare conatur, & oritur hoc prælium ex fœtibus, id est, humoribus inter se pugnantibus. In auxilium vitæ vocatur Medicus & omnis generis pharmaca: sed quidquid tandem sit, *maior seruiet minori,* id est, vita cedet morti. Premetur tunc spiritus in corpore, quomodo premitur Ciuitas obsidione, donec ciues eam deserant. Ducitur vallum in circuitu, ne commeatus inferri queat, aqua auertitur, molæ destruuntur, deinde muri & turres tormentis quatiuntur, ignei globi ædibus inflammandis inijciuntur. Ita in ægro appetitus perditur, aqua, vinum & quæ gustui placerent, interdicuntur: dentes molere nequeunt: Ossa & nerui debilitantur potionibus & clysteribus: inflammatur sanguis & membra: atque ita tandem deserere castrum suum cogitur homo, & sicut ingenti Matris dolore natus est in mundum; ita maximo dolore iterum egreditur. Interea intumescit pectus, vox raucescit, oculi cauantur, genua frigescunt, pedes moriuntur, vultus pallescit, & omnia membra frigidum sudorem emittunt: in summâ adeò torquetur homo, vt aliqui petierint interfici, vti Saul: Alij seipsos interfecerint, vti conatus est Herodes vermibus scatens. Alij præ dolore exclamârint, vt Clotharius Franciæ Rex, qui cùm acutâ febri torqueretur, vociferatus est: *Vah quid putatis? qualis est ille Rex cælestis, qui sic tam magnos Reges interficit?* Greg. Turonens. apud Baron. ann. 565.

Quid igitur faciendum homini tantis in angustijs? sanè patiendum tibi est, sed vt leuior *Remediũ.* sit pressura, propone tibi exemplum Christi, qui Petro volenti impedire eius passionem dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater, nō vis vt bibam illum? an putas quia non possum rogare Patrem meum, &c.* Amarissimum illum passionis suæ calicem acceptauit velut à Patre sibi propinatum, licet à Iudæis & dæmone mistus illi esset, & cùm facillimè posset ab eo liberari, noluit, nec admisit nisi vnum Angelum se confortantem. Accepta igitur & tu calicem mortis tuæ & ambabus amplectere manibus. Nouit enim Deus quid tibi maximè prosit. Si à Medico haud grauatè acceptas Syrupos, venæ sectiones, ustiones, &c. cur non & ægritudinem à cœlesti Medico tibi præscriptam? Nouit ille te Purgatorium non effugiturum, ideoque offert tibi hîc mitiorem calicem, qualem obtulit Latroni bono, qui per crucem suam purgatus eodem die cum Christo meruit esse in Paradiso. Quis non malit cum illo pati volens, quàm cum Nequam Latrone nolens? tanta esse potest tua Crux & patientia, mox vt ad cœlum euoles. Quod si Dominus voluit promereri gloriam per calicem mortiferum, qui mox in curru igneo potuisset in cœlum sicut Elias ascendere, quanto magis decet, vt simili modo tuam merearis?

CONCIO III.

Prodromi seu apparatus Iudicij extremi.

N.B. Huic materiæ de Iudicio correspondent per Aduentũ conciones 3. loco positæ.

Apparatus hic sunt

1. *Signa prauia quæ apparebunt in Cælo, Igne, Aere, Aquâ, Terrâ, Hominibus, Bestijs & Dæmonibus.*
2. *Ignis conflagrationis, qui Dissoluet mixta, purgabit electos & Mundum expiabit.*
3. *Resurrectio mortuorum, quâ conuocabuntur mortui. Confluent in corpora sua cineres & Congregabuntur omnes ad vallem Iosaphat.*

THEMA.

Respicite & leuate capita vestra, quoniā appropinquat redemptio vestra. Luc. 21.

IN vita S. Henrici Imp. legimus sanctum illum, cùm Bauariæ Dux esset, orâsse aliquãdo ad sepulchrum S. Wolfgangi Ratisbonæ, Magistri quondam sui, multisque votis sancto illi præsuli se suaque commendâsse. Quâ in oratione visus est illi adstare Præsul, monens vt vicinum tumulo parietem aspiceret, legeretque exaratas ibi litteras; scriptum erat: *post Sex.* A. Henricus hâc scripturâ mortem sibi denunciari autumans, parare se mox ad eam cœpit, largiendo

giendo Eleëmosynas aliaque procurando, quasi sexto die moriturus. Vbi verò sextum diem incolumis transijsset, ratus sextum mensem sibi imminere, rursum per semestre totus in curâ mortis fuit. Cùm & sextum mensem superuixisset, sextum deinceps annum in expectatione mortis habuit; quo demum Rex Romanorum renunciatus est; atque ita vaticinium Præsulis institutoris sui assecutus est. Videtur sanè Christus Dominus & Magister noster aliquid nobis simile scribere & ostendere voluisse, dùm in suo Euangelio tam sæpè nobis ob oculos ponit propinquitatem finis mundi, vti in hoc. Euang. cùm ait: *His fieri incipientibus respicite & leuate capita vestra, quon ā appropinquat redemptio vestra.* Item Matth. 24. *Statim post tribulationem dierum illorum* (euersionis Ierosolymitanæ) *Sol obscurabitur.* Matth. 25. *Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli.* Voluit enim diei illius propinquitatem, sed ambiguis vocibus (*statim* & *amodò*) indicare, vt semper essemus parati, atque ita adueniente illo, non mortem animæ oppeteremus, sed ad regnum cœleste eueheremur. Hinc igitur sancti viri diem illum non secus timuerunt, alijsque inculcârunt, (vti *S. Ioannes ep. 1. c. 2. Filioli nouissima hora est.* S. Medardus, S. Gregorius B. Vincentius Ferrier.) ac si eo vsque victuri essent. Hunc eundem nobis inculcat hoc maximè tempore Ecclesia. Ergò Auditores respicite & leuate capita vestra, discutiemus enim hoc Aduentus tempore processum illius Iudicij.

B. I. Signa prævia. PRIMÒ. Præcedent signa terribilia in omnibus penè totius vniuersi partibus, vt indicent breui ruiturum orbem, cuius omnes partes & contignationes dissolui & fragorem edere incipient. 1. *In cœlo.* Erunt autem primò signa in cœlo, sol enim & luna cum stellis obscurabitur secundùm tertiam partem, ita vt dies æquè ac nox, tertiâ parte fiat obscurior solito (vt habetur partim *Matth.* 24. partim *Apoc.* 8.) vt indicent tùm metum, quo perculsæ stellæ retrahent splendorem suum ante faciem aduenturi Iudicis, sicut homo in timore retrahit ad cor sanguinem suum: tùm etiam pudorem, quo perfusæ de atrocissimis hominum sceleribus nolint ea amplius contemplari: tùm gaudium impiorum mox finiendum, & tenebras gehennæ breui incepturas.

2. *In igne.* Secundò. In igne; stellæ enim de cœlo cadent, id est, aëreæ inflammationes, fulgura & ignitæ faces, formæ & figuræ prodigiosæ, quæ videbuntur esse stellæ (loquitur enim Scriptura vulgari modo, non philosophico) portendet autem hic stellarum casus plurimorem lapsum ad infernum, quia ipsi se è sublimi gratiæ statu in peccatum precipitarunt. Accedet plaga ignis de cœlo casuri, & tertiam partem terræ combusturi. *Apoc.* 8. mistim: videlicet varijs in orbis partibus, in vltionem ignis libidinis. Item Cometa seu stella ingens, ardens tanquam facula, quæ de cœlo cadet suoque casu dissiliens comminuta diuidetur in multas faculas seu exhalationes, quæ in varios fontes & flumina incidentes, ea inficient & amarissima instar absynthij facient, vnde stella illa vocabitur absynthium. *Apoc.* 8. Et hoc fiet in pœnam sceleratæ voluptatis præsertim gulæ & crapulæ impiorum; vt qui vino pretioso se impleuerunt, impleantur iam absynthio.

Tertiò. In aëre erunt pestilentiæ. *Luc.* 21 in vltionem scelerum, quibus aër quodammodò infectus fuit, vti contumelijs, detractionibus, periurijs, blasphemijs &c. Deinde plaga grandinis mistæ sanguini. *Apoc.* 8. in vltionem effusi sanguinis piorum ab impijs. Accedet æstus solis, *Apoc.* 16. Dabitur enim soli vis affligendi homines æstu tanto, vt ignis videatur, indeque homines grauissimè æstuent, & quasi assentur, ideoque præ impatientia DEVM blasphement; in vltionem malarum cupiditatum & desideriorum quibus æstuabant improbi. 3. *In Aere.*

Quartò. In aquâ erit primò confusio maris & fluctuum indeque sonitus horribilis, vt in hod. Euang. Rugiet enim mare velut Leo parans se ad deuorandos impios, qui in insulis maris & maritimis Regionibus, nec non in nauigijs positi plurima mala patrârunt. Deinde mons ardens seu massa ignis siue globus ingens ex alto mittetur in mare & comburet tertiam partem nauium ac piscium *Apoc.* 8. Adhæc mare vertetur in speciem sanguinis atri, qualis fluere solet è cadaueribus, similiter fontes & flumina *Apoc.* 16. in vltionem sanguinis innocentum effusi: vt ita sanguinem bibant, qui sanginem sitierunt & fuderunt. Denique siccabitur fluuius Euphrates *Apoc.* 16. vt aperiat iter Regibus conuenturis ad pugnandum pro Antichristo contra Ecclesiā. 4. *In aquâ.*

Quintò. In terrâ erit pressura gentium vt in hod. Euang. proueniens ex bellis & seditionibus, fame & pestilentiâ *Luca.* 21. Accedet ingens terræ motus, cum grandine, tonitru, fulmine & vocibus articulatis in aëre, quibus terror incutiatur impijs *Apoc.* 16. & *Luc.* 21. inde non solùm plurimæ Ciuitates corruent, sed etiam multi montes concident, & Insulæ operientur aquis. 5. *In terrâ.*

Sextò. In hominibus, qui adhærebunt Antichristo erit vulnus sæuū & pessimum *Apoc.* 16. in vltionem libidinis: grassabitur enim in ea potissimum membra, quibus libidini seruitum. 6. *In hominibus.*

Septimò. In bestijs plaga locustarum, à quibus vexabuntur impij, Locustæ erunt peregrinæ & sæuissimæ, morsibus cruciaturæ homines, quorum Rex & Ductor erit Dæmon aliquis *Apoc.* 9. 7. *In bestijs.*

Octauò. In Dæmonibus, Soluentur enim quatuor Dæmones, qui mox vbique terrarum bella concitabunt, quibus orbis ita attereretur. vt facilè tertia pars hominum sit interitura *Apoc.* 9. 8. *In Dæmonibus.*

Hæ sunt ferè plagæ iudicium præcessuræ: In quibus elucet Dei iustitia misericordiæ mixta. Iustitia quidē, dum vndiq; ex omnibus mundi partibus Carnifices accersentur ad plectendos impios: & quemadmodū horologium cùm ad

horam

horam pulsandam soluitur, omnes penè rotas magno fragore circumagit & mox ponderosum malleum eleuat ad campanam feriendam: ita extremo illo tempore concutiet DEVS orbem totum, & postea eleuabit manum suam, nimiùm heu grauem ad prosternendos impios, simulque claudet seu finiet horam temporis huius. Misericordia verò dum hæ plagæ paulatim & cum eâ moderatione adhibebuntur, vt peccatores possint resipiscere; deinde dum pleræque impios tantùm vel certè potissimùm tangent. Boni enim suam interim pacem & consolationem habebunt, quemadmodum habuere Hebræi in Ægypto, durantibus decem plagis. Neque tamen inde sequitur, impios omnes ex illis plagis conuertendos. Vt enim Pharao & Ægyptij, spretis illis plagis, permanserunt obstinati: sic facient tunc impij quamplurimi.

C. II. Ignis cōflagrationis, qui. SECVNDÒ. Succedet ignis conflagrationis, qui Christum Iudicem præcedet, iuxta id *Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Taceo alia loca. Erit autem huius ignis effectus triplex. Primò dissoluet omnia corpora mixta in Elementa.

1. Dissoluet mixta. Cùm enim omnia illa ad vsum temporalis vitæ hominum condita sint, cessante illâ nulli erunt vsui, ac proinde resoluenda sunt in sua principia, ex quibus compacta, & suis elementis restituenda. Itaque exuretur terra profundissimè & omnia quæ in eâ sunt, omnes arbores, omnia prata, omnia viridaria, omnes thesauri, aurum, gemmæ; exurentur montes & montium fundamenta; è quibus aurum, metallum, gemmæ, lapides eruuntur: dissoluentur saxa & metalla, & liquescent instar ceræ: exuretur mare, ita vt consumatur quidquid in eo terrenum & concretum est, omnes pisces, omnes naues, omnes diuitiæ in eo reconditæ: denique exuretur quidquid est in aëre materiæ inflammabilis. Hæc omnia colliguntur manifestè ex SS. litteris, vti 2. *Pet. 3. Adueniet autem dies Domini*, inquit, *sanquam fur, in quo cæli*, (id est, superior aëris regio) *magno impetu transient, elementa verò* (id est mare & infima Regio aëris) *calore soluentur; terra autem & quæ in ipsâ sunt opera, exurentur.* Item *Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, &c.* Nimirum sicut Dux exercitus cùm obsidionem soluit, castra sua deserit & incendit, quod nulli ampliùs seruiant: ita & mundi Dux creaturas suas, in quibus vestigia diuinitatis suæ posuit & per quas ad sui amorem & obedientiam pellicere homines semper studuit, tandem deseret & igni tradet. Atque hic est finis mundi huius spectabilis, tam speciosi, tam instructi omnibus vtensilibus, pro quo tot & tantæ altercationes instituuntur: qui tantopere diligitur & à multis penè adoratur. Tunc dicetur illis, quod Daniel dixit Babyloniis, cùm dirupit Draconem, quem pro DEO adorabant: *Ecce quem colebatis! Daniel. 14.* Quisquis igitur sapit non ad faciem mundi, comptam & fucatam, sed ad finem eius attendit. Quisquis sapit, rebus perituris cor suum non affigit. Peribunt & in vno quasi tumulo sepelientur omnes mundi deliciæ, fructus, flores, aurum, gemmæ, equi, boues, palatia, horti, picturæ, agri, libri. Peribis ergo cùm illis, si inniteris illis.

Secundò, Purgabit Iustos, qui aliquid culpæ vel reatus pœnæ habuerint, quemadmodum nunc facit ignis purgatorij, iuxta id 1. 2. Purgabit electos.
Cor. 3. Dies Domini declarabitur, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit, &c. Vbi docet, eos, quorum opera iusta sunt velut aurum, argentum & lapides pretiosi, nihil habentia materiæ inflammabilis seu castigatione dignum, nihil incommodi ab illo igne passuros. Eos verò, quorum opera sunt velut lignum, fœnum, stipula, quæ apta sunt igni nutriendo, culpæ scilicet veniales, & reatus pœnæ, passuros detrimentum, fore tamen saluos. Erit enim hic ignis quasi ratione præditus, quia aget vt instrumentum Dei, & velut lictor ex decreto Iudicis puniet singulos plus vel minùs pro culpæ & reatûs quantitate; bonos quidem perimet, sed non cruciabit: reprobos grauiter affliget: eos verò qui in statu quidem gratiæ sunt, aliquid tamen purgandum habent, cruciabit plus vel minus pro cuiusque merito, vt docet *D. Thom. in 4. d. 47.* Videat vnusquisque, quidnam hic ædificet, auream ne domum, an ligneam & stramineam. Hoc enim reuelabit ei purgatorius ignis, si non ille extremus conflagrationis mundi. Ibi apparebit quid intersit inter probos & improbos, inter virtutes & vitia.

Tertiò. Mundum expiabit. Est enim mundus hic velut templum Dei, ad eius cultum 3. Mundum expiabit.
& honorem ab eodem conditum; quòd cùm per infinita hominum scelera, per spurcitias carnales & spirituales multis sæculis inquinatum sit, priusquam renouetur ad statum gloriæ, expiari debet per ignem, quemadmodum olim in diluuio expiatum est per aquam. Nimirum voluit Deus tempore Noë submergere peccata in vastissimo illo Oceano. Sed quia iterum caput erexerunt & dominantur in mundo rursum æquè potenter ac priùs, idcircò ea demum ingenti rogo inijciet & rediget in cinerem. Et quia creaturæ cæteroquì innoxiæ ad peccandum cooperatæ sunt quali quali modo, idcircò & ipsæ concremandæ, quemadmodum cum Sodomitâ & bestiæ comburuntur, quibus est abusus. En quàm grauis & detestanda res peccatum sit. Si enim ita ardebunt res omni culpâ vacantes, quomodo ardebunt impij tot sceleribus inquinati? Optimè S. Petrus, *Ep. 2. cap. 3.* ex hac mundi dissolutione concludit: *Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in Sanctis conuersationibus & pietatibus?* q.d. primò, non oportet confidere in rebus perituris. Secundò, non oportet ædificare, quod simul exurendum sit. Tertiò, non oportet peccare, quandoquidem D. III.
vrentur etiam res innoxiæ, quæ quouis modo Resurrectio mortuorum.
peccatoribus adminiculo fuerunt.

TERTIÒ. Sequetur resurrectio mortuorum,

rum, durante adhuc mundi incendio. Et quâ ratione? Primò, præmittentur Angeli cum tubâ vt mortuos excitent & conuocent ad iudicium, vt docet DOMINVS *Matth.* 24. & Apostolus 1. *Cor.* 15. & 1. *Thessal.* 3. Intonabunt verò illud: *Surgite mortui, venite ad iudicium*, vt indicant *Chrys. & Theophyl.* docetque *Sotus in* 4. *d.* 43. *q.* 1. *a.* 4. Si non voce expressâ, & articulatâ, saltem voce hoc ipsum significante. Et quamquam hic tonus erit vniformis, alius tamen erit in auribus electorum, alius in auribus damnatorum: illis erit optatissimus & suauissimus, his verò molestissimus & terrificus: illis erit velut sonitus tubæ annuntiantis Iubilæum plenum gaudij & gratiarum, vti fieri consueuit olim *Leuit.* 25. his verò velut sonitus campanæ sanguinariæ, quo euocantur è carcere Rei ad iudicium & supplicium: Buccina iubilæi annuntiabat otium & quietem totius anni seruis & iumentis, deinde restitutionem possessionis pristinæ faciendam vnicuique; deniquè copiam frugum eo anno spontè & sine labore omnibus prouenire solitarum *Leuit.* 25. Buccina iudicij annuntiabit electis dulcissimam quietem beatæ æternitatis: reuersionem ad cœlestem patriam, vnde priùs in Adamo eiecti erant: affluentiam bonorum omnium nullo amplius labore, pretio vel molestiâ comparandorum. Erit ergo eis, quasi vox turturis, iucundissimum ver beatitudinis annuntians iuxta id *Cant.* 2. *Vox turturis, audita est in terra nostra.* Campana verò illa sanguinaria quid aliud reis annuntiat, quàm terrorem iudicij, publicam infamiam, grauia tormenta, mortem violentam bonorumque huius vitæ omnium iacturam? Et quàm ægrè, putatis, isti egrediuntur è carceribus ad iudicij theatrum? Similiter tuba iudicialis denuntiabit impijs imminens sibi exitium. Tunc ergò verum erit illud paradoxum: *Veniet tempus, quo damnati nolent egredi ex inferno, & beati nolent manere in cœlo.* Damnati nolent egredi inferno, partim ne videant vultum iratum & fulminantem Iudicis; partim ne subeant probrum publicum damnationis coram toto mundo; partim ne cogantur assumere corpora, quibus præter animæ pœnas priùs iam toleratas, nouas alias luant adeoque duplices. Beati è contra optabunt egredi cœlo, tum vt oculis suis videant Ducem suum, & auribus suis audiant dulcissimam eius vocem: *Venite Benedicti*; tum vt publicam recipiant meritorum suorum laudem & coronam, tum vt corpori suo amicissimo rursum vniantur, in eoque præter animæ stolam, alteram recipiant, adeoque duplicem.

1. *Conuocabuntur mortui.*

Secundò. Mirâ DEI & Angelorum operâ confluent in vnum cineres vniuscuiusque corporis & restituent in integrum; sed in statu perfectæ ætatis & sine vllo defectu integritatis humanæ naturæ. Tametsi ex aliâ parte magna erit diuersitas inter illa corpora, vt indicat Apostolus 1. *Cor.* 14. cùm ait: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: ad gloriã videlicet, ita vt gloriosis corporis dotibus vestiamur. Hoc enim eueniet electis tantùm; Damnati inuenient quidem corpus suum immortale, sed passioni obnoxium, graue, deforme, fœtidum, horridum, vt sit animæ carcer & nouus quidam infernus. Cogitate hîc: quo vultu se mutuo intuebuntur anima & corpus impij? quàm ægrè hoc par coniugum sibi mutuas dabit dexteras? quàm ægrè copulabitur? maledicet anima corpori, quòd in eius gratiam plurima peccarit, quòd tanta ei indulserit, quòd eius rebellione ad orcum pertracta sit. Maledicet corpus animæ, quòd imperio eius domitum non fuerit, ab illicitis cupiditatibus nec impeditum nec retractum, itaque per ipsam in statum hunc deuenerit; sic nimirum infœlices illi coniuges qui in vitâ hac facilè contenerunt, & quascumque peccatorum illecebras pari contentione sectati sunt, omnes peccatorum dulcedines & voluptates pariter ebiberunt; (cùm spiritus efferebatur de suâ quadam excellentia, statim caro se erexit & impensiùs ornauit. Cùm spiritus agitabatur odio vel irâ, mox caro se armauit, ad inimicum persequendum. Vicissim cùm caro suas delicias sectata est, gulam, libidinem, auaritiam: spiritus cum hoc fure illicò currebat, simul furabatur, furtum palliabat, negabat, tegebat.) Tūc velut spinæ se inuicem complectentur sibique mutui carnifices fient. Contra verò anima electi, cùm aspiciet corpus suum gloriosis vestitum dotibus, quantùm sibi gratulabitur! quantùm sibi in eo placebit! quas sibi mutuò gratias agent ambo isti coniuges, spiritus & caro, quòd ille hanc optimè rexerit, hæc illi obedierit! ibi spiritus carni dicet, quod legimus *Cantico.* 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui Columbarum.* Et respondebit caro spiritui veluti sponso suo: *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.*

2. *Confluēt in corpora sua cineres.*

Tertiò, Congregabuntur omnes ad locum iudicij, qui erit vallis Iosaphat prope Ierosolymam infra montem oliueti, vt habetur *Ioelis.* 3. Vt ita Christus in ea regione iudicet omnes, vbi pro omnibus iniquè iudicatus est: ibique cōspiciatur eius maiestas, vbi priùs visa est eius abiectio & humilitas: vt ibi descēdat de cœlo, vbi ascendit in cœlum; & sic opus salutis nostræ ibi terminetur vbi cœpit. Ibi erit area, vbi seges triturabitur: ibi erit torcular, vbi vindemia calcabitur. Angeli messores & vindemiatores erunt, quorum falcem nemo fugiet, vt videre est *Apoc.* 14. Cæterùm in hoc etiam dispar erit conditio bonorum & malorum; illi enim spontè & per dotem agilitatis suâpte vi occurrent Christo, imò velut auiculæ volabunt ad suum Iudicem, iuxta id Domini, *Vbi est corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*, hi verò cùm hâc dote destituti & plumbei potiùs sint futuri, transferri ab Angelis debent. Ita fiet quod prædixit. *Isaias cap.* 40. *Deficient pueri & laborabunt: & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt.* Impij dum in mundo sunt, communiter

3. *Congregabuntur omnes ad vallem Iosaphat.*

niter magnifiunt & amantur velut iuuenes: pij contrà velut ſenes contemptui habentur. At in die illo, quo incipiet regnum Chriſti, pij aſſumentur, (ad Electorum cuneum) impij relinquentur, Impij hîc agiles, celeres & robuſti ſunt ad captanda mundi bona, diuititias honores, delicias, &c. Pij contrà tardi, impediti & infirmi. Sed ibi ſors mutabitur, pij ad Regis Regum curiam & dexteram euolabunt, impij velut ignaua pecora eò raptabuntur. Impij in mundo ſemper primi eſſe volunt, pij verò ſequi & agmen claudere debent. Sed ibi apud Chriſtum pij erunt primi, impij poſtremi. Impij hîc plerumque altiores ſedes occupant, inferiores verò pij. Sed ibi pij velut aquilæ in alto volitabunt, impij ſuo pondere in terram prement: Impij in mundo liberimè vagantur, & quidquid deſiderat cor eorum, id obtinent non difficilè, velut inprimis Veneficæ, quæ per aërem quaquauerſum feruntur, ſuâ luxuriâ omnia prata percurrunt, in omnia cellaria inuolant, omnia perluſtrant; pij communiter alligati ſunt inopiæ, aut infirmitati, deinde legi DEI, ne pro libitu frui bonis mundi poſſint. At ibi pij libero perfruentur aëre & vbicunque volent, ibi ſtatim eſſe poterunt, impij verò terræ & carceri ſuo affixi erunt. Impij hîc paſcunt oculos ſuos creaturarũ pulchritudine & obſcœnis imaginibus, pij ſuos claudunt. At ibi Regem gloriæ pij contemplabuntur inexplicabili gaudio, velut ſolem Aquilæ: impij verò auertent oculos, & nolent eum videre, quem ſibi ratum ſcient, adeoque dicent montibus: *cadite ſuper nos*, *Oſee.* 10. nihilominus tamen nolentes ad tribunal eius rapientur. Impij denique hîc communiter expertes tribulationis ſunt, nec facilè tanguntur communibus flagellis, fame, peſte, &c. quæ tamen in piorum dorſa crebrò cadunt. Sed in die iudicij pij veluti aquilæ à fulmine iudicantis minimè tangentur (dicitur enim aquila fulmine non tangi) impij verò comminuentur.

CONCIO IV.

Cur Aduentum Domini ſigna præceſſura.

1	*Signa illa indicant mundi interitum.*	4	*Indicant creaturarum iram.*
2	*Indicant iudicẽ mox Venturum.*	5	*Oſtendunt grauitatem peccati.*
3	*Oſtendunt diem internecionis.*	6	*Mouent ad pœnitentiam.*

THEMA.

Erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis, Luc. 21.

A. NOſtis, Auditores, ſecundùm regulas Aſtrologorum, Solem, Lunam & cæteras ſtellas erraticas ſeu planetas dici eſſe in ſignis, Zodiaci videlicet, veluti in ſigno Virginis, Tauri, Piſcis: nunquam verò dici, ſigna eſſe in Sole, Lunâ vel planetis reliquis; quia nimirum ſigna conſtant ſtellis fixis, quæ in firmamento immobiles perſiſtunt. Planetæ verò, ſtellæ errantes, ſunt infra firmamentum, quæ ſigna illa varijs itineribus perambulant, adeoque varijs aſpectibus afficiunt. Hæc cùm ita ſint, quid ſibi vult Prognoſticon magni illius Aſtrologi Chriſti, cùm inuerſo ordine ait: *Erunt ſigna in Sole, Luna & ſtellis?* Meâ quidem ſententiâ nihil aliud vult dicere, quàm omnia perturbanda, & ſurſum deorſum itura eſſe, extremo illo tempore, adeoque ipſorum etiam ſyderum curſum, aliaque omnia è ſuis locis mouenda, ſicut dixit Ioël cap. 3. *Mouebuntur cœli & terra*, Iam ergò ſi Aſtrologi, cùm præuident miros & inſolitos aſtrorum aſpectus, curioſè perſcrutantur, quidnam illi protendant: multo æquius eſt, vt nos ſedulò inquiramus, quid tandem inſueta & horribilia illa ſigna denotent. Id verò hîc faciamus.

Signa illa. I. indicant vtriuſque mundi maioris & minoris interitum iam iam imminentem; maioris quidem, quia vt in homine Microcoſmo morti propinquo hebeſcunt, oculi, quatiuntur oſſa, membra tremunt, pectus turget, reſpiratio ingraueſcit, pulſus arteriarum deficit; ſic in macrocoſmo, cùm is tendet ad interitum, luminaria cœli obſcurabuntur, terra & montes trement, mare turgeſcet, venti inualeſcent, motus cœlorum ſiſtetur. B. I. Indicant mundi. interitũ.

Minoris verò ſeu hominis, quia tunc ſeruire ei deſinent, oſtendent ergò genus humanum, in cuius ſeruitium, omnes creaturæ factæ ſunt, iam penè interijſſe, & mox omnino emoriturum. Hinc *Iſaias cap.* 34. dicit de extremo Iudicio: *Et tabeſcet omnis militia cœlorum* (id eſt, Sol, & Luna & ſtellæ) (*& complicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vineâ & de ficu.*

1. Primò ergò ſicut Rege in Regiâ moriente omnis eius familia tabeſcit atque à ſeruitio eius ceſſat & abſoluitur: ita cùm humanum genus interibit, cœleſtia luminaria, & creaturæ cæteræ ſeruire ei deſinent, ideoque contabeſcent ac lugebunt quaſi Domini & Imperatoris ſui mortem, quomodo Regis familia & curia in morte Domini ſui veſtem lugubrem induit. Vnde *Apoc.* 6. id ipſum ſic deſcribitur: *Sol factus eſt niger, tamquam ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis, &c.* Et S. Chryſoſtomus hom. 50. operis imperfecti ait: *Patrefamilias moriente tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & conſcißis tunicis ſuis nigris ſe operiunt veſtimentis: ſic & humano genere propter quod omnia fuerunt creata, circa exitum conſtituto, totus contriſtatur mundus, vniuerſa cœli miniſteria lugent, & candore depoſito, pro veſtibus luctuoſis tenebris veſtiuntur.* Sic ille.

2. Secundò cœli complicabuntur ſicut liber, id eſt, conuoluentur ſicut Mappa ſuper cylindrum (ſic enim olim plicabantur libri) quia tunc deſinent hominibus enarrare gloriã DEI, & notitiam eius. Nunc enim vti Dauid dixit, *cœli enarrant gloriam* DEI; ſapientiam, potentiam, bonitatem, &c. quia adhuc in mundo, velut in

ſcholâ

ſcholâ ſumus, vbi diſcere poſſimus. At quia in diebus illis finis erit ſcholæ, ideò complicabitur ille liber, cùm luminaria cœli ſubtrahent ſplendorem ſuum & abſcondent cœlum. Denique ſydera ſicut folia de vite vel ficu defluent (id eſt de cœlo cadent,) quia *ficut vites*, inquit S. Chryſ. in hom. ad Neophytos, *cùm uvarum fructibus prægrauantur, foliorum auxilium neceſſarium, vt protegantur, expoſcunt; cùm autem depoſuerint fructum, neceſſe eſt, vt etiam folijs denudentur: ſic ſe habet hoc ſæculum. Quamdiu habuerit in ſe humanum genus, tenebit & cælum ſtellas, ſicut & vitis folia, &c.*

C. II. Indicant Iudicem mox venturum.

SECVNDÒ. Indicant Regem cœli & terræ mox venturum ad Iudicium. Quando fama ſpargitur Imperatorem ad certum diem habiturum Comitia, & ad ea profecturum, plurimi reperiuntur, qui diei illi fidem nullam adhibent, ſed prout ferè contingit, in longum protrahenda, aut omninò omittenda comitia dictitant: quia nullum apparatum vident. At cùm præparari diſceſſum, cùm aulæa de palatij parietibus tolli & componi, cùm aureum & argenteam ſupellectilem conuaſari, cùm in aulâ omnia turbari & ad diſceſſum expediri vident, tum demum credunt Cæſarem profecturum. Ad eundem modum licet DEO decretum ſit venire ad Iudicium, & hæc fama pro re certiſſimâ promulgetur vndique in concionibus, plurimi tamen ſunt, qui fidem nullam adhibent, ſaltem quod tam breui id futurum ſit, eò quòd aduertant, prorogari aduentum illum; id quod potiſſimùm facient, qui vltimis temporibus viuent, teſte S. Petro 2. *Pet.* 3. *Venient*, inquit, *in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: Vbi eſt promiſſio aut aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.* Poſtquam igitur videbunt cœleſtium ſyderum tapetes tolli, aurea illa vaſa complicari & omnia elementa tumultibus agitari; tùm vtique credere incipient, quod priùs noluerunt. Tum demum arguent Concionatores ſuos Auditores vel homines ſe inuicem, dicentes: *Nunquid non dixi vobis: nolite peccare* in CHRISTVM: *Et non audiſtis me? En ſanguis eius exquiritur.* Gen. 42.

D. III. Oſtendũt diem internecionis.

TERTIÒ. Oſtendunt diem vltionis & internecionis iam indictum eſſe Impijs. Quando aliqui inſignes Rei ſupplicio afficiendi ſunt, ſolet alicubi eo die vexillum Sanguinarium è curiâ ſuſpendi, quò intelligant omnes, ſupplicium de Reis eo die ſumendum eſſe. Expediuntur rotæ, ignes, culei, gladij, funes. Pulſatur etiam tunc cum è carcere educuntur morituri funeſta quædam campana, nunquam aliàs pulſari ſolita. E quibus facilè conijciunt Rei rem ad reſtem ire & omnem ſibi ſalutis ſpem occluſam. His triſtibus indicijs viſis & auditis concurrit vndique populus, & commouentur etiam illi, ad quos ea nihil pertinent; nedum ipſi Rei. Iam ergò nihil certius eſt, quàm quòd DEVS aliquando ſupplicium ſumet de peccatoribus. *Leuabo ad cælum manum meam*, inquit, *Deut.* 32. *& dicam: Viuo ego in æternum; Si acuero, vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.* Cùm ergò præparauerit Deus gladium ſuum, ita vt inſtar fulguris luceat ac penetret, tunc vltionis diem indicet. Atque vt hic omnibus manifeſtus fiat, vexillum Sanguinarium de cœli curiâ expandet, quando nimirum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum: ſeu vt Ioannes ait: *Sol fiet ſicut ſaccus cilicinus, & Luna ſicut Sanguis.* Accedit ſonitus inſuetus & terribilis fluctuum & maris, ventorum impetu excitatus. Tunc abſque dubio aliter loquentur homines de iudicio, atque nunc ſolent. Dicunt Impij nunc, cùm audiunt comminationem iudicij: **Es iſt noch lang dahin/ wann du mir ſo lang beiteſt/ gib mir den Rock auch.** Sed tunc cum Dæmonibus illis in mare præcipitandis dicent: *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos. Matt.* 18. Tamberlanes ille Tartarorum Princeps Ciuitatem aliquam obſidens, ſolebat primo obſidionis die tentorium album erigere, in ſignum ſecuritatis & pacis, ſi ſe tunc obſeſſi dederent. Alterâ die tentoria rubra, in ſignum cædis quam facturus erat, niſi ſecunda die ſe dederent. Denique die tertiâ nigrum, in ſignum omnimodæ vaſtationis, & euerſionis Vrbis, niſi tertio die paruiſſent. Qui etiam aliquando cum Vrbs ſecundo die ab eo obſeſſa, obuiam ei mitteret pueros & puellas cum oliuæ ramis, ad pacem impetrandam, iuſſit eos ab Equitibus conculcari: cuius ſæuitiæ cùm argueretur ab amico, reſpondit; *an tu me hominem putas; & non potius iram Dei?*

Ad eundem modum aggreditur nos Primò DEVS per vexillum album, id eſt, per beneficia, pacem & proſperitatem. Deinde cùm abundabit iniquitas & refrigeſcet Charitas, proferet DEVS vexillum rubrum, quando per bella & ſeditiones atteret mundum. Denique expandet velum nigrum, paulò ante iudicium, in ſignum omnimodę internecionis, & euerſionis mundi.

Omnia hæc prædicta legimus à Ioan. *in Apoc.* Vbi aperto primo ſigillo, prodijt equus cum Equite habente arcum & coronam. Secundo aperto, exijt equus rufus cum equite habente gladium magnum. Tertio aperto prodijt Equus niger cum Equite habente in manu ſtateram. Quem ſecutus eſt Equus pallidus mortem vehens cum pediſſequo inferno.

E. IV. Indicant creaturarum iram in peccatores.

QVARTÒ. Indicant armandas creaturas contra peccatores, quorum tyrannidi ſeruire coactæ ſunt. Nam ad *Rom.* 8. ait Apoſtolus: *Vanitati* (id eſt, corruptionibus, defectibus, operibus ſeruilibus, & laboribus hominum) *creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc.* Itaque quaſi ſub Tyranno gemunt creaturæ, quando peccatoribus ſeruire coguntur contra communem ſuum creatorem, petuntque ab hâc Tyrannide liberari, vti Mu-

lier à puerperio : ſperantque id futurum vltimis temporibus. Quemadmodum Ciuitas oppreſſa tyrannide, cùm aduertit legitimum ſuum Dominum pugnare contra Tyrannum; totis viribus Domino ſuo aſſiſtit, quò Tyrannus expellatur, & ipſa Dominum ſuum recipiat: ita cùm eò res redigetur, vt ab impiorum hominum imperio creaturæ liberentur, totis aſſiſtere viribus conabuntur legitimo ſuo Domino. Quod indicatur, cùm dicitur: *Luna non dabit lumen ſuum.* Sol enim & luna ac ſtellæ negabunt homini lumen: creaturæ cæteræ vſum ſuum. Mare contra hominem inſurget, terra ſe diuidet, aër ſæuiet. Itaque tunc aſſerent quodammodo ſeipſas in libertatem, & repudiabunt impium & iniquum Dominum. *Omnis creatura triplici voce alloquitur hominem,* vt ait Hugo de arcâ Noë, *ſcilicet accipe, redde, fuge.* Prima eſt famulantis; Ita cœlum ait. Ego miniſtro tibi lucem vt opereris, tenebras vt quieſcas, viciſſitudines temporum tribuo, vt varietas tollat faſtidium &c. Aër dicit: vtilem tibi præbeo flatum & omnia animalia alo ad tuum obſequium. Terra: Ego te porto, pane conforto, vino lætifico, frugibus oblecto, animalia ſubminiſtro. Aqua: potum tibi præbeo, ſordes purgo, arentia rigo, & diuerſa animalia nutrio. Ignis: Ego te calefacio, cibos tibi coquo, dura mollio, mollia induro, &c. Secunda eſt admonentis: omnia enim dicunt: Vide quomodo amauit te DEVS qui propter te nos fecit! Vide quomodo eum redames. Accipis benignitatem: redde charitatem, gratitudinem, honorem, obedientiam, &c. Tertia comminantis; Cœlum & Aſtra dicunt: nos tibi lumen ſubtrahemus. Ignis dicit: Ego te comburam & in cinerem redigam. Mare; Ego ſuffocabo te. Terra: Ego abſorbebo te. Infernus: Ego te deglutiam. Hoc eſt quod ſapiens dixit, *Sap. 5. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Et mox, *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Nimirum qui *in cunctis deliquimus,* inquit *S. Gregorius hom. 35. in cunctis ferimur, vt impleatur quod dicitur: Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* Huius belli tam terribilis ſi meminiſſent peccatores, vtique reſipiſcerent & peccandi finem facerent. *Memento belli,* dixit DEVS Iob. *cap. 40. nec vltra addas loqui.* Memento & tu peccator belli illius vltimi: Et ne addas vltrà peccare.

F. V. Oſtendunt grauitatẽ peccati.

QVINTÒ. Oſtendunt grauitatem peccati, pœnæ reproborum; ſiquidem etiam Creaturæ ratione & ſenſu carentes propter illos punientur. Quid enim commeruit Sol & Luna, vt lumine ſuo ſpoliarentur & ſacco lugubri induerentur? quid ſtellæ vt de cœlo exturbarentur? quid mare vt tam inuſitatis fluctibus agitaretur? quid creaturæ cæteræ, vt locis ſuis dimouerentur? Nimirum illud ipſum, quod muri Vrbis Iericho proſtrati, *Ioſ. 6.* quod pecora Amalecitarum. 1. *Reg. 15.* quod Serpens à DEO maledictus, quod abores & ſyluæ exſcindi iuſſæ à DEO. *Deut. 20.* Quid verò illa commeruerunt? Nihil vtique niſi quod inſtrumenta fuerunt homini ad perpetranda grauia peccata, adeoque modo aliquo ſeruierint ad peccandum. Eâdem igitur ex causâ ſol induet *ſaccum cilicinum* (ſignum pœnitentiæ) *& Luna vertetur in ſanguinem,* vt dicitur *Apoc. 6.* vel vt *Iſai. 25.* dicitur: *Erubeſcet Luna, & confundetur Sol cum regnauerit Dominus exercituum*: quia nimirum contra creatorem ſuum peccatoribus ſeruierunt, vel quia vident hominem erubeſcere noluiſſe, ipſa eius loco confunduntur, & erubeſcunt, vnde S. Hieron. in prædictum locum ait: *Erubeſcet Luna, & confundetur Sol cernens homines, qui ſuo fruebantur lumine, nihil dignum Dei bonitate feciſſe, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Hinc ergò colligi debet quantum malum ſit peccatum, & quàm ſeuerè puniendum, quando propter id cœlum & Elementa turbari ac mundus totus demùm exuri debet. Quando Holofernes cum exercitu ſuo deſcendit in campos Damaſci & ſuccendit omnia ſata, omneſque arbores & vineas fecit incidi, *cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes orbem,* vt dicitur *Iudith. 2.* cogitabant enim, ſi ita ſæuit iſte in res non modò innoxias ſed etiam ſalutares: quomodo ſæuiet in homines, quos perditum aut ſubiugatum venit? Simili modo ratiocinari poſſumus: ſi ita DEVS ſæuiet in innoxia imò ſaluberrima elementa, in amæniſſimum illum ſolem, in pulcherrima & gratiſſima illa ſydera, propter ſcelera hominum: heu quàm atrociter ſæuiet in ipſos præuaricatores? Scimus Magiſtratum punire aliquoties res etiam innocuas in odium nocentium. Sic *Leuit. 20.* occidi pecus iubetur, quo cum quis coierit. Et Romæ in canes animaduerſum eſt, quòd aduenientibus Gallis hoſtibus non latrâſſent; &, quaſi eorum proditioni conſenſiſſent, ſuſpenſi ſunt. Sed & Athenis lapides, qui cadendo hominem occidiſſent, exterminabantur, teſte Æſchine contra Creſiphontem; vt inde ratiocinarentur homines, quantum ſupplicium maneret ipſos, ſimile quid admittentes, cùm ne inanimatis quidem parceretur. Ergò ob eandem cauſam puniet DEVS aſtra & Elementa in odium peccati.

G. VI. Monent ad pœnitentiam.

SEXTÒ. Monent homines ad pœnitentiam, hucque potiſſimùm videntur hæc ſigna collimare. Vti enim præmiſit DEVS ſigna euerſionis Ieroſolymitanæ, quo couerterentur ad pœnitentiam: ita & vltimo excidio ſigna præmittuntur, iuxta id *Pſ. 59. Dediſti metuentibus te ſignificationẽ, vt fugiãt à facie arcûs,* Venator cum iaculo petit leporem, nullum excitat ſtrepitũ, nec minatur lepori: Sed quàm maximè poteſt, ſubdolè agit, vt incautum feriat. Sed non ita DEVS, qui *non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur*: Idcircò crebro minatur per indicia præcedentia, antequam condemnet. Vnde colligi poteſt, quàm inuito animo puniat mortales; non quòd hoc affligat DEVM, ſed vt ponat nobis ante oculos impendens malum, quod tantum eſt, vt ſi poſſibile eſſet DEVM ac creaturas inſenſibiles condolere ac lachrymari, id facerent. Itaque ſicut in Paſſione Domini Elementa Chriſto ſuo Creatori compati vide-

videbantur: sic etiam illis diebus compati videbuntur hominibus; & sicut illa olim arguebant Iudæos obstinatos, ita arguent ista tunc omnes impœnitentes, vt qui dolere noluerunt, dolentibus licet elementis & creaturis insensatis.

Adhæc demonstrabunt media peccatoribus quibus adhuc, si velint, salauri poterunt. Sol fiet quasi saccus cilicinus, Luna sicut sanguis, stellæ cadent de cœlo: itaque monebunt, vt peccatores, induant cilicium pœnitentiæ, fugiant ad sanguinem Christi, id est, Sacramenta: procidant in terram per orationem, confugiant ad Solem, Lunam, & Stellas; id est, Christum, Mariam, & Sanctos. Quod nisi repente fecerint nouerint Solem, Christum mox obscurandum, & tristi vultu appariturum: Lunam, Deiparam non daturam amplius lumen sui patrocinij: Sanctos quasi stellas de cœlo casuros, id est, *in diluuio aquarum multarum* ad Deum non appropinquaturos, seu pro nemine interuenturos.

Quamobrem Auditores, prouideamus nobis de salute nostrâ, dum omnia adhuc suo ordine procedunt, dum adhuc Sol est in signis: non expectemus tempus, quo omnia turbabuntur, & signa in Sole erunt. Nunc Sol est in Signis, hoc est, Christus reperitur, & est in signis prædestinationis, & virtutum studijs. Nunc est in Ariete, id est, misericordibus, qui lanam suam communicant pauperibus. In Tauro, id est, laboriosis, qui strenuè in Vineâ Domini laborant. In Geminis, id est, diligentibus, & cōcordibus. In Cancro, id est, pœnitentibus, qui retrocedunt per emendationem vitæ. In Leone, id est, clementibus, qui parcunt prostratis & veniam poscentibus inimicis. In Virgine, hoc est, castitatis Sectatoribus. In Librâ, id est, in iustitiæ amatoribus & promotoribus. In Scorpione, id est, in ijs qui iugiter mortificationem IESV in corpore suo circumferunt, 2. *Cor.* 4. In Sagittario, id est, CHRISTI imitatoribus, qui pro signo & scopo Christum semper ante oculos habent, eoquè omnes suas cogitationum, dictorum, factorumque sagittas iaciunt. In Capricorno, id est, in afflictis & angustiatis, qui, vt ait Apostolus ad *Hebr.* 11. *Ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis; egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* In Aquario, id est, flentibus peccata sua. In Piscibus, id est, Ieiunijs. At verò tunc signa hæc erunt in Sole, hoc est, in DEO clausa; Vbi serò nimis sapient Phryges, & audient dicentem sibi DEVM: *Iam ostium clausum est & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi*; panem scil. regni cœlorum; quem nobis largiatur DEVS.

CONCIO V.

Dies extremi iudicij cur dies magna?

Sex rationes assignat Auctor,	3. *Quia erit omnium dierum recapitulatio.*
1. *Quia magnus & maximorum Principum erit ibi conuentus.*	4. *Quia dies magni præly & victor.*
2. *Quia de re magna ibi tractabitur.*	5. *Quia finem imponet rebus terrenis.*
	6. *Quia initium magni illius diei æternitatis.*

THEMA.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ & maiestate. Luc. 21.

MVltas & varias appellationes sortitur in sacris litteris extrema dies iudicij. Vocatur enim dies DOMINI, dies illa, dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies reuelationis, dies restitutionis omnium, &c. Frequentior tamen est illa appellatio, quâ vocatur dies magna. Sic enim appellatur à *Ier. cap.* 30. *à Ioële cap.* 2. *à Sophon. c.* 2. *à Malach. c.* 4. *à S. Iudâ in suâ can. à Ioanne Apoc. c.* 6. & 16. Et ferè iam vsus obtinuit vt vulgò etiam dies illa vocetur dies magna: nec sine magnis rationibus, quas hic discutiemus. A.

PRIMÒ. Quia maximus ibi erit conuentus & maximorum principum. Primò enim Christus de cœlo descendet cum potestate magnâ & maiestate, vt inquit Euangelium hodiernum, Et confirmat Apostolus ad *Tit.* 2. dicens: *Expectantes beatam spe & aduentum gloriæ magni Dei.* Primus Christus aduentus fuit in formâ paruuli vagientis, imbecillis, infasciati, inglorij. In secundo aduentu aderit vt DEVS magnus, cum virtute, potestate & maiestate maximâ. Omnia ei subiecta erunt, omnibus dominabitur, & omniū genua cœlestium, terrestrium & infernorum flecti ei debebunt, *& omnis lingua* confitebitur *quia ipse est in gloria Dei Patris.* B. I. Quia magnus ibi conuentus. 1.

Secundò, Aderunt omnes Angeli, Christum comitantes velut Aulici & ministri eius. Sic enim dicitur *Matth.* 25. *Cùm venerit filius hominis in maiestate suâ, & omnes Angeli cum eo.* Quanti isti Principes? Quantus eorundem numerus? quantas aëris Regiones longè lateque implebunt? Et credendum est appariturors in splendidis corporibus, quò hæc Christi gloria & potentia videri possit ab impijs. 2.

Tertiò. Aderunt omnes Electi in corporibus gloriosis, tamquam filij & Amici eius, iuxta prophetiam Henoch, quam adducit *S. Iudas* in can. suâ: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis*; id est, innumeris, qui omnes vnà cum Christo iudicabunt impios. Quod expauescens S. August. in medit. c. 4. ait: *Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exem-* 3.

plagis, ut conuincar testibus, quot me monuerint proficuis sermonibus, seq. imitādos dederunt iustis actionibus.

4\. Quartò. *Congregabuntur ante eum omnes gentes*, ait *Matth. c.25.* omnes nimirum, quotquot ab initio mundi vsque ad finem toto orbe extiterunt. Nec solùm aderunt omnes homines, sed etiam omnes Dæmones & ipsi corporali specie (vt credimus) apparentes, quò videri queant. Magnum sanè & mirabile spectaculum videre supernè totum hemisphærium innumeris legionibus Angelorum & Sanctorum circumfusum vsque ad cœlum; infernè verò infinitam Damnatorum multitudinem humi stratam & superficiem terræ longè lateque occupantem, gementem, vlulantem; in medio verò vtriusque agminis Christum Iudicem. An non hic magnus dies? Quis vidit aliquando tale concilium aut comitia? *Magnus* ergò hic *dies Iezraël*; id est, seminis Dei *Ose 1.* nimirum Christus discernet semen suum à semine Diaboli. Quemadmodum in Amphitheatro per gyrum supra sedent innumeri spectatores, infrà verò in areâ damnati ad bestias, expectantes earumdem in se irruptionem: ita ibi spectatores erunt sancti omnes in aëris spatio amplissimo circumsedentes, in terrà verò damnandi ad infernum inter bestias diabolicas positi.

C. II. Quia de rebus magnis tractatur. Secvndò. Quia de re omnium maximâ ibi decernetur. Neque enim agetur de statu vnius imperij vel aliquot Regnorum: sed de summâ rerum totius mundi, de summo & æterno bono, de summo & æterno malo; & fortunis omnibus, & denique, quem statum vnusquisque sortiti, & in omnem æternitatem retinere debeat. Tunc enim *vbicumque ceciderit lignum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit. Ecclesiast. c.11.* Auster, ventus calidus, requiem paradisi: Aquilo verò frigidus, inferni supplicium notat. Leontius in vitâ S. Ioannis Eleemos. *cap.26.* Episcopi Alexandrini, scribit Troilo Episcopo ostensam aliquando per somnium fuisse domum amplissimam cum hac epigraphe: *Mansio æterna & requies Troili Episcopi*; eò quòd 30. libras argenti pauperibus distribuisset: Verùm quia facti operis pœnitens, pecuniam recepit à Ioanne Episcopo; videt mox in alio somnio cubicularium quendam, qui iussit amoueri titulum illum, eiusque loco reponi hunc: *Mansio æterna & requies Ioannis Archiepiscopi Alexandriæ, empta libris triginta.* Quod hic in somnio vidit, fiet in die illâ. Distribuentur enim vnicuique nostrum suæ mansiones æternùm habitandæ. Similiter decernetur de cuiusque gloriâ vel ignominiâ, lætitiâ vel tristitiâ, delicijs vel doloribus, vitâ vel morte, denique de bonorū vel malorum omnium summâ. Vnde qui lucratur ibi, omnia lucratur; qui ibi perdit, omnia perdit, vti docet Christi parabola de magno debitore, quem iussit Dominus vænundari & vxorem & filios eius & omnia quæ habebat *Matth. 8.* Diem hunc perditionis suæ & iacturæ bonorum omnium præsensit adhuc viuens Henricus VIII. Angliæ Rex, schismatis Anglicani auctor & fax. Cùm enim post expilata & euersa templa, ad pauperiem redactus esset, corporeque totus intumuisset, vt Bacchus quidam videretur, moriturus pateram vini præbibens astantibus: *Omnia*, inquit, *perdidimus amici.* Atque ita desperabundus animam euomuit, vti refert Nic. Sanderus in Schism. Anglic. & alij. Omnia verò perdidit, quia fidem, opes, famam, vitam, salutem. Sic loquentur etiam Damnati.

D. III. Quia omnium dierum recapitulatio. Tertiò. Quia dies illa omnium præteritorum sæculorum dies comprehendet, eritque omnium dierum, qui per omnia fuere sæcula, anacephalæosis & recapitulatio, in eoque veluti in scenâ exhibebitur quidquid vspiam gestum est, imò & quod geri debebat per vniuersum orbem ab exordio mundi vsque ad finem. Itaque primò mortalium acta omnia, & quæ agere debebant velut in theatro proponentur omnium oculis spectanda, quasi vno aspectu. Secundò à Christo examinabuntur, laudabuntur vel vituperabuntur, eademque à totâ cœlesti curiâ approbabuntur, & ab ipsis quoque damnatis rata habebuntur. Denique à Christo præmiabuntur prout meruerunt. Et tunc aperiet Dominus thesauros suos tam præmiorum quàm suppliciorum, quos vsque in illum diem sedulò corrogauit, eo tempore erogandos. De his enim ait per Moysen. *Deut. 32. Nonne hæc* (id est, gesta vestra) *condita sunt apud me & signata in thesauris meis*; Thesaurus est magna pecuniæ copia, clanculum reposita, ab olitano tempore. Et talia sunt merita bonorum & malorum, corumque merces in mente Dei deposita ab initio mundi: quæ aperientur in die illâ & retribuentur vnicuique. Vnde S. Petrus *Act. 3.* vocat eum diem restitutionis omnium, dicens Christum debuisse in cœlum suscipi *vsque in tempora restitutionis omnium*; quando videlicet omnia restituet quæ in eius sinum deposuit vnusquisque, vbi omnes capilli capitum, id est, vel minimæ cogitationes numeratæ sunt. Respexit fortasse Apostolus ad factum illius Raxiæ *2. Mach. 14.* viri laudati à Scripturâ, qui vt cæteros Iudæos animaret ad pugnandū pro patrijs legibus contra impium Nicanorem gladio se ipsum percussit: *& iam exsanguis effectus complexus intestina sua, vtrisque manibus proiecit super turbas, inuocans dominatorem vitæ ac spiritûs, vt hæc illi iterum redderet*, (in tempore scilicet nouissimo) *atque ita vitâ functus est.* Ita tertius ille è 7. fratribus Machabæis *2. Mach. 7.* cùm linguam & manus abscindendas protulisset, ait: *E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Eadem ratio est malorum operum, nam teste Apostolo ad *Rom. 2. Secundum impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* Quoties peccatum admittis, toties aliquid in thesaurum iræ reponis, ac licet parua sint peccata, cumulum tamen ingentem toties aucta faciunt. *Tu minutatim impenis*, ait S. August. contra Aduersarios legis & Prophet. *cap. 1. Sed postea cumulum trememes: noli attendere minuta peccata quotidiana:*

diana: de minutiſsimis enim guttis flumina implentur. Sic ille.

E. IV. Quia dies magni prælij & victoriæ.

QVARTÒ. Quia dies erit maximi prælij & maximæ Victoriæ. Sanè etiam à Romanis dies magnus vocabatur, qui magnam dabat victoriam, teste Corn. Tacito in vitâ Agricolæ. Deſcendet ergò in aciem contra peccatores Chriſtus; ſic enim per Ioëlem *cap. 3.* ait: *Ecce in diebus illis & in tempore illo; Congregabo omnes gentes & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.* Et mox: *Erumpite & venite omnes gentes de circuitu & congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robuſtos tuos, &c.* Ecce tibi præliatorem & victorem Chriſtum. Concordat locus, vallis Ioſaphat, hoc eſt, vallis conciſionis: Verùm quibus armis Chriſtus præliabitur? non alijs niſi gladio oris ſui ancipiti, quo exprobrabit impijs ſuam impietatem & ingratitudinem; ita vt nullatenus ſe queant excuſare, aut contra gladium hunc ex omni parte ſcindentem defendere. Sedens enim in throno iudiciario ſupra montem oliueti, & vallem Ioſaphat contra Ieruſalem, dicet inter cætera: Ecce in hoc, quo ſedeo loco, pro vobis laboraui & paſſionem meam inchoaui. Hîc, hîc inquam in Getſemani pro vobis ſanguinem ſudaui: hîc proditus & captus velut inſignis quidam Latro per torrentem Cedron tractus ſum in hanc vrbem, vbi Iudicibus præſentatus & iniquiſſimè condẽnatus innumeris iniurijs affectus ſum, denique Crucem baiulans in hac vrbe circumductus indeq; eiectus in Caluariæ Mõtem, pro vobis crucifixus ſum nullâ quidem neceſſitate cõpulſus, ſed amore tantùm ſalutis veſtræ ductus. Ecce vobis locum illum, vbi nudus inter cœlum & terram pendens, medius inter Latrones memetipſum Patri pro vobis obtuli in victimã. Teſtis es tu Pilate, teſtis Herodes, teſtis Caipha, teſtis Anna, teſtis Iuda, teſtes Pontifices & Iudæi qui contra me clamâſtis: *Crucifige, crucifige:* Teſtes inuoco cœlum & terram, illud enim tunc obſcuratum, hæc verò aperta & fiſſa fuit, teſtes denique hæ ipſæ, quas videtis in meo corpore, vulnerum cicatrices. Adhæc poſtquam à mortuis ſurrexi, ex hoc monte oliueti publicè coram Apoſtolis alijſque plurimis meis Diſcipulis in cœlum aſcendi vt oſtenderem de cœlo me veniſſe veſtræ ſalutis causâ, ideoque peracto legationis meæ munere regredi ad Patrem. Super hæc omnia prædixi vobis hunc alterum meum aduentum & iudicij diem in hoc ipſo monte ſedens, & docui longo ſermone, quâ ratione vigilare, aduentum meum præſtolari mihique obuiare deberetis: prædixerunt & Angeli, quando ad cœlum aſcendi, ſic eſſe me venturum; prædixi etiam Caiphæ, Pontificibus & Iudæis: *Videbitis filiũ hominis ſedentẽ à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli.* Cur igitur his tot tantiſque teſtimonijs fidem nõ habuiſtis? Ecce nunc ſors mea cum veſtrâ commutata? Iudices ſediſtis, ſteti ego Reus; nunc Rei vos, ego Iudex. Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum: videte quæ fodiſtis foramina in hoc corpore. Hæc clamant contra vos, hæc accuſant & condemnant vos. Ite ergò Sacrilegi, ite Deicidæ cum Lucifero in ignem æternum. Et vos ô infideles, ô Turcæ, ô praui Chriſtiani, hæc ſciuiſtis, vel ſcire potuiſtis, & debuiſtis, & tamen neglexiſtis, ſpreuiſtis meos labores, ſudores, dolores: Sanguinem teſtamenti pollutum duxiſtis, maluiſtis ſequi veſtras concupiſcentias, quàm me, meamque doctrinam & legem: delicias, opes, honores momentaneos æternæ ſaluti à me promiſſæ prætuliſtis: gehennæ incendia minitantem me contempſiſtis. Ecce nunc videtis quem contempſeritis: nunc cernitis minas meas non fuiſſe vanas, ſed veras; promiſſa mea non vana, ſed certa: nunc cernitis vanas & fallaces fuiſſe veſtras amaſias, diuitias, dignitates: nunc cernitis vos in earum amore fuiſſe ſtultos & inſenſatos, nunc gemitis & plangitis, nunc pectora tunditis, ſed ſerò & fruſtrà. Ite ergò improbi, ite ingrati, ite increduli, ite inſenſati, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius à conſtitutione mundi. Vos verò, ô Apoſtoli, qui me hoc in loco damnari, flagellari, crucifigi, occidi vidiſtis, & tamen in me credidiſtis, me ſecuti eſtis vſque ad mortem & crucem: vos pariter, ô Viri Religioſi & Apoſtolici, qui meam paupertatem, humilitatem, mundi contemptum, & crucem amplexi eſtis; quique meam fidem, doctrinam & religionem toto orbe propagaſtis; vos denique ô fideles, qui me Redemptorem veſtrum credidiſtis, ſperaſtis, amaſtis, coluiſtis, qui per omnia meæ legi paruiſtis, qui Chriſtianam, meque dignam vitam egiſtis; qui ſobriè & piè & iuſtè in hoc ſæculo vixiſtis expectantes beatam ſpem, & hunc meum aduentum gloriæ magni DEI: Venite ô dilecti & electi, venite ô benedicti patris mei, poſſidete regnum cœlorum vobis paratum ante ſæcula ab omni æternitate. Et ibunt illi in ignem æternum, iuſti autem in vitam æternam.

QVINTÒ. Quia dies illa finem dabit orbi, tempori, ſceleri, merito, calamitatibus & querelis, ac poſtremò omnibus hominum ſtudijs. Sic apud Romanos dicti ſunt dies magni etiã illi, qui magnis & grauibus malis finem imponebant. Celebratur in *li. 1. Mach. cap. 1.* Alexander Magnus, quòd obtentis omnium munitionibus & interfectis Regibus ſiluerit terra in conſpectu eius. Sed non durauit id ſilentium, niſi vſque ad mortem eius, breui conſecutam. At verò Princeps Regũ terræ Chriſtus in die illo magno, cùm interfecerit omnes impios, ſilentium vniuerſale & perpetuum imponet orbi terræ. Silebunt ibi cæli, quia ſiſtent motum ſuum, vnde ceſſabit viciſſitudo diei & noctis, hyemis & æſtatis, ortûs & interitus, eritque ſemper eadem cœli & terræ facies: ceſſabit motus Elementorum, ac proinde nubes, venti, pluuiæ, grandines, tempeſtates, terræmotus, &c. Silebunt animantia, quia nulla erunt: Silebunt hominum ſtudia, artes, diſciplinæ, vitia, cupiditates, lites, querelæ; quia omnia quæ in motu erant, terminum ſuum conſequentur, & quæ diſtorta erant recti-

F. V. Quia finem imponent terrenis rebus.

ætificabuntur. Atque ita tandem implebitur illud patrisfamilias. *Matth. 13. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & tunc dicam messoribus &c.* Tunc enim falce Iudicis omnia abscindentur, omnes querelæ, omnes oppressiones, omnes inimicitiæ, &c. Itaque si putas tibi tua negotia in hoc sæculo non expediri, expecta tempus messis, hæc omnia æquabit, omnia expediet. Hoc est quod dixit Ecclesiastes c.3. *Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* Omnia opportuno tempore facienda sunt, qui enim seminare vult in æstate & metere in hyeme, nihil efficiet. Multa in mundo inordinata sunt, sed non est modò tempus ea ordinandi, in illo magno die erit tempus omnis rei, omniaque suis reponendi locis, & tunc silebit terra in conspectu Dei. In primâ concione, quam fecit Christus in patria suâ, videtur mihi hoc ipsum quasi digito notâsse. Cum enim legisset locum Isaiæ de se scriptum: *Spiritus Domini super me propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis.* Hîc finiit & plicuit librum: quasi denotans per hoc, in die retributionis velut vltimâ suâ functione omnia claudenda, cœlum inuoluendum velut librum, vti dixit post Isaiam S. Ioannes, *Apoc.6.* inuoluendas lites, inimicitias & querelas: claudenda hominum studia, merita, demerita, &c.

G. VI. Quia initium æternitatis. SEXTÒ. Quia initium magni illius diei, qui vocatur æternitas, finis temporis, ac proinde quasi Horizon temporis & æternitatis, Paradisi & inferni. Electorum & damnatorum constituens inter vtrosque magnum & immensum chaos. De hac enim die scribit S. Petrus *Ep. 2 c. 3. Ipsi gloria & nunc in diem æternitatis Amen.* Cuius diei typum aliquem legimus in lib. Iosue, *cap.10.* quando Iosue, vt persequeretur hostes suos, stare fecit solem. Stetit enim sol & luna spatio vnius diei, adeoque *vna dies facta est quasi duo;* teste Ecclesiastico *c.46.* donec vlcisceretur se de hostibus. Addit sacer textus: *non fuit antea nec postea tam longa dies.* Quando ergò pugnabit Christus contra hostes suos, stare faciet solem & lunam, quoad vlciscatur se. Sed quia vltio illa æterna erit, æterna etiam dies erit, æquiualens duobus diebus, hoc est, tempori elapso & æuo consequenti. Porro sicut in die illo Iosuano hemisphærium vnum semper lucidum, alterum tenebrosum fuit: ita in die illo lux æterna erit ex parte Electorum, æternæ verò tenebræ ex parte dânatorum; & sicut Horizon distinguit hemisphærium diurnum à nocturno: ita dies illa Electis lucem æternam, damnatis noctem feret æternam. Et quid putamus tempore Iosue cogitâsse homines illos, qui in opposito hemisphærio tam longam habuere noctem, quàm longam alij diem? quantâ anxietate expectâsse diem? Et quo nos animo essemus, si per mensem integrum perpetua nox foret? quid si per annum? quid si decem annis? Cogitate igitur nunc, quid erit nox æterna? Quod si huic æternæ nocti addamus æternum carcerem, æternam sitim & famem, æternum vermem, æternum fœtorem, æternum horrorem, æternum luctum, æternum ignem; & quidquid malorum cogitari potest; qualis illa nox erit? Et hæc sanè est illa nox, cui maledicit Iob. *cap.3.* dicens: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus, sit illa solitaria, nec laude digna, &c.* Quare Auditores, ad diem illum magnum & æternum oculum dirigamus & bene collimemus, ne tenebrosum illum sed lucidum inueniamus. Zeuxis celebris pictor, rogatus cur tam morosè & exactè suas quaquauersum pingeret imagines; respondit: *pingo æternitati.* Quare & nos quoque pingamus vitam nostram, quàm possumus exactissimè, quia pingimus æternitati. Nam si pingamus bene, pingemus luci æternæ: si pingamus malè, pingemus nocti æternæ.

CONCIO VI.

Maiestas & terror Christi venturi ad Iudicium.

Terrorem hunc constituit Auctor.	6. *In perspicacia.*
1. *In Iudicis aduentu terribili.*	7. *In inflexibilitate.*
2. *In eius agnitione.*	8. *In increpatione.*
3. *In ipsius auctoritate.*	9. *In potestate & virtute.*
4. *In rigorositate.*	10. *In sententia & executione eiusdem.*
5. *In æquitate.*	11. *In Iudicis gloria.*

THEMA.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magnâ & maiestate. Luc. 21.

REx commissurus prælium, cum altero Rege, mittit priùs exploratores vt indaget quàm fortis sit Aduersarius; Quòd sit viderit eum duplo fortiorem, *sedens priùs cogitat, si possit ei occurrere, alioquin illo adhuc longè agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.* Ita ferè Dominus *Luc. 14.* Rex ille Christus Iudex est, processurus aliquando contra nos in prælium cum suis exercitibus cùm ad iudicandum venerit. Quid igitur faciemus, Auditores? Nonnè priùs sedebimus & sedulò cogitabimus quâ ratione ei possimus obuiare? Sed quis nobis dicat, quibus armis, quanto robore, contra nos venturus sit, vt possimus ei obuiare? Hoc dicet nobis Ionnes *Apoc. 1.* Videamus A.

INPRIMIS ait Ioannes: *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Itaque Regius Christi Iudicis currus erit nubes: sed qualis illa putatis? num qualis erat Israëlitarum, quæ interdiu protegebat eos ab æstu, noctu illuminabat *Exod. 13.* Num qualis nubecula illa Eliæ *3. Reg. 18.* afferens terræ pluuiam; Minimè verò: nam vt Rupertus in hunc locum ait: *Huiusmodi nubes non erant quales nunc sæpè videmus* pluuijs rorantes terramque refrigeran- B. I. Iudicis aduentus terribilis.

gerantes, ſed procelloſæ, ignem ſpirantes & fulmina iacientes iuxta illud *Pſal. 49. Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Et vt dicitur *2. ad Theſſ. 1. veniet in flāmâ ignis, ad vindictam ijs, qui non nouerunt eum.* Item *Eſa. 66. Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga eius.* Sæpiùs certè in nube viſus Dominus, in transfiguratione, in apparitionibus, quæ ſanctis factæ; vbi nubes illa ſalutem, pluuiam & refrigerium attulit. Quin etiam cùm modò caſtigat, & quaſi pompâ bellicâ contra nos curru ſuo vehitur; cùm bello, fame, peſte premit: bonis nubibus venit, ad ſaluandum venit, non ad perdendum. Vnde *Abac. 3.* nubes illæ ſaluatio appellantur: *Qui aſcendis ſuper equos tuos & quadriga tua ſaluatio.* Tunc autem quadriga illa quaſi turbo erit, vtpotè maximo cum impetu omnia deijciens, quemadmodum & *Ier. 23.* dicitur: *Ecce turbo Dominicæ indignationis egreditur. Et quaſi ignis omnia vaſtans,* vt dixit Daniel *c. 7. rota eius ignis accenſus.* Qui vidit aliquādo pompam bellicam, bombardas, currus, equos, armamenta: facilè ſibi imaginatur terrorem ipſius belli. Quare ſi talis eſt Iudicis noſtri currus tamque horribilis: quis erit aſpectus belli?

C. II. Iudicis agnitio.

SECVNDÒ. Apparebit in medio 7. candelabrorum ſimilis filio hominis; Quod indicat Chriſtum Iudicem fore manifeſtum ita vt ab hominibus Deus agnoſcatur: neque erit diſceptatio vtrùm ſit Elias, an Ieremias, an Ioannes Baptiſta: neque diſſimulanter aut obſcurè veniet, vti venerat in primo aduentu. At cur ſimilis tantùm; cur non ipſe filius hominis, vti appellabatur cùm in terris degeret? Audi Ioachimum Abbatem ſuper hunc locum: *Quia ſicut in Chriſto aliquando diuinitatis ſuæ gloriam occultabat humanitas, ita nūc humanitatis eius abiectio exinanita à maieſtatis gloriâ & à ſplendore ſummæ lucis abſorpta eſſe videtur.* Itaq; ſicuti priùs adeò ſeruilis apparuit, vt nihil in eo diuinitatis appareret exteriùs: Ita nunc adeò vndique apparebit glorioſus & diuinus, vt nihil ſeruile vel humile de eo ſuſpicari quis poſſit, quò minus verus DEI filius eſſe credatur. Iam nunc perpendatis velim: Si potentiſſimus Herodes eum pertimuit in præſepio iacentem: tu non timebis in ſolio iudicantem? Si vendentes & ementes in templo, flagello quod fecerat de funiculis eiecti ſunt: quis ſtabit coram eo ſcorpiones intentante & infligente ad vltimam vſque internecionem? Si diſcipuli in monte Thabor præ gloriâ humanitatis conterriti ceciderunt quaſi mortui: quis ſtabit coram diuinitate abſorbente quodammodò humanitatem? Si hoſtium turmam in horto Gethſemani vnico deiecit verbo ita vt retrò caderent: quid erit audire proferentem vltimam damnationis ſententiam? Et quanto rubore ſuffundentur, qui eum vel DEVM eſſe non crediderunt, vt Iudæi & Gentiles: vel perperam crediderunt, vt hæretici: vel non honorificârunt in quem crediderunt, vt mali Chriſtiani? Vide nunc Herodes eum ſapientiſſimū, quem tu veſte ignominioſâ indutum vt dementem illuſiſti. Vide eum Caipha venientem in nubibus cœli, ſicut tibi prædixerat, quem tu tamen ideò blaſphemum dicebas. Vide eum Pilate, quem tu populo ſpectandum propoſuiſti; imò voluntati eorum tradidiſti. Videte nunc Iudæi num Rex ſit veſter, quem negaſtis. Videte eum omnes ſcelerati, qui dixiſtis, *Luc. 19. nolumus hunc regnare ſuper nos*; videte inquam, regnantem, & iudicantem vos.

D. III. Iudicis auctoritas.

TERTIÒ. Veſtitus podere, id eſt, tunicâ talari, quæ erat byſſina, vndique plena oculis & Sacerdotum propria, indicatque plenariam Chriſti Iudicis poteſtatem & oculatiſſimam perſpicaciam. De multis ſceleribus non iudicat poteſtas ſæcularis, iudicat Eccleſia; de internis etiam non iudicat Eccleſia, iudicat confeſſarius: plurima Confeſſario occultantur, & iudicat ea DEVS: ad cuius iuriſdictonem omnia pertinent, nec vllus ab eo appellare poteſt, vel iudicium eius ſubterfugere. Prouerbio dicitur: *An neſcis longas Regibus eſſe manus?* ſed non ita longæ ſunt illæ, quin ſceleſti aliqui eas effugere poſſint; vnde in finibus regnorum plurima ſcelera impunè fiunt. Non ita in Regno Chriſti, quia *Dominus iudicabit fines terræ. 1. Reg. 12.* & *in manu eius fines terræ, Pſ. 94.* Habet etiam manus longiſſimas, *Ier. 49. cum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Et Iob 20. *Apertum erit germen domus eius, detrahetur in die furoris Domini*: Id eſt, aperta erit intentio conſcientiæ impij (vt exponit ibi Hugo Cardinal. & gl.) & detegetur radix ſcelerum, quam hîc occultabat. Facilè decipiuntur confeſſarij & iudices vt vel non puniant aliquos vel non ſufficienter: quia hi de internis non iudicant: illi confitentibus credere debent. Vnde fit vt intentio ſæpè taceatur & impunita maneat; non ita coram Iudice illo, qui non tam factum reſpicit, quàm intentionem ponderat. Vnde rectè podere induitur, quæ inſtar ſcutulatæ alicuius veſtis, oculis vndique depicta erat, vt probant Hebræi ex *Exod. 28.* vbi pro verbo, *ſtringes tunicam byſſo*, habetur in Hebr. *oculabis tunicam.* Quod oculus non videt, vident multi oculi. Quot igitur circumſtantiæ ſcelerum tuorum, tot ſuper eas oculi in Chriſto Iudice. Viderint ergò illi, qui hîc peccata ſua Confeſſario tegunt; incident enim aliquando in oculatiſſimum illum Confeſſarium, cui tegere nil poterunt.

E. IV. Iudicis rigoroſitas.

QVARTÒ. Præcinctus ad mammillas Zonâ aureâ. Mammillæ vt explicat *D. Bernar. ſermon. 9. in Canticor.* ſunt gemina dulcedo quæ exuberant in Chriſti pectore, ſcilicet: longanimitas in expectando, & facilitas in donando, iuxta id *Pſal. 102. Longanimis & multum miſericors.* Vti autem vbera Matrem admonent amoris ad nutriendum fœtum: ita Chriſtum ſua illa, quibus lactamur vel lactari ſaltē poſſumus dū viuimus. Quis neſcit quàm facilè condonârit Latroni in Cruce? Quamdiu expectârit Iudæos? Id quotidie etiam nobis facit. Sed erit tempus, tempus inquam iudicij, quando claudet ſinum ſuum & præcinget eum Zonâ, eaque aureâ, id eſt, iuſtiſſimâ.

Si enim ſpreuerunt eum, cùm lac porrigeret: meritò ſpernuntur, cùm tempus non eſt porrigendi.

F. V. Iudicis æquitas.

QVINTÒ. Caput eius & capilli candidi, tamquam lana alba & tamquam nix; id eſt, conſilia & iudicia Iudicis puriſſima, Synceriſſima & Iuſtiſſima, vt explicat Ioachimus Abbas. Scio quòd *Cant.* 5. vbi tanquam Iuuenis adhuc depingitur, comæ eius nigræ dicantur quaſi coruus: quia nunc dū viuimus Chriſtum velut iuuenem liberaliſſimum experimur; Donat enim cœlum pro genitu, centuplum pro ſimplo, gratiam pro lachrymâ. Sed non ita cùm ad Iudicium ſedebit: ibi canus, ibi antiquus dierum erit, nemini gratiam facturus: ſed merita tantùm cuiuſque ponderaturus quæ quiſque habet, & corrogauit. Facillimè largiuntur iuuenes, non item ſenes: quia experientia nôrunt difficultatem acquirendi, quod nondum experti iuuenes. Deinde minima etiam perſcrutabitur. Vnde Iob *c.* 13. ait: *paleam & ſtipulam perſequeris.* Eadem accuratiſſimè trutinabit, **auff der Goldtwag** / quia *Prouerb.* 16. dicitur: *Spirituum ponderator eſt Dominus*, id eſt, cogitationum etiam minutiſſimarum.

G. VI. Iudicis Perſpicacia.

SEXTÒ. Oculi eius tanquam flamma ignis, id eſt, perſpicaciſſimi, quia vt ad *Hebr.* 4. dicitur: *omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* Ignis enim ſubtiliſſimus eſt, & in omnia ſe facilè inſinuat. Vnde Iob ait *c.* 14. *Greſſus meos dinumeraſti.* Et Pſ. 138. *In libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur & nemo in eis*, id eſt, deerit. Quin etiam cùm hîc aliquibus dormire videtur Dominus, & oculos claudere nec videre facta hominum: omnia notat: vnde *Pſal.* 10. dicitur: *Palpebra eius interrogant filios hominum*, id eſt, exactiſſimè cognoſcit, etiam cùm oculos habere clauſos putatur, quaſi per examen ſtrictiſſimum didiciſſet. Oculi ignem ſpirantes, etiam noctu vident, vti luporum, lyncium, felium, &c. Ita nihil opertum, quod non videat & reuelet Iudex noſter: & quæ in tenebris diximus, dicet in lumine.

H. VII. Iudicis inflexibilitas.

SEPTIMÒ. Pedes eius ſimiles aurichalco in camino ardenti, id eſt, iudicia eius inflexibilia. Nam pedes ex aurichalco conſtat in progreſſu non curuari: Ita *Cant.* 5. crura Sponſi columnis marmoreis comparantur fundatis ſuper baſes aureas. Quod dicitur, in camino ardenti, inflexibilitatem illam Iudicij ex ardentiſſimo Iuſtitiæ zelo prouenire indicat. Dum hîc nobiſcum graditur Dominus, more humano incedit, curuando paulisper genua, flectendo & limitando debitas peccatoribus pœnas; Sed non item ibi: marmorea erunt & ex aurichalco eius crura: vbi pedem fixerit, ibi inflexibiliter ſtabit. Hoc idem indicatur per virgam duplicem, cuius meminit S. Sciptura, flexibilē vnam, de quâ *Pſal.* 22. dicitur: *virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Vbi virga denotatur eſſe lignea ſeu baculus, qui facilè curuatur, ſi in apice quid appendas. Altera erit inflexibilis in Iudicio, vtpotè ferrea, de quâ *Pſ* 2. *Reges eos in Virgâ ferreâ.* In noſtris tribunalibus facilè interdum flectitur virga, ſi in apice videlicet marſupium appendas. Chriſti iudicis virga, non lignea, ſed ferrea erit adeoque inflexibilis.

I. VIII. Iudicis increpatio.

OCTAVÒ. Vox illius tamquam vox aquarum multarum; q. d. terrifica erit quaſi vnius integri exercitûs & longiſſimè audietur. Nam vti aqua fluminis V.G. Danubij noſtri, ſi multo tempore detineretur à fluxu (vti contigit Iordani *Ioſ.* 3.) tandem rupto obſtaculo effunderet ſe maximo cum impetu & ſtrepitu: Sic ira DEI per tot annos ſæpè ſe continens, quid mirum, ſi tandem cum impetu vti aquæ plurimæ erumpat, quemadmodum *Dan.* 7. dicitur: *fluuius igneus rapiduſque egrediebatur de ore Dei.* Hoc enim eſt, quod Dominus *Iſa.* 42. ait: *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, vt parturiens loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul.* Hinc metuens ſibi Iob *c.* 31. ait: *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui:* Et quomodo putatis, ferent damnati pondus illius ſentētiæ: *Surgite mortui, venite ad iudicium?* Quomodo illius: *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare?* &c. Quomodo illius: *Ite maledicti*, &c?

K. IX. Iudicis poteſtas & virtus.

NONÒ. Habebat in dextrâ ſuâ ſtellas 7. Quod ad literam de 7. Epiſcopis intelligitur, ad quos ſcribit Ioannes. Et quia eorum boni aliqui, aliqui mali: vniuerſos homines per eos intelligere poſſumus. Vti enim ſtellarū aliquæ fixæ, aliquæ erraticæ: ita hominum aliqui rectum iter tenentes, alij errantes vt planetæ, qui in Can. Iudæ, ſydera errantia vocantur. Itaque omnes in manu DEI ſunt, iuxta id *Eſai.* 49. In manibus meis deſcripſi te, tum quia omnes in eius poteſtate, tum quia nullius obliuiſcitur. Sed diuerſo modo: nam iuſti in manu eius ſunt quaſi cælati, nunquam ſcilicet abijciendi: de his enim ait *Ioan.* 10. *non rapiet eos quiſquam de manu meá*; impij verò vt eos proſternat, *Pſ.* 105. *Leuauit manum ſuam ſuper eos vt proſterneret eos.* Quantum hoc ſupplicium: abijci è manu protectionis DEI, & proſterni in centrum terræ ſedemque Luciferi?

L. X. Iudicis ſententia & executio eius.

DECIMÒ. Et de ore eius exibat gladius vtrâque parte acutus. Quod explicat Rupertus de ſententiâ Iudicis definitiuâ & eiuſdem executiones, iuxta id *Deut.* 32. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea. Inebriabo ſagittas meas ſanguine; & gladius meus deuorabit carnes*, id eſt, conſumet omnem carnis corruptibilitatem, ita vt tam mali quàm boni mori ampliùs nequeant. Anceps porrò eſt hic gladius, quia & bonis & malis erit formidabile hoc iudicium, his quidem quia reos ſe agnoſcunt, illis verò quia niſi gratiâ DEI liberati eſſent, nullo modo viribus ſuis euadere potuiſſent? quemadmodum ſi Pater ſontem caſtigat filium, timent etiam inſontes, quia in eandem culpam ſe incidere potuiſſe cogitant. Vnde Thronum Salomonis vtrâque ex parte cuſtodiebat efformatus Leo, quia (vt Rupertus *lib.* 3. *in lib. Reg. cap.* 31. ait) *vtrobique fortis atque formidabilis erit iudicij veritas. Etenim à ſiniſtrâ omnis iniquus condemnabitur, & à dextrâ iuſtus vix ſaluabitur.* Hæc ille.

M. XI. Iudicis gloria.

VNDECIMÒ. Et facies eius ſicut ſol lu-

cet in

cet in virtute suâ, id est, in meridie. Quæ hactenus dicta sunt, ad potentiam & virtutem Iudicis pertinent. Quia verò Euangelistæ dicunt etiam in gloriâ & maiestate appariturum, hîc describitur eius gloria: quâ facies eius splendebit vti sol cùm maximè splendet. Si enim *iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, vt dicitur *Matth.* 13. quanto magis Christus qui virtute suâ, non alienâ lucebit? S. Hieron. super Matt. ait: *in die ludi cij sol & luna obscurabuntur non diminutione luminis, sed comparatione veri luminis. Alioquin legimus solem habiturum septuplum luminis, sed comparatione vera lucis omnia tenebrosa erunt.* Quantus igitur putas erit splendor illius faciei, si solem alioquî septuplo clariorem fulgore suo obsurabit? sol erat Christus in terris, qui ortus in Natiuitate, occubuit in Cruce. Sed diem illum Christi pauci aduerterunt, quia tectus erat sol nube humanitatis, multo verò magis obstinatâ Iudæorum cæcitate. Rediijt in resurrectione, incipiens alterum diem, clarum, interminabilem, ascendit in ascensione: sedebit in meridie in Iudicio; sed nunquam deinceps occumbet, nisi reprobis, quibus æternum occultabitur. postquam igitur vidimus Regis nostri Maiestatem, fortitudinem, arma, potentiam, terrorem omni comparatione maiorem; Mittamus ad regem hunc potentissimum legationem & rogemus ea quæ pacis sunt. Quis enim poterit stare ante illum? Certè *Iob. cap.* 9. ait; *si voluerit contendere cum eo* (homo) *non poterit ei respondere vnum pro mille.* Et Dauid *Psal.* 142. *Non intres in Iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

CONCIO VII.

Qualis sit futurus aduentus Christi ad iudicium.

1. *Erit similis ficulneæ.*	4. *Furi.*
2. *Fulguri.*	5. *Messi.*
3. *Sponsæ.*	6. *Sagenæ.*
	7. *Temporis diluuij.*

THEMA.

Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt iam ex se fructum scitis quoniam propè est æstas. Luc. 21.

A. PRIMVM CHRISTI aduentum, quoad omnes penè circumstantias præuiderunt exactissimè, & denunciârunt Prophetæ: quod nimirum nasciturus esset ex virgine, quod in Bethlehem, quòd post translationem sceptri de Iudâ, quòd mediâ nocte, quòd inter Bouem & Asinum, &c. Sed non ita accuratè depinxerunt nobis secundum Christi Aduentum. Imò *Malachias cap.* 3. ait: *Quis poterit cogitare diem Aduentûs eius & quis stabit ad videndum eum?* Quod ergò nobis dicere Prophetæ non potuerunt, hoc prædixit nobis Christus, qui vtique aduentum suum omnium optimè nouerat, idque explicauit per varias similitudines, quas hic excutiemus.

INPRIMIS in hodierno Euangelio comparat Christus aduentum suum ficulneæ germinanti & se explicanti initio æstatis, quam vicinam esse ostendit: Idem ante octiduum audiuimus ex Matthæo *cap.* 24. *Ab arbore fici discite parabolam, cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas, &c.* Ratio prima, quia dies ille consolabitur & recreabit iustos, quòd indicet hyemem tribulationis & miseriarum transijsse, æstatem gloriæ aduenire: Sicut vernantes arbores annunciant nobis æstatis initium, & tunc recreantur homines omniaque animalia, volucres maximè, quæ iterum è latibulis suis prodeunt, & vario modulamine aërem demulcent. Vnde *S. Gregorius hom. in Euang.* ait, *Bene autem Regnum Dei æstati comparatur, quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, cùm vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt.* Hinc Dominus seruos suos bono animo esse iubet: *His autem fieri incipientibus*, inquit, *respicite & leuate capita vestra*; quasi dicat hilares estote. Tunc enim germinabunt ossa iustorum & decorem induent. Contrà reprobis post serenam æstatem quam hîc agunt, incipiet tunc hyems & tempus procellosum. B. I. Similis ficulneæ. 1.

Secundò, quia sicut in vere arbores frugiferæ, quæ per hyemem emortuæ apparebant, vti imprimis ficus, ab infrugiferis discernuntur, quæ priùs nihil inter se differre videbantur, iuxta id ad *Col.* 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: Sic etiam dies ille ostendet fructus bonorum, qui hîc contempti iacebant & inutiles habebantur. Latet enim hic succus diuinæ gratiæ in iustis vnde nesciuntur & contemnuntur eorum opera vitæque austeritas. Ita S. Tobias à propriâ vxore propter suam cæcitatem, quâ nihil differre à Reprobis videbatur spretus est, *Tob.* 2. dicente illa: *manifestè vana facta est spes tua, & Eleemosynæ tuæ modò apparuerunt.* Sed expecta parumper mulier: nondum apparuit fructus Eleëmosynarum eius, quia adhuc hyems est, apparebit suo tempore, quando incipiet æstas. Tunc enim de iustis dicent reprobi: *nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei?* Sap. 5. 2.

Tertia, quia sicut germinantem ficum nulla pruina vel gelu subsequitur, quæ germina eius decoquant: (quod tamen alijs accidit arboribus) sic æstatem illam electorum nulla sequetur tribulatio; iuxta id *Apoc.* 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum & mors vltrà non erit, neque luctus, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Nullum huius mundi gaudium est, quod non variat cum tristitiâ. Vnde sereno cœlo semper meminisse debemus nubilosi temporis, breui aduenturi. Et quomodo gaudere possumus, si recordemur illius horæ, quâ in vltimo conflictu cum morte luctari & postea Iudici sisti debemus? sed postmodum nihil horum amplius Electos perturbabit, quia neque morbus, 3.

neque

neque dolor, neque mors; neque Iudicium supererit aliquando subeundum.

C. II. Similis fulguri. SECVNDÒ. Comparat eum Christus fulguri, *Matt.* 24. vti ante octiduum in Euang. audiuimus. *Sicut enim fulgur*, ait Dominus, *exit ab Oriente & paret vsque in Occidentem, ita aduentus filij hominis erit.* Primò, quia vti fulgur non solùm manifestum est, sed etiam manifestat ea quæ in tenebris sunt, & de nocte aliàs videri nequeunt: Sic Christi aduentus manifestus erit omnibusque innotescet iuxta id *Isai.* 52. *Videbit omnis caro salutare Dei*; Et præterea *illuminabit abscondita tenebrarum; & manifestabit consilia cordium*, alioquin abditissima. Vti etiam fulgur repentè apparet in aëre sic apparebit Christus ad Iudicium veniens. Quantùm confundentur ibi, qui hîc coram vno Sacerdote erubescunt confiteri? Item cùm videbunt se tam enormiter aberrâsse à salutis viâ? Quemadmodum enim, qui de nocte in tenebris ambulat, fortè micante fulgure cognoscit se aberrasse: sic qui modò in tenebris ambulant, nec præferri pedibus suis lucernam verbi Dei volunt, quòd putant se rectè ambulare posse etiam absque Duce: in die illâ cum micabit fulgur illud super omnium conscientia, videbunt se miseri deceptos ac dicent cum damnatis illis *Sap.* 5. *Erra nimus à viâ veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.*

2. Secundò, quia vti fulgur omnium animos percellit & horrore concutit, propter subsequens tonitru, & sæpè cadens fulmen; vnde ad fulminis conspectum mox signamus frontem & inuocamus nomen IESV: sic aduentus & aspectus CHRISTI Iudicis terribilis erit omnibus, qui malæ sunt conscientiæ: quia tunc intelligent breui subsecuturum horrendum illud tonitru, & fulmen: *Ite Maledicti.* Magna vis est fulminis, sed nihil ad sententiam Iudicis, quæ tantò vehementior erit, quantò maiorem inuenerit duritiem ac resistentiam, terram scindet & in eius voraginem reprobos deijciet. Neque iuuabit ibi frontem cruce consignare, & nomen Domini inuocare, nisi hîc id feceris. Viderint itaque, qui de iudicio & morte nihil audire volunt, quâ ratione tonitru id audituri sint. Si enim nunc audire non possunt nudam iudicij mentionem, sed tremefiunt vti Præses ille Fœlix ad dissertationem Pauli de iudicio *Act.* 24. quomodo reipsâ sustinebunt tonitru illud? Contrà sicut equi bello assuefacti non horrent ampliùs bombardarum sonitus: ita qui in iudicij memoriâ sedulò se exercent, absque pauore sententiam excipient, quia nomen Christi in frontibus suis gerunt.

3. Tertiò, quia sicut fulgur momentaneum est, ita erit & iudicium; breuissima enim erit eius mora: fortè quia Reprobi digni non habebuntur, intueri diu splendorem & gloriam Christi ac Sanctorum. Quemadmodum enim, Assuerus patefactâ Amanis malitiâ, de mensâ in quâ sedebat etiam Aman, statim surrexit & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus consitum *Esth.* 7. ita etiam Christus, cùm patebunt impiorum scelera, ab eorum conspectu ilico se subducet.

D. III. Similis Sponso. TERTIÒ. Sponso procedenti ad Nuptam & Nuptias celebrandas *Matth.* 25. Primò 1. quia tunc Christus Ecclesiæ Sponsus cum SS. Angelis de cœlo veniet, Sponsam Ecclesiam suam deducturus secum ad Cœlestes Nuptias. In præsenti enim tempore, quasi inter Sponsalia & Nuptias constituti sumus, per fidem CHRISTO desponsati, & probamur vtrùm Sponso nostro fideles simus. Ibi fiet deductio ad domum Sponsi, & inchoabuntur Nuptiæ nunquam finiendæ. Hinc illa Beatorum exultatio *Apoc.* 19. *Gaudeamus & demus gloriam ei, quia venerunt Nuptiæ agni, & Vxor eius præparauit se.* Totum hoc tempus nobis datur, vt præparemus nos ad occursum Sponsi nostri.

2. Secundò, quia quemadmodum Sponsus ornatissimè, quantum eius ferunt facultates, vestitus incedit: Sic veniet etiam Christus gloriâ & decore indutus, *cum virtute multâ & maiestate.* Virtus eius patebit in omnipotentiâ & potestate iudicandi plenariâ, quâ omnia potest subigere, & si vellet, annihilare. Deinde in assistentiâ Angelorum & omnium Creaturarum, quæ paratas se offerent in vltionem inimicorum eius, iuxta id *Sapientia* 5. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Maiestas patebit in glorioso eius corpore, super solem splendido; Item in Sanctorum omnium comitatu. Musica eius erit cædes hostium iuxta id *Ezech.* 37. *In tympanis & cytharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos.* Maximus honor Christi tunc erit, cùm vindictam sumet de hostibus suis, quos tamdiu tolerauit & ad pœnitentiam frustrà expectauit. Sic enim *Exod.* 14. deleturus Pharaonem, ait: *Glorificabor in Pharaone.* Denique quantum Sponsi decor recreabit electos, tantum sauciabit oculos reproborum.

3. Tertiò, quia sicut ad honorem Sponsi, omnes conuiuæ Nuptiales, decorè vestiti esse solent: ita quicumque ad cœlestes Christi Nuptias admittentur, gratiâ & bonis operibus ornati esse debent. Hoc indicat lampas illa ardens & oleum Virginum prudentum. Hoc significat vestis illa Nuptialis, quâ qui caruit, eiectus è conuiuio est in tenebras exteriores.

E. IV. Similis furi. QVARTÒ Comparat eum Dominus furi. *Matth.* 24. *Si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret vtique* &c. Et *Apoc.* 16. *Ecce venio sicut fur.* Similiter & Apostolus 1. *Thessal.* 5. *Dies Domini sicut Fur in nocte, ita veniet*; Et Petrus 2. *Petr.* 3. *adueniet dies Domini vt fur.* Primò quia ad instar furis improuisò veniet & inexpectatò, vt sciamus semper nobis vigilandum. *Si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret vigilaret vtique*: nos quia semper expectamus, ideò semper vigilemus. Securissimos se putabant homines ante diluuium; quemadmodum & Sodomitæ; cùm repentè superuenit in eos ira DEI. Sic opprimet homines dies illa, cùm minimè existimabunt, & quidem iusto DEI iudicio, vt, qui dum pœnitere poterant, noluerunt: pœnitere non

possint,

possint, dum volent; & tempus pœnitentiæ eis negetur, qui tempus sibi datum neglexêre. Ægyptij, ait *Horus Apollo l. 2. Hierogl. 24.* volentes significare mortem, pingebant nycticoracem. Quia vt hic de nocte cornicum pullos diripit: Sic mors inopinatò homines inuadit; quemadmodum & faciet dies illa iudicij.

2. Secundò, quia sicut fur non expectat tempus furandi, quo vigilat Paterfamilias, sed potiùs quo dormit profundissimè & somno sopitus iacet: sic etiam dies Domini sæpe aduenit hominibus malis, non quando ipsi vigilant, & in bono statu sunt cœloque aptiores: sed quando ineptiores & inferno digniores. Vnde falluntur, qui putant tunc auocari semper ex hâc vitâ homines, quando sunt in meliore statu vitæ suæ. Nam Pharao submersus fuit, quando ad extremam malitiæ pertinaciam venit. Filij Iob ruinâ domûs oppressi sunt, non quando in domo Patris innocenter viuebant, sed quando in domo Primogeniti epulabantur & bibebant. SAVL. & Iudas non quando adhuc boni erant, de vitâ hâc abrepti sunt, sed quando pessimi erant. Ratio, quia tunc maximè meretur exterminari homo & inferno tradi, quando infernum magis meretur. Tunc enim suspenditur fur, wann der Metzen voll wird. Vnde Dominus Pharisæis: *implete mensuram Patrum vestrorum* inquit. Quòd si non semper fiat, mera & mira DEI misericordia est. Testatur hoc scriptura de Saule *1. Para. 10.* vbi ait: *mortuus est ergò Saul propter iniquitates suas, eò quod prauaricatus sit Mandatum Domini, quod præceperat, & non custodierit illud; sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino propter quod interfecit eum.*

3. Tertiò, quia sicut fur, si Patremfamilias inueniat vigilantem, reuerenter alloquitur nulloque afficit damno: dormientem verò spoliat, & quandoque occidit. Sic Christus quos vigilantes offendet, benignè accipiet, iuxta id *Luc. 12. Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes;* dormientes verò puniet eorumque cistas, id est, conscientias rescrabit, nolint velint.

F. V. Similis messi. QVINTÒ, comparatur messi *Matth. 13. In tempore messis dicam messoribus: colligite primum Zizania: &c.* Similiter *Apoc. c. 14.* describitur Christus ad Iudicium cum falce acutâ ad demetendum terram veniens. Primò, quia sicut messem, ager plenus frugum est, paulò verò pòst cùm demessus fuerit, ne culmus quidem vnus reliquus conspicitur: sic iam hominibus plenus est mundus, per iudicij verò diem ita demetetur & euacuabitur, vt nihil eorum quæ videmus superfuturum sit: ne vnicus quidem homo; nemo quippe manum metentium effugiet Angelorum.

2. Secundò, quia sicut fruges dum adhuc in agro sunt, fruuntur & aluntur terræ pinguedine, pluuiarum & solis beneficio, indeque crescunt & maturescunt: demessæ verò nullo horum ampliùs gaudere possunt: Ita homines quamdiu viuunt, participes sunt bonorum Ecclesiæ & gratiæ diuinæ: præcisi verò per mortem non amplius: quia hic in viâ sunt, ibi in termino.

Tertiò, quia sicut culmi in agro inæquales sunt, alter altero sublimior, plenior & fortior, post messem verò omnes æquantur: ita & in hâc vitâ maximum est discrimen inter homines, alij Domini, alij diuites, alij Subditi, &c. Post mortem verò omnes æquantur, nullaque inter ossa eorum est disparitas: omnes item coram DOMINI tribunali sistere se debebunt, *vt ferat vnusquisque prout gessit*, &c. Tum Zizania ligabuntur in fasciculos ad comburendum, triticum verò congregabitur in horreum Dei. Rursum tunc triturabuntur & ventilabuntur fruges, & paleæ quidem tradentur igni, triticum verò inferetur Dei granario. 3.

SEXTÒ, Sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti *Matth. 13.* quia, vt pisces paulatim congregantur in Sagenam, tandem Sagena ad littus educitur. & cum eâ pisces omnes boni retinentur, mali abijciuntur, & coruis præda fiunt: Sic mors nos omnes paulatim congregat in Sagenam suam, tandem in die illâ omnes è sepulchris extrahet; & exibunt Angeli & separabunt malos de bonis. O tristem separationem! Quàm ægrè valedicimus morituris nostris patribus, fratribus, amicis! Et tamen tunc speramus eos reuidere in beatâ vitâ. Quid erit separari in æternum? Hoc est quod ait DOMINVS: *erunt duo in lecto vnus vnum assumetur, & alter relinquetur.* G. VI. Similis sagenæ.

Denique aduentui diluuij comparatur, *Matth. 24 sicut in diebus Noe*, ait Dominus, *ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in Arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis.* Horrendum sanè fuit diluuij spectaculum, sensim crescentibus aquis circumcursabant per domos tremulæ matres cum paruulis, nescientes quò pergerent: Surgebant alij pauidi de mensa, & effugium quærebant: è cubili exiliebant Sponsus & Sponsa, huc ille, illuc illa fugiebat, vt salientem euaderet vndam. Vidisses quosdam repentè superiora domus, alios etiam tectorum cacumina conscendere: nonnullos item excelsiarum arborum ramos scandere, alios verò cum festinatione ad collium montiumque iuga se propipere: sed frustrà, nemo enim hanc aquarum vim & impetum euadere potuit. Vbique pauor, vbique tremor, ô quàm dolebant tunc, quòd Noë hæc comminantem non audierant, sed irriserant! ô Noë, quàm sapuisti, in quiebant: ô nos dementes, quàm insani, quàm stolidi fuimus! ô si iam liceret arcam ingredi, quàm cuperemus etiam totâ vitâ in eâ includi! potuimus aliquando, sed noluimus: nunc volumus, sed non possumus. Ita pulcrè in Gen. Cornel. à Lap. Similis, imò longè maior erit calamitas in die Iudicij, qui omnes ex improuiso obruet & incendio alijsque cladibus innumeris in- H. VII. Similis tempori diluuij.

ris inuoluet. Ergò Auditores, quando per complures imagines inspeximus diem illum, superest vt ad eum sedulò nos paremus, ne quadret in nos illud, quod Iudæis exprobrat DEVS per Ierem. *cap.* 8. *Miluus in cælo cognouit tempus suum: turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentûs sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Cognoscunt enim aues istæ tempus vernum, velut commodum ad redeundum & nidificandum: rursum tempus hybernum ad abeundum & in tutiora loca se recipiendum: nos igitur adeò stupidi erimus, vt tempus extremi iudicij, bonis quidem blandum & serenum; reprobis verò austerum & procellosum non agnoscamus; non muniamus contra fulgur illud? non ornemus ad nuptias agni? non aduigilemus furi? non agnoscamus tempus messis? non præuideamus sagenam illam? non fugiamus à diluuio illo?

CONCIO VIII.

Indicia mundi iam senescentis.

1. *Primum indicium est Raritas Sanctorum.*	4. *Romani imperij ruina.*
2. *Abundantia iniquitatis.*	5. *Prædicatio Euangelij consummata.*
3. *Defectus fidei.*	6. *Mundi peruersitas.*

THEMA.

Cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei.
Luc. 21.

A. QVOD olim Aristoteles fertur respondisse Alexandro Magno, edidisse videlicet se libros suos (Physicorum) & non edidisse, quod ita obscurè scripsisset, vt pauci intellecturi essent: idem ferè respondit Dominus Discipulis interrogantibus de tempore excidij Ierosolymitani, consummationis sæculi, & aduentûs sui ad Iudicium *Matt.* 24. Ita enim illis ad hæc respondet, vt difficilè sit dignoscere, quæ verba ad primum, quæ ad secundum, & tertium tempus pertineant; (quod tamen clarum fiet, cùm omnia illa contigerint) & si quid inde certi colligimus, sola propinquitas est temporum illorum, certa designatio nõ est. Nimirum voluit nos Dominus abstinere à curiositate, & tristia illa tempora semper expectare. Quod ad primam quæstionem attinet, euentus iam ostendit, vera dixisse Christum de euersione scilicet Ierosolymæ. Nec minus euenient, quæ futura prædixit de mundi interitu & aduentu suo. Ea verò si rectè expendantur, non denunciant quidem nobis annum, mensem, diem: denunciare tamen videntur magnam illius propinquitatem, vt inde nos, in quos sæculorum fines deuenerunt, cautiores reddamur. *Sicut quando videmus senem hominem*, ait Chrys. *hom.* 50. *in c.* 24. *Matt. Scimus quia propemodum moriturus est, quando autem, nescimus: Sic & cum mundum perturbatum videmus, casurum cognoscimus, quando autem, ignoramus.* Vnde & Apostolus 1. *Thess.* 5. de die illo ait: *Tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis.* Vt enim Mulier habens in vtero, propinquitatem partus colligere potest; diem, hebdomadam & mensem certò scire non potest: Ita nos aduentum illum. Quare nec temerè nec frustrà egero, si vobis Auditores, mundi senium ex verbis Christi, Prophetarum, & SS. Patrum denunciauero.

INDICIVM PRIMVM. Cùm deficient in terra sancti. Ita sentit *S. Chrysostom. in cap.* 1. *Matth.* cùm ait: *sicut egredientibus Israëlitis de Ægypto exterminata est Ægyptus: sic & sanctis cùm de isto mũdo defecerint, casurus est iste mundus.* Sic vbi Loth exijt de Sodomâ cum vxore & filiabus (solis ibi iustis) pluit ignem & sulphur, vastataque est Ciuitas, cui pepercisset Dominus, si vel decem iustos ibi inuenisset. Quemadmodum domus tunc ruit cùm columnæ eius corruunt aut vetustate tabescunt: ita etiam mundus ruet, cùm sancti, quorum meritis & orationibus stat, deficient. Ita enim Ruffinus in prologo ad vitas SS. PP. dicere non dubitauit: *Verè mundum quis dubitet meritis sanctorum stare?* Venit aliquando Abbas Hilarion ad Abbatem Antonium, & dicit ei Abbas Antonius: *Bene venisti Lucifer, qui manè oreris.* Et respondit Abbas Hilarion: *Pax tibi columna lucis, quæ sustines orbem terrarum.* Vti habetur *in Vitis PP. lib.* 5. *tract.* 17. *num.* 4. similiter legimus in vitâ S. Dominici apud *Sur. tom.* 4. visum illi aliquando DEVM arripere tres lanceas, quibus mundum perderet. Videns id DEI Mater, aduoluitur eius pedibus & supplicat pro mundo dicens, coram esse duos, Dominicum & Franciscum, qui vitæ suæ sanctitate mundum à sceleribus reuocare possent. Sic placatus est Christus, & sancti illis suis, quos instituere, Ordinibus, mundum ad frugem reuocârunt. Item S. Francisc. visus est in somno Innocent. III. Papæ collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere: Vnde permotus Pontifex regulam eius confirmauit. B. I. Raritas sanctorum.

Iam verò quis nescit quàm rara sit auis nostro tempore, vir sanctus in terrâ? vbi nunc strenui illi Martyres? vbi mirabiles illi Anachoretæ? vbi sancti illi Præsules? Olim perdidit DEVS Sodomam, quia decem iustos in eâ non inuenit *Gen.* 18. At quot nunc reperiet vrbes, in quibus non sunt tot iusti? Et verò quis audeat asserere, decimam mundi partem esse iustam? Ego sanè non ausim.

SECVNDVM. Cùm abundabit iniquitas, refrigescet Charitas multorum, quod ait Dominus *Matt.* 24. & de fine mundi à multis intelligitur. Ita enim *S. Gregor. hom.* 35. in Euang. cùm ait: *Quãtò finis mundi ex ipso suo ordine pendeat, peruersiores tamẽ quosque inueniens quia dignè vrimis illis opprimantur, innotescit.* Homo cùm defici à calore, lecto affigi, delirare, baculo nixus incedere incipit, non dubitatur esse morti vicinus. Ita etiam mundus, cùm frigescere in charitate, torpere ad bene operandum, nihil ferè C. II. Abundantia iniquitatis.

de vitâ

de vitâ & paſſione Chriſti ſcire, repueraſcere ſenſibus incipiet, non procul ab interitu erit. Nimirum poſtremis ſæculis memoria redemptionis noſtræ tabeſcet, & in multorum cordibus penè obliterabitur ob ſuam vetuſtatem: adeoque Sanguis Chriſti frigeſcet; quia eius memoria & effuſio longiùs receſſit *Danielis c, 2.* legimus ſtatuā Nabuchodonoſori per ſomnium viſam habuiſſe caput aureum, pectus argenteum, ventrem æreum, tibias ferreas, pedes partim luteos partim ferreos. Ex quâ viſione colligit B. Vincentius Valentinus Ord. S. Dominici (qui floruit anno 1415.) mundi finem non procul abeſſe. Statuam enim illam ſignificare vult Eccleſiam. At caput quidem aureum denotare tempus primitiuæ Eccleſiæ vſque ad annos 400. quando Chriſtiani ardebant charitate in Deum & proximum, quando credentium cor vnum erat, quando perſeuerabant in oratione & fractione panis, offerebant bona ſua Eccleſiæ, conſurgebant ſummo manè ad Dei laudes, exterminabant omnia vitia, &c. Pectus argenteum tempus S. Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, quo tempore Eccleſia patiebatur ab Arianis, ita vt multum à primo ſplendore perdiderit; tametſi tunc multi Sancti paſſim reperiebantur. Sic teſtatur ipſe S. Hieronymus in vitâ S. Malchi, quòd Eccleſia poſtquam ad Chriſtianos Principes venit *potentiâ quidem & diuitijs maior, ſed virtutibus minor* facta ſit. Venter æreus tempus à S. Gregorio M. vſque ad annum 1200. quo Machomet vaſtabat Africam, & Chriſtus volebat mundum perdere, ſed retinebatur meritis S. Franciſci & Dominici vt ſuprà dixi. Pauciores quidem tunc Sancti erant, viguit tamen fides vera & ſynceritas animorum. Tibiæ ferreæ tempus ab anno 1200. durans vſque ad nos, ferreum & indomitum, quo homines veluti ferrei igne tantùm & verberibus, id eſt, timore pœnæ coërceri debent, non conuertuntur miraculis, non mouentur flagellis, peſte, fame, bellis: erga ſe mutuò duri, aſperi, inuidi ſunt & nigri, id eſt, abſque candore. Pedes ferrei & lutei tempus Antichriſti, ſub quo erunt homines indurati, & terrenis voluptatibus prorſus immerſi ac lutoſi. Tum nil ſupererit niſi vt Lapis ſine manibus abſciſſus decidat, id eſt, Chriſtus ad iudicium deſcendat, & conterat ſtatuam.

D. III. Defectus fidei.

Tertiò. Cùm deficiet fides in terra id eſt, cùm exigua & in paucis reperietur. Id enim indicat Dominus, *Luc.* 18. de ſecundo ſuo aduentu loquens, cùm ait: *Veruntamē filius hominis veniens putas inueniet fidem in terrâ?* Id quod alij de fide in Devm, alij de fide erga homines exponunt, alij de vtraque vt Theophylactus. Et certè qui hæc noſtra tēpora intuebitur, inueniet vtrâque magnopere deſiderari. Nam quod ad fidē diuinam attinet, quis nō videt primò imperiū infidelium, Turcarum, Paganorum noſtro vitio latiſſimè propagatum? Secundò, quis non Hæreſum multitudinem & robur, ita vt integra regna ab Eccleſiâ abſtracta ſint? Ante noſtra ſecula vix aut nunquā tota regna vel prouinciæ ab Eccleſiâ receſſere: ſparſim tantùm Hæretici Catholicis immixti erant. Vbi igitur nunc fidem inueniet Chriſtus? In Aſiâ? Nequaquam; poſſidetur enim à Turcis, Tartaris, Perſis, Græcis, Schiſmaticis. In Africâ? minimè, Incolitur à Barbaris & Turcis. In Europâ? At ſi excipias Italiam, Hiſpaniam, partem aliquam Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, vix reperies niſi hæreticos. In Americâ? At quam multi adhuc ibi Gentiles? Sed & inter fideles, quàm multi Deum voce confitentur, factis negant? quàm multorum fides mortua tantùm?

Quod ſi de fidè hominum inter ſe loquamur, nihilo plus reperitur his temporibus; tanta enim eſt nunc hominum vanitas & perfidia, vt locum habeat illud Ethnici: *nuſquam tuta fides.* Perijt nunc antiqua ſynceritas & confidentia, periēre aurea illa ſæcula, quibus alter alteri ſine pignore, ſine teſtibus, ſine chirographo credebat, mutuabat, ſoluebat. Nunc ſine his nemini creditur, imò & vix cum iſtis, quia etiā his adhibitis ſæpe fides fallitur. Nullus ampliùs in mentiendo pudor, pacta & promiſſa non ſeruantur. Denique nec amiciſſimis ac notiſſimis, imò & propinquis purè quidquam creditur, omnia teſtibus, ſigillis, pignoribus & chirographis communiri debent. Nimirum quia nunc Deo non confidimus, ſed propriæ tantùm induſtriæ: ideò apud homines etiam fidem perdimus. Iudicet nunc qui volet, an non meritò metuere vicinitatem illius diei poſſimus.

E. IV. Romani Imperii ruina.

Qvartvm. Cùm Romanum Imperium deficiet. Id enim à decem Regibus diripietur, & inter eos diuidetur; quorum tres primò vincet Antichriſtus, & tunc reliqui ſeptem ſemetipſos illi dedent. At patet ex *Ep. 2. ad Theßal. c.2. Dan. c. 7. Apoc.* 17. eſtque communis Patrum traditio. Hæc autem diſceſſio & euerſio Romani Imperij ſenſim impletur, cùm id ſenſim inclinatur & deficit; quod teſte Daniele erit quarta & vltima Monarchia, ante regnum Antichriſti. Statuæ enim illius caput aureum deſignat Imperium ſeu Monarchiam Babylon, ob fœlicitatem, gloriam, amplitudinem. Pectus argenteum Imperium Perſarum, ob eius opulentiam. Venter æreus Imperium Græcorum, ob famam potentiæ & ſapientiæ. Tibiæ ferreæ Imperium Romanum ob firmitatem, idque bifidum, id eſt, Orientale & Occidentale. Deſinet hoc tandem in decem digitos, cum diuidetur in decem Regna: Et tunc lapis, Antichriſtus, ſtatuam hanc conteret. Sanè iam vna tibia illi præciſa eſt à Turcâ, Oriētalis ſcilicet. Quamdiu iam ſtat ſuper vno pede? Quot etiam alteri pedi nerui iam abſtracti? quot vulnera inflicta; Vbi ergò direptum & diuiſum erit ratione dictâ, adhærebit Antichriſto & deficiet à Romano Pontifice, vti & ipſa Roma, vt habetur *Apoc.* 17. vbi idcircò in eo ſtatu Babylō & Meretrix magna vocatur. Et ſanè ſola obedientia Romani Imperij; erga ſedem Apoſtolicam videtur id hodie ſuſtentare. Perſimile enim mihi videtur Imperium Romanum, tribus amicis in foro ſtantibus &

colloqnentibus: quorum primò vnus & deinde alter abſceſſit, remanetq́ue ſolus tertius. Vocatur enim Imperium Sacrum Romanum. En amicos tres. Sed imperium videtur magnâ ex parte abijſſe, quia multa regna & Prouinciæ ab eius imperio ſe ſubduxerunt, idque diuiſerunt, & ſibi proprios Reges creârunt, vt ſecerunt Hiſpani, Poloni, Angli, Franci, &c. iam ſubtracta eſt illi Africa, Aſia, Ægyptus, Græcia, Italia, Syria. Deinde videtur iam abijſſe Sanctitas aut certè breui abitura; Siquidem imperium Romanum, quantumuis nunc anguſtum, plenum eſt hæreſibus, Caluini, Lutheri, Zvvinglij, Huſſitarum, Anabaptiſtarum. Solus illi titulus Romani ſupereſſe videtur. Væ illi, vbi & hic receſſerit. Vnde nos omnes pro diuturnitate, & conſeruatione Romani imperij orare iugiter debe remus. Ita enim Lactantius l. 7. c. 25. ait: *cum caput illud orbis occiderit & ῥύμη, id eſt, vicus eſſe cœperit, quod Sibylla fore aiunt, quis dubitet veniſſe iam finem rebus humanis orbique terrarum? Illa eſt enim Ciuitas, quæ adhuc ſuſtentat omnia, precandusque nobis & adorandus eſt Deus cæli, Si tamen ſtatua eius & placita differri poſſunt, ne citiùs quàm putemus Tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, vt lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipſe lapſurus eſt.* Eandem ob cauſam ſcribit Tertull. *in Apolog. cap.* 32. Chriſtianos pro diuturnitate Romani imperij orare conſueuiſſe.

F. V. Prædicatio Euangelij conſummata.

QVINTVM. Cùm Euangelium per vniuerſum mundum prædicatum fuerit. Sic enim Chriſtus *Matth.* 24. ait: *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* In quem locum S. Hieronymus ait: *Signum Dominici Aduentûs eſt, Euangelium in toto orbe prædicari, vt nullus ſit excuſabilis:* At verò his temporibus, fides diſſeminatur in orbe priùs incognito, peruenit ad Iapones, Indos, Sinas, & Americæ Prouincias adeoq́ue totum peruaſit orbem.

G. VI. Mundi peruerſitas.

SEXTÒ. Cùm homines minimè exiſtimabunt, & nihil de iudicio cogitabunt, ſed edent, & bibent: ement & vendent, plantabunt & ædificabunt: vxores ducent & dabuntur ad nuptias, vti in diebus Noë & Loth, in quibus repentinus venit interitus, ſic enim teſtatur Dominus *Matth.* 24. *Luc.* 17 Et *Luc.* 12. *quâ horâ non putatis filius hominis veniet.* Et 1. *Theſſal.* 5: Apoſtolus: *Dies Domini ſicut Fur in nocte, ita veniet,* inquit, *Cùm dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Id verò nunc paſſim videmus, homines videlicet de iudicio nihil prorſus cogitantes, ſed de cibo tantùm & potu, de emptione & venditione, de agricul turâ & ædificijs, de matrimonijs & Nuptijs. Nemo vnus putat ſe viuo mundi finem aut Antichriſtum aduenturum. Omnes ſolitum vitę curſum tenent, prandent, cœnant horis conſuetis, eunt cubitum, & manè conſurgunt more ſolito, colunt agros, & de futurâ meſſe cogitant ac loquuntur, de liberis ſoliciti ſunt, quomodo filios eueha nt, filias nuptui dent, dotem ijs atque hæreditatem parent: quaſi mundi curſus perpetuò ſit futurus. Et quid aliud fecerunt homines paulò ante Diluuium? paulò ante incendium Sodomæ? hoc idem facient homines, cùm veniet mundi interitus. Quid ſi illi ipſi nos eſſemus? Abſit, abſit, dicet quilibet noſtrûm, vt hoc mihi contingat. Volumus ergò diem illum procul à nobis eſſe? Simus, quales laudat & deſcribit S. Paulus loco indicato ad Theſſalonicenſes, dicens: *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis eſtis & filij diei, non ſumus noctis, neque tenebrarũ. Igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus.* Dormiunt qui voluptatibus & cupiditatibus ſuis immerſi, aduentũ Chriſti non cogitant. Vigilant qui bonis operibus inhærentes, diem illum parati ſemper expectant. Vigilemus itaque, ſi ab illo die volumus deprenendi. Et hoc eſt quod nobis ex Apoſtolo occlamat hodie Eccleſia: *Fratres: hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus. Rom.* 13. ſed quomodo ſurgendum? ſubdit: *Abijciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus, nõ in cubilibus & impudicitijs, &c.* Excitauit olim hæc Apoſtoli vox à ſomno graui & diuturno magnum illud Eccleſiæ lumen Auguſtinum. Excitet igitur & nos, quia ſalus noſtra & aduentus Domini quotidie fit nobis propior. Totum tempus gratiæ S. Ioannes vocat vnam eamq́ue nouiſſimam horam, *Filioli nouiſſima hora eſt*; 1. *Ioan.* 2 Hinc dormientem mundum ſancti aliquot viri, iam olim excitare conati ſunt, quaſi iam hora illa elapſa eſſet, iam iamq́ue ſonitura, non quod determinatum tempus conſummationis deſignârint, vti fecêre Mahomet, Lutherus, & Stiſelius Pſeudo-Prophetæ, ſed propinquitatem denunciârint. Ita S. Medardus circa annum 540. S. Gregorius PP. circa annum 592. S. Vincentius Valentinus circa annum 1415. conſiderantes ſuorum temporum calamitates, hortabantur populum, vt ſtarent in procinctu ad expectandum diem DOMINI. Quemadmodum enim qui neceſſarium facturus iter ſummo manè, non habet ad dormiendum niſi vnicam horam reliquam, ſubinde cùm ſonat primus, deinde ſecundus, denique tertius quadrans, à ſocijs excitatur, quaſi metuentibus ne hora prorſus elapſa ſonet & præueniet ſocium: ita faciebant ſancti illi: clamarunt ad primum, ſecundum, & tertium horæ quadrantem, permoti ſuorum temporum calamitatibus, velut illius vltimi diei prælud ijs. Metuendum ne breui ſonet hora.

Sed quid intereſt, licet nobis viuentibus non contingat illa ſæculi conſummatio? An non ſat ſuperq́ue nobis eſſe debet, quod vnicuique noſtrûm in vitæ periodo eueniet idipſum, quod aliquando eueniet mundo? An non perſequetur nos Antichriſtus, malus, inquam, Genius, habens iram magnam, ſciens quia tunc modicum tempus habeat? An non tunc obſcurabitur ſol & luna, cùm intellectus & oculorum lumen deficiet? An non ſtellæ de cœlo

ca-

cadent, cùm omnia desiderabilia nostra corruent & nos deserent, mundusque totus à nobis fugiet, & demum in momentò coram nobis euanescet? An non in terrâ corporis nostri erit pressura morborum & pugnantium inter se humorum? Hæccine nobis non sufficiunt? Quid verò, cùm apparebit nobis Iudex noster, dubio vel irato vultu? Quid si tunc Angeli pacis amarè fleant? Quid si præ horrore dicturi simus montibus: *cadite super nos; & vallibus operite nos?* Itaque Auditores, non tam ad communem illam orbis, quàm ad singularem vniuscuiusque nostrûm consummationem attendere nos oportet. Ne alioquin cum Thalete illo, dum sydera contemplamur, ad terram verò, in quâ ambulamus, non attendimus, in foueam incidamus, & sic vniuerso orbi ludibrium fiamus.

CONCIO IX.

Documenta Euangelij.

Docetur primò.

1. *Quanti sit exemplum superiorum.*
2. *Quod timor Iudicij nemini sit abijciendus.*
3. *Quod ad iudicium debeamus venire parati.*
4. *Benè esse sperandum bonis.*
5. *Quàm Iudicis aduentus erit terribilis.*
6. *Nihil eo aduentu esse certius.*

THEMA.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ & maiestate. Lucæ 21.

A. D. Ioannes in Apocalypsi *cap.* 4. vidit in spiritu speciem venturi nostri Iudicis, Christi, sedentis in magnifico throno, de quo procedebant fulgura & voces & tonitrua. Quibus symbolis non solùm ostendit DEVS suam potentiam, maiestatem & magnificentiam, quâ venturus est ad iudicium; verùm etiam modum & rationem, quam vult adhiberi à Concionatoribus (in quorum ore & corde quasi in throno sedet) in erudiendo populo. Vult enim vt primò fulgura in Auditorum oculos emittant, id est, eos doceant atque illuminent & argumentis efficacibus conuincant. Deinde vt voces humanas proferant, hoc est, vt temperatis & paternis admonitionibus eosdem obsecrent & hortentur. Deniqne vt tonitrua edant, hoc est, vt seueris & terrificis comminationibus duros & contumaces increpent. Atque hæc ipsa tria concionatoris officia tribus verbis commendauit Apostolus Discipulo suo Timotheo Episcopo Ephesino 2. *Tim.* 4. cùm ei scripsit: *Argue, obsecra, increpa.* Argue (græcè ἔλεγξον, id est argumentis conuince) vt Doctor, obsecra vt pater, increpa vt præceptor. Iam si Thronum illum venturi Iudicis Christi in hodierno Euangelio contéplemur descriptum à S. Luca his verbis: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ & maiestate;* deprehendemus etiam symbola illa, fulgura inquam, voces & tonitrua, hoc est, doctrinam, obsecrationem & increpationem non obscurè ad nos prodire. Hæc igitur nunc promemus.

B. I. Exemplũ superiorũ quanti sit. Ad fulgura & doctrinam spectat primò quod legimus in hoc Euangelio, sole deliquium passuro passuram cum eodem lunam aliaque sydera minora, quæ à sole pendent & lumen suum mutuant; quæ res docet, quantam habeant vim exempla superiorum, mala præsertim, ad trahendos post se subditos, qui claudicante magistratu, & ipsi mox claudicare; eo delinquente delinquere incipiunt. Quod est medulla arbori; hoc est Princeps & Magistratus plebi. Ex medulla sanâ & viuente viuunt, reflorescunt & virent rami: ex bono Magistratu subditi. Vnde *Ezec.* 17. Rex Iechonias à Nabuchodonosore in captiuitatem abductus vocatur medulla Cedri: *Aquila grandis, tulit medullam Cedri* (Hebr. summitatem seu fastigium Cedri.) Aquila hæc ad literam Nabuchodonosorem vt dixi, mysticè Diabolum significat, qui in primis insidiatur Principibus & Magistratibus, à quorum vitâ pendere vitam subditorum nouit. Magistratum vbi peruertit, facilè peruertet populum, quemadmodum qui imaginem vel scripturam originalem, ad cuius normam aliæ depingi debent, labefactat, facit vt alij quoque, qui eas imitantur, errent. Scimus è SS. literis virgam denotare regiminis potestatem. Qualis autem erat color virgarum Iacob, talis erat color pecorum, quæ nascebantur ex ouibus in aspectu virgarum concipientibus; vti legimus *Gen.* 30. Ita omninò quales sunt Regis ac Præsulis actiones, tales cogitationes concipiunt eorum subditi; quia vt oues illæ in virgas, ita ipsi in Rectores suos eorumque mores acutissimè intendunt eaque recta & licita putant, quæ in ipsis cernunt. Iacob repræsentat Principem, virgæ sunt eius opera: Oues subditi: Conceptus cogitationes & proposita. Vnde ait Ecclesiasticus *cap.* 11. *Qualis rector est Ciuitatis, tales & habitantes in eâ.*

C. II. Timor iudicij nemini abiiciendus. SECVNDÒ: Quod legimus omnibus hominibus timendum esse DEI iudicium. Id enim sibi volunt verba illa: *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Hinc enim discimus periculosum & pestiferum esse nostrorum hæreticorum dogma, quo salutem sibi certam faciunt, adeóque omnem iudicij timorem pellunt; Nec non illorum Catholicorum qui cùm verâ fide præditi sint, inde nimium securi & quasi certi de salute viuunt. Docet enim hodiernum Euangelium tribulationem mundi vltimam perueturam vniuerso Orbi, adeoque omnibus timendam esse, eò quod nemo perspectum habeat, odióne an amore dignus sit, & in bono an perseueraturus. Miseri illi hæretici cæcantur à suis prædicantibus, non secus ac plectendi, quorum oculis minister carnificis inijcit pileolum iubetque eum securum esse, cùm interim carnifex gladio caput

illi amputat. Verè ministri non verbi, sed Diaboli sunt, qui pergentes ad tremendum DEI iudicium securos esse iubent; Imò ipsi dæmones sunt, siquidem eis dicunt, quod Satan ille Christo dixit: *Mitte te deorsum; angelis enim suis mandauit de te. Matth.4.* hoc est, noli timere mortis & iudicij præcipitium: fidem habes, DEI filius es, certus de salute, &c. Itaque miseri illi sub istis suis tibicinibus suauiter modulantibus cantando ad iudicium ipsumque gehennam eunt, iuxta id *Ierem. 8. Conuersi sunt ad cursum suum, sicut equus impetu vadens ad prælium.* Equus bello assuetus audiens sonitum tubæ militaris exultare videtur & gestire, nec non alacri hinnitu & superbo gressu prosilit in aciem, quia belli pericula nec præuidet nec metuit: ita ad diē iudicij *diem tubæ & clangoris*, vt eum vocat Sophonias c. primo, *seu diem tubæ & taratantara*, vt vertit Pagninus, pergunt miseri hæretici. Sed & veri fideles timendum sibi, dum viuunt, sciant. Tametsi enim in viâ salutis sunt, nondum tamen in termino: à quo facilè aberrare possunt, si curam salutis suæ abijciant. *Ne glorietur accinctus æquè ac discinctus*, ait Achab Regi Syriæ 3. *Reg. 20.* hoc est, vt Chaldæus reddit: *Ne laudet se expeditus & descendens in prælium, sicut vir, qui vicit & ascendens ex eo.* Francorum Rex Ludouicus 12. dicere consueerat: *Ne visæ templorum pinnis iter te confecisse dicas.* Multum enim sæpenumerò itineris adhuc conficiendum est, & fieri potest, vt tardiùs ad vrbem venias ab eaque excludaris, cuius turres à longè vidisti.

D. III. Præparatio ad iudicium.

Ad voces & hortamenta pertinet, quod ait DOMINVS: *His autem fieri incipientibus respicite.* Monet enim hac voce, vti ne ad iudicium imparati veniamus; sed vbi mortis periculum aliquod præ oculis videmus, mox ad conscientiæ nostræ pugillares & Ephemerides respiciamus. *Respicite*, inquit; quasi retrospicite & recogitate annos vestros præteritos eosque fletibus punite, ne serò nimis fleatis. Propterea enim hîc Dominus signa quidem iudicij præuia aperuit, certum tamen annum, diem & horam minimè indicauit: vt in omnem horam simus parati, & quodcunque potest manus nostra, instanter operemur, maximè cùm instantis mortis signum aliquod sentimus. Fecerunt hoc timorati quique, quantumuis benè sibi conscij. Inter alios S. Augustinus, qui in vltimâ senectute & morbo per dies plurimos contritioni & pœnitentiæ ita vacauit, vt in legendis psalmis pœnitentialibus iugiter & vbertim fleret. Possid. in vitâ. Deinde Ludouicus Pius Imp. qui cùm anno 837. Cometa appareret, sciens his ferè signis mortem Principum portendi, dixit: *Non alium timere debemus, præter illum, qui nostri & huius syderis creator est. Sed eius clementiam non satis laudare & imitari possumus, qui nostram inertiam, cùm simus peccatores & impœnitentes, talibus indicijs dignatur admonere. Quia ergò & me & omnes communiter hoc ostentum tangit: omnes pro posse ad meliora festinemus, ne fortè misericordiam illo prorogante & nostrâ impœnitudine impediente, nos illâ indigni*

ueniamus indigni. His dictis noctem illam in orationibus peruigilem duxit & manè facto largissimas eleemosynas pauperibus erogauit, missarumque solemnia per quoscunque potuit, celebrari fecit. Triennio post, anno scilicet 840. quo tantum solis deliquium fuit, vt dies à nocte nihil differre videretur, in lethalem morbum incidit; quo durante quotidie per dies 40. S. Eucharistiam sumpsit, præter hanc aliud cibi nihil admisit; thesaurum suum priuatum pauperibus distribuit, rebellis filio iniurias remisit, pectus suum cruce muniit, Dæmones sibi apparentes fugauit, elatisque in cœlum oculis Spiritum DEO reddidit. Baron. anno 738. & 840. Huic iure adnumeramus S. Henricum Imp. qui Ratisbonæ in templi muro monstratâ sibi scripturâ à S. Wolffgango iam tum defuncto: *Post sex*; ratus se primò post sex annos, deinde post sex menses, denique post totidem hebdomades vel dies moriturum, largas eleemosynas distribuit, totusque in curâ mortis obeundæ fuit, sanctissimeque vixit. Rader. in Bau. sanctâ & piâ, & suprad. Ferdinandum item Castellæ & Legionis regem, qui sentiens se viribus deficere deportari se in Ecclesiam iussit, vbi regia indumenta exuit, cilicioque se operuit, caput cinere aspersit & inter Episcoporum manus post biduum spiritum DEO reddidit, anno Christi 1065. Quin & inter gentiles Seneca de se ipse scripsit ep. 94. *Nec me ad eum diem aptaui, quem vltimum mihi spei auida promiserat; sed nullum non tanquam vltimum aspexi.* Benè ergò S. Augustinus *serm. 120 de Temp.* dixit: *Præueniendus est dies, qui præuenire consueuit.*

E. IV. Bene sperandum bonis.

SECVNDÒ. Vt boni bene sperent tempore mortis & iudicij, tametsi non absque timore aliquo vt suprad. subdit enim DOMINVS: *Leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Quæ verba ad discipulos suos locutus Dominus, de iustis vtique omnibus voluit intelligi. Hi enim cùm bene sibi conscij sunt gaudere magis debent, quàm tristari morte adueniente, per quam redimuntur ab innumeris vitæ huius miserijs, & bonis omnibus replentur. Non admodum notatur discrimen inter candelam vnam è cerâ & alteram è seuo factam, quamdiu vtraque ardet. At vbi extinguuntur, illa gratum odorem, hæc verò tetrum & infelicem fundit. Ita iustus & peccator parum, dum hîc viuunt, à se mutuò discernuntur; at cùm extinguuntur in morte, ille plenus spe & solatio moritur optimumque vitæ odorem post se derelinquit: hic verò invitus emigrat, fœtoremque conscientiæ sentit & prodit, si non coram mundo, saltem coram DEO. Pudica mulier quæ marito suo peregrè profecto fidem thori seruauit seduloque domum administrauit, cum gaudio præstolatur maritum redeuntem; at non item leuicula, quæ absente marito admisit amatores alios & rem domesticam perdidit, hæc enim cum pauore & pudore virum redeuntem aspicit. Par Ratio de iustis & iniustis.

Ad tonitrua demum spectat Primo quod audimus

audimus in bodierno EVANGELIO, Christi iudicis aduentum fore pauendum & terribilem, *in nube* ſcilicet *cum poteſtate magnâ ac maieſtate* præuijs ſignis horribilibus. Hunc aduentum & thronum Iudicis vidit in ſpiritu Ioannes & apertiùs deſcribit *Apoc. 20. Vidi*, inquit, *thronum magnum candidum & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra & cœlum, & locus non eſt inuentus eis.* Et Daniel *cap. 7. Aſpiciebam donec throni* (Apoſtolorum aliorumque aſſeſſorum ſcilicet) *poſiti ſunt; & antiquus dierum ſedit. Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accenſus: fluuius igneus rapiduſque egrediebatur à facie eius, &c.* Quis Iudicem hunc aſpicere, quis ad thronum hunc leuare oculos audebit, ſi ab eo refugit cœlum & terra? Si pauent Angeli & homines, maximè qui hoſtes & perduelles illius Iudicis fuerunt: Quis tunc animus erit perfidis Iudæis cùm aſpicient eum, gloriâ & honore, poteſtate & maieſtate inclytum, in quem pupugerunt? Quid perduelles dicent Hæretici, cùm à ſe auerſum cernent, quem ſibi tam benignum & beneuolum finxerunt? Quid ingrati fideles, cùm in tantâ maieſtate intuebuntur Dominum ſuum, cuius iugum reſpuerunt? cuius merita & ſanguinem conculcarunt? Quid duri & auari qui eum in pauperibus eſurientem à ſe repulerunt? An non fugient, aut fugere ſaltem conabuntur à tam potente & glorioſo, quodque maximum eſt, tam grauiter offenſo Iudice? Exemplo rem hanc declaremus. Athenais Athenienſis Leontij Philoſophi filia quâ formæ elegantiâ, quâ literarum peritiâ inſignis, geminos habuit fratres, quos Pater moriens ex aſſe hæredes inſtituit, filiæ non plus, quàm centum aureos legauit. Extincto patre teſtamentoque reſignato Athenais exhæres reperta grauiſſimè commouetur lachrymiſque perfuſa, pedibus fratrum aduoluitur rogans, ne ſe vellent paternis bonis excluſam, quam ſcirent patri ſemper fuiſſe morigeram. Verùm aurum fratribus aures iam occluſerat omnemque pietatis ſenſum ademerat; qui ſororis preces non tantùm non audierunt, ſed inſuper eam paternis ædibus exturbârunt. Ergò Athenais Conſtantinopolim ad amitam perrexit, fratres reos actura; Vbi ad Pulcheriam Auguſtam deducta, ob inſignem corporis & animi decorem ac dotes imperio dignas, Theudoſio Imp. dicto Iuniori deſponſatur, fitque Imperatrix & Eudocia nominatur. Quo accepto de ſorore nuntio, viſaque iam ſororis, quam indignè ſpreuerant, gloriâ & potentiâ fratres metu penè exanimati, non tantùm auſi non ſunt in eius conſpectu apparere: verùm nec in eius imperij finibus perſiſtere; quare agitante eos metu in Helladem profugere. Refert Glycas, Nicephorus *l. 14. c. 24.* Iam ergò, Auditores, cogitate quid in die Iudicij acturi ſint peruerſi, rebelles, duri & auari, cùm ante ſe cernent Chriſtum mundi totius Iudicem & Imperatorem factum, quem hîc in pauperibus agnoſcere noluerunt, imò à ſe repulerunt & debito ſibi alimento ac patrimonio ſpoliârunt, fameque interire paſſi ſunt? Si fratres ſororem fœminam ad imperium euectam, quam à ſe offenſam nouerant, adeò fugerunt. Pauperes quidem DEVS quodammodo exhæredes fecit, diuitibus tamen eos alendos commendauit; quos qui à ſe repellunt, Chriſtum ipſum repellunt; qui idcircò illis dicet: *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare, &c. quamdiu enim non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis, Matth. 25.* Quomodo tunc non fugient à conſpectu throni? Atque hæc eſt illa vocula, quam expreſſit Dominus: *Tunc videbunt filium hominis, &c.* Mundi ſectatores & improbi ſolùm attendunt ad Nunc, non conſiderant illud Tunc, quid tunc futurum ſit.

G. IV. Nihil eo Aduentu certius.

SECVNDÒ. Quod audimus nihil eſſe certius terribili Chriſti aduentu & iudicio. Eo enim tendunt ſeriæ illæ Chriſti aſſertiones: *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra tranſibunt, verba mea non tranſibunt.* Hoc eſt, citiùs cœlum & terra ruent, quàm verba mea fefellerint. Vidit nimirum Chriſtus ea, quæ nobis aduerſantur & diſplicent, difficulter apud nos inuenire fidem, maximè quæ de morte, iudicio & inferno dicuntur, quia noſipſos nimis diligimus & meliora ſemper ominamur. Itaque iurat quodammodò per cœlum & terram, per thronum & ſcabellum ſuum, ſe non emanſurum, ſed deſcenſurum ad iudicium. Viderint ergò qui iudicij timore abiecto ita viuunt, quaſi CHRISTVM mendacij arguere velint. His enim ait per Sophoniam c. 1. *Viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis, qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet benè Dominus & non faciet malè;* (hoc eſt, non præmiabit bonos nec puniet malos, adeoque non iudicabit quemquam) *Iuxta eſt dies Domini magnus, iuxta eſt & velox nimis: Vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* Quæ verborum fulmina? Iræ dies vocatur, quia in eâ Deus omnem ſuam iram, per omnes mundi ætates collectam videtur in reprobos effundere. Dies tribulationis, quia tribulos omnium afflictorum aget ſuper impios. Dies anguſtiæ, quia ab omni parte arctabuntur mali; ſupra ſe videbunt Iudicem iras ſpirantem; infra ſe Infernum flammas euomentem: retrò ſe peccata admiſſa & præteritas voluptates; ante ſe æternitatem calamitoſam; circum ſe Dæmones; intra ſe conſcientiam mille vulneribus ſauciam, teſtem, actorem, carnificem. Dies calamitatis, quia vndique plagæ & pœnæ. Dies miſeriæ, quia extrema ibi paupertas & deſolatio: Dies tenebrarum, quia damnati ibunt in tenebras exteriores. Dies caliginis, quia internis etiam tenebris in mente inuoluentur. Dies nebulæ, quia humanam tantùm Iudicis naturam, vtpote vicinam, poterunt videre; diuinam verò eius naturam, vtpote longè à ſe poſitam, minimè videbunt. Dies turbinis, quia quaſi mentis inopes vertigine agentur & quaſi in gyrum rapti in abyſſum demergentur.

Dies tubæ, quia dies prælij, quo profligati conficientur. Dies clangoris, quia ibi incipient æternum lamentari, eiulare & stridere dentibus. Hæc igitur tuba Auditores, sonet perpetuò in auribus nostris, vt instar equorum bellicorum eius assueti, non horreamus, sed exultemus in die Iudicij.

CONCIO X.

Mysteria Euangelij.

1. *Quæritur, qualia signa futura sint in sole, &c. Et cur?*	*dex constitutus?*
2. *Qualis pressura gẽtiũ.*	6. *Cur in nube venturus?*
3. *An omnes timebunt.*	7. *Quid sibi velit parabola ficulneæ?*
4. *Quæ virtutes cælorum mouendæ.*	8. *Quando futurum iudicium? Probabiliter sexto aeuorum millenario.*
5. *Quare Christus Iu-*	

THEMA.

Erunt signa in sole & lunâ & stellis. *Lucæ 21.*

A. NOsse vos arbitror, Auditores, summum sacerdotem veteris legis gestasse in orâ & fine vestis talaris plurima tintinnabula; quod fieri præcepit DEVS *Exodi. 28.* Quid sibi voluerunt illa tintinnabula in extremitate vestis? Origes *ho. 9.* existimat extrema tempora & finem mundi crebris admonitionibus prædicendum & auribus nostris inculcandum ijs designari. Nec dissentit Gregorius Nyssenus, qui nouissimam Angeli tubam, quæ sonabit: *surgite mortui, venite ad Iudicium*, tintinnabulis illis delineatam esse putat. Bene itaque summus noster Sacerdos, Christus, ad fidem vitæ suæ implet aures nostras illis tintinnabulis extremæ calamitatis, vti in hodierno Euangelio & ante octiduum audiuimus, simulque adhortari videtur omnes sacerdotes vti mundi finem & iudicium extremum crebris concionibus insonare, & inculcare populo velint; siquidem id reprobis extremam calamitatem, bonis extremam fœlicitatem afferet. Quare Auditores, si iudicij illius sonus crebrò in nobis audiatur, nolite hoc ægrè ferre, multo minùs aures occludere; ex DEI mandato loquimur, de summâ rerum agimus tam nostrarum àm vestrarum.

B. I. Qualia signa? Et cur? Q. PRIMA, Qualia signa erunt in sole, lunâ & stellis? & cur? Resp. explicasse Matthæum *cap. 24.* cùm dixit: *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* Cadent nempe quoad apparentiam & hominum existimationem (nam cùm stellæ omnes multò terrâ maiores sint, vt contendunt Mathematici, cadere in eam nequeunt) quia de summa aëris regione cadent multæ ignitæ faces instar stellarum: vel certè quia stellæ lumen suum perdent, & ita cecidisse videbuntur; loquitur enim Scriptura more vulgari, non Philosophico. Fient autem hæc primò ad incutiendum terrorem peccatoribus, quo conuertantur: iustis quo purgentur à delictis quotidianis. Si enim virtutes illæ cœlorum quæ nec culpam admittere nec pœnam sustinere possunt, adeò commouentur & quodammodò conturbantur ab ingruente iudicij calamitate; sicrine poterit, vt homines inde non moueantur ad pœnitentiã, Dei timorem, &c.? Secundò ad demonstrandam peccati grauitatem. Cùm enim irrationales & innocuæ cœli faces plecti videbuntur, quòd luxerint peccatoribus ad patranda scelera: quantum malum erit peccatum, quod à volente & prudente committitur? Cùm insignis patriæ hostis Domitianus Imp. contrucidatus esset sanatus eius cæde mirè lætatus clypeos & imagines eius palam vndique detraxit, & ad solum allisit, titulos erasit omnemque memoriam abolendam decreuit. Peccatores ergò deleturus DEVS cœlorum lumina eradet, stellas deijciet, quòd eorum arma, clypei, instrumenta peccandi fuerint. Quantus DEI hostis debet esse peccator, quia talia passurus est? Tertiò. Ad indicandũ mærorem mundi, imò ipsius DEI; quasi hic inuitus & cum luctu procedat ad tribunal, plexurus peccatores, quos alioquì saluos mallet, & his signis præmonitos velit: ille verò ægris oculis aspiciat supplicia peccatorum, ideoque oculos quodammodò claudat, quomodo Agar abiecto infante recessit & sedit procul dicens; *Non videbo morientem puerum. Gen. 21.*

Q. SECVNDA. Qualis pressura gentium in terris? Respon. fore etiam in terris mira & horribilia ostenta futuræ calamitatis, quæ alibi recensuimus, scilicet bella, terræ motus, conturbationem maris, pestilentiam & famem, grandinem & incendia, agmina locustarum, æstum, vlcera & vulnera fæua in hominibus, mutationem aquarum in sanguinem, quæ partim ab Euangelistis, partim à Ioanne in Apocalypsi notantur. Hinc ergò ex tot malis vndique prementibus angustia & pressura. Quemadmodum enim Herode ob noui REGIS nuncium turbato, turbata est cum eo omnis Ierosolyma, *Matth. 2.* ita Rege cœli ad vltionem armato & irato, irascitur & armatur ad vindictam de peccatoribus sumendam vniuersus orbis iuxta id Sapientis 5. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* quomodo tanto rege cum tanto exercitu veniente contra hominem non angustietur homo? C. II. Qualis pressura gentium.

Q. TERTIA. Omnesnè homines arescent præ timore & expectatione futuri iudicij? Respon. communem fore omnibus timendi rationem, non secus atque ijs, qui in eodem templo clausi aduertunt paulatim inclinari muros, crepare trabes, scindi & dissolui fornicem, &c. certam & præsentem expectant templi ruinam; verum alijs magis, alijs minùs. Nemo certò norit, odione an amore dignus sit: num in statu gratiæ, an in statu peccati sit, ideò omnes timebunt. Magnæ orbis columnæ, magni inquam sancti, propter hanc incertitudinem quandoque contremuerunt. At verò quia iusti moralem quandam certitudinem sui status habent, alij plus, alij minùs: ideò hi minùs timebunt; prout eos conscientia propria magis vel minùs excusabit. Iam pridem Gentilis D. III. Omnesne timebunt?

Poëta

Poëta de viro integro vitæ ſceleriſque puro
dixit : *ſi fractus illabatur orbis, impauidum ferient*
ruinæ. Cæterùm impij ex alterâ parte toti exa-
reſcent velut herbæ parietinæ ad exortum ſo-
lis, quia carent humore gratiæ & ſolatio con-
ſcientiæ, ideoque expectabunt rerum omnium,
quas dilexerunt, finem & æternæ calamitatis
initium. De his enim dixit Dominus in para-
bolâ vineæ & agricolarum : *Miſſis exercitibus*
ſuis (plagis ſcilicet præuijs) *perdidit homicidas il-*
los. Hi ſunt ligna arida, quæ igne mox corri-
piuntur & exeduntur : Iuſti ligna viridia, qui-
bus ignis parum nocet. Itaque plagæ illæ iuſtos
parũ lædẽt, impios verò grauiſſimè ſauciabunt.

E. Q. QVARTA. Quæ virtutes cælorum mo-
IV. uebuntur? Reſp. 1. Sol, luna, aſtra, quæ vocan-
Quæ vir- tur virtutes ſeu exercitus cœlorum, quia vim
tutes cœ- & efficaciam ſuam influunt in ſublunaria. Mo-
lorum mo- uebuntur autem dum lumen ſuum ſubtrahent
uendæ ? 1. vt ſuprad. Secundò Angeli, ſecundùm D. Hie-
2. ron. & Chryſ. qui partim cœlorum motum in-
uertent, partim in terris mira operabuntur,
partim etiã in aduentu Iudicis & ipſi contre-
miſcent, vt vult S. Chryſoſtomus, iuxta id *Iob.*
26. *Columnæ cæli contremiſcunt & pauent ad nutũ*
eius. non quòd dolorem aut timorem aliquem
reuerà ſenſuri ſint, ſed quòd externâ ſpecie
motum reuerentialis timoris præ ſe ferent,
quaſi reuerà timerent iudicij ſeueritatem.

F. Q. QVINTA. Quare Chriſtus Iudex om-
V. nium conſtitutus? Reſp. Primò *quia filius ho-*
Quare *minis eſt*, vt ait ipſe *Ioan.* 5. hoc eſt, quia Deus
Chriſtus naturæ humanæ vnitus. Quia enim homines
Iudex corporei & viſibiles ſunt, debet etiam Iudex
conſtitu- eorum eſſe corporeus & viſibilis ac ſenſibilem
tus ? 1. proferre ſententiam. Pater autem & Spiritus
S. non habent naturam viſibilem. Pari ratio-
ne æquum eſt homines per hominem iudicari.

Secundò. *Vt omnes honorificent filium* : quam
2. etiam rationem reddit loco cit. Dominus.
Quia enim Chriſtus tametſi æqualis patri, fa-
ctus eſt obediens vſque ad mortem, mortem
autem crucis, eoque deſcendit, vt non homo
ſed *vermis* appareret & *opprobrium hominum* fie-
ret, à creaturis & ſeruis ſuis iniquiſſimè iudi-
catus & cruci adiudicatus; idcircò æquum
erat vt Iudex omnium fieret & ab omnibus
honorificaretur & adoraretur velut Dominus
& Deus, iuxta id *Iob.* 36. *Cauſa tua quaſi impij*
iudicata eſt : cauſam iudiciumq; recipies. Vnde S.
Aug. *ſer. vlt. de verbis* Domini ait : *ſedebit Iudex, qui*
ſtetit ſub iudice. Dum iudicaretur, apparuit ſum-
ma eius humilitas; ergò vt viciſſim appareat
ſumma eius gloria, Iudex conſtituendus eſt.

3. Tertiò. Quia ſuâ paſſione meruit ſum-
mam poteſtatem & dominium ſuper omnes
homines ac proinde poteſtatem eos iudicandi.

Porrò hæ rationes oſtendunt Chriſto ſe-
cundùm naturam humanam competere po-
teſtatem iudiciariam. Rectè etiam congruit il-
li eadem ſecundùm naturam diuinam, quia
Dei filius eſt ſapientia patris. Ad iudicium ve-
rò ſpectat ſapientia & veritas; vti argumentatur
S. Thomas 3. *p. q.* 59. *art.* 1.

Q. SEXTA. Cur in nube venturus Iudex?
Reſpon. Primò quia nubes partim lucida, par- G.
tim obſcura, ſymbolum diuinitatis eſt, quæ VI.
nec omninò patet, nec omninò latet: ideo- Cur in
que nubes congruum Dei Iudicis eſt vehicu- nube vé-
lum. Secundò, ad oſtenſionem potentiæ ſuæ, turus.
quâ nubes cogere, celerrimè mouêre, in aëre 1.
continere ſibique ad nutum ſubigere adeo- 2.
que in aëre ſolus dominari poteſt; quâ ex re
omnes potentiam & maieſtatem Iudicis agno-
ſcere debebunt. Quis enim alius vnquam vi-
ſus nubibus imperare & in eis vehi? Tertiò 3.
ad indicandum Iudicis officium, quo blandus
& benignus bonis, ſeuerus & terribilis eſſe
malis debet. Sic enim & nubes partim amica
& ſalutaris eſt, dum vmbrâ ſuâ protegit & im-
bre terram rigat : partim inimica & noxia,
dum grandinem & fulmina eiaculatur, dum
fulgurat & tonat. Ergò illa Chriſti nubes
proteget electos, grandine & fulmine oppri-
met reprobatos; supernè quà ſtabunt electi,
lucida & ſerena erit : infernè, quà erunt repro-
bi, atra & procelloſa.

Q. SEPTIMA. Quid ſibi vult parabola illa: H.
Videte ficulneam, &c. Reſp. Primò, iuxta hi- VII.
ſtoricum ſenſum indicat poſt obſcurationem Quid pa-
ſolis, lunæ, ſtellarum: poſt preſſuram gentium rabola fi-
aliaſque plagas, breui adfore iudicium adeo- culneæ ? 1.
que regnum DEI & redemptionem iuſtorum
ex omnibus huius mundi miſerijs. Secundò 2.
iuxta ſenſum parabolicum indicat ſynagogam
Iudæorum, quam ſterili ficulneæ comparauit
Dominus *Luc.* 13. in fine mundi & circa Anti-
chriſti tempora fructificaturam, hoc eſt, ad
Chriſtum magnâ ex parte conuertendam, &
hoc fore iudicium appropinquantis mundi fi-
nis, quod indicat etiam Apoſtolus ad *Rom.* 9.
& 11. Tertiò habere nunc iuſtos hyemem tri- 3.
bulationis, ſed ibi habituros æſtatem conſo-
lationis, quam æſtatem annunciabit illis ver
vltimæ tribulationis, quod inſtar Aprilis tem-
peſtuoſi quidem & procelloſi erit, aperiet ta-
men terram viuentium & producet dulces tri-
bulationum & virtutum fructus earum culto-
ribus. Vnde Chryſoſtomus *hom.* 78. *Prædicit*
inquit, *Dominus ſpiritualem æſtatem tranquillita-*
temque à fluctibus huius vitæ iuſtis hominibus adfutu-
ram, iniuſtis autem hyemem ac terribiles tempeſtates
poſt æſtiuam tranquillitatem venturas &c.

Q. OCTAVA. Nihilne certi de tempore I.
conſummationis mundi tradi poteſt? Reſp. ni- VIII.
hil certi & determinati haberi poſſe, quia Quid de
Chriſtus dixit : *De die autem illâ vel horâ nemo* tempore
ſcit, neque angeli in cælo, Marci 13. Et *Act.* 1. *Non* Iudicii ?
eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, &c. Pro- Probabi-
babile tamen eſſe poſt ſex millia annorum, ab le ſexto
orbe condito, finiendum mundum, ita ſaltem annorum
vt ſeptimum millenarium non attingat. Pro- millena-
babile hoc ſit. Primò ex congruentiâ cum rio futu-
mundi creatione, quæ in ſex diebus peracta rum.
eſt : Septima dies ſabbati & quietis fuit. Iam 1.
verò mille anni coram Deo tanquam dies v-
na. Adhæc poſt quam ſex primi orbis parentes,
Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared
mortui ſunt, ſeptimus Enoch tranſlatus eſt in
paradiſum; quaſi poſt ſex millenarios, quibus

labor & mors viguit, inceptura sit quieta & immortalis vita.
2. Secundò à simili, quia tres in mundo status sibi successerunt, status legis naturæ ab Adam vsque ad Abraham (qui legem circumcisionis accepit) durans bis mille annis & 39. iuxta computationem Saliani. Status legis Mosaicæ ab Abraham ad Christi natiuitatem durans totidem ferè annis. Ergò credibile est statum mundi vltimum, legis scilicet gratiæ bis mille circiter annos duraturum; adeoque restare ad mundi finem saltem 400. annos, non præcisè sed indefinitè.

3. Tertiò. A mundi senio iam ingrauescente, vt alibi ostendimus. Nunc enim longè verius est id, quod de suo æuo scripsit S. Cyprianus ad Demetrianum: *scire debet senuisse iam mundum, non illis viribus stare quibus priùs steterat, nec vigore & robore eo valere, quo anteà prævalebat. Hoc mundus ipse iam loquitur. & occasum sui rerum labentium probatione testatur: non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia; non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est: nec sic verna de temperie suâ læta sunt; nec adeò arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Minus de effossis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti & auri opes suggerunt exhausta iam metalla. Deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Minuatur necesse est, quidquid fine iam proximo in occidua & extrema deuergit.* Et mox; *Hæc sententia mundo data est: hæc* DEI *lex est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant; & infirmentur fortia & magna minuantur, & cum infirmata & diminuta fuerint, finiantur. Cum olim vltra 800. & 900. annos vita hominum longæua procederet, vix nunc potest ad centenarium numerum peruenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit à senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem natiuitas properat; sic quodcunque nunc nascitur mundi ipsius senectute degenerat; vt nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse iam mundus in defectione sit & in fine.* Vnde sub finem concludit: *quia iam mundi finis in proximo est, ad* DEVM *mentes vestras* DEI *timore conuertite.*

Quartò. Ab auctoritate & traditione. S. Hieronymus *in explicatione epistolari Ps. 89. ad Cypr.* id deducit ex illo versu: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna. Ego,* inquit, *arbitror ex hoc loco mille annos pro vnâ die solitos appellari, vt scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus sex millibus tantùm annorum credatur subsistere, & posteà venire septenarium & octonarium numerum, in quo verus exerceatur sabbatismus.* Idem innuit S. Aug. 20. *de Ciu. cap. 7.* S. Iustinus *quæst. 71. ad Gentes.* Irenæus. *lib. 5. c. vlt.* alijque. 4.

Vnde intelligimus mundum consenescere & ad finem properare. Quare non sit nobis difficile senem iam & edentulum spernere mũdum, ac quemadmodum filij Zebedæi nullo negotio vetulum suum dereliquerunt patrem: ita nos & mundo breui perituro nuncium mittamus. Audiamus S. Gregorium 66. *epist. 26.* scribentem hac de re ad Andream: *Cur,* inquit, *magnifice fili non consideras, quia mundus in fine est? Omnia vrgentur quotidie, ad reddendas rationes æterno & tremendo Iudici ducimur. Quid ergò aliud, nisi de aduentu illius cogitare debemus? Vita enim nostra nauiganti est similis. Is namque qui nauigat, stat, sedet, iacet, vadit: quia impulsu nauis ducitur. Ita ergò & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cùm igitur finis noster dies aduenerit, vbi nobis erit omne quod modo cum tantâ curâ quæritur, & cum sollicitudine congregatur?* Vnde infert: *Non ergò honor, non diuitiæ quærenda sunt, quæ dimittuntur. Sed si bona quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur.*

DOMINICA
SECVNDA ADVENTVS.

Euangelium Matthæi 11.



IN illo tempore, cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes, renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur: Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

CON-

CONCIONES.

I. *Quid faciendum per Aduentum.*
II. *Iudicij particularis processus.*
III. *Iudicij vniuersalis & vltimi Conuentus.*
IV. *Cur in mundo pauperes.*
V. *Tria vincula Iustorum.*
VI. *Vincula peccatorum, quibus retinentur.*
VII. *Conscientia non offendenda.*
VIII. *Luxus vestium reprehenditur.*
IX. *Quidam instar arundinis varij & inconstantes.*
X. *Documenta Euangelica.*
XI. *Mysteria.*

CONCIO I.

Quid faciendum per Aduentum.

Quinque dicit Auctor nobis facienda:
1. *Cor in de trahendum esse.*
2. *Expianda conscientia.*
3. *Meditatio aduentus Christi instituenda cogitando, quis, vnde, quò, ad quos, quomodo, quare, & quando venerit.*
4. *Desiderium Christi excitandum.*
5. *Eleemosyna largius facienda, & praeparatio ad Communionem.*

THEMA.

Tu es qui venturus es? Matth. 11.

A. NOuimus, Auditores, quando Imperator ad aliquam Ciuitatem Imperialem venire & comitia vel alia negotia ibidem peragere constituit, priùs in eâ Vrbe præparari illi domum quàm fieri potest amplissimam & splendidissimam tantoque Principe dignam. Quod si facere detrectarent ciues, nemo non de illis diceret: Isti vel contemnunt Imperatorem suum, vel nesciunt an Imperator sit. Expectamus nos, charissimi, Imperatorem nostrum Christum propediem venturum & de magnis rebus in terrâ tractaturum, de salute nostrâ. Videamus igitur nos, mundi huius ciues; qualem, huic Imperatori domum præparemus. Dauidem audiamus, qui cùm immensam vim auri, argenti, æris, ferri, lignorum & lapidum pretiosorum præparasset in ædificationem templi, dixit; *opus grande est: neq; enim homini præparatur habitatio, sed Domino Deo.* 1. *Par.* 29. Philonem audiamus Hebræorum disertissimum: *Etiamsi tota terra aurum,* ait in l. de Cherubin, *aut si quid auro pretiosius est, repente fieret, moxque per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, ædesq; sacras impenderetur, ne scabellum quidem pedibus Dei posset fieri.* Quid ergò nos faciemus? Audiamus eundem Philonem, mox subijcientem: *dignum tamen est domicilium anima est, modò sit idonea.* Quæ cùm ita sint, videndum & conandum nobis est hisce diebus, quâ ratione animas nostras Deo præparemus in habitaculū tanto Principe dignum. Ad hoc enim admonere nos vult Ecclesia per hodiernum Euangelium, dum venturi Regis magnitudinem nobis ponderandam obijcit: *Tu es qui venturus es? an alium expectamus?* Cōsiderans enim Mater nostra, quàm turpiter egerint Bethlehemitæ, qui Christū mox nasciturum, ab ædibus & Ciuitate suâ excluserunt & in stabulo diuertere coëgerunt, solicitè nos admonet, ne simili contemptu in fœtido cordis stabulo eum recipiamus, sicque iram Dei iustissimam in nos prouocemus. Itaque nunc videbimus, quid agendum sit per Aduentum, vt animas nostras CHRISTO, debito præparemus modo.

Gratum, arbitror, Deo cordis nostri tabernaculum erit, si, quale olim sibi à Moyse extrui mandauit *Exod.* 25. & nos ædificemus. Quinque in eo fieri potissimùm voluit. In introitu seu atrio tabernaculi, Altare holocaustorum, & labrum æneum in quo lauarent se Sacerdotes antequam ad sacra accederent: In tabernaculo candelabrum, altare thymiamatis & mensam.

B. I. Cor quid detrahendum. PRIMÒ. Igitur & nos extruamus Altare holocaustorum, quod est cor per mortificationem se Deo immolans. Id in atrio fieri debet, hoc est, priùs quàm ad ipsum Deū accedamus. Victimæ hic immolandæ, sunt concupiscētiæ, corporis delectationes, curæ & desideria sæcularia &c. à quibus decet hoc præsertim tempore animum abstrahere. Ad hoc inuitat nos, primò Ecclesia, dum hoc tempore cātica quædam lætitiæ, Gloria in excelsis, & Te Deum laudamus, omittit, dum cæruleo colore vtitur, dum altaria claudit, nuptias inhibet, dum choreas & tibias prohibet. Inuitat exemplum S. Dauid, qui ab aulâ & mensâ Regis Saul se subduxit, vt iret in Bethlehem, eò quod ibi victimæ solennes essent 1. *Reg.* 20. Quid fecisset, si tunc ibi Christum natum se inuenturum sciuisset? Inuitant & Pastores, qui super gregem suum vigilias noctis custodientes, græcè ἀγραυλοῦντες, id est; tibiâ canentes accepto nuntio de aduentu Christi, cantum vtique abruperunt, & tibias in saccos reposuerunt, gregemque deseruerunt, & ad Christum properârunt, dicentes: *Transeamus vsque Bethlehem & videamus hoc verbum. Luc.* 2. Sic, sic, Auditores, seponamus modò profanas mundi oblectationes & illecebras, conuiuia, choreas, nocturnos conuentus, ludos, cantilenas &c. Eamus in Bethlehem quia victimæ solennes ibi sunt. Hoc isto tempore fecere olim Christiani; vigilabant in oratione & templo, vti claret ex homilijs S. Leonis de ieiun. 10. mensis: Vbi habet: *Feria 4. & 6. ieiunemus. Sabbatho autem apud B. Petrum Apostolum vigilias celebremus.* Sed quàm diuersæ nunc Christianorum vigiliæ, præsertim illæ, quæ in nocte Natiuitatis fiunt, à veterum vigilijs!

Deinde nunc Christiani nonnihil à negotijs sæcularibus animum auocare & plusculum temporis diuino deberent cultui impendere, sacrum quotidie audire &c. Sic enim locum & quodammodò lectum Christo præpararent. Nam si cor nostrum plenum sit curis & cogitationibus sæcularibus, de lucro, de alimento, de opibus conquirendis, augendis,

con-

conferuandis &c. quomodo locum in nobis vacuum inueniet? An non ideò Christus è Bethlehem exclusus est, quia iam omnia diuersoria hospitibus plena erant? Et cur Altare holocausti cauum erat interiùs, nisi vt disceremus cor nostrum euacuare ad Christum recipiendum?

Denique subtrahendum est etiam carni aliquid, cibus videlicet & potus largior, somnus item &c. statuta saltem Ecclesiæ ieiunia rigidè obseruanda, vt sic de omnibus quæ possidemus, voluntate, carne, fortunis aliquid detrahamus & Deo immolemus.

C. II. Expianda conscientia.

Secvndò, Labrum æneum, id est, lauacrum pœnitentiæ. In hoc enim lauari in primis Sacerdotes, deinde fideles omnes, qui & ipsi modo aliquo sacerdotes dici possunt fiuntque participes Mysteriorum Christi ante ingressum ad sacrificium & communionem oportet, quemadmodum & labrum seu lauatorium illud in atrio tabernaculi erat. Hoc idem sibi volebat olim aqua ad purificationem præ foribus Ecclesiæ posita, vt Christiani communicaturi ibi priùs lauarent manus, quibus corpus Christi excepturi erant, vt videre est apud Euseb. *l. 10. hist. c. 4.* & in VI. *Synodo can. 101.* Nunc verò quia non ampliùs manibus excipimus Eucharistiam vt olim, sed ore tantùm, sufficit nos per confessionem syncerã expurgare os & hoc mediante conscientiam, quia per os in cor transmittimus S. Eucharistiam. Ad hoc inuitat nos Ecclesia his diebus, dum tres aut quatuor hebdomades Aduentus, Natiuitati Christi præmittit, quibus conscientiam nostram sufficienter examinare, & iuxta Apostoli præceptum nos ipsos probare queamus, antequam de pane illo edamus. Hinc labrum illud factum erat de speculis mulierum *Exod. 38.* (quia vndique septum eras speculis, collatis à mulieribus, vt in ijs se contemplarentur Sacerdotes, num essent maculis aspersi) *specula mulierum*, inquit S. Greg. *hom. 17. super Euang. Sunt præcepta Dei, in quibus se sancta anima indesinenter aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt: cogitationum vitia corrigunt, & quasi relucentes vultus velut ex redditâ imagine componunt, quia dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis procul dubio, vel quid in cælesti vita placeat, vel quid displiceat, agnoscunt.* Sic ille. Nec frustrà specula mulierum dicuntur: quia viri obiter tantùm, mulieres autem sedulò se intuentur in speculis, eoque fine, vt maculas abstergant: ita examen conscientiæ sedulò faciendum, vt si quæ deprehendantur maculæ, per confessionem eluantur. Inuitat deinde exemplum Patriarchæ Iacob, qui cùm à Deo iussus esset ascendere in Bethel & facere ibi Altare: mox conuocauit totam domum & præcepit vt abijcerent Deos alienos, & mundarent ac mutarent vestimenta *Gen. 35.* Ita ergò Christianus quilibet hoc tempore, quo vocatur in Bethlehem & erigere iubetur Deo altare cordis sui, conuocet familiam suam, intellectum, voluntatem, memoriam, quinque sensus suos, & si qui in illis Dij alieni latent, Venus, Bacchus, Mars, Mammon &c. mox abijciat. Ita solicitus ille paterfamilias S. Augustinus faciebat, qui hac ipsâ secundâ Dominica Aduentûs, congregato cœtui suo sic incepit concionari: *Sanctam & desiderabilem, gloriosam ac singularem solennitatem, hoc est, Natiuitatem Domini, fratres dilectißimi; deuotione fidelißimâ suscepturi: totis viribus nos debemus cum ipsius adiutorio præparare, & omnes latebras animæ nostræ diligenter aspicere, ne forte sit in nobis aliquod peccatum absconditum, quod & conscientiam nostram confundat ac mordeat, & oculos diuinæ Maiestatis offendat. Nam licet Christus Dominus noster post paßionem resurrexerit & in cælum ascenderit: considerat tamen, vt credimus, & diligenter attendit, qualiter se vnusquisque seruorum eius siue auaritiâ, siue irâ, siue superbiâ atque luxuriâ ad celebrandam eius Natiuitatem studeat præparare atque componere, & secundum quod vnumquemque ornatum bonis moribus viderit: ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit, &c.* Et paucis interiectis: *Si aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum & superbum: timeo ne hoc illi dicatur, quod in Euang. Dominus ipse dixit: Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem Nuptialem? Et quod Domimus addit, fiat illud quod sequitur: Ligate illi manus & pedes* &c. hæc Aug. Hoc igitur & ego vobis, fratres, pro officio meo sedulò commendo. Dolenda res est Confessarijs, cùm à confitentibus vix possunt obtinere materiam absolutionis, quos tamen aduertunt à multo sæpe tempore non confessos & in grauibus peccandi periculis versatos. Itaque per hos dies præparet vnusquisque se ad id, quod facere intendit vt bene idipsum faciat: Si enim non vult facere bene, melius est, vt omitteat. Vestes quisque suas purgat, antequam ad Nuptias aut ad virum honestum eat; quid ergò facere oportebit proditurum ad Deum suum?

D. III. Meditatio aduentus Christi instituenda.

Tertiò, Candelabrum, in Sancto positum quod de nocte Sanctum illuminabat eratque septifidum & habebat septem lucernas *Exod. 25.* Significat autem lumen considerationis, quod hisce diebus accendere in cordibus nostris debemus ad expendendam beneficij Incarnationis excellentiam & magnitudinem. Hanc enim ob causam per aduentum Ecclesia tota est in beneficij huius laudibus deprædicandis. Inchoat officium, hoc inuitatorio: *Regem venturum Dominum venite adoremus*; proponit Euangelia de Christi præcursore, qui vt erat Lucerna lucens & ardens, teste Christo, ita annunciat nobis magnitudinem Regis venturi. Profert figuras huius Mysterij & Prophetias veteris testamenti. Porrò 7. illius candelabri lucernæ, septem circumstantiæ huius beneficij sunt, dignæ quæ expendantur. Prima: Quis venerit? Is enim filius Dei est. Quis hic non obstupescat? Si de aulicis suis Angelum vnum aliquem vel infimum misisset ad consolandos & liberandos nos, hostes inquam suos: an non sat superque id fuisset? 1. *Quis venerit.*

Secunda: Vnde venerit? è summo cœlo 2. *Vnde.*

vide-

videlicet, *Ps.* 18. *de regalibus suis sedibus Sap.* 18. de sinu patris, *Ioan.* 1. de multorum millium angelorum frequentiâ, *ad Hebr.* 12.

3. Quò. Tertia: Quò venerit? In hunc scilicet mundum, in vallem lachrymarum, in carcerem captiuorum, in regionem vmbræ mortis, in Nosocomium, & piscinam probaticam languentibus plenam.

4. Ad quos. Quarta: Ad quos venerit? Ad Exules nimirum eiectos è paradiso, ad hostes & perduelles, ad mancipia Dæmonum, ipsis quàm simillima.

5. Quomodo. Quinta: Quomodo venerit? *cùm enim in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum*, inquit Apostolus *Ad Philipp.* 2. *formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo.* Si Monarcha terrenus ad liberandum mancipium à morte, suam Maiestatem ad statum seruilem demitteret & seruus serui causâ fieret; quanti æstimaretur hoc beneficium? At incomparabiliter pluris est Deum ad hoc se demittere, cuius demissionem nemo mereri posset. Plurimum fuisset, si vel in formâ visibili gloriosâ orbem hunc lustrare & sua præsentiâ condecorare voluisset. Quid igitur nunc dicemus?

6. Quare. Sexta: Quare venerit? venit enim vt eriperet nos è potestate tenebrarum, vt quæreret Ouem perditam, imponeret in humeros suos & ad aulam gloriæ suæ deferret. Venit vt doceret nos tamquam Magister, venit vt exemplo suô nos præiret ad virtutes & aspera quæque. Venit vt in filios adoptaret & hæredes.

7. Quando. Septima: Quando venit? cùm videlicet nox in suo cursu medium iter peragerct. *Sap.* 18. id est, cùm humanum genus in densissimis ignorantiæ tenebris versaretur, & totus mundus in maligno positus esset.

E. IV. Desiderium Christi excitandum. QVARTÒ. Altare Thymiamatis, in quo thymiama Deo incendebatur. *Exod.* 30. significat hoc vota & desideria pia quibus Christi aduentus desiderari debet vt in nobis nascatur & ad nos diuertat. Sicut enim desiderari olim voluit Christus à patribus, quod attinet ad aduentum suum in carne: (vnde *desideratus cunctis gentibus, desiderium collium æternorum, expectatio gentium* &c. dictus est) ita à nobis etiam desiderari vult, vt per suam gratiam ad nos veniat. Siquidem tale desiderium dispositio est ad hunc aduentum. Huius rei admonet nos Ecclesia, cùm per octiduum præcedens Natiuitatem, toties replicat illud ô; (ô sapientia veni ad docendum nos viam prudentiæ. O Adonai veni ad redimendum nos. O radix Iesse, veni ad liberandum nos. O clauis Dauid, veni & educ vinctum. O oriens veni & illumina sedentes in tenebris. O Rex gentium, O Emmanuel veni &c. & vota, quibus expetijt Christi aduentum. Inprimis verò desiderare nunc deberent fideles Christum in Eucharistiâ ad se venturum, nam qui verè amant, amati ipsius præsentiâ gaudent, eámque desiderant. Hæc ergò intendere omnes nostras vires debemus, si magno cum fructu Christi aduentu frui volumus: vt videlicet cum magnâ fame ipsum appetamus; siquidem *Esurientes impleuit bonis* ait eius Mater sanctissima. Cogitemus fratres, hospitis illius magnitudinem: dignitatem, suauitatem, pulchritudinem, diuitias. Cogitemus & nostram indigentiam atque infirmitatem. Quantoperè olim sancti patres aduentum eius desiderabant? Nonne *Abraham exultauit vt videret diem* eius? *Ioan.* 8. nonne multi reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt? *Luc.* 10. Quantum laborabant languidi, & afflicti, vt ad Christum Medicum peruenire eumque vel tangere solùm possent? Nonne aliquando paralyticus per tegulas effracto tecto, cùm aliter non posset, demissus est in domum ad Christum? *Luc* 5. Idcircò omnes illi sanati sunt, quia magno desiderio ad Christum venerunt. Respicite volatilia cœli, quàm hiante ore pulli in nido constituti expectant à Matre cibum? Vtinam nos tantundem sentiremus inopiam nostram! quanto appetitu ad communionem festinaremus! quanto fructu recederemus!

F. V. Eleemosyna largius facienda. QVINTÒ. Mensa ad excipiendos panes 12. propositionis *Exod.* 25. significat hæc, primò Eleëmosynam, quam his præcipuè diebus liberaliùs erogare conuenit, vt Christum in seruis suis nobis conciliemus. 1. Quales enim nos erga Christi membra exhibuerimus, talem ipse se in aduentu hoc exhibebit nobis. Augustinum audi hac die concionantem: *Quod solebat*, inquit, *vanitas per gulam perdere, incipiat iustitia per misericordiam pauperibus erogare. Quod luxuria vel gula dissipauit in mundo, pietas reponat in cælo: & licet hoc expediat, vt semper eleëmosynas facere debeamus, præcipuè tamen in sanctis solemnitatibus secundùm vires nostras abundantiùs erogemus: pauperes ante omnia frequentius ad conuiuium reuocemus. Non enim est iustum, vt in sanctâ solemnitate in populo Christiano ad vnum Dominum pertinente, alij inebrientur, alij famis periculo crucientur. Et nos & omnis populus vnius Domini serui sumus, vno pretio redempti sumus; pari conditione in hunc mundum intrauimus: simili etiam exitu migraturi sumus: & si benè agimus, ad vnam beatitudinem pariter veniemus. Et quare pauper tecum non capiat cibum, qui tecum accepturus est regnum? Quare pauper non recipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam? Quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum meruit accipere Baptismi sacramentum? Cur indignus est accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad conuiuium inuitatus est angelorum?* hæc Augustinus. Sit ergò cor nostrum eiusmodi mensa, exposita pauperibus & panes illis proponens, saltem hoc Aduentûs tempore: sit aperta quædam penus omnibus indigentibus. Nemo hoc tempore claudat viscera sua egentibus; *alioquin quomodo charitas Dei manet in illo?*

2. Et præparatio ad communionem. Secundò. Præparationem ad S. communionem. Erat enim pretiosa illa mensa, de lignis Setim (quæ imputribilia erant, soliditate & pulchritudine alijs lignis superiora) auro obductis, quia panes Sanctos sustinere debebat. Ita cor nostrum de lignis Setim, id est, firmissi-

missimo constare proposito debet emendandi vitam: Ad hæc aureis virtutibus tegi & adornari, fide, charitate, humilitate, reuerentiâ &c. Et tunc demum poterit in eo collocari panis ille vitæ, qui de cœlo descendit.

Hæc sunt Auditores, quæ obseruanda nobis videntur, si venturum ad nos Christum excipere velimus. Præstaret alioquin eum non excipere, quàm sine honore excipere; quod testatur *Isa. c. 9.* cùm de Christi Natiuitate prophetans ait: *multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* q. d. Tu quidem splendore natiuitatis tuæ multos illuminasti, sed quia lucem illam multi à se excludent vel non æquis oculis aspicient, parùm inde lætaberis. Simili planè modo si in ferijs natalitijs multi quidem accedant ad S. communionem, pauci tamen debitè parati: magna gens, non magna lætitia. Ergò vt genti magnæ magnam addamus lætitiam magna sit præparatio &c.

CONCIO II.

Iudicij particularis processus.

1. *Fiet apparatus ad iudicium ferè similis illi qui fit cùm Reus mortis producitur ad publicum iudicium.*
2. *Procedetur ad examen.*
3. *Proferetur à Iudice sententia.*

THEMA.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11.

A. MIsit in hodierno Euangelio Ioãnes Discipulos suos ad Christum, quærens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* & respondit Christus non verbis, sed operibus: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis*, atque ita sat superque demonstrauit se illum esse, qui venturus erat in mundum. Erit autem aliquando tempus, cùm Christus ad vnum quemque nostrum, eiusmodi legationem instituet & Angelos suos mittet in articulo mortis, vt ex nobis quærant: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Paratum est in cælo magnificum palatium, mansiones ibi plurimæ; Tune es, qui illuc venturus es, an non? Et væ nobis, nisi tunc operibus respondere & dicere potuerimus: *Euntes renunciate* Christo, *quæ audistis & vidistis.* Audiunt enim & vident opera nostra, non Angeli tantùm, sed etiam Dæmones, & vtrique de nobis testimonium ferent, in particulari cuiusque iudicio. Et si quidem id bonum erit, comitabuntur nos Angeli boni in cœlum: Sin verò malum, mali in infernum. Ita enim *Matth. 13.* comparauit Dominus Angelos illos piscatoribus, qui secus littus sedentes & sagenam de mari extrahentes, eligunt bonos pisces in vasa, malos autem foras mittunt. Extrahitur anima de mari, cùm migrat de hoc sæculo: quæ vbi emigrauit & in littus tracta est, mox examinatur à piscatoribus Angelis, littus obseruantibus, vt bonos ad cœlum euehant, malos verò in caminum ignis mittant. Nec sufficiet tunc respondere verbis ac dicere: renunciate Christo, me Christianum esse, Catholicum esse, Sacerdotem, Monachum aut Monialem esse; opera requirentur, num fueris oculus cœco, pes claudo: num paueris esurientes, vestieris nudos, &c. Ita enim *Prou. vlt.* dicitur: *Date ei de fructu manuum suarum & laudent eam in portis opera eius.* In portis apud Iudæos iudicia exercebantur, vt patet *Deut. 21. & 22.* in portâ mortis iudicium exercetur animæ: & sicut portitores Vrbium ingredientes examinant antequam admittant, ita & in portâ mortis volentem ingredi cœlum, examinabunt Angeli, & dabunt ei de fructu manuum suarum: qualia inuenerint in eo opera, talem dabunt ei mercedem. Quoniam igitur ante octiduum deduximus animam per multas tribulationes vsque ad portam mortis, deducemus eam nunc vsque ad portam iudicij, & videbimus iudicij huius processum.

B. 1. Apparatus ad Iudicium. PRIMÒ. Fiet apparatus ad iudicium, & quantum nobis conijcere licet, ferè similis illi, qui fit cùm Reus mortis supplicio afficiendus producitur ad publicum iudicium. Primò; Aderit Iudex Christus, qui propterea in multis parabolis prædixit se reuersurum vt ponat rationes cum seruis: aderit inquam & apparebit, saltem per indicia certa & Vicarium Angelum, vultu serio & æquissimo, nulla exhibens indicia alicuius gratiæ aut amicitiæ, non arridens, aut blandiens; cuius vel aspectus ingentem animæ terrorem incutiet; non enim est, quod speres, remissurum eum tibi vel leuissimam vnam culpam: nec est quod speres, habiturum respectum generis, nobilitatis, notitiæ, Doctoratus, Pontificatûs, sceptri, diadematis: quia talis erit & apparebit, qualem Pharisæi dixerunt *Matth. 22. Magister scimus, quia verax es, & non respicis personam hominum, nec est tibi cura de aliquo.* Imò potiùs, *horrendè apparebit his qui præsunt*, vt dicitur *Sap. 6.* Nec est quod speres, eum flectendum lachrymis, precibus vel sponsionibus, quia iam non vt pater, sed vt Iudex apparebit. Nec est quod speres eius iudicium declinari, & ad aliud prouocari posse, quia potentissimus: nec quod speres, fore vt aliqua lateant, quia sapientissimus & oculatissimus est. Aderunt deinde sancti aliqui, quorum intererit, siue vt accusent & condemnent offensi, siue vt patrocinentur à te culti, quemadmodum ex multis historijs patet: & hi omnes idem cum Christo iudicabunt eiusque iudicium approbabunt. Aderit etiam Angelus custos & Dæmon, latera tua stipaturi; ille ob munus tutoris & aduocati: hic ob munus tentatoris & accusatoris, iuxta locum quem eis tribuisti in vitâ. Si enim in peccatis vixeris & obieris, habebis Dæmonem à dextris & potiori loco, quemadmodum *Ps. 108.* dicitur: *Diabolus stet à dextris eius & cùm iudicatur, exeat condemnatus:* Custos Angelus manebit ad sinistram, tamquam à te reiectus. Contrà eueniet, si benè vixeris & obieris. Vnde hîc maturè considera, quem vtrique locum assignes; nec enim posteà licebit tibi Dæmonem spoliare loco suo, si dextrum obtinuerit. Adhæc producet

vterque

vterque illorum librum suum, ille bonorum, hic verò malorū operum, quæ vnquam admisisti. ô quantum exultabit & tibi insultabit Dæmon, si viderit te minùs habentem & librum suum grandiorem oneratū peccatis tuis? quantum tristabitur Angelus custos? Aderit denique anima iudicanda, spoliata omni præsidio, solis operibus suis vestita, quæ eam vel ornabunt, si bona: vel turpiter dehonestabunt, si mala fuerint. Tametsi enim morienti plurimi assistunt, nemo tamen erit, qui animam eius comitabitur ad iudicium. Ibi stabit misera velut bos ad macellum alligatus, velut Reus à lictoribus tentus & carnificem expectans; & quid interim cogitabit, si malè sibi conscia sit? videbit suprà Iudicem seuerum, infrà patulū infernum & os suum aperientem absque vllo termino: iuxta Dæmones insultantes: à longè custodem Angelum lamentantem, & sanctos inflexibiles: coram se vitam malè actam: retrò occasionem omnē & spem præcisam: à dextris codicem peccatorum: à sinistris exiguum bonorum operum libellum eumque repudiatum, quòd opera solùm mortua complectatur. Quid aget miserrima creatura in tam hostili agmine? Quàm verè hîc dicere Deo poterit, quod Saüli dicebat David: *quem persequeris Rex Israël? quem persequeris? Canem mortuum persequeris & pulicem vnum* 1. Reg. 24. Et quod Iob dixit c. 13. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam & stipulam siccam persequeris.* Quorsum Domine, quorsum tantus apparatus & consessus? quorsum tot molossi contra lepusculum vnum? Nimirum ibi apparebit, quantū malum sit peccatum, quod tam tristem apparatum causauit; sicut fur tunc primùm incipit cognoscere grauitatem furti sui, cùm videt se in iudicio iudicari, militibus stipari: accusatore, Iudice, carnifice, spectatorum turbâ circumdari. Nihili nunc reputatur peccatum, & *quasi per risum stultus operatur*, vt ait Sapiens *Prou.* 10. quia non videt se statim puniri, aut propterea vel canem mutire. Liberrimè peccant homines, quasi Deum ligneum aut plumbeum, cæcum & surdum haberemus: O quàm attoniti tunc ante illum stabunt! quàm ad Maiestatem eius obstupescent & mutescent! Agunt hîc cum DEO improbi, sicut cornices cum Aquilâ, quam agminatim obruentes lacessunt, garritu suo infestant, rostris suis deplumant; & patitur quidem hoc Aquila, atque immota sedet, sed tandem opportunè vlciscitur, & oblatâ posteà occasione obuias perimit, quemadmodum se vidisse scribit Albertus Mag. *animal. l. 8. c. 2.* Ita malitiosi homines ostendunt in DEVM potentiam suam peccando quantum possunt; adhibent omnes vires, ingenium & astum. *Acuunt linguas suas sicut serpentis Ps.* 139. *Potentes sunt iniquitate Ps.* 51. Itaque DEVM lacessunt blasphemijs & prouocant grauissimis sceleribus, deplumant quoque in membris suis, quæ spoliant famâ, bonis, gratiâ, virtutibus. Et patitur omnia DEVS, quasi insensibilis foret. Sed veniet tempus, cùm ipse potentiam & maiestatem suam ostendet in obuias sibi impiorum animas: Ita enim Isaias dicit *c.* 42. *Dominus sicut fortis egredietur: sicut vir prœliator suscitabit zelum, vociferabitur & clamabit: super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul.*

C. II. Examen.

SECVNDÒ. Procedetur ad examen & inquisitionem vbi videbitur anima sibi audire illud: *Redde rationem villicationis tuæ.* Erit autem hoc examen vniuersale de omnibus actibus, iuxta illud Iob: *Tu quidem gressus meos dinumerasti.* Erit exactissimum & seuerissimum, iuxta id *Ps. Ego iustitias iudicabo,* id est, quæ videntur hominibus iustissima & mensura iustitiæ. Et Domino teste *Matth.* 12. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Erit etiam acerrimum, quia Iudex tanquam omnis peccati acerrimus hostis, acerrimè peccata æstimabit & ponderabit, iuxta id *Prou.* 16. *Spirituum ponderator est Dominus,* id est, cogitationum. Ibi exiget à te dona naturalia corporis, qualiter sanitatem, vires, formam, ætates, & omne tempus insumpseris. Animæ, qualiter ingenio, scientijs, cæterisque dotibus vsus sis: Bona fortunæ, qualiter vsus diuitijs, generis splēdore, honoribus, dignitatibus, delicijs. Bona spiritualia, quid vtilitatis ceperis ex sacramentis, sacrificijs, sacris libris, concionibus, bonis exēplis, pijs inspirationibus. Denique quæcunque ad officij & status tui rationem spectabāt. Redde horum omnium rationem. Et tunc verum esse intelliges quod *Iob c.* 9. dixit: *non poterit respondere ei vnum pro mille.* Verè ibi poteris dicere cum villico dissipatore: *Quid faciam? fodere non valeo, mendicare erubesco:* nec licebit addere: *Scio quid faciam,* faciam mihi amicos, &c. Transijt enim tempus fodiendi, conscientiam videlicet tuam per confessionem & opera pœnitentiæ: nec tempus est mendicandi, veniam scilicet peccatorum, quia audies, quod fatuæ virgines: *nescio vos.* & præterea confunderis ab eo petere veniam, quem vt hostem persecutus es. Nec licebit per eleëmosynas facere amicos, qui te recipiant in æterna tabernacula; Deo enim tibi infenso, neminem sanctorum habere poteris amicum; taceo quod ibi nec pauperes nec opes erunt. Illuc igitur aliquando peruenturus, fode hîc conscientiam tuam per confessionem & contritionem, per ieiunium ac corporis castigationem: mendica hîc per orationem: fac tibi amicos per eleëmosynam. Sed quid iam de accusatoribus dicemus quorum vel solus aspectus exanimare aliquem deberet? Sanè non frustrà appellatur Dæmon, *Diabolus*, id est Criminator; & *Sathan*, id est, Aduersarius; *Apoc.* 12. *accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Ille enim ipse qui tibi author & suasor ad peccandum fuit, erit etiam accusator & tortor. An nescimus quid fecerit Iudæ meretrix illa Thamar *Gen.* 38. Pellexit Iudam cultu meretricio vultuque cooperto ad fornicationem; & arrhabonem ab eo petijt, annulum, armillam & baculum. Postmodum produxit ea in confusionem & accusationem ipsiusmet Iudæ, dicens: *De viro, cuius hæc*

sunt, concepi: cognosce cuius sit annulus & armilla & baculus, Vnde confusus Iudas dixit: *iustior me est* En Diaboli Typum; allicit is vt fornicceris à Deo & ipsius voluntati consentias: Sed vbi assenseris, postmodum te acerbissimè accusabit & producet peccatorum tuorum chirographa, annulos quibus iniquas litteras obsignasti; armillas quibus superbisti; baculos quibus proximum cæcidisti: notabit locum, tempus, numerum, & dicet: agnosce cuius sint ista: de te ista possideo, quia mecum fornicatus es, & per hoc te mihi obligasti: Ego in viâ tantùm sedebam vti Thamar, & ad stuprum non vocabam, sed tantùm ornatu quodam pelliciebam; & tu vltrò in amplexus meos ruebas: Ego suadebam & prolectabam tantùm, & statim mihi obsequebaris: Deus contrà præcipiebat tibi ne mihi obsequereris, & nihil eam curabas: Ego suadebam vt iurares, & tu peierabas: vt inimicos odisses, & tu amicos etiam odisti: vt te inebriares, & tu post hæc etiam fornicatus es & iurgia seminasti. Ad hæc ego de cœlo in orcū ob vnicum peccatum detrusus sum, tu innumera & grauiora commisisti. Pro nobis Deus nihil passus est, nunquam nos redemit: te redemit & innumeris beneficijs præuenit: adhuc tamen toties, ab eo recessisti. Iudicet Deus, vtrùm nō iustior sim quàm tu. Nec satis habebit vera delicta objicere, objiciet etiam ficta, quæque de te solùm suspicatur. Sic enim cùm Michaële ausus est altercari de corpore Moysis, vt in epist. Iudæ dicitur: eò quòd is aliquando licet bono zelo Ægyptium interfecisset. Postmodū conuersus ad Deum animam sibi deuinctam petere incipiet, vt similem in pœnam cum ipso condemnetur, idque totum ex odio & inuidiâ, quâ plenus est erga homines. Et qualis tunc inter Dæmones exultatio & congratulatio erit? Tunc implebitur id *Threnor. 2. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt & frenduerunt dentibus & dixerunt: deuorabimus. En ista est dies, quam expectabamus: inuenimus, vidimus*; Quemadmodum enim sancti in cœlo sibi congratulantur de iusto & ouiculâ inuentâ; ita congratulabuntur sibi Dæmones de vnius perditione; quia quantum illi amore, tantum isti odio flagrant & inuidiâ. Quare si te ab hoc accusatore liberare volueris, redime hic chirographa peccatorum tuorum, annulum, armillam & baculum, quibus deliquisti. Hoc enim si Iudas fecisset, adeò turpiter confusus non fuisset: redime, inquam, culpas per pœnitentiam, esto hic accusator tui, sicut *Prou. 18.* dicitur: *iustus prior est accusator sui*. Redime deinde pœnas ieiunijs, orationibus, eleemosynis. Claudet hoc examen testis propria conscientia, quæ omnia manifestabit & verissima esse testabitur. S. Basilius *de verâ Virginitate* ait: *Sæpe pretiosissimâ ornati veste, cum fortè intrinsecus quoque formosi ac venusti ex illo exteriori cultu putarentur, exutâ tunicâ, vndique in balneo conspecti, contrà quam putabantur, ridiculi ac innumeris maculis ferè insignitis corpore continuo apparuerunt*. Ita & nos cùm velamen carnis exuerimus, &c. *Exempli causâ*, inquit ibidem: *Quomodo ad patrandum quisque adulterium properans è lecto surrexit, quibus passibus incedens vsus est, quo motu corporis, leuitate ac concitatione, quem habitum dum progrederetur assumpsit, & quâ ex parte irrumpens vxorē alienam violauit*, &c, *Hæc inquam omnia veluti in tabula per partes diligenter expressa cernentur*. Hæc Basil. O quam confundetur & stupebit anima tot simul culpas in seipsâ cernens, quas adeò studiosè semper occultare conata est! quo dolore seipsam ibi accusabit & condēnabit inuita, quæ id hic facere coram vno Confessario noluit! Bono zelo occiderat Moyses Ægyptium quendam & sabulo absconderat: quod tamen illi posteà cùm alius exprobraret, timuit & obstupuit quomodo id palam factum esset, fugaque sibi consuluit *Exod. 2.* Quid faciet anima, cùm ei omnia eius scelera simul repræsentabuntur? quantâ rabie agetur, quòd non meliùs & salubriùs absconderit ea per pœnitentiam? quod instar Vriæ illius in proprio sinu cōtra seipsam literas exitiales ad DEVM Iudicem tulerit, malam scilicet conscientiam? Quis dubitat Vriam dissecrpturum fuisse eas litteras, si quales essent, sciuisset? Et cur tu non item eas modò laceras? vel maculas peccatorum & sententiam mortis contra te conceptam deles?

TERTIÒ. Proferetur à Iudice Sententia immediatè: quemadmodum enim fulmina ingenti & rapido cum tonitruo statim sequi post fulgura solent magno omnium terrore & certo indicio noxij fulminis: ita vbi Rei iniquitas per cōscientiæ manifestationē, quasi per coruscationem apparuerit, statim horribili impetu sequetur fulmen æternæ damnationis. Non frustrà nos adeò horrescimus fulmina, nam eorum vim & sæuitiam sæpe experimur. In vitâ S. Galli *l. 1. c. 26.* quidam legitur ex fulminis ictu cœcus, mutus, & surdus esse factus. Sed nulla est fulminis huius cum illo comparatio: fecabit illud animam eamque cœcam reddet, quia in æternum visione DEI priuabit: reddet mutam, quia omnem adimet ei loquelam ad excusandum, deprecandum, inducias petendas: reddet surdam, quia pondere & magnitudine rerum, de quibus agetur, obruet & obtundet intellectum, & animam quodammodò extra se ponet atque obstupefaciet; non enim de pecunijs, aut agris, sed de summâ rerum omnium aget & tonabit: *Auferatur impius, ne videat gloriam Domini. Isa. 26.* iuxta 70. Interpr. Quando filijs Israël lex promulgabatur cum voce tonitruorum, fulgore lampadum & sonitu buccinæ in monte Sinai, perterriti voce Angeli legem promulgantis, steterunt procul & dixerunt: *loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur, Exod 20.* Sed si legem DEI nobis promulgatam horrescimus audire, quomodo audiemus verbum illud asperum? Vnde *Iob 26.* dicitur: *Cùm vix paruā stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Idcircò Dauid timens verbum illud asperum, libenter audijt DEI præceptum: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* inquit.

D. III. Sententia.

Sententiâ promulgatâ, mox deferet Angelus custos

gelus custos, & SS. Tutelares animam proscriptam & dicent illud *Ierem.* 51. *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.* Et Devs eodem momento destituet eam protectione suâ omniq; humore cuiuscunque gratiæ priuabit, ita vt in æternum nihil boni ab eâ sperari ampliùs possit. Quemadmodum enim vno maledictionis verbo arefecit ficum & omni humore priuauit, vt nullum ampliùs fructum faceret: ita faciet animæ reprobi. Deinde tradet eam potestati Dæmonũ, qui instar Leonũ, tigridum & vrsorum, priùs adhuc ligati & inhiantes prædæ, posteà soluti ingenti fremitu & rabie inuadent eam veluti lepusculum, vt verè tunc dicere queat id ps. 21. *Aperuerunt super me os suum sicut Leo rapiens & rugiens.* Miserum quidem & triste est spectaculum cùm Reus condemnatus traditur carnifici. Sed solet etiam carnifex Reo condolere, quem debet interficere, aut saltem non facit insultando & gestiendo, quidquid facit Reo. Longè aliter constituti sunt Dæmones, qui vt animam vnam deuorent, sicut vultures ad locum prælij, diu ante prælium congregantur; quia vt vultures ingluuie, ita Dæmones odio in hominum cædem feruntur. Ibi apparebit illud: *Vbi est corpus, illic congregãtur & Aquilæ*, sic enim *Apoc.* 19. conuocantur omnes aues ad manducandas carnes damnatorum. Destitutâ hoc modo & maledictâ animâ, sicut de ficu maledictâ mox cadet omnis viror & folia, id est, dona supernaturalia, & virtutes morales, remanebitque anima nuda, ferè ad eum modũ, quo Sacerdos facinorosus igni tradendus priùs ab Episcopo degradatur & spoliatur sacerdotalibus ornamentis, ne dignitati sacerdotali per infame supplicium iniuria aliqua irrogetur. Deinde, raditur extremis digitis & capitis coronâ, postmodum repellitur ab Episcopo & Clericis, veluti indignus Clero, & lictoribus rapiendus relinquitur: Ita fiet animæ peccatrici ab Episcopo animarum nostrarum Christo, 1. *Petr.* 2. qui nos in Baptismo vnxit & aliquo modo sacerdotes fecit. Auferetur inprimis illi corona capitis, id est, lumen fidei, & spes coronę gloriæ. Secundò radetur digitis & auferentur ei gratiæ gratis datæ (si quas habet) quibus velut Spiritus sancti digitis mira patrabat, sanitates conferebat, spiritus discernebat & Dæmones eijciebat, &c. solus verò character ei relinquetur Baptismi, Confirmationis & sacerdotij; (si his sacramentis initiata fuit) ad maiorem eius dolorem & confusionem, vt quæ tot gratiæ auxilijs præuenta, *Cæpit ædificare & noluit consummare. Luc.* 14 Denique spoliabitur vestibus virtutum moralium, quas habuit; prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, iustitiæ, castitatis, &c. Scientiæ tantùm ei remanebunt ad maiorem eius dolorem. Et ita complebitur id *Iob.* 20. *Panis eius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Diuitias quas deuorauit, euomet & de ventre illius extrahet eas Deus.* Fortè ad eum modum, quo Vdoni Magdeburgẽsi decãtatissimo Episcopo impio, legimus, ante eius interemptionem pugno excussam de visceribus sacram hostiã quã eo die indignissimus sumpserat, apud Naucler. *vol.* 2. *gen.* 37. Fulg. Antonin. &c. O quale hoc spectaculum! Seneca *l. de breuitate vitæ. c. vlt.* Caium Cæsarem scribit absoluisse aliquando Senatorem nonagenarium ab officio & munere publico, quò sibi deinceps in tranquillitate viueret. Qua re ille adeò contristatus est, vt mortuum se putaret, componi se in lecto & velut exanimem à circumstante familiâ plangi iusserit. Cogita nunc: quid erit spoliari bonis omnibus! Denique detrudetur à theatro seu loco Iudicij & à Dæmonibus ad Orcum rapietur. Pensate, Auditores, quàm afflictum erit hoc iter, quàm tristis terminus! Quid enim cogitabit anima de extremo consolationis & felicitatis mundanæ ad extremũ miseriæ præcipitata? de molli & byssino lecto in operimentum vermis & ignis? de societate amicorum optimorũ, ad societatẽ draconum, serpentum & bufonum? de hoc amœno & dulci solis lumine, ad obscurissimum & deterrimũ Orci carcerem? Ah quid sentiet & cogitabit, cùm primo aspectu domum illam funestam, societatem miseram, cruciatus innumeros, æternitatem interminabilem aspiciet & perpendet?

CONCIO III.

Iudicij extremi conuentus.

Congregatis omnibus in vallem Iosaphat, 1. *Comparebit Iudex his modis: nempe cum signo crucis; in corpore glorioso, stipatus Angelis, cinctus nubibus, sedens.*	2. *Separabunt Angeli iudicandos; qua separatio pariet impijs stuporem, liuorem, pudorem, dolorem.*

THEMA.

Tu es qui venturus es? Matth. 11.

Qvæstionem hanc, Auditores, quam è vinculis suis Ioannes proposuit Christo, vtinã & nos è vinculis carnis nostræ proponeremus Christo venturo Iudici nostro: *Tu es qui venturus es?* Nam teste S. Ambrosio *in offic. Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm vt credamus eum Iudicem futurum, quem & occulta non fallunt, & indecora offendunt, & honesta delectant.* Quæ enim alia causa est, cur tot homines honestatis & virtutum obliti, tot grauia scelera perpetrent, nisi quia non credunt futurum Iudicem suum omnia notare suo tempore iudicanda, virtutem amare, vitia odisse & abominari? Si enim ista crederent, quomodo coram iudice suo delinquere auderent? Quando igitur fides docet Christum Iudicem certissimè venturum, pergamus nunc, quod ante octiduum cœpimus, prosequi & spectare in præsens Iudicis aduentum eorumque qui iudicandi sunt conuentum.

Primò. Congregatis omnibus in vallem Iosaphat (ita videlicet vt vallis illa meditullium sit loci Iudicarij, cætero quã ad plura milliaria se diffundentis) incipiet in sublimi comparere Iudex sensim descendens cum summâ po- B. I. Comparebit Iudex.

 tentiâ

tentiâ & gloriâ, iuxta id *Matth.* 24. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multâ & maiestate.* Idem insinuauit Dominus cùm staret coram Concilio Iudæorum & Caiphâ. *Matth.* 26. cùm dixit: *Veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli.*

1. *Cū signo crucis.* Veniet ergò primò, præmisso & in cœlis apparente signo Crucis, *Matth.* 24. *Tunc parebit signum filij hominis in cœlo.* Per quod omnes ferè Patres & DD. signum Crucis intelligunt. Significabit autem hoc signum Primò Iudicem per Crucem comparasse sibi hanc gloriam & iudiciariam potestatem, adeoque iudicare non alienos sed suos subditos, quos per crucem sibi emit & de morte redemit. Secundò ipsum pro salute omnium crucem sustinuisse, ac proinde esse inexcusabiles, qui tantam misericordiam neglexerunt. Hinc inprimis, turbabuntur Iudæi & Gentiles, qui Christo & Sectatoribus eius crucem improperârunt eosque persecuti sunt. Deinde reprobi Christiani, qui sub eo salutis signo militârunt, suâ tamen nihilominus culpâ perierunt, imò Christum suis peccatis suaque ingratitudine in crucem adegerunt, v. g. Videbit Iudas se suâ proditione Christum egisse in crucem: Videbit quiuis impius, quot clauis & puncturis Christum in cruce fixerit: videbit quisque dementiam & ingratitudinem suam, quâ tam immensum Christi amorem & laborem pro se exantlatum contempsit & conculcauit. Tertiò, Omnes crucifixi cultores & amatores iam esse exaltandos & ad hoc Labarum congregandos, omnesque eius hostes & osores ab eodem deprimendos ac prosternendos. Atque ita fiet, quod Dominus statim subdidit: *& tunc plangent omnes tribus terræ.*

2. *In corpore glorioso.* Secundò. Apparebit in corpore glorioso supra solis fulgorem splendido; Vnde *Isai.* 24. dicitur: *Erubescet Luna & confundetur Sol, cùm regnauerit Dominus exercituum.* Erubescent autem suæ ob stuporem tantæ maiestatis, siue quòd ipsorum lumen ob splendorem Christi quodammodo obscurabitur, sicut stellæ coram sole, adeoque suam pulchritudinem quasi exilem abscondent coram tantâ maiestate; de quâ ipse Dominus *Matth.* 24. *Videbunt filium hominis venientem cum virtute* (græcè, cum potestate) *multâ & maiestate.* Si enim iusti in Regno Dei fulgebunt sicut sol, *Matth.* 13. multò magis ipse Dominus iustorum, qui quoniam in passione suâ obscuratus fuit, (quod significabat Eclipsis solis) debet eo tempore recipere & ostendere mundo lumen gloriæ suæ. Imò ad literam Sol vocatur in secundo aduentu *Malach.* 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ.* Non dicitur orituros impijs, quia confusionem & mœrorem eis afferet & ipsorum scelera deteget; vnde ipsi velut noctuæ & vespertiliones ægrè illum aspicient. Quemadmodum enim Sol *aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus & tenebrat*, ait Sanctus August. *l.* 2 *de morib. Manich. c.* 8. ita Christus in iudicio iustorum mentes vegetabit & exhilarabit: impiorum oculos animosque sauciabit. Ibi ergò improbi præ impatientiâ tanti luminis abscondent & deijcient in terram capita sua, dicentque montibus: *cadite super nos; & collibus: operite nos.* Iusti contrà mirè gaudebunt ad conspectum huius solis, quia patefaciet ipsorum Iustitiam & virtutes priùs mundo incognitas.

Tertiò; Veniet cum comitatu omnium Angelorum, vt habetur *Matth.* 25. *Cum venerit filius hominis in maiestate suâ & omnes Angeli eius cum eo.* Admodum verò probabile est, venturos Angelos in corporibus splendidis, ex aëre sibi formatis, vt videri ab impijs Christi maiestas possit. Erit ergò totum hemisphærium vsque ad supremas aëris regiones vndique plenum angelis & speciem referet immensi exercitûs. Quibus infernè adhærebunt electi iuxta Prophetiam Enoch in ep. Iudæ: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis.* Qui similes Angelis apparebunt quemadmodum fatentur impij *Sap.* 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter Sanctos sors illorum est: Et tunc stabunt iusti*, vt ibidem legimus, *in magnâ constantiâ aduersus eos qui se angustiauerunt.* Quos impij *videntes turbabuntur timore horribili & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis?* concident enim animis, cùm videbunt se imbelles, exosos, execrabiles: illos verò potentes, DEO familiares, splendidos. Deinde mirum in modum sibi timebunt ab ijs, quos priùs vexauerunt, habuerunt in derisum & dirissimè persecuti sunt; quorum item Dominum ac dulcissimum parentem grauissimè offenderunt. Quid enim si vilis quispiam homuncio principis interfector, ense adhuc cruento deprehensus produceretur in conspectum filiorum illius? Quàm sibi ab ijs timeret? quàm hi in illum excandescerent! 3. *Stipatus Angelis.*

Quartò; Veniet cinctus nubibus, vt patet ex Euang. Probabile autem nubium illarum partes superiores fore lucidas, serenas & tranquillas: inferiores verò obscuras, procellosas, ignem & fulmina versus impios iaculantes, vt indicatur *Ps.* 49. *Ignis in conspectu eius, & in circuitu eius tempestas valida.* Item 2. *Thess.* 1. & *Isai.* 66. Quare terribiles quidem malis erunt in terrâ constitutis: bonis verò iucundæ & protectionis Symbolum quemadmodum nubes illa Hebræorum, quæ illos ab Ægyptijs diuidebat *Exod.* 14. Erat enim vt exponit doctissimus Abulensis *q.* 14. *in c. illud*, tenebrosa versus castra Ægyptiorum: illuminans verò noctem versus castra Hebræorum. 4. *Cinctus nubibus.*

Quintò; *Sedebit in sede maiestatis suæ. Matth.* 25. De quâ sede scribit Ioan. *Apoc.* 20. *Vidi thronum magnum candidum & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum & locus nō est inuentus eis.* Quæres, quâ ratione? Primò, quia gloriæ Christi, quam thronus hic repræsentat, nihil infra Deum simile vel comparandum est: imò omnium Sanctorum gloria nihil est ad gloriam Christi; & sicut lumen stellarū fugit à Solis lumine: sic gloria Sāctorū simul omnium à gloriâ Christi. Secundò, quia ad imperium huius throni seu Iudicis innouabitur cœlū & terra. Tertiò, quia tâtus erit huius throni & Iudicis rigor iustitię, vt nec cœlū, id est electi suâ intercessio- 5. *Sedebit.*

cessione: nec terra, id est, impij suis gemitibus, precibus, lachrymis, lamentis eum flectere ad misericordiam & ab æquo dimouere possint. Quartò, quia non solùm Rei, sed etiam innocentes; Angeli & homines beati (illi per cœlum, hi per terram designati) sibi ab illo Iudice quodãmodo timebũt, veluti qui in littore stãt, cùm vidẽt mare intumescere, procellis agitari & nauigantibus naufragium minari, etiam formidare solent, licet securo loco sint.

C. II. Separabunt Angeli iudicandos. *Hinc in hominibus.*

SECVNDÒ, *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, Matth. 13.* Matthæi verò 25. ait Dominus: *separabit eos* (Iudex scilicet per Angelos) *ab inuicem; sicut pastor segregat oues ab hædis* (siue id fiat in Cœmeterijs & locis resurrectionis, siue in valle Iosaphat) *& statuet quidem oues à dextris suis, hædos autem à sinistris.*

1. *Stupor.*

Porrò hæc separatio impijs pariet primò stuporem, cùm videbunt eos à se auelli ad gloriam, quos ipsi minimè æstimabant, imò in mundo contempserant & damnârant, v. g. publicanos & meretrices, de quibus dixit Dominus ad Principes Sacerdotum & Seniores populi: *Amen dico vobis: quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei, Matth. 21.* Hoc est quod Sapiens de damnatis dixit: *Mirabuntur in subitatione insperatæ salutis,* (græcè, in paradoxo salutis, Electorum scilicet) *dicentes intra se: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperij &c. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.*

2. *Liuor.*

Secundò, Liuorem, cùm videbunt eos, quos oderant, extolli se verò deprimi & derelinqui. Id expressit Dauid *Ps. 111.* cùm ait: *Cornu eius* (iusti) *exaltabitur in gloriâ. Peccator videbit & irascetur, dentibus fremet & tabescet.* Exemplo est impius Aman, qui cùm Mardochæo infensus esset, quòd ab eo non adoraretur, posteà ei à pedibus eiusque strator fieri coactus, præ liuore *festinauit ire in domum suam lugens & operto capite, Esth. 6.* Simili modo impij inuidiâ tabescent, cùm subijcientur inimicis suis, adeoque auertent vultum & oculos suos ab illorum gloriâ, quos oderant in vita.

3. *Pudor.*

Tertiò, Pudorem, cùm videbunt infimos & multoties subditos ac seruos suos sibi tam longè præponi, illos in sublime rapi, se ad tartarũ mergendos relinqui; adeoque fieri id, quod dudum vidit Sapiens *Eccles. 10. Vidi sub sole positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum: Vidi seruos in equis & principes ambulantes super terrã quasi seruos.* Videbunt plurimi Reges se positos in scabellum Christi pedum; id est, loco abiectissimo: contrà seruos suos assidere Christo. Videbunt multi Doctores se in promiscuo vulgo premi & quaquauersum trudi: rudes verò plurimos supra solium Angelis in alto exspatiari. Videbunt plurimi diuites se pedibus proculcari, pauperes verò in sublimi iuxta Christum considere. Vah, quanta erit hæc illis ignominia? Implebitur tunc in illis, quod prædixit reprobis Deus *Deut. 28: Aduena, qui tecum versatur in terrâ, ascendet super te eritq́; sublimior: tu autem descendes & eris inferior:* (Hebr. *ascendet super te sursum, sursum,* id est, altissimè; *tu verò descendes deorsum, deorsum,* id est, profundissimè) *ipse erit in caput & tu eris in caudam.*

4. *Dolor.*

Quartò, Dolorem eumque acerrimum, cùm videbũt tolli à se charissimos & propinquissimos suos, fratres, liberos, parentes, amicos, cõtubernales. Hoc est quod dicere voluit Dominus *Matth. 24.* cùm ait: *Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur & vnus relinquetur: duo molentes in mola, vna assumetur & vna relinquetur: duo in lecto vno, vnus assumetur & vnus relinquetur;* q. d. separabitur vicinus à vicino, seruus à conseruo, coniunx à coniuge, &c. O quàm hæc tristis & amara erit separatio, cùm quis illis, quos habuit coniunctissimos, fidelissimos, amicissimos, æternũ vale dicere debet? Testatur S. Basilius *in orat. de morte,* quæ habetur inter opera S. Ephrẽ, se vidisse aliquando bouem ad præsepe lachrymantem, cùm eius contubernalis morte sibi ereptus esset. Et quantus, existimatis, erit planctus inter impios, cùm videbunt à se tolli & in æternum tolli lumina oculorum suorum? illa in cœlo beanda, se verò in Orcum abripiẽdos? Quare ô filioli mei, fratres mei, si verè vos inuicem amatis, totis viribus prouidete, vt ne in die illa ab inuicem diuidamini. Adhortamini vos inuicem, arguite, obsecrate, increpate, opportunè, importunè, in omni patientiâ & doctrinâ, vt vos inuicem seruetis, simulque rapiamini obuiam Christo in aëra.

5. *Timor.*

Quintò, Timorem; quid enim non malorum timere sibi possunt impij, cùm ab ijs separabuntur boni? Quid enim euenit reprobis, cùm illis derelictis ingressus est in arcam Noë? Quid euenit Sodomitis, cùm ab eis discessit iustus Loth? Quid euenit Core, Dathã & Abiron, cùm ab eis recesserunt innocui? Quid euenit impiæ Drahomiræ, postquam fidelis & pius auriga eius currum deseruit? Nonne primi suffocati sunt? Sodomitæ cœlesti mox igne absumpti? Core, Dathã & Abiron, vti & Drahomira terrâ absorpti? Et quid aliud expectare impij illi possunt, postquam à iustis separati sunt, nisi præsentissimum terræ hiatum ad eos deglutiendos?

D. III. Congregabuntur iudicandi ad Iudicem.

TERTIÒ, Congregabuntur ante Iudicem ad tribunal eius omnes gentes, veluti greges intra septa vel caulas, tam quæ in cœlis erant, quàm quæ in terrâ & inferno iuxta id *Ps. 49. Aduocabit cælum desursum & terram discernere populum suum.* id est, cõuocabit ad tribunal suum tam sanctos, qui in cœlo sunt, quàm reprobos, qui in terrâ & inferno sunt; adeoq́; ipsos etiam Dæmones, quasi ad vnum mundi theatrum.

1. *Omnes.*

Itaque primò; Nemo ibi Mortalium & Dæmonum desiderabitur; nemo effugere, nemo latere poterit. Hinc *Apoc. 14.* visus est Ioanni Christus seu Angelus Christum Iudicẽ repræsentans, sedens super nubem, & habens in manu suâ falcem, quâ scilicet mortales omnes demetat, quomodo segetes omnes falce demetũtur, vti ne vnus quidem culmus euadat. *Potestas enim diuini iudicij,* inquit S. Gregorius *l. 33. Moral. c. 14. quia vndique stringit, circulus dicitur, & quia intra se omnia incidendo amplectitur, falcis appellatione signatur: in falce enim quidquid inciditur,*

ditur, quaquauersum flectitur, intus radit. Et quia potestas superni iudicij nullatenus euitatur, (intra ipsum quippe sumus, quolibet fugere tonemur) rectè eum venturum Iudex ostenditur, falcem tenere perhibetur. Vbi etiam in hunc sensum explicat id *Psalmi 74. Quia neque ab Oriente neque ab Occidente neque à deserto montibus:* (scilicet patet fuga) *quoniam Deus Iudex est.* Quantus hic erit conuentus omnium omninò populorum, nationum, sæculorum? Quantus ibi clamor? quantus tumultus? quanta compressio? Vnde *Soph.* 1. vocatur dies iudicij (allegoricè saltem) *dies clamoris*, secundùm 70. *dies tumultus & commotionis*, secundùm Chald.

2. *Impij nullo ordine.* Secundò, Stabunt impij inter se confusi, nullo ordine, nullo respectu priorum dignitatum, sciētiæ, nobilitatis, opum, &c. Audi Hieron. ad Heliodorum: *Iudicaturo*, inquit, *Domino lugubre mundus immugiet & tribus ad tribus pectora ferient. Potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt: Adducetur cum suis stultus Plato discipulis*, &c. Nimirum vt Latrunculi, qui priùs in Ludo diuersas obtinebant dignitates, Regis, Reginæ, Saltatoris, Cursoris, &c. Posteà in sacculum congesti, omnes sibi similes & exautorati iacent: ita in Valle Iosaphat conglomerati inter se impij mutuò se comprimemt, nullo ordine vel respectu. Aderunt etiam inter eos Dæmones terribili formâ furentes in eos teste Basilio in *Ps.* 33. cùm ait: *Adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vitâ gessimus, rationem reddituri. Mox illis, qui multa mala in vitâ perpetrârunt, terribiles quidàm & deformes assistent Angeli, igneos vultus præseferentes atque ignem spirantes, noctiq; vultu similes propter mœrorem & odium in humanum genus.*

3. *Adorabunt Iudicem.* Tertiò, Omnes adorabunt Christum Iudicem, trementque & flectent coram eo genua sua: iusti quidem vltrò & cum gaudio: impij verò coactè & inuiti. Testatur id Apostolus ad *Roman.* 14. *Omnes stabimus*, inquit, *ante tribunal Christi; scriptum enim est: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* Et ad *Philip.* 2. *In nomine Iesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Non erit ibi opus Lictoribus, qui virgarum ictibus cogant impios flectere: ipse fulgor & terror iudicis eos prosternet.

4. *Monstrabunt acta sua.* Quartò habebunt omnes quasi collo appensas tabellas gestorum suorum, Iudici mox præsentandas, eorum mercedem præstolantes, iusti cum desiderio summo, improbi cum ingenti timore velut pecora alligata ad macellum. Cupient enim latere & faciem à Iudice auertere, sed non poterunt. Vnde cùm sarcasmo illudit eos Isaias c. 2. dicens: *Ingredere in petram & absconde te in fossâ humo à facie timoris Domini, & à gloriâ maiestatis eius.* q. d. conaberis fugere, sed non poteris.

5. *Singuli suo loco.* Quintò, Stabunt singuli in loco suo, iudicij processum præstolantes; electi quidem ad dexteram Christi in sublimi aëre cum iucunditate & desiderio, velut ij, qui priùs infimo loco positi, iamiam audient: *Amice ascende superiùs*; velut sponsa adornata, sponso iamiam adducenda: velut prudentes virgines ad cœlestes nuptias iamiam ingressuræ. Reprobi verò infernè in terrâ ad sinistram humi prostrati, gementes, ululantes, vociferantes, sibimet irascentes, balantes velut oues non habentes pastorem, de quibus dictum est *Ps.* 49. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Quis animus, quæ mens, qui sensus tunc illis erit? *A dextris*, inquit S. Anselm. *l. de simil:t. erunt peccata accusantia, à sinistris infinita Dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper Iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia viens. Heu miser peccator sic deprehensus quò fugies? latere enim impossibile erit, apparere intolerabile.* Sic Anselm.

Superest nunc, Auditores, vt dispiciat vnusquisque, quem in eo conuentu locum ipse habiturus sit quemque habere cupiat. Sanè in vestro nunc arbitrio est, eligere vobis, quem vultis locum. Bonum ergò & securum desideratis locum? bonam vitam eligite. Audite S. Bern. *ep. vlt.* hanc sanctæ vitæ regulam præfigentem: *Talis studeas viuere, qualis affectas in extremo iudicio inueniri.*

CONCIO IV.

Cur in mundo pauperes?

1. *Ad humani generis conseruationem.*	4. *Ad instructionem nostram ne frangamur aduersis.*
2. *Ad Dei gloriam.*	5. *Vt ostendantur paupertatis bona.*
3. *Ad remedium diuitum.*	

THEMA.

Pauperes Euangelizantur. Matth. 11.

FOrsitan, Auditores, cogitabunt aliqui pauperes: Quid nobis euangelizatur in hodierno Euangelio? An fortasse Christus pauperiem à nobis tollet & opes subministrabit? Hoc sanè Euangelium, id est, bonum nuncium foret nobisque optatissimum. Et quidem plebs Hebræa expectabat olim, & expectat hodieque eiusmodi Messiam, qui diues & gloriosus cum maiestate veniat, gentem suam ditet & terræ bonis cumulet. Sed non est hoc Euangelium, quod mundo Christus attulit, non est nuncium istud, à Prophetis olim prædictum, quod terrena & fluxa bona pauperibus promittat; sed illud: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Luc.* 6. Non perituras opes, sed stabiles & solidas annunciat vobis Christus, ò fœlices pauperes! Sed enim nihilominus quærent forsan aliqui: Nónne melius fuisset, si Christus paupertatem à nobis abstulisset, & omninò è mundo sustulisset? respondeo, negando; causas nunc audiemus. B.

PRIMÒ, Pauperes in mundo sunt, propter humani generis conseruationem. Nisi enim pauperes sint, duo grauissima mala sequentur, I. Ad humani generis conseruationem.

quentur, ſcilicet omnium artium ac rerum pulchrarum totiuſque ſplendoris, qui in rebus humanis cernitur, interitus, & morum extremá corruptela ac turpitudo. Nemo ampliùs artes Mechanicas aut diſcere volet, aut exercere: nemo laborioſa opera ſubire, nemo alteri ſeruire. Nullæ ampliùs fient pulchræ veſtes, nullæ ſplendidæ domus, nulla magnifica templa, nulla oppida, nullæ arces, nulla ingenioſa opera: ſiquidem paupertas excitat artes. Nulli erunt viri nobiles & potentes, vtpotè famulis & militibus deſtituti. Graduum & ordinum, qui ſunt in Rebuſp. diſcrimen ruet ac proinde reuerentia & obedientia. Tandem breuì omnes perire oportebit, quia conquieſcet agricultura, nauigatio, mercimonium, aurigatio, & quidquid ad humanam ſuſtentationem pertinet.

Sequetur deinde morum ingens corruptela: nemo non in comeſſationes & libidines ſe effundet. Vbi enim otium & rerum abundantia eſt, ibi neceſſe eſt vitia naſci. Argumento nobis ſunt homines illi diluuio abſorpti, quos otium & luxus perdidit, quemadmodum & Sodomitas. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ*, ait Ezechiel c.16. *ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & otium ipſius, & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Ideoque cœleſti igne depaſti ſunt. Item Gentes quædem Barbaræ apud Braſilios, quæ cùm paucis rebus ob cœli clementiam indigeant & annonâ abundent, ventri prorſus & abdomini ſeruiunt, omnibus vitijs inquinatiſſimæ. Quod & in illis Germaniæ partibus, vbi vini & frumenti omniſque generis victualium copia, cernere eſt, veluti ad Rhenum cuius Regionem ob eam cauſam fugit S. Wunibaldus, vt in vitâ S. Wilibaldi. c. 25. ſcribitur apud Grets.

C. II. Ad Dei gloriam.

SECVNDÒ, Propter Gloriam DEI, vt manifeſta fiat diuina prouidentia, quæ pauperem facit & ditat, infinitos etiam pauperes mirabiliter alit. Magna eſt Principis gloria, alere plurimam pauperum multitudinem: & Salomonis ſapientia eluxit in alendâ tãtâ familiâ, operâ præfectorum annonæ, qui ordinatiſſimè eam afferebant: multò magis ſplendet Dei prouidentia dum infinitos pauperes alit tam miris rationibus per diuitum largitiones, qui tamen vt plurimum auari ſunt. Habet enim ſua media DEVS, quibus diuites auaros deplumet & pauperibus in prædam det: v. g. cùm eorum incendit ædes, vaſtat prædia, corrumpit in horreis frumentum, cùm per mortem plumas illis extrahit & pauperibus donat: ſicut cùm quis in foro nimium carò vendit ceraſa vel pira; ſolet ea Magiſtratus in pœnam auaritiæ venditoris euertere, & pueris pauperibus diripienda dare. Figuratum hoc in coruis quibus præcepit DEVS vt paſcerent Eliam 3. Reg. 17. qui cùm ſint furaciſſimi & carnium etiam putridarum auidiſſimi, carnes ſeruo Dei afferre debuerunt iiſque abſtinere, ita omnino per auaros & rapaces diuites nouit Deus miro modo paſcere ſuos pauperes. Quòd ſi igitur pauperi minus vel nihil dedit, diuiti tantò plura dedit; vt haberet quæ pauperi diſpenſaret: neque culpa Dei eſt, ſi egeat, & pereat pauper, ſed diuitum. Sicut non eſt culpa Cauponis, ſi duo in eodem ſpatioſo lecto iacentes, non ambo caleſiant; ſed culpa alterius ſocij, qui operculum totum ad ſe trahit. Si pauperi non dedit, dedit diſpenſatori, ab illo requirat annonam ſuam pauper: Si is deneget, DEO iniuriam infert & pauperi. Si computes pallia hominum, quæ ſunt in mundo ſuperflua; & pauperes qui nullum habent; non inuenies pauciora pallia, quàm pauperes, cùm plurimi duo vel tria & plura habeant. Culpa igitur abundantium eſt, ſi non dant pauperi ea, quibus ipſi abundant. Adhæc ſi pauperes cenſum & lucrum ſuum computent comparentque cum expenſis vel capitibus quæ ſuſtentant, mirabuntur quomodo alantur. Mirâ æquitate ſatiauit Deus per manna Hebræos in deſerto; *Qui multum,* (collegit) *non abundauit, & qui modicum, non minorauit*, ait Apoſtolus 2. Cor. 8. ita *cùm omnes vnum ventrem*, ait S. Chryſoſtomus in eum locum, *impleamus, & vno tempore viuamus & vnum corpus tegamus, nihil magis habet diues ex abundantiâ: neque ex paupertate minus habet pauper: ſed vterque victum habet & amictum.* Accedit quòd hoc pacto Deus diuitem ſicut & pauperem ſibi deuincit, & quodammodo lucratur, illum per eleemoſynam, hunc per patientiam & gratiarum actionem. Sic Ioſeph diſpenſando frumentum Domini ſui, aluit ſubditos eius emitque eos Domino ſuo fame perurgente Gen. 47.

D. III. Ad remedium diuitum.

TERTIÒ, Propter remedium diuitum: vt quoniam ipſi dum tractant diuitiarum ſpinas, facilè & vndique vulnerantur, poſſint ſibi per illos citò & vbique mederi. Vnde S. Chryſoſtomus hom. 14. in 1. epiſt. ad Timoth. ait: *Niſi eſſent pauperes, peccatorum difficilè ſarcinam poneres. Medici illi ſunt vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præſtant. Non ita Medicus, vt medicamenta imponat, extendens manum, curationem exhibet, ſicut pauper abs te vt accipiat, porrigens manum. Et quid mirum?* ait idem, hom. 30 in 1. Cor. *citra dolorem, citra ſuſpirium pulcherrimam confert medicinam.* Sumitur hæc doctrina ex verbis Chriſti Luc. 11. vbi cùm dixiſſet Phariſæis: *Quod intus eſt veſtrûm, plenum eſt rapinâ & iniquitate*; ſubiunxit: *veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis*; quia nimirum eleemoſyna diſponit ad pœnitentiam & gratiam. Vt ergò paſſim conſtituti ſunt certi Medici pro certis hoſpitalibus, vel communitatibus: ita pauperes pro diuitibus; & ſicut voluit DEVS vt diues non deeſſet paupori, cùm dixit Deut. 15. *Omninò indigens & Mendicus non erit inter vos*; id eſt, non patiamini, vt egeant aliqui inter vos: ſic voluit vt pauperes non deeſſent diuitibus, tanquam medici ægris (vt eodem cap. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Diues & pauper ſibi mutuo neceſſarij ſunt, ſicut cœcus & claudus in ſyluâ cõſtitutis ille geſtet claudum, claudus cœco viam monſtret; ſi emergere velint. Cœcus eſt diues, quia curis terrenis occupatus, ad cœlum non attendit,

dit, nec suas agnoscit rapinas, aliaque animæ vulnera: claudus pauper, quia eget ope diuitis, quasi scipione. Quare vt ex mundi labyrintho ambo se expediant, diues subleuet inopem suis eleëmosynis: pauper diuitem precibus suis dirigat ad cœlum. Vidit hoc Apostolus, qui 2. *Cor.* 8. ait diuitibus: *In præsenti tempore vestra abundantia illorum* (pauperum scilicet) *inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas.* Ergò diuites præstant pauperibus eleëmosynam corporalem, pauperes diuitibus spiritualem, dum oratione & meritis suis eos iuuant & occasionem promerendi cœlum offerunt, sicque in æterna tabernacula recipiunt. Et cur, putatis, posuit DEVS Lazarum mendicum ante fores diuitis, nisi vt diues ille hâc præsentissimâ veluti theriacâ mederi sibi posset, si vellet, alendo esurientem? Bonum igitur factum est, quando pauper & diues mutuò sibi obuiant, iuxta id *Prou.* 22. *Diues & pauper obuiàrunt sibi.* Et benè dixit alius quidam: *Sicut dolium omninò plenum & aliud omninò vacuum optimè consonant in Diapason: Sic diues benignus & pauper egens.*

E. IV. Ad instructionem nostram.

QVARTÒ. Propter instructionem nostram. Ita enim S. Gregorius Naz. *orat.* 16. *de pauperum amore*, ait: *Deus vult quosdam esse pauperes, vt nos infirmitatis nostræ submoneant.* Ac propterea à multis iam sæculis obseruatum est, vt Mendici, qui partim varijs morbis confecti, partim membris mutilati, partim ex opulento statu ad inopiam redacti sunt, præ foribus templorum sedeant quasi communes hominum Præceptores iuxta id Apostoli: *Diuitibus huius sæculi præcipe non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* 1. *Tim.* 6. Per

1\. *Ne secundis rebus efferamur.*

hos enim cæteri monentur: vt nec secundis rebus efferantur, nec aduersis frangantur. Pessima duo vitia sunt, elatio & pusillanimitas: vtrumque dedocet aliena paupertas. Placet sibi quispiam & blanditur de eleganti formâ, iuuentute, robore? intueatur pauperes & qui præ foribus templorum & vrbium sedent, quorum forte non pauci ijsdem naturæ dotibus præditi olim erant, nunc verò squalidi sunt & deformes. Tumet aliquis ob diuitias, & potentiam? intueatur pauperes illos, qui & ipsi fortè non ita pridem diuitijs pollebant nec secundas res ferre poterant, nunc verò ad extremam inopiam redacti sunt. Sic fiet vt quisque tandem cristas elationis demittat. Huiusmodi exemplum celebre fuit Belisarius Rom. imperij princeps gloriosissimis victorijs insignis, qui tandem in eum fortunæ casum deuenit, vt publicè ostiatimque stipem peteret? de quo Ioan. Tzeza: Iste Belisarius Imperator magnus: Iustiniani existens temporibus Imperator, ad omnem quadrantem terræ, cum explicuisset victorias; posteà inuidiâ excæcatur (ô fortunam instabilem! poculum ligneū detinens clamabat plebi in stadio: Belisario obulum date Imperatori: Quem fortuna quidem clarum fecit, excœcauit inuidia, apud Baron. anno 561. Et quàm multa talia exempla statuit nuper Deus, cùm per militum direptiones multi ex opulentissimis pauperrimi sunt facti? An non idipsum cuiuis alteri euenire potest? Atque ex hoc conuersionem suam cepit Iosaphat ille Regis Auennir filius, quòd vidisset obuios mendicos, pauperes & varijs corporis defectibus obnoxios: vt est in eius vitâ apud Damascenum. Optimè igitur S. Chrysostomus vocat diuitias seruum fugacem, *in hom. in Eutropium*: vbi in exemplum adducit ipsum Eutropium, qui de opum & honorum summo gradu in imum lapsus, cùm à militibus ad necem quæreretur, ad Ecclesiam confugere coactus est, ibique à Chrysostomo exceptus & homiliâ prædictâ defensus ac seruatus.

Monet etiam secundò, Vt ne frangamur aduersis rebus. Accidit enim tibi præter voluntatem aliquid? at quàm leue est illud, si cum istius miseri calamitate conferas? non es eâ, quâ optas valetudine? at huius miseri morbus prorsus est incurabilis. Facultatum tuarum grauem iacturam fecisti? At hic ne panem quidem habet, quo se & liberos suos sustentet, nisi à te accipiat, nec tamen idcircò murmurat aut Deo maledicit. An fortè non poterat Deus eâdem te calamitate premere? 2. *Ne frangamur aduersis.*

F. V. Ad bonū ipsorum. *Paupertatis bona.*

QVINTÒ, Propter bonum ipsorum pauperum; si enim pauperes nôssent quantum bonum sit paupertas, commutare eam cum quibuscunque diuitijs nollent. Paupertas primò Hominem in Dei timore & seruitio continet. Sicut enim aui truncantur alæ, vt ne auolare queat: Sic paupertas adimit homini potestatem, vt à Deo facilè discedere nequeat. 1.

Secundò. Hominem securum reddit & munit contra Diaboli insidias. *Diues enim*, inquit D. Chrysost. *hom.* 13. *in Acta Apost. nihil aliud esse videtur, quàm ciuitas quædam absque muris in agro sita & vndique insidiantibus exposita; paupertas verò è contra securum præsidium est & expugnatu difficile.* Et *hom.* 6. *in epist. ad Tit.* c. 3. *Quemadmodum eos qui nudi fugiunt aduersarium, inquit, nemo facilè tenere potest: qui verò vestimentum post se trahit, eum quis facilè apprehendit: eadem ratione & diues & pauper se habent, nam etiamsi pauper capiatur, fugere facillimè potest, diues verò etiamsi nō capiatur, suis tamē compedibus irretitur, curis innumeris & cogitationibus obstrictus.* hęc ille. 2.

Tertiò. Accendit sitim cœlestium bonorum & promouet ad ea quærenda. Columba emissa ex arcâ quia non inuenit, vbi requiesceret pes eius, ideò citò reuersa est ad arcam. Coruus verò quia inuenit natantia cadauera, in quibus se detinuit, non est reuersus. *Gen.* 8. Columba pauper, Coruus diues est. Pauperes sunt Leuitæ Spirituales, qui cùm non habeant in terrâ hæreditatem sibi assignatam, ideò Deus illorum hæreditas erit, *Deut.* 8: ex quo etiam fit vt suauiter & libenter mortem oppetant. Sicut qui littus secant, facilè & quandocunque securè appellere possunt: non ita qui in alto mari nauigant: sic pauperes omni tempore facilè se ad mortem parant; diuites non item. 3.

Quartò. Quietem & felicitatem parit; vnde 4.

de

de Aglaus ille modici ruris cultor in Arcadiâ, qui metas Agelli sui cupiditate nunquam excesserat, Apollinis oraculo felicior pronunciatus est Gyge Lydorum Rege, apud Maiol. *to.2. Canic. coll. 5.*

5. Quintò. Præparat ad recipiendum Euangelium, vnde dicitur in hodier. Euang. *Pauperes euangelizantur:* quia scilicet illi citiùs & expeditiùs recipiunt EVANGELIVM, quod contemptum, humilitatem, asperitatem vitæ amplecti docet. Sunt enim pauperes velut ligna arida, quæ facilè concipiunt ignem illum, de quo dicitur *Luc. 12. Ignem veni mittere in terram.* Diuites ligna virentia, quæ ignem repellunt, in eo strident & fumant: dum scilicet ægrè ieiunant, ægrè frigus in templo ferunt, flectere genua, & alia humilitatis opera exercere grauantur, &c.

6. Sextò. Aptissimum est instrumentum, ad perfectionem consequendam, vti eam vocat Theodoretus *l. 6. de prouidentiâ*; Vbi subdit: *Per diuitias vix aliquis pauculâ virtutis membra eleganter exsculpet: multi verò paupertate adiuti omnia simul fabricare possunt.*

CONCIO V.

Tria vincula iustorum.

1. *Reuerentia & timor omni-præsentiæ diuinæ.*
2. *Recordatio beneuolentiæ & beneficentiæ Dominicæ.*
3. *Timor diuini iudicij.*

THEMA.

Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11.

A. MIRVM alicui videri potest, quòd Ioannes è carceribus legationem ad Christum mittens, aliud nihil quærat, quàm: *Tu es qui venturus es?* Quis enim eam legationem videns, non ilico diuinâsset Ioannem petiturum liberationem è suis vinculis, quibus iniquissimè ab iniquissimo vinciebatur Rege? Scimus namque quid captiui diu noctuque cogitent, libertatem scilicet. Quis ergo non dixisset nunciaturum Christo Ioannem: *Domine quem amas,* ipse in vinculis est? Rursumetiam Ioâni Christum renunciaturum: Bono animo esto, venio vt liberem te? Nihil horum Ioannes, nihil horum Christus: De Messiâ inter se conferunt, de vinculis nulla mentio. Nimirum Ioanni bene erat cum suis vinculis, vincula eius deliciæ, vincula eius gloria erant, idque nôrat Christus. Ideò nec ille absolutionem à vinculis petit, nec iste eam offert. Felices nos, Auditores, si cum præcursore Domini in vinculis essemus. Ac licet materialibus vinculis minimè ligemur, possumus tamen alijs non minùs salutaribus vinculis nos adstringere, si nimirum membra nostra, sensus & voluntatē à peccatis ita coërceamus vt peccare nequeamus. Tali etiam ratione vinctum fuisse Ioannem, nemo negare poterit, qui nouit eius vestem fuisse pilos camelorum, eius cibum locustas & mel syluestre, eius domum antea deserti: *ne leui saltem maculare vitam famine posset,* vti canit de eo Ecclesia. Quomodo enim delinqueret vel in sermone, vel in victu, vel in vestitu, qui tam remotus ab hominibus omnibusque mundi illecebris in tantâ austeritate vixit? Atque in hoc vel huic simili carcere, vtinam nos omnes essemus! Quàm nobis in eo bene foret! quàm non peteremus ab eo liberari? Sed agedum, quibus vinculis huic carceri adstringi possumus? Audiamus.

B. I. Reuerentia & timor omni præsentiæ diuinæ.

PRIMVM Est Reuerentia diuinæ maiestatis, vbique præsentis & cuncta cernentis. *Magna est cautela peccati,* inquit S. Augustinus *ser. 113. Deū semper præsentiam timere.* Et in *l. Soliloq. c. 14.* ait: *Domine, quando perpendo, quòd gressus meos semitasq́, consideras & die noctuq́, super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligentes notans, speculator perpetuus velut si totius creaturæ tuæ, cæli & terræ oblitus tantùm me solum consideres & nihil tibi sit cura de alijs, Deus meus terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor; quoniam nobis magna est indita necessitas esse rectè, viuendi; quia cuncta facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis.* Sic ille. Ante oculos terrenorum Principum nemo facilè audet committere quid improbum. Quis enim, quæso, coram Rege suo furtum, adulterium vel homicidium perpetrare ausit? Et qui tale quidpiam committendum à se audiret ex Vendico, nónne ilicò dicturus esset: Et quomodo hoc possum facere? Si famulum, qui ad mēsam hero suo inseruit, interroges: Eccur tu cutem tuam non curas? cur non strenuè potas? cur elcis & bellarijs saccos tuos non infarcis? Respondebit is quàm primùm: Non possum istud facere, quoniam Dominus meus vndique circumspicit & ad me præsertim attendit, obseruans quidquid ago. Ecce oculus Domini potestatem adimit seruo violandi honestatem & decorum: & hoc non possit facere oculus Dei, qui, vt canit Ecclesia, *speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus actusq́, nostros prospicit à luce primâ in vesperum?* Et *Eccl. c. 23. Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti. E quibus vnus thuribulo accepto, ante ipsum adstitit; in cuius brachio carbo ardens delapsus est: quo etsi ita vrebatur, vt adusti corporis eius ardor ad circumstantium nares perueniret, tamen & dolorem silentio pressit & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu aures Regias aspergeret. Rex quoque patientiâ pueri magis delectatus, hoc certius perseuerantiæ experimentum sumere voluit: solito enim sacrificauit diutiùs, nec hac re eum à proposito repulit. Val. Max. l. 3. c. 3. Hoc puer iste, & gentilis quidem. Quid ergo nos? quid non pati

pati potiùs deberemus, quàm vt oculos & aures Dei omnia cernentis & audientis offenderemus? Si puerum lenta adustio non potuit permouere vt præsentem Regem vel gemitus turbaret: quid mirum si perfecti viri nullis adigi machinis queant, vt coram Deo omnibus præsente peccent? Refert S. Gregorius Nazian. *in carm. de subm. & temp.* Imaginem Polemonis Philosophi admodum seuerè & grauiter pictam & in cubiculo quodam pendentem absterruisse meretricem, in eodem cubiculo ad facinus paratam, à flagitio. Si hoc potuit Ethnici hominis imago in Ethnicâ puellâ: quantò magis poterit absterrere viros bonos à peccatis quibuscunque DEI ipsius omni-præsentia? Sanè istud vinculum strinxerat Susannam illam castissimam, ne quantumuis vi & dolo à nequissimis senibus pertentata, à proposito castitatis dimoueri posset. Dicebat enim: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Dan. 13.* Mori ergo potiùs parata fuit, quàm in oculis Dei peccare. Contrà verò pessimi illi senes, quia hoc vinculo caruerunt, pudorem peccandi exuerunt; quia, vt ait ibid. S. textus, *euerterunt sensum suum & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum.* Similem his peccatricem reduxit ad frugem S. Ephrem, quam cùm adijsset rogassetque an auderet consueta sua peccata in medio vrbis Edessenæ committere, ipsa autem respondisset, non audere, quia pudor nimius prohiberet in conspectu hominum talia patrare scelera; subiecit vir sanctus: Tu verò scias etiamsi in loco occultissimo & ab hominibus remotissimo pecces, te conspici à DEO vbique præsente. Si itaque te à peccando deterret pudor vel metus hominum, multò æquiùs deterrere te debet metus Dei, qui eiusmodi scelera æternis mulctat supplicijs inferni. Quæ admonitio sic perterrefecit feminam, vt dolore peccatorum summo tacta in corde intrinsecùs, in monasterium pœnitentiæ agendæ causâ se abdiderit. Metaph. *in vitâ S. Ephrem.* Surius *in Febr.*

C. II. Recordatio beneuolentiæ diuinæ.

SECVNDVM est Recordatio beneuolentiæ & beneficentiæ diuinæ. Hoc enim quasi vinculo trahi solent homines ad amorem & seruitia reciproca, iuxta id *Osea. 11. In funiculis Adam* (id est, hominum, quibus scil. trahi solent homines, vti amore & beneficijs) *traham eos, in vinculis charitatis.* Funiculos autem illos Adam, Ruffinus censet fuisse beneficentiam, quâ Deus Adamum post peccatum prosecutus est dans ei cibos illaboratos & sponte nascentes. Cuiusmodi funiculis & nos sibi deuinxit Christus, cùm pro nobis factus est Adam, id est, caro & frater noster, vt nos docendo, ducendo, redimendo ad regnum suum pertraheret. Ponamus iam exemplum. Sit vir quidam nobilis & locuples, qui te in seruitute Turcicâ constitutum, sordidum, egentem, afflictum magno pretio redemit: deinde curam tui habuit, vestiuit, pauit, insuper & in filium te adoptauit bonorumque suorum hæredem instituit. Suadeat tibi nunc aliquis vt vxorem Hero tollas, ipsum verò occidas. Num tu hoc facere poteris? an non te ligatum dices ferreis catenis, quo minus tantum facinus designare queas? illustre huius rei exemplum præbuit nobis Iosephus, castissimus adolescens, qui à Dominâ suâ ad stuprum multoties solicitatus tandemque vi arreptus, nequaquam acquieuit operi nefario, sed dixit, ad eam: *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo suá: nec quidquam est, quod non in meá sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergò possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum?* (siue, vt alij legunt, in Deum meum?) *Gen. 20.* q. d. fieri non potest, vt tam iniquus, infidus & ingratus sim hero meo, tam in me propenso, vt mihi omnia sua crediderit. Cogitemus iam & nos, quanta à Deo nostro accepimus beneficia. Ab ipso creati & redempti è Dæmonis seruitute sumus, ipsius sanguine in baptismo abluti & pretiosâ gratiæ veste induti, insuper filij eius adoptati, de mensâ & corpore eius pasti, demum hæredes eius in cœlo conscripti: ipse nobis omnia sua tradidit, doctrinam cœlestem, virtutes, merita, corpus & sanguinem, denique & regnum suum. Vnicum tantum sibi reseruauit, ne gloriam & maiestatem eius peccato offenderemus, quia scriptum est *Isa. 42. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* Fierine igitur potest, vt tantum & tam beneficum Dominum, non dico, impugnemus, sed vel verbulo molestemus? Et quâ ratione ausit aliquis thronum eius conscendere, coronam capiti eius detrahere; ipsum è solio exturbare, & gloriam eius alteri dare? Non possum, non possum, exclamares vtique, si tibi quis hoc suaderet. Magna quidem beneficia accepit ab hero suo Ioseph, sed nō minora illi reddidit: *Benedixit enim Dominus domui Ægypti propter Iosephum & multiplicauit eius substantiam*, vt dicitur ibi. Nos à Deo accipimus, nihil dare possumus. Iosepho molesta erat Domina & vim inferre cœpit ad patrandum scelus. Nemo nos ad peccandum trahit: sola nostra libido & effrænis voluntas impellit. Porrò ne Iosephi factum paternæ disciplinæ & bonæ educationi potiùs quàm lumini naturali & Synderesi adscribamus: audiamus etiam factum adolescentis Ethnici ex Val. Max. *l. 5. c. 9.* Aduerterat bonus quidam pater necti sibi à filio insidias adeoque necem parari; quod tamen cùm in animum inducere non posset, in locum desertum filio perducto, gladium, quem secum occultum attulerat, tradidit, ac iugulum feriendum præbuit, nec veneno nec latrone ei ad peragendum parricidium opus esse affirmans; quo facto non paulatim, sed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit. Continuoque abiecto gladio: *Tu verè*, inquit, *Pater viues & si tam obsequens es, vt hæc precari filio permittas, me quoque exuteras. Sed tãtùm quæso, ne meus ergà te amor eò sit vilior, quòd à pœnitentia oritur.* Nónne iuuenis iste & verbo & facto dicere voluit: Quomodo possum hoc malum facere, vt optimum patrem iugulem? Quid igitur nos Auditores? adhucne

poterit

poterit aliquis gladio peccati Deum Patrem
suum impetere? Quid enim ait Moyses *Deut.*
32. Haeccine reddis Domino, inquit, *popule stulte &*
insipiens? Nunquid non ipse est Pater tuus qui posse-
dit (Hebr. emit.) *te & fecit & creauit te?* Comme-
morat etiam S. Gaudentius egregium facinus
Beneuoli, scriniorum Valentiniani Imp. Præ-
sidentis, inuictam scilicet erga Deum, Eccle-
siam & SS. Patres obseruantiam. Cùm enim
iuberetur aduersus Patrum fidem imperialia
decreta dictare, abnuit; Et cùm amplior ei ho-
nor promitteretur, dixit: *Quid mihi pro impieta-*
tis mercede altiorē promittitis gradum? hunc ipsum,
quem habeo, tollite, tantùm mihi conscientia fidei du-
ret illæsa. Atque ita cingulum ante pedes præci-
pientium iecit Baron. *anno 386. ex Ruffino. l. 4.*
de fide Cath. Horum igitur exemplo nos, cùm à
mundo, carne, Dæmone instigamur ad patran-
dum aliquid contra Deum, Christum, Eccle-
siam, SS. Patres, Magistratum, Parentes, Heros,
Præceptores aliosque benefactores, colliga-
mus nos quam primùm & pensemus, quan-
tum his obstricti simus & an fieri possit vt tam
fortia beneficiorum abrumpamus vincula &
pro bonis mala rependamus.

D. III. Timor iudicij diuini.

TERTIVM est timor DEI, conceptus ex
consideratione seuerissimi iudicij & vindictæ
Dei, quæ expectat peccatores sæpe in hac vitâ,
certissimè vero in die iudicij, vbi *quidquid latet*
apparebit, nil inultum remanebit. Hoc vinculo ad-
stringi cupiebat Dauid, cùm orabat: *Confige ti-*
more tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.
Idemque suadet S. Basilius in illud *Ps. 33. Veni-*
te filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Cùm
te, inquit, *appetitus inuaserit peccandi, velim cogites*
horribile illud Christi tribunal, in quo præsidebit Iu-
dex in excelso throno: astabit autem omnis eius crea-
tura, ad gloriosum eius conspectū contremiscens: ad-
ducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vitâ
gessimus, rationem reddituri: mox illis, qui mala per-
petrârunt, terribiles quidam & deformes assistent
angeli, igneos vultus præferentes atque ignem spi-
rantes in homines, scil. impios. Adhæc cogita profun-
dum barathrum & inextricabiles tenebras & ignē
carentē splendore vrendiq; vim habentem, sed priua-
tum lumine: deinde vermium genus, venenum im-
mittens & carnem vorans, inexplebiliter esuriens,
neque vnquam satietatem sentiens atque intolerabiles
dolores corrosione ipsâ infligens. Denique quod omniū
grauissimum est, opprobrium illud & confusionem
sempiternam. Hæc time & hoc timore quasi fræno
animam à peccatorum cōcupiscentiâ reprime. Ita S.
Basil. Cohibuit DEVS hoc timoris fræno non
semel etiam Ethnicos quantumuis iracundiæ
æstro percitos. Primò, Laban Socerum Patriar-
1. chæ Iacobi; Audiens enim clam discessisse ge-
nerum cum filiabus, eius vxoribus, persecutus
illum, armauit in eum manus suas vltrices.
Verùm priùs apparuit ei Deus iratus & mina-
bundus (è tali enim specie vult Rupertus agni-
tum esse ab homine gentili Deum Abraham,
Isaac & Iacob) aitque: *Caue ne quidquam aspere*
loquaris cōtra Iacob. Quid igitur ad hæc Laban?
retraxit ilicò vngues suos & gladium in vagi-
nam; mitiusque agens, deprehenso genero: *Va-*
let manus mea, inquit, *reddere tibi malum: Sed Deus*
Patris vestri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra
Iacob quidquàm duriùs. Itaque sæuitiam & o-
dium conuertit in amorem & beneuolentiam,
sanxitque fœdus & amicitiam cum genero
perpetuam. Secundò. Eodem vinculo constri- 2.
ctus & vinctus fuit Balaam, homo alioquin
perditus & ariolus, ne malediceret Hebræis.
Tametsi enim ad hoc euocabatur à Rege Ba-
lac, magnisque promissis ac muneribus prouo-
cabatur, fortiter tamen abnuit dicens: *Si dede-*
rit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri,
non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel
plus vel minus loquar. Variè etiam tentatus ne-
quaquam adduci potuit, vt Hebræis maledi-
ceret. Eccur verò hoc? Quia audiuerat à Deo:
Ne maledicas populo, quia benedictus est; Viderat
etiam angelum euaginato gladio in itinere si-
bi obsistentem minantemque nisi diuino pare-
ret oraculo. Igitur homines impij à Dei veri
religione alieni cōtinuerunt se suosque appeti-
tus metu indignationis diuinæ: & non conti-
nebit se Christianus, qui Dei sui iustitiam, for-
titudinem vindictam in peccatores certâ fi-
de nouit? His addamus Tertiò Attilam barba- 3.
rum & impium, flagellum Dei & orbis terro-
rem. Hic Italiam ingressus & Romam versus
tendens, omnia vastaturus, obuium habuit
Leonem Papam, cuius eloquentiâ persuasus
pacem dedit Romanis & vltra Danubium non
rediturus abscessit. Mirati eius Proceres, cur se
præter morem vnius Sacerdotis verbis tam
mitem & beneuolum præbuisset: Quibus ipse
respondit, se adstantem alium Sacerdotali ha-
bitu vidisse propè ipsum; minitantem sibi stri-
cto gladio mortem nisi Leonis mandatis pa-
ruisset. Baron anno 452. Potuit ergò hic Lupus
coërceri à Leone vel potiùs à DEO, ne in oui-
le Christi irrueret; potuit agninam induere
mansuetudinem: & nolet Christianus frænare
peccandi impetum, qui antequam admoueat
manum ad peccatum, scit vel saltem scire de-
bet gladium DEI euaginatum sibi imminere?
Quid enim est illud Iacobi 5. *Ecce Iudex ante*
Ianuam assistit? nisi: iam imminet, iamiam vl-
cisci veniet? Hinc ergò S. Clemens ep. 1. nar-
rat, S. Petrum dicere solitum: *Quis peccare pote-*
rit, si semper ante oculos suos iudicium Dei ponat?
Sententia profectò tanto Apostolo digna &
proposito nostro congruentissima.

Ergò, Auditores, admittamus etiam nos
& induamus nobis vincula IOANNIS, vincula
iustorum: & siquidem his iam vincti sumus, ne
quæramus solutionem. Ita enim suadet Eccle-
siasticus c. 6. *Audi fili*, inquit, *& accipe consilium*
intellectûs & ne abijcias consilium meum. Inijce pe-
dem tuum in compedes illius & in torques illius col-
lum tuum. Et erunt tibi compedes eius in protectio-
nem fortitudinis & bases virtutis, & torques illius
in stolam gloriæ. Decor enim vitæ est in illa (*sapien-*
tia) & vincula illius alligatura salutis, &c.

CON-

CONCIO VI.

De vinculis peccatorum, quibus retinentur in potestate dæmonis, ne ad pœnitentiam festinent.

Vincula diaboli quibus constringuntur peccatores assignat Auctor hæc:	*3. Desperatio & diffidentia.*
1. Incredulitas.	*4. Pœnitentia horror.*
2. Spes longioris vitæ.	*5. Exemplum malorum.*
	6. Respectus humanus.
	7. Neglectus salutis.

THEMA.

Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi, &c. Matth. 11.

A. MAgnâ contentione quærunt animas hominum Deus, & humani generis hostis Diabolus, ita vt postquam ceperint vnam, eam mox in vincula conijciant seduloque custodiant, ne sibi elabatur: etsi valdè diuerso fine; Deus vt vitam illis det; Diabolus verò vt mactet & perdat, *Ioan.* 10. De Dei vinculis loquitur Ecclesiasticus *c.* 6. dicens: *ne acedieris in vinculis eius.* Et mox: *vincula illius alligatura salutis.* De vinculis Diaboli loquitur Dominus *Luc.* 13. dicens: *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas; non oportuit solui à vinculo isto?* Vtraque autem vincula talia sunt, non quæ cogant hominem, sed fortiter quidem constringant, rumpi tamen ab illo, si velit, possint. Quænam verò DEI sint vincula, iã antè diximus. Quod attinet ad Diaboli vincula, multi ex illis vinculis mittunt quidem, quemadmodum Ioannes in hod. Euang. suos quosdam discipulos, id est, desideria quædam imperfecta, suspiria, & velleitates, quibus liberari à iugo Dæmonis & iungi vellent Deo: ipsi tamen non accedunt, nec vnquã dicunt: volumus; sed, vellemus, tantùm. Quia nimirum adhuc fortiter constricti tenentur vinculis diaboli. Quænam autem illa sint & quàm contemnenda, nunc ostendam.

B. I. Incredulitas. PRIMVM. Incredulitas, quâ persuadentur à Dæmone, quasi ea quæ de inferno & alterâ vitâ dicuntur, de meritorum retributione, tantùm inanes minæ sint & terriculamenta. Hoc pacto, decepti sunt increduli illi Ægyptij *Exo.* 9. qui comminante & prædicente per Moysen Deo grandinem multam nimis, perempturam homines & iumenta, nisi de agris sub tecta reducantur: fidem dicenti non adhibuerunt, nec sub tecta se receperunt, nec pecora reduxerunt: ideoque cum iumentis omnes à grandine occisi sunt. Alij verò, qui timuerunt verbũ Domini & crediderunt ei, receperunt se & pecora sua in tutum, & salui fuerunt. Non dissimiliter Dominus toties nos admonet de futurâ vltimâ tribulatione, igne perpetuo impœnitentibus præparato: proinde recipiamus nos in tutum, fugiamus sub tectum pœnitentiæ, si perire nolimus. Quid tristius nunciari potest eo, quod Dominus *Luc.* 13 ait, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis?* Sed non omnes timent hoc verbum, quia non omnes credunt ideoque ad pœnitentiam non festinant. Sed num experimentum capere vultis earum, quas prædixit Dominus veritatum? Ante dies 14. audiuimus, quam cladem & calamitatem prædixerit Dominus Ierosolymitanis, extremam scilicet vastationem; proinde cùm viderent vrbem circumdari ab exercitu & abominationem stantem in templo, tunc fugerent ad montes, &c. An non exitus ostendit, vera dixisse Dominum? facta sunt hæc ordine. Nam paulò ante euersionem Vrbis templum à seditiosis occupatum, per cædes aliasque impuritates profanatum adeoque (modo loquendi scripturæ) abominatio facta est: similiter à Cestio Syriæ præside, obsidione cincta Vrbs, licet ad modicum tempus; vt daretur locus fugiendi fidelibus è Ciuitate: vt deducit Baronius anno Christi 68. Quæ duo imminentis iam cladis signa, aduertêre & credidêre fideles, ideoque ex Vrbe in alias regiones elapsi sunt iuxta Christi consilium: vt testatur Epiphanius *hæresi* 29. *&* 30. Reliqui verò qui dictis Christi fidem non habuerunt, remanentes miserrimè perierunt iuxta omnia quæ prædixit Christus, Nunquid hæc terriculamenta & inanes minæ erãt? an non euentus ostendit, verissimam fuisse Christi prædictionem? Igitur ò Increduli vel hoc exemplo discite, vana non esse, quæ comminatur Dominus impœnitentibus.

C. II. Spes longioris vitæ. SECVNDVM. Spes longioris vitæ, confidunt enim multi robori, valetudini & iuuentuti suæ, quasi adhuc tempus sit, & in momento, cùm opus erit, pœnitentiam agere possint, Quibus accidit, quod auiculæ, quæ confisa in volatûs sui pernicitate, licet videat infra se aucupem, de ramo in ramum saltat & cantat, quasi bene anteuertere possit aucupem, si quid contra eam tentare vellet; putat enim se vbi strepitum audierit, mox auolaturam: interim tamen balistæ globo traijcitur incauta, antequam sonitum percipiat. Ita multi ducunt in bonis dies suos, de voluptate & vitio in vitium saltantes; putant enim se vbi mortis aduenturæ strepitum per senium vel ægritudinem audierint, mox pœnitentiam acturos, confisi in pennis roboris & iuuentutis suæ: interim tamen sæpè anteuertuntur & pereunt antequam senescant aut ægrotent: Non potest Dæmon persuadere talibus, quòd sint immortales; id enim credere nequeunt, cùm quotidie videant, modò abripi parentem, modò amicum, modò vicinum. Potuit quidem faciliùs hoc persuadere primis parentibus, vt qui mortis nullum adhuc viderant vestigium; nobis autem minimè, vt dixi. Quid igitur facit? Medicum imitatur, qui infirmo daturus certam pulpæ cassiæ quantitatem, diuidit eam in minutas pilulas sicque paulatim per partes ægrotum assumere facit, quam is simul totam non sumpsisset. Semper victurum hominem, hoc iam Dæmon nemini persuadet: sed cras te victurum & perendie & sic deinceps; hoc persuadet non difficilè; vnde tamen fit vt perinde viuant peccatores, ac si immortales forent. Hoc cùm sibi persuaderet diues ille, annos scilicet

licet

licet plurimos, apud *Luc. c. 12.* Audijt à DEO: *Stulte hac nocte repetunt animam tuam a te.* Accipitre vnam ex auiculis rapiente, reliquæ omnes relictâ escâ & commoditatibus suis, in tutum se recipiunt cantumque silentio commutant, quia simile infortunium metuunt. Peccator autem licet quotidie videat modò hunc, modò illum socium suum à morte abripi, non ideò desinit luxuriari, inebriari, ædificare, congregare, honores quærere, &c. Vnde hoc, nisi quia immortalem se putat, nec simile infortunium metuit? Verissimum ergò, quod Ecclesiastes *c. 12.* ait: *Repromissio nequam multos perdidit.* Caue igitur hoc vinculo retineri te patiaris; Sed, quia nullum habes certum diem, omnes suspectos habe. Quæso enim te si in aulam introducereris, in qua scires, vnum esse asserem oculitum, qui vbi eum attigeris, cadet & te deijciet in mille gladios acutissimos, (quâ ratione dicuntur perimi alicubi magni nominis Rei) Quomodo tu ibi spaciari, saltare, ludere pilâ posses? an non totum pauimentum tibi suspectum esset? modò vita tua eiusmodi aula est, in quâ lacet dies interitûs tui aliqua, licet ignota. Quomodo ergò non semper paues, non semper tibi prouides?

D. III. Desperatio & diffidentia.

TERTIVM. Desperatio vel etiam diffidentia aliqua de Dei misericordiâ. Quemadmodum enim cerui in exiguo saltu continentur, si modò venator eum includat pennis funi implexis: quibus conspectis putat se ceruus vndique conclusum & in retia casurum, ideoque in saltu retinetur, donec à venatore globo traijciatur: Ita Dæmon peccatorem inueteratum maximè in articulo mortis constitutum vndique concludit cogitationibus & angustijs, quasi impossibile ei sit euadere. Qui enim primò leuissimum finxit peccatum, vt induceret eum ad peccandum, posteà grauissimum fingit, vt retineat inductum. Sicuti Mercator, vt alliciat ad se emptorem merces proponit & dicit exiguò eas constare, solutioni se tempus dare, pecuniâ non indigere, &c. Posteà improuisò aduenit nummosque exigit cum fœnore: diu se expectasse asserit, debitum magnum esse, se iam pecunijs indigere, Iudicem implorandum, &c. quò nimirum eum cogat domum sibi & fundos suos tradere. Ita in angustias redactus est à pessimo illo exactore Dæmone Iudas, vt vndique discurrens nullibi effugium inueniens, iuerit potiùs ad Carnificem, quàm ad Medicum, ad Scribas, quàm ad Christum, atque ita demùm extorsit ab eo animam. Sed stramineum & pennaceum est & hoc vinculum. Caue ab illo retinearis; nequit tibi Dæmon cœlum adimere, sicuti nec dare præsumenti.

E. IV. Pœnitentiæ horror.

QVARTVM. Pœnitentiæ difficultas & austeritas. Vt enim mures reperiuntur, qui limo ante ostium caui illito, nolunt egredi, sed potiùs inibi manere, adeoque capi malunt, quàm in egressu fœdari teste Pierio *l. 13. Hierogl.* Ita aliqui delicatuli malunt in carcere Dæmonis remanere, quàm per pœnitentiæ foramen nonnihil strictum & humile egredi. Quid? inquiunt, méne ita deijciam vt noxas omnes homini aperiam, ab illo argui, instrui & puniri me patiar? Ita fascinauerat aliquando Naaman illum Syrum *4. Reg. 5.* qui ad mundandam lepram suam iussus ab Elisæo septies lauari in Iordane, rem se indignam aut duriorem censens iratus recedebat. Sed audiens à serui: *Pater etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras; quantò magis quia nunc dixit tibi: lauare & mundaberis?* lauit & mundatus est. Multi tales, qui malunt manere leprosi, quàm exuere conscientiam in confessione & lauandos se præbere. Venit verò hic timor ex eo quòd ignota sit peccatoribus via pœnitentiæ. Quærit Aristoteles *part. 5. Problem. problem. 25.* cur via ignota longior appareat, quàm nota? & respondet, ideò videri, quia nota sub certo termino apprehenditur, & vt tanta, non longior; ignota verò, sub certo termino & tanta vel tanta apprehendi nequit, ideò quodammodò vt infinita apprehenditur. Via pœnitentiæ ignota est peccatoribus. Ideò vt difficillima & quasi infinita ab eis apprehenditur: non ita ab ijs, qui hanc viam sæpius triuerunt. Mirum verò est, quod peccatores ad iugum Diaboli, aliaque mundi grauissima onera fortes sint, ad solam pœnitentiam ignaui: instar Elephantum vt S. Ambrosius scribit *in hexam. in opere 6. diei* qui ad turres ferendas fortes sunt, murem interim timent.

F. V. Exemplũ malorũ.

QVINTVM. Exemplum aliorum peccatorũ; nolunt enim videri alijs meliores: sed & iudicant alios grauiores peccatores esse, quàm sint ipsi; Ita iuxta laqueos retinentur auiculæ, quia vident ibidem cantantes alias captiuas: dum enim hæ non auolant, persistunt etiam illæ. Vnde Ecclesiastes *c. 9.* ait: *Sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Ita retẽtus in Ateismo à Dæmone mirabili & horribili illusione fuit Radbodus Frisiæ Rex, qui iamiam baptizari paratus à S. Wulfranno, ex eo quæsiuit, vbinam censeret esse maiores suos: quo respondente, apud inferos: pedem è baptismo retraxit, dicens, se velle cum maioribus suis esse, atque ita sine baptismo defunctus est; vt est *in vita VVulfranni apud Sur.* 20. Martij. Sed ô quàm stultũ est hoc vinculum! Quid enim tibi prodest, si cum multis damneris, aut cum multis ad suspendium educaris? An non inde maior tibi prouenit damnatio? An nescis illud, **Wo viel eintehrn/ da herberget man vbel?** An non audisti Dominũ de Zizanijs dicentem, *Matth. 13. alligate ea in fasciculos ad comburendum*: hoc est, vt S. Gregorius, *l. 9. Moral. c. 39.* ait, *pares paribus sociat, vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat; Adulteros cum adulteris, auaros cum auaris, fures cum furibus, homicidas cum homicidis*, &c.? Iam verò quis nescit stupas in fasciculos colligatas vehementiorem ardorem concipere & se mutuò ardentiùs inflammare? pari modo malorum societas maiorem affert eis damnationem. Quis igitur nisi insanus hoc vinculo se teneri patiatur? O quantum sibi mutuò maledicent & se

mutuó execrabuntur socij mali in inferno!

G. VI. *Respectus humanus.* SEXTVM, Respectus hominum; timent enim aliqui ne si nouam instituant viuendi rationem, homines hoc eis exprobrent, eos pusillanimes & effeminatos clamitent. Quos Dæmon ita decipit? vti auceps alaudas, quæ videntes supra se gyrari in aëre accipitrem fictitium, non audent se à terrâ tollere & auolare, sed metu illo retinentur, donec reti aucupis contectæ perimantur. Hominum iudicia & censura quasi ligneus accipiter sunt, nec quidquam tibi nocere possunt, nec impedire te à beatitudine: contra verò Dæmon plurimùm, nî ab ipso auoles: nec tibi exprobrari potest, si fugeris: sed debet, si non fugeris: sicut meritò insanus reputaretur, non qui de luto surgit: sed qui ob respectus & præsentiam hominum de luto in quod cecidit surgere nollet. Quis enim pudor tenebit istos in iudicio, cùm omnibus patebit, eos ob tam inanem metum conuerti non ausos? Quæ insania velle placere mancipio magis quàm Domino? nec audere DOMINO placere, ne mancipio displiceas? Huius rei exemplum refert Beda *l. 5. c. 4.* de quodam strenuo Viro nobili, qui cùm in morbum incidisset, sæpiùs monitus, vt de præteritis sceleribus pœnitentiam ageret, respondit se dilaturum in id tempus cùm conualuisset, ne à sodalibus audiret se timore mortis id agere, quod sanus facere noluisset: qui tandem ad extrema deueniens, horribili Dæmonum aspectu territus, suæ præscius damnationis desperans obijt.

H. VII. *Neglectus salutis.* SEPTIMVM. Negligentia quædam supina circa propriam salutem, quâ nunquam introspiciunt aut examinant suam conscientiam, nunquam seipsos considerant, quo statu res eorum sint. Hos idcircò Dæmon alijs negotijs occupat, & aliò deducit, ne salutem inueniant: penè ad eum modum, quo auis illa (vulpanser asseritur apud Pieri. *l. 20. Hierogl.*) quæ, vt vidisse se scribit S. Basilius *homil. 23. de exhort. ad baptismum*, vanâ spe aucupem decipit, ne is nidum pullorum inueniat. Offert se aucupi, quasi mox comprehendenda, donec eum à nido abducat: Similiter & Dæmon peccatores varijs negotijs circumducit & occupat, ne nidum æternæ beatitudinis omnibus Christi pullis paratum inueniant: vel ne nidum conscientiæ suæ fætidum, cui Dæmon incubare solet, introspiciant, & peccatorum fœdissimos pullos inde eximant. Sed excutiendus est lethargus, rumpenda vincula ista: quid enim potiùs curandum, quàm salus animæ? Noli detineri nugis puerilibus quò minus cœlestem hæreditatem tibi paratam adeas. Audiamus Esaiam *c. 52. Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem: Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Straminea sunt hæc vincula, noli ijs detineri, disrumpe ea cum Sampsone quasi filum de stupâ.

I. VIII. *Præsumptio.* OCTAVVM. Præsumptio de Dei misericordiâ. De hâc dictum in Dominicâ Septuages.

NONVM. Obstinatio seu indurata voluntas; de quâ S. Augustinus *l. 8. Confess. c. 5.* Suspirabam ligatus non alieno ferro, sed meâ ferreâ voluntate; velle meum tenebat inimicus & inde mihi catenam fecerat, &c. Sed de hâc dictum in Festo sancti Stephani. K. IX. *Obstinatio.*

DECIMVM. Dæmonis vigilantia, de quâ in Dominica 3. Quadrages. L. X. *Dæmonis astutia.*

CONCIO VII.

Conscientia non offendenda.

Multùm refert audire conscientiam:	*satrix.*
1. *Quia est dux vitæ nostra.*	3. *Quia Iudex.*
2. *Quia testis & accu-*	4 *Quia Christianorum lex specialis.*

THEMA.

Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi &c. Matth. 11.

QVamobrem Ioannes Baptista in vincula sit ab Herode coniectus, exponunt. S. Matthæus *c. 14.* Marcus *c. 6.* Lucas *c. 3.* Lucas ait: *Herodes autem Tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes: adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem.* Nimirum: quia Ioannes instanter arguebat Herodem: *non licet tibi habere vxorem fratris tui*; idcircò tentus & custoditus est in carcere, ne scilicet eum ampliùs arguere & confundere posset. Multi sunt Herodis imitatores, qui Ioannem, id est, conscientiam suam, sibi occlamantem in deserto cordis & murmurantem contra peccata, vinciunt & incarcerant; dum prorsus nihil curant, quid vi conscientiæ fieri possit, dummodò leges non reclament, dummodò Magistratus non corripiat, dummodò homines non obseruent; conscientiæ obiurgatio, imperium vel interdictum minimè auditur. Hinc solemus dicere de eiusmodi hominibus: *Non habent conscientiam.* Habent profectò omnes homines suam conscientiam, sed non omnes audiunt vel interrogant: vinctam ergò & inclusam habent, sed ad suam perniciem. Videndum ergò quanti referat audire conscientiam. A.

PRIMÒ. Quia ad hoc à Deo data nobis est conscientia, vt esset in hoc tenebricoso mundo Dux viarum nostrarum, & lumen ducens atque inclinans ad agendum bonum, fugiendum malum. Est enim Synderesis habitus intellectus practicus, non tantùm ostendens homini bonum, sed etiam inclinans ad prosequendum illud. Magnum Dei beneficium fuit, quòd populum Hebræum præcesserit in columnâ ignis & nubis ad ostendendam viam per desertum vsque ad ingressum terræ sanctæ *Exod. 13.* sed si benè aduertimus, idem aut simile beneficium impertiuit vnicuique nostrûm. Dedit enim nobis lumen conscientiæ, in quâ ipsemet quasi Deus præcedit nos in vi-

te nostræ peregrinatione, ne deuiemus à cœlesti patria. Hoc voluit sibi Menander, cùm dixit: *Mortalibus cunctis conscientia est Deus.* Hoc est, instar & vice Dei: quemadmodum scilicet columna illa Deum repræsentabat. Nemo igitur dicere potest, sibi non ostendi quid sit bonum & quid malum. Hanc enim querelam refellit David *Ps.* 4. cùm ait: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hoc lumen dictat homini legem illam vniuersalem, tamquam certissimam & indubitatam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris?* proindè ne fureris, ne mœcheris, ne occidas, ne falsum testimonium dicas, &c. Item sequendum esse Deum, quærendum bonum honestum, &c. Neque solum dictat, sed etiam inclinat ad prosequendum bonum, vt dixi.

Proinde qui ducem & Consiliarium hunc non audierit, grauius condemnabitur, quàm qui legi scriptæ non obedijt, nam lex scripta ostendit tantùm rem vel præceptam esse, vel vetitam: conscientia verò ostendit etiam æquam esse, vel iniquam. Et propterea Gentiles vitijs deditos, dixit Apostolus inexcusabiles, ad *Rom.* 1. quia ipsi sibi erant lex, & habebant opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum; *Rom.* 2. Hinc Dominus in iudicio dicturus est reprobis: *Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c.* puta non solùm Christianis malis, sed etiam Gentilibus. Sed quid si Gentiles respondeant: *Domine quando te vidimus esurientem, &c.?* respondebitur: *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Id quod etiam aliquo modo gentilibus potest dici: poterant enim ac debebant dictante conscientiâ cognoscere, Deo dari & fieri, quod pauperibus fit & datur; Siquidem & ipsi Dei creaturæ & imago sunt. Multò verò seueriùs hoc exprobrabitur Christianis, qui non solùm dictante naturâ agnoscunt succurrendum esse pauperibus, sed etiam vrgente Christi mandato.

C. II. Quia testis & accusatrix. SECVNDÒ. Quia ipsa est inspectrix & testis, adeoque accusatrix actuum nostrorum perpetuò nos comitans, omnia adnotans atque in librum inscribens, suo tempore prodenda. Vnde quidam dixit: *Conscientia mille testes.* Et *Eccles. c.* 7. *Scit conscientia tua quia & tu crebrò maledixisti alijs.* Est autem testis inseparabilis; quod Ethnicus etiam Seneca agnouit: qui in *l. de morib.* ait: *nullum conscium scelerum tuorum magis timueris quàm temet ipsum, alienum enim fugere potes, te nunquam.* Deinde inflexibilis est, quia nullis blanditijs patitur se quietari aut excæcari, vt dissimulet actus prauos: Sed est instar Coruorum illorum, qui Occisores S. Menradi quaqueuersum insecuti sunt clamoribus & morsibus, sicque eos prodiderunt, vt à Magistratu plecterentur. Comitatur etiam conscientia præuaricatores vsque ad tribunal Dei, nisi scelus expietur; est instar tintinnabuli illius, de quo in vita S. Medardi apud Sur. quod collo tauri appensum erat, & à fure, qui taurum S. Medardo abduxerat, abstractum & occultatum perpetuò sonabat, donec furem proderet. Exemplo sunt fratres Iosephi, qui postquam eum vendidissent, in afflictione positi dicebant ad se inuicem: *meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum minimum, & non audiuimus eum cùm depræcaretur nos Gen.* 42. In quæ verba scribit S. Chrysostomus: *Sicut ebrius quando multum vini ingurgitat, nullum sentit à vino damnum, posteà autem sentit, quantum sit damnum: ita peccatum donec consummetur, obtenebrat mentem, deinde verò conscientia exurgit & quovis accusatore mentem grauiùs arrodit, monstrans absurditatem facti.* Similiter Bessus vt narrat Plut. *l. de serâ Numinis vindictâ*, cùm proprium parentem interfecisset, multo delituit tempore. At cùm aliquando ad hospites cœnaturus pergeret, hirundinum garrientium nidum hastâ deturbauit & contriuit pedibus, causam proferens: *quia iam dudum, inquit, falsum contra me ferunt testimonium, dum cantillando dicere videntur, me proprium occidisse patrem.* Quod cùm audissent circumstantes & ad Iudicem retulissent, meritas ille pœnas dedit. Adhæc Lictorem aget aliquando & Iudici te sistet atque accusabit. Hic enim est ille Aduersarius, de quo Dominus *Matth.* 5. *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in viâ cum eo, ne fortè tradat te aduersarius Iudici, &c.* ex sententiâ S. Athanasij *quæst.* 62. Esto igitur ei consentiens, dum es in viâ, id est, sequere dictamen & ductum conscientiæ tuæ.

Iam ergò si vel ab vnico Lictore scires te in quocunque opere tuo obseruari & videri; nonne caueres? Bonam habebat causam Moyses & bonum zelum cùm Ægyptium qui Hebræum quendam percutiebat, occidit; nihilominus priùs circumspiciebat huc atque illuc verùm nemo adesset & factum videret, *Exod.* 2. Qui si quem inspectorem vidisset, nequaquam id attentâsset. Atqui præsens semper est conscientia & intuetur facinus, non quomodocunque, sed quasi testis & Lictor, vt delinquentem Iudici sistat. Meritò ergò timenda est conscientiæ inspectio. Scribit Seneca *l.* 7. *de benef. c.* 21. de quodam Pythagorico, qui fortè calceos cùm à sutore emisset, postero die pretium numeraturus, ad officinam veniens mortuum intellexit sutorem, lætabundus, quasi iam ære liber esset, abscessit. Mox tamen facti pœnitens & oculos quodammodò recludens, ad officinam redijt & pecuniam per rimam ingessit dicens: *ille tibi viuit, tu redde quod debes.* Vtinam Christiani sic saperent vel verè resipiscerent!

TERTIÒ. Quia ipsa est etiam Iudex, Vindex & Carnifex delinquentis. Quemadmodum nihil iucundius ac securius est pace conscientiæ, quam Apost. Paulus in omnibus suis Epistolis (præter eam quæ est ad Hebræos) precatur ijs ad quos scribit: sic nihil amarius & periculosius conscientiæ bello; siquidem ipsa perpetuò exagitat hominem, increpat & allatrat. Prædixit hoc Deus Caino: *Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit* (Heb. *excubabit*, quasi canis scilicet, allatrans furem) D. III. Quia iudex.

vnde

vnde S. Aug. *l.* 1. *Confess. c.* 12. *Iussisti*, ait, *Domine, & verè sic est, vt pœna sit sibi inordinatus animus*: Canis quidam occisi, vt refert S. Ambrosius *l.* 6. *Hexam.* cùm inter adstantes cadauera vidisset interfectorem Domini, mordicùs eum apprehendit & tenuit lachrymabile immurmurans, donec Reus crimen fateri cogeretur & pœnas daret. Sic conscientia mordet reum & tenet donec in Iudicio Deo se prodat & pœnas luat. Quin etiam in inferno perpetuò eos allatrat, quod vel ipsi Gentiles intellexère, qui finxère Cerberum horrendo suo latratu inferos perterrefacère. Exemplo est Herodes, qui & metuebat Ioannem viuum *Marc.* 6. & postquam occidisset Ioannem, famâ CHRISTI scilicet, mira operantis, territus est, putans surrexisse à mortuis Ioannem adeòque plus timebat iam mortuum, quàm viuum, vt aduertit S. Ioan. Chrysosto. *Hom.* 44. *in Matth.* Herodis etiam Pater audiens à Magis, natum esse Regem Iudæorum, turbatus est, quia Galilæam malo titulo (ex commissione Romanorum, qui Tyrannicè eam occupârant eique donârant) & per multa parricidia adeptus fuerat. Theodoricus Gothorum Rex cùm Symmachum innocentem & egregiè probitatis virum occidisset, & paulò post caput magni piscis, exertis dentibus & truculento aspectu, inter alia fercula ad mensam appositum esset, visum id ei erat esse caput Symmachi, nuper à se occisi: vnde concito gradu in cubiculum abscessit & lectulo decubuit indeque paulò post mœrore confectus perijt. Baron. anno 526. Nero ob cædem matris crebrò dicebat se specie maternâ exagitari, verberibus furiarum & tædis ardentibus: adhæc vidit per quietem, nauem sibi regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octauiâ Matre in arctissimas tenebras. Sueton. *c.* 46. Dion. *in Nerone.*

Quòd si verò peccator nunc non ita experitur hoc tormentum, experietur sanè & vehementissimè in articulo mortis. Vt enim nauis pondus non valde sentitur, dum trahitur in aquis, sed tunc primum, cùm extrahitur ad litus: sic pondus peccatorum primùm, omni ex parte sentietur in horâ mortis. Ita Antiochus ille Rex scelestissimus, & spoliator templi Ierosolymitani lethali morbo perculsus: *Nunc* inquit, *reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, Cognoui ergò quia propterea inuenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitiâ magnâ in terrâ alienâ*, 1. *Mach.* 6. Itaque conscientia tunc hominem condemnabit, *in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum*, vt ait Apostolus ad *Rom.* 2. Nemo non pacatam sibi & tranquillam optat vitæ periodum: sed qui conscientiam suam tàm facilè grauat, quomodo eiusmodi mortem obtinere potest? Absciderat aliquando Dauid oram chlamydis tantùm de veste Regis Saul, & protinùs percussit eum cor suum, quod id facere ausus esset 1. *Reg.* 24. *Ecce statim præ foribus adest peccatum*, Hoc eodem medio persuasus & retentus fuit idem Dauid ab Abigaile, quando eius domum vastare decreuerat. Dicebat enim illi m[illegible]: *non erit tibi hoc in singultum & in scrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris.* Cùm enim sciret Dauidem esse virum conscientiosum, non putauit efficacius medium adhiberi posse, ad placandam eius iram, quàm scrupulum conscientiæ è peccato prodeuntem, ei oggerendo. Hoc igitur frænum omnium fortissimum esse Christianis debet, ne delinquant.

E. IV. Quia Christianorum Lex specialis.

QVARTÒ. Quia Christianos præsertim decet vel solâ duci conscientiâ, licet aliæ leges non essent positæ; decet inquam, eos, duci amore virtutis & horrore peccati, non timore pœnarum. Si enim hoc Philosophi antiqui faciebant, quanto magis debent facere Christiani? Etenim Philosophus quidam Aristippus, cùm ex eo Dionysius Tyrannus percontaretur, quid præ cæteris mortalibus eximium haberent Philosophi? respondisse fertur: *Vt etiam si omnes leges aboleantur, tamen æquabiliter victuri sint. Vulgus enim à peccando legum præscriptis arcetur, Philosophus rationem habet pro legibus, & rectum facit, turpe verò omittit, quia nouit id rectum, hoc turpe esse*, Laërt. *l.* 6. Tale omninò discrimen deberet esse inter Christianos & alios non Christianos. Pulchrè hac de re Cicero *l.* 3. *offic.* *Satis nobis, si modò in Philosophiâ aliquid profecimus persuasum esse debet: si omnes Deos hominesque celare possimus; nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum. Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui, cùm terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, aeneumque equum (vt ferunt fabulæ) animaduertit, cuius in lateribus fores essent: quibus apertis hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitatâ annulumque aureum in digito, quem vt detraxit, ipse induit. (erat autem Regius Pastor) tum in concilium pastorum se recepit, ibi cùm palam eius annuli ad palmam conuerteret, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, cùm in locum annulum inuerteret. Itaque hac opportunitate annuli vsus, Reginæ stuprum intulit, eaque adiutrice Regem Dominum interemit sustulitque, quos obstare arbitrabatur, nec in his quisquam eum facinoribus potuit videre: sic repentè annuli beneficio Rex exortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet, honesta enim bonis viris, nõ occulta quæruntur.* Hæc Tullius. Videbant isti naturaliter turpe & nefas esse, quod homo à se ipso discrepet & aliter agat, quàm agendum esse sentiat. Hoc enim est practicum quoddam mendacium. Quid si isti credidissent insuper extremum iudicium? Confundunt ergò Philosophi illos Christianos, qui vbi leges deficiunt, vel cùm occasio datur impunè peccandi, liberrimè in conscientiam suam peccant. Quid non facerent nunc Christiani aliqui, si hunc annulum haberent? An non experimur, quàm liberè delinquant, cùm vel leges, vel inspectio Magistratus, deficiunt? Nemò ferè amplius mediocri lucro contentus est: nemo timet negligere præcepta Ecclesiæ, nisi inspectante Magistratu & minante virga: vt ita videantur plerique instar Herodis nunc incarcerasse vel omninò decollasse conscientias suas. Qui ta-

men suo tempore pœnas luent, & sicut Herodes tandem à Caio Cæsare in Galliæ Lugdunum ablegatus miserè perijt: Sic isti conscientiarum suarum oppressores exultabunt in inferno. Certè cùm videt Deus perire conscientiæ igniculum in hominibus, sicque eos ex hominibus degenerare in bestias: tunc incipit eos grauissimè ferire & delere. Sic Gen. 6. *Videns Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, dixit: delebo hominem, quem creaui à facie terræ.* Quod & fecit per diluuium.

Quoniam igitur tanti refert sequi ductum conscientiæ, nemo nostrûm sit, qui Ducem hunc incarceret, multò minus occidat. Audiamus iterum Ciceronem ad Atticum scribentem *l. 3. A rectâ conscientia*, inquit, *non oportet quemquam in omni vita sua transuersum vnguem discedere.* Sicut enim scriptor, vbi à calamo deflectit oculos, ilicò aberrat: & Nauarchus vbi acum nauticam non obseruat, ilicò deuiat: ita qui in omnibus actionibus suis non attendit ad conscientiam suam. Viderit ergò vnusquisque, quid & quomodo scribat in tabulas animæ suæ, ne fortè contra seipsum scribat, & literas Vriæ in proprio sinu gerat ad suam damnationem. Viderit quò nauiget, ne à tramite iustitiæ & portu salutis æternæ aberret.

CONCIO VIII.

Luxus vestium reprehenditur.

Detestãdus est hic luxus	*miseriæ.*
1. *Quia est signum animi leuis.*	6. *Quia probrum prostitutarum.*
2. *Quia est laqueus Diaboli.*	7. *Quia probrum etiam vestiti.*
3. *Quia est signum animi muliebris.*	8. *Quia ferè sordibus constat.*
4. *Quia temporis dispendium.*	9. *Quia magno constat.*
5. *Quia index humanæ*	10. *Quia modum nescit.*

THEMA.

Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt, Matth. 11.

A. NOn est, Auditores, vt existimemus eos, qui in regum aulis degentes mollibus vestiuntur, à CHRISTO reprehendi. Non enim sunt arguendi, qui ad honorem regis aulæque regiæ maiestatem pro officiorum suorum dignitate splendidè vestiuntur. Sed illi reprehenduntur qui in vestium luxu exorbitant in eoque sibi & hominibus perperam placere cupiunt. Hi enim non in aulis Regum terrenorum sunt, sed in domo regis tartarei, de quo dicitur *Iob 41. Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.* quemadmodum scilicet è contra Christus Rex omnium humilium. Quare nos vt ab aulicis Regis inferorum abhorreamus, audiamus, quàm abominandus sit eorum luxus.

Conc. Fabri Pars Hyemalis.

DETESTANDVS est Primò, quia signum est neglecti & muliebris animi. Mulierum enim est se comere & ornare: virorum interna sunt ornamenta iudicium, sapientia, virtus & cætera. Vt ergò auis è pennis, ita è vestitu agnoscitur quisque virilisne an muliebris animi sit. Sanè Philippus Rex Macedo quendam ex Antipatri familiaribus in Iudicum subsellia extulit; Verùm vbi eum nescio quo fuco barbam & capillos tingere resciuit, ab officio dimouit, causam addens, eum in rebus gerendis non videri dignum, cui fidatur, qui in capillis fidus non esset; refert P. Ierem. Drex. *in suo Trism. lib. 3. c. 10.* Sic inter Christianos Tiburtius in vitâ S. Sebastiani, Torquatum cincinnato capillo hominem, pro Christiano agnoscere noluit, licet is iudici præsentatus, Christianum se profiteretur: Aiebat enim Iudici Tiburtius; *Credisne, vir Illustrissime, hunc esse Christianum qui in sui lenocinio molliendo, capitis fimbrias admittit?* &c. *Nunquam tales testes Christus dignatus est habere seruos suos.* Displicent certè comptuli & cincinnatuli isti CHRISTO: Sed è regione placent Dæmoni, qui propterea & Ipse cincinnatuli nomen assumpsit. Scribit enim Cælius Rhodig. *l. 8. c. 10.* eum se & totam ferè Italiam audiuisse de mulieris vtero loquentem, nomenque illi fuisse, cincinnatuli: quâ is appellatione gestiens inclamanti responsa dabat. Viderint ergò illi, qui in crispando capillo alijsque corporis ornamentis tantum studium ponunt, cui Idolo litent. B. I. Quia signum animi muliebris.

SECVNDÒ, quia indicium leuis & lasciui animi. Vt enim suspensa præ foribus hedera vinum vænale prodit: ita cultus vestium æquo plus festiuus, venalem puellam aut iuuenem. Hinc S. Cyprianus *de habitu Virgin.* ait: *ornamentorum & vestium insignia & lenocinia formarum, nonnisi prostitutis & impudicis feminis conueniunt: & nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est.* Eustathius etiam in Iliad. 1. testatur apud Syracusanos lege cautum fuisse, ne aurum aut purpuram ferrent mulieres, nisi impudiciam professæ, idemque apud Lacedæmonios vsitatum fuisse scribit Clemens Alex. *l. 4. Pædagogi.* Quare sapienter decreuit Zaleucus Locrensis inter alia, vt mulieres non nisi cùm scortari atque amatores sibi moliri auderent, aureis indui ornamentis & contextis arteque elaboratis venustari indumentis possent. Diod. *l. 12.* Eant iterum comptuli & comptulæ, vtantur hoc priuilegio. C. II. Quia signum animi leuis.

TERTIÒ. Quia laqueus est Diaboli, non modò alijs intuentibus, sed proprio etiam subiecto. Velut enim Cerastes serpens, qui corniculа habens quadrigemina, eorum motu (reliquo corpore occultato) sollicitat ad se aues & intercipit, Plinio teste *l. 8. c. 23.* ita vestium Luxus in nescio quæ cornua efformatus, allicit incautos sæpe iuuenes & illaqueat. Eâ de causâ S. Antonus Florentinus Archiepiscopus feminas venustiore habitu, velut illicium Diaboli, in templo non ferebat, apud Sur. *tom. 3.* in vita illius. D. III. Quia laqueus Diaboli.

Deinde etiam sibi laqueum sæpe texunt qui se mol-

se molliùs vestiunt. Quemadmodum enim columbæ dum sibi in colorum varietate placent, atque vt eam in pennis & alis suis ostentent, inani quadam iactantiâ eas inter se collidunt & implicant non sine strepitu : quo excitati accipitres eas facilè corripiunt, vt scribit Plinius *l. 10. c. 36.* ita non rarò mulieres, dum venustiùs se comunt, poliunt, adornant: lasciuorum animus accendunt, quorum insidijs deceptæ quandoque in lapsum impelluntur.

E. IV. Quia temporis dispendium.

QVARTÒ. Quia pretiosi temporis dispendium est. Quantum enim temporis absumitur in huiusmodi culturâ? S. Nonnus Abbas Heliopoli videns Pelagiam meretricio cultu ad stuporem exornatam, fleuit, quòd ea mulier longè plus studij & temporis insumeret, ad poliendum corpus hominibus placiturum, quàm ipse in excolendâ animâ Deo placiturâ. Surius *in vita S. Pelagiæ.* Præclarè Thomas Morus Angliæ Cãcellarius cùm interuenisset virgini ad speculum stanti; quæ multo eum labore nec sine dolore comas nodo cogebat, & tutulum quò gracilior videretur arctissimè stringebat; festiuè eam interpellans aiebat, *Nisi Deus tibi pro hoc tuo tanto labore infernum reddat, magnam tibi profectò iniuriam faciet.* Stapleton. *in vita Mori c. 12.*

F. V. Quia index humanæ miseriæ.

QVINTÒ. Quia index est ac proditor propriæ paupertatis & inopiæ; quidquid enim pellium, quidquid serici, quidquid pannorum est, quidquid telarum, auri, argenti, gemmarum aliarumque rerum, quibus homines se exornare solent, ab alijs & ferè à brutis mutuata & accita sunt; & quò quisque pluribus eorum se vestit & adornat, eò se pauperiorem vtpote pluribus indignum demonstrat. Quare si oues, boues, vituli, capræ, vulpes, martes, lupi, &c. pelles suas ab homine repeterent, quid, quæso, vestium ei remaneret? nudus prorsus fieret, similis Adamo in paradiso. Cùm ergò alienis plumis sese ornet homo, quid de iis extolli potest? nónne in suo illo decore vincitur ab animalibus, à quibus eum mutuatus est? Crœsus Lydiæ Rex regiè ornatus, sublimi solio residens, Solonem interrogauit, an pulchrius vnquam spectaculum vidisset? *Vidi* respondit, *in Gallis Gallinaceis, phasianis & pauonibus.* Laërt. *l. 1. de vitâ Philos. c. 2.* Demonax cuidam purpurâ vestito insolescenti in aurem dixit: *Heus tu, hoc ante gestauit ouis, & ouis erat;* Significans illum suprà ouem nihil habere. Quin etiam ridendi potiùs sunt isti, qui alienis superbiunt vestibus velut suis. Cùm enim simiam braccis & tunicâ indutam cernimus omnes in risum soluimur, quia nimirum vestitus ille naturalis & congruus ei non est; quid ergò, putatis, dicerent bestiæ illæ, quarum pellibus vel pennis vtimur ad ornatum & vestitum nostrum, si cùm nos suo vestitu insolescere vident, loqui possent? Prouerbio dicitur: *Simia est Simia, etiamsi antea gestet insignia.* Ita licet homo naturâ suâ deformis & nudus, alienis sese pellibus, pilis & plumis multicoloribus adornet: homo tamen erit, fædus, miser & miserabilis, si vestibus destituatur.

G. VI. Quia probrum protoplastorũ.

SEXTÒ. Quia est probrum primorum nostrorum parentum & stigma seu cauterium peccati totius generis humani. Scimus enim primos parentes ob præuaricationem texisse se folijs ficus, deinde vestibus indutos esse, qui priùs nudi angelorum instar, absque erubescentiâ in paradiso versabantur. Perinde igitur est in vestibus gloriam quærere, ac ostentare compedes & catenas, quibus vinctus es ob scelera tua. Et si compedes ac catenas illas velles tibi fieri aureas, nihilo plus decoris tibi comparares : Sed dedecus augeres & risui te insuper exponeres. Deinde vestes primorum parentum non ex auro vel argento, non è serico vel bysso aut sindone, sed pelles erant animalibus detractæ, crudæ ac rudes, nullâ politurâ, vt essent tam nobis quàm ipsis symbolum pœnitentiæ. Pudet ergò eum parentum suorum, quisquis à modesto vestitu deflexit ad splendidum & ornatum.

H. VII. Quia probrum etiam vestiti.

SEPTIMÒ. Quia probrum etiam gerenti est, & dedecus potiùs quam decus. Habitus enim æquo cultior ostendit hominem inanem, fastuosum, videri cupidum, superbiæ verme intus arrosum. Vt enim templa Ægyptiorum foris magnifica & elegantissima erant: Intùs verò non nisi felem, crocodilum, aut serpentem pro DEO culto monstrabant, vt docet Clemens *l. 3. Pedag. c. 2.* ita plurimorum *filiæ compositæ, circumornatæ vt similitudo templi,* ait psalmus : intus verò in animâ plenæ sunt vanitate, leuitate, superbiâ, impudicitiâ. Quare si homines sanctos videre quis desideret, nemo monstrabit illi Salomones aut Iezabeles, similesque paunnes: sed Eliam, virum pilosum & zonâ pelliceâ accinctum 4. *Reg.* 1. Ioannem pilis camelorum vestitũ, &c. Isti tali vestitu insignes laudibus celebrantur. Cõtrà comptuli & cõptulæ vnde sibi existimationẽ ferere opinantur, inde sibi probra & confusionem metunt. En, aiunt, pauonem, puppam, statuam, quàm affabrè depictam? Itáne statum eius tantus ornatus decet? Vnde illi nummi, quos in tantum cultum proijcit? nimirum è plumis pauperum spoliatorum. Pulchra bestia, dicunt alij, ornatum eius mihi optarem, ipsam alteri donarem. Alij : de quo stemmate est iste vel ista? homines è pago: progenitores eorum rastra tractârunt: ille ipse olim olus vendidit & nares manicâ absterit, &c. hæc illorum sunt elogia.

I. VIII. Quia fere sordibus constat.

OCTAVÒ, quia fere sordibus constat. Quid enim aurum & argentum, nisi terra rubra & alba? Quid byssus, nisi vermium, bombycum scilicet, putredo? Quid vniones nisi concharum excrementa? Quid lanæ pretiosæ, nisi ouium vellera? quid calcei & chirothecæ? nisi pelles animalium? Quid Zibettum nisi stercus cati seu moschi? Videtur ergò Deus hanc hominum superbiam damnasse ad excrementa, quemadmodum damnauit serpentem, vt terram semper comederet.

K. IX. Quia magno impendio constat.

NONO, Quia magno impendio constat & supellectilem exhaurit. Ea enim est multorum libido se sumptuosè vestiendi, vt nullis sumpti-

sumptibus parcant, nullas expensas vereantur, & malint potiùs domi esurire, debita contrahere, & animam debere, quàm luxu vestium abstinere. Fuit anno 1518. Princeps (refert P. Drexelius *lib. 3. Tris. c. 9.*) qui talarem tunicam habuit, suffultam pellibus, quas pellio è carduelium seu acanthidum capitellis, opere prorsus incredibili confecit. Sed concedi forsan huiusmodi impendia Principibus possent, nisi eadem plebei studerent imitari. Eò enim nunc temporis deuentum vt vestium nitorem & pretiositatem in plebe potiùs cernere sit quàm in summis capitibus: nec tam in aulis requirendi sint, qui mollibus vestiuntur, quàm in vulgi plebeculâ. Quanquam & principes propter hunc luxum ad egestatem redigi possunt. Eccur enim putatis Salomon exactionibus nimijs oppressit suos subditos & jugum graue eis imposuit, nisi ob lasciuiam & luxum ad tot nimirum mulierculas comendas, ornandas, poliendas, vestiendas? Fuerunt enim ei Vxores quasi Reginæ septingentæ & concubinæ trecentæ, 3. Reg. 11.

L. X. Quia modum nescit.

Denique libido hæc vestiendi finem & modum nescit. Videmus enim singulis penè lustris communem & vsitatam vestium formam immutari ac peregrinam introduci, nouas præterea artes earum conficiendarum quotidie excogitari. Vnde non mirum, si tam insatiabili cupiditati interdum finem DEVS imponat. Id enim inprimis experta est fœmina illa (quam Romani Imp. sororem fuisse putat Baronius anno 998.) quam scribit Petrus Damianus ad Blancam Comitissam, adeò fuisse mollem & delicatam tamque artificiosam in cultu corporis, vt vndique odoribus & varijs delicijs circumflueret. Quam tantam mollitiem sibi non probari Deus ostendit, cùm permisit totum eius corpus computrescere & tantum exhalare fœtorem vt ferri nec à famulis posset. *Diutiùs ergò*, inquit Petrus, *hoc lãguore decocta & miserabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus, diem clausit extremum.* Iuit ergò, vt timendum, mulier hæc ad domum Regis tartarei, qui dominatur super omnes filios superbiæ. Cuius aulam si vitare volumus vitemus eius aulicos, qui mollibus vestiuntur, &c.

CONCIO IX.

Quinam instar arundinis varij & inconstantes?

1.	*Hæretici.*	5.	*Leues corde.*
2.	*Apostata.*	6.	*Vulgus.*
3.	*Frigidi Christiani.*	7.	*Mundus.*
4.	*Politici.*		

THEMA.

Quid exiistis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Matth. 11.

INter alias ignominias quas pro nobis Christus passus est à Iudæis, fuit & arundo data in eius dexteram, cùm spinis coronaretur. Cui ignominiæ causam vtiq; dedere plurimi Christiani, qui cùm alioquin in CHRISTI dexterâ sint, adeoque filij dexteræ, hoc est, felices, & strenui ac fortes esse deberent: Sunt interim velut arundo, mutabiles, inconstantes, ad omnem ventum mobiles. Grandis ignominia, Auditores; Hi enim & Christo illudunt & se toti aliquando mundo illudendos exhibent; cùm videlicet apparebunt aliud non fuisse nisi arundo vento agitata, qui in præsenti sæculo quasi sceptrum videri volunt, manum Christi ornans. Hos igitur ne imitemur, videamus quinam sint.

PRIMÒ, Tales sunt Hæretici. Ideò à S. Iudâ in suâ Can. vocantur, *Nubes sine aquâ, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, fluctus feri maris, sydera errantia.* Sicut enim nubes steriles à ventis agitantur, similiter in autumno arbores (quoniam eo tempore venti magis flant) & fluctus in mari semper iactantur, sydera denique errantia semper tramitem mutant, ita vt nunquam eodem loco oriantur & occidant: Ita Hæretici noua semper dogmata excogitãt & docent, vtique agitati à spiritu Diabolico. Sic nostro hoc æuo Lutherus, Philippus, Caluinus, alijque Nouatores intra paucos annos sæpiùs mutarunt, cuderunt & recuderunt suas catecheses, institutiones & confessiones, veluti Augustanam, quam duodecies mutatam, conqueritur Prædicans Musculus in Colloquio Herzbergensi, fol. 92. Idem in Luthero ostendit Cochlæus *in l. cui titulus*; Lutherus Septiceps. Quæ causa inter alias mouit Illustrissimum Marchionem Badensem Iacobum, vt à Lutheranismo se reciperet ad fidem Orthodoxam. Eandem Lutheranæ sectę instabilitatem ridẽs Fridericus Saxonię Dux, cùm à Catholicis rogaretur, quid Lutherani sui crederent: respondit: *quid hoc anno credant, scio: quid verò sequenti anno credituri sint, nescio.* Ita S. Hilarius ad Constantium & Constantem Impp. ait, Arianos plurimas habere fides easque annuas & menstruas. B. I. Hæretici.

Denique ipsi secum pugnant, fluctuant & dubitant. Lutherus inter alia *in Coll. Eisleb. de Christo. fol. 96. §. 3.* ait: *sæpe sic mecum cogito; propemodum nescio quo loco sim & vtrum veritatem doceam necne.* Oecolampadius paulò ante mortem: *Ego*, ait, *totus incertus in fide & fluctuans abeo coram Dei Tribunali rationem redditurus atque experturus, vtrum doctrina mea vera an falsa fuerit.* Refert Florimũdus Rem. *de Orig. Hæresum. l. 2. c. 8.* Melanchton moriturus à matre interrogatus, quæ denique fides sibi retinenda sit, Catholicáne an quam ipse docuit? Respondit: *Hæc plausibilior, illa securior.* Florim. ib. c. 9. Causa est primò, quia qui semel à recto tramite aberrauit, deinceps crebriùs errat, quia nulli viæ acquiescit, postquam veram amisit. Hinc in omnibus Hæreticis spiritus vertiginis. Quia enim mendacium, cujusmodi est hæresis, facilè deprehenditur, hinc oportet eorum propugnatores noua semper comminisci eis fulcra & velamina.

Secundò. Quia aguntur à ſpiritu diaboli, qui Pater eſt mendacij & ſuos ſemper nititur præcipitare in errores maiores & maiores.

C. II. Apoſtatæ.

SECVNDÒ. Tales ſunt Apoſtatæ, qui vento perturbationis ſeu tentationis transferuntur ab Eccleſiâ Chriſti ad Synagogam Sathanæ. Hac de re arguit Apoſtolus Galatas *ad Gal. c. 1.* dicens: *Miror, quod ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium, quod non eſt aliud*, id eſt, vanum & fallax. Quemadmodum ſoli domui Rahab ſalus fuit in Iericho, & qui inde pedem extuliſſet, incidiſſet mox in gladios Hebræorum & periſſet: *Ioſ. 2.* ita extra Eccleſiam nemini ſalus eſt, & qui ab eo refugit, incidit in gladium Dæmonis. Sunt hi velut arbores à vento eradicatæ & in aërem tranſlatæ, proiectæ in terram & confractæ. Vnde propriè vocari poſſunt, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, ex Epiſtolâ Iudæ cit. Erant enim in Eccleſiâ ſteriles bonorū operū, ideò bis mortui ſunt; primò per peccata grauia in quibus volutabantur, & ita exaruerunt in fructibus. Secundò per Hæreſin & Apoſtaſiam, & ita aruerunt etiam in radice, vt nulla ſpes ſuperſit reuiuiſcentiæ. Vnde eradicati ab Eccleſia per excommunicationem, abripiuntur à Dæmone & foras proiecti, ad ignem tantùm æternū à Dæmone colliguntur. Talis arundo fuit Lucifer, primus omnium Apoſtata è cœlo exturbatus. Talis Iulianus Imp. ab Eccleſiâ eradicatus, & miſerrimè extinctus. Tales Hæreſiarchæ; quorum interitus quàm calamitoſus fuerit, nouimus, veluti, Caluinum pediculari morbo abſumptum: Lutherum in lecto ſuffocatum (à Dæmone vel à ſemetipſo) Zwinglium in bello, cùm promiſiſſet omnia ſe tela Catholicorum excepturum, interemptum. Cariſtadium, Bucerum, Oecolampadium alio modo à Dæmone extinctos. Bozius *de ſignis Eccleſia, to. 2. l. 23 c. 3.* Florimund. Ræmund. *de Orig. hæreſ.* & alij.

D. III. Frigidi Chriſtiani.

TERTIÒ. Tales ſunt frigidi Chriſtiani, qui hæreticorum moribus ſe accommodant in gratiam ipſorum, & rurſum poſteà cum Catholicis Catholicos ſe oſtendunt. Similes Chamæleonti, quo nullum animal pauidius exiſtimatur & ideò verſicoloris eſt mutationis, vt ſcribit Plinius *l. 28. c. 8.* mutat enim colorem ad ſpeciem eius, quem proxime attingit. Vnde bene Chamæleon, id eſt, humilis ſeu paruulus Leo vocatur, quia non tantùm corpore, ſed & animo talis eſt Multi eiuſmodi Catholici, paruuli, inquam, Leones, qui præ inani timore, prauorum moribus ſe accommodant, nec audent coram illis facere ea, quæ Catholicorum ſunt. Contra quos Apoſtolus ad *Eph. 4.* dicit: *Iam non ſimus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrina in nequitia hominum.* (Græcè in aleatione hominum, q. d. non ludamus cum Hæreticis quaſi cum Aleatoribus de fide noſtra, nec ad eorum placitum transferri nos ſinamus, quò impellunt illi) Huiuſmodi Chamæleon fuit miniſter quidam Orthodoxus dilectiſſimus Theodorico Regi Ariano. Hic enim cùm ſe Regi gratificari poſſe ſperaret, ſi eiuſdem cum eo religionis normam acciperet, ad Arianos defecit. Verùm eo cognito Rex iuſſit illum capite plecti, dicens; *ſi Deo fidem non ſeruaſti, quomodo mihi, qui homo ſum, eam conſeruabis?* Theodorus Lector *in Collectan. l. 2.* apud Baron. anno 493.

Item ij, qui hæreticis fauent, & Catholici cùm ſint aut haberi velint, Catholicis contra Hæreticos ſubſidia non ferunt, aut cum vtriſque ſentiunt. Similes Merozitis & Rubenitis in ſacro bello Iſraëlitarum cōtra Siſaram; quorum illi contribules ſuos nullo modo iuuare voluerunt, in quos Angelus tulit Domini ſententiam: *Maledicite terra Merez, maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt in auxilium Domini, & in adiutorium fortiſſimorum eius.* Hi verò medij & Amphidoxi erant, euentum belli præſtolantes vt cum victoribus ſentirent; qui tam Baraco, Hebræorum Duci? quàm Siſaræ gentilium duci dicebant: *tui ſumus nos*, vt ait Chaldæus *Iudic. 5.*

Rurſum ij, qui peccatum hæreſeos parui æſtimant neque vindictâ graui aut infamiâ dignum: Vnde hæreticos, ſi politicam quandam honeſtatem ſeruent, viros probos & honoratos iudicant, nec eos hæreticos, ſed viros religionis reformatæ, & hæreſim religionem reformatam vocari volunt. Hos metuendum ne maneat ignis ille, qui corripuit Hebræos excuſantes Dathan & Abiron, qui murmurârant & rebellârant contra Moyſen. Cùm enim eorum peccatum paruum videretur plebi, & quaſi duriùs cum illis actum eſſet, quando à terrâ abſorpti ſunt, mox immiſit DEVS in eam ignem, qui repente 14700. hominum abſumpſit. *Num. 16.* Sanè omnibus his dicitur illud Eliæ, *3. Reg. 18.* *Vſquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt* DEVS, *ſequimini eum: Si autem Baal, ſequimini illum.* Etenim tunc Hebræi profitebantur ſe colere Deum verum, interim tamen ſupplices accedebant ad aras Baal in gratiam Regis ſui Achab, & Iezabel. Placere ſtudebant Iezabeli, interim tamē nolebant videri defeciſſe à Deo ſuo, vnde ab huiuſaris ibant ad aras Baal & è contra; quod taxat ibi Elias.

E. IV. Politici.

QVARTÒ. Tales ſunt Politici, duplici corde & lingua, omnium ſe moribus & verbis accommodantes. De quibus ait S. Iacobus *in Epiſt. ſuâ c. 1.* *Vir duplex animo* (græcè, Vir bianimis) *inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis.* Huiuſmodi ſunt Hypocritæ, Paraſiti, Verſipelles & Politici, qui duplex habent cor, vnum verum, alterum fictum; vnde fingunt ſe amare Deum, cùm ament mundum & peccata: fingūt ſe fideles & pios, cùm ſint impij & infideles, cum Catholicis ſunt Catholici, cum hæreticis hæretici, cum Atheis Athei, cum caſtis caſti, cum inceſtis inceſti, cum ſobrijs ſobrij, cum ebrijs ebrij: ſuum enim pallium ad omnem ventum obuertunt. Audi Gnathonem, Paraſitorum Principem apud Terentium in Eunuch. *Eſt*, inquit, *genus hominum, qui ſummi videri volunt: his ego arrideo & eorum ingenia admiror ſimul; quidquid dicunt, laudo: ſi*

negant,

negat, laudo, id quoque: negat quis? nego. Ait? aio &c.

Ergò vt polypi mutantur à petris, quibus adhærent; sic isti à Magnatibus, quibus addicti sunt. Ostendunt hæ arundines se esse inanes, id est, quærere opes, honorem, fauorem vel mensam; Non sic S. Gregorius Nazianzenus, qui scripsit de seipso: *Ego ille idem sum, nec immutor vt polypi, à petris, quibus adhærent.* Non sic Ioannes noster, qui omnes sine discrimine corrigebat, reprehendebat, vti in primis Herodem, maximâ Constantiâ dictitans: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

F. V. Leues corde. QVINTÒ. Tales sunt leues corde, vt qui carni & mundo adhærent. Hi enim cùm stabili virtutis fundamento careant, ad instar Galli versatilis ad omnem ventum, fortunæ, suasionis, irrisionis, laudis, contemptus, offensionis, &c. mouentur, & quoquo versum se se verti & inuerti sinunt. Signum est hoc magnæ leuitatis & inanitatis à virtute: Sicuti arundo à quouis vento mota. Vnde S. Gregorius in Euág. hod. *hom. 6. in Euang.* ait: *Quid per arundinem nisi carnalis animus designatur? Qui mox vt fauore vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit, hilarescit & extollitur totumque se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde ventus detractionis eruperit, vnde laudis aura veniebat, mox eum quasi in partem alterā ad vim furoris inclinat.* Et S. Chrysostomus *hom. 27. in Matth. Sicut calamus vacuus est, & nullam habet virtutem, & ideò qualis vis venti flauerit super eum, huc & illuc flectit illum: Sic & homo carnalis & sæcularis, in quo fidei nulla est medulla & virtus veritatis non inuenitur in eo, qualiscumque tentatio venerit super eum, curuat eum.*

Non sic viri graues & virtute pleni: Sed potiùs instar columnæ stant immoti nec patiuntur se ab honesto & æquo vllâ ratione dimoueri. *Decet viros graues* ait S. Cyprianus *l. 4. Epist. 2. semel supra Petram robustam, solidâ stabilitate fundatos, non dico aurâ leui, sed nec vento nec turbine cōmoueri.* Talis fuit S. Ioannes, qui nec laudum aurâ potuit moueri, vt se Christū esse diceret; nec vinculorū procellâ, vt non loqueretur & ageret, quæ suæ legationis erant. *Arundo vento agitata*, ait S. Gregorius *loc. cit. Ioannes non erat, quem à statu sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Discamus ergò fratres charissimi arundo vento agitata non esse, solidemus animū inter auras linguarum positum, stet inflexibilis status mētis. Nulla nos detractio ad iram prouocet, atque ad remissionem inutilis gratia, nullus fauor incliuet. Non nos prospera eleuent, non aduersa perturbent, vt qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moueamur*, Sic ille.

G. VI. Vulgus. SEXTÒ. Tale est vulgus. Quia enim vulgus verâ sapientiâ vacuum est, hinc mendax & instabile est, & modò vult, modò nō vult. Ita populus Hebræus sub iugo Ægyptiaco pressus & ingemiscens vociferatus est ad Dominū, vt ab eo liberaretur *Exodi. 2.* Verùm liberatus & ductus per desertum, pastus etiam manna, tantâ contentione regredi in Ægyptū voluit, quantâ inde discesserat. *Vulgus quippe promiscuum*, ait S. textus *Num. 11. quod ascenderat cū eis, flagrauit desiderio, sedens & flens iūctis sibi pariter filijs Israël & ait: Quis dabit nobis ad vescendū carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones porriq; & cepe, & allia.* &c. Rursum *Num. 14.* territi nuncio exploratorum pergere in deserto nolunt versus terram promissam, regredi in Ægyptum volunt. Verùm manè facto, repentè immutati: *parati sumus*, inquiunt, *ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est.* Peccārunt etiā in hoc, quia sine consilio, nutu & ope DEI ascenderunt montem & ibi cæsi sunt à Chananæis. Denique vulgus Christum modò rapere & facere Regem voluit, modò ei prælegit Barabbam & clamauit contra eum: *crucifige, crucifige*; Nimirum *sicut nebula*, inquit S. Basilius *apud Anton. in Melissa p. 1. Serm. 8. iuxta mutationes flatuum nunc huc nunc illuc feruntur: sic vulgus quouis vento nunc in hanc nunc in illam partem sese flectit.* Bene dixit Sapiens, *Eccles. 27. Homo sensatus in sapientia manet sicut sol: nā stultus sicut luna mutatur.* Eiusmodi autem stultus est vulgus. Luna modò pleno orbe, nunc corniculata; nunc obscura, nunc clarata; nunc pallida, nunc rubra, nunc candida est. Hinc Apologus ille Cleobuli apud Plut. *in conuiuio 7. sapientum* in quo luna à matre petijt vt sibi tunicam congruentem texeret. Cui mater: Quomodo id possum, cùm iam te plenam, iam semiplenam, iam corniculatam videam? sic nimirum homini fatuo & mundi vulgo nulla est mensura: nunc animosus est, nunc timidus: nunc paret, nunc recalcitrat. Quisquis ergò in hoc stulto confidit, ei fidem habet, aut placere cupit, aut mercedem ab eo expectat, stultissimus sit necesse est; hodie enim laudat, cras vituperat: hodie promittit, cras abnegat: hodie extollit, cras deprimit. Noluit S. Ioannes confidere huic stulto, vnde laudes eius respuit: & interrogatus an Messias esset, constanter negauit, nec potuit à sententia vllatenus dimoueri: non sum, non sum, non sum.

Denique talis est mundus totus, quia nullis solidis bonis constat. Vnde rectè mundum mari compares iuxta id *Ps. 103. hoc mare magnū & spatiosum*; Cælum verò terræ, iuxta id Saluatoris: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5.* Etenim cœlum stabile est, mundus verò maris instar in continuo motu, fluxu & refluxu est. Vnde Philo. *in lib.* quod DEVS sit immutabilis, ait: *Sicut affluxū maris sequitur paulo post refluxus: sic rerum caducarum affluentiam sequitur refluentia.* Ergo vti mare iam ad sydera quasi tollit naues, iam quasi ad infernū deprimit: ita mundus cultores suos. Expertus est hoc Moyses, qui è flumine sublatus translatus est in Regiam Pharaonis & ab eius filia in filiū adoptatus: sed vbi adoleuit, quærebat eum Rex occidere; vnde fugere coactus fuit, *Exod. 2.* Scribit in Epistolis suis Antonius Gueuara, Fabatum Consulem è ciuitate sua Regiò intra 70. annos nunquam transmisisse Messinā, quę tamen in portu Siciliæ trās mare sita, nō plus quàm 9. miliaribus distabat. H. VII. Mundus.

Dice-

Dicebat enim, nauem stultam esse, cùm semper sese moueat: nautam stultum esse, quòd nunquam in eodem maneat proposito nunc hoc nunc illud velit; mare stultum esse, quia in dies & horas mutatur. *Cùm ergò vnum stultum fugiam in terrâ,* inquit: *quamobrem quatuor stultis credam me in mari?* Idem ego de mundo dico; quatuor ibi stulti sunt, inprimis ipse mundus, qui ad instar maris in continuo motu est & modò hunc modò illum haurit: deinde nauis corporis nostri, quod modò hoc vult modò non vult, modò friget, modò calet; modò esurit, modò vomit, modò benè, modò malè habet: post hæc fortunæ ventus modò prosper, modò aduersus est: Denique nauta ipse, homo quisque libero arbitrio vtens, varius & inconstans est, modò vult & modò non vult. Vel nautæ sunt dæmones, mundi huius tenebricosi rectores, (ad *Eph.* 6.) qui semper alia & alia imperant. Quàm ergo stultus est, qui se mundo credit? Sicut enim arundo à vento agitatur modò in hanc, modò in illam partem: sicut mare versat naues, & tandem aliquando vel mergit vel allidit: Ita mundus homines; perpetuò versat in vtramque fortunam: tandem coget eos nauim omnem exonerare, simulque allidet nauim. Ergò vt S. Anselmus ait, *nolite constanter mundum diligere. quando ipse quē diligitis, non potest constare, incassū cor quasi manenter figitis, dum fugit ipse quē amatis.*

Non credidit se Ioannes huic stulto, sed à teneris Eremum petijt & incoluit longiùs à mundo seiunctus. Ergò Auditores non simus nos arundines, nec Christo renouemus passionis suæ ignominiam. Sed simus tanquam lignum, quod plantatum est, &c. *Ps.* 1.

CONCIO X.

Documenta.

Hâc concione contenta sunt hæc:

1. *Quod veritas odium pariat.*
2. *In aduersis non cessandum à bonis operibus.*
3. *Constantia in virtutibus.*
4. *Vestium luxus fugiendus.*
5. *Commendandi alij.*
6. *Factis, non verbis te commenda.*
7. *Discretio in commēdando altero.*
8. *Christus vere Messias.*

THEMA.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11.

A. NVmerorum *cap.* 10. præcepit Deus Moysi, vt faceret sibi duas tubas argenteas, quibus conuocare posset omnem multitudinem, quando mouenda essent castra. Rupertus in hunc locum, sensu allegorico per duas tubas intelligit duos Christi aduentus, primum in carnem, secundum ad iudicium. Nec malè meo iudicio. Solet enim principis aduentum nunciare & præcedere Tubicē. Porrò duo illi Christi aduentus adeo magnifici & stupendi sunt, vt merito in lege veteri præfigurandi fuerint & in nouâ rursum sæpe inculcandi sint. Id quod facit Ecclesia his diebus. Ante octiduū insonuit tubā secundi aduentus cùm de eius prodromis & maiestate Iudicis venturi ex ipsius ore Euāgelium proposuit: hodie inflat tubam primi aduentus, cùm eius præconem, Ioannem, proponit, suâ interrogatione eum asserentem: *Tu es qui venturus es, an aliū expectamus?* Audiuimus ante octiduum prioris tubæ sonum: audiamus hodie sonum & clangorem secundæ.

Duæ primariæ personæ sunt in hodierno Euangelio: Christus & Ioannes.

PRIMÒ. A Ioanne Discimus. Verum esse, quod vulgò dici solet: Veritas odiū parit. Wer einen die Warheit geigt/ dem schlegt man die Geygen am Kopff. Expertus id est noster Ioannes, tantus talisque sanctus. Occinuerat is Herodi: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui;* quia tulerat fratri suo viuenti vxorem Herodiadē. Verùm hæc cantilena offendit aures Herodis ac præsertim Herodiadis. Hinc ergò ne audiatur, in carcerem compingitur & ad extremum necatur. Sic Elephas aquam limpidam turbat, ne in eâ suam deformitatem intueatur, vt aliàs dixi ex Plinio *l.* 8. Limpidissima aqua & sanctitatis speculum fuit Ioannes, in quo suam turpitudinem deprehendit Herodes: ideo in carcerem trusus est. Limpida quoque Paulus, qui Galatas sic affatur: *Ego inimicus vobis factus sum, verum dicens, Gal.* 4. Limpida Michæas, qui defendens veritatem alapa cæsus est. 2. *Par.* 18. Libenter quidem in cæteris audiebat Herodes Ioannem, sed quòd attinet ad hoc vitiū, obstitit Herodias, quo minùs eum audiret. Itaque adulatores & blandæ mulierculæ sæpenumerò veritati obicem ponunt, quò minus ingrediatur ad potētes. Certè de veritate dixit Isaias *c.* 59. *Corruit in plateâ veritas & æquitas nōn potuit ingredi.* Vnde corruit veritas? quia cùm ingredi ciuitates & principum aulas vult, ponuntur ei offendicula, quibus repulsa vel detenta, ingredi non potest. Huiusmodi offendiculum fuit Herodias, quæ vinculis amoris constrictū tenens Herodem prædicatori veritatis cuniculum illum struxit, vt in carcere corruens vitam perderet. Simillima Herodiadi, pellex Gosberti Wirzburgensium Ducis, quæ & ipsa fratris vxor cùm esset, Gosberto copulata, & propterea Dux à S. Chiliano sæpius admonitus iamque persuasus esset, vt eam à se dimitteret, similem ipsa quoque stropham viro sancto struxit immissis in eum sicarijs, qui eum contrucidarunt; vt in vita S. Chiliani videre est. Quare cùm Diabolus subruere veritatem nequit, mulierculam ei substruit. Viderint ergò viri, ne amori feminarum nimiùm se implicent. (B. I. Veritas odium parit.)

SECVNDÒ. Discimus. In ipsa etiam tribulatione non cessare à bene agendo, sed magis instare bonis operibus. Etenim Ioannes carceri licet inclusus, non deserit tamen discipulos suos, sed de eorum salute solicitus, mittit eos ad Christum, vt in eius Schola erudiantur & agnoscant eum Messiam liberenturque à Scandalo, quo Magistrum suum Ioannē pluris æstimabant quàm Christum. Vt enim hoc errore discipulos liberaret misit eos ad Christum, (C. II. In aduersis non cessandū à bonis operibus.)

ftum ne fuorum aliquem perderet. Præclarum Ioannis exemplum imitatus eft S. Paulus, qui & ipfe in vinculis pro Chrifto conftrictus, non defijt per epiftolas admonere filios fuos in varijs Ecclefijs & vrbibus, quos CHRISTO genuerat, in ijfdem etiam conuertit Onefimum fecitque ex fure tam bonum & fidelem vt poftea euaferit Epifcopus, de quo ad Philemonem fcribit: *Obfecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Onefimo.* Ioannem quoque fecutus eft S. Siluerius Papa, qui in exilium eiectus Infulâ Ponticâ fcripfit ad Amatorem Epifcoporum: *Suftentor pane tribulationis & aquâ anguftia, nec tamen dimifi aut dimitto officium meum;* ibidem enim habito Epifcoporum, quos habere poterat, conuentu, Ecclefię prouidit literafque mifit in fummâ, vt dixi, inediâ, quâ & confectus eft. Baron. anno 538. Quare difcunt hîc Magiftri, Magiftratus & parentes benè confulere fuis difcipulis, fubditis, liberis: eofdem ab erroribus liberare, ad Chriftum & doctrinam Chriftianam mittere. Difcunt calamitofi non abijcere remos in tempeftate, fed fortiùs remigare. Difcunt incarcerati quæ ad fuam fuorumque falutem faciunt, fedulò cogitare: non terere tempus otio, ludis, compotationibus, &c.

D. III. Conftantia in virtutibus.

TERTIÒ. Difcimus Conftantiam in virtute. De hac enim commendatur ab ipfo Chrifto Ioannes, illis verbis: *Quid exiftis in defertum videre? arundinem vento agitatam?* quafi dicat, minimè verò: quod olim de me fenfit & vobis prædicauit, id etiamnum fentit. Erat enim Ioannes inftar quercûs in fide & amore Chrifti folidiffimè folidatus. Res tantùm malè fundatæ cafui funt proximæ. Poma affecta rarò maturefcunt: citò enim leui aurâ impulfa cadunt, fyncera autem firmiter arbori adhærent vfque ad maturitatem. Ita vbi virtus folida non eft, fed cor vanum, intus vermem præfumptionis vel impatientiæ alteriufque affectûs nutriens: ibi leuitas & facilis lapfus, Ioannis noftri conftantiam magnâ cum laude imitatus eft S. Bafilius, qui, cum à Valentis Imp. Ariani præfecto vrgeretur, vt tempori cederet neque tot Ecclefias adduceret in difcrimen tenui exquifitione dogmatis (contendebant enim Ariani Chriftum facere Deo fimilem tantum, non æqualem) propofitis etiam magnis pollicitationibus, refpondit adolefcẽtulis congruere tales fermones, nam hos & his fimiles inhiare huiufmodi rebus: qui verò effent innutriti diuinis literis, eos nullam fyllabam illarum in difcrimen venire pati poffe, folereque fi res pofcat, nullum genus mortis pro illis fubeundum recufare. Imperatoris quidem amicitiam magni fe pendere cum pietate: quâ remotâ perniciofam effe. Cùm hoc refponfum ægrè ferret præfectus dicens eum defipere, adiecit Bafilius: *Vtinam fempiterna hac mea fit defipientia.* Cumque eum hac de re etiam coquorum Magifter Demofthenes reprehendere præfumpfiffet, eius infolentiam egregiâ hac voce retudit: *Tuum eft tufculorum curare condimenta: nam cùm aures habeas oppletas fordibus, facrofancta dogmata audire non potes.* Theodoretus *l.* 4. *hift. c.* 19. Aliâ vice cum præfectus ei mortem minaretur, iuberet proinde eum rem maturiùs deliberare, refpondit: *Ego quidem & hodie & cras idem futurus fum; vtinam tu teipfum non mutaffes* &c. Niceph. *lib.* 11. *hift. c.* 18. Horum ergò exemplo obfirmet animum Chriftianus, vt ne in minimo quidem cedat, cùm ab æquo & recto difcedere perurgetur.

E. IV. Veftium luxus fugiendus.

QVARTÒ. Difcimus Veftium luxum afpernari; fiquidem Ioannem Chriftus nequaquam commendat à veftitu holoferico, fplendido & regio, fed contrà à vili & afpero: *Quid exiftis in defertum*, inquit, *videre? Hominem mollibus veftitum?* q.d. minimè; pili camelorum & zona pellicea Veftes eius funt. Viciffim dum, qui mollibus veftiuntur, afferit in regum aulis verfari, non obfcurè indicat, eos ab aulâ cœli abeffe, à quâ abeft omnis fuperbia. Typicè hoc adumbratum eft *Leuit.* 11. vbi pro immundis declarantur pifces illi, qui pennulis & fquamis carent; pro mundis verò & falubribus, qui ijfdem præditi funt. Quid verò pifces pinnulati & fquamati nifi eos denotant, qui morum grauitatem adeoque veftium afperitatem & neglectum amant, mollitiem verò auerfantur? Quid pifces illi lubrici, fquamis deftituti, nifi eos, qui mollibus veftiuntur & mollitiem, carnifique blandimenta fectantur? Illos velut mundos admittit Deus ad menfam fuam, hos verò afpernatur: illos commendat velut vtiles, hos reprehendit velut inutiles. Mirum ergò eft quod huiufmodi comptuli & delicatuli reperiantur inter Chriftianos, cùm fciamus tales nullo apud Chriftum loco effe: eos tantùm triumphare, qui cum Ioanne neglectim veftiuntur & afperè viuunt. Dum enim illi inanis exiftimationis rumufculos venantur apud mundum, laudem perdunt apud Chriftum. Nihilominus tamen afpicere cogimur maiorẽ in dies veftium luxum inter Chiriftianos, quafi Chriftus contrariâ voce commendâffet veftitum mollem, byffinum, holofericum, aureum, argenteum, & reprehendiffet afperum atque Eremiticum. Tempore Ioannis Baptiftæ videtur luxus veftium non nifi in palatijs Regum locum habuiffe, vti indicant verba Chrifti; at nunc perrupit clauftra illa, & in ædes ciuium paffim fe intrufit, ita vt mercatorum & opificum vxores, filij atque filiæ è regum domibus & familijs amplis prognati videantur.

F. V. Cõmendãdi alij.

A Chrifto difcimus PRIMO non commendare nofmetipfos, fed alios. De fuis miraculis Dominus modeftiffimè loquitur; *Cæci vident*, &c. non ait: Ego illuminaui cæcos in momento, vno verbo: tot erexi claudos, &c. quod faciebat gloriofus ille Medicus Menecrates, qui fe medicinæ Regem & Iouem, qui feruare ægros & ad extremam fenectam fanos perducere poffet homines, iactitabat. Verùm cùm de Ioanne loqui cœpit, vela linguæ dedit & quàm poterat fpeciofiffimis titulis Angeli & plufquam Prophetæ eum deprædicauit. Quod idem ex alterâ parte fecerat priùs

Ioannes vt audiemus seq. Dominicâ, qui de se abiectissimè, de Christo verò magnificentissimè locutus est: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.* En quomodo viri sancti de gloriâ & humilitate inter se contendant? De gloriâ, vt eam alteri dent; de humilitate vt eam sibi seruent? Quàm hic rursum Christo contrarius mundus? Nónne enim in eo plerique toti sunt, vt sese verbis extollant, alios verò iuxta se, æmulos præsertim suos, deprimant? Verùm ad hunc terminum pessimam viam ineunt: deijciuntur enim ipsi dum sese exaltare: & alij exaltantur, dum eos deprimere volunt. Nónne Nabuchodonosor dum gloriabundus dicebat; *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloriâ decoris mei?* ilicò, nondum finito regis sermone, vox de cœlo ruit: *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit à te & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes,* &c. Nónne Baiazetes Turcarum Imperator arrogantissimus, qui decreuerat, Tamerlanem Tartarorum Imperatorem caueâ ferreâ includere vt auem, ab eodem ad Stellam montem victus & in eiusmodi caueam compactus, & suppedanei loco seruire Tamerlani equum ascensuro iussus est; Neque in Christianis iactantia impunis fuit, vt expertus est Simon Thuruaius Anglus, qui cùm esset Dialecticus acutissimus & artium liberalium Parisijs Professor magni nominis, plenior sciétiâ, quæ inflat, quàm charitate, quæ ædificat: temerè in Scholis & palam non veritus est iactare, se scire totam CHRISTI legem, ac improbando eam posse annihilare; sed ita subitâ obliuione percussus fuit, vt primarum literarum oblitus, nec Dominicam orationem pronunciare nec alphabetum legere sciret. Nicolaus Dunelmensis, dum adhuc adolescens esset, vidit eum literas à filio proprio doceri: *qui mihi profectò* (ait Matth. Paris. *l. 7. hist. Angl.*) *hæc scribenti olim narrauit,* contigit autem circa annum 1201. Delr. *l. 2. disq. magic. q. 24.*

G. VI. Factis nô verbis te commenda.

SECVNDÒ. Discimus nos non verbis sed factis commendare. Ita enim Christus Legatos Ioannis ad opera sua ablegat, vt responsum ferant: *Renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis.* Nemo ergò glorietur solo Christiani & Catholici nomine, factis se ostendat Christianum & Catholicum. Certè venient aliquando ad vnumquemque nostrûm similes legati, Angeli videlicet in articulo mortis, qui & interrogabunt: *Tu es qui venturus es:* ad cœli nimirum regiam? Et tunc nisi factis respondere & dicere queamus: Renunciate Deo opera mea bona, quæ audistis & vidistis; nil proderit nobis verba dare. Scimus S. Hieronymum raptum aliquando ad iudicium, cùm quis esset inter rogatus, respondisset, Christianus sum; minimè auditum fuisse, sed potiùs audisse; *Ciceronianus es;* & plagis dirè acceptum esse, quòd nimirum totus in Ciceronis libris fuisset, neglectis Christianis, vti ipse describit, & alibi nos vidimus. Eâdem interrogatione conuincere ac confundere possumus Hæresiarchas, Lutherum, Caluinum, cæteros: Vósne venturi eratis ad Ecclesiam reformandam? si ita: monstrate opera vestra, sanctitatem vitæ vestræ, miracula, &c. Hæccine sunt miracula & testimonia doctrinæ vestræ: desertio monasterij, sodomia, incertæ nuptiæ, peregrinationes, ioci scurriles, sacrorum profanatio? &c. Alia nos testimonia requirimus. Demus eos bene scripsisse & docuisse (quod tamen est falsissimum) fructum etiam ex arbore præter folia quærimus, ex fructu arborem noscimus. Impostor censendus est, qui aliam viatori viam monstrat, aliam ipse init.

H. VII. Discretio in laudado altero.

TERTIÒ Discimus Discretionem in laudádo proximo obseruandam; vt ne facilè scilicet laudemus eum præsentem, ne laqueum superbiæ ei obijciamus, vel adulari videamur. Christus enim Ioannem, non nisi postquam discessissent nuntij eius, vt ait S. Lucas, commendare cœpit. Laudandus ergò est proximus, quando is laude dignus; quando eius laus ad aliorum ædificationem, vel damnum ab ijs amoliendum tendit; vt in præsenti casu. Laudauit enim Ioannem Christus, quia laude erat dignissimus. Rursum, quia eius laus in bonum Iudæorum & Christi discipulorum vergebat, vt doctrinam Ioannis amplecterentur & vitam eius imitarentur. Denique ne existimarent mutatum & à Christo alienatum esse Ioannem, qui certior fieri velit, an ipse esset Messias. Verùm hoc absente Ioanne, eiusque discipulis fecit, ne ad gratiam eius loqui videretur. Mercenaria est hæc laus & adulatoria; lucro & mercedi inhians: de veritate suspecta; proximo insidiosa.

I. VIII. Christus verè Messias.

QVARTÒ Discimus Christum verè Messiam fuisse, ex duplici prophetarum oraculo in eo completo. Primum est *Isaia* qui *c. 35.* prædixit à Messiâ illuminandos cæcorum oculos, surdorum aures aperiendos, claudos erigendos; & *c. 61.* euangelizando pauperes. Hæc autem omnia fecit Christus cùm Legati Ioannis aduenirent. Alterum est *Malachia c. 3.* qui in personâ Christi prophetans ait: *Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam.* Hoc autem in Ioanne impletum esse ostendit Christus cùm ait: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam,* &c. Vbi tamen aduertendum prophetam loqui in personâ Christi vt dixi, Christum verò in personâ patris; modestiæ causâ; ne si diceret à se missum esse Ioannem arrogantiæ insimularetur ab inuidis Iudæis, quem morem perpetuò seruauit disputans cum illis.

Nos ergò, Auditores, qui primum Christi aduentum non cum Iudæis expectamus, sed transisse scimus, ad secundum attendamus: & si tuba prima recreauit nos, demus operam ne secunda terreat nos, quod fiet si cum dulcedine prioris terrorem posterioris sedulò cogitemus. Resonet semper in auribus nostris sonitus ille: *Surgite mortui, venite ad iudicium,* &c.

CON-

CONCIO XI.

Mysteria.

Quæritur primò.
1. *Cur missi discipuli à Ioanne?*
2. *Cur factis, non verbis asserit Christus?*
3. *Cur edita à Christo miracula?*
4. *Num pauperibus tantùm euangelizauit Christus?*
5. *Cur Ioannem non commendat coram eius discipulis?*
6. *Quomodò Ioannes plusquam propheta?*
7. *Ioannes cur Angelus?*

THEMA.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11.

A SApientis verbum est *Prou. 30. Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum.* Quæ verba licet aliqui in malum dici putent; communior tamen interpretatio sumit in bonam partem, vt S. Greg. *l. 2. Moral. c. 1.* qui sic ea explicat: *Vbera quippe*, inquit, *fortiter premimus, cùm verba sacri eloquij subtili intellectu pensamus? quâ pressione dum lac quærimus, butyrum inuenimus; quia dum nutriri vel tenui intellectu quærimus, vbertate interna pinguedinis vngimur.* Verùm hac in re obseruandum etiam est, quod immediatè subdit Sapiens: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Quod ibidem exponens subijcit Gregorius; *Quod tamen nec nimiè nec semper agendum est, ne dum lac quæritur, ab vberibus sanguis sequatur. Plerumque etenim quidam dum verba sacri eloquij, plusquam debent, discutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehementer emungit.* Hæc Gregor. Nos ergò Auditores, qui in hodierno Euangelio, quasi in vbere matris, lac verbi diuini deprehendimus, hoc ita discutiemus, vt ne sanguis consequatur: Spiritualem intellectum, non carnalem audiemus.

B. I. Cur missi discipuli à Ioanne? Q. PRIMÒ. Cur misit Ioannes discipulos ad quærendum è Christo, num ipse esset Messias? Dubitauitne de hoc Ioannes? Resp. minimè dubitasse (quomodo enim nunc auditis Christi miraculis de eo dubitaret, qui iam ante miracula eum Messiam publicè prædicarat?) Sed misisse primò & primariò propter suos discipulos, qui amore Magistri obcæcati non credebant Christum esse Messiam, adeoque maiorem Magistro suo Ioanne.

1. Cognouerat vtique Ioannes spiritu Prophetico se breui moriturum, audierat etiam in carcere famam miraculorum Christi, sciens ergò infirmitatem discipulorum suorum, voluit per hanc legationem ignorantiæ eorum consulere, & ad Christi agnitionem ac sequelam eos dirigere. Vnde Auctor imperfecti ait: *Volebat Ioannes discipulos suos Christo adiungere, tanquam si prouidus pater moriens filios suos consignet tutori.* Imò veriùs vti pædagogus alienos filios, quos susceperat ad tempus erudiendos, remittere ad Christum velut ad verum patrem voluit. Receptam hanc sententiam docet inter alios S. Hieronymus; qui in hunc locum scribit: *Quomodo Saluator interrogat, vbi sit positus Lazarus Ioan. 11. vt qui locum sepulchri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem & viderent mortuum resurgentem: Sic & Ioannes interficiendus ab Herode discipulos suos mittit ad Christum, vt per occasionem videntes signa ac virtutes, crederent in eum, & Magistro interrogante sibi discerent.* Confirmatur ex illis Christi verbis: *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* His enim *non Ioannem, sed discipulos eius percutit*, inquit S. Hieronymus in *ep. 151. ad Augasiam*; vt qui in CHRISTO scandalizabantur, non credentes ipsum esse Messiam, Ioanne maiorem: Si Ioannes in Christo scandalizatus fuisset, & de eo dubitasset, non commendasset eum Christus de constantiâ, quando hîc inter alia dixit: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* q. d. minimè gentium.

Secundò etiam propter Iudæos vt occasione huius legationis & interrogationis partim confunderentur, quòd ipsi ad CHRISTVM non mitterent interrogatum an ipse esset Messias: cum tamen ad ipsum IOANNEM proptereà aliquando misissent; q. d. vos olim ad me misistis & interrogastis an essem ego Messias, qui nullum feci miraculum; iam verò istum videtis mirissima operari, & tamen ad eum non mittitis nec quæritis ex eo: *Tu es, qui venturus es?* quod ergò vos facere oportebat hoc ego loco vestro faciam; Partim vt Iudæi, occasione Christo datâ ad respondendum & se manifestandum, erudirentur & discerent è miraculis suis Christum agnoscendum esse. 2.

At inquies, cur Ioannes non id affirmando, sed interrogando fecit? Resp. ne videretur Christo adulari, atque ita testimonium suum eneruaret. Vel potiùs interrogauit, vt Christum ad respondendum seque manifestandum, quis esset, cogeret quodammodo. Sciebat autem nihil inde scandali, sed multum potiùs vtilitatis prouenturum.

C. II. Cur factis, non verbis asserit Christus? Q. SECVNDÒ. Cur Christus factis non verbis respondet Ioanni se Messiam esse? Resp. ob plures causas. Prima est, ne si turbis præsentibus palam diceret se Christum esse, occasionem præberet Iudæis & Romanis, vt ante præstitutum tempus ipsum persequerentur & occiderent; docens interim neminem debere temerè se obijcere tentationi & aliorum odio atque inuidiæ. 1.

Secũda, vt Ioannes ipse auditis Christi miraculis testimoniũ de ipso ferret, adeoq; iam efficaciter demonstraret incredulis Iudæis CHRISTVM esse Messiam. Maioris laudis est & maiorem fidem obtinet, cùm alius te commendat, defendit vel excusat, quàm si tu teipsum. 2.

Tertia, vt efficaciùs persuaderet (licèt occultiùs) Iudæis se Messiam esse; factis enim plus creditur, quàm verbis. Vnde Glossa interlin. ibid. ait: *Cessent verba, loquantur opera.* Itali dicunt facta esse viros, verba esse feminas, (*I fatti son maschi, le parole son femine;*) testimonium autem virorum recipere solent le- 3.

Conc. Fabri Pars Hyemalis. F ges

non commendat coram eius discipulis ? ram eis laudaret, per adulationem videretur eum laudare, ac ne verba eius blandientis verba putarentur. Fugit ergò Dominus adulationis etiam vmbram.

Secundò, Ne discipuli Ioannis plus æquo sentirent de Magistro. Hunc enim Christo maiorem reputabant; plebs contrà maiorem æquo Ioannem existimabat. v. g. quasi mutabilis foret ac iam de Christo aliter sentiret, vel alias ob causas. Ibi scylla, hic charybdis: vtraque vitanda. Ergò Christus medium tenens, magnoperè quidem commendat Ioannem coram plebe: Sed non coram discipulis eius; vt ita hi non æquo maiorem, illi non æquo minorem reputarent.

Q. SEXTÒ, Quomodo Ioannes plusquam propheta? Resp. Plures ob causas, videlicet quia alij prophetæ, Isaias & Malachias de ipso vaticinati sunt; ille c. 40. hic c. 3. Quia prophetabat in vtero matris, suâ exultatione indicans matri præsentiam Christi & matris eius: Quia Christum non solùm prædixit, vt alij, sed etiam digito mõstrauit: Quia Christi præcursor, baptizator & prædicator: Quia baptismi inuentor: Quia præco regni cœlorum, &c. G. VI. Quomodo Ioannes plusquam propheta?

Q. SEPTIMÒ, Cur Ioannes vocatur Angelus? Respon. duas potissimùm ob causas. Primò ob vitæ sanctitatem & Angelicam puritatem. Secundò ob Angelicum officium, quod erat nunciare mundo Saluatoris aduentum. Sed has & alias plures causas vidimus in F.S. Ioannis. H. VII. Ioannes cur Angelus?

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

Euangelium Ioan. 1.



N illo tempore, Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit: & confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt responsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis: ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam colceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

CONCIONES.

I. *Hominis vilitas.*
II. *De ijs, quæ post mortem homini circa corpus eueniunt.*
III. *Extremi Iudicij & iudicandorum manifestatio.*
IV. *Perfectio Dei, & hominis imperfectio.*
V. *Iactantia & laus propria culpatur.*
VI. *Suauitas & facilitas Confeßionis sacramentalis.*
VII. *Defectus Confeßionis.*
VIII. *Stabiliuntur & exponuntur cæremoniæ Baptismi.*
IX. *Documenta.*
X. *Mysteria.*

CONCIO I.

Hominis vilitas.

Quæ consistit in his:
1. *Quòd aduena sit & peregrinus.*
2. *Hospes vnius diei.*
3. *Fanum fragile.*
4. *Folium tremulum incerta vita.*
5. *Vmbra fugiens ac inconstans.*
6. *Vniuersa vanitas.*

THEMA.

Tu quis es? Ioan. 1.

NOn immeritò Philosophi Gentiles apud Delphos aureis litteris illam sententiam templo Apollinis inscripsére eiusque oraculo adscripsère: *Nosce teipsum.* Hæc enim notitia talis est vt vel sola sufficere queat homini ad beatitudinem consequendam. *Est*, inquit Clemens *l. 3. pædag. disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima, seipsum nosse.* Et S. Bern. *in med. c. 5. Stude cognoscere te quia multò melior & laudabilior es, si te cognoscis, quàm si te neglecto cognosceres cursum syderum, vires herbarum, naturas hominum & animalium, & haberes omnium cœlestium & terrestrium scientiam.* Interim verò nihil minus sciunt aut scire desiderát plerique quàm seipsos: quemadmodum Plato verissimè dixit in Pseudolo, *in foro vix decimum quemque esse*, qui seipsum nôrit. Solùm quærunt ex alijs *tu quis es?* Mathematici è cœlo, Philosophi è naturâ, Iurisconsulti ex lege, Medici ex morbo, Curiosi ex Mundo, &c. Ita de Abailardo hæretico scribit S. Bern. ep. 193. *Abailardus nihil nescit* A

ſuum perficit: Sic homo ſuam vitam. Similiter alius quidam Philoſophus de eadem re interrogatus; cùm parumper ſe conſpicuum oſtendiſſet, mox ſe abſcondit indicans per hoc, momentaneam eſſe vitam hominis, & quod dicit Dominus: *Modicum & non videbitis me.* Rodulphus Agricola *l.1.c.24. de inuentione.* Denique quia licet diutiſſimè viuas & fruaris mundi bonis, non conceditur tibi plus quàm vna dies, imò tantùm vnum Nunc tuæ conſolationis: craſtinum enim nondum habes, heſternum multò minus quia iam habuiſti: de hodierno plus non habes, quàm vnicum ſemper inſtans; & perinde eſt ac ſi poſſideas ingentem theſaurum, inde tamen plus non detur tibi, quàm in ſingulas horas vnus obolus, nec vnquam eo ſimul frui poſſis. Quis tunc diceret te opulentum, & non magis pauperem? Vnde S. Chryſoſt. *hom. 1. in Gen.* ait: *Talia ſunt humana & carnalia: nondum rectè aduenerunt & auolârunt.* Iam igitur ſi hoſpes tantùm vnius diei in mundo es: quid ergò momentanea æternis bonis præfers; illa tam ſolicitè, hæc verò tam neglectim quæris? Si hoſpes vnius diei es, quid ergò pro breuiſſimâ voluptate æternas tibi mercaris pœnas? Si hoſpes vnius diei es, cur tam impatiens es in ferendâ cruce tuâ? Si hoſpes vnius diei es, cur non vteris tam breui tempore ad ſalutem tuam, modo quo potes optimo?

D. III. *Fœnum fragile.* TERTIÒ, Tu quis es? Reſpondet Iſias *c. 40. Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quaſi flos agri.* Quid fragilius fœno, quid imbecillius flore? in æſtu languent, in pruina extinguuntur. Amœniſſima res eſt pratum viride, pulcherrima res eſt flos; ſed ideò parui fit, quia ſubitò exareſcit, vbi manibus tractâris. Vnde mox ſubdit Iſaias: *Exſiccatum eſt fœnum & cecidit flos; quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo.* Sed parum dixit Iſaias, fragilior eſt vita hominis ipſo etiam flore aut quacunque aliâ re. Fragile eſt vitrum, ſed ſedulò aſſeruatum durare in ſæcula poteſt: homo quantumcunque ſeruetur, durare nequit. Fragile eſt vas fictile, ſed tactu ſolo non comminuitur; homo autem vno venenato tactu, vno felis aut ſerpentis morſu perimitur. Fragilis eſt flos, ſed flatu ſolo non extinguitur; homo autem vno peſtilenti halitu afflatus interit, vno ſolis æſtu. Fragilis eſt bulla, ſolo autem aſpectu non diſſoluitur, homo verò ſi à venenato aſpicitur oculo, ilicò languere incipit & quandoque moritur. Peſtilens odor, infectus aër, ſol feruetior, hyems acrior, terror, &c. ſæpè nobis vitam eripiunt. Si quæras cur hic vel ille obierit? reſpondetur, ex hauſtu aquæ frigidæ, ex æſtu, ex terrore, ex nimio vino, ex dolore, &c. Quis Lucium Craſſum ſummum illum Oratorem interfecit? Reſpondebit Cicero, eum quadam die, dum paulò vehementiùs peroraret incaluiſſe, inde paulò pòſt conſumptum eſſe. Quis Baldum illum Iuriſconſultiſſimum? Catellus eius Melitenſis, dum cum eo luderet. Refert Matthiolus in Dioſcoride. Quis Luciam M. Aurelij Imp. Sororem? Proprius filius lactens, manu ſuâ acum pectori Matris inſigens, dum Mater ei blanditur. Teſtatur ipſe Aurelius Imp. apud Mondogn. *in eius vita l.3.c.37.* Quis Druſum Pompei Claudij Cæſaris filium? Pyrũ vnum, quem id in ſublime iactatum ludens ore exciperet, eo enim fauces intercludente perijt. *Fulgoſ. l.9.* Quis Tarquiniũ Priſcum? Os piſcis tranſuerſum in gutture hærens. *ibid.* Quis Fabium Prætorem, qui DEO ſe æquare nonnunquam contendit? Pilus vnus in lacte hauſtus. *ibid.* Quis potentiſſimum Alexandrum Mag.? pauca veneni guttulæ, potioni eius admixtæ, teſte Q. Curtio *l.10. de rebus Alexandri.* Denique quid leuius morſu felis? Et memini tamen Romæ me vidiſſe in templo S. Mariæ de populo, hoc in lapide ſepulchrali Epitaphium: Hoſpes diſce nouum mortis genus; Improba felis, dum trahitur, digitum mordet; & intereo. Alius acini granum glutiens præfocatus eſt. Neque defuit cui ſtiria gelu durata, delapſa tecto ſubitum attulerit exitium. Neque eſt quod hæc adeò miremur, vel peregrina eſſe putemus; ſiquidem plurima ſunt in homine corruptioni obnoxia, à quibus vita hominis pendet. Cur toties ſiſtunt & impediuntur horologia? quia plurimas rotulas habent, quarum vel vnâ tardante, impediuntur omnes. Quod ſi ferreis hoc contingit horologijs, quantò facilius humano corpori luteo? Iam igitur, ſi fœnum, ô homo, & flos es, cur ergò tibi non maturè prouides antequam mors te demetat? cur tamdiu in ſceleribus tuis dormis? cur differs pœnitentiam? Quid enim faceres, ſi caſu ſuper glaciem Danubij ſtans, diſſolutâ repente glacie, cum eâdem rapereris in altum fluuij, an non mox clamares & ſubſidium nauiculæ peteres? Nullum ſanè dubium, quia mortem vndique circum te videres, nec palmo ab eâ abeſſes: nullus tibi riſus, nullus cantus tibi placeret. Cur ergò non ſimiliter nauim pœnitentiæ ſemper ad manum geris vel ſaltem mox requiris, qui te in carne fragiliſſimâ quotidie ad mortem rapi vides, nec plus inter te & mortem intereſſe, quàm glaciem?

QVARTÒ, Tu quis es? *Folium, quod à vento rapitur,* inquit S. Iob. *c. 13. q. d.* incertæ & dubiæ vitæ. Vt enim folium in arbore ſemper tremit ac quodammodo trepidat tandemque cadit vel abripitur, aliud citius, aliud ſerius: ita hominis vita ſemper nutat fluctuatque, tandemque inſperato tempore vel abrumpitur violenter vel ſponte concidit. Vnde Sapiens *Eccleſ. 9.* ait: *Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur: Sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſuperuenerit.* Atque ideò Sapiens quidã alius dixit; *Homo bulla eſt.* Quid enim bullæ, niſi tumores illæ inanes, qui viſuntur in aquis, momento temporis enaſcentes? Harum aliæ ſimul atque natæ ſunt, protinus extinguuntur: aliæ paulò diutiùs durant, omnes breuiſſimis quibuſdam interuallis, aliæ ſuccedunt alijs. Ita prorſus ex hominibus alij in vtero materno pereunt, alij in infantiâ

E. IV. *Folium tremulũ incertæ vitæ.*

alij in pueritiâ, alij in adolescentiâ vel virili ætate, alij in senectute. Deinde alij sani subitò pereunt, alij apoplexiâ, alij casu, vt submersione vel vi aliunde illatâ, vti gladio, sclopo, lapide; Alij morbo breui, alij diuturno. Cùm ergò vitæ nostræ terminus adeò sit incertus, quæ temeritas, quæso, quòd tam negligenter viuimus, verborum Christi obliti: *Vigilate quia nescitis diem neque horam? Matth.* 24. Cur enim in Castellis & munitionibus perpetuæ aguntur excubiæ, nisi quia præsidiarios latet quando hostis sit venturus? Si enim istud scirent, tunc sanè medio illo tempore somno & quieti vacarent. Cùm ergò anima nostra pretiosior sit omnibus mundi arcibus & vrbibus, eaque perpetuum hostem sibi insidiantem habeat, & insuper nesciamus, quando cum eo nobis pugnandum sit, cur non omni die & horâ semper in excubijs stamus?

F. V. Vmbra fugiens seu inconstans.

QUINTÒ, Tu quis es? *Vmbra fugiens*, teste B. Iob. c. 14. *Homo quasi flos egreditur*, inquit, *& fugit velut vmbra.* Vt enim vmbra modò magna, modò mediocris; modò parua ac nulla est: ita homo semper alius: modò sanus, modò æger: modò hilaris, modò tristis: nunc quietus, nunc perturbatus: nunc dubius, nunc certus, nunc timidus, nunc audax: modò ridet, modò flet: modò vult, modò non vult. Vt vmbra ante prandium ad dexteram cadit, stanti versus meridiem; post prandium ad sinistram: Ita homo, qui hodie manè bonus est, fortè post prandium malus fit, & à sinistris DEI stabit. Vt vmbra recedentem à sole præcedit, accedentem sequitur: ita homo in hoc mundo modò exaltatur & alios præcedit, modò deprimitur & alios sequitur.

Hinc olim apud Romanos triumphantibus in curru triumphali appēdebatur virga & tintinnabulum, clamante retrò præcone: *Respice post te; hominem memento te*; quo moneretur triumphans, fieri posse, vt ipse ex hoc summo honore deiectus, Reus mortis fiat, adeoque flagris cædatur, & capite damnetur, ni attendat sibi. Auctor antiquit. Rom. l. 10. c. 29. Huc pertinet, quod Poëtæ fingunt, mortales omnes à Parcarum filis pendere, quibus incisis protinùs decidant. Atque alios quidem à grandibus, alios à pusillis suspendi filis; rursum alios, in sublime sublatos pendere, alios terræ vicinos, eundemque hominem fusi instar nunc in altum efferri, mox paulatim deprimi & terram versus rotari; omnium denique hanc eandem esse sortem vt simul atque inexorabilis Atropos pollice filum secuerit, ilicò decidat is, qui pendebat; nec vllum esse discrimen, nisi quòd maiore tumultu decidat qui pendebat altiùs. Hanc hominum mutabilitatem & inconstantiam non ij tantùm experti sunt, qui mundo seruierunt, sed etiā Saluator noster, qui mundi contemptor fuit. Hic enim quo die Ierosolymam triumphans cum maximo populi gaudio & applausu ingressus est, eodem ab omnibus sub vesperam derelictus est: Priùs obuiam ei processerant cum ramis virentibus: quatriduo verò pòst aridis ramis percusserunt eius caput. Priùs vestimenta sua exuerunt, vt sternerent in viâ, posteà eum vestibus proprijs spoliârunt vt flagellarent & crucifigerent. Priùs clamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; paulò pòst acclamârunt Pilato: *Reus est mortis: Crucifige eum.*

G. VI. Vniuersa vanitas.

SEXTÒ, *Est vniuersa vanitas*; vt testatur Dauid *Psalmo* 38. *Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Vanitatem vocat hominem, non vanum, quia est mera & summa vanitas. Omnis autem vanitas homo est, quia quidquid vanitatis & defectus inuenitur in creaturis alijs, id totum in hominem cadit. Quid habent imperfectionis corpora inanimata? Quod diuiduntur, alliduntur, conteruntur. Quid viuentia seu plantæ? Quod accrescunt & decrescunt, sordes contrahunt & expellunt, exsiccantur, moriuntur. Quid sentientia seu bruta? dolores, plagas, timores, contentiones, rixas, famem, sitim, laborem. Quid creatura rationalis & Angeli? mutabilitatem, errores, deceptiones, peccata & pœnam eis debitam. Totum hoc in hominem cadit. Cum lapidibus, metallis, elementis obnoxius est iniurijs cœli & elementorum, diuiditur, conteritur, corrumpitur. Cum viuentibus subiacet accretioni & decretioni, nutritioni & corruptioni: Sordibus scatet, sordes egerit ex oculis, naribus, ore, aluo. Cum sentientibus sentit dolores, angustias, timores, famescit, sitit, litigat, & bella gerit. Cum Angelis mutatur, errat, peccat, pœnis addicitur. Multas miserias habent angeli secundùm suam naturam, quarum capaces non sunt bestiæ, plantæ, Elementa. Multas item habent ista omnia, quarum non sunt capaces Angeli; homo omnium capax est: Iste enim occiditur ob peccatum, ille ob desperationem: iste præ tristitiâ, ille præ nimiâ lætitiâ: iste fame, ille ingluuie; iste fugiens pericula, ille insequens dignitates: iste in bello, ille in somno: iste frigore, ille æstu: iste comedens, ille egerens: iste alliditur, ille scinditur vel conteritur. Neque tantùm vnus aut alter homo, sed omnis homo eiusmodi vanitas est. Vanitas es ô Princeps & nobilis, qui te firmiter stare existimas satellitibus & seruis cinctus. Vanitas es ô Diues, qui diuitijs tuis confisus, omnia te posse credis. Vanitas ô mulier, quæ gratia vultus tui dominari te Regi putas. *Si autem omnis homo stans & viuens est vniuersa vanitas: quid* inquit S. Hiero. *homo cadens, moriens & mortuus?*

CONCIO II.

De ijs quæ post mortem homini circa corpus eueniunt.

Assignat Auctor hac quinque horrenda.
1. *Quòd mortuus sit deformatum cadauer.*
2. *Quòd postquam cadauer foras delatum oblinioni detur.*
3. *Horrendum in sepulchro,*
4. *Item in Mausoleo.*
5. *Et in ossium cumulo.*

THEMA.

THEMA.

Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini. Ioan. 1.

A. QVemadmodum Christus ante primum suum Aduentum in mundum, voluit præmittere præcursorem suum Ioannem, qui mundũ innumeris vitijs irretitum disponeret ad recipiẽdum Saluatorem: ablueret à vitijs & prædicaret ei pœnitentiam: Ita ante secundum aduentum suum in Iudicio vniuersali præmittet præcursores Enoch & Eliam. Sed nunquid etiam ante suum aduentum, qui in iudicio cuiusque particulari fiet, præmittit præcursorem aliquem, qui viam Domino præparet & homines ad recipiendum venturum Iudicem disponat? imò verò etiam. Et quis est hic præcursor? Mors, quæ iudicium id præcedit. Vt enim Baptistæ dictum ab eius patre: *præibis ante faciem Domini parare vias eius*: ita de morte dicit Abacuc c. 3. *Ante faciem eius* (Dei videlicet) *ibit mors*. Magnus præcursor Ioannes: magnus etiã præcursor Mors. Magnus prædicator Ioannes: magnus item prædicator mors. Vox clamantis Ioannes: vox clamantis mors. Clamabat Ioannes: *dirigite viam Domini*, clamat hoc idem mors. Clamabat Ioannes non voce tantùm, sed victu & vestitu, quia locustas edebat & pilis Camelorum induebatur: clamat eodem modo mors, quia & vermibus pascitur & non nisi ossibus vel ad summum vno linteo vestitur. Clamat Ioannes in deserto, clamat & mors in Sepulchro. Baptizabat Ioannes dum ad se venientes aquâ mergebat: Baptizat etiam mors, quia venientes ad se terrâ operit. Clamabat Ioannes: *Veniet fortior me, post me, cuius ventilabrum in manu eius & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Clamat hoc & mors. Terruit multos Ioannes suâ prædicatione, vt venirent & confiterentur peccata sua: Terret multos & mors vt peccatorum onere adeoque vetere homine deposito, nouum induant, quò securè ad DEVM Iudicem hinc discedant: id quod experientia quotidiana docet. Veniat enim mors in domum aliquam: ô quàm omnia silent? ô quàm omnia lugent? ô quàm curritur ad Sacerdotem pro confessione & viatico? Magnus itaque præcursor Ioannes: magnus etiam præcursor mors. Atque vtinam præcursoris vtriusque vocem audiremus! ô quàm bene parati non modò ad festa ventura, sed etiam ad Iudicem nostrum veniremus! Præcursorem Ioannem iam hoc Aduentu intonantem audiuimus; audiuimus etiam ex parte mortem: sed nondum omninò audiuimus. Primâ concione deduximus hominem per viam asperam vsque ad mortem: Secundâ, eius animam, per viam periculosam vsque ad iudicium: restat vt hodie deducamus corpus, per viam lugubrem vsque ad Sepulchrum.

PRIMÒ. Clamat defunctus adhuc in domo iacens. Et quid clamat? vide cui fidas: nimirum fidem non habendam diabolo, carni & propinquis. Diabolo, quia is persuadebat initio nobis, nequaquam morituros, si comederemus de ligno vetito: sed fore sicut Deos; & adhuc nobis persuadere non cessat, saltem non morituros tam breui, florente ætate, &c. *ô plene omni dolo*: quid sibi vult cadauer istud hoccíne non est mori? Vbi in eo sensus, vbi motus, vbi loquela, vbi color viuidus, vbi vitæ functiones? hoccíne est non mori? Sanè quando Adam primum hominis cadauer intuitus est, quid putatis eum cogitâsse? puto ego cogitasse: ô nequam, vbi est illud tuum, *Nequaquam*: de quo mihi dicebas: *Nequaquam moriemini, sed in quacunque horâ comederitis, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*? Itáne sicut Dij sunt, qui ne sicut homines quidem ampliùs sunt, imò ne sicut bestiæ? Itáne sciunt bonum & malum, qui sensum & loquelam omnem perdiderunt? Itáne aperiuntur oculi, cùm clauduntur nunquam aperiendi? Paulò ante hoc corpus cantabat, saltabat, ludebat, epulabatur, vnguentis se & serico ornabat, nunc vti truncus iacet. Et veriùs dicere nunc defunctus potest; *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis*. Psal. 21. Ecce quomodo homo, vnus ex Dijs factus est? ô quàm vani sunt igitur; qui Dæmoni fidunt! Itaque rectè in confusionem huius deceptoris & nostram qui illi credidimus, toties in libro *Gen.* ingeminatur illud; *Et mortuus est*; vt ita nobis ostendatur qualis deceptor sit Diabolus, & quàm stulti, qui ei fidunt. Et hoc ipsum cónne quotidie nobis inculcatur, dùm videmus in dies mori homines, etiam qui sibi longos promittebant dies? Nónne dicimus: Et hic vir mortuus est, & ille iuuenis mortuus est, &c.? Et tamen ita viuimus, quasi nequaquam essemus morituri. Facit hominibus Dæmon, quod Carnifex Reum occisurus, qui iubet eum esse securum & recitare Pater Noster, loqui cum Sacerdote; interim cùm ille vix medium absoluit, caput ei amputat. Sic suadet Dæmon: nondum morieris, esto bono animo; interim ferit hominem mortis ictu.

Secundò. Etiam clamat, vt ne fidamus carni, quæ in vitâ adeò blanditur seque tam speciosam monstrat & meretricio cultu adornat, cùm intùs plena sit fœtore & putredine. Nam idipsum corpus, quod paulò antè suâ pulchritudine aspectantium ad se oculos rapiebat, plurimos alliciebat procos & certamina amoris excitabat; vide nunc quàm sit deforme, fœtidum & exosum. Hoc est illud corpus, quod olim cantilenis celebrabatur, cuius oculi pro gemmis, genæ pro rosis, os pro auro, capilli pro holoserico, vox pro melodiâ vẽditabatur. Et vbi nunc oculi illi? vbi genæ, vbi os, capilli, vox, membra delicata? In pallorem, in fœtorem, in horrorem mutata sunt: nemo iam intueri vult; omnes occludunt nares, & festinanter transeunt, velut si cadauer alicuius canis in viâ iacentis cernerent. Accede huc iuuenis, aspice & deosculare vultum amasiæ tuæ, vide

B. 1. Mortuus quid in domo.

1. Cadauer est.

2. Per mortẽ deformatur.

vide quam amaueris; Veni huc assentator, osculare manum Domini tui: vide quem colueris. Sed tantùm abest, vt iam diligatur eiusmodi corpus, vt potiùs odio sit & horrori: & proinde defunctus verissimè dicere possit: *Qui viderunt me, foras fugerunt à me.* Ps. 30. ô quàm vani igitur qui carni seruiunt! Iuxta lacum Asphaltitem vbi Sodoma exusta fuit, nata fuêre poma, ad speciem quidem pulcherrima, intus tamen plena fauillâ & putredine, quæ vbi vel leuiter attrectares, in cinerem & fauillam resoluebantur, vt refert Tertull. vel Cyprianus in Carm. de Sodomâ. Talia sunt speciosa corpora, quæ externâ quidem sui specie omnium ad se rapiunt oculos: vbi verò morte tanguntur, & diuiduntur in duas partes, corpus scilicet & animam, putidissima inueniuntur. Quod si iam tale pomum haberes, num quæso tu id dentibus admorderes? num edere auderes? nequaquam credo: fortè nec in manibus gestares, sed in cloacam abijceres. Et quid colis, quid amas, quid oscularis & amplecteris dum impudico amore carnem oblectas, &c.? Pomum Sodomiticum colis, plenum cinere & fætore: cadauer colis. Contemplare igitur cadauer, & senties fortè quod iuuenis ille; qui cum ob oculorum pulchritudinem teneretur amore cuiusdam sanctimonialis, illa insidias metuens, eruit sibi oculos & iuueni transmisit, vt videret quid amauerit: quorum aspectu iuuenis mox in alterum mutatus amorem carnis cum religionis commutauit ingressu, vt scribit Sophronius *in Prato spiritu.* c. 60.

3. *A propinquis deseritur.* Tertiò, Etiam clamat quantum fidei sit habendum propinquis: qui simul ac oculos clauseris, relinquent te solum in cubiculo, vno tantùm accenso lumine & in potestate eorum, qui te sepulturæ tradent: vehementer etiam vrgebunt vt quamprimum è domo eijciaris: interim iam de hæreditate cogitabunt, rebus tuis inhiabunt & multa clanculùm auferent: bona verò à te parta non cum gratiarum actione, sed quasi de iure sibi debita inuadent, & pro ijs altercabuntur: & siquidem in testamento ad pias causas aliqua legaueris, tibi maledicent, & conabuntur omnibus modis ea supprimere & retinere: quod si bene de te meritis nihil legaueris, maledicent tibi & hi. Tandem vnico linteo te donabunt & ita deplumatum ad sepulchrum efferent; Quemadmodum testatũ voluit de se Saladinus Princeps Ægyptius, cùm moriens præcepit interulam suam circumferri in castris, hastæ appensam: quo omnes intelligerent nihil ipsi ex tantis opibus reliquum fuisse, præter hanc interulam. Vt refert S. Antoninus 2. *Chron. lib.* 17. c. 9. ô quàm vere hîc posses dicere: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde & timor notis meis!* Ps. 30. Et quod dixit Dominus: *Inimici hominis, domestici eius!* Matth. 10. ô quàm cœci ergò sunt, qui totâ pæne vitâ suâ liberis tantùm & amicis prouident: omnesque labores suos impendunt, animæ verò propriæ nihil: non dico malum esse, liberis prospicere, amicis benefacere: sed malum & stultissimum esse, illis tantùm & sibi non magis prospicere. ô duri in vos parentes! Interrogate iumenta: An non ipsa priùs se pascunt, quàm suos fætus! an non propriæ vitæ & saluti potiùs consulunt, quàm pullorum? Vidi quidem vulpeculam eripere conantem catulos suos ex ore canum, vndique circumcursantem: sed vbi canes matrem arripere volebant, ipsa mox aufugit & catulos reliquit. Cur igitur vos corpori filiorum potiùs quàm animæ vestræ consulitis?

SECVNDÒ, Clamat in funere, dum effertur ad sepulchrum. Et quid dicto quàm malè remuneratur mundus! nimirum mundi pompam & obsequium damnat. Effereris enim alienis humeris de proprijs ædibus, alijs cantantibus, alijs verò plorantibus, hoc est, alijs lætantibus de morte tuâ, alijs verò dolentibus, comitantibus notis & vicinis tuis (si tamen hæc tibi sors contingat, & non potiùs sepulturam asini sortiaris) qui tamen omnes simul ac depositus in sepulchrum fueris, memoriam tui deponent & perpetuâ te obliuione sepelient, sepulchrum tuum nunquam fortè reuisuri: quorũ multi posteâ de te malè loquentur & peccata tua propalabunt, quæ viuenti obijcere non audebant. Atque ita verissimè dicere tunc posses: *obliuioni datus sum, tamquam mortuus à corde: factus sum tamquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Ps. 30. q. d. non tantùm ex oculis, sed etiam ex hominum memoriâ, & corde abiectus sum: & quemadmodum cùm vas aliquod elegans in mensâ frangitur, omnes conclamant & ingemiscunt: postmodum verò vbi id in cloacam eiectum fuerit, nemo eius meminit ampliùs; ita mihi euenit. Quid enim hæc pompa funebris, nisi communis eiulatus super fracto vase & defuncto amico? Sed vbi in sepulchrum eiectus fuerit, omnes ad sua redeunt & defuncti obliuiscuntur, quasi nunquam eum nouissent. Vnde verissimè Sapiens c. 5. ait: *Transierunt tamquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum.* Sonitus aëris funebris pompa est, qui tamdiu auditur, quamdiu effertur è Ciuitate mortuus: posteà non ampliùs. Maior auis, maiorem strepitum facit quidem, sed æquè transit: sic & diues. Quod si odorem aliquem bonæ famæ relinquis: etiam ipse parum durat apud homines. Vnde Iob c. 9. dicitur: *Dies mei pertransierunt, quasi naues, poma portantes.* Quia nimirum vti naues illæ, non aliud post se vestigium reliquunt præterquam odorem aliquem, modicùm durantem, ita & defunctus, breuissimam sui memoriam. Et hoc est totum illud, quod tibi mundus rependit pro omni illo seruitio, quod ei tamdiu impendisti. Nemo ibi tecum moratur, sed omnes mox reuertuntur: vt meritò id Iob. c. 6. dicere possit defunctus: *Fratres mei pertransierunt me sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus;* quia scilicet raptim intrant cæmiterium, & raptim egrediuntur. Item quia

C. II. *Quid in funere.*

torrens

torrens transiens madefacit lapides, posteà mox relinquit siccos, quasi nunquam per eos transisset: sic oculi amicorum in morte amici madefiunt, mox posteà siccantur. Vnde rectè Sapiens vocauit eum leuem ventum percussum ab alis auiculæ, quia leuis est mundus in suo luctu. ô insanos igitur mundi amatores, qui pro tam inani mercede tot laboribus ei deseruiunt & placere student. ô ingratum mundum, qui tam malè remunerat præstita sibi obsequia! Nimirum vti Dionysius Tyrannus Cytharœdum quendam, quem ad sui recreationem conduxerat diuque audiuerat, magnâ spe præmij lactauit, posteà vacuum dimisit, dicens se gaudium gaudio rependisse; quod inani spe replesset animum cytharœdi, quemadmodum cytharœdus inani sono repleuerat aures Tyranni: Ita & mundus agit cum suis asseclis. Postquam enim diu sudârunt homines vt mundi plausum & fauorem captarent, adeoque quasi inani Musicâ eum oblectarunt: hoc solùm eis rependit mundus, quòd sepeliendos comitatur & vanissimum eis Epiphonema accinit, plus sæpè vituperij, quàm laudis continens. Atque vt demus, nauem alicuius defuncti optimum post se relinquere odorem apud homines: quid hoc iuuat mortuum, præsertim si ipse in damnatione sit? num eum à gehennâ eripere mundus potest? num illa mundi laus pœnas eius mitigare? minimè gentium: Sic enim & Aristoteli & Alexandro Magno nihil omninò prodest, multis in hoc mundo præconijs celebrari, cùm animæ ipsorum in inferno sint, iuxta illud; quod quidam Vir Sanctus de Aristotele dixit: *Condoleo tibi Aristoteles, qui vbi non es, laudaris; vbi verò es, cruciaris.* Quàm felices contrà illi, qui nullâ prorsus mundi pompâ, sed inter manus Angelorum cum Lazaro Mendico sepeliuntur & Deo præsentantur: quia nimirum hîc non mundo, sed Deo seruierunt!

D. III. Quid in sepulchro? Tertiò, Clamat in sepulchro, cùm in illud deponitur. Et quid illic clamat? ô quàm exigui sumus? Septem enim pedum fouea tibi fiet, sat superque ampla cùm te hîc magnæ domus, multa prædia, ampla regna capere vix potuerint. Vnde verissimè Iuuenalis dixit: *mors sola fatetur, quantula sint hominum corpuscula.* Hoc agnoscens Seuerus Imper. vrnam sibi parari voluit, in quâ sepeliretur, quam crebrò manibus contrectans dicebat: *Tu virum capies, quem totus mundus capere non potuit.* Dio Nicæn. in eius vitâ.

Sepulchrum igitur auaritiam damnat; cùm enim sciamus nemini maiorem assignatum iri habitationem & ante huius ingressum omnes spoliandos, qui fit, obsecro, quod suâ mediocritate nemo vult esse cotentus, sed nouis & nouis opibus accumulandis perpetuò inhiat? *Fertur, Constantinus*, inquit Eusebius in eius vitâ l. 4. c. 29. & 30. *cuidam aliquando prehenso dixisse: Quousque tandem, ô bone, inexplebilem hanc auaritiam cumulamus? deinde hastâ quam manu tenebat, humi descriptâ humani corporis formâ, omnes*, inquit, *vitæ diuitias & totius orbis opes si haberes, tamen plus hoc à me circumscripto loculo non possidebis; & si illud fortasse possederis.* Tam igitur si scias te à morte penitus spoliandum, quid est quòd adeò superfluas quæris opes? nescis euenire tibi, quod canibus venatorijs solet, qui ostensâ sibi à venatoribus prædâ, in eam incitantur & dimittuntur cum clamore: Cape rape, cape rape. Sed cùm prædam apprehenderint post multam fatigationem, tunc venator baculo tundit canum ora lateraque perpetuò clamans, relinque, relinque, atque ita canibus prædam eripit, qui eam cum dolore relinquere coguntur. Ita Diabolus ostendit hominibus lucra, diuitias, honores & incitat eos ad persequendum: Ecce tibi ingens lucrum: Equita, nauiga, curre. Vbi verò prædam vix magno labore, timore, periculoque & iam senescentes ceperint, tum adest mors Venator, & per morbos imprimis capita eis contundit, postmodum prædam omninò eripit, maximo eorum dolore.

Qvartò, Clamat in monumento seu Mausoleo: ô quàm imbelles sumus! Quantus verò Devs, qui etiam potentissimos quosque humiliare & modico saxo claudere potest! Quid enim monumenta illa marmorea sunt, nisi trophæa Victoriæ quam obtinet Devs deponentibus, sapientibus, diuitibus? dicuntur quidem ea erecta esse ad honorem talis vel talis Domini defuncti: sed reuerà potiùs honorem Dei testantur & loquuntur, cuius potentiæ omnes cedere & subijci debuerunt: infirmitatem verò hominis qui omnibus suis opibus, viribus & scientijs saluare se non potuit. Et hoc agnoscens Maximilianus I. Imper. moriens iussit vt quando inter viuos esse desijsset, cadauer suum omni hominum sorti conspiciendum proponeretur: *vita*, aiebat, *vel meo exemplo discant omnes, nulla diademata, opes nullas, nec vlla imperia a morte eripere posse dentem:* Rein. Hadamar. *in instit. Princip.* Atque hanc ob causam Græcorum Imperatoribus nouiter electis quatuor genera lapidum de more afferebantur (vt refertur in vitâ S. Ioann. Eleemos.) vt inde eligerent, quonam è marmore sepulchrum sibi construi vellent. Hâc enim specie monebant Imperatorem suum Græci non iam deliberandum esse Imperatori de morte (quæ ei certissima esset) sed tantũ de sepulchro, quomodo sepeliri vellet. Et propterea Alexandri Mag. qui immortalis haberi volebat, monumẽtũ adeò irriserũt Philosophi illi, cùm ad illud confluxissent, quemadmodum refert Petrus Alphonsus. Vnus dicebat: Heri totius terræ spatiositas Alexandro nõ suffecit, nunc triũ quatuorve vlnarum spatium illi sufficit. Aiebat alius: Heri potuit Alexander à morte multos liberare, hodie seipsum non potest. Alius cùm aureum eius loculum videret: Heri Alexander ex auro fecit thesaurum, hodie aurum facit ex ipso thesaurum. Alij: Heri Alexander terram oppressit, hodie à terrâ opprimitur: Eius mater Olympias videns eum per aliquot dies insepultum iacentem, lamentabunda exclamauit: ô fili qui cæli particeps esse studebas,

E. IV. Quid in Mausoleo?

debas, ne ijs quidem potiri iam vales, quæ mortalium omnium communia sunt.

F. V. Quid in ossium tumulo.

QVINTÒ. Clamat in ossium aggere, quid de proximo nostro sentire debeamus: nimirum omnes nos fratres esse, & neminem super alium extolli debere; siquidem in eundem locum, omnium ossa sine omni præeminentiâ aut discretione cōgeruntur, ita vt nec vnicum ab altero discerni queat, quis Rusticus, quis Nobilis fuerit. Vnde S. Augustinus *l. 3. de naturâ & gratiâ*, ait: *Respice sepulchra, & vide qui seruus & Dominus, qui diues & pauper*, &c. Et Alphonsus Rex Aragoniæ dicebat cinerem esse, qui Principes ac priuatos, diuites & pauperes exæquaret. Panorm. *lib. 4. de gest. Alphon.* Ac propterea mors describitur cum falce *Apoc. 14.* (vti & communiter pingitur) quia vti falx æquè secat aristas altiores ac humiliores omnesque demùm æquat, cùm in vnum fasciculum colliguntur. Ita facit & mors. Quando cum latrunculis luditur, tum Rex primo loco, secundo Regina, postmodum Rustici collocantur: ast finito ludo omnes in vnum conijciuntur sacculum & fiunt æquales. Ita in mundo quidem alter alteri præfertur: sed in morte omnes fiunt pares. Obibat aliquando Diogenes sepulchra, & conabatur discernere inter ossa nobilium & ignobilium, Dominorum & seruorum: sed frustraneo labore; fatebatur enim discrimen se nullum inuenire. Fertur equidem nobilis quidam, percontanti stulto suo, discrimen id assignasse, quod crania quidem alba & nitida nobilium fuissent, nigricantia verò & maculosa plebeiorum. Sed & hîc impegit: nam cùm posteà vidisset stultus ille, quosdam in patibulo pendulos, quorum crania ob pluuias & tempestates erant valdè nitida, quæsiuit è suo Domino, num & isti nobiles fuissent? Mirandum itaque vehementer, quod vnus aduersus alterum infletur, nobiliores præsertim adeò contemnant humiliores, quasi specie ab illis differrent; cùm sciamus, omnibus esse eandē nascendi & moriendi conditionem. Prouerbio nostro dicimus, quod vtinam sæpè repeteremus; **Beym Kürschner in der pays wollen wir schon zusammen kommen.** Apud Pellionem benè conueniemus. Et hoc quidem meritò dicimus ad inuicem: Nam pellio iste DEVS est, qui nobis omnibus pellem induit (qui etiam vestes pelliceas primis nostris parentibus fecit) cum carne mortali nos vestiuit; hanc verò nobis iterum detrahit per mortem, & in terræ gremio quasi in tincturâ macerat ac tandem omnes coniungit & commiscet, dum in vno aggere ossa omnium inter se confundit. Itaque cùm Dominus & seruus nequeunt conuenire: expectent parumper; **beym Kürschner etc.** apud pellionem istum omnes conueniemus. Quando maritus nimis prodigus, vxor nimis auara est, ideoque conuenire nequeunt: expectant parumper, &c. quando duo se mutuò tolerare nequeunt, quia capitali odio flagrant: expectent, &c. quando duo se mutuò ad necem quærunt; expectate, &c. quando duo se mutuò amant & sicut optant, conuenire nequeunt, expectate, &c. Ita Appollonius Thyanæus ad Neruam Imp. qui eius præsentiam & alloquium desiderabat, rescripsit: *Nos quidem, ô Rex, diu simul erimus, vbi neque nos alijs, neque alij nobis imperabunt.* Significans vtrúque citò moriturum (id quod breuî contigit) Philostr. *l. 8. de vitâ Apollonij.*

Quod si iam vnum ex cranijs vel ossibus illis iuxta hod. Euang. interrogaremus: *Tu quis es?* aliúd non audiremus, quàm quod Ioannes respondit: *non sum:* Túne ex omnibus his potentissimus, sapientissimus, opulentissimus, pulcherrimus? *Non sum.* Túne es ille cytharœdus, saltator, disputator? *non sum.* Túne illa saltatrix, speciosissima dea vrbis nostræ; *non sum.* Ita interrogabant & stupebant prætereuntes Iezabelem à canibus deuoratam: *Haccíne est illa Iezabel?* 3. *Reg. 9.* Hîne sunt illi oculi, illa labia, &c. Non sunt. Quid ergò es? *Ego vox clamantis in deserto.* Et quid clamas? *Dirigite viam Domini.* Et quomodo dirigenda? Nolite credere Diabolo, quia decipit: Nolite fidere carni, quia inficit; Nolite fidere sanguini quia deserit: Nolite fidere mundo, quia deficit: Nolite fidere mammonæ, quia non sufficit: Nolite fidere superbiæ quia interit. Si hanc vocem audiremus, sine dubio viam Domini dirigeremus. Audiebat aliquando S. Augustinus *l. 8. Confess. c. 12.* nondum conuersus vocem clamantis: *Tolle lege, tolle lege.* Sed nondum eam agnoscens, cogitabat num fortè pueri ludentes tale quid clamare solerent. Sed quia nihil horum audierat: librum accepit, legere incepit & obuium statim locum arripiens, inde conuersus est. Non est ludus puerorum, vox ista defunctorum. Vox Dei est, præcursoris mortis est, volentis nos præparare ad Iudicium. Igitur tolle aliquod cranium vel os defuncti, lege in eos & quid legis? Idem quod Augustinus legit: *non in comessationibus & ebrietatibus: non in cubilibus & impudicitijs: non in contentione & æmulatione: sed induite Dominum Iesum Christum.* ad Rom. 13.

CONCIO III.

Extremi iudicij & iudicandorum manifestatio.

1. *Manifestabuntur omnium peccata.* 2. *Accusabuntur à pro-*	*pria conscientia, diabolo, Christo, & creaturis omnibus.*

THEMA.

Tu quis es? Ioan. 1.

FAcillima videtur esse quæstio hæc: Tu quis es? reuera tamen difficillima est, quia si Thaleti è septem sapientibus vni credimus, nihil difficilius, quàm nosse se ipsum. Thaleti assentitur Chilon, & ipse sapientum

pientum illorum vnus, qui solebat dicere: *caue tibi ipsi*, siue, *à teipso*, monens isto verbo, sibi quemque maximè debere suspectum esse; proptereà quòd sæpe homo sibi ipsi maximè sit hostis. Laërt. l. 1. Vtrique adstipulatur Moyses, qui hoc idem ferè dixit *Deut.* 15. iuxta 70. scilicet: *Attende tibi ipsi.* (vbi vulgata legit: *caue*) Nimirum homines multò sæpiùs & turpiùs decipiunt seipsos quàm ab alijs decipiantur. Existimant se iustos, quos tamen aliquando in iudicio diuino, maximo suo damno & dedecore deprehendent iniustos. Proptereà ad quæstionem illam: *Tu quis es?* noluit Ioannes categoricè respondere, timens sibi ipsi, ne forsitan se deciperet. Vocem se esse dixit, hoc est, rem obscuram, quæ audiri quidem, sed nec videri nec discerni potest. Neque S. Iob respondere ad hoc ausus est. Ait enim ipse c. 9. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Neque Apost. Paulus, qui 1. *Cor.* 4. ait: *Sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me Dominus est.* Vnde ibidem quæstionem hanc remittit ad diem iudicij, cùm immediatè subdit: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.* Ita est, Auditores, ita est. Omnes hic sub nube sumus. Vnus ille dies clarè nobis ostendet, qualis quisque sit. Id quod nunc audiemus.

B. I. Manifestabuntur omnium peccata.

PRIMÒ. Manifestabuntur omnia omnium peccata, iuxta versum illum: *Cunctaq. cunctorum cunctis arcana patebunt.* Sicut enim inter homines, Iudice sedente pro tribunali, proponuntur facta eorum, qui iudicandi sunt, vt omnes videant sententiæ æquitatem: ita in magno illo & supremo tribunali publicè proponentur omnium facta, dicta, cogitata, quæ præmio vel pœnâ digna, ita vt omnes & singuli intelligere possint, quid boni vel mali totâ vitâ fecerint tam alij quàm ipsimet. Hoc indicat Scriptura, cùm ait *Dan.* 7. *Iudicium sedit & libri aperti sunt.* Et *Apoc.* 20. *Vidi mortuos magnos & pusilles, stantes in conspectu throni; & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est liber vitæ: & iudicati sunt mortui ex ijs, quæ scripta sunt in libris, secundum opera ipsorum.* Libri hi conscientiæ sunt singulorum in vtramque partem, quæ in iudicio reuelabuntur, vt scribit S. Hieron. *in Dan.* 7. & S. Ephrem *l. de verâ pœnitentiâ c.* 4. *formidabiles*, inquit, *libri aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra & actus & verba & quæcunque egimus in hac vitâ: nec solùm actus, sed & cogitationes & intentiones cordis.* Confirmat idem Apost. 1. *Cor.* 4. cùm ait: *nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium*, &c. Vbi etiam indicat modum, quo hoc fiet, per illuminationem scilicet mentium, quæ ita illustrabuntur à DEO, sicut colores & formæ rerum, quæ noctu latent in tenebris, à sole illustrantur & fiunt omnibus conspicuæ, ita vt non modò seipsum quisque, sed & alios aliorumque gesta intueri possit, vnà cum omnibus circumstantijs & meritis eorum. Et quemadmodum Sol restituit rebus colorem suum, quem nox atra illis abstulisse visa est: Sic illucescente illo sole iustitiæ, vnusquisque suum genuinum & verum referet vultum. Sanè de nocte putrida ligna videntur esse lumina, & vermiculi lucentes videntur esse stellulæ: sic in mundo reprobi multoties videntur esse iusti & sancti. Itaque primò patebunt omnia facta notoria omnibus hominibus, perinde ac ipsius patratoribus; vel ac si in conspectu omnium essent patrata. Deinde patebunt omnia occulta in angulis & tenebris peracta: interna quoque vti cogitationes, desideria, intentiones. Tertiò speciatim patefient omnium doli, fraudes, occultæ machinationes, Hypocrises. Quartò peccata in confessione occultata vel negata. Quintò, Peccata quæ non aduertimus vel obliti fuimus, vel pro peccatis non habuimus, vti etiam peccata aliena. Omnia hæc quamprimum patrantur, referuntur in libros illos; qui hic quidem clausi sunt, aperientur verò in iudicio & patebunt toti mundo.

Cogitate hic inprimis, Auditores, quanta sit futura electorum gloria, cùm eorum virtutes & virtutū opera, quæ hic occultare studuerunt, quæque, mundus derisit, cum ingenti gloriâ mundo ostentabuntur? Quàm sordebunt ibi vitia? quàm virtutes coruscabunt? Quàm gloriosum erit tunc, sese humiliâsse, sua merita auxisse & tamen interim occultâsse, alijs se subiecisse, infimum locum ambijsse, iniurias illatas æquo animo tolerâsse, innocentiam suam non prodidisse, concupiscentias frænasse? Huc respexit Dominus, cùm suadens sedere vltimo loco, dixit: *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*; cùm scilicet audies: *Amice ascende superius Luc.* 14. Huc respexit Apost. cùm 1. *Cor.* 4. dixit: *Tunc laus erit vnicuique à Deo.* Ac licet etiam peccata illorum dimissa reuelentur, id tamen non ad ignominiam, sed ad gloriam potiùs cedet illis.

Cogitate deinde, quantus sit futurus impiorum pudor, cùm vniuersæ iniquitates eorum, quas tectis & parietibus ædium suarum occultabât, cùm viuerent, coram oculis totius mundi detegentur? In primis quantum confundentur illi, qui grauissima & enormia scelera perpetrârunt, quibus patrandis angulos, tenebras & noctem quæsierunt? Si enim fures, Latrones, venefici, adeò confunduntur cùm in foro lectis eorum sceleribus, publico & infami supplicio afficiuntur, coram exiguo populo vnius ciuitatis, vt multi sibi necem inferant in carceribus, ne in theatrum producantur: quid erit stare in conspectu totius mundi & audire quodammodò relegi coram omnibus Stentoreâ voce scelera sua? Moyses cùm adhuc in aulâ Pharaonis commoratus, occidisset aliquando Ægyptium, qui percusserat Hebræum, vndique circumspiciens abscondit eum sabulo. Hoc verò cùm quidem Hebræus aduertisset & altero die ei exprobrasset, timuit Moyses dicens: *Quomodo palam factum est verbum istud? Exod.* 2. Si ergò Moyses territus fuit,

fuit, quòd vnico Hebræo, viro de gente suâ pateret eius homicidium: quid erit diffamari, de omnibus suis peccatis coram amicis & inimicis, coram notis & ignotis, coram Deo, Angelis & hominibus; Cautè quidem & circumspectè patrantur scelera grauiora, sed nulla circumspectio DEVM inspectorem fugit.

Deinde quàm confundentur, qui per omne nefas innocentes persecuti sunt, spoliârunt, condemnarunt, prætextu tamen iustitiæ: cùm eorum dolus, violentia & malignitas patebit toti mundo? S. Cyprianus Martyr *l. 4. ep. 9.* scripsit ad Florentium criticum & obtrectatorem suum: *Hæc pro animi mei purâ conscientiâ & Domini & Dei mei fiduciâ rescripsi. Habes tu literas meas & ego tuas: in die Iudicij ante tribunal Christi vtraq; recitabuntur.* Sic Edmundus Campianus Soc. Iesu in Angliâ Martyr. *l. 10. ration.* alloquens impiam Angliæ Reginam: *Veniet*, inquit, *Elizabetha dies ille, ille dies, qui tibi liquidò demonstrabit, vtri te dilexerint, Societas Iesu, an Lutheri progenies.* Væ tunc succumbenti, siquidem hîc iustus & victor haberi voluit!

Quantum confundentur Christiani ficti, amici falsi, infideles famuli, & quotquot denique sub ouinâ pelle lupum absconderunt, cùm eis larua detrahetur? Vt enim inepti pictores, cùm sub velo (ne videlicet in contemplatione suâ perturbentur) depinxerunt ædes publicas, remoto velo & expositâ ad conspectum picturâ, omnium prætereuntium censuris taxantur & exploduntur: ita quoque impij, qui hîc sub velo & pallio fidei, amicitiæ, religionis turpiter vixerunt & suasmet animas fœdè conspurcârunt, in die Iudicij cum remoto velo hominibus patefient, omniũ cachinnis & ludibrijs excipientur, iuxta id Thren. 2. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt & mouerunt capita sua super filiam Ierusalem: Haccinè est Vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Apparebit in hâc domo seu animâ pictam fuisse sagam, in illâ canem impudicum, in aliâ furem, &c. & dicetur: hæccinè est illa Matrona tam in templis frequens? hiccine vir ille tam honestus; &c. In vitis PP. *l. 5. tit. de compunctione*, Monachus quidam qui negligenter vixerat, ægrotans raptus fuit ad iudicium & inuenit Matrem suam iam mortuam cum bis qui iudicabantur. Illa autem vt vidit eum, obstupuit & dixit illi: *Quid est hoc, fili? Et tu in hunc locum condemnationis iussus es venire? Vbi sunt sermones tui, quos loquebaris dicens: volo saluare animam meam?* Confusus hac voce filius ac rediens ad se inclusit se ad pœnitentiam, ibique suam negligentiam assiduò deplorabat. Monitus vt fletum temperaret, futurum sibi noxium, noluit acquiescere, dicens: *Si improperium matris mea non potui sustinere, quomodo Christi & Sanctorum eius Angelorum aduersum me confusionem potero in die Iudicij sustinere?*

Quantum confundentur, qui in confessione peccata grauiora reticent, negant vel excusant? Si enim eos pudet aperire ignominiam suam patri spirituali, qui eam pallio suo tegere & emplastro obligare cupit: quomodo sustinebunt publicum illud dedecus, quando eorum turpitudo ostendetur toti mundo? Eueniet enim istis, quod pigris quibusdam Ancillis, quæ dum obiter tantùm & detritis scopis domum verrunt, nec sordes eijciunt, sed subter lectum aut scamnum congerunt, cistaque admotâ obtegunt; tandem verò à Dominâ inspectrice cistamque remouente deprehenduntur & confunduntur. Quid enim aliud faciunt, qui sordes peccatorum suorum eijcere de corde iussi, obiter tantùm conscientiam suam examinant, obiter & raptim confitentur aliqua, sed fœdiora abscondunt prætextu obliuionis vel ignorantiæ; vel excusatione palliant? Quæ illorum confusio erit, cùm DEVS amotis & explosis illis palliamentis, ostendet orbi sordes illorum iuxta id *Naum. 3. Ostendam gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam?*

Quantum pudefient, qui ingenti peccatorum sarcinâ prægrauatos se videbunt, quasi monte integro, vel ingenti quasi volumine scelerum characteribus vndique exarato? Sanè Zacharias Propheta vidit c. 5. volumen grande volans longum 20. cubitorum, latum 10. cubitorum, in quo scripta erant scelera Iudæorum sui temporis; Et si Symmachus bene vertit, erat id non volumen totum, sed initium tantùm vel compendium voluminis. DEVS bone, si occultissima & minima quæque ad solem tunc protrahantur, vti reuerâ protrahentur: quantos scelerum libros secum afferent ij, qui ad multam vsque senectam in sceleribus vixerunt, minora verò & quotidiana peccata pro nihilo habuerunt? *Quid tunc nobis miseris fiet*, inquit S. Chrys. *hom. 5. in ep. ad Rom. cùm omnia orbi vniuerso palã facta, in tam aperto tamq; illustri theatro denudata, hominum partim nobis cognitorum, partim incognitorum oculis subijcientur?*

SECVNDÒ. Neque verò hic defensioni, tergiuersationi aut excusationi locus vllus erit, quia causa & accusatio reproborum nimis manifesta erit. Primò enim accusabit & conuincet eos propria conscientia, seu peccata eorum. Audi S. Basil. *l. de verâ Virgin. Quæ prius*, inquit, *corpore quasi veste contecti, minimè habere putabamur, ea nudata se omnium oculis ingerent, nullusque iam vel negationi vel defensioni erit locus, quãdo ipsa cernuntur opera in suo auctore conspicua. Non enim confusè, sed singula per partes, vt sese habeant, velut in picturâ noscentur.* Et S. August. *in Ps. 49.* in illa verba: *Arguam te & statuam contra faciem tuam: Ordinabuntur*, ait, *ante infelicem animam peccata sua, vt & eam conuincat probatio & confundat agnitio.* Non erit opus testibus vel scripturis: ipsamet cuiusque conscientia testes proferet, scelera propria, quorum se ream aget. Videbit etiam clarè omnibus constare hanc internam sui accusationem & condemnationem. Vnde S. Greg. Nyssen. *orat. 5. de beatit.* ait: *Quemadmodum vera certaque specula tales vultuum ostendunt effigies, qualescunque ipsi vultus sunt, hilares quidem alacrium, &c. ita iustum iudicium nostris affectionibus assimilatur, qualiacunque à nobis commissa fuerint.*

Secundò. Accusabit & conuincet eos Diabolus,

e. II. Accusabuntur rei.

1. A propria conscientia.

2. A diabolo.

bolus, iuxta nomen suum: Est enim calumniator & fratrum accusator, *Apoc.* 12. Audi S. Augustin. *in conc. ad Catechum. tom.* 6. *Præsto*, inquit, *erit aduersarius Diabolus, recitabuntur verba professionis nostræ.* (in Baptismo scilicet factæ) Et mox: *Æquissime, inquiet, Iudex iudica: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Iudica meum esse, qui tuus esse voluit; meus est, mecum damnandus est, post renunciationem; vt quid inuasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renunciauerat; Quid intemperantia, quid auaritia, quid ira, quid cætera mea?* &c. Et pòst: *Hæc omnia mea post renunciationem inuasit, meus esse voluit, & mea concupiuit iudicia; iudica æquissimè, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poterit ne os aperire, qui post professionem suam talis inuenitur, vt iustè Diabolo addicatur?* hæc August.

Vide hoc latius Dom. 19. post pent.

Hunc in modum Diaconus quidam Muritta nomine, in persecutione Wandalicâ apud Victor. *Vtic. l.* 3. *persec.* Wand. Elpidophorum Apostatam, tam suum quàm aliorum Christianorum Carnificem prolato linteo, quo eum olim de sacro fonte susceperat, redarguit terruitque dicens: *Hæc sunt lintea Elpidophore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis,* &c. Hæc enim symbola fidei & professionis nostræ proferet ibi Dæmon ad nos coarguendos.

3. A Læsis. Tertiò, accusabunt & conuincent illi, qui ab eis læsi sunt, innocentes, Martyres, pauperes & subditi ab eis oppressi, &c. Nitebatur Saul fucare suam inobedientiam circa deletionem Amalec, sed interim prodebant eum greges ouium & armentorum, quos sibi reseruarat & secum duxerat. Vnde dicebat ei Samuel: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis?* q.d. tu te innoxium ais, sed greges hi te reum clamant 1. *Reg.* 15. Idem facient impijs greges pauperum & innocentum, qui eorum domos suo sanguine vel sudore cruentare vel exornare ditareque debuerunt. Resonabunt enim in auribus DEI, vindictam postulantes; inprimis verò eorum qui ab alijs seducti sunt, querelæ.

4. A Christo. Quartò, Accusabit & conuincet ipse Christus, teste Malachiâ. *c.* 3. vbi ait in personâ Christi: *Accedam ad vos in iudicio & ero testis velox maleficis & adulteris & periuris, &c.* Christus enim simul erit iudex & testis isque *velox*, id est, promptus, (vt vertit Vatablus) seu expeditus, irrefragabilis, quia quà DEVS omnia videt: quà homo, omnia cognoscit per scientiam infusam æquè ac beatificam: Dicet ergò impijs: Ego vidi ô Cain tuum occultum homicidium: Ego vidi ô Iuda tuam occultam auaritiam, quæ te impulit ad proditionem: Ego vidi ô Anania & Saphira vestram fraudem & mendacium, quo imposuistis Apostolo meo; Ego ô Iuliane, tuam simulationem & hypocrisin; Ego ô Luthere tuum odium, quo inflammatus in Pontificem, Ecclesiam turbasti; Ego ô Caluine superbiam tuam, quâ solus tibi sapere visus, omnia alia derisisti, &c. Nonné tu sic faciebas? Sic & sic ambulabas? hæc & hæc cogitabas? Et sicut Daniel deprehendit impostores sacrificulos, ciborum dolo appositorum depastores, per vestigia cineri impressa, dicens: *cuius sunt hæc vestigia? Dan.* 14. Sic deprehendet & conuincet Christus improbos in ipsis suis vestigijs scelerum & damnis inde datis. Ite, proinde dicet, ite proditores, ite impostores, ite hypocritæ, ite turbatores, &c.

Quintò, Accusabunt & conuincet cœlum, terra & quæ in ijs sunt quæ peccatis impiorum interfuerunt, ac, si eis DEVS vocem dare vellet, vti aliquando dedit asinæ Balaam: clamarent & condẽnarent impios; siquidem hoc cœlum, hæc terra, hoc mare, &c. vidit quodammodò & audiuit scelera eorum. Facient autem id saltem eâ ratione, quâ insurgent contra impios, cùm in eos cœlum fulmina vibrabit, cùm terra eis dehiscet, cùm ignis eos inuoluet. Accusabit & tempus, quod in peccatis absumpserunt, dies cuiuslibet ætatis, mensis, anni quibus impiè vixerunt: proponentur eis fasti, monstrabuntur dies, quibus hoc vel illud egerunt; quemadmodum testatur Ieremias *Thren.* 1. dicens: *Vocauit aduersum me tempus.* Statuentur enim in memoriâ impiorum omnes admissorum peccatorum circumstantiæ, quasi præsentes forent, vt nihil negare possint. Verissimè igitur dixit S. Chrysost, in *c.* 24. & 25. *Matth. In illo die nihil est, quod respondeamus, vbi cœlum, terra, aër, aqua, & totus mundus stabit aduersum nos in testimonium peccatorũ nostrorum: & si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros nos ante Deum accusantes.* Tunc ergò fiet, quod dictum est *Zach.* 2. *Sileat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* His enim tot tantisque testimonijs silentium imponetur omnibus iudicandis. Quod enim de Alexandro Mag. omnium penè gentium domitore dicitur 1. *Mach.* 1. *Siluit terra in conspectu eius*; hoc longè verius & verissimum erit tunc in Christo. Quod si igitur tuti in die illo esse volumus, inspiciamus nunc frequenter librum conscientiæ nostræ, contemplemur quid in eo iam scriptum sit, vt deleamus: attendamus quid in eo & in posterum scripturi simus, ne Vriæ literas in nos ipsos conscribamus & in proprio sinu gestemus. Fecerunt hoc sancti viri; qui nihil magis formidabant, quàm iudicium illud; vti S. Dauid *Ps.* 118. dicens *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* S. Iob. *c.* 31. *Quid faciam, cùm surrexerit ad iudicandum Deus? Et cùm quæsierit, quid respondebo illi?* q.d. clauus iste vnus infixus hæret cordi meo qui nullam me capere quietem sinit: quomodo respondeam DEO. Et tamen is alibi *c.* 29. dixit: *non me reprehendit cor meum in omni vitâ meâ.* Cur ergò non hoc responso se armabat ad iudicium? Nempe quia nouit alia esse DEI iudicia, alia hominum. Item S. Hieronymus, qui licet in Eremo sanctissimam duxisset vitam & ob metum gehennæ in tetrum se damnasset carcerem, (vt ait ipse ad Heliod.) in *ep.* 5. ait: *Ego peccator om sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior cum timore*

5. A Creaturis omnibus.

reddere nouissimum quadrantem, & quoad mihi dicatur : Hieronyme veni foras. Item Abbas Alexander apud Moscum in prato c. 169. qui assiduò sibi dicebat : *Vae tibi Alexander, quanta erit confusio tua, cum cateri coronabuntur?* Sed, quae hominum disparitas est? Boni hunc diem timent, qui timendi causam vix habent : mali verò qui quàm maximè habent, minimè timent. Et quae huius rei causa, nisi quia illi illuminatos oculos, hi verò malitiâ suâ excaecatos habent? Rogemus ergò DEVM voce vnanimi cùm S. Matre Ecclesiâ in hodierna oratione, vt mentis nostrae tenebras gratiâ suae visitationis illustret, AMEN.

CONCIO IV.

Dei perfectio & hominis imperfectio.

Docetur Dei perfectio primò.	*3. Quoad immensitatē.*
1. Quoad infinitatem.	*4. Quoad aeternitatem.*
2. Quoad simplicitatem.	*5. Quoad immutabilitatem.*

THEMA.

Ipse est : qui post me venturus est, qui ante me factus est, Ioan. 1.

A VIr doctissimus, Tertulliano contemporaneus & Origenis Magister Clemens Alexandrinus l. 3. *Padagogi* scribit : *Est disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima, seipsum nosse; si quis enim seipsum norit,* DEVM *cognoscet.* Docet ergò hic Doctor, in duobus potissimùm consistere disciplinarum omnium pulcherrimam ac maximam, in cognitione videlicet sui, & Dei, Quod ipsum expressè tradidit B. Catharinae Senensi Christus cùm dixit : *Si nosti filia, quis sum ego, & qua tu beata eris. Ego sum, qui sum, tu es qua non es.* Sur. *in vitâ.* 29. *April.* Non ignorabat hoc S. August. qui *l.* 2. *Soliloq. c.* 1. ait, breuissimè & perfectissimè sic orari Deum: *Deus semper idem; nouerim te, nouerim me.* Non ignorabat S. Franciscus, qui sic orare crebrò solebat : *Domine, quis es tu? & quis sum ego?* Denique in hâc disciplinâ versatissimum fuisse Ioannem Baptistum, colligimus ex hodierno Euangelio; vbi duobus verbis sui & Dei cognitionem tradit, dum de se ipso dicit: *Non sum*; de Christo verò : *Ipse est. Medius vestrûm stetit*, inquit, *quem vos nescitis : Ipse est; qui post me venturus est, qui ante me factus est*; q. d. Ego non sum; ipse est, quem vos me opinamini, Messias. Iam audi fructum huius cognitionis : *Cuius non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Ita nimirum, si agnosceremus nos & Deum, nosipsos humiliaremus; Deum verò sicut decet, glorificaremus. Quòd vtinam hîc discamus.

B. 1. Quoad infinitatem. *Exod.* 3. legimus aperuisse Deum Moysi nomen suum hiscè verbis: *Ego sum, qui sum*, vel (vt 70.) *qui est : hoc mihi nomen est in aeternum.* Id quod multis modis potest intelligi.

PRIMÒ, Deus est, qui est, quoad infinitatem, quia est Ens à se vniuersalissimum, infinitum & perfectissimum, adeoque fons totius entis & essentiae pelagus immensum: in quo formaliter vel eminenter continentur omnia, & vnde omnia promanant tanquam à primo ente. Quia si esset ab alio, vel aliquid non ab ipso, vel quod non contineretur in ipso, iam non haberet omne esse, ac proinde non esset Deus. E contra homo est, qui non est, quia habet esse donatum ab alio, scilicet à Deo, & Dei voluntate, quantum, quemadmodum & quousque Deus vult: atque ita ex se nihil est & nihil potest. Secūdò, quia vt ait Plato in Theaeteto, plus habet non entis, quàm entis: quia habet non esse coeli, terrae, lapidis, Angeli & omnium rerum aliarum & plurima insuper peccata. Tertiò, quia est tantùm venula à pelago diuinitatis descendens & in ipsum recurrens, habens iuxta & extra se alias venas, &c. adeoque respectu illius Oceani bonorum, nihil est.

Vnde disce primò, quantâ reuerentiâ & humilitate agendum sit cum Deo, v. g. cùm oras, cùm de Deo loqueris, cùm Deo quid promittis vel offers, &c. Quis enim est Deus? & quis es tu? Ille ex se est infinitum & omne bonum & omnia potest : tu ex te nihil es & nihil potes: Et quidquid habes, à Deo habes: quidquid potes, ex Deo potes. Deinde omne bonum tuum, quod ex Deo habes, respectu boni, quod ipse est, nihil reputatur. Huc respiciebat Abraham, cùm orabat : *loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis, Gen.* 18. *Disce hinc.* 1.

Secundò, Quantoperè Deus amandus sit, quia in ipso infinitè est, quidquid possumus concupiscere, vt nobis bene sit. In ipso est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnes diuitiae, omnis nobilitas, omnis maiestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis potentia, denique vita aeterna. Quis hoc tantum bonorum omnium pelagus non amet, non desideret? Magna igitur dementia est, quaerere riuulos & venas, & relinquere fontem omnis boni, in quo creata omnia longè perfectiùs reperiuntur; non minùs, quàm si quis vmbram aut rudem picturam magni alicuius Regni mallet eligere, quàm ipsum regnum : aut leue vnius horae somnium de felicitate, quàm veram & solidam felicitatem. De quibus *Ier.* 2. dicitur : *Me dereliquerunt fontem aquae viua, & foderunt sibi cisternas.* Et *Ps.* 75. *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Vt enim qui dormiunt, inani diuitiarum, honorum vel deliciarum imagine delusi, nihil horum inueniunt, cùm euigilant, sed cum dolore vident se deceptos : ita accidet omnibus mundi amatoribus, cùm excusso per mortem somno in luce alterius seculi expergiscentur. 2.

Tertiò, Quàm res nobilis sit seruire Deo. Dùm enim Deus infinities maior sit omnibus mundi Regibus, infinities etiam maius est seruire, 3.

nire ei, quàm alicui Regi terreno; imò quàm esse Monarcham totius mundi: sicuti nobilius est aulicum Regis esse quàm pastorem ouium. Hoc nomine & titulo gloriatur in Epistolis suis Paulus: *Paulus seruus Iesu Christi*, S. Gregorius PP, eiusque successores, qui se seruos seruorum Dei vocant; Et B. Agatha, quæ Præsidi obijcienti vilem Christianorum vitam: respondit: *Christianorum humilitas & seruitus longè præstat Regum opibus & superbiâ.*

4\. Quartò, Quàm stulta & explodenda sit hominum superbia; siquidem tot modis nihil & non sunt.

C. II. Quoad simplicitatem. SECVNDÒ, Deus est qui est, quoad simplicitatem, quia est Ens simplicissimum & actus purissimus; tripliciter. Primò, quia non est compositus ex partibus; talis enim si esset, posterior esset partibus se componentibus, & ab illis haberet esse. Secundò, quia quidquid in ipso est non est accidens, sed ipsa eius essentia; vnde est essentialiter bonus, sapiens, potens, &c. eaque bonitas, sapientia, potentia est ipsa eius essentia; alioquin si esset inter Deum, eiusque attributa distinctio formalis, admittenda esset in DEO aliqua compositio; itemque productio præter eam, quæ est Filij & Spiritus S. Tertiò, moraliter, quia omni fuco & duplicitate caret.

Homo verò est, qui non est. Primò, quia compositus ex partibus, & singulæ partes non sunt ipse homo. Nam *secundum aliud homo est corpus, & secundum aliud est rationale, & singulum horum, non est totum, quod homo*, ait S. Anselmus in *Monologio c.* 16. Rursum homo est tantùm per accidens bonus, sapiens, fortis, iustus, &c. Vnde potest talis non esse. Deus autem talis est per essentiam seu essentialiter. Vnde *Deus amat vt charitas*, ait Sanctus Bernardus *l.* 5. *ad Eugen. nouit vt veritas, iudicat vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, tuetur vt salus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, assistit vt pietas: quæ omnia faciunt & Angeli, facimus & nos, sed longè inferiori modo, non vtique bono quod sumus; sed quod participamus; Deus autem hoc ipso quod est, est enim Ego sum qui sum.* Denique homo non idem est semper, qui apparet, sed multoties prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimæra, vt ait quidam, q. d. varius, versatilis, fictus, bicors.

Disce hinc. Discimus hinc, quàm bonum & securum sit adhærere Deo, quàm vanum contrà & periculosum adhærere homini, & rebus creatis, fluxis & fallacibus. DEVS enim est ipsa bonitas, æquitas, sapientia, vita &c. & qui ipsum possidet, omnia ista possidet. *Qui adhæret Domino vnus Spiritus est*; (cùm eo scilicet) ait Apost. *1. Cor.* 6. quia nimirum per charitatem & gratiam fit quasi diuinus, *Elige ergò vitam*, inquit Moyses, *Deut.* 30. *vt & tu viuas & semen tuum: & diligas Dominum Deum tuum atque obedias voci eius & illi adhæreas (ipse est enim vita tua & longitudo dierum tuorum.)* Homines & creaturæ aliæ baculus sunt arundineus, qui citò frangitur, si innitaris ei, quia per accidens tantùm bonæ, diuites, formosæ, sapientes sunt.

vti expertus est Filius prodigus, qui in Regione exterâ adhæsit vni ciuium Regionis illius; & missus est ab eo in villam vt pasceret porcos. *Luc.* 15. Hic finis, hæc merces est adnærentium mundo & hominibus.

D. III. Quoad immensitatem. TERTIÒ, Deus est, qui est, quoad immensitatem; quia est in immensum diffusus & totus vbique, id est, in mundo & extra mundum; omnia ambiens, omnia penetrans; ideoque illocabilis & incircumscriptus; quatenus nullo loco circumscribi potest, sed *est ipse sibi locus*, vt ait Damascenus *l.* 1. *de fide c.* 16. Ratio est, quia si non esset immensus, posset aliquid eo maius & potentius cogitari: item posset aliquid esse extra Deum; Rursum posset moueri loco: quæ omnia impossibilia sunt. Ergò sicut est infinitus in substantiâ, ita & in quantitate; quò pertinet illud *Ps.* 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non est finis*. Et id Isaiæ 66. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et *Ier.* 23. *Cælum & terram ego impleo.* Vt enim spongia est in vastissimo mari, vel globus vitreus in lumine solis vndique translucentis; ita mundus est in Deo.

Homo est, qui non est, quia in mundo est; & in determinato atque angustissimo eius angulo, & per partes quidem, ita vt singulæ eius partes singulos obtineant locos.

Vnde discimus primò debere nos semper in præsentiâ Dei magnâ cum reuerentiâ versari; Quis enim audeat in conspectu Principis omnia peruidentis & valentis mox punire, adeoque pœnam intentantis, leges eius violare? Refert S. Gregorius Nazian. *carm. de subm. & temp.* meretricem à scelere absterritam, intuitu imaginis Polemonis Philosophi seuerè & grauiter pictæ; quis non efficacius absterreatur à sceleribus; si ad DEVM vbique præsentem omniaque coram inspicientem & notantem, oculos conuertat? Et verò licet eius præsentia sit inuisibilis, satis tamen manifestè se prodit per ipsarum creaturarum speciem; in quâ elucet mira Dei sapientia & potentia; quemadmodum & anima, licet inuisibilis sit; foris tamen se prodit, per motus & operationes. Antigonus duos excubitores suos audiens sibi detrahere, velo quod intererat commoto, admonens, dixit: *longius discedite, ne vos REX audiat*, Senecâ auctore. *l.* 4. *de irâ. c.* 22. Hoc tibi, cùm offendis Deum, dicere: Deus potest. Sed & audi Dauidem: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es* &c. Corruit Iudæorum cohors, cùm audijt dicentem Christum: *Ego sum.* Quis ergò audeat pugnare in Deum, vndique præsentem & dicentem: *Ego sum* [illegible]

Disce hinc. 1. 2\. Secundò, Fiduciam habere in Deo quibuscunque in periculis, qui quandò ambit vndique, nec facilè permittet, vt quis nobis noceat. *Ego sum*, ait Dominus ad Discipulos in tempestate nauigantes, *nolite timere* Ioan. 6. Idem tibi ab eo dici credito. Ergò quoties angustiaris, recipe te in fundum animæ tuæ & reuoca eò cogitationes tuas, mox enim inuenies ibi Deum & dices cum Dauide, *memor fui Dei & delectatus sum.*

Nautæ in tempestate metuenti dicebat Iulius Cæsar: *confide, Cæsarem vehis & fortunam eius.* Plutarch. *in apopht.* Hoc tibi à DEO quoque dici puta, quoties iactaris vitæ huius procellis.

E. IV. Quoad æternitatem.

QVARTÒ, Deus est, qui est, per æternitatem; quia semper est in præsenti, carens præterito & futuro, habens æternitatem inamissibilem, & prætereà totam simul possidens, ita vt quouis momento æternitatis fuerit, & sit in illo omnis sapientia, omnis amor, omne gaudium, omnis felicitas, glòria, &c.

Homo è contra est, qui non est, quia antequam crearetur, habuit æternum non esse: & cùm morietur, redibit ad suum non esse: ac licet resuscitandus sit, habebit tamen suum non esse possibile, quia potest perdere suum esse; denique suum esse, suas cogitationes, affectus, gaudia, felicitatem, &c. non simul, sed per partes tantùm habet. De nobis dicitur: *Dies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fænum arui*; de Deo verò: *Tu autem Domine in æternum peruanes & memoriale tuum in generationem & generationem*, *Psal.* 101.

Disce hinc.

1. Hinc disce primò desiderare æternam felicitatem, vbi possidebimus diuitias infinitas, non centum aut mille annis, sed infinitis sæculis: non sensim & successiuè commoda & delectationem earum percipientes, vt fit in hoc mundo: sed simul & cumulatim, ita vt ex apprehensione huius æui, omnia eius gaudia simul percepturi simus.

2. Secundò, Contemnere mundum & temporalia omnia. Quia licet omnia quæ in mundo sunt possideas, nihil tamen habes respectu æternitatis; quia omnia perdes, nec aliud tibi supererit, quàm tristis memòria rerum perditarum, eoque tristior, quò visæ tibi fuerunt dulciores, imò præsentem senties mœrorem, quoties recordaberis illius non esse, in quod redibunt tuæ diuitiæ ac deliciæ. Toties enim concutietur tibi pectus, quoties tibi in mentem veniet, hæc finem habitura esse. Accedit quòd temporalia non simul afferunt aut gustanda porrigunt sua commoda, suum nectar, sed guttatim & per momenta. In cœlo autem omnis dulcedo simul propinatur, simul hauritur per omnem retrò æternitatem.

F. V. Quoad immutabilitatem.

QVINTÒ, Deus est, qui est, quoad immutabilitatem, *Malach.* 3. *Ego Dominus & non mutor.* Est autem immutabilis secundum substãtiam, perfectiones & attributa sua. Nunquam fit ditior, sapientior, potentior, benignior, iustior, gloriosior: licet modò magis, modò minùs glorificetur ab hominibus. Et si totus mundus periret, non idcircò ei quidquam periret, quia ipse sibi sufficiens est & omnia in se continet eminenter, quæ sunt extra ipsum; eaque respectu ipsius nihil sunt; *Tamquam momentum stateræ*, ait Sapiens *c.* 11. *sic est ante te orbis terrarum; & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Secundò, secundùm actus voluntatis, consilia, decreta, quæ nunquam mutat, sed ab æterno determinata habet, quod nunc vult, ab æterno voluit: Et si legatur aliquando mutâsse sententiam, vti cum pepercit Israëlitis *Exod.* 32. & Niniuitis *Ion.* 3. id intelligendum est, mutatam esse hominum, non Dei sententiam: *Deus enim consilium non mutat, sed rem*, ait S. Gregor. *l.* 20. *Mor. c.* 24. Et quia homines mutati aliud meruére iudicium, ideò impropriè dici potest mutatum esse DEI decretum. V. G. Si Deus manu sinistrâ prætendat contra malè agentes gladium, manu verò dextrâ versus pœnitentes & bonos coronam: (Sicut *in Apoc. c.* 1. in ore visus est gerere gladium ancipitem, in dexterâ verò stellas) si quis initio currat versus gladium, dicet illi Deus: Ego te transfigam, sed si is mutèt gradum, & currat ad DEI dexteram & coronam, dicet ei Deus: Ego tibi parcam. Hìc profectò non est mutatus Deus aut decretum eius, sed potiùs peccator & iter ac propositum eius. Tertiò secundùm locum, quia est immensus.

Homo è contra est, qui non est, quia mutabilis totidẽ modis. Primò secundùm esse substantiale, quia id amittere potest, cessante nimirum libero Dei influxu. Similiter secundùm affectiones & proprietates naturales, ætatem, formam, diuitias, prudentiam, iudicium, &c. adeoque corrumpitur potiùs homo quàm est dum desinit esse quod fuit, & incipit esse, quod non fuit. *Corrumpitur enim*, ait ex Plutarcho Eusebius *l.* 11. *de præparat. Euang. c.* 7. *iuuenis in virum, vir in senem, puer in iuuenem, infans in puerum: & qui heri fuit, in eum qui est hodie; quique hodie est in crastinum: manet autem nullus idem.* Quare de hominibus verissimè dicit Dauid *Ps.* 101. *Sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur.* De Deo verò: *Tu autem idem ipse es.* Secundò secundùm actus voluntatis, consilia, decreta, &c. Quo sensu dixit Dauid: *omnis homo mendax. Quomodo si sumus ijdem*, ait Eusebius *loc. cit. alijs nunc quàm antè gaudemus? alia modò amamus atque odimus, alijs passionibus mouemur, &c.* Tertiò secundùm locum, quia cùm sit limitatæ quantitatis & limitatum locum occupet, necessariò est loco mobilis.

Discimus hinc primò neminem DEO dare, neminem auferre quid posse, quia id Deum non ditiorem, hoc non facit pauperiorem. Frustrà ergò sibi blanditur, qui multum se pro Deo fecisse existimat: Sibi enim potiùs, quàm Deo laborauit, cui nihil inde accedit licet dibeatur omne obsequium. Vnde Iob *c.* 35. ait; *Si peccaueris, quid ei nocebis: & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tuâ accipiet?* Frustra etiam insanit, qui suis blasphemijs & sceleribus DEO nocere, mœrorem inferre, & de illo se vlcisci putat. Sibi enim, non DEO nocet; caput rupi illidit, rupi nihil obest, sed sibi infligit vulnus; quod sentiet suo tempore. Disce hinc. 1.

Secundò, Super omnia timere sententiam æternæ damnationis, quia erit fixa, stabilis & irretractabilis in omnem æternitatem, sicuti ipse DEVS semper erit idem, inflexibilis & immutabilis. *Ego sum, qui sum*, ait Dominus; 2.

Hebraicè;

Hebraicè: *ero, qui ero.* Itaque licet damnati millies clament ad DEVM, semper is respondebit: *Ero, qui ero, sum qui sum.* Immobile saxum est sententia damnationis: Væ illi, in quem ceciderit. Cogita nunc, quæ tibi foret mens; si post damnationem animo recoleres te premi saxo illo & sententiâ immobili? Nimirum nullis vocibus exprimere miseriam tuam posses. Ergò dum in potestate nostrâ est fugere hoc pondus, fugiamus, & à sinistrâ Dei ad dexteram properemus.

Finiamus cum S. Tiburtio Martyre, fratre Valeriani sponsi S. Cæciliæ, qui cum ab Almachio præfecto ob susceptam fidem insaniæ argueretur, respondit: *Vtinam dignetur nos* (Deus) *referre in numerum seruorum suorum, qui respuerunt id quod videtur esse & non est: & inuenerunt illud, quod non videtur esse & est.* Cui Almachius: *quid videtur esse quod non est? Omnia*, inquit Tiburtius, *illa quæ in mundo sunt, quæ & Cultores suos ad æternum exitium per breuis temporis lætitiam ducunt. Quod verò est & non videtur esse, est vita iustorum & supplicium iniustorum.* Vt in vitâ S. Cæciliæ.

CONCIO V.

Iactantia & propria laus culpatur.

Rationes assignantur hæ:	2. *Quia stulta est.*
	3. *Quia odiosa est.*
1. *Quia iactantia noxia est.*	4. *Quia suspecta.*
	5. *Quia vana est.*

THEMA.

Quid dicis de te ipso?
Ioan. 1.

A IVre meritoque Angelum appellauit Dominus Ioannem ante octiduum. Simillimus enim est angelo illi *Iudic.* 13, qui à parentibus Samsonis bis rogatus vt diceret illis nomen suum quo ab illis honoraretur, renuit nolens honorem recipere ab hominibus. Et quid aliud, fecit Ioannes in hodierno Euangelio? Nónne sæpius interrogatus quis esset, noluit dignitatem suam prodere ne vanè & plus æquo coleretur ab hominibus? Confundit ergò Ioannes stultam mundi superbiam, dum ipse tantus Heros de se interrogatus, humillimè respondet, & ferè per negationes tantùm: *non sum, non sum, non sum*; tametsi verè dicere poterat, se Eliam & prophetam esse. Non ita filij huius sæculi: qui mira & magna de se prædicant, tametsi multoties sibi indebita. Huiusmodi gloriosus miles fuit Rex Nabuchodonosor, qui in aulâ suâ deambulans dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloriâ decoris mei? Dan.* 4. Quamobrem rectè vocatur iactabundus iste Rex, singularis ferus, qui depastus est Dei vineam, scilicet synagogam Iudæorum. Singularis autem ferus erat, *quia superbus*, inquit S. Augustinus in eum locum. *Solus enim superbus dicit: Ego sum, ego sum; & nemo alius.* Superbi igitur dicunt: Ego sum; Humilis verò Ioannes: non sum. Vtra vobis responsio magis placet, Auditores? seipsum extollentis? an seipsum deprimentis? Nulla deliberatione opus: Quàm enim noxia, stulta, odiosa, suspecta & vana sit iactantia & laus propria, facilè ostendemus.

B. I. *Iactantia noxia.* PRIMÒ, noxia est, quia destruit meritum operum bonorum, & quod prius vinum erat, vertit in aquam: quod sapidum, facit insipidum: quod laude dignum, illaudabile. Vt enim gallinæ posito ouo glocitantes, produnt ouum suum & inde eo spoliantur: ita ad vnguem, qui virtutes suas ipse canit, meritum & laudem earum perdit. Scimus ex Isaiâ *c.* 40. Ezechiam Regem, quòd Legatis Regis Babylonis monstrauerit thesauros & diuitias domûs suæ, in pœnam eius vanitatis, audisse à Domino per os Isaiæ: *Ecce dies venient & auferentur omnia, quæ in domo tuâ sunt, in Babylonem.* Vnde S. Beda in 4. *Reg.* 20. & Eucherius: *Ezechias*, inquiunt, *vanè ostentans thesauros suos significat seruum Dei, dum virtutes suas vana gloria prodiderit, mox eas perdere & in Dæmonum dominio thesauros honorum operum infelici commutatione transire. Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in viâ*, inquit Sanctus Gregorius *hom.* 11. Non abs causâ præcepit Deus vt ouium primogenita (quæ scilicet ei offerenda erant) intonsa offerrentur: *Non tondebis primogenita ouium*, quia scilicet opera bona, quæ Deo offerenda sunt, non debent per vanam ostentationem denudari hominibus, vt explicat S. Gregor. 8. *Mor. c.* 34. Exemplum refert S. Gregorius Turonensis *in Glor. Confess. c.* 32. de quadam coniuge, quæ apud Aruernos vixerat cum marito seruatâ vtrimque Virginitate; cumque mortua in sepulchrum deponeretur & maritus diceret: *Gratias ago Deo meo quòd ei coniugê meam reddâ impollutam.* Ipsa de sepulchro vocem reddidit: *Sile, sile vir Dei, quia non est necesse nostrum nemine interrogante aperire secretum.* Timuit nimirum sapientissima virgo coniugi, ne meritum virtutis dum prodit, perderet. Denique quamobrem, putatis, præcepit Elisæus seruo suo Giezi misso cum baculo ad excitandum à morte puerum, vt neminem per viam salutaret 4. *Reg.* 4. Nimirum ne miraculum faciendum vlli aperiret, & ita per inanem gloriam miraculum impediretur, vt notat Theodoretus q. 17.

C. II. *Stulta.* SECVNDÒ, Stulta; quia prodit animi leuitatem & offuscat primùm virtutes aliaque heroica facta cæteroquin laude digna; vti contigit Mario Duci aliàs probatissimo, qui præclaris suis actis per inanem iactantiam tenebras offudit, Vnde dicimus: *Propria laus sordet.* Et Cato: *Non te collaudes, nec te culpaueris ipse. Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.*

Quare sicut maiores vmbræ ostendunt solem esse depressiorem adeoque iam inefficacio-

ciciorem, & contrà minores vmbræ solem arguunt altiorem & vi maiore præditum: ita quò quisque magis se dilatat ostentando se & sua, tantò se viliorem & inualidiorem ostendit & contrà. Mira res & ænigmati similis hæc est: dum laudem tibi præripis, laudem perdis: dum respuis, acquiris. Nimirum dum laudem tibi vsurpas, alienam eam tibique indebitam esse prodis: Vnde perdere mereris. Places tibi in oculis tuis; sed si haberes oculos meos vel alterius, tibi minimè placeres, dicebat quidam glorioso huiusmodi militi.

D. III. Odiosa. TERTIÒ, Odiosa: quia iniuriâ quadam afficit audientem & quasi pro amente habet. Nam cùm sapiens ridere & abominari soleat eum, qui seipsum laudat, ideò sui laudator quærit sibi stultū, cui merces suas fœtentes ac putridas vendere aut saltem vænales exponere queat. Solus enim insipiens non offenditur, cùm audit aliquem proprias decantare laudes. Vnde Xenophon dicebat, eam laudem esse molestissimam, quam sibi quisque ipse tribuit, apud Plut. *de sui laude* &c. Qui detrahit alijs, per horam auditur & toleratur: qui verò seipsum laudat, grauis & molestus est audienti etiam per breue temporis spatium; quam ob causam Dauid *Ps. 11.* dixit: *Disperdat Dominus linguam magniloquam.* Et Sapiens *Prouerb. 28. Qui se iactat & dilatat, concitat rixas.* Intellexit hoc & Cato ille, qui interrogatus cur inter multos nobiles ipse statuam in foro non haberet: *Malo*, inquit, *bonos ambigere, quamobrem id non meruerim: quàm, quod grauius est, cur impetrârim mussitare*; apud Maiol. *tom. 2. Canic. coll. 1.* Sapit igitur & gratus est, quisquis laudem vel gloriam sibi non arrogat, tametsi eam meruit. *Nos quoque*, inquit S. Chrysostomus *hom. 3. in Matth. famulos habentes, tunc eos maximè comprobamus, quando cum bonâ gratiâ in omnibus obsecuti, nihil se grande arbitrantur egisse. Itaque si bona tua vis magna facere, noli ea magna putare.* sic ille.

E. IV. Suspecta. QVARTÒ, Suspecta & temeraria. Excæcati enim philautiâ sæpe laudant, quæ laudem non merentur: & si eorum gesta in lucem protraherentur, sæpe futilia & inania deprehenderentur. Qui multum ostentant, plerumque parum præstant. Larus auis cùm parit, multum clamorem edit, at verò tandem plumosum & paucæ carnis partum edit. Pier. *l. 23. hierogl.* Ita apud Lucianum in dial. aduers. indoctum, Euangelus Tarentinus in theatro fidibus certaturus cum alijs, prodit auro purpurâ & gemmis insignis, cythara supra quàm dici potest, aureis annulis, gemmis, picturis exornatâ, ita vt spectatores omnes in admirationem raperet & incredibili spe repleret; verùm aggressus ludere, personat agreste quiddam inersque & incompositum, simulque dum immodicè Cytharam increpat, rumpit tres fides; itaque ab omnibus derisus, à ludorum verò Præfectis loris cæsus è theatro exturbatus est. Hunc secutus, Eumelus quidam Eleus peruetustam cytharam afferens, cuius lignei erant clauuli, ipse vestem indutus vix vna cum serto decem denariorum pretij. At ille & bellum edebat carmen & ritè sicut ars poscebat, chordas feriens modulabatur. Itaque & victor abibat, præconis voce proclamatus. Quis non videt hic iactabundum hominem suis coloribus depictum? Simile certamen fuit Goliathi & Dauidis; quorum ille iactabundo ore dicebat: *Nunquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Veni ad me & dabo carnes tuas volatilibus cæli & bestijs terræ.* Thalmudistæ aiunt vel fingunt potiùs eum dixisse: Expuam in te vt submergaris in saliua mea: Aperiam os meum & glutiam te. Dauid contrà in nomine Domini confisus obulat illi cum baculo & fundâ præualetq; cōtra eum *1. Reg. 17. Non ergò glorietur accinctus æquè ac discinctus* ait Achab ad Regem Syriæ *3. Reg. 20.* Exitus facta probat: nec potest quisquam securè gloriari ante vltimum illum Iudicij diem, qui vnus omnia patefaciet; *Soli Deo de se credendum est*, inquit S. Hilarius, *qui solus se nouit.* Et *1. Reg. 2. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est.* q. d. ne gloriemini quasi angelorum & senum scientiâ polleatis; quia DEVS scientiarum Dominus est.

QVINTÒ, Vana & Inanis. Vel enim laude indignum est quod iactas, & immeritò gloriaris ac vanus es: vel dignum; & laus Deo potiùs debetur, quàm tibi. Vnde Apostolus *1. Cor. 4.* ait: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* Nam & quod velis bene agere, à Deo est ita te mouente, vt liberè velis. Et licet opus bonum sit laude dignum (ad Rom. 2. *Gloria & honor in omnem animam operantis bonum*) vult tamen DEVS vt eum honorem ab ipso expectes, velut eius causâ & fonte. Sic voluit vt Adam imponeret nomina animalibus brutis: non tamen sibi ipsi; Sed ipse ei nomen imposuit; quia vult vt alios quidem honoremus, nostrum tamen honorem, titulum & nominis celebritatem ab ipso capiamus. Deus principale agens in bonis nostris operibus est, ipse mouet & excitat ad agēdum, vires dat ad perficiendum, cooperatur & manum quasi ducit agentibus; *Nunquid ergò gloriabitur securis contra eum, qui secat in eâ? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur?* inquit Isaias *c. 10.* Itaque *Fratres*, inquit S. Bern. *Serm. 13. in Cant. nemo vestrùm velit laudari in vitâ istâ: quia quidquid hic fauoris captas, quod ad DEVM non retuleris, ipsi furaris.* Gloria operum nostrorum anathema est Deo; nec sine graui sacrilegio licet aliquid de eo furari vel contingere. Scimus quàm punitus sit ille Achan, qui furatus est de anathemate *Ios. 7.* Quemadmodum ergò castissimus patriarcha Ioseph heram suam Domino reliquit illibatam, quòd vxor eius esset, *Gen. 39.* ita nos relinquamus Deo gloriam; Ipse enim dixit: *Gloriam meam alteri non dabo, Isa. 42.* F. V. Vana.

Denique obseruandum, quod S. Isidorus *in orat. de humilitate* scribit: *Qui rebus externis gloriantur, in ijs à bestijs superantur. Magnâ corporis mole præditus es? quæ est hæc si cum elephanti mole compa-*

comparetur? Fortis es & intrepidus? ac Leo longè te superat, de quo scriptum est: Leo fortissimus animalium ad nullius pauebit occursum. Cantu ac vocis modulatione insignis es? at cygnus, luscinia & plurima alia vocales aues, maius miraculum in suo cantu excitant. Pulcher es? & pauo insigni pulchritudine præstat, & aues aliæ multæ & scorta etiam pulchritudine gloriantur. Arte aliquâ præstas? quid in hac re apibus est sapientius, quarum opera quis pictor, geometra possit imitari? Tenui ac subtili veste vtericulis te superant araneæ: Celeritate pedum vales? rursus primatum tenent lepus, caprea, &c. Acuto visu prædatus es? non vt caprea, vt aquila. Acutè audis? at acutiùs asinus. Acuto es odoratu? canis te superat. Omnia hæc expendit absque dubio S. Ioannes, qui nihil præter vocem se reputans, respuit honorum titulos, & proinde à Christo tanto magis laudari promeruit: Sciens id *Prouer. 27. Laudet te alienus, non os tuum.* Idem accuratissimè præstitit Christus, qui miracula sua, tametsi poterat, non tamen sibi sed patri adscripsit: vti *Luc. 8. Narra, quanta fecerit tibi Deus, &c.* Quos Duces & Magistros nostros imitemur, Auditores, vt tandem ab ipso Iudice nostro Christo laudari mereamur in Iudicio.

CONCIO VI.

De facilitate & suauitate confessionis.

1. *Confessionem facilem esse respectu expiationum aliarum nationum.*
2. *Facilem esse respectu tribulationũ mundi.*
3. *Facilem esse respectu damnationis æternæ.*
4. *Facilem esse respectu vermis conscientiæ.*
5. *Facilem esse respectu fructus.*

THEMA.

Confessus est & non negauit. Ioan. 1.

A. IVdicum *cap. 14.* legimus Samsonem; cùm descenderet in Thamnatha ad desponsandam sibi vxorem, & appropinquaret vineis oppidi; obuium habuisse catulum Leonis sæuum & rugientem, sibi occurrentem, cuius tamen aspectu nihil perterritus Samson, irruente in se Spiritu Domini *dilacerauit Leonem, quasi hædum in frusta discerperet, nihil omnino habens in manu.* Posteà cùm ad eundem locum reuersus esset, vidit examen apum & fauum mellis in ore Leonis, quem occiderat: acceptum igitur fauũ comedit in viâ, atque ita reperit dulcedinem, vbi minimè quæsiuisset; in truculento animali. Existimo non paucos esse, qui ad proximam Christi Domini festiuitatem desiderent quidem & ipsi vxorem sibi desponsare, Dei gratiam videlicet, suauissimam cordis humani coniugem, & optatissimum *adiutorium.* Sed verò in ipso itinere occurrit illis catulus Leonis rugiens & fœdus; Confessio videlicet. Sic enim Iacob dixit de filio suo Iudâ: *Catulus Leonis Iuda, Gen. 49.* (Iudas autem confessio exponitur) qui quidem multos terret, vt à cœpto itinere resiliant. Neque rationes illis desunt, quibus timiditatem suam excusent: nam sæuus est, inquiunt, hic Leo, quia in confessione cogor peccata mea peruestigare, eaque ipsemet prodere: & me quodammodo infamem reddere; quomodo enim mihi non credetur; si meipsum reum profitear? Deinde rugiens est sicut catulus, quia rugiet contra me Confessarius per increpationem & pœnæ iniunctioné. Fugiamus igitur hunc Leonem sæuum & rugientem, differamus confessionem vsque ad aliud tempus. Quàm bene de istis heroibus, dixit Sapiens *Prouerb. 22. Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum* Et *Prouerb. 26. Dicit piger: Leo est in viâ & Leæna in itineribus?* Sed non ita Samson, quin potiùs audacter irruit in Leonem; & discerpsit eum in frusta quasi hœdum: (quod faciendum in confessione, cùm minutatim peccata enucleantur & recensentur) & paulò pòst inuenit in eo examen apum, & fauum mellis, quo reficiebatur. Hocque ipsum experiuntur, qui in confessionem audacter irruunt. Quare in præsenti ostendam non ita sæuum esse hunc Leonem, vti existimatur.

PRIMÒ Remedium confessionis facile est respectu aliorum mediorum, quibus vtebantur aliæ sectæ, ad peccata sua expianda. Nam ex historijs constat gentiles pro expiatione peccatorum suorum solitos offerre quandoque proprios liberos; pro expiatione integræ ciuitatis, quandoque centenos; quandoque millenos homines. Ammonitæ & aliqui Iudæi proprios liberos igne cremandos offerebant Idolo Moloch. *Leuit. 18. Ier. 21. Psal. 105.* Carthaginenses, infantes principali honore insignes, quos sors iacta designasset, in regio ornatu Saturno immolabãt: & cùm ab Agathocle victi essent, ad recõciliandos sibi Deos suos, quos iratos sibi putabant; vnâ vice ducentos nobiliũ filios mactârunt, Dijsque immolarunt. Festus apud Lactant. *lib. 1. de falsa relig. c. 21.* Apud Lacedæmones erat Confessionis ritus talis, vt deprehensi in delicto cogerentur aram circumire & compositam in seipsos vituperationem cantare. Plut. *in Lacon. n. 422.* Horribilior adhuc apud Mexicanos, vbi peregrini in bilancem impositi protrudebantur ferreo rotarum Instrumento in altissimum præcipitium, ibique tenebantur donec penè confiterentur de omnibus peccatis, cuius indicium erat; si lanx vacua æquaretur alteri; in quâ sedebat confitens (quod Dæmon efficiebat) quod nisi fieri cernerent improbi sacrificuli, præcipitabant miserum, vt scribit ex Iosepho Acostâ Auctor Germanicus de rebus Americæ. §. I: Confessio facilis respectu expiationum aliarum Nationũ.

Iudæi verò in lege veteri pro varietate peccatorum suorum varia offerre & immolare pecora debebant, modò vitulum, modò arietem, modò agnam, modò hircum, modò capram, vt habetur *Leuit. 4. 5. 6.* Et quidem iuxta mensuram æstimationemque peccati, vt habetur *Leuit. 5. & 6.* vt scilicet si grauis esset deli-

ctum; daretur aries melior; si leue, vilior & minoris pretij: & proinde singuli etiam Sacerdotibus annunciare peccata sua debebant, vt dignoscere illi possent, num debita offerretur hostia pro peccato. Quin etiam hodie Iudæi in festo expiationis vnà cum peccatorum suorum confessione, loco satisfactionis plagas sibi infligunt. Et hi quidem vti & gentiles nihil inde lucrantur, Iudæi verò veteris legis parum lucrabantur: Christianis confitentibus remissio & gratia confertur.

Iam igitur videmus expiationem Christianam tantummodò esse Leonis catulum, adhuc edentulum ac ludibundum: expiationes verò gentilium & Iudæorum fuisse quasi Leones sæuos. Quid enim si cum gentilibus pro peccatis nostris filios nostros & amicissimos quosque immolare cogeremur? Quid si in nos publicam canere cantilenam? Quid si cum Iudæis, non solùm peccata nostra prodere, sed etiam pecoribus nostris redimere cogeremur & nos ipsos verberare? Equidem hoc à nobis Deus exigere posset, idque facere paratus erat Michæas in personâ populi Israëlitici, c.6. dicens: *Nunquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos? nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Sed quàm bonus Israël Deus! modò enim nil aliud à nobis requisiuit Christus quàm vt offeremus ei vitulum labiorum nostrorum, id est, peccatorum confessionem, vt prædixit Oseas c.14. dicens: *conuertimini ad Dominum & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*, hoc est, confessionem peccatorum, vt exponit sanctus Ambrosius *epist. 28. ad Theodos. Erant tunc*, inquit, *sacrificia pro delictis: hæc nunc sunt sacrificia pœnitentiæ.* Hos vitulos mactamus cùm nos ipsos culpamus & dolore de peccatis concepto verberamus: exenteramus, cùm peccata nostra sacerdoti aperimus: excoriamus, cùm per opera satisfactionis vetustam pellem exuimus & nouam vitæ conuersationem inchoamus. Vtros ergò vitulos malumus immolare? vaccarúmne & labiorum simul, vt Iudæi, an labiorum tantùm vt Christiani?

C. II. Respectu tribunalis mundi. SECVNDÒ, Respectu tribunalis mundi, vbi scelerum rei grauissimè torquentur, donec scelera fateantur, & postquam ea confessi sunt, suppliciis afficiuntur. At non ita in tribunali pœnitentiæ, vbi nec ad confessionem torquentur, nec morte plectuntur, sed vitâ donantur, modò sincerè confiteantur. Quâ de re audi sanctum Chrysost. *serm. de pœnitent. & Confess. & hom. 3. de Oziâ, & hom. 7. in act. Apostol. In externis iudiciis*, inquit, *post confessionem confusio & pœna: in diuino virtus, iustitia, merces & absolutio. Idcircò Psalmista suspicans illud ipsum, ne quis veritus pœnam post confessionem, neget peccata*, ait Ps. 117. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Et Propheta: Dic tu prior peccata tua vt iustificeris. Quis confunditur confiteri peccata, vt soluat peccata? Num propter hoc iubet Deus confiteri te, vt hominum more puniat te? non vt puniat, sed ignoscat.* Et hom. 3. ad pop. Antioch. *Ex alienis iudicibus*, inquit, *Si quis cui captorum latronum furumve diceret, vt peccata fateretur & à pœna dimitteretur, omni certè hoc promptitudine susciperet, salutis cupiditate pudorem contemneret. Hic verò non id fit, sed & peccata tantū Deus dimittit, nec ea cogit præsentibus aliis enunciare.* Et hom. 3. de Ozia. *In mundanis quidem ac forensibus iudiciis*, inquit, *post accusationem & criminum confessionem restat mors. At apud diuinum tribunal, post vtrumque corona; si tu teipsum iniustum dixeris, ego te vt vtilem coronabo*, &c. Et hom. 7. ad pop. *Iudices*, ait, *cùm latrones ceperint & sacrilegos, non quomodo ipsos reddant meliores cōsiderant, sed quomodo ab ipsis peccatorum pœnas exigant. Deus autem cōtrà cùm aliquem ceperit peccatorem, non considerat quomodo sumat supplicium, sed quomodo ipsum corrigat & meliorē faciat, & in futurum inexpugnabilem. Itaque & Iudex pariter & Medicus & Magister est.* Hæc ille. Quæ sententiæ quem non excitent ad amplectendam ambabus vlnis confessionem? Quis dubitat posse, Deum, si vellet, adhuc grauiùs plectere nostra peccata, quàm nos ipsi ea plectamus in fontibus? Sed ipse in suo nos tribunali absoluere cupit, non damnare. Itaque in tribunali DEI fatere tua peccata, quia ad salutem operatur confessio. Cùm Herodes primus duos filios suos Alexandrum & Aristobulum apud Cæsarem insolentiæ, tentatíque veneficij accusâsset, vt refert Iosephus, *l. 16. antiq. c. 7. & 8.* Alexander versâ ad ipsum patrem oratione sic exorsus est: *Pater, quàm beneuolo sis erga nos animo, satis declarat hoc ipsum iudicium. Si enim aliquid triste de nobis statuisses, nunquam ad omnium seruatorem, id est, Cæsarem nos adduxisses. Poteras enim vel pro regiâ vel pro patriâ potestate, in sontes animaduertere. Cæterùm adducere nos Romam, & hunc, id est, Cæsarem testem et arbitrum facere, seruare volentis argumentum est. Nemo enim ad fana ac templa adducit, quem velit perdere.* Pari ratione, quàm beneuolo sit erga nos animo DEVS, vel hoc argumento ostendit, quòd si aliquid triste de nobis statuisset, nunquam ad omnium Seruatorem Christum eiusque Vicarium, Confessarium, nos adduxisset. Poterat enim pro diuinâ Maiestate in sontes animaduertere. Cæterùm adducere nos ad confessionis tribunal, seruare volentis argumentum est. Nemo enim ad templum ducit, quem vult perdere. Quando igitur tanta est tribunalis Christi suauitas; *adeamus cum fiduciâ*, inquit Apostolus *ad Hebr. 4. ad thronum gratiæ eius.* Hoc tribunal Christi figuratum est per illud Salomonis, cui duo adstabant Leones, sed fictitij tantùm, nocere non valentes. Circa tribunal mundi, apparitores & carnifices sunt, funes, catenæ, catastæ & tormenta alia. Circa tribunal Christi, gratia, medicina, consolatio, instructio, preces.

TERTIÒ, Respectu damnationis & confusionis æternæ. Quâ de re Tertullianus *l. de pœnit.* ait: *Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet; &* — D. III. Respectu damnationis æternæ.

& pane priùs magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites. Et S. August. *l. de visitat. infirm. c. 5.* ait: *melius est coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die Iudicij coram tot millibus hominum graui compulsâ denotatum tabescere. Cogita ergò Confessarium fore vnum ex illis, qui iudicio illi intererunt nec erubescas nunc et magno tuo commodo manifestare, quod tunc apertè cognosces cum insigni adeò pudore & contemptu tuo.* Sic ille. S. Basilius *in lib. de Virginit.* ait nos pictoribus esse similes, qui dum murum pingunt, velamen sibi & picturæ obducunt; opere verò absoluto, velum amouent, & omnibus pictura patet. Ita enim nos sub corporis velamine animas nostras pingimus; & qui Christum in nobis depingere deberemus, sæpè pingimus Iudam, Herodem, Barabbam, diabolum, ideoque sedulò cauemus, ne quis picturas istas videat, nolumusque censorem & correctorem admittere Confessarium, sed tandem detrahet aliquando mors velamen istud, & tunc non Confessario tantum sed toti omninò mundo clarissimè patebit, quidquid in vitâ pinximus. Quid igitur eligendum putas: admittere conspectum totius mundi, an verò vnius tantùm sacerdotis, qui & ipse homo & peccator est, quique nullis pœnis & censuris cogi potest, vt aliquid de confessione prodat; ac si quid euulgaret, grauissimis subiaceret pœnis? *Si hoc fecerit* inquit S. Gregorius Mag. *de pœnit. d. 7. c.* *Sacerdos, deponatur & omnibus diebus vita sua ignominiosus peregrinando pergat.* Et in magno Concilio Lateranensi dicitur: *Si Sacerdos sigillum Confessionis violauerit, deponatur & ad perpetuam pœnitentiam in arcto Monasterio peragendam concludatur.* Nec timendum ne etiam Confessarius facilè recordetur peccatorum tuorum, quia plurimas audit Confessiones. Vnde de eis dicitur: *Peccata populi mei comedent*, Os. 4. Si autem rogaret quid ante 6. vel 9. dies comederim, iam non possem ampliùs dicere. Sic euenit Confessarijs. Quod comeditur, absconditur, aboletur, digeritur: Sic peccata in Confessione audita. Quando igitur hîc peccata aperimus, ea abscondentur & teget illa Deus; quia non recordabitur ampliùs. Tametsi enim in iudicio apparitura sunt, etiam peccata electorum: apparebunt tamen ad gloriam eorum, non ad confusionem. Peritus acu-pictor rupturam vestis ita bellè resarcit, eius loco gemmam vel florem inserendo, vt vesti decorem potiùs afferat quàm deformitatem: Sic vulnera iustorum apparebunt in Iudicio bellissimè resarta à cœlesti acu-pictore Christo, per gratiam illius, vt splendorem potiùs illis quàm ignominiam allatura sint. Id quod etiam in præsenti cernimus, dum scimus, legimus & audimus multa Sanctorum peccata, quæ hîc expiârunt, propter quæ eos nequaquam vilipendimus, sed potiùs laudamus & admiramur. Contrà verò si hîc texerimus peccata nostra, ea tunc coram toto mundo aperientur, imò nos ipsi compellente conscientia aperire & cõfiteri cogemur, sed sine fructu, imò ad maiorem nostram damnationem. Atque ita fiet, quod prędixit Amos *c. 5. Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies Domini ista, tenebræ & non lux, Quomodo si fugiat vir à facie Leonis, & occurrat ei Vrsus:* Vult dicere; qui hîc fugit Deum parcentem, ibi inueniet sæuientem. Sed nónne Leo crudelior & horribilior est Vrso? nequaquam: quia Leo prostratis parcit; vrsus verò in iacentes acriùs sæuit. Audi Ouidium *l. 3. de trist. eleg. 5.*

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni:
Pugna suum finem, cùm iacet hostis habet.
Ast lupus & turpes instant morientibus Vrsi:
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Modò igitur Deus quasi Leo est; quia prostratis ante pedes suos, (qui sunt Cõfessarij) parcit, ignoscit & peccata tegit. Ibi verò occurret eis *quasi Vrsa raptis catulis*, vti prædixit per Oseam *c. 13.* & tunc prostratis & cõfitẽtibus nõ modò nõ parcet, sed magis in eos sæuiet eorumq; scelera corã toto mundo puniet. Elige igitur nũc, quem obuium tibi malis; Vrsam an Leonem. Elige quod vis: *Si non cõfessus lateas*, inquit Augustinus *in Comment. in Ps. inconfessus damnaberis.* Quid nõ faciunt aliqui incarcerati cùm sciunt se conuictos & supplicio afficiendos, vt publicam illam confusionem effugiant? Aliqui in carcere sibi necem inferunt: alij mira excogitant quomodo sibi funes faciant, quibus demittere se possint: alij altissimis è locis desiliunt, & crura frangunt: alij per arctissimas fenestellas se intorquent vt effugiant. Et quid confusio ista cum illa vniuersali?

QVARTÒ, Respectu pœnæ & tormẽti, quod sustinet peccator à verme conscientiæ & proprijs peccatis; de his enim Ecclesiasticus *c. 21.* dixit: *quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te*, id est, tractabunt te vt Leones, ait ibi Emmanuel Sà. Nam subiungitur: *dentes Leonis dentes eius, interficientes animas hominum.* Remorsus igitur conscientiæ morsus sunt Leonis. Adhæc sicut Leo metuit res minimè metuendas vti rotarum orbes circumactos currusque inanes, & gallinaceorum cristas cantumque, quasi vrgente parricidij remorsu, quòd dum nascitur, matris ventrem discerpit, vt scribit Plinius vulgo ita creditum *l. 8. c. 16.* Sic *cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia*, ait Sapiens *Sap. 17. Terrebit eos sonitus folij volantis*, ait Deus *Leuit. 26. & ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente, &c.* Cuius rei testis est experientia. Hinc enim semper pauent, & nullibi consistere possunt, vti Cain; Alij sibimet necem inferunt vti Iudas; Alij aculeos sufferre scelerum cùm nequeant, ipsimet ea produnt, vti Antiochus & Creüsa apud Euripidem in Ione, qui vt flagellantis conscientię stimulos leniret, detexit occultum stuprum suum. Nec dubium quin eâdem perurgente venerint ad Ioannem in desertum peccatores confitentes peccata sua, *Marci 1.* Quis enim, quæso, eos ad hanc confessionem adegit? Non lex scripta: neque Ioannes; sed accusatrix vtique & lancinatrix conscientia.

E. IV. Respectu vermis conscientiæ.

Ex quibus patet cor peccatoris esse quasi

speluncam

speluncam leonum, rugitu suo totum cubile cordis concutientium. Eiusmodi habitationem nactus: aliquando erat Malchus Monachus fugitiuus, vt scribit in vita illius S. Hieronymus. Cùm enim postquàm Monasterio deserto, captus in seruitutẽ ductus esset ab Ismaëlitis & ab Hero profugisset, ipso insequente territus speluncam subijt. Vnde cùm egredi iuberetur & iamiam extrahendus esset, Leæna prodijt, quæ intrantem Heri seruum occidit, & mox deinde alterum. Vnde adhuc magis sibi timere Malchus cœpit, cùm se apud Leones diuertisse sensit. Mox tamen, vbi Leæna visam se esse sentiens, catulum suum extulit & speluncam deseruit, recreatus est Malchus & incolumis euasit. Eiusmodi hospitium & cubile est peccatoris cor. Foris expectat eum Dei, à quo profugit, gladius: quærunt extrahere è corpore animam dæmones: intus angit peccatorum conscientia velut Leæna, quæ nisi catulos suos efferat per confessionem, quietem nullam dabit. Quid igitur non libenter facere debet homo, vt tam malos fugiat hospites? quis non malit occurrere vni catulo Leonis, quàm Leonibus & Leænis cohabitare? Hos autem fugies per confessionem. Vnde sponsus ad sponsam ait *Cantic. 4. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de cubilibus Leonum, de montibus pardorum*; persequentium scilicet te. Addit verò; *veni, coronaberis*; quia per confessionem coronatur homo diuinâ gratiâ, spirituale gaudium afferente.

F. V. Respectu fructus.

Et hoc QVINTVM esse potest argumentum suauitatis confessionis: ingens nimirum fructus, qui per eam comparatur: sanitas videlicet animæ & gaudium cordis. Et hoc designat mel, quod habuit in ore catulus Leonis, quem occiderat Samson. Quid enim hoc mel aliud, nisi suauissimum illud verbum Confessarij: *Ego te absoluo*? Perinde enim est, ac si dicat: dono tibi omnia debita, quæ apud Deum contraxisti: aufero tibi omnes catenas, quibus in carcere diaboli ligatus tenebaris & aperio tibi carcerem vt liberè abeas: sano tibi omnes infirmitates tuas: deleo te de libro mortis & inscribo te in librum vitæ: surge & abi, *omne debitum dimisi tibi*: surge velociter, & discede, *quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. Surge tolle grabatum tuũ & ambula, &c.* ô mel suaue! Quàm dulce putatis fuisse verbum illud Domini in aure leprosi; *Volo mundare*? & illud in aure paralytici: *Confide fili; remittuntur tibi peccata*? Et illud in aure adulteræ: *nec ego te condemnabo*? Totum hoc comprehenditur illa voce: *Ego te absoluo*. ô vocem melleam & cælo delapsam! Veriùs enim quàm populus ille blandiens Herodi concionanti *Act. 12.* exclamare possumus: *Dei voces & non hominis*. Quàm multi non dico homines sed populi existunt, qui huius virtutem vocis vel miseri non intelligunt, vel si intelligunt, habere non possunt? Et si hoc scirent, quod nos per fidem scimus, quid non agerent, quantum iter non susciperent, vt hanc audire vocem possent? Vnde cum languido illo, *Ioan. 5.* verè dicere possunt: *Hominem non habeo, vt mittat me in piscinam.* Quid enim medica illa piscina designauit nisi Sacramentum pœnitentiæ, quod à magno illo consilij Angelo, de cœlo ad nos delapso, vim accepit abluendi quæuis scelera? Sed hominem non habent quamplurimi peccatores; non habent confessarios à quibus mittantur in hanc piscinam. Atqui nos an, quæso, dicere possumus; *hominem non habeo*? Ecce hîc & ibi & vbique expectant nos eiusmodi homines. Neque semel in anno tantùm prostat hæc medicina, sed quotidie; & habemus quotidie homines qui mittant nos in piscinam. Sed eò nunc res deuenit, vt è conuerso Confessarij dicere debeant: *hominem non habeo*, quem mittam in piscinam. Sedent confessarij in templo multis sæpe horis, sed homines nõ habent, quos mittant in piscinam. Quæ tandem huius rei causa; cùm pro sanitate corporali recuperandâ in piscinâ probaticâ tantus fuerit populi concursus, vt languidus ille per 38. annos ibi iacens, non potuerit in aquam primus descendere, vt qui solus sanabatur? Num quia non credimus, tantam esse vim confessionis? Et væ nobis: quo enim alio remedio à peccatis liberabimur? quam habemus fidem, si istam non habemus? Num fortè, quia hoc lauacro minimè egemus? Et rursum væ nobis: Tunc enim multò maximè ægrotamus, cùm ægrotos nos esse nescimus, & nos ipsos mendacij pane pascimus: qui tamen posteà in ore nostro fiet calculus, iuxta id *Prouerb. 20. Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo.* Qui enim nunc negligunt confiteri, quasi non indigeant: aliquando volent, & non poterunt. Et tunc fel & absynthium inuenient in ore. Aggrediamur itaque animosè hunc catulum, dilaceremus & in frusta discerpamus: erit enim cùm regressi de Confessionis tribunali reperiemus in illius ore mel diuinæ consolationis, gratiæ & laudis, quale in figura contulit Iacob filio suo Iudæ *Gen. 49. Iuda* (ô confessio) *te laudabunt fratres tui*; omnes scilicet electi. S. Augustinus *in sentent. tom. 3. sent. 240.* ait; *Apud misericordiam Dei plurimum valet confessio pœnitentis, quâ facit peccator confitendo propitium, quem negando non facit nescium.* Refert Dietmarus & ex eo Baronius anno 1015. Alemanniæ Ducem Ernestum Lupoldi filium, cùm in venatione fuisset sagittâ transfixus, neque Sacerdotis, cui confiteretur, esset copia; publicè coram militibus aulicisque suis omnibus confessum esse atque Wirceburgi iuxta Patrem sepultum. De quo & subdit citatus Dietmarus: *His verbis, et spero felicem habet animam, cui placuit hic coram multis erubescere, quàm coram omnipotenti Deo latere*: Non timuit hic Princeps coram subditis suis publicè confiteri, quò mel remissionis apud Deum inueniret: quid timemus nos confiteri, &c.

CON-

CONCIO VII.

Defectus confessionis.

Recensentur defectus confessionis :	3. Non integra.
1. Confessio in genere tantùm facta.	4. De leuioribus tantùm se accusans.
2. Facta sine circumstantijs.	5. Confessio extorta.
	6. Confessio hypocritica.

THEMA.

Quid dicis de teipso? Ioan. 1.

A. LEgatio hodierni Euangelij à concilio Iudæorum ad Ioannem missa, non absimilis est ei, quam ablegat Christus ad fideles, cùm mittit eis sacerdotes, qui illorum conscientias explorent ac dicant vnicuique: *Tu quis es?* &, *quid dicis de teipso?* Pertinebat ad Iudæorum Pontificem & seniores scire, quid hic vel ille ageret in re religionis, ac proinde etiam cur Ioannes baptizaret, nouum introducendo ritum, idcircò non tergiuersatur Ioannes, sed respondet id, quod res erat; confitetur & non negat. Pertinet etiam ac multò magis ad Deum mundi gubernatorem, qui nostrûm quilibet ecitet. Sacerdotes & Leuitæ responsum de Ioanne ferre debebant Concilio; similiter Confessarij respondere Deo debent de suis confitentibus. Mittit igitur ad nos legatos suos, non Iudices aut apparitores, qui terroribus & tormentis veritatem à nobis extorqueant, sed sacerdotes, qui, si eis fideliter & syncerè statum nostrum exponamus, confiteamur & non negemus, dimittant quod peccauimus; condonent, non condemnent. Nemo igitur esse debet, qui legatis istis non libenter & syncerè respondeat. Quia verò hac in re plurimi delinquunt, tergiuersantur & negant; videamus quinam sint.

B. I. Confessio in genere tantùm facta. PRIMÒ, Reperiuntur, qui in genere tantùm & in confuso peccata confitentur, dicendo se esse peccatores, peccare quotidie contra varia præcepta, adhibendo terminos æquiuocos vel obscuros, mussitando aliquid vel ita celeriter loquendo, vt percipi non possint; quidam etiam dicunt se deliquisse contra omnia præcepta, in specie verò de hoc vel illo interrogati negant omnia; Similes cuidam ægrō, qui medicum adiens & de morbo interrogatus, dixit sibi omnia dolere. Cui Medicus: Incipiamus ergò dentes primùm euellere. At ille mox negauit dentes sibi dolere. *Duos isti errores committunt*, inquit Cardinalis Bellarminus *conc. 9. dicunt enim quod non fecerunt, & quod fecerunt, non dicunt. Quasi te si reum aliquem ante tribunal Iudicis constitueres & nihil diceres aliud, quàm: Iste egit contra legem; peto, vt velis ferre sententiam. Quid Iudex ille responderet? An non putaret se irrideri? Iste egit, inquis, contra legem. Contra quam legem, Stulte? Quam sententiam feram, si quod eius peccatum ignorem? Pari ratione si medicum adeas & dicas, Mihi aliquid dolet, adhibeat quæso medicamentum. Quid ille? Nonnè dicet: stupide quid est, quod tibi dolet? Caput? Oculi? dentes? venter? pedes? Quid tandem illud est? An putas omnia medicamenta omnibus malis conuenire? Quid si tu podagrā labores, & ego medicamentum dentibus adhibeam?* Verùm hęc inter homines rarò aut nunquam eueniunt: at coram confessario in negotio animæ multoties; quasi nesciant homines se ad sacerdotem tanquam ad Iudicem & Medicum animarum accedere, cui singula crimina & singuli morbi, quoad fieri potest, diligenter explicandi sint, vt is rectè iudicare & salubriter mederi possit. *Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat*, inquit Concilium Trid. *sess. 14. c. 5.* Rationem huius doctrinæ idem Concilium paulò suprà affert his verbis: *Quia Dominus noster Iesus Christus, è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christi fideles ceciderint: quo, pro potestate clauium rem sionis aut retentionis peccatorum, sententiam pronuncient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent.* Sic Concilium.

C. II. Sine circumstantijs. SECVNDÒ, Alij quidam nôrunt referre sigillatim peccata sua, verùm nullam curam adhibent, vt explicent circumstantias, quoties, quo loco, quo tempore, quâ ratione & contra quem peccarint. Quæ etiam non leuis momenti negligentia est. Dic enim quæso; si deberes alicui summam multorum aureorum, quorum summam diuisim scriptam haberes in varijs literis seu apochis, in vnâ 10. in aliâ 30. in aliâ 100. verbi gratia; Creditor verò tibi diceret, se tibi condonaturum omnia debita, quorum obligatorias literas in crastinum ei attuleris; quid tunc quęso faceres? Nunquid occasionem hanc negligeres & solùm eas chartas, quæ manibus primùm occurrunt, acciperes, & cum illis ad creditorem venires? Non arbitror. Sed potiùs noctem illam insomnem duceres & manè omnia perlustrares, quò chartas omnes perquireres creditori offerendas: additis etiam illis, quæ dubia & incerta continerent debita. Par igitur est, vt idipsum faciamus in negotio animæ. Deus, cui plurima debemus, quodammodo dicit nobis, si summam debitorum nostrorum coram ipso eiusque Vicario afferre & recitare voluerimus, se ea nobis omnia propriâ manu deleturum? Quis ergò non diligenter conquirat sua debita? Petrus vbi audiuit eos, qui non lauantur, non habituros partem cum Christo, dicebat: *Domine, non tantùm pedes, sed & manus & caput;* offerens ad lotionem etiam ea, quæ non petebantur, peti tamen posse videbantur. Ita nos etiam dubia peccata confiteri expediret. Præclaram in hoc genere confessionem fecit ille Achan furti reus. *Ios. 7.* Dicebat enim ad Iosuen: *Verè ego peccaui Domino Deo Israel, & sic & sic feci. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum & ducen-*

& ducentos siclos auri regulamque auream, 50. siclorum (en circumstantias numeri, pretij, qualitatis) & concupiscens abstuli & abscondi in terrâ, &c. Aliud est pallium detritum & pannosum rapere, aliud valdè bonum: aliud est furari 20. siclos, aliud 200. aliud regulam argenteam, aliud auream: aliud semel, aliud decies furari: aliud percutere Clericum, aliud laicum: aliud fornicari cum virgine, aliud cum maritatâ, aliud cum meretrice, &c. Achan suum peccatum cum omnibus circumstantijs fassus est, tametsi sciebat se damnandum & grauissimo supplicij incendio addicendum. Nos verò nostrâ confessione nullum prorsus incurrimus periculum, sed euadimus gehennæ periculum & animi summam adipiscimur libertatem & tranquillitatem.

D. III. Non integra. TERTIÒ, Alij quam multi confessionem truncant & partem pro toto offerunt, ad instar illorum Ananię & Saphiræ coniugum, qui de pretio agri venditi partem aliquam obtulerunt, partem sibi clanculùm reseruârunt; qui & propterea repentinâ morte puniti sunt, *Act.* 5. Nihilo melius agere cum DEO videntur, qui pro integrâ peccatorum confessione dimidiatam offerunt; proinde neque veniam, sed pœnam potiùs ab eo expectare debent. Scimus ex *l.* 2. *Reg. c.*10. quid fecerit Dauid legatis suis ad Hanonem regem Ammonitarum consolandum missis. Hos enim cùm rex, à malis suis consiliarijs persuasus, indignè tractâsset, abradendo eis dimidiam barbam & præscindendo vestes vsque ad nates, commotus irâ Dauid exercitum in eum immisit, legatos verò illos in conspectum suum non admisit, donec crescerent eis barbæ & vestes integræ darentur. Hanon oneratum significat, & peccatorem repræsentat sceleribus onustum. Hic ergò sæpè legatos ad se missos, contritionem & confessionem mutilat, persuasus à malis consiliarijs, vti Verecundiâ, quæ dicit: Turpe est hoc peccatum, caue illud prodas; Timore, qui ait: Iubeberis restituere & tunc incipies egere; Amore, qui suggerit: quomodo poteris deserere rem adeò amatam, quod tibi iniungetur? &c.

At DEVS eiusmodi confessionem nequaquam accipit, aut in conspectum suum admittit, nisi vestiatur integrè. Ita enim docet post Theologos Concilium Triden. *sess.*14. *c.* 5. *Oportere scilicet à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.*

E. IV. De leuioribus tantùm se accusans. QVARTÒ, confiteri solent aliqui leuiora eaque accuratè; interim tamen grauiora, quæ per crassam ignorantiam non aduertunt, reticent, qualia maximè sunt mentalia peccata, & prauæ concupiscentiæ aduersus vltima duo præcepta commissæ: quæ peccata *nonnunquam grauius animam sauciant & periculosiora sunt ijs, quæ in manifesto admittuntur,* inquit Con. Trid. *loco cit.* Sunt enim, qui animum impudicis cogitationibus, oculos aspectibus, aures narratiunculis, membra alia osculis & amplexibus pascunt; nec tamen se peccare autumant; alij grauiora quædam, vti ebrietates, transgressiones præceptorum Ecclesiæ pro grauibus delictis non habent, &c. quare nec confitentur. Similes hi sunt Saüli, qui 1. *Regum.* 15. iussus à Deo demoliri omnia, quæ Amalecitarum erant, viros, fœminas, paruulos, lactentes, pecora, vrbes; pinguiora reseruauit & inter alia pinguissimum regem Agag: reliqua demolitus est ideoque à Samuele grauiter reprehensus, à Deo verò abiectus. Verùm dicent aliqui, se peccata illa vel oblitos esse vel non posse deprehendere aut discernere. Sed quid si illis Deus obijciat prudentiam sæcularem, quâ quid sibi debeatur, optimè discernunt? Quæro enim ex te, num debitores habeas? ita, inquis; tres: primus debet centum cum vitulo: secundus 200. cum duobus caponibus: Tertius 300. cum butyri centenario. Iste debet soluere in festo S. Martini, alter ad diem S. Gregorij, tertius ad Purificationem; bene est, vales memoriâ. Quid verò si non soluant? Mitto, remitto, tandem pro cautione, quam habeo, immissionem in eorum bona peto à magistratu. Ecce præter memoriam, etiam solertiam habes. Et cur non item in negotio animæ tuæ? Debes Deo prôh quantum! quando verò solues? quid si auferat à te Dominus villicationem priusquam composueris tuas rationes? Bene igitur docet Maior in 4. d. 17. q. 3. peccatorem in examine conscientiæ suæ, œconomum seueri & tenacis Domini imitari debere, cui à longo tempore rationes non reddidisset, adeoque exactissimè rationes illas componere, nihil prorsus omittere, nedum grauiora. Quoties Christus Dominus in eodem homine plures Dæmones reperit, omnes simul eiecit, nullum ibi reliquit; à Magdalenâ septem eiecit, à Geraseno quodam legionem. Igitur & nos in confessione omnia peccata simul eijcere debemus; neque enim vnum mortale sine altero dimittitur.

QVINTÒ, alij ita cæci & stupidi sunt, vt nihil prorsus de statu conscientiæ suæ dicere possint, quodque amplius est, à confessario expectant conscientiæ suæ cognitionem; similes Nabuchodonosori, qui cùm de nocte somnium habuisset, vocauit ariolos, Magos, Maleficos & Chaldæos, vt indicarent ei somnia sua; siquidem mente confusus ignorabat quidnam somniasset. Illi verò responderunt: *Dic somnium seruis tuis & indicabimus interpretationem eius. Dan.* 2. Ad eundem enim modum aliqui, quia peccatorum suorum somnia nesciunt vel obliti sunt, petunt à confessario eorum relationem. Dicant ipsi somnia sua; gratior etiam Deo est, haud dubiè confessio vltronea, quàm emulcta. Non frustra iubetur Moyses *Exod.* 30. ad conficiendum oleum vnctionis sumere mirrham primam, seu liberam (vti 70. Interpr. & Chaldæus habent) quæ scilicet vltrò ex arbore non incisâ fluit; (nam myrrha quæ ex arbore incisâ fluit, minus præstans est) significat enim hoc, si velimus vngi gratiâ absolutionis, afferendam esse confes- F. V. Extorta.

sionem liberam, non extortam & coactam, quæ parum valoris habet.

G. VI. Hypocritica. Sextò, alij nec sponte sese explicant nec examinari volunt, dum se innocentes putant. Qui imprimis interrogari deberent, cur Medicum requirant, cùm non malè habeant? putant se rem bene egisse, si confessarium naso suspendant. Verùm isti non Confessarium, sed seipsos decipiunt; nisi mentitum esse velint Ioannem, qui ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est. 1. Ioan. 1.* Cùm ergò peccatis obnoxij simus omnes, vult omninò Deus, vt gloriam, quam peccando ei abstulimus confitendo restituamus, & ita veniam obtineamus; aut, si confiteri nolimus, ipse aliquando promulgabit scelera nostra & simul nos damnabit. Cæterùm saluare nos vult Dominus, quantum est in ipso, non damnare; vult ergò vt nos ipsos potiùs accusemus, quàm ab ipso accusemur. Ita enim per Isaiam *cap. 43.* (iuxta lectionem 70. Interpret.) ait: *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iustificeris.* Huius rei exemplum datum nobis in Achane *Iosu. 7.* qui vt stimularetur ad confitendum vltro peccatum, edixit primò Deus comburendum esse præuaricatorem cum omni suâ substantiâ. Sed cùm nondum se proderet reus, cœpit eum indagare per sortes. Applicantur primò tribus 12. & prodit tribus Iudâ. In hac indagantur familiæ, & prodit familia Zare. Hæc diuiditur in domos & prodit domus Zabdi: hac diuisâ in viros, inuentus est tandem Achan. Cui Iosue: *Fili mi da gloriam Domino Deo Israël & confitere atque indica mihi quid feceris.* Et tunc demum deprehensus, confitetur Achan, cùm tergiuersari iam non poterat; ideircò cum omni substantiâ suâ lapidatus & combustus est; veniam haud dubiè vel mitiorem saltem pœnam accepturus, si mox vltrò se reum prodidisset: siquidem aliàs statim à Deo prodi poterat sine tot ambagibus, quæ propterea adhibitæ videntur, vt reus culpam agnoscens, veniam prior & vltrò posceret. Quanta hæc gratia foret, si Magistratus ciuilis culpam donaret ijs, qui se vltrò deferrent & scelera faterentur! Non hoc mundus facit, Devs facit. Viderunt istud turbæ, publicani, milites, qui ad Ioannem exierunt in desertum, confitentes peccata sua & quærentes: *Quid faciemus? Matth. & Luc. 3.* quasi præuenturi iram Dei suâ confessione. Vnde hoc miratur Ioannes, mox subijciens: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Matth. 3.* q. d. (vt vult Gagnæus & alij) quis ostendit vobis hoc Asylum, vt per confessionem fugere possitis iram Dei? Viderunt hoc & Ephesij illi, qui ad Paulum veniebant, confitentes & annunciantes actus suos: item Astrologi iudiciarij, qui contulerunt libros suos & combusserunt coram omnibus. *Actor. 19.* Idem imitatus est Magus quidam conuersus à S. Augustino, de quo ipse in *Ps. 61.* ait: *portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat.* Par ratio est de peccatis nostris: nisi ea comburamus per confessionem, comburent illa nos. Vidit denique hoc S. Iob *c. 10.* dicens: *Dimittam aduersum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ; Dicam Deo: noli me condemnare.* q. d. loquar prior, ne damnantem audiam Deum.

Conc. Fabri Pars Hyemalis.

CONCIO VIII.

Stabiliuntur & exponuntur cæremoniæ baptismi.

1. *Patrini officium.*	10. *Catechesis.*
2. *Nominis impositio.*	11. *Vnctio sacri olei.*
3. *Exorcismus.*	12. *Symbolum.*
4. *Osculum pacis.*	13. *Immersio.*
5. *Sal.*	14. *Chrisma.*
6. *Manum impositio.*	15. *Vestis alba.*
7. *Crucis impressio.*	16. *Cereus.*
8. *Sputum.*	17. *Adductio ad altare.*
9. *Abrenuntiatio.*	

THEMA.

Ego baptizo in aquâ, Ioan. 1.

Mirè offenduntur hæretici cœremonijs S. Baptismi. Quemadmodum enim Iudæi curiosè indagârunt cur Ioannes baptizaret: ita nostri hæretici crebrò nos reprehendût, cur tot cæremonijs baptismum administremus. Cur baptismi aquam, inquiunt, tot precibus sanctificatis? cur oleum & Chrisma, cur cereum ardentem, cur inspirationem, cur salem, sputum aliaque adhibetis? Vbi hæc excogitata? Quid sibi denique volunt? Ergò vt partim his respondeamus, partim doceamus fideles horum rituum antiquitatem & significationem, nunc eas explanabimus & veterum PP. authoritate firmabimus; maximè quia hi ritus frequentissimè spectantur, à paucis tamen intelliguntur. A.

Prima, assistentia patrini seu susceptoris vsitata tempore Apostolorum teste Dion. Ariop. *c. de baptismo.* Idque primò, quòd Ecclesia de suscepto securior sit, acceptis fideiussoribus. Eos enim *fideiussores* appellat ibi Dionysius & August. *Serm. 116. 163. & 215. de tempore.* Tertullianus de Bapt. *cap. 18. sponsores.* Secundò, vt nullus sit Christianorum qui non habeat pædagogum; ideò enim patrini vocantur *fidei Doctores* ab Augustino *ep. 23. ad Bonif.* & *serm. 215. de tempore.* Vnde Walfridus Strabo de rebus Eccl. *cap. 26.* ait: *Debet spiritualis pater vel mater ei, quem de fonte regenerationis suscepit, cùm ad ætatem peruenerit, insinuare confessionem, quam pro eo fecit, vt qui alienâ confessione sicut paralyticus fide portantium, meruit à peccatorum solui languore, studeat salutis præstita viuere non indignè, & suâ impleat executione, quod illorum confessus est ore.* Tertiò, vt expressiùs referatur generatio spiritualis, adhibitis spiritualibus parentibus. Patres enim dicuntur susceptores & suscepti filij. *Quare,* Nicolaus Pap. ad consult. Bulg. *c. 2.* B. I. Patrinus. 1. 2. 3.

ita diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro fonte, sicut patrem: quin imò quantò præstantior est spiritus carne, tantò magis spiritualis pater in omnibus est à spirituali filio diligendus. Vnde etiam spiritualis oritur inter eos cognatio. Concil. Nicæn. *c.* 25. *&* 23.

C. II. Nominis impositio. SECVNDA, nominis impositio. Olim hæc fiebat in circumcisione, nunc fit in baptismo. Dionys. *l. de Eccl. hier.* Debet verò susceptus ipse, si adultus sit, nomen sibi sumere. S. Clemens *ep.* 3. Alioqui dant susceptores. Niceph. *l.* 6. *c.* 22. Eorundem nomina consignabantur literis & recitabantur in Ecclesiâ, vt est in Ordin. Rom. Significat autem quòd baptizatus debeat cum abrenunciatione prioris denominationis Deo dare nomen suum & catalogo militiæ eius inscribi.

D. III. Exorcismus. TERTIA, exorcismi vsus, qui verbo & sufflatione peragitur ex antiquissimâ Ecclesiæ consuetudine. S. Augustin. *de Eccl. dogmat. c.* 31. Dionys. *in Eccl. hier.* vt princeps mundi huius foras mittatur, vt ait Augustinus *l.* 5. *hypognosticon.*

E. IV. Osculum pacis. QVARTA, osculum pacis, quod olim Sacerdos dabat baptizando, dicens: *Pax tibi*, in signum reconciliationis cum Deo eiusque Ecclesiâ. Cypr. *l.* 3. *ep.* 8. Sed hoc exoleuit.

F. V. Sal. QVINTA, benedictio & porrectio salis. Orig. *hom.* 6. *in Ezech. vt baptizandus per sal typicum conditus, iniquitatis fætore careat.* Vel vt gustato eo salo præcepta illi Christiana dulcia fiant; vel vt eo veluti promissionis suæ factæ memoriali à corruptione peccati & relapsu sese præseruet, memor vxoris Loth in salem versæ; vel vt is in corpore eius, concupiscentiarum carnalium sterilitatem inducat & vermes peccatorum arceat. Scimus enim ex S. Hieronymo vrbes aliquot vastatas sale fuisse consitas, ne quid ibi cresceret. Denique vt baptizatus veram sapientiam diuinam accipiat & discretione in omnibus vtatur.

G. VI. Manus impositio. SEXTA, Manus impositio quæ fit à Sacerdote Dion. *de Eccl. hier.* significat reconciliationem, quâ qui fuerat extra Ecclesiam, in gratiam Ecclesiæ venit (sic etiam imponitur manus in absolutione pœnitenti) vel ideò, ne malignus spiritus redire audeat, vt vult Aug. *l. de peccat. mer. cap.* 26.

H. VII. Crucis impressio. SEPTIMA, Crucis impressio fronti facta. Dion. *in Eccl. hier. cap.* 2. *Non sine causâ*, ait Augustinus *ad Ps.* 30. *signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat.* Ambr. *l. de ijs qui init.* ait: *Catechumenus Crucem Domini, quâ frons eius signata est, credit.* Imprimitur etiam in alijs membris: pectore, vt intelligat hoc signum sibi intimè impressum nunquam delebile vsque ad extremum iudicium. In ore, auribus, naribus, vt aperiantur sensus ad cognoscendum verum Deum, vt omnibus viribus eum confiteatur: Vtque sciat sibi gestandam crucem Christi, seque esse habitaculum Spiritus Sancti; nam ex signo externo arguitur, & cognoscitur taberna.

OCTAVA, nares & aures sputo attinguntur. S. Ambr. *l.* 1. *de sacr. cap.* 1. Aures vt sciat discernere vocem pastoris à voce alieni. Nares, vt ex odore creaturarum nihil tetrum hauriat, sed in ijs Deum agnoscat & laudet, eique soli adhæreat. Rursum aures vt surdus audire vocem Dei incipiat. Nares vt bonum odorem accipiat pietatis æternæ ait ibi Ambr. Idque ad exemplum Domini, qui ita surdum & mutum sanauit; & in signum, quòd doctrinam fidei baptizati audierint & confessi sint, vt vult Ambr. ibid. & August. *tractat.* 44. in Ioan. I. VIII. Sputum.

NONA, abrenunciatio satanæ, eius pompis & operibus, quam ab Apostolis fluxisse ait S. Clemens *lib.* 7. *Const. Apostol. cap.* 41. *&* 42. Dion. Areop. *de Eccl. Hier.* Vnde Ambr. *l.* 1. *de sacr. cap.* 2. ait. *Quando te interrogauit sacerdos: Abrenuncias diabolo & operibus eius? Quid respondisti? Abrenuncio. Abrenuncias sæculo & voluptatibus eius? Quid respondisti? Abrenuncio. Memor esto sermonis tui & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius vt pecuniam eius accipias, & posteà vbi promiseris considera vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare: ergò chirographum tuum tenetur non in terrâ, sed in cælo.* S. Hierony. *ad Ps.* 118. ait: *Pactum fuit Israelis cum Deo, quando dixit ad Moysen: omnia quæcunque dixerit Dominus, faciemus. Sed & nunc nos pascimur in baptismo vt abrenunciemus diabolo & operibus eius.* Rursum Sanctus Ambrosius *lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap.* 2. ait: *Ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renunciasti Diabolo & operibus eius, mundo & luxuriæ eius ac voluptatibus; tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viuentium. Præsentibus Angelis locutus es: non est fallere, non est negare.* K. IX. Abrenunciatio.

DECIMA, catechesis de quâ S. Dion. *c.* 2. *Eccl. hier.* S. Clemens *ep.* 3. *ad vniuersos.* Ea fiebat per Quadragesimam, cuius loco nunc legitur Euangelium & admonentur susceptores, vt paruulum instruant cùm ad vsum rationis peruenerit. Præcipitur hæc dispositio *Marc.* 16. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Ita *Actor.* 2. Petrus priùs fidem & pœnitentiam annunciat, posteà baptizat. Et *Act.* 8. Philippus Eunuchum Candacis Reginæ priùs catechizat quàm baptizet. L. X. Catechesis.

VNDECIMA, vnctio baptizandi. Dionys. *de Eccle. hier. cap.* 4. Tertull. *lib.* 1. *aduers. Marcion. Accepistis*, inquit Iuo Carnot. *Serm. de sacram. dedicat. & oleum sanctum in pectore, vt vigeret in corde vestro sapientia: Accepistis & in humero vestro vt in exercitu bonorum operum indeficiens seruetur patientia, neque aliquando nouerit sinistra vestra, quid faciat dextera vestra. Quia verò in humeris vigor constat portandi oneris, huius partis vnctione Christi Athletæ dedicati estis, vt sciatis vos ad certamen esse vocatos.* Iuxta Ambrosium, vt magis idonei sint ad decertandum cum spiritualibus inimicis. Vel vt habeant cor purum ad malas cogitationes eijciendum & humeros fortes ad perferendum aduersa. Item quia oleum penetrat carnem, ne quid reli- M. XI. Vnctio S. Olei.

qui

qui maneat de Satanâ in homine; vt Rabanus vult *l. 1. Instit. Cler. cap.* 27. Denique vt sciamus gratiam baptismi non ex nostris meritis sed Dei misericordiâ accepisse.

N. XII. Symbolum. DVODECIMA, Recitatio symboli, si adultus sit; aut interrogatio si infans, S. Dion. *de Eccl. hier. c. vlt. Offeruntur namque*, ait S. August. *ep. 23. paruuli ad excipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamuis & ab ipsis si & ipsi boni fideles sint) quàm ab vniuersâ societate Sanctorum atque fidelium, &c.*

O. XIII. Immersio. DECIMATERTIA, Trina immersio vel aspersio in Nomine Patris & Filij & Spiritus S. *Can. Apost.* 50. Ea verò vt S. Athanasius *quaest.* 135. ait, Christi triduanam sepulturam & resurrectionem significat. Vnde *ad Rom.* 6. dicitur: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus in illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitae ambulemus.*

P. XIV. Chrisma. DECIMAQVARTA, Infans Chrismate super verticem inungitur. Dion. *de Eccl. hier.* Tertull. *de bapt. c. 7.* idque ideò à S. Syluestro, teste Rabano Mauro, constitutum, vt qui ante confirmationem Episcopi decedunt, saltem hac presbyterali (etsi minoris efficaciae) inunctione non careant. Iuxta D. Tho. *p. 3. q. 71.* vt baptizatus virtutem conseruandi gratiam consequatur. Item vt sciat se accepisse Spiritus S. gratiam esséque iam verum Christianum, id est, vnctum & capiti Christo insitum.

Q. XV. Vestis alba. DECIMAQVINTA, Albâ veste induitur. S. Dion. *de Eccl. hier. c. 1. & 2.* vt significetur eum veterem exuisse hominem & nouum induisse. Item ad mysterium resurgentis Ecclesiae. Vnde olim in Paschate per septem dies in albis incedebant. Rab. Maurus *l. 2. de Instit. Cler. c. 39.* Vnde Dominica in Albis dicta, quòd eo die tolleretur alba vestis à nuper baptizatis. Solebat autem primitùs bis tantùm in anno, Paschate scilicet & Pentecoste, extra mortis necessitatem & persecutionis tempora, baptismus administrari. Tertull. *lib. de baptis. cap.* 19. Eius loco nunc album indusiolum inijcitur infanti, ad significandam resurrectionis gloriam, animae pulchritudinem & innocentiam. *Accepisti vestimenta candida, vt esset indicium, quod exueris inuolucra peccatorum & indueris innocentiae casta velamina*, ait S. Ambrosius *l. de ijs qui initiantur c.* 7. Notat etiam spiritualem libertatem & manumissionem, vt ait Tertull. siquidem Romani veste candidâ donabant seruos, cùm eos manumittebant. Item internam laetitiam spiritûs. Denique vt scias quòd anima tua tam pura & innocens à DEO requiratur, quàm pura è fonte exijt.

R. XVI. Cereus. DECIMASEXTA, Cereus ardens ei porrigitur. De hoc Greg. Nazianz. *orat. 5. in sanct. bapt. ad fin.* ait: *Lampades quas accendes illius luminum gestationis figuram gerunt, cum quâ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obuiam prodibimus.* Docetur ergo fidem viuam habere & conseruare ac lumen Euangelicae doctrinae sequi iuxta id *Psal.* 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Sic *Exod.* 13. columna ignis praecessit transeuntes mare rubrum. Lumen fidem significat, calor charitatem, longitudo candelae spem. In manus datur, vt eadem opere exerceamus.

DECIMASEPTIMA, Adducitur ad altare. Greg. Nazian. *loco cit.* inquit: *Statio haec quâ confestim à baptismo ante magnū sacrarium stabis, futurae vitae gloriam praesignat.* Haec sunt, Auditores, quae de SS. illis caeremonijs senserunt & scripserunt SS. Patres; quae proinde ipsorum verbis referre volui, ne cui videantur vel ipsae caeremoniae recenter introductae, vel ipsarum significata à nobis excogitata & conficta. Videmus ergò quantum religionis posuerint antiqui Christiani in hoc vno baptismi actu, & quàm degeneres ab ijs sint haeretici, qui venerandam illam Ecclesiae canitiem spernunt, rident & subsannant: similes pessimis illis pueris; qui canitiem Elisaei deriserunt. Nos ergò missis illis stemus in vestigijs patrum nec dimittamus eos quos tradiderunt nobis, sacros ritus. Denique quò salubriùs ijs vtamur, expendamus etiam quid ij sibi velint, &c. S. XVII. Adductio ad altare.

CONCIO IX.

Documenta.

Quae Ioannes Baptista cùm sit vox clamātis clamauerit, hac concione intelligentur. In primis enim clamat:

1. *Mundo non esse fidendum.*
3. *Vana gloria non quaerenda.*
3. *Ad Deum recurrendum, non ad mundum.*
4. *Christum latriae cultu colendus.*
5. *Clamat, nosce teipsū.*
6. *Magni se humilient.*

THEMA.

Ego vox clamantis in deserto. Ioan. 1.

CVm mandatum principis populo denunciandum est, Praeco aliquis mittitur, qui excitato priùs tympani strepitu ad conuocandum populum proclamat id, quod in mandatis habet, auditurque arrectis auribus à confertâ plebe. Praeconem Christi Domini nostri fuisse Ioannem Baptistam scimus; idque testatur ipse in hodierno Euangelio dicens: *Ego vox clamantis in deserto.* Quoniam ergò munus sui praeconij in hac & sequente Dominicâ obiturus est, idcircò non abs re initio Aduentûs strepitus diuini iudicij priùs excitatus est; vt praeconem hodiernum attentiùs audiremus. Quare curramus & nos vocemque huius praeconis quà saltem ad doctrinam hodierni Euangelij attinet, attentè percipiamus. A.

B. I. Mundo non fidendum. Clamat PRIMÒ, illud Isaiae *c. 40. Omnis caro foenum*; quo significatur mundo non fidendum, eiusque blanditias & adulationes fortiter ac constanter respuendas. Videntur, secundùm aliquos, Pharisaei eâ intentione legationem destinasse ad Ioannem, vt Messiae digni-

tatem ei offerrent vel persuaderent, vt sensit S. Chrysostomus (tametsi alij sentiunt seriò interrogasse, & bonâ intentione, an reuerà esset Messias) seque non difficulter eum recepturos monstrarent. Id enim videtur illis exprobrasse Dominus *Ioan.* 5. cùm ait: *Ille* (Ioannes) *erat lucerna ardens & lucens: Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Verùm frustrà iecerant rete Pharisæi ante oculos pennati Ioannis: iam dudum ille nôrat vanitatem & inconstantiam gloriæ terrenæ. Id enim Isaias cùm de Ioanne prophetaret: *Vox clamantis,* &c. mox clamare iussus est, nimirum: *Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum & cecidit flos.* Hoc ergò noster Ioannes non poterat nescire, qui se vocem clamantis esse ex eodem illo capite nouerat. Fuisset ergò gloria illa, si acceptata ab eo fuisset, non nisi flos agri, mox siccandus: & forsitan ab ipsis Pharisæis pro gloriâ breui ignominiam reportasset. *Quemadmodum enim pueri ludentes*, inquit S. Chrysostomus *hom.* 17. *in epist. ad Rom. ex fœno coronas inuicem imponunt, coronatum autem sæpenumerò eius rei ignarum, post tergum irrident: ita sanè & nunc, qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant, atque ita quid aliud fit, quàm quòd & nobis inuicem fœnum coronantes imponimus?* Ergò vana istiusmodi gloria non nisi fœnea corona & flos agri est, vt diximus, quam sibi à Pharisæis imponi minimè tulit Ioannes. Moysen potiùs adhuc infantem imitari voluit, qui cùm à filiâ Pharaonis educaretur, atque, vt scribit Iosephus *l.* 2. *Antiq. c.* 5. ei Pharao rex diadema suum imponeret, capiti detractum in humum prolabi passus est & pedibus calcauit. Adhæc vt scribit Apostolus ad *Hebr.* 11. *grandior factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis.* Hoc, inquam, in hodierno Euangelio fecit etiam Ioannes, dum corollam vanæ gloriæ (gloriosum scilicet Messiæ titulum) quam ei Pharisæi deferebant & quodammodo imponebant, detraxit & pedibus calcauit, dicendo: *Non sum: non sum*; Item: *non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.*

Nemo igitur mundo fidat; siquidem instar Dalilæ blanditijs hominem circumuenit & sæpenumerò extollit vt eundem grauiore casu deijciat. Expertus in se est Pertinax Imperator (sic appellatus, quòd imperium sibi oblatum pertinaciter respuerit & coactus tantùm susceperit, vt scribit Sextus Aurelius) qui primùm Grammaticam professus, posteà alimentorum procurator, inde Consul designatus, demum Africæ Proconsul factus, & ex hoc à militibus Imperator appellatus est. Sed ab ijsdem breui, post octoginta duos dies obtruncatus est. Prudentes ergò & cordati viri Ioannem nostrum imitati, oblatis mundi honoribus, sibi non debitis, fortiter obnixi sunt; veluti Sigismundus Poloniæ Rex, qui superiori ætate à Suecis post eiectum Christiernum: tum etiam ab Hungaris atque Bohemis, post miserabilem Ludouici fratris filij interitum, electus & expetitus, vtramque electionem, vtrumque etiam regnum repudiauit. Similiter Henricus primus Saxoniæ Dux, qui cùm diadema imperij à Pontifice sibi delatum respuisset, viri prudentes ad cœlum manus leuârunt, quòd tali modestiâ principem haberent. *Crantz. l.* 3. *Saxon. c.* 3. Quin & Suetonius de Germanico patre Caligulæ scribit, cùm post mortem Augusti à militibus Imperator contra Tiberium nominatus esset, primò verbis plurimis seipsum excusasse, quibus cùm nihil proficeret, gladium distrinxisse, quasi sibi ipsi manus illaturum, vt à proposito milites reuocaret; sed neque hac viâ procedente, multis & varijs artibus vsus est, donec compesceret seditionem & militum animos ad Tiberium rursus inclinaret: maluitque priuatus viuere in otio, quàm inter tot negotia Imperij perpetuis calamitatibus excruciari. Discant Christiani vel ab homine Ethnico. Fuit autem hic Germanicus ob egregias corporis animique dotes non suis tantùm, sed & hostibus tam charus, vt in eius obitu reguli aliqui barbam posuerint & vxorum capita raserint, Parthorum Rex venatione abstinuerit.

Clamat SECVNDÒ, illud, quod Isaias cit. loco subdit: *Omnis gloria eius* (carnis) *quasi flos agri*; hoc est, gloriam & laudes hominum contemnendas repellendasque maximè indebitas. Audimus enim Ioannem, quàm constanter titulos honorum sibi oblatos à se amoliatur & repellat: tametsi eorum aliquos meritò acceptare poterat. Erat enim Elias in spiritu: erat & plusquam propheta: respondet tamen: non sum, non sum. Atque ex hac ipsâ suâ deiectione veram laudem consecutus est, quam vtique perdidisset, si Pharisæorum laudē acceptâsset. Moyses Pharaonis fauorem Ægyptiqùe opes & fastum contempsit & posteà fuit ipso Pharaone illustrior ac potentior; nam Pharaoni parebant homines: Moysi verò maria, flumina, rupes & aliæ creaturæ. *Qui mundi gloriam ardenter quærit*, inquit Hector Pintus *in c.* 6. *Ezech. ipsam non inuenit, qui verò eam contemnit, ipsam adipiscitur; gloriam enim contemnere est illam obtinere.* Hâc ratione ductus aiebat diuus Chrysostomus: *contemne diuitias, & eris diues; contemne gloriam & eris gloriosus.* Cùm olim pictor quidam insignis equum pinxisset, velletque illi iuxta os spumam depingere, nunquam potuit. Quocirca spongiam, in quâ tergebat penicilla, quam manu tenebat, iratus in picturam proiecit, vt refert Plutarchus, vt illam lineret & macularet & penitus euerteret. Sed multò aliter euenit; nam spongiæ varijs imbutæ coloribus contactu spumam quam solers artis magister nequiuerat efficere, casu expressit. Vbi existimauit picturam dissipare, eam perfecit: sic si magno ingenij artificio mundi gloriam comparare volueris, id efficere non poteris, nam inanem illam gloriam appetere, & inquirere ignominia est; sin autem eiusmodi gloriam spreueris inanem & in temeritate multitudinis constitutam, in eamque proieceris contemptionis spongiam,

C. II. Vana gloria nō quærēda.

veram

veram profectò gloriam consequeris: illa enim falsæ gloriæ abiectio est veræ gloriæ consecutio.

D. III. Ad Deum recurrendum, non ad mundum.

Clamat TERTIÒ, Id quod subdit Isaias: *Exsiccatum est fœnum & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum*: Ad DEVM potius recurrendum in nostris necessitatibus, quàm ad creaturas: ad solida bona, quàm ad fluxa. Hoc enim noster Ioannes digito quasi ostendit, cùm missos ad se legatos dirigit ad Christum, dicens: *Medius autem vestrùm stetit, quem vos nescitis ipse est, qui post me venturus est*; q. d. quid ad me venitis? non sum ego, quem quæritis, Messias vester: ipse est qui inter vos stetit; ego vox illius tantùm sum & fœnum breui exsiccandum, ille verbum est mansurum in æternum: me oportet minui, illum autem oportet crescere; ad illum mittite, ad illum itote. Mira Pharisæorum stultitia! Audiunt à Ioanne Christum in medio ipsorum versari, nec tamen interrogant quisnam sit? vbi degat? vnde agnosci queat? Ad vocem currunt, verbum ipsum prætereunt. Quos tamen imitantur alij quamplurimi, qui omisso DEO ad creaturas: omissâ veritate, ad mendacium: omissis solidis, ad fluxa bona pergunt. Quid enim creaturæ omnes nisi voces, clamantes non se, sed DEVM esse verum ac summum bonum, verum ac summum opitulatorem, summam veritatem, &c. *Ipsæ species creaturarum*, inquit S. Augustinus in *Psal.* 26. *voces sunt quædam creatorem laudantium*, &c. Ad hunc ergò nos ablegant omnes creaturæ. Diuitiæ, honores, deliciæ, pulchritudo, regna & reges dicunt: Non sumus nos is, quem quæritis. Voces tantùm sumus, mox transituræ, ventus & mendacium sumus, desiderium & appetitum vestrum satiare minimè possumus. In medio vestrûm DEVS est, verbum, veritas, solidum bonum; quem tamen vos nescitis & præteritis: Vt quid ergò relicto opitulatore DEO, curritis ad rapinas, dolos, diuinatores? Vt quid relicto vero bono, diligitis vanitatem? Vt quid relictâ veritate vos arguente & sanante, quæritis mendacium & dicitis: *loquimini nobis placentia*? Detonat etiam contra istos Ieremias *c.* 2. dicens: *Quid tibi vis in viâ Ægypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum viâ Assyriorum vt bibas aquam fluminis?* Flumen Ægypti Nilus est, flumen Assyriæ Tigris. Solebant Iudæi ab Ægyptijs oppressi, confugere ad Assyrios; & ab Assyrijs pressi, confugere ad Ægyptios, vt ait ibi S. Hieronymus. Idem faciunt, qui in suis necessitatibus relicto DEO ad creaturas recurrunt. Et quid hæ nisi aqua Nili turbida & limosa, hoc est, multis miserijs, curis, laboribus & fastidijs permixta? adhæc Crocodilis quoque, id est, peccatorũ admissorum remorsibus (Crocodilus enim mordax est & vbi prædâ fraudatur, morsum in se conuertit. Pier. *l.* 29.) referta? Quid nisi aqua Tigris celerrimi fluxûs celerrimè pertransiens? inde enim Tigri nomen, à Tigride celerrimi cursûs bestiâ.

Clamat QVARTÒ, Id quod Apostolus scribit ad *Phil.* 2. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum*; hoc est, vt ab omnibus adoretur cultu latriæ, velut Deus; & vt omnes coram eo se humilient quàntum possunt. Si enim Ioannes; quo sanctior non fuit inter natos mulierum, dignum se non reputat, qui Christi pedibus abiectissimum præstet ministerium: an non manifestè indicat, Christum cultu latriæ adorandum etiam ratione humanitatis suæ, vtpote quæ non nisi in Verbo subsistit? Nullus in mundo tantus est Dominus, cui alius licet abiectissimus non sit dignus præstare aliquod seruitium: pari enim conditione & nascimur omnes & morimur. At ex Ioannis testimonio, verissimum est, neminem mortalium, addo & Angelorum quantumuis magnum, ex se dignum esse, vt Christo vel corrigiam calceamenti soluat. Vnde sequitur infinitam esse distantiam Christi ab hominibus ipsumque verè vt Deum coli, ac qui ipsi seruiunt, verè magnos fieri & ad summam dignitatem extolli. Deinde si Ioannes indignum se existimat stare coram Christo & ad calceos se demittit, imò indignum sese æstimat, qui eos Christo extrahat: quis non corruat in genua & faciem suam Christo præsente in Eucharistiâ? Dicite enim, si cerneretis Imperatorem Rom. corruere in genua coram aliquo: nónne diceretis: Proh quis & quantus iste est? Si non ipse Deus, certè angelus quidam est. Nunc ergò omnium virorum sanctissimus ad calceos Christi se demittit, imò eo loco & ministerio se indignum clamat: quid ergò faciamus nos? Certè nos hoc ipsum diceremus huic Ioanni; si eum coram cerneremus: indignos, inquam, nos omnes reputaremus, qui calceos ei detraheremus; quid iam nos ad Christum, si tam viles coram Ioanne? Si sol coram Christo se abscondit, quo se recipient stellæ, quæ coram sole extinguuntur?

E. IV. Christus latriæ cultu colendus.

Clamat QVINTÒ, Illud Græcum oraculum: *Nosce te ipsum*, quod Plato ait fuisse quondam in foribus templi Delphici inscriptum, veluti dignum, quod Deo tribueretur. Quàm altè enim Ioannes in sui ipsius cognitionem descenderit, indicat cùm vocem tantummodò se nominat, in reliquo per negationes solũ se explicat: *Non sum, non sum*, q. d. nihil sum respectu Christi. Iam verò S. Chrysost. *hom.* 26. *in Matth.* ait: *Ille est maximè seipsum sciens, qui se nihil existimat.* Præclarè etiam in hac scientiâ versatus fuit Dauid, qui *Psalm.* 38. ait *substantia mea tanquam nihilum ante te*, & alibi se pulicem vnum canemque mortuum vocat. 1. *Reg.* 14. Boni igitur & sapientis viri est, seipsum assiduè contemplari, non alios. Sic enim quatuor illa animalia visa ab Ezechiele *c.* 1. prorsùm tantùm aspiciebant ad ea, quæ ante se erant, sine corporis conuersione ad alia. *Vnumquodque*, inquit textus, *ante faciem suam gradiebatur.* Hoc faciet vnusquisque, cùm seipsum sibi statuet ante faciem suam. Hodierni Pharisæi ad Ioannem solùm respectant: *Tu quis es? quid dicis de teipso? quid baptizas?* Quales verò ipsi sint aut quid sibi faciendum sit,

F. V. Nosce teipsum.

minimè interrogant. Plurimos porrò tales inuenimus etiamnum, qui in toto mundo oculos circumferunt: omnia rimantur, præterquam semetipsos. Quare D. Basilius *hom. 9. in hexam.* mentem eiusmodi hominis cum oculo comparat, qui cætera quidem omnia videt, seipsum tamen non videt. Periculoso in statu isti sunt, non secus ac qui in Labyrintho oberrant. Nos ergò accipiamus hoc filum Thesei, cognitionem nostri, quo gressus nostros dirigere & è mundi laqueis extricare nos valeamus.

G. VI. Magni se humiliēt. Clamat SEXTÒ, id Ecclesiastici 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Quò enim altioris staturæ quis est, eò profundiùs se inclinare & deprimere debet ingressurus per humile ostium. Cæli verò ianua humilis & angusta est. Quoniam igitur Ioannes, quoad gratiæ staturam, maximus fuit inter natos mulierum; idcircò in hodierno Euangelio, vti & alibi mirum in modum se deiecit. Repellit enim honorum titulos sibi oblatos; vocem se appellat, Christum asserit post se venturum velut Dominum post seruum; ait eum ante se factum, scilicet ab æterno genitum, addit indignum sese esse, qui calceamentorum eius corrigiam soluat; & alibi, qui calceamenta eius portet. Quis vnquam tot verborum ponderibus semetipsum extollere visus est, quot iste sese deprimit? Nimirum non pro summo loco quemadmodum mundi sectatores, sed pro infimo contendit hic Ioannes, quasi iam audiisset, vel certè in spiritu præuidisset Christi doctrinam de ambiendo vltimo. S. Paula Romana degens in terrâ sanctâ *satis mirata est*, inquit S. Hieronymus in eius Epitaphio, *quòd distributor possessionum* (Iosue) *sibi montana & aspera delegisset.* Etenim Iosue Dux Israëlitici populi postquàm omnibus tribubus suas in Palæstinâ assignasset possessiones, ad extremum ipse delegit & postulauit sibi à filijs Israël habitationem suam omnium vilissimam Thamnathsaran scilicet, vrbem dirutam, loco aspero & horrido, sterili & móntoso sitam. Res admiratione digna hæc erat summum totius populi Ducem deligere sibi possessionem vltimo loco & vltimo ac vilissimo fundo. Sed non minus admirandum est, quod Ioannes inter natos mulierum maximus, & ipse sibi vltimum in Christo elegit locum, dum ad eius calceos & corrigias calceorū se demisit, quodque amplius est, eo sese loco prorsus indignum ratus est. Verùm vti Iosue propter suam illam modestiam & humilitatem gloriosior factus est, ita vt eius sepulchrum vnà cum ciuitate Thamnathsarâ adhuc tempore S. Hieronymi superstes esset & celeberrimum fieret; ita noster Ioannes, quò magis se humiliauit, tantò magis nunc laudatur, tantòque in cœlo maior factus est. Quare benè S. Chrysostomus *hom. 5. in Matth.* ait: *Si bona tua magna vis facere noli ea magna putare.* Centurio ait: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*; & hoc ipso dignus factus est, vt commendaretur super omnes Iudæos ab ipsomet Christo. Paulus dicebat: *non sum dignus vocari Apostolus*: hinc inter Apostolorum principes vnus euasit. Petrus aiebat: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*: hinc Ecclesiæ fundamentum constitutus est. Ioannes ait se non esse dignum, qui soluat Christi sandalia; se vocem, adeoque pene nihil esse, & hinc meruit à Christo præponi omnibus viris. Quanta vis humilitatis! quò magis sese deprimit, eò magis extollitur. Nimirum gaudet Deus res ex nihilo facere, quod is modus infinitæ eius virtutis proprius sit & clariùs eam prodat. Vt igitur hanc rerum vniuersitatem & pulcherrimam speciem ex nihilo procreauit; ita in animis hominum mundum ornatumque virtutum ex nihilo, id est, ex humilitate, quâ suum quisque nihilum profiteatur, efficere solet. Quare Auditores vultis esse magni? parui estote. Primi esse vultis? vltimi estote, in incessu, loquelâ, habitatione, patinis, lectis, mensis alijsque quibuscunque rebus. Impetrare quid à Deo vultis? annihilate vos coram ipso. Ita enim S. Teresia dicebat: *Receptura à Deo gratiam aliquam singularem, soleo prius annihilari seu in meum nihilum deduci, vt videar mihi nihil esse, nihil posse.* Refert Franc. Ribera in eius vita. Alibi audiuimus Imperatoris cuiusdam vocem: *Heri omnia fui, hodie nihil sum.* Nos contrariâ viâ incedamus: Hîc in terrâ nihil simus, vt in cœlo simus omnia.

CONCIO X.

Mysteria Euangelica.

Dum mater Ecclesia expectat sponsum suadet suis abijcere opera tenebrarum & induere arma lucis, ac inquit

1. *Ad quid legatio Ioannis?*
2. *Quomodo negat Ioannes se esse Eliam?*
3. *Quomodo Ioannes vox clamantis?*
4. *Cur in deserto Ioannes?*
5. *Cur baptizauit?*
6. *Cur baptizatus ab eo Christus?*
7. *Quæ differentia inter Christi & Ioannis baptisma?*

THEMA.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis, Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem. Ioan. 1.

Videtur Ecclesia Mater nostra agere nobiscum in hoc Aduentu, quomodo pia mater cum suis liberis, cùm audit suum maritum è longinquâ terrâ tandem rediturum. Hoc enim intellecto consolatur liberos suos, & bono animo esse iubet, siquidem patrem suum breui conspecturi sint: quotidie etiam nunciat viciniorem eum fieri, sed interim etiam monet, vti abiectis sordibus festiuas suas vestes producant & expurgent, iisque induti patrem excipiant. Simul etiam pij & modesti sint quò patri suo placeant. Ad eundem prorsus modum, dum Ecclesia Mater nostra expectat sponsum suum & communem nostrum parentem hoc Aduentûs tempore, crebrò nobis nunciat, breuî illum adfore. Vnde initio Aduētus sic intonuit in offici-

cio : *Regem venturum Dominum venite adoremus.* Hodie velut vicinior facta intonat : *Propè est iam Dominus, venite adoremus.* In vigilia Natiuitatis quasi vicinissima canit : *Hodie scietis quia veniet Dominus & manè videbitis gloriam eius.* Interim verò & illud monuit initio Aduentûs in Epistolâ: *Propior est nostra salus quàm cùm credidimus ; abijciamus ergò opera tenebrarum , & induamur arma lucis. Non in comessationibus & ebrietatibus*,&c. Et in hod. Epistolâ: *Fratres gaudete in Domino semper , iterum dico gaudete, modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim propè est.* Porrò nunc audiemus , quid Euangelium nobis narret.

B. I. Ad quid Legatio Ioannis?

Quæritur PRIMÒ, Quæ causa legationis ad Ioannem? Respondetur , videri fuisse eam , vt indagarent Iudæi num esset Christus: & si hoc negaret, quis tandem esset, ne fortè quid noui dogmatis introduceret, cùm baptizare audirent. Prior pars colligitur ex responsione Ioannis , qui ad mentem & intentionem Iudæorum respiciens , primò statim respondit : *Non sum ego Christus.* Videbant etiam tempus Messię constitutum iam adesse : eò quòd sceptrum à Iuda ad Regem alienigenam & Idumæum translatum viderent, &c. Hinc cogitare poterant , num Ioannes forsan esset Messias. Posterior ex legatorum interrogatione : *quid ergò baptizas*, &c. Non ergò videntur iuxta probabiliorem sententiam voluisse Iudæi offerre Ioanni dignitatem Messiæ , ne Christus pro Messiâ reciperetur ; Siquidem tunc Christi nondum vigebat fama , vt vel in hod. Euang. testatur Ioannes dicens : *Medius vestrûm stetit quem vos nescitis* : Nullum enim adhuc miraculum fecerat. Sed quomodo cogitare poterant Ioannem esse Messiam , siquidem sciebant non esse natum in Bethlehem , nec ex tribu Iuda , nec miracula fecisse ? Respondetur : forsitan asserenti non erant credituri , sed insidias potiùs structuri, eumque accusaturi. Quòd si credituri erant , non erat illis difficile , prout fieri solet , in fauorem Ioannis explicare obiectiones illas. Dixissent enim modo aliquo, v.g. ex maternâ matris lineâ ortum de tribu Iudâ, natum propè Bethlehem , miracula facta in eius Natiuitate, &c. Ita nimirum fit etiam in mundo: qui bene alteri vult , omnia in eius fauorem explicat & trahit, curua ad rectitudinem , recta ad curuitatem.

Sed quâ ratione cogitare poterant esse Eliã? Respõdetur, quia sciebant per Malac. c. 4. prædixisse Deum aduentum Eliæ ante aduentum Messiæ: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Hoc enim de primo tantùm Messiæ aduentu, quem & solum futurum putabant , crediderunt. Sed cùm Ioannes esset Iuuenis & ex patre Zachariâ natus , quomodo Eliam esse credere poterant ? Respondetur , forsitan etiam dolo interrogabant, non credituri, si assereret, vel etiam ignorantiâ : neque enim mirum eos qui in Christo toties & tam grauiter errarunt, errare etiam in Ioanne potuisse. Dicebant alij Christum esse Ioannem Baptistam , alij Eliam, alij Ieremiam , aut vnum ex prophetis. *Matth.* 16. Quid mirum si eodem modo errârint circa Ioannem ? Ambulabant Iudæi vt cæci , ibi quærebant Messiam, vbi non erat : & vbi erat, non quærebant. Vide ingenium mundi , qui perpetuo quærit , nunquam tamen sapientior aut melior euadit , quia vel non quærit bonâ intentione & animo discendi, vt isti ; vel quia inutilia quærit: vel non ibi , vbi debet. Quàm multi huc assiduè conueniunt ad concionem, nihilo tamen inde meliores fiunt ? quia nimirum vel non veniunt credituri , vel non animo se emendandi, vel animo discendi tantùm & audiendi noua,&c.

C. II. Quomodo Ioannes negat se Eliam?

Quæritur SECVNDÒ , quomodo verè respondit Ioannes se non esse Eliam , nec Prophetam ? Nónne de eo Christus dixit *Matth.* 11. *Ipse est Elias, qui venturus est* ? Et rursum ibidem: *Quid existis videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis, plusquam Prophetam.* Respondetur , Ioannem negare se esse in personâ Eliam: Christum asserere, esse in spiritu Eliam, vti prædixit Gabriel Zachariæ: *Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ , Luc.* 1. In spiritu autem Elias erat, tum quoad officij, tum quoad vitæ similitudinem. Officium Eliæ est præcedere aduentum Christi secundum , disponere & præparare homines ad illum, peccatores conuertere , obstinatos arguere , &c. Vita eius erat solitaria & casta : amictus zona pellicea circa lumbos: animus heroicus in arguendo Achab , persecutio illata à Iezabele. Similiter officium Ioannis erat præire aduentum Christi primum & ad eum homines disponere, conuertere corda patrum in filios , parare Domino plebem perfectam , arguere reprobos , &c. Vita item solitaria & casta, vestitus simillimus, animus idem in arguendo Herode , persecutio par ab Herodiade. Vnde patet hominem apud Deum magis denominari à spiritu , quàm à corpore & externis bonis. Ille sapiens est , qui cælestia, non qui terrena sapit & intelligit : ille diues, non qui multum auri , sed qui multum habet meriti : ille pulcher non qui faciem , sed qui conscientiam habet immaculatam. Ille fortis & potens ; non qui alios vincere , sed qui seipsum potest: ille denique Christianus , non qui rosarium in manu gestat , sed qui spiritum habet Christi, iuxta id ad *Rom.* 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Quomodo Prophetã?

Sed quomodo prophetam se negauit , cùm fuerit plusquam propheta? Respondetur Ioannem non fuisse talem prophetam , quales erant antiqui prophetæ , qui Christum à longè venturum prænunciabant , sed talem qui Christum iam præsentem digito monstrabat. *Prophetæ ministerium est*, inquit S. Gregorius *hom.* 6. *in Euang. ventura prædicere, non etiam demonstrare: Ioannes plusquam propheta est , quia eum quem præcurrendo prophetauerat , etiam ostendendo demonstrabat.* Vnde in hodier. Euangel. Christum præsentem indigitat ; *Medius autem vestrûm stetit , quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est.* Itaque Ioannes , cùm haberet rationem quâ se & Eliam & prophetam assere-

ret, quæsiuit potiùs rationem, quâ vtrumque negaret. Vide quàm dissimilis sit mundo: hic enim quantum potest distendere se & inflare, omni modo ac viâ conatur.

D. III. Quomodo Ioannes vox clamantis?

Quæritur TERTIÒ quomodo Ioannes est vox clamantis? Respondetur, vocem fuisse primò, quia sicut vox manifestat verbum in mente latens: sic Ioannes manifestauit verbum patris, Christū latentem adhuc inter Iudæos, iuxta id: *Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Altera autem die dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. Secundò quia sicut verbum mentis prius est ipsâ voce, per quam exprimitur: priùs enim rem mente concipio, quàm voce exprimam, in audiente tamen prior est vox, quàm verbum; quia is mediante voce verbum adeoque priùs vocem quàm verbum audit: ita absolutè Christus prior est Ioanne, quia in mente patris fuit ab æterno: respectu audientium verò prior Ioannes Christo fuit, quia præcessit notitiam Christi in mentibus auditorum: prior natus, prior concionatus, prior mortuus. Vtrumque expressit Ioannes cùm dixit: *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Tertiò, quia sicut vox citò transit & paulatim minuitur ac deficit, verbum tamen per vocem expressum & nunciatum, in animo audientis manet altâ mente repositum, & crescit dum accuratiùs expenditur & animo crebrò reuoluitur, eumque ad aliquid persequendum vel fugiendum accendit. Ita Ioannis prædicatio, Baptismus, fama & confluxus auditorum citò defecit: Christi verò doctrina, Baptismus, Religio, notitia & cultus creuit, manetque in æternum. Vnde idem Ioannes dixit Ioan. 3. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Sicut enim lumen Luciferi, non quidem extinguitur, sed obruitur tamen & occultatur à lumine sequentis solis: sic fama Ioannis à famâ & celebritate Christi. Quartò, quia fuit vox silentium imperans, & auditores disponens ad futuram Christi concionem; sicut Principe locuturo in theatro, præco silentium imperat, dicendo st, &c. Quintò, quia prædicationem suam voce tantum promulgauit, non etiam calamo vt Prophetæ alij. Sextò, quia totus erat vox inuitans ad pœnitentiam: cibus, vestitus, habitatio, lectus omnia clamabant: *Pœnitentiam agite, parate viam Domini: appropinquat regnum cælorum.*

Porrò vox clamantis erat, non exilis, non mussitans, sed clamans: Primò, quia mirâ audaciâ, constantiâ, toto spiritu & vocis contentione publicè prædicauit & contra principum ac populi vitia vociferatus est. Erant enim tunc mores hominum corruptissimi, qui magnâ voce percellendi erant. Secundò, quia hoc suo clamore significabat Euangelij prædicationem longè audiendam lateque diffundendam.

E. IV. Cur in deserto Ioannes?

Quæritur QVARTÒ. Cur Ioannes fuit in desertum ibique prædicauit? Respondetur, id fecisse primò vt redderetur idoneus ad spiritum propheticum hauriendum, & docendum alios, iuxta id Osee. 2 *ducam eam in solitudinem & loquar ad cor eius.* Qui enim sonitum suauis cytharæ vult percipere, tumultum fugiat necesse est. Hinc magni viri ad magna destinati, priùs in solitudine exercebantur. Vnde factum dicitur verbum Domini super Ioannem, non in vrbe vel Herodis aulâ, sed in deserto. Secundò ad maiorem authoritatis & sanctitatis famam sibi parandam: Siquidem ea necessaria illi erat ad ferendum, de Christo testimonium tale, cui homines fidem haberent. Solet enim vulgus eos paruipendere & sibi similes æstimare, quibuscum viuit & educatur: exteros verò suscipere, &c. Tertiò, vt significaret æui sui peruersos & plusquam belluinos mores, seque in hoc mundo non tamquam inter homines, sed velut inter feras degere, easque has illis nonnihil tolerabiliores. Vnde contra eos clamat: *genimina viperarum*, &c. Quartò, vt indicaret Euangelium Christi in deserto potiùs quàm in Iudæa, id est, gentibus potiùs quàm Iudæis prædicandum.

Monemur hic authoritatem & opinionem sanctitatis non comparare sæcularium familiaritate, sed potiùs recessu & solitudine.

Deinde monemur vt nos certis saltem temporibus recipiamus ad solitudinem cordis, si in bono proficere velimus. Non gustarunt Israëlitæ manna, nisi in deserto: sic non gustat, quàm suauis sit Dominus, nec audit loquentem sibi Dominum, nec surgit à peccatis, qui non intrat solitudinem cordis, cogitando statum suum, &c.

F. V. Cur Baptizauit?

Quæritur QVINTÒ. Ad quid baptizabat Ioannes? Respondeo primò, vt occasione baptismi populo ad se confluenti manifestaret Christum, Sic enim ait ipse Ioan. 1. *vt manifestetur in Israel* (Christus) *propterea veni ego in aquâ baptizans.* Fuit ergo baptismus illius instar campanæ, quâ homines ex vrbibus & oppidis conuocabat in desertum ad concionem audiendam.

2. Secundò, vt assuefaceret homines ad Baptismum Christi facilè suscipiendum. Duo potissimum sunt in sacramentis, quædam difficilia creditu, quædam difficilia factu. Difficile creditu erat, quod per baptismum ingredi in Ecclesiam oporteret. Difficile factu erat, confiteri sua peccata, humiliare se coram homine inferiore & recipere ab eo baptismum, aliaque sacramenta. Itaque Ioannes vt vtrumque facilitaret & homines ad ea manuduceret; & baptizare voluit & ritum confitendi docere. Quo in re docemur non grauitè confiteri peccata nostra quando id Iudæi fecerunt vltrò, nondum existente lege.

3. Tertiò vt præterea disponeret homines ad Baptismum Christi. Dum enim baptizabat, adhortabatur populum ad dolorem de peccatis & vitæ emendationem, eamque exigebat. Vnde Baptismum eius vocat Lucas c. 3. *Baptismum pœnitentiæ*, quia nimirum homines ad pœnitentiam hortabatur, quæ vti Ioannes præcessit Christum, sic præcedere baptismum debet, iuxta id Petri Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrûm. Nisi enim*

quem

quem pœniteat vitæ veteris, inquit S. Augustinus *l.* 50. *hom.* 50. *nouã non potest inchoare*. Et infrà: *nullus transit ad Christum, vt incipiat esse quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse, quod erat*. Vnde Venerab. Beda ait, Baptismum Ioannis id præstitisse baptizatis, quod doctrina fidei præstat Catecumenis.

4. Quartò, Vt ipsum Christum baptizaret. Dignior enim nullus erat inter natos mulierum hoc ministerio. Vnde Ecclesia præcipit, vti dignior ex Clero, qui adest, semper baptizet, Sacerdos præ Diacono, Diaconus præ Subdiacono. Et in die Cinerum Sacerdoti celebranti inspergat cinerem, in die Palmarum, porrigat palmam, &c. Non decebat tamen, vt solum Christum baptizaret Ioannes, quia vt notat S. Augustinus *tract.* 4. *in Ioan.* tunc baptismus Ioannis dignior existimatus fuisset baptismo Christi; sed hinc oritur alia quæstio.

G. VI. Cur baptizatus Christus? Quæritur SEXTÒ. Ad quid Christus baptizari voluit: Siquidem Christus non indiguit baptismo? Respondetur primò, vt aquas
1. suo tactu sanctificaret & quodammodo fœcundaret, ad spiritualem partum fidelium; si enim sal proiectus ab Elisæo in aquas steriles easdem sanauit, & vtiles reddidit 4. *Reg.* 2. cur non eisdem Christum humanitatis suæ contactu vim spiritualem indidisse credamus? Quemadmodum vnicornis priusquam bibat, aquam cornu suo tangit, quod scit veneno contrarium: Sic Christus suo baptismo aquas reddidit salutares. Ita Iacobus de Valentiâ in *Psal.* 24. Secundò vt exemplo suo nobis ad ba-
2. ptismum præiret, adeoque velut bonus medicus potionem sumeret, quâ non indigebat, vt eandem nos accipere non dubitaremus. Humilitate aliquâ opus est, cùm vir maturus & præsertim potens v.g. Rex aut Imperator, baptismum vult suscipere: vti cùm Constantinus Mag. baptismum suscepit. Quare vt faciliùs sequerentur isti, Christus ad baptismum præire voluit. Arcâ præeunte per Iordanem, populus facilè subsecutus est *Iof.* 3. Sic dum Christum Ducem videt quis præiisse, non habet quo se
3. excuset, si non sequatur. Tertiò vt præclarum humilitatis exemplum nobis relinqueret. Cogitate enim quid erat, Dei filium se nudare coram alijs, aquam vsque ad lumbos ingredi, & Ioanni se baptizandum præbere? Et hoc videtur voluisse Dominus, cum Ioanni recusanti hoc ministerium, respondit. *Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam*. Plenissima enim & perfectissima iustitia est, cùm se quis inferiori tam profundè subijcit. Quis imposterum dubitet subijcere & denudare se Confessario? Quartò vt in suo baptismate, quale sit 4.
nostrum, demonstraret. Christiani enim baptismi demonstrauit materiam, aquam scilicet dum in Iordane baptizatus est: formam, Trinitatis expressionem, siquidem paterna vox audita est, filius baptizabatur, Spiritus sanctus in columbæ specie super hunc descendit: Originem & finem per cœlorum reserationem, quæ demonstrabat virtutem baptismi è cœlo descendere & ad cœlum ducere: necessitatem, dum in eo flumine, per quod erat filijs Israël transeundum in terram promissionis velut per eius ianuam, baptizatus est: effectum vtpotè remissionem peccatorum & reconciliationem, SPIRITVS SANCTI vnctionem, gratiam & adoptionem filiorum, dum in formâ columbæ Spiritus sanctus apparuit & patris vox intonuit: *Hic est filius meus dilectus*, &c.

H. VII. Quæ differentia inter Christi & Ioannis baptismum? QVÆRITUR SEPTIMÒ, Quæ differentia inter baptismum Christi & Ioannis? Respondetur multam esse & magnam; vti Ioannes ipse insinuat cùm ait: *Ego baptizo aquâ*, &c. Primò in formâ; Ioannes enim vel nullam adhibebat, vel saltem non eam, quæ adhibetur in baptismo CHRISTI. Secundò in necessitate; quia 1.
Ioannis baptismus ad salutem non erat necessarius, nec sufficiens, vnde rebaptizari debe- 2.
bant, qui illum susceperant, vt *Act.* 19. patet. Tertiò in efficaciâ; nam baptismus Ioannis 3.
non remittebat peccata, nec conferebat gratiam, nec per se disponebat homines ad illam, sed per accidens tantùm, ratione pœnitentiæ, ad quam homines quodammodò monebat & inducebat, accedente Ioannis institutione. Quartò Baptismus Ioannis non conueniebat 4.
paruulis, quia erat tantùm baptismus pœnitentiæ, quam agere infantes non possunt. Quin- 5.
tò non erat sacramentum: sed præuia tantùm præparatio ad Euangelij susceptionem. Sextò 6.
durauit ad annum tantùm.

Denique baptismus noster characterem imprimit, vnde iterari nequit. Non ita Baptismus 7.
Ioannis. Significabat autem ille nostram pœnitentiam: nam denudationem requirebat; en confessionem. Deinde ablutionem vel immersionem; en contritionem & lachrymas pœnitentiæ: denique reinduere oportebat vestes, en vitæ emendationem. Hunc ergò pœnitentiæ Baptismum crebrò repetamus, & maximè hoc tempore. Hæc enim est illa vestis noua, quâ indui nos vult Ecclesia, vt Christum in cor nouum dignè excipiamus.

DOMI-

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

Euangelium Lucæ 3.



ANNO quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarchâ Ituræ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenæ Tetrarcha sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha: factum est verbū Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit ad omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei.

CONCIONES.

CONCIO I.

Dignitas hominis.

Ioannes quidem est vox, sed vox clamātis Messiæ: ita & homo vox quidem est sed aurea Dei, quia imaginem eius gerit: habet homo quo humilietur, habet etiam vt dignitatem suam tueatur.
1. *Quia homo est microcosmus.*
2. *Est Imperator mundi constitutus à Deo.*
3. *Quia est imago Dei.*
4. *Quia vocatur frater Dei.*
5. *Quia dicitur conuiua Dei.*
6. *Quia Deus etiam quodammodo est.*
7. *Quia hæres cæli est.*

THEMA.

Vox clamantis in deserto. Luc. 3.

A VEtus Romanorum consuetudo fuit teste Pierio *l. 41. Hierogl.* Baptista Fulgoso & alijs, vt ingenuis & nobilibus liberis parentes auream bullam appenderent ad pectus, quo inprimis monerent eos fortunæ & fragilitatis humanæ similitudine, formâ & nomine desumpto à bullis, quæ guttarum distillatione in aquis generantur & vel ab vnicâ aquæ guttula rursum extinguuntur: tum etiam ingenuitatis & nobilitatis suæ, eò quòd aurea esset bulla & ingenuorum ac patriciorum insigne; ne proinde dignitatis & generis sui obliti turpia & impudica agerent vel etiam cum seruis mancipijs se miscerent. Quare bulla isthæc aurea duplex eis amuletum erat, partim contra elationem, in quantum bullæ formam habebat: partim contra animi leuitatem, in quantum aurea erat & insigne nobilitatis. Ad eundem modum DEVS hominem vestiuit; Ex vna enim parte, fecit eum bullam, id est, miserum, fragilem, sordidum breui tempore victurum, vt haberet quo se humiliaret. Ex alterâ verò parte, fecit eum quodammodo aureum & nobilem, elegantem, potentem, sapientem, diuitem, Deo similem, &c. vt haberet etiam quò dignitatis suæ memor digna laude gereret & turpia declinaret. Quod vtrumque mihi videtur considerasse Ioannes, dum iteratò vocem se appellat. Vox enim quà præclarum aliquid significat, magnum quiddam est: quà verò sonus tantùm, nihil ferè est. Vox igitur est Ioannes, sed vox clamantis Messiæ: bulla, sed bulla aurea. Similiter & homo vox est vt ante octiduum audiuimus, & bulla est. Sed interim etiam aurea bulla est & vox Dei, quia, imaginem eius gerens, &c. vt sic habeat partim quo humilietur, partim quo dignitatem suam tueatur; vt videbimus.

PRIMA Hominis dignitas, quòd sit compendium quasi omnium creaturarum & vt vocatur à Mercurio Trismegisto in Asclep. paruus mundus, quòd omnis creaturæ aliquid habeat: ab Angelis intelligere, ab animalibus sentire, à plantis viuere, ab inanimatis esse; habet in se quatuor humores, quasi totidem Elementa, Mixta inanimata, vt vngues & pilos. Animata non sententia, vt ossa & dentes, Animata sententia, vt neruos, carnem & cutem: denique animum rationis participem. Quemadmodum enim Dominus aliquis hortum suum transiens & varijs in areolis varios contemplans flores, ex omni florum specie vnum sibi decerpit & in fasciculum nectit, quem ipse manibus tractat, naribus applicat, sæpiùs intuetur eoque se delectat; ita Deus postquam omnes gradus creaturarum produxisset, existentes, viuentes, sentientes, intelligentes, B. I. Homo microcosmus.

gentes, ad vltimum pro suâ singulari delectatione fasciculum ex ijs omnibus sibi elegit, hominemque creauit omnibus illorum gradibus dotatum. Vnde ait Prouerb. 8. *delitiæ meæ esse cum filijs hominum*. Propterea etiam singulare studium ad fasciculum hunc nectendum seu
1. creandum adhibuit. Primò eum vltimo loco tanquam complementum & coronidem om-
2. nium operum suorum creauit. Secundò: quasi cum præuia aliqua deliberatione & consideratione; non enim dixit statim, vt de alijs creaturis: *fiat* (homo) sed: *faciamus hominem*, &c.
3. Tertiò adhibuit singulari modo communem totius SS. Trinitatis operam, dicendo: *facia-*
4. *mus hominem*, &c. Quartò cæteras animantes & stirpes terra & aqua generasse dicuntur, hominem verò DEVS per se solum condidisse. Quibus omnibus Deus hominem sibi conciliare voluit, vt scribit S. Ambrosius *in Gen.* eumque ad amorem suum pellicere: quod stupore plenum est & fortissimum calcar ad Deum redamandum. Quid enim est hoc: hominis amorem à Deo ambiri? imò tot artificijs & officijs quæri? Certè non est dubium voluisse Deum sibi ipsi habitationem in homine præparare, quem tanto studio tamque venustè pinxit. Iniuriam igitur Deo facit, qui seipsum Dæmoni aut creaturarum etiam amoribus, non Deo præbet. Alexander M. post Darium prælio victum, adeptus Scrinium in Regiâ prędâ ex auro & gemmis fabrefactum rogansque quinam esset eius vasculi vsus, vbi audiuit esse thecam vnguentorum regiorum seu μυροθήκιον: *Quin*, inquit, *rei magis pretiosa sit posthac custos sitque mihi tam ὁ μυροθήκιον*, atque ita Iliadem Homeri in eo asseruauit. Plin. *l.7.c.29.* Quanto potiori iure homo fabricam corporis animique sui tam elegantem & pretiosam reseruabit DEI, non creaturarum amori, Spiritus sancti gratiæ, non escis & voluptatibus!

C. II. Imperator mūdi.

1. SECVNDA, Quòd Imperator mundi à DEO constitutus: propterea enim primò adduxit ad Adam DEVS animalia, vt is recognosceret subditos suos & vocaret quibus vellet nominibus. Et tunc cùm ea vocaret Adam, transibant pronis capitibus demissisque ceruicibus ante Adamum vultu radiante in solio sublimè sedentem; si Moysi Barcephæ credi-
2. mus *in l. de paradiso.* Secundò Adamo ipsemet nomen dedit, & tale quidem, cuius singulæ litteræ initiales essent quattuor orbis partium in Græco Idiomate. A. ἀνατολὴ, id est, Oriens, D. Δύσις, id est, Occidens. A. ἄρκτος, id est, Septentrio. M. μεσημβρία, id est, Meridies: Vt sic homo totius orbis Dominus esse noscere-
3. tur. Tertiò ante eius creationem præparauit ei Dominus mundum tanquam pulcherrimum palatium omnibus necessarijs, imò & delicijs instructum, posteà eum in amœnissimam eius partem, Paradisum, introduxit: ei syluas in vmbracula, campos in deambulacra, maria in piscinas, saltus ad venationes, elementa in muros, montes in turres, astra in fenestras, cœlos in tentoria dedit: Angelos denique suos in satellites & custodes. Et hæc omnia vt eum ab amore creaturarum abstraheret; quas ideò sub pedibus eius vt ait *Ps.8.* subiecit vt is ea tamquam longè inferiora sibique indigna negligeret, & ad superna sui similia aspiraret. Hinc enim Adæ ex omnibus sibi adductis animantibus non inueniebatur, quod amare posset, quia nihil aderat ei simile (similitudo autem est causa amoris.) Vt igitur probrum & ignominia indelebilis foret, si quis Rex adamaret Ancillam plebeiam & contemptam, quemadmodum Ericus Sueciæ REX, qui lictoris filiam adamauit sibique despondit Anno 1567. nuptiasque Stocholmiæ instituit, reclamantibus propinquis, vt scribit Florim. Remund. *de Orig. hær. l.4. c.16.* ita multò maior est homini cùm in gulam, lasciuiam, aurum, &c. amores suos conuertit. Audi Basilium *hom. 10. hexam. Animal es, ô homo, imperio natum. Ecquid miseram hanc affectuum seruus seruitutem? Ecquid te dedis peccato in vile mancipium?* Id ipsum exprobrat hominibus Dauid *Ps.4.* dicens: *filij hominum vsquequò graui corde?* (in Hebr. filij viri, vsquequò gloriosi mei, ad ignominiam, diligentes vanitatem quæritis mendacium?)

D. III. Imago Dei.

TERTIA, Quòd homo animus quidam diuinus & præstantissimus sit, ceu concha quæ extra quidem vilis est, habet tamen intra se pretiosam margaritam. Primò, quia rationalis. Secundò, quia immortalis. Tertiò, quia liberi arbitrij, per quod crescere in meritis supra Angelos potest. Quartò capax sapientiæ, virtutis, gratiæ & gloriæ, quæ vel singula omnem mundi valorem & dignitatem superant. Quid enim magis optare potest homo, quàm generis splendorem & nobilitatem clarissimam: libertatem agendi maximam: diuitias & scientias; vitam denique ad fruitionem horum perpetuam? hæc omnia data sunt homini stemma diuinum, libertas arbitrij maxima, hæreditas cœli, vitæ immortalitas. Hinc fit quòd pro animâ vnâ litigent quasi Deus & Diabolus, quia nôrunt pretium eius. DEVS enim pro animâ *à regalibus sedibus veni*, inquit S. Bernardus *in medit. c.3.* idemque *Matth.16.* eam vniuerso mundo præposuit dicens: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?* denique eam morte suâ emit. Diabolus autem pollicetur se daturum omnia regna mundi cum omni ipsorum gloriâ, pro vnâ hominis animâ *Matth.4.* Hinc igitur argumentemur, quantâ curâ & solicitudine custodienda sit animâ. Quis enim non sedulò conseruare studet generis sui splendorem, libertatem, vitam, hæreditatem? & hæc omnia hisque multò nobiliora, quàm multoties pro vilissimâ creaturâ & delectatione perdimus & vendimus?

E. IV. Frater Dei.

QVARTA, Quòd per incarnationem DEI, frater quodammodo illius factus est. Sic enim ipse Ioannis 20. ad Magdalenam ait: *Vade ad fratres meos*; & *Matth.28. nunciate fratribus meis.* Et *Hebr.2.* per Apostolum: *narrabo nomen tuum fratribus meis*; additque Apostolus quasi gloriabundus: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen*

Abraha

Abraha apprehendit. Hinc ausus est dicere S. Bernardus : *Puto spernere me non potest Christus, quia os ex ossibus meis & caro de carne mea est.* Exprobrabat olim Dominus primis nostris parentibus, quòd similitudinem Dei appetendo decepti essent, dicens : *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Quâ de re Richardus Victorinus *l.1. de Emmanuel. p.1. c.19.* ait : *meritò ô sanctissima Trinitatis persona exprobratis; sed nunquid adhuc exprobrabitis? certè si dixistis ironicè, quia homo factus est quasi vnus ex nobis; nos de cætero dicemus tam fidenter quam veraciter, quia Deus factus est quasi vnus ex nobis.* Idcircò enim Christus sæpissimè se filium hominis vocabat, vt significaret se iam nobiscum carnis cognationem habere fratremque nostrum esse, vt notat Tertull. *l. de carne Christi.* Hinc natura humana tantùm exaltata est, vt post incarnationem Dei non permitterent ampliùs angeli se adorari ab homine, vt patet *Apoc.19.* vbi Angelus Ioanni volenti se adorare dixit : *Vide ne feceris, conseruus tuus sum & fratrum tuorum;* quia nimirùm *non dedignantur Angeli habere hominem socium,* inquit S. Gregorius *hom.8. in Euangel. quē super se adorant hominem Deum.* Et hinc est etiam quòd homines consedere dicuntur cum Christo in cœlo, *Matth.19.* & *ad Eph.2.* habere etiam sedilia sibi in cœlo parata, *Apoc.9.* cùm tamen Angeli nusquam in sacris litteris legantur in cœlo sedere, sed tantùm stare, assistere & ministrare : vt patet *Isaia 6. Dan.7. Tob.12.* Tandem diabolus hanc dignitatem cogitationis Christi, quam præuidit ante lapsum Adami, homini inuidens, idcircò eum tentauit teste S. Bern. *serm.1. de Aduentu*; vt sic fœdaret naturam humanam Deumque ab eâ assumendâ auerteret. Igitur si Christus hominis appellatione gaudet : Si Angeli Sancti ob DEI humanitatem honorem hominibus deferunt, imò cedunt : Si Diabolus inuidet : quanta est, putatis, humanæ conditionis gloria? quantoperè etiam curandum, vt nequid indignum tanto Fratre geramus? *Agnosce ô homo dignitatem tuam,* inquit S. Leo PP. *& diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* Quis nescit quàm ægrè accipiant nobiles familiæ, si quis ex eâ cum plebeio homine contrahat matrimonium? excludunt illum ab hæreditate, negant suum esse propinquum. Certè Ericum Regem, de quo suprà. Comes quidam sanguinis cognatione ei iunctus, per omnia sacra obsecrabat, ne regium sanguinem cum tam vili & abiectâ personâ misceret, qui tamen ob id à Rege occisus est. Quid ergò, putatis, dicet Christus, si de tantâ eius familiâ demittamus nos ad abiecta quæque? Quomodo verò quis eo se non deiecit, qui corpus suum prostituit & meretrici iungit? Qui voluptatibus indulgendo, sese inebriando, &c. belluinam vitam degit?

F. V. Conuiua Dei.

QVINTA, quòd ad corporis sui communionem homines inuitet & admittat. Magna dignitas foret, si cui Rex aliquis de mensâ suâ mitteret escas & vinum, quibus ipsemet victitaret; Hoc enim in signum magnæ beneuolentiæ fecit Dauid Vriæ *2. Reg.11. Secutus est eum cibus regius,* inquit Scriptura. Similiter & Eunuchis suis Nabuchodonosor *Dan.1.* Sed maior esset, si eum Rex ad propriam inuitaret mensam: quod fecit Regina Esther Amani, qui idcircò ait : *Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me, apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum. Esther 5.* Maior adhuc esset, si rex eiusmodi conuiuæ suo proprijs manibus panem scinderet ferculaque mitteret, id quod præstitit Ioseph fratri suo vterino Beniamino tamquam intimo & singulariter dilecto *Gen.43.* Maior adhuc si ipsemet Rex ad te descenderet in domum tuam, tecum epulaturus, quod fecit Christus Zachæo. Maior adhuc foret, si pretiosissimas quasque escas de longinquo & exteris nationibus afferri curaret, quò hospitem suum magnificè tractare possit, id quod fecit Deus Israëlitis, in deserto, cùm panem de cœlo dedit eis, Angelorum manibus confectum, ob cuius beneficij nouitatem & magnitudinem exclamabant præ stupore: *Man hu,* id est, quid est hoc? Item Danieli in lacu leonum per Abacuc de longè adductum Angeli ministerio. Quod maximâ gratitudine agnouit Daniel dicens : Recordatus es mei Deus & non dereliquisti diligentes te, *Dan.14.* Sed nihil hæc sunt omnia, si cum eâ magnificentiâ comparemus, quâ cibat Deus hominem; Inuitat hominem ad mensam suam, vbi seipsum ei apponit, & tradit cibum, quo fruuntur & delectantur beati in cœlo, de cœlo ad eum descendens. Quanta hæc dignatio? Quis hanc gratiam non maximo sibi honori ducat seque eâ indignum clamet? Miphiboseth filius Ionathæ inuitatus à Dauide vt comederet cum ipso in mensâ semper : *Quis ego sum,* inquit, *seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? 2.Reg.9.* Quid dicemus nos, qui ad mensam Christi plerumque regiam inuitati sumus? Deinde quis pollutus audeat accedere? Si enim Iudæi scelus putabant ad mensam sedere non lotis manibus vt *Matth.15.* legimus : quantò grauius erit polluto corde Christum suscipere.

G. VI. Deus quodammodo est.

SEXTA, Deus etiam quodammodo est, iuxta id *Ps.81. Ego dixi, Dij estis.* Primò enim intellectum & ingenium habet, quibus omnia pænè inuestigare & inuenire potest, cœli & terræ ambitum, stellarum magnitudines, cœlorum cursum, Eclipses : omnes scientias & artes : adeò vt aliqui modum adinuenerint, quo totam terram, si modò extra eam in loco aliquo consistere possent, vnica manu mouerent. Vt sic homo aliquo modo omnipotens dici queat. Secundò, habet vires & potestatem vinciendi ac ligandi dæmones, quemadmodum fecêre Sancti, Antonius, Macharius, (ad quem exclamabat dæmon : magnam vim à te patior Machari, &c. *In vitis patrum l.7. c.13.*) Benedictus, Bernardus, alijque, imò & Exorcistæ in Ecclesiâ primitiuâ. Tertiò data est potestas sacerdotibus conferendi alijs per sacramenta gratiam & cœlum aperiendi per absolutionem

lutionem alios illuminandi, &c. Sic enim instar Dei inspirant peccatoribus vitâ carētibus, spiraculum vitæ, id est, gratiæ, quæ est communicatio quædam diuinitatis. Quartò habent plurimi sancti potestatem faciendi miracula, quandoque maiora, quàm ipse Christus fecerit, cætos illuminandi, ægros curandi, serpentes calcandi, mortuos resuscitandi, &c. quæ creaturarum vires longè excedunt. Quintò data est multis sanctis authoritas & potestas coërcendi rebelles Deo Tyrannos, vti Moysi in Pharaonem: quemadmodum Exodi 7. dixit Deus: *Ego te constitui Deum Pharaonis*: Eliæ in Achab Regem: Ioanni nostro in Herodem: S. Basilio in Valentem Imper. Ambrosio in Theodosium & Iustinam Imperatricem: Leoni in Attilam; Athanasio in Constantium Imperatorem, &c. Quæ omnia quantam hominis dignitatem spirent, quis dicere sufficit? Audite demum S. Chrysostomum *hom.* 15. *in epist.* 1. *ad Timoth.* sic loquentem: *Vide quanto nos affecit honore* (Deus) *huiusmodi nobis potestate permissâ. Feci ego*, inquit, *cælum & terram: eadem conditionis facultate tĳ dono, vt terram facias cælum. Feci ego corpus pulchrum. Do tibi præstantius efficium: tu animam pulchram. Dixi ego & produxi herbam fœni, & omne fructiferum lignum; dic tu quoque: producat hac terra fructum suum & proderit quodcunque operari volueris. Finxi draconem & illudo ei, diabolo scilicet: nec tibi hanc inuidi potestatem, illude illi tu quoque si vis: potes enim eum vt passerculum capere. Ortri facio solem super bonos & malos, imitare me tu, bonaque tua bonis & malis communica. Accendi in cælo luminaria, accende & tu clariora illis, nam & hoc potes, ijs qui in errore sunt, veritatis lumen accende. Dominus Angelorum ego: itidem in sede Regia sede & tu mecum, &c.*

H. VII. Hæres cœli. Septima, Hæres æternæ beatitudinis: quia ad nuptias agni inuitatus est vt cum Christo super mensam eius edat in regno Dei æternum; quo etiam vocat nos corporis nostri statura, recta & cœlo obuersa. *Solam enim in terris cœlestem plantam*, (inquit Philo *in lib.* de eo quòd deterius potiori insidiari solet) *fecit hominem, cæterarum in terra defixit capita, &c.* Vnde teste D. Ambrosio dæmon homini inuidere & insidiari cœpit, quòd figuratus de limo electus est in cœli ciuem, vnde ipse lapsus est. Hinc etiam, vt ait Ferus super illud: (*Et fecit Deus firmamentum*) *prius cælum ornauit quàm terram, ad ostendendum quòd quamuis etiam terra ad tempus hominis hospitium sit, tamen homo potissimum propter cælum possidendum est creatus.* Non tibi videtur magna dignitas, cùm quis Rex vel Imperator alterum socium regni aliquem designat? At hoc nobis fecit Deus. Quando ergò tanta est humanæ conditionis dignitas & præstantia, videat vnusquisque. ne scelerum turpitudine maculam illi aspergat. Quàm turpis Constantinus Iconoclasta, qui cùm Imperator audiret, interim tamen *tantopere*, inquit Theostericus in Nicetâ, *sordium & impurissime cuiusque rei odore malo delectabatur, vt animalium brutorum stercoribus se illineret, & eos, qui cum illo erant, id facere iuberet?* Vnde Stercorius & Caballinus dictus est, quod fimo & lotio caballorum recrearetur. At si tu, quicunque es neglectis solidis & cœlestibus bonis, terrena tantùm sectetis: nihilo magis sapis, stercore & luto nobilitatem tuam conspurcas, &c.

CONCIO II.

De morte iustorum pretiosa.

Tres inueniuntur portæ per quas iusti ingrediuntur dum ex hoc sæculo migrant, ac ideo iusti,
1. *Libenter moriuntur, quia vadunt de labore ad requiem.*
2. *Iusti non horrent Iudicium, quia in Domino moriuntur.*
3. *Cœlum ingrediuntur latabundi, tanquam de hyeme adver.*

THEMA.

Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. 3.

A. Factum est iam, Auditores, quod prædixit Isaias in hodiern. Euangel. *Videbit omnis caro salutare Dei*: sed & rursum fiet. Factum est in primo Christi aduentu, quando omnes qui voluerunt, carnalibus oculis Christum viderunt. Fiet verò iterum in secundo eius aduentu, quamuis maximo discrimine: nam videbunt eum iusti maximo cum gaudio: reprobi maximo cum dolore; vti scribit S. Gregorius *homil.* 20. *in Euangel. Vbi cùm aperto cælo*, inquit, *ministrantibus Angelis, consedentibus Apostolis in sede Maiestatis sua Christus apparuerit, omnes hunc & electi & reprobi pariter videbunt, vt & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant & iniusti in vltione supplicij in perpetuum gemant.* Vnde idem Sanctus *hom.* 21. mox sequente secundum Christi aduentum vult significatum per Angelum illum, qui testis resurrectionis Christi aspectu suo fulgureo terruit custodes sepulchri, & vestimento suo niueo recreauit sanctorum mulieres iuxta id Matth. 28. *Erat aspectus eius sicut fulgur, vestimēta autem eius sicut nix; in fulgure etenim terror timoris est, in niue autem blandimentum candoris*, ait; quasi in generali resurrectione simili aspectu Christus sit venturus. Idem designatum esse per columnam illam Exodi 13. Subdit statim dicens: *Vnde rectè quoque populum per deserta gradientem, columna ignis in nocte & columna nubis præibat in die. In igne enim terror est, in nube autem visionis lene blandimentum: dies verò vita iusti: & nox accipitur vita peccatoris. Vnde & conuersis peccatoribus Paulus dicit: fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. In die ergò per nubem columna mōstrata est & in nocte per ignem: quia omnipotens Deus & blandus iustis & terribilis apparebit iniustis. Istos in iudicio veniens per lenitatis mansuetudinē demulcet: illos verò per iustitia districtionem terret.* Sic ille. Ergò Christus bene morientibus apparebit blandus, malè

malè morientibus terribilis. Vidimus iam alibi, quibus morientibus terribilis appariturus sit: Videamus nunc morientes, quibus blandus futurus. Tres inuenio portas, per quas ingrediuntur iusti, cùm ex hoc sæculo migrāt: portam mortis, portam iudicij, portam cœli: Per primam intrant libenter, per secundam confidenter. In primâ portâ premere aliquem posset amor mundi, cupiditas viuendi, negotia sæculi, corporis separatio, insidiæ Dæmonum, dolores. In secundâ metus Iudicij. In tertiâ metus gehennæ, sed nihil horum iustos perturbat.

B. I. Iusti libenter moriuntur. 1. Per PRIMAM libenter intrant, primò quia nihil in mundo ita amârunt, quod non libenter perdere semper parati erant. Quidquid in mundo habebant, non magis illis adhæsit, quàm vestimentum; quod facilè exuitur, sine dolore aut molestiâ. Aliud est pellem corporis, aliud vestem exuere: hoc fit absque dolore, illud non nisi cum ingenti cruciatu. Qui mundo affixi sunt, quasi pelle ipsa spoliantur cùm moriuntur. Et quantus horum erit dolor? *ô mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis?* ait Ecclesi. c. 41. Contrà qui nil in mundo amant saltem impensè, nō difficiliùs quàm veste se exspoliant mundi bonis. Sic Reginaldus Polus Card. cùm audisset Regem Angliæ Henricum 8. quinquaginta aureorum millia constituisse ei, qui necem illi inferret, miratus Regis amentiam dixit, iam dudum se vitæ huius tædio affectum mortem cupiuisse corporisque depositionem; & proinde cùm Henricus tanto studio & incommodo illud ipsum efficere conetur, nihil aliud facere, quàm si quis ire dormitū cupienti, vestem ipsam velit detrahere. Nic. Sander. *l. 1. de schism. Anglic.* De his vult S. Ambrosius illud *Apocal.* 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Scribens enim super eum locum, ait: *Quis mortuus mori potest? nullus nisi prius animam accipiat. Illi sanè sunt beati & illi mortui in Domino moriuntur, qui priùs moriuntur sæculo, postea carni.*

2. Secundò, Quia saturi sunt dierum, quos miserijs plenos experti sunt in mundo. Quocunque enim se vertebant, videbant vndique calamitates. Dei offensas, pauperum oppressiones, interitus quotidianos non tantùm infidelium & hæreticorum, sed etiam multorum Catholicorum, gemitus pauperum, querelas diuitum, odia, inimicitias, liuores, &c. Vident denique *totum mundum*, vt ait S. Ioannes *ep. 1. c. 5. in maligno positum*, id est, plenum omnibus sceleribus. Vbi aut mali tantùm sunt, aut boni à malis premuntur. Sic Abraham *Gen. 25* dicitur mortuus esse *plenus dierum*, id est, satur viuēdi, vt habent Hebræa, & cupiens dissolui; Satur ergò dierum fuit, quoniam dies mali sunt, vt ait Apost. *ad Ephes.* 5. & Nepos Abrahæ Iacob *Gen. 47. dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali*, Id est, pleni ærumnis, periculis, tentationibus. Contrà reprobi nunquam moriuntur pleni seu saturi dierum; sed in tempore non suo, vt ait Sapiens, quia nunquam est illis commodum tempus moriendi. Vnde S. Aug. *tract. 9.* in Epistolam Ioannis: *sunt homines*, inquit, *qui cum patientiâ moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientiâ viuunt. Qui adhuc desiderat vitam istam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: qui autem desiderat dissolui & esse cum* CHRISTO, *non patienter moritur, sed patienter viuit, delectabiliter moritur, &c.*

Tertiò, Quia pergunt de labore ad requiem, de bello ad pacem. Neque enim frustrà mors toties vocatur somnus ab Apostolo, nec non à Christo, cùm dixit Lazarum & puellam dormire. Et à S. Lucâ, tùm scripsit Sanctum Stephanum obdormisse in Domino *Act. 7.* & communiter à Christianis, qui sepulturas Christianorum vocant cœmiteria, id est dormitoria. Quemadmodum enim is qui totam diem laboribus impendit, per somnum suauiter quiescit: ita sancti post varios vitæ labores exantlatos, per mortem conquiescunt veluti per somnum. Vnde *Apoc.* 14. dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Iam verò *dulcis est somnus operanti*, ait Ecclesi. *c. 5. siue parum comedat siue multum: Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Pari modo dulcis est somnus mortis bene operanti iusto, laboribus fatigato, siue pauper fuerit, siue diues: ijs verò qui nullis laboribus vacârunt, difficilis & inquietus. Nec minor pax, quàm requies, post tot bella tentationum excipit homines iustos, qui nunquam sine pugnâ sunt, vel enim habent hostes externos, vel vbi illi desunt, internos. Hanc optat iusto Isaias c. 57. dicens: *Veniat pax: requiescet in cubili suo, quia ambulauit in directione suâ.* Hanc defunctis nos precamur, cùm dicimus: *requiescat in pace.* Ad istam ergò pacem anhelant omnes iusti, quia ea finem dat omnibus illorum certaminibus. 3.

Quartò, Quia de carcere liberati euolant ad libertatem veluti auiculæ: Carcer enim illis corpus nec non & mundus est. Duo captiui erant in carcere Pharaonis, pistor & pincerna, & vterque inde ereptus est: sed iste ad vitam & dignitatem, ille ad mortem & patibulum. Quàm dispar vtriusque exitus, tam dispar & egrediendi voluntas. Inuitus vtique Pistor exijt è carcere, quia somniabat se coruorum fore pabulum. Gaudens vicissim & gestiens exijt pincerna, quia somniabat se restituendum pristinæ dignitati. Pistorem opus erat extrahere è carcere; Pincerna vltrò prosilijt. Ita nimirum iusti vltrò & cum gaudio deserunt sui corporis ergastulum, reprobi non item, sed cum horrore & coacti. Causam optas? quia illi somniant, animo sibi præsagiente, ituros se ad vitam & aulam Regis æterni: hi contrà se rapiendos ad furcam tartaream, in pabulum coruorum; Dæmonum. Hinc peccatores quasi correpti ad mactandum porci, non tam moriuntur, quàm mori coguntur. Iusti contrà mori dicuntur, & ad mortem se componere, vti Iacob *Gen. 49.* qui *collegit pedes suos super lectulum & obijt*; & 4.

Moyses

Moyses cui dixit Deus *Deut. 32. Ascende in montem & morere.* Non ait: morieris,sed,morere. Sic vltrò ingressus est sepulchrum suum S. Ioannes Apostolus. Sic dimitti veluti ex carcere petijt S. Simeon: dissolui S. Paulus: educi S. Franciscus,qui in illis Psalmi verbis: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi,* migrauit ad Dominum.

5. Quintò. Quia moriuntur in pace & magna animi tranquillitate. Non enim metuunt Dæmonum insidias, qui nihil habent, quod ab illis tolli queat. S. Hilarion incidens in Latrones nihil metuebat, quia *nudus*, aiebat, *Latrones non timet.* Hieron. *in vitâ.* Similiter & iustus non metuit in morte Dæmones, quia nudus est & liber à peccatis & terrenis affectibus. Hinc S. Martinus moriens Dæmonem astantem increpans: *Quid hic adstas cruenta bestia,* inquit, *nihil in me funeste reperies.* Deinde non premunt illos curæ temporales animique perturbationes, quibus è contrà obruuntur peccatores. Vnde ex hac parte cum Moyse & Aarone moriuntur in monte, id est, loco quieto & amœno; mali contrà in valle lachrymarum, perturbationum, tentationum. Hinc multi sancti viri cantantes obierunt. Simeon iustus viso Domino mori cupiens, imò quasi iam moriens, cecinit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Nimirum in pace moriuntur iusti: peccatores in bello perturbationum, quæ exsurgunt è timore mortis & amore vitæ, amicorum, mundi, è doloribus corporis & infestatione maligni hostis, &c. S. Franciscus hymnos & laudes DEI cantabat in agone, vt vidimus. Gerardus S. Bernardi frater moriens cantabat: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.* Vt testatur S. Bernardus *in serm. eius funebri.* Eundem Psalmum canebat moriens B. Petrus Cœlestinus, qui deposito Pontificatu in eremum redijt & in illius Psalmi vltimis verbis: *omnis spiritus laudet Dominum*; vitam clausit. Corn. à Lap. *in Apoc. c. 14.* S. Nicolaus Tolentinas sex mensibus ante obitum, angelorum cantum audiuit, vnde in extremo spiritu voces fundebat gestientis & lætantis. Causam rogatus, ait se audiuisse vocem Christi: *Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* In his verbis spiritum reddidit.

6. Sextò. Quia dolores mortis ferunt æquanimiter. Recreantur enim Primò diuinis consolationibus, quibus subinde DEVS opem fert illis super lectum doloris eorum, & versat ac componit stratum eorum vt molliùs cubent, iuxta id *Ps. 40. Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Versat autem attollendo ægrum consolationibus, quibus patienter & cum gaudio ferat ægritudinis molestias. Secundò suffragijs Ecclesiæ & Sacramentorum virtute, quæ quò in meliorem ac magis dispositam terram ceciderint, eò vberiores fructus gignunt, & fortè eò respexit Dauid, cùm dixit *Ps. 4. A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt,* quasi dicere vellet: A fructu Eucharistiæ

& S. Vnctionis aucti sunt seu creuerunt; *In pace in idipsum,* (id est, pariter) *dormiam & requiescam,* q. d. sic vellem & ego mori. Tertiò, quandoque Sanctorum & Angelorum bonorum præsentiâ & visitatione. Ita enim S. Gregorius *l. 4. Dial. c. 11.* cùm recensuisset, quâ ratione Vrsinum Presbyterum morientium visitârint Petrus & Paulus Principes Apostolorum, & ipse responderit: *Venio, venio*; subdit: *Quod plerumque contingit iustis vt in morte suâ Sanctorum præcellentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiam pertimescant.* Ita S. Musa Virgo, videns Mariam Virginem multis cum Virginibus ad se venientem, respondit: *Venio Domina,* &c.

Per SECVNDAM portam intrant confidenter; quia obdormiunt in Domino, hoc est, in gratia & quasi sinu Dei, tamquam amici eius, iuxta id *Apoc. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Iam sicut Angelus in Christi sepulchro exterritis custodibus, mulieres allocutus dixit *Matth. 28. Nolite timere vos. q. d. paueant illi, qui non amant aduentum supernorum ciuium: pertimescant, qui carnalibus desiderijs pressi ad eorū se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, quæ vestros conciues videtis?* ait S. Gregorius *hom. 21. in Euang.* Ita omnes iusti quod magnoperè timeant, non habent, cùm ad Christum Iudicem pergunt. Qui noctu ad Ciuitatem veniunt, & quærentibus præsidiarijs respondere possunt: amici, amici sumus, securè ad illam accedunt: ita qui ad ciues cœli pergunt si respondere queant, amici vestri sumus: quid timere possunt? Secundò, quia intelligunt se in conspectu Dei non apparituros vacuos, sed plenos bonis operibus. Moriuntur enim pleni dierum, sicut Abraham *Gen. 25.* quia vt ait Sanctus Ambrosius, *plenitudinem vitæ iustorum habet, inanes verò sunt dies malorum.* Plenitudinem, inquam, bonorum operum, quæ sibi corrogârunt boni in diem aduentus Domini. Magno & intrepido animo expectauit Ioseph cum suo Pharaone annos sterilitatis, quando duos filios suos vocauit Manassen & Ephraim, id est, obliuionem & incrementum, quòd videlicet oblitus esset laborum suorum & creuerit in Ægypto *Gen. 41* quia sibi iam prouiderat de frugum abundantia pro futura sterilitate: ita etiam iusti intrepidè expectant diem iudicij sterilem, in quo maxima industria requirentur fruges bonorum operum, quia sibi de his iam antè prouiderunt. Ad hæc quemadmodum Iacob præmisit in occursum fratris sui primogeniti Esau, munera, oues & boues, &c. ad placandum illum, *Genes. 32.* ita etiam iusti in occursum Christi (qui est primogenitus, frater noster) in iudicio sibi obuiaturi, præmiserunt bona sua. Sciendum enim opera bona præcedere & sequi iustos ad iudicium; præcedunt merito, sequuntur præmio. Vnde *Apoc. 14.* ait Ioannes: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos,* (vel comitantur, vt habent Græca) veluti famuli videlicet

C. II. Non horrent iudicium.

Dominum ſtipantes. Quare ſicut Eſau viſâ fratris familiâ, potentiâ & munificentiâ, cucurrit in amplexum eius: ſic faciet Chriſtus ſeruis, imò fratribus ſuis. Ibi cum magnificentia repræſentabunt Angeli CHRISTO opera iuſtorum, veluti veſtem Martini, quâ contexit pauperem; tunicas & veſtes, quas ſua manu confecit & pauperibus dedit Dorcas, *Act.* 9. calicem aureum S. Henrici Imp. Qui monetam habet peregrinæ nationis, longè audentiore animo ad eam proficiſcitur, quàm qui non habet. Monetæ regni cæleſtis, ſunt opera bona.

D. III. Cœlum ingrediuntur lætabũdi. Per TERTIAM Portam hilariter. Primò enim tranſeunt de auſtera hyeme ad optatiſſimum & amœniſſimum ver; Siquidem Dominus *Matth.* 24. tempus illud quo iuſti poſt huius ſæculi miſerias tranſibunt ad beatitudinem, comparauit veri, dicens: *Ab arbore fici diſcite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas, &c.*

1.

2. Secundò. Tranſeunt per Iordanem in Palæſtinam, id eſt, per fluuium iudicij ad terram viuentium. Vnde S. Bern. *c.* 15. *de nat. & dignit. diuini amoris*, iuſtorum mortem vocat Paſcha; *Hunc tranſitum*, inquit, *ad vitam miſeri infideles mortem appellant, fideles autem quid niſi paſcha? quia moritur mundo, vt perfectè viuat Deo.*

3. Tertiò. Quia tranſeunt à labore ad mercedem, à pugna ad victoriam & triumphum, à ſemente ad meſſem. Audi Iob *c.* 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram & ſicut Mercenarij dies eius. Sicut Seruus deſiderat vmbram, & ſicut Mercenarius præſtolatur finem operis ſui: Sic & ego habui menſes vacuos* (à labore ſcilicet) *& noctes laborioſas enumeraui mihi*: numerauit autem præ deſiderio mercedis, *Qualis erit illa dies*, ait S. Hieron. *Epiſt.* 18. *ad Euſtoch. Cùm tibi Mater Domini occurret choris comitata Virgineis; cùm poſt rubrum mare, ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet reſponſuris: Cantemus Domino glorioſè enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare? Tunc Thecla in tuas læta volabit amplexus. Tunc & ipſe ſponſus occurret, & dicet: Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea: quia ecce hyems tranſiuit, pluuia abijt ſibi. Tunc angeli mirabuntur & dicent: Quæ eſt iſta proſpiciens quaſi diluculum, ſpecioſa vt Luna, electa vt Sol? Videbunt te filiæ, & laudabunt Reginæ, & Concubinæ prædicabunt. Tunc paruuli de quibus in Iſaiâ Saluator effatur: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus; palmas Victoriæ ſubleuantes, conſono ore cantabunt: Oſanna in excelſis: Benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna in excelſis. Tunc centum quadraginta quatuor millia in cõſpectu throni & ſeniorum tenebunt cytharas, & cantabunt canticum nouum, &c. Quotieſcunque te vana ſæculi delectauerit ambitio, quoties in mundo videris aliquid glorioſum, ad paradiſum mente tranſgredere: eſſe incipe quod futura es, & audies à ſponſo tuo, Pone me ſicut vmbraculum in corde tuo, ſicut ſignaculum in brachio tuo.*

CONCIO III.

Extremi Iudicij ſententia.

Aſſignantur motiua & rationes ob quas ſententia illa erit formidanda:

1. *Ob integritatem Iudicis.*
2. *Ob magnitudinem rerum quæ obtinentur vel perduntur.*
3. *Ob immutabilitatem ſententiæ quæ nunquam retractabitur.*
4. *Ob efficaciam, quia id quod enunciat mox etiam efficiet.*

THEMA.

Vox clamantis in deſerto.
Luc. 3.

QVid ſibi vult, Auditores, quod Præcurſor Domini vocem ſe clamantis, non clamantem dicit? Quis eſt iſte clamans? S. Ambroſius *in c.* 3. *Lucæ* aſſerit eſſe ipſum Chriſtum, cuius prænuncius fuit Ioannes, ſicut vox præcedit verbum. Ita eſt, Auditores, ſæpe in hoc mundo clamauit Chriſtus Dominus ad reuocandos ad ſe peccatores, & quidem vſque ad vltimum ſpiritum, ſiquidem *clamans magnâ voce expirauit*. Verùm idem ipſe magis adhuc clamabit in iudicio extremo. Clamabit, inquam, quia loquetur ad omnes Gentes, quæ vnquam extiterunt. Clamabit in deſerto, quia in die illo totus mundus erit deſertum extra vallem Ioſaphat: nullam domum, nullam maceriam, nullum paſſerem, nullam muſcam vſpiam videre erit. Clamore deinde ſuo valles exaltabit, quando ad electos dicet: *Venite benedicti*; montes humiliabit, cùm ad improbos dicet: *diſcedite à me maledicti*. Denique in die illa *videbit omnis caro ſalutare Dei*, Chriſtũ ſcilicet in carne, mundi totius Iudicem. Quando ergo in proceſſu illius iudicij ad decretum Iudicis venimus, id nunc conſideremus.

A.

Formidabilis eſt hæc ſententia. Primò à cõſtantiâ & integritate Iudicis, qui in dictandâ & ferendâ illâ ſententiâ ad ſolam attendet iuſtitiam adeoque nullis precibus, nullis lachrymis, nullis promiſſis, nullo emendationis & pœnitentiæ propoſito, nullâ ſanctorum interceſſione, ab æquo dimouebitur; nullius terrebitur nobilitate, nullius eruditione, nullius authoritate, potentiâ, diuitijs; nullius admittet excuſationes. In humanis quidem iudicijs ſolent ſæpe iſta vim habere ad flectendos vel etiam peruertendos Iudices. Abſoluuntur & liberantur è vinculis aliqui ob eorum preces & lachrymas, alij ob ſponſiones ſerias emendationis vitæ, alij ob magnatum interceſſiones, alij propter generis ſplendorem, quia Reges, Principes, Nobiles: alij ob doctrinam & eruditionem, alij ob diuitias. Sed nihil horum proderit aut iuuabit quidquam coram illo Iudice. Sic enim eum peccatoribus iratum alloquitur

B. I. Formidanda ob integritatem Iudicis.

quitur in personâ eorum Ieremias *Thren.3.* *Nos iniquè egimus & ad iracundiam prouocauimus: idcircò tu inexorabilis es. Operuisti in furore,* (hoc est, operuisti irâ quasi velo faciem tuam, ne quemquam agnosceres, videres vel audires lachrymantem, obsecrantem, genua flectentem, sed vt sine respectu omnes reos cæderes) *& percussisti nos: occidisti nec pepercisti: opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Tunc ergò verificabitur id de Christo, quod dixit seruus piger Domino suo nobili, *Luc. 19.* *Timui te quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.* Cui respondit Dominus, non negando se austerum esse, id est, fore in iudicio & exigendis rationibus, sed inferendo: *Sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui & metens quod non seminaui, & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, &c.?* Vbi discimus nullam excusationem valituram in iudicio apud durum illum Iudicem; proinde nobis attendendum esse, nec spem in excusationibus ponendam. Apud homines solent interdum locum habere etiam friuolæ purgationes, veluti si dicamus, nos esse sæculares & in sæculo versari inter varia peccandi pericula & negotia externa, proinde non posse nos cauere ebrietatem, iuramenta, execrationes, detractiones, &c. Adhæc vitia nobis innata esse vel longâ assuetudine ita adhærere, vt exui non possint. Item plurimos esse qui hæc faciant, imò communem consuetudinem, respondere poculis, iurare, execrari, fallere, mentiri, &c. Rursum alios grauiùs delinquere, peierare, blasphemare, ebrios rixari, vomere, insanire, &c. nos verò nihil tale, etiam in ebrietate committere. Hæc, inquam, & similia nihil omninò flectent austerum illum Iudicem, quem proinde hîc summoperè timere & sedulâ negotiatione nobis conciliare debemus.

C. II. Ob magnitudinem rerum, quæ obtinentur, vel perduntur.

SECVNDÒ, A pondere & magnitudine rerum, quæ bonis & malis adiudicabuntur. Iudicia humana non possunt nisi de fortunis, famâ, corpore & vitâ decernere: at extrema illa sententia de summis & æternis bonis ac malis, corpus & animam concernentibus decernet. Non ibi agetur de limitibus, de stillicidijs, de restitutione pecuniarum? neque de existimatione, exilio, capite, &c. Sed de rebus tanti momenti, quas nulla hominis cogitatio potest comprehendere; siquidem prolatâ sententiâ, *ibunt* reprobi *in supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam*, vt ait Dominus *Matth. 25.* Primò ergò quod attinet ad sententiam electorum, exhibetur eis à Domino summus fauor, gratia & amicitia, cùm ad eum euocantur: *Venite.* Quantum est hoc bonum: vocari & recipi in amicitiam Dei? Exhibetur affluentia bonorum omnium, cùm vocantur *benedicti patris*; Benedictio enim Dei includit omne bonum. Exhibetur eis regnum cœlorum adeoque cœlum & omnia bona, quæ in cœlo sunt: visio & fruitio DEI, societas sanctorum, dotes corporum omnesque deliciæ. Exhibetur autem pleno iure possidendum; & quidem duplici titulo, hæreditatis, cùm audiunt: *possidete*; (Græcè κληρονομήσατε, tanquam hæreditatem possidete) & mercedis, cùm additur: *Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c.* Exhibetur firmiter & perpetuò possidendum, in verbo illo, possidendi. Quid maius alicui præstare Romanorum Imperator posset, quàm si eum in amicissimum & consortem imperij sui eligeret? Sed quantulum est hoc respectu illius, quod dat electis DEVS? Quid enim hominis amicitia cum amicitia DEI? Quid terrenum & fluxum regnum respectu illius cœlestis & æterni? Hoc igitur est dulce illud melos in auribus electorum, de quo *Isaiæ 30.* dicitur: *Canticum erit vobis, sicut nox sanctificatæ solemnitatis*, qualis erat nox, quâ Hebræi transierunt mare rubrum & submerso Pharaone cecinerunt: *Cantemus Domino*, &c. *& lætitia cordis sicut qui pergit cum tibiâ vt intret in montem Domini ad fortem Israel.* Hoc est illud manna absconditum & calculus ille candidus quem vincentibus promisit Christus *Apoc. 2.* dicens: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum.* *Manna*, quia inenarrabilem felicitatis dulcedinem continet; *absconditum*, quia latet nos in hoc sæculo, nec quisquam id sufficienter æstimare potest, nisi qui accipit. *Calculus candidus*, quia felicissimo suffragio (suffragia enim calculis seu lapillis ferebantur, absoluentia candidis, condemnantia nigris, iuxta id Ouidij *l. 15. Metam.*

Mos erat antiquis niueis atrisque lapillis
His damnare reos, illis absoluere culpâ.)

Non solùm absoluet eos ab omni pœna, & timore; verùm etiam transcribet summæ felicitati. Cogitate hîc, Auditores, quanta sit electorum lætitia futura, cùm vocem istam audient! Omnes procul dubio præ gaudio primò exsilient, deinde in genua vel etiam in faciem procumbent, vt Iudicem adorent eique gratias agant, quòd tantùm bonum ipsius potissimùm meritis & sanguine eis obuenerit. Sanè cùm hunc calculum adhuc viuens accepisset S. Franciscus, reuelationem videlicet suæ prædestinationis, totis octo diebus nihil aliud egit, quàm perpetuò exclamare: *Laudetur Dominus Deus meus, ipsi gloria & honor sine fine:* ita vt horas etiam Canonicas dicere obliuisceretur.

Quantum porrò mellis sententia electorum continet, tantùm è contrà fellis habet sententia reproborum: ad quos conuersus Iudex vultu terrifico dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius.* Vbi audis primò pœnam damni, seu eiectionis à conspectu Dei, cùm ait: *Discedite à me.* Et quid est amore Dei discedere vel eijci à Deo? Quis hoc nobis explicare queat? Dicat nobis Absalom, qui à facie patris optimi, Dauidis, exclusus optauit potiùs interfici à Patre, quàm eo irato exclusus viuere. *2. Reg. 14.* Dicat nobis Syllanus filius Manlij Torquati, qui cùm Macedoniæ infeliciter administratæ conuictus esset & sententiam patris in se latam hanc audisset: *Filium meum & Rep. & domo meâ indignum iudico protinusque è conspectu meo abire* iubeo;

iubet; tam tristi Patris sententiâ perculsus lucem vlteriùs intueri non sustinuit, suspendioque se proximâ nocte consumpsit. Val. Max. *l. 5. c. 8.* Dicant milites Alexandri Mammæi tumultuantes, qui cùm à Duce suo audirent hoc tonitruum: *Abite hinc ex Alexandri conspectu Quirites armaque è vestigio proijcite*; adeò sunt perterriti, vt positis armis ac sagis non ausi sint in castra redire, sed huc illuc in alienas domos territi confugerint. Maiol. *tom. 3. Canic. coll. 2.* Dicat Turannius exactæ diligentiæ senex, vt scribit Seneca *de breuitate vitæ c. vlt.* qui post annum nonagesimum cùm vacationem procurationis à C. Cæsare vltrò accepisset, componi se in lecto & velut exanimem à circumstante familiâ plangi iussit. Ita nimirum à mœstitiâ occupatus fuit, vt viuere non vellet, depositus ab officio. Quid erit igitur excludi à conspectu, amicitiâ & domo Dei? Quid deijci de gradu filiorum Dei & cælestis hæreditatis? Sed pergamus. Audis secundò malorum omnium sentinam in reprobos congestam, cùm dicitur: *maledicti*. Quidquid calamitosum excogitare potes, hâc voce comprehenditur & congeritur in damnatos. Quamquam id non Deo, sed sibi adscribere debent. A peccatis enim originem trahit maledictio; non à Deo, sicut benedictio. Vnde præcisè vocantur maledicti, non maledicti Patris. Audis tertiò, pœnam sensûs eamque inter omnes acerbissimam, ignis videlicet & quidem æterni. Non mittuntur ad sæculi præteriti miserias & calamitates, non in carcerem vulgarem aut exilium, sed ad supplicium omnium acerbissimum, in carcerem inferni omnium teterrimum & obscurissimum, nec ad decem, centum aut mille annos, sed quamdiu Deus erit Deus. Audis quartò, ignem illum non homini paratum, sed Diabolo, (sicut fouea lupis, non hominibus capiendis paratur.) neque ad deuorandos homines, sed ad absterrendos potiùs accensum fuisse; Siquidem ab eo fugere potuerunt etiam cùm peccârunt, quod non potuerunt Dæmones. Hoc est illud verbum asperum prædictum *Ps. 90.* Et de quo Isaias *c. 30.* dixit: *Labia eius repleta sunt indignatione & lingua eius quasi ignis deuorans; Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum.* Ad medium colli pertinget hic torrens, quia vitam impijs non eripiet, sed in pœnis conseruabit: perdet eos in nihilum, quia in inferno clausi, nullibi inuenientur. Hic est ille lapis, de quo Christus *Matth. 25.* dixit: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum.* Cecidêre improbi dum viuerent super lapidem istum, & in animâ confracti fuerunt, quamuis non contriti, quia per pœnitentiam reparari poterant. Cadet ibi lapis super illos & conteret eos, quia tunc nulla spes redintegrationis supererit & quia omnibus omninò bonis, honore, famâ, delicijs, opibus, vitâ, salute exuentur, quod planè est conterere. Quæ hic mens damnatis erit? quæ lachrymæ? qui singultus? quæ execrationes & blasphemiæ: ibi locum habebunt, & audientur verba illa nefanda Iob 3. *Pereat dies in quâ dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, &c.* Maledicent Deo, angelis, parentibus, dæmonibus, seductoribus suis, creaturis denique omnibus. Hæc erit musica, hæ cantilenæ, hæ matutinæ, hæ laudes, hæ vesperæ, quas infelices illi canent sine fine.

D. III. Ob immutabilitatem.

TERTIÒ, Ab immutabilitate suâ; siquidem hæc sententia nunquam retractabitur nullâque de causâ relaxabitur. Conceduntur in iudicijs humanis appellationes ad superiores Iudices, & causarum reuisiones; quia fortassis iudex ignorantiâ laborauit vel affectu. Sed nihil tale sperandum in vltimo illo iudicio, quia Iudex est omnium supremus, quique præterea nec ignorantiâ vlla decipi, nec affectu vinci potest. Immutabilis huius sententiæ typum habemus *Gen. 27.* in benedictione Isaac, quam præripuit Iacob fratri suo. Multis enim precibus & lachrymis conatus est & Esau posteà impetrare benedictionem. Irrugijt clamore magno, & consternatus ait: *Benedic etiam & mihi pater mi.* Et rursum: *Nunquid non reseruasti & mihi benedictionem?* Denique: *num vnam tantùm bened. ctionem habes Pater? Mihi quoque obsecro vt benedicas.* Sed frustrà: *Viues in gladio*, inquit pater, *& fratri tuo seruies.* Ita reprobatos non audiet Christus ampliùs, nec mutabit decretum suum. *Irregressibilis est illa sententia*, inquit S. Cyprianus *serm. de ascens. Christi, & immutabile iudicium stabit damnationis huius immobile constitutum.* Nullæ sufficient lachrymæ ad decretum hoc eluendum vel ignem illum extinguendum. Si DEVS diceret Iudæ vel cuilibet damnato: singulis millenis annis pro tuis peccatis emittes vnam tantùm lachrymam: & quando hoc modo per tanta annorum interualla tot lachrymas emiseris vt ijs totam mundi capacitatem impleas, miserebor tui teque ex inferni ignibus eripiam. Gauderet sanè Iudas gaudio ineffabili, eò quòd haberet salutis quandam spem. Sed quàm longa hæc spes foret? quàm vasta annorum spatia in pœnis emetienda forent? Quot millena annorum millia ei expectanda, antequam lachrymis suis vel scyphum vnum impleret? Quot milliones annorum vt amphoram? quot cubi millionum vt dolium? Quando ergò cubiculum? quando domum? quando vrbem? quando vnam Prouinciam? quando terram? quando aërem? quando cœlum lachrymis suis compleret? At iam infelix Iudas nequidem hanc spem habet, sed etiamsi hac ratione totum mundum lachrymis impleuisset, necdum finis, necdum medium, necdum principium esset eius miseræ æternitatis, quia nouus ei mundus lachrymis implendus pararetur à DEO & post hunc tertius, quartus, quintus & deinceps sine numero. Idem dicendum ex aduerso de gloriâ electorum.

E. IV. Ob efficaciam.

QVARTÒ, Ab efficaciâ, siquidem id, quod enunciat, mox etiam efficiet, nec indigebit alijs iustitiæ administris. Hominum decreta non efficiunt per se, quod decernunt: per alios

alios executioni mandari debent, quæ ſæpè impeditur, vt cùm reus vi eripitur, vel nemo executor eſſe vult aut poteſt. Sententia Chriſti, quo decrernit ſimul etiam faciet. Vnde *Iſai.* 30. dicitur: *lingua eius quaſi ignis deuorans*; quia ſcilicet ſummâ vi immittet ignem in dãnatos eoſque inuoluet vndique. Eadem ratione dicitur gladius vtrâque parte acutus, egrediens ex ore DEI *Apoc.* 1. & penetrans inſtar fulguris *Deut.* 23. *Si acuero vt fulgur gladium meũ.*
1. Primò enim gladius iſte bis acutus diuidet cœlum & terram; cœlum enim electis reſerabit, terram verò damnatis immenſo hiatu aperiet mox deglutiendis.

2. Deinde diuidet electos à reprobatis, illos euehendo ad cœlum, hos ad inferos detrudendo. Vt enim arca fœderis tempore meſſis tranſiens Iordanem, eum diuiſit, vt partes inferiores decurrerent in mare mortuum, ſuperiores verò intumeſcerent in præaltum montem *Ioſ.* 3. Sic in meſſe vniuerſalis iudicij Chriſtus ita diuidet reprobos ab electis, vt illi quidem repentè deſcendant in infernum, fœtidiſſimum mortis mare: hi verò ad cœlos euehantur.

3. Tertiò, Diuidet damnatos à damnatis, ita vt ſinguli ſingulas ſedes & pœnas habeant pro ratione meritorum ſuorum diuerſas. Erit ergò ſententia illa, *vox Domini intercidentis flammam ignis Pſal.* 28. quia ignem gehennæ ita ſingulis accendet & applicabit, vt neminem plùs vel minùs cruciet, quàm meruerit vnuſquiſque; quod S. Greg. *l.* 4. *dial.* exemplo ſolis pulchrè oſtendit: *Sicut in hoc mundo*, inquit, *ſub vno ſole multi conſiſtunt, nec tamen eiuſdem ſolis ardorem æqualiter ſentiunt, quia alius plùs æſtuat, alius minus: ita illic in vno igne non vnus modus eſt incendij, quia quod hic diuerſitas corporum, hoc illic agit diuerſitas peccatorum vt ignem non diſsimilem habeant & tamen eoſdem diſsimiliter exurat.* Ab eodem ſole magis torrentur & æſtuant homines ſub vno quàm ſub altero climate, v. g. qui ſub Zonâ torridâ, quàm qui extrà, in Germaniâ, Italiâ, Galliâ, &c. ita inferorum ſedes aliæ alijs inflammatiores ſunt.

4. Quartò. Diuidet mortem à vitâ. Quâ ratione, inquis? Quamdiu hîc viuimus, mors & vita in nobis ſimul morantur, vt docet S. Auguſt. *l.* 13. *de Ciu. c.* 9. 10. 11. quia mors de vitâ noſtrâ quotidie aliquid abrodit, ſicut ignis de candela, vnde morientes dicuntur, quos iam incipit mors auidiſſimè depaſcere & prorſus deuorare. Habent ergò miſeri ſolatium in hac vita, quia domi ſuæ mortem alunt, quæ finem tandem imponet miſerijs eorum, cùm eos iugulabit. Sed non habebunt tunc ſolatium hoc damnati, quia mortem, quæ vnicum eis ſolatium eſſe poſſet auferet ab eis ſententia damnationis. Adriano Imperatori quidam ab eo iniquè iugulatus, Seuerianus nomine, moriens imprecatus eſt, *vt cùm mori cupiet, non poſsit.* Dictum, factum; Adrianus poſt morbum, ſæpiùs fruſtrà inuocata morte, ſæpe ſeipſum occidere voluit. Extat eius epiſtola, in qua ait: *Quàm miſerum eſt mortem optare & mori non poſſe!* Idem hoc tormentum, non imprecabitur, ſed potenti virtute infliget Chriſtus reprobis, vt cùm mori cupient, non poſſint. Quod nunc vt maximum malum equis veliſque fugiunt, id tunc auidiſſimè quærent, vt viuere in igne deſinant. Sed irrita erunt vota, fugiet ab illis deſiderata mors. Vnde Innocentius PP. *lib. de contemptu mundi c.* 9. ait: *Quærent mortem & non inuenient. Apoc.* 9. *O mors quàm dulcis eſſes, quibus tam amara fuiſti! te ſolam deſideranter optabunt, qui te ſolam vehementer abhorruerunt.* Verùm non inuenient. *Fit miſeris mors ſine morte*, inquit, S. Gregorius *l.* 9. *moral. c.* 48. *finis ſine fine: quia & mors viuit: & finis ſemper incipit.* Ergò, Auditores, ne cõtingat nobis quærere aliquando ſeu optare mortem nullibi inueniendam, quæramus nunc, dum viuimus, vitam omnibus proſtantem, &c.

CONCIO IV.

Quæ vitia maximè deponenda, vt viam Domino præparemus.

Via Domino præparatur:	3. *Dirigendo praua, vti iniuſtitiam, vitia carnis, gulam &c.*
1. *Implendo valles, quales ſunt puſillanimitas, pigritia &c.*	4. *Complanando aſpera, qualia ſunt iracundia & vermis conſcientiæ.*
2. *Humiliando montes, quales ſunt auaritia & ſuperbia.*	

THEMA.

Parate viam Domini, Luc. 3.

DVo ſunt officia concionatoris, docere & mouere. Vtrumque præſtitit Ioannes, vt apparet in hod. Euang. Mouentis verba ſunt illa: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Docentis verò illa: *Omnis vallis implebitur*, &c. Vult igitur & præcipit Ioannes vt paretur via Domino, & prætereà docet quomodo parãda ſit. Quatuor autem faciunt, qui viam Regi parãnt: foueas implent, tumores terræ complanant, ſaxa remouent, & quantum fieri poteſt, rectam ac compendioſam aperiunt viam per agros & campos. Quatuor ergò hi viarum defectus ſeu incõmoditates ſunt, vallium humilitas, collium tumor, ſemitarum ambages, ſaxorum aſperitas. Omnes hos defectus remouet Ioannes cùm ait: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa & aſpera in vias planas.* Quòd ſi igitur in cordibus noſtris emendemus hos errores, vtique cenſebimur viam Domino præparaſſe. Id verò qua ratione faciendum ſit, videbimus. A

PRIMÒ. Valles implendæ ſunt. Vallis vna eſt puſillanimitas, deſperatio, timor, &c. Multorum in cordibus eiuſmodi ſunt valles. Via cæli nimis difficilis, & vita Chriſtiana nimis rigida illis videtur; Quis enim, inquiunt, ſaluus fiet, cùm tam multæ ſint peccandi occaſiones & pericula? tam multa præcepta? tot requiſita ad agendum pœnitentiam? tantæ difficultates in perſeuerando? &c. Ecce valles in quibus cõ- B. I. Valles implendæ. I. Puſillanimitas.

stituti putant montes præceptorum, consiliorum, pœnitentiæ esse inseparabiles; sed si propiùs accederent & inciperent ingredi viam montium, viderent eam non difficilè superari, paulatim progrediendo. Sic filij Israel cùm audissent ab exploratoribus terræ promissæ, vrbes grandes in ea esse atque muratas *Nu.* 13. statim desponderunt animum & auxêre difficultatem, dicebantque vrbes magnas ibi esse, ad cœlum vsque munitas, vt exprobrat eis Moyses *Deut.* 1. & idcircò nolebant progredi. Hac technâ retinet dæmon plurimos ab incepto virtutis itinere, dum longè difficilius id eis repræsentat, quàm reuera sit. Similes hi sunt dæmoniaco illi qui habitabat in monumentis & sepulchris *Marci* 5. Includuntur & obsidentur à dæmone in foueâ desperationis, quasi iam actum sit de salute eorum, & ipsi iam in sepulchro æternæ mortis habitent. At verò isti Deum exasperant, vt habemus *Psal.* 67. *qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos qui exasperant*; Deum videlicet per suam impœnitentiam & desperationem, *qui habitant in sepulchris*. Ergò Christus non solùm ligatos vinculis peccatorum, qui cupiunt liberari: sed etiam desperatos, qui contemnunt salutem & sunt quasi mortui, educere potest è vinculis & sepulchris; vt ibi notat S. Augustinus. Implenda est hæc vallis: abijciendus timor: quis enim non videt quàm trita sit facta cœli via? Eam strenuè & cum laude confecêre publicani & meretrices, fures & latrones, pueri & puellæ, decrepiti & anus. *Tu non poteris, quod isti & istæ?* ait sibi Augustinus *l.* 8. *Confess. c.* 21. *An verò isti & istæ hoc in semetipsis possunt, & non potiùs in Domino Deo suo? proijce te in eum, noli metuere, non se subtrahet vt cadas, &c.* Salomonis thronum circumstabant multi Leones: at thronum Christi circumstant Bos & Asinus mitissima animalia, & pijssima Mater. *Accedamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ eius vt gratiam consequamur*, ait Apostolus *ad Hebr.* 4.

2. *Pigritia.* Secundò, Vallis alia est pigritia, quæ assueta otio & inertiæ descensum tantum amat & quietem, ascensum verò & laborem fugit. In hac valle sunt, qui laborem pœnitentiæ fugiunt, molestiam collectionis, examinis, confessionis, negotiorum suorum interruptiones, &c. Similes nautæ illi Acesco, qui omnes Lunas causabatur infaustas & aduersas nauigantibus, ideoque cum suâ naue semper in statione erat. Sic pigri Christiani numquam ferè commodum tempus reperiunt, quo se ad pœnitentiam disponant: semper impediti sunt: modò ob æstum: modò ob inimicitias, modò ob lites: modò ob itinera, modò ob valetudinem.

C. II. Montes humiliandi. 1. *Auaritia.* SECVNDÒ, Montes & colles humiliandi sunt. Mons autem primò est auaritia, & opum accumulatio. Aurum in montibus foditur, & rursum fit mons in corde auari. Vallis est paupertas, vtpote depressa, quæ idcircò à diuitibus implenda est. Vt enim è montibus defluit imber & cum eo terræ pinguedo in valles: Sic à ditioribus, quod superest illis, defluere debet in pauperes, & ita impletis vallibus fiet æqualitas vt nullus egeat, quod testatur & præcipit Apostol. 2. *Cor.* 8. *Vestra* (ò diuites) *abundantia illorum* (pauperum) *inopiam suppleat, vt & illorum abundantia* (in bonis operibus) *vestræ inopiæ* (spiritualis) *sit supplementum; vt fiat æqualitas.* Sic Apost. Humiliandus ergò hic mons; quia ad pauperem imus & paupertatis Doctorem Christum, qui ait: *Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute meâ.*

Secundò, Mons quoque est superbia vtpote inflata & super alios intumescens. Quæ sanè Christo non potest non displicere, cùm per omnia ei dissimilis sit. Christus in humili præsepio, superbus in palatio. Christus in vilibus pannis, superbus in pretiosis vestibus variarum nouitatum & vanitatum. Christus inter bouem & asinum, superbus inter splendidum comitatum; Christus in fœtore stabuli, superbus in delicatis odoribus, &c. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum:* dicebat Angelus *Zach.* 4. Magni quidem apparent montes, si cum humilibus conferantur collibus, sed si cum cœlo conferantur, nihil sunt, nec altiores deprehenduntur quàm ipsæ valles, vt ostendût Astronomi. Siue enim in vallibus, siue in altissimis montibus aspiciant sidera, eandem inueniunt cœli altitudinem, quia nimirum tota terra respectu cœli est instar puncti tantum. Similiter ergò coram DEO omnes æquales sumus & proinde coram eo pariter humiliari debemus. Ita *Apoc. c.* 4. viginti quatuor Seniores, id est, præstantissimi quique sancti vtriusque testamenti, licet meritis & gloriâ alter altero maior esset, omnes pariter procidebant ante sedentem in throno, & mittebant coronas suas ante thronum. Humiliandus est igitur hic mons; Imus enim nunc ad communem mensam, vbi omnes æqualiter pascimur & accumbimus; adeoque conueniunt in vnum diues & pauper. Et sicut CHRISTVS non in montem descendit, sed in stabulum & humillimum præsepe; sic neque ad nos veniet, nisi humiliatos. 2. *Superbia.*

D. III. Praua dirigenda. 1. *Iniustitia.* TERTIÒ, Praua dirigenda sunt. Praua est iniustitia; quæ per anfractus vsurarum, fraudum, mendaciorum eripit alijs bona adeoque magnam inæqualitatem facit, auferendo alicui id quod ei debetur, & tribuendo sibi vel alij cui non debetur. Plurimæ reperiuntur huiusmodi prauitates. Aliqui pecunias mutuò dant vt cum censu annua etiam emolumenta accipiant, aut seruitia & obsequia pro ijs postulant. Alij ob solutionem dilatam pretium augent; alij ob paratas pecunias & anticipatas solutiones iusta vendentibus pretia minuunt: alij adulteratis mercibus, pecunijs, mensuris, ponderibus decipiunt. Quæ omnia praua sunt & necessariò dirigenda atque ad iustam æqualitatem redigenda, si Christum accipere velimus. Etenim sicut S. Benedictus spatharium Totilæ, Domini vestibus indutum statim agnouit & dixit: *depone fili quod geris, nam tuum non est*: Sic etiam DEVS non recipiet eum qui alienis gaudet bonis. *Deut.* 25. dicitur: *pondus habebis iustum & verum & modius æqualis & verus erit*

erit tibi : abominatur enim Dominus Deus tuus qui facit hæc & auersatur omnem iniustitiam.

2. *Vitia carnis.* 1. *Gula.* Praua etiam sunt vitia carnis : & primò gula & ebrietas ; quia hominem capite erecto formatum, incuruant ad terram & mutant in bestiam vtpote terrenis tantùm pabulis inhiantem, iuxta id *Psal.*105. *mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Vnde qui ebriosos ambulantes videt, dicere cum cæco Euangelico potest : *Video homines ambulantes sicut arbores* ; tum quia vt arbores vento, sic illi vertigine agitantur & vacillant, tum quia versus terram os inclinatum gerunt, vti arbores quæ radicem, ex quâ viuunt, in terra defixam habent.

Viget hoc vitium inter Christianos his maximè diebus tam sanctis licet, & ipsâ Natiuitatis DOMINI nocte maximâ cum iniuriâ CHRISTI nati, & ignominiâ nominis Christiani. Quid enim aliud hoc est, quàm viam deprauare & DOMINO occludere ?

Corrigenda ergò hæc prauitas, tum quia *non est iustum*, ait S. Augustinus *serm. in Dom. 2. Aduent. vt in sanctâ solemnitate in populo Christiano ad vnum Dominum pertinente alij inebrientur, alij famis periculo crucientur* : tum quia per se res est indignissima & pecuina.

2. *Libido.* Secundò, Luxuria, quæ deprauat cor hominis & inflectit ad turpitudinem. Ita de Salomone dicitur 3. *Reg.* 11. *Cùm iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres.* Ita de impudicis illis senibus Susannæ insidiantibus ait Dan. c. 13. *Euerterunt sensum suum & declinauerunt oculos, vt non viderent cælum.* nullum enim peccatum est, quod sensus & cogitationes hominis adeò euertit & à DEO ac rebus diuinis auertit, atque istud.

Corrigenda est hæc prauitas, quia pergimus ad filium Virginis castissimum, hostem iuratissimum omnis impudicitiæ.

E. IV. *Aspera complananda.* 1. *Iracundia.* QVARTÒ, Aspera complananda sunt. Asperum autem est cor iracundi & passionati hominis, in quo quidquid dixeris, statim impingit, & iracundiam eius prouocat. Hinc tumultus, clamor, rixæ, vituperia, blasphemiæ, &c. quanti lapides in via ? graue est tali viâ ambulare, & cum talibus conuersari. Audi Sapientem *Prou.* 27. *graue est saxum*, ait, *& onerosa arena : sed ira stulti vtroque grauior.* Grauius adhuc & asperius saxum est odium, quod non sine difficultate de corde amouetur. Frustrà autem expectant CHRISTVM, qui hæc saxa non amoliuntur; quia ipse mitis est & humilis corde.

Læuiganda igitur hæc asperitas, si ad Christum venire velimus. Sic enim serpens ad fontem iturus deponit venenum, teste Augustino *ad Iulian. Comitem de perfectâ iustitiâ.* Idem Sanctus Augustinus *Serm. in Domin. 1. Aduent.* ait: *quotiescumque, Natalem Domini aut reliquas solemnitates celebrare disponitis : ebrietatem ante omnia fugite, iracundia quasi bestia crudelissima repugnate, odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite.* Hinc Christiani ante communionem sibi mutuò olim pacis osculum dabant teste Chrysostomo in *epist. 1. ad Cor. c.* 13. Damascenus *l. 1. parall. c.* 11. ait: *Cùm tu infestum in conseruum odium retineas, quonam tandem pacto ad pacis mensam accedere audes ?* Hæc enim mensa nobis parata est, vt sit communio & vnio Christianorum inter se & cum Christo. Ergò animo diuiso accedere ad Sacramentum vnionis, est vnâ ex parte vulnus curare, ex alterâ refricare.

Quidquid denique pungit & exasperat conscientiam, amouendum est. Sic enim decet vt Christo præparemus lectum blandum & delicatum. Satis ei sit, in fœno semel iacuisse & præsepio, quare non tantùm non super scopulos & saxa, id est, mortalia peccata, sed nec super stipulas & fœnum, id est, venialia reclinandus est Christus in præsepio cordis nostri ; vt ita demum cùm intraturus est Rex cæli in mundum, viam habeat planam & rectam. 2. *Vermis conscientiæ.*

CONCIO V.

Qualis debeat esse contritio.

Contritionis duo sunt munia: 1. *Dolor, qui debet esse serius, supernaturalis, vniuersalis, &*	*prior confessione.* 2. *Propositum emendationis, quod debet esse firmum, perpetuum, vniuersale & efficax.*

THEMA.

Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Luc. 3.

VT via bene præparetur, duo videntur esse necessaria : Primum, vt lutum & sordes ac cætera impedimenta remoueantur. Alterum, vt ipsa via lapidibus sternatur. Nam via debet esse munda, & durabilis. Primum si desit, non erit munda. Si secundum, non durabit. Atque hæc eadem necessaria sunt ad parandam viam Domino venturo ad nos per gratiam. Remouendæ enim sordes & impedimenta sunt, dein sternenda via. Totum fit per contritionem, cuius duo sunt munia ; primum, dolor seu detestatio peccati ; secundum, propositum emendationis. Per primum via mundatur, per secundum sternitur veluti quadris lapidibus, vt durare & ferre possit currus & onera. Ita paratur via, ita rectificatur. Eâ sic paratâ venit ad nos Dominus, quoniam contritio est vltima ad gratiam dispositio. A

Iam verò si Imperatore iter faciente mandatur vndique vt parentur illi viæ : cur non potiùs nos paremus viam Christo Domino breuî ad nos venturo ? Sed quia hoc etiam artis est, videamus modum & rationem.

Dolor seu detestatio PRIMÒ, debet esse supernaturalis, & dolor de peccato, quatenus est offensa DEI. Nam si tantùm dolor sit de peccato, quatenus priuat hominem beatitudine, vel addicit gehennæ, tunc est attritio tantùm, quæ extra confessionem non sufficit ad remissionem peccatorum. Lacrymarum aliæ sunt calidæ, vt quando ploramus : aliæ B. I. Dolor sit. 1. *Supernaturalis.*

frigidæ

frigidæ, vt cùm dolent oculi; quia illæ decoctæ, hæ non, vt ait Aristoteles *in probl. 23.* Priores sunt typus lachrymarum, quæ ex contritione procedunt, quia hæ ab igne charitatis decoctæ sunt: posteriores verò lachrymarum attritionis, quæ ex frigore timoris profluunt, pœnarum scilicet inferni aut purgatorij, & potiùs amorem sui quàm DEI inuoluunt. Prioris generis dolor erat in Dauide cùm dixit 2. *Reg. 12. Peccaui Domino*, q. d. non mihi vel in me, sed in DEVM. Item *Psalmo 50. Tibi soli peccaui.* Porrò attritio etiam, quæ cum confessione sufficit, esse debet supernaturalis seu ex motiuo supernaturali, V. G. ob amissam beatitudinem, vel ob gehennæ vel purgatorij metum. Quia cùm remissio peccati sit donum supernaturale, non potest viribus naturæ obtineri. Qualis non fuit dolor Saülis & Iudæ; cùm dixere: *Peccaui.* Vnde nec profuit illis. *Quæ enim secundum Deum tristitia est*, ait Apost. 2. *Cor. 6. pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.* quia scilicet sæpe facit bona sæculi perdita, V. G. opes aut gratiam, honorem aut famam, cum peccato recuperare: vel desperare, vti Iudam.

2. *Serius.* Secundò debet esse dolor serius; hoc est talis per quem appretiatiuè detestamur peccatum supra omne malum, tanquam repugnans summo bono dilecto. Sicut enim obligamur diligere Deum super omne bonum appretiatiuè: ita & dolere de eo offenso supra omne malum. Similiter attritio maximus dolor esse debet, quia per peccatum summam felicitatem perdidimus summæque miseriæ reatum incurrimus. Quod verò ad intensionem attinet non requiritur quidem summus dolor, expedit tamen vt sit vehemens, & tantò quidem vehementior quantò peccata sunt grauiora, vt sic copiosior gratia infundatur & pro pœna peccati pleniùs satisfiat, iuxta id S. Cypriani de lapsis: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus.* Ita docet nos Isaias cùm ait *cap. 59. Impegimus meridie* (id ist, in luce Euangelij, vel in publico, vel ex certa scientia) *quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui; rugiemus quasi vrsi omnes.* Vrsi summè amant catulos suos, quia bis quodammodo eos pariunt, primò edendo, deinde lambendo: ideò ob eos perditos summè etiam dolent: Ita Deo velut summo nostro bono per peccatum perdito summè dolere debemus. Sed quàm rarus est nunc in pœnitentibus eiusmodi dolor? si enim seriò dolerent, non tam diu confessionis remedium differrent: quod tamen plerique faciunt. Quis enim ex graui vulnere aut morbo vehementer dolens, differt adhibere Medicum vel Chirurgum?

3. *Vniuersalis.* Tertiò, Sit vniuersalis, ita saltem vt de nullo prorsus peccato remaneat in nobis complacentia: iuxta præceptum Dei 1. *Reg 15.* datum Saüli: *Vade & percute Amalec & demolire vniuersa eius: non parcas ei & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid.* Nam si vel vnius concupiscentia remanserit, veniet super nos maledictio Saülis, qui contra Domini præceptum pepercit pinguioribus. Et quamquam non est necesse de singulis peccatis mortalibus sigillatim dolere, vtilissimum tamen id est: primò ad maiorem contritionis certitudinem. Secundò ad pleniorem satisfactionem & punitionem vniuscuiusque peccati. Tertiò ad solidius emendationis propositum.

4. *Prior confessione.* Quartò, Sit prior aliquo modo ipsa confessione, quia confessio, cùm non sit simplex peccatorum explicatio, sed explicatio dolorosa seu accusatio sui ipsius tendens ad absolutionem, debet procedere ab internâ pœnitentiâ eamque significare: sicut in explosione sclopeti globus expellitur, ab igne priùs adhibito. Vnde immediatè ante confessionem particularem, dum præmittitur generalis, vel saltem dum quis se accusat & reum fatetur, elicere quisque actum contritionis deberet. Iuuabit ad hoc, ante confessionem, quoties recordamur peccatorum nostrorum, ea detestari, nec quiescere velle, donec factâ confessione audias confessarium te absoluere. Narrat Palladius *in histor. Lausiacâ cap. 46.* de quodam Monacho lapso, qui in se reuersus speluncæ se inclusit, sibique saccum & cinerem substrauit, nec priùs è terrâ surrexit, nec cessauit flere, quàm Angelum audiuit dicentem: *accepit Deus pœnitentiam tuam & tui misertus est: vide ne deinceps decipiaris.* Angelus tuus, fili, confessarius tuus est.

C. II. *Propositum emendationis.* 1. *Sit firmum.* Propositum emendationis Primò, Sit firmum, quo firmiter & seriò statuas non peccare impostrerum, ita vt nullis suasionibus, promissis, terroribus, vel minis ad peccandum adigi velis. nam nisi hoc habeas propositum, nondum videris peccata seriò detestari, quia nondum agnoscis eorum grauitatem & turpitudinem. Si enim hanc agnosceres, cane peius & angue peccata tua odisses, & nunquam in æternum cum ijs quidquam commercij habere velles. S. Thomas *in quodlib.* ait: quòd contritus teneatur in generali magis velle pati quamcunque pœnam, quàm peccare; siquidem tenetur magis amare Deum quàm seipsum. Hoc propositum est instar mœnium quæ circùm animam nostram extruere debemus, vt eam saluam conseruemus. Sic enim Richardus Victorinus *in Cant. pag. 2. c. 38* ait: *Castri animæ hac est firma munitio, vt intentionem semper habeat homo mortale non committendi: & si commiserit, statim pœnitendi.* In lib. Amos *cap. 7.* iuxta versionem 70. visus est Prophetæ DOMINVS stans *super murum adamantinum, & in manu eius adamas*; quod significat, nos, si velimus DEVM ad nos venire, debere circum animæ nostræ ciuitatem extruere murum adamantinum, id est, fortissimum animi propositum, nullum peccati hostem intromittendi: & in huiusmodi muro consistere DOMINVM, qui etiam adamante gratiæ suæ murum propositi nostri firmare soleat. Talem murum extruxerat sibi Dauid cùm dixit *Psal. 118. Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Talem mulier illa Christiana, de qua Apollo sciscitanti

ſciſcitanti Marito, quomodo à fide eam auerteret, Reſpondit: *Citius euolaueris per aërem aut in aquam ſcripſeris, quàm vt illam inde reuellas*, apud Maiol. *to.* 3. *coll.* 1. ſolent aliqui iuramento ſe adſtringere de certo vitio cauendo, quo ſibi vel alijs nocumentum aliquod attulêre, vti de aleâ, ebrietate, choreâ, &c. & tunc ſi non omninò, ſaltem vt plurimùm abſtinent. Et cur non eodem modo abiuramus vitia alia? an non & ipſa nobis & quidem æternæ damnationis perniciem afferunt? Vnde non video, quid excuſationis aliquando coram DEO afferamus; qui tam facilè relabimur. Si enim cùm iuramento nos adſtringimus, abſtinemus: cur non æquè firmiter proponimus fugere peccata, ac ſi illa abiuraſſemus?

Sed euentus rei demonſtrat, quàm plurimos non adamantina, ſed lutea & humilia extruere mœnia: ſiquidem tam citò corruit eorum murus & tam facilè tranſilitur, cùm mox poſt Confeſſionem proximâ quaque occaſione peccata admittant. Quos certè irridet Dæmon, ſicuti gentilis ille Tobias Ammanites irriſit Iudæos ædificantes mœnia Ieroſolymæ, dicens: *ſi aſcenderit vulpes, tranſiliet murum eorum lapideum* 2. *Eſdr.* 4. ſiquidem vna ſepè vulpecula & proxima quæque Dæmonis tentatio murum illorum tranſilit. Huiuſmodi murum æquo humiliorem cùm vrbi ſuæ Romæ circumdediſſet Romulus, illuſit ei frater Remus, tranſiliendo murum. Sic illuſit cuidam Canonico Pariſienſi Dæmon, apud Cæſar. *l.* 2. *c.* 11. cui confitenti in articulo mortis perſuaſerat, quòd ſi conualeſceret in propoſito ſuo perſeuerare non poſſet; aut vellet; & proptereà ſe damnatum dicebat alicui, cui poſt mortem apparuit.

2. *Perpetuũ.* Secundò, Sit perpetuum, ita vt ſtatuas toto vitæ tempore peccata vitare totis viribus. Peccatum enim perpetuus DEI hoſtis eſt ad inſtar vrbis illius Iericho maledictæ, cui imprecatus eſt Ioſue, poſtquam eam vt rebellem & hoſtilem deſtruxit funditùs: *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit & ædificauerit ciuitatem Iericho. Ioſ. cap.* 6. Dic tibi & tu pœnitens: maledictus, qui ſuſcitauerit peccatum iam deſtructum per pœnitentiam. *Legimus in ſcripturis*, ait S. Hieronym. *l.* 1. *comment. in Matth. vrbes quaſdam irâ victorum ſale ſeminatas, vt nullum in ipſis germen oriretur.* Idem pœnitens faciat peccatis ſuis deſtructis, inſpergat eis ſalem firmiſſimi propoſiti, nunquam in æternum ampliùs peccandi. Id quod fecit Dauid *Pſal.* 118. dicens: *Inclinaui cor meum ad faciẽdas iuſtificationes tuas in æternum.* q. d. Si æternùm viuerem, in æternum ampliùs non vellem peccare. Metronem Confeſſorem (cuius corpus Veronæ venerationi habetur) refert Marulus *l.* 4. *c.* 10. cùm pœnitentiæ laborem ſubiret, compede ferreâ ſe vinxiſſe & clauem illius in Atheſim fluuium proieciſſe ne ſcilicet vlla ſibi via ſupereſſet à vinculis ſe liberandi. Huiuſmodi compedem inijcere ſibi pœnitens debet, & clauem in flumen abijcere, id eſt, omnem ſibi viam delinquendi intercludere & quaſi ſibi ipſi poteſtatem peccata priſtina repetendi adimere. Optimus ille Adoleſcens Ioſeph, cùm ſeris pudicitiæ ſemet incluſiſſet, tentatus à domina nequaquam acquieſcebat operi nefario, ſed dicebat: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Geneſ.* 39. Nimirum clauem pudicitiæ, cui ſe adſtrinxerat, quodammodò in flumen abiecerat, firmiſſimè ſe obligando, in æternum non peccandi. His ſeris ſi nos ipſos ſolidè obſeratemus, facilè adderet Deus gratiam ſuam, vt non relaberemur in priora ſcelera. Tametſi enim voluntas hominis ſemper, quamdiu viuit homo, libera & flexibilis eſt, ad malum & ad bonum, poteſt tamen firmitate propoſiti ſui adeò ſe obfirmare Deo adiuuante, vt nulli diaboli machinis ſuperari queat & in priſtinam captiuitatem eius reduci. Sic enim & Apoſtolus dixit ad *Rom.* 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum quia neque mors neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Tale igitur propoſitum ſi & nos conciperemus, experiremur profectò maiorem pœnitentiæ noſtræ fructum, nec tam facilè in idem volutabrum vt ſus lota rediremus. Sed nimirum plerique omnia obiter agunt, pauci ſeminant ſalem ſuper peccata ſua, vel proijciunt in mare claues compedum ſuorum. Ad paucos aliquot dies, donec feſtiui ſcilicet prætereant & quàmdiu occaſio & tentatio non occurrit, proponunt abſtinere: ſed poſteà mox ſibi ipſius viam reſerant ad peccandum & libertatem.

Tertiò, ſit vniuerſale, non vnum aut aliqua tantùm peccata, ſed omnia vitandi, ita vt nec inordinatum affectum ad aliquod peccatum lethale retineas. Non enim dimittitur vnum peccatum ſine alio, quia gratia DEI non conſiſtit cum vllo peccato; & deinde qui in corde ſuo fouet vnum DEI hoſtem: eo ipſo oſtendit ſe quoque DEI hoſtem eſſe, & reliqua peccata non deteſtari ideò, quòd DEO aduerſentur, ſed ob humanos alios reſpectus. Nihil profuit Regi Achab, quòd reliquo toto corpore fuerit munitus æneo thorace, præterquam vno in loco, inter pulmonem & ſtomachum, vbi ſagitta caſu infixa eum occidit. 3. *Reg. vlt.* Suaſit Apoſt. *ad Rom.* 13. vt abiectis operibus tenebrarum, induamus arma lucis: ſed niſi vndique armis tecti ſimus, nullumque omninò relinquamus locum vlli peccato, nihil nobis prodeſt; ſiquidem vna peccati ſagitta occidere hominem poteſt & mittere in gehennam; Neque tantùm voluntas peccandi deponenda eſt, ſed etiam affectus erga peccatum. Eſt enim affectus inordinatus quaſi ouum & ſemen, vnde facilè prodit peccatum. Milites Maximini Imper. non contenti ipſum Imperatorem vtpote peſſimum, occidiſſe Aquileiæ, eius etiam filium adoleſcentulum peremerunt dicentes, *ex peſſimo genere nec catulum retinendum eſſe.* Refert Iulius Capitolinus. Et quæ ſoboles magis peſtilens quàm peccatum? 3. *Vniuerſale.*

catum?

catum? Igitur nec catulus, seu affectus quidem vnus peccati retinendus est in animo, ne & ipse adolescat & peccatum fiat: Postquàm Pharao multis plagis coactus, dimittere voluit Israëlitas, volebat, vt saltem vxores & paruuli eorum remanerent, viri autem ad sacrificandum abirent. Sed cùm hoc nequaquam contentus esset Moyses, dixit Pharao: *Ite sacrificate Domino: oues tantum vestra & armenta remaneãt.* Sed ne hoc concessit Moyses: *Cuncti greges,* inquit, *pergent nobiscum: non remanebit ex eis vngula. Exod. 10.* Sciebat enim Pharao, facilè retrahendos & reuersuros Israëlitas in Ægyptũ, si vxores & liberos aut saltem pecora sua ibi relinquerent. Similiter nouit Dæmon facilè retrahendum hominem ad peccata: si modò affectum eorum retineat. v. g. erga pellicem, vel pecuniam: si sæpe de eâ cogitet, eam desideret, de eâ loquatur, &c. licet homo peccata ipsa per confessionem deleat. Itaque non remaneat ex eis vngula. Hoc voluit Ieremias *Thren. 2.* cùm dixit: *Effunde sicut aquam cor tuum. Cæteri enim liquores,* inquit Hugo de S. Victore, *vel sapore infecta vasa relinquunt. Qui ergo peccatum omnino, sed nõ peccandi affectum eyciunt in vase saporem noxium adhuc seruant.* Sic ille.

4. Efficax. Quartò. Sit efficax Primò, ita vt non ipsa tantùm peccata, sed etiam proximas saltem peccandi occasiones deuitare proponat, & cùm potest, remouere. Nam vt Sapiens, ait: *qui amat periculum, peribit in illo; Eccles. 3. &, qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ. Eccles. 13.* Signum est eum non optare munditiem, qui non statuit abstinere à tangenda pice. Et in hanc sententiam dixit Dominus *Matth. 18. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Hoc enim verbo præcipit, vt fugias locum, personam, officium, libros, colloquium & quæcunque ad peccandum te inducere solent aut facilè possunt. Vt si nôueris te inordinato amore trahi erga personam aliquam, vites eius aspectum & colloquium: Si nôris citò tibi obesse vinum &. præcipitare te in aliqua vitia, fugias tabernas & compotationes: Si nôris aliquod officium tibi lapidem esse offensionis, cum Matthæo id resignes. Alioquin veluti canis cum catenâ aufugiens facilè iterum capitur, quia gerit secum vnde reduci potest: Ita & tu à dæmone citò retraheris in peccatum, si affectum eius retineas. Postquam Israëlitæ cum alienigenis fœminis contraxére matrimonia; breui ab eis seducti sunt, vt Idola adorarent. Cui malo vt occurreretur, dixit Sechenias: *Nunc, si est pœnitentia in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, vt projiciamus vniuersas vxores & eos qui de his nati sunt. 1. Esdr. 10.* Sic etiam si est vera in te perfectaque pœnitentia, non tantùm peccata fuge, sed etiam illa remoue, quæ ad peccandum te inducere solent & possunt. Quando domus aliqua patitur damnum à stillicidio, duplici viâ occurri huic damno potest: Primò si in vase aliquo excipiatur aqua distillans & pòst eijciatur; sed interim tamen tigna domus putrescent & demùm ipsa domus corruet. Optimum igitur remedium est illud alterum, vt scilicet tectum resarcias, ne stillicidio sit obnoxium; sic enim & domum sartam tectam conseruabis. Similiter si tantùm singulis mensibus vel etiam septimanis colligas peccata tua in examine conscientiæ & eijcias per confessionem, interim verò radices & occasiones peccandi, vnde prodeunt peccata, non caueas nec obstruas: Parum efficies, quia mox eadem perpetrabis & teipsum sensim perdes. Vnde Ecclesiastes c. 10. ait: *in pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* Vult dicere: qui negligit reficere tecti rimas, vnde distillant in domum pluuiæ, videbit tandem corruere sibi domum. Tu ergò si aduertas tibi obesse vinum & laxare frænum vitijs, teneris id vitare; si lectione prauorum librorum, incitari te ad malum, teneris eos amouere, &c.

Secundò, Vt proponat adhibere efficacia remedia & antidota peccatorum imminentium. Sic enim conualescentes vtuntur diætâ & regulâ viuendi. Sic qui hoste pulso ciuitatem aliquam occupârunt, ponunt in eâ præsidium militum: Alioquî non videntur magni æstimare nec velle conseruare eam. Aquila nidum suum munit lapide Æthite, qui valet contra venenum, Tiberius Cæsar, quando fulgura cernebat & tonitrua audiebat, tempora lauro cingebat contra fulmina. Vt refert Gemin. *l. 3. de vegetat. c. 61.* Cur ergò non & nos armemur contra spiritualia nequitiæ, & abiectis operibus tenebrarum induamur arma lucis cum quibus obuiare possimus operibus tenebrarum?

CONCIO VI.

Pœnitentia baptismo similis.

Assignatur similitudo Pœnitentia cum Baptismo, quæ consistit	*2. In dispositione.*
1. In materia propinqua.	*3. In significatione.*
	4. In effectibus.
	5. In necessitate.

THEMA.

Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Luc. 3.

DVo diuersa Sacramenta sunt Baptismus A
& Pœnitentia. Eccur igitur; inquiet aliquis, Baptismus Ioannis, pœnitentiæ baptismus appellatur? Respondeo inprimis, quia ad pœnitentiam inducebat. 2. quia qui eo vtebantur, se peccatores eo gestu & humilitate profitebantur. 3. quòd secundariò Christi baptismum significaret. Addo & hoc, quia baptismus Christi, quem figurabat Ioannis baptismus, pœnitentiæ in multis adeò similis est, vt ab Origene *hom. 2. in Ios.* secundus baptismus appelletur: ab alijs secunda post naufragium tabula, id est, remedium post gratiam baptis-

baptismi perditam: ab alijs baptismo ferè iungatur & pari cum baptismo vi ad remittenda peccata prædicetur, vti à S. Hieronymo, qui *lib. contra Pelagianos prope finem*, scribit: *Pœnitentia imitatur baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam saluatoris, qui non vult perire quemquam, &c.* Quare cùm baptismum reiterare nequeamus, eius loco vti pœnitentiâ possumus. Hæc ergò quâ in re conformis sit baptismo, videbimus.

B. I. In materia propinqua. PRIMÒ, In materiâ propinquâ, quæ est contritio & confessio peccatoris, sicut baptismi materia propinqua est ablutio aquæ. In pœnitentiâ abluitur homo lachrymis, saltem internis & virtualibus, scilicet dolore peccati: In baptismô aquis elementaribus. Adhæc sicut ad baptismi valorem sufficit quævis aqua elementaris: tamen ex præcepto Ecclesiæ requiritur aqua consecrata cum trinâ infusione chrismaris: Ita in sacramento pœnitentiæ sufficit quidem dolor imperfectus, qui vocatur attritio: melior tamen & longè præstantior est alter perfectus, qui vocatur contritio, & includit dilectionem DEI super omnia & detestationem peccati, quâ est contra summum bonum. Verùm in hoc differunt, quia pœnitens materiam absolutionis suæ ipsemet ex se fundere & suppeditare debet; baptizandus non item; vt cui sufficit aqua ab alijs suppeditata, quia voluit Dominus vt secunda iustificatio & sequentes pluris nos constarent, quàm prima, vt hinc amaritudinem peccati degustaremus. Quam ob causam etiam vocatur pœnitentia secunda post naufragium tabula, quia sicut multò difficilius & laboriosius est in tabulâ enatare, quàm nauigio ad portum appellere: Ita pœnitentia difficilius est post lapsum remedium, quàm baptismus. Denique sicut baptismus conferri nequit in alijs liquoribus, præterquam in aquâ: ita pœnitentia requirit dolorem ex motiuo supernaturali elicitum, siue is sit contritio ob summum bonum offensum; siue attritio, ob gehennæ metum vel beatitudinis amissionem. Dolor merè humanus & naturalis V. G. ob infamiam, pœnam aliudue damnum temporale peccatis inuectum, non sufficit vt docet Concilium Trid. *sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4.*

Forma etiam vtriusque sacramenti persimilis est; Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Pœnitentiæ: *Ego te absoluo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*; quanquam expressio SS. Trinitatis ad essentiam quidem baptismi spectat, non tamen ad essentiam pœnitentiæ: in neutro tamen Sacramento omitti debet.

C. II. In dispositione. SECVNDÒ, Ratione dispositionis ex parte suscipientium. Ad baptismi gratiam disponi adultus debet per Catechesin, per scrutinia, quibus exerceri & probari debebat olim varijs manuum impositionibus, crucis consignationibus, exorcismis, ieiunijs, orationibus; per dolorem de peccatis saltem imperfectum qui est attritio, & in ipso baptismo per corporis denudationem & capitis demissionem, quam etiam imperauit S. Remigius Clodoueo Regi Francorum baptizando, hac voce: *Mitis depone colla Sicamber*; apud Baron. anno 499. Ad pœnitentiæ gratiam verò per cõsiderationem grauitatis & multitudinis peccatorum suorum; per scrutinium conscientiæ per dolorem & erubescentiam, per accusationem sui ipsius in confessione, in quâ se Confessario explicare & quasi denudare debet, vti sordes peccatorum abstergi queant: per genuflexionem, pectoris tunsionem & sui met humilem accusationem.

TERTIÒ, Ratione significationis. In baptismo enim per trinam immersionem, quæ olim vsitata fuit, vel per vnam saltem, quæ etiamnum alicubi in vsu est, repræsentamus sepulturam Christi; per emersionem, eiusdem resurrectionem; teste Apostolo *ad Rom. 6. Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem*, scilicet peccati. Ob quam causam in die sepulturæ Christi, Sabbatho videlicet sancto solemnis baptismus celebrari solet. Simili modo in pœnitentiâ, dum in aurem sacerdotis enunciamus peccata nostra, sepelimus ea quodammodò, ita vt iam non existant, sed à conspectu nostro, Dæmonum, imò & ipsius Dei remota sint. Cuius rei figuram legimus *Gen. 35.* in Iacob Patriarcha, qui Idola in familiâ suâ deprehensa insodit subter Terebinthum. Quin etiam seipsos quodammodò sepeliunt qui pœnitentiam subeunt, dum se in genua demittunt coram confessario, dum se ad tribunal eius sistunt seque ipsos culpant, lachrymis & tunsionibus puniunt. Posteà verò mox, cùm absoluuntur, resurgunt & in Christo reuiuiscunt. *Cùm igitur prouoluit hominem*, inquit Tertullianus *lib. de pœnitent. cap. 10. magis releuat: cùm squalidum facit, magis mundatum reddit; cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit. In quantum non peperceris tibi, in tantum Deus parcet.* D. III. In significatione.

QVARTÒ, Ratione effectuum. Primus baptismi effectus est remissio peccati originalis & actualium iuxta prophetiam *Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Apostolum *1. Cor. 6. Hæc quidem fuistis* (peccatores scilicet) *sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Quemadmodum enim Ægyptij in mari rubro omnes submersi sunt: ita in baptismo (sanguine Christi parato) omnia peccata merguntur; iuxta id *Mich. 7. Proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Simili modo pœnitentia delet omnia peccata actualia; (originale supponit iam deletum.) Vnde hæc duo tantùm sacramenta, pœnitentiæ scilicet & baptismi, sunt sacramenta mortuorum, quos viuificare possunt: reliqua sunt viuentium in gratiâ. Hæc duo sunt medicinæ purgatiuæ, reliqua confortatiuæ. E. IV. In effectibus. 1. Effectus baptismi.

SECVNDVS effectus baptismi est remissio omnis pœnæ peccatis debitæ, temporalis & æternæ; ita vt nulla requiratur satisfactio; & qui mox à baptismo moreretur, statim cœli consors fieret; siquidem Apostolus 2.

ad Rom 6. ait per baptismum mori nos peccato & resurgere cum Christo. Pœnitentia etiam tollit pœnam æternam, & commutat in temporalem, quæ tamen & ipsa tollitur ex parte per contritionem, confessionem, satisfactionem; & quandoque ex toto, si nimirum tria illa remedia magnâ intentione adhibeantur. Porrò vti baptismus non tollit homini concupiscentiam: ita nec pœnitentia habitus prauos peccandi frequentiâ contractos. Relinquuntur enim homini tam hi quàm illa ad illius exercitium, magno eius commodo, vt habeat hostes domesticos, de quibus triumphare possit.

3. Tertius, est gratiæ infusio, quâ filij Dei adoptiui & hæredes cœli efficimur Deoque grati simus. Quæ omnia symbolicè expressa sunt in baptismo Christi, dum vox patris audita est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: & dum cœli super eum aperti: & dum Spiritus S. in columbæ specie descendit super eum. Hæc enim fieri inuisibiliter cuiuis baptizato ostendi potest ex Apostolo, qui ad *Gal.* 3. ait: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; id est, Christi gratiam, dona & virtutes accepistis, ita vt quidquid Christi est, vestrum sit, & ipse sit quasi vestis vestra. Quam fortasse ob causam olim qui Christianâ religione initiabantur, pallium induebant more Græcorum Philosophorum; Vnde Græci vulgari conuitio vocabantur, teste Hieronymo *epist. ad Furiam de viduit*. Eo igitur induti pallio prodire in conspectum Dei audemus. Nouimus Elisæum 4. *Reg.* 5. aspectum & alloquium negâsse leproso Naamani; vbi verò hic in Iordane lotus lepram deposuit, vtrumque humaniter impertijsse, dixisseque: *Vade in pace*. Ita nimirum Devs quos ante baptismum aspicere noluit, post baptismum humanissimè accipit velut filios, vtpote à peccati leprâ mundatos & integræ sanitati restitutos. Mutantur enim baptizati in virum alterum & pristinis vitiorum moribus depositis, nouos induunt virtutum. Quod testatur inprimis de se S. Cyprianus *lib.* 2. *epist.* 2. ad Donatum, vbi explicat, quàm potenter è prioris vitæ erroribus & vitijs per baptismum ereptus sit; tum subdit: *scis ipse profectò & mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum*; baptismus videlicet. Idipsum in se expertum se fatetur S. Augustinus *l.* 9. *Conf. c.* 12. Experiuntur hodieque Indi, qui per gratiam baptismi è feris ac barbaris mutantur in homines: imò ambiunt pro Christo martyria, vti Iapones ingenti copiâ.

4. Non multum etiam in hoc effectu cedit pœnitentia baptismo. Nam & hominem reponit in statum gratiæ & cœli hæreditatem, quemadmodum baptismus; & si non semper, sæpe tamen (quando nimirum feria est) immutat hominem, & ex atro facit album, ex peccatrice amatricem, ex publicano Apostolum, ex Saulo Paulum, &c. Vt alibi vidimus.

Dom. 3. *post Pent.* Quartus est impressio characteris, quo tanquam notâ Ecclesiæ filij signantur & aliorum sacramentorum capaces redduntur, nec non. Itidem quandam cælestem accipiunt, quâ ipsi monentur meminisse obligationis suæ, quâ Deo se obstrinxerunt; & ex alterâ parte significat Devs, se gratiam homini datam nequaquam velle subtrahere, si ipse eam non expulerit. Propter hunc effectum iterari baptismus nequit. Caret quidem hoc effectu pœnitentia; eius tamen loco confert homini pacem & quietem conscientiæ, gaudium interius & certam spem salutis; nobisque hoc vtilior est, quòd reiterari potest, quoties opus est.

Quintus est extraordinarius & rarus, sanitas nimirum corporis, quæ per baptismum aliquibus collata fuit, vnà cum sanitate animæ. 5. In primis S. Augustinus *l.* 22 *de Ciuit. cap.* 8. refert Medicum quendam per baptismum à podagrâ curatum: fœminam autem à cancri corrosione liberatam. Deinde Historiæ Ecclesiasticæ referunt Theodosium Imp. ab Episcopo Thessalonicensi baptizatum sanitatem recepisse, & Constantinum M. suscepto Baptismo per Siluestrum papam à leprâ mundatum esse. Historia Tripartita *lib.* 9. *cap.* 6. & Nicephorus *l.* 12. *cap.* 6. & *l.* 7. *cap.* 13. Similiter S. Gaugericus Cameracensis Episcopus Ethnicum hominem leprâ laborantem ad fidem suscipiendam permouit postquam ei incolumitatem per baptismum promisisset. Baptizatus enim & animæ & corporis lepram abstersit. Surius *tom.* 4. *in vita S. Gaugerici*. Ottilia cæca à natiuitate in baptismo visum recepit posteaque monasticam vitam in Alsatiâ exercuit, quæ ob sanctitatem colitur apud Argentoratenses. Baron. *in Martyrol.* 13. *Decemb.* Iudæus quidam paralysi laborans, frustrà tentatis omnibus medicamentis, ad Christianorum baptismum cōfugit, qui in lecto ad baptisterium deportatus, sanitatem mox recepit; inde factum vt quam plurimi gentiles Baptismum susciperent, vt scribit Socrates *hist. l.* 7. *cap.* 4. Denique nostro æuo S. Franciscus Xauerius feminam prædolore partus morti vicinam, dato baptismo liberauit & sanitati restituit. Horat. Tursellinus, in eius vita.

Non desunt etiam pœnitentiæ similes effectus quandoque obtenti. Refert enim S. Gregorius Turon. *de Glor. Conf. c.* 93. Diaconum quendam peccatum suum obstinatè & malitiosè negantem, in extremam infirmitatem incidisse, confitentem autem subitò conualuisse. S. Bonauentura in vita S. Francisci narrat quendam, qui visum peccando amiserat, confitendo recepisse. S. Bernardus scribit energumenam sacramento confessionis expiatam, à Dæmone liberatam per S. Malachiam in eius vita.

Qvintò. Ratione necessitatis. Tam enim pœnitentia post admissum à baptismo peccatum, quàm baptismus ipse porta est necessariò transeunda, si quis ingredi cœlum velit. Vt enim de baptismo ait Dominus *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*, ita etiam dixit de

pœnitentia *Luc.* 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Vnicum arcæ Noë ostium fuit, per quod ingredi debuerunt, quotquot salui esse voluerunt. Hoc autem est baptismus: & post baptismi gratiam perditam pœnitentia.

Cæterùm sicut nondum regeneratis ad iustificationem & salutem sufficit votum baptismi, quod dicitur baptismus flaminis seu dilectionis Dei super omnia: ita & regeneratis, post lapsum ad consequendam remissionem peccatorum & salutem sufficit votum sacramenti pœnitentiæ, quæ est contritio: ita tamen vt si posteà sacramentum suscipi possit, reipsâ suscipiatur. Nemo igitur anxius sit ob hoc, quòd ipsi euidenter non constet, an sit baptizatus vel absolutus. Concipiat enim serium baptismi votum, & veram contritionem sicque tutus erit.

Superest nunc vt nos qui & baptismi & pœnitentiæ beneficio ad cœtum filiorum Dei ingressi sumus, tanti beneficij memores simus & donatam in ijs gratiam sedulò conseruemus. Naaman certè, de quo diximus, Dei veri religione susceptâ, ne in terrâ gentilium videretur adorare Deos alienos, terræ sanctæ massam, in qua staret orans, secum abstulit in patriam. Viderit etiam Christianus ne postquam S. Lauacro ablutus est, deinceps adoret Deum alterum; sed potiùs auferat è baptismo & pœnitentiâ memoriam obligationis suæ & gratiæ acceptæ; dicatque mundo, carni, dæmoni, cum Nabotho: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* 3. *Reg.* 21. gratiam, inquam, baptismi, quæ semel abalienata difficulter reparatur, videlicet non nisi per secundum baptismum pœnitentiæ & lachrymarum. Quis non malit integrâ & saluâ adhuc naui vehi, quàm diffractæ adhærere? Hæc pœnitentia, illa baptismus est.

CONCIO VII.

Partes pœnitentiæ, compendio exponuntur.

1. *Docetur quomodo sit peragenda contritio, & assignantur motiua ad illam eliciendam.*
2. *Quomodo Confessio.*
3. *Quomodo satisfactio.*

THEMA.

Parate viam Domini, Luc. 3.

A QVæ sit via Domino præparanda, ipsemet S. Ioannes exposuit *Matth.* 3. cùm dixit: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Via igitur illa est pœnitentia: quę quomodo instituenda adeoque via Domino quomodo præparanda sit, symbolicè indicat in hod. Euang. Tres enim partes habet pœnitentia, quarum prima contritio complectitur duo capita, dolorem scilicet de peccatis, & propositum emendationis. Secunda est confessio. Tertia est satisfactio. Omnia hæc tetigit Ioannes in hod. Euang. Dolorem de peccatis, cùm dixit: *Erunt aspera in vias planas.* Propositũ emendationis, cùm dixit: *Erunt praua in directa.* Confessionem cùm dixit: *Omnis mons & collis humiliabitur.* Satisfactionem cùm ait: *omnis vallis implebitur.* Contritio enim est, quæ conterit aspera corda & complanat: propositum emendationis curua animi desideria ad terram inclinata, dirigit ad Deum. Confessio montes & colles humiliat, id est, superbos hominum animos, vt coram sacerdote incuruati seipsos accusent, deprimit. Satisfactio denique est, quæ implet valles, reatuum contractorum, fructibus pœnitentiæ seu operibus satisfactorijs. Hæc verò singula quomodo sint peragenda, videbimus.

B. I. Contritio qualis. PRIMA pars contritio, includit primò dolorem de peccatis, per quem debent aspera redigi in vias planas, id est, saxosa & dura corda conteri & leuigari; (vnde vocatur contritio: & cor contritum *Psal.* 50.) ob quam causam in Confessione percutimus pectus tamquam induratum & saxeum dicendo: Mea culpa, &c. Quia enim per rebellem voluntatem & obstinationem cordis nostri DEO restitimus & viam cordis nostri interclusimus, ideircò vult DEVS vt per dolorem annihilemus peccata & quodammodo conteramus. Cùm verò duo sint in peccato quolibet: DEI scilicet offensa, & malũ hominis, qui per peccatum amisit gratiam, fecit se reum gehennæ, iniuriam fecit proximo, &c. Hinc duplex etiam excitari potest dolor de peccato: Attritio, quæ dolet tantùm propter malum hominis: atque hæc accedente Sacramento confessionis sufficit & informatur charitate: extra id non sufficit, quia ex se includit magis amorem proprium, quàm amorem DEI. Contritio, quæ dolet propter offensam DEI: & hæc etiam extra Sacramenti susceptionem pellit peccata, & adducit gratiam, includit enim DEI amorem & voluntatem implendi omnia DEI præcepta, ac proinde etiam præceptum contendi proximâ datâ occasione. Ita Dauid ait: *Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei; Ps.* 31. Vbi videtur loqui de tempore illo, quando increpatus à Nathan, dixit: *Peccaui Domino;* moxque audijt: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Idque indicatum est in decem Leprosis, qui iussi ire ad sacerdotes à Christo, dum irent, mundati sunt, *Luc.* 17. Ita nimirum pronus est ad ignoscendum DEVS, vt non expectet tempus confessionis ad infusionem gratiæ, sed statim ac contritus fueris, eam tibi conferat. Tenetur tamen contritus nihilominus confiteri, ex vi impliciti voti in contritione contenti, de implendis videlicet omnibus DEI præceptis alioquin rursum peccaret, si confiteri nollet.

Itaque dolor iste & detestatio peccati malleus est, quo saxea corda peccatis infecta conteri debent. Sed quanti ponderis malleus ille debet esse? Num malleolus tantùm, quali vtun-

vtuntur aurifabri? An verò malleus ponderosus, quali vtuntur ferrifabri? Respondet Ioël c. 2. *Scindite corda vestra*, &c. Fortis igitur & grauis debet esse malleus, quia grauis est & quidem grauissima res, omne mortiferum peccatum. Vnde Scriptura sacra, cùm de pœnitentiâ loquitur, cinerem & cilicium commemorat, & nunc planctum amarum, nunc luctum vnigeniti requirit. Debet igitur dolor hic appretiatiuè esse maximus, quia est de maximo malo commisso & summo bono perdito: non tamen requiritur vt sit maximus intensiuè seu quoad sensibilitatem, lachrymas, &c. prodest tamen & hic & prouocat internum, vti luctus in domo lachrymas: Deinde pro ratione delicti esse debet & malleus, siquidem magno saxo frangendo requiritur magnus malleus, & malo nodo malus cuneus. *Quàm magna delinquimus*, inquit S. Cyprianus *l. de lapsis*, *tam granditer defleamus*. Vnde sicut ridiculus foret, qui ingens aliquod saxum exiguo malleolo vellet findere: Sic ridebitur à Dæmone, qui cùm grandia & obstinata gerat in pectore saxa peccatorum, leuissimè tundit pectus & frigidissimè. Sed vnde mihi, inquis, talis malleus? Intra in solitudinem cordis tui & cogita primò, quid feceris contra DEVM & dicito: Ipse me de nihilo creauit & ego eum pro nihilo offendi: Ipse me ad imaginem suam fecit; & ego illam in me deleui dæmonisque similitudinem indui. Ipse mihi intellectum, voluntatem, potentias, & sensus largitus est, & ego eisdem abusus sum & his quasi armis contra ipsum pugnaui: Ipse mundum hunc visibilem pro me creauit, omniaque mihi subiecit, & ego contra Dominum meum rebellis factus sum & totum mundum, quantum in me fuit contra eum conuerti. Ipse mihi sanitatem, vires, ingenium, victum, vestitum, vitam præbet & tamdiu conseruauit: pro his tamen ego ingratissimus nil nisi mala reddidi. Ipse me patientissimè & diutissimè expectauit, cùm perdere millies posset, quàm facilè nos necamus muscas, & ego interim ludebam foris, ridebam, saltabam, potitabam.

Contritionis motiua.

Deinde quid feci contra Redemptorem meum Christum? Omnem eius passionem & ipsam mortem in meipso destruxi: & omnia eius vulnera renouaui, sicuti Carnifices, cùm in monte Caluariæ vestem illi abstraxerunt: dum de nouo ab eo profugi, qui me tam carò emit; quid meâ intemperantiâ feci, nisi quòd illi fel & acetum iterum propinaui? quid meâ superbiâ, nisi eiusdem caput iterum spinis pupugi? quid meâ blasphemâ linguâ, nisi lanceâ latus rursus aperui? quid concupiscentiâ & auaritiâ meâ, nisi dorsum eius rursum flagellaui? quid meâ iniustitiâ & iniurijs, nisi vestem ei rursum abstraxi? quid sensuum meorum leuitate & petulantiâ, nisi clauis eum rursum confixi?

Quid feci contra meipsum? de cœli hærede, ex filio DEI, feci me reum inferni & filium Diaboli. Pignus gloriæ perdidi, gratiam: veste me splendidissimâ spoliaui: omnia mea bona opera & merita vno ictu contriui: Quis vnquam tam crudeliter mihi nocuit atque ego ipse? Et quàm longè absum ab inferno? non longiùs quàm aqua ab ijs qui nauigant mare. Vna enim tabula huius corporis si rumpatur, descendam quasi lapis in profundum inferni: & quid si hodie id fiat? quid si cras?

Quid etiam feci contra proximos meos? alijs bona fortunæ emunxi, alijs famam arrosi, alijs in corpore nocui, alios aliter contristaui & ad lachrymas adegi, alios exemplo vel doctrinâ meâ perdidi, & fortè aliquibus auctor & suasor & socius fui vt æternum perirent & iam in inferno contra me clament ac vociferentur. Denique matrem meam Ecclesiam contristaui, iustos fratres meos afflixi, Angelos pacis ad planctum prouocaui, & quod in me fuit, creaturas feci proditrices, dum eis tyrannicè vsus sum contra communem Creatorem. Quando igitur tantum est mihi debitum, tanta miseria, quid faciam? scio quid faciam, surgam cum prodigo filio & ibo ad patrem meum ac dicam: *Pater peccaui in cœlum & coram te*: ibo cum Magdalenâ ad pedes Domini IESV & culpas meas deflebo: lauabo cum Dauide lachrymis stratum meum; Dicam cum publicano: *Deus propitius esto mihi peccatori*: exibo cum Petro & flebo amarè: prosternam me cum Imp. Theodosio in Ecclesia ad pedes Sacerdotis. Intrauerunt isti omnes in cor suum, & repererunt malleum, quo corda sua contererent.

SECVNDÒ, Includit propositum emendationis: & per hoc fiunt praua directa cùm videlicet voluntatem & affectum ad peccata inclinatum corrigimus, à peccatis abstrahimus & ad præcepta DEI implẽda dirigimus. Hinc manus in confessione complicatas erigimus quasi paratas imposterũ ad DEI voluntatem faciendam: quia enim voluntatem nostram à DEO deflexims ad creaturas, vult DEVS vt eandem inde abstractam ad ipsum rursum conuertamus & spondeamus ipsi imposterum semper adhærere. *Alioquin illusor & non pœnitens*, ait Isidorus *l. de summo bono. c. 16. censendus est, qui id facit aut cogitat, cuius dolorem præsefert*. Debet verò directio esse vniuersalis & tollere omnem prauitatem, non ad vnum tantùm sed ad omnia peccata; qui enim vnum DEI hostem in domo cordis sui fouet, totus hostis est, & manifestè ostendit, se nec reliqua peccata propterеà detestari, quòd DEO aduersentur, sed alios humanos respectus, adeoque illusor est, quemadmodum scelestus ille Antiochus, qui *orauit* in ægritudine *Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*, quia non habebat propositum vitam emendandi. 2. *Mach.* 9. Debet etiam esse firmum & perpetuum, cum Dauide: *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ*: Et: *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum Ps.* 118.

C. II. Propositũ emendationis.

Porrò tam firmum esse debet, vt in genere malis quamcunque pœnam sustinere, quàm peccatum perpetrare (licèt comparationes vel obligationes exprimere non tenearis.) Sic enim S. August. *l.* 18. *de Ciuit. c.* 18. ait debere esse

esse tale, vt homo quiduis malit tolerare, quàm peccato ampliùs consentire. Cùm enim DEVS summum bonum sit, vtique quiduis aliud perdere præstat, quàm illud. Debet esse perfectum & efficax vitandi scilicet etiam occasiones peccati proximas & quæ te solent irretire; adhidendi item media & antidota peccatorum tibi præscripta, &c.

Qui rectum propositum non habent, sed cum vxore Loth adhuc retrospiciunt ad priùs habitas & amatas creaturas, vt illa ad habitationem pristinam, frustrà confitentur: quia alibi est thesaurus & cor eorum, ac proinde DEVM non amant. *Quomodo dicis, quod amas me*, dicebat Dalila Samsoni, *cùm animus tuus non sit mecum? Iud. 16.* Sic si tu affectum retineas erga creaturas, quomodo amas DEVM? Et certè qui post confessionem statim, proximâ datâ occasione eadem repetunt vitia, quomodo non curuum gerebant animum etiam in confessione? Vt enim baculus cum violentiâ ad rectitudinem redactus, si cessante violentiâ mox iterum in pristinam curuitatem inflectatur, ostendit innatam sibi esse curuitatem & violentam esse rectitudinem: sic qui post confessionem mox redeunt in pristinam conuersationem ostendunt se nunquam rectum habuisse animum erga DEVM.

Huius propositi figura habetur 4. *Reg.* 10. in Iehu Rege, qui cùm obuiâsset Ionadab, quæsiuit ex eo: *nunquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo?* Respondit Ionadab; *Est. Si est*, inquit Iehu, *da manum. Qui dedit ei manum suam. At ille subleuauit eum in currum suum.* Ad eundem modum vult DEVS vt cor pœnitentis rectum sit cum corde eius, vt scilicet in eum nihil hostile machinetur ampliùs. Et in huius rei signum & confirmationem petit sibi dari manum, id est; promitti & firmiter proponi, quòd rectum cor erga eum habiturus sit, & tunc subleuat eum in currum gratiæ suæ.

D. III. Confessio. Tertiò, montes & colles humiliandi sunt per confessionem. Propterea confitens genu flectit ante Confessarium, vt se reum mortis agnoscat, vt S. Dionysius *ep. ad Demoph.* ait: consentit Tertull. *l. de pœnitentiâ c.* 9. cùm ait: *Exhomologesis est prosternendi & humilificandi hominis disciplina.* Quia enim superbia est radix peccati (iuxta id *Eccl.* 10. *initium omnis peccati superbia est*) dum scilicet superbus spernit Dei legem & eligit sequi propriam voluntatem, idcircò vult DEVS, vt humiliet se in confessione, & fiat vallis, qui se erexit in montem, & vt Iob ait: *cucurrit aduersus Deum erecto collo*: hacque ratione morbum à radice curet, sicut peritus facit Medicus; nullum autem conuenientius remedium præscribi homini superbo potuit, quàm vt cogeretur accipere ad pedes alterius hominis, scelera sua aperire & ostendere se vilissimum esse.

Cæterum sicut montem humiliare non est opus vnius diei, sed ingentis laboris: sic etiam magnam peccatorum molem per confessionem deponere, non est opus vnius horæ, præsertim si quis per annum integrum aut diutius non sit confessus. Quis enim dubitat multos homines intra vnum annum tantùm congerere delictorum cumulum, vt collem aut montem efficere possint? Nõnne Dauid vir alioqui secundum cor Dei confitetur de se *Ps.* 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum & sicut onus graue grauatæ sunt super me?* Et S. Iacobus Apostolus *c.* 3. *In multis offendimus omnes?* Et Sapiens *Prou.* 24. *Septies in die cadet iustus?* Quoties ergò iniustus? nõnne *septuagies septies?* Quòd si ita est, prævium igitur examen & quidem exactum ac diuturnum requiritur: quomodo enim in illo breui spatio, quo confessio durat, reuocare in memoriam poteris acta totius aut medij anni? Quomodo simul tantam molem abijcies? Et tamen currunt ad confessionem plurimi sine vllâ præuiâ sui disquisitione, & recensent fortè tria aut quatuor communissima peccata à toto anno. Itáne verò illa totius anni peccata sunt? ô te beatum & ipsis sanctis sanctiorem! sed nimirum mentitur iniquitas sibi; dicunt enim, vt propheta ait: *pax, pax; & non est pax.* Atqui non recordor plurium, inquis, dicerem si recordarer. Crediderim hoc: sed culpa tua est, si plura non memineris, quia indagare noluisti: & ita interpretatiuè idem fecisti ac si spontè reticuisses. Qui enim iussus quærere furtum in cistâ suâ, nihil penè mouet nec scrutatur omnes cistæ angulos, censetur nolle inuenire, quod iubetur quærere.

Porrò ipsa confessio debet esse clara: non generalis & confusa. Quomodo enim te absoluat Iudex, si non audiat causam tuam clarè & distinctè? quomodo curet Medicus, si non monstretur ei vulnus aut membrum affectum? Fraus hæc diabolica est, vt de procul & confusè ostendatur morbus, non latens sub eo fœditas, periculum, species, &c. Sic enim se occultat dæmon. Conditiones Confessionis.

2. Secundò, Sit integra & cum circumstantijs suis explicata numero, loco, specie, tempore, persona, &c. aliàs tibi ipsi in sinu tuo serpentem foues, qui te iugulet. Sufficit vnum lethale vulnus abscondere à Medico, vt pereas.

3. Tertiò, Sit propria, tum vt ipsemet recenseas acta tua, tum vt ne alium accuses: Canis eiulans vndique palpari debet, donec inueniatur eius vulnus latens: quòd si ipse loqui posset, statim id ostenderet: Sic Confessarius diutissimè quærere debet, donec vulnus tuum tangat: tu verò id statim ostendere potes, modò loqui velis.

4. Quartò, Sit fidelis: non enim mentitur homini, sed Deo, qui in confessione mentitur, quemadmodum Ananias & Saphira, sed de his alibi.

5. QVARTÒ denique valles implendæ sunt per satisfactionem: in cuius peragendæ arrham fortè Confessario nummum pendimus. Eiusmodi valles sunt reatus ad pœnam temporalem persoluendam, quæ proinde citò implendæ sunt per opus satisfactionis iniunctum à Confessario, de quâ etiam re alibi diximus.

Eiusmodi vallis est iniustitia, quæ implenda restitutione bonorum alienorum, quia alioquin non fit æqualitas iustitiæ.

Eiusmodi vallis est odium in corde nostro factum, quæ implenda charitate & remissione iniuriarum.

Eiusmodi vallis est purgatorium, quod si effugere velimus implendum est pluribus alijs operibus satisfactorijs, oratione, ieiunio, eleemosynâ, &c. Non omninò liberamur ab omni pœnâ per illam satisfactionem, quæ à Confessario iniungitur, saltem communiter. Deus solus nouit, quantum cuique soluendum restet; & certè olim grauissimæ imponebantur pœnitentiæ, quò nimirum grauiores purgatorij pœnas euaderent.

Satisfactionis Conditiones.

1. Cæterùm satisfactio pœnitentialis debet primò impleri sedulò, quia pars est pœnitentiæ, ita vt sine nouo peccato omitti non possit. Qui debitor pecuniarum est, si non soluit, manet, qualis erat, debito suo obnoxius: nouum tamen insuper non contrahit. Non ita res habet in debito prædicto: nam si pœnæ à Confessario iniunctæ sis obnoxius, si eam non exsoluas, incidis in nouam culpam, pœnæ priori nihilominus obnoxius. Ratio est, quia in debito pecuniarum requiritur satisfactio solùm, vt facias æqualitatem solutionis cum debito: in debito verò pœnitentiæ requiritur satisfactio, non tantùm vt fiat æqualitas proportionalis inter culpam dimissam & pœnam exsoluendam, sed etiam ideò, vt sacramentum integretur: Iam si quis condonaret tibi ingens aliquod debitum, ita tamen, vt chirographum tuum repetas, alioqui noui debiti reus sis, nónne tu omnibus modis satageres, vt chirographum tuum omnesque litteras tuas, quibus te creditori obstrinxeras, reciperes, vt sic debitum illud exigi in posterum à te non possit? Cur non facis hoc in proposito? Per contritionem & confessionem dimissa sunt tibi peccata tua: sed chirographum tuum adhuc penes DEVM est, vsque dum conditionem onerosam peragas: quin igitur laboras vt chirographum quoque recipias; ne fortè reuocatus de nouo postuleris debito? Secundò, Quia cùm

2. sit pars sacramenti, pluris valet, quàm si voluntate assumpta esset, siquidem ex vi sacramenti operatur. Si tu debeas mille aureos principi externo, in cuius ditione certa aliqua moneta decem libras valet, quæ domi tuæ vnam tantùm: nónne expeditior est solutio per certam illam monetam, quàm per alias vtrobique pares? satisfactio in sacramento habet valorem auri, extrà tantùm valorem argenti. Insanis igitur si in confessione, exiguam tibi iniungi pœnitentiam cupis, quia decem millium aureorum debitum soluere vis cum millenis, quod cum centenis posses. Secundò, facienda est citò, nec diu nimis differenda, primò, vt ita sit moralis quædam coniunctio illius cum alijs duabus partibus pœnitentiæ, vt ita verè pars sacramenti dici queat. Secundò, quia si diu differatur, periculum est, ne quis in peccatum recidat, & tunc satisfactio extra gratiam peracta vim nullam habeat ad satisfaciendum seu pœnam remittendam. Vt habetur *in supplem. D. Thom. q. 14. art. 2.* Quamquam satisfacit præcepto confessarij, ita vt nouum peccatum non contrahat, nisi in quantum aliquam irreuerentiam sacramento infert, & se effectu eius priuat.

Certè olim satisfactionem à sacerdotibus iniunctam, teste Doctore Olauio in MS. quibusdam, priùs pœnitentes implebant, quàm absolutionis beneficium consequerentur, atque ita salubri satisfactione purgati, vt ait D. Leo, ad communionem sanctorum per ianuam reconciliationis admittebantur. Vide igitur, vt si non ante, saltem paulò pòst debita tua soluas. Tertiò, facienda est dignè, iuxta id Baptistæ *Luc. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Est autem triplex fructus dignus pœnitentia*, inquit D. Thomas *Matth. 3. Primus est vt puniat in se, quod commisit. Secundus est vt fugiat peccata & occasiones peccati. Tertius est vt tantum studeat ad bene agendum, quantum studuit ad peccandum.* Audiamus S. Gregorium *homil. 20. in Euangel. Per hoc*, inquit, *quod dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuscuiusque conscientia conuenitur, vt tantò maiora acquirat bonorum operum lucra, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam.* Ita Sanctus Paulus ad *Philip. 3.* dicebat: *Sequor si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum*, q. d. quia Christus fugientem me secutus est & comprehendit, idcirco ego quoque nunc tantò magis sequor Christum per bona opera, vt eum comprehendam. S. Arsenius rogatus cur aquam rariùs mutaret, cùm fœtore cellulam repleret, respondit: *Lubens fatorem hunc excipio, in locum odoramentorum, quibus in palatijs Regum fui olim oblectatus.* Clodouæo Regi Francorum conuerso dicebat S. Remigius: *Adora quod incendisti* (templa:) *incende quod adorasti* (Idola.) Trithem. de *Orig. Franc.* Appositè demùm Ioannes claudit concionem suam verbis illis: *Et videbit omnis caro salutare Dei* quia pœnitens videbit salutem sibi conferri, cùm videbit à sacerdote manum sibi imponi in signum reconciliationis cum Deo & manumissionis à peccato, descendentis à manu Dei, qui ex hoc articulo temporis pœnitentem accipit in suam amicitiam, tutelam & defensionem. (Hoc enim designat manuum impositio) sic olim Romani prætores seruorum, quos manumittebant, capita virgulâ quâdam, quæ vindicia vel vindicta dicebatur, tangebant, Cicerone in Topicis testante. Hodieque pœnitentiarij Romæ eiusmodi virgas tenent, & pœnitentium capitibus imponunt, vt significent se eos à seruitute peccati in libertatem filiorum Dei asserere; quo obtento superest, vt exacto pœnitentiæ labore videamus salutare Dei in cœlo.

CON-

CONCIO VIII.

Documenta.

1. *Docetur primò & probatur venisse Messiam ex prædictione Iacob* Gen. 49. *ex miraculis,&c.*
2. *Quòd Prædicatores debeant mitti.*
3. *Quòd omnes Christiani deberent esse voces.*
4. *Christianis austerè esse viuendum.*
5. *Solitudo amanda.*
6. *Paranda via Domini.*

THEMA.

*Vox clamantis in deserto : arate viam Domini Luc.*3.

A. HIstoria Tobiæ *c.*11.describit filium Tobiæ è Rages Medorum in paternam domum magno desiderio à parentibus expectatum. Redijt ergò tandem filius, sed antequam veniret in domũ patris, præcurrit canis ipsius, *qui simul fuerat in via*,inquit textus,*& quasi nuncius aduemens blandimento sua cauda gaudebat. Et consurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere & data manu puero occurrit obuiam filio suo.* Quid sibi vult hæc historia, Auditores? Et cur inprimis canem Tobiæ præcursorem tam affabrè describit ? mihi certè videtur per allegoriam depingere aduentum Christi. Quis enim iunior. Tobias in paternam domum rediens, nisi DEI filius, qui in propria venit cùm in terram venit ? Quis verò eius canis, ipsum præcurrens & parentibus annuncians, nisi præcursor CHRISTI, Ioannes, qui semestri vno CHRISTVM præcedens, cum Synagogæ velut paternæ CHRISTI domui annuntiauit & prædicauit, (notum enim est in Scripturâ per canes significari Concionatores) adhibitis partim minis, partim blanditijs vltimæ retributionis, partim vocibus & latratibus seueræ reprehensionis ? Excitata igitur Ioannis nuncio Synagoga occurrit filio suo CHRISTO, vtpote è Synagogâ prognato. Verùm cœci instar, ostendens : dum Ioannem pro CHRISTO amplecti velle videtur, CHRISTVM verò in medio sui constitutum non agnoscit, vti vidimus in Euangelio ante octiduum, quia à puero ducebatur, Pharisæis scilicet; qui legationem non ad CHRISTVM, sed ad Ioannem instituerunt, interrogantes num ipse esset CHRISTVS ? Quoniam igitur in hodierno Euangelio needum desinit latrare Canis iste, sed eandem vocem repetit: *Vox clamantis in deserto*; audiamus quid nobis nunciet.

B. I. Messiam venisse iam probatur. 1. Nunciat PRIMÒ, Venisse iam Messiam, orbi promissum. Quod prætereà ostendi potest Primò ex prædictione Iacob. *Genes.* 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, &c.* Atque in hodierno Euangelio audimus tempore Ioannis & CHRISTI ablatum fuisse sceptrum à Iuda;siquidem Iudæa suberat Imperatori Romano, Tiberio : & procurabatur à Pontio Pilato Præside gentili. Erat quidem adhuc eo tempore Iudæorum Rex Herodes, sub quo passus CHRISTVS : verùm is non regnabat in Iudæâ, sed in Galilæâ tantùm, vt in hodierno Euangelio habetur. Illius verò Herodis pater, sub quo natus CHRISTVS, alienigena erat ab Augusto Imperatore elatus ad regnum, deiecto Aristobulo legitimo hærede. Atque ita CHRISTO nato iam ademptum erat sceptrum Iudæis, dum in alienigenam translatũ: CHRISTO patiente nullus omninò rex erat : præter Imperatorem Romanum.

2. Secundò, Ex miraculis CHRISTI, quæ facienda ab eo prædixit Isaias *c.* 35. dicens: *Tunc saliet sicut ceruus claudus & aperta erit lingua mutorum*; quæ facta à se esse ostendit CHRISTVS cùm dixit : *Renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis : Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, &c. Matt.* 11. His permoti multi crediderunt in eum & dicebant : *Christus cùm venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic fecit? Ioan.*7.

3. Tertiò: Ex secundi templi ruinâ & euersione. Promisit enim DEVS *Malachiæ* 3. & *Aggæi* 2.venturum Messiam ad templum secundum, seu secundò extructum, idque suâ præsentiâ adeò cohonestaturum, vt eius gloria maior inde futura sit, quàm prioris. Porrò templum illud iam destructum est vnâ cum vrbe sub Tito Imper. Quomodo ergò Messias ingredi iam illud potest, cùm non sit ampliùs in rerum naturâ ? Atqui in id, cùm adhuc extaret, venit CHRISTVS DOMINVS & à Simone exceptus est.

4. Quartò. Ex ruina & oppressione Idololatriæ, quam per aduentũ Messiæ delendam prædixére Prophetæ: Ezechiel *c.*30. Michæas *c.* 1. Zacharias *c.* 13. Cõstat autem per Euangelium Christi contrita esse Idola eaque passim muta reddita tandemque à suis cultoribus vndique abiecta, vt testantur ipsi gentiles: Plutarchus in *l. Cur oracula defierint*, Porphyrius,&c. Exterminata eadem Idola sæculo præterito & exterminantur hodieque in regionibus non ita pridem inuentis. Quæ ipsa mutatio Idololatriæ in sanctissimam religionem;& veri Dei cultum ex ipsa ratione ostenditur esse mutatio dexteræ excelsi,adeoque Messiæ:sicut mutatio tenebrarum in lucem ostendit ortum esse solem.

5. Quintò, Ex Iudæorum è patriâ exterminio & diutissimo exilio. Sæpius enim Iudæi à Deo propter peccata sua plexi sunt exilio & seruitute, in Ægypto per annos 400. in Babylone per 70. annos, &c. nunc verò post excidium Ierosolymæ durat eorum exilium per 1600. annos. Quæ verò caussa esse debet, cur Deus populum suum electum paternâ hæreditate & solo,omnibusque sacris tamdiu spoliauit? Vtique grauissimum illud peccatum, quod in Messiam admiserunt.

6. SEXTÒ, Ex regni Christi amplitudine & stabilitate : Prædictum enim à Prophetis passim regnum Messiæ fore amplissimum à mari

vſque ad mare & ad terminos orbis protendendum, fore præterea perpetuum, &c. At nullum aliud tale monſtrari poteſt, præter Eccleſiam Chriſti. Et quomodo regnum Chriſti tam annuum & ſtabile eſſe poſſet, ſuper omnia alia quæ vnquam fuerunt regna, niſi ipſe verus Meſſias eſſet? Accedit huius regni ſanctitas, miraque propagatio per 12. Apoſtolos rudes & inermes, per martyria &c.

Septimò, Ex Prophetarum oraculis alijs, veluti Danielis, qui poſt 70. hebdomadas (annorum intellige, non dierum, vt omnes ſentiunt) prædixit vnguendum eſſe ſanctum ſanctorum *Dan.* 9. quæ faciunt annos 490. ſine dubio iam dudum completos. Accedunt teſtimonia Sybyllarum & quorundam Iudæorum; veluti in primis Ioſephi celeberrimi ſcriptoris, in excidio vrbis capti & Romam ducti, qui *l.* 18. *antiq. c.* 4. ſic de Chriſto ſcribit: *Eodem tempore fuit* IESVS, *vir ſapiens, ſi tamen eum virum fas eſt dicere: erat enim mirabilium operum patrator & Doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt; plurimosque tam ex Iudæis, quàm de gentibus ſectatores habuit: Chriſtus, id eſt, Meſſias hic erat: quem accuſatum à noſtræ gentis principibus Pilatus cùm addixiſſet cruci, nihilominùs non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant: apparuit enim eis tertiâ die viuus, ita vt diuinitùs de eo vates hæc & alia multa miranda prædixerint.* Sic Ioſephus. Quibus omnibus miraculum adſcribam, quod Epiſcopus Burgenſis in Hiſpania eueniſſe teſtatur 2. *p. Scrutinij diſt.* 6. *c.* 10. Duo ex Iudæis Prophetarum loco habiti redemptionis ſignum anno à Chriſto nato 1295. fore conſpiciendum, cæteris prædixerunt, in ſpem conſpiciendi ſigni adducti, ieiunijs, eleemoſynis, atque orationibus antè parati, albis ex more veſtibus è lino, vel ſerico amicti, Synagogas ingreſſi ſunt. Miſericors verò Deus, antiquæ erga hunc populum miſericordiæ recordatus, quod ſperabant, redemptionis veriſſimum ſignum oſtendit. Albis omnium veſtibus admirandum crucis ſignum impreſſit, ex quo verum MESSIAM iam veniſſe crucique ſuffixum eſſe, facilè ſi vellent, poſſent intelligere. Quàm verum autem ſit hoc miraculum his verbis Burgenſis teſtatur. *Ego* (inquit) *teſtificor coram* DEO, *qui hoc ſignum contigiſſe ſæpiſſimè audiui, ab antiquioribus Iudæis nemine contradicente in ipſo facto, niſi ſolùm in cauſa facti, quia quidam eorum hoc attribuebant magicis artibus.* Hæc Paulus Burgenſis Epiſcopus, qui vt ex Iudaiſmo Chriſto nomen dedit, ita Iudæorum res egregiè perſpectas habuit.

C. II. Prædicatores mitti debent.

Nunciat SECVNDÒ, Nullum Prophetam aut Religionis reformatorem recipiendum niſi ſuæ miſſionis ſufficientia edat teſtimonia. Etenim Ioannes noſter præterquam quòd à S. Luca oſtenditur hîc non vſurpaſſe ſibi prædicandi officium; ſed à Deo accepiſſe; exhibet etiam huius rei teſtimonium partim ex Iſaiæ vaticinio, qui de ipſo Prophetauit, *cap.* 40. *Vox clamantis in deſerto*, &c. quis autem alius prædicare in deſerto viſus eſt? partim ex vitæ auſteritate & ſanctitate ab ipſomet Chriſto commendatâ. Dum ergo ex Iſaiâ probat Ioannes ſuam miſſionem Phariſæis ad ſe miſſis, indicat non audiendos illos prædicatores, qui ſuæ miſſionis rationem legitimam edere nequeunt; quales ſunt omnes Hæreſum præcones; qui proinde ne mirentur, ſi eorum miniſteria & commenta ab Eccleſiâ reprobentur & damnentur. Quod enim Phariſæi fecerunt, dum à Ioanne rationem petierunt nouæ ſuæ cæremoniæ baptiſmatis: hoc etiam iure meritò facit Eccleſia, cùm in religionis nouitates & Nouatores ſedulò inquirit.

D. III. Vox ſit vnuſquiſque.

Nunciat TERTIÒ, Doctores & Rectores inprimis, deinde Chriſtianos omnes voces eſſe debere, ita vt quod docent, imperant, profitentur, factis & exemplo ſuo demonſtrent. Hac enim de cauſa Ioannes vocem ſe appellauit, quia non ſolùm vocem docentis edidit, ſed ipſe totus vox fuit. Clamauit enim ore: clamauit victu: clamauit veſtitu: clamauit domo & lecto, degens in ſolitudine. Concionatores tubæ ſunt, vnde illis dicitur: *Quaſi tuba exalta vocem tuam*, *Iſa.* 58. Tuba autem dum ore inflatur, manu fortiter retinetur. Manus ergo ori, facta voci iungi debent, ne alioquin dicatur id *Gen.* 25. *Vox quidem vox Iacob, manus autem manus ſunt Eſau.* Vox lenis, manus aſperæ: vox agnina, manus hœdinæ & hirſutæ. Quid hac de re S. Bernardus? *Monſtroſa res eſt*, inquit, *l.* 2. *de Conſiderat. ad Eugenium Papam, ſedes prima & vita ima: lingua magniloqua & manus otioſa.* Quid S. Proſper? *Bene docere & malè viuere*, inquit, *quid aliud eſt, quàm ſe ſua voce damnare?* Quid Nicolaus V. Papa? *Doctrina ſine bona vita eſt venenum*, aiebat, *cum bona vita autem eſt remedium ad omnia.* Quid Abbas Paſtor? *Si quis*, inquit, *docet aliquid & non facit quod docet, ſimilis eſt puteo, qui omnes ad ſe venientes ſatiat & ſordes delet, ſeipſum autem purgare non poteſt, ſed omnis ſpurcitia & immunditia in eo eſt.*

B. IV. Chriſtianis auſterè viuendum.

Nunciat QVARTÒ, Regnum cœlorum vim pati; ſiquidem ex Eremo quaſi è rigidiſſimo monaſterio concionatur Ioannes, non vtique id, quod Epicurei dicunt: *Edamus & bibamus; cras enim moriemur*; ſed potiùs quod Dominus dixit: *Contendite intrare per anguſtam portam*: Hoc enim clamat ſolitudo, victus & veſtitus Ioannis, quam ob cauſam etiam videtur dixiſſe Dominus: *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud. Matth.* 11. quia ſcilicet ſuâ prædicatione effecit & permouit ſuos Auditores, vt regno cœlorum vim inferrent & violenter illud raperent per opera & fructus pœnitentiæ, vt explicat Sanctus Gregorius *homil.* 20. *in Euangel.* Hoc enim Iudæis perpetuò inculcauit non verbo tantùm, ſed & multò magis exemplo ſuo: *Genimina viperarum*, dicebat, *facite fructus dignos pœnitentiæ*, &c. effecitque vt turbæ, publicani, milites ad ipſum venirent, monita ſalutis acciperent, baptizarentur & peccata ſua confiterentur. Fingunt quidem Hæretici noſtri (Centuriatores Magdeburgenſes *l.* 1. *c.* 19. alijque) nequaquam ita auſterè, vti ſonant verba, vixiſſe noſtrum Ioannem: ſed

pro

pro solitudine assignant ei domum paternam loco solitario positam: Vestem è pilis camelorum aiunt fuisse vestem vndulatam, camelot: locustas verò cancros marinos vel auiculas syluestres. Hæc nimirum ipsorum gustui arrident. Verùm impostores istos, quis non deprehendit? Nónne Dominus de Ioanne dixit: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens*; hoc est, adeò vili & modico victu degens, vt nullo, dicere possis. Ieiunium igitur & austeram viuendi rationem instituit & prædicat Ioannes vt ad sui imitationem inuitet Christianos, qui non carne sed spiritu robusti esse debent. Constat autem animam exarescere quando impinguatur & fouetur caro: contra etiam arescente carne impinguari spiritum. Quod enim *Iudicum 6* visum est in vellere Gedeonis, id cernitur & in animâ. Cùm cecidit ros in vellus, tunc area circumiacens sicca fuit: cùm cecidit ros in aream, vellus siccum & aridum remansit. Cùm arida est nostræ carnis terra, vellus animæ madidum est & cœlesti rore perfunditur: Cùm verò caro madet, sterilis est anima. Ergo Christianorum est viuere austerè & carnem edomare. Audiamus S. Basilium *Reg. 17. Vt*, inquit, *optimus corporis habitus & coloris bonitas pugilem à cæteris distinguit: sic Christianum à cæteris discernit macilentia corporis palloráque deflorescens*, &c.

F. V. Solitudo amanda.

Clamat QVINTÒ, fugiendos sæculi tumultus, & quantum fieri potest, solitudinem amandam. Vbi enim putatis factum est verbum Domini ad Ioannem? nunquid in domo paternâ? nunquid in aulâ Herodis? nunquid in foro aut frequentia hominum? minimè: sed *factum est verbum Domini super Ioannem in deserto*, ait Scriptura. Vt enim suauissimæ cytharæ concentum audias, populi strepitum fugias necesse est: ita cum DEO suauiter locuturus eiúsque inspirationes percepturus, tumultus hominum & negotiorum sæcularium vitare debes. Ita Moyses postquam ad interiora deserti minauit gregem suum, audiit loquentem sibi DEVM è rubo, *Exod. 3.* Ita piissimus & Theodidactus ille Thomas de Kempis quoties in monasterio suo inter fratres occupatus, sensit inspirationem diuinam, quâ velut sponsa euocaretur ad cœlestem sponsum, mox actionem vel colloquium abrumpens, valedicebat fratribus & in cellam secedens aiebat: *Charissimi fratres, oportet me secedere: est enim qui in cellâ me expectat.* Ibi mox instar Samuelis Deo dicebat: *loquere Domine quia audit seruus tuus.* Vt in eius vita. Idem etiam in libello suo de *imit. Christi l. 1. c. 10.* scribit: *Quoties inter homines fui, minor homo redii.* Non dissonè ab eo, quod dicebat S. Antonius ad imperatorem Constantinum euocatus ex Eremo, ire tamen renuens: *si ad Imperatorem venero, Antonius ero: sin minùs, Abbas Antonius.* Hanc denique solitudinem animæ cōmendaturus Deus ait per Oseam *c. 2.* *Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor eius.* q. d. suauiter, efficaciter, cōsolatoriè &c. Quando ergò nos cum Monachis in stabili illa solitudine versari nequaquam possumus, curemus saltem vt instante sacro aliquo tempore deuotè peragendo, vel cùm inspiratione diuinâ euocamur ad quietem animæ recipiamus nos in solitudinem aliquam, si non loci ab hominibus remoti, saltē cordis nostri vel templi, vbi in silentio audiamus, quæ saluti nostræ expediunt; incipiamus ab hoc die præparare nos in occursum Christi, &c.

G. VI. Paranda via Domini.

Clamat SEXTÒ. *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*, In libro *Gen. c. 41.* memoriæ proditū est Iosephum regijs insignibus à Pharaone decoratum, currui eius impositum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent (Hebr. abrech, id est flecte genu) & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. Iosephum Christi typū fuisse scimus. Sed quis ille præco currum eius præcedens? Non alius nisi Ioannes, Dōmini præcursor, qui eum vniuerso mundo annuntians, monuit vt omnes coram eo genua flecterent Dominumque suum agnoscerent. Hoc enim est, quod ait: *Parate viam Domini.* Quomodo verò paranda sit, mox subiungit: *Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt praua in directa & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei.* Nos ergo, qui Christum nostrum in festo eius natalitio venturum ad nos præstolamur, paremus ei viam & tollamus hęc impedimenta, Primò vallem, id est, inanem trepidationem & pusillanimitatem, quæ non paucos retinet ne ad pœnitentiam & S. communionem se disponant. Secundò superbiam & præsumptionem, quæ est instar montis, proinde deprimenda & complananda. Cogitandum quàm se Christus depresserit, cùm è cœlo in terram descendit & infantili in corpusculo ad præsepe se inclinauit: quamque humili specie descendat ad nos etiamnum in S. Eucharistia. Tertiò prauitatem iniustitiæ, quæ ita coæquanda, vt iniurię remittantur; ablata cui debentur, restituantur, &c. Quartò morum asperitatem & insolentiam, quę ita corrigenda, vt efferas nostras passiones perdomemus & agni quidam è lupis euadamus, &c.

CONCIO IX.

Mysteria.

1. *Quæritur cur in hodierno Euangelio fiat mentio Imperij Romani?*
2. *Quinam Tetrarcha?*
3. *Quomodo duo simul Pontifices?*
4. *Cur baptismus Ioannis baptismus Pœnitentia?*
5. *Quæ concio Ioannis?*
6. *Cur Ioanni commendatum munus prædicandi?*
7. *Cur circa Iordanem?*
8. *Cur præcursor Christo præmissus.*
9. *Prophetia Ioannis quomodo impleta.*

THEMA.

Anno 15. Imperij Tiberij Cæsaris, &c. Luc. 3.

IN hodierno Euangelio incipit Ioannes prodire ex Eremo, prędicare pœnitentiam & A.

reprehendit, ab ijsdem immunem esse; ne alioquin ea ipsimet obijci possint, sicuti Moysi corripienti Hebræum obiecit ille: *quis te constituit Principem & iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* Exod. 2.

2. Secundò, quia ipse licet innocentissimus, austerissimam tamen vitam interim ducebat, atque ita peccatores ad pœnitentiam agẽdam, efficaciter mouere poterat. Dum enim in tantâ vitæ innocentiâ tantam austeritatem vidẽt, cogitare incipiunt, quid sibi faciendum sit: si hæc in viridi ligno cernunt fieri quid fieri debeat in arido.

3. Tertiò, quia quò quisque purioris est vitæ, eò magis cognoscit & ponderat peccati labem, peccandi pericula, remedia, &c. Ipsius enim animus est quasi tersum quoddam speculum, in quo ea omnia videt, vnde & alijs, qui hæc non intelligunt, tantò clariùs annuntiare potest.

H. VII. Cur Ioãnes circa Iordanẽ? Q. SEPTIMA, Cur habitare & prædicare elegit Ioannes circa regionem Iordanis? Resp.

1. Primò, quia præter loci illius commoditatem ad vitam solitariam, fluuius ille à DEO miraculis celebratus fuit. Nam fluxus eius stetit, cùm arca DEI transiret & vnà filij Israël *Iof* 3. per eundem Elias & Elisæus siccis pedibus transierunt, postquam Elias pallio suo percussit eius aquas 4. *Reg.* 2. In eodem Naaman Syrus à leprà mundatus est, postquam ex consilio Elisæi septies in eo se lauit 4. *Reg.* 5. in eodẽ ferrum securis ad mandatum Elisæi enatauit 4. *Reg.* 6. Denique in eodem fluuio Christus baptizandus erat *Matth.* 3.

2. Secundò, quia fluuius ille Primò Ecclesiam repræsentat. Nam è duobus fontibus Ior, & Dan confluentibus oritur: vti Ecclesia ex gentibus & Iudæis coaluit. Secundò, Mundum, quia cùm sit amœnus fluuius, in mare mortuum tamen influit, & *in eo perdit laudatas aquas, pestilentibus mixtas*, vt ait Plinius *lib.* 5. *cap.* 15. ita mundus transit & concupiscentia eius, omnes enim morimur & sicut aquæ, quæ non reuertuntur, dilabimur in mare mortis. Et quidẽ dulces sunt aquæ mundi, dummodò in alueo vitæ huius fluunt: at postremùm omnes in mare amarum defluunt & amaræ fiunt, ac sæpe noxiæ & pestilentes, cùm in æternam mortem permutantur. Quoniam igitur Ioannes venit, homines mundo deditos arguere & reuocare à vitijs ad pœnitentiam, à morte ad vitam: rectè iuxta Iordanem posuit sedem suam. Vnde adhibuit acres reprehensiones & comminationes diuini iudicij: *Genimina Viperarum: quis ostendit vobis fugere à venturâ irâ?* Et *Veniet fortior me, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et: *omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur & in ignem mittetur* Luc. 3. Vnde appositè Iordanes exponitur fluuius seu delapsus iudicij; siquidem Ioannes perpetuò inculcauit peccatoribus iudiciũ & delapsum ad illud.

3. Tertiò, quia sicut fluuius ille terminus erat terræ sanctæ & diuidebat eam à Moabitis, Arabibus & alijs gentibus: ita Ioannes erat legis veteris terminus ac limes & initium nouæ, vti vocatur à S. August. *l.* 3. *contra duas ep. Pelag. c.* 4. à S. Thoma 3. *p. q.* 38. *art.* 1. In eo desijt Iudaismus & incepit Christianismus, vt ait Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcion. cap.* 33. Vnde *fibula legis & gratiæ* vocatur à Chrysologo *serm.* 91.

I. VIII. Cur præcursor Christo præmissus? Q. OCTAVA, Quare præmissus Christo præcursor? Resp. Primò, Vt eius testimonio & sanctitate disponeretur mundus ad credendum, venturũ esse Messiam DEI filium. Vnde *Ioan.* 1. de eo dicitur: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Difficile enim erat mundo præsertim tam cœco & peruerso plurimisque erroribus imbuto credere, adesse Deum in carne mortali hominibus, præsertim in tam humili formâ. Testem igitur aliquem habere debebat omni exceptione maiorem & talis erat Ioannes, qui ob vitæ sanctitatem & prophetiæ spiritum, tantæ erat auctoritatis vt dubitarent aliqui num ipse esset Christus. Deinde hoc ipso, quòd cœperant homines dubitare, num Ioannes licet omni maiestate, opibus, dignitatibus destitutus, esset CHRISTVS: iam disponebantur ad credẽdum fieri posse vt Messias veniat, & quidem, velut abiectus, pauper & mundi contemptor. Quemadmodum enim ij, qui è diuturnis tenebris siue carceris obscuri, siue oculorum liberantur, non illicò ad lucem educuntur, sed primùm vmbris, deinde maiori lumini assuefiunt, donec firmatâ oculorum acie, solis ipsius radios pleniùs intueri possint: ita DEVS mundum, qui tanto tempore in tenebris & vmbrâ mortis sederat, paulatim educere ad filij sui cognitionem voluit, primùm quidem per vmbras, id est, figuras, Prophetias & sacrificia veteris legis: postea per luminis alicuius sed tenuioris, id est Ioannis intuitum; vt docet Petrus Chrysol. *serm.* 87.

Secundò, Ob venturi Messiæ dignitatem. Decet enim ante Ducem præcedere armigerum eius: aulicum ante Regem, vt maiori cum reuerentiâ Rex ipse sequens excipiatur. Quare cùm Ioannes tantæ licet auctoritatis & sanctitatis assereret se non esse Messiam, sed seruulum eius tantùm; imò indignum ad soluendam calceamenti eius corrigiam; nónne homines hoc audientes aduertere debebant, quantâ obseruantiâ excipere Messiam deberent?

K. IX. Prophetia Ioannis quomodo impleta? Q. NONA, Quomdo impleta est prædictio Isaiæ & Ioannis, in aduentu Christi: *Omnis vallis implebitur*, &c.? Resp. Valles esse impletas, quia Christus humiles impleuit gratiâ & exaltauit, vti B. Virginem, Ioannem Baptistam, Elisabetham, Apostolos pauperes & abiectos, Vnde Maria canit: *Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles:* partim quando loco angelorum de cœlo exturbatorum euexit homines in eorum sedes; partim dum superbos Iudæos reprobauit & eorum loco elegit Ethnicos

Montes humiliatos, dum primò Dæmonem confregit, ita vt etiam paruulis inposterum ludibrio esset. Secundò mundum, hoc est,

Tyran-

raculosa præstitit, qualia nullus vnquam. Ipsemet in vitâ suâ fuit miraculum humilitatis, paupertatis, charitatis, patientiæ, austeritatis vitæ.

4. Quartò, In doctrinâ, quæ fuit mira & priùs inaudita ac prorsùs paradoxa, veluti beatos esse pauperes & qui persecutionem patiuntur, infelices contra diuites, diligendos esse inimicos, & iniurias non modò nõ vindicandas, sed hilari animo excipiendas, honores fugiendos, ambiendum potius vltimum locum, &c. Denique sermo tantæ fuit efficaciæ & potentiæ, vt de eo dicerent: *Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo. Ioan.* 8.

5. Qvintò, In passione, quando affixus Cruci mouit cœlum & terram varijs prodigijs, & quando orauit pro inimicis: quando Latroni paradisum promisit: quando clamãs expirauit.

6. Sextò, In resurrectione. Quemadmodum enim Ionas, teste Domino *Lucæ* 11. fuit signum Niniuitis (cùm videlicet à Ceto deuoratus & rursũ in littus eiectus fuit) ita & multò maius signum fuit Christus, orbi cùm mortis faucibus absorptus, post triduum vitę restitutus est.

7. Septimò, In ascensione, quando proprijs viribus, nullo adminiculo, videntibus Discipulis ad cœlos ascendit.

8. Octauò, In orbis subactione & conuersione, per duudecim Apostolos, rudes, inermes, pauperes.

Huic contradicũt. *1. Iudæi.* Verùm huic tam grandi ac manifesto & per vniuersum orbem coruscanti miraculo contradixère olim & contradicunt etiamnum perfidi Iudæi, qui cùm semper exspectarint Christum, venientem non agnouerunt neque audierunt, quòd non eo habitu, quem regium fore credebant, ipsis apparuerit. Itaque ei contradixerunt non verbis tantùm, sed factis etiam & verberibus, eijciendo eum extra Ciuitatem & crucifigendo. Gentiles è contra, qui nec agnoscebant nec quærebant Christum, ad eius famam excitati sunt ad quærendum eum, nec difficilè inuenerunt. Id quod ex Isaiâ ostendit Apostolus ad *Rom.* 10. dicens: *Isaias audet & dicit:* (in persona Christi) *Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui ijs, qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die* (id est, totâ vitâ meâ, in primis verò in cruce) *expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.*

2. Turcæ. Contradicunt deinde Turcæ, qui cùm Domini sepulchrum habeant apud se & quotidie terant vestigia Saluatoris nostri & monumenta tot miraculorum ab eo patratorum: videant etiam miram & indebilem Christianorum erga eã deuotionem ac peregrinationem, necnon diuinam vim ac potentiam, quâ loca illa sacra seruantur adhuc immota inter medios hostes, nec sine periculo vltionis diuinæ moueri aut deleri ab eis possunt: nihilominus impiè Christo diuinitatem negant, & turpissimum suum Mahumetem præferunt, Christi denique cultores acerbissimè persequuntur & tractant.

3. Hæretici. Contradicunt & Hæretici, qui perperam in Christum credunt, quia sibi potiùs quàm Deo reuelanti credunt, & inprimis maximo illi Christi miraculo, quo per vniuersum orbẽ suam propagauit fidem & adhæc vsque tempora illæsam & illibatam conseruauit insanissimè contradicunt, dum nouam religionem ac fidem cudunt & sectantur, priùs orbi inauditam & vni terræ angulo inclusam; quod aliud non est, quàm euertere fidem Christi, quæ sanè Catholica esse debet & vniuersalis siue tempora spectes, quibus à Christo ad nos vsque deriuata & conseruata esse debet; siue loca & regiones, quibus vndique propagata.

C. II. In signũ, id est, vexillum. 1. Secvndò, Positus est in signum, id est; in vexillum, præsertim in cruce pendens, iuxta Chrysost. & Theophylactum. Porrò vexillum Crucis seu Christus crucifixus positus est Primò in signum reconciliationis humani generis cum Deo, seu fœderis inter homines & Devm, secundum Caietanum & Dionys. Carthus. quo modo vexillum candidum fixum supra mœnia pacis signum est; quemadmodum arcus cœlestis quondam Noë datus est in signum fœderis. Arcus ille cœlestis duo habet cornua, similiter & Crux; Arcus ille partim cœlum, partim terram videtur tangere: Sic mediante Cruce terra cœlo iuncta & confœderata est. Arcus ille pacis signum erat & securitatis à diluuio: Similiter & Crux signum est promittens securitatem à diluuio gehennæ.

2. Secundò, In signum salutis & redemptionis nostræ, quomodo in figurâ eius serpens positus & propositus fuit Hebræis in hastâ vel perticâ vexillari, pro signo (Hebr. habetur, super vexillum) vt scilicet omnibus eum aspicientibus esset signum & instrumentum salutis recuperandæ post ignitos serpentum morsus. *Num.* 21. Vt enim serpens ille, cùm venenum non haberet, suspensus tamen in alto, venenum à læsis pellebat: Ita Christus etiam cùm à peccato immunis esset, in cruce suspensus deleuit hominum peccata. Et sicut aspicientes serpentem, sanabantur; non aspicientes, non sanabantur: ita & qui Christum per fidem & contritionem intuentur, sanantur à lethalibus peccatorum morsibus: non item, qui non intuentur.

3. Tertiò, In signum militare seu militiæ Christianæ, vti ad hoc vexillum omnes congregemur, & sub eo militare non dubitemus, sed potiùs omni pudore ac timore posito, in eo gloriemur, quoniam Christus Dominus primus id gestauit & suo contactu sanctificauit, nosque in eo tanto pretio emit. De hoc legimus *Isaia* 9. *Qui stat in signum* (Hebr. vexillum) *populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Et post pauca: *leuabit signum in nationes & congregabit profugos Israel & dispersos Iuda colliget à 4. plagis terræ.* Quemadmodum enim Dux erecto vexillo congregat milites suos: vnde dicimus **Er hat einen Fahnẽ auffgericht**) Sic Christus erectâ Cruce suâ vocauit & congregauit ad se gentes & Iudęos, iuxta suã prædictionem *Ioan.* 12. *Ego si exaltatus fuero à terrâ omnia traham ad meipsum.* Hoc idem militiæ nostræ signum

ceu signum *Tau. Ezech.* 9. vt magis nobis imprimeretur, infixum est frontibus nostris in Baptismo & Confirmatione, in signum distinctionis nostrûm à gentilibus & Iudæis: quo modo signantur oues certo charactere, vt discernantur ab alijs.

Huic contradicunt.

1. Verùm contradicunt huic Primò, qui pactum cum Deo in pœnitentiâ factum, irritum faciunt per relapsum: & præsertim ij, qui à fide semel susceptâ relabuntur in hæresin vel perfidiam Ethnicorum aut Iudæorum; quos Apostolus *ad Hebr.* 6. existimat renouari per pœnitentiam non posse, id est, difficillimè posse, eò quòd rursum (quantum in se est) crucifigant sibimetipsis filium Dei: si enim passio Christi infiniti valoris non fuisset, adeoque ad omnium sæculorum peccata delenda sufficiens, oporteret Christum toties mori, quoties mortaliter peccant homines, sicut victimæ Aaronicæ toties mactari & offerri debebant, quoties peccabant Iudæi. Quotquot igitur non desinunt arcum suum intendere & peccatorum iacula, blasphemias præsertim, emittere contra Deum, contradicunt Iridi Crucis, quam in signum pacis erexit nobis DEVS inter cœlum & terrâ: contradicunt, inquam, magis quàm Iudæi, quia *si illi cognouissent Dominum gloriæ, non crucifixissent.* Christiani agnoscunt illum & credunt esse Dominum gloriæ, & tamen crucifigunt.

2. Secundò, Qui vexillũ crucis pro salute nostrâ erectum intueri nolunt per fidẽ & pœnitentiã. Per fidem, vti gentiles, Turcæ, Iudæi & Hæretici. Per pœnitentiam, vt Christiani, qui cùm lethalibus peccatorũ morsibus pleni sint, ad Christum tamen crucifixum eiusque merita & Sacramenta non aspiciunt, nec vtuntur pharmaco pœnitẽtiæ, tanto pretio sibi parato. Plerumque contingit, vt qui lethaliter morsi non sunt, frequentent Sacramenta: contrà qui vulneribus peccatorum scatent, non frequentent.

3. Tertiò, Qui cùm videant exemplũ Christi crucifixi, ad crucis vexillũ congregari nolunt, hoc est, disciplinæ Christianæ iugum fugiunt aut excutiunt, sequentes suas concupiscentias & desideria carnalia. Crux quasi signum in biuio positum ostendit nobis viam cœli, quæ est via crucis arcta. Cõtradicunt ergò huic signo, qui hoc spreto eligunt viam voluptatis latam. Multi tales Christiani; sed insuper nõ pauci impugnant proprium vexillum, qui virtutis viam eiusque sectatores irrident & persequuntur. Mirum non est hostes impetere vexilla aliena suis hastis & sagittis: id verò mirum & dolendum, facere hoc milites proprijs vexillis, sub quibus ipsi militant. Deflet hos omnes Apost. ad *Philip.* 3. dicens: *multi ambulãt, quos sæpe dicebã vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est.*

4. Denique qui cùm cruce signati sint, viuunt velut Ethnici & Pagani, vt ab his discerni facilè non possint. Crucem in fronte pictam veluti ad portam Vrbis gerunt, nequid in animã suam intromittant hostile & contrarium Deo; quod tamen dum ipsi negligunt, an non Deo contradicunt? Tales, qui inter alios Christianos accedunt velut oues ad sacram communionem, interim tamen hœdi sunt fœtentes, quòd vel malè confessi, vel non sint contriti.

D. III. In signum id est, Scopum.

I. Malis iaculatoribus.

I. Iudæis.

TERTIÒ, positus est in signum, id est, in scopum ad quem iacula mittuntur; quo sensu dicitur *Thren.* 3. *posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ*, id est, sagittas. Huc propriè respexit Simeon, cùm dixit Christum esse positum in signum. Et primò sensu literali propositus est Iudæis maximè, quia ipsi sibi Christum tanquam scopum præfixêre, in quem iacula calumniarum & blasphemiarum, nec non odij sui tela, omnis generis tormenta quæ in ipsum excogitârunt, effunderent. Quod sanè impensè præstiterunt, modò insidias ei tendendo vt caperent eum in sermone; modò doctrinam & miracula, modò vitam eius carpendo: modò excogitando falsa testimonia, quibus eum accusarent; modò supplicia priùs inaudita, vt coronam spineam, &c. Verùm absit hoc à nobis, vt cum pessimis Iudæis iaculemur ad hunc scopum. Audistis forsitan iudicium Ariopharnis Thracum Regis, quod Authore Diodoro Siculo. *lib.* 2. fuit huiusmodi. Tres Cimmeriorum Regis filij de paterno regno contendentes, iudicem elegêre Ariopharnem. Hic iubet patris cadauer sepulchro erui, arbori alligari & eos arcu contendere, vt qui patris cor transfixisset, is in regnum succederet. Primogenitus guttur, secundus medium pectus corde illæso transfixit. Supererat minimo spes regni. Vicit pietas & se regno cedere malle, dum in patris cadauer pietate superior esset, professus, iaculari detractauit. Huic Thrax regnum adiudicauit, quia naturæ propensione se & verè filium & virtute præstantiorem ostendisset. Hunc in modum CHRISTVS positus est in signum seu scopum, non quidem ex DEI intentione, sed ex malitiâ hominum, ad quem iacula sua emitterent; quo sensu dixit Apostolus 1. *Cor.* 1. *Prædicamus Christum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Iaculati inprimis sunt Iudæi, cùm in Crucifixum eructârunt omnis generis contumelias; *Alios saluos fecit, seipsum saluum faciat, si est Christus Dei electus. Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Vah, qui destruis templum Dei & in triduo reædificas illud! Salua temetipsum, si filius Dei es; descende de cruce.* Posteà verò dum in ipsum ampliùs sæuire non poterant, in crucem eius debacchati sunt, vt quando anno 415. in loco Inmestar, inter Chalcidem & Antiochiam puerum Christianum cruci alligârunt (ad opprobrium Christi) & suspẽsum verberibus vsque ad mortem cruciârunt, apud Baron. anno 415. Et anno 765. quando Beryti imaginem CHRISTI illuserunt & crucifixerunt, lanceâ item in latere vulnerârunt; vnde tanta sanguinis & aquæ manauit abundantia, vt Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo vbertim acceperint. Baron. anno dicto. Post hos iaculati sunt in Christum Gentiles; è quibus Apostata Iulianus iaculo inuisibili tactus, sanguinem è vulnere profluentem, 2. *Gentilibus.*

fluentem, versus cœlum, quasi in Christum eiaculatus dicensque: *Vicisti Galilae*, desperatus
3. *Turcis.* perijt. Quibus accensendi inprimis Turcæ, qui captâ Constantinopoli, Venerandam Crucifixi imaginem tympanis præeuntibus per vicos & plateas ex vrbe in castra abripuerunt, sputo, luto, iaculis, pileo capiti ignominiosè imposito omnique aliâ contumeliâ dehonestárunt, hoc addito elogio: *Hic est Deus Christianorum*; vt scribit Leon. Chiensis Mitylenæus Archiepiscopus orat. de postremâ captiuit. Constant.
4. *Magis.* Deinde Magi illi, qui vt homagium Dæmoni præstent, feriâ 6. maioris hebdomadæ, in S. Crucifixi imaginem aliquam, vt in scopum, tela collimant, inde sagittarij dicti, apud Delrium *to. 2. disquisition. l. 3 p. 1. q. 4. sect. 4.*
5. *Hæreticis.* Denique hæretici Caluinicolæ, qui in S. Christi imaginem nefanda exercuerunt hodieque exercere non timent. Inter alia scribit Rossæus *l. de iusta reip. in Reg. authorit. Ijdem fratres in Diœcesi Carnotensi longè vltra hanc vel Aurangiorum, vel Turcarum diritatem progressi sunt, qui in Ecclesiam quandam, vbi Sacerdos diuinum illud Christianorum sacrificium peragebat, irrumpentes, proculcatâ suis pedibus sacrâ hostiâ, & effuso sanguine, calice loco matula abutentes, & sacerdotem ad vrinam ebibendã compellentes, mox eundem cum crucifixi Christi imagine altè colligârunt, & Christum cum Sacerdote plurimorum sclopetorum glandibus transfixerunt. Quod facinus, plusquam diabolicum, à multis Euangelicis in alijs plerisque locis factitatum fidelissimi Historici annotarunt.*

Atque hæc sunt iacula, Iudæorum & Gentilium, horumque affinium hæreticorum. Verùm iaculentur impij isti, exserant in Christum virus & odium suum; nos verò quiduis pati, quiduis agere malumus, quàm eiusmodi sagittas mittere in Christum Dominum, optimum patrem nostrum. Non desunt tamen è fidelium numero aliqui, qui iracundiæ œstro perciti, simile scelus audent.
6. *Fidelibus.* Exstat huiusmodi sceleris memoria apud Moguntiam. Ea verò historia sic refertur à P. Nic. Serario *de rebus Mogunt. l. 5. in Adolpho. Anno salutis nostræ M.CCCLXXXIII. fuit in his regionibus homo quidam cui nomen* Schelltropff: *de cuius origine & patria neque aliquid adhuc compertum habeo: neque magnoperè attinet inuestigari. Humili certè genere & ex infimâ plebe fuisse ortum fama cãsonuit: sed qui natalium obscuritatem, veluti alter Herostratus, incensor delubri Ephesiæ Dianæ, insigni scelere illustrauit, immortali quadam infamiâ nominatissimus. Hic igitur cùm alioquin naturâ præditus esset maligno ingenio, factus est etiam vltrò tam licentiâ, quàm consuetudine peccandi deterior. Neque flagitijs tantùm, sed etiam infamia ipsâ delectatus, in lustris & tabernis ætatem agebat. Fuit autem appetentissimus ludi: ex quo pleraque vitiorum genera, tãquam vermes è putri cadauere vbertim erumpunt; præcisè verò impietas erga Deum inde nascitur: quâ duce* Schelltropff *tantum nefas admisit, quantum vix omnibus retrò sæculis auditum est. Cùm enim alioquin volens pro consuetudine suâ fortunam ludi experiri, quosdam etiam sui similes ad eius rei contionem illexisset (nam fere nunquam in magnâ ciuitate complices peccaturo defuêre) itum est ab illis in quoddam diuersorium publicum siue tabernam suburbij Moguntini* Filchbach *appellati: Nomen verò & signũ ipsius tabernæ, flos erat, dicebaturque vulgò;* Zu der Bluemen: *cumque illic aliquandiu taxillis lusissent, contigit fortè vt* Schelltropff *parum prosperâ fortunâ vsus, pecuniam ferè omnem quam habebat perderet, multumque detrimenti (opinione sua) acciperet: quod cùm per ludi progressum nedum nõ emendaret, verùm etiam immodicè augeret, cœpit tandem (vti solebat) grauiter stomachari. Et post conuitia collusoribus dicta, Deum etiam & sanctos blasphemare. Sunt qui referant eum hac ira & impietate succensum palam fuisse minitatum: quamcunque Crucifixi IESV imaginem primùm obuiam habuisset, ab ea se præsentis damni pœnas & vindictam repetiturũ. Quod etsi hominis impietati plurimùm congruebat multumque credibile est: tamen id pro comperto affirmare non ausim. Hoc sanè constat, eum à socijs nihil pacatiora animo digressum peruenisse ad sacellũ quoddam inter ædem diui Albani & hanc B. Virginis Ecclesiam situm: Vbi iam olim hæc simulacra fuerant reposita. Plenus erat* Schelltropff *haud dubiè impietatis, & quod scelus abominabile iam dudum animo conceptum mox effundere concupisceret. Quamprimùm ergò ad id sacelli peruenit, hanc imaginem crucifixi dissecuit: ita vt nec vllatenùs hæreret quidem. Mox diuæ Virginis aliorumque sanctorũ signis Cruci astantibus cæsim & punctim plurimaque vulnera inflixit. Haud absimilis lupo: qui maiore interdum cædis libidine quàm fame percitus in ouile indefessum grassatur. Hactenus* Schelltropff *debacchatus est. Quæ verò sequuntur ad vindictam diuinam & miraculum ipsum pertinent. Terrificus enim & admirabilis ille cruor, quem hîc tibi videre licet, subitò ex vulneribus à crudelissimo illo sicario passim illatis effluxit: ceu nõ lignea simulachra sed viui homines eam iniuriã perpessi forent. Crederes Deum ipsum tanto scelere appetitum quodammodo indoluisse: & tam stupendo miraculo veluti manifestâ doloris Confessione, mortales ad vindictam faciendam animâsse.* Schelltropff *autem iam expletâ impietate suâ siue nutu Dei affixus, siue ipso cruoris miraculo exterritus, inde pedem non mouit, donec à superuenientibus in flagranti crimine deprehẽsus, & in vrbem Moguntinam captiuus deductus est: non iam sua sed diuina ira memor, anxiusque metu pœnarum, quas paulò post dedit: non quidẽ flagitio suo respondentes (non enim tanta impietati par supplicium excogitari poterat;) sed quas homini homines infligere debuerũt. Viuus enim inspectu populi exustus est, non longè ab vrbe in eo loco, quem Iudæorum arenam vulgò appellant: quòd Iudæi quondam cadauera sua illic humare solerent. Hâc morte impijssimus ille* Schelltropff *consumptus est, imagines verò vulneribus & cruore insignes ab ædicula illã veteri ad hoc templũ summa veneratione sacerdotum manibus translata fuerunt. Vbi in hodiernũ vsque diem terrificus ille cruor visitur & admodũ religiosè colitur: multiq; mortales variè afflicti, suscepto votis Dei Opt. Max. clementiam experti & salutem adepti sunt.*

SECVNDÒ, propositus est Christianis sensu contrario & mystico, vt ad scopum hunc iaculentur. E. IV. Bonis iaculatoribus.
Primò, ad eum dirigendo veluti ad finem, omnia cogitationum, sermonum & actionum suarum tela, iuxta id Apostoli 1. Cor. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid fa-*

citis: omnia in gloriam Dei facite. Et *ad Coloss.* 3. *Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere: omnia in nomine Dei nostri Iesu Christi.* q.d. ad Christi gloriam veluti ad scopum referte. Scribit Tertullianus *l. de Corona militis*, & S. Hieronymus ad Eustochium, moris olim fuisse apud Christianos vt initio operis cuiusque se signarent cruce. q.d. Hoc opus fiat ad gloriam Dei Patris & Filij & Spiritûs sancti. S. Basilius *in breuior. reg.* 19. asserit manducare & bibere nos ad gloriam Dei, cùm ad Devm inspectorem attendimus & manducamus velut operarij Dei, ad restaurandas vires; quibus ei deinceps fortiùs seruiamus.

2. Secundò, Eum audiendo & imitando vitæ sanctimoniâ. *Religionis enim summa est imitari, quem colis*; ait S. Aug. *lib. 8. de ciuit. c.* 17. Dirigendi ergò actus nostri iuxta præscriptum & exemplum Christi: quomodo pictor aliquem depingens, identidem respicit in prototypon. Ita omnium in Synagogâ oculi cùm Christus legeret ex Isaiâ summam legationis suæ, erant intendentes in eum. *Luc.* 4. Huc huc Christiani, dirigamus tela nostra exemplo Fl. Iouiani Imper. qui hoc gerebat symbolum: *Christus vita mea scopus*; quem etiam tantùm amauit vt sub Iuliano Imper. Baltheum ponere & de vitâ periclitari, quàm à Christo deficere maluerit; cumque extincto Iuliano Imperator salutaretur, priùs imperare noluit, quàm milites pronunciarent sese non gentiles, sed Christianos esse. Baron. anno 363.

Huic scopo contradicitur. 1. Verùm Christo contradicunt & ab hoc scopo aberrant, Primò qui suas actiones ad temporalia tantùm commoda referunt. Qui bene vult iaculari, sinistrum oculum claudit: dextro sagittam dirigit. Claudamus ergò sinistrum oculum terrenarum affectionum, in omnibus nostris actionibus: dextrum aperiamus, nec aliud quàm Christum quæramus; quo fiet vt omnes nostræ actiones scopum tangant & lucrum in cœlo parent. Verùm hîc Dæmon instar illius Naas Ammonitis 1. *Reg.* 11. quàm plurimis effodit oculos dextros, relinquit verò sinistros.

2. Secundò, Qui cùm dicant se Christianos, operibus contradicunt, iuxta id Apostoli *ad Tit.* 1. Confitentur se nosse Devm, factis autem negant. Quid de illo diceres, qui scopum sibi præfixum asserit esse in dextrâ parte, interim omnes suas sagittas iaculatur in sinistram? Nónne illum mentiri & tibi imponere diceres? Hoc agit Christianus, qui non viuit Christianè, id est, iuxta normam à Christo præscriptam & monstratam. Quid aliud est Christianismus quàm Christi professio & imitatio? At verò quando Christo contradicunt opera tua, quomodo non mentiris? Vide scopum, & vide iacula tua. Christus in præsepio iacet vili inuolutus panno: tu honores ambis, splendidè vis vestiri. Christus opes spreuit, pauperes elegit parentes: tu diuitijs inhias & incubas vt canis in præsepio, qui nec illis vteris, nec alijs das vtendas. Christum vides iacentem super fœno, mediâ in hyeme; Vides in cruce morientem: tu voluptatem sequeris. Vides esurientem & sitientem, felle & aceto potatum: tu gulæ tuæ seruis & epularis splendidè. Audis ignoscentem suis inimicis: tu non vis ignoscere. Audis eum diuidere cum latrone paradisum: tu non tuâ tantùm, sed & suum cuique Inuides. Hoccine non est à scopo, quem tu profiteris tibique præfixum asseris, longissimè aberrare adeoque fidem fallere, imò Christum irridere? Vos ergò dilectissimi in hoc iaculandi genere *nolite errare; Deus non irridetur*, ait Apostolus ad *Gal.* 6. ne aliquando serò nimis dicatis cum damnatis: Ergò errauimus à viâ veritatis. *Sap.* 5.

CONCIO II.

Variæ benedictiones.

Docet Author hic quorum sit benedicere, ac	*dotes:*
1. *Benedicit Deus.*	5. *Parentes liberis.*
2. *Angeli.*	6. *Homines plebeij benedicunt mensa, potu, obuiantibus & abeuntibus.*
3. *Sancti.*	
4. *Pontifices & Sacer-*	

THEMA.

Benedixit illis Simeon. Luc. 2.

A. Magni semper æstimatæ sunt benedictiones in Ecclesiâ, non ipsius Dei tantùm, sed & Angelorum & hominum quoque. Scimus enim Iacob angelo dixisse: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*, *Gen.* 32. Scimus eum fratri suo benedictionem patris, astu præripuisse, *Gen.* 27. Denique pro ingenti confusione reputabatur si cui quis præteriens benedictionem non precaretur, vt habetur *Psal.* 128. *Non dixerunt, qui præteribant: Benedictio Domini super vos.* Et quis non magni æstimet benedictionem illam, quam in hodierno Euangelio Simeon impertijt Christi parêtibus? Videamus igitur nunc, quorum sit benedicere.

B. 1. *Benedicit Deus.* Primò Benedicit Deus & quidem efficaciter seu datiuè: cùm homines non nisi optatiuè possint benedicere. Continet etiam & confert Deo benedictio omnem prosperitatem & copiam bonorum tam spiritualium quàm corporalium. *Quid est, benedixit?* ait S. Chrisostomus *in Psal.* 113. *Impleuit bonis innumerabilibus.* Vnde Dei benedictio præ omnibus alijs petenda & quærenda est. Benedicit autem Deus præcipuè iustis *Prouerb.* 10. *Benedictio Domini super caput iusti.* Item timentibus Deum *Eccl.* 1. *Timenti Deum bene erit in extremis & in die defunctionis suæ benedicetur.* Item misericordibus *Prouerb.* 22. *qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Denique ijs qui Dei cultum & templorum decorem promouent, vti promisit *Agg.* 2. *Ex die istâ* (quâ videlicet templum restaurasti) *benedicam.* Vti verò benedictio Dei maximi facienda & exoptanda est: ita eiusdem maledictio maximè timenda & fugienda, quam incurrunt inprimis ingrati, eiusque contemptores.

res. *Psalm.* 108. *dilexit maledictionem & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

C. II. Angeli.

SECVNDÒ, Benedicunt Angeli. Sic enim Iacob tenuit Angelum & cum fletu, vt testatur Oseas *c.* 12. rogauit dicens: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Benedixit ergò illi angelus deditque nomen aliud, Israëlis scilicet, *Gen.* 32. Idem Iacob moriens dixit: *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis Gen.* 48. Adhæc S. Columba Scotiæ veteris, quæ nunc Hibernia dicitur, ciuis, vidit paulò ante mortem suam Angelum aspectabili formâ sibi & fratribus suis benedicentem; vt scribit Adamannus in eius vitâ *lib.* 3. *c.* 27. Etiam ista benedictio magni facienda est & petenda ab angelo præsertim custode, quoties cubitum imus, vel periculoso & diuturno itineri nos accingimus, rem grauem ordimur, &c.

D. III. Sancti.

TERTIÒ, Benedicunt Sancti, vti Moyses filijs Israël paulò ante mortem suam *Deut.* 33. Iosue eisdem *Ios.* 8. Dauid populo 2. *Reg.* 6. S. Simeon hodierno in Euangelio parentibus Christi. Sanctis etiam nouæ legis frequens & efficax erat benedictio. Vnde à populo magno ambitu quærebatur. S. Epiphanio Episcopo Salaminæ Cypri offerebat turba paruulos ad benedictionem certatim. Venerabili Bedæ occurrentes passim homines ceruices submittebant, vt benedictionem ab eo reciperent. Similiter S. Fulgentio Episcopo Ruspensi, S. Hilarioni, S. Theodoro Archimandritæ, S. Antonino Archiepiscopo Florentino, & alijs apud Gretserum de benedictionibus *lib.* 1. *c.* 9. De hoc S. Antonino prodit Vinc. Maynardus apud Sur. *tom.* 3. venisse eum aliquando cum comitibus ad montem Apenninum, vbi industriâ fabrorum ferrum liquefieri & fluere solebat. Porrò faber ob eorum aduentum indignatus, in blasphemias & contumelias erumpere cœpit. Mox ferrum stare & quasi congelascere, nullisque ignibus totius interuallo noctis incendi & fluere. Ergò errorem suum agnoscens faber Archiepiscopum adijt, veniam postulans sibique etiam benedici rogitans. Acceptâ benedictione redijt ferro solitus fluxus. Quin etiam gentiles sæpe magna contentione quærebant sanctorum benedictionem; vti Saraceni S. Hilarionis & Simeonis Stylitæ, de cuius benedictione mirè contendebant duæ tribus Ismaëlitarum seu Saracenorum, ita vt in se inuicem irruerent. Obsecrabat vna tribus benedici suum præfectum: contradicebat altera, suum potiùs præfectum, quàm illum benedici volebat; illum enim iustissimum esse, hunc verò alienum à iustitiâ. Vir sanctus cùm eis de columnâ minatus esset & eos canes vocasset, vix sedauit contentionem. Non sic isti inter se insanijssent, nisi diuini viri benedictionem credidissent maximam habere virtutem, vt scribit Theodoretus *in hist. religiosa.* Imò & bruta animantia benedictionem à viris sanctis nonnunquam impetrarunt; vti bini illi Leones, qui S. Paulo Eremitæ sepulchrum effoderunt, à S. Antonio, apud S. Hieronym. *in vita Pauli.* Duæ Lutræ è mari egressæ à S. Cuthberto Episcopo Lindisfarnensi apud Bedam *in vita cap.* 10.

E. IV. Pontifices & Sacerdotes.

QVARTÒ, Benedicunt Pontifices & Sacerdotes. Ita Melchisedech Abrahamo *Gen.* 14. Moyses & Aaron populo *Num.* 6. Heli sacerdos Helcanæ & Vxori eius. 1. *Reg.* 2. Ergò à pari nec minùs efficaciter benedicunt Episcopi & Sacerdotes noui testamenti. De filijs Aaron dixit DEVS *Num.* 6. se benedicturum illis, quibus ipsi benedixerint; cur idipsum non præstabit benedictioni sacerdotum legis nouæ, quorum functio longè maior & sublimior est? Non ergò parui facienda est sacerdotum benedictio. S. Antonium scribit S. Athanasius, solitum Episcopis & presbyteris ad benedicendum se caput submittere. Idem fecêre principes viri, Iustinianus Imperat. Eudoxia Arcadij Imperat. vxor, Iustinus Imper. iunior. mater S. Stephani iunioris. Angli Catholici, plerique etiam nobiles ingrediente domum sacerdote se cum totâ familiâ in terram prosternunt ab eoque benedictionem supplices efflagitant. Quod idem de veteribus Anglis testatur Ven. Beda *lib.* 3. *Hist. Eccles. cap.* 26. *In magnâ erat veneratione,* inquit, *tempore illo religionis habitus; ita vt vbicumque clericus aliquis aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur, etiam si in itinere pergens inueniretur, accurrebant & flexa ceruice vel manu signari vel ore illius se benedici gaudebant; verbis quoque horum exhortatorijs diligenter auditum præbebant.* Vnde colligis primò honorandos esse sacerdotes ob eorum benedictiones. Audi S. Ephrem *sermon. de timore Dei: Honora sacerdotem, atque presbyteros,* inquit, *vt in te benedictio eius ipsorum perueniat.* Et *serm. de sacerdotio: Honora sacerdotem, vt in nouissimis benedictionem ab eo accipias: nam qui sacerdotem dehonorauerit, neque benedictionem ab eo accipere in nouissimis promerebitur.* Ob eandem etiam rationem inter alias honorandos sacerdotes vult antiquissimus Pontifex Telesphorus apud Gratianum *c.* 6. *q.* 1. *c. sacerdotes.* Nec aspernenda est benedictio malorum etiam sacerdotum, quia non in suo, sed Ecclesiæ nomine benedicunt. Literas etiam à malo tabellario libenter acceptamus.

Colliges. 1.

2. Secundò, Benedictionem sacerdotum auidè acceptare & ad finem Missæ expectare, quemadmodum etiam præcepit Concilium Agathense anno Domini 506. *can.* 47.

3. Tertiò, Cum reuerentiâ asseruanda & vsurpanda ea quæ benedicuntur à Sacerdotibus: & inprimis quæ à summo Pontifice, vti agni DEI.

F. V. Parentes.

QVINTÒ, Benedicunt parentes liberis, vti Noë *Gen.* 9. Isaac *Gen.* 27. Iacob filijs & nepotibus suis *Genes.* 48. 49. Nec vana est hæc etiam parentum benedictio. Vnde enim Esau tam instanter petijt patris benedictionem, tam acerbè doluit sibi eam à fratre præreptam, nisi quia longo vsu didicerat parentum benedictionem efficacem esse sæpenumero in filios, vti etiamnum non rarò contingit? *Benedictio patris,* inquit Sapiens *Eccles.* 3. *firmat*

domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ita benedictio Noë data Sem & Iaphet, maledictio data Cham: benedictio Isaaci data Iacobo, benedictio Iacobi data filijs & nepotibus, benedictio Moysis data 12. tribubus, benedictio Tobiæ data filio fuit vera & efficax. *Bene ambuletis*, aiebat Tobias filio eiusque comiti, *& sit Deus in itinere vestro & Angelus eius comitetur vobiscum. Tob. 5.* Ita Mathathiæ benedictione filij Machabæi fortes & inuicti euaserunt in bellis 1. *Machab. 2. & seq.* Hinc S. Ambros. *l. de benedict. Patriarch. c. 1.* ait: *Quantam discimus parentibus exhibere reuerentiam, cùm legimus* (Gen. 27.) *quoniam qui benedicebatur à Patre benedictus erat? ideò parentibus hanc Deus donat gratiam, vt filiorum pietas prouocetur: prærogatiua ergò parentum disciplina est filiorum.*

. E contrà etiam sæpenumero efficax fuit filiorum maledictio, vti Cham in omni suâ posteritate. Ruben, Simeon & Leui, vixêre iuxta maledictionem suam, *Gen. 49.* Tribus Ruben non creuit, sed fuit vna ex minimis. Tribus Simeon & Leui, id est, scribæ & pharisæi, qui è tribu Simeon: Pontifices & Sacerdotes qui è tribu Leui prognati sunt, consilium contra Christum inierunt, quod in eis execratus est Iacob. Exempla plura alibi recensuimus.

G. VI. Homines plebei. SEXTÒ. Benedicunt etiam homines plebei, Primò mensæ & quidem ex instituto maiorum. Testatur enim Tertullianus, auctor antiquissimus, *de corona militis c. 3. & Apol. c. 39.* 1. Mensa. Christianos ante orationem non discubuisse; idque in Christianis laudat Plinius *in epist. ad Traianum.* Fecerunt idem Esseni, apud Iosephum *l. 2. de bello c. 7.* faciunt & Turcæ. Fitque id non ob cibi immunditiam; sed Primò ne cibus hominem lædat. Ex Dialogis S. Gregorij *Dial. 1. c. 4.* discimus monialem cum lactucâ Diabolum comedisse, quia eam non benedixerat. Lædit etiam hominem cibus, cùm sumitur intemperantiùs: lædit, cùm à malis hominibus paratur ad noxam, quod facilè contingere potest. Hinc aliqui venenatum cibum vel potum, præcedente benedictione sumpsére sine noxâ, vti S. Ioannes, & S. Sabinus Canusinus Episcopus. Lepidum est, quod refert S. Gregor. Turonens. *l. 1. de gloria martyrum c. 80.* de presbytero Ariano, qui vt præriperet Catholico Sacerdoti cibum, cum vix allatum benedixit ritu hæretico, & ori cœpit ingerere: sed quia calidior erat cibus, inde nimiùm accenso pectore animam exhalauit. Se- 2. cundò, vt Deo cibum acceptum feramus, & ad eius honorem sumendum esse significemus, sicque primitias ei libemus, quod faciebant Ethnici effundendo aliquid de potu. Tertiò, ne instar pecorum comedamus, sed instar hominum, qui sciant alimenta sumenda esse velut Medicamenta, vt faciebat S. Augustinus *l. 10. confess. c. 31.*

2. Potui. Secundò, Potui, dum propinando alteri petimus tacitè benedictionem; respondet enim alter: Deus benedicat: Gott gesegne es. Eòdem pertinet mos bibendi de benedictione S. Ioannis S. Johannis Segen/ quæ iamiam discessuris offertur, qui haud dubiè à pietate & obseruantia in S. Ioannem traxit originem, quia traditur venenum bibisse sine damno. Laudanda foret consuetudo, si intra debitos terminos sese contineret. Sed nunc ferè in vitium transijt & benedictio inebriatis transit in maledictionem & mortem.

Tertiò, Obuiantibus dicendo salue, id est, 3. Obuiantibus.
saluus sis. Vel bonus dies, bonus vesper. Item felix annus, felix pascha. Rursum comedentibus benedicitur: Benedicite, Gott gesegne euchs. Item operantibus: Adiuuet vos Deus: Gott helff euch. Hoc verò bonum & laudabile esse monstrat: Primò exemplum Angeli salutantis Gedeonem *Iud. 6.* Et Archangeli Raphaëlis salutãtis Tobiam; *Tob. 5.* Gabrielis salutantis Deiparam *Luc. 2.* &c. Secundò Christi præceptum *Matth. 10. Intrantes domum salutate eam dicentes: Pax huic domui*; quod & ipse fecit *Ioan. 20. Pax vobis.* Tertiò, quia est naturæ rationali conueniens, vt non transeant se mutuo sicut pecora, sed velut animalia societatis amantia & rationabilia. Quartò, quia decet hoc Christianos, vt sibi mutuò salutem precentur; humanitatis, pacis & beneuolentiæ symbolum sibi exhibeant & ostendant; ideòque valde improbis & Christianæ fidei hostibus non exhibendum vult Ioannes *ep. 2. Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert nec aue ei dixeritis.*

Quartò, Abeuntibus, vel ijs à quibus disce- 4. Abeuntibus.
dunt, vti Iacob Pharaoni, *Gen. 47.* sic Iosue benedixit Ruben, Gad & dimidiæ tribui Manasse, cùm eos dimitteret in possessiones suas, *Ios. 22.* sic Christus ascendens in cœlum *eleuatis manibus benedixit* suis *Luc. vlt.* Idem meritò obseruatum à fidelibus, vt ostendit Gretserus *de Benedictione l. 1. c. 11.*

Magnò stetit Waltberto comiti abs benedictione S. Bertini Abbatis discessisse. Accipe historiam ex vita S. Bertini. *Vir pius VValbertus crebrò ad Bertinum ventitabat: vt ex eo diuina præcepta cognosceret & post corporis & sanguinis Dominici communionem sacri oris eius benedictione potiretur. Quodam autem die veniens ad Ecclesiam in quâ beatus Audomarus quiescit, cùm preces absoluisset, quadam re necessariâ vrgente, ad B. Bertinum non accessit, sed incautus domum abijt: id vbi animaduertit Viri Dei Discipulus Dodo, ait ad eum: Equidem valdè, venerabilis pater, admiror, quòd tuus in Christo fidelis amicus VValtbertus ad Beati Audomari Basilicam venit, & tamen te insalutato, absque benedictione tuâ recessit. B. Bertinus plenus prophetico spiritu respondit: Fili crede mihi, priusquam ille domum redeat, quò nunc magnâ contentione festinat, multum dolebit, se sine nostrâ benedictione reuertisse. Et ecce eodem die, cùm iam sol occubuisset, nuncius velox à VValtberto venit ad hominem Dei eiusque vestigijs aduolutus, tremulâ voce ait: Dominus VValtbertus, singularis amicus tuus, cùm ipsâ iam ferme morte colluctans obnixè rogat, vt pro se Deum depreceris, quo possit tam præsens discrimen euadere. Cùm enim hodie à Basilica S. Audomari propè abscederet, in medio itinere subitò ex equo collabens, in petrosam humũ decidit, multisq; quassatus mẽbris & femore penitus cõfracto, se cõfestim putat moritu-*

titurum, nisi precibus tuis, quòd fore sperat, diuinitùs liberetur. Agnoscit autem idcirco in hoc se coniectum discrimen, quòd callidi hostis machinatione, ob rem necessariam hinc, non munitus benedictione tuâ, abierit. Cuius etiam delicti veniam petit, oratque vt potum, tuo ore & manibus benedictum, & consignatum, ad eum mittere ne graueris.

His auditis, venerabilis senex commotus tam acerbo casu amici præcipit Dodoni discipulo, vt vinum in sacrario repositũ proferat, laboranti VValtberto ocyùs mittendum. Ille verò respondit, mensis totus, vt reor, pater beatissime, iam intercessit, ex quo in eo vasculo vix paium vini relictũ est. At vir beatus ait ad eum; abi fili mi, ad vasculum illud: credo enim, Deum, cui nihil impossibile est, & c. nostro tam malè affecto amico salutarem inde potum præbiturum. Paret Dodo & veniens in sacrarium cernit vas plenum optimo vino, & eius odore admirabili totam domum sentit repletam. Eo nuncio accepto, sanctus Christi confessor immensas agit gratias omnipotenti Deo, dicitque ad ministrum VValsberti comitis: Ex hoc vino perfer celeriter ad herum tuum. Ille nihil moratus, eâdem nocte lætissimus redit ad Dominum suum, narrat ei, quid gestum sit, vinumque illi bibendum offert. Posteaquam ille bibit è vino sacrato, eadem hora sanatur & mirificè laudans Deum, auctorem salutis suæ, bonam possessionum suarum partem Deo & beato Bertino largitur.

CONCIO III.

Suadetur viduitas.

1. *Viduitatem suadet natura.*	5. *S. Scriptura.*
2. *Ratio.*	6. *Sancti Patres.*
3. *Liberi.*	7. *Deus.*
4. *Ecclesia.*	8. *Exempla insignium aliquot viduarum.*

THEMA.

***Et hæc Vidua erat vsque ad annos* 84. *Luc.* 2.**

A DVæ contra viduitatem olim erant hæreses: Vna Iouiniani qui eandem vilipẽdebat & nihili pluris quàm cõiugium æstimabat; contra quem scripsit ex professo S. Hieronymus. Altera Montanistarum, in quam lapsus est Tertullianus *l. de monomagia c.* 17. qui secundas nuptias damnabant. Ecclesia Catholica in medio graditur & suadet viduitatem, nõ præscribit. Neutrum igitur faciendum est: nec viduitas spernenda, nec secundæ nuptiæ damnandæ. Sed quid si consulat me aliquis: Vtra mihi sequenda, bigamia an Viduitas? Odiosa propositio: Sacrum inter & saxum hæreo. Si suasero viduitatem, homines offendo & in saxum impingo. Si dissuasero, Deum offendo & sacrum. *Consurgent proceres aduersum me* ait Hier. *ep. ad Furiam* (cùm ei viduitatem suaderet) *& epistolam meam: turba patritia detonabit, me Magum, me seductorem clamitans, & in terras vltimas deportandum.* Sed quemadmodũ ipse nihil horum veritus est, ita nec ego vereor. Protestor enim inprimis: Nõ damno secundas nuptias, imò nec tertias nec quartas, &c. nec impedio, sed honoro suo modo. Interim tamen viduitatem præfero, & suaderit sequentes Consiliarij.

PRIMVS est Natura: scribunt enim S. Basilius *in Hexam. hom.* 8. & S. Hieronymus *l.* 2 *contra Iouin.* Turturem vbi semel comparem suum perdidit, nulli amplius cõiungi, sed deserta inhabitare loca & viduitatem colere totâ reliquâ vitâ. Causa videtur esse ingens amor erga comparem. Quis huius rei rationem reddat? Forsitan quia per coniugium coniuges fiunt vna caro *Gen.* 2. itaque cùm alter ab altero per mortem diuiditur, ipse qui superest, quasi semi mortuus est. Si enim S. Bernardus *in sermone super Cant.* fratre suo Gerardo mortuo animam suam, quæ cum fratre eadem erat, per mortem illius diuisam fuisse scribit, & alteram quidem partem eius in cœlo locatam, alteram, id est, se in cæno relictam fuisse; non immeritò idipsum de coniugibus dici potest. Mortuo quidem cõiuge, liber est alter, teste S. Paulo: *cui vult nubat.* Quod si tamen superstes coniugem suum mortuum interrogare posset: quid responsi, putas, audiret? *Hodie mihi cras tibi.* Vnde Hieron. *10 ep. ad Furiam* ait: *Cogita te quotidie esse morituram & nunquam de secundis nuptijs cogitabis*: Et rursum ibid. *Scribuntur tibi nunc sponsales tabulæ, vt post paululum testamentum facere compellaris.* Idem *l.* 1. *contra Iouin.* scribit de Valeria quadam, quæ rogata quam ob rem defuncto marito Seruio, nulli posthac nubere vellet, respondit: *quia Seruius meus, licet alijs defunctus sit, apud me tamen viuit, viuetque semper.* B. I. Suadet natura.

SECVNDVS, Ratio, quæ cuiuis prudenti dictat pericula vitanda & labyrinthos, ex quibus semel euaseris. Eiusmodi autem labyrinthus est matrimonium. P. Syrus *apud Brus. l.* 4. *cap.* 25. ait, *Improbè Neptunum accusare, qui iterum naufragium facit*; sentiens eum, qui semel naufragium fecit, non facilè iterum nauigaturum, si sapit. S. Hieronymus ad Furiam ait: *Bruta animalia & vaga aues in easdem pedicas retiaque non incidunt*; tacitè monens viduas, ne & ipsæ facilè ad priores coniugij, quos euaserunt, laqueos redirent. C. II. Ratio.

TERTIVS, Liberi. Vnde Hieronymus *loco cit.* ait, *Solent adolescentulæ viduæ in Christo nubentes dicere: paruulos meos quis erudiet & vernulas quis educabit? & hanc, proh nefas, causam opponunt matrimonij, quæ vel sola debuit nuptias impedire. Superducit mulier filijs non nutritium, sed hostem: non parentem, sed Tyrannum: inflammatâ libidine obliuiscitur vteri sui & inter paruulos suas miserias nescientes, lugens dudum noua nupta componitur.* hæc ille. Deinde *matres, quæ iterum nubunt, liberis prioribus matres suffurantur*, ait S. Ambrosius *lib. de viduis, derimantes maternum animum ad liberos posteriores.* D. III. Liberi.

QVARTVS, Ecclesia quæ primas nuptias benedicit, non item secundas. C. *Vir autem de secundis nuptijs*; tum quia primæ honoratiores, tum quia illæ solæ repræsentant matrimonium Christi cum Ecclesiâ quod est inter vnum & vnam tãtùm eritque in sempiternum. Adhæc viri, qui ad secundas nuptias transeunt, incurrunt notam irregularitatis seu inhabilitatis E. IV. Ecclesia.

bilitatis ad ſtatum ſacerdotalem & reliquos ordines illum præcedentes, iuxta præceptum Apoſtoli: *Vnius vxoris Vir. 1. Tim. 3.* eò quòd degenerarint à perfecta matrimonij ſignificatione, vnione ſcilicet vnius Chriſti cum vna Eccleſia, Cùm etiam ſacerdotium ſit ſtatus admodum excelſus & purus, non ſunt digni, qui ad illum admittantur, ſi indicia dederunt exiguæ adeò continentiæ, ad ſecundas tranſeuntes nuptias & ſecundò ligantes ſe vinculo, quod iam ſemel Deus diſſoluerat.

F. V. S. Scriptura. QVINTVS, Sacra Scriptura 1. *Cor.* 7. *Dico autem non nuptis & viduis*; ait Apoſtolus, *bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint; ſicut & ego.* Rationem reddit paulò infrà: *Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum Vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat Vxori: & diuiſus eſt. Et mulier innupta cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu.* Et paulò pòſt; *Hoc dico, ad id quod honeſtum eſt & quod facultatē præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* E contrà de nuptis ait ibid. Apoſtolus: *Tribulationem carnis habebunt huiuſmodi*; quod oſtendit Hieronymus *loco ſupra cit. Nam*, inquit, *ſi vxor habeat ex priore marito liberos; domeſtica pugna, inteſtinum prælium, non licebit tibi amare liberos, nec aquis aſpicere oculis, quos genuiſti; Clam porriges cibos? inuidebit mortuo: & niſi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod ſi de priore vxore ſobolem habens te domum introduxerit, etiamſi clemētiſſima fueris, omne genus comœdiæ & mimographi & communes Rhetorum loci in nouercam ſæuiſſimam declamabunt. Si priuignus languerit & condoluerit caput, infamaberis vt Venefica: ſi non dederis cibos, crudelis: ſi dederis, malefica diceris. Oro te quid habent tantum boni ſecundæ nuptiæ, vt hæc mala valeant compenſare?* Hæc Hieronymus.

G. VI. Sancti Patres. SEXTVS. Suadent ſancti Patres & Doctores, qui omnes ſtatum viduitatis medium ponunt, inter coniuges & Virgines. S. Hieronymus *l. 1. contra Iouin.* fructum centeſimum aſſignat virginibus: ſexageſimum viduis: trigeſimum coniugatis, ex *Matth.* 13. Vnde gratias agere deberent viduæ, quòd perdito licet primo virginitatis gradu, per tertium tamen venerint ad ſecundum, vt inſinuat idem in *ep. ad Furiam*: ſicut qui de ponte cadit in fluuium, ſi apprehendat nauem aut trabem, quâ emergat. S. Ambroſius *in l. de Viduis*, eius meritum virginitati penè æquat propter eius difficultatem. *Propemodum non inferioris virtutis eſt*, inquit, *ee abſtinere coniugio, quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta neſcire.* Similiter S. Paulus loco indicato ait: *Beatior erit, ſi ſic permanſerit*; mulier ſcilicet viro ſuo orbata. Idem 1. *Tim.* 5. præcipit Timotheo: *Viduas honora.* Ecce Epiſcopus iubetur honorare Viduas: quanta iſthæc gloria? ſic etiam Ioachim ſummus Sacerdos cum presbyteris ſuis ita laudat Iuditham *c.* 15. *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi*, &c. *eò quòd caſtitatem amaueris & poſt virum tuum alterum neſcieris, ideò & manus Domini confortauit te & ideò eris benedicta in æternum.* Quin etiam *apud veteres Romanos, quæ vno contentæ matrimonio fuerant*, inquit Valerius Max. *l. 2. c. 1. corona pudicitiæ honorabantur.*

E contrà deſpiciuntur quæ pluries nubunt. Narrat S. Hieronymus *ep. ad Geruntiam ſuo tempore*, cùm eſſet Romæ Damaſo Papæ ab Epiſtolis, vidiſſe ſe duo inter ſe paria viliſſimorum è plebe hominum comparata. Vnum qui 20. ſepeliſſet vxores, alteram quæ viceſimum ſecundum habuiſſet maritum. Qui matrimonio ſibi copulati; ſummâ cum omnium expectatione tam virorum quàm feminarum, vter alterum eſſet ſepulturus; vicit tandem maritus. Qui totius vrbis populo confluente coronatus & palmam tenens adoranſque per ſingulos ſibi acclamantes, vxoris multi-nubæ feretrum præcedebat. *Quid dicemus tali mulieri?* inquit Hieronymus: *nempe illud quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuiſti viros, & iſte à quo ſepelieris, non eſt tuus.* Sic Hieronymus.

SEPTIMVS. Deus ipſemet, qui ſingularem curam viduarum ſuſcipit, eaſque fouet. Nam H. VII. DEVS. *Pſ.* 132. ait: *Viduam eius benedicens benedicam.* Et *Exod.* 22. ait: *Viduæ & pupillo non nocebitis; ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me & ego audiam clamorem eorū, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio & erunt vxores veſtræ viduæ.* Ecce viduæ habent tutorem Deum & benedictionem duplicem, ſcilicet promiſſionem omnium bonorum, terrenorum & ſupernorum.

Ad extremum vultin' Auditores, videre il- I. VIII. Præclaræ quædam viduæ. luſtres aliquot viduas? Aduertite. Talis vidua fuit Euphraſia Romana, quæ iuuencula nobilis & potens mortuo marito, cùm ab Imper. vrgeretur ad ſecundas nuptias, omnibus abdicatis ſeceſſit in Thebaidem ibique in ſancta viduitate inter ſanctos vixit & mortua eſt. Talis fuit & Conſtantia filia Conſtantini Imper. quæ Gallicano marito duci totius exercitus perſuaſit, non tantùm fidem Chriſti, ſed & continentiam, cuius & votum vterque nuncupauit: Vnde ipſe ſe totum pauperum miniſterijs addixit, & ſub Iuliano Apoſtata glorioſum martyrium conſummauit. Talis fuit S. Elizabeth filia regis Hungariæ, quæ iuuencula mortuo marito totam ſe dedit curæ pauperum & ægrotorum. Talis fuit S. Brigitta vidua nobiliſſima, quæ totam ſe peregrinationi ad loca ſancta addixit, Romam & Hieroſolymam adijt, multa monaſteria fundauit, multaque alia heroica opera perfecit. Talis fuit Olympias quæ Nebridio marito præfecto vrbis Conſtantinopolit. ſecundo coniugij anno mortuo, iuuencula ſecundum maritum reſpuit. Cumque Theodoſius Imperat. eam planè coniungere vellet Elpidio cuidam ſibi congeneri, illa reſtitit, dixitque: *Imperator meus ſi voluiſſet me vitam tranſigere cum viro quopiam, vtique non ademiſſet mihi primum coniugem: nunc eum adimens matrimonij moleſtijs me extricauit, & ſuaue continentiæ iugum mihi impoſuit, mentique meæ infudit.* Quare ſe totam addixit miniſterijs templi, eleēmoſynis pijſque operibus. Vnde mirè eam laudat S. Chryſoſtomus.

Marcella Romana nobiliſſima viro poſt nuptias

nuptias septimo mense priuata est. Cùm eam Cerealis Consul Romanus propter ætatem, & antiquitatem familiæ & insignem decorem corporis, ac morum temperantiam ambitiosiùs peteret, suasque iam grandis natu polliceretur diuitias, & non quasi in vxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere, Albinaque mater tam clarum præsidium viduatæ domus vltrò appeteret; illa respondit: *Si vellem nubere & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem, non hæreditatem.* Illoque mandante, posse & senes diu viuere, & iuuenes citò mori; eleganter lusit: *Iuuenis quidem potest citò mori, sed senex diu viuere non potest.* Quare vidua permanens pietati & DEO vacauit. Ita D. Hieron. *in Epitaph. Marcellæ.*

Galla Symmachi Cõsulis Romani filia tradita marito, primo anno eo orbata est: cumque omnes eam vrgerent ad secundas nuptias, etiam medici dicẽtes, nisi nuberet, eam ob igneã complexionem contra naturam barbum habituram, quod & factum est: illa constans in viduitate permansit, neque hanc exteriùs deformitatem timuit, quæ interiùs cœlestis sponsi speciem amauit. Mox ergò vt eius maritus defunctus est, abiecto sæculari habitu, ad omnipotentis DEI seruitium sese apud B. Petri Ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis & orationi dedita larga indigentibus eleẽmosynarum opera impendit. Cumque omnipotens DEVS perennem iam mercedem reddere eius laboribus decreuisset, cancri vlcere in mamillâ percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum eius duo candelabra lucere consueuerunt: quia videlicet amica lucis, non solùm spirituales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum Apostolum inter vtraque candelabra ante suum lectum constitisse, nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultauit, eique dixit: *Quid est Domine mi? dimissa sunt mihi peccata mea?* Cui ille benignissimo vultu inclinato capite annuit, dicens: *Dimissa: veni.* Refert hæc succinctè & neruosè more suo Cornelius à Lapide *in 1. Ep. ad Tim. c. 5.*

CONCIO IV.

Viduarum præscripta.

Vt vidua ritè in viduitate persistat.

1. *Habeat constans propositum & votum eiusdem.*
2. *Amet solitudinem & fugiat publicum.*
3. *Sit delicijs ac vanitatibus mortua.*
4. *Instet orationi continua:*
5. *Vtatur vestitu simplici & victu tenui.*

THEMA.

Et hæc Vidua erat vsque ad annos octoginta quatuor. Luc. 2.

A QVatuor personas sanctitate vitæ insignes interfuisse oblationi Christi testatur hodiernum Euangelium, Deiparam & Iosephum coniuges, Annam deinde Viduam, denique Simeonem seniculum & ipsum haud dubiè viduum, vtpote speciali gratiâ longiori ætati seruatum. Porrò quatuor has personas si accuratè intueamur, videbimus à Luca subtili penicillo depictas sub typo quatuor auicularum, quas paulò antè commemorat pro Christo oblatas sub disiunctione: duos videlicet columbarum pullos, & duos turtures. Quid enim duo columbarum pulli, nisi castissimos illos coniuges Iosephum & Mariam, qui tam expertes commixtionis erant, quàm pulli columbarum esse solent, significant? Et quid duo turtures, viduitatis typi, nisi Simeonem & Annam denotant? Spirituales hæ auiculæ, quas secum adduxit in templum Christus, longè præstantius munus erant, quàm turtures vel columbæ illæ, quas offerri præcepit lex. Ex his in nostram instructionem seligamus Annam, & proponamus turturem istam Viduis & Viduabus in exemplum & imitationem.

B. PRIMÒ, Turtur si compare suo destituatur, alteri non iungitur, sed viduæ instar solitariam I. deinceps vitam agere fertur. Bart. Angl. *l. 12. c. 34.* Primum hoc viduarum decus est, constans videlicet seruandæ viduitatis propositũ, causâ castitatis. Nam si istud desit viduabus, eæ quoad animum viris iunctæ cẽsentur, cùm corpore iungi nequeant. Deus autem intuetur cor. Hinc Apostolus 1. *Tim.* 5. ait: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* Vbi notat Chrysostomus & Ambrosius fieri posse, vt aliqua sit, quæ virum non habet, nec tamen Vidua sit. Sicut enim Virginem non facit abstinentia à coniugio, sed amor integritatis, quâ se Deo sanctam præbeat: ita etiam Viduam, quæ si statum viduitatis ex proposito non eligat, vt meliùs Deo seruiat, sed vel vt libertate suâ potiatur & à viri imperio immunis sit, vel quia à viris respuitur; verè Vidua non est; sed leuicula mulier, fræni impatiens, vel mente copulata viro. Non sic Anna nostra, quæ cùm adhuc valdè iuuenis viduitatem ingressa esset, scilicet post 7. annos coniugij, & vixerit deinceps 84. annos, dubio procul si voluisset, rursum nubere, facilè potuisset. Signum ergo est ex proposito electam ab eâ viduitatem esse, vt diuino cultui meliùs vacare posset, vt & fecit. Hoc etiam viduitatis decore insigniter prædita fuit sancta illa Iudith, quæ licet adhuc iuuenis & nubilis, licet formosissima, licet diues valdè esset, licet eius coniugium à multis & magnis ambiretur, licet denique rarior tunc viduitas foret, alterum tamen virum, primo defuncto, non admisit.

Constans propositum viduitatis.

Quòd si qua vidua hunc decorem suũ magis augere velit, voto se astringat. Hinc enim primò fortior reddetur ad seruandam castitatem & resistendum carnis illecebris, dum sibi potestatem & claues quasi ad eas obtinendas ademit. Vnde S. Augustinus *l. de bono vidui. cap. 5. Ab illicitis valdè longè est, quæ voti libertate se obstrinxit: & sibi etiam licita ne liceant, non imperio*

Votum viduitatis præclarum. I.

porro legis, sed consilio charitatis effecit. Deinde ea viduitas eiusque obseruatio longè acceptior DEO fiet, quia non actum tantùm, sed & ipsam potentiam, voluntatem scilicet & libertatem, adeoque non fructus tantùm, sed & arborem ipsam vnà cùm fructibus DEO donat. Porrò hoc, vt supradictum, non ex motiuo temporali, ob amorem libertatis, vel vt dos amplior liberis seruetur, &c. Sed animo seruandæ castitatis vel meliùs Deo seruiendi fieri debet, vt coram Deo laudem mereatur & præmium.

C. II. Solitudo & fuga mundi.

SECVNDÒ, Turtur solitudinem diligit & hominum consortia fugit, ad hortos & agros cibi tantùm quærendi gratiâ prodit moxque in solitudinem suam reuolat; vt scribit Anglicus loco cit. Altera hæc viduarum dos est, domi se continere & publicum vitare, nec nisi ad templum & victum comparandum facilè prodire. Id docet inprimis Apostolus. 1. *Tim.* 5. vbi reprehendit viduas *otiosas, quæ discunt circuire domos, curiosæ, loquentes quæ non oportet.* Et S. Hieronymum Viduarum egregius institutor, qui in Ep. ad Furiam ait: *Noli tu publicum subinde procedere.* Et *ep.* 96. *Quid facit Vidua inter familiæ multitudinem? inter ministrorum greges?* Et S. Ambrosius *in l. de Viduis: Ne dixeris*, inquit, *sola ego sum. Castitas solitudinem quærit: pudica secretum, impudica conuentum.* Talis etiam Turtur fuit inprimis Anna nostra *cum diuersorum*, inquit S. Ambrosius *l. de Viduis, erat in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio.* Si enim iuxta Lucam non discessit de templo, si orationibus seruijt die ac nocte: quando, quæso, tempus habuit in publico versandi, aut per domos circumcursandi? Deinde talis etiam Iudith fuit, quæ marito orbata, fecit sibi in superioribus domus suæ secretum cubiculum; in quo cum puellis suis clausa morabatur, vt dicitur *Iudith.* 8. Superiora domus incoluit, iuxta morem veterum, qui teste Eustathio in 2. *Iliad.* Virginibus ὑπερῷα, id est, editiora in domo loca ædificabant, ne facilè adiri conueniri que possent. Cæterùm hoc non contenta Iudith clausuram etiam addidit, & domi suæ velut in monasterio cum suis vixit. Nimirum pudicitia satis oppressulari nequit, quæ præter externos insidiatores, propriam etiam carnem proditricem habet.

D. III. Fuga deliciarum.

TERTIÒ, Turtur viduata, super ramum viridem non sedet, nec aquam puram bibit vt scribit Maiol. *to.* 4. *canic. coll.* 1. cadaueri aut rei fœtidæ non insidet, vt Anglicus loco supra cit. Hunc in modum Vidua mundi delicijs & vanitatibus mortua sit. Cogitare enim debet dimidiam animam suæ partem, maritum scilicet iam in sepulchro esse, se proinde semimortuã. Certè Apostolus *in ep. cit.* ait: *Quæ in delicijs est Vidua, viuens mortua est.* Tametsi enim corpore spirat, secundùm animam tamen mortua est. Quia vt corporis vita est anima: ita animæ vita est Deus; quo pulso per peccatum, mortua est anima. Non frustra *Cant.* 2. Sapiens coniunxit tempus putationis cum voce turturis: *Tempus putationis advenit*; inquit, *vox turturis audita est in terra nostra.* Iudicat enim cum voce Turturis seu gemitu viduæ coincidere debere tempus amputationis superfluitatum, nugarum & ineptiarum sæcularium, ita vt Vidua reputet omnia mundi gaudia & commoda sibi esse amputata & mortua; quemadmodum fecit S. Elisabetha, quæ nunciatâ sibi morte mariti Ludouici Principis Thuringiæ: *Ergo*, inquit, *frater meus occidit?* (sic maritum appellare solebat) *mihi ergo simul cum illo omnia mundi gaudia extincta sunto.* Raderus *in Bav. S. p.* 1. itaque reliquum vitæ tempus totum DEO transcripsit. Nimirum sicut Turtur amisso compare deinceps semper gemit, quasi mortem eius lugens: ita & Vidua semper in recẽti memoria retinere & lugere mariti mortem deberet: proinde insulsam mundi musicam & blanditias non admittere. Sic faciebat Noëmi illa, quæ post mortem mariti rediens in patriam suam Bethlehem, cùm à notis salutaretur, Noëmi, id est, pulchra, suauis seu amœna; respondit: *Non vocetis me Noëmi, id est, pulchram* (seu suauem & iucundam, vt Serarius ibi aduertit posse verti) *sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens*, ob mortem scilicet mariti & duorum filiorum. *Ruth.* 1. simile exemplum, de gentili licet feminâ, Martiâ Catonis filia, adducit S. Hieronymus *contra Iouin.* quæ cùm lugeret virum & matronæ ab eâ quærerent, quem tandem vltimum luctus diem haberet? respondit: *quem & vitæ.* Desinat ergo vidua suauis, pulchra & iucunda esse vel haberi quia in luctu & amaritudine est.

E. IV. Oratio continua.

QVARTÒ, Turtur pro cantu gemitum, vt dixi, eumque assiduum habet. Ita orationem pro cantilenis habeat Vidua, quâ suam desolationem DEO querulâ voce commendet: vti monet Apostolus *in epist. cit. Quæ autem vera vidua est*, inquit, *& desolata, speret in Deum & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die.* Idem indicat Dominus *Luc.* 18. cùm inducit Viduã, quæ iniquum licet Iudicem, & DEI contemptorem, assidua interpellatione ad causam suam audiendam permouit. Quia enim viduæ præ cæteris hominibus magis desolatæ & destitutæ sunt hominum subsidijs, idcircò plures & grauiores causas habent recurrendi ad Deum per assiduas preces. Vnde S. Augustinus *ep.* 121. *cap.* 16. scribens *ad Probam viduam*, tam liberis, quàm opibus præditam. *Ora ergo*, inquit, *vt vidua Christi, nondum habens eius conspectum, cuius precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futuri sæculi diuitias habes, vbi nulla damna formides. Licet habeas filios & nepotes numerosamque familiam, quod & supradictum est, sicut desolata ora: incerta sunt enim omnia temporalia, etiam vsque in finem vitæ huius in nostram consolationem mansura, &c.* Sic. August. Præterea cum nihil penè aliud diligere deberent præterquam Deum, causam non habent vt de alijs rebus sermocinentur; habent verò multo maximè vt cum Deo agant & negotia sua pertractent. Dum erant in coniugio, excusari poterant, si domi suæ crebriùs, quàm in templo reperirentur. At postquam eo vinculo

vinculo expeditæ ſunt, nec alium ſponſum præter Deum habent: cum hoc frequentiùs agere & in eius verſari domo deberent. Quemadmodum enim ferrum præſente adamante nequit à magnete attrahi; (quia ſcilicet adamas impedit) adamante tamen remoto, mox inſilit in magnetem: ita etiam viduæ ſi viuentibus eorum maritis, non poterant ita vniri cum Deo per orandi ſtudium, vt ſemper ei adhærerent (quia ſcilicet mariti obſtabant) ijs tamen per mortem remotis, nulla ſubeſt cauſa, quæ ipſas ab intimâ cum Deo coniunctione ſeduliſque oratione retrahat. Huiuſmodi ferrum erat Anna noſtra, quæ demortuo marito mox inſiluit in cœleſtem illum magnetem, Deum, eique adhæſit ſemper, *nec diſcedebat de templo, ieiunijs & orationibus ſeruiens nocte ac die*, inquit Euangeliſta.

F. V. Veſtitus ſimplex. QVINTÒ, Turtur pennas gerit ſubcinericij coloris. Talis ergò ſit veſtitus etiam Viduæ, non multicolor, non leuis, non pretioſus: Sed pullus, vulgaris, cinerem & pœnitentiam redolens, luctum ſpirans. Ratio eſt: quia faciei nitor veſtiumque ornatus ideò vel ſuſcipitur vel toleratur, vt coniugi coniunx placeat. *Qui*, ait Apoſtolus 1. *Cor.* 7. *cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori & diuiſus eſt.* Et mox: *Quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Vidua autem virum non habet: quorſum ergò ſe operoſiùs elegantiùſque fingat, ornet, comat? nónne vnà cum marito omnem iſtiuſmodi ornatum ſepelire debuit? Ita fecit Saluina Vidua, ad quam ſcribit S. Hieronymus: *Tu in mariti tumulo ſepeliſti omnes pariter voluptates, litam purpuriſſo & ceruſſa faciem ſuper feretrum eius lachrymis diluiſti: pullam tunicam nigroſque calceolos candida veſtis & aurati ſocci depoſitione ſumpſiſti.* Loquor autem de Viduâ, quæ nuptias iterandas non cogitat. Hæc enim ſi placere alteri viro non quærit, ad quid ſeſe ornat? Si vinum vendibile non habet, cur ſuſpendit præ foribus hederam? Si quod in foro vendat, non habet; cur erigit officinam? Suſpectam ergò ſe reddit vidua, ſi cultior incedat, quòd carnem adhuc vænalem habeat; & quidem ad fallendos emptores: quo modo Thamar Vidua depoſitis viduitatis veſtibus induit meretricias, vt Iudam ſocerum ſuum ignota in amores ſuos pelliceret traheretque incautum, vti factum *Gen.* 38. Et ſimiliter illa Iezabel, quæ cùm eſſet Vidua, depinxit oculos ſtibio & ornauit caput, vt Iehu in Regem electum ad ſe alliceret. 4. *Reg.* 9. Verùm & iſta mox de feneſtrâ, dum hæc ageret, præcipitata eſt canibuſque in prædam data: & illa rogum vix euaſit. Ab his ergò reſiliat prudens vidua; ad Iudith am ſe conuertat, quæ turturis inſtar veſtitu viduali & ſubter eum cilicio vtebatur aſſiduè, id eſt, ſemper, præterquam in Sabbathis & feſtis domus Iſraël, cumque oraret, cinerem ſuper caput ſuum ponebat. *Iudith* 8. & 9.

G. VI. Victus tenuis. SEXTÒ, Turtur morticinio non veſcitur, ſed pro victu ſuo paucula grana quærit eaque in locis mundis colligit; vt ſcribit Anglicus ſæpe d. loco. Hanc etiam dotem niſi in viduabus requireret Apoſtolus, non ſcripſiſſet loco cit. de viduâ: *Quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt. Immodica enim deliciæ*, inquit Theodoretus, *rationem obruunt & efficiunt vt in corpore tanquam in aliquo ſepulchro iaceat.* Sophocles guloſum taxans: *Non arbitror hunc viuere*, inquit, *ſed cadauer iudico.* Ergò victus viduæ, tenuis & moderatus ſit; deinde etiam mundus, ne videlicet ijs conſtet, quæ carnem inflammare ad immunditiam poſſunt. Propterea S. Ambroſius *l. de viduis* ſcribit de Iudith loquens. *Aduertitis quantum nocere poſſit mulieribus ebrietas, quando viros vina ſic ſoluunt vt vincantur à feminis. Eſto igitur vidua temperans: caſta primùm à vino, vt caſta poſſis eſſe ab adultero. Nequaquam te ille tentabit, ſi vina non tentent. Nam ſi Iudith bibiſſet, dormiſſet cum adultero, &c.* S. verò Hieronymus carnem etiam eis diſſuadet: ſcribit enim ad Saluinam: *Comedant carnes, quæ carni ſeruiunt, quæ mariti alligatæ generationi ac liberis dant operam. Tu verò: quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates, nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeuerare in ieiunio.* Turtur circulum nigricoloris, quaſi annulum in collo gerit; ſit is monumentum ſobrietatis & ieiunij viduabus, vti non quæuis alimenta in guttur ſuum admittant: ſed ſana & moderata. Hunc in collo ſuo geſſit Anna noſtra, quemadmodum & Iudith, quæ perpetuis ieiunijs aſſuetæ erant. Ita omnino fiet, vti inſtar turturum in templo gloriæ offerri Deo mereantur, &c.

CONCIO V.

Myſteria.

1. *Quæritur quomodo Ioſeph ſit Chriſti pater.*
2. *Cur Simeon benedixit parentibus Chriſti.*
3. *Quomodo Chriſtus poſitus in ruinam multorum.*
4. *Quomodo Chriſtus ſignum cõtradictionis.*
5. *Quis ille gladius animam Deiparæ penetraturus.*

THEMA.

Erant Pater & Mater eius mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Luc. 2.

A. MAgna eſſe debent & profundiſſima arcana, quæ ſapiẽtibus & Philoſophis admirationi ſunt. Sapientiſſimi fuerunt Ioſeph & inprimis coniux eius Maria, vtpote à Deo in plurimis edocti; & hi tamen in hodierno Euãgelio mirantur ea, quæ audiunt de Chriſto prædicari à S. Simeone. Ea enim licèt ante ſibi perſpecta eſſent, tam eximia tamen & ſublimia humanamque virtutem excedentia erant, vt etiam cognita admirationem parere poſſent. Hæc igitur & alia admiratione digna, quæ in hodierno dicuntur Euangelio nunc indagabimus.

B. I. Quomodo Ioſeph Chriſti pater? PRIMVM eſt, quomodo Ioſeph vocetur Chriſti pater, cùm ab ipſo progenitus non ſit? Reſpondet primò S. Hieronymus in *c.* 28. *Iere.* quia communi hominum opinione talis habebatur

batur. Idem indicat S. Lucas *c.* 3. de Christo loquens; *Vt putabatur*, inquit, *filius Ioseph.* Respondet secundò Origenes *hom.* 16. *in Lucam*, quia erat Christi nutritius. Respondet tertiò adhuc potiori ratione vocari CHRISTI patrem, quia erat maritus Deiparæ, proinde etiam ius habens in eius filium, qui ius habuit in ipsam ex lege coniugij. Vt enim Dominus fundi ius habet in omnes fundi fructus: ita Ioseph in Deiparam eiusque filiū. Exceptâ ergò carnali generatione habuit perfectā patris potestatem, solicitudinem & amorem & quodāmodò authoritatem in Christum, qui eidem etiam velut optimo & dulcissimo patri sponte se subiecit. Quis ob tantam Dei filij demissionem non obstupescat? Deus subijcitur homini, homo imperat Deo. Quis audiuit talia?

C. II. Cur benedixit Simeon parentibus Christi.

SECVNDVM, Quare benedixit Simeon Christi parentibus? Resp. Primò, benedixisse, id est, gratulatum & fausta omnia imprecatum esse, quia vidit illos præceptum DEI, de præsentando primogenito, tam sedulò obseruare, licet ad id seruandum ipsi non obligarentur.
1. Docet igitur benedictionem Domini descendere super eos, qui præcepta DEI sedulò obseruare student? id quod olim promisit Deus *Deut.* 28. omnibus legem eius seruantibus: *Venient super te*, inquit, *vniuersæ benedictiones istæ & apprehendent te* (quasi fugientem etiam insecuturæ sint (*si tamen præcepta eius audieris: Benedictus tu in Ciuitate, & benedictus tu in agro, &c.* Item *Benedictus eris tu ingrediens & egrediens, &c.* recensetque ibi prælongum benedictionum catalogum: vt vicissim maledictionum ijs, qui legem DEI spernunt. Porrò DEI benedictio, non est aulica seu verbalis, sed realis & conferens omnem prosperitatem temporalem & æternam, tum in corpore, tum in animâ, tū in fortunis. Eòdem spectat, quòd *Ps.* 1. beatus dicitur ille vir, *cuius voluntas est in lege Domini*, hoc est, qui legem Domini seriò sibi velut regulam proponit, in omnibus illos actionibus obseruandam. Miris certè præconijs extolluntur 7. fratres Machabæi, vnà cum eorum matre & Doctore Eleazaro in *libro* 2. *Machabæorum c.* 6. & 7. quòd extrema & dirissima supplicia ferre maluerint, quàm contra DEI legem suillam carnem edere. Ad quos iure merito referimus, qui & DEI & Ecclesiæ præcepta seriò obseruant, vt malint etiam damnum aliquod temporale pati (tametsi Ecclesia cum graui rerum iacturâ non obligat ad sua præcepta, pia scilicet Mater) quàm ea præuaricari.

Parentes curent liberos.

Secundò, Quia vidit illos sistere Domino filium suum. Quicunque ergò parentes ita educant liberos suos, vt DEO eiusque seruitio sistere illos ac demum in cœlo præsentare possint; hi profectò benedictione cœlesti digni sunt; quemadmodum Iob & Tobias. Verùm vt hoc efficiant parentes, obseruare debent clausulam hodierni Euangelij quæ Christum ait creuisse & confortatum esse, plenum sapientiâ & gratiâ. Curent igitur parentes, vt eorum liberi crescant, Primò sapientiâ, mittantque eos ad templum & Catechesin, ac domi instruant vrgeantque ad pietatem & virtutem. Sic Luscinia pullos docet modulos suos, versusque, quos imitentur, eis tradit: audiunt verò pulli magna attentione & reddunt. In docendo apparet quædam reprehensio & in discipulâ emendatæ correctio; quod obseruatum scribit Aristoteles *lib.* 4. *de animal. cap.* 9. Idque argumento est, quod non omnium sit idem cantus, & qui è nido præproperè sublati matris educatione caruerunt, inconcinniùs canunt. Ita ergò matres suos doceant natos formare signum crucis eoque vt Tertullianus loquitur, identidem frontem terere, doceant orare aliaq; honesta exercitia. Neque dicāt eos esse indociles, ludi in ijs operam, &c. Siquidem Lusciniæ discunt matrū cantilenas easque varias & versatiles. Author est Cælius Rhodiginus *l. Antiq. lect. cap.* 32. extitisse Romæ in ædibus Ascanij Cardinalis psittacum, qui articulatissimè continuatis perpetuò verbis Christianum symbolū pronuntiabat instar viri periti. Et non posset ista discere homo? Tam durum caput est psittaco, quàm durum & rostrum; (vnde ferreo radio verberari debet dum docetur) Eccur non etiam ij, qui sunt duri capitis discere ea saltem possint, quæ ad fidem spectant? Secundò gratiâ, docendo eos comprimis cane peiùs & angue fugere & odisse peccata. 2. Cuius etiam exemplum capere à bruto possunt. Ceruæ editos partus exercent cursu & fugam meditari docent, ad prærupta ducunt ijsque saltum demonstrant. Ita doceant parentes liberos suos fugam vitiorum. Sæpe inculcent illis id Sapientis: *Quasi à facie colubri fuge peccatum*: & id Blancæ Reginæ Galliæ, toties filio Ludouico ingestum: *mori te malim potius fili mi, quàm peccare.* Et aliàs: *quàm malim te fili mi, mortuum, quàm peccantem!* Plurimum interest teneræ ætati, si talia parentum monita à teneris audierint.

Tertiò, Quia vidit eos venisse ad offerendum DEO munus pro filio. Munus DEO oblatum benedictionem promereri vel hoc argumento esse potest, quòd ipsum vocetur benedictio 1. *Reg.* 25. & 30. vbi ait Dauid: *Accipite benedictionem de præda hostium Domini.* Qui ergo benedictionem DEO, id est, munus offert, benedictionem vtique recipiet. Et hinc etiam Abraham & Iacob tam multiplicem benedictionem obtinuerunt à Domino, quia obtulerunt ei decimas; ille *Gen.* 14 hic *Gen.* 28.

D. III. Quomodo Christus positus in ruinam multorū.

TERTIVM, Quomodo Christus positus est in ruinam multorum? Resp. positum esse in ruinam, non ex DEI consilio, qui vult omnes saluos fieri; sed ex euentu, eo vero tam certo, vt diuino consilio tribui posse videatur, quasi de industriâ fuerit Christus in terram missus; vt reprobi in eum impingerent. Quia enim viderunt eius humilitatem, paupertatem, mortem, noluerunt eum recipere & agnoscere Messiam, quem ex deprauatione sensûs sui expectabant magnificum, opulentum instar Salomonis, à quo in terris ditarentur & bearentur. Visâ autem eius humilitate cogitabant: Quomodo nos iste beabit? quomodo

modo ab hostibus defendet & liberabit? Hinc Christus factus est eis *lapis offensionis & petra scandali*, vt dicitur *Isa.* 8. & ad Rom. 9. non suâ sed ipsorum culpâ; quomodo lapis præ hospitij foribus positus, in quo aduenæ conscendere equos solent, vel in publicâ viâ defixus ad monstrandum iter, facili negotio in ruinam alteri fit, si quis in eum ebrius vel cæcus impingat; quod tamen lapidi minimè tribuendum, sed cæcitati & incuriæ impingentium. Christus lapis est, in quem si per fidem ascendamus, conscendere cœlum possumus: Lapis est demonstrans nobis viam cœli. At in eum primò impegerunt Iudæi, quia humilem & pauperem viderunt, diuitem optabant: impegerunt Pharisæi, quia suam hypocrisin ab eo deprehendi & reprehendi audierunt: impegerunt auari, quia diuitias ab eo dissuaderi aduerterunt: impegerunt gentiles, quia in cruce mortuum intellexerunt & Idola sua ab eo damnari viderunt, &c. Hos sequuntur Christiani multi, qui præcepta eius negligunt, quia eius sacramenta spernunt vel profanant, execrantur & blasphemant: qui in tribulatione positi Christum eiusque verbum, sacra & sacramenta fastidiunt, &c. Salutaris fuit Iudæis serpens æneus, cùm à Mose effictus; at posteà iisdem factus est lapis offensionis, quando ei incensum adolebant & diuinos honores impendebant. Vnde confringi propterea à Rege Ezechiâ debuit, 4. *Reg. c.* 18. Ita sæpe Christiani salutaria sacramenta sibi vertunt in ruinam & condemnationem, dum ea vel blasphemant, vel sacrilegè percipiunt. Quis in causâ, nisi ipsimet?

E.
IV.
Quomodo Christus signũ Côtradictionis.

QVARTVM, Quomodo Christus signum, cui contradicetur? Respondeo videri mihi Christum non absimile signum fuisse signo Crucis suæ, quod monstrauit in Cœlo Constantino Magno, cum hac epigraphe: *In hoc vinces.* Tali enim signo deinceps Constantinus vsus est in prælijs pro vexillo seu Labaro, vicitque eius præsidio omnes suos hostes & inimicos Crucis Christi. De eo scribit Nicephorus *l. 7. c. 37.* iussisse Constantinum vt præferretur aciei in prælio, quod gerebat cum Maximino; tum subdit: *Salutifera hac armatura, cùm sic Constantini aciem prairet, Maximinus suis præcepit vt quicunque collimare certoque iaculari possent, in signum id tela conijcerent atque in ipsum confestim cum impetu ferrentur. Quapropter is, qui id ferebat (dicitur autem Græca superstitionis fuisse) metu perculsus alij id ferendum tradere festinauit. Atque ibi alter quidam patre Martyre prognatus, alacriter admodum prosiliuit, thoracem & galeam longè à se abiecit, solaque tunicâ tectus, signum crucis arripuit. Porrò ille, qui sibi à telorum ictibus cauerat, lethali vulnere accepto concidit. Qui verò sacratum crucis signum ferebat, quamuis densa niuis instar tela in eum conijcerentur, à nullo tamen est vulneratus: Nam præter opinionem omnem, diuinâ quadam virtute, tela ab hostibus emissa, hasta signi illisa atque impacta ab eo, qui id ferebat, in medio armorum discrimine versante auolabant.* Hæc Nicephorus, prorsùs consentanea ijs, quæ ipsemet Constantinus narrauit Eusebio, vt testatur ipse in vitâ Constantini *l. 2. c. 8.* Huiusmodi, inquam, signum Christus ipse fuit, positus & manifestatus in hoc mundo, vt omnes qui credunt in eum non pereant, sed vincant hostes suos præsertim spirituales. At verò Diabolus velut alter Maximinus incitauit suos milites, vt in istud signum omnia sua tela iacerent, siue verbis siue factis. Verbis & factis contradixerunt ei Iudæi, Gentiles, Hæretici. Factis contradicunt multi Catholici, qui contrariam Christo & fidei suæ vitam ducunt. Aspiciamus Christum in stabulo natum & positum in præsepio. Nónne videmus eum pauperculum & pannis inuolutum? Et quomodo ei non contradicunt, qui aliena rapiunt & diuites fieri volunt? Nónne videmus humilem, à diuersorio exclusum stabulo contentum? Et quomodo ei respondent, qui palatia sibi adornant, serico vestiuntur & vbique primi esse volunt? Nónne videmus nudulum iacentem in præsepio tempore hyemali? Et quomodo non contradictionis telum in eum iaculatur, qui carni suæ blandiuntur, molliter cubare, splendidè epulari, nihil denique pati volunt? Aspiciamus Christum in cruce stantem, quanta illic côtradictio? quot tela in eum vibrata? Denique qui fidem Christi deserunt: nónne Christo contradicunt? sed inuictum est hoc signum, inuicti, quotquot ei strenuè & firmiter adhærent. Eos verò à quibus oppugnatum est, conuincet suo tempore, & quemadmodum Labarum Constantini, de quo diximus Maxentium in fugam egit: ita etiam Christus Iudex è cœlo venturus fugabit inimicos suos, & monstrabit eis tela, quibus confixus fuit. Quid tunc dicent iaculatores & contradictores illi, cùm videbunt eum esse Iudicem suum, cui tam contrarij fuerunt? Nónne humilem Iudicem metuent superbi? pauperem auari? patientem delicati? Quisquis ergò Iudicem hunc metuere non vult, ne illi contradicat.

F.
V.
Quis gladius Deiparæ.

QVINTVM, Quisnam ille gladius animam Deiparæ penetraturus? Resp. esse dolorem, quem propter filium mater maximè sub cruce expertura erat. Is verò triplici ex capite acerbissimus fuit. Primò, quia diuturnus, & hinc vocatur gladius. Secundò, quia acutissimus, & hinc dicitur ipsius matris animam sauciaturus. Tertiò, quia vniuersalis, omnes animæ vires & sensus occupans; & hinc dicitur pertransiturus virginem. (1.) Diuturnus ergò fuit, quia instar oblongi gladij tamdiu eam afflixit, quamdiu Christus vixit. (*Diuturnus.*) Præsciuit enim Deipara & vel à Simeone didicit, filium eius in cruce dirissimè necandum; vnde perpetuò quasi sub ipsius cruce stetit, & horam illam tristissimam semper animo volvebat, semper expectabat. Taceo dolores alios, quos vsque ad Domini passionem ipsius causâ sustinuit, vt cùm in Ægyptum fugit ab Herode ad ignotos & barbaros populos: cùm eum triduo perdidit: cùm contumelias filio irrogatas audiuit: cùm varijs cruciatibus afflictum & ad caluariæ montem eductum vidit: cùm denique morienti adstitit. Secundò, acutissimus fuit, (2. *Acutissimus.*) quia non passionis, sed compassionis fuit, adeoque non corpus, sed animam sauciauit,

quæ tantò acriùs ſenſit filij dolores, quantò magis ei per amorem vnita & ſimul corpore præſens erat omniaque ſuis coram ſpectabat oculis: Rurſum quia tanto filio, cuius dulciſſimæ conuerſationi per 33. annos aſſueuerat, quique ipſi inſtar omnium erat, per eius mortem deſtituenda erat. Tertiò, Vniuerſalis, quia omnes animæ vires, potentias & ſenſus peruaſit ac pertranſijt. Quemadmodum enim Chriſtus in omnibus membris, in omnibus animæ viribus, in omnibus ſenſibus peculiares habuit cruciatus: ita eos in ſe quoque perſenſit eius mater. Omnia paſſionis inſtrumenta, omnis ictus, omnes contumeliæ, omnes fœtores, omnes amaritudo fellis & aceti, in oculos, aures, nares, os & ipſum denique eius cor incurrerunt.

3. Vniuerſalis.

SEXTVM, Quomodo creuit Chriſtus infans? Reſp. ætate ſolùm & ſtaturâ, non item vſu rationis & ſapientiâ, ita nimirum, vt more aliorum puerorum paulatim ſapere inceperit, vti vult Caluinus; ſiquidem in ipſo matris vtero plenum rationis vſum habuit & plenus omni ſapientia fuit. Primò quia *Iere.* 31. de ipſo dicitur: *Femina circumdabit virum.* Fuit ergò tunc vir, non mole corporis, ſed ſapientiâ & gratiâ. Secundò *ad Hebr.* 10. ait de eo Paulus: *Ingrediens in mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, &c.* Ergò tunc iam vſum rationis habuit, quo ſe patri obtulit. Denique ſi Ioanni Baptiſtæ datus eſt rationis vſus in vtero matris cùm Chriſtum & Deiparam ſalutauit, Chriſto eum negabimus?

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Euangelium Matthæi 2.



IN illo tempore. Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto dicens. Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſrael. Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri. Qui conſurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Iſrael. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire. Et admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

CONCIONES.

I. *Nazaræi noſtri, Religioſi, ſpeculum ſæcularium.*
II. *Inter Nazaræos noſtros Societatem IESV quoque numerandam adeoque à Deo vocatam eſſe.*
III. *Clericorum Inſignia.*
IV. *Documenta.*
V. *Myſteria.*

CONCIO I.

Nazaræi noſtri, religioſi, ſpeculum ſæcularium.

Aſſignatur conuenientia Nazaræorum cum noſtris Religioſis:	2. *In voto.*
1. *Conueniunt myſticè in nomine.*	3. *In cæremonijs & legibus.*
	4. *In fine, ob quem ſe Deo dicarunt.*

THEMA.

Quoniam Nazaræus vocabitur. Matth. 2.

SALVATOR noſter, Auditores, non fuit Nazaræus ritu & profeſſione, quales erant apud Iudæos olim, de quibus agitur *Num.* 6. ſi quis tamen contendat fuiſſe Nazareum, quoad nominis ſignificationem videlicet, ſanctum & ſegregatum; cum eo non contendam. Quin etiam iſtud addo, huiuſmodi Nazaræos eſſe apud nos quamplurimos vtriuſque ſexus, religioſos ſcilicet, qui quantò perfectiores ſunt Iudaicis Nazaræis, tantò maiori in admiratione à nobis habendi & contemplandi ſunt. Sunt enim velut ſtellæ firmamenti noctem huius tenebricoſi mundi illuſtrantes: Sunt velut ſpecula in quibus virtutum omnium ſpecies relucet, nobis à Deo propoſita, vt in ijs noſtras cernere fœditates & miſerias, atque ita ſi non imitari illorum perfectionem, ſaltem deteſtari & odiſſe noſtram imperfectionem poſſimus. Quare videamus cuiuſmodi Nazaræi ſunt Religioſi.

PRIMÒ, Nazaræi ſunt (myſticè, veriùs tamen quàm veteres illi) ſi conſideremus ipſum nomen; ſiquidem & ipſi ſe à communi viuendi agendique ratione ſeparant, necnon à quibuſdam rebus, quæ alioquin alijs conceſſæ, velut ab opibus proprijs, à coniugio, à voluntatis & poteſtatis ſuæ domino; ſeipſos quoque ſeparant DEO ac diuino cultui totos ſe deuouentes. Porrò hoc duplici modo faciunt: alij enim inter homines quidem ob eorum ſalutem conuerſantur, à mundi tamen illecebris & voluptatibus abſtinent, non minore miraculo quam ſi quis in lautiſſimo & opiparo conuiuio ſedens ſpretis omnibus ferculis pane tantùm & aquâ victitaret. Alij ita ſe includunt, vt ad huiuſmodi illecebras nullum prorſus aditum habeant, ſed quaſi in perpetuo carcere captiui eſſe velint; quales pleræque moniales & non pauci Monachi, qui perpetuæ clauſuræ addicti. Sanè in vitâ S. Martini Epiſcopi ſcribit Sulpitius Virginem religioſam domui ſuæ ex voto per plures annos incluſam, cùm eam Martinus alloquio ſuo honorare vellet, noluiſſe ſe conſpiciendam præbere; tanto licet

I. 1. Nazaræi ſunt nomine.

viro

viro, ne propositi sui vinculum vllatenùs laxaret; ideoque à Martino magnoperè commendatam esse. S. Petrus venerabilis, qui vixit anno Christi 1100. refert *l. 1. mirac. c. 22.* Moniales Marciniacenses clausuræ suæ adeò tenaces fuisse, vt cùm in vicinis ædibus circumcirca grassaretur incendium & Hugo Archiepiscopus Lincolniensis suaderet imò præciperet eis fugam è monasterio ne perirent, fugere nollent: Vna enim nomine Guisla (quam sæpiùs se vidisse ait Petrus Ven.) nomine omnium respondit: *Nos, pater, timor Dei & præceptum Abbatis nostri, vt ignem æternũ euadere possemus, intra hos, quos cernis limites, vsque ad mortem permansuras, inclusit. Vnde nullo pacto fieri potest, vt aliquâ necessitate præfixos nobis pœnitẽtiæ terminos, saltem pedis passu transgrediamur; nisi ab illo qui nomine Domini in hoc nos inclusit loco soluamur. Noli ergo, Domine, si placet, hoc iniungere, quod nobis agere non licet: sed sicut nos ignem præcipis fugere, ita magis igni, vt à nobis fugiat, virtute Christi Domini nostri armatus iniunge.* Ad quam mulieris fidem stupefactus Archiepiscopus, ac subitò & ipse fide repletus, foras exijt, & flammas intuens, ac lacrymis ora perfusus, ait: *In nomine Domini & per meritum fidei huius, quæ nunc locuta est mulieris, recede ignis pestifer ab ancillarum DEI habitaculis, nec damna aliqua vltra inferre præsumas. His à Pontifice verbis prolatis (sicut mihi testificati sunt, qui viderunt) repente immensitas flammarum, inuisibili virtute repressa velut ferreo muro obstante, vltrà procedere non potuit.*

Memorabile etiam est, quod celeberrimus ille Monachus, Senuphius nomine, à Theodosio Imp. è solitudine euocatus vt in bello periculosissimo comes ipsi adesset, fecit. Anceps enim cùm & obsequi Imperatori vellet, & cellam deserere nollet, diuino instinctu, præclarum consilium inijt, fide plenum: nam cum superhumerale suum & baculum in cœlum sustulisset, Dominum sic obsecrauit: *Da Deus huic superhumerali, & baculo, vt tantum possit, quantum ego ipse si illic adessem*, illisque ad Imperatorem missis, mandat vt superhumerali caput contectus, & manu baculum gestans, audenter, ante omnes procedat in hostes, incruentam reportaturus victoriam. Sic egit Imperator magnâ fide nixus, sic victoriam obtinuit. Festum Imperator nominauit hunc diem, & nunc quoque post tantum tempus, magnificè celebratur ab Alexandrinis, & nominatur εἰκὼν ab imagine: ab eis enim Imperatori facta est statua, eo quo tunc erat modo armata, sic apud Metaphr. *31. Ian. in Actis SS. Cyri & Io.*

Quis ergò religiosos nostros non meliore iure vocet Nazaræos, id est, separatos, quàm legales illos, qui non semper ad totam vitam, sed plerumque ad certum tempus: non ab omnibus secularibus rebus, sed à certis tantùm abstinebant?

C. II. Voto. SECVNDÒ, Si consideremus eorum Votum, quo se DEO eiusque cultui deuouent & ipsi, & imponunt sibi necessitatem seruiendi DEO, viuendi in paupertate, castitate & obedientiâ ad vltimum vsque spiritum. Hoc autem quàm præclarum, quàm heroicum, quàm difficile opus est? In voto enim DEO datur non tantùm ipse actus sed & potentia; voluntas scilicet & libertas; eni ita renunciat is qui vouet, vt deinceps aliud velle non possit, ac proinde dat non solùm DEO fructus, sed & arborem cum fructibus. Narrat Plutarchus in Laconicis, de quodã Lacone, qui cùm vouisset, quòd se de Leucate petra præcipitẽ dare vellet, conscensâ petrâ & visâ altitudine se auertit & pedem retulit. Quod cùm illi probro daretur, respondit, *non putabam illi voto maiore voto opus esse.* Ita sanè vota religiosorum deprocul conspecta & mente solùm cogitata, minus difficultatis habere nobis videntur; sed si eò veniremus, vt iam omnibus sæculi rebus, coniugio, libertate, omnique possessione abdicare nos æternùm deberemus: quàm multi, putatis, è nobis resilirent præcipitio hoc absterriti? At eò se proiecerunt viri religiosi solâ DEI ope & promissione nixi; deuouerunt DEO animam ad perpetuam obedientiam, corpus ad perpetuam castitatem, opes ad perpetuam pauperiem, fortissimo voti vinculo sese adstringentes; atque vt hoc firmius sit, plerique illud renouant aliquoties in anno, vel duntaxat semel, nequa illius irrepat obliuio, atque vt in ijs magis stabiliantur. Multum se aliqui præstitisse autumant, si vel ad vnicùm annum interdixerunt sibi ludum alearum, vini potum, tabernarum accessum vel chorearum; & quantulum est hoc, si cum votis religiosorum comparetur? Profectò cogimur dicere cum rei veritate quod *Num. 13.* exploratores illi terræ promissæ: *Ibi* (in religione) *vidimus monstra de genere giganteo: quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Et quis ex hoc etiam capite non præferat nostros religiosos, Iudæorum Nazaræis? Magnum & admirandum quid fuisse votũ Nazaræorum quòd vini potu se abdicassẽt, colligitur ex *Num. c. 6.* Ita enim ibi Septuaginta legunt: *Vir siue mulier si voluerint granditer votum vouere* (Nouator Munsterus vertit: *si mirandum aliquid fecerit*; & causam adijcit: *Mirandum est, cùm quis vino & delicijs assuetus, votum abstinentiæ fecerit & carnem suam à delicijs subtraxerit;*) at quantò grandius & mirabilius est abdicare sese opibus, coniugio, propriâ voluntate?

D. III. Cæremonijs & legibus. TERTIÒ, Si consideremus Nazaræorum cæremonias & leges, quæ potissimùm quatuor erant. Prima à vino & sicerâ omnique quod inebriare potest, imò & ab acinis & uvis abstinebant, tum vt ab omni ebrietate quàm longissimè abessent, tum vt ea, quæ ad voluptatem, hilaritatem vitæque commoditatem faciunt, sibimet eriperent. *1. Abstinebant à vino Nazaræi.* Nostris quidem religiosis, quia legales Nazaræi non sunt, vinum non prohibetur, modicum tamen minusque pretiosum illis & apponi ad refectionem solet, & suadetur ab Apostolo *1. Tim. 5.* qui Timotheo scribit: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuũ & frequentes tuas infirmitates.* Et à S. Bern. qui in *l. de Ordine vitæ* scribit: *Si religiosus & sapiens vis esse, nunquam vinum redoleat, ne audias illud Philosophi: Hoc non*

est osculum porrigere, sed vinum propinare. Et in *l. de modo bene viuendi Ser. 25. Bibamus non quantum gula quærit, sed quantū necessitas requirit.* Et mox; *Quare? Quia vinum temperate potatum facit ad orationem solicitum & in Dei seruitio acutum.* Causa reddi physica potest cur ijs qui studio & contemplationi vacant, vinum moderatum conducat. Vnica enim est hominis anima, quæ triplices habet functiones, vegetatiuas, sensitiuas & rationales. Quando igitur hæc anima, quæ valde limitatas habet vires, tota penè in cerebro vacat attentioni, studio, contemplationi: distrahitur à stomacho vt minùs ei vacare suo calore ad concoctionem & digestionem queat; quare externi caloris fomento indiget ne cruditates, phlegmata & similia in stomacho gignantur. *Vult Deus prudenter sibi seruiri,* inquit S. Ambrosius, *ne nimietate debiles efficiamur & posteà medicorum suffragia requiramus.* Deinde religipsi nostri abstinent à vino spirituali sensu, dum omni inordinato amori & possessioni rerum creatarum sese abdicant; Vt enim vinum potantem, ita amor ille mentem inebriat. Votum hoc perfectius ac præstantius est voto Nazaræorum.

Deinde sicut Nazaræi ab acinis & uvis quoque prorsus abstinebant: ita nostri religiosi ex ipso suo statu non modò remoti sunt ab ijs rebus, quæ cum peccato coniunctæ sunt; verùm etiam ab omnibus, quæ aliquam affinitatem vel illecebrā peccati habent; quia valde procliue est ab acinis ad uvā, ab uvā ad vinū, à vino ad ebrietatē prolabi. Eò pertinet, quòd mulieres ad monasteria non soleant intromitti; quod attentans aliquando violenter Aragoniæ Regina, dum cellam S. Vincentij Ord. S. Dominici, contra eius voluntatem & institutum ordinis ingrederetur, Vincentium tāetsi proximum sibi videre minimè potuit, donec egressa foris eum expectauit. Rauzanus in vitâ *l. 2. c. 9.* Item quòd pecuniam vel minimam possidere vel tractare absque consensu superioris nequeant. Cui legi cùm aliquando tempore S. Gregorij Papæ Monachus quidam in Monasterio S. Andreæ (in quo Gregorius degebat) Romæ contrauenisset tresque aureos sibi retinuisset, in pœnam præsumptionis æger ab omnibus fratribus desertus & post mortem in sterquilinio sepultus est, proiectisque post eum aureis fratres exclamârunt: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* scribit ipsemet Gregorius *l. 4. dial. c. 55.* Plura alia afferre possem, quæ sæcularibus quidem licent, religiosis verò non licent, tametsi in se mala non sint; quò peccandi occasiones remotiores fiant. Sed properandum est, quia multa adhuc dicenda.

2. *Capillum promissū gerebant.* SECVNDA Lex: capillum promissum gerebant; vnde nec radi nec tonderi poterant; tum quia prolixior capillus olim pulchritudinis insigne erat; tum quia capillorum rasura inanibus dicata dijs, *Baruch. 6.* Neque hoc ad literam opus seruare nostris Nazaræis. Meliore modo obseruant, dum sanctas cogitationes nutriunt, dum contemplationi quotidie incumbunt; dum non opera tantùm & verba, verùm & cogitata adeoque omnia membra student ab omni inquinamento impolluta seruare. S. Thomæ Aquinatis apophthegma est: *Religiosus non est, qui non semper in mente habet Deum.* Ergò qui in mente semper DEVM gerit, is profectò capillum elegantem, Absolonico illo pulchriorem gerit. Adhæc religiosi in se maculas deprehendunt, quas sæculares vt pilum tenuissimum non vident, proinde nec capillo vno æstimant. Ita enim S. Gregorius Nazianzenus *orat. de fuco,* ait: *Illud velim ne ignores, rugam vnam tibi turpiorem esse, quàm maxima vulnera ijs, qui in mundo viuunt.*

TERTIA, Ad nullius omninò mortui cadauer ingredi poterant; tum vt omni tempore sacri sacris interesse possent; (ex lege enim Mosaica & alij Israëlitæ per commercium cum funere, integrâ hebdomade polluti reddebantur) tum vt intelligerent cauendum sibi maiore curâ ab operibus mortuis. Iam nostri Nazaræi & istud suo ac meliore modo præstant, dum erga carnem & sanguinem, erga parentes & propinquos omnem inordinatum affectum, quo alioquin animam contaminari necesse est, exuunt. Scimus cuidam discipulo Christi petenti sepelire patrem suum, Christum respondisse: *Sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Matth. 8.* Ergò qui carnali propinquorum amori & commercio renunciat, næ ille mortuos deuitat & sinit mortuos sepelire mortuos suos. Pro miraculo habitum est quòd vaccæ illæ, quæ portarunt arcam in terram Israël reclusis domi vitulis, eorū vagitu & clamore ab itinere suo minimè reuocatæ sunt, sed rectà ad destinatum perrexerunt. *1. Reg. 6.* Huiusmodi autem vaccæ sunt religiosi, qui patriam domum ac solum, vt iugo Christi colla submittant, ita constanter & animosè deserunt, vt parentum aut filiorum, fratrum ac sororum fletibus & lamentis minimè attentis cœptum iter pergant. 3. *Ad mortuum nō ingrediebantur.*

QVARTA, Finē Nazaræatui impositurus debebat offerre tres hostias immaculatas ad ostiū tabernaculi, scilicet agnū in holocaustū, agnam in sacrificium pro peccato, arietem in hostiam pacificam. Deinde debebat radere capillos eo vsque seruatos & comburere. Atque hæc in gratiarum actionem & DEI honorem, cui Nazaræus esset consecratus. Faciunt & hoc suo modo religiosi nostri. Primò enim cùm post annos probationis ad ostium tabernaculi, id est, ad ingressum & professionē religionis (quæ est spiritualis eorū mors) sistuntur, ibi sese Deo cum triplici hostiâ triplicis voti offerunt: hostiam immaculatam, cùm per omnem reliquam vitam immaculatos se à peccatis custodire satagunt, & hunc in finem singulis septimanis aut etiam crebriùs conscientiam suam emundare eandemque singulis diebus examinare & proposito emendationis ab omni puluere excutere solent. Quocirca Climachus *gradu 4. de obedientiâ* scribit Monachos prisci æui in cingulis gestasse libellum in quo cogitationes per diem occurrentes scribebant vt eas Abbati suo reuelarent. 4. *Finiebāt cum sacrificio.*

Offerunt

Offerunt holocaustam dum se ad omnem obedientiam promptissimum fore iurant Hostiam pacificam, dum firmissimè statuunt cum omnibus pacem habere, veluti quatuor illa animalia Ezechielis eundem currum summâ pace trahentia; ita vt bos cum aquila, hoc est, tardus cum pernice: homo cum leone, hoc est mitis cum feroce quietè viuere velit & contrà. Hostiam pro peccato ad omnia patienter ferenda & dissimulanda, quo modo Abbas Nestero quando intrauit primò in monasterium dixit animo suo: *Tu & asinus vnum estote; sicut enim asinus vapulat & non loquitur: iniuriam patitur & non respondet: Sic & tu; sicut & in Psalmo: Vt iumentum factus sum apud te.* Vitæ. PP. *l. 5. c. 15.* Concremant Deo crines suos, dum omnes etiã minimas actiones suas ex obediẽtiâ peragũt; quæ proinde à Deo in odorẽ suauitatis acceptantur, vtpote meritoriæ omnes.

Secundò, in fine vitæ cùm post exsoluta vota sua deponunt omnem curam & solicitudinem offeruntque Deo animas suas immaculatas, sicque ingrediuntur per ostium beatæ mortis in æternum tabernaculum.

E. IV. Phoe.

QVARTÒ, Si consideremus finem, ob quem se Deo dicârunt. Is enim est non alius nisi Dei gloria & cultus impensior, perfectio in virtutibus propriaque ipsorum salus; quam expectant in futuro. Hunc finem vt assequantur, assiduè versantur in templo canuntque Deo laudes septies in die veluti alaudæ canunt, inquam, noctu & interdiu adinstar philomelæ, quæ de nocte etiã dulce canit dum residet super ouis; atterunt se vigilijs, ieiunijs, cilicijs, flagellis: perficiunt se in virtutibus; nihil de mundi cõmoditatibus appetunt aut quærunt; denique *quasi ab hac mortali vita seiuncti,* inquit Eusebius *l. 1. demonstr. Euang. c. 8. ipsumque dumtaxat corpus in terrâ gerentes, quasi quidam cælites reliquorum omnium vitam despiciunt, quippe qui pro vniuerso genere summo omnium Deo sacrati sint.* Sunt instar trecentorum illorum Militum Gedeonis, qui nequaquam se incuruant vt terrenarum deliciarum aquis proluant, sed erecti ad DEVM stantes velut fortes & magnanimi milites (vt qui nec pauxillum quietis sibi concedant ad fruendum mundi bonis) moderatissimè, quæ ad corporis necessitates pertinent, delibant ac velut canes è Nilo, carptim scilicet & transcursim bibunt, nec à pessimis mundi Crocodilis, hoc est, cupiditatibus corripiantur & hauriantur; ad hæc quoque tubas orationis & psalmodiæ perpetuò inflant: insuper lagenas corporũ suorũ varijs mortificationibus complodunt & contundunt indeque lucernas præclarissimarum virtutum toti mundo produnt atque ostendunt, vt eorum heroicâ vitâ excitati reliqui vel parum aliquid faciant pro salute animæ suæ. Pleriq; nos qui in sæculo degimus similes sumus reliquis Gedeonis militibus 9700. qui flexo poplite irruimus in commoditates huius sæculi, dum inordinatè & insanè eas appetimus, dum intemperantem hausimus ac tantùm non adoramus, dum in ijs acquiescimus nec ad vlteriorem finem, DEVM tendimus; atque inde fit vt velut ignaui & imbelles milites à Deo exauthoremur ac dimittamur in desideria cordis nostri, O si intelligeremus, quàm sordida & fætens sit mundi huius aqua, quàm felix contrà & beata religiosorum vita? At verò ea margarita pretiosa conchæ suæ inclusa nobisque abscondita est, Id tamen cœlesti visione repræsentatum est D. Anselmo (vt habet eius vita) & per illum nobis. *Raptus enim in ecstasin vidit fluuium immanem atque præcipitem in quem sordes omnes, quæ vbique terrarum essent, confluerent, ita vt nihil aquis illis turpius ac fœdius fieri posset, quæ etiã quidquid attingerent raperent, ac deuoluerent, viros, fœminas, diuites, inopes. Quod ille spectaculum miratus ac miseratus, cùm quæsisset quibus ij rebus alerentur, & quomodo viuerent; responsum est ei, infelices illos eodem ipso cœno, quo trahebantur, potari & delectari. Quinetiam adiecta est mysterij huius interpretatio, torrentem illum esse ipsum mundum, in quo cæci mortales suis diuitijs, honoribus, & reliquis cupiditatibus inuoluuntur, cumque adeò miseri sint vt ne consistere quidem possint, ipsos tamen se beatos & fortunatos putare. Ductus est deinde in septum quoddam ampli & speciosi claustri, cuius omnes parietes argento obducti purissimo mirum in modum nitebant. In medio pratum erat & in eo herbula, non vt vulgares ista, sed omnes argenteæ, eædemq; tamen viuentes, & molles, ita vt facile cederẽt insidentis, eoque surgente per se rursum subrigerentur, aër autem placidus & amœnus, deni que omnia adeò iucunda & suauia, vt nihil amplius ad felicitatem optari posse videretur. Atque hoc indicatum est ei esse religiosum statum: vt sine dubio eiusmodi imagine docere voluerit Deus, in mundo omnia esse fœda, taetra, mortifera, & semper in præceps ruentia: contra verò in religione omnia pulchra, omnia iucunda, denique omnia vt argentum & candida & pretiosa.* Nos ergò, Auditores, si computari nolumus inter ignauos illos milites, separemus nos ab ijs eorumque moribus, dum adhuc in viâ sumus. Aspiciamus potiùs ad trecentos illos Heroës, tot millenos, inquam, religiosos vtriusque sexûs, & si quidem ad amussim imitari eos aut nolumus aut nõ possumus, vt mente semper in Deum erectâ perpetuò in armis stemus, vt sæculi commoditates delibemus potiùs quàm bibamus, vt lagenulam carnis nostræ asperiori mortificatione conteramus; ad aliquem saltem gradum huius perfectionis aspiremus. Sit primum & primarium nostrũ studium animi cura: secundarium corporis alimonia. Illud sit τὸ ἔργον, istud sit τὸ πάρεργον. *Neque enim* ait Tullius *1. offic.* (vir non Christianus sed Gentilis) *ita generati à naturâ sumus vt ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem & ad studia quædã grauiora atque maiora.* Bibendum quidem, edendum, dormiendum, corpus vestiendum & sustentandũ est, sed absit in his intemperantia, absit superfluitas, absit mora, absint deliciæ, absit in voluptates omnes proiectio & prostratio, etiam ijs diebus, quibus alij plerique viuunt Bacchanalia. Non moueat nos turba: vbi multi diuertunt, ibi malè hospitantur. Maior hominum pars vergit ad interitum. Plusquam

nouem millia in aquas procubuerunt, trecenti tantùm steterunt: illi reprobati, hi verò electi sunt. *Ille*, inquit Origenes *hom.* 9. *in Iud. probabilis, ille electus est, qui posteaquam ad aquas baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas & corporeas nescit, qui vitijs non indulget, neque ob peccati situm sternitur pronus.*

Videmus ergò Auditores, etiam in Ecclesiâ nostrâ nostros Nazaræos, tantò illis veteribus maiores, quantò maior eorum sanctitas vitaque perfectior; vt meritò de ipsis, non de Iudaicis, dictum existimare possimus id *Thren.* 4. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores.* Ita enim eum locum exponit S. Gregorius, qui religiosorum vitam niue & lacte candidiorem dici ait; *quia per niuem, vtpote quæ ex alto venit, optimi quique, & cælestes viri, lacte verò quod ex carne exprimitur, ij qui terrena rectè dispensant, designati sunt, quibus tamen vtrisque religiosorum status antecellit. Qui etiam quia per feruorem spiritûs antiquorum ac fortium patrum (ebur enim os magnorũ animalium) nonnunquam vincere vitam videntur, rectè additur: Rubicundiores ebore antiquo. Denique quia præcedentes multos, atque ad superna tendentes per cælestem conuersationem superant, Sapphyro etiã pulchriores appellantur: Sapphyrus enim ætherei coloris est.* Hæc Gregorius. Videmus non iniuriâ sanctos appellari posse nostros religiosos, si cum secularibus eos comparemus. Dicite enim si in sæculo aliquis præstaret, quod præstant religiosi, si iuxta eorum regulas ieiunaret, psalleret mediâ nocte, vigilaret, tria vota seruaret, &c. quis eum non virum sanctum diceret ac miraretur? Atqui hoc in religione præstant ipsi penè omnes. Denique videmus in istis Nazaræis veluti in speculis, quàm longè adhuc à regno cœlorum absimus & quàm sordeat terra nostra si cum cœlo religiosorum comparetur. Incipiamus ergò vel nunc abstergere nostràs sordes, mori mundo & viuere DEO.

CONCIO II.

Inter Nazaræos nostros Societatem Iesu quoque numerandam, adeoque à Deo vocatam esse.

Probat Auctor Societatẽ Iesu à Deo vocatam,
1. *Quia eam Pontifices approbarunt.*
2. *Quia breuî mirè propagata.*
3. *Quia iuratus hæreticorum hostis.*
4. *Quia sedi Apostolicæ quarto voto obstricta.*
5. *Quia passim à malis impugnata.*
6. *Quia ex instituto ad salutem animarum incumbit.*

THEMA.

Quoniam Nazaræus vocabitur. Matth. 2.

A. SANCTVM & omni veneratione dignum est Nazaræi seu Nazareni vocabulum, præuisum ab Isaiâ Prophetâ, tributum Christo ab angelis causâ honoris *Marci* 16. nec non ab Apostolis *Actor. cap.* 2. 3. 4. 26. denique Christiani omnes in principio nascentis Ecclesiæ à IESV Nazareno Nazaræi dicebantur, & Christiana religio secta Nazarenorum *Act.* 24. Nihilominus tamen hoc vocabulo ad ignominiam Christi vsi sunt eius inimici, Iudæi & Gentiles, vti inprimis Pilatus qui per contemptum titulo Crucis nomen id inscripsit, deinde Iudæi qui Christianos Nazarenos contemptim appellabant, eaque voce ter in die quando preces perficerent in synagogis suis, maledicebant Christianis ipsique Christo, teste D. Hieronymo in *Isa.* 49. Adeò nil tam sanctum & laudabile est, quod ab inuidis & impijs non trahi ad iniuriam & cõtemptum possit. Idipsum etiam contigit religioso & venerabili Cœtui patrum Societatis IESV, præsertim in sui exordio; vbi eorum institutum & nomen ab ipso Saluatore tractum multorum oculos pupugit, nec desunt etiamnum qui nescio quo glaucomate cæcati eandem Societatem non rectis oculis aspiciunt & nomen Iesuitarum nonnihil ægrè audiunt. Quorum auribus oculisque vtpote malè affectis vt curam adhibeamus, ostendemus hîc institutum Societatis IESV sanctum & venerandum adeoque à Deo esse.

B. I. Quia Pontifices approbatur. PRIMÒ, Probatur ex Pontificum Rom. approbatione & decretis. Inprimis enim cùm S. Ignatius instituti sui formulam Pontifici confirmandam obtulisset; Pontifex eam Magistro S. Palatij cognoscendam dedit. Ab hoc approbatam, vt ipsemet vidit accurateque perpendit: *Spiritus*, inquit, *Dei est hic*; Patrumque illorum consilium & pia studia collaudauit, simul & illud addidit, sese præsagire iam tum animo Societatem hanc id temporis excitatam, afflictis Ecclesiæ rebus non leui præsidio atque ornamento fore. Verùm ne quid præcipiti consilio statuisse videretur, rem maturiùs ponderandam iudicauit & tribus Cardinalibus commendauit. Inter quos cum vnus Guidiccionius, acerrimus nouarum religionum hostis anno integro contra niteretur, collegis etiam in sententiam suam perductis; tandem Ignatio post votum factum, iterum negotium vrgente, repentè illi Cardinales præter consuetudinem ad id, quod priùs tam constanter repulerant, toto nutu voluntatis impelli se inclinarique sentiebant. Et Guidiccionius quidẽ posteà Societatis causam apud Pontificem tam feruenter egit pro eiusdem confirmatione, vt nemo vnquam ampliùs, diuino vtique instinctu permotus ac impulsus, vti ipse fassus in oratione est; & videre est in Historia Societatis IESV *l.* 1. Eandem postea denuò confirmauit Paulus tertius; & Iulius tertius. Quod ergò Romani Pontifices diuino impulsu approbauerunt, viderit qui improbare audet. Tales enim sese parum obedientes filios Pontifici ostendunt.

C. II. Quia breui mirè propagata. SECVNDÒ, Quia tam breui tempore mirabilem progressum habuit & per vniuersum orbem se dilatauit non secus ac ipsa Christiana religio primis temporibus vniuersum peruasit orbem, claro testimonio, quòd ea cœle-

cœlestis sit. Quâ in re optimè dixit Gamaliel in Concilio Pharisæorum, de doctrinâ Apostolorum habito: *Discedite ab hominibus istis & sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini, Act. 5.* Quoniam igitur Societas ista tam breuî tantum incrementum sumpsit, nec dissolui à multis, quos habuit, Antagonistis, potuit: quis poterit dubitare, eam à DEO esse? In hanc sententiam Marcellus secundus Papa aliquando in conuentu plurimorum hominum de hac Societate loquens dixit se non legisse (etsi in historijs erat versatissimus) vlli homini post Apostolorum tempora, concessum fuisse à Domino, quod Patri Ignatio, vt dum viueret, tantum operis, cuius fuisset ipse instrumentum, incrementum videret. Significabat autem apertissimâ hac testificatione declarâsse DEVM hominibus quantùm hoc institutum approbaret. Occurret hic fortè quis Luthericola & obijciet maius incrementum & velocius Euangelium Lutheri. Sed operæ pretium non est, tam futili obiectioni respondere. Quis enim nescit, quantum intersit inter Ignatij religionem & Lutheri Euangelium? Illa homines à mundo ad religionem vocat, hoc religiosos ad mundum euocat. Neque maius mirum est incrementum Lutheranorum, quàm olim incrementum Epicureorum, qui numero longè superabant Peripateticos & Stoicos, quia illorum disciplina laxior & crassior erat, horum seuerior & strictior. Sed de hoc infrà fusiùs.

D.
III.
Quia iuratus Hæreticorum hostis.

TERTIÒ, Quia perpetuus hæreticorum hostis & malleus est. Multa se facturos spondebant nostri hæretici & facerent etiamnum in gratiam Catholicorum, dummodò Iesuitas exterminaremus: quiduis potiùs laturi, quàm illos: cum ijs Vatinianum odium. Sed nihil obtinent ridiculi. Olim etiam Philippus rex cùm Athenienses obsideret postulauit ab ijs vt decem sibi oratores darent; velle se hoc pacto discedere. Sed Demosthenes respondit hac ratione lupos aliquando petijsse canes à pastoribus, velle se proinde eo pacto societatem cum illis inire; quibus traditis lupi securè inuaserunt & diripuerunt gregem. Hoc idem nunc machinari Philippum dum sapientes qui vrbium sunt muri & propugnacula, sibi dari postulabat, Isidor. *l. 1. Etymol. c.* 40. Neque aliud machinantur hæretici dum Iesuitas à Catholicis procul remotos volunt. Hinc ergò satis colligere est à DEO missam esse Patrum Societatem, quæ tam implacabili odio & indefesso labore hæreticos exagitat & calamo & voce. Solenne est Domino DEO, quoties noua hæresis prodit, aduersarium ei excitare, qui eandem conterat. Hoc factum temqore Lutheri quando illi hostis excitatus est Ignatius cum suâ Societate. Scribit Olaus *M. l. 22. c. 5.* in aquilonari regione compertam esse formicarum speciem, quibus insidiatur vrsus. At illæ adeò solerter eum inuadunt, vt eijciant. Quin si fortè vnicam formicam in foueam suam, pilis occultam intulerit, eaque ibi nidificauerit & prolificauerit, etiam inde vrsum cum prole vniuersâ perpetuò exulem faciat. Quàm turpis vrsus Lutherus? Vnica formica Ignatius: & hæc tamen suâ cum prole Lutherum longiùs indies pellit; &, vt benè speramus, breui extorrem faciet. Taceo quod idem sanctus vir auctor condendi Collegij Germanici fuerit Pontifici ad eundem finem, hæresim nimirum nouatorum expugnadam.

E.
IV.
Quia sedi Apostolicæ quarto voto obstricta.

QVARTÒ, Quia sedi Apostolicæ speciali & quarto voto sese obligat ad quascumque missiones absque viatico etiam in remotissimas nationes. Quàm ergò certum est sedem Apostolicam à Christo constitutam & firmatam esse: tam parum etiam dubitandum, Societatem ei adhærentem à Christo quoque esse. Per istos igitur Patres attraxit sedes Apostolica ad Christi fidem & suam obedientiam transmarinas nationes priùs orbi incognitas & alias ab hæresi quàmplurimas. Legimus Salomonem non solùm fecisse sibi thronum eburneum grandem, &c. 2. *Par.* 9. Sed etiam ferculum, id est, vehiculum vel Lecticam de lignis Libani, quo de loco ad locum ferretur. Eius columnæ erant argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus, media charitate constrata *Cant.* 3.

Aliæ religiones solium Christi sunt, in quo requiescit: sed Societas Iesu ferculum seu Lectica est, in quâ Christus defertur ad longinquas nationes, quo modo S. Paulus nomen IESV portauit coram gentibus. Eius columnæ argenteæ propter scientiæ eminentiam, quæ ad tales missiones requiritur: reclinatorium aureum, confidentia in DEVM, dum Patres Societatis sine viatico ad quascunque oras ablegati abeunt, solo DEO confisi: ascensus purpureus, promptitudo subeundi martyrium, quod magno numero summâ animi alacritate exceperunt, quodque passim eos expectat & expectant ipsi: media, id est, quidquid interiacet, charitate constrata, dum posthabitis omnibus commoditatibus suis contemptoque vitæ periculo pro animarum lucro ingentia subeunt pericula totosque se impendunt alijs. Vnde non iniuriâ de hoc ferculo dixerim, quod de Paulo Christus: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus.* Portauit nomen Christi ad Indos & Iapones Xauerius: ad Armuzios Gaspar Barzæus: ad Abassinos Andreas Ouiedo: ad Sinas Mattheus Riccius: ad Brasilios Iosephus Anchieta, &c. Iam ergò dubitabit aliquis, nostrum Salomonem Christum, fecisse sibi hoc ferculum quo ipse ad tam remotas & incognitas nationes delatus est.

F.
V.
Quia à malis impugnata.

QVINTÒ, Quia passim à malis hominibus persecutionem patitur, quod non exiguum est argumentum à Christo esse & à Christi partibus stare hanc Societatem; siquidem *omnes, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 2. *Tim.* 3. Et Christus: *Si me persecuti sunt: & vos persequentur.* Porrò qua-

quatuor aut quinque hominũ genera sunt, qui Societati aduersantur. Hæretici, quibus cum perpetuum illis odium & hoc ipso laudabile. Deinde homines carnales & vitæ dissolutæ, qui nullo modo ferre possunt homines vitæ purioris & suorum vitiorum reprehensores: quod etiam Societati in maximam laudem cedit eamque verè cœlestem ostendit & spiritualem. Quid enim mirum si caput scabiosum à pectine abhorreat? Quamprimum aqua igni iungitur, in se mutuò pugnabunt: ita nec vitio & virtuti vnquam conueniet. Ac siquidem aliquando tempus incideret, quo Societati cum talibus hominibus pax esset, necesse est aut mundum totum factum esse similem ipsi: quod optandum potiùs quàm sperandum est; aut ipsam degenerasse in mundum, quod auertat Deus. Itaque vbi cessauerit Societas tales habere hostes, hostem iudicabimus. *Quomodo enim vir bonus est, qui improbis amicus est?* dicebat Lacon apud Plut. Et Apostolus: *si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Alij quidam de religione sunt aut fuerunt potiùs, quippe instituti sui nimiùm amantes, vnde aliena instituta facilè improbabant, ideò potissimùm quòd externa seueritatis insignia minùs præferret: non aduertentes, quòd Ioannis Baptistæ discipuli simili modo culparent Apostolos, quòd non ieiunarent vt ipsi *Matth.* 9. Sed hoc humanæ infirmitati prudens quisque facilè condonabit. Alij quidam auari Ludimagistri erant & clerici, qui cùm aduerterent aliquid de quæstu suo decedere, Patribus Societatis gratis docentibus & ministeria Ecclesiastica obeuntibus, ex hoc contra illos armati sunt. Denique alij falsis delationibus circumuenti vti olim Doctores Parisienses: qui tamen ad extremum omnes veritate seipsam prodente, deceptos se viderunt. Ad extremum quæcunque contra eos procellæ varijs in locis sunt exortæ, non eorum culpam aliquam, sed innocentiam prodiderunt. Vt hinc apertè constet Societatem granum frumenti esse, quod vt multum fructum afferret priùs variè mortificandum, ventilandum & cribrandum fuit.

G. VI. Quia ex instituto & pluribus medijs salutem proximi curat.

SEXTÒ, Quia ex fine proprij sui instituti tota incumbit ad salutem animarum procurãdam, in omni officiorum genere, quod aliæ religiones non habẽt. Inprimis in iuuentute erudiendâ, quod ex se fastidiosissimum est. Et quantum hinc boni prodit? Vnde plurimorum monasteriorum & cleri reformatio, nisi ex eruditione, quam hauserunt è Scholis Societatis? Cleri reformatio quanta bona peperit & parit hodieque? Deinde in confessionibus audiendis quod officij genus tanquam grauissimum & molestissimũ omnes alioquî fugiunt, ipsa libenter suscipit & indefesso labore exequitur: vt de ipsâ inprimis dicere videatur DEVS *Ose. cap.* 4. *Peccata populi mei comedent.* Ad hæc sedulò occupatur in visitandis ægrotis & captiuis, quo in officij genere licèt tam pio & salutari etiam anteà pauci occupabantur; vt verè dicere possim eam vltrò ire, quò priùs rari iuêre. Cõcionibus prætereà plebem instituere satagit, vbicunque occasionẽ nacta.

Quæ omnia clariùs elucent, si fructum qui inde prouenit, consideremus. Quanta olim in clero dissolutio? quàm exiguus sacramentorum vsus? Quàm omnia sacra vndique frigebant? Ignatius ergò post Christum ignis ille videtur, quem misit in terram Christus, quo inflammata omnia: *Ignem veni mittere in terram* &c. *Luc.* 12. Hæc ergo Auditores, pro honore & defensione tam laudandæ Societatis ita sanè dicta vobisque insinuata volui, vti alijs Religionibus (quibus etiam sua stat laus & honor) nihil demptum velim; sed vt eam vos pari cum cæteris amore & veneratione complectamini, foueatis, audiatis, & quantum vires ferent, imitemini.

CONCIO III.

Clericorum insignia & præscripta.

Enumerantur Clericorũ insignia eorumque significationes, ac

1. Corona capitis per capillorum detonsionem, quæ significat curarum secularium abiectionem, consecrationem &c.

2. Toga, quæ denotat iustitiam & vitam lugubri similem.

3 Superpellicium, quod notat animi puritatem &c.

4. Pileus quadratus qui denotat signum crucis, & stabilitatem mentis.

5. Breuiarium seu orandi studium.

THEMA.

Quoniam Nazaræus vocabitur. Matth. 2.

A.

NON longè aberrabimus, si nostros sacerdotes, etiam sæculares, Nazaræos appellemus (tametsi Nazaræi religiosorum propriè typus erant, si eorum vitam spectes) Nazaræus enim sonat separatum, consecratum, coronatũ. Et tales vtique esse sacerdotes debent: separati à communi Laicorum conuersatione; consecrati diuino cultui, coronati in rasura capitis. Verùm licet eos quoad etymologiam vocari velim Nazaræos, nolim tamen esse, quoad institutum Nazaræorum legale. Illi enim vinum non bibebant: istos volo bibere vinum in Missæ sacrificio & quidem frequentissimè. Illi comam alebant; hos nolo comam alere. Illi super mortuo non ingrediebantur: hos volo crebrò ingredi suis pro defunctis precibus. Illi ad certum tempus DEO consecrati erant: hoc volo esse semper diuino cultui addictos. Inspiciamus ergò sacerdotum nostrorum habitum seu insignia & inde perdiscemus, quæ illorum partes sint.

B. I. Corona significat 1. Curarum

PRIMVM, Corona capitis per capillorum detonsionem facta, quæ significat Primò curarum secularium abiectionem; capilli enim capitis, animi curas significant superfluas, quia vt capilli ex superfluis humoribus continuò nascun-

sæcularium abiectionem. nascuntur: ita & curæ ex superfluis mundi bonis & negotijs sæcularibus. Intonsus erat Ioseph & incompositus quamdiu in carcere ministrabat. At cùm ad regem adducendus erat, priùs tonderi debuit, *Gen.* 41. quia nimirū sordidū apparere coram Rege non licuit, vt exponit ibi Lira. Atqui Clerici seliguntur & eximuntur à mundo velut è carcere & sordido sæcularium curarum ministerio, vt coram cælesti Rege assistant. Quemadmodum verò homo intonsus & impexus fit sordidus & squalidus: ita coram DEO sordidus habetur, qui curis sæcularibus nimiùm distinetur. Neminem posse duobus Dominis seruire, discimus ex Euangelio *Matth.* 6. *Ideo ne soliciti sitis*, subijcit Dominus, *animæ vestræ, &c.* Et mox: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Vos ô Clerici estis volatilia illa, quæ laudes DEI canere semper debent; abijcite igitur curarum sæcularium capillos & ipse vos enutriet. Idcircò Syluester Papa dies hebdomadæ appellari ferias voluit, vt Clerici à sæcularibus curis exempti sciant soli se DEO semper seruire debere, vt habetur in officio S. Syluestri *Leg.* 3. Quòd si capillos hos non totonderint Clerici, tenebuntur per illos ne expeditè Domino seruire & militiam suam militare possint. Lacedæmonij certè quò expeditiores ad pugnam essent, nec haberent vnde teneri possent, capillos totonderunt teste Pierio *l.* 32. *Hierogl.* Similiter 2. *ad Tim.* 2. cùm præcepisset Paulus Timotheo Episcopo; *Labora sicut bonus miles Christi Iesu*; mox subdit: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit.* Quod inprimis obseruent Clerici cùm in diuino ministerio sunt, vel Iudæorum exemplo edocti. Nam *cùm Aaron eiusque successores*, ait Isidorus Pelusiota *l.* 1. *ep.* 45. *ad Martyr. Episc. in templum sacrificij causâ ingrediebantur, laneis omnibus vestimentis abiectis, vestes ex lino contextas induebant, illud significantes: externos tumultus tùm de memoriâ deponendos esse. Nam qui rei sacræ causâ ad Deum accedunt, nihil alienum nec vllam rerum ex materiâ constantium sarcinam secum afferre debent.*

2. *Consecrationem.* Secundò significat eorum consecrationem & immunitatis priuilegium. Sic enim Hugo *lib.* 2. *p.* 3. *c.* 4. ait: *Signaculum Clericorum est corona, quâ signatus Clericus deputatus ad ministerium Dei.* Antiqua consuetudo erat circa annum D. 684. transmittendi capillos filiorum alteri, qui eos quasi adoptaret: Sic Pius Imp. filiorum Iustiniani & Heraclij capillos ad Benedictum Papam direxit, quò eum velut spiritualem patrem haberent, teste Baronio, illo anno. Igitur quia Clerici peculiari ratione DEO consecrantur, eorum capilli ab Episcopo abscinduntur & DEO quodammodò transmittuntur, qui eos velut filios adoptat peculiari modo, indeque singularem eorum curam habet. Sic enim ad discipulos suos *Luc.* 12. ait: *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergò timere*, Et *Luc.* 21. *Capillus de capite vestro non peribit.* Viderint ij, qui signaculum hoc temerant & violentas clerico manus inferunt. Hominis sigillum violare nefas est, quantò magis sigillum Dei? per iocum, etsi non malè vocant aliqui Sacerdotes templa, *Gottshäuser.* Sed audiat illi Apostolum: *Si quis tēplum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* 1. *Cor.* 5.

3. *Regiam dignitatem.* Tertiò regiam Sacerdotum dignitatem. Etenim 1. *Pet.* 2. dicuntur *genus electum, regale sacerdotium.* In veteri lege *Exod.* 19. contulit Deus populo suo *regnum sacerdotale.* In nouâ sacerdotium regale; quia ibi regnum potius erat sacerdotio: hic contrà; ideò sacerdotium ponitur ab Apostolo substantiuè; à Moyse adiectiuè. Certè S. Ambrosius cùm Theodosium Imp. in choro aliquando stantem vidisset, ei nuntiauit: *Egredere Imperator, & cum cæteris in commune consiste: purpura enim Imperatores facit, non sacerdotes.* Cui non difficulter paruit Imperator: Post hæc cùm idem Constantinopoli ad Ecclesiam veniens, à Patriarchâ inuitaretur vt ad chorum sessurus accederet, nequaquam acquieuit, magis scilicet approbans Ambrosij sententiam. Histor. trip. *l.* 9. *c.* 36. Cæterùm quia clerici aliqui coronam & dignitatem suam negligunt, imò vitijs collutulant, fit vt ipsorum culpâ vilipendantur, non secus ac Rex si plebeio incedat habitu.

Tria hæc sacerdotalis coronæ mysteria explicantur etiam vocabulo Nazaræi, quod significat separatum, consecratum, coronatum.

C. II. *Toga denotat iustitiam.* SECVNDVM. Toga quæ significat Primò Iustitiam, id est, omnem virtutem, quâ ornati esse clerici debent. Toga enim à tegendo dicta, quia totum corpus tegit. Hoc est quod orabat Salomon, post introductam arcam in templum *Psalm.* 131. dicens: *Sacerdotes tui induantur Iustitiam*, id est, extrà etiam præseferant sanctitatem vt obuij quique aduertant magnam esse distantiam vitæ sacerdotalis à vulgari; quemadmodum est & togæ à veste breui. Clericorum typus erant Legati Dauidis quos ad conspectum suum truncatis vsque ad nates vestibus indutos non admisit Dauid 2. *Reg.* 10. donec iterum togati incederent. Clerici enim sunt nuntij DEI missi ad consolandum Hanon, id est, oneratum (peccatorem) qui si togati seu vitæ integri non sint, quomodo consolabuntur iniustos? Et si hæc differentia vestium, id est, morum non reperiatur in sacerdote, dicetur: *sicut populus, sic sacerdos Esa.* 24. S. Ambrosius *ep.* 6. ad Irenæum ait: *Vides, nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum multitudine? Sobriam à turbis grauitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitatis sibi vendicat dignitas sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine; Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod vltra se inueniatur? si quæ in se erubescit, in te quem reuerendum arbitratur, offendat? supergediamur igitur plebeias opiniones & strata quædam gregalis conuersationis, & quæramus nobis viam inaccessam sermonibus in-*

insolentium. hæc Ambro. Similiter S.Chrysost. l. 2. de sacerdot. *Prodeant*, inquit, (ad pastoralem functionem scilicet) *qui longè omnibus præstant quiq; virtute animi tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gētem excelluit : seu potiùs, multò etiam magis.* D. Bernardus cùm Nouitius esset, seipsum veste prehensum vellicare identidem solebat & dicere : *Bernarde ad quid venisti?* apud Surium in eius vitâ *l. 1. c. 4.* Facite hoc & vos nouitij sacerdotes, quærite vestem vestram, ad quid veneritis.

2. *Vitam lugubri simulem.*

Secundò Luctum perpetuum, quia vestes sacerdotum ex præscripto Canonum 21. q. 4. nigræ esse debent; non alterius coloris. Qui verò in luctu incedunt, nigris & oblongis vtuntur vestibus. Sed quem ita perpetuò lugent Clerici? Christum vtique pro nobis mortuum. Quid enim est Missæ sacrificium, nisi memoria mortis Christi? Quid horæ Canonicæ, Matutinum, Prima, Tertia, Nona, &c. nisi horæ passionis Christi? Mortem Iosiæ Regis, quia similis illi non erat inter Reges nec ante nec post eum, & quia pro populo suo occubuerat, 4. *Reg.* 23. luxerunt Cantores & Cantatrices eiusque lamentationes semper replicabant, quasi ex lege obtenta in Israel, vt habetur 2. *Par.* 35. Quantò rectiùs lugent Sacerdotes mortem Christi Regis regum pro nobis mortui eiusque lamentationes replicant? Certè planctum clericorum super Christi mortem futurum comparat Zacharias *cap.* 12. planctui supradicto, dicens : *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*; in quo cæsus fuit Iosias. Quod si ita est, habent certè Sacerdotes, cur choreas, conuiuia, ludos fugiant, nuptijs facilè non intersint. Si enim laici cùm lugent, se excusant & subtrahunt ab huiusmodi secularibus conuentibus, spectaculis, delicijs, &c. Cur non id faciant Sacerdotes, qui in perpetuo luctu sunt?

De III. Superpelliceum. Notat I. *Puritatē animi.*

Tertium, Superpelliceum, quod significat puritatem animi, quam Sacerdos nunquam non conseruare debet. His enim inprimis Ecclesiastes dicere videtur *cap.* 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Quanta Sacerdotum esse puritas debeat ostensum est S. Francisco per angelum vitream ampullam limpidissimi liquoris ad solem commonstrantem dicentemque, tanta puritate præditum esse Sacerdotem debere; quo ostenso is à Sacerdotij proposito absterritus, Diaconus remansit. Quin & S. Chrysostomus quouis radio solis puriorem esse vult Sacerdotem *hom.* 60. *ad pop. Antioch.* Nec immeritò purissimæ esse debent manus, quæ purissimum tractant dominum; si enim Seraphim ille *Esa.* 6. vnus ex supremis angelis, carbonem seu calculum, vt alij legunt, qui typus erat Eucharistiæ (secundùm Hug. Cardinal. in *Apocal. cap.* 2.) non nuda manu, sed forcipe tulit de altari & tetigit cum eo os Isaiæ : quàm puræ debebunt esse manus sacerdotis S. Eucharistiam quotidie tractantes? Certè forcipe non eguit angelus, quòd manum eius carbo adureret : solam ergò ob reuerentiam tanti mysterij hoc egit.

2. *Solicitudinē conseruandi puritatē.*

Secundò, Vti superpelliceum habet innumeras tricas & plicas : ita Sacerdos ad conseruandam animi puritatem perpetuis æstuare curis debet. Quia enim puritas animi inter seculares difficillimè conseruatur (quis enim in luto incedens non aspergit vestes?) Argus sit, qui eam collutulare non vult. Centoculatus fingitur fuisse Argus *l. 1. Metamorph.* habens custodiendam vnicam vaccam, nihilominùs tamen Mercurij fistulâ deceptus adeoque somno sopitus fuit vt tandem omnes clauderentur oculi, sicque vaccam suam perderet. Mercurius iste Mundus est, qui suarum illecebrarum suauitate etiam Argum sæpe obdormire facit, & innocentiâ suâ spoliat. Hinc etiam *Exodi c.* 28. tunica linea, Sacerdotum communis, tota oculorum imaginibus plena erat vndequaque, vt probat ibi Vatablus cum Hebræis; quo monerentur eo habitu inuigilare summo studio vitæ puritati.

3. *Libertatem agēdi bene.*

Tertiò, Vti superpelliceum habet manicas largas, ita Sacerdos puritatem animi conseruare volens, manus sibi constringi aut ligari ne patiatur, (quod Samsoni fecit Dalila) quo minùs liberè possit partes suas agere. Non discedat ab æquo aut dignitate suâ in vllius personæ vel causæ gratiam.

E. IV. Pileus quadratus. Notat I. *Signum Crucis.*

Quartum, Pileus quadratus, qui Primò significat signum crucis, habet enim quatuor angulos in formam Crucis distributos, quorum vnus introrsum flexus & absconditus est, significans partem Crucis terræ infixam : reliqui 3. anguli extantes, reliqua tria Crucis cornua. Monentur *Luc.* 9. Christi discipuli, tollere Crucem suam quotidie & sequi Christum: eiusdem rei monentur Clerici in Bireto suo. Nam in Cruce altitudo, longitudo, latitudo & profundum. De quâ locutum esse Paulum ad *Eph.* 3. vult Augustinus *tract.* 4. de *Cataclysmo, c.* 6. & ita exponit, vt per altitudinem, in quâ caput est Christi, moneamur sursum habere cor ad Dominum : per latitudinem, vbi manus sunt Crucifixi, moneamur perseuerare in operibus bonis : per longitudinem, secundùm quam Christi Corpus pependit, castigemus corpus nostrum : in profundo, quod in terrâ latet, fides exerceatur. Sciant ergò Clerici Cruci se affixos nequaquam posse descendere imò nec manus aut pedes extendere ad res illicitas; (quemadmodum & Christus Crucem deserere noluit.) Capitur auicula cùm ad vocem aucupis ab arbore se demittit : idem ne contingat sibi, videat vnusquisque : ac proinde non descendat de Cruce, ad quam ascendit nemine cogente.

2. *Stabilitatem mentis.*

Secundò, Significat mentis stabilitatem siue in prosperis, ne eleuetur; siue in aduersis, ne deijciatur. Quis enim nescit rotunda facilè dimoueri loco suo, quadrata non item? Ad hoc indicandum, altare Thymiamatis quadratum erat *Exod.* 24. Ligna ad arcam Noë fabricandam quadrata iubentur accipi *Gen.* 6. vbi

vbi pro *lignis leuigatis*, legunt 70. *quadratis*. Lapides item ad templi Salomonis fundamentum iaciendum quadrati præcipiuntur à Salomone. 3. Reg. 5. Quin & Arcades, teste Pausaniâ, Deorum suorum simulachra quadrantalia faciebant, vt eorum stabilitas designetur, apud Vegam *in Apoc. c.* 8. Quoniam sacerdotes, qui sunt altare Thymiamatis DEO suauissimum orationum thus continuò adolentes, ligna item & fundamenta Ecclesiæ, nullis debent rerum successibus de suæ mentis statu & tranquillitate dimoueri, iuxta id *ad Roma.* 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia?*

F. V. Breuiarium seu orandi studium.

QVINTVM. Breuiarium. Omnes penè artifices artis suæ primarium instrumentum gerunt, quacunque eant. Faber malleum, victor tuditem, sartor forficem, scriniarius serram, &c. Atquî instrumentum Clericorum primarium est Breuiarium. Quod enim ad Iosuen locutus est dominus *Iof.* 1. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*, &c. *tunc diriges viam tuam & intelliges eam*; hoc dicit omnibus Clericis de suo Breuiario. Quin & id quod Ezechieli c. 3. dixit: *Comede volumen istud*. Videte ô Clerici opificium vestrum & exemplum sumite ab alaudâ, quam propterea maximè diligebat S. Franciscus, quòd septies in die se à terrâ in cœlum rectà eleuat & septies DEI laudes canit, quemadmodum scribit Gorop. Hierogl. 85. & Steph. Durantus. *l.* 3. *c.* 3. & 5. de ritibus Ecclesiæ. Horæ etiam Breuiarij septenario continentur numero. Toties igitur vos è terrâ eleuate mentes ad DEVM & laudes eius decantate. Solent homines laici vocare Breuiarium, coniugem sacerdotis. Non displicet hoc assertum. Nam Mulier data est viro, vt is habeat adiutorium simile sibi. *Gen.* 2. Atquî Breuiarium verè sacerdotum est adiutorium. An nescitis fortè decies nos intonare per diem: *DEVS in adiutorium meum intende?* Deinde hoc adiutorium simile est sacerdoti. Quemadmodum enim Breuiarium multis est characteribus impressum & ornatum: ita sacerdos quot habet sacros ordines, tot sibi impressos characteres.

Præterea est conueniens statui ipsius comesque expeditus ad omnem peregrinationem. Cùm enim sacerdotes à Domino mittantur in vniuersum orbem adeoque sæpenumero peregrinari debeant: si vxorem haberent, tunc vxor deberet habere prolem, proles cunas, cunis adesse & aduigilare deberet felis; felis requirit suum lac, lac requirit vaccam, vacca requirit fœnum & stabulum, &c. Quorsum migrare vellet cum tantâ supellectile? Atquî Breuiarium statim ad quoduis iter expeditum & paratum est. Sed ad finem audiamus hîc nouum & stupendum cœloque delapsum Consiliarium Lutherum qui in Epistolâ quadam ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum (quæ extat tom. 9. Germa. Wittenbergen. fol. 226. anno 1525.) suadens optimo Præsuli matrimonium, hoc est, præcipitium de pinnaculo templi & castimoniæ in barathrum turpitudinis, inter alia hoc argumento vtitur: Erschröcklich ist / so ein Mann ohn Weib gefunden solt werden im Todt; zum wenigsten / daß er doch ernstlicher Mainung vnd Willens wäre in die Ehe zukommen. Denn was willer antworten wann Gott fragen wird: Ich hab dich zum Mann / der nit allein sein / sonder ein Weib haben sol / erschaffen; wo ist dein Weib? Hoc est: Horribile est si via sine vxore in morte inueniatur, nisi minimùm seriò proposuerit inire matrimonium. Nam quid responderit, si DEVS interroget: Virum te creaui, qui solus esse non debuit, sed cum vxore: Vbi igitur est vxor tua? Hæc Lutherus. Sed quis talem vnquam diuini iudicij descriptionem audiuit? Quis omnibus, quibus vxor non est, tam seueram à summo Iudice quæstionem ponendam legit? Ego sanè Sacerdotibus contrarium denuncio: Nam: quid tibi cum vxore vel potiùs meretrice? Vbi est breuiarum tuum? Hæc tibi vxor esse debuit, &c.

CONCIO IV.

Documenta.

1. *Docetur bene in Deo sperandum esse.*	4. *Dei & Angeli custodis directionem petendam & sequendam esse.*
2. *Spem impiorum esse inanem.*	5. *Redeundum esse ad auitam Religionem.*
3. *Non esse metuendas impiorum minas.*	

THEMA.

Surge & accipe puerum & matrem eius & vade in terram Israel. Matth. 2.

VIdimus ante paucos dies terribile quoddam diluuium, idque sanguinis, non aquæ, è vulneribus Innocentum, quasi ruptis cœli cataractis promanans. Vidimus & Noë, Saluatorem nostrum, vnà cum parentibus diluuio huic subtractum & in Ægyptum velut in arcam sese recipientem. Hodierno in Euangelio videre mihi videor, columbam aduolantem viridemque ramum ore gestantem velut serenitatis, securitatis & diluuij sublati symbolum. Ea verò est Angelus Domini nuncians Iosepho mortem Herodis & aliorum Christi hostium, proinde egrederetur nunc de Ægypto & rediret in terram suam, quia pax foret & tranquillitas. Quoniam ergò ramus hic columbæ multa bona nunciat, contemplari eum volumus. A.

B. I. Bene in Deo sperandum.

PRIMVM: Bene sperandum esse in Deo, qui fidelis est in promissionibus suis & tandem eos in tribulatione eripit rursumque consolatur, quos anteà castigauit. Ecce enim Iosephaudierat quidem ab angelo vt maneret in Ægypto, vsque dum ab eodem moneretur: Sed quamdiu expectauit Ioseph? iam octauus

medios incurremus; quod vtique euenisset Iosepho, si angeli ductu caruisset. Vt ergò cetus ob pinguedinem oculorum cæcutiens vtitur ductu alterius piscis, quem ei natura attribuit, vt eum antegrediatur, ducat & moneat in periculis: (vt scribit Ælianus *lib. 2. hist. anim. c. 13.*) ita decet nos vti operâ, ductu & consilio angeli custodis, ad hoc à DEO nobis dati, vt cæcutientes ducat, errantes moneat, periclitantes adiuuet. Hinc ad Hebræos in deserto peregrinantes *Exod. 23.* Dominus: *Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te & custod at in viâ & introducat in locum, quem paraui. Obserua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, & est nomen meum in illo.* Audis quatuor custodis officia: præcedit, custodit, introducit, punit si deliqueris. Audis & totidem obsequia illi impertienda: obserua præsentem, id est, semper ad eum recurre & pende ab eo: audi monentem: time puuientem; honora DEI personam præferentem. Ita fecit Abbas ille *in vitis PP. l. 7. 44 §.* qui rogatus quænam esset eius quondiana exercitatio? Respondit: *Ego Angelum meum assistentē mihi iuxta me expecto & custodio memetipsum, quod scriptum est, reminiscens: prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Timeo ergò eum, vt custodientem vias meas & quotidie ascendentem ad Deum & insinuantem actus meos & verba.* Ita S. Francisca Romana ab Angelo suo custode, quem crebrò præsentem vidit, instruebatur in rebus agendis, defendebatur à dæmonibus, cœlesti lumine & gustu spirituali replebatur, quandoque etiam si vel leuiter deliquisset, puniebatur subtractione aspectûs eius, vt in eius vitâ: *Illud porrò mirandum, quòd integræ interdum acies angelorum missæ sint à DEO ad vnius iusti defensionem.* Legimus enim *4. Reg. 6.* integrum Angelorum exercitum missum fuisse ad defensionem & tutelam Elisæi. Et *Gen. 32.* duo angelorum castra (vti vox Hebræa, Machanaim, dualis significat) seu binæ acies obuiam factæ sunt Iacob Patriarchæ pergenti in Chanaan. Vna earum erat angeli præsidis Mesopotamiæ cum angelis sibi subordinatis, quæ comitabatur eum ad confinia Chananææ: altera erat præsidis Chananææ cum suis, quæ excepit Patriarcham in confinibus, vt eum per Chananæam securè duceret ad patrem & ab Esau aliisque hostibus protegeret, quo modo solent principes deducere externum Ducem præsidiariis suis militibus per suas Ditiones, vt exponit ibi Corn. à Lap. Nec dubito, quin Christum etiam comitata sit acies Angelorum Ægyptiaca vsque ad terminos Palæstinæ, & inde acies altera præsidis Iudæorum exceperit & duxerit in Nazareth; si enim id seruo factum, cur non Domino?

F. V. Redeundum ad auitam religionem.

QVINTVM, Prodeundum nobis iterum esse ad auitam maiorum nostrorum religionem, pietatem, synceritatem, concordiam, &c. Postquam nunc per DEI gratiam extincta est in patrio nostro solo hæresis Nouatorum. Itaque defunctus est Herodes, extinctus Lutherus, Caluinus, Zvvinglius, Hussius, eorumque Patroni principes, quorum persecutio & seductio plurimos in exilium & bonorum spoliationem, innumeros penè in errorem & gehennam impulit. Ac quemadmodum primi Christiani tempore Constantini Magni, qui Christianus factus pacem Ecclesiæ tribuit, prodierunt è cauernis, in quibus delituerant tempore persecutionis: ita possumus nos hoc tempore, prodire ad fidem veterem, & dicere cum Salomone. *3. Reg. 5. Nunc non est Satan neque occursus malus.* Et sicut ipse obtentâ pace in suo regno cœpit ædificare templum (vti mox ibid. subdit) ita decet nos resumere pristinam maiorum nostrorum pietatem & sanctimoniam, reparare templa, &c. *Ortus est sol, & congregati sunt* (catuli Leonum rugientes & rapientes) *& in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum & ad operationem suam vsque ad vesperam*, inquit Dauid *Ps. 103.* Prodeamus & nos ad laborē, reclusis in cubilia sua hæresiarchis. Reuertamur in terram Israël & nostram Nazareth, ad primæuam, id est, Catholicam fidem. Nemo vnus sit, qui Herodem resuscitare vel ad filium eius diuertere velit. *Non est pax impiis* hæreticis. Rogemus etiam Dominū vti nos in patriâ nostrâ securè & quietè degere faciat, quomodo Saluator noster cum parentibus suis vixit in Nazareth vsque ad Trigesimum ætatis suæ annum. Quàm miserum est exulare & inter ignotos viuere, vel perpetuò stationes mutare: tam beatum & iucundum est viuere domi suæ sine perturbatione & timore. Ita contigit Hebræis tempore Salomonis (*3. Reg. 4.*) pacem vndique in circuitu habentis. *Habitabit enim Iuda & Israël absque timore vllo*, inquit sacer textus: *vnusquisque sub vite suâ & sub ficu suâ à Dan vsque Barsabee cunctis diebus Salomonis.* Vult dicere: securè omnes versabantur etiam extra vrbes, in hortis & agris, & fruebantur eorum deliciis, frugibusque abundabant. Quod sanè & nos sperare possumus, si auitam pietatem cum auita religione reduxerimus. Prædixit hoc filio Salomoni Dauid moriturus: *Proficere poteris, si custodieris mandata & iudicia, quæ præcepit Dominus Moysi. 1. Par. 22.* idque in se expertus est Salomon, quamdiu veri Dei cultui addictus fuit. At vbi ab eo deflexit, scissum est regnum eius omniaque perturbata. Contra, quia Iosaphat constanter Deum coluit, fuit Dominus cum eo & confirmauit eius regnum factæque sunt ei infinitæ diuitiæ & gloria multa *2. Par. 17.* Ita ex cultu diuino & zelo fidei ac pietatis feruore gloriosi & felices euaserunt Constantinus M., Carolus M., Alphonsus II. Castellæ Rex, Rudolphus Comes Habspurgicus, posteà Imperator, nostroque sæculo complures Principes. Agnouerunt hoc vel ipsi gentiles. Liuius *l. 5.* ait: *Omnia prospera eueniunt colentibus Deum, aduersa spernentibus.* Et C. Marcius apud eundem *l. 44.* dicens, fauere pietati fideique Deos, per quæ populus Rom. ad tantum fastigium peruenit. Et Cicero *l. 3. de Nat. Deor. Diligentiori vrbem religione*, inquit, *quàm ipsis mænibus cingitis.* Simus ergò Naza-

Nazaræi, id est, sancti vel floridi virtute & religione, erimusque felices ac beati.

CONCIO V.

Mysteria.

1. *Quæritur quando redierit ex Ægypto Ioseph.*
2. *Quomodo defunctus Herodes.*
3. *Quinam alij insidiatores defuncti.*
4. *Cur Iosephus timuerit Archelaum.*
5. *Vbi sit scriptum; Iesum Nazaræum vocandum.*
6. *An Christus fuerit Nazaræus legalis.*
7. *Cur à Nazareth denominatus.*

THEMA.

Surge & accipe puerum & matrem eius & vade in terram Israel. Matth. 2.

A. SAncti Augustini doctrina est *in l. 50. homiliarum*, DEI verbum non minùs custodiendum esse atque ipsum Christi sacratissimũ corpus. Nec immeritò; nam sicut Christi corpus immensum Deitatis adeoque bonorum omnium thesaurum continet: ita & DEI verbum cœlestis sapientiæ continet arcana vitamque æternam. Porrò in hodierno Euangelio audimus, quàm solicitè seruatum & custoditum sit tenerum Christi corpusculum, dum ab Herodis furore subtractum & delatum est in Ægyptum, indeque rursum, nõ ad Archelaum Herodis filium, sed in Nazareth, securiorem locum relatum. Similem custodiam adhibere DEI verbo decet nos, Auditores. Etenim vt aliunde scimus, aues diabolicæ insidiantur semini verbi DEI idque è sinu mentis nostræ diripiunt cùm possunt. Et quia in quouis DEI verbo tametsi ad speciem minimo, latet aliquis thesaurus, minima etiam S. Euangelij verba aduertenter obseruanda sunt; quod hîc faciemus.

B. 1. Quando rediit ex Ægypto Ioseph. Q. PRIMA, Quando rediit ex Egypto Dominus? Respondetur in Martyrologio diem septimam Ianuarij assignari eius reditui in Nazareth. Quod ita declaratur ex Baronio Anno 29. regni Herodis Christus natus est, & tertio vel quarto à Natiuitate circiter mense in Ægyptum translatus. Mortuus est autem Herodes anno regni sui trigesimo septimo, teste Iosepho *l. 1. c. vlt. & l. 2. c. 1.* nondum completo, circa pascha: post cuius mortem Archelaus Romam abiit testamenti paterni confirmationem adeoque regnum à Cæsare impetraturus; vnde altero primùm anno redisse creditur. Ergò post Herodis mortem actauo scilicet anno ætatis Christi monitum fuisse oportet Iosephum vt rediret, adeoque Christum annis ad minimum septem & tribus mensibus, qui intercurrunt à Decembri vsque ad extremum ferè Martium seu pascha, mansisse in Ægypto quò ante sextum ætatis mensem vix venire potuit. Dum ergò redire monetur Ioseph, dum accingit se itineri, dum lentè & cautè redit, Archelaus iam Româ reuersus in Iudæâ erat, & septima dies Ianuarij anno Christi nono illuxit cùm in suam Nazareth venit. Ita sentiunt cum Baronio plures. Salianus tamen cum aliis sentit Herodem primo statim Christi anno extinctum, adeoque Christum sub finem anni secundi redisse: proinde non integro biennio in Egypto perstitisse.

C. II. Quomodo defunctus Herodes. QVÆST. 2. Quomodo defunctus est Herodes? Resp. Sicut Tyranni solent, pessimè; *Lento enim calore*, inquit Iosephus *l. 17. antiqu. cap. 8.* *torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intùs popularetur viscera. Aderat & vehemens voracitas, vt necesse esset continuo cibos suggerere, simulque vexabatur intestinorum exulceratione & colicis passionibus. Pedes tumebant phlegmate humido & pellucido similiterque inguina; Ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœdâ nec minus molestâ tentigine, non sine fœtore grauissimo. Super hæc omnia neruorum contractione laborabat & difficultate anhelitûs. Quamobrem constans erat inter viros diuinos & fatidicos opinio, regem iam tot modis pietatis Deo pœnas expendere.* Et *l. 1. de bello. c. vlt.* scribit idem auctor conuocasse eum è totâ ditione nobiliores Iudæos & in circum conclusisse ac mandâsse Salome sorori ac marito eius Alexæ vt eo mortuo omnes illos militibus circumdarent & iaculis occidi iuberent, quò vel inuiti Iudæi, quos de eius morte gauisuros præsciebat, ipsi illachrymarent & suo parentarent sanguine. Quod tamen non est consecutus, siquidem Alexas cum vxore vinctos illos absoluit & vnumquemque in domum suam dimisit. Addit ibidem Iosephus regem præ doloris impatientiâ tentasse sibimet inferre necem, cultello, quo pomum secuerat, iam iam eleuato vt in viscera eum adigeret; verùm à Consobrino Achiabo accurrente tentum & impeditum fuisse.

Docemur hoc exemplo Tyrannorum mortem malam & diram esse, exigente hoc DEI vindictâ. Quod imprimis ostendi potest ex SS. literis exemplo Pharaonis, Abimelechi, Saulis, Achabi, Herodis alterius *Act. 12.* Deinde exemplis gentilium, vt videre est in omnibus penè Ecclesiæ persecutoribus de quibus infra dicetur, & breuiter Baptista Mantuanus Carmelita *l. 3. de patientia cap. 20.* hisce verbis: *Iulius Cæsar, omitto, quot curis, quot laboribus, quot periculis & dispendiis peruenit ad regnum; id enim impossibile relatu est, necdum plenis velis in imperio nauigabat, & ecce coniurationis tempestas exoritur, quâ sic compressus est, vt tribus & viginti plagis confossus obierit. Caius Caligula Romanorum Imperator postquam triennio & decem mensibus imperauit, trucidatur à suis. Claudius anno imperij quarto decimo venenatur. Nero sextus Romanorum imperator iuuenis adhuc & in tricesimo ætatis flore constitutus, qui ardente Româ Troiæ halosim decantârat, semetipsum suo pugione confodit. Galba Senex imperij mense septimo in vrbe ad lacum Curtij trucidatur & eius caput quod toti orbi legem dixerat à gregario milite amputatum ad calones & Lixas est proiectum. Otho nonagesimo quinto imperij die semetipsum pugione confodit. Vitellius cum summâ ignominiâ ex ædibus tractus, luto & stercore conspersus mucrone gladij mento supposito, ne præ pudore faciem incli-*

inclinaret, ad scalas Gemonias ductus, minutatim excarnificatur. Domitianus ex optimo patre pessimus filius Christianorum persecutor sæuissimus anno imperij sui decimo quinto necatur à suis, tantò infelicior, quantò eius potentia diuturnior, prolongatio enim tam sæua tyrannidis, quid fuit aliud quàm coaceruatio diuinæ indignationis? Antonius Commodus, omnibus (vt aiunt) incommodus duodecimo imperij anno strangulatur. Helius quòd illiberalis esset & sordidus, imperij mense sexto palam occiditur. Antonius Caracalla septimo imperij sui anno dum leuandæ vesicæ gratiâ descendisset ab equo, à Parthis opprimitur. Heliogabalus, homo flagitiosissimus, quarto imperij anno tumultu militum enecatur. Decius Christianorum inimicus imperij anno secundo à barbaris est occisus, cadauere eius nusquam reperto. Valerianus qui cum Galieno regnauit captus à Pacore Parthorũ rege non occisus statim, sed ad diuturnam mortem reseruatus; erat enim ei equum ascendenti scabellum pedum, quod aliter dicitur suppedaneum. Sed quid pergo Tyrannorum cædes recensere? Versu illo satyrico concludendam:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine, pauci
Descendunt reges, & siccâ morte tyranni.

Nec mirum; excubat enim in Tyrannos DEI vindicta, vt qui alios vitâ & bonis spoliârunt, iisdem spolientur ab aliis & ipsi. Docemur deinde quantopere delirent potentes huius sæculi qui mortem suam honore publico condecorari volunt, de funeris pompâ, de sepulchri mausolæo, de Epitaphiis, de filiorum commodis, de vanis post se rumusculis & huiusmodi nullius momenti rebus soliciti sunt & anxij: interim de re omnium grauissimâ, peccatorum expiatione, & quomodo DEO rationem reddant, nullam suscipiunt cogitationem. Stultissimus & truculentissimus Herodes mortem suam crudeli luctu ornare desiderabat: de vero luctu ob peccata suscipiendo nihil cogitabat. Hoc luctu ornatur funus, illo Herodiano potiùs fœdatur. Caius Imperator iussit statuam suam inferri in templum Iudæorum & coli. At successor eius Claudius iussit omnia eius simulachra conflari & in histrionis statuam transfundi, Dio apud Baron. anno 45. Insaniunt qui ex genere mortis vel instrumentis moriendi gloriolam aucupantur, veluti Abimelech Tyrannus, qui vnicum id effugere studuit ne à manu mulieris obtruncatus esse diceretur, *Iudic.* 9. Et Alexander Imperator, qui vt ait Lampridius, *tantum animi habuit, vt putaret se Diis comparãdum si in bello periret. Sed res eum fefellit. Nam gladio quidem barbarico cecidit, sed suo intentorio & impurâ imbellique barbari scurræ manu.* De Heliogabalo etiam Imperatore idẽ auctor scribit: *Parauerat funes blattâ & serico & cocco intortos, quibus si necesse esset, laqueo vitam finiret: parauerat & gladios aureos, quibus se occideret, si aliqua vis vrgeret: parauerat & in ceraunéis & hyacinthis & in smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid grauius immineret. Fecerat & altissimam turrim substratis aureis, gemmatisque antè tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens etiam mortem suam pretiosam esse debere & ad speciem luxuriæ, vt diceretur, nemo sic periisse. Sed nihil ista valuerunt.*

Nam (vt diximus) & occisus est per scurras & per plateas tractus est sordidissimè per cloacas ductus, & in Tiberim submissus est.

Delirant etiam qui de sepulturâ plus æquo soliciti sunt. Nõ tetigit hæc cura S. Monicam, quæ filio Augustino dolenti, quod in extero solo mater sepeliri deberet, dicebat: *Ponite hoc corpus vbicunque: nihil vos eius cura conturbet: tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei vbi fueritis. Confess. Aug. l. 9. c. 11.* Imò ne Anaxagoram illum Philosophum, qui moriens an in patriam referri vellet, amicis interrogantibus: *Nihil necesse est*, inquit, *vndique enim ad inferos tantundem via est.*

Magnificam quidem funeris pompam instruxit Archelaus Herodi patri, & omnem ornatum regium extulit in eâ ducendum. *Lectus quippe totus*, ait Iosephus *l. 1. de bello cap. vlt. erat gemmis auroque distinctus, thorus autem purpurâ variatus, corpusque super eum velatum itidem purpurâ. Capiti autem diadema erat impositum: corona verò desuper aurea, sceptrumque in dextera, & circa lectũ filij cũ propinquis præterea satellites agmenque Thracium, Germanique & Galli velut ad bellum instructi omnes antecedebant: cætera vero militum manus armata ducesque suos ordinumque principes sequebantur decenter. Quingenti autem serui ac liberi odores ferebant, corpus autem per ducenta stadia portatum est in castellum Herodion: ibique secundum ipsius regis mandata sepultum est. Et Herodis quidem regis hic finis fuit.* hæc Ioseph. Sed quid iuuit Herodem, sepultum in inferno, ista funeris pompa?

D. III. Quinam alij insidiatores defuncti.

QVÆST. Tertia, Quinam alij hostes Christi defuncti; ait enim Angelus Iosepho: *Defuncti sunt qui quærebant animam pueri*? Resp. Primò S. Thomas & alij, numerum multitudinis pro singulari positum esse per synecdochen. 1.

Resp. Secundò, S. Hieronymus hoc loco, Euthymius, Auctor imperf. & alij putant denotari etiam alios Herodem contingentes, vel Scribas & Sacerdotes necem Christi meditatos, quorum aliqui tempore exilij Christi extincti sint. Quinam verò illi sint, non constat. Quid si inter hos fuissent tres Herodis filij, Alexander, Aristobulus & Antipater, quorum postremum Herodes quinto ante suum obitũ die necari præcipit, reliquos duos non multò antè? Iosephus *l. 16. antiq. cap. viii. & 17. cap. 9.* Solent enim filij parentibus se accommodare. Multi etiam seditiosi eo tempore occisi sunt, partim ab Herode ipso, partim ab Archelao filio successore, & vna quidem vice ad tria millia, paulò pòst Herodis mortem. Ioseph. *l. 2. de bello cap.* 1. Itaque intra septem vel octo annos exterminauit Christus in Ægypto exulans suos insidiatores omnes; vel si sequamur sententiam Saliani, intra annum. 2.

E. IV. Cur declinatus Archelaus.

QVÆST. 4. Cur Iosephus timuit Archelaũ Iudææ Imperatorem & non fratrem eius Herodem Antipam, imperantem Galilææ ex testamento patris? Respondeo timuisse magis Archelaum, Primò, quia natu maior potentior erat Antipâ, vt qui dimidiæ parti regni paterni imperaret, cùm Antipas quartam solùm partem, Galilæam scilicet & Peræam 1.

obtinuisset, adeoque Tetrarcha tantùm esset,
2. Archelaus enim regni paterni hæres erat: non Antipas. Secundò, quia Archelaus crudelior erat; si quidem cognati accusarant eum de sæuitiâ apud Cæsarem regnumq; eius Tyrannidem vocabant. Legati etiam Iudæorum eum apud Cæsarem crudelitatis accusarunt, antequam ab eo Ethnarcha constitueretur, quòd tria millia suorũ ciuiũ in templo pro victimis iugulasset, apud Iosephum *l. 2. de bello c. 1.* Mali
3. ergò corui malũ ouum erat Archelaus. Tertiò quia ipse à patre, mutato testamento (priore enim testamento Antipam Archelai fratrem natu minorem instituerat regem Herodes) hæres regni institutus erat ac proinde patris mores & sæuitiam erga Christum si eum inaudisset, velut genuina eius soboles, imitaturus. Antipas non item vt qui à patre deiectus regni successione, minùs ei fauere poterat.

F. V. *Vbi scriptum Iesum Nazaræum vocandũ.* QVÆST. 5. Vbi scriptum est illud à Prophetis: *Quoniam Nazaræus vocabitur?* Resp. Primò videri numerum pluralem positum pro singulari, quemadmodum, & *Ioan. 6.* dicitur: *Est scriptũ in Prophetis*; scilicet *Isa. 54.* & paulò suprà; *Defuncti sunt enim qui quærebãt animã pueri*, & alibi.
1. Vaticinatus est autem Isaias *c. 11.* Christum fore Netser seu Nazaræum, vbi nos legimus: *Et flos de radice eius ascendet.* Flos enim Hebraicè netser dicitur; quod S. Hierony. vertit, Nazaræus. *In Hebræo enim*, inquit, *iuxta linguæ illius idioma scriptum est: Nazaræus de radice eius crescet.* Sed quomodo Isaias dixit vocandum Nazaræum, cùm hoc in ipso nõ legatur? Resp. quia dixit fore Nazaræũ. Sic alibi de eodem dixit, vocandum admirabilem, fortem &c. hoc est (phrasi Hebræâ) fore admirabilem, fortem.
2. Resp. Secundò fortè periisse illos Prophetarum libros, in quibus hoc vaticinium expressè scriptum erat; vti putat S. Chrisostomus *hom. 9. in Matth.* & Euthymius (aliquos autem sacros libros periisse certum est.)

QVÆST. 6. Fuitne Christus Nazaræus legalis? Resp. negatiuè. Primò, quia Nazaræorum præscriptos ritus non obseruauit. Etenim vinum bibit & ad mortuos ingressus est, quod illis non licebat. At si nomen Nazaræi (quod factum & segregatum significat) spectemus; fuit vtique talis, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. ad Heb. 7.* G. VI. Fuitne Christus Nazaræus. 1.

Secundò, Quia non à Nazaræorum religione, sed à Nazareth ciuitate Nazaræus dictus est, vti explicat Euangelista. Nazaræus Hebr. scribitur per Zain & significat sanctum: Nazareth verò per Tsade, & significat florem. Quòd si Euangelistæ Nazarenum vel Nazaræum scribunt per Zeta Græcum, causa est, quia id in Græcâ linguâ habet sonum medium inter Z. & S. Vnde potuit vtrouis modo scribi. 2.

QVÆST. 7. Cur à Nazareth potiùs, loco educationis, quàm à Bethlehem natiuo solo nomen sortitus est? Resp. Primò, quia in Bethlehem velut hospes & peregrinus tantùm fuit in Nazareth verò vt inquilinus & ciuis: vbi conceptus & educatus. Secundò ad instructionem nostram, vt sciremus non tam attendendum corã DEO ad natiuitatem, quàm ad educationem nostrã. Ex hac sortiemur nomen erimusque sancti & floridi, si bene educati: nõ ex illâ. Natiuitas facit hominem: educatio facit bonum hominem; illa dat viuere, hæc dat bene viuere, Quare videat vnusquisque non tam quo loco natus, quàm quo modo educatus sit, vt mereatur aliquando in cœlo dici Nazaræus, floribus virtutum vndique decoratus. H. VII. Cur à Nazareth denominatus. 1. 2.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Euangelium. Luc. 2.



CVm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem: Et non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentiâ & responsis eius. Et videntes, admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.

CON-

CONCIONES.

I. *Quomodo quærendus Christus seu gratia eius amissa.*
II. *Quid fecerit Christus ab anno 12. vsque ad 30.*
III. *Motiua ad honorandos parentes.*
IV. *Incitamenta ad progrediendum in virtutibus.*
V. *Quâ in re & quibus modis proficere Christianus debeat.*
VI. *Virtutes tres, quas in S. Eucharistia exercet Christus.*
VII. *Festiui dies quomodo colendi.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Mysteria.*

CONCIO I.

Quomodo quærendus Christus seu gratia eius amissa.

1. *Agnoscenda est Christi amissio seu gratia eius.*
2. *Repetendum iter per examen conscientiæ.*
3. *Dolendum de amisso per contritionem.*
4. *Regrediendum in Ierusalem per emendationis propositum.*
5. *Quærendus inter doctores per confessionem.*
6. *Triduum satisfactionis implendum.*
7. *Inuentus fidulo custodiendus.*

THEMA,

Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Luc. 2.

A. DVæ arbores in Paradiso erant, quibus vita hominium vel perdenda erat, vel conseruanda: arbor mortis & arbor vitæ. Nemo moriturus erat, nisi qui gustâsset arborem mortis: nemo vitam seruaturus, nisi gustâsset arborem vitæ. Pari ratione in Ecclesiâ duæ quasi arbores sunt, quibus Christus seu gratia eius vel perditur vel inuenitur: peccatum & pœnitentia. Christus amitti non potest, nisi per peccatum: nec amissus inueniri, nisi per pœnitentiam. Quando ergò hodiernum Euangelium docet nos rationem inueniendi per pœnitentiam Christum semel amissum: audiemus eius doctrinam.

B. I. Agnoscenda Christi amissio.

Primò, Agnoscenda est Christi amissio, seu gratiæ eius: agnoscenda sunt peccata. Ita Parentes Christi tametsi primò quidem non cognouerunt eius absentiam, cùm egressi sunt Ierosolymâ: agnouerunt tamen pòst in viâ; vnde cœperunt regredi, &c. Pari ratione nos cùm peccamus, ordinariè tunc non aduertimus perdere nos Christum. Ergò saltem aduertamus posteà, dum adhuc sumus in viâ & statu merendi (nam cùm ad terminum peruenerimus, nihil amplius iuuat agnoscere peccata) Primò, quia nisi id agnoscamus, Christum non quæremus: nemo enim quærit, quod nescit se amisisse. Vnde optimè Seneca, *ep.* 28. ait: *Initium est salutis, notitia peccati. Nam qui peccare se nescit corrigi non vult. Deprehendas te oportet antequam emendes.* Et S. Bern. *ep.* 190. ad Innocentium *Non quærit redimi, qui se nescit esse captiuum.* Si non quæramus redimi, consequenter nec dolemus de nostrâ captiuitate.

Secundò, Si id non agnoscamus, Deum non glorificabimus, nec gratias ei agemus pro acceptâ medelâ. Hac de causâ Christus interrogauit cœcum illum *Luc.* 18. quid sibi vellet fieri: vt nimirum cœcus priusquam curaretur, agnosceret cæcitatem suam & beneficium curationis. Ob eamque causam obseruant aliqui, nullum mentis inopem sanæ menti restitutum esse à Christo, quòd videlicet tales morbum suum non agnoscerent. Multi verò eiusmodi sunt cœci & fatui spiritualiter, qui defectus suos non vident. Scribit Seneca *ep.* 50. de Harpaste vxoris suæ fatuâ: *Incredibilem tibi nerro rem, sed veram; nescit esse se cœcam: subinde pædagogum suum rogat vt migret, ait domum tenebrosam esse. Hoc* (pergit Seneca) *quod in illâ ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi: nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum. Cœci tamen ducem quærunt, nos sine duce erramus & dicimus: Non ego ambitiosus sum; sed nemo aliter Romæ potest viuere. Non ego sumptuosus, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium, quòd iracundus sum, quòd nondum constitui certum genus vitæ: adolescentia hæc facit. Quid nos decipimus?* Hæc Sen. Dolendum sanè, quòd multi non vno tantùm die, sed toto sæpe anno viuunt sine Christo, nec tamen id aduertunt: nunquam sibi dicunt: *Estne Deus in nobis, an non?* Quamobrem rectè S. Gregorius in *Iob.* 4. ait, iniquos consumi à peccatis, sicut vestis consumitur à tineâ, id est, absque sensu, iuxta id *Iob* 4. *consumentur velut à tinea. Tinea,* inquit, *damnum facit & sonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt, &c.* Quare ne expectes à Christo medelam, si nescias te infirmum esse: ne putes tibi inueniendum Christum: si nescias à te perditum.

C. II. Repetendum iter per examen conscientiæ.

SECVNDÒ, Reuertendum per iter, quod sine Christo egimus, hoc est, vita nostra malè acta discutienda per examen conscientiæ. Sic parentes Christi agnoscentes eum abesse, *venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos.* Ergò pari modo percurrendæ tibi sunt viæ vitæ tuæ, in quibus ambulasti, & disquirenda loca familiaria ac nota, in quibus degere; personæ, cum quibus agere consueuisti, vt parentes, consanguinei, Domini, serui, vicini, inimici, emptores, venditores, &c. redeundum, ad ea, per quæ transisti: pensandum quid dixeris, feceris, cogitaris, circumeundum vndique eum sponsâ *Cant.* 3. dicente: *Surgam & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Sed quid opus, inquies, tàm rigido examine? an non satis fuerit, si paratus sim ad confitenda peccata, si menti meæ occurrerent? Non sanè; sed requiritur vt faciamus id quod possumus & pro viribus quæramus omnia nostra scelera latentia in corde; Primò vt ea detestari & cauere possimus imposterum, adeoque radicitus euellere, quæ si in nobis nesciamus, quomodo euellemus? cùm quid in terram lapsum perdidisti, accendis lumen, inclinas te in terram, omnia demum rimaris, euertis domum, vti mulier illa *Luc.* 15. Si scias fures aliquos esse in domo tuâ

v.g. inter famulos: nequaquam sat tibi erit, tonare contra furtum & execrari eos quotquot furtum faciunt: sed præterea adlaborabis,vt fures illos noscas, & domo tuâ expellas,ne rem tuam ipsi perdant. Cur non id facis animæ tuæ? Quomodo Confessarius eijciet tibi fures tuos, qui despoliant animam tuam si eos tu abscondas?

2. Secundò, Vt digni simus Dei gratiâ, amicitia & desponsatione, si nimirum non in voto tantùm,sed facto ipso tergamus omnes animæ maculas, vt sponso animarum nostrarum Christo, sanctissimo & purissimo, similiores reddamur & exactiùs placeamus. Si enim solent puellæ nubiles,vt sponsum sibi acquirant, contueri se in speculo ad tergendas sordes,nec satis esse existimant, si dicant se eas abstersuras, si quas sibi adhærere audierint, cur non eodem studio perpoliemus animas nostras, Christo desponsandas? Cæterùm si huiusmodi puella repentino & insperato futuri sponsi aduentu illota deprehendatur vel cogatur prodire in conspectum sponsi, cùm minimè existimabat: nemo hoc ei vitio vertet, modò faciat aliquid, quantum tempus fert, quo nitidum ostendat, se, si otium foret, mundiorem prodituram. Ita omninò cùm quis obruitur insperato mortis periculo, vel impeditur iustâ aliâ ratione, discutere conscientiam ad confessionem peragendam: satisfaciet si aliqua tantùm peccata enumeret, vel (si hoc non potest) in genere tantùm afferat sese peccatorem & dolere de peccatis. Porrò si puellæ sæpe diem integrum in sui ornatu consumunt,vt sponsis se adornent,an non meritò etiam diem vnum impendemus examini conscientiæ nostræ,vt placeamus Christo? Sanè parentes Christi *venerunt iter diei & requirebant eum.*

D. III. Dolendû de amisso, per contritionem.

TERTIÒ, Dolendum de amisso,quod fit per contritionem , vel saltem attritionem (quæ accedente confessione sufficit.) Sed cur requiritur contritio seu dolor & detestatio peccati? an non sufficit charitas, fides, aut misericordia? Resp. hæc præcisè non sufficere,sed requirere dolorem ; postulat enim Charitas vt homo doleat de offensâ commissâ in amicum eique satisfaciat. Fides quoque poscit vt quærat homo medelam per virtutem passionis Christi, id est, per Sacramenta. Misericordia etiam exigit vt subueniat quis propriæ
1. miseriæ, quod fit per pœnitentiam. Ergò requiritur contritio primò vt per eam retractemus, in quantum est possibile, iniuriam Deo illatam, detestando peccata nostra. Nemo quidem rectè dicet: volo non peccasse; sed solùm potest dicere: vellem non peccasse. Hoc ergò saltem dici, sed ex animo vult à nobis Deus, verbo seu facto: idque agimus cùm ex corde dolemus de peccatis admissis. Simili ratione gentilium Tyranni à Christianis petere solebant , vt Christum detestarentur & Crucem, &c. quò nimirum ostenderent se Christi fore hostes, & amicos Idolorum. Sic imperat Rex subditis vt rescindant & dilacerent fœdus, quod cum eius hoste contraxerunt. Denique sic cum Iob & Ieremia maledicimus diei, in quâ nati sumus, hoc est, in quâ peccare cœpimus.

Secundò, Vt per hunc dolorem puniamus modo aliquo peccata in nobis ipsis atque ita confirmemus odium nostrum erga illa. Quia enim cor nostrum fons est peccatorum, iure id affligimus per tristitiam & dolorem, & mactamus velut hostiam aut reum. Hac ratione Imperator imperat ciuitatibus deuictis vt demoliantur ea propugnacula, quorum robore & præsidio nixi, illi restiterunt: vti fecit Henricus, Sanctus Imperator, Troiæ Italiæ tum Ciuitati, auctore Glabro. Cor tuum, ô peccator,tale propugnaculum fuit, durum & obstinatum, è quo in Deum Dominum tuum pugnasti: ergò conterendum & demoliendum est si vis in gratiam recipi.

E. IV. Regrediendum in Ierusalem per emendationis propositum.

QVARTÒ, Regrediendum in Ierusalem quod fit per emendationis propositum. Sic enim cum parentibus Christi, rursum ascendimus in cœlestem Ierusalem, vnde priùs descendimus, dum spondemus nos redituros in viam mandatorum Dei, quam priùs deseruimus. Sic prodigus ille filius, in se reuersus dicebat: *Surgam & ibo ad patrem meum, &c. Luc. 15.* Etenim per emendationis propositum, vertimus nos in via, ità vt qui priùs aberrando pergebamus versùs infernum, pòst incipiamus pergere versùs cœlum. Sed quid
1. opus hoc proposito? Primò vt hoc pacto culpam deprecemur & Deum ad misericordiam flectamus, quâ in gratiam nos recipiat, dum qui præterita obsequia nulla ei offerre possumus, spondemus saltem futura ; quemodo debitor ille decem millium talentorum, cùm non haberet, vnde redderet, promisit sè soluturum, si dilatio daretur: *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18.* Sic filij puniendi promittere solent patri, se nil mali, imposterum saltem, admissuros, & audiuntur sæpenumerò.

2. Secundò, Vt Deo fidem demus, nos imposterum ei non aduersaturos,sed in obsequio & deuotione eius permansuros. Sic enim Victores spoliant armis victos, si acceperint eos in deditionem, & hi vltrò offerunt ea in signum, quòd non velint ampliùs pugnare. Sic Reges & Duces capti non priùs dimittuntur, quàm iurent se imposterum hostes non futuros, & præstent cautionem. Sic legimus Mariam Ægyptiacam,cùm adhuc peccatrix esset, Ierosolymis ab ingressu templi, in Festo exaltationis S. Crucis, diuinitùs fuisse repulsam, quoad Deiparæ imagini sponderet, nullis se imposterum libidinibus polluendam, apud Sur. 6. Apr.

F. V. Quærendus inter Doctores, per Confessionem.

QVINTÒ, Quærendus in templo inter Doctores. Sic fecere Christi parentes; quos etiam imitabimur, si ad Ecclesiam pergentes dicamus Confessarijs nostris,qui Ecclesiæ sunt Doctores, quâ ratione Christum peccando perdiderimus. Sponsâ illa dilectum quærens, interrogauit vigiles, qui custodiunt ciuitatem:

Nam

Num quem diligit anima mea vidistis? subditque: *Paululùm cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Cant.* 3. Forsitan & Deipara attingens portas Ierosolymæ, quæsiuit earum custodes seu vigiles, num vidissent filium eius, inde fortè egredientem. Sed cùm hi visum à se negarent, ingressa ciuitatem, quæsiuit eum in templo in medio Doctorum, qui veri vigiles sunt, animarum scilicet, non corporum, & hi monstrarunt Iesum. Quare per vigiles illos, Pastores designantur & Confessarij. Hos oportet quæras, horum stes consilio, si Christum vis inuenire. Et quemadmodum solent vigiles Vrbium examinare ingredientes, vnde veniant, quid ferant & quò tendant: ita officium Confessariorum est examinare illos, qui Christum inuenire volunt, quid gerant, vnde veniant, &c. Dicet fortè aliquis; Quid illorum interest, scire arcana mentis meæ? Cur ego hæc illis pandam? Respondetur mox, sic voluisse Ecclesiæ Regem Christum, qui vigiles hos constituit vt explorent hominum animos, quando eis dedit claues regni cœlorum & potestatem aperiendi ac claudendi, soluendi ac ligandi.

1. Fure autem hoc fecit, Primò, vt per accusationem propriam mereamur eius gratiam & indulgentiam. Solent enim irati Domini facilè sedari, cùm quis vltrò fatetur humiliter culpam suam. Vnde benè S. August. *serm.* 118 dixit: *melior est in malis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio.* Et quidam Anachoreta rogatus, quam potissimum ad cœlum viam inuenisset, respondit: *Si se homo semper accuset*; apud Dorotheum *doctr.* 7.

2. Secundo, Vt hoc pacto homines à peccando absterreantur. Vt ergò sepiuntur horti spinis, ne quis externus ingredi & rapere quid attentet: ita nobis hoc spinoso confessionis sepe intercludere voluit Christus viam ad peccandum, iuxta id *Ose.* 2. *sepiam viam tuam spinis, &c.* Parum aut nihil est, si Confessario tuo dicas te peccatorem esse, aut recenseas vnum vel alterum peccatum: nihil ex hoc erubesces neque emendaberis. Omnia recensenda sunt in specie & cum circumstantijs: hoc frænum est, hæ spinæ sunt.

G. VI. Triduum satisfactionis implendum.

Sextò, Triduum inquisitioni dandum; siquidem & Christus post triduum inuentus est. Prima dies contritionis, altera confessionis, tertia satisfactionis est. Porrò sicut tertiâ die nondum completâ inuentus est Christus à parentibus, iuxta probabiliorem sententiam Euthymij, Ianseni, Caietani: ita in pœnitentiâ Christus inuenitur, licet tertiâ pars pœnitentiæ nundum sit completa, sed inchoata tantùm per promissionem satisfactionis. Voluit autem Christus vt eius inquisitioni & labori pœnitentiæ tertium hunc diem adderemus;

1. Primò, vt peccati, quo Christum perdimus, summum bonum, amaritudinem ex parte degustemus, iuxta id *Ier.* 2. *Vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.* Si omnis pœna simul cum culpâ statim ad primum gemitum remitteretur, nesciremus quantum fellis & veneni sub mellitâ peccati superficie lateret. Idcircò varijs miserijs & afflictionibus subijcimur, vt ex paruis condonati peccati reliquijs cognoscamus, quàm immane supplicium illos maneat, quibus hîc remissum non est.

2. Secundò, Vt hoc medio peccata radicitus euellamus, adhibitis videlicet antidotis eorum, ieiunio contra gulam, Eleëmosynâ contra auaritiam, &c. Siquidem confessio radices illas seu habitus malos non tollit.

H. VII. Inuentus sedulò custodiendus.

Septimò, Denique postquam inuentus est Christus, sedulò custodiendus est, ne iterum perdatur. Sic vbi Deipara reperit filium, duxit illum domum, & cum eo semper vixit, nec deinceps eum perdidit. Sic etiam fecit Sponsa *Cant.* 3. vbi delectum suum reperit: *Inueni*, inquit, *quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Ergo in domo animæ nostræ includamus Christum, fugiendo occasiones peccatorum, obserando mentem serijs propositis & pijs cogitationibus ac meditationibus de timore Dei, & nouissimis nostris. Reuisitemus eum quotidie per examen conscientiæ; & si ad sæculum egredi oporteat, non ambulemus sine Christo.

1. Primò enim, quid tibi prodest Christum multo labore quæsijsse & inuenisse, si rursum eum perdas?

2. Secundò, Quid si eum denuò perditum, inuenire posteà nequeas? Quis enim hoc tibi promisit? Beati non possunt Christum perdere, damnati perditum nequeunt inuenire; nos verò eum perdere & perditum inuenire possumus: Sed si in tempore quæramus. Quid enim si præoccupari morte spacium pœnitentiæ inuenire non possimus? Quid si in profundum peccatorum lapsi quærere negligamus imò contemnamus? Sic enim testatur Sapiens *Prouerb.* 18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Tunc actum erit tecum. Infinitum chaos est inter Christum & infernum, nemo inde potest ad illum remeare: nemo illum quærere, nedum inuenire.

Ergò si aliquando ad arborem mortis iuimus, ibique Christum amisimus: eamus nunc ad arborem vitæ, ad arborem pœnitentiæ, vt perditum recuperemus: sed & recuperatum vt ne dimittamus, subinde degustemus fructus arboris vitæ, quam dicimus pœnitentiam. Nam vti arbor vitæ non semper prorogasset vitam, nisi sæpiùs gustata (de sententiâ communi) ita nec pœnitentia semel tantùm adhibita, si post eam rursum deliqueris. Quoties ergò peccamus, toties adhibenda est, eius memoria retinenda, proposita ruminanda, &c.

CONCIO II.

Quid fecerit Christus ab Anno XII. vsque ad XXX.

1. *Studuit humilitati.*	4. *Exercuit opificium Patris tam cælestis quàm terreni.*
2. *Exercuit se ad militiam spiritualem per obedientiam.*	5. *Adamauit sponsam suam Ecclesiam.*
3. *Profecit in litteris & virtutibus.*	

THEMA.

Iesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines. Luc. 2.

A. PROU.3. *Tria*, ait Salomon, *sunt difficilia mihi & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo: viam colubri super petram; viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Tria quidem illa ideò sunt ignota, quia nullum post se relinquunt vestigium. Sed quomodo quartum, cùm adolescentia sua habeat vestigia? Respondet S. Ambrosius & ait *in l. de sacram. c. 5. Christus est vir, cuius via cognosci in iuuentute non possunt*, &c. (quis enim alius est vir in adolescentia sua nisi Christus, qui vir erat in vtero matris, iuxta id *Iere. 31. Fœmina circumdabit virum?*) quod maximè verum est de ætate Christi ab anno 12. vsque ad 30. siquidem trigesimo primùm anno concionari & mira facere cœpit. Obscura nobis est via aquilæ in cœlum, id est, Christi in cœlum ascendentis: Obscura via serpentis in petrâ, id est, Christi in sepulchro resurgentis: Obscura via nauis in mari, id est, Christi super aquas ambulantis; sed obscurissima eiusdem via in adolescentiâ vsque ad annum 30. quia de hac nihil scriptum. Quo tamen tempore certè otiosus non erat; si enim tribus postremis vitæ suæ annis tanta tamque multa egit, nihil eum fecisse putabimus totis octodecim annis intermedijs? Quid igitur? num hac de re prorsus nihil scimus? num de octodecim annis vitæ eius nec vnam quidem concionem habere poterimus? Sed ô Luca, ô S. Euangelista, qui primordia ætatis Christi cæteris fusiùs scripsisti, dignare nobis vel micas aliquot communicare de vita illa Domini nostri, quæ tam alto silentio prætetita est. Quantum intelligo, nonnihil hac de re nobis ille reuelabit, Audite.

B. 1. Studuit humilitati. PRIMÒ, Exercuit se in humilitate; quia descendit in Nazareth, vbi in paternâ domo mundo ignotus delituit, instar S. Ioannis Calybitæ Constantinopolitani Senatoris filij, qui cùm à literarum officinâ, clam parentibus cœnobium intrâsset & aliquamdiu duræ admodum disciplinæ religiosorum Acœmetorum (quasi semper vigilantium) adsucuisset, ad paternas ædes ignotus & mendicabuli centone indutus redijt, vbi aliquot annis gurgustio inclusus, ab omnibus vilipensus & neglectus domesticis, ante vestibulum degebat, cùm interim parentes quotidie eum ingenti prodire pompâ spectaret & seipsum ignotum veste vili redderet donec morti vicinus matri aduocatæ Euangelium auro ornatum, quod ab ipsâ puer acceperat, pro signo, quo se, quis esset, aperuit, redderet, & animam simul DEO commendaret. Refert Matth. Raderus *in Viridario SS. Parte prima.* Ad eundem enim modum Christus Dominus postquam clam parentibus in templo remansisset & diuinis rebus vacâsset: posteà ad paternas ædes rediit, vbi per octodecim annos exiguâ in casulâ delituit, à Domesticis mundi sui non agnitus, sed vilis potiùs & alienigena habitus (vnde & faber ac fabri filius dicebatur) cùm interim semper videret faciem patris sui in cœlo regnantis & omnia summâ maiestate implentis; donec circa finem vitæ suæ, post annum scilicet 30. primùm seipsum manifestauit, tradendo nobis Euangelium suum, quod à patre acceperat. Cæterùm sanctus ille Calybita imitari quidem hoc exemplum Christi voluit, sed vmbram tantùm illius assecutus est. Quod enim Christus ab anno 12 egit, multò mirabilius & excellentius est. Cùm enim eo tempore Dominus signa ac prodigia facere & populos imbuere cœlesti sapientiâ posset, nihil horum fecit (siquidem primum miraculum in Canâ post annum ætatis trigesimum designauit, nec ante id tempus docuit, saltem publicè.) Miraculum igitur humilitatis edidit dum nullum facere miraculum voluit, & se, cùm Deus esset, prodere noluit, sed humilis, quasi obscurus esset & rudis, latuit. Dicite, si quis nostrûm eruditione vel genere clarus ad eum fortè locum veniat, vbi eius eruditio vel nobilitas ignoratur; & ipse vilis ac rudis reputatur & contemnitur, quomodo is vretur interiùs? quàm vehementer cupiet dari sibi occasionem ostentandi doctrinam vel generis splendorem? Vt igitur quantumuis excellentes & magni disceremus seperare superbiam, ne se in nobis prodat & caput exerat; voluit tam longo tempore ignorari, latere & contemni. Indubium est, ab infantiâ Christum magni æstimatum fuisse ab ijs, qui audierant testimonia Magorum, Pastorum, Simeonis, Annæ, &c. Vnde ab eo multa expectabant præclara: vbi verò eum conspexere posteà nihil præclari aut mirandi designare, credibile est dixisse homines: Ecce quàm egregiè decepit nostram expectationem & præsagium hic puer! iam enim creuit, iam barbatus est: & necdum literas nouit neque scholas adit vt discat, sed domi semper otiosus sedet, nemini vtilis, vti meditatur S. Bonauent. Et hæc quidem Christus tolerabat per tot annos. Quanta ergò vanitas & stultitia nostra, qui exiguas nostras dotes nec per horam sæpe tegere possumus? qui modicum contemptum aut neglectum, vnam contumeliam aut verbum durius sustinere non possumus? An non sufficiat nobis ad retundendam nostram superbiam, hoc vnum Christi exemplum? Quid enim quæso tibi accidit molesti? Nobilis sum

&à

& à clarissimis maioribus ortus, inquis; & ecce vilis iste homuncio me irridet & spernit. Quid tum? nunquid nobilior es Christo, qui faber & fabri filius per contemptum vocari pertulit? Tot annis in omni doctrinæ genere versatus sum, inquis; in tot negotiis difficillimis accupatus; & ecce illiterati homines, rudem me & inscium proclamant. Quid tum? nónne hoc idem & amplius tulit Dei filius? Innocens sum, inquis, nemini vnquam molestus fui; & tamen à perdito quodam homine sceleris insimulor, & pro tali vel tali criminoso traducor. Quid tum? fecerunt idem Christo multi inuidi, qui dicebant ad opprobrium eius: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Melior sum, inquis, multis, qui in hoc mundo euehuntur, honorantur dignitatibus & gratiis cumulantur, cùm ego hîc delitescam inglorius & neglectus, qui tamen multò plura præstare possem, pluraque merita mea recensere. Quid tum? num tu melior aut maior es Dei filio, qui plenus sapientiâ, gratiâ & fortitudine potuisset omnes Doctores mundi docere, mira patrare, diuinitatem suam ostendere, merita sua infinita demonstrare fecit, sed occultus & neglectus latere, docentes se audire, omnibus honorem cedere, nulli se ne æquare quidem voluit vsque ad 30. annum ætatis suæ? Tace igitur & gaude potiùs te Christo similem esse.

C. II. Studuit obedientiæ. SECVNDÒ, Exercuit se ad militiam spiritualem & pugnam cum dæmone ineundam: & quomodo hoc? per obedientiam in quâ crucem posteà subiit & Dæmonem vicit, vt colligitur ex hodierno Euangelio, vbi dicitur: *Erat subditus illis.* Porrò hæc obedientia similis videtur militari exercitio, quo ad pugnam aliquando ineundam erudiuntur milites. Iubentur eodem loco pedem vnum figere, & interim tamen ad vnicum Ducis verbum, & se in omnem situm & locum vertere. Hoc faciebat etiam nunc Christus, qui parentibus suis obediendo, didicit patri suo cœlesti obedire ad nutum; sciens aliquando pugnandum sibi aperto Marte fore & obediendum vsque ad mortem. Erat igitur Christus subditus &
1. in primis se inferioribus, quia DEVS hominibus & pauperi artifici: id quod nobis valde difficile est.

Secundò, Sapientior minùs sapientibus. Vnde
2. sub imperio Iosephi constitutus haud durè sæpiùs iubebatur aliqua agere aut intermittere; quæ ipse meliùs & prudentiùs vel omisisset vel egisset (vt coniicitur ex hodierno Euangelio; dum Christus ait se esse debere in iis quæ patris sunt, nihilominùs obediit & descendit cum eis) hoc tamen neglecto, non suum, sed parentum secutus est iudicium.

3. Tertiò hoc quamdiu fecit? Fecit certè circa 15. annum, vbi adolescentes solent insolescere & seduci. Fecit circa 24. vbi iuuenes inconsultis parentibus plurima attentant, militiæ nomen dant, matrimonia contrahunt &c. fecit circa 30. annum vbi omnes volunt esse immunes & liberi à parentum imperio. Quartò, In quibus rebus? In omnibus omninò, 4. etiam abiectis & domesticis seruitiis: Cùm enim paupercula Iosephi familia, nec famulum haberet nec famulam, non dubium quin obuia quæque ministeria domestica ex obedientiâ Christus obierit, imò sæpe à parentibus petierit, vt sibi in omnibus liberè præciperent. Satis igitur superque constat nobis, quid egerit Christus illo tempore. Vixit enim sub regulâ parentum suorum, quasi in sanctissimo monasterio sub sanctissimis Rectoribus sanctissimè. Sufficit Monacho si dicatur obseruasse regulam; constat hinc quid egerit; ego sanctum aio.

TERTIÒ, Literis operam dedit; non quidem adeundo scholas sed domi meditando D. III. Profecit in literis & virtutibus. quæ aliquando loqui & docere volebat. Profecit enim sapientiâ apud DEVM & homines, inquit Euangelista. Ita S. Thomas Aquinas, dum studiis operam daret, ob perpetuum ferè silentium à condiscipulis bos mutus appellatus est. Sed cùm aliquando publicè disputaret, ita locutus est vt Magister eius Albertus Magnus admiraretur & diceret bouem hunc mutum tantos aliquando mugitus editurum, vt à toto exaudiretur orbe; quemadmodum & factum est. Surius in eius vitâ. Sed quomodo profecisse sapientiâ dicitur, cùm à sui conceptione, etiam vt homo, perfectè sapiens fuerit. Sed quomodo? *Resp.* 1. Quoad experimentum & vsum; 1. dum ea experiri paulatim cœpit, quæ priùs solâ contemplatione sciuerat: hacque ratione in scientiâ, quæ vocatur acquisita, proficere potuit. Cum maximo enim zelo obseruauit hominum mores, vt eos aliquando velut oculatus & auritus testis commendare vel emendare posset. Vbi interim docet primò non priùs iudicium ferre, quàm certo tibi res constet & quasi per experientiam. Numquam ex suspicione vel aliorum relatione castigauit aliquem Dominus, aut laudauit. Sed cum tantâ certitudine, vt os inimicorum obstrueret nec vllus contradicere auderet. Deinde in praxi studere virtutibus; sæpe enim Theologus bene disputat de obedientia, qui tamen obedire nescit.

Secundò, Quoad exercitium, semper sapientiùs & sapientiùs agendo: non quoad habi- 2. tum. Etenim cum ætatis progressu profectum iudicij & loquelæ maiorem indies ostendit. In infantiâ vagiit, tum puerili more locutus est, ac tandem sapientiam suam omninò manifestauit. Quemadmodum enim sol in aurora latens, in ortu obscurior, deinde paulatim clarior, in Meridie lucidissimus, in occasu deficere cernitur: Ita Christus in vtero matris velut sol in aurora radios tantùm suos aliquot monstrauit, quos pauci viderant, Maria scilicet, Ioseph, Elisabeth, Zacharias, Ioannes. In natiuitate velut in ortu clarior apparuit, quia claritas Dei circumfulsit etiam pastores, Reges item in Oriente: paulatim pòst quasi super horizontem eleuatus apparuit etiam senibus, Simeoni, Annæ: pòst etiam doctoribus

vt

vt hodie. Tandem in meridie circa annum 30. (vbi medium ætatis ferè humanæ) toti orbi propemodum: quia *populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Tandem in passione occubuit, vbi fama sanctitatis ac sapientiæ eius in cruce visa obscurata fuit. Quo exemplo suo docet nos vt cum ætate crescamus in sapientiâ, cognitione rerum diuinarum & spiritualium. Si enim in exercitio sapientiæ Christus proficere voluit, qui ab initio conceptionis suæ omnem scientiam habuit, quantò magis decet vt nos perpetuò proficiamus qui semper scientiâ egemus? Neque dicat aliquis, se iam satis scire, quid sibi sit faciendum, quid ad salutem necessarium, &c. Primò enim Christus etiam priùs omnia sciuerat; proficiebat tamen quoad exercitium. Secundò seipsos hi decipiunt & teste Apostolo ad *Rom. 1. dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Proficiunt etiam multi sapientiâ apud homines, in astutiâ, dolis, fraudibus, scientiis vanis, mendaciis, &c. apud Deum verò trunci sunt & stipites. Atqui Dominus noster apud Deum etiam profecisse dicitur, id est, sapientiam & cognitionem rerum diuinarum magis & magis patefecisse hominibus.

E. IV. Iuuit patrem in opificio & 1. Cœlestem. QVARTÒ, Opificium patris sui exercuit, & primò patris sui cœlestis, siquidem *Ioan. 5.* ait: *Pater meus vsque modò operatur & ego operor.* Semper ergò & idem operabatur, quod DEVS pater. Colligitur etiam hoc ex hodierno Euangelio, vbi ipse dixit, oportere se esse in iis quæ patris eius sunt. Adhæc dum dicitur dominus profecisse etiam ætate, spiritualis profectus insinuatur; quia nimirum, vt exponit ibi Dionysius Carthus. tempus, quod sibi accreuit, fructuosissimè expendit. Sed quo tandem opificio? qualis opifex est DEVS pater? Respondet filius *Ioan. 15. Pater meus agricola est.* Vnde etiam Dominus de se similitudinem proponens ait: *Exijt qui seminat seminare semen suum,* Agriculturam igitur exercuit, quia instar agricolæ diu expectabat messem & antequam meteret plurimos labores in agrum collocauit animarum, quo eum fœcundum
1. redderet. Primò eum arabat, quia mentes hominum, quibuscum conuersabatur, internâ inspiratione commouebat, deinde externâ conuersatione non tam docendo, quàm sapientissimè interrogando erudiebat, vt seipsos cognoscere, Deum timere & de salute suâ solliciti esse inciperent; quemadmodum posteà fecit cum Samaritanâ illâ in familiari colloquio, initio prædicationis suæ *Io. 4.* tangendo cor eius & quodammodo vertendo, vt agno-
2. sceret mulier vitæ suę turpitudinem. Secundò occabat, quoniam exemplo suo sanctissimo corda hominum ad conuersionem disponebat & sanctas eis cogitationes iniiciebat ad
3. verbi DEI receptionem. Tertiò agrum stercorabat, piis virtutum operibus, oratione frequenti, lachrymis, vigiliis, ieiuniis, corporis afflictionibus, &c. hæc enim omnia Deo patri pro salute animarum offerebat, & ita in sinum quodammodò animarum condebat, vt ea opera non sibi, sed illis proficua & meritoria esse vellet; siquidem ipse pro se his omnibus non egebat. Pabulum ergò animarum nostrarum erat, & stercoratio, quidquid ieiunij, orationis, &c. eo tempore Christus fecit. Quartò seminabat, modò in hac, modò in a- 4.
liâ domo vel societate semen diuini verbi occultè & per modum conuersationis iaciendo. Huc enim pertinet absque dubio, quod Isaias de Christo prædixit *c. 11. Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauernâ Reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Quamuis enim necdum tempus esset aperto Marte cum dæmone pugnandi: priuatis tamen & occultis velitationibus vires interim eius frangebat; modò ex hac, modò ex illâ domo eum extrahendo. O egregium igitur exercitium! Sed nónne & nos filij agricolę sumus? nónne Adam pater noster, imò & nos cum illo omnes ad agrum missi sumus? Ager verò iussu DEI à nobis excolendus est anima nostra: fruges sunt virtutes: zizania verò vitia: imber DEI gratia sanctas inspirationes in nobis gignēs: venti tentationes, quę fruges purificāt. Hanc stercorare per orationem, arare per pœnitentiam, occare per mortificationem, serere per auditum verbi DEI debemus. Sed quæras iam quilibet ex seipso quantum hactenus in hoc profecerit. Inueniemus sæpe in magnâ ætate multa zizania, paucas virtutes: adeóque nos deficere, non proficere. Arbores quantò annosiores sunt tantò latiùs se diffundunt; Cerui cornibus suis omni anno adiiciunt ramum vnum: nos verò, ex ætatibus nihil ferè proficimus, vitia non extirpamus, sed augemus: quàm heu dissimiles Christo! Secundò, 2.
Opificium patris sui terreni, vt credebatur, Terrenū
Iosephi. Huic enim in fabrili opificio nauasse Christum operam suam, probabile est, & videntur indicare conciues eius, *Marci 6.* dicentes: *Nónne hic est faber filius Mariæ?* Imò D. Iustinus in *Dialog. contra Tryphonem* expressè ait: *Solebat enim, dum inter homines degeret, aratra fabricare iugaque, vt per has figuras iustitiam doceret & reipsâ fugam otij.* Cuius rei causa Prima erat Causa.
iustitia, vt audiuimus ex Iustino; quia nimi- 1.
rum decebat vt filius parenti in opere adesset partemque laboris ab illo in se transferret, quò panem suum lucraretur. Altera ab eodem 2.
indicata, vt otium fugeret nobisque laborandi beneque nos occupandi præberet exemplum. Tertia. Vt maledicto Adami (*In sudore* 3.
vultûs tui vesceris pane tuo) sponte se subiiceret.
Quarta. Vt humilitatem exerceret, dum me- 4.
chanica tractans, mechanicis nihilo melior ad tempus haberi voluit. Denique vt doceret la- 5.
borem adhibere & iungere orationi, ad instar militum illorum Machabæorum, de quibus scriptum est, *2. Mach. 15. Manibus quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes.* Qui & gloriosam victoriam obtinuerunt; siquidem teste S. Augustino *de opere Monach.* bene se compatiuntur hæc duo; vt *manus laboret; cor autem & lingua oret.*

Quòd si iuxta sententiam Iustini, aratra & iuga

& iuga fabricauit, mysterium etiam eo labore intendit; vtique insinuans in eo se versari, vt aratro crucis orbem totum vertat & fœcundum reddat; deinde vt suaue iugum suum, legis Euangelicæ fidelibus suis paret eorumque humeris imponat.

F. V. Adamauit sponsam suam Ecclesiam.

QVINTÒ, Quæsiuit sibi sponsam, eiusque amorem ambijt variis obsequiis. Ea verò est anima hominis, cui dicebat per Amos *cap. 2. Sponsabo te mihi in fide.* Colligitur hoc eius studium manifestè ex hodierno Euangelio; quo attestante *proficiebat Iesus gratiâ apud Deum & homines*; id est, vt ibid. Barradius inquit, moribus, virtutibus, corporis vultusque pulchritudine gratiam hominum sibi conciliabat. Sed quibus artibus putamus vsum esse Christum ad gratiam hanc sibi conciliandam? Non dif-
1. ficile est inuestigare. Quid enim faciunt, qui amorem sponsæ quærunt? Amant inprimis licèt ipsi nondum redamentur; efficacissimum enim amoris philtrum est id, quod Seneca scripsit *ep. 9. si vis amari, ama.* O quoties igitur se in aliorum familiaritatem insinuabat! quoties & quàm humaniter homines salutabat & alloquebatur! quàm honorificè de eis loquebatur! quàm suaui amore compensabat etiam dictas in se contumelias! quam promptè ignoscebat iniurias! quanto zelo rudes instruebat! quoties dixisse vel saltem insinuasse putabimus, quod Samaritanæ dixit posteà: *O mulier si scires donum* DEI *& quis est qui tibi dicit*, &c. ô si
2. scires quis est qui tecum loquitur! Secundò modestiam & decorem, comitatem in moribus, incessu, vestibus & sermone præseferunt amantes, præsertim in præsentiâ amatæ: Vnde toties mutant vestes, easdem purgant, &c. vt decori appareant & venusti. Similiter etiam Christus decorem induebat morum & modestiæ in incessu, vestitu, sermone, comestione,
3. gestibus. Denique qui amant, omnis generis seruitia etiam abiecta & humilia subeunt propter personam amatam. Amor Dinæ Sichem illum vsque eò egit; vt propter eam circumcidi se pateretur *Gen. 34.* Amor Rachelis Iacob Patriarcham vt 14. annis pro eâ seruire & pastorem agere non dubitaret G a. 49. Multò plus existimandum est fecisse Christum in adolescentia sua pro anima hominis, cuius amor è cœlo eum adduxit & seruum fecit. Seruiuit enim pro illâ totâ vitâ suâ, & qui pro eâ flagella, spinas, sputa, alapas, crucem & mortem denique subiit, quid, quæso, detrectauit? Iam verò si quemadmodum rectissimè colligitur, tot tantisque artibus & modis amorem nostri, abiectissimorum vermiculorum ambiuit & tanto tempore pro eo seruiuit, quid nobis rependendum existimatis? Nihil aliud his omnibus DEI filius quæsiuit, quàm Rachelem, id est, ouem seu animas, & vt amorem nostrum à vilibus mancipiis creaturarum abstraheremus ipsique impenderemus. Et hunc igitur nos ei negabimus, nec amantem redamabimus, pauperes tam locupletem, miseri tam felicem, abiecti tam nobilem, sordidi tam decorum, stulti tam sapientem, homunciones DEVM? Heu cœli obstupescite! DEVS quærit gratiam apud homines, & proficit in illâ: homo autem quærit gratiam DEI, nedum proficit in illâ. Cogitet, quæso, mecum aliquis, quis magno illi patriarchæ Iacob animus fuisset, si post tot labores & vigilias, post 14. annorum durissimum seruitium, nullum in Rachele erga se amorem, sed potiùs illam erga se auersam & refractariam reperisset? An non meritò id accipere durissimè debuisset, adeoque detestari omnem laborem suum? Ne dubitemus igitur idipsum à Christo fieri & multò quidem æquiùs, si relicto ipso sæculum amemus: idque seuerissimè aliquando nobis exprobrandum. Quàm meritò dicet, quod Ecclesiastes *c. 2.* ait: *Detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboraui.* Recensuit ibi Salomon domos, hortos, piscinas, pomaria, vineas, seruos & ancillas, cantores & cantatrices, aurum & argentum, in quibus parandis frustra se sudâsse inquit, & in omnibus nil præter vanitatem inuenisse. Vnde tandem ait: Detestatus sum, &c. Sed multò pluris constiterant Christum, quæ pro nobis lucrãdis fecit & passus est, sine comparatione. Quis igitur explicabit eius dolorem & indignationem ob frustraneos labores? Sed neminem ferè nostrûm reperiemus, qui non dicat se redamare Christum: Quid? dicent; nónne omnes nos iam olim in baptismo Christo desponsati sumus & fidem dedimus? nónne omnes lampadem in manus accepimus vt Christo sponso nostro cum prudentibus Virginibus fide viuâ & reciproco amore ardenti, non extincto, obuiaremus? Scio hoc; atque vtinam ei hoc pacto obuiaremus! Sed vereor ne multi sint, qui instar Samsonis dicant se amare coniugem, cùm tamen minimè ament. Cùm enim ille sæpiùs falsum diceret Dalilæ suæ, audiit ab illâ; *Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum? Iud. 16.* Similiter ô superbe, quomodo dicis te amare Christum qui cum ipso sperni vel istêre in humilitate fugis; cùm animus tuus sit in honoribus & dignitatibus? ô auare, quomodo dicis te amare Christum, cùm animus tuus sit in thesauris & prædiis, pauperi quoque pro Christo nihil tribuas? O libidinose quomodo dicis te amare Christum, cùm animus tuus sit in cubilibus & impudicitiis, etiam dum corporè es in templo sæpe? O iracunde, cùm animus tuus sit in cæde, sanguine & vltione? O gulose, cùm animus tuus sit in patinis? &c. Ambiamus igitur amorem Christi: pereat amor sæculi.

CONCIO III.

Motiua ad honorandos parentes.

Honorandos esse parentes docet primò.
1. *Lex tam naturalis quàm gratitudinis.*
2. *Exemplum benè morigeratorum filiorum.*
3. *Præmium promissum.*
4. *Pœna constituta immorigeris.*

THE-

THEMA.

Erat subditus illis. Luc. 2.

A. MIrum alicui videri potest, quomodo duodennis Christus confecerit hoc iter pedibus, quod est bidui à Nazareth in Ierusalem, & rursum inde in Nazareth. Cùm enim quoad ea, quę naturam consequuntur, non dissimilis fuerit aliis hominibus; quomodo non in viâ tantilla defecit ætas? Sed absque dubio zelus & desiderij magnitudo ad deferendum honorem Patri imprimis cœlesti in templo Ierosolymitano: deinde obsequendi parentibus terrenis, vires teneræ dedit ætati; nam ardor & desiderium alicuius operis vires etiam addunt ad peragendum illud. Patet verò ardor Christi honorandi cælestem patrem ex eo, quòd triduo in templo remanserit: ardor verò honorandi terrenos parentes in reditu ad patriam, ex eo quòd vsque ad 30. annum ibidem subditus illis fuit. Quod si nunc inquirerem ex liberis nostratibus, num & ipsi queant conficere hoc iter & imitari Christum in prædictâ pietate erga parentes suos: quàm multos reperirem, qui subitò fatigati in viâ considerent? Neque id adeò miror: paruuli sunt. Itaque vehiculum illis parabo, quatuor instructum rotis, quo faciliùs & suauiùs sequi Christum queant, videlicet ad pietatem parentibus exhibendam.

B. I. Lex. Naturalis. PRIMA ROTA, Lex, eaque duplex: Prima naturalis. Natura enim docet non homines tantùm, sed & pecudes, vt honorem exhibeant genitoribus suis; à quibus vitam accepêre. In hoc enim parentes repræsentant personam DEI, qui alioquin nequit videri oculis corporeis, vt eos velut præfectos DEI & secundarios quasi Creatores filij venerentur; nam & hi suo modo tribuunt illis esse & vitam. Vnde Philo disertissimus Iudeorum in quinto præcepto vult ideò præceptum de honorandis parentibus esse in secundâ tabulâ primum, sicut præceptum de colendo DEO est primum primæ tabulæ, *quia parentum natura*, inquit, *gignendo refert Deum creatorem omnium*. Ob quam causam etiam Aristoteles *lib. 8. Moral.* tradit, DEO & parentibus pro meritis reddi par non posse. Vnde ait Ecclesiasticus *cap. 3. Qui timet Dominum, honorat parentes & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt*, quasi dicat: Si quis DEVM timet, etiam honorabit parentes, tanquam eius vicarios. Lex 12. tabularum Romanis potestatem dabat patri ter filium væneundandi, imò ius in eum vitæ ac necis. Apud Auctorem Antiquit. *lib. 8. cap. 6.* quod tamen posteà emendatum est. Ceterùm in animantibus etiam ratione carentibus cernitur hoc debitum. Nam inprimis Ciconiæ parentes senio confectos non modò pascunt, sed etiam pennarum defluuio laborantes confouent, & inter volandum alis vtrimque leniter allevant ac succollant, vt testatur sanctus Ambrosius *in hexam. lib. 5. cap. 16.* Et Sanctus Basilius in *hexam. ho. 8.* Idem faciunt vpupæ. Ælian. *l. 10. c. 16.* Plutarchus item de solertiâ animalium, refert Leones iuniores prædam suam diuidere cum senioribus. Quin & glires, vt scribit Plinius *lib. 8. cap. 57.* genitores suos fessos senectâ, alunt insigni pietate. Hæc animalia præceptorem non habent, præeuntem non vident, mercedem non expectant, minis non adiguntur, & tamen istud faciunt. Nos præterea legem scriptam habemus: Honora patrem tuum & matrem, &c. *Exod. 20.* Exemplum habemus, promissionem habemus, & comminationem, nisi id faciamus, vt in seq. audiemus.

Lex altera gratitudinis est: nullos enim insigniores post Deum benefactores habent filij; quàm parentes, nec facilè illis compensare pro merito beneficia possunt, nisi mortem pro illis oppetendo, aut ad meliorem vitam eos instituendo ac perducendo, quod rarò fit. 2. Gratitudinis. Inprimis vt notat S. Thomas in *opusc. 7.* dant filiis stabilimentum quoad esse, iuxta id *Eccl. 7. Honora patrem tuum & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris, & retribue illis, quomodo illi tibi. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Secundò dant filiis nutrimentum idque sæpè maximis laboribus & curis corradunt, in sudore vultus sui, & detrahunt ori proprio. Tertiò, Documentum, maximè vt timeant Dominum & abstineant ab omni peccato. Illi filios ad sacramenta, ad fidem, ad religionem & mores Christianos erudiunt. Taceo labores, molestias, curas, quas filiorum causâ sustinent, donec è sordibus eos educant. Addit D. Thomas ex Cassiod. & Ambros. idcircò meritò pias esse ciconias in parentes, quia simili pietate à parentibus amabantur, atque ita vicem illis reddere lege gratitudinis. Quàm autem Ciconiæ fœtus suos diligant, vno exemplo ostendemus. Conflagrante ferè toto Delphio Batauorum oppido, Ciconiæ proles suas adhuc penè implumes, ab incendio protegentes alis contexerunt, rostro detulerunt ac pedibus vt eriperent, & ne officium intermitterent pareorum, nunquam deseruerunt, quin potiùs mortem cum illis sustinuisse propalam visæ sunt, Anno Domini 1086. vt memorat Georg. Bruin. in Delphio. Adhæc pullos à Noctuis defendit Ciconia, Platani foliis, Pier. *l. 17. Hierogl.* Itaque iure vicem parentibus reddunt proles ciconiarum. Et hoc est, quod Græci prouerbio dicunt: Antipelargiam serua; id est: vicem repende sicut Ciconiæ. Cogitent igitur filij, quid ipsorum causâ egerint tulerintque parentes, vt eriperent eos è sordibus, ignorantiâ, paupertate, periculis. Ec quid pro his petunt parentes? non sanè æqualem vicem: sed vt liberi quietem eorum foueant, gaudium eis pariant suâ probitate, morositates eorum æquo animo ferant, non affi-dcant eis vt vultures, mortem eorum optantes, sed consolentur afflictos, &c. quantula sunt hæc?

C. II. Exemplũ benè moratorum filiorum. SECVNDA ROTA, Exemplum eorum, qui licet dignitate longè superârint parentes, nihilominus tamen debitum eis honorem detulerunt humiliter. Quod si magni viri inferiori-

ferioribus etiam se parentibus hoc præstiterunt: puto nihil excusationis nos habituros. In hominum autem numero primas tenet Christus, qui cùm esset & DEVS, subditum se præbuit hominibus, Matri & Nutritio suo, Vnde sanctus Ambrosius *in c. 18. Luca* ait: *Honora tuos, quia suos Dei filius honorauit. Legisti enim: Et erat subditus illis. Si Deus seruiuit, quemadmodum tu parentibus?* Deinde quantus Princeps erat Ioseph Patriaecha in aulâ Pharaonis? Ille tamen ad tantam euectus dignitatem, patrem suum senem, infirmum & plebeium non modò non despexit, sed aduenienti obuiam iuit, *uidensque eum irruit super collum eius & inter amplexus fleuit. Gen. 46.* rursum *Gen.* 48. eum adorauit. Quantus item Rex Salomon? Et hic tamen Matri suę occurrit obuiam & facta adoratione sedem ad dextram suam dedit occupandam dicens: *Pete mater mea; neque enim fas est vt auertam faciem tuam* 3. *Reg.* 2. Videamus & Gentiles aliquos. Æneas ille decantatissimus Heros Patrem Anchisem ex incendio Troiano humeris suis impositum eripuisse traditur. Memorabile est, quod scribit Aristocles in *lib. de mirab mundi*, cùm in Siciliâ ex ignitâ voragine igneus quidam torrens prorumperet omnesque accolæ sese in fugam darent, senem quemdam ob virium defectum fugere nequiuisse. Hic ergò videns filium vnâ cum aliis fugientem vocat eum rogatque vt sibi in hac extremâ necessitate adesse velit. Substitit filius patreque in humeros accepto lentiùs perrexit paterno grauatus onere: cùm verò amnis intumesceret, diuinitùs factum est vt melius diuideretur transitumque filio daret. Itaque ob hanc pietatem filius & se cum patre seruàuit & longæuus euasit. Quæ cùm ita sint, quis debitum parentibus honorem non libenter & studiosè impertiat, tametsi sublimis sit, parentes verò infimi?

D. III. Premium promissum.

TERTIA ROTA, Præmium propositum. Appositum est hoc à DEO nulli alij præceptorum, præterquam quarto de parentibus honorandis, vt consuleretur parentum honori atque senio. Est autem longæuitas vitæ & prosperitas in terrâ: *Vt longo viuas tempore*, ait Dominus, *& bene tibi sit in terrâ, Deut. 5.* Adde *Eccl. c. 3. Qui honorat Patrem, vitâ viuet longiore.* Quid desiderare in terrâ possumus optabilius, quàm vt diutissimè viuamus & bene nobis sit? Meritò verò promittitur hoc præmium pietati filiorum: qui cùm vitam acceperint à parentibus, tamquàm feudum à Rege, vt ait S. Thomas *in opusc.* merentur eam diu conseruare, si grati sint erga illos: Sicut è contra ingrati merentur iterum perdere, quod acceperunt, beneficium; siquidem & in iure ciuili per ingratitudinem reuocantur donationes. Huius rei mirum exemplum scribit S. Bernardinus *Dom. 1. Quadrages. Serm. 17. Nostrâ ætate*, ait, *in Hispania citerioris oppido, cui nomen* [illegible] *est, non ita procul à Valentiâ Adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam eò deuenerat, vt anno octauo decimo propter latrocinia & publica facinora in vincula coniectus & suspendio damnatus sit. Erat etiã tum prorsus imberbis: pendenti verò iam atque exanimi subitò prorumpit barba, spectante populo, coma capitis planè canescunt, vt ætatem referret hominis nonagenarij. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrit Episcopus: Omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat Deus, quid sibi monstrum hoc velit: Atque ecce tibi, Episcopus editiorem locum capiens ad omnes ait, voluisse Deum ostendere, quantum de vitâ eis detrahat, qui de parentum obedientiâ detraxerunt: victurum enim hunc iuuenem fuisse ad tam ætatem quæ iam apparebat in facie, nisi ipsos 70 annos parentum inobedientia detraxisset.* Sic ille. Quod si hoc præmium morigeris nõ semper contingit, certum tamen quòd aliâ ratione compensetur.

Qui Ecclesiasticum c. 3. leget, plura inueniet præmia morigeris filiis promissa, vti filios gratos & obedientes: *Qui honorat patrem suum*, inquit, *iucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur*, &c. Deinde famam bonam, ibidem: *Gloria enim hominis ex honore patris sui.* Et iterum: *quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem?* Adhæc diuitias: *Sicut qui thesaurizat*, ait ibidem, *ita qui honorificat matrem suam.* Et iterum: *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Denique benedictionem DEI, seu gratiam in præsenti & gloriam in futuro: *Honora patrem tuum vt superueniat tibi benedictio à Deo.*

QVARTA ROTA. Pœna imminens iis, qui parentes non honorant. Ea verò multiplex est. E. IV. Pœna constituta immorigeris.

Primò certò sibi persuadeant filij, se eadem recepturos aliquando à suâ sobole, quæ genitoribus suis fecerint, vt per ea puniantur, per quæ in eos peccauerunt. Solet enim DEVS facere aut permittere, vt idem sentiant impij, quod perpetrarunt; vt sic aut emendentur, aut saltem intelligant pro meritis se puniri: iuxta id *Luc. 6 In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* An non audistis aliquando scenam illam, quam refert Aristot. 5. *Ethic.* apud Lycost. in apopht. tit. de educatione liberorum, in quâ filius patrem cùm traheret capillis, vt eiectum extra fores, per scalas deiiceret: pater cùm ad ianuas peruentum esset: *Desine fili*, inquit, *nam & ego patrem non vlteriùs, quàm huc vsque traxi.* Alius accusatus, eodem auctore, quod patrem pulsasset; ita defendit impium facinus: *Et ille*, ait, *patrem suum verberauit, & hic* (ostenso filio) *me verberabit, postquam adoleuerit, adeò nobis hoc gentilitium est.* Vnde Pittacus Mitylenæus dicere solebat: *qualia tu contuleris in parentes, talia prorsus à tuis liberis expecta, vt bene vel malè habearis.*

Secundò, quia naturalem & benignum patrem non coluerunt filij, sæpe alium nanciscuntur crudelem, Dæmonem vel carnificem, qui eos virgâ ferreâ plectit. Sanè *Deut.* 21. filius proteruus & contumax iubetur lapidari ab vniuerso populo. Et Salomon *Prouerb.* 30. ait: *oculum, qui subsannat parentem, effodiant eum corui.* Exemplo sit Absolon; cui similem en alterum. Anno 874. Carolus Ludouici Germaniæ Regis Filius adiuncto sibi fratre suo Ludouico tentauit contra parentem rebellionem facere: & certè maximas ei creaturus erat molestias, nisi molitiones eius disturbas-

ſent authoritate ſua regni proceres. Interim non neglexit Deus tantam punire audaciam. In medio conſeſſu Diætæ Francofurtenſis inuaſit illum Diabolus, ita vt vociferando horrendum in modum, perſtrependo, faciem veſteſque lacerando, ſe totum exagitando, vt retineri à viris ſex fortiſſimis minimè poſſet, rapuerit aſtantes omnes in admirationem, ſed præcipuè parentem triſtiſſimum; qui conuerſus ad Ludouicum: *Ecce*, inquit, *vt Deus in fratre tuo veſtras punit rebelliones & in me coniurationes! Sapite in poſterum miſeri, & Dei clementiam implorate. Quod ad me, ignoſco vobis lubens.* Poſteà autem ductus eſt Carolus in ſummum templum, vbi à Luitbberto Moguntino Archiepiſcopo abactus eſt Dæmon exorciſmis Eccleſiaſticis & virtute præſentiæ Chriſti in S. Euchariſtiæ Sacramento. Liberatus autem factus eſt à ſe totus alius, dicere & fateri ſolitus ſe nec per horæ quadrantem potitum fuiſſe pace cordis à rebellionis exordio. Auentinus *l. 4. annal. Boiorum.*

3. Tertiò, timere debent maledictionem parentum, de quâ ſcriptum eſt *Eccleſ. 3. Benedictio patris firmat domus filiorum: Maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vin' exempla? In vita S. Zenobij Florentini refertur in eâdem Vrbe mulierem paganam illuſtrem & prædiuitem duos habuiſſe filios, quos delicatiſſimè enutrierat. Qui die quodam in iram verſi, matrem propriam verberibus multârunt. Vnde ipſa genibus procumbens & terram manibus pulſans furias infernales in rabiem filiorum inuocat. Adfuêre ilicò Dęmones & iuuenes aggrediuntur, atque in furias agitant. Qui mox vt rabidi canes mordicùs ſua corrodunt membra. Concurrunt famuli, fit clamor & iuuenes ligantur funibus ac catenis, nec tamen contineri poſſunt. Mulier itaque ſortem filiorum videns & facti pœnitens ad S. Zenobium pro remedio accurrit: cuius precibus filijs ſalutem impetrauit & vnà cum illis fidem & baptiſmum percepit. Vin' aliud? Refert S. Auguſtinus *l. 22. de Ciuit.* Dei c. 8. Matrem quandam in Cappadociæ Cæſariâ decem habuiſſe filios, quorum natu maior grauibus eam affecerat iniurijs: cæteris hoc videntibus & ferentibus. Vnde ipſa excandeſcens ad templum cucurrit & ſuaſu cuiuſdam (qui Dæmon creditus eſt, in viâ occurrens) omnibus maledixit & imprecata eſt vt extorres patriâ circumirent alienas terras ad terrorem aliorum. Dictum, factum: tremor membrorum eos mox inuaſit, ipſique in diuerſa diſperſi omnibus horribile ſpectaculum præbuerunt. Quorum vnum, Paulum nomine, ad reliquias S. Stephani ſanatum ſe vidiſſe ſcribit Auguſtinus.

Supereſt nunc, vt conſcenſâ hac quadrigâ ſequantur liberi Chriſtum, ad deferendum ſuis parentibus debitum honorem. Hic enim erit currus quidam igneus; quo non modò ad felicitatem terrenam, ſed etiam ad cœleſtem euehentur.

CONCIO IV.

Incitamenta ad progrediendum in virtutibus.

Incitamur ad virtutem	*mus, deficimus.*
1. *Quia ad perfectionem tendimus.*	4. *Quia vitium finem neſcit.*
2. *Quia in ſchola Chriſti ſumus.*	5. *Quia mundus vanitatibus nunquā ſatiatur.*
3. *Quia ſi non profici-*	6. *Quia Chriſtus profecit.*

THEMA.

Ieſus proficiebat ſapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines.

MAgnum abſque dubio gaudiū percepit Abraham, cum è vetula & ſterili vxore natus eſt ei filius à Deo promiſſus. Sed multò magis gauiſum eſſe conſtat, cùm ablactatus eſt eius filius; quàm cùm natus; Siquidem vt habetur *Gen. 21.* in die ablactationis eius fecit grande conuiuium. In quo, vt aiunt ibi Auguſtinus & Ambroſius: *Intelligitur profectus mentis, quia idoneus factus eſt Iſaac fortiorū gratia cibo & virtutis alimento, non adhuc vt Corinthij lacte potandus, ſed epulis ſolidioribus,* &c. Non inſtruxit conuiuium Abraham in die natiuitatis aut Circumciſionis filij, quia tunc incertum adhuc erat, eſſétne vitalis futurus filius At in die ablactationis; quia tunc filius iam incipiebat per ſe viuere & ſolidioribus aſſueſcere cibis, ideoque ſpē præbere vitæ duraturæ. Ego, Auditores, vt rem dicam, non parum etiam gauiſus ſum, cùm proximè elapſis feſtiuitatibus vidi quamplurimos veſtrûm ſpiritualiter in Chriſto natos per exhomologeſin, & Sacrā communionem. Sed non poſſum tamen idcircò ſtatim inſtituere cōuiuium publicamque agere lætitiam, donec adueniat dies ablactationis, hoc eſt, donec videam eos qui ſpiritualiter in Chriſto nati ſunt, de vberibus priſtinæ conuerſationis abſtractos, ſolidioribus aſſueſcere virtutum cibis & de die in diē proficere in virtutis propoſito. Quid enim ſi quidam in Chriſto renati ſunt, qui hodie vel cras iterum morientur? At ſi progredi incipiant in cœpto pietatis itinere & lacte vitiorū ſpreto, bonorum operum cibis quotidie aſſueſcāt magis; ibi tum agere conuenit ſolennem feſtiuitatem, & tunc in cœlo gaudium erit Angelis. Propterea S. Lucæ non erat ſatis deſcripſiſſe Natiuitatem Chriſti, Circumciſionē & oblationem, ſed ſubdidit etiam eius profectum ſolenni teſtimonio: *Puer autem creſcebat,* inquit, *& confortabatur plenus ſapientiâ, & gratia Dei erat in illo.* Et paulò pòſt in *hod. Euang. Ieſus autem proficiebat ſapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines.* Exemplum itaque præbuit nobis Chriſtus, vt vnà cum ipſo creſcamus & proficiamus, qui eidem & cum eodem nuper nati ſumus. Quare etſi de nullius conatu dubitamus, progredientibus tamen calcaria addemus & rationem progrediendi indicabimus. A.

Proficiendum Primò, Quia omnes tenentur ad perfectionē tendere, ad perfectionem, inquam, B. I. Quia ad

perfectionem tédimus.

inquam, Christiano necessariam, vt scilicet omnia præcepta seruet; siquidem Christus dixit: *Estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est. Matth. 5.* Ad hunc etiam admonet nos natura, quæ ab imperfecto incipit & paulatim magis ac magis crescit, quousque ad perfectionem veniat. Sic mineralia in terrâ ex venis subtilioribus gignuntur & paulatim perficiuntur: sic frutices omnes primò tenelli & rudes, sensim augentur & folia gignunt, deinde flores, postremò fructus, quos initio teneros & exiguos atque inutiles Sol paulatim perficit & ad maturitatem perducit. Palma singulis mensibus singulos ramos adijcit; vnde olim menses in eius ramis numerabantur, teste Pierio *l. 50. Hierogl.* Idem patet in animalibus, quæ non corporis tantùm mole crescunt, sed alijs etiam dotibus. Ceruus singulis annis tantum vnum cornu suo adijcit, vnde dignoscitur eius ætas. Apud Pierium *lib. 7. Hierogl.* Cygnus quò prouectior fit ætate, tantò suauiùs canit & suauissimè tandē in morte. Idem *l. 23.* Denique ipse homo primò nascitur infans, non loquitur, non intelligit, non comedit sed lacte tantùm alitur; non ambulat, non ratiocinatur: licèt ad hæc omnia remotam habeat potentiam: cum ætate tamen paulatim acquirit ista. Docet ergò tota natura, semper ad perfectionem annitendum esse. Cùm autē homo factus sit vt Dei imaginem in se perficiat virtutibus & gratia, quo dignus fiat perpetuo eius aspectu & hæreditate, hinc apparet quanta homini necessitas incumbat crescendi semper in bono. Si enim omnia quæ Deus illi subiecit, crescunt semper & augentur, vti & ipsum eius corpus: an non turpe erit, si solus ipse non crescat & pusio secundum animam remaneat? Contemnitur inter homines pumilio, etiam à proprijs seruis, licet vitio careat, cùm non sit in hominis potestate adijcere ad staturam suam vel cubitum vnum. Rectiùs is spernendus videtur, qui statura crescens, intellectu non crescit, iuxta prouerbium nostrum: Groß vnd vngeschickt. Sed nec hoc valdè culpandum, quia intelligendi & discendi facultas non est semper in hominis potestate, nec ita à Deo requiritur, vt virtus; sine doctrina enim admitti in cœlum possumus, sine virtute non possumus. Maximè igitur vilis & contemnendus est, qui non crescit virtute, bonitate & iustitia. Hoc enim in hominis potestate est & requiritur ab eo. In Belgio in viri proceri & grandæui puerilium tamen morum, per ignominiam vocantur pueri Hollandici, eò quòd matres in Hollandiâ præ alijs matribus mirè filios suos etiam grandæuos amant adeoque vt pueros tractant, vt testatur Cornelius à Lapide in Isai. c. 65. Longè maior ignominia est, si in Ecclesia reperiantur tales pueri Hollandici & barbati qui animo non crescunt.

C. II. Quia in schola Christi sumus.

SECVNDÒ, Quia sumus in Scholâ Christi, quamdiu viuimus: profectus autem discipulorum gloria est Magistri, si penè omnes discipuli sint perfecti, si ascensu & præmiis digni: Sicut è contra ignauia discipulorū, ignominia illius. Ita S. Ber. *ep. 341. Discipulus proficiēs* inquit *gloria est Magistri. Quisquis in Scholâ Christi non proficit, eius indignus est Magisterio.* Docuit autem nos Christus exēplo suo vt proficeremus. Vnde ibidē subdit Bernardus: *Itaque qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Iesus enim (vt ait Euangelista) crescebat & proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines. Ille non restitit ergò sed exultauit vt Gigas ad currendam viam, & nos quoque si non desipimus curremus post eum.* Sic Ber. Quoniam igitur præstantissimum habemus Magistrum exemplo suo nobis præeuntem, an non turpe est nobis, si sub tanto Magistro non proficiamus, sed semper simus Ioannes (vt vulgò dicimus) in eodem? An non Christo etiam Magistro nostro, dedecori quodammodo sumus, si Gentiles, Iudæi & Hæretici, non videant nos proficere in ipsius Scholâ? Propterea sicut qui diu in eadem classe desidens non proficit, tandem cum ignominia eicitur, & à parentibus ad seruile aliquod opificium applicatur: Sic etiam qui in Scholâ Christi progressum in virtute nō facit, DEO exosus est & vel celeriore morte extinguitur, vel in hæresin alia ve grauiora vitia labi permittitur. Quod de Christi Ecclesiâ prophetauit Isaias *c. 65.* dicens: *Non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui nō impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur*, hoc est, vt exponit & ait Philo *l. 2. Melissæ c. 18. qui multum aut in vitâ corporis sine vllâ virtute vixerint at probitate.* Vult ergò dicere Propheta, non debere esse tales pueros in Ecclesiâ & Scholâ Christi, alioqui morituros, id est, exterminandos esse. Et certè hanc eiectionem minabatur Christus per Ioannem *Apoc. 3.* Episcopo Laodiceæ, cùm dixit; *Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere.* Frigidū intelligit secundùm S. Ambrosium in *Ps. 118.* infidelem, qui ob ignorantiam, habet excusationem aliquam, tepidum verò, Christianum malum, qui nunquam incalescit in virtute. Cuiusmodi erant Christiani tempore Lutheri, illi inquam, quos euomuit Deus, cùm de Ecclesiâ in hæresin eos labi permisit & è libro vitæ deleuit.

TERTIÒ, Quia qui non proficit, deficit, teste D. Leone PP. *Serm. 8. de passione.* D. Augustino *Sermon. 15. de verbis Domini.* D. Bern. *Epist. 341.* D. Gregor. *4. p. Pastor. c. 35.* qui id similitudine declarat. *In hoc quippe mundo,* inquit, *humana anima, quasi more nauis contra ictum fluminis condescendentis, vno in loco nequaquam stare permittitur; quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur.* Et S. Bern. *Ep. 91.* ad Abbates ait: *Vidit Iacob in scalâ angelos ascendentes & descendentes; nunquid stantem quempiā siue sedentem? non est stare omninò in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto huius mortalis vitæ quidquam in eodē statu permanet. Non habemus hîc manentem ciuitatem, nec futuram possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas ergò necesse est, aut descendas: Si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo, est bonus, qui melior esse non vult, & vbi incipis nolle fieri melior, ibi tum desinis esse bonus.* Sic Bern. Ratio est, quia hominis natura per originalis peccati labem ad frigus peccati inclinata

D. III. Quia si non proficimus, deficimus.

CONCIO II.

Quid fecerit Christus ab Anno XII. vsque ad XXX.

1. *Studuit humilitati.*	4. *Exercuit opificium Patris tam cælestis quàm terreni.*
2. *Exercuit se ad militiam spiritualem per obedientiam.*	5. *Adamauit sponsam suam Ecclesiam.*
3. *Profecit in litteris & virtutibus.*	

THEMA.

Iesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines. Luc. 2.

A. PRou.3. *Tria*, ait Salomon, *sunt difficilia mihi & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo: viam colubri super petram; viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Tria quidem illa ideò sunt ignota, quia nullum post se relinquunt vestigium. Sed quomodo quartum, cùm adolescentia sua habeat vestigia? Respondet S. Ambrosius & ait in l. *de sacram. c. 5. Christus est vir, cuius via cognosci in iuuentute non possunt*, &c. (quis enim alius est vir in adolescentia sua nisi Christus, qui vir erat in vtero matris, iuxta id *Iere. 31. Femina circumdabit virum?*) quod maximè verum est de ætate Christi ab anno 12. vsque ad 30. siquidem trigesimo primùm anno concionari & mira facere cœpit. Obscura nobis est via aquilæ in cœlum, id est, Christi in cœlum ascendentis: Obscura via serpentis in petrâ, id est, Christi in sepulchro resurgentis: Obscura via nauis in mari, id est, Christi super aquas ambulantis; sed obscurissima eiusdem via in adolescentiâ vsque ad annum 30. quia de hac nihil scriptum. Quo tamen tempore certè otiosus non erat; si enim tribus postremis vitæ suæ annis tanta tamque multa egit, nihil eum fecisse putabimus totis octodecim annis intermedijs? Quid igitur? num hac de re prorsus nihil scimus? num de octodecim annis vitæ eius nec vnam quidem concionem habere poterimus? Sed ô Luca, ô S. Euangelista, qui primordia ætatis Christi cæteris fusiùs scripsisti, dignare nobis vel micas aliquot communicare de vita illa Domini nostri, quæ tam alto silentio præterita est. Quantum intelligo, nonnihil hac de re nobis ille reuelabit, Audite.

B. I. Studuit humilitati. PRIMÒ, Exercuit se in humilitate; quia descendit in Nazareth, vbi in paternâ domo mundo ignotus delituit, instar S. Ioannis Calybitæ Constantinopolitani Senatoris filij, qui cùm à literarum officinâ, clam parentibus cœnobium intrâsset & aliquamdiu duræ admodum disciplinæ religiosorum Acœmetorum (quasi semper vigilantium) adsueuisset, ad paternas ædes ignotus & mendicabuli centone indutus rediJt, vbi aliquot annis gurgustio inclusus, ab omnibus vilipensus & neglectus domesticis, ante vestibulum degebat, cùm interim parentes quotidie cum ingenti prodire pompâ spectaret & seipsum ignotum veste vili redderet donec morti vicinus matri aduocatæ Euangelium auro ornatum, quod ab ipsâ puer acceperat, pro signo, quo se, quis esset, aperuit, redderet, & animam simul DEO commendaret. Refert Matth. Raderus *in Viridario SS. Parte prima.* Ad eundem enim modum Christus Dominus postquam clam parentibus in templo remansisset & diuinis rebus vacâsset: posteà ad paternas ædes rediit, vbi per octodecim annos exiguâ in casulâ delituit, à Domesticis mundi sui non agnitus, sed vilis potiùs & alienigena habitus (vnde & faber ac fabri filius dicebatur) cùm interim semper videret faciem patris sui in cœlo regnantis & omnia summâ maiestate implentis; donec circa finem vitæ suæ, post annum scilicet 30. primùm seipsum manifestauit, tradendo nobis Euangelium suum, quod à patre acceperat. Cæterùm sanctus ille Calybita imitari quidem hoc exemplum Christi voluit, sed vmbram tantùm illius assecutus est. Quod enim Christus ab anno 12 egit, multò mirabilibus & excellentius est. Cùm enim eo tempore Dominus signa ac prodigia facere & populos imbuere cœlesti sapientiâ posset, nihil horum fecit (siquidem primum miraculum in Canâ post annum ætatis trigesimum designauit, nec ante id tempus docuit, saltem publicè.) Miraculum igitur humilitatis edidit dum nullum facere miraculum voluit, & se, cùm Deus esset, prodere noluit, sed humilis, quasi obscurus esset & rudis, latuit. Dicite, si quis nostrûm eruditione vel genere clarus ad eum fortè locum veniat, vbi eius eruditio vel nobilitas ignoratur; & ipse vilis ac rudis reputatur & contemnitur, quomodo is vretur interiùs? quàm vehementer cupiet dari sibi occasionem ostentandi doctrinam vel generis splendorem? Vt igitur quantumuis excellentes & magni discœremus seperare superbiam, ne se in nobis prodat & caput exerat; voluit tam longo tempore ignorari, latere & contemni. Indubium est, ab infantiâ Christum magni æstimatum fuisse ab ijs, qui audierant testimonia Magorum, Pastorum, Simeonis, Annæ, &c. Vnde ab eo multa expectabant præclara: vbi verò eum conspexere posteà nihil præclari aut mirandi designare, credibile est dixisse homines: Ecce quàm egregiè decepit nostram expectationem & præsagium hic puer! iam enim creuit, iam barbatus est: & necdum literas nouit neque scholas adit vt discat, sed domi semper otiosus sedet, nemini vtilis, vti meditatur S. Bonauent. Et hæc quidem Christus tolerabat per tot annos. Quanta ergò vanitas & stultiria nostra, qui exiguas nostras dotes nec per horam sæpe tegere possumus? qui modicum contemptum aut neglectum, vnam contumeliam aut verbum durius sustinere non possumus? An non sufficiat nobis ad retundendam nostram superbiam, hoc vnum Christi exemplum? Quid enim quæso tibi accidit molesti? Nobilis sum

& à clarissimis maioribus ortus,inquis ; & ecce vilis iste homuncio me irridet & spernit. Quid tum? nunquid nobilior es Christo, qui faber & fabri filius per contemptum vocari pertulit? Tot annis in omni doctrinæ genere versatus sum, inquis ; in tot negotiis difficillimis accupatus ; & ecce illiterati homines, rudem me & insciom proclamant. Quid tum? nónne hoc idem & amplius tulit Dei filius? Innocens sum, inquis, nemini vnquam molestus fui ; & tamen à perdito quodam homine sceleris insimulor, & pro tali vel tali criminoso traducor. Quid tum? fecerunt idem Christo multi inuidi, qui dicebant ad opprobrium eius: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Melior sum, inquis, multis, qui in hoc mundo euehuntur, honorantur dignitatibus & gratiis cumulantur, cùm ego hîc delitescam inglorius & neglectus, qui tamen multò plura præstare possem, pluráque merita mea recensere. Quid tum? num tu melior aut maior es Dei filio, qui plenus sapientiâ, gratiâ & fortitudine potuisset omnes Doctores mundi docere, mira patrare, diuinitatem suam ostendere, merita sua infinita demonstrare fecit, sed occultus & neglectus latere, docentes se audire, omnibus honorem cedere, nulli se ne æquare quidem voluit vsque ad 30. annum ætatis suę? Tace igitur & gaude potiùs te Christo similem esse.

C. II. Studuit obedientiæ. SECVNDÒ, Exercuit se ad militiam spiritualem & pugnam cum dæmone ineundam: & quomodo hoc? per obedientiam in quâ crucem posteà subiit & Dæmonem vicit, vt colligitur ex hodierno Euangelio, vbi dicitur: *Erat subditus illis.* Porrò hæc obedientia similis videtur militari exercitio, quo ad pugnam aliquando ineundam erudiuntur milites. Iubentur eodem loco pedem vnum figere, & interim tamen ad vnicum Ducis verbum, & se in omnem situm & locum vertere. Hoc faciebat etiam nunc Christus, qui parentibus suis obediendo, didicit patri suo cœlesti obedire ad nutum; sciens aliquando pugnandum sibi aperto Marte fore & obediendum vsque ad mortem. Erat igitur Christus subditus & in primis se inferioribus, quia DEVS hominibus & pauperi artifici: id quod nobis valde difficile est.

1. Secundò, Sapientior minùs sapientibus. Vnde sub imperio Iosephi constitutus haud durè sæpiùs iubebatur aliqua agere aut intermittere ; quæ ipse meliùs & prudentiùs vel omisisset vel egisset (vt coniicitur ex hodierno Euangelio ; dum Christus ait se esse debere in iis quæ patris sunt, nihilominùs obedii & descendit cum eis) hoc tamen neglecto, non suum, sed parentum secutus est iudicium.

2.

3. Tertiò hoc quamdiu fecit? Fecit certè circa 18. annum, vbi adolescentes solent insolescere & seduci. Fecit circa 24. vbi iuuenes inconsultis parentibus plurima attentant, militiæ nomen dant, matrimonia contrahunt &c. Fecit circa 30. annum vbi omnes volunt esse immones & liberi à parentum imperio. Quartò, In quibus rebus? In omnibus omninò, etiam abiectis & domesticis seruitiis: Cùm enim paupercula Iosephi familia, nec famulum haberet nec famulam, non dubium qoin obuia quæque ministeria domestica ex obedientiâ Christus obient, imò sæpe à parentibus petierit, vt sibi in omnibus liberè præciperent. Satis igitur superque constat nobis, quid egerit Christus illo tempore. Vixit enim sub regulâ parentum suorum, quasi in sanctissimo monasterio sub sanctissimis Rectoribus sanctissimè. Sufficit Monacho si dicatur obseruasse regulam ; constat hinc quid egerit; ego sanctum aio. 4.

D. III. Profecit in literis & virtutibus. TERTIÒ, Literis operam dedit; non quidem adeundo scholas sed domi meditando quæ aliquando loqui & docere volebat. Profecit enim sapientiâ apud DEVM & homines, inquit Euangelista. Ita S. Thomas Aquinas, dum studiis operam daret, ob perpetuum ferè silentium à condiscipulis bos mutus appellatus est. Sed cùm aliquando publicè disputarer, ita locutus est vt Magister eius Albertus Magnus admiraretur & diceret bouem hunc mutum tantos aliquando mugitus editurum, vt à toto exaudiretur orbe ; quemadmodum & factom est. Surius in eius vitâ. Sed quomodo profecisse sapientiâ dicitur, cùm à sui conceptione, etiam vt homo, perfectè sapiens fuerit. *Resp.* 1. Quoad experimentum & vsum; dum ea experiri paulatim cœpit, quæ prius solâ contemplatione sciuerat: hacque ratione in scientiâ, quæ vocatur acquisita, proficere potuit. Cum maximo enim zelo obseruauit hominum mores, vt eos aliquando velut oculatus & auritus testis commendare vel emendare posset, Vbi interim docet primò non priùs iudicium ferre, quàm certo tibi res constet & quasi per experientiam. Numquam ex suspicione vel aliorum relatione castigauit aliquem Dominus, aut laudauit. Sed cum tantâ certitudine, vt os inimicorum obstrueret nec vllus contradicere auderet. Deinde in praxi studere virtutibus ; sæpe enim Theologus bene disputat de obedientia, qui tamen obedire nescit.

Sed quomodo? 1.

2. Secundò, Quoad exercitium, semper sapientiùs & sapientiùs agendo: non quoad habitum. Etenim cum ætatis progressu profectum iudicij & loquelæ maiorem indies ostendit. In infantiâ vagit, tum puerili more locutus est, ac tandem sapientiam suam omninò manifestauit. Quemadmodum enim sol in aurora latens, in ortu obscurior, deinde paulatim clarior, in Meridie lucidissimus, in occasu deficere cernitur: Ita Christus in vtero matris velut sol in aurora radios tantùm suos aliquot monstrauit, quos pauci viderant, Maria scilicet, Ioseph, Elisabeth, Zacharias, Ioannes. In natiuitate velut in ortu clarior apparuit, quia claritas Dei circumfulsit etiam pastores, Reges item in Oriente: paulatim pòst quasi super horizontem eleuatus apparuit etiam Senibus, Simeoni, Annæ: pòst etiam doctoribus

& iuga fabricauit, mysterium etiam eo labore intendit; vtique insinuans in eo se versari, vt aratro crucis orbem totum vertat & fœcundum reddat; deinde vt suaue iugum suum, legis Euangelicæ fidelibus suis paret eorumque humeris imponat.

F. V. Adamauit sponsam suam Ecclesiam.

QVINTÒ, Quæsiuit sibi sponsam, eiusque amorem ambijt variis obsequiis. Ea verò est anima hominis, cui dicebat per Amos *cap.* 2. *Sponsabo te mihi in fide.* Colligitur hoc eius studium manifestè ex hodierno Euangelio; quo attestante *proficiebat Iesus gratiâ apud Deum & homines*; id est, vt ibid. Barradius inquit, moribus, virtutibus, corporis vultusque pulchritudine gratiam hominum sibi conciliabat. Sed quibus artibus putamus vsum esse Christum ad gratiam hanc sibi conciliandam? Non dif-
1. ficile est inuestigare. Quid enim faciunt, qui amorem sponsæ quærunt? Amant inprimis licèt ipsi nondum redamentur; efficacissimum enim amoris philtrum est id, quod Seneca scripsit *ep.* 9. *si vis amari, ama.* O quoties igitur se in aliorum familiaritatem insinuabat! quoties & quàm humaniter homines salutabat & alloquebatur! quàm honorificè de eis loquebatur! quàm suum amore compensabat etiam dictas in se contumelias! quam promptè ignoscebat iniurias! quanto zelo rudes instruebat! quoties dixisse vel saltem insinuasse putabimus, quod Samaritanæ dixit posteà: *O mulier si scires donum* DEI *& quis est qui tibi dicit*, &c. ô si
2. scires quis est qui tecum loquitur! Secundò modestiam & decorem, comitatem in moribus, incessu, vestibus & sermone præseferunt amantes, præsertim in præsentiâ amatæ: Vnde toties mutant vestes, easdem purgant, &c. vt decori appareant & venusti. Similiter etiam Christus decorem induebat morum & modestiæ in incessu, vestitu, sermone, comestione, gestibus. Denique qui amant, omnis generis
3. seruitia etiam abiecta & humilia subeunt propter personam amatam. Amor Dinæ Sichem illum vsque eò egit; vt propter eam circumcidi se pateretur *Gen.* 34. Amor Rachelis Iacob Patriarcham vt 14. annis pro eâ seruire & pastorem agere non dubitaret *Gen.* 49. Multò plus existimandum est fecisse Christum in adolescentia sua pro anima hominis, cuius amor è cœlo eum adduxit & seruum fecit. Seruiuit enim pro illâ totâ vitâ suâ, & qui pro eâ flagella, spinas, sputa, alapas, crucem & mortem denique subiit, quid, quæso, detrectauit? Iam verò si quemadmodum rectissimè colligitur, tot tantisque artibus & modis amorem nostri, abiectissimorum vermiculorum ambiuit & tanto tempore pro eo seruiuit, quid nobis rependendum existimatis? Nihil aliud his omnibus DEI filius quæsiuit, quàm Rachelem, id est, ouem seu animas, & vt amorem nostrum à vilibus mancipiis creaturarum abstraheremus ipsique impenderemus. Et hunc igitur nos ei negabimus, nec amantem redamabimus, pauperes tam locupletem, miseri tam felicem, abiecti tam nobilem, sordidi tam decorum, stulti tam sapientem, homunciones DEVM? Heu cœli obstupescite! DEVS quærit gratiam apud homines, & proficit in illâ: homo autem quærit gratiam DEI, nedum proficit in illâ. Cogitet, quæso, mecum aliquis, quis magno illi patriarchæ Iacob animus fuisset, si post tot labores & vigilias, post 14. annorum durissimum seruitium, nullum in Rachele erga se amorem, sed potiùs illam erga se auersam & refractariam reperisset? An non meritò id accipere durissimè debuisset, adeoque detestari omnem laborem suum? Ne dubitemus igitur idipsum à Christo fieri & multò quidem æquiùs, si relicto ipso sæculum amemus: idque seuerissimè aliquando nobis exprobrandum. Quàm meritò dicet, quod Ecclesiastes *c.* 2. ait: *Detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboraui.* Recensuit ibi Salomon domos, hortos, piscinas, pomaria, vineas, seruos & ancillas, cantores & cantatrices, aurum & argentum, in quibus parandis frustra se sudâsse inquit, & in omnibus nil præter vanitatem inuenisse. Vnde tandem ait: Detestatus sum, &c. Sed multò pluris constiterant Christum, quæ pro nobis lucrãdis fecit & passus est, sine comparatione. Quis igitur explicabit eius dolorem & indignationem ob frustraneos labores? Sed neminem ferè nostrûm reperiemus, qui non dicat se redamare Christum: Quid? dicent; nónne omnes nos iam olim in baptismo Christo desponsati sumus & fidem dedimus? nónne omnes lampadem in manus accepimus vt Christo sponso nostro cum prudentibus Virginibus fide viuâ & reciproco amore ardenti, non extincto, obuiaremus? Scio hoc; atque vtinam ei hoc pacto obuiaremus! Sed vereor ne multi sint, qui instar Samsonis dicant se amare coniugem, cùm tamen minimè ament. Cùm enim ille sæpiùs falsum diceret Dalilæ suæ, audiit ab illâ; *Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum? Iud.* 16. Similiter ô superbe, quomodo dicis te amare Christum qui cum ipso sperni vel latère in humilitate fugis; cùm animus tuus sit in honoribus & dignitatibus? ô auare quomodo dicis te amare Christum, cùm animus tuus sit in thesauris & prædiis, pauperi quoque pro Christo nihil tribuas? O, libidinose quomodo dicis te amare Christum, cùm animus tuus sit in cubilibus & impudicitiis, etiam dum corpore es in templo sæpe? O iracunde, cùm animus tuus sit in cæde, sanguine & vltione? O gulose, cùm animus tuus sit in patinis? &c. Ambiamus igitur amorem Christi: pereat amor sæculi.

CONCIO III.

Motiua ad honorandos parentes.

Honorandos esse parentes docet primò.
1. *Lex tam naturalis quàm gratitudinis.*
2. *Exemplum benè morigeratorum filiorum.*
3. *Præmium promissum.*
4. *Pœna constituta immorigeris.*

THE-

THEMA.

Erat subditus illis. Luc. 2.

A. MIrum alicui videri potest, quomodo duodennis Christus confecerit hoc iter pedibus, quod est bidui à Nazareth in Ierusalem, & rursum inde in Nazareth. Cùm enim quoad ea, quę naturam consequuntur, non dissimilis fuerit aliis hominibus; quomodo non in viâ tantilla defecit ætas? Sed absque dubio zelus & desiderij magnitudo ad deferendum honorem Patri imprimis cœlesti in templo Ierosolymitano: deinde obsequendi parentibus terrenis, vires teneræ dedit ætati; nam ardor & desiderium alicuius operis vires etiam addunt ad peragendum illud. Patet verò ardor Christi honorandi cælestem patrem ex eo, quòd triduo in templo remanserit: ardor verò honorandi terrenos parentes in reditu ad patriam, ex eo quòd vsque ad 30. annum ibidem subditus illis fuit. Quod si nunc inquirerem ex liberis nostratibus, num & ipsi queant conficere hoc iter & imitari Christum in prædictâ pietate erga parentes suos: quàm multos reperirem, qui subitò fatigati in viâ considerent? Neque id adeò miror: paruuli sunt. Itaque vehiculum illis parabo, quatuor instructum rotis, quo faciliùs & suauiùs sequi Christum queant, videlicet ad pietatem parentibus exhibendam.

B. I. Lex. Naturalis. PRIMA ROTA, Lex, eaque duplex: Prima naturalis. Natura enim docet non homines tantùm, sed & pecudes, vt honorem exhibeant genitoribus suis; à quibus vitam accepêre. In hoc enim parentes repræsentant personam DEI, qui alioquin nequit videri oculis corporeis, vt eos velut præfectos DEI & secundarios quasi Creatores filij venerentur; nam & hi suo modo tribuunt illis esse & vitam. Vnde Philo disertissimus Iudeorum in quinto præcepto vult ideò præceptum de honorandis parentibus esse in secundâ tabulâ primum, sicut præceptum de colendo DEO est primum primæ tabulæ, *quia parentum natura*, inquit, *gignendo refert Deum creatorem omnium*. Ob quam causam etiam Aristoteles *lib. 8. Moral.* tradit, DEO & parentibus pro meritis reddi par non posse. Vnde ait Ecclesiasticus *cap. 3. Qui timet Dominum, honorat parentes & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt*, quasi dicat: Si quis DEVM timet, timebit etiam parentes, tamquam eius vicarios. Lex 12. tabularum Romanis potestatem dabat patri ter filium vænundandi, imò ius in eum vitæ ac necis. Apud Auctorem Antiquit. *lib. 8. cap. 6.* quod tamen postcà emendatum est. Ceterùm in animantibus etiam ratione carentibus cernitur hoc debitum. Nam inprimis Ciconiæ parentes senio confectos non modò pascunt, sed etiam pennarum defluuio laborantes confouent, & inter volandum alis vtrimque leniter alleuant ac succollant, vt testatur sanctus Ambrosius *in hexam. lib. 5. cap. 16.* Et Sanctus Basilius in *hexam. ho. 8.* Idem faciunt vpupæ. Ælian. *l. 10. c. 16.* Plutarchus item de solertiâ animalium, refert Leones iuniores prædam suam diuidere cum senioribus. Quin & glires, vt scribit Plinius *lib. 8. cap. 57.* genitores suos fessos senectâ, alunt insigni pietate. Hæc animalia præceptorem non habent, præeuntem non vident, mercedem non expectant, minùs non adiguntur, & tamen istud faciunt. Nos præterea legem scriptam habemus: Honora patrem tuum & matrem, &c. *Exod. 20.* Exemplum habemus, promissionem habemus, & comminationem, nisi id faciamus, vt in seq. audiemus.

Lex altera gratitudinis est: nullos enim insigniores post Deum benefactores habent filij; quàm parentes, nec facilè illis compensare pro merito beneficia possunt, nisi mortem pro illis oppetendo, aut ad meliorem vitam eos instituendo ac perducendo, quod rarò fit. 2. Gratitudinis. Inprimis vt notat S. Thomas in *opusc. 7.* dant filiis stabilimentum quoad esse, iuxta id *Eccl. 7. Honora patrem tuum & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris, & retribue illis, quomodo illi tibi. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Secundò dant filiis nutrimentum idque sæpè maximis laboribus & curis corradunt, in sudore vultus sui, & detrahunt ori proprio. Tertiò, Documentum, maximè vt timeant Dominum & abstineant ab omni peccato. Illi filios ad sacramenta, ad fidem, ad religionem & mores Christianos erudiunt. Taceo labores, molestias, curas, quas filiorum causâ sustinent, donec è sordibus eos educant. Addit D. Thomas ex Cassiod. & Ambros. idcircò meritò pias esse ciconias in parentes, quia simili pietate à parentibus amabantur, atque ita vicem illis reddere lege gratitudinis. Quàm autem Ciconiæ fœtus suos diligant, vno exemplo ostendemus. Conflagrante ferè toto Delphio Batauorum oppido, Ciconiæ proles suas adhuc penè implumes, ab incendio protegentes alis contexerunt, rostro detulerunt ac pedibus vt eriperent, & ne officium intermitterent paternum, nunquam deseruerunt, quin potiùs mortem cum illis sustinuisse propalam visæ sunt, Anno Domini 1086. vt memorat Georg. Bruin. in Delphio. Adhæc pullos à Noctuis defendit Ciconia, Platani foliis, Pier. *l. 17. Hierogl.* Itaque iure vicem parentibus reddunt proles ciconiarum. Et hoc est, quod Greci prouerbio dicunt: Antipelargiam serua; id est: vicem repende sicut Ciconiæ. Cogitent igitur filij, quid ipsorum causâ egerint tulerintque parentes, vt eriperent eos è sordibus, ignorantiâ, paupertate, periculis. Et quid pro his petunt parentes? non sanè æqualem vicem: sed vt liberi quietem eorum foueant, gaudium eis pariant suâ probitate, morositates eorum æquo animo ferant, non assideant eis vt vultures, mortem eorum optantes, sed consolentur afflictos, &c. quantula sunt hæc?

C. II. Exemplũ benè moratorum filiorum. SECVNDA ROTA, Exemplum eorum, qui licet dignitate longè superârint parentes, nihilominus tamen debitum eis honorem detulerunt humiliter. Quod si magni viri inferiori-

ferioribus etiam se parentibus hoc præstiterunt: puto nihil excusationis nos habituros. In hominum autem numero primas tenet Christus, qui cùm esset & DEVS, subditum se præbuit hominibus, Matri & Nutritio suo, Vnde sanctus Ambrosius *in c. 18. Lucæ* ait: *Honora tuos, quia suos Dei filius honorauit. Legisti enim: Et erat subditus illis. Si Deus seruulis, quemadmodum tu parentibus?* Deinde quantus Princeps erat Ioseph Patriarcha in aulâ Pharaonis? Ille tamen ad tantam euectus dignitatem, patrem suum senem, infirmum & plebeium non modò non despexit, sed aduenienti obuiam iuit, *vidensque eum irruit super collum eius & inter amplexus fleuit. Gen. 46.* rursum *Gen. 48* eum adorauit. Quantus item Rex Salomon? Et hic tamen Matri suę occurrit obuiam & factà adoratione sedem ad dexteram suam dedit occupandam dicens: *Pete mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam. 3. Reg. 2.* Videamus & Gentiles aliquos. Æneas ille decantatissimus Heros Patrem Anchisem ex incendio Troiano humeris suis impositum eripuisse traditur. Memorabile est, quod scribit Aristoteles *in lib. de mirab mundi*, cùm in Sicilia ex ignitâ voragine igneus quidam torrens prorumperet omnesque accolæ sese in fugam darent, senem quemdam ob virium defectum fugere nequiuisse. Hic ergò videns filium vnà cum aliis fugientem vocat eum rogatque vt sibi in hac extremâ necessitate adesse velit. Substitit filius patreque in humeros accepto lentiùs perrexit paterno grauatus onere: cùm verò amnis intumescerer, diuinitùs factum est vt melius diuideretur transitumque filio daret. Itaque ob hanc pietatem filius & se cum patre seruauit & longæuus euasit. Quæ cùm ita sint, quis debitum parentibus honorem non libenter & studiosè impertiat, tametsi sublimis sit, parentes verò infimi?

D. III. Premium promissum.

TERTIA ROTA, Præmium propositum. Appositum est hoc à DEO nulli alij præceptorum, præterquam quarto de parentibus honorandis, vt consuleretur parentum honori atque senio. Est autem longæuitas vitæ & prosperitas in terrâ: *Vt longo viuas tempore*, ait Dominus, *& bene tibi sit in terrâ, Deut. 5.* Adde *Eccl. c. 3. Qui honorat Patrem, vitâ viuet longiore.* Quid desiderare in terrâ possumus optabilius, quàm vt diutissimè viuamus & bene nobis sit? Meritò verò promittitur hoc præmium pietati filiorum: qui cùm vitam acceperint à parentibus, tamquam feudum à Rege, vt ait S. Thomas *in opusc.* merentur eam diu conseruare, si grati sint erga illos: Sicut è contra ingrati merentur iterum perdere, quod acceperunt, beneficium; siquidem & in iure ciuili per ingratitudinem reuocantur donationes. Huius rei mirum exemplum scribit S. Bernardinus *Dom. 1. Quadrages. Serm. 17. Nostrâ ætate*, ait, *in Hispania citerioris oppido, cuius nomen* [illegible] *ut, non ita procul à Valentiâ Adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam eò deuenerat, vt anno octauo decimo propter latrocinia & publica facinora in vincula coniectus & suspendio damnatus sit. Erat etiā tum prorsùs imberbis: pendenti verò iam atque exanimi subitò prorumpit barba, spectante populo, coma capitis planè canescunt, vt ætatem referret hominis nonagenarij. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrit Episcopus: Omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat Deus, quid sibi monstrum hoc velit: Atque ecce tibi, Episcopus editiorem locum capiens ad omnes ait, voluisse Deum ostendere, quantum de vitâ eis detrahat, qui de parentum obedientiâ detraxerunt: victurum enim hunc iuuenem fuisse ad eam ætatem quæ iam apparebat in facie, nisi ipsos 70 annos parentum inobedientia detraxisset.* Sic ille. Quod si hoc præmium morigeris nō semper contingit, certum tamen quòd aliâ ratione compensetur.

Qui Ecclesiasticum c. 3. leget, plura inueniet præmia morigeris filiis promissa, vti filios gratos & obedientes: *Qui honorat patrem suum*, inquit, *iucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur*, &c. Deinde famam bonam, ibidem: *Gloria enim hominis ex honore patris sui.* Et iterum: *quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem?* Adhæc diuitias: *Sicut qui thesaurizat*, ait ibidem, *ita qui honorificat matrem suam.* Et iterum: *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Denique benedictionem DEI, seu gratiam in præsenti & gloriam in futuro: *Honora patrem tuum vt superueniat tibi benedictio à Deo.*

E. IV. Pœna constituta immorigeris.

QVARTA ROTA. Pœna imminens iis, qui parentes non honorant. Ea verò multiplex est. Primò certò sibi persuadeant filij, se eadem recepturos aliquando à suâ sobole, quæ genitoribus suis fecerint, vt per ea puniantur, per quæ in eos peccauerunt. Solet enim DEVS facere aut permittere, vt idem sentiant impij, quod perpetrarunt; vt sic aut emendentur, aut saltem intelligant pro meritis se puniri: iuxta id *Luc. 6 In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* An non audistis aliquando scenam illam, quam refert Aristot. *5. Ethic.* apud Lycost. in apopht. tit. de educatione liberorum, in quâ filius patrem cùm traheret capillis, vt eiectum extra fores, per scalas deuceret: pater cùm ad ianuas peruentum esset: *Desine fili*, inquit, *nam & ego patrem non vlteriùs, quàm huc vsque traxi.* Alius accusatus, eodem auctore, quod patrem pulsasset; ita defendit impium facinus: *Et ille*, ait, *patrem suum verberauit, & hic* (ostenso filio) *me verberabit, postquam adoleuerit, adeò nobis hoc gentilitium est.* Vnde Pittacus Mitylenæus dicere solebat: *qualia tu contuleris in parentes, talia prorsus à tuis liberis expecta, vt bene vel male habearis.*

Secundò, quia naturalem & benignum patrem non coluerunt filij, sæpe alium nanciscuntur crudelem, Dæmonem vel carnificem, qui eos virgâ ferreâ plectit. Sanè *Deut. 21.* filius proteruus & contumax iubetur lapidari ab vniuerso populo. Et Salomon *Prouerb. 30.* ait: *oculum, qui subsannat parentem, effodiant eum corui.* Exemplo sit Absolon; cui similem en alterum. Anno 874. Carolus Ludouici Germaniæ Regis Filius adiuncto sibi fratre suo Ludouico tentauit contra parentem rebellionem facere: & certè maximas ei creaturus erat molestias, nisi molitiones eius disturbassent

ſent authoritate ſua regni proceres. Interim non neglexit Deus tantam punire audaciam. In medio conſeſſu Diætæ Francofurtenſis inuaſit illum Diabolus, ita vt vociferando horrendum in modum, perſtrependo, faciem veſteſque lacerando, ſe totum exagitando, vt retineri à viris ſex fortiſſimis minimè poſſet, rapuerit aſtantes omnes in admirationem, ſed præcipuè parentem triſtiſſimum; qui conuerſus ad Ludouicum: *Ecce*, inquit, *vt Deus in fratre tuo veſtras punit rebelliones & in me conturationes! Sapite in poſterum miſeri, & Dei clementiam implorate. Quod ad me, ignoſco vobis lubens.* Poſteà autem ductus eſt Carolus in ſummum templum, vbi à Luithberto Moguntino Archiepiſcopo abactus eſt Dæmon exorciſmis Eccleſiaſticis & virtute præſentiæ Chriſti in S. Euchariſtiæ Sacramento. Liberatus autem factus eſt à ſe totus alius, dicere & fateri ſolitus ſe nec per horæ quadrantem potitum fuiſſe pace cordis à rebellionis exordio. Auentinus *l. 4. Annal. Boiorum.*

3. Tertiò, timere debent maledictionem parentum, de quâ ſcriptum eſt *Eccleſ. 3. Benedictio patris firmat domos filiorum: Maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vis exempla? In vita S. Zenobij Florentini refertur in eâdem Vrbe mulierem paganam illuſtrem & prædiuitem duos habuiſſe filios, quos delicatiſſimè enutrierat. Qui die quodam in iram verſi, matrem propriam verberibus multârunt. Vnde ipſa genibus procumbens & terram manibus pulſans furias infernales in rabiem filiorum innocat. Adfuêre ilicò Dæmones & iuuenes aggrediuntur, atque in furias agitant. Qui mox vt rabidi canes mordicùs ſua corrodunt membra. Concurrunt famuli, fit clamor & iuuenes ligantur funibus ac catenis, nec tamen contineri poſſunt. Mulier itaque ſortem filiorum videns & facti pœnitens ad S. Zenobium pro remedio accurrit: cuius precibus filijs ſalutem impetrauit & vnà cum illis fidem & baptiſmum percepit. Vis aliud? Refert S. Auguſtinus *l. 22. de Ciuit.* DEI *c. 8.* Matrem quandam in Cappadociæ Cæſariâ decem habuiſſe filios, quorum natu maior grauibus eam affecerat iniurijs: cæteris hoc videntibus & ferentibus. Vnde ipſa excandeſcens ad templum cucurrit & ſuaſu cuiuſdam (qui Dæmon creditus eſt, in viâ occurrens) omnibus maledixit & imprecata eſt vt extorres patriâ circumirent alienas terras ad terrorem aliorum. Dictum, factum: tremor membrorum eos mox inualit, ipſique in diuerſa diſperſi omnibus horribile ſpectaculum præbuerunt. Quorum vnum, Paulum nomine, ad reliquias S. Stephani ſanatum ſe vidiſſe ſcribit Auguſtinus.

Supereſt nunc, vt conſcensâ hac quadrigâ ſequantur liberi Chriſtum, ad deferendum ſuis parentibus debitum honorem. Hic enim erit currus quidam igneus; quo non modò ad felicitatem terrenam, ſed etiam ad cœleſtem euehentur.

CONCIO IV.

Incitamenta ad progrediendum in virtutibus.

Incitamur ad virtutem	*mus, deficimus.*
1. *Quia ad perfectionem tendimus.*	4. *Quia virtus finem neſcit.*
2. *Quia in ſchola Chriſti ſumus.*	5. *Quia mundus vanitatibus nunquã ſatiatur.*
3. *Quia ſi non profici-*	6. *Quia Chriſtus profecit.*

THEMA.

Ieſus proficiebat ſapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines.

MAgnum abſque dubio gaudiũ percepit Abraham, cum è vetula & ſterili vxore natus eſt ei filius à DEO promiſſus. Sed multò magis gauiſum eſſe conſtat, cùm ablactatus eſt eius filius; quàm cùm natus; Siquidem vt habetur *Gen. 21.* in die ablactationis eius fecit grande conuiuium. In quo, vt aiunt ibi Auguſtinus & Ambroſius: *intelligitur profectus mentis, quia idoneum factum eſt ſpiritus fortioris gratia cibo & virtutis alimento, non adhuc vt Corinthij lacte potandus, ſed epulis ſolidioribus*, &c. Non inſtruxit conuiuium Abraham in die natiuitatis aut Circumciſionis filij, quia tunc incertum adhuc erat, eſſetne vitalis futurus filius At in die ablactationis; quia tunc filius iam incipiebat per ſe viuere & ſolidioribus aſſueſcere cibis, ideoque ſpẽ præbere vitæ duraturæ. Ego, Auditores, vt rem dicam, non parum etiam gauiſus ſum, cùm proximè elapſis feſtiuitaribus vidi quamplurimos veſtrum ſpiritualiter in Chriſto natos per exhomologeſin, & Sacrã communionem. Sed non poſſum tamen idcircò ſtatim inſtituere cõuiuium publicamque agere lætitiam, donec adueniat dies ablactationis, hoc eſt, donec videam eos qui ſpiritualiter in Chriſto nati ſunt, de vberibus priſtinæ conuerſationis abſtractos, ſolidioribus aſſueſcere virtutum cibis & de die in diẽ proficere in virtutis propoſito. Quid enim ſi quidam in Chriſto renati ſunt, qui hodie vel cras iterum moriẽtur? At ſi progredi incipiant in cœpto pietatis itinere & lacte vitiorũ ſpreto, bonorum operum cibis quotidie aſſueſcãt magis; ibi tum agere conuenit ſolennem feſtiuitatem, & tunc in cœlo gaudium erit Angelis. Propterea S. Lucæ non erat ſatis deſcripſiſſe Natiuitatem Chriſti, Circumciſionẽ & oblationem, ſed ſubdidit etiam eius profectum ſolenni teſtimonio. *Puer autem creſcebat*, inquit, *& confortabatur plenus ſapientiâ, & gratia Dei erat in illo.* Et paulò pòſt in *hod. Euang. Ieſus autem proficiebat ſapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines.* Exemplum itaque præbuit nobis Chriſtus, vt vnà cum ipſo creſcamus & proficiamus, qui eidem & cum eodem nuper nati ſumus. Quare etſi de nullius conatu dubitamus, progredientibus tamen calcaria addemus & rationem progrediendi indicabimus.

Proficiendum PRIMÒ, Quia omnes tenentur ad perfectionẽ tendere, ad perfectionem, inquam,

A. B. I. Quia ad

perfectionem tédimus.

inquam, Christiano necessariam, vt scilicet omnia præcepta seruet; siquidem Christus dixit: *Estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est. Matth. 5.* Ad hoc etiam admonet nos natura, quæ ab imperfecto incipit & paulatim magis ac magis crescit, quousque ad perfectionem veniat. Sic mineralia in terrâ ex venis subtilioribus gignuntur & paulatim perficiuntur: sic frutices omnes primò tenelli & rudes, sensim augentur & folia gignunt, deinde flores, postremò fructus, quos initio teneros & exiguos atque inutiles Sol paulatim perficit & ad maturitatem perducit. Palma singulis mensibus singulos ramos adijcit; vnde olim menses in eius ramis numerabantur, teste Pierio *l. 50. Hierogl.* Idem patet in animalibus, quæ non corporis tantùm mole crescunt, sed alijs etiam dotibus. Ceruus singulis annis ramum vnum cornu suo adijcit, vnde dignoscitur eius ætas. Apud Pierium *lib. 7. Hierogl.* Cygnus quò prouectior fit ætate, tantò suauiùs canit & suauissimè tandē in morte. Idem *l. 23.* Denique ipse homo primò nascitur infans, non loquitur, non intelligit, non comedit sed lacte tantùm alitur, non ambulat, non ratiocinatur: licèt ad hæc omnia remotam habeat potentiam: cum ætate tamen paulatim acquirit ista. Docet ergò tota natura, semper ad perfectionem annitendum esse. Cùm autē homo factus sit vt Dei imaginem in se perficiat virtutibus & gratia, quo dignus fiat perpetuo eius aspectu & hæreditate, hinc apparet quanta homini necessitas incumbat crescendi semper in bono. Si enim omnia quæ Deus illi subiecit, crescunt semper & augentur, vti & ipsum eius corpus: an non turpe erit, si solus ipse non crescat & pusio secundùm animam remaneat? Contemnitur inter homines pumilio, etiam à proprijs seruis, licet vitio careat, cùm non sit in hominis potestate adijcere ad staturam suam vel cubitum vnum. Rectiùs is spernendus videtur, qui statura crescens, intellectu non crescit, iuxta prouerbium nostrum: Groß vnd vngeschickt. Sed nec hoc valdè culpandum, quia intelligendi & discendi facultas non est semper in hominis potestate, nec ita à Deo requiritur, vt virtus; sine doctrina enim admitti in cœlum possumus, sine virtute non possumus. Maximè igitur vilis & contemnendus est, qui non crescit virtute, bonitate & iustitia. Hoc enim in hominis potestate est & requiritur ab eo. In Belgio viri proceri & grandæui puerilium tamen morum, per ignominiam vocantur pueri Hollandici, eò quòd matres in Hollandiâ præ alijs matribus mirè filios suos etiam grandæuos amant adeoque vt pueros tractant, vt testatur Cornelius à Lapide in Isai. *c. 65.* Longè maior ignominia est, si in Ecclesia reperiantur tales pueri Hollandici & barbati qui animo non crescunt.

C. II. Quia in schola Christi sumus.

SECVNDÒ, Quia sumus in Scholâ Christi, quamdiu viuimus: profectus autem discipulorum gloria est Magistri, si penè omnes discipuli sint perfecti, si ascensu & præmijs digni: Sicut è contra ignauia discipulorū, ignominia illius. Ita S. Ber. *ep. 341. Discipulus proficiēs* inquit *gloria est Magistri. Quisquis in ScholâChristi non proficit, eius indignus est Magisterio.* Docuit autem nos Christus exēplo suo vt proficeremus. Vnde ibidē subdit Bernardus: *Itaque qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Iesus enim (vt ait Euangelista) crescebat & proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines. Ille non restitit ergò sed exultauit vt Gigas ad currendam viam, & nos quoque si non desipimus curremus post eum.* Sic Ber. Quoniam igitur præstantissimum habemus Magistrum exemplo suo nobis præeuntem, an non turpe est nobis, si sub tanto Magistro non proficiamus, sed semper simus Ioannes (vt vulgò dicimus) in eodem? An non Christo etiam Magistro nostro, dedecori quodāmodo sumus, si Gentiles, Iudæi & Hæretici, non videant nos proficere in ipsius Scholâ? Propterea sicut qui diu in eadem classe desidens non proficit, tandem cum ignominia eijcitur, & à parentibus ad seruile aliquod opificium applicatur: Sic etiam qui in Scholâ Christi progressum in virtute nō facit, DEO exosus est & vel celeriore morte exinguitur, vel in hæresin alia ve grauiora vitia labi permittitur. Quod de Christi Ecclesiâ prophetauit Isaias *c. 65.* dicens: *Non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui nō impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur*, hoc est, vt exponit & ait Philo *l. 2. Mehssa c. 18. qui maximum aut in vitâ corpora sine vllâ virtute vixerint ac probitate.* Vult ergò dicere Propheta; non debere esse tales pueros in Ecclesiâ & Scholâ Christi, alioqui morituros, id est, exterminandos esse. Et certè hanc eiectionem minabatur Christus per Ioannem *Apoc. 3.* Episcopo Laodiceæ, cùm dixit; *Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere.* Frigidū intelligit secundùm S. Ambrosium in *Ps. 118.* infidelem, qui ob ignorantiam, habet excusationem aliquam, tepidum verò, Christianum malum, qui nunquam incalescit in virtute. Cuiusmodi erant Christiani tempore Lutheri, illi inquam, quos euomuit Deus, cùm de Ecclesiâ in hæresin eos labi permisit & è libro vitæ deleuit.

D. III. Quia si non proficimus, deficimus.

TERTIÒ, Quia qui non proficit, deficit, teste D. Leone PP. *Serm. 8. de passione.* D. Augustino *Sermon. 15. de verbis Domini.* D. Bern. *Epist. 341.* D. Gregor. *4. p. Pastor. c. 35.* qui id similitudine declarat. *In hoc quippe mundo,* inquit, *humana anima, quasi more nauis contra ictum fluminis condescendentis, vno in loco nequaquam stare permittitur; quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur.* Et S. Bern. *Ep. 91.* ad Abbates ait: *Vidit Iacob in scalâ angelos ascendentes & descendentes; nunquid stantem quempiā siue sedentem? non est stare omninò in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto huius mortalis vitæ quidquam in eodē statu permanet. Non habemus hîc manentem ciuitatem, nec futuram possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas ergò necesse est, aut descendas: Si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo, est bonus, qui melior esse non vult, & vbi incipis nolle fieri melior, ibi tum desinis esse bonus.* Sic Bern. Ratio est, quia hominis natura per originalis peccati labem ad frigus peccati inclinata

nata eſt; vnde ſi per negligentiam torpeat, facilè ad id relabitur: *Sicut fornax fictilis aut ferrea, quia de elemento frigido eſt, niſi perpetuò calefiat, citò refrigeſcit.* Eandem cauſam indicat Apoſtolus ad *Hebr.* 2. dicens: *Abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè perfluamus.* Quibus verbis docet hominem ſimilem factum vaſi aut vitro fracto, è quo vinum paulatim per rimã effluit, ſi diutius ſtare permittatur & non ſubinde repleatur. Itẽ S. Gregorius, vt ſuprà dixi: In hoc enim mundi flumine ſemper deorſum rapimur, vel à propriâ carne & concupiſcentiâ eius, niſi perpetuò remigemus contra fluuium. Vnde *Eccleſ.* 9. dicitur: *Quodcunque poteſt manus, inſtanter operare.*

E. IV. Quia virtus finẽ neſcit.

QVARTÒ, Quia vera virtus finem neſcit nec vnquam dicit: Sufficit. *Quemadmodum in pecunijs*, ait D. Chryſ. *orat.* 4. aduerſus Iudæos, *qui duos lucratus eſt aureos procliuis eſt ad decem & ad viginti colligendos congregandoſque: Sic vſuuenit in virtute: qui fecerit bonum opus, officiumque præſtiterit ſtimulationem aliquam aut exhortationem ad agendum ſumit, vt alia quoque benefacta aggrediatur.* Sic ille. Ac ſicuti diuites qui valdè amant pecunias, magis conqueruntur de inopiâ, quàm pauperes: Sic virtutis amatores. *Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe*, ait S. Bern. *in Ep.* 243. ad Abbatem Garinum, *nunquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit ſititque iuſtitiã, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus inſtar mercenarij ſed in æternũ diuino ſe mancipat famulatui.* Sic Ber.

Dicuntur quercus centum annis creſcere, totidem in perfecto ſtatu vigere, ſed tertio centenario conſeneſcere atque interire. Iuſtorum verò vita tanquam lux ſplendet creſcitq; vſque ad perfectum diem: illum, inquam, qui occaſum neſcit. Propterea Dauid *Pſ.* 76. *Dixi: nunc cœpi*, inquit, quaſi priùs nihil adhuc boni feciſſet. Et Apoſtolus ad *Philipp.* 3. *Ego me non arbitror comprehendiſſe. Me ipſum autem extendens ad anteriora*, &c. Sic Barlaam ad Ioſaphat dicebat: *Cogita quotidie te hodie cœpiſſe ſeruire Deo, te hodie finiturum.* Arſenius dicebat: *Da Domine vt vel nunc incipiam piè viuere.* S. Franciſcus ſub ipſam mortẽ: *Fratres*, aiebat, *vſque nunc parũ profecimus, incipiamus nunc ſeruire Deo, redeamus ad humilitatis & nouitatis primordia.* S. Antonius: *Hodie vos religioſum inſtitutum arripuiſſe arbitramini.* Nemo vnus ſanctorum fuit, qui ſentiret ſe iam perueniſſe ad perfectionem, & diceret: Requieſce anima mea, habes multa bona opera, &c. Nimirum ſicut Iacob pro pulcherrimâ Rachele ſeruiuit annis ſeptem, nihil quantumuis vilium officiorum detrectans, & videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine *Gen.* 29. Sic iuſti, quia ad gloriam toti anhelant, exiguũ & nihil eſſe putãt, quidquid agunt pro cœleſti gloriâ, dicuntque: *Serui inutiles ſumus, fecimus quod debuimus*; Ideoque etiam metuunt ſemper ne inſufficiens ſit, quidquid agunt, pro cæleſti denario. Gaudebunt autem ſummopere in illâ die de tempore hoc vtiliter tranſacto & maiori lucro, quàm ſperabant, reportato.

F. V. Quia mundus vanitatibus nunquam ſatiatur.

QVINTÒ, Quia videmus vanitatum ſectatores, nunquam ſatiari ſiliquis porcorum, quas deſiderant, ſed ſemper eſurire & ventrem implere cupere, quanto ergò maiori ſtudio quærendus nobis panis virtutum? Vnde S. Bernardus *Ep.* 341. ait: *Moneat nos ipſum quoque ſæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitioſum videmus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Sic & curioſi cuiuſdam non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Quid, eorũ, qui auaritiæ ſeruiunt, aut amatores ſunt voluptatum ſeu vanas hominum ſectantur laudes? nónne & ipſorum inſatiabilia deſideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè ſpiritualium nos bonorum minùs cupidos inueniri.* Sanè mercator nunquam interquieſcit, nec vllam lucri præteriti rationem habet, ſed futuris parandiſque lucris ita ſemper inhiat ac ſi nihil repoſuiſſet: nullam lucrandi occaſionem omittit, currit de nundinis in nundinas, &c. Eccur igitur nos non æquè, imò magis inhiamus lucris ſpiritualibus? Deplorat hanc noſtram ſocordiam idem S. Bern. *ſerm.* 1. *de alt. & baſſ. cordis.* his verbis: *Magna confuſio hæc, magna valde, quod ardentius illi pernicioſa pereuntiaque deſiderant, quàm nos vtilia, citius illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam.*

Nobile exemplum ſuppeditat nobis hiſtoria Eccleſiaſtica de Abbate Pambone qui obiens aliquando vrbem Alexandrinam, obuiam habuit profligatæ vitæ feminam, quam cùm contemplaretur cominus, ſtibio, ceruſsâ, fucisque meretriciis mirificè exornatam, flere cœpit, ac intimè ſuſpirare. Rogatus ab alumnis ſuis fletûs cauſam: *Eheu*, inquit, *miſerum me ac infelicem: non vultis amariſſimè plorem, qui videam mulierem hanc plus operæ curæq; impendere vt hominibus placeat, quam me, vt Deo meo? Video certè ſolicitius ipſam cæcos mortales in perniciem trahere naſſamque Diaboli, quàm me in ſuauiſſimum rete Saluatoris.* Et de eximio illo ac verè Apoſtolico viro Franciſco Xauerio ſcimus ipſum indoluiſſe erubuiſſeque plurimum, quòd anteuerterint eum negotiatores in nouo orbe penetrando ad ſuas inibi merces tranſitorias diſtrahendas, quàm ipſe gentibus illis lucem Euangelicam inferret. Vehementer ergò confundamur & nos, quod filij huius ſæculi prudentiores ſint filiis lucis in generatione ſuâ.

G. VI. Quia Chriſtus profecit.

Sextò, Denique incitare nos deberet exemplum Chriſti, de quo ait S. Bernardus *ep.* 253. *Ipſe hominum ſæculique auctor quamdiu in terris viſus & cum hominibus conuerſatus eſt, nunquid ſtetit? Et quidẽ teſte Scriptura, pertranſit benefaciendo & ſanando omnes.* Et mox: *Ibi tu Chriſtiane fige tui curſus profectuſque metã, vbi Chriſtus poſuit ſuam. Factus eſt*, inquit, *obediens vſque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, ſi ad mortem non perueneris, brauium non apprehendes.* Itaq; non in pueritiâ tantùm, ſed in totâ etiam vitâ Chriſtus profecit, ſemper magis & magis heroica deſignando opera. Quod ergò Carolus V. victorioſiſſimus & laudatiſſimus Imperator, fortunæ & victoriarum ſuarum ſymbolum geſſit: *Plus vltrà*; hoc ſanè infinities magis Chriſto tribuendum

dum

dum. Quisquis ergò sub hoc militare eiusque symbolo vult gaudere, plus vltrà semper conetur, donec ad ipsum perueniat, &c.

CONCIO V.

Qua in re & quibus modis proficere Christianus debeat.

Christianus debet proficere,	***2. Ætate, id est morum honestate.***
1. Sapientiâ, & primò in cognitione Dei, sui &c. audiendo verbum Dei, legendo libros pios &c.	***3. Gratiâ, remouendo quæ Deum offendunt, examinando crebro conscientiam, &c.***

THEMA.

Iesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines, Luc. 2.

A. IAcob Patriarcha duos inter cæteros habuit filios, Ruben primogenitum, & Ioseph penultimum; hunc bonum & morigerum, illũ verò reprobum; quibus proinde moriens benedictionem impertiit admodum dissimilem. Ad Ruben dixit: *Non crescas; quia ascendisti cubile patris tui*; abstulitque ab eo ius primogenituræ. Ad Ioseph verò: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu. Gen. 49.* deditque ei partem vnam extra fratres suos *Gen. 49.* Quid sibi, Auditores, volunt isti duo fratres? Prior eos significat, qui Christi quidem filij sunt, nõ crescunt tamen virtutibus: ideoque merentur priuari iure hæreditatis suæ. Posterior verò eos, qui crescunt & proficiunt, ideoque promerentur cumulari bonis cœlestibus. Rubeni similis fuit Lucifer, qui quoniam super astra conscendere & similis esse Altissimo voluit, ita à Deo deiectus est in Orcum, vt in omnem æternitatem non possit amplius crescere seu proficere ad bonum. Iosephus Christi typus fuit, qui vt audiuimus in hod. Euang. *Proficiebat sapientiâ, ætate & gratiâ*, adeoque verissimè filius accrescẽs fuit. Ille in terris Scholam erexit proficientium ad bonũ; ille Scholam apud inferos, nunquã proficiẽtium. Quæro nunc & interrogo, Auditores: Ad quam Scholam admitti vultis vos? Vtique ad Scholam Christi, vbi crescatis & proficiatis. Verùm si huc tenditis, scire inprimis debetis, quâ potissimùm in re proficere debeatis. Sunt autem hæc.

B. 1. *Sapientia.* PRIMÒ, Proficiendum Sapientiâ; Si enim ceruus singulis annis ramum cornu suo adiicit, teste Pierio *l. 7. Hierogl.* ex quo eius ætas colligitur, decet vtique vt homo etiam præsertim Christianus singulis annis aliquid sapientiæ & cerebri capiti suo addat; & primò proficiat

1. *In cognitione Dei.* cognitione DEI & rerum diuinarum, de quâ notitiâ velut omnium præstantissimâ ait Dominus *Ierem. 9. In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Pulchrè de hoc cecinit quidam:

Si Christum discis satis est si cætera nescis.
Si Christum nescis nihil est si cætera discis.

2. *In cognitione sui.* Secundò in cognitione sui ipsius; quid enim turpius esse potest magisque culpandum, quàm alia plurima scire & seipsum non agnoscere; præsertim adultâ ætate, post tot experimenta? Et tamen quam multi iam maturi, qui in Cõfessione nequeunt explicare peccata sua? Vnde hoc, nisi quia seipsos nõ nouerunt? Quemadmodum ergò, qui non curat ea, quæ domi suæ sunt, num domus sit ruinosa, num vxor & familia fidelis, &c. necessariò perire & ad stipem redigi debet: sic qui non attendit ad domum conscientiæ suæ. Tertiò, In cognitione

3. *In cognitione rerum ad salutem pertinentium.* rerum ad salutem pertinentium, quas scilicet credere nos oportet, facere aut fugere. Si enim Duces militum tanto studio indagant modos varios & rationes expugnandi ciuitates, an non pluris interest scire nos modos & rationes expugnandi cœlum & quæ ad istud necessaria sunt? Et tamen in scientiis aliis profanis plurimi sunt, qui se perficere studeant maximo conatu: hanc verò scientiam scientiarum plerique negligunt. Tanta enim multorum est ignorantia, vt bonum à malo, peccata à rebus licitis, & ipsa à se mutuo, grauia à leuibus, denique artes diabolicas à bonis & licitis nequeant discernere. Inde vanissimas superstitiones alunt, & miros ac supernaturales effectus tribuunt rebus, quæ neque ad eos vim ex se habent, neque per S. Scripturam aut Ecclesiæ definitionem aut approbatam ab ea traditionem, sibi attributam efficaciam. Quartò, In

4. *In rebus ad statũ cuiusque pertinentibus.* rebus ad cuiusque statum & munus pertinentibus. Quis est enim artifex, qui se in sua arte non perficiat temporis progressu? Sic igitur in suo munere Sacerdos, in suo paterfamilias, in suo Magistratus, &c. studeat semper crescere & fieri peritior; ne alioquin incidant in illam increpationem, qua Christus *Matth. 15.* redarguit discipulos: *Adhuc & vos sine intellectu estis?*

Quomodo? Sed nunc, quâ ratione proficere in his possumus? Primò audiendo assiduè verbum Dei.

1. *Audiendo Verbum Dei.* *Exod. c. 38.* fecit Moyses labrum æneum de speculis mulierum ad ostium tabernaculi: vt ingredientes in eo conuueri se & maculas tergere possent. Quid hoc in Ecclesiâ nisi verbum DEI? Hoc enim velut speculum ostendit vnicuique non solùm, quæ ad DEI cognitionem, sed etiam quæ ad sui ipsius propriam & rerum suarum pertinent. Proinde qui id audiunt, mox vbi aliquos in se deprehenderunt næuos, illicò se corrigant, dicendo: DEVS mihi ignoscat, impegi aliquoties in hunc lapidem, dabo operam, ne recidam, &c. Gemant à se neglectum esse, quod audiunt faciendum fuisse. Et sic erit tibi concio velut speculum mulieris. Quibusdam enim est velut speculum viri tantùm, de quibus ait S. Iacobus *c. 1. Si quis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; considerauit enim se & abijt & statim oblitus est qualis fuerit.* Vir enim speculum inspicit ex curiositate, num canos habeat, vultu nigro, rugoso sit, &c. Mulier verò vt se mundet, tergat, ornet; mulieres hac in re decet nos imitari, vt nimirum efficaciter & assiduè, quoties scilicet ad concionem pergimus, in eâ nos contemplemur; Sic breuì proficiemus. Secundò legendo li-

2. *Legendo libros pios.* bros pios, vti in primis vitam Christi seu 4. Euangelistas, deinde res gestas Sanctorum.

S. Chrysanthus à profanis libris ad euangelicos digressus dicebat se de tenebris ad lucem transiisse & inuenisse verum thesaurum, indeque adeò profecit, vt martyr factus sit. Vt in eius vitâ apud Sur. 25. Octub. S. Cæcilia Euãgelium assiduè gerebat in pectore & nec noctibus nec diebus cessabat à colloquiis diuinis; Vt in eius vitâ. S. Bonifacius iugiter S. Euangelij Codicem secum deferebat, adeò vt eum nec in martyrio deseruerit; quin verò, cùm anno Domini 755. in eius caput Frisij ensem vibrarent, ipse hunc codicem quasi spiritualem clypeum obiecit & illustri miraculo, licet ense acuto per medium sectus sit liber, nulla tamen litera eâ sectione abolita est; Vt in vitâ.

3. *Consulendo viros spirituales.* Tertiò consulendo viros doctos & Patrem Spiritualem: scriptum enim est, *Prou.* 1. *Audiens sapiens sapientior erit.* Sic enim Viator quærit crebro de itinere, ne aberret: non quæramus nos de viâ cœli? *State super vias vestras*, ait Ieremias, *c.* 6. *& videte & interrogate, quæ sit via bona.*

4. *Orando.* Quartò, *si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo*, inquit S. Iacobus *cap.* 1. Postulauit eam à Deo Salomon, & quia placuit Deo hæc illius petitio, obtinuit eminentissimam 3. *Reg.* 3. Theologorum Princeps Thomas Aquinas nunquam se lectioni aut scriptioni dabat, non præmissâ oratione; palam etiam professus est se doctrinam suam magis debere orationi, quàm studio.

G. II. *Ætate, id est, morũ honestate.* Proficiendum secundò ætate, id est, morum grauitate & maturitate. Decet enim vt Christianus exuat puerum cum pueritiâ, & induat virum cum virili ætate, id est, grauem & honestam ac seriam conuersandi rationem; ac quemadmodum puer in virum crescens, capite à terrâ recedit & cœlo fit vicinior: sic decet Christianum relictis inferioribus superna & solida bona amare. Ita enim iubet Apostolus ad *Eph.* 4. crescere nos *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli*, &c. adeoque deponamus mendacia, iracundiam, furta, sermones malos, indignationem, clamorem, blasphemiam, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem, vt in sequentibus docet. Puerorum est nugas sectari easque magni æstimare.

Ædificare casas, plostello adiungere mures:
Ludere par impar, equitare in arundine longâ.

Puerorum est leui de causâ ridere & flere, facilè irasci, facilè mutari, vana & futilia loqui, tempus malè terere, pronum esse ad mentiendum, modum non seruare & similia, quæ in adulto longè fœdiora sunt, quàm si paruulorum instar equitaret in arundine. Vnde idem Apost. 1. *Cor.* 14. ait: *Fratres nolite pueri effici sensibus* (Græcè, mente seu iudicio) & *cap.* præcedente in exemplum se huius profectus proponit, dicens: *Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.*

Quomodo? Sed quâ arte in virum perfectum crescemus? S. Carolus Borromæus tria documenta tradit (vt est in eius vita) quæ huic rei inseruire possunt: *Si vis*, inquit, *proficere in vita Christiana & perfici in doctrina, virtute & spiritu Christi, hæc tria obserua. Primum, quotidie incipere & inchoare te existima, vt scilicet eo feruore quotidie seruias Deo ac si eo die primùm ei seruire inciperes.* Fuit hoc documentum etiam psaltis se quotidie adhortantis & dicentis: *Nunc cœpi Ps.* 76. Dic ergò tibi ipsi: Hactenus semper infans fui & insipiens: nunc incipiam vir esse. Item S. Antonij, qui moriturus suis dicebat: *Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini*; apud Athanas. Cogitet & Christianus, hodie primùm se baptizatum esse & Deo seruire cœpisse. Vt enim Nauarchus ad Indos nauigans remigantes & ipsi sese mutuò quotidie ad remigãdum admonere solent, quasi nihil adhuc itineris confectum sit: ita nobis agendum; multum enim itineris restat adhuc emetiendum: ad cœlos nauigamus: quàm longè adhuc absumus? *1. Quotidiè te inchoare puta.*

Secundum, inquit, S. Carolus, *in mente semper habeto Deum & iugiter cogita te in eius præsentiâ versari: Spectaculum enim facti sumus mundo, & Angelis & hominibus.* Idem admonuit nos Apostolus cùm ad *Rom.* 13. dixit: *Sicut in die honeste ambulemus.* Qui noctu ambulant, parum curant, an & quomodo vestiti sint, nec componunt se ad honestatem, secus qui interdiu. Quòd si ad lumen solis & oculos hominum componimus mores nostros, si inspectante sole multi arceantur à furtis, adulteriis, homicidiis; quantò magis verendi sunt oculi Dei omnia nostra semper obseruantis & quidem exactissimè? *Oculi enim Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi & hominum corda intuentes in absconditas partes*, ait Ecclesiasticus *c.* 23. *2. Cogita Deum omnipræsentem.*

Tertium, inquit idem sanctus, *effice vt omnia tua opera tendant ad Deum.* Vt enim iaculator is frustra iaculari non vult, oculo priùs ad scopum collimare debet: ita si nobis opera nostra non volumus perire, dirigamus ea omnia oculo intentionis ad Dei gloriam. Manè ergò cùm surgimus, offeramus DEO omnes actiones nostras diei sequentis, etiam indifferentes. Docuit & hoc Apostolus. 1. *Cor.* 10. dum ait: *Siue ergò manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Hâc ratione omnia opera nostra plena inuenientur & intra paucos dies multum proficiemus. Sagittantes oculum sinistrum claudunt, vt collectior sit dexter & rectiùs collimet: Ita etiam nobis claudendo sinistra intentio affectuum terrenorum, vt in nostrâ conuersatione non quæramus hominibus, sed DEO placere. *3. Dirige opera tua ad Deũ.*

TERTIÒ, Proficiendum gratiâ, vt videlicet DEO semper magis placeamus fiamusque gratiores, adeoque gratiam DEI in nobis per opera bona augeamus. Ad hoc enim connituntur Aulici: semper magis student promereri gratiam sui principis; & si eò deuenerint, vt per ipsum ex nobilibus Barones facti sint, conantur suis obsequiis ita principi seruire vt ex Baronibus Comites & ex his tandem fiant Principes. Et nónne res pudenda erit, si homi- *D. III. Gratia.*

homines hominibus magis placere studiant, quàm DEO suo?

Quomodo?

1. Remouenda quæ Deum offendunt etiam parua.

Sed quâ viâ, inquis, crescere in gratiâ possum? Dico primò remouenda esse ea, quæ oculos DEI offendunt, etiam si parua sint & defectus quotidiani. Licèt enim per hæc non perdat homo gratiam DEI, reddit tamen se indignum specialibus gratiis, quibus præseruaretur à multis peccatis, in quæ sine illis cadet. Si enim ipse tam parcus est erga DEVM vt non velit nisi grauia peccata vitare in eius gratiam, quid mirum si & DEVS tam parcus sit erga ipsum vt non velit ei dare gratiam specialem & efficacem, sed solùm sufficientem? Inprimis verò cauendum, ne studiosè & deditâ operâ committamus eiusmodi venialia delicta; siquidem hæc inuoluunt aliquem DEI & diuinæ legis contemptum; quasi liceret quidem DEO colaphos impingere, modò vita ei non eripiatur. Quid? nónne sat grandis iniuria fuit Christo, colaphizari à Iudæis? Quis hoc pacto non indignum se amphori gratiâ imò & eâ quam habet, reddat? Sufficiat nobis multa quotidie inaduertenter & ex fragilitate delinquere, non addamus alia ex certâ electione.

2. Examinanda crebrò conscientia.

Secundò, Examinandam crebrò conscientiam. Ita docet, S. Augustinus *Serm. 15. de verbis Apostoli: proficite, inquit, fratres mei, discutite vos ipsos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas & iactes te. Est tibi, sed cui placet humilitas, ipse te probet. Proba & teipsum tu ipse. Semper tibi displiceat, quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuisti ibi remansisti.* Hæc August. Obiurga temetipsum quotidie & dic: Si toto hoc tempore, quo in Scholâ Ecclesiæ sum, artificio alicui me applicuissem, quid non didicissem? Si ad studia literarum: nunc Doctor essem. Iam verò postquam tot tantaque sanissima documenta in Ecclesiâ audiui, legi, vidi: adhuc tam rudis, tam immortificatus & passionibus meis subiectus sum. Ah me miserum & miserandum! Iam enim incanui, iam pedem vnum in sepulchro posui, & necdum tamen dedidici iurare, execrari, blasphemare, inebriari, commoueri ad iram, &c.

3. Exercitiũ mortificationis & virtutum.

Tertiò, Exerce te in mortificatione & virtutum operibus & in his paulatim proficere stude. Id pulchro apologo docet Abbas ille in vitis PP. *l. 5. c. 7. Homo quidam,* inquit, *habuit possessionem, & de negligentiâ eius in sentes redacta est, & repleta est tribulis & spinis. Visum est autem ei postea, vt excoleret eam; & dixit filio suo: Vade & purga agrum possessionis illius. Et venit filius eius vt purgaret: qui cùm respexisset, vidit multitudinem tribulorum & spinarum increuisse ei: & deficiens animo, dixit ad seipsum: Quando ego habeo hæc omnia eradicare & purgare? Et projiciens se in terram cœpit dormire. Hoc autem fecit multis diebus. Post hæc venit pater eius videre quid fecerat, & inuenit eum nihil operatum, & dixit ei: Quare vsque modo nihil fecisti? Et dixit iuuenis ille Patri suo: Mox vt veniebam operari, pater, cùm vidissem multitudinem hanc tribulorum & spinarum, reuocabar ab assumptione laboris, & præ tribulatione proiiciebam me in terram & dormiebam. Tunc dixit ei Pater suus: fili ad mensuram latitudinis, quam iacens in terrâ occupas, per singulos dies operare, & ita paulatim proficiet opus tuum, & tu pusillanimis non efficieris. Quod cum audisset iuuenis, fecit sic: & in paruo tempore purgata est, & exculta possessio. Et tu ita frater, paulatim operare, & non deficies; Et Deus per gratiam suam restituet te iterum priori ordini tuo. Hoc audito frater ille abijt, & cum omni patientia sedens faciebat, sicut edoctus fuerat à sene: & sic inuenit requiem, & promouebatur per Dominum Christum.*

Sic proficiebat paulatim S. Carolus Borromæus, qui primò cœpit se in paruis mortificare & vincere, faciles pœnitentias suscipere, singularum virtutum faciles actus obire. Deinde quotidie vlteriùs ad grauiores & difficiliores progrediebatur habebatque hoc fixum animo, non cessare, non sistere, sed quotidie progredi, donec summum virtutis culmen attingeret; verbi gratiâ vnâ septimanâ abstinebat vino, aliâ carne, tertiâ pisce, quartâ ouis, &c. Itaque eò tandem peruenit vt vltimis vitæ annis quotidie solo pane & aquâ viueret, exceptis festis, &c. Vt narrat auctor vitæ eius *l. 8. cap. 21.* Hunc in modum assuesce paulatim ab execratione, blasphemia, irâ, ebrietate aliisque quotidianis tibi vitiis abstinere; primùm vno saltem die, postmodum vnâ hebdomade, deinceps integro mense, demum anno toto. Sed & hoc non possum, inquis. Quid vis tibi ad hoc respondeam? ad infernum apage sis. Die Schuch ab vnd der Höll zu. Quid enim fit scholari, qui semper in eadem scholâ sedens, nunquam ascendit ad altiorem, quia nihil proficit? Nònne tandem expellitur è schola? Idem te iudicium expectat. Si in schola Christi tamdiu sedens nihil profecisti, ad Diaboli scholam perge, vbi ipse & inferi eius in æternum non proficiunt. Ibi resipisces, sed damno tuo & serò nimis. Antiqui eos, qui stupidi prorsus & omnis disciplinæ incapaces erant, Anticyras nauigare iubebant, velut ad extremum desperatis remedium, quòd ibi elleborum proueniret purgando capiti idoneum. Qui in schola Christi nihil vult addiscere mittendus est ad infernum, vt saltem eò nauiget mente & consideratione. Ibi crescit herba huic stultitiæ pellendæ commoda: æternus scilicet ignis. O quàm ibi aperient oculos cum Epulone illo & ad cœlum eleuabunt *Luc. 16.* quàm ibi resipiscent miseri damnati! quàm ibi se redarguent, quod in vitâ non profecerint? Nónne Epulo ille petiit ex inferuo; mitti ad fratres suos vt docerentur cauere gehennam? sed quid hoc profuit ipsi? nunc herba illa potanda est & gehenna meditanda. Ad extremum, triplicem hunc profectum postulemus à Deo assiduè, dicendo cum Dauide *Psal. 118. Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Bonitatem,* ecce profectum in gratiâ: *disciplinam,* ecce profectum in ætate: *scientiam,* en profectum in sapientiâ.

CONCIO VI.

De tribus virtutibus quas exercet Christus in Eucharistia.

Prima virtus est Humilitas. | *2. Summa patientia.* *3. Summa obedientia.*

THEMA.

Descendit cum eis & venit Nazareth & erat subditus illis. *Lucæ 2.*

A. INTER alias causas ob quas Christus Dominus in Ecclesiâ nobiscum remanere in S Eucharistiâ voluit, non minimam esse mihi persuadeo eam, quâ intendit nobis præbere exemplum earum virtutum, quæ nobis difficiles videntur, humilitatis, patientiæ, obedientiæ. Poterant enim discipuli Domini dicere abeunti in cœlum: Domine tu quidem vadis iam ad Patrem & gloriam, nihil amplius passurus, nec socius passionum nostrarum futurus: nos verò relinquimur hîc Orphani, quibus tam dira, tam tristia prædixisti. Spernemur & exprobrabitur nomen nostrû, flagellabimur, ducemur quò non volumus: & nos quidem fine te. Verùm hanc querelam Christus amolitus est, dum nobiscum remanere decreuit in Eucharistiâ; vbi verissimus est noster Emmanuel, id est, nobiscum Deus; nobiscum, inquam, in humilitate, patientiâ, obedientiâ. Tres hæ virtutes eluxerunt in Christo puero, cùm descendit in Nazareth. Humilitas cùm audimus: *Descendit cum eis*. Patientia, cùm dicitur: *Et venit Nazareth*. Obedientia, cùm additur: *Et erat subditus illis*. Et has easdem exercet Christus etiamnum, cùm mediante Eucharistiâ descendit ad nos in terras; vti ostendemus.

B. 1. Summam humilitatem. 1. PRIMÒ, *Descendit cum eis* ab Ierosolyma videlicet in Nazareth; Ecce humilitatem. Nam Primò, qui descendit ab Ierosolymâ, vrbe Principe, in tam vilem vicum, de quo dicebant Iudæi: A Nazareth potest aliquid boni esse? Is est qui etiamnum in Eucharistiâ de cœlesti Ierusalem descendit in vilissimum hunc mundum, qui plenus miseriis vix punctum est respectu cœli. Vt non immeritò vocetur *Ioan. 6. Panis de cœlo descendens*; nimium quantùm enim descendit, de supremo ad infimum locum. Vnde *Oseæ 11.* ait: *Declinaui ad eum vt vesceretur*; Sicut Mater videlicet, se inclinat super infantem iacentem in cunis, vt lac ei porrigat. Audiamus S. Augustinum *Serm. 127. de temp. Vnde*, inquit, *commendauit Dominus noster corpus & sanguinem suum? de humilitate suâ; nisi enim esset humilis Deus, non manducaretur nec biberetur*. Concluditque: *Semetipsum exinaniuit, vt manducaret panem Angelorum homo. Quia ergò homo ad illum panem non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem*. Nos certè deberemus ad eum ascendere; & ea ipse venit ad nos. Vnde cum Ioanne ei dicere possumus: *Tu venis ad me? Matth. 3.* Idque tantò magis mirum, quòd post gloriosam suam ascensionem & sessionem ad dextrâ Patris ad nos descendit. Homines certè vbi semel ad dignitates euecti sunt, non facilè amicos veteres agnoscunt aut ad eos se demittunt: quia honores mutant mores. Nô ita Dominus noster. Qui enim post resurrectionem suam discipulos suos vocauit fratres, cum iis comedebat, ibat, loquebatur tam familiariter vt antea: hoc ipsum nunc nobiscum facit post ascensionem suam in Eucharistiâ.

Secundò, Quia in humillimâ specie abscondens gloriam suam, sub accidentibus panis & vini in humillima & abiectissima sæpe loca hominumque pectora descendit, nec asseruari dedignatur in vilissimis etiam receptaculis. An non ea magna esset humilitas, si Princeps quis rusticulum pauperem visitaturus, audiret domunculam eius esse humillimam & ostiolum tam paruum, vt nemo nisi profundè inclinatus & quasi reptans intrare posset, adhuc diceret: Ego intrabo nihilominus? Atqui hoc facit Dominus in Eucharistiâ, cùm ingreditur pectus nostrum. *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, ad Philip. 2.* quando homo factus est. Verùm in Eucharistiâ longè magis se exinaniuit, cùm formam panis induit. 2.

Tertiò, Quia descendit sine differentiâ tam ad ædes pauperis, quàm diuitis; sumiturque tam ab illo quàm ab isto; venit ad saniosos, leprosos, ad eos itidem, qui cras suspendentur, fures; nullo prorsus discrimine; cùm nos sæpe horreamus tales manibus contingere. Nunquam puto audistis dici à Sacerdotibus: Pauper est vester infirmus, adducite eum ad templum: vel diues est iste, maneat domi, veniemus ad illum. Nec in templo: Tu quis es? Princeps? Sedeat ergò tua celsitudo ad communicandum. Tu quis es? Nobilis? Assistat ergò tua nobilitas ad altare. Tu quis es? Pauper? Expectâ igitur retrò ianuam, donec hi absoluerint cœnam suam. Nihil horum. Quin imò in Euang. *Luc. 7.* legitur Dominus voluisse descedere ad seruû Centurionis, noluisse ad filiû Reguli, *vt nos doceret*, ait Auctor operis imperfect. *hom. 22 non magnos colere, & modicos contemnere; sed pauperes & diuites similiter honorare*. Nimirum ad omnes homines æqualiter se demittit Christus; Sed si faciendum esset aliquod discrimen, potiùs ad humiles & seruos se demitteret, quàm ad magnates & Reges. Vidi ego vestigia & locum miraculi illius, in Sefeld non procul Oeniponto, quo Osvvaldus Mulser vir nobilis cùm maiorem sibi hostiâ, quàm vulgus acciperet, porrigi in communione vellet, sub communione dehiscente terrâ subsidit vsque ad genua, altari prehenso velut cerâ digitis cedente, quod scribit Til. Bredenbach. *l. 1. Sat. collat. c. 55.* 3.

Cogitet iam Sacerdos manibus contrectans Eucharistiam, cogitet Laicus videns illam: Ecce Dominus & DEVS noster, descendit ad nos in mundum, in nostrum templum, nostram

noſtram domum, noſtrum pectus, tam humili & vili ſpecie nullo apparatu: *quid ſuperbis terra & cinis?* inquit, *Eccleſ. c.* 10. *Quis tu mons magne coram Zorobabel?* ait *Zacharias. c.* 4. *In planum.* q. d. humilia te, vel pudeat te. Zorobabel Dux Iuda & Reſtaurator templi, Chriſti figura eſt, & alienus à cõfuſione exponitur. Ecce quàm alienus à confuſione Chriſtus eſt qui non confunditur tam vili ſchemate apparere! Quomodò non nobis occlamat illud *Matth.* 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde?* Et illud *Luc.* 19. *Feſtinans deſcende*; de arbore ſcilicet elationis tuæ; ſiquidem ego propter te deſcendi de cœlo vt venirem in domum tuam? Alexander Magnus interiorem Perſidis regionem peragraturus cùm videret eam niuibus obſitam perpetuis, loca ſqualida & ſolitudines inuias, ita vt miles territus reuerti cogitaret, ex equo deſilijt, pedeſque per niuem & concretam glaciem ingredi cœpit. Erubuerunt non ſequi primùm amici, deinde copiarum Duces, ad vltimum milites: Primuſque Rex dolabrâ glaciem perfringens iter ſibi fecit. Exemplum Regis cæteri imitati ſunt, Curt. *l.* 5. *de. rebus Alexand.* Vult etiam nos Chriſtus per huius vitæ ſolitudinem aſperrimam ducere ad brauium gloriæ; ſed quia nos tergiuerſantes vidit, ideò deſcendit ipſe de gloriâ ſuâ, vt & nos deſcenderemus de ſuperbiâ noſtrâ ipſumque præeuntem humili corde ſequeremur; Quis hoc facere nunc detrectet?

C. II. Summam patientiâ.

SECVNDÒ, *Venit in Nazareth.* En patientiam, dum habitare non detrectat inter malos homines. Tales enim fuiſſe Nazarenos patet ex Nathanaële dicente *Ioan.* 1. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Item ex Lucâ *cap.* 4. Vbi Nazareni eiiciunt Chriſtum extra Ciuitatem & ducunt ad ſupercilium montis vt eum præcipitent. Et *Matth.* 3. increduli ſunt & contemptores Chriſti Domini. *Nõne hic eſt filius fabri?* inquiunt. Sed etiamnum habitat quaſi in Nazareth Chriſtus mediante Euchariſtiâ, quia in mundo perditiſſimo: & quanta hîc patiatur, quis explicet?

1. Primò fit quodammodo extorris & exul, dum in Eccleſiâ conſtitutus deſeritur & ſolus in obſcuro relinquitur angulo, vel etiam expoſitus ad venerationem aut per compita geſtatus ad ægrum deferitur. An non magna eſſet Regis patientia, ſi in publicum procedentem nemo comitaretur, ſed omnes ad ſua feſtinarent? vel eo in ædibus ſuis morante, nulli prorſus ſerui domum circumſtarent aut vigiles, & interim tamen Rex hoc ſilens toleraret? Lectulum Salomonis 60. fortes ambiuiſſe, dicitur *Cant.* 3. Et lectulo Chriſti in templo multoties nemo adeſt. Certè ſcandalizantur hinc hæretici & in perfidiâ ſuâ obfirmantur. Dicunt enim nos, poſtquam Deum noſtrũ adorauerimus, eum recludere in angulo quodam quaſi carcere, & tũ eo relicto ſolo in tenebris, omnes diffugere. Dicere nobis veriſſimè & maximè hîc poſſet Dominus, quod *Matth.* 25. dixit reprobis illis hœdis: *In carcere* (eram) *& non viſitaſtis me.* Certè adeò feſtinanter aliqui è templo pedem efferunt, quaſi in carcere fuiſſent. Exiguâ cautelâ & reuerentiâ ſæpenumerò aſſeruatur Euchariſtia: & tamen id Chriſtus fert, ibique nos expectat: veluti pharmacum in pharmacopolio repoſitum expectat ægrum.

Secundò, Ab innumeris hominibus ad præcipitium ducitur, imò & præcipitatur, quantum in ipſis eſt; dum videlicet à peccatoribus ore contaminato ſumitur, vel mox iterum expellitur & quaſi de monte deiicitur; de monte, inquam, ſanctitatis, quam in die communionis homines præſeferunt, in barathrum impuritatis, quò ſe rurſum præcipitant. Non præcipitatur quidem Chriſtus, ſed tranſit per medium illorum illæſus & deſinit habitare in talibus: non ideò tamen illi Rei non ſunt huiuſmodi præcipitij. Albertus Crantius *l.* 1. *cap.* 9. *hiſt.* de VVidekindo Saxoniæ Duce adhuc infideli ſcribit, eum aliquando in caſtris Caroli Mag. Regis clam ſpectantem, ipſo Paſchæ die vidiſſe ſub communione Chriſtianorum, quòd de manu purpurati Sacerdotis ſinguli pulchellum puerum in os ſuſciperent, & quibuſdam ludibundum arridere & vltrò ad eos properare: ab aliis verò abhorrentem vultum auertere & tamen in ora demitti nec rediſſe, indeque Ducem ad fidem conuerſum eſſe. Certè ſi puerum quempiam Leoni obiectares, quid triſtius & horribilius ei facere poſſes? Atqui peccatorem impœnitentem pluſquam Leonem horret Chriſtus; vnde *Pſ.* 16. queritur: *ſuſceperunt me ſicut Leo paratus ad prædam* (hi ſunt manifeſti peccatores) *& ſicut catulus Leonis habitans in abditis* (& hi ſunt occulti.) Rem horrendam putaremus, ſi videremus Euchariſtiam comedi à mure: Et tamen hoc Chriſto parum, imò nihil obeſt, quia nulla intereſt inimicitia inter Deum & murem; ſed potiùs relatio bona creatoris ad creaturam ſuam: Multò horribilius eſt eam ſumi à peccatore: quia hîc inimicus Dei eſt.

Tertiò, A plurimis etiam hominibus maximè tamen hæreticis, contemnitur, vilipenditur, laniatur, conculcatur, &c. Quot iniurias tolerat à Caluiniſtis? Quot à Sagis & Magis? Quot tolerauit & tolerat adhuc à Iudæis; qui eum toties pupugerunt, percuſſerunt, viſcerunt? Et quidem hæc omnia fert propter iuſtos, vt ab his ſaltem dignè & fructuosè ſumatur. Quanta foret patientia eius mercatoris, qui vt panea afferret ſuis, per caſtra inimicorum tranſiret, ſæpe interciperetur, ſpoliaretur, percuteretur, & vbi ad ſuos venerit, à pauciſſimis, quibus panes dedit, ſolueretur, ſed vacuus ſæpe & egenus, imò verberibus mulctatus remitteretur, nihilominus tamen crebrò ad eos penetraret ſummo ſuo periculo. Certè hoc Chriſtus facit; per tot enim calumniatorum agmina ad nos penetrat, & vbi aduenerit, à paucis honeſtè, à multis omninò nõ accipitur: à plurimis qui ſatisfactionem & emendationẽ ante Euchariſtiam ſpondent, non ſoluitur: ab aliis, qui in ſcelera relabuntur, percutitur quodammodo & turpiter eiicitur.

Cogita

Cogita iam ô homo, quid vnquam pateris in vitâ, quod his æquari possit? Ah amicis fortè desereris? Aspice Christum in templo sæpissimè desolatum & desertum. Forsitan inimicum tuum prope te aspicere cogeris? Ecce Christus ab inimicis suis etiam comedi se patitur. Forsitan contemneris? Attamen pedibus nondum conculcaris, nondum dilaniaris: id quod Christo in Eucharistia accidit non semel.

D. III. Summam obedientiam.

TERTIÒ, *Erat subditus illis.* En obedientiam. Ea relucet Primò in hoc quòd ad vocem Sacerdotis in momento adest in altari & toties, quoties vocatur. Magna fuit illa potestas, quâ Moyses eduxit aquam de Petrâ, *Exod.* 17. Magna & Eliæ, quâ ignem de cœlo adduxit in terram, deuorantem holocausta. 3. *Reg.* 18. Magna & Iosue, quâ solem stare fecit in cœlo obediente DEO voci hominis vt dicitur *Ios.* 10. Sed parua hæc sunt respectu potestatis Sacerdotalis; non enim ibi propriè DEVS obediuit, quia nec in propriá personâ, sed in creaturis, quasi per famulos tantùm: nec per modum obedientiæ, sed per modum exauditionis fecit postulata. Non petierunt illi vt Deus sibi obediret, sed vt manna, ignis, sol, nec id obtinuerunt iubendo sed precando: nec erant certi de impetratione, sed cum aliquâ formidine. Nihil horum hîc. Transubstantiatio enim fit à Sacerdote per modum potestatis ordinariæ indelebilis & quidem infallibiter, & in ordine ad DEVM qui vi cõsecrationis in terras euocatur: hoc verius est obedire DEVM voci hominis, quàm id quod *Ios.* 10. dicitur. Iam si miratur Scriptura, quòd DEVS obedierit in creaturâ, quantò magis mirandum si obediat in propriâ personâ? Vnde non miratur Centurio, quòd Dominus possit imperare creaturis, vt statim obediant: *Nam & ego homo sum*, inquit, *habens sub me milites & dico huic, vade & vadit; & alij: veni & venit.* Sed quòd seruus dicat Domino: vade, & vadat Dominus; veni, & veniat Dominus: hoc est admirandum & prorsùs inauditum.

2. Secundò, Obedit etiam (quod stupendum est) malis Sacerdotibus & indignè consecrantibus, communione abutentibus, vt hæreticis, Sagis, &c. Vocauerat Princeps quinquagenarius cum 50. viris Eliam vt descenderet ad Regem Ochoziam, vocans eum hominem Dei irrisoriè, vt ibi Lira. & alij, sed loco Eliæ descendit ignis de cœlo & deuorauit eos: quod iteratò & totidem viris contigit, 4. *Reg.* 1. Minus profectò mirum foret, si sacerdote indignè consecrante ignis pro Christo descenderet eumque deuoraret. Sed hoc tamen non fit: Pauci leguntur hîc puniti: omnibus obtemperauit Christus. Videntur isti ad Christum dicere, quod Goliath ad Dauidem dixit. 1. *Reg.* 17. *Veni ad me & dabo carnes tuas volatilibus cœli & bestijs terræ.* Non obsunt quidem Christo eiusmodi iniuriæ, (veluti si Spiritum aliquem gladio impeteres) tamen qui talia agit, quantum in ipso est, vellet omnes eas iniurias Christo obesse & ad eius ignominiam cedere.

Hæc causa fuit cur aliqui Hæresiarchæ negârint Christum in Eucharistiâ, quòd indecens videretur Christum ad verba reproborum Sacerdotum in hostiam è cœlis deduci. *Quis credat impium Sacerdotẽ tantam posse?* aiebat Zvvinglius disputans cum Luthero. Lutherus è contrà Christianam humilitatem opponebat. Florim. Remund. de Orig. hæres. *lib* 2. *c.*8.

Tertiò, Obedit etiam homini cuius, qui in infirmitate constitutus, quoties petit ad se afferri Eucharistiam, toties obtinet. Et quasi de iure ei id debeatur, nunquam rogatur Christus vt ad ægrotum descendere dignetur, sed rogatur tantùm Sacerdos vt Eucharistiam afferat. Perinde pro Eucharistiâ ægri mittimus ac si pro aquâ ad publicum puteum mitteremus. Multùm omnino foret, si se tibi Medicus quis obligaret gratis ad te venturum & curaturum te quoties ægrotaueris: certè nihilominus eum rogares vt dignaretur ad te venire. Eiusmodi Medicus est Christus, de quo cùm ægrotamus nunquam cogitamus, an descendere ad nos velit? Sed confestim mittimus & quasi seruitium quoddam nobis debitum, aduentum eius expectamus. Certè hîc lapis angularis Christus est, vt enim lapis antequam ad ædificium adhibeatur, hac illac iactatur, & quocunque iaciatur, ibi manet: Ita Christus in Eucharistiâ patitur se tractari à nobis prout volumus, & in quouis corde reponi. 3.

Quomodo igitur durum alicui sit subesse? Nam vel subijceris maiori vel æquali vel minori te. Primum æquum est, alterum facile, tertium non mirum, quia Christus obedit voci hominum. Vel cogeris obedire etiam malis Dominis & Dyscolis vt iubetur 1. *Pet.* 2 id est, durè imperantibus: Et hoc facit Christus. Diodorus Siculus de fab. ant. *c.*4. scribit de Æthiopibus: *Si quando aliquâ corporis parte Rex debilitaretur, domestici omnes sponte suâ eandem partem debilitant: turpe existimantes rege claudo aut monoculo, non amicos omnes claudos aut monoculos esse.* Iam verò an in Eucharistiâ ita nobis obedit Christus, ducitur, gestatur, ac si claudus esset aut cæcus, qui aliorum ductu indigent? Quin igitur & nos in hac virtute eum imitamur & ductum superiorum velut cæci sequimur?

Ex his videmus nihil esse in mundo asperũ, cuius socium non habeamus in Eucharistiâ Christum. Idcirco *Ezech. vltimo*, nomen ciuitatis ibi descriptæ, id est, Ecclesiæ, ex ea die (quâ scilicet erat ædificata) vocatur: *Dominus ibidem.* Quid quereris ô Christiane? In statu & conditione abiectâ vel opprobrio es? *Dominus ibidem.* In laboribus & afflictione es? *Dominus ibidem.* In subiectione & sub iugo es? *Dominus ibidem*, &c.

CONCIO VII.

Festiui dies quomodo colendi.

Vt ritè colantur dies festi
1. *Refrænandi appetitus inordinati.*
2. *Vitanda peccata.*
3. *Conscientia mundanda.*
4. *Negotia secularia seponenda.*

5. *Ani-*

5. *Anima spiritualibus cibis roboranda.*
6. *Virtutibus ornanda.*
7. *Vacandum operibus misericordiæ.*

THEMA.

Remansit puer Iesus in Ierusalem & non cognouerunt parentes eius. Luc. 2.

A. QVID est, Auditores, quod festiuo die perditur puer IESVS? Nónne si per totum annum perdidissent eum parentes eius, festo illo die, quo penè omnis Iudæa confluxerat Ierosolymam ad Deum adorandum, reperturi viderentur? Vbi enim certiùs, vbi citiùs reperiatur IESVS, quàm vbi adoratur & colitur eius pater, quod fit in festis diebus? Ita quidem prudenter sentiendum esse videtur. Sed aliter longè se res babet. Nuspiam faciliùs amitti solet Christus eiusque cælestis gratia, quàm vbi festa aguntur, quia non vt decet, aguntur. Quare ne in SS. festiuitatibus Christum amittamus, vbi inueniri debet; discamus modum & rationem celebrandi festos dies ritu Christiano.

Si politica exercitia, quæ in festiuis diebus vsu recepta sunt, cõsideremus, ea ferè sunt ista, Claudimus officinas, vacamus ab operibus seruilibus, plateas exhibemus nitidas & purgatas, molendina sistimus, lautiùs comedimus, cultiùs vestimur, denique ad forum procedimus vel deambulamus. Cæterùm hæc indicia potiùs nostrarum festiuitatum, quàm officia requisita sunt; quæ tamen si spirituali sensu præstemus, bene & laudabiliter festa peragemus.

B. 1. Refrænandi appetitus inordinati. PRIMÒ, Claudendæ officinæ: claudendi sensus nostri vt Deo & diuinis meliùs vacemus, adhæc refrænandi appetitus, qui alioquin per hunc mundum discurrunt velut emptores per nundinas omniaque sibi placentia desiderant & comparare quærunt, tam noxia quàm salubria: & hæc rariùs quàm illa. Pessimus mercator Diabolus exponit plerumque in festiuis diebus pessimas suas merces, choreas, ludos, tabernas, pugilum gymnasia, hastiludia, pompam & luxum vestium, conuenticula aliaque delectamenta. Tu verò, si sapis, transi clausis oculis nundinas istas, ne ad pestiferas coëmendas merces stimuleris: alliga te cum Vlysse ad malum crucis seu mortificationis, ne exitiosum syrenum cantum audias. Ieremias *cap.* 17. præcepit Iudæis ne in die Sabbati inferrent pondera per portas Ierusalem. Similiter Nehemias videns aliquos in Sabbato inferre & pisces & alia vænalia in ciuitatem sicque profanare Sabbathum, iussit claudi portas vsque ad alterum diem. *Nehem.* 13. Mystico sensu nos claudere hîc iubemur sensus nostros, per quos veluti per portas inferuntur in animam noxiæ peccati illecebræ. Certè olim Iudæi imò etiamnum in festo Expiationis, abstinent potu, vxore, balneis, calceis, apud Corn. à Lap. *cap.* 16. *Leuit.* Omnisque delectatio tunc eis vetita erat teste Abulense in *Leuit.* 23. q. 22. In festo verò paschatis solennissimo comedebant panes azymos, insipidos & ingratos, qui idcircò panes afflictionis vocantur *Deut.* 16. addebant & lactucas agrestes amaras *Exod.* 12. Romani quoque Gentiles in Festo Veneris vinum effundebant, vt docerent temperantiam diebus feriatis obseruandam, vt refert Plut. *in quæst. Rom.* q. 45. E nostris S. Elisabetha adhuc iuuencula festis diebus semper aliquid ornatûs sibi detrahebat, modò chirothecas, modò aliud quid, apud Sur. in vita 19. Nouemb. Nos saltem coërceamus sensus & appetitus nostros, ne ad illicita se effundant. Mirum alioquin est, si domi nostræ festiuis diebus negotiationes non admittimus, extrà verò quærimus: si aliis vendere merces nolumus magno nostro commodo, interim emimus alienas magno nostro damno.

C. II. Vitanda peccata. SECVNDÒ, Vacandum ab operibus seruilibus; nec solùm à corporalibus, de quibus alibi dicemus; sed etiam spiritualibus, quæ sunt peccata; quia *omnis qui facit peccatum, seruus est peccati*. ait Dominus *Ioan.* 8. Rationem aliam dat S. Thomas 2. 2. *q.* 121. *art.* 4. *ad* 3. Quia magis homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati quàm per opus corporale licitum. Vnde dixit Sanctus Augustinus l. de decem chordis. *Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro seditiosus existeret: & meliùs feminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quàm quod tota die in neomenijs suis impudicè saltarent.* Et *tract.* 4 *super Ioan. Absit fratres*, inquit, *vt illos dicamus obseruare sabbathum, qui ad luxu iam & ebrietatem obseruant.* Profanant potiùs Sabbatum, non secus ac Caluinistæ qui in Gallijs profanarunt vasa sacra, baptisterium vertendo in cloacam, calices in matulas, altaria in mensas, vestes sacras in scenicum apparatum, &c. Quemadmodum enim hæc sanctificãtur, cùm diuino cultui applicantur: ita & diei septimo seu Sabbato benedixit Deus & sanctificauit illum *Gen.* 2. Nun immeritò igitur Dominus talia festa, quæ peccatis contaminantur, vocat sterquilinia *Malach.* 2. *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Quemadmodum enim ad fimetum seu sterquilinium comportatur quidquid sordidum & abominabile est: ita in festiuos dies congeruntur omnes mundi fœditates, stultitiæ & vanitates, luxus, compotationes, choreæ, &c. nec non omnis generis scelera, ebrietas, superbia, duella, rixæ, iniustitiæ, fœda colloquia & conuenticula, detractiones risus, &c. Omnia differuntur ad festos dies, quasi ad terminum aptissimum. Melius in hoc senserunt & sapuerunt Iudæi, qui cæterà impij, timuerunt tamen Christo manus inijcere in die festiuo: *Non in die festo*, inquiunt *Matth.* 16. Quare non idipsum dicat Christianus, stimulatus fortè à socijs, dæmone vel proprijs passionibus ad vim inferendam Christo? *non in die festo?*

D. III. Conscientia mundanda. TERTIÒ, Vrbis plateæ purgandæ, hoc est, conscientia à peccatis emundanda: si non per con-

confessionem, saltem per contritionem. Non enim possumus ritè & decenter celebrare festum, si DEI inimici fuerimus; nec ascendere in Bethel, id est, domum DEI, & sacrificare, si adhuc in corde nostro gerenius DEOS alienos, vti discimus à Iacob *Genes.* 35. Maximè cùm festa nostra typus sint illius cælestis festiuitatis, ad quam nemo coinquinatus, nemo sordidus admittitur, *Apoc.* 21. Quare sicut inchoāte festo, pridie scilicet, euerti solent domus & plateæ ad honorem festiui diei: ita par inprimis est, vt vnusquisque verrat antè fores suas, hoc est, suam quisq; conscientiam scopis contritionis purget à sordibus peccatorum, quæ diuinam maiestatem longè plus offendunt, quàm quæcunque sordes. Scimus mulierem Euangelicam, vbi amisit drachmam suam, statim euerrisse domum & quæsisse diligenter, donec inueniret eam *Luc.* 15. At quàm sæpe nos perdimus DEI gratiam, omni auro pretiosiorem? eccur ergò nō in Sabbatho ad minimùm verrere incipimus, perditamq; recuperare? Si solem, id est, diem vnum non vult Apostolus occidere super iracundiâ & peccato nostro ad *Eph.* 4. multò minùs integram hebdomadam. *Ier.* 7. dicitur: *Custodite animas vestras & nolite portare pondera in die Sabbati.* Quod autem pondus grauius quàm peccatum? Est hoc exercitium insinuatum quoque Iudæis, dum eisdem præceptum vt in diebus festis mactarent atque immolarent boues & oues aliaque bruta animantia: vt hinc monerentur mactandos esse brutos affectus & peccata velut sacrificia potissima, quæ requirat DEVS, quemadmodum exponit Apostolus in Ep. hodiernâ dicens: *Obsecro vos per misericordiam DEI, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*, ad Rom. 12. *Viuentem*, quia non vult mortuam & fœtentem in peccatis: *Sanctam*, quia vult mundam, non immundam, cuiusmodi sacrificia repulit. *Deo placentem*, quia vult, occisam & crematam per contritionem & mortificationem vt habeat odorem suauitatis. Hoc est illud sacrificium, de quo *Num.* 28. ait: *Oblationem meam & panes & incensum odoris suauissimi offerte per tempora sua.* Vbi alia litera legit: *Munera mea, data mea, hostias meas in odorem suauitatis obseruare vt offeratis mihi in diebus festis meis*, vt est apud Origenem *hom.* 23. *super Num.* qui festiuitatem hanc interpretatur pœnitentiam peccatorum.

E. IV. Negotia sæcularia seponenda.

QVARTÒ, Molendina sistenda, hoc est, curæ & negotia sæcularia seponenda, vt in solitudinem cordis ingredi vnusquisque sibique vacare possit. Reliqui septimanæ dies exteriori homini dati sunt, vt sibi prouidere de corporis curat necessitatibus. Sabbatum & festiui dies interiori homini destinati sunt, vt procuret quæ sunt animæ; ideò Sabbatum, id est, quies seu cessatio dictum. Ergo in hoc ad minimum excundum è molendino & strepitu negotiorum sæcularium, puluisque curarum & cogitationum inde nobis adhærens excutiendus, vti molitor facit festiuis saltem diebus. Dicendum cum Samsone *Iudic.* 16. *Egrediar & me excutiam.* Hoc etiam Iudæis DEVS insinuauit, quando *Exod.* 16. egressi die sabbati ad colligendum manna, *non inuenerunt.* Causam subdidit Dominus: *Videte quòd Dominus dederit vobis Sabbatum & propter hoc die sextâ tribuit vobis cibos duplices: maneat vnusquisque apud semetipsum: nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Quid est, *maneat vnusquisque apud semetipsum*? nisi curet res interioris hominis, videat quàm per hebdomadem profecerit vel defecerit: cogitet quò vadat, cælúmne an orcum studia eius spectent, &c.? Sanè Aleator qui per totam diem vel hebdomadem aleis operam dedit, tandem in fine computat lucrum suum; vel si perdidit, iacturam suam. Ludimus plerique totis septimanis cum Diabolo, mundo, carne, qui lusoriæ chartæ symbolis, corde, nolâ, glande, folio, sæpissimè nos cædunt: corde, id est, cogitationibus prauis, quas in corde agitamus: nolâ, id est, verbis incompositis & stultiloquiis, quibus mentis nostræ inanitatem prodimus: glande, id est, operibus malis, quibus saginantur porci infernales: folio, hoc est, omissionibus operum illorum, ad quæ obligamur quæque requirens in ficu Dominus, non reperit nisi folia. Quin igitur subinde, semel saltem in hebdomade rationes instituimus, num & quantum lucrati simus vel quantum iacturæ fecerimus? hoc verò opus debetur festis inprimis diebus, animæ decretis.

F. V. Anima spiritualibus cibis roboranda.

QVINTÒ, Lautiùs comedendum, quod fit secundum spiritum, si animam confortemus cibis ei proportionatis ac debitis, qui sunt oratio, concio, sacra lectio, Missa & sacra communio, saltem spiritualis; è quibus Missa de præcepto, concio verò de consuetudine tantùm Ecclesiæ audienda est: reliqua libera sunt & consilia tantùm. Missa audienda, vt offeramus DEO sacrificium à nobis requisitū, quod omnium præsentium nomine sacerdos ei repræsentat velut omnium Legatus: vt in eâ passionem Domini recolamus: vt robur accipiamus & benedictionem ad reliquas nostras actiones. Concio audienda vt in eâ velut in speculo contemplemur sordes animæ nostræ: vt accendamus lucernam pedibus nostris. Oratio adhibenda, vt idipsum quod audiuimus, effectui demus: vt DEO pro acceptis beneficiis gratias agamus & noua impetremus. S. Gregorius in Registro ait: *Dominico die à labore terreno cessandum est atque omnimodo orationibus insistendum, vt si quid negligentia per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Porrò si vires corporis bis in die restauramus, nimium non est, si vires animæ semel aut bis in hebdomade, prout festa incidunt, resarcire satagemus; siquidem *festum nostrum*, inquit S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 44. *non est aliud quàm anima aliquid eorum aggerere, quæ firma & stabilia sunt.* Clarum autem est non minùs animam deficere, si ad longum tempus suo destituatur cibo, quàm corpus. Insinuauit hoc Iudæis DEVS, dum per singula Sabbata in mensa propositionis iussit poni nouos &

recentes

recentes panes, veteribus sublatis. *Leuit.* 24. ne videlicet alioquin nimirum deficcarentur & indurescerent vel corrumperentur fierentque inutiles. Pari modo nisi subinde nouis cibis reficiatur anima, veteres iam dudum percepti & ferè obliuioni traditi minùs ei proderunt, minus roboris præbebunt, adeoque fiet ipsa quoque arida, dura, corrupta; quod testatur Dauid *Ps.* 101. dicens: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

G. VI. Anima virtutibus ornanda.

SEXTÒ; Cultiore vestitu prodeundum in publicum, quod non solùm apud nos Christianos, verùm etiam apud Hebræos vsitatum fuit, ad diei festi & ipsius DEI honorem. Ita enim Iudith *erat in diebus festis procedens cum magnâ gloriâ*, vt dicitur *Iudith c.* 16. E Christianis Thomas Morus Angliæ Cancellarius dum pro defensione religionis Catholicæ in carcere detineretur, in festiuitatibus vestes sibi meliores afferri curauit & induit: *quia non ad conspectum populi*, inquit, *sed ad Dei honorem festa colo & honestè induor.* Refert Thom. Stapletonus in eius vitâ. Ceterùm longè præstat vestitu spirituali adornare animam cùm dies festus agitur. Nam vt S. Leo M. *Ser.* 5. *de Quadr.* ait: *Si rationabile & quodammodò religiosum videtur per diem festum in vestitu nitidiore prodire & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere: Si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc curâ & ampliore cultu quantum possumus adornamus: Nónne dignum est, vt anima Christiana, quæ verum viuumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet & redemptionis suæ celebratura sacramentum, omni circumspectione præcaueat, ne vlla eam macula iniquitatis obfuscet aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodest honestatis formam præseferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum?* Sanctus etiam Chrysostomus *hom.* 52. *in Matth.* ait hunc morem in nonnullis Ecclesiis corroboratum vt diligenter multi studeant, quomodo manibus puris & vestibus candidis induti in Ecclesiam ingrediantur; quomodo autem animam atque mentem suam puram Deo offerant, nullam curam habeant. Cùm ergò festiuitates animo, non corpori decretę & typus sint festiuitatis beatificæ; communiter etiam per hebdomadem nō quæratur ornatus animæ: decet vt inprimis festo tempore virtutum studio perpoliatur, comatur & orneretur anima Deo placitura & cum prudentibus virginibus, quæ ornarunt lampades suas, ad sponsum introitura. Tales autem sunt sobrietas, humilitas, temperantia, continentia etiam in coniugio, castitas, cordis munditia, patientia, obedientia, linguæ refrænatio, &c. Atque hoc est Sabbatum illud delicatum, quod desiderat Deus *Isa.* 58. per Prophetam inquiēs: *Si vocaueris Sabbatum delicatum & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas & non inuenitur voluntas tua vt loquaris sermonem tunc delectaberis super Domino & sustollam te super altitudines terræ & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Hoc est: si habueris Sabbatum pro deliciis tuis egerisque id delicatè vt nullâ in re vel leui Deum offendas, gloriam item non tuam sed Dei solius quæsieris, deinde refrænaris appetitus tuos & propriam voluntatem, nec non linguam tuam à noxiis sermonibus: tunc impleberis gaudio & consolatione spiritus, deinde contemptu rerum terrenarum & desiderio cælestium: deniq; benedictione Iacob, hoc est, cœli & terræ bonis.

H. VII. Vacandū in primis operibus misericordiæ.

SEPTIMO, Deambulandum aliquantulum. Et quorsum putatis? non ad ludos & spectacula, non ad pugilum theatra, non ad aleatorum mensas, non ad forum aut tabernas; sed ad sacras ædes, ad Hospitalia & cœmiteria. Ita enim Tobias in solennitatibus dum irent alij ad vitulos aureos, ipse pergebat in Ierusalem ad templum Domini & ibi adorabat. *Tob.* 1. Ita S. Hieronymus qui *l.* 12. *in Ezech. cap.* 40. de se scribit: *Cùm essem Romæ puer & liberalibus studijs erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrū circumire crebroque cryptas ingredi.* Inprimis verò vacare decet operibus misericordiæ; siquidem aliis diebus fere nobis tantùm attendimus. Propterea festiuis diebus præ foribus Ecclesię aduigilāt mendici veluti Aulici Christi Domini, qui etiā in Sabbatis beneficia curationum impertiuit miseris. Apostolorum quoque tempore in Sabbatis fiebant collectæ pro egentibus, vt patet 1. *Cor.* 16. Hi sunt Gazophylacia, in quæ munera nostra & quidquid in cælo reponere volumus, securè deponemus. *Manus pauperis*, inquit Chrysologus *Serm.* 8. *est Gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accepit, Christus acceptat. Da ergò homo pauperi terram vt accipias cælum: da nummum vt accipias regnum, da micam vt accipias totum.*

Hæc est, Auditores, ratio Christiana celebrandi festos dies, quam si obseruaueritis, non modò in iis Christum non perdetis, verùm etiam, si perdidistis, rursum inuenietis.

CONCIO VIII.

Documenta ex Euangelio.

Ex hoc Euangelio

1. *Discunt parentes liberos ad pietatem instituere, eosque errantes reducere.*
2. *Discunt liberi suæ saluti consulere & parentibus subditos esse.*
3. *Discunt coniugati se mutuo honorare.*
4. *Cognati suorum propinquorum curam habere.*
5. *Discunt clerici versari in ijs quæ patris sui sūt, & templo adhærere.*

THEMA.

Conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Luca 2.

A. QVoniam hodiernum Euangelium salutaribus doctrinis plenum est, sine ambagibus id aggrediemur; & quoniam habent ibi quod discant parentes, liberi, coniuges, cognati, omnes: singulis suas partes distribuemus.

B. I. Discunt parent.

PRIMÒ, Discunt parentes instituere ad pietatem liberos suos, iuxta exemplum Christi paren-

parentum, qui filium ad templum duxerunt, & perditum solicitè quæsiuerunt. Et primò quidem à pueritia, cum sapere incipiunt, ducant eos ad templum & rem diuinam: nec non ad confessionem & communionem. Non expedit quidem ducere eos ad templa, dum sunt Infantes, quia perturbant alios. Sed incipientibus annis discretionis ad hæc assuefaciendi sunt. Quod enim à tenera ætate imbibitur, altè & diu retinetur. Testes sunt Equi, Tigrides, Vrsi, Leones, Elephantes, &c. qui à primæuâ ætate cùm instruuntur, discunt saltare, ludere, ioculari. Quid magis horret Lepus, quàm tympani sonitum? Et hoc tamen sonare pedibus suis doctus est ab aliquibus. Vidi ego Romæ Asinum saltantem, non tantùm ad numerum, sed etiam per circulum ligneum, nec tangentem illum: capram præterea etiam funibus inambulantem, per eos ascendentem & reuertentem. Si parentes ducant liberos suos ad popinas & choreas, eas etiam imposterum filij frequentabunt: Sin verò ad templum & rem diuinam, eam etiam posteà amabunt. Exemplum in Samuele, Deiparâ & aliis, qui idcircò ad maximam sanctitatem peruenerunt. Duo fratres erant VVencesllaus & Boleslaus, Bohemiæ Principes: sed quia ille à Ludmillâ religiosâ feminâ educatus fuit, optimus & sanctus euasit; hic verò quia ab impiâ Drahomirâ, pessimus extitit & fratrem VVencesllaum interfecit; Refert Ioannes Dubrauius Episcopus Olumuc. Multi nunc ducunt liberos suos, ad mundi vanitates & pericula, ad instar Israëlitarum, qui videntes à Gentilibus immolari & cremari filios Idolo Moloch, ducebant saltem & ipsi suos per ignem illum. Nolunt quidem immolare liberos dæmoni, sed denigrant tamen & amburunt in vanitatibus mundanis.

2. Secundò, Errantes & lapsos adeoque perditos festinent reducere. Patet etiam in brutis quantoperè laborent eruere à periculis fœtus suos. Efferunt eos mordicus è foueis, in quas lapsi sunt: efferunt ex igne non absque sui læsione. Panthera illa apud Plin. *l.* 8. *c.* 17. hominis opem implorauit ad catulos è foueâ, in quam ceciderant, extrahendos, eumque pallio leniter prehensum ad foueam duxit. Ita ergò parentes Christi, dolentes quærebant filium amissum. Amittitur autem filius longè periculosissimè, cùm in prauam societatem, vel in peruersam viuendi rationem incidit. Ita S. Monica assiduis precibus & lachrymis pro filio Augustino, qui in Manichæorum hæresin inciderat, fusis continuò DEVM fatigabat, donec filium erueret. Vnde iure vocatus est, *filius lachrymarum tuarum*, vt in eius *Confess. l.* 3. *c. vlt.* Si nunciaretur matri filium iacere in puteo, cum morte luctantem, quantum heu doleret? Sed si dicam: Mater, filius tuus iacet in cœno luxuriæ, vel in hæresi; Mater, filius tuus furatur: inebriatur, nihil contristatur.

C. II. Discunt Liberi. SECVNDÒ, Discunt liberi Primò à tempore, quo ratione vti incipiunt, saluti suæ consulere etiam inuitis parentibus, rebus diuinis assuescere, templum frequentare, &c. Iuxta exemplum Christi. Cùm enim ad biuium illud Herculis, & litteræ Pythagoricæ Y venerint, ibi nonnihil consistere & benè ponderare debent, quam viam inire velint latámne an angustam. Difficiliùs enim ad rectam viam reditur, quàm in eâ persistitur. Et si viam virtutis, veræ fidei aut religionis elegerint, etiam repugnantibus aut inconsultis parentibus, siccis oculis ad vexillum Crucis euolent. Non enim oportet eos hac de re respondere parentibus, cùm à DEO vocentur, qui dixit: *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me non est me dignus Matth.* 10. Si contempta nutrice curreret infans ad parentes suos, num improbarent id parentes? Haudquaquam. Atqui parentes nostri nutritij sunt, DEVS verò Pater est. *Non es eius, cui nata es*, ait Hieronymus ad Heliod. *sed cui renata*. Commendatur à Seu. Sulpitio S. Martinus quòd duodecim annos natus inuitis parentibus Ethnicis ad Christianorum templa confugerit & Catechumenus fieri voluerit. Commendatur & S. Thomas Aquinas, quòd puer adhuc reluctantibus parentibus & fratribus ad religionem se receperit, ab iisque deprehensus & miris modis tentatus, acriter restiterit. Sic alij quamplurimi. *Bonum etiam est viro*, ait Ieremias *Thren.* 3. *cùm portauerit iugum ab adolescentiâ suâ: Sedebit solitarius & tacebit.* Quem locum exponens S. Ambrosius in *Psal.* 118. ait: *Qui à iuuentute iugum portauerit & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit; Sedebit singulariter remotus à strepitu interpellantium passionum & quietus silebit: Cui necesse est iam non iurgari cum corpore, decertare cum varijs cupiditatibus? quia tulit iugum verbi anima, quæ quærit Deum, quæ captiuas sibi fecit omnes delicias iuuentutis.*

2. Secundò, In reliquo subditi esse parentibus, Quemadmodum & Christus descendit cum parentibus in Nazareth & erat subditus illis. *Quis quibus?* ait S. Bern. *Deus hominibus*. DEVS ergò hominibus se subicit: & non subiiciant se parentibus liberi? Multum omninò est paruisse solem & stetisse ad vocem Iosue. *Ios.* 10. Sed longè admirabilius est, solem Iustitiæ Christum descendisse in terras & obedisse hominibus. Quantus ergò cumque es parentibus tuis defer honorem & obedientiam. Sic descẽdẽs in Nazareth & Nazaræus vocaberis, id est, floridus. Vt enim flos spem fructûs gignit: ita filij obedientia prænunciat virum bonum & hæredem cœli. Vnde vocari solet iuuentus florida. **Die blühende Jugendt.** Eccur nisi quia inde sperantur egregij fructus? Quòd si igitur non floreant per obedientiam, sed nodosa tantùm germina & grossi maneant: ad quid prosunt, nisi vt exscindantur & in ignem mittantur? Ideò *Deut.* 21. iubetur filius proteruus & immorigerus ab vniuerso populo lapidari. Ideò plerique Adolescentes ante maturam ætatem moriuntur; vt quid enim terram occupat eiusmodi arbor, quæ nullis correctionibus & subsidiis emendatur?

TERTIÒ, Discunt coniugati mutuò se honorare,

D. III. Discunt Coniugati.

norare. Sic enim Ioseph honorauit coniugem suam Deiparam, dum non ipse interrogauit Iesum, quamobrem in templo remansisset, sed hoc potiùs coniugi detulit. MARIA itaque ob maiorem, quam habuit erga filium relationem & confidentiam, eum allocuta est, sed ita tamen vt honorem Iosepho suo deferret, licet sciret eum esse nutritium tantùm. Ait enim: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Nimirum habuit S. Ioseph, cur præponeret sibi MARIAM, quia sciuit eam veram filij Matrem, se verò esse nutritium tantùm: sciuit eam plus laboris & solicitudinis ob filium exantlasse: sciuit eam sanctiorem: sciuit eam de sexu muliebri adeoque imbecilliori esse. Similiter Deipara agnouit S. Iosephum esse caput suum; agnouit filium suum ab eo non minùs diligi, quàm si pater eius naturalis esset; agnouit eum esse tutorem, nutritorem & quodammodò patrem suum: agnouit eum esse virum magnæ sanctitatis, seque in hoc ei humiliter postposuit. Easdem aut similes causas inuenient coniugati, cur alter alterum honoret. Vir honoret mulierem tamquam vas infirmius; sic enim cerea imago cautiùs tractatur, quàm lignea aut ærea. Honoret eam tamquam matrem filios sibi gignentem; sic currui onusto cedere de viâ debent currus vacui. Honoret tamquam maioribus curis & laboribus distentam in filiorum educatione: Honoret tamquam sexum magis deuotum. Vicissim etiam vxor honoret virum tamquam caput suum, tamquam directorem, tamquam nutritorem suum.

E. IV. Discunt Cognati.

QVARTÒ, Discunt etiam Cognati, suorum propinquorum curam habere. Etenim Ioseph & MARIA requirebant filium suum inter cognatos & notos: quia prudenter existimabant, filium, si se ab ipsis subduxisset, non ad alios quàm ad cognatos & notos recepisse. Talis ergò animorum vnio & bonorum communio inter sanguine iunctos esse debet, vt qui fortè aduersante fortunâ in miserias prolapsus est, habeat quò confugiat. Certè agentia naturalia priùs & fortiùs agunt in propinqua quàm in remota, veluti Sol in zonâ torridâ, & tunica pallio propior est. Itaque si quis fortè in extremâ egestate & desolatione oberret in hoc mundo, habeat tamen propinquos tales à quibus iuuari queat, requiret eum Deus inter notos & cognatos. Ita requisiuit Abelem de manu Cain *Gen. 4. Vbi est Abel frater tuus?* Hac de causâ ait Apost. *1. Timoth. 5. Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior.* quasi dicat parùm Christianus est, siquidem Gentiles id obseruant, quod ipse negligit. Imò talis deterior est Epulone illo, qui sepultus est in infernum; rogauit enim is Abraham vt mitteret in domum patris sui ad monendos fratres suos ne in eundem tormentorum locum venirent *Luc. 16.* Et quidem dum ascenditur, ad virilem scilicet ætatem & statum prosperitatis, facilè inueniuntur amici & cognati comites: sicuti haud dubiè ascendentem in Ierusalem Christum comitati sunt amici, eius colloquio, modestiâ, prudentiâ & lepôre delectati: sed cùm descenditur ad senectutem & mortem, vel ad statum aduersitatis, tum deseritur amicus. Nulli ferè sunt qui consolentur senes, qui inuisant ægrotos & adsint morituris. Sed audiant Isaiam *cap. 58.* dicentem: *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam* (septuaginta legunt: propinquos seminis tui) *ne despexeris.*

F. V. Discunt Clerici.

QVINTÒ, Discunt Clerici, versari in iis, quæ patris sui sunt, & templo adhærere. Sed hac de re scient Clerici seipsos admonere.

G. VI. Discunt omnes.

SEXTÒ, Discunt omnes primò non facilè impediri à templi aditu, ob curam rei familiaris. &c. Nam in primis parentes Christi timere poterant Archelaum adhuc Ierosolymis regnantem, quem priùs in reditu ex Ægypto timebant & vitabant. Deinde timere poterant domui suæ, quam omni custode destitutam deserebant. Sed neutro se impediri patiebantur à tam longo itinere & diutinâ absentiâ. Nimirum quod promisit DEVS *Exod. 34.* ascendentibus Ierusalem, incolumitatem scilicet domorum & ciuitatum suarum; Id & nos sperare debemus. Quin etiam monemur, vt ne metuamus anno Iubilæi peregrinari Romam. Si enim parentes Christi pergebant à Nazareth in Ierusalem *Leuit. 30.* & quidem ter in anno iuxta legem: neminem terrere iter Romanum debet: maximè cùm eædem penè nos inuitent causæ ad Iubilæum requirendum, quæ Iudæos Ierosolymam vocabant. Vocabantur illi, vt summum suum Pontificem velut Iudaicæ nationis caput recognoscerent & nossent, eique in fidei quæstionibus obedirent. Vocabantur, vt vnâ cum suis liberis, alioqui locorum interuallo disiunctissimis, in vnitatem religionis, legum & cærimoniarum conuenirent, nec à se mutuo in his recederent: Vocabantur vt inspectione sacrificiorum, expiationum & cultûs diuini firmarentur in fide & notitiâ venturi Messiæ, ad quem omnia illa referebantur. Vocabantur vt efficacior esset tanti populi vnanimis oratio cum tantâ itineris molestiâ, &c. Simili modo institutum est Iubilæum singulis 25. annis, vt aliquando Christiani ex toto orbe recognoscerent summum suum Pastorem: vt fidem ac religionem suam cum fide ac religione matris omnium Ecclesiarum conferrent, vt hinc in fide suâ confirmarentur, videntes eam per vniuersum orbem esse vnius tenoris, eorundem dogmatum, &c. & falsa esse quæ sparguntur ab hæreticis: denique vt oratio Ecclesiæ totius, quasi in vnum collectæ, præsertim cum tot impensis periculis, itineris molestiis, &c. esset efficacior apud DEVM; ibi enim quodammodo totus mundus vnâ voce DEVM orat, licet linguis diuersissimis.

Secundò, Audire in templo & discere; siquidem Christus inuentus est audiens Doctores & interrogans. Poterat eos docere Christus: Sed maluit audire & interrogare, quia hoc puerili ætati magis conueniebat. Quare a.

Mechanici suas artes, mercatores suas vlnas, tractent fabrilia fabri, & docere aut interpretari sacras literas vel Conciones diiudicare ne præsumant. Deinde qui in templis sunt, ea sibi licitum putent sub concione loqui, orare, legere, dormire, alia cogitare: Sed attendendum sibi sciant. Nec quomodocunque audiendum DEI verbum, sed quomodo Deipara dicitur conseruasse omnia verba Christi in corde suo. Conseruauit autem non pro se tantùm, sed & pro nobis: Siquidem ea narrauit Apostolis & Euangelistis; Idem faciant parentes, &c.

3. Tertiò, Non discedere è templo ante finem rei diuinæ, nec domum festinare. Sic enim Christi parentes non discesserunt Ierosolymis, nisi consummatis septem diebus, quibus festū Paschatis celebrabatur, teste Luca; quodque amplius est, Christus ibi remansit vltra festum illud. Viderint ergò qui ad horas duas vix manere in templo possunt, quibus omnis concio & Missa longa nimis est: Itáne longum nimis est, festiuo die duas horas impendere DEO? Quid enim reliquo tempore agimus ad DEI cultum pertinens? Et quoties adhuc abbreuiari nobis res diuina debet? Certè olim vt refert Baronius anno Dom. 418. omnes Missæ cantabantur, nulla legebatur: posteà ferè ob gulam & auaritiam maximè potentum introductum est; vt eædem voce submissâ legerentur. Rursum abbreuiatæ sont, cùm concessum vt in introitu Missæ non integer Psalmos ex more pristino, sed vnus tantùm ipsius versus dicatur. Non vrgeamus vltrà Ecclesiam & Sacerdotes, vt rursum aliquid demant, quia non expedit nobis. Queritur certè de talibus S. Augustinus *serm. 251. de temp.* qui propter gulam & auaritiā suam cogunt Presbyterum abbreuiare Missam contra Ecclesiæ consuetudinem.

4. Quartò, Obseruare consuetudines pias & laudabiles; siquidem legimus in hod. Euang. ascendisse Christi parentes ad templum secundùm consuetudinem festi. Mali & seruilis animi signum est, non velle facere aliud, nisi quod mandatum est. Itaque retineamus pias consuetudines, v. g. audiendi in diebus festis, non priuatam tantùm missam, sed officium decantatum vnà cum concione. In magnis solennitatibus non omittamus confiteri & communicare: cùm solet fieri ad altare oblatio fidelium, fiat.

Rursum nec feminæ nec pueri obligabantur ascendere Ierosolymam: ascendit tamen B. Virgo cum puero IESV. Quare decet etiam nos facere plura, quàm iubemur: Displicet nobis seruus, qui non vult amplius aliquid facere quàm seruitium eius postulet; veluti stultus ille, qui priùs quàm Domini iussa perficeret, inspicere solebat tabellas suas, num id genus officij sibi præceptum foret. Et væ nobis, si eiusmodi rigore agat nobiscum DEVS, quo nos agimus cum illo.

5. Quintò, Denique gratiam DEI priùs, quàm gratiam hominum quærere: Siquidem legimus Christum profecisse gratiâ apud DEVM primò, deinde apud homines. Errant toto cœlo, qui per gratiam hominum venari gratiam Dei volunt. Contrariâ viâ eundum est. Facilè amabitur ab hominibus, quem amauerit Deus, licet non ametur ab omnibus. Neque enim Christus dicitur placuisse omnibus; sufficit placere optimis. Econtrà autem sæpe fit, vt qui hominum tantùm gratiam quærunt, & Dei & hominum gratiam perdant. Sic accidit Pilato, qui ne Cæsaris amicitiam perderet, Christum crucifixit; & sic & Christi & Cæsaris iram incurrit: ab hoc missus in exilium, ab illo in infernum, à quo custodiat nos benignissimus DEVS.

CONCIO IX.

Mysteria Euangelica.

1. *Quæritur cur ascendit Christus in Ierusalē.*
2. *Cur remansit vltra tempus.*
3. *Cur insciis parentibus.*
4. *Quâ ratione excusentur Christi parentes.*
5. *Cur mater, non Ioseph, Christum allocata.*
6. *Quid fecerit eo triduo Christus.*
7. *Quomodo profecerit Christus.*

THEMA.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius
Lucæ 2.

SPectauimus his diebus Deum factum hominem, iacentem in cunis, adoratum à pastoribus & Magis, circumcisum, quæsitum ab Herode, fugientem in Ægyptum, inde redeuntem: sed nondum audiuimus loquentem. Nunc tandem aduenit tempus, quo eundem audire possumus. Vtrumque maximis votis petiit olim sponsa, cùm dixit, *Cant. 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Ostendit nobis his diebus faciem suam Christus, nunc proponit etiam vocem. Hodie enim primò locutus est hic sponsus dilectæ suæ sponsæ, quando in templo Ierosolymitano auditus est tam doctè disputare, vt omnes obstupescerent, & quando respondit parentibus: *Quid est quod me quærebatis? En dilectus meus*, inquit sponsa, *loquitur mihi.* Et rursum: *Vox turturis audita est in terrâ nostrâ*; quoniam videlicet post longam legis hyemem, lætissimum gratiæ Ver mundo anoonciauit. Itaque ad hanc vocem euigilemus, Auditores. Et quia neminem esse puto, qui non auidissimas aures præbuisset Christo Domino, si loquentem hodie & disputantem cum Doctoribus audire potuisset: pari auiditate spero vos audituros ea, quæ circa primam illam Christi disputationem gesta sunt. A.

QVÆST. PRIMA, Cur ascendere voluit Christus tunc in Ierusalem, cùm ad id nulla lege obligaretur? Respondeo. Primò vocatum eò Christum ab ætate. Cùm enim circa annū duo- B. I. Cur ascē dit Christus in Ie

rusalem 1. duodecimum incipiat ætas discretionis, voluit eo anno, & quidem tempore paschali Christus accingere se ad cultum Dei publicum & præceptorum obseruationem ac per hoc exemplum præbere nobis, vt eâ etiam ætate incipiamus seruire Deo, ad conciones & S. Synaxin accedere (quia tunc iam possumus nos probare, iuxta doctrinam Apostoli. 1. Cor. 11.) & assuescere præceptis, etiam ad quæ nondum obligamur, veluti ieiuniis. Deinde voluit hac ætate specimen edere suæ diuinitatis & sapientiæ ad confirmanda corda eorum, qui vel iam in ipsum credebant, vel postea credituri erant.

2. Respondeo Secundò. Vocatum eò, à festo Paschali, quod de ipso & propter ipsum fiebat, quia ipse erat Agnus in paschate immolandus. *Erat igitur*, inquit Eusebius Emissenus in hom. *cum ceteris Iesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis, permixtus turbis, ab omnibus videbatur, qui in lege & Prophetis prædicabatur, in sacrificijs signabatur: & à nemine cognoscebatur, quia duplici velamine tegebatur: inde velamine literæ, hinc carnis pariete. Vnde scriptum est Cant. 2. En ipse stat post parietem nostram, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Ipse iugulabatur in agno, immolabatur in vitulis & in omnibus sacrificijs offerebatur, &c.* Vtinam non idem nunc contingeret, ne dum videlicet Christus immolatur in altari, multi sint, qui de eius præsentiâ nihil omnino cogitant: Ibi stat post parietem, ibi prospicit per cancellos.

C. II. Cur remansit vltra tempus? Q. SECVNDA, Cur remansit vltrà tempus festiuitatis Christus in Ierusalem? Respondeo. Primò, ob amorem Patris sui cælestis, vti indicat iis verbis: *Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Allegauerat Deipara dolorem Patris eius Iosephi: *Pater tuus & ego*, &c. Sed Christus respondet allegando fortius vinculum, quo deuinciebatur Patri suo æterno, quem infinities plus amabat: & quia eius domum inuenerat in Ierusalem, posthabuit domum Patris terreni & adhæsit domui Patris cælestis. Qui alligatus est catenâ, non potest abstrahi fune. Omnia elementa cùm attingunt proprium suum locum, tenaciter ei adhærent, nec facilè negotio inde auelluntur. Locus proprius Christi erat sinus Patris cælestis, qui in templo veluti sede suâ requiescebat. Illi ergò adhæsit & tam forti nexu, vt nisi accederet præceptum obediendi Parentibus, veluti impetus quidam, inde auelli nollet. Ostendit ergò quàm libenter, quod in se erat, semper in templo maneret velut in domo Patris sui Primarij, eiusque obsequio se totum impenderet.

2. Secundo, Ob amorem hominum & zelum salutis humanæ, quo nimirum occasionem haberet suis doctissimis interrogationibus & responsis erudiendi homines. Et hoc alterum erat negotium Patris eius, in quo occupandum se dicebat. Ob eandem caussam, cùm occuparetur in erudienda Samaritanâ, oblitus est famis suæ corporalis, quia nimirum cibo reficiebatur spirituali, qui erat salus vnius animæ. Vnde mirantibus Discipulis, quòd nō esuriret ampliùs, respondit: *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius Ioan. 4.* Ita ergò & nunc ob zelum & fitum animarum in tenebris hæsitantium, remansit in Ierusalem, vbi occasio eos iuuandi erat, & oblitus est paternam domum, quæ iam illuminata erat. Propterea in simili casu aliquando dixit: *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus Matth. 9.* Inuenerat hic Medicus Ierosolymis nosocomium amplissimum, inuenerat campum apertissimum perficiendi opus suum, quod totis visceribus quærebat; Quid mirum igitur, si diutius ibi se detinuit? Adhæc præceptum DEI erat, vt relinqueret homo patrem & matrem & adhæreret vxori suæ. *Gen. 2.* reliquit ergò Christus Patrem & Matrem, & adhæsit sponsæ suæ Ecclesiæ.

D. III. Cur inscijs parentibus? 1. Q. TERTIA, Cur remansit inscijs parentibus? An non præcepit ipse parentes honorandos? Et cur parentibus suis tanti doloris caussam præbere voluit? Respondeo primò, duplex genus operationum fuisse in Christo: commune & proprium. Illud exercebat iuxta placitum parentum carnalium, quia concernebat actiones tantùm humanas: hoc verò quia cum carne & sanguine non benè cohærebat, vti mori, paupertatem colere, aliorum saluti inuigilare, in summa paupertate aliis euangelizare, &c. consultò faciebat nescientibus parentibus, ne videlicet eorum animos grauiùs vulneraret. Hinc non legitur valedixisse Matri pergens ad mortem, aut licentiam ab eâ petiisse. Tametsi enim Mater nequaquam ei contradixisset, non potuisset tamen absque grauissimo dolore talia audire & concedere. Idem, ni fallor, contigisset, si dimissis parentibus dixisset Christus se per triduum in vrbe remanere, mendicare, & in templo disputare inter Doctores debere. Hinc prudenter filij, ne parentum animos exulcerent, clam illis faciunt, quæ aduersus carnem & sanguinem Deo iubente faciunt. Ita Samson occurrentem sibi Leonem, irruente in se spiritu, dilacerauit inscijs parentibus, licet non procul absentibus; quia si eos hac de re interrogasset, vel dissuasissent, vel de ipsius salute valdè anxij fuissent. *Iudic. 14.*

2. Secundò, Vt doceret in iis rebus, quæ ad gloriam Dei & animæ salutem spectant, non semper interrogandos esse parentes. Sic enim docuit Dominus: *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem, &c.* Et rursum, quando vnt dicenti: *Vado priùs sepelire patrem meum*; Respondit: *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Ita Hieron. ep. ad Furiam: *Non es eius cui nata es, sed cui renata.* Et ad Heliodorum: *Licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola, &c.*

E. IV. Quomodo excusantur Christi parentes? 1. Q. QVARTA, Quâ ratione Christi parentes excusantur à culpâ ob filium perditum, præsertim cùm per integrum diem redeuntes caruerint eius præsentiâ? Certè hæretici grauiter accusant Deiparam, sed more suo iniquissimè ex innato in eam odio. Respō ergò excusari

cusari primò ab Euangelistâ dicente: *Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos.* Poterat enim Christus facilè se subducere, ne aduerterent parentes; poterat Ierosolymâ abire cum cognatis, quibuscum versari solebat: quod videre parentes poterant & facilè concedere in gratiam amicorum, qui Christi præsentiâ & colloquio recreabantur: poterat deinde Christus in viâ recedere ab amicis, quasi rediturus cum parentibus, & sic manere Ierosolymæ, vel alio modo latere, ita vt parentes eius prudĕter existimare possent eum non remansisse. *Fortè ob hanc causam*, ait S. Bern. Serm. super hod. Euang. *consummatis omnibus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalē, & non cognouerunt parentes eius. Arbitrans enim vnusquisque, quia esset cum altero, vtpotè qui amabatur ob omnibus & ab omnibus petebatur, non cognouerunt parentes, quòd abesset*, &c. Sic Bern.

2. Secundò, Excusari etiam à Christo, cùm dixit: *Quid est, quod me quærebatis: nesciebatis*, &c. q. d. non erat necesse vt me quæreretis; Ego enim non culpâ vestrâ, sed voluntate meâ & consilio ac prouidentiâ Patris mei clàm vobis hîc remanli ad expedienda Patris negotia. Et propterea Christi parentes, cùm eum venerarentur tanquam DEVM, non immeritò multa relinquebant eius arbitrio, securi nihil eum incautè vel imprudenter acturum, vel præter voluntatem passurum. Nihilominus tamē dolentes eum quærebant, tum quia eum summè diligebant adeoque eius præsentiâ nō sine dolore carebant; tum quia metuebant ne parentum obsequio destitutus incommoda multa pateretur; tum quia nesciebant quando inueniendus & quid facturus esset, &c. Sciebant quidem quod perficere haberet opus Patris, propter quod in mundum venit, nesciebant tamen quod eius operis initium tunc facturus esset, anno videlicet ætatis 12. Hoc igitur est, quod eos Christus docet interrogando: *nesciebatis*, &c? q. d. Sciebatis vtique opus Patris mei, propter quod in mundum veni: nunc verò scitote fuisse id modò à me inchoandum. Mirum igitur, qui hæretici nodum in hoc scyrpo quærant.

3. Tertiò, Excusari ab ipsa Matre, quæ si in culpâ fuisset, non ausa fuisset filium sic alloqui: *Fili quid fecisti nobis sic?* Sed potiùs timuisset, ne ab illo reprehenderetur. *At qui bene ministrauerint*, ait Apostolus 1. *Tim.* 3. *acquirent sibi fiduciam multam in fide*, id est, libertatem, scilicet ad loquendum, postulandum.

F. V. Cur mater non Ioseph, Christum allocuta?

Q. QVINTA, Cur Maria, non Iosephus, Christum allocuta est: *Fili quid fecisti nobis sic?*

1. Respondeo primò: quia plus iuris in eum habebat, quàm Iosephus. Illa vera eius Mater; hic nutritius tantùm fuit. Illa propriè dicere poterat: *Fili*, hic verò non nisi impropriè. Et quid mirum, si ouis inuento agno suo balatum edat, tacentibus aliis, quæ non sunt Matres?

2. Secundò, Quia plus filium amabat & consequenter etiam plus doluerat ob eius amissionem. Atqui maior amoris excessus maiorem præbet fiduciam alloquendi dilectum, vti & maior excessus doloris magis vrget ad loquendum. Hinc Petrus & Ioannes, quia magis diligebant Christum, præ cæteris audebant confidentiùs eum alloqui. Nihilominus Deipara hanc amoris sui prærogatiuam texit velo humilitatis, dum sponsum sibi præposuit, dicens: *Pater tuus & ego*, &c.

G. VI. Quid fecit eo triduo Christus?

Q. SEXTA, Quid fecit eo triduo Christus? Silet hâc de re Scriptura. Probabile tamen est,

1. Primò, fuisse vt plurimum in templo; quia ait: *Nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse.* Ergò in templo velut paternâ domo morabatur. Deinde quia in eo à parentibus inuentus est. Cùm enim inuenitur filius in ludo, tabernâ, palæstrâ, &c. signum est eum ibi frequenter esse. Nunc perfectò cùm parentes perdunt filios non solent eos quærere in templo, sed in tabernis, sphæristeriis, &c. quia ibi sunt frequentes. Et ita communiter à morte ibi inuenitur homo, vbi consueuit esse. Si communiter es in statu peccati mortalis, in odio, ebrietate, libidine, neglectu præceptorum Ecclesiæ, ibi te inueniet mors, & talem Iudici præsentabit.

Secundò, Crediderim fecisse exercitia spiritualia, ac reuoluisse animo futuram passionem suam siue adeundo loca, in quibus passurus erat, ad instar equitis, qui docet equum suum ingredi locum certaminis, nequid horreat: siue spectando victimas, quomodo iugularentur & immolarentur, siue aliis modis. Tentauit ergò noster Dauid, si armatus posset incedere pugnaturus contra Goliath. 1. *Reg.* 17. Moueor ad hoc, quia triduo remansit in Ierusalem insciis parentibus, quod triduum fuisse præludium tridui passionis & mortis eius, asserit S. Ambrosius hoc loco *l. 2. in cap. 2. Lucæ.* Idem & nobis faciendum, mors sæpe præmeditanda, si hostem nostrum vincere & bene mori volumus. 2.

3. Tertiò, Probabile est mendicasse, vel saltem vltrò oblatis Eleëmosynis vixisse. Vnde enim illi victus? Potuit se sustentare mirabiliter, potuit pasci ab Angelis; sed necdum voluit miracula facere. Primum illud commemoratur, quod in Canâ fecit. Ergò vel à Doctoribus inuitabatur, vti sentit Ioan. Maior; (quis enim non inuitasset puerum tam admirabilem?) vel ostiatim mendicabat, vti meditatur S. Bern. *in serm.* super hod. Euang. qui rectè adducit testimonium S. Pauli 2. *Cor.* 8. dicentis: *propter vos egenus factus est* (in Græco habetur, *mendicauit*) *cùm esset diues.* Accedit *Psal.* 39. de Christo scriptus, in quo ipse ait: *Ego autem Mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei.* Voluit igitur Christus per omnia conformare se nostris miseriis, & punire cupiditates nostras. Nos vetita & aliena rapimus, ille quod suum erat, mendicauit.

H. VII. Quomodo profecit Christus?

Q. SEPTIMA, Quomodo profecit IESVS sapientiâ & gratiâ? Resp. non profecisse quoad habitus, sed quoad effectus & manifestationem gratiæ & sapientiæ suæ. Itaque non fiebat

bat paulatim sapientior & DEO gratior, sed apparebat in eo indies maior gratia & sapientia, & quidem coram Deo & hominibus, hoc est, verè, quoad effectus, dum nimirum edebat opera magis & magis eximia, maiorem sapientiam & gratiæ redolentia. In hunc modum Sol, licèt initio diei tantam habeat claritatem, quantam habet in meridie, crescere tamen in claritate dicitur & videtur, quia in meridie magis explicat lumen suum. Item cùm nube opertus paulatim eam diuidens magis & magis diffundit radios suos. QuareChristus in Infantiâ suâ, quasi densâ nube tectus fuit & nullos penè radios suæ gratiæ ac sapientiæ ostendit. Sed in pueritiâ incepit dissipare nonnihil nubem, & sensim effundere radios suos.

2. Secundò, Respond. profecisse etiam sapientiâ seu scientiâ experimentali & acquisitâ; etsi non videtur huc respexisse Euangelista) didicit ergò ipsâ experientiâ obedire: paupertatem, esuriem, contemptum pati, &c. vt nobis per omnia similis fieret & compati posset infirmitatibus nostris. Facile est scientificè disputare de obedientiâ, sed non ita, obedire. Christus illud semper sciuit, hoc in tempore didicit, quomodo etiam ad *Hebr.* 5. dicitur *ex ijs quæ passus est, didicisse obedientiam.*

Hunc in modum decet etiam nos vnâ cum ætate indies proficere, sapientiâ & gratia, seu virtutibus, earumque radios magis & magis effundere. Et certè si nihil aliud, ipsa ætas & experientia nos facere cautiores & sapientiores deberet. Quàm multa enim ætate nostrâ spectauimus vel audiuimus, quæ nos in Dei obsequium, mundi contemptum, virtutum amorem, & vitiorum fugam impellere debent? Quàm multis experimentis videmus Deum in cœlo esse, vindicem malorum? hæresin esse fugiendam? vitia cauenda? Quàm multi didicerunt ipsâ experientiâ, malè sibi cedere ebrietates, fraudes, rapinas, libidinem? benè contrà virtutem? non se depauperari per crebras Eleëmosynas & templi frequentationem, festorumque obseruationem? Quàm sæpè experti sumus, malum tandem finem sortiri improbos, bonum verò probos? Quàm crebrò animaduertimus morti non fidendum, vt quæ antè & retrò, iuuenes & senes pariter & inexspectatò adoriatur? Quàm crebris Dei flagellis puniantur scelera nostra? Et hæc omnia tamen parum adhuc possunt ad nos erudiendos. Meritò ergò timemus, ne in nobis aliquando verificetur illud Isaiæ 65. *Puer centum annorum morietur & peccator centum annorum maledictus erit.* Audiamus Philonem Iudæum: *Quousque nos senes adhuc pueri erimus? Corporibus quidem propter temporis longæuitatem senes, an mis autem propter ignorantiam & hebetudinem, admodum pueri?* in Mellisâ *l.* 2. *cap.* 18. Audiamus ipsum Christum hac de causâ discipulos redarguentem, quod adhuc de panibus soliciti essent postquâ iterato miraculo pasti erant *Quid cogitatis, inquit, quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes non videtis & aures habentes non auditis? Nec recordamini, quando 5. panes fregi in 5. millia? Et quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei duodecim. Quando & septem panes in 4. millia: quot sportas fragmentorum sustulistis? Et di. ût ei: septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?* Marci. 8. Nobis hæc Auditores, dicta existimemus & Deo confidamus, &c.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Ioannis 2.



IN illo tempore, Nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum. Vinum non habent. Et dicet ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, Facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas vsque ad summum Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat, vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius.

habent oculos & reflexos in alios amatores. Expertus est & Sichem, *Gen.* 34. qui cùm nimis perditè amâsset Dinam nimiſque præcipitanter ſibi copulaſſet, poſt triduum ab vxoris fratribus Simeone & Leui trucidatus eſt. Præcipitatæ ergò & inconſideratæ nuptiæ citò vertuntur in luctum, odium & faſtidium. Præcauēs id Abrabam adiurauit ſeruum ſuum Eliezer, vt ne acciperet filio ſuo Iſaac, vxorē de Chananæis impiis, ſed iret in terram cognationis ſuæ & domum Nachor bene moratam. Ipſe verò ſeruus vt è pluribus illius terræ filiabus meliorem ſeu magis virtuoſam eligere poſſet, DEVM precabatur & induſtriam adhibebat, vnde virtutem eius exploraret. Etenim: *Puella cui dixero*, inquit, *inclina hydriam tuam vt bibam; & illa reſponderit: Bibe, quin & Camelis tuis dabo potum, ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac. Gen.* 24. Ex hac enim promptâ eius beneuolentiâ colligebat eam fore benignam, liberalem, laborioſam, prudentem. Talis igitur quærenda vxor virtuoſa ſcilicet & prudens: talis item maritus. Sic enim *Eccleſ.* 7. dicitur: *trade filiam tuam, ſed homini ſenſato da illam.* Quod vt conſequaris, orationem adhibe, quemadmodum Eliezer. *Domus enim & diuitiæ à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens,* ait Sapiens *Prouerb.* 19. Deinde examen ſedulum, non oculorum tantùm, ſed & aurium, non colorum ſed morum. Non enim debet in coniugum delectu minor adhiberi induſtria, quàm in equorum: in his aut parum aut nihil ſpectatur color, ſed virius & robur. Quamobrem interrogatus Themiſtocles Philoſophus, cui libentiùs filiam ſuam dare vellet, diuitíne improbo & inſipienti, an pauperi probo & ſenſato? optimè reſpondit: *malo habere hominem qui pecuniâ indigeat quàm pecuniam, quæ viro opus habeat.* Ita Pulcheria fratri ſuo Theodoſio Imp. Eudoxiam pauperem Leontij Philoſophi filiam à patre exhæredatam ſed bene eruditam & moratam vxorem procurauit, felici prorſus ſucceſſu, apud Rader. *in aulâ ſanctâ c.* 4. Quia verò hoc à multis non obſeruatur, inde tot litigioſa & calamitoſa cernimus coniugia. Nam *ſapiens mulier ædificat domum ſuam: inſipiens extructam quoque manibus deſtruet*, ait Sapiens *Prouerb.* 14.

C. II. Par nubat pari.

SECVNDÒ, Chriſtus accepit ſponſam ſibi ſimilem, Eccleſiam ſcilicet, cui vt ſimilis eſſet, naturam humanam induit, quemadmodum Sichem circumciſionem accepit vt potiri poſſet Dinâ ſponsâ Hebręâ *Gen.* 34. Audi Apoſtolum ad *Hebr.* 4. *Non habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.* Itaque vt nulla prorſus anima licet nobiliſſima, ditiſſima, ſapientiſſima, pulcherrima, ſponſum hunc reſpuere poſſit, ipſe factus eſt nobiliſſimus, quia de ſemine regio ortus. Idem etiam, vt nulla quamuis viliſſima, pauperrima, rudiſſima, & incultiſſima anima eius connubium acceptare metueret, factus eſt humillimus & vxoris fabri filius. Propterea ad eius nuptias ſtabulo Bethlehemitico celebratas inuitati venêre primò paſtores ſine vllo munere, viles, pauperes, rudes; deinde etiam accurrerunt cum muneribus Magi, diuites, Reges, ſapientes. Ad exemplum ergò Chriſti, Eccleſiæ ſponſi, par pari, quantum fieri poteſt nubat, iuxta id Ouidij in Deianirâ: *Si qua voles apte nubere, nube pari.* Coniuges enim dici videntur à coniugio boum arantium, ex quibus ſi alter altero ſit longè minor vel imbecillior, cum neutro agetur bene: ſupra vires vterque laborabit. Ideoque præcepit Deus *Deut.* 22. *Non arabis in boue ſimul & aſino*; ſiquidem aſinus boue multo infirmior plus æquò grauaretur, & ſimul etiam bos. Primò igitur ne contrahas cum infideli aut hæreticâ. Quod vt innuit Hieron. *l.* 1. *contra Iouin.* vetuit Apoſtolus 2. *Cor.* 6. dicens: *Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Vt enim aſinus ad iugum trahendum ineptus & capitoſus retardaret bouem progredi volentem? ſic infidelia aut hæreticus coniunx, cum præceptorum Dei iugum trahere nolit, impediet etiam coniugem fidelem, ne Deo & bonis operibus vacet. Nam ſi vxor ſit hæretica, cùm mulier ſoleat à viro ardentiùs amari, quàm amare ipſum, facilè ſeducet eum blanditiis quaſi faſcinis & præſtigiis, vt Adamum Eua, alienigenæ mulieres Salomonem, Iezabel Achab regem, Dalila Samſonem. Liberi etiam illorum deteriorem ſequentur partem, quemadmodum liberi Hebræorum ex alienigenis nati vxoribus neſciebant loqui Iudaicè, ſed magis loquebantur Azoticè, quia habebant matres Azoticas. 2. *Eſdr. vlt.* Si maritus ſit hæreticus, coget velut vxoris caput, eam in ſuum conſentire errorem. Nec valet obiectio hæreticorum: quòd non tantùm Catholici ſed etiam Lutherani & Caluiniſtæ ſint Chriſtiani. Non valet, inquam, quia hæreticus verè Chriſtianus non eſt, cùm non credat niſi quæ ipſius capiti & ventri placent. Fuerunt quidem ad præſepe Domini tam Aſinus quàm Bos: Sed diuerſimodè tamen, vt indicauit Iſaias *cap.* 1. cùm dixit: *Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum & Aſinus præſepe Domini ſui.* Aſinus ergò, id eſt, capitoſus hæreticus agnoſcit præſepe Domini, id eſt, ea tantùm credit, quæ capiti & cupiditati eius placent, vti Lutherani ea, quæ voluptati arrident, amplectuntur, non item quæ aduerſantur. Verùm Bos, id eſt, fidelis cognoſcit ipſum Dominum.

Deinde coniunx longè ditior & nobilior, exprobrabit alteri paupertatem & generis obſcuritatem quauis exortâ lite: atque ita vxor ditior multò ac nobilior Bos cornutus erit & crebrò virum impetet, maritus verò illius Aſinus erit. Quid enim maſculus iuxta Amazonem, niſi aſellus iuxta bouem? Propterea ſapuit ille qui vxorem accepit ſine vllâ dote, cùm multæ ſe opulentæ offerrent; *ne videlicet dotum fræno conſtrictus*, vt ipſe aiebat, *vxori meæ nupſiſſe ego videar, & ita contra Apoſtoli doctrinam viri caput fiat mulier.* refert Beyr. apopht. Chriſti.

Rurſum

Rursum ne annis valde impares sint vxor, & maritus: quia periculum subest, ne iunior seniorem fastidiens aliena diuerticula quærat & senex perpetuâ zelotipiâ laboret.

Denique ne consanguinei aut affines in gradibus prohibitis; hi enim non tam pares quàm iidem sunt. Vbi etiam dispensatio (nisi ob magnum reipub. bonum) non est petenda aut extorquenda: quia diuina iustitia punit tales nuptias aut per matrimonij dissolutionem aut per mortem alterius coniugis aut per sterilitatem aut per filiorum mortem, &c. Vnde S. Gregorius ad August. Anglorum Episcopum, vt refertur 35. q. 3. c. quædam lex, scribit: *Experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere.* Et D. Ambrosius à quodam amicorum suorum consultus, an filium nepti suæ elocare posset l. 8. *epist. ad Paternum*, seuerissimè ipsum reprehendit, quòd hoc cogitâsset, additque: *Oportet ab eâ intentione discedas, quæ etiamsi liceret, tamen tuam familiam non propagaret.* Magnatibus tamen id conceditur ob publicum bonum, non priuatis, nisi grauissimis de causis.

D. III. Bono fine. TERTIÒ, Christus desponsauit sibi Ecclesiam, vt de eâ spirituales filios procrearet ad DEI gloriam & ipsorum salutem, Patriarchas videlicet & Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, &c. Qui omnes renati sunt non ex semine corruptibili sed incorruptibili *per verbum Dei viui*, vt dicitur 1. *Pet.* 1. Et *Gal.* 4. *Misit Deus filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Non despondit sibi Ecclesiam Christus vt eius pulchritudine aut diuitiis potiretur, quæ nullæ erant: nec ob aliquam dulcedinem, cùm dolores potiùs & crucem sibi ab eâ fabricandam sciebat: Vnicum tantùm desiderium eum mouit, bonorum scilicet filiorum ad DEI gloriam & ipsorum salutem gignendorum. Similiter ergò matrimonium contrahendum principaliter, vt filij procreentur non tantùm ad posteritatem conseruandam, sed inprimis ad cœlum replendum & Reip. ciuilis & Ecclesiasticæ bonum promouendum. Quem finem expressit DEVS, cùm dixit *Gen.* 1. *Crescite & multiplicamini & replete terram & subijcite eam.* Vbi notat D. Chrysostomus primum etiam brutis dictum esse, sed postremum illud: *subijcite eam*, solis hominibus, quia nimirum, vt Rupertus ibid. ait: *Primum quidem commune est electis & reprobis, qui omnes eodem modo nascendo pariterque viuendo replent terram. Sed in eo discernuntur, quod sequitur: Et subijcite eam; soli namque electi quorum est terra viuentium, hanc terram, quam corporibus repleuerant, libertate animorum sibi subijciunt. Quippe qui solum Deum præponentes, terrena omnia fortiter contemnunt.* Hæc Rupertus. Igitur qui cœlum replent, terrâ sibi subiiciunt, qui verò infernum replent, subiiciuntur terræ. Propterea peccator velut telluris inutile pondus, terram frustra occupare dicitur à Christo sub typo ficûs infrugiferæ *Luc.* 13. *Succide illam*, ait; *Vt quid etiam terram occupat?* Institutum igitur matrimonium vt & terram frugiferis repleat hominibus & electis cœlum. Proinde coniugij finis est, non viuere tantùm dare filiis, sed & bene viuere: ad hoc enim datum est viro adiutorium, mulier videlicet. Aberrant igitur quàm longissimè à scopo matrimonij, qui id amplectuntur propter spem diuitiarum, nobilitatis vel bonorum, vel propter delicias & voluptatem: isti enim non Deum, sed Plutum, Iouem, Venerem ad nuptias inuitant. Notat Rupertus non absque causâ soporem Adæ immissum ipsumque in Deum raptum fuisse cùm ex eius latere fieret Eua, mox illi desponsanda. Vult enim hoc significasse, coniugem futurum non attendere debere ad opes vel delectationem aliosque profanos fines, sed præcisè ad Dei gloriam. Quemadmodum Tobias fecit, qui accepturus Saram coniugem dicebat: *Tu Domine scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam coniugem, sed solâ posteritatis dilectione in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum Tob.* 8. Hoc verò quia non obseruarunt septem illi viri, qui eandem Saram priùs iungere sibi volebant vt libidini vacarent sicut equus & mulus, idcircò omnes à dæmone oppressi sunt. *Tob.* 6. Filij etiam Seth, quia acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant; non scilicet ob desiderium procreandorum filiorum, sed ob voluptatem & intemperantiam, vt ait Chrysostomus; hinc Gigantes procrearunt, qui terram perturbarunt & diluuium meruerunt. Vnde & illegitimi filij cæteris ordinariè peruersiores sunt, in pœnam parentum, qui non liberos sed libidinem sibi pro scopo præfixerunt.

QVARTÒ, Christus ex voluntate Patris despondit sibi Ecclesiam; sic enim cùm Samaritanam allieeret in amorem & connubium suum spirituale, dixit: *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius. Ioan.* 4. Ac nisi cœlestis Pater in hoc filij laudatissimum consensisset matrimonium, nequaquam fecisset illi nuptias, quod tamen habetur *Matth.* 22. Similiter ergò cum parentum consensu & consilio est matrimonio tractandum est. Etenim scriptura cùm de liberorum nuptiis loquitur, semper curam demandat parentibus, non filiis. Illis præcipitur ne liberis suis accipiant vel dent coniuges ex terrâ Chanaan, *Exodi* 14. *Deut.* 7. Abraham misso in Mesopotamiam famulo, tulit inde vxorem filio suo. Et Isaac licet iuuenis non concupiuit mulierem, quam oculis suis primùm aspexisset, sed paratum se obtulit ad eam accipiendam, quam pater ei traderet; nec petiit, vt ipsemet mitteretur pro vxore sibi deligendâ, sed rem patris dispositioni commisit; vt notat Ruper. *l.* 6. *in Gen. c.* 38. sic 1. *Cor.* 7. Apostolus parentibus concedit vt tradant nuptui filias suas. Hod. quoque Euangelij nuptias cum parentum & amicorum cōsensu celebratas esse, colligitur ex eo, quòd mater Iesu, titulo cognationis de communi Doctorum sententiâ, ad eas vocata fuerit. Ratio, quæ id suadet est, quia parentes meliùs intelligunt, quid liberis expediat, remque maturiùs ponderant, E. IV. Cum cōsensu parentum.

rant, quàm ipsi. Deinde Liberi irreuerentiam exhibent parentibus, qui rem tanti momenti, insciis vel inuitis illis adoriuntur. Imò & iniuriam eis faciunt, quia dant parentibus nepotes, quos ipsi nolunt. Et propereà Esau, quia duxerat vxores alienigenas, quæ animum patris offenderant *Gen. 26. & 27.* meritò fratri subiectus est. Excipiunt ab hac lege Doctores:

Excipiu[n]tur hi casus. Primò, Si desiperent aut furerent parentes.

Secundò, Si aliâ in regione procul morarentur parentes, ab iisque diu rectè abesset filius. *instit. de Napt.*

Tertiò, Si à nuptiis inuitos ac repugnantes, natos iam maturos iidem prohiberent parentes.

Quartò, Si ne vel dotem vel sumptum in nuptias moderatum dare deberent iidem parentes, ad alias filios vrgerent nuptias. *leg. 1. ff. de ritu nupt.*

Quintò. Si aut non contradicerent parentes aut propter locorum intercapedinem contradicere non possent, eiusmodi matrimonium essent, vt verisimiliter putarentur, si id cognoscerent approbaturi; Sic enim Iacob non Rachelem modò ac Liam sed earum ancillas duxit Vxores, *Gen. 29. & 30.* Sic & Saram iunior Tobias *Tob. 7.*

Sextò, Si coniunx à parētibus proponeretur heretica, vel hæreticus, alteriúsve impietatis ac superstitionis; vt si Turca, Ethnicus, Iudæus.

Septimò, Si item proponeretur crudelis, ferus, acerbus, pacis domesticæque tranquillitatis impatiens, prodigus, ebriosus, laborum suo congruentium statui fugitans, deses, proditor, perduellis, aliisve grauibus vitiis contaminatus ac infamis.

Octauò, Si leprosus, clinicus, morbosus, deformis admodum, grauecolens, aliisve similibus quibusdam rebus nimiùm intolerandus.

Nonò, Si fortuna conditioque dispar admodum, vt si liberæ ac ingenuæ seruus dandus esset maritus, principi fœminæ plebeius.

Decimò, Si qui rectò matrimonij scopo aduersaturus omninò iudicaretur.

Vndecimò, Si denique filius ipse esset emancipatus, prout tam Iurisperiti quàm Theologi tradunt, & clarè significat Tridentinum *Sess. 24. decr. c. 1.* dum de solis filiisfamilias quosdam secus opinatos monstrat.

Quòd si quis parentibus meritò inuitis, cōtraxerit: ratum erit matrimonium nec à quoquam irritari potest. Quemadmodum & S. Ambrosius ad Sisinnium scripsit *ep. 43.* meritò quidē eum indignari quòd filius eo inscio & inuito vxorem duxerat: Consultò tamen id filio ignoscere, qui nemini quàm sibi vxorem illam acceperit. *Fuit quod succenseres filio,* inquit, *sed fuit etiam, quod remitteres, qui sibi vxorem delegit. Sanè tibi en sibi ad proprium tonum deligit tibias, sic oportet, vt deligat coniunx coniugem,* ait Callicratides. Certè nemo inuitus cogi à parentibus ad matrimonium debet. Vnde Plautina in Sticho Panegyris ait: *Stultitia est Pater, venatum ducere inuitos canes. Hostis est vxor inuita, quæ ad virum nuptum datur.*

Obseruent autem parentes vt ne iusto tardiùs aut ante ætatem congruam liberis suis quærant coniuges. In priore enim casu præteribuntur filiæ præsertim; aut concupiscentiâ victæ in turpitudinis barathrum cadent. In posteriore verò multa pertimescenda sunt, vitium defectus, liberorum infirmitas & mala educatio, cùm scilicet viderint liberi patri barbam pullulare: dilapidatio honorum ob imperitiam regendæ familiæ, &c.

Quòd si parentum consensus meritò requiritur, multò magis adstipulatio ipsius DEI, vt scilicet eo beneuolo & amico sacramentum suscipiatur. Quia enim vxor bona donum DEI est, & matrimonium sacramentum factum est, in quo DEVS gratiam & auxilia sua, quasi spiritualem supellectilem ad status illius difficultates superandas dare promisit, debent contrahentes ante omnia curare vt in gratiâ DEI sint, cùm sacramentum hoc suscipiunt: ideoque priùs si quâ labe se aspersos viderint, eam abstergant pœnentiæ lauacro. Idcircò enim primam vxorem adduxit ipsemet DEVS homini, vt indicaretur ab eius manu beneuolâ coniugem accipiendam esse. Et quemadmodum parentes, quibus offensis contrahit filius, non accedent ad nuptias filij, nec porrigent ei manum, cùm inceperit egere, nec dabunt eam, quam aliàs daturi erant dotem, nisi postmodum ei reconcilietur: Sic & DEVS non intererit nuptiis peccatoris, nec dabit gratiam contrahenti in peccato mortali, sed ad iram potiùs prouocabitur, donec recedente hominis fictione ei reconcilietur. Isti enim propriè Deum à se & mente suâ excludunt, vt illi septem, à dæmone oppressi, *Tob. 6.* quia gratiam Dei sibi oblatam repellunt.

QVINTÒ, Christus forti & magno animo suum cum Ecclesiâ matrimonium aggressus est, nihil non periculorum, curarum, afflictionum sufferre paratus, non pro illâ tantùm, sed etiam ab illâ. Idcircò enim in ipso quasi sponsalium initio asperrima quæque experiri voluit, quando adhuc in vtero matris peregrinari trans montana & seruis suis ministrare, paulò post ad imperium terreni Cæsaris in Bethleem abire & ibidem profiteri, nec non in stabulo diuerti, nasci & morari tempore brumali, fasciis inuolui & in præsepio reclinari voluit. *F. V. Magno animo sustinendū onus coniugij.* Quis ista videns & considerans non exclamâsset: Hem quàm præclarus futurus est hic Ecclesiæ maritus? quàm patiens, quàm amans, quàm laboriosus? Refert Plutarchus *in precept. coniug.* Lepti, quæ Africæ vrbs est, moris esse patrij vt postridie nuptiarum sponsa ad socrum mittat, petitum ollam; Illam verò negare & quidem eum conuitio; vt ita nouercalem socrûs animum initio statim sponsa experta, non ferat iniquo animo, si quid ei postmodum asperius contingat. Eandem prorsus fortunam Christus initio statim matrimonij sui experiri voluit, cùm in domo sponsæ suæ nasciturus hospitium sibi concedi vel ad paucos dies petiit, sed repulsus ab illâ est, ideoque

ideoque in stabulo divertit, *quia non erat ei locus in diversorio.* Nimirum optimè præsciuit Christus, quid molestiarum à sponsâ suâ & propter illâ perpessurus esset, propterea quàm primum aleam hanc subire & dorsum cruci suæ voluit submittere, postquam semel statuit vxorem hanc accipere. Ad illius igitur exemplum, quicunque apud se decreuit matrimonij iugum trahere, debet magno & forti animo supponere collum suum, nec aliud sibi persuadere, quam quòd multæ vndique tribulationes eum maneot, & quòd currus etiam quandoque inuersus constanter sit trahendus. Verissimum enim est, quod Apostolus prædixit: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*, id est, curas, solicitudines, labores, angustias, &c. 1. *Cor.* 7. Vnde quiuis talium dictum sibi existimet: *sustine aut abstine.* Seu quod Varro in Menipp. dixit: *Vitium coniugis aut tollendum est, aut ferendum.* Olim apud Græcos, Romanos & Hebræos vxores à maritis certo aliquo seruitij labore aut dato pretio emebantur, & vicissim subinde viri ab vxoribus. Sic Iacob seruiuit pro Rachele septem annis *Gen.* 29. Dauid Micholem centum præpotiis Philisthinorum sibi despondit 2. *Reg.* 3. Oseas fornicariam sibi emit 15. argenteis *Os.* 3. Saxones & Burgundiones trecentis solidis sibi vxores à parentibus coëmebant. Sed non video cur vxor sit emenda pretio vel laboribus vtpote in sudore & algore, curis & angustiis perpetuò alenda. Satis igitur magnum pretium offert pro vxore, qui magnum affert animum, quæ uis aspera tolerandi nec ab eâ discedendi quibuscunque in angustiis. Hoc pretio consequentium laborum coëmptam tibi vxorem existimato: ac quemadmodum vrsus in rupe deprehensus à venatoribus inuoluit caput brachiis & ex illâ se dat præcipitem, vt saltem caput non offendat: sic facito & tu, cùm in statum coniugalem teipsum vis deuoluere: Animam munito patientiæ & fortitudinis brachiis vt saltem spiritus saluus sit, caro enim vœnit, **dir haut ist schon verkaufft.**

Sed obiiciet mihi aliquis: Serò ista dicis, iam adussi digitos; **Ich hab mich schon verbrennt.** Nupsi non vt debui, & ideò vinum deest mihi: Omnia mihi insipida, omnia sunt aqua. Quidquid video, crux est: quidquid audio, tonitru: quidquid gusto, fel est; quidquid olet fœtor: quidquid tango, spina est. Sed non est abbreuiata manus Domini: Potes adhuc inuitare illum & ille potest aquam tuam vertere in vinum. Inuitabis autem Christum Primò, Si eum Deipara DEVM ores vt vinum submioistret. Sic fecit Tobias, cùm vxor eum probro peteret. Ingemuit enim orans cum lachrymis: *Iustus es Domine & iudicia tua iusta sunt. Tob.* 2. Deinde si exemplum Christi imiteris, & cum malâ coniuge bonus sis nec à præceptis diuinis recedas. Quid enim Christus non tolerat etiamnum ab Ecclesiæ suæ membris ionumeris? An non iugiter totâ die blasphematur nomen eius etiam à fidelibus? an non perpetuis iniuriis ab illis lacessitur? Et tamen idcircò eam non deserit nec amare & fouere cessat. Tanta porrò est huius patientiæ vis, vt omnes coniugij labores, curas & fastidia vertere in gemmas possis & aquam tribulationis in vinum æternæ retributionis. Et tunc verissimè adimpletum videbis, quod dixit Architriclinus: *Tu autem Domine seruâsti bonum vinum vsque adhuc*: Id quod vtinam nobis omnibus propinet ibi DEVS. Amen.

CONCIO II.

Afflictiones coniugum mitigantur.

Sex hydriis lapideis aquâ repletis in Cana nuptiis correspondent sex afflictiones coniugum:
1. *Est orbitas, pro qua remedium petendum à Deo.*
2. *Liberi immorigeri.*
3. *Paupertas.*
4. *Molestia alterius coniugis.*
5. *Zelotypia.*
6. *Ægritudo.*

THEMA.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex. Ioan. 2.

POsset quis cogitare pauperiores sese nuptias nec vidisse nec audisse quàm Cananæas illas. Nullæ enim visuntur nuptiæ etiam mendicantium centunculatorum, quibus aqua apponatur. At verò in illis Canæ nuptiis hydriæ ponuntur & nisi quam continebant aquam, mutâsset Christus in vinum, vtique aqua bibi à conuiuis debuisset. Sed si rem accuratiùs expendamus, videbimus profectò sex illas hydrias easque lapideas reperiri in multis nuptiis, seu coniugiis. Aliis enim nulli sunt liberi, cum valde expetantur; & iam vinum deest, hilaritas nimirum illa & consolatio, quæ ex liberis prouenit. Alij habent liberos, sed reprobos & degeneres: & hi rursum aquam bibunt & quidem lachrymarum. Alios paupertas vexat: & hi vinum bibent? Aliis malè conuenit cum coniugibus suis, & perpetua iurgia sunt: En iterum hydriam vnam & quidem lapideam. Alij aduertunt coniugis sui infidelitatem: & hi rursum aquam illam amaram zelotypiæ bibunt. Denique alij cæterà beati, solâ valetudine destituuntur, aut per amaram mortem ab inuicem diuelluntur: & quantæ ibi aquæ ex oculis imoque pectore profluentes? Cæterùm nobis nunc videndum num quâ ratione fieri queat, vt sex hydriæ istæ vel Domino præstante in vinum mutentur, aut saltem vino aliquo consolationis temperentur. A.

PRIMA Hydria est Orbitas. Dura est hæc hydria, scimus enim Rachelē cùm cerneret sterilitatē suam, marito suo dixisse: *Da mihi liberos alioquin moriar*, *Gen.* 30. Nimirum res molesta est, tam graue subiisse iugum, quale est matrimonium, causâ liberorum, & interim hoc fine priuari. Sed quid respondit vxori Iacob? *Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris* B. I. Orbitas.

tui?

Remediū. tui? Vbi clarè indicat remedium huius afflictionis petendum esse à DEO, qui sibi reseruauit clauem generationis. Vnde Chaldæa Paraphrasis sic habet: *Nonnè à facie Domini petere debuisses; qui prohibuit à te generationem ventris tui?* Quod si postquam à DEO petierint, non impetrant, cogitent orbitatem sibi magis expedire. Habet enim & orbitas suas commoditates. Non habet eas molestias, quæ ex liberorum educatione proueniunt: non ita angustiatur, cùm vitâ excedit, quia nulla chara pignora relinquere debet: non babet vnde impediatur à seruitio diuino: non babet quibus opes magno labote comparet: habet autem meliorem hæredem, quem, si velit instituere potest, Deum videlicet; quo modo SS. illi coniuges patricij Romani, cum hæredem non baberent B. Virginem instituerunt & templum ei extruxerunt, quod ita acceptum erat Deo, vt locum templi miraculosâ niue in mediâ æstate designârit, cuius rei memoriam festo die peragimus 5. Augusti. Denique Annam sterilem vxorem suam ita consolabatur Elcana: *Anna cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum quam decem liberi?* 1. *Reg.* 1. Quod si igitur coniuges optimè sibi conueniant & syncerè inuicem ament, non egent solatio liberorum. Si vero tales non sint coniuges, quærant sibi Deum amicum, qui melior ipsis erit, quàm qualescunque liberi. Quod si liberi tibi per mortem sunt ademptí, dicito cum Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Et cum Francisco Borgiâ, cùm ei nunciaretur mors filiæ: *Depositum acceperam repetijt Dominus.* Ribaden. *lib.* 4. *cap* 6.

C. II. Liberi immorigeri.

SECVNDA Hydria, Liberi immorigeri. Alij enim liberos babent quidem, sed immorigeros, peruersos, contumaces, ita vt ignominiam suam in illis intueantur & perpetuò metuant, ne aliquando videant pendentes in patibulis aut totius familiæ dedecora fieri. Salomon certè dicebat: *Detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens an stultus futurus sit. Eccl.* 2. Quid si sciuisset filium suum, regni hæredem, stultum futurum & regnum dissipaturum, vti contigit? Triste spectaculum est parentibus videre liberos suos dissipare bona breui tempore, quæ ipsi totâ vitâ studiosissimè corraserunt. Tristius adhuc, cùm vident eos vitiis deditos pergere ad interitum. Hinc enim M. Aurelius Antoninus fertur voluntariâ inediâ periisse ex mœrore, quòd videret filium suum Commodum, talem futurum aliquando, qualis iam tunc extiterat, nequissimus nimirum & crudelissimus. Iul. Capitolin. *in Marco.* Similiter Seuerus Imper. cæteroqui felicissimus habitus, in filiis infelicissimus erat. Etenim ob filiorum dissidium & insidias, quas ab Antonino filio patiebatur, mærore cōfectus obiit. Dio. Sed quid mirum erat si impij parentes & Christianorum acerbi persecutores, quales illi erant, impios haberent filios? mali corui mala oua. Malum parentum exemplum plus valet ad deprauandos liberos, quàm quæuis disciplina ad bene instituendos. Multos sapientissimos libros scripsit Salomon: sed filius eius Rohoam non tam ad patris libros, quàm ad quotidiana eius vitia aspexit, ideoque reprobus factus est. Similiter & M. Aurelius magnâ diligentiâ educari curauit filium, accitis vndique Rhetorum & Philosophorum clarissimis Magistris, quibus maxima congiaria pronuntiauit. Herodian. *l.* 1. Sed parum id ei profuit, filio in parentis vitia potiùs intuente, quàm ad disciplinam sibi traditam. Quare ne mirentur eiusmodi parentes, si videant filios suos fallere, mentiri, iurare, execrari, inebriari, impudicè loqui, rixari, alios deuouere, &c. hæc enim exemplo suo illos docuerunt. Iustum autem est, vt quæ quis fecit, bæc & ferat. Sed si quis velit insipidam hanc aquam verti sibi in vinum, bene fecerit, si imitetur S. Iob, qui cernens 7. filios suos perpetua celebrare conuiuia & simul epulari, mittebat ad eos & sanctificabat eos, postquam in orbem transissent dies conuiuij: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: *ne fortè peccauerint filij mei & benedixerint*, id est, maledixerint, *Deo in cordibus suis.* Ioh. 1. Itaque parentes prouocent suos liberos ad Dei cultum & pietatem, purificent eos salutaribus admonitionibus & disciplinis; offerant pro ijs holocausta Deo, &c. Instituant liberos ad pietatem verbo primùm, deinde exemplo. Hoc oportet eos facere & illud non omittere. Remediū.

D. III. Paupertas.

TERTIA Hydria caque heu lapidea est paupertas, cùm nimirum, non est panis in domo, liberi multi interim & debita non pauca. Redundat sæpe hæc hydria lacbrymis dum multoties eiusmodi familia mendicare erubescit, & fodere non valet, & amicos sibi facere nequit. Quid igitur facient? quis amaras istas aquas nonnihil mitigabit? Dico primò patientia. Vel enim huius mali ipsimet causa sunt, qui patiuntur, vel DEI prouidentia: & vtrouis modo acquiescere debent. Multi paupertatem & miserissimam inopiam pro dote habent, & absque vlla necessitate immaturè se despondent, cùm nihil prorsus possideant, & honesta potiùs seruitia obire deberent. Et quid mirum si posteà egeant? Recensuit mihi quidam amicus meus, venisse ad se nuper notum quendam iuuenem, qui aliquantulum censûs pro mensâ comparandâ ab eo petierit dicens, se non ita pridem vxorem duxisse, nec habere adhuc mensam, comedere se cum vxore suâ super scamno. Miserrimi mortalium! Itáne mensam nondum habetis & nuptias celebrare ausi estis? Et vbi vobis cibi? vbi postmodum liberis vestris? Viderint sanè ipsi: Sed videat & Magistratus, qui talia permittit; vnde liberorum egenorum multitudine ciuitates prægrauantur. Quòd si qui nulla suâ culpâ pauperes sint, conforment voluntatem suam cum diuinâ & cogitent DEVM tales eos babere voluisse non solùm, quia hoc pertinet ad communem mundi gubernationem, sed etiam quia vidit hanc eis for- Remediū, 1.

tem

tem magis expedire, quàm si diuites facti essent.

2. Dico secundò: Parsimonia; nam qui multos habet liberos & debita, parcè debet viuere. Qui 4. habet, non viuat sicut is qui 2. Qui habet octo liberos, non viuat tam liberaliter, atque is, qui quatuor. Strect dich nach der Decke. Deinde non deuorent vnâ vice patres in tabernis substantiam liberorum, vnde multis sæpe diebus sustentari potuissent. An non vident gallinas morsum sibi ex ore detractum filiorum necessitati suggerere? At multi sunt parentes, qui non modò hoc non faciunt, sed etiam panem filiorum ori ipsorum detrahunt & vnà cum eo filios quodammodo suos deuorant. Videte num æquum & bonum sit, sumere panem filiorum & dare eiusmodi canibus?

3. Dico tertiò, Timor Domini. Hic enim si in pauperum domibus hospitetur, non patietur eos magnopere egere, quia diuitem amicum habent. Audi Tobiam filio suo dicentem: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum & recesserimus ab omni peccato & fecerimus benè.* Tob. 4. Si magnum aliquem amicum haberes eumque opulentissimum, parum te affligeret, quòd te videres pauperem: Sperares enim in omni necessitate tibi ab amico tuo subuentum iri. At si DEVM timeas, amicum habes optimum simulque opulentissimum. Quid igitur est causæ, cur aliquæ familiæ semper egeant, à creditoribus perpetuò accusentur, semper in carceribus detineantur: nisi quia non timent DEVM, non recedunt à peccatis, non faciunt bene?

Denique qui abundant liberis, ablegent eos à se ad seruiendum aliis. Sic enim accipitres, vbi primùm aduertunt fœtus suos volatum tentare, eos è nidis eiiciunt, pennis propulsant & præcipitant ad volatum, nec cibum ampliùs ad eos deferunt: ne videlicet illi in tenerâ ætate pigrescant & discant escam expectare potiùs quàm quærere. Ambr. *lib. 5. hexam. cap.* 17. Sapiant igitur parentes, vel accipitrum exemplo.

E. IV. Molestia alterius coniugis.

QVARTA Hydria est alterius vel vtriusque coniugis importunitas & rixandi libido. Wann sie beyde hausen wie Hundt vnd Katzen/ Wann das Weib den gantzen Tag gront wie ein Hahn an ein Gatter/ quando vir est quasi Leo in domo, &c. Talis enim viuendi ratio marmoream facit hydriam, & ferreum iugum ac speciem quandam inferni. Fertur Mezentius Tyrannus homines viuos mortuis alligâsse, vt horum fœtore illi torquerentur & interirent. Quo quidem supplicio quid grauius esse poterat? Non absimile huic videtur matrimonium litigiosum. Sed quid factu opus, vt hydria hæc mitigetur? Vtique viribus opus est, fortior enim vincet debiliorem. Sed quâ ratione fortior euades coniuge tuâ? Audi Isaiam c. 30. *in silentio*, inquit, *& spe erit fortitudo vestra.* Si rem verberibus aut verbis ages, neque te vinces neque vxorem compesces, sed magis exacerbabis. At si patienter sileas sue

Remediũ.

rem ioco accipias sperans iram coniugis breui cessaturam, vinces te & illam. Dexterrimus in hac arte, ferendi nimirum Xantippen morosam coniugem, fuit Socrates, qui dum omnes eius molestias in risum traxit, optimè de eâ vltus est. Cùm aliquando diu rixantem in ædibus tulisset ac tandem fessus ante fores consedisset, illa magis irritata quiete viri, de fenestrâ eum lotio perfudit: qui tamen non ideò erupit in furorem, sed prætereuntibus risum mouentibus dicebat: *Facilè diuinabam post tantum tonitru pluuiam secuturam.* Idem Alcibiadi roganti cur rixosam illam mulierem è domo non eijceret respondisse fertur: *Cùm talem domi patior, assuesco ferre iniurias aliorum: nec magis offendor, quam si rota, quæ aquam educit, stridorem audiam.* Addebat & huc: *An tu domi tuæ non toleras gallinas crebrò glocitantes? Tolero*, inquit Alcibiades: *sed oua mihi pariunt & pullos. Et mihi*, ait Socrates, *mea Xantippe parit liberos.* Idem, cùm Xantippe in publico pallium ei detraxisset ac familiares admonerent, vt iniuriam manu vlcisceretur: *Pulchrè*, inquit, *nimirum vt nobis colluctantibus acclametis: Eia Socrates; eia Xantippe.* Huiusmodi enim vocibus spectatores animant eos qui rixantur. Maluit vir sapiens tolerantiæ exemplum de se præbere, quàm vulgi fabula fieri & ridiculum exhibere spectaculum, virum cum vxore certantis. Laërt. *in vita.* Accipe & hoc: Cogitet quiuis coniugum, se non habere tam malum coniugem, quin alij quamplurimi habeant multò deteriores. Audi quod scribit Adrianus Barlandus: *Quidam abundè tonis, cum hospes vociferantem durius vxorem eius, rixantemque cum ancillis iniquè ferret, conuersus ille ad hospitem: Et qua amice*, inquit, *istheac tua impatientia est? Duos & triginta annos, huius ego clamores fero patientissimè: tu verò ne per vnius quidem diei sextantem ferre illos potes? Quo dicto & hospitem leniit & vxorem ab irâ ad risum conuertit.* Sile itaque & spera de coniuge meliora: ita fortior eris & vinces.

F. V. Zelotypia.

QVINTA Hydria est Zelotypia, cùm scitur aut timetur alterius coniugis infidelitas. Sæpenumero alter coniugum temerè alieno amori implicatur: Vnde alter perpetuâ zelotypiâ vexatur, quæ quanta crux quamque marmorea sit hydria, nôrunt ipsi. Multis hæc mortem attulit. Et *Cant.* 8. dicitur: *Dura sicut infernus æmulatio.* eamdemque ob causam permisit olim Deus purgationem vxoris suspectæ de adulterio per aquas *Num.* 5. vt scilicet mariti ab hac cruce liberarentur. Sed quod huic malo remedium? optimum fortasse quod Sanct. Hieronymus *libro* 1. *contra Iouin.* tradit. *Quid tibi profuerit*, inquit, *zelus & nimia diligentia in seruandâ vxore tuâ? si enim inhonesta fuerit, vix illam custodire poteris: si casta & honesta, custodiâ opus non habet. Infida enim custos castitatis est necessitas, &c.* Facit huc documentum illud quod Barlam dedit Iosapharo per apologum apud Damascen. *in vitâ capite* 10. Vbi ait comprehensam aliquando à quodam Philomelam, cùm mox iugulari deberet, hominem rogasse pro liberatione, velle enim se illi opti-

Remediũ.

mam

mam doctrinam tradere. Acceptâ lege; tria, inquit philomela, seruato in omni vitâ tuâ: Rem quæ apprehendi nequit, apprehendere ne quærito: rem, quæ non est verisimilis, ne credito: rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito. Dimissa igitur auicula, arbori insedit, & affari hominem illum cœpit: Væ tibi quid fecisti & quantum bonum perdidisti? Etenim in meo ventre maximam fero gemmam, quantum est ouam struthionis: quod si exemisses, omni vitâ beatus fores. Mox ille lamentari & miris blanditiis auem denuò inuitare in domum suam spondens omnem beneuolentiam. Tum ipsa ridere hominem & reprehendere, quòd doctrinam tibi traditam nequaquam obseruâsset: siquidem incredibile sit, tantam gemmam in tantillâ contineri aniculâ: incassum verò dimissam assequi & denuò velle capere: stultum autem dolere ob rem factam, quæ infecta fieri nequit. Dico ergò nunc modo simili: vel vxor tibi bona & fidelis est: noli ergò credere fidem ab eâ fractam, quia non est verisimile. Vel mala & inhonesta: & noli in eius nimiâ custodiâ frustrà fatigari, quia vix seruare poteris: Vel infida & adultera: & noli nimium dolere, quia quod factum, infectum fieri nequit.

G. VI. Ægritudo. SEXTA Hydria est ægritudo vnius aut vtriusque diutina; & inprimis mors. Multi inueniuntur coniuges & honestæ sustentationis & bene sibi conuenientes: interim tamen infirmâ semper valetudine sunt, & nunc alter, nunc vterque lectis affiguntur, & se mutuò iuuare nequeunt; sæpe etiam venit improuisa mors & alterum ab alterius latere diuellit. Remedia. Ecce hydria vltima lachrymis redundans. Sed quid cogitandum talibus? Cogitent Dominum DEUM optimum & amantissimum Medicum suum esse: qui exactè nouerit vinum prosperitatis & sanitatis eis perniciosum aut minùs salubre esse, maximè si purum bibatur: idcircò id miscere interdum aquâ tribulationis & diuturnæ ægritudinis, vt sic minùs noxium sit. Iucundum quidem & suaue vinum est prosperitas sanitati iuncta in coniugio: sed quoniam eiusmodi vino facilè quis inebriari & nimium incalescere ad multa vitia potest; magno coniugum bono temperatur id à DEO, aquâ ægritudinis. Quare Sapiens *Prouerb. 5.* coniuges alloquens dixit: *Bibe aquam de cisternâ tuâ.* q. d. ne polluas te alieno thoro, sed vtere tuo, ita tamen velut aquâ, quâ sitim quidem extinguas, non tamen te inebries aut ad voluptatem bibas: siquidem *adulter est in suam vxorem*, ait Xistus Philosophus Pythagoricus, *omnis impudicus amator ardentior*. Proinde, vti quis non ex alieno tantùm, sed suo etiam vino inebriari potest: ita & coniugio.

Eandem ob causam sæpe Medicus ille cœlestis alteri coniugum omninò aufert & interdicit vinum cùm dulcissimum nimirum coniugem ab eius latere diuellit per immaturam mortem: quia id ei vtilius est. Vidit hoc Melania Marcelli Consulis Rom. filia, quæ cùm marito nondum humato, binos insuper amisisset filios, ita se ab omni dolore temperauit, vt diceret: *Iam magis expeditè tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.* Hieron. *in ep. ad Paulam.* Et S. Elisabetha Regina, quæ marito vitâ functo, quòd hinc etiam occasionem DEO magis seruiendi nacta esset, liberata ab onere coniugij, dicebat: *Vt viueret vir meus nulli labori parcere volui: Verùm eo nunc Deo volente ita sublato, ne minimum capitis dolorum capillum, vt mihi viuus restituatur. Sur. tom. 6. in vitâ.*

Denique vniuersale pro omnibus remedium idque facillimum & solidissimum est oratio, & Sanctorum inuocatio. Vti enim ad preces B. Virginis Matris suæ vertit Christus aquam in vinum: Sic faciet etiamnum. Multoties factum est, vt coniuges liberos non haberent, & precibus impetrarent, &c. Bene igitur & prudenter agent Coniugati, si patronos sibi eligant Iosephum & Mariam. Hi enim secum habent illum, qui potest aquam mutare in vinum, &c.

CONCIO III.

De officio coniugum erga se mutuò.

Primum est vt vir sit caput mulieris, & vxor pareat viro.
2. *Vir honoret vxorem, similiter vxor virum.*
3. *Vir amet vxorem & contrà.*
4. *Vir alat vxorem, & vxor iuuet virum.*
5. *Vir sufferat vxoris defectum & vxor viri.*

THEMA.

Quid mihi & tibi est Mulier? Ioan. 2.

A. PRædicta verba ad matrem quidem suam Dominus locutus est: fortasse tamen in bonum & gratiam nouorum coniugum quasi pro munere nuptiali. Quid enim melius loqui ad coniugem suam maritus potest, quàm *Quid mihi & tibi est Mulier?* hoc videlicet sensu: Quid mihi est faciendum? & quid tibi est faciendum? Hoc si scirent coniuges & sedulò perpenderent, optimum haud dubiè foret eorum coniugium. Sanè noui Coniuges in regno Mogor, instante nuptiarum die, priùs sepulchra obeunt & reserant seduloque contemplantur, quò nimirum finem vitæ suæ expendant, antequam liberis vitæ initium dent, vt scribit Hieron. Xauier in Lit. annuis anno 1598. Optima quidem huius disciplinæ Schola est cœmeterium: ibi domus Figuli (DEI) in qua auditur DEI verbum & dicitur quid vnicuique faciendum. *Ierem. 18.* Sed nos ad pactum potiùs adducemus coniuges.

PRIMO, Vir debet esse caput Mulieris, vt ait Apostolus 1. *Cor. 11.* hoc est suauiter ei præesse & imperare, quo modo caput suis membris præest. Dirigit enim ea oculis, mouet & in officio continet. Ad hoc indicandum mulier è viri costa facta est non de pectore; ne velut domina præcederet; nec de tergo, ne velut ancilla sequeretur: Sed de latere, vt tanquam B. I. Vir sit caput mulieris.

vnum ex eius membris obediret ei velut capiti. Vnde Adam vocanti eam os ex ossibus suis: *Hoc nunc os* &c. Hæc potestas capitis data est viro à Deo cùm creauit eum ad imaginem & similitudinem suam, vt præsit terræ vniuersæ adeoque etiam mulieri: idcircò vt hoc munere fungi posset, maiorem ei scientiam, robur & potestatem dedit quàm mulieri, vt eam docere, regere & in officio continere posset: Idcircò etiam Adamo soli præceptum illud de non comedendo ex arbore vetitâ per se ipsum intimauit: Idcircò etiam Adam hanc suam potestatem mox exercuit, præceptum sibi à Deo datum mulieri insinuando, ne & ipsa transgrederetur: & præterea sicut animantibus reliquis, ita vxori etiam suæ nomen imponendo, ad ostendendum scilicet, gubernatoris esse, omnium quos sub se habet nomina nôsse & vnicuique munia sua distribuere. Videtis ergo quàm multis argumentis ex primæua institutione vir caput sit mulieris & gubernator; sed vt dixi, suauis; non Tyrannicus, non contra Dei aut Ecclesiæ præcepta. Imò hæc viri in mulierem potestas adeò est naturalis, vt contrarium planè sit monstrum, si mulier nimirum dominetur viro, non differens ab illis monstrosis hominibus, qui caput infra brachia, in pectore & ventre habent: mulier enim de costâ viri effecta est, quæ infra brachia & caput, non supra esse debet. Vnde etiam sequitur viro dedecus esse, si patiatur sibi ab vxore clauum eripi, non minus, quàm si quis gladio stipatus patiatur sibi ab inermi eximi & auferri gladium plagasque infligi. Viro gladius datus, non mulieri. Est tamē, cur vir non prorsus respuat consilia vxoris, sed apud se expendat; sæpe enim profuêre. Si Henricus II. Franciæ Rex volens Lutetiæ secundo etiam die lætitiæ (cui occasionem dabant nuptiæ inter Philibertum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem & Margaritam eius sororem) in hastiludio & torneamento decertare, secutus fuisset reginæ iteratum consilium ac preces, vti desisteret nec vltrà periculosissimum id ludi genus adiret, sed aliis relinqueret, contentus præcedentis diei victoriâ, lethale in capite vulnus non accepisset, quo intra dies vndecim interiit; nec tam miserè sed tamen verè contra se prophetâsset, ad illam remittens, qui diceret: *Adhuc semel, & non ampliùs.* Belfore st in Henrico II.

Vxor pareat viro. Vicissim vxor ex hoc capite, subdita sit viro suo. Sic enim statuit Deus *Gen.* 3. dicens Euæ: *sub viri potestate eris* (in Hebr. habetur: *ad virum recursus tuus*, vt scilicet pro omni re quam petit, ad virum recurrere debeat) *& ipse dominabitur tui.* Similiter etiam Apostolus Petrus 1. *Petr.* 3. ait: *Mulieres subditæ sint viris suis.* Item Paulus 1. *Tim.* 2. ait: *mulieri non permitto dominari in virum.* Et Ecclesiasticus cap. 25. *mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.* Hanc verò subiectionem ostendat obediendo viro in omnibus rebus honestis & quæ diuinis præceptis non aduersantur; quin etiam præcepta Ecclesiæ ob viri imperium transgredi potest, si graue eius odium aut pœnam incursura sit, non enim obligat Ecclesia cum tanto periculo ad sua præcepta. Cæterùm si quæ iusta non videantur, quæ maritus iubet: proferat in medium rationes suas si se quid effecturam sperat; sin secus, acquiescat.

SECVNDÒ. Vir debet honorare vxorem suam, & vt loquitur S. Petrus 1. Pet. 3. *quasi infirmiori vasculo honorem impartiri tanquam cohæredi gratiæ vitæ.* Idcircò tametsi alioqui vir muliere dignior est & præstantior factus, quoad ingenium, robur & imperium, multis etiam prærogatiuis in sui creatione honoratus: quoad aliqua tamen prælata ei mulier est. Ipse enim extra, illa intra paradisum creata est. Ipse ex terrâ & puluere, illa de costâ & latere viri facta. Illa paranymphum habuit Deū, qui eam loco ab Adam separato (postquam ab eo costam abstulerat) *ædificauit in mulierem*, id est, peculiari artificio elaborauit & formosiorem fecit posteaque ad illum adduxit tanquam figmentum suum, non tanquam Adæ creaturam vel aliquid ei debitū. His enim cæremoniis demonstrare voluit, non esse contemnendam vel contemptim tractandam à viro mulierem. Denique idcircò aptissimè creauit eam Deus ex latere Adami, vt esset illi velut socia, quemadmodum ipse Adam dixit: *Mulier quam dedisti mihi sociam*, &c. Noluit eam Deus facere ex Adami capite, ne virum sperneret: nec de pedibus, ne ab eo sperneretur & pedibus eius terforium esset: sed de latere, vt velut socia esset. Denique pro osse ablato reposuit Deus Adamo carnem, vt vir pro duritiâ cordis erga vxorem conuenientem indueret mollitiem & moderationem, iuxta id *Colos.* 3. *Viri diligite vxores vestras & nolite esse amari ad illas.* Optima verò ratio est D. Petri, vt scilicet honorem habeant tanquam infirmiori vasculo; tametsi enim vitrum, v.g. longè minoris pretij est, quàm argenteum poculum: cautiùs tamen portatur & custoditur, quàm illud, quia fragilius. Non parum igitur delinquunt mariti, qui leuiculas ob causas verberibus mulctant coniuges; nam & sibi parum gloriæ pariunt, dum in vasculum infirmius sæuiunt. & Deo iniuriam inferunt, quia vxor magis Dei est, quàm mariti, qui eius tantùm vsum habet, non dominium. Quòd si tamen aliter emendari nequit, tunc dici solet: **die noth bricht Eysen.** II.

Vir honoret vxorem.

Vxor vicissim alio ex capite & potiori, virum honorare debet, nimirum vti caput suum & maioribus à Deo prærogatiuis donatum. Ideò non ex dextro, sed vt credit Pererius *in Gen.* & alij, ex sinistro latere viri facta est, vt viro latus dextrum & locum digniorem cedat. Eandem ob causam Eua adducitur ad Adamum, non Adamus ad Euam. Hinc rationabilis est consuetudo, quâ vxor ad latus sinistrum viri incedit: Item quâ feminæ nobiles vocant maritos suos dominos; hunc enim morem laudat S. Petrus 1. *Pet.* 3. in Sarâ, quæ maritum suum vocabat, dominum suum. Imò S. Ignatius in ep. ad Antioch. ait: *Mulieres bono-*

Similiter vxor virum.

honorificent viros suos & non audeant eos proprio nomine vocare. Similiter etiam de viris suis conqueri apud alios non debeot, nec eorum vitia aperire & exaggerare. Quâ in virtute excelluit S. Monica mater Augustini, quæ non modò de viro suo Patricio, licet duriore, ouoquā conqueri audita est, sed prætereà querulas alias mulieres coërcuit & modum placandi viros suos docuit, vt scribit S. August. *l. 9. Confess. c. 9.* Multo verò minùs audeat manus inferre marito: hoc enim idem penè est ac si discipulus Magistrum, miles suum Ducem verberet. Et quid præceptum *Deut. 22.* ? *Non induetur mulier veste virili: nec vir vtetur veste femineâ, abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.* Atqui nonne est hoc induere vestem virilem, seu viri partes agere, cùm mulier cædit virum? Abominatio est hoc apud Deum; & præterea dedecus tam viro quàm mulieri, non minùs quàm si felis canem inuadat & expellat.

D. III. Vir amet vxorem. TERTIÒ, Vir amare debet vxorem, velut partem sui & propriam carnem adeoque plusquam proprios parentes. Nam *qui suam vxorem diligit*, ait Apostolus *ad Eph. 5. seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* In cuius rei indicium Eua de Adamo & præterea de latere sinistro Adæ facta est, quâ parte videlicet cor est, vt vir amorem discat impendere vxori. Debet ergò hic amor esse primò serius & syncerus, non fundatus super vxoris pulchritudine, diuitiis, nobilitate, &c. Nam talis amor super arenam extruitur, & citò deijcitur. Debet item esse ordinatus & medius inter nimium & nimis exiguum, quemadmodum & costa medio est in corpore. Nimius foret, cùm contra & supra Deum eleuaretur, vti in Adamo qui in gratiam mulieris comedit: & in illo, qui dixit: *Vxorem duxi*, &c. Nimis exiguus, cùm in odium declinaret & ferueret erga alienas. Deinque debet esse fortis, vt paratus sit pro vxore tuendâ periculo cuique se exponere, non minùs quàm pro seipso: Sicuti & brachium protegit costam & latus, seque obiicit ictui, ne latus vulneretur: quemadmodum fecit pro vxoribus suis Iacob, obuians fratri Esau, quem timebat; Ipse enim aliquanto spatio præcessit vxores, eas defensurus *Gen. 33.*

Amet & vxor virum. Vicissim etiam vxor amet vnicè, post Deum, virum suum eique fortiter adhæreat, salutem, honorem, quietem & vitam viri conseruare studeat, quo modo costæ cor muniunt & protegunt. Non sit instar sepiæ illius piscis, cui, vt refert Pierius *l. 28. Hierogl.* periclitanti mas quidem opem ferre conatur, non tamen ipsa vicissim mari. Imitetur potiùs Micholem Dauidis vxorem, quæ præsentiens maritum à patre ad necem quæri, suasit fugam & per fenestram eum demisit; Interim statuam ligneam lecto imposuit, vt dum præsens adhuc maritus crederetur, interim elaberetur. *1. Reg. 19.* Imitetur nobiles matronas illas, quæ dum Guelfus Bauariæ Dux à Conrado III. Imp. in oppido VVinspergo obsidione premeretur, impetrârunt ab Imperatore vt ipsæ inuiolatæ oppido excedere possent, nec aliud, quàm quod humeris efferre possent, exportarent. Tū enim quando credebantur sarcinas suas elaturæ, singulæ maritos suos, ac inprimis Ducissa Ducem suum, humeris suspensos efferre inceperunt. Ex quo Imperator tantam voluptatem cepit, vt effusis præ gaudio lachrymis non modò iram deposuerit, verùm etiam pacem vrbi dederit & amicitiam cum hoste acerrimo contraxerit. Quam historiam dum legeret Laurentius Medices Princeps Florentinus, adeò recreatus est, vt propterea de morbo, quem Medicorum operâ non poterat depellere conualuerit. Abbas Spanheim. Gottfrid. Viterbiens. Æmilius. l. 7.

QVARTÒ, Vir debet alere vxorem & proles labore & industriâ suâ: quia vt suprà Apostolus dixit, *vnusquisque carnem suam nutrit ac fouet.* Vt enim caput cibum transmittit ad costas & omnia membra: sic vir transmittat alimentum ad vxorem & liberos. Idcircò & mulier de vnâ tantùm viri costâ facta est (costa autem fortitudinem & laborem designat; vnde dicimus: **Wrogt dich weil du ain Ripp im Leib hast**) vnde sicut omnes costæ vnius viri, superant vnam costam: ita excedere debet labor viri, laborem vxoris. Et propterea Adam collocabatur in paradisum, vt operaretur & custodiret illum, quod de muliere dictum non fuit. Rursum de infirmiori latere facta creditur vxor, vt intelligat vir sibi potissimùm incumbere sustentationem familiæ & sub ephippio iugum ducendum, proinde iniquissimè agit, qui maius onus in vxorem reijcit vel omnino totum. Dedecori sibi ducere deberet vir, si ipse in equo sedens, duceretur ab vxore pedestri & minante equum; contrarium fieri debet; nec enim pingitur S. Ioseph super asellum sedens, dum fugit in Ægyptum, Deipara verò equum minans; sed contrà Maria super equum, Ioseph verò pedester Asinum fræno ducens. Et cur non ducit sibi dedecori vir, si ipse otiosus degat, & vxoris tantùm labore sustentetur? Quare si quis vxorem & liberos alere diffidit, vxorem non ducat, sicut qui non habet sumptus ad domum extruendum, non incipiat ædificare, iuxta doctrinam Domini *Luc. 14.* ne alioqui ei dicatur: *Hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* E. IV. Vir alat vxorem.

Vicissim vxor adiutorium viri esse debet in familiæ sustentatione prout Deus dixit: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Quæ verba Chaldæus vertit: *faciamus ei quasi sustentaculum, quod sit penes eum.* Quo modo scilicet ij, qui grauia onera in dorso gestant, scipionem ad manus habent, quem, dum quiescere volunt, supponunt sarcinæ & beneficio illius interquiescunt. Tale enim sustentaculum viro debet esse mulier, præsertim delassato: Ideoque non de vigilante, sed de dormiente Adamo facta est Eua, vt indicaretur virū suâ quiete & leuamine opus habere, & interim vxorem pro eo vigilare debere: vel quòd cura familiæ Vxor iuuet virũ.

tunc potiſſimùm mulieri incumbat cùm vir dormit, id eſt, dum æger vel abſens eſt vel alijs negotiis impeditus, vel denique negligentiæ & otio deditus. Hinc mulier à viro nomen ſumpſit: ab Iſch, Iſcha, id eſt, à viro Vira vel Virago dicta, vt nimirum etiam ipſa pro loco & tēpore virilem gerat animum. Itaque ſen der Mann das Hattelcoſt / das Weib das Handtroſt. Vir ſit manus dextra, quæ haſtam aſſiduè geſtet, vxor manus ſiniſtra, quæ delaſſatā dextram ſubleuet. Errant igitur illæ, quæ dicunt: meum eſt parere filios & quieſcere, viri autem laborare. Indicant enim ſe de numero aſinarum illarum eſſe de quibus Iob 1. dicitur: *Boues arabant & aſinæ paſcebantur iuxta eos, & irruerunt Sabei tuleruntq; omnia.* Talis enim familia diripietur & corruet facilè, cui vxor nihil adiicit niſi proles. Multò magis autem quando vxor etiam dilapidat & abſumit in mundum muliebrem ea, quæ vir lucratur. Nam de tali marito verificatur, quod Aggæus cap. 1. ait: *qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Et quid mirum ſi familia & res domeſtica non creſcat, ſi maritus mercedes labore ſuo partas mittat *in ſacculum pertuſum*, id eſt, in vxorem prodigam & ſumptuoſam? ſi enim vxor clam abligurit pecuniam in cupediis, ecce foramen vnum: ſi etiam pretioſas cōparet ſibi veſtes, iterum foramen: ſi præterea de domo furetur, & clanculum det iis, quos præ viro diligit, rurſum aliud foramen. Condoleo tibi marite, ſi tam lacerum & pertuſum habeas ſaccum.

F. V. Vir ſupportat vxoris defectus.

QVINTÒ, Vir debet ſupportare vxoris defectus, ſenectutem, ægritudinem, deformitatem, paupertatem, iracundiam, moroſitatem, &c. Meminerit Mulierem de latere infirmiore factam & ex oſſe ſuo & pro eſſe carnem ſibi repoſitam, vt intelligat ſe fortitudinem ſuam vxoris infirmitati communicare debere eiuſque infirma portare. Meminerit etiam non fruſtra Adamo adductam eſſe à Deo Euam, & ſimiliter ſibi ſponſam, antequam ei deſponſaretur. Priùs enim ante oculos ſponſi ſtatuitur ſponſa, vt is priùs bene deliberet, velitne accipere eam nec ne, nec excuſare poſſit, ſi poſteà ei diſpliceat, quæ ſemel placuerat. Vnde non immerito culpandus erat Adam, quando ſeductionem ſuam per Euam in Deum voluit reiicere dicens: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi. Gen. 3.* Nonne enim ô Adam tu ipſemet eam accepiſti? Nonne adduxit eam tibi tantùm Deus ad videndum, & mox ea tibi placuit cùm dixiſti: *Hoc nunc os ex oſſibus meis?* & cui quæſo marito, non prius adducta fuit vxor, antequam eam acciperet? quis ſuam non libens volens elegit? Portet igitur crucem, qui ſibi eam impoſuit: Vir errata vxoris minora diſſimulet, ne aliàs ſummum ius ſumma ſit iniuria & nimiùm emungendo eliciat ſanguinem: grauiora ſeriò emendet, rationibus tamen potiùs agat, quàm verbere: Verborum ineptias ſurda aure prætereat, contentus dicere, quod Iob obſtrepenti ſibi vxori dixit: *tanquam vna de ſtultis mulieribus locuta es.*

Seipſum conſoletur etiam laceſſitus, quòd non ſolus cogatur indigna quandoque ab vxore audire & pati: & inter lucra reponat, quòd nactus non ſit deteriorem.

Vxor etiā tolerat defectus viri.

VXOR viciſſim alio ex capite ſupportare virum debet, quia nimirum: cùm ei ſubdita eſſe debeat, eius ſe moribus meritò accommodat, tanquam inferior ſuperiori. Coſta flectit ſe circa cor: ita mulier flectat propriam voluntatem, vt viro ſe accōmodet. Vnde Cant. 8. ait ſponſus ſponſæ: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Signaculum non tam accommodat ſe ceræ, cui imprimitur, quàm cera ſignaculo, cuius figuram in ſe recipit; quia cùm ſit mollis, duritiæ ſignaculi cedit. Pari modo vxor quia viri ſubiecta imperio eſt, tractabilis vti cera eſſe debet, viro cedere, eiuſque ſe duritiei accommodare. Hoc autem faciet virum ſuauiter ſedando, in ſilentio, patientia & manſuetudine eum ſufferendo. Atque idcirco Bethſabee vxor Vriæ vocatur à Nathan Propheta ouis viri ſui, quæ in ſinu eius dormiebat & de calice eius bibebat, &c. 2. *Reg.* 12. quia vxor manſuetudinem ouiculæ, quæ dum tondetur obmuteſcit, exercere erga virum debet: & ſibi dictum putet id *Iſaia* 30. *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Alioqui, ſi ipſa ſemper vltimo loco canere velit, virum magis exaſperabit & ex lupo faciet Leonem. Rectiſſimè ergo S. Chryſoſtomus *hom.* 16. *in ep. ad Cor.* ait: *Vxor portus eſt mariti: portum autem oporteret eſſe tranquilliſſimum, ut ille in portu faciat naufragium.*

Denique quia tam vir quàm vxor ſuos habent defectus & ambo ſibi mutuò licet diuerſis ex capitibus cedere tenentur, ſi pacem amant & rebus ſuis conſultum volunt, ambo ſibi cedant, ambo ſe ſupportent, ne ſibi ambobus afferant ruinam. Exemplum capiant à duabus illis capris, quas vidiſſe ſe ſcribit Mutianus & recolit Plinius. l. 8. c. 50. in ponte prætenui ſibi inuicem factas obuias. Cùm enim ambas anguſtiæ pontis non caperent, nec reditum auerſum longitudo pontis admitteret, torrente rapido ſubterfluente; altera recubuit, atque ita altera proculcans ſupergreſſaque tranſiit. Videte ſolertiam beſtiarum & videte quid vos agatis coniuges, ſi fortè in coniugij veſtri ponte, per quem regredi non licet, aduerſis cornibus vobis inuicem obuietis: retrogredi non licet: aduerſæ vtriuſque voluntates ſi ſtant, ambos perdent. Quid igitur ſupereſt, niſi vt alter ſubſidat quicunque is ſit, ſiue maritus ſiue vxor, cùm ambo teneantur, & alteri cedat, alterum ſupportet & cum ſilentio ſuſſerat? Ita ſine periculo per coniugij veſtri pontem ad cœlum tranſibitis, &c.

CON-

CONCIO IV.

Reliqua coniugum pręscripta, seu leges.

1. *Præscriptum est fides mutuo præstanda.*
2. *Confidentia mutua carens zelotypiâ.*
3. *Concordia.*
4. *Castitas.*

THEMA.

Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Ioan. 2.

A. DVplicis generis vinum admodum diuersum appositum fuisse in his nuptiis facilè colligimus. PRIMVM naturale & minus præstans à sponsu exhibitum: alterum miraculosum & præstantissimum à Christo ex aquâ factum. Quæ res non obscurè denotat duplicem matrimonij statum, primum, qui fuit in lege veteri, vt naturæ tantum officium: alterum qui est in lege nouâ, vt sacramentum à Christo institutum. In primo illo statu fuit matrimonium, quasi vulgare tantum vinum, quod intemperanter bibebatur, facilè effundebatur & parum aut nihil habebat efficaciæ, siquidem ibi vigebat polygamia, permittebatur libellus repudij, matrimonium verò ipsam gratiam nũ conferebat ad sustinenda sua onera. Sed modò in statu legis nouæ, est quasi vinum pretiosum & nobilissimum, quod parcè bibi debet (& hinc polygamiam excludit) neque etiam effundi debet (& hinc est indissolubile) præterea gratiam præstat, tanquam sacramentum ex Christi institutione vt ritè obseruetur. Ea verò gratia, quam coniugati in hoc sacramento consequuntur, vt Doctores docent, amorem coniugalem auget, difficultates & amaritudines, quæ statum hunc consequuntur, facilitat & dulcescere facit, concupiscentiam refrænat, illicitos amores restringit, coniuges ad munus suum mutuò præstandum inclinat. Vt meritò de hoc vino exclamari possit ad Christum: *Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Quòd si verò plurimi coniugatorum, vini huius efficaciam non experiuntur; imò fortè contrarium, pro auxilio impedimentum, pro consolatione tristitiam, pro amore odium, pro concordiâ dissidium, &c. ipsi in causâ sunt, qui vel non sicut decet, contrahunt matrimonia, ad eaque se disponunt: vel leges matrimoniales non curant obseruare, adeoque suam quoque manum admouere, ad gratię auxilium. Si enim seriò (cooperandum est enim gratiæ adiuuanti) statuerent & pro viribus conarentur obseruare leges illas, experirentur absque dubio in omnibus gratiæ auxilium. Vidimus aliàs aliquot leges tales, nunc cæteras addemus; atque ita rursum aliud vinum apponemus, vt in hodiernis nuptiis factum.

B. I. Præscriptum, Fides. PRIMVM. Fides, quæ in primis exigit, vt se mutuò nunquam dimittant *Matth. 5. Omnis qui dimiserit*, &c. Secũdò vt se mutuò non fraudẽt, iuxta id Apostoli. 1. *Cor. 7. Vxori vir debitũ reddat, similiter & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt orationi vacetis: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.* Vnde primò non licet coniugem excludere à thoro aut domo nisi ex causâ grauissimâ, cuiusmodi esset morbus contagiosus, aut adulterium de quo *Matth. 5. Omnis qui dimiserit vxorẽ exceptâ causâ fornicationis*, &c. Alioquin enim eiectus & desertus exponeretur manifesto periculo lapsus, proles ab eo abalienaretur, &c. Vnde & Apostolus 1. *Cor. 7. Iis qui matrimonio iuncti sunt*, ait *pracipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.*

Deinde multo minùs licet coniugi fidem thori frangere; neuter enim sui corporis potestatem habet, sed alligatus est coniugi, quamdiu ille viuit. Itaque nulli alij placere, sed solis sibi studeant coniuges, atque si soli essent in mundo. Quod enim non licet habere, nec licet concupiscere. Ita Christus de Ecclesiâ sponsâ suâ dicit *Cant. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ipsa etiam mox respondet: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Ad hunc ergo modum vxor debet esse viro sicut lilium odore & colore suo illum recreans & demulcens; cæteræ autem feminæ tanquam spinæ, quas ne tangere quidem ei liceat. Maritus vicissim vxori tanquam malus pulchris & odoriferis referta pomis: cæteri autem mares tanquam ligna syluestria & horrida, quæ insulsos atque amaros fructus proferunt. Eiusmodi erat Hieronis Syracusani vxor quæ correpta à viro quòd sibi graueolentiam oris sui nunquam indicâsset, respondit: *Arbitrabar sanè omnes viros ita olere*; adeo non agnouit alienum virum, apud Plutarch.

Neque hîc locum habet, quod dici solet: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Vt enim hoc in aliis contractibus valeat, in quibus nihil statuit Deus: non licet tamen in matrimonio, si nimirum alter coniugum fidem frangat aut debitum reddere nolit: quia id expressè prohibuit Deus: *non adulterabis, non mœchaberis.*

SECVNDVM, Mutua confidentia zelotypiâ carens. Debent quidem ambo cauere, ne alteri occasionem præbeant malè suspicandi: non debent tamen ad suspicandum faciles esse, nisi felle amariorẽ velint vitã viuere. Est enim talis suspicio, crudelis quidã carnifex, & vermis perpetuò rodens animumq; suspicantis excedens: iuxta id *Cant. 8. Dura sicut infernus æmulatio.* Idcirco ad tollendam hanc à coniugibus crocem, permisit Deus in hoc vno casu probationem per aquas amarissimas & maledictas, *Nu.* 5. quæ si innocẽs esset mulier, nihil ei nocebant, sin verò rea foret, inflarent & dirumperent vterum eius. Per hoc enim liberabatur vir à suspicione ipsum torquente, vxor à vexatione mariti & periculo homicidij, &c. Porro nũc, quia iudicialia & cæremonialia veteris legis pręcepta cessauerunt, vti hoc examine non licet. Remediũ C. II. Mutua confidentia.

aliud perquam salutare præscribit Alphonsus Aragoniæ rex, qui dicere solebat: *Tum demum matrimonia tranquillè exigentur, si vir surdus, vxor cæca sit.* significabat autem plerasque rixas quæ in hoc statu interueniunt, excitari potissimùm ex zelotypiâ coniugum: quorum si hic surdus foret, non attendens ad vxoris garrulitatem, colloquia, &c. cum inani suspicione quælibet eius dicta sinistrè interpretans, nec facilè credens aliorum narrationibus & fabulis; vxor verò cæca; non curiosè inspiciens vel indagans omnia mariti gesta, nec in alios facilè viros, oculos inijciens: tum demum tranquillam acturos esse vitam. Cæterùm nimia zelotypia sæpe malum adducit ipsi suspicanti, quod docet Ecclesiasticus cap. 9. dicens: *Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ suæ*; Id est: ne illi occasionem hoc pacto des confugiendi ad maleficia & artes malas, quibus vindicare se & redimere à vexatione studeat. Alia litera habet: *ne doceas in teipsum doctrinam malam* q. d. ne doceas eam hoc ipsum facere & facto ipso designare, quod de ipsâ suspicaris malum: vel simili modo te suspectum habere de eodem vitio. Si enim honestè priùs viuebat, facilè immutabit eum, quo te prosequebatur amorem; & fortè id audebit, quod nunquam ausa fuisset. Certè pœnam luit iusto Dei iudicio Ludouicus Crassus Galliæ Rex, quòd de Richarda vxore suâ castissimâ sentiret malè, imò vocâsset adulteram, nec tamen posset eam de crimine conuincere; nam derelictus est ab omnibus etiam domesticis tantaque pressus inopiâ, vt vel tenuem victum emendicare coactus fuerit ab Arnoldo Bauariæ Ducis filio, nec multò post mærore confectus obierit, Anno 887. Belleff. in Crasso.

D. III. Concordia.

TERTIVM. Concordia; hæc enim vnum est ex illis quæ Deo placere dicuntur *Eccl. 25. Vir nimirum & mulier bene sibi consentientes.* Contrà verò discordia eorundem perplacet Diabolo, iuxta id vulgare: Wann das Ehevolck zanckt/da danckt der Teuffel. Quàm enim multa bona facerent, si bene concordarent; tam multa mala faciunt, si discordant. Nouimus vulpes illas caudis tantùm, nõn capitibus colligatas, & ignem in caudis gestantes vastâsse Philisthæorum segetem, vineas & olineta *Iud.* 15. Idem agẽt coniuges si carne solùm colligati, animis sint discordes: Wann eines dahinauß will/das ander dort hinauß. Nõ enim seipsos tantùm perdent, remque familiarem, sed & alios conturbabũt & molestiis afficient. Ignem hunc rixarum & contentionum ipsi inter se coniuges excitant, quando neuter alteri cedere vult, sed arietum instar cornibus concurrunt. Quis enim nescit è Chalybe & silice collisis ignem excitari, per duritiem vtriusque? Non displicet quod in hanc rem excogitauit R. Abraham Ben Esra in Hebraico nomine Isscha, significante mulierem, contineri nomen Dei Ia. quod si inde auferatur, manere vocem Esch, hoc est, ignem; ad indicandum, si Deus non adsit coniugibus, à quibus ametur & timeatur, tùm solum remanere ignem discordiarum & rixarum, omnia vastantem. Quòd si igitur liberari ab hac cruce & temporali inferno volunt, ambo seipsos mortificent, & duritiem motuum suorum frangant. Pulchrè hoc documentum designârunt veteres, per duas palmas marem & femellam, aduersis ripis stantes & ad mutuum complexum incuruatas adeoque veluti pontem super riuulo facientes: quod hæc eorum sit natura vt mas feminam attrahat eique innectatur. Hoc enim faciendum volebant coniugibus vt si qua inter eos eurrit difformitas aut controuersia, ipsi mutuò suam flectant duritiem, & in vnum tandem voluntates suas conferant, itaque pontem faciant sibi & aliis vtilem.

E. IV. Castitas.

QVARTVM. Castitas. Quâ de re Apostolus ad *Heb. 13. Honorabile coniugium (sit) in omnibus & thorus immaculatus.* Et 1. *Thess. 4. Sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderij sicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Porrò hac de re documenta quædam parabolicè proponemus. Nouerint ergo Primò coniuges coniugalem cohabitationem vino similem esse, quemadmodum enim vinum moderatum salubre est & sanitati conducit: nimium verò & immodicum nocet & inebriat, licet ex propriâ cellâ veniat: ita nimio delectationum coniugalium vino castitatem euerti. Vidit hoc Xistus Pythagoricus Philosophus qui dixit: *Adulter est in suam vxorem omnis impudicus amator ardentior.* Quia nimirum in eâ quærit solam voluptatem, non prolem: sicut adulter in adulterâ. Ita S. Ægidius socius S. Francisci sęculari cuidam de castitate coniugali glorianti & ab adulterio immuni respõdit: *Ne propterea glorieris; potest enim quis non minùs è proprio vase quàm alieno inebriari.* Nouerat vtique hoc S. Ludouicus Galliæ Rex, qui aliquando cum coniuge in Thalamo licentiùs agens interuentu matris deprehensus magno rubore suffusus est, licet nihil pudendum egerit. Balingh. in Zoop.

Documenta pro castitate coniugum. 1.

2. Item sicut vinum non debet tibi ad voluptatem, sed ad naturæ sustentationem & corroborationem, in quem finem creatum est: quique eum peruerteret, saltem venialiter peccaret: sic sentiendum de cohabitatione coniugali. Pœnam luerunt eamque grauissimam septem mariti Saræ, quòd hac in re deliquerint: Omnes enim à dæmone enecti sunt, quòd scilicet velut equi non vt homines, ad eam appropinquârint.

Secundò similem esse semini; quod iacitur in agrum. Vt enim sapiens agricultor, in terram germinantem non iacit semen secũdò, antequam metat segetem, ne alioquin & iactam segetem perdat & semen: sed messem ex primo patienter expectat, Sic agendum in matrimonio ne fœtus perimatur, vt vult Hieron. *l. 1. contra Iouinianum.* Rursum obseruant agricolæ, ne in terram madidam & lutosam iaciant frumentum, ne alioquin pro frumento prodeant zizania: idem obseruandum in coniugio ne liberi progignantur lepræ & simi-

similibus defectibus obnoxij: quod facilè continget, nisi seruetur id Salomonis: *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus: Ecclesiastis 3.*

Rursum prudens agricola non iacit semen in aquam, viam, petras, &c. vbi fructificare nequit, sed in agrum, velut matrem frugum, quæ semen recipere & fruges parere queat. Contra hoc præscriptum & naturalem legem, quia peccauerunt duo filij Iudæ, Her & Onan, idcircò à Deo percussi & occisi sunt; speciatim Her dicitur nequam in conspectu Domini *Gen.* 38. Vidit aliquando Sancta Christina mundum hoc peccato pollutionis plenum, ideoque Deum toti mundo grauissimas intentare plagas, quas vt auerteret, ipsa miris & horrendis modis seipsam discruciabat. Neque hoc mirum: si enim Deus in sæculo illo adhuc rudi adeò puniuit Her & Onan, quantò magis puniendi, qui in luce Euangelij semetipsos polluunt? Denique nemo prudens perdit aut perire grandine cupit semen, quod in agrum iecit. *Ita nulla mulier*, inquit S. August. *Ser.* 244. de tempore, *potationes ad aborsum accipiat, nec filios aut conceptos aut iam natos occidat, quia quæcunque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum causam, quos occiderit esse daturam.* Sic August.

3. Tertiò similem esse pharmaco, quo tamdiu vtimur, quousque durat morbus aut necessitas; cessante enim istâ, cessamus etiam ab vsu pharmaci. Cùm enim cessat finis matrimonij, qui est proles, & concupiscentiæ remedium, vti fit in senio: cur non cessare debeat & actio? Confirmat hoc documentum Abraham & Saræ quæ dixit: *Postquam consenui & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Gen.* 18.

Item licet aliis temporibus sumere liceat potiones & pharmaca, non tamen ante S. Communionem, quia ad reuerentiam Eucharistiæ id omnino prohibitum est: sic etiam in proposito. Et certè S. Augustinus ser. 244. *de tempore* scribit hac de re: *Qui in die Dominico vel aliâ qualibet solennitate se continere noluerit: qui tunc concepti fuerint; aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci nascentur.* Item ibid. *Quando populus Iudæorum*, inquit, *accessurus erat ad montem Sinai, ex præcepto domini dicebatur eis: sanctificamini & estote parati in diem tertium & ne appropinquetis vxoribus vestris. Et illud: Si quis nocturno pollutus fuerit somno non manducet carnes sacrificij salutaris, ne pereat anima sua de populo*, &c. Sic ille. Placet hìc adiungere, quod idem sanctus pater eo loco, de hâc eâdem materiâ sermonem ad populum faciens subiunxit. *Rogo vos fratres*, inquit, *vt mihi indulgeatis, qui pro salute animæ vestræ cum grandi timore & cum verecundiâ de talibus rebus vos admonere videor, quia, & hoc mihi expedit dicere, & vos oportet audire. Et ideò omnia, quæ à nobis audistis, vbicunque fueritis inuicem vobis dicite & cum charitate vos admonete. Sicut enim reus ero ante tribunal Christi, si vobis non dixero: ita & vos; si inuicem quoscunque negligentes agnoscitis, admonere nolueritis; timere debetis, ne vobis necesse sit pro illis rationem reddere.*

CONCIO V.

Ebrietatis proles.

Assignantur sex proles quæ ex ebrietate nascuntur:	*3. Insania & bestialitas.*
1. Prima est Luxuria.	*4. Ira & contentio.*
2. Impudentia.	*5. Contemptus disciplinæ.*
	6. Hæresis & perfidia.

THEMA.

Cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, Ioan. 2.

VEríssimum est, quod dixit Anacharsis Scytha, tres in vite nasci botros: primum voluptatis, secundum ebrietatis, tertium molestiæ; sentiens vini potum, quo largior & productior est, eo fieri deteriorem; & primò quidem parcum eius vsum parere iucunditatem, quia sedat sitim: largiorem gignere temulentiam: largissimum denique gignere omnis generis molestias, morbos, rixas, cædes, &c. Laert. l. 1. cap. 9. Verissimam hanc sententiam, quam quotidiana comprobat experientia, confirmare possumus per illam Architriclini: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Non habet omnis caupo vinum melius & deterius; nihilominus verum est, quod ait Architriclinus. Tametsi enim idem omnino vinum toto apponatur cõuiuio, quo diutiùs tamen apponetur, eò dabitur deterius; quia quo largius bibitur, eo peiores gignit proles ex matre temulentiâ. Testis accedit Sapiens *Prouerb.* 23. qui ait: *Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber & sicut regulus venena diffundet.* Videamus ergo huius colubri proles viperinas. A.

B. I. Luxuria. PRIMA est Luxuria *Prouerb.* 20. *Luxuriosa res vinum.* Et ad *Eph.* 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Prolem autem hanc noxiam & venenatam effundit, cùm intemperanter bibitur. Quare S. Hieronymus asserit semper ebrietati iunctam esse luxuriam, datque exempla in præclarissimis viris Noë & Loth. *Noë*, inquit, *ad vnius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Sic Pantheræ, quæ alioquin omne animal venantur, vinosis fontibus inebriatæ capiuntur. Pier. *Hierogl. l.* 11. Origenes super *Gen.* 19. *Audite*, inquit, *ebrietas quid agat, audite quantum facinoris concilies temulentia. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Vritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma nõ vssit.* Ex quo patet Dæmonẽ, quę à sobriis extorquere nequit, ab ebriis facilè impetrare. Vnde S. Ambros. *in Gen.* 19. *Quæ sobrij cauemus*, inquit, *per ebrietatem ignorantes committimus.* Quemadmodum enim anguillæ,

quæ in aquâ clara capi nequeunt, capiuntur in turbatâ: (Pier. *l.* 29. Hierogl.) ita viri probi qui alioquin laqueos Dæmonis facilè euadunt, per ebrietatis perturbationem impelluntur in turpia peccata reteque Diabolicum. Horribile exemplum refert auctor *serm. ad frat.* in Eremo apud S. Aug. *serm.* 33. *Ecce*, inquit, *hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, duas sorores vulnerauit ad mortem, &c.*

Patet deinde libidinem, quæ priùs in homine plurimis annis sepulta aut certè sopita iacuit, ebrietate suscitari; vt Hieronymus de Noë ostendit loco cit.

C. II. Impudentia. SECVNDA, Impudentia. Ita *Thren.* 4. dicitur: *Inebriaberis atque nudaberis.* Quod expertus Noë inebriatus & nudatus est factusque opprobrium filio suo. *Gen.* 9. Pudor frænum est, quod honestos homines retrahit à peccatis præsertim fœdis. Hoc frænum aufert ebrietas; inde currit ebrius velut equus effrænis immoderato impetu quaquauersum à suâ concupiscentiâ impulsus; Atque vt equus præ cæteris animalibus procacior est ad libidinem, ad equas impetu fertur & nec verberibus quidem retrahi potest, vbi solutus est: ita & ebriosi. Itaque in eos quadrat quod dicitur. *Ier.* 5. *Saturaui eos & mœchati sunt, in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores* (Hebr. *Saturati seu bene pasti*) *& emissarij facti sunt: Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Audi Senecam *epist.* 84. *lib.* 12. *Certè*, inquit, *eruit omne vitium ebrietas & incendit & detegit, obstantem malis conatibus verecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi quàm bonâ voluntate prohibitis abstinent. Vbi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit.* Anna illa 1. *Reg.* 1. Sapienter vocabat ebrios, filios Belial, id est, absque iugo, qui videlicet iugum abiecerunt & pudorem. Cùm enim Heli eam argueret ebrietatis: *Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades*; respondit illa: *ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial.* Huic adstipulatur S. Hieron. qui *in Reg. Monach.* ait: *Omnes qui ebrietatem sectantur, filij Belial vocantur, quia venter mero æstuans facilè despumat in libidinem.* Maximè verò tales sunt, quos etiam in templum venire non pudet ebrios. Videtis ergò impudentissimæ lasciuiæ causam esse saturitatem & ebrietatem. Exemplo est Holofernes, qui ex nimio potu *incundus factus est ad Iudith.* q. d. lasciuus.

D. III. Insania & bestialitas. TERTIA, Insania & bestialitas. Dicit enim Oseas *c.* 4. *Vinum & ebrietas auferunt cor*, id est mentis arcem seu intellectum & iudicium. Et *c.* 7. *cœperunt principes furere à vino.* Vnde bene Seneca *ep.* 83. ebrietatem vocat *voluntariam insaniam.* S. Basilius *hom. in ebrietatem: Quid quæso*, ait, *sunt ebrij aliud quàm gentium idola? oculos habent & non vident, &c.* S. Hieronymus *in c.* 5. *ad Gal. Ebrius*, inquit, *est homo, nec mortuus, nec viuus.* Denique *Thren.* 4. comparantur ebrij lagenis testaceis, quæ vino tantùm plenæ, mentis verò inopes sunt. *Reputati sunt in vasa testea*, ait Ieremias. Denique de his ait Isaias *c.* 28. *Absorpti sunt à vino.* Dum enim absorbent vinum, absorbentur interim à vino, dum, ex hominibus bestiæ fiunt. *Vt aqua ignem extinguit, ita vinum extinguit rationem; & vt aqua maris naues, sic vinum vitiis homines submergit*, ait S. Basilius *hom. dicta.* Hinc Holofernes temulentus in lectum non ijsse, sed cecidisse dicitur, *Iudith.* 13. in texto græco: instar Equorum videlicet, qui ad somnum corruunt. *Quid autem fœdius*, ait Musonius in l. de victu, *quam vt homo brutâ animalis imago fit?* In literis annuis Soc. Iesu anno 1585. *pag.* 199. Indus vino deditus cùm pœnitentiæ beneficio naturam tandem vicisset & ad sobrietatem se reuocâsset, candidum dicitur adolescentem per quietem vidisse, qui eum prehensâ manu ad compotatorum cœtum conuiuiumque deduceret: ibi animaduertisse eorum, qui accumbebant, vultus, primo quoque poculo hausto, mutari deformesque fieri: qui vero pergerent perpotare, & crebris poculis indulgerent, eos tæditsimo ore, simillimosque dæmonum euadere, dixisseque adolescentem tales effici eos qui se vino & ebrietatibus dedissent: Indus autem sobrius esse cœpisse, & incredibilem quendam temperantiæ amorem dicitur animo concepisse.

Verùm non corporis tantùm formâ & compositione bestias repræsentant ebrij, sed & moribus etiam. Quando enim paterfamilias ligatus est, tunc serui dominantur; Fele expulso dominantur mures: ita quando ratio captiua & è cerebro expulsa est, tunc in homine dominantur & lasciuiunt passiones & motus concupiscentiæ. Et quemadmodum Circe apud Ouid. *l.* 14. Metamorph. philtro suo dicitur Vlyssis socios in sues mutasse: ita & ebrietas in omnis generis bestias mutare homines solet. Videas alios suum instar volutari in luto, grunnire, bibere è pileis, calceis, crepidis, &c. mensam inuertere, in patinas & pocula tuere, &c. Alios Leonum more rugire, furere, æstuare, quasi obuios quosque inuadere & deuorare velint. Alios Leporum ritu animo cadere & plorare. Alios canum instar mordere conuitiis contumeliis. Athenæus *l.* 2. ex Timæo & Rhodiginus l. 17. narrant iuuenes quosdam Agrigenti in Siciliâ vini nimiâ ingurgitatione adeo dementatos aliquando fuisse, vt se in triremi nauigare, & terribili tempestate in mari iactari crederent; quin & supellectilem omnem, quasi nauim exoneraturos, foras eiecisse. Dum igitur ea diriperentur, quæ abiecerant, postridie accersunt eos vrbis prætores: quibus interrogantibus illi responderunt se in naufragij periculo nauim exonerasse. Quibus insaniam mirantibus, vnus ait: Ego ô Tritones metu consternatus sub infimo nauis tabulato abditus iacui. Monentibus tandem Iudicibus ne deinceps ita se ingurgitarent: gratiam se habituros responderunt, si ad portum appulerint. Hinc domus illa Triremis dicta est.

QVARTA. Ira & contentio teste Sapiente Prou. 30. *tumultuosa* (res) *ebrietas.* Et Prou. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui* E. IV. Ira & contentio.

fiat

sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? nónne his, qui commorantur in vino & student calicibus epotandis? Accedunt gentiles, qui Bacchum vocabant, liberum patrem, quòd instar tauri furiosi liber & solutus esset ac cornupeta; (vnde & cornua eius simulachrò appingebát.) Eundem ob causam tauri furiosi cornibus fœnum alligabant (vnde natum prouerbium: *fœnum habet in cornu*) quòd furor & rixæ è nimio pabulo prodirent. Exemplo est Herodes, qui vt S. Augustin. ait, *vbi nimia mero concaluit, ad vnius puellæ saltatiunculam, Ioannem Baptistam præcursorem decollari præcepit. Matth. 14.* Alexander M. Clytum sibi amicissimum, pro quo sobrius vitam profudisset, ebrius interfecit. Quo exemplo edoctus Aragonum rex Alphonsus vinum aquâ diluebat & ebrietatem maximopere cauebat: *Scio namque* aiebat, *quantum Macedonis Alexandri gloriæ abfuerit ebrietas.* Et rursùm: *Quia scio furorem & libidinem ebrietatis esse filias.* Panorm. l. 2. de rebus ab eo gestis. Rectè igitur ebrij dicuntur ab Isaia vino æstuare (70. vertunt: *Vinum enim succendet vel comburet eos.*) quasi ardentibus tædis velut furiæ discurrant infernales. *Quis enim currus,* ait S. Basilius *hom. de ebrietate, equorum indomitorum, ita praeceps fertur dominum suum excutiens? quod nauigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatam & concussum, quod non sit securius ebrio?* Ibidem ebrietas vocatur à Basilio *dæmon voluntarius.* Nam ebrius velut obsessus furit, cædit, vulnerat. Verùm id indignum, quòd voluntariè hoc agit & suâ culpâ, quod obsessus facit nolens & absque culpâ.

F. V. Contemptus disciplinæ. QVINTA, Contumacia seu diciplinæ contemptus. Sic dicitur *Isa. 28. Errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem*, id est, contempserunt Deum omnia videntem vel prophetas dehortantes. Et *Ier. 25. Bibite & inebriamini & vomite & cadite: neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos.* Volt dicere: non surgetis, nec vobis consuletis, quia vino madidi monentem non audietis. Quod sanè ostensum in Baltasare, qui cùm iam temulentus bibisset è vasis sacris, vidit digitos Dei scribentes ei cladem & exterminium. Et quamuis Daniel explicuerit ei scripturam & iram Dei impendentem denunciauerit, nihil tamen motus aut emendatus est, quamuis alioqui nondum omnino à mente deiectus esset (præcepit enim Danielem indui purpurâ ob scripturæ expositionem) non surrexit à mensâ, non corripuit arma, vt se hosti iam iam aduenturo opponeret, non clamauit ad Deum pro venia vel auxilio. Quare nocte subsequente Babylon capta est & Rex occisus. *Dan. 5.* Itaque licet ebrij ad alia quædam facienda attenti esse possint, ad Dei tamen verbum & salutem suam prorsus stupidi sunt. Quin etiam refractarij sæpe & in monitores suos iniorij, quod exemplo Cambysis Persârum regis discere possumus. Hic enim cùm de bibacitate argueretur à Praxaspe consiliario suo, vt vitium excusaret, iussit mox adduci filium Praxaspis & ad palū alligari, sicque ad parentem pueri fatus: *Tùm demum proba si sim ebrius, cùm collimata hoc spiculo cor filij tui tetigero;* iacto telo confixit & occidit puerum. Fulgos. *l. 9.* Quamobrem prudentissima illa Abigail viro suo Nabal reprehensione dignissimo, cùm videret eum temulentum, *non indicauit verbum pusillum aut grande vsque manè,* ait S. Textus 1 *Reg. 25.* donec edormiet crapulam: quia nimirum ebrius nec modestæ, nec asperæ reprehensionis capax erat. Similiter & Moyses descendens de monte vidensque vitulum & choros circa illum, iratus valdè proiecit de manu tabulas legis & confregit eas. *Exod. 32* Quam verò ob causam? Respondet Hieronymus *l. 2. contra Iouin. Fregit audacter tabulas, sciebat enim Dei sermonem audire non posse temulentos.* Mira res profectò. tabulæ enim illæ à deo datæ & scriptæ erant, adeoque apud populum plurimum ponderis habituræ; nihilo tamen secus fregit eas Moyses & audacter quidem, quia nulla apud ebrios valet prædicatio. *Absurdum Moyses esse existimauit, si legem Dei, populo ebrio legemque infringenti afferret,* ait Chrysostomus.

SEXTA, Hæresis & perfidia. Nec enim frustra dixit Ecclesiasticus *c. 19. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Confirmatur hoc exemplo Baltasaris, qui præcepit iam temulentus vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ abstulerat pater eius de templo & laudabat Deos suos, &c. *Dan. 5.* Ita nimirum ab ebriis primò sacra profanantur & sacrilego ore ridentur, inde paulatim prodit hæresis & perfidia. Et hinc ferè Lutheri hæresis tot in præceps rapuit ciuitates & regiones, quia apud illas tunc ridebantur sacra, contemnebantur Sacramenta, Missa in ludibrium trahebatur, sacerdotes & religiosi opprobrium illis erant, & hæc ferè apud ebrios & Bacchi studiosos. G. VI. Hæresis & perfidia. Eodem modo Græci, quia maximè dediti ebrietati & conuiuiis, inde in vitia alia, ac demū in hæresin lapsi sunt, postremò in prædam Turcis dati, qui vinum secundum legem suam execrantur & vineas vbi possunt, succedunt. Germaniam autem nostram Græciæ sororem esse quantùm ad ebrietatem, quis non videt? quidquid inchoatur, quidquid & finitur, vino inchoatur & finitur. Si quis te inuisat, propinando illum salutas, eidemque valedicis poculo S. Ioannis. Neminem honorare nôrunt nisi pergræcando. Hoc medio eriguntur fœdera & societates, optantur sanitates, promittitur fidelitas, aguntur Deo gratiæ. Iure huc referimus, quod Fridericus Fornerus Suffraganeus Bambergensis in *l. 1. de Temulentia malo* scribit *c. 10. Mihi*, inquit, *nec non & pluribus aliis, retulit primarius quidam Franconicæ nobilitatis Eques, raræ senectutis & canitiei, cui vel eò maior fides tribuenda, quòd Lutheri doctrinam & ipsemet profiteretur, & Lutherum se sapius ad populum concionantem inaudisse, contestaretur, retulit, inquam, se florente adhuc ætate iuuenem magno cuidam & Catholico imperij principi (quem & nomine tenus ipse indicabat, quod cōsultò subticendū nobis inseruiisse & quod dicā suismet auribus & percepisse, & oculis aspexisse. Institutū erat à duobus aliis Protestātiū cōfessioni addictis* im-

imperij primoribus splendidissimum regali luxu conuiuium, ad quod vicinitatis & amicitiæ caussâ tertius ille Catholicus identidem vocabatur, occultè, quod clam institutum erat, ignarus planè stratagematis. Ergò inter accumbendum epulis ampla hinc inde pocula in circum è manu ad manum transmissa epotabantur, quibus insidiosè callidèq; Catholicus ille vt plurimum petebatur eo consilio, vt largiùs bibendo inebriaretur. Successit illorum fraudulenta & funesta machinatio ad sententiam, magno plurimorum infortunio atq; Ecclesiæ Catholicæ ingenti ruina. Surgitur itaque mensis remotis, statur de more. Vlteriùs bibitur, varia interim per fucum de Religione, quam appellabant, Reformatione, de publica pace, de imperij salute, in medium adferuntur. Tum demum apostrophe ad Catholicum fit, demulcentur blanditimnculis aures, mellea verborum suauitate animus delinitur, aurei montes promittuntur, velit modò & ipse huic sententiæ subscribere, nouam ac reformatam Religionem capessere, atque in sua ditione propalare. Renuit ille pluſculum, cunctatur dubitat. Instant illi, vrgent, hortantur, incitant, metum excludat omnem, suâ, princeps nimirum Imperij, libertate vtatur. Lubricam tandem vinoq; labefactatam superauit incōstantiam illorum importunitas, imò facilè persuasibilem temulentiam vicit atque ita vicit vt iuramento se id acturum & confestim effectui daturum, interposito, fidem suam spponderet. Edormita mane crapula, cùm promissi ac iurisiurandi admonitus esset, ita vehementer doluit pœnituitq; facti, vt in fletus & suspiria miserabili planctu rumperet. Verùm ne periurij nota ipsi aspergi posset, Catholicam & Orthodoxam Religionem suo sensim loco mouet, & nouam illam absque strepitu subinuexit. Fertur eum Principem reliqua vita valde in religione dubium, ancipitem, atque varium euasisse, & corporis viribus, pristinaq; rerum omnium affluentia & prosperitate plurimùm defecisse, ac non ita multo post calamitoso fatis exitu ex hac vita decessisse: atque hac ratione ebrietas Imperatoria Aquilæ ex alarum altera vnam præclaram extraxit pennam.

Iam verò quæso te, quid diceres, si tibi filius tuus diceret in domum tuam pessimam societatem, v. g. lyricinem, scortum, morionem, militem, hæreticum, &c. An non tu hos repente eijceres è domo? Atqui tales socios imò proles affert tibi ebrietas, &c.

CONCIO VI.

Causæ cur tam multi egeant.

1. *Prima est otium & inertia multorum.*
2. *Iniusta artes quibus aliqui vtuntur.*
3. *Auaritia Ditiorum.*
4. *Luxus & ingluuies pauperum.*
5. *Fastus ditiorum.*
6. *Impietas & indeuotio multorum.*
7. *Diffidentia de Deo.*

THEMA.

Vinum non habent. Ioan. 2.

TAmetsi maximum & præclarissimum est miraculum hodiernum, quo Dominus aquam conuertit in vinum: quemadmodum & illud, quo pauculis panibus mirabiliter multiplicatis, aliquot hominum millia iteratò pauit; tamen si rectè aduertamus hoc vtrumque miraculum quotannis replicatur in toto orbe terrarum. Qui enim hodie vinum ex aquâ fecit & alibi panes & pisces multiplicauit, idem ille singulis annis de *paucis granis segetes* (vt loquitur S. August. *tract. 24. in Ioan.*) *creat.* & in ipsis vitibus admirabili ratione & modo aquam in vinum conuertit; pluuiam scilicet, quam super vineam mittit. *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. 1. Cor. 3.* Ad hæc quemadmodum hodie Dominus de vino prouidit omnibus sufficiente & alibi de panibus: ita per annum quoque procreat sufficientem & vini & panis copiam, quanta omnibus sufficere possit hominibus ad necessitatem, imò ad abundantiam. Quia *dat omnibus affluenter & non improperat. Iac. 1.* Vnde vulgò quidem sed non vanè dici solet Deum vnicuique hominum, ad singulos dies singulas vini mensuras singulosque panes produxisse, &, quantum in ipso est, destinâsse: quod non difficilè conijci potest, cùm penè omnes prouinciæ frumenti & vini fertiles sint: ac si quæ eorum aliquo careant, ex vicinis locis, qui iis abundant, facilè habere possunt, cùm ipsæ in alio abundent. Iam verò si ita est, vnde tot egentes, qui non modò vinum non habent ad bibendum, sed multoties nec panem ad edendum & vestem ad induendum? Quidnam illud est, quod continua Dei miracula, quibus ex pluuiis facit vinum & ex paucis granis frumentum idemque copiosum obscurat & extenuat? Num putamus summum orbis rectorem & communem nostrum Patrem aut nolle aut non posse nobis alimenta comparare quæ omnibus sufficiant? Non possit, qui omnia potest? Non velit, qui aues cœli pascit? *qui dat iumentis escam & pullis coruorum inuocantibus eum*, tam inutilibus & contemptis auibus? Aliæ igitur causæ sunt, cur multi inter nos egeant, ni fallor, hæ quæ sequuntur.

PRIMA, Inertia & otiositas multorum, qui si laborare & industrij esse vellent, facilè acquirerent, vnde commodè sustentari imò & affluere possent; At quia hoc nolunt meritò egent & aquam bibunt. Prædixit hoc totum Sapiens *Prouerb. 6. Vsquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas & pauperies quasi vir armatus; si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua & egestas longè fugiet à te.* hęc Sapiens. Vbi aduertendum, paupertatem inertibus subitò aduenire instar viatoris inopinatò aduentantis & instar militis armati, qui si in domum tuam locetur, non discedet cùm tu volueris, sed ipse te potiùs eijciet, supellectilem tuam perdet, aut è fenestrâ eijciet, aut diripiet: & quæ tu comedere volebas, ipse comedet, &c. Multi sanè patrimonio suo freti manus in sinum ponunt, spaciantur, societatem sequuntur, otiantur: derepente tan-

tandem, vbi domum venarint, inueniunt hospitem, qui vocatur egestas, & quidem adeò fortem vt domum alteri vendat. Contingit autem illis, quod fatuis Virginibus *Matth.25.* quæ oleo accepto in lampadibus, non acceperunt aliud in vasis, quo lumen conseruarent, quod tamen fecêre prudentes. Vnde cùm dormiuissent, mediâ nocte excitatæ viderunt extingui lampades suas, nec iam habebant, quo eas alerent. Multi tales fatui, qui patrimonio diuite accepto, putant nil sibi ampliùs posse deesse, vnde nec oleum in vasis accipiunt, id est, nulli se addicunt studio aut labori; nullam adhibent industriam, quâ patrimonium, quod paulatim consumunt, restaurent & conseruent: nihil ei addunt, tantùm demunt. Vnde fit tandem vt mediâ nocte, hoc est, inopinatò euigilent videantque exonguí opes suas, nec iam habent vllos industriæ fructus, quibus deperditas restaurent. Contrà verò *si impiger fuerit*, inquit Sapiens, *veniet vt fons messis tua:* Fons, inquam, non aquæ, sed vini indeficiens, semper fluens in domū tuam eamq; adimplês. Panthera, vt scribit Pierius *l. 11. Hierogl.* mirabili industriâ vinum, quo delectatur, sibi parat in cauernis suis. Fontes enim vinosos quærit, nec procul ab illorum aliquo specum sibi indagat, tum arundines cauas conquirit & à fonte vsque ad specum suam disponit, quibus velut canalibus vinum ad specum vsque deducat. Non minori industriâ aranea, quò deliciatiùs vesci queat, auiculas captat, dum mirabili labore, etiam sui ipsius euisceratione retia in aëre texit, toties & tam artificiosè circumeundo, nectendo, funibus appendendo, ipsa in medio quieta sedens aucupis instar obseruat reti illatas muscas, moxque excutiens necat. Similiter apes & formicæ assiduo labore tantum sibi congregant vt per hyemē durare possint, imò & hominibus thesauros suos communicare, apes mel & ceram, formicæ integros sæpè frumenti modios. Vnde meritò exclamat vbi suprà Sapiens: *Vade ad formicam ô piger.* Animalculis istis ratio non est, præceptor non est, quibus instruantur ad industrias has & ciborum prouisiones: vires denique tenuissimæ sunt; nobis ratio est, vires sunt, consilia & documenta sunt, occasio est, quibus pellere egestatem possemus, quibus vinum ad mensas nostras adducere, cibos parare, imò & aliis communicare: culpâ tantùm nostrâ fit vt prouidentia Dei in nobis obscuretur, quæ in omnibus aliis creaturis splendet, quasi verò Deus homini negâsset, quæ cæli volatilibus ad copiam & liliis agri ad superbiam vsque dedit, victum & vestitum.

C. II. Iniustitia. SECVNDA, Iniustæ & malæ artes, quibus aliqui vtuntur ad parandum sibi victum & opes. De iustis quidem ait Dauid *Ps.36. Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens pa ē.* Sed de iniustis mox subiungit: *Iniusti punientur & semen impiorum peribit.* Aues quæ prædantur, omnes macilentæ & multarum tantùm pennarum sunt; reliquæ verò prædæ nesciæ, pingues & corpulentæ, etsi minùs pennatæ. Ità & qui malis artibus, dolis, fraudibus, vsuris, rapinis & exactionibus sua conquirunt, confisi in pennis, vnguibus & oculis suis aquilinis, ferè semper egent: contrà benè habent, qui in Deo confisi neminí nocent. Simillimum huic rei est quod de pennis aquilarum scribit Aristoteles *l. 9. animal. c.2.* & Plin. *l. 10. c.3.* ab iis deuorari & consumi reliquarum alitum pennas, si eis commixtæ fuerint. Quare siquis in lecto suo inter anserinas plumas haberet aquilinas, ei, tandem consumptis pennis, super stramineo saccn cubandum foret. Ita res habet cum bonis illis, quæ iniusto modo parta sunt; si enim in domum inferantur & iustis opibus misceantur, eas deuorabunt & possessorē bonis omnibus exuent deponentque, quod solemus dicere, *von fr bern auff das stro.* Asserit hoc pluribus in locis sacra Scriptura. Habacuc audiamus *cap. 2.* sic loquentem: *Væ ei, qui multiplicat non sua: vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? Nonquid non repentè consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te & eris in rapinam eis?* Igitur dum isti putant se congregare aurum, congregant lutum, quia aurum eorum vertetur in lutum; deinde quemadmodum cania canem, coruus coruum, cùm eum prædam potitum videt, adoritur, mordet, lancinat, fatigat, donec prædam ei eripiat: Ita consurgent accusatores, qui bona sibi ablata repetent; consurgent fures, qui diripient; consurgent filij prodigi, qui ea dilapidabunt; consurgent morbi diuturni, qui ea absument, consurgent pecorum & iumentorū interneciones; consurgent tempestates, quæ segetes vastabunt; consurgent vermes & erucæ milleque alij hostes, qui frumentum & bona tua excedent auehentque. Fecerunt hoc Persæ Chaldæis, de quibus ibi loquitur Abacuc. Prædam enim, quam Nabuchodonosor tulit de Ierusalem, extorsit eius filio Baltbasari Cyrus Rex, Persa Chaldæo. Caueant sibi omnes ab aquilinis pennis, siue à se siue à parentibus domui suæ illatis. Exemplum vnum huiusce rei narrat S. Gregorius Turonensis *in gloriâ confess. cap. 109.* de Lugdunensi quodam vini mercatore, qui vt lucra augeret, vinum aquâ miscere solebat, nec parum hac arte locupletatus erat. Hic nauigio ad Emporia traiiciens Ararim fluuium, marsupium pecunia se pecuniâ oppletum habebat: interim dum aliquid negotiatur & nummum extrahit, marsupium verò, quod è pelle hispidâ confectum erat, è regione seponit: miluus id conspicatus & ob pilorum hispiditatem lepusculum vel cuniculum ratus, rapuit & in sublime tulit. At cùm sibi id inutile cerneret (cùm carne, non ære saturetur miluus) prædam dimisit, quæ in profluentem lapsa, vltrà conspici non potuit. Videns hoc mercator lachrymabundus dictitabat: *Quo peccaui, eodem & punior: per aquam pecuniam congregaui, in aquam lucrum omne dilapsum est.* Videtis igitur, Auditores, quâ ratione hic vinum bibere potuisset, nisi pro vino aquam vendidisset?

TERTIA, Auaritia diuitum. Quæro enim: Siquis D. III.

D. III. Auaritia diuitum.

Siquis opulentus pater habens plures filios, moriens tantùm vnum de more patriæ eumque primogenitum filium (quemadmodum in Hispaniâ fieri solet) hæredem bonorum suorum omnium institueret, eâ tamen lege vti primogenitus ille fratres suos sibi cōmendatos haberet & inopiam eorum sublevaret, idque sæpissimè in testamento repeteret, dicens: *Volo vt sit illis pater & in hoc ostendat se filium meum*, &c. si postmodum inueniremus fratres illos primogeniti discurrentes per plateas, laceros, nudos, panem mendicantes, & audiremus dicentes: Frater noster maior è domo nos eiecit, omnia bona patris nostri sibi vsurpat, nec quidquam nobis tribuit: quæso, cuinam hanc rem indignissimam adscriberemus? num patri? Minimè verò: nam ex more patriæ fecit, & causas vrgentes habuit, quòd primogenitum hæredem instituerit: fratres denique ei alendos dedit. Filius ergò maior culpandus est. Pari modo instituit Deus diuites velut maiores natu & primogenitos, bonorum terrenorum hæredes, eo ipso, quo abundantiam eis tribuit, pauperibus verò ne sufficientiam quidem, idq; iustè omninò; siquidem per hoc patientia à pauperibus, misericordia & liberalitas à diuitibus exerceri potest, & ita mutua inter vtrosque charitas plantari: merita vtrorumq; augeri, &c. Sed interim tamen *mandauit illis, vnicuique de proximo suo*, inquit Ecclesiasticus c. 17. Et iterum in Veteri Testamento *Deut. 15. Omninò indigens & mendicus non erit inter vos.* Sæpissimè verò Christus idipsum replicauit in Nouo Testamento: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*. Et, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, &c. Quòd si igitur aliquos nunc egentes videmus; cuius est hæc culpa? nonne diuitis, qui totum sibi seruat, fratribus nil communicat? Certè si quanto abundant diuites, tantum darent pauperibus, dubium esse non potest, quin nemo amplius egeret, quia diuina prouidentia sicuti omnibus bestiis, ita multò magis hominibus prouidit necessaria, feras enim cernimus sufficienti prouisione omnes sustentari, quia nulla earum plus sibi vsurpat, quàm victui necessariū. Auarorum igitur culpa est, non Dei, quòd aliqui, egeant necessariis, qui plus iusto sibi retinent. Quocirca Hebræi meritò pro præcepto acceperunt, non pro consilio solùm, id Deuteronomij 15. *Omninò indigens & mendicus non erit inter vos*: curaruntque omni modo & curant in hodiernum, ne quis ex ipsis mendicet. Qui enim hoc non faciunt, cùm possunt, Dei prouidentiam obscurant, imò impediunt: qui cùm omnibus sufficientiam destinarit, pauperes iuuari voluit per diuites. Denique nonne ingens dedecus est, deleri pauperes Christianos à Christianis, cùm Iudæi non deserant Iudæos? Hanc igitur ob causam sæpe Deus bona diuitum diripienda dat pauperibus. Exemplum refertur à Surio mense Decembri, in vita S. Spiridionis de diuite, qui cùm plurimum frumenti haberet, nec alicui pauperi quidquā inde largiri tempore famis vellet, altero die, iuxta quod prædixerat ei Spiridion, horreum eius ob pluuiarum vim & inundantiam natare & effundi cœpit, ac dispergi frumentum, ita vt pauperes certatim accurentes, abundè, quod asportarent, haberent, & inter alios etiam is, cui pridie negauerat dare pro pretio frumentum: quem postmodum iubebat etiam auferre secum gratis quantum vellet, virtutem ex necessitate faciens, non sine sui irrisione, damno & dolore.

E. IV. Luxus & ingluuies pauperum.

QVARTO, Luxus & ingluuies pauperum, qui ferè ita constituti sunt vt malint semel & simul ad nauseam ingurgitari, quàm per partes saturari, licet sciant postmodum famem sibi suisque tolerandam. Vno enim die festo ordinariè absumunt vnâ potatione vel lusu, quod eis per totam hebdomadem sufficere potuisset: vno item haustu tantum aliquando, quantum in diem satis eis foret. Horum igitur, non Dei culpa est, quòd egeant; sicut si Dux aliquis singulis mensibus distribuat militibus cuique stipendium suum, si mox primo die milites id absumant aleâ & potatione, nemo incusabit Ducem. Quòd si vltra quàm requirit natura non absumerent pauperes, vix vnquam forent pauperes. Nam, Senecâ teste, *si ad naturam viues, nunquam eris pauper; si ad voluptatem, nunquam eris diues.* Et quis insaniam illorum non miretur, qui malunt semel ingurgitari posteaque diu egere, quàm moderato victu constanter vti? Accusat hos inprimis Deus, cuius prouidentia immeritò per illos obscuratur & quasi iniqua traducitur aut ab ipsismet reis accusatur. Accusant animalia bruta, quæ naturali instinctu non plus absumunt vno prandio, quàm natura ipsorum petat, reliquum sibi in posterum seruant, ita coruus, ita canes, ita Elephantes faciunt, qui cibum sibi superfluum abscondunt & postmodum esurientes resumunt. Speciatim verò Elephas quidam in Syriâ narratur aliquando cùm præter morem à Magistro duplum pabulum accepisset, proboscide suâ medium accuratè seiunxisse & Magistro reliquisse, apud Pier l. 2. Hierogl. Accusat propria natura quæ vtrobique patitur. Nimiâ enim ingurgitatione oneratur, & sequenti egestate premitur. Quanta verò est hæc stultitia, pro perpeti solatio, perpetem sibi eligere pœnam? An non magnum foret operario solatium; si finitis operis sciret se domi reperturum bonū cibum, bonum potum? An nō magna pœna, inebriari & postea carere? ne dicam morbos sibi conciliare? Accusant denique istos vxor & liberi, qui iure suo fraudantur, viro omnia dilapidante per quem sæpè ad extremas rediguntur angustias, furari coguntur, aut mori, &c. Propterea apud Corinthios mos fuisse dicitur æquissimus, vt si quis cerneretur splendidùs obsonare, interrogaretur de suis facultatibus: & si illæ victui illi æquales vel maiores essent, permittebatur victitare: si minores, quàm facultates eius ferrent, ei mulcta imponebatur. Quòd si nihil haberet, tamen adeò opiparè viueret, necandum carnifici tradebant, quia

quia aut furem esse dicebant aut furibus participare debere. Diphilus *in Mercatore. Athen. l. 5. cap. 2.* dipnosoph. Tandem exemplum terribile huius dissolutionis narrat Io. Benedicti *l. 3. sua summa cap. 7. in appendice*; his verbis: *Quid paucos ante annos homini lusui & poculis addictissime contigerit, hic minimè prætereundum. Hic cùm rem omnem in lusu & popinis consumpsisset, cum aliquando potitantem adiuit vxor res domesticæ penuriam expositura, sed sinistram verberibus excepit, præsentibus compotoribus vt ceu mortua sit ibi relicta. Misera tandem resurgit ac domum reuersa occurrit duobus paruulis qui hinc inde illius vestem apprehendentes, vociferabantur: Da panem Mater, Mater, fame perimus: iam iam biduum est ex quo nihil sumpsimus. Ah pueri mei, vndenam habebo? pater vester expendit omnia. Quid agendum? Præstat semel mori, quàm sic fame languere, & vnâ morte mille mortes redimere. His dictis, velut desperabunda, confestim arripit cultrum, quo vtrumque iugulat. Sub crepusculum verò noctu maritus domum reuersus ebrius & reliquâ substantiâ exhaustus lecto se committit. Quē vt somno sopitum vidisset, eodem cultro eâ audaciâ, quâ Iudith Holoferni, etiam marito caput amputat: Moritur, inquit illa, cùm peruersa tua viuendi ratio sit tua ipsius & mea & puerorum nostrorum ruina. Re palam factâ, ipsa à Magistratu comprehensa, facti veritatem fatetur. Et tandem morti adiudicata, supplicium libenter subiit, habitâ priùs ad coniugatos monitione ne sic sua in aleis & tabernis dissiparēt. En vt gula cum aleâ his quatuor mortem intulerit.*

F. V. Fastus ditiorum. QVINTA, Illustrium & ditiorum hominum fastus, pompa & sumptus immoderati. Horum enim aliqui pauonum instar, (quibus flabellum non pro temone, vt aliis seruit auibus, sed merè ad ornatum & spectaculum) se adornant nullo fructu, & superbiæ impendunt, quod plurimorum ventres satiare posset. Alij perpetui sunt in poculis & patinis, bibunt vt vomant, vomunt vt bibant, suntque instar animalis illius, quod à voracitate Heluo dicitur, quoniam reperto cadauere tantum vorat, vt violento cibo corpus instar tympani distendatur, & protinus duas arbores vicinas quærit, inter quarum angustiam comprimit & stringit ventrem vt violentiùs egerat, locumque nouę voracitati faciat; sicq; ad vorandum redit. Refert Pererius *in Gen.* Multi tales heluones, qui vt largiùs & diutiùs bibere possint, vim naturæ inferunt variaq; gulæ irritamenta excogitant. Alij frequentissima symposia & compotationes instituunt, quibus sumptus non necessarij fiunt. Alij immoderatos sumptus faciunt in alendis equis, canibus, Falconibus, mimis, scurris, thrasonibus, &c. Quæ omnes superfluitates si in pauperum vsus cederent, nemini dubium, quin pauperes esse desinerent. Nam si de Pittaco illo legislatore scribit Laërtius *l. 1. c. 5.* postquam is tulisset legem, vt qui per temulentiam sceleris aliquid commisisset, duplo plecteretur, inde factum esse vt paulò post Insula vino abundaret: quantò id magis fieret, si non ebrietas tantùm, sed & alij sumptus immodici cauerentur & pauperibus cederent? Nec certè video, quomodo non propterea isti rationem Deo reddituri sint; siquidem videntur pauperibus abstrahere, quod adeò malè perdunt; & quod illis est superfluum, pauperibus est necessarium. Ad quid enim Dominus tam sedulò iussit in vtroque illo conuiuio, quod exhibuit hominibus, vt colligerentur fragmenta, ne perirent? Docere vtique voluit diuites vt ipsi temperanter viuerent, superfluum verò pauperibus darent. Alioqui rectissimè dici potest, quod Iudas perperam dicebat: *Vt quid perditio hæc? Potuit enim hoc venundari & pauperibus dari.* Nunquid enim ideò vobis plus dedit Deus, vt tam inutiliter id prodigeretis? Nunquid soli contulit tam copiosum lumen, vt sibi tantùm, non nobis luceret? *Væ qui coniungitis domum ad domum,* ait Esaias c. 5. *& agrum agro copulatis vsque ad terminum loci! nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* &c.

SEXTA, Impietas & indeuotio multorum, qui Deo pro acceptis beneficiis gratias non agunt, diuina negligunt, & regnum cœlorum terrenis suis negotiis postponunt. Si enim quærentibus primò regnum cœlorum terrena adiiciuntur: licet argumentari, quòd non quærentibus non adiiciantur. Vnde *Esa. 5.* dicitur: *Vinum in conuiuiis vestris: & opus Domini non respicitis nec opera manuum eius consideratis. Propterea nobiles eius interierunt fame & multitudo eius siti exaruit.* G. VI. Impietas.

SEPTIMÒ, Diffidentia de Deo, quoniam multi in suâ confidunt industriâ plus quàm in Deo. Vnde quemadmodum Christus in Nazarenorum ciuitate signum facere non poterat ob incredulitatem eorum; ità multis non adfert eam opem, quam alioquin afferret, ob diffidentiam eorum in Deum. Ob hanc causam populus Israël sæpe affligebatur fame, quia Deo diffidebat, vti *Num. 11.* vbi Moyses ipse quoque dubitabat, quomodo Deus tantum populum saturare carnibus posset. Sed respondit ibi Dominus: *Nunquid manus Domini inualida est?* Quid certius aut euidentius argumento illo Domini *Luc. 12.* Si Deus pascit volatilia cœli, quæ non serunt neque metunt: & vestit lilia agri, quæ non laborant neque nent, quomodo non magis hominibus, quos ad imaginem sui condidit, & per Spiritum S. in filios adoptauit, prouidebit omnia necessaria ad vitam? Nónne *facile est in oculis Dei subitò honestare pauperē?* id est, locupletare, vt habet vox græca *Eccl. 21.* Item *Ps. 33. nō est inopia timentibus eum.* Et *Ps. 36. non vidi iustum derelictum,* &c.

CONCIO VII.

Quibusnam inter alios maximè vitanda sit ebrietas.

Ebrietas maximè vitanda est.	*3. Senibus.*
1. Adolescētibus & multò magis pueris.	*4. Principibus & Magistratibus.*
2. Mulieribus.	*5. Clericis.*
	6. Christianis omnibus.

THEMA.

Vinum non habent. Ioan. 2.

A. NObilis quidem creatura vinum est; sed quàm nobilis est, cùm debito modo capitur, tam noxia & vilis est, cùm intemperanter bibitur. Propterea forsan Christus in nuptiis hod. distulit nonnihil vini miraculum, quasi priùs deliberans expediretne conuiuis vinum propinare? quando aliàs plerique solent tam nobilem liquorem ad suam hauriire perniciem. Hanc enim causam reor, cur eiusdem vini notitiam & confectionem voluerit Deus mundo occultam esse vsq; ad annos 1600. post mundi creationem. Tunc enim vitis quidem & uvæ erant, sed nesciebant homines vinum inde exprimere. Vidit ergò Deus, profuturum ex vna parte vinum generi humano ad mœrorem, labores & infirmitates eius leniendas & roborandas: ex alterâ verò parte, multis obfuturum, adeoque fore hominibus lapidem offensionis; quod vel ipse statim Noë, qui vini inuentor fuit, in se expertus est, cùm bibens inebriatus est, nesciens vim vini, quam si cognouisset, fortasse non prodidisset. Et quæ alia causa est, cur omnibus nationibus prouiderit Deus agros, non omnibus itē vineas: nisi quia illi ad necessitatem, hæ ad voluptatem magis faciunt, & quia illi satietatem tantùm, hæ verò ebrietatem etiam afferunt? His tamen susque deque habitis vinum illud Noëticum, tam auidè citoque ab omnibus arreptum tentumque fuit, vt ipsum eius nomen in omnes linguas transierit, idemque quod priùs, apud omnes licet iam linguis diuisos, remanserit. Vinum enim Hæbræis dicitur iain seu ien: Græcis οἶνος: Latinis, vinum: Gallis vin: Hispanis, Italis & Sclauonibus, vino: Germanis, Anglis & Belgis, VVyn, vel Wein. Sed & Noëtica ebrietas ad omnes penè transiit, cuiuscunque status, sexus, conditionis homines, magno humani generis opprobrio. Quod tamen non idem est in omnibus, sed in quibusdam minus, in aliis verò maius, vt videbimus.

B. I. Adolescẽtibus. 1. PRIMÒ, Ebrietas vitanda maximè est adolescentibus & multò magis pueris. Primò, quia si plus æquo bibant, calorem iam satis intensum augent, aquæ potiùs temperamento valde indigentem. Hinc Plato *l. 2. de legibus*, pueris vsque ad annum 18. vinum prohibuit; quod non oporteret ignem igni in corpus atque animum suggerere, antequam viri effecti subire labores incipiant. Accedit S. Hieronymus in ep. ad Eustoch. *Vinum & adolescentia*, inquir, *duplex est voluptatis incendium. Quid oleum flammæ adiicimus? quid ardenti corpusculo ignium fomenta ministramus?* Denique Apostolus ad *Tit. 2.* ait: *Iuuenes hortari vt sobrij sint.*

2. Secundò, Quia quod ex dictis sequitur, destruuntur illorum animi & corpora. Animi, quia ex vini intemperantia progignuntur vitia veluti ex palude vermes, ranæ, sanguisugæ, &c. Vnde Reip. nequeunt prodesse. Corpora, quia experientia docet, multos fieri debiles, obtusos, stolidos & quosdam extingui omninò. De tribus adolescentibus narrat Athenæus *l. 2. cap. 2.* quòd vino calefacti vsque eò dementiæ processerint, vt in taberna degentes in trireme se nauigare & mare turbarum crederent ac velut in naufragandi periculo supellectilem domesticam per fenestram eiicerent. Vt paulò suprà diximus. Quod si non omnino removeri potest vinum à mensâ Adolescentium, fit saltem, quod D. Paulus monet *1. Tim. 5.* modicum, fit benè dilutum, nec extra prandium & cœnam. Con. 5. huius Dom.

C. II. Mulieribus. 1. SECVNDÒ, Mulieribus; sic enim scribit Ecclesiasticus *cap. 26. Mulier ebriosa ira magna: & contumelia & turpitudo eius nō tegetur*, quasi dicat: indignationem mouebit & claues pudicitiæ perdet. Primò propter animi debilitatem & mutabilitatem; gerunt enim thesaurum pudicitiæ in vasis fictilibus. Vnde S. Chrys. *hom. 16. in Matth. & serm. 71. ad pop. Quid*, inquit, *ebriâ turpius muliere? quantò namque vas est imbecillius, tantò maius est naufragium.* Romanis ebriæ mulieres adeò suspectæ fuère, vt hoc ipso pro adulteris haberentur, quia, vt ait Valer. Max. *l. 2. cap. 1. Proximus à Libero patre intemperantia gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit.* Quare Gellius *l. 10. c. 23.* docet non leuius in feminâ temulentiam aut etiam vini vsum, quàm adulterium puniri. Certè à Romanis absolutos fuisse maritos, qui ob vini potum occiderant vxores, testatur Plinius *l. 14. cap. 13.* & idcircò propinquos feminis osculum dare consuesse, vt scirent, an temetum olerent. Ex Annæ illius Samuelis sententiâ mulieres temulentæ sunt filiæ Belial, id est, absque lege, pudoris scilicet & honestatis *1. Reg. 1.*

Porrò hoc studiosiùs obseruandum virginibus Christo desponsis, quarum temulentiam S. Hieronymus in *Reg. Monial.* vocat sacrilegium. Et rursum ad Eustoch. *Si quid*, inquit, *in me potest esse consilij, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, vt sponsa Christi vinum fugiat pro veneno.*

2. Secundò, Propter imbecillitatem corporis & crebri casuum; quando enim velut muscæ facilè per se corruūt, quid opus est impulsu? Adde ebrietatem multò esse turpiorem in muliere, quàm in viro, omnium hominum opinione. Quare virgo Deipara prudentissimè sanè, non pro se vinum petiit, sed pro aliis hospitibus. Non enim ait: Vinum non habemus; sed, *vinum non habent.*

D. III. Senibus. 1. TERTIÒ, Senibus, quibus quantum congruit vinum moderatè sumptum, ob naturæ frigus, tantum nocet ebrietas seu vinum immoderatum. Primò propter ætatis venerandam canitiem. Nam inprimis turpe est viros vel mulieres senectâ venerabiles, de potestate mentis deiici, seruos fieri cupiditatum suarum & ob id iunioribus fabulâ & ludum, vti factus est Noë filiis suis. Vnde inbet eos Apostolus ad *Tit. 2. non multo vino seruientes esse. Quod enim in adolescentibus*, inquit Hieronymus, *est libido, hoc in senibus est ebrietas, vt nō sint sui, sed vini.* Deinde

inde senes in Rep. sunt veluti consiliarij & Medici iuniorum. His verò quomodo consulent, si non constent sibi? Taceo malum exemplum, quo dum tibias inflant, saltare faciunt iuuenes. Quare sicut maturis periculi & pudoris est, si adulti in terram cadant, quàm si infantes: ita turpius & periculosius est si senes de potestate mentis deiiciantur. Non prohibet eis Apostolus vini vsum, sed seruitutem; dominentur vino, non seruiant.

2. Secundò, propter valetudinem. Vita enim senum modicus est igniculus caloris naturalis, qui exiguo sustentatur pabulo breui extinguendo; Vnde citò læditur adeoque extinguitur cibo potuque immodico.

E. IV. Principibus & Magistratibus.

QVARTÒ, Principibus & Magistratibus. Primò, quia debent esse omnium bonarum hominum, semper parati ad tractandas res grauissimas, ad consilia & responsa danda, ad ius dicendum & secreta seruanda, iuxta præceptum

1. Salomonis *Prouerb. 31. Noli Regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas: ne fortè bibant & obliuiscantur iudiciorum & mutent causam filiorum pauperis.*

Plato *l.* 1. de legibus ait: *In ciuitate vini vsum nusquam seruo vel serua concederem; sed nec Magistratibus toto eo tempore, quo Magistratu funguntur. Gubernatores etiam atque iudices munus suum subituros a vino penitus prohiberem.* Vnde est illud Heracliti adagium: *Anima sicca sapientissima.*

2. Secundò, Quia decet eos grauitas, modestia, animique moderatio. *Ebrietas* antem, vt notat S. Basilius *hom.* 14. de Ebriet. *impudicitiæ est mater, risu gaudet insania, ad omnem dedecoris speciem facilis est & procliuis.* Et vt ait S. Hieronymus *ep.* 83. ad Oceanum: *Vinolentia scurrarum est comessatorum.*

Quare vt refert Strabo *l.* 15. moris fuit apud Indos, vt quæ mulier ebrium regem interficere potuisset, præmij hoc haberet, vt successori nuberet. Quod sanè præstitit Zenoni Imp. vinolento atque ebrio vxor, dum viuum sepulchro inclusit & mori coëgit. Solon etiam apud Laërtium. *l.* 1. principem, qui temulentus deprehenderetur, morte mulctandũ lege sanxit. Lamentabili exitu luit ebriositatem suam Phocas Imp. Hic enim cùm eo die, quo ludi equestres peragebantur, in edendo & bibendo modum excessisset, à plebe per ignominiam verbis huiusmodi notatus est: *Rursus è caneo* (poculi genus est, à sono quem edit effluente vino simul & aëre) *bibisti, rursus mentem amisisti.* Ob id conuitium complures morte mulctauit. Itaque cùm viderent proceres ac Magistratus Reip. magnam hominum multitudinem multis malis affici, bona per publicationem adimi, capita præcidi, ad Africæ prætorem Heraclium literas mittunt: qui precibus eorum motus continuò classem parat, & contra Phocam proficiscitur, adferens secum illam imaginem Christi, quæ manibus facta non erat. Hoc modo Phoca superato Photinus quidam vnus ex magnatum numero, cuius vxoris pudicitiæ Phocas antea struxerat insidias, subitò in palatium irrupit & Phocam Imperatorem pullâ veste indutum mox ad Heraclium deducit; qui cùm Phocam verbis istis compellaret: *Itá e miser Rempublicam administrasti?* Respondit Phocas: *Tibi verò per me licet, vt rectiùs eam geras.* Hinc et rectà manus & pedes amputati, cutis dorso detracta, caput denique gladio præcisum: reliquus verò corporis truncus in foro, quod boarium nuncupant, per contumeliam hinc inde tractus, tandem igni traditur. Ita Michael Glycas 4. *part. annal. Byzan.*

F. V. Clericis.

QVINTÒ, Clericis & literatis. His enim præ aliis magis exprobrat ebrietatem Isaias *c.* 28. dicens: *Sacerdos & Propheta nescierant præ ebrietate, absorpti sunt à vino, &c.* Hæc autem loquitur cum indignatione, quasi apud istos non quæsiuisset ebrietatem. Sed cur istis, inquies, adeò vetita ebrietas? Primò vt ad studia sacra tractanda semper habiles sint. Leotychidas rogatus, cur Spartiatæ parum bibant? respondit: *ne pro nobis consulant alij sed pro aliis nos.* Plut. in Lacon. Hoc dicant Sacerdotes, sibi nimirum pro aliis consultandum, vigilandum & orandum, ideò & vino modicè vtendum. Epaminondas cæteris quidem vino consopitis, vrbem sedulus obibat, dicens: sibi, vt pro aliis vigilare posset, sobriè viuendum. Plut. *li. de doctr. Princip.* Atqui & Sacerdotes peruigilant pro aliis. Sacerdotes legis veteris intraturi tabernaculum, vino abstinere iubentur. *Leuit.* 10. quantò magis ebrietate Sacerdotes legis nouæ, qui ad altare Domini toties intrare solent?

Secundò, Ne infirmis sint offendiculo. Ipsi enim laicorum specula sunt; vnde in iis sordes magis elucescunt maiorique damno: quomodo enim in speculo fœdato cerni queant maculæ? *Eccli* 34. *Ab immundo quid mundabitur?* Vnde Petr. Chrysol. ait. *Ebrietas in alio crimẽ est, in Sacerdote sacrilegium.* Et Hieron. ad Nepotianum: *Facilè*, inquit, *contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat, &c.* Quemadmodum enim speculum minimâ re velut vnico halitu obscuratur, vt nihil repræsentet: ita Sacerdotum fama facilè læditur.

G. VI. Christianis præ aliis hominibus.

SEXTÒ, Christianis omnibus. Primò, quia habent multos & potentes hostes perpetuò eis insidiantes. Ita enim S. Petrus *ep.* 1. *cap.* 5. alloquitur Christianos: *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret.* Quâ sententiâ Apostolicâ monet nos Ecclesia quotidie in Completorio, antequam eamus cubitum, vt scilicet caueamus crapulam, quam eo tempore maximè quærit Dæmon insinuare hominibus, vt inde in plura vitia eos deturbet. Sæpe monet Apostolus milites nos esse, vti & Iob: *Militia est vita hominis super terram.* Quemadmodum ergò milites vigilare aduersus hostem & excubias suas diligenter agere debent, maximè de nocte: ita & Christiani. At verò si quis ebrius sit eatque cubitum, quomodo vigilabit? quomodo à Diabolo non facilè præcipitabitur ad incontinentiam aliaque nefanda crimina? Procopius *l.* 1. *de bello VVandalico.*

refert Belisarinm Ducem duos milites, quòd quendam in exeteitu militem ebrij occidissent palis infixisse ac dixisse: *Nalla ratione fas, ebrium esse, multò minus in exercitu milites.* Dictum, Christiane, tibi hoc existima; nefas est inebriati milites, ergò & Christianos, qui semper in acie stare & hostem expectare debent.

2. Secundò, Quia Christiani in luce ambulant, ideoque ad hoc adniti debent, vt honestatem præseferant & virtutem redoleant in omnibus suis actibus. Hoc enim docet Apostolus ad *Rom. 13. Abiiciamus ergò*, inquit (quia scilicet Dies Euangelij nobis illuxit) *opera tenebrarum & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.* Quâ ratione ô Apostole? Respondet mox: *non in comessationibus & ebrietatibus.* Comessationes sunt conuiuia gulæ causâ instituta, & ferè nocturno tempore, vbi maior est licentia bibendi & impudẽtia peccandi, adeoq; dedecent Christianos, qui cùm in die ambulent, honestè semper ambulare debent. Idem repetit. *1. Thess. 5.* cùm ait: *Omnes vos filij lucis estis & filij diei: non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrij simus*, q. d. Mirum non est gentiles ebrietati fuisse deditos & vitam Epicureorum duxisse, quia in nocte infidelitatis & ignorãtiæ hoc fecerunt. Vos autem Christiani versamini in die, ergò sobrij esse debetis. Et quemadmodum longè fœdius ac pœnâ dignius est ebriũ clarâ die vagari per plateas, quàm si id noctu faciat: ita Christiani multò grauiùs punientur ob vitium ebrietatis, quàm Turcæ vel gentiles. Et quorsumnã ibunt isti filij tenebrarum, nisi ad eas quas amârunt, tenebras exteriores? Sic enim eis minatur Isaias. *c. 5. Væ*, inquit, *qui consurgitis manè* ad ebrietatem sectandam & potandum vsque ad vesperam! (Ecce tibi Christianos, qui in die Euangelij sectantur ebrietatem) sed quid tandem de his fiet? Sequitur: *Proptereà dilatauit infernus animam suam & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius & populus eius & sublimes gloriosiq; eius ad eum.* Iusto enim Dei iudicio, qui ad vinum absorbendum os suum aperuerunt sine termino satietatis, deglutientur ab inferno, qui & ipse aperiet os suum contra illos absque vllo termino, & bestias inexplebiles inexplebili vorabit ingluuie.

CONCIO VIII.

Cæremoniæ nuptiarum exponuntur.

Adhibentur primò Paranymphi qui sponsã sponso adducant.
2. *Benedicitur annulus.*
3. *Iungunt sibi mutuo dexteras.*
4. *Stolâ sacerdotali colligantur manus.*
5. *Sacrificium Missæ celebratur.*
6. *Benedictio nouorum coniugum accedit.*
7. *Vinum amoris propinatur.*

THEMA.

Nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ. Ioan. 2

CVm dilectum filium in exteram nationẽ dimittere à se parentes volunt priùs ei prouident de rebus ad iter, præsertim periculosum, necessariis. Pater illi equũ, seruũ, viaticũm, vestes, arma dat; mater eum sacro amuleto munit, agno Dei ad collum appenso, addit electuaria, præscribit documenta & viuendi normam, &c. Simili prouisionis solicitudine dimiserunt à se Tobiam parentes in Rages ciuitatẽ, dederunt ei necessaria ad iter, adiunxerunt comitem, nec non & canem, impetrierunt benedictionem. *Tob. 5.* Periculosum iter est status coniugalis, multis ærumnis & difficultatibus refertum. Quare Ecclesia mater nostra, cùm quem filiorum suorum ad statum illum dimittit, priùs circa illum plures adhibet cæremonias, quibus ille partim iuuetur & roboretur velut amuletis, partim instruatur velut documentis. Sacrificium altaris offert, benedicit nouos Coniuges, iungit eorum manus colligatque stolâ sacrâ, munit ornatque annulo, adhibet paranymphos, offert vinum amoris seu benedictionem S. Ioannis. Præuidet enim immanes & prædaces pisces, præuidet Asmodæos, qui Tobiæ insidiantur & coniugibus: solitudines, ærumnas, tẽtationes: contra quas armare & instruere eos vult Ecclesia sacris illis ritibus: qui vt salutares illis fiant, à nobis explicandi sunt.

B. 1. Paranymphus.

PRIMÒ, Adhibentur Paranymphi, qui sponsam sponso adducant. Occasionem huic cæremoniæ videtur dedisse Deus, qui adduxit Euam ad Adamum, adeoque paranymphus eius fuit. Eccur verò, nisi vt doceret, Deum esse debere, non Asmodæum, non Mammunam, non similes procos, qui sponsam adducit sponso. Quod enim est oculus corpori, hoc est intentio seu paranymphus iste coniugij. Si oculus simplex, rectus & lucidus fuerit, totum corpus lucidum erit. Si cæcus vel obscurus oculus, cæcum & obscurum corpus. Ita ominari licet de statu matrimonij, quod si laudabili fine & cum Deo cœptum sit, felix vtique faustumque erit; sin aliter, miserum & ærumnosum.

Solent in paranymphos communiter eligi iuuenes, formâ decenti nullisque corporis defectibus obnoxij. Risum enim cieret, qui vel feniculum, vel cæcum, vel mancum, claudum, gibbosum produceret paranymphum suæque sponsæ adiungeret. Qualis ergò paranymphus, talis & intentio, quæ adducit te ad matrimonium, sit necesse est: Liberorum scilicet procreatio ad Dei gloriam. Quòd si paranymphum habes vel habuisti, coniugis decorem & pulchritudinem; fœniculum nactus es; quia Isaias ait: *Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, &c.* Isa. 40. Si diuitias; gibbosum; quia quod gibbus est camelo, hoc homini sunt diuitiæ, graue impedimentum ad ingrediendum per angustam cœli portam. Si potentum amicitiam: claudum; quia Ieremia teste *cap. 9. Omnis amicus fraudulenter incedet.* Multa enim promittet, pauca præstabit, & quod maximum est, salutem nec, si velit, præstare potest. Si præcisè con-

consilium vel hortatum amicorum: cæcum; quia in hoc negotio nemo non cæcutit, & cæcus cæcum ducit. Sola Dei gloria honestaque liberorum procreatio & educatio præclarus paranymphus est. Huius exemplar fuit seruus Abrahæ Eliezer, qui iussus ab Hero quærere & adducere sponsam Isaaco, ad precandum priùs Deum recurrit, vti talem inuenire sponsam Domino suo posset, quæ illi ex voluntate Dei placitura esset. ***Domine Deus Domini mei Abraham***, inquit, ***occurret, obsecro, mihi hodie*** (*Hebr. fac mihi occurrat*; talis scilicet filia, qualem Isaaco vxorem cupit Abraham.) ***& fac misericordiam cum Domino meo Abraham. Gen.*** 24. Huiusmodi etiam paranympha fuit Pulcheria Augusta soror Theodosij Imp. quæ postquam summo studio fratri coniugem tanto fastigio dignam quęsiuisset, deprehendit Athenaidem, pauperem quidem, sed formæ elegantiâ simulque literis politioribus nec non optimis moribus excultissimam adeoque talem, quæ non nisi diuinitus tanto Imperatori destinata videretur, ideoque à paternâ hæreditate exclusa esset, quòd sufficerent illi animi dotes, Rader. *in aulâ sanctâ*.

C.
II.
Annulus benedictus.

SECVNDÒ, Benedicitur annulus pronubus, quem sponsus inserit digito sponsæ annulari. Significat verò is fidelitatem, quam sibi inuicem promittunt in facie Ecclesiæ. Nam primò ex eo digito ferunt tendere venam ad cor, vt scribit S. Ambrosius *l. de Patriarchis*. Gellius *l.* 10. Pierius *l.* 36. *&* 41. Itaque in eo digito vincitur quodammodo & constringitur coniugis cor, vt coniugi fidem seruet, adeoque quoties illum intuetur annulum, recordetur datæ fidei & meminerit corde præstare, quod promisit ore. Thamar illa Iudam redarguit & conuicit fornicationis secum patratæ annuli indicio, quem arrhæ loco ab eodem acceperat. ***Cognosce, cuius sit annulus***, inquit, ***Gen.*** 38. Pari modo annulus ille pronubus seu datus seu acceptus arguit eum coniugem, qui fidem alteri fregit, (Quæ enim in manu gerimus, crebrò in oculos incurrunt nec tradi facilè obliuioni possunt) quasi dicat: ***Cognosce cuius sit annulus.***

Deinde annuli firmitas & rotunditas indicat fidem coniugalem firmissimam esse debere adeoque infinitam, morte solâ finiendam. Olim apud Romanos, vt refert Plutarchus *in quæstionibus Romanis. q.* 29. cùm sponsa introduceretur in domum sponsi, non licebat sponsæ transcendere limen domus: sed ea sublata transportari à pronubis consueuit, ad indicandum, quòd exire etiam domumve sponsi deserere non deberet, nec ab eius thoro separari, nisi vi eiiceretur, sicut vi est introducta. Hoc idē sibi persuadeant Coniuges Christiani, se nimirum è coniugij sui septo nequaquam exituros, nisi per mortem efferantur. Agrienses in Vngariâ ciues anno 1562. à Mahomete Bassa grauissimâ obsidione cincti sexaginta millibus militum & multis promissionibus prouocati vt se dederent, nihil responderunt, sed feretrum inter duas lanceas nigro panno velatum in mœnibus collocârunt; volentes indicare, si Turca vrbe expulsos vellet, mortuos efferret, Maiol. *tom.* 2. *Canic. coll.* 2. Eâdem fortitudine propositique tenacitate prædtti esse coniuges debent, vt cùm à Dæmone, Mundo, Carne euocantur ad transiliendum coniugij sui scamma, animum obfirment nec nisi ab ipsâ morte efferri se patiantur.

D.
III.
Stipulatio manuum.

TERTIÒ, Iungunt sibi mutuò dexteras, promittentes eo ritu sibi non solùm desponsionem, verùm etiam mutuum auxilium, quod sibi inuicem porrigere maximè in aduersis debent: nec non mutuum obsequium, quo se obstringunt, vt vir ea curet, quæ sunt patrisfamilias, vxor quæ sunt matrisfamilias. Æquitatem reciproci huius iuris intellexerunt etiam veteres Romani, apud quos noua nupta sponso, cùm in eius domum introducebatur, dicebat: ***Vbi tu Caius ego Caia.*** Hoc est, vbi tu bonus paterfamilias fueris, ego bona materfamilias ero; teste Plut. *in quæst. Rom. q.* 30. Intellexerunt & Veteres Germani, dum nouæ nuptæ ad domum suam deductæ offerebant par boum eidem iugo alligatorum, vt refert Corn. Tacitus *de moribus German. c.* 1. quo nuptam admonebant, sociam esse debere viro in trahendo familiæ iugo. Ergò vir sit quasi luminare maius & sol, qui interdiu discurrit operaturque: Vxor luminare minus & Luna, quæ in tenebris lucet; Prodeat vir foras curetque externa & grauiora negotia: maneat vxor domi, foris non appareat, nisi vrgente necessitate, ***domus curam habeat***, vti monet Apostolus, ***ad Titum c.*** 2. & docuit etiam Plutarchus, quando mulierem voluit esse similem testudini, domiportam scilicet. Iucundus est pilæ ludus, quamdiu alter alteri pilam repercutiendo tradit: quorum altero cessante, statim cessat ludus & recreatio. Ita si vir sua curet, vxor quoque sua, iucundum erit coniugium: at verò si alteruter vel vterque officio suo desit, **Wann eines der Hafen / das ander die Krug bricht**: Ibi desinit iucunditas. Optimè lusserant Abraham & Sara *Gen.* 18. Diuertentibus enim ad se Angelis, Abraham cucurrit ad armenta vt afferret hœdum: Sara cucurrit ad culinam & coxit esculenta: ille foris, ista domi satagens rebus suis.

E.
IV.
Stolæ circumflexus.

QVARTÒ, Manus amborum stolâ sacerdotali circumuolutâ quodammodò colligantur; quò sciant contrahentes se mutuò sibi deuinctos esse, ita vt neque per aduersa, neque per prospera separari ab inuicem debeant, sed vtramque fortunâ vnà fortiter sustineant quasi duo annuli sibi mutuo implexi. Mos olim Romanis erat, vt nouis coniugibus præferretur aqua & ignis & ab iis tangeretur. Causam reddit Plutarchus *in quæst. Rom. q.* 1. quia cùm capitalis Rom. ciuium pœna esset interdictio ignis & aquæ, seu exilij (aquâ enim & igne destituti migrare compelluntur) significare coniugibus voluerunt, alterum ab altero deseri non debere, sed eos in Societate qualiscunque fortunæ persistere, etiam ita rebus fe-

rentibus, vt præter ignem & aquam nihil boni vnà frui detur. Ita Hypsicratea Mithridatis Regis coniunx, habitu virili induta, tonsis capillis, militiæ assueuit, quò maritum semper insequeretur & omnibus eius periculis interesset ac laboribus Valer. *l.4.c.6.*

F. V. Sacrificiū Missæ. QVINTA, Sacrificium Missæ celebratur ex decreto Euaristi Papæ, qui etiam ordinauit vt in locis sacris benedicerentur Coniuges, non in priuatis ædibus. Eiusdem sacrificij in nuptiis celebrari soliti meminit Tertullianus *l. 2. ad vxorem* ad fin. vbi ait: ***Matrimonium Ecclesia conciliat*** (id est, copulat) ***& oblatio*** (Missæ scilicet) ***confirmat.*** Eccur verò hoc nisi vt auxilium Dei per id Coniugibus imploretur? ***Ab Ioue principium***, dicebant Gentiles; cur non magis Christiani rem tanti momenti inchoent à Deo? Bene hoc expenderunt hodierni Euangelij Coniuges, qui in specie velut primarium hospitem inuitârunt Iesum, vt indicant verba illa: ***Vocatus est autem & Iesus.*** Princeps igitur nuptialium Conuiuarum deber esse Iesus: qui si defuerit, absque dubio Coniuges vinum non habebunt, vinum, inquam, gratiæ, amoris reciproci, consolationis, fortitudinis ad perferenda quæuis aduersa: aquam bibere debebunt, ærumnarum, lachrymarum, desolationis zelotypiæ, &c. Præuidit Christi mater vinum peculiaris gratiæ necessarium esse Coniugibus ad ferenda matrimonij onera; idcircò vinum ei postulat. De Coniugatis ait Apostolus *1. Cor. 7.* ***Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.*** Aqua ergò tribulationis imminet Coniugibus: qualis est rei vxoriæ difficultas, onus vteri, partûs dolores, educatio liberorum, labor & sudor in parando victu, familiæ apparatus & sustentatio, domestica dissidia, rixæ, curæ, zelotypiæ, separatio thori, orbitas, liberorum mors nec non ipsorum coniugum, &c. Quisquis ergò has aquas in vinum verti sibi cupit, Iesum ad nuptias inuitet. Vinum roborat, exhilarat & consolidat corpora (Cæmentum enim è vino confectum solidissimum esse dicitur.) Pari modo gratia matrimonialis roborat Coniugatos ad ferenda onera: recreat ad pellenda tædia: Compaginat & conglutinat ad cohabitandum.

G. VI. Benedictio nouorum coniugū. SEXTA, Benedictio Sacerdotalis accedit, saltem in primis nuptiis, ex antiquissimâ Ecclesiæ consuetudine; vt constat ex Epistolâ primâ S. Euaristi Papæ & Martyris ad Episcopos Africanos. *c.30. q.5.c. Aliter. 3.q.5. C. Nullus. c. Nostrates. c. Sponsus.* Eiusdem meminit etiam Hormisda & Nicolaus primus, summi Pontifices & Concilium Carthaginense, cuius est hoc Decretum: ***Sponsus & sponsa cùm benedicendi sunt à Sacerdote à parentibus suis vel à paranymphis offerantur. Qui cùm acceperint benedictionem, eâdem nocte pro reuerentiâ ipsius benedictionis in virginitate permaneant.*** Porrò ea benedictio repræsentat inprimis benedictionem illam, quam impertiit Deus Adamo & Euæ *Gen. 1.* Deinde postulat à Deo coniugibus vberem gratiam, fœcunditatem, concordiam, pacem, omnemque prosperitatem in animo & corpore. Quæ quidem benedictio, cùm publica fit & nomine Ecclesiæ à Sacerdote fiat, magni vtique æstimanda est & effectum sortietur, nisi Coniuges ipsi obicem ei ponant. Sed multi intelligere nolunt, quid sit benedictio, vel quis eius effectus. Ergò exempli gratiâ effectus benedictionis est, cùm quis modico sumptu & salario commodè se suamque familiam sustentat; Defectus benedictionis, cùm quis magnos inter reditus semper eget ac deber. Effectus benedictionis est, cùm quis lacte vnius vaccæ sustentare familiam solet: Defectus benedictionis, cùm quis alius eandem vel parem trium vaccarum lacte alere non potest. Effectus benedictionis, cùm quis sua pauperibus liberaliter communicat, interim abundat: Defectus benedictionis, cùm quis sua & aliena rapit & nihil egenti tribuit, interim tamen eget. Quorum typum vidit in somnis Pharao *Gen. 41.* boues pulchras & crassas nimis, quæ pascebantur in locis palustribus, ex vnâ parte: ex alterâ boues fœdas confectasque macie, quæ pascebantur in locis virentibus deuorabantque boues illas crassas. Effectus benedictionis est, cùm quis modico & vilis pretij cibo vescens, semper bene valet, vegetus & speciosus est. Defectus benedictionis, cùm quis lautè semper victitans, morbidus interim, imbecillis & macilentus est: quo modo Daniel & tres socij pueri ieiunio addicti & vilibus enutriti cibis pinguiores & speciosiores euaserunt cæteris adolescentibus, qui regiis alebantur dapibus. *Dan. 1.* Effectus benedictionis est, cùm quis ex alto cadit absque læsione: Defectus benedictionis, cùm quis in plano crus aut collum frangit: quo modo Heli cadens de sellâ retrorsum in pauimentum, fregit ceruicem. *1. Reg. 4.* Cùm econtrà anno 1618. à rebellibus & Hæreticis Bohemis tres insignes Imperatoris Consiliarij, per fenestras arcis altas 40. cubitis præcipites dati, incolumes permanserint. Effectus benedictionis est, cùm optatos, morigeros & speciosos liberos nanciscuntur coniuges: Defectus verò, cùm nullos vel immorigeros aut aliis defectibus obnoxios. Propterea olim Christiani coniuges tanti æstimârunt Sacerdotum benedictionem etiam priuatam, vt ab obuiis passim eam postularent. Eudoxia Imperatrix cùm ante partum à duobus Episcopis inuiseretur, his verbis eos prior salutauit: Benedicite Patres, &c. Propter Dominum orate pro me, vt quod est in vtero, in lucem edam cum Dei benignitate, vt scribit Marcus Gazensis in vitâ S. Porphyrij. Iustiniano Imperatori benedixit S. Sabas; cùm autem rogaret vt sua etiam Coniunx Theodora benedictionis particeps fieret, ipsaque adeò Theodora vehementer instaret, vt per preces & benedictionem suam filium sibi à Deo impetraret; S. Sabas benedictionem quidem dedit, sed non quam illa optabat, in liberorum procreatione positam; sed tantùm vt sospes & salua esset eius potentia. Rogatus cur benedicere & precari noluerit vt Theodora sterilitate libera-

retur; respondit: *Deus non sinet aliquem fructum ex eâ edi, ne ipse quoque gustet Seueri dogmata & deteriores quàm priùs sub Anastasio tumultus conturbent Dei Ecclesiam.* Erat enim Theodora sectæ Acephalorum addictissima. Cyrillus in vitâ S. Sabæ apud Sur. 5. *Dec.*

H. VII. Vinum amoris. SEPTIMÒ, Vinum amoris seu benedictio S. Ioannis, vt vocamus, nouis coniugibus propinatur in signum & recordationem mutui amoris, quem erga sese mutuò adeò gerere debent, vt quemadmodum S. Ioannes pro aliorum salute venenatum poculum exhaurire non dubitauit: ita & ipsi pro se inuicem quæuis aduersa deuorare, adeoque, si necesse foret, mortem subire non detrectent. Alia animalium paria seorsim Deus creauit. Euam ex Adamo formauit, vti vir vxorem & vicissim vxor virum tanquam sui partem & commembrum diligendum sibi sciat. Brachium obiicies ictui, siquis te in latus, vel pectus ferire velit. Mulier è viri latere prognata est: huic ergò defendendæ se vir opponere debet. Præclarum eius rei exemplum dedit Iacob, qui obuians fratri suo Esau; hosti manifesto, timuit non suæ, sed vxorum tantùm saluti. Ait enim: *Valde eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filijs Gen. 32.* Celebrat etiam Valerius Max. huiusmodi amorem *l. 4. ca. 6.* in Tiberio Gracho, qui cùm in eius ædibus duo angues deprehensi essent, mas & femina, & super hoc consultus Aruspex respondisset, si mare occiso femella dimittatur, vxorem Gracchi Corneliam victuram, Gracchum moriturum: si contrà, Gracchum superuicturum; iussit statim marem occidi, malens ipse suum, quàm vxoris obitum videre.

CONCIO IX.

Documenta.

Sicuti sex hydriæ sunt è quibus haustum est vinum: ita sex personæ in hod. Euang. vnde haurire possimus vinũ doctrinæ salutaris.

1. *A Christo discimus quomodo & quàm liberaliter succurrat.*
2. *A Deipara maternam solicitudinem.*
3. *A Discipulis firmam fidem in Christum.*
4. *A Sponso & sponsa moderationem in conuiuio.*
5. *Ab Architriclino, seruiendum potiùs Deo quàm mundo.*
6. *A Ministris obedientiam.*

THEMA.

Haurite nunc & ferte Architriclino. Ioan. 2.

A. SEx hydriæ fuerunt, è quibus haustum & potatum hodie vinum. Et totidem personæ sunt in hodierno Euangelio vnde haurire possumus vinum bonum doctrinæ salutaris. Nobis enim Christianis prophetauit Isaias *c. 12.* cùm dixit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* Fontes Saluatoris sunt, doctrina Christi, miracula, vitæ exempla, sacramenta, sancti. Haurimus verò in gaudio, quia licèt aquæ videantur, dum à concionatoribus propinantur, vertuntur tamen in vinum, cùm à nobis haustæ in domum cordis inferuntur & bibuntur, non minùs quàm aquæ illæ, quæ haustæ à ministris in domum sponsi illatæ, versæ sunt in vinum, virtute Christi Domini. Nemo ergò detrectet haurire aquas istas. Et quia non omni tempore occasio est hauriũdi, idcircò haurite nunc. Solent matres-familias minimùm semel in hebdomade haurire sibi aquam pro culinæ officiis: Faciat hoc vnusquisque semel saltem in hebdomade: hauriat sibi doctrinam è sacra concione, vnde coquat, edat, bibat.

B. I. A Christo. Hydria prima CHRISTVS. A Christo discimus Primò quomodo succurrat in maximis demum angustiis. Sinit enim nos multoties prolabi in miserias, discrimina & desolationes, quousque agnoscamus spem in humanis non superesse, à solo Deo medelam expectandam, vt ita intelligamus, quàm non in nobis ipsis, aut hominibus, sed in solo Deo confidere debeamus, eique gratias agere. Idcircò distulit opem & miraculum Dominus, donec vinum omne defecisset, & ne rogatus quidem à matre, priùs succurrere voluit; quia si defectum vini non agnouissent, nec miraculum & beneficium Christi opitulantis obseruassent. Ob eandem causam, cùm omnis generis miracula perpetrârit Christus, non legibus tamen aliquem mente captum ab eo curatum; quia talis non agnoscit morbum suum, & proinde nec agnouisset beneficium, si restitutus menti fuisset. Ad eundem modum, quia non agnoscimus beneficium & annuum illud miraculum, quo nos multiplicatis frugibus pascit, sed putamus esse mere naturale & necessarium; idcircò sint interdum deficere panem, antequam messis redeat; vel perire in agris fruges; vt discamus ipsum esse datorem panis adeoque ipsum inuocare, in ipsum sperare, eique grati esse. Vti experta est Susanna illa innocens, quæ falsò accusata & condemnata flens suspexit in cœlum; cumque iam duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum pueri Danielis, qui eam liberauit, *Dan. 13.* Ita nimirum tribulatio docet orare efficaciter? Oratio efficax impetrat Dei opem.

2. Secundò, Quàm liberaliter succurrat; siquidem vini defectum sex magnis hydriis compensauit, quæ singulæ metretas binas vel ternas capientes simul iunctæ integrum vini dolium conficiebant, & quidem vini præstantissimi. Sic etiam alibi panibus & piscibus ita saturauit homines, vt multum superesset: isque tam bonis ac sapidis, vt propterea tegem eum facere vellent. Vnde patet quàm pronus sit Deus quantum est in ipso, ad dandum omnibus largiter, quamque libenter omnes homines saturaret bonis etiam terrenis, si id eis noxium non foret. Sed quia pauci hac affluentiâ rectè vti nôrunt; idcircò subinde eam nobis subtrahit, & penuriam immittit. Quemadmodum enim olim populus Hebræus tempore abundantiæ *incrassatus recalcitrauit & dereliquit Deum factorem suum. Deut. 32. & Os. 10. iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris*; id est, seruiit Diis alienis eo impensiùs, quò

quò victitabat lautiùs: ita & nunc populus Christianus mancipat se vitiis, cùm affluit bonis terrenis. Quòd si horum conuiuarum instar temperare sibi nossent, æquè liberalem experirentur Deum, qui *diues est in omnes*; qualem & expertus est Iob, cui post omnimodam spoliationem reddidit omnia duplicia. *Iob. vlt.*

3. Tertiò, A quo approbanda sint dogmata Ecclesiæ, nimirum ab Architriclino, id est, summo Pontifice, qui est supremus Ecclesiæ minister & *seruus seruorum Dei*. Ille primò gustare vinum doctrinæ & approbare debet: quia gustandi virtutem, id est, assistentiam Spiritus Sancti habet.

C. II. A Deipara. A Deipara discimus. Primò efficaciam patrocinij eius; siquidem ad eius intercessionem fecit Christus primum miraculum & manifestauit gloriam suam, quod tamen ouendum alioqui facere, sed in aliud tempus differre constituerat, vti colligit ex verbis Christi (*nondum venit hora mea*) S. Cyrillus in Ioan. Ambrosius & alii. Deinde tribus tantùm verbis obtinuit id MARIA: *Vinum non habent.* Non coacervauit argumenta, non adornauit orationem: nutu tantùm indicauit filio penuriam, secura de suâ exauditione. Ac licet responsum accepisset, speciem negantis præferens, ipsa tamen nihil diffisa, iubet facere ministros, quod imperaturus erat filius, quasi certa & iam præuidens, quòd audienda esset à filio. Denique si ausa fuit petere & impetrauit miraculum à filio, quantò magis impetrabit nobis ordinaria?

2. Secundò, Maternam eius sollicitudinem pro egenis & afflictis, quia etiam non rogata pro egentibus intercessit & vinum impetrauit. *Si hoc non rogata perficit*, ait S. Bernardinus Senen. *to. 3. serm. 9. ar. 3. c. 2. quid rogata perficiet? si hoc viatrix existens, quid cùm regnat in patria? si hoc apud filium temporalis mortis subiectum, quid cùm mortem superauit?* Et S. Bernardus *serm. 2. Domin. præsentis: Si compassa est verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata: multò magis compatietur nobis, si pie fuerit inuocata.* Verùm vt efficaciter consequamur, quæ nobis illa procurat, obseruanda est admonitio, quam ministris dedit; *quodcumque dixerit vobis, facite.* Idem enim nobis de cœlo inclamat, vt nostrâ obedientiâ & præceptorum obseruatione cooperemur eius precibus; sic fiet absque dubio, vt facientibus nobis quod vult Christus, faciat Christus quod nos volumus, & aqua tribulationis nostræ vertatur in vinum suauis consolationis.

D. III. A Discipulis. A Discipulis Christi discimus, quàm firmiter in Christum credere debeamus; si enim crediderunt in eum (tanquam Deum videlicet: quia vt in virum sanctum & Messiam, iam antè crediderant, cùm eum sequerentur) viso vno ac primo eius miraculo: quis modò credere nolit, visis tot actantis, quæ tum ipse, tum eius virtute patrârunt sancti? signa quasi sigilla sunt, quibus fides comprobatur; si ergò discipuli viso vnico appenso sigillo crediderunt in Christum: quantò magis nos credamus, qui innumera videmus.

E. IV. A sponso & sponsa. A Sponso & sponsâ discimus moderationem adhibendam in apparatu & conuiuio nuptiali; quia in certâ & modicâ quantitate vinum parauerunt, quod cùm tempestiuè consumptum fuerit, finiendum fuisse conuiuium, & forsitan cum siti, nisi Christus defectum suppleisset. Hinc factum vt conuiuæ illi temperantiæ limites non excederent, quod ex Christi discipulis colligitur, qui peracto conuiuio crediderunt in eum; Proinde sobrii fuerunt. Itemque ex Architriclino colligi potest, qui cùm vinum Christi gustasset, optimè adhuc nouerat discernere à priore; quod non possunt ebrii. Hac enim de causâ solent caupones primò bonum vinum ponere, tunc id quod deterius est, quia ebrii nesciunt ampliùs discernere vina, cùm obtusos & hebetes habeant sensus. Hunc ergò in modum sobria & moderata esse debent conuiuia Christianorum, vt tales à mensâ surgant, quales consederunt; modesti, ratione & sensibus integri. Alioquio enim si hoc moderamen absit, contingere solet, quod *Exod. 32.* contigit Hebræis, *Sedit enim populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Ludus iste idololatriam, choreas circa vitulum, & secundùm aliquos libidinem significat. Adde & discordias, quas tacitè insinuantur, dum dicitur: *Sedit populus & surrexerunt.* Sedit ergo vnanimis, surrexerunt verò diuisi: sedit populus fidelis, surrexerunt Idololatræ. Id ipsum (prô dolor!) videre est passim in conuiuiis Christianorum; Confident amici & quasi vna anima: surgunt inimici & veluti canes ac feles; confident vt homines, surgunt vt bestiæ quasi è Circeo poculo hibissent. Taceo, quòd nimia nuptiarum pompâ & apparatu onerentur coniuges & ipsa Resp. Vnde Plato *l. 6. de legibus*, huic conuiuio modum præscripsit eiusmodi: *Impensa secundum diuitias fiat. Bibere verò vsque ad ebrietatem, ne alibi quidem vnquam decet.*

Ex hodierno conuiuii moderamine prodiit conuiuarum modestia. Nulla enim hîc mentio fastûs, clamoris, rixæ, choreæ, risûs, ebrietatis, &c. Sed obedientiæ, sobrietatis, fidei, charitatis, fiduciæ, &c. Imò propterea adfuisse Architriclinum, morum inspectorem eumque Sacerdotem asserit D. Gaudentius Episcopus Brixiensis, auctor grauis & S. Ambrosio contemporaneus *tract. 9. Nuptiæ*, inquit, *apud veteres cùm fierent, vnus (quantum traditione compertum) dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem disciplinæ legitimè gubernaret: pudorisq; curam gereret coniugalis. Simul etiam conuiuiorum apparatus ministros atq; ordinem dispensaret & pro hoc officio Architriclinus, id est, triclinij præpositus dicebatur.* Sic ille. Omnia ergò modestè grauiter & decenter fiebant, prout decet etiam nuptias à Deo sanctificatas. Ita in nuptiis Tobiæ, *epulati sunt benedicentes Deum. Tob. 7.* & *c. 9. cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.* Idem à potiori faciendum Christianis. Certè Concilium Laodicenum sub annum Domini 364. *can. 53.* ita sancit: *Non oportet Christianos ad nuptias euntes vel ballare vel saltare; sed castè cœnare vel prandere, sicut com-*

temptis Christiani. Sed quis nescit, quàm longè alia sint conuiuia nuptialia apud Christianos? Hæc enim cùm deberent esse sanctiora cæteris, magis sunt profana. Nemo hîc mensâ benedicere aduertitur: sine præuiâ oratione omnes in patinas inuolant veluti pecudes: de ventre tantùm pascendò cogitatur & discurritur: adhibentur moriones sæpe obscœni: audiuntur clamores inconcinni & tumultus ebriorum: surgitur ad choreas, nec rarò etiam ad rixas. Christus nuptiis finitis manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius: modò nuptiales conuiuæ in fine manifestant ignominiam suam, vt nemo in eos credat. Quàm nunc expediret constitui Architriclinum aliquem morum præfectum, quemadmodum habuere Iudæi!

Dices, fieri etiam hîc mentionem ebrietatis. Respondeo, fieri non à Christo, sed ab Architriclino; neque hic eam approbat: sed quid mundus agere soleat, recenset. Solet ergò mundus in conuiuiis se inebriare; sed vicissim solet Deus tales condemnare. *Neq; enim ebriosi regnum Dei possidebunt.* 1. *Cor.*6. Deinde ebrietas in SS. literis, non semper ingurgitationem, sed sæpè saturitatem significat, vti *Agg.* 1. *Bibistis & non estis inebriati.* Cant. 5. *Bibite & inebriamini*, &c. Quis dicat ibi præcipi ebriosam ingurgitationem?

F. V. Ab Architriclino. Ab Architriclino discimus seruire potiùs Deo, quàm mundo; quia mundus primùm bonum vinum ponit, tunc id, quod deterius est; Deus contrà agit. Præbent quidem, vel promittunt saltem mundi bona dulcedinem aliquam; sed tandem relinquunt post se multò maiorem amaritudinem, paupertatem, morbos, pœnitentiam, confusionem, vermem conscientiæ, gehennam; ac veluti flumina omnia dulcia sunt in alueis suis, tandem tamen in mare deuoluta, amara fiunt: ita mundi deliciæ, dulces aliquamdiu, labuntur in amaritudinem & abripiunt tandem hominem in mare damnationis amarissimum. Contrà aquæ maris, quæ per meatus subterraneos in fontes & lacus influunt, paulatim percolantur & exutâ amaritudine, dulces fiunt; & ita se habent bona illa, quæ suis apponit Deus, tribulationes, paupertas, morbi, esuries, &c. S. Chrysostomus in Moral. *orat.*6. *ad Hebr.* ait: *Fluuij omnes suo in alueo dulces ad mare tamen vbi decurrunt, semper amari.* Sensit id Antiochus, cùm se mori arbitraretur est, dicens: *In quantam tribulationem deueni & in quos fluctus tristitia, in quâ nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate meâ?* 1. *Machab.*6. Sensit Epulo ille, quem pater Abraham sic affatus est: *Fili recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* *Luc.* 16. Vin' scire vinum damnatorum? *Vua eorum vua fellis*, ait Moyses *Deut.* 32 *& botri amarissimi: fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile.* Vin' scire vinum beatorum? Audi Isaiam *c.* 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuiũ vindemia defacata.* Quàm ergò insaniunt, qui fluxam hanc dulcedinem cum æternâ amaritudine commutant? *Ne intuearis vinum*, ait Salomon *Prouerb.* 23. *quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber.* Quod non de vino tantùm, sed de omnibus mundi deliciis dictum intellige.

G. VI. A Ministris. A Ministris denique discimus obedientiam perfectam; & Primò quidem cæcam; iussi enim haurire aquam tam copiosam, paruêrunt, licèt ignorarent, quorsum id iuberetur. Ita vir obediens sequitur mandantem, velut cæcus ducturem suum, nec curiosè inquirit, cur huc vel illuc ducatur. Obedientia conditiones. 1.

Secundò, promptam, vti ex textu patet. Iubet enim Christus: *Implete hydrias aquâ*; & illi impleuerunt. Mandat Christus: *Haurite nunc & ferte Architriclino*; hauserunt & tulerunt. Vide pulchram illam obedientiam, quam descripsit Centurio: *Dico huic; Vade, & vadit. Et alij: Veni, & venit. Et seruo meo: Fac hoc, & facit. Mat.*8. 2.

Tertiò, Accuratam; iussi enim implere hydrias, impleuerunt vsque ad summum: non vitârunt hauriendi laborem, non horruerunt portandi molestiam. Iussi ferre Architriclino, tulerunt, nihil de recenti miraculo ei narrantes, quia hoc in mandatis non habebant. 3.

Quartò, Vltroneam; cùm enim domini tantùm sui serui essent, non Christi & Deiparæ, nihilominus tamen horum etiam mandatis libenter obsecundârunt. 4.

Hausistis nunc, opinor, ex hydriis huius Euangelij aquas doctrinæ salutaris; superest vt easdem ferat vnusquisque ad proximum suum; & ipsi degustandas; ferat pater liberis suis, dominus familiæ suæ; vt ita vno ore omnes honorificetis Dominum, &c.

CONCIO X.

Mysteria Euangelica:

1. *Quæritur cur interfuerit Christus nuptijs?*
2. *Quinam alij interfuerint?*
3. *Quid notet vini defectus.*
4. *Num reprehensa à Christo mater.*
5. *Cur duriusculè locutus Christus matri, eamq; mulierẽ vocet.*
6. *Cur ex aquâ vinum fecit.*
7. *Vnde constet certitudo huius miraculi.*
8. *Cur primum miraculum dilatum ad annum 30.*
9. *Quid significent mysticè hæ nuptiæ.*

THEMA.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Ioan. 2.

A. PRouerb. 19. ait Sapiens: *Qui festinus est, pedibus offendet.* Quod verissimum esse patet in hæreticis; qui dum nimium sectantur curiositates suas & repentè noui ac magni Prophetæ, Doctores & fidei Reformatores esse volunt, inconsultis Veterum Patrum iudiciis & sententiis, grauissimè impingũt in SS. Scripturarum expositione. Vnde Strabus in illum locum ex Bedâ sic scribit: *Qui effrenatis sensibus mentis*

mentis, plus appetit sapere, quàm decet, plerumq; offensionem hæretica stultitiæ temeraryi tractationis incurrit. Quod in primis parentibus mysticè signatū est; qui dum appetitu maioris scientiæ vetitum contingere properabant, à statu beatitudinis in pœnam miseria & mortalitatis inciderant. Videre id est in hodierno Euangelio, in quo inconsultè exponendo turpiter impegerunt hæretici.

Primò, Manichæi & Valentiniani (apud Origenem in Catenâ græcâ) impegerunt in eo Christi verbo: *Quid mihi & tibi est?* inde deducentes, MARIAM non fuisse Christi matrē; cùm tamen in hodierno Euangelio bis hoc vocetur nomine. Secundò Lutherus in *c.4.ep.ad Gal.* & Melanchtō in annot. Euang. Io.2. impegerunt in verbo, *Mulier*; quasi per contumeliam sic vocâsset Christus matrem. Et alij apud Origenem & Hieron. *ad Gal.*4 quasi post partum nō fuisset virgo. Denique Priscillianistæ in verbo, *Nondum venit hora mea*; quasi Christus in operibus suis obseruârit cursum syderum & cœli constellationes. Vnde hæc tam absurda, nisi quia isti prudentuli nimiùm festinârunt? vim & mentem Scripturæ non penetrârunt ac SS. Patrum sensum & consensum minimè consuluerunt? Nos ergò ne cùm istis tenebrionibus impingamus, cautiùs ambulemus & lucernam huic Euangelio accendamus.

B. Cur interfuit Christus nuptiis? QVÆST. Prima, Quare Christus interesse voluit nuptiis, cùm id minùs conuenire viris spiritualibus videatur? Resp. Primò nuptias illas admodum probabiliter fuisse alicuius consanguinei Deiparæ; sed potior alia causa

1. videtur accessisse; quæ Christum adesse fecit. S. Augustinus *serm.* 41. *de tempore*, hanc assignat: *vt psalmos & tympana ad Dei patris gloriam prædicandam concitaret, vt pater honoraretur in filio*; quod vtique factum, credimus, viso miraculo, quod patrauit: item visâ eius modestiâ, temperantiâ, conuersationis suauitate & sanctitate. Voluit ergò suâ præsentiâ conuiuarum luxum & intemperiem compescere, ineptamque mundi lætitiam conuertere in spiritualem atque in Dei laudem, cùm nuptiæ sint res sacra.

2. Secundò, Vt haberet occasionem patrandi insigne & primum illud miraculum, quo gloriam & potentiam suam manifestaret hominumque animos ad se traheret, adeoque inuitatis corporaliter & spiritualiter benefaceret. Hanc causam dat Cyrillus *l.* 2. *in Ioan. cap.* 22. Venit ergò ad nuptias, vt ibi inciperet deuincire sibi sponsam suam Ecclesiam, primo & suauissimo miraculo, nec non conuersationis suæ dulcedine.

3. Tertiò. Tertiam causam dat vterque prædictus Pater; vt approbaret nuptias, adeoque primo suo miraculo cohonestaret *honorabile connubium*, vt vocat S. Paulus *ad Hebr.* 13. vtpote à se institutum. Vnde Beda *to.* 7. *in homil. de his nuptiis*, ait: *si nuptiis debitâ castitate celebratis culpa inesset, nequaquam Dominus ad has ventret, &c.* Sciuit autem Christus futuros esse Hæreticos, qui prohiberent nubere & nuptias damnarent tanquam rem malam factam à Diabolo, vt videre est 1. *ad Tim.* 4. Cuiusmodi erat Tacianus, Marcion, Saturninus & alij. Deus igitur qui in paradiso instituit matrimonium & adduxit Euam ad Adamum; idem posteà interesse voluit nuptiis, easque primo suo miraculo consecrare, nec non Sacramentum facere. Quâ tamen exre nihil virium acquirit sophisma Hæreticorum, garrientium prohiberi ab Ecclesiâ nuptias, quia prohibentur clericis. Nam eodem modo Papa prohibet eis militare: non tamen ideò prohibet militiam: Status prohibent prædicantibus exercere tonsoriam, aut latrinariam: non ideò prohibent exerceri ista. Magistratus prohibet, ne fabri ferrarij exerceant lignariam, non ideò prohibet lignariam.

C. II. Qui alij interfuerint QVÆST. Secunda. Quinam alij interfuêre his nuptiis? & Primò quis sponsus? Quidam asserunt fuisse Ioannem Euangelistam; sed parum probabiliter. Nam nec Cananæus fuit: nec Christus suâ præsentiâ nuptias approbâsset, si dissoluisset. 1.

Secundò, Quinam Christi discipuli interfuêre? Resp. qui paulò antè ipsum nôsse & in eum credere cœperant, vti Philippus & Nathanaël, Petrus & Andreas, & alij fortè plures, qui posteà ad discipulatum eius vocati sunt. Iosephus Deiparæ sponsus non memoratur adfuisse, quia probabiliter creditur mortuus; tum quia posthac matris tantùm Christi fit mentio, non patris; & si Ioseph tempore passionis Christi vixisset, non commendâsset Christus matrem Ioanni, vti communior fert sententia & probabilior. 2.

D. III. Quid notat vini defectus? QVÆST. Tertia, Quid significat vini defectus in his nuptiis? Resp. significare tribulationes & angustias coniugum. Vinum enim lætitiam, aqua verò tribulationem denotat in SS. litteris. Significat ergò intempestiua vini defectio præproperas coniugum miserias & defectus consolationum, quas ipsi per nuptias quærebant. Eas verò miserias triplices assignat Apostolus 1. *Corint.* 7. Primò seruitutem, quâ alter alteri alligatus est; neutre enim sui corporis potestatem habet. Ideo S. Chrysostomus *de Virg. cap.* 41. ait coniuges esse velut par seruorum fugitiuorum inuicem colligatorum, ita vt si vnus fugiat, alter sequi cogatur. Tales enim in omnibus sibi condescendere debent: vno ægrotante, & alter cum ipso manere: vno fatigato dormiente, & alter recubare; vno sitiente, & alter ad fontem declinare, &c. *Miseriæ coniugij.* 1.

2. Secundò, Tribulationem carnis in gignendis, educandis, alendis, elocandis, dotandis, amittendis, promouendis liberis: in tolerandis alterius coniugis molestiis, vitiis, defectibus: in curanda & administrandâ familiâ: in sufferendis amicorum oneribus: &c.

3. Tertiò, Diuisionem: *Qui cum vxore est*, inquit Apostolus, *solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat mundo, & diuisus est*; id est, distractus multitudine curarum, liberorum, cognatorum. Denique si quæ bona in coniugio

iugio sunt, ea perquam breuia & caduca sunt. Fides quàm citò labefactatur per zelotypiam? Liberi quàm citò adimuntur aut peruertuntur? Hinc Eua cùm primum filium suum vocâsset *Cain*, id est possessionem, dicens: *possedi hominem per Deum*: secundum vocauit *Abel*, Hebr. *Hebel*, id est, vanitatem: quasi corrigens seipsam & præsagiens alterum ab altero breui occidendum. Vnde occiso suo Abel, optimè poterat dicere id Sapientis: *Hebel Habalim col habel*, id est, *vanitas vanitatum & omnia vanitas*. Forma quàm citò amittitur? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri*, clamat Isaias c. 40. Eadem est ratio cum cæteris bonis. Et hæc est alia coniugum calamitas, quam vocat Apostolus ibid. *instantem necessitatem*, breui scilicet moriendi. Quàm enim citò diuiduntur coniuges à se, liberis, amicis, bonisque omnibus, tantâ difficultate comparatis? Et cùm demum incipit aqua miseriarum & lachrymarum, quando cũ pinguissimo illo Rege Agag, iamiam occidendo, dicendum est: (1. *Reg.* 15.) *Siccine separat amara mors?* Et tamen miseri coniuges instantes sibi miserias vix vnquam cogitant, partiuntur animum & amorem suum in vxorem, liberos, cognatos, familiam: de Deo verò & animâ suâ nihil sunt soliciti. O vanas hominũ curas! Quid modicum illud tempus, quod teritur in coniugio respectu æternitatis? quantula est terrâ respectu cœli? Et tamen vnum id pene omnes agunt, vt hîc commodè viuant, alteram verò vitam negligant. Quàm desiperet ille, qui omnes suas opes profunderet in diem nuptiarum suarum, in conuiuium, in ludos, in Musicos, moriones, pompam, &c. ita vt toto reliquo tempore egere & bonis omnibus carere deberet? quàm desiperet ille? Atqui dies vitæ & coniugij tui, vna quasi nuptialis dies sunt respectu æternitatis. Quàm desipis ergo, si in istum diem omnes tuas opes & operas impendis & in æternitatem tibi non prospicis?

E. IV. *Num reprehensa à Christo mater.*

QVARTA, Rectène fecit Deipara loquendo filio defectum vini? Videtur enim à Christo reprehensa illis verbis: *Quid mihi & tibi est Mulier?* &c.

1. Respondeo rectè fecisse, nec esse à Christo redargutam. Nam primò quomodo potuit à Christo esse reprehensa ob petitionem, si in ea fuit exaudita? Si culpa fuisset in matre petere miraculum, vtique Christus miraculum non fecisset. Vnde D. Iustinus Martyr quæst. 136. ait: *Christus matrem verbo non obiurgauit, quam re honorauit.*

2. Secundò, B. Virgo intellexit verba Christi non esse reprehensionis, sed concessionis & propositi ad patrandum miraculum; statim enim dixit ministris: *quodcumque dixerit vobis, facite.* Intellexit virgo modum loquendi & ex hoc loquentis animum sibi assentientem.

3. Tertiò, Quia si malè fecisset, vel peccâsset in modô, vel in motiuo, vel in fine, vel in materiâ, vel in tempore, vel in alio; Sed nihil horum dici potest. Non primum, *nec enim iubet audacter*, inquit Metaphrastes in Orat. de vitâ B. V. *tanquam mater filio, vt faciat miraculum, sed eum solummodò admonet, idque cum magnâ reuerentiâ & submissione: Vinum non habent. Nam etsi ea illum esse suum cognoscebat filium, non tamen ignorabat esse suum quoque creatorem.* Quàm modesta, quàm pudica petitio: *Vinum non habent!* maximè quia videtur in aurem dicta; siquidem sponsus & Architriclinus nihil de miraculo sciuerunt, antequam patraretur. Ita Martha & Magdalena nuntiarunt Christo: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Non secundum; quia petiit mota charitate & misericordiâ erga egentes præsertim propinquos, pro quibus non immeritò solicita esse poterat, ne videlicet sponsus & sponsa nuntiato vini defectu pudore suffunderentur, vti indicant ea verba: *Vinum non habent.* Non ait: ostende quid possis; manifesta tuam gloriam & meam dignitatem, &c. Sed defectum allegat. Non tertium; quia non petiit sibi sed aliis, nec enim: Vinum non habemus, inquit; sed, *vinum non habent.* Non quartum; quia pro conuiuio nuptiali, in quo vinum & priùs appositum & meritò apponendum erat, rectè & prudenter vinum petiit. Difficulter bibissent conuiuæ aquam post vinum, nec absque sponsi confusione. Non denique quintum; quia Deipara attendebat ad hoc, ne confunderetur sponsus, si vinum omninò deesset, ideoque paulò antè petiit filij succursum. Christus verò ad illud attendebat, vt vinum priùs omne deficeret, quò miraculum illustrius fieret & manifestius; quam ob causam dixit: *Nondum venit hora mea.* Quis in hoc reprehendat Christum? quis in illo MARIAM? Attendit Mater ad honorem coniugum: attendit Christus, qui caput in cœlo & sinu patris constitutum habebat, ad nutum patris sui; bene egit mater, licet meliùs adhuc filius.

F. V. *Cur duriusculè locutus Christus.*

QVINTA, Cur ergò duriusculè respondit Christus Matri: *Quid mihi & tibi est Mulier? nondum venit hora mea?* Resp. hæc verba non esse indignantis aut increpantis hoc loco, adeoque nec, vt sonare videntur, dura, præsertim in Hebraicâ linguâ, in quâ interdum quidem significant: quid mihi tecum rei vel negotij est? Interdum verò benigniùs: sine vel permitte me hoc aut illud agere; Veluti 2. *Reg.* 16. quando Dauid seruo suo fideli Abisai respondit: *Quid mihi & vobis est filij Saruiæ? dimittite eum vt maledicat,* &c. Volebat Abisai iure merito defendere Dominum suum regem à Semei conuitiis. Vnde reprehendi non merebatur. Vult ergò dicere Dauid: sinite me ferre opprobria maledici, & sinite illum maledicere ad meam patientiam; quemadmodum in simili casu, cùm in olueto Petrus diceret: *Domine si percutimus in gladio?* respondit Dominus: *sinite vsque huc.* Eodem sensu *Luc.* 4. dixit Dæmon tremebundus ex obsesso ad Christum: *Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio te, qui sis: Sanctus Dei.* Hic confitetur & commẽdat dæmon Christum, tantum abest vt redarguat,

mentis, plus appetit sapere, quàm decet, plerumq; offensionem barbica stultitia temerarijs tractationibus incurrit. Quod imprimis parentibus mysticè signatū est; qui dum appetitu maioris scientiæ vetitam contingere properabant, à statu beatitudinis in pœnam miseria & mortalitatis inciderunt. Videre id est in hodierno Euangelio, in quo inconsultè exponendo turpiter impegerunt hæretici.

Primò, Manichæi & Valentiniani (apud Originem in Catenâ græcâ) impegerunt in eo Christi verbo: *Quid mihi & tibi est?* inde deducentes, MARIAM non fuisse Christi matrē, cùm tamen in hodierno Euangelio bis hoc vocetur nomine. Secundò Lutherus in *c.4.ep.ad Gal.* & Melanchtō in annot. Euang. Io.2. impegerunt in verbo, *Mulier*; quasi per contumeliam sic vocâsset Christus matrem. Et alij apud Origenem & Hieron. *ad Gal.4* quasi post partum nō fuisset virgo. Denique Priscillianistæ in verbo, *Nondum venit hora mea*; quasi Christus in operibus suis obseruârit cursum syderum & cœli constellationes. Vnde hæc tam absurda, nisi quia isti prudentuli nimiùm festinârunt? vim & mentem Scripturæ non penetrârunt ac SS. Patrum sensum & consensum minimè consuluerunt? Nos ergò ne cùm istis tenebrionibus impingamus, cautiùs ambulemus & lucernam huic Euangelio accendamus.

B. I. Cur interfuit Christus nuptiis? QVÆST. Prima, Quare Christus interesse voluit nuptiis, cùm id minùs conuenire viris spiritualibus videatur? Resp. Primò nuptias

1. illas admodum probabiliter fuisse alicuius consanguinei Deiparæ; sed potior alia causa videtur accessisse; quæ Christum adesse fecit. S. Augustinus *serm. 41. de tempore*, hanc assignat: *vt psalmos & tympana ad Dei patris gloriam prædicandam concitaret, vt pater honoraretur in filio*; quod vtique factum credimus, viso miraculo, quod patrauit: item visâ eius modestiâ, temperantiâ, conuersationis suauitate & sanctitate. Voluit ergò suâ præsentiâ conuiuarum luxum & intemperiem compescere, ineptamque mundi lætitiam conuertere in spiritualem atque in Dei laudem, cùm nuptiæ sint res sacra.

2. Secundò, Vt haberet occasionem patrandi insigne & primum illud miraculum, quo gloriam & potentiam suam manifestaret hominumque animos ad se traheret, adeoque inuitatis corporaliter & spiritualiter benefaceret. Hanc causam dat Cyrillus *l. 2. in Ioan. cap. 22.* Venit ergò ad nuptias, vt ibi inciperet deuincire sibi sponsam suam Ecclesiam, primo & suauissimo miraculo, nec non conuersationis suæ dulcedine.

3. Tertiò. Tertiam causam dat vterque prædictus Pater; vt approbaret nuptias, adeoque primo suo miraculo cohonestaret *honorabile connubium* vt vocat S. Paulus *ad Hebr. 13.* vtpote à se institutum. Vnde Beda *to. 7. in homil. de his nuptiis*, ait: *si nuptiis debitâ castitate celebratis culpa inesset, nequaquam Dominus ad has veniret, &c.* Sciuit autem Christus futuros esse Hæreticos, qui prohiberent nubere & nuptias damnarent tanquam rem malam factam à Diabolo, vt videre est *1. ad Tim. 4.* Cuiusmodi erat Tacianus, Marcion, Saturninus & alij. Deus igitur qui in paradiso instituit matrimonium & adduxit Euam ad Adamum; idem posteà interesse voluit nuptiis, easque primo suo miraculo consecrare, nec non Sacramentum facere. Quâ tamen ex re nihil virium acquirit sophisma Hæreticorum, garrientium prohiberi ab Ecclesiâ nuptias, quia prohibentur clericis. Nam eodem modo Papa prohibet eis militare: non tamen ideò prohibet militiam: Stiatas prohibent prædicantibus exercere tonsoriam, aut latrinariam: non ideò prohibent exerceri ista. Magistratus prohibet, ne fabri ferrarij exerceant lignariam, non ideò prohibet lignariam.

C. II. Qui alij interfuerint. QVÆST. Secunda. Quinam alij interfuêre his nuptiis? & Primò quis sponsus? Quidam asserunt fuisse Ioannem Euangelistam;

1. sed parum probabiliter. Nam nec Cananæus fuit: nec Christus suâ præsentiâ nuptias approbâsset, si dissoluisset.

2. Secundò, Quinam Christi discipuli interfuêre? Resp. qui paulò antè ipsum nôsse & in eum credere cœperant, vti Philippus & Nathanaël, Petrus & Andreas, & alij fortè plures, qui posteà ad discipulatum eius vocati sunt. Iosephus Deiparæ sponsus non memoratur adfuisse, quia probabiliter creditur mortuus; tum quia posthac matris tantùm Christi fit mentio, non patris; & si Ioseph tempore passionis Christi vixisset, non commendâsset Christus matrem Ioanni, vti communior fert sententia & probabilior.

D. III. Quid notat vini defectus? QVÆST. Tertia, Quid significat vini defectus in his nuptiis? Resp. significare tribulationes & angustias coniugum. Vinum enim lætitiam, aqua verò tribulationem denotat in SS. litteris. Significat ergò intempestiua vini defectio præproperas coniugum miserias & defectus consolationum, quas ipsi per nuptias quærebant. Eas verò miserias

Miseria coniugij. triplices assignat Apostolus 1. *Corint. 7.* Pri-

1. mò seruitutem, quâ alter alteri alligatus est; neuter enim sui corporis potestatem habet. Ideo S. Chrysostomus *de Virg. cap. 41.* ait coniuges esse velut par seruorum fugitiuorum inuicem colligatorum, ita vt si vnus fugiat, alter sequi cogatur. Tales enim in omnibus sibi condescendere debent: vno ægrotante, & alter cum ipso manere: vno fatigato dormiente, & alter recubare; vno sitiente, & alter ad fontem declinare, &c.

Secundò, Tribulationem carnis in gignendis, educandis, alendis, elocandis, dotandis, amittendis, promouendis liberis: in tolerandis alterius coniugis molestiis, vitiis, defectibus: in curanda & administrandâ familiâ: in sufferendis amicorum oneribus: &c. 2.

Tertiò, Diuisionem: *Qui cum vxore est,* inquit Apostolus, *solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat mundo, & diuisus est*; id est, distractus multitudine curarum, liberorum, cognatorum. Denique si quæ bona in con- 3.

ingio sunt, ea perquam breuia & caduca sunt. Fides quàm citò labefactatur per zelotypiam? Liberi quàm citò adimuntur aut peruertuntur? Hinc Eua cùm primum filium suum vocasset *Cain*, id est possessionem, dicens: *possedi hominem per Deum*: secundum vocauit *Abel*, Hebr. *Hebel*, id est, vanitatem: quasi corrigens seipsam & præsagiens alterum ab altero breui occidendum. Vnde occiso suo Abel, optimè poterat dicere id Sapientis: *Hebel Habalim col habel*, id est, *vanitas vanitatum & omnia vanitas*. Forma quàm citò amittitur? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri*, clamat Isaias c. 40. Eadem est ratio cum cæteris bonis. Et hæc est alia coniugum calamitas, quam vocat Apostolus ibid. *instantem necessitatem*, breui scilicet moriendi. Quàm enim citò diuiduntur coniuges à se, liberis, amicis, bonisque omnibus, tantâ difficultate comparatis? Et cùm demum incipit aqua miseriarum & lachrymarum, quando cū pinguissimo illo Rege Agag, iamiam occidendo, dicendum est: (1. *Reg.* 15.) *Siccine separat amara mors?* Et tamen miseri coniuges instantes sibi miserias vix vnquam cogitant: partiuntur animum & amorem suum in vxorem, liberos, cognatos, familiam; de Deo verò & animâ suâ nihil sunt solliciti. O vanas hominū curas! Quid modicum illud tempus, quod teritur in coniugio respectu æternitatis? quantula est terra respectu cœli? Et tamen vnum id pene omnes agunt, vt hic commodè viuant, alteram verò vitam negligant. Quàm desiperet ille, qui omnes suas opes profunderet in diem nuptiarum suarum, in conuiuium, in ludos, in Musicos, moriones, pompam, &c. ita vt toto reliquo tempore egere & bonis omnibus carere deberet? quàm desiperet ille? Atqui dies vitæ & coniugij tui, vna quasi nuptialis dies sunt respectu æternitatis. Quàm delipis ergo, si in istum diem omnes tuas opes & operas impendis & in æternitatem tibi non prospicis?

E. IV. Num reprehensa à Christo mater. QVARTA, Rectène fecit Deipara instruando filio defectum vini? Videtur enim à Christo reprehensa illis verbis: *Quid mihi & tibi est Mulier?* &c.

Respondeo rectè fecisse, nec esse à Christo redarguttam. Nam primò quomodo potuit à

1. Christo esse reprehensa ob petitionem, si in ea fuit exaudita? Si culpa fuisset in matre petere miraculum, vtique Christus miraculum non fecisset. Vnde D. Iustinus Martyr quæst. 136. ait: *Christus matrem verbo non obiurgauit, quam re honorauit.*

2. Secundò, B. Virgo intellexit verba Christi non esse reprehensionis, sed concessionis & propositi ad patrandum miraculum; statim enim dixit ministris: *quodcumque dixerit vobis, facite.* Intellexit virgo modum loquendi & ex hoc loquentis animum sibi assentientem.

3. Tertiò, Quia si malè fecisset, vel peccâsset in modò, vel in motiuo, vel in fine, vel in materiâ, vel in tempore, vel in alio; Sed nihil horum dici potest. Non primum, *nec enim*

iubet audacter, inquit Metaphrastes in Orat. de vitâ B. V. *tamquam mater filio, vt faciat miraculum, sed cum solummodo admonet, idque cum magnâ reuerentiâ & submissione: Vinum non habent. Nam etsi eu illum esse suum cognoscebat filium, non tamen ignorabat esse suum quoque creatorem.* Quàm modesta, quàm pudica petitio? *Vinum non habent!* maximè quia videtur in aurem dicta; siquidem sponsus & Architriclinus nihil de miraculo sciuerunt antequam patraretur. Ita Martha & Magdalena nuntiarunt Christo: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Non secundum; quia petit mota charitate & misericordiâ erga egenes præsertim propinquos, pro quibus non immeritò solicita esse poterat, ne videlicet sponsus & sponsa nuntiato vini defectu pudore suffunderentur, vt indicant ea verba: *Vinum non habent.* Non ait: ostende quid possis; manifesta tuam gloriam & meam dignitatem, &c. Sed defectum allegat. Non tertium; quia non petit sibi sed aliis, nec enim: Vinum non habemus, inquit; sed, *vinum non habent.* Non quartum; quia pro conuiuio nuptiali, in quo vinum & prius appositum & meritò apponendum erat, rectè & prudenter vinum petiit. Difficulter bibissent conuiuæ aquam post vinum, nec absque sponsi confusione. Non denique quintum, quia Deipara attendebat ad hoc, ne confunderetur sponsus, si vinum omninò deesset, ideoque paulò antè petiit filij succursum. Christus verò ad illud attendebat, vt vinom priùs omne deficeret, quò miraculum illustrius fieret & manifestius; quam ob causam dixit: *Nondum venit hora mea.* Quis in hoc reprehendat Christum? quis in illo MARIAM? Attendit Mater ad honorem coniugum: attendit Christus, qui caput in cœlo & sinu patris constitutum habebat, ad nutum patris sui; bene egit mater, licet meliùs adhuc filius.

Q QVINTA, Cur ergò duriusculè respondit Christus Matri: *Quid mihi & tibi est Mulieri nondum venit hora mea?* Resp. hæc verba non esse indignantis aut increpantis hoc loco, adeoque nec, vt sonare videntur, dura, præsertim in Hebraicâ linguâ, in quâ interdum quidem significant: quid mihi tecum rei vel negotij est? Interdum verò benigniùs: fine vel permitte me hoc aut illud agere; Veluti 2. *Reg.* 16. quando Dauid seruo suo fideli Abisai respondit: *Quid mihi & vobis est filij Saruiæ? dimittite eum vt maledicat*, &c. Volebat Abisai iure merito defendere Dominum suum regem à Semei conuitiis. Vnde reprehendi non merebatur. Vult ergò dicere Dauid: finite me ferre opprobria maledici, & finite illum maledicere ad meam patientiam; quemadmodum in simili casu, cùm in oliueto Petrus diceret: *Domine si percutimus in gladio?* respondit Dominus: *finite vsque huc.* Eodem sensu *Luc.* 4. dixit Dæmon tremebundus ex obsesso ad Christum: *Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio te, qui sis: Sanctus Dei.* Hic confitetur & commēdat dæmon Christum, tantum abest vt redar- F. V. Cur duriusculè locutus Christus.

guat. Vult ergò dicere: Sine nos agere, noli nobis molestus esse, dimitti nos, &c. Similiter Sarepthana non intendit redarguere Eliam, quem sciebat virum sanctum & benefactorem suum, quando ægrotante ad eius præsentiam filio, dixit: *Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ & interficeres filium meum?* 3. *Reg.* 17. Reputabat enim se peccatricem in præsentiâ tanti Sancti, ideò optabat illum à se abesse ex humilitate, quasi eius præsentiâ indigna esset. Intellexit ergò Deipara prædicta Christi verba, in hunc vel similem sensum à Christo esse dicta: Sine me agere, vel adhuc differre miraculum, nondum competens hora est, vel sicut dixit Ioanni Baptistæ renuenti se baptizare: *Sine modò. Matt.* 3. Nouerat Dominus cui loqueretur, nouerat mater quis loqueretur, nouerat modum loquendi & sermonem proferendi, nouerat ergo & animum loquentis: licet fortè alij præsentes non intelligerent; quod vulgari exemplo ostendo: Disputant sæpe Doctores eiusdem religionis inter se acerrimè, ita vt simpliciores, qui eos audiunt, existiment animis dissidere & hostiliter inter se agere, cùm tamen ipsi se mutuò optimè intelligant & arctissimè interim ament.

Sed cur saltem hoc ambiguo & duriusculo loquendi modo vti voluit Christus? Respondent SS. Patres, id fecisse eum, Primò propter
1. circumstantes, ne quis eorum cogitaret, Christum & MARIAM curare res alienas, ad se pertinentes, q. d. *Non nos ij sumus*, inquit Iustinus *q.* 136 *ad Orthod. qui curam suscepimus vini, quod in nuptiis consumitur, tamen pro amore, si vis ne deficiat eos vinum, dic ministris vt faciant quæ eis dixero, & videbis eis non deesse vinum.* Secundò pro-
2. pter se, *ne videretur accurere & festinare ad miraculorum operationem propter ostentationem & vanam gloriam*, inquit Theophylactus *in Ioan.* 2.
3. Tertiò propter nos & præsentes. Primò ex sententiâ S. Augustini & Gregorij, vt ostenderet naturam diuinam adeoque etiam virtutem patrandi miracula non habere se à matre, à quâ nunc moneretur facere miraculum, sed habere à Deo patre. Id verò nunc potissimùm, cùm inciperet demonstrare diuinitatem suam per miracula & sermonem, patefacere debebat. Erant sanè in Christo triplices actiones: Diuinæ, vt creare & regere mundum, spirare spiritum S. &c. Humanæ, vt comedere, dormire, laborare, &c. Theandricæ seu mixtæ, vt miracula facere, creare Apostolos, docere & cætera redemptionis opera. In primis nulli; in secundis Matri; in vltimis soli Deo patri subditus erat; vnde hæc vocat opera patris, & idcircò in hac responsione docere voluit, non ad parentum, sed ad Dei solius nutum facere se miraculum debere. Sciuit hoc Deipara, & propterea non imperauit filio, sed opem tantùm eius humiliter & modestè implorauit: nesciebant verò circumstantes, idcircò propter eos hanc vocem emisit Christus ne quis eius miracula adscriberet matri, aut ipsi vt homini. Secundò *vt conuersus ad Domi-*

num, inquit S. Bern. *in fer.* 2. super hanc Dominicam, *iam non solicites carnalium cura parentum & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale.*

Quartò, Propter Matrem, vt vult Epiphanius *hær.* 79. ne virgo Deipara cultu latriæ, seu vt Dea coleretur, quod faciebant Collyridiani apud Epiph. ibi. Certè S. Dionysius in *epist. ad Paulum*, scribit tantam fuisse Virginis Maiestatem, vt nisi aliter edoctus fuisset, Deum credidisset. Præuidit etiam Christus eam ab orbe toto magnoperè colendam. Docuit ergò hoc verbo se Deum, illam verò hominem esse. Æquè displiceret B. Virgini, imò magis, si honor ei non debitus tribueretur, quàm si debitus subtraheretur, cùm semper oderit elationem, amârit verò & coluerit humilitatem. 4.

Sed cur mulierem vocat, non matrem? Resp. Primò ob causam iam indicatam ne plutis quàm deceebat, æstimaretur. Secundò, quia Deum se ostensurus erat hoc miraculo, non hominem aut hominis filium. Tertiò, quia antonomasticè erat mulier illa prædicta *Gen.* 3. contritura caput serpentis. *Cur mulierem vocat?*

Q. SEXTA, Cur non è nihilo fecit vinum, sed ex aquâ in hydrias infusâ? Resp. Primò ad literam, vt miraculum esset manifestius, magisque pateret nullam interuenisse fraudem; cuius rei testes esse poterât ministri, qui impleuerunt hydrias aquâ. Fuisset quidem plus, si vinum è nihilo fecisset, sed non ita credibile, vt docet S. Chrysostomus *hom.* 2. *de nuptijs*; huius rei gratiâ sæpe imminuit Christus sua miracula, vt faciliùs crederentur. *G. VI. Cur ex aqua vinum fecit?* 1.

Secundò, Vt ostenderet se plenum suarum creaturarum dominium habere, alias in alias pro libitu transmutare & ad quemuis vsum adhibere posse, vt ita etiam disponeret nos ad fidem Eucharistiæ, in quâ panem & vinum mutaturus erat in corpus suum. 2.

Tertiò, Allegoricè, vt designaret se literam veteris legis insipidam mutaturum in spiritum, & figurarum obscuritates in claram Euangelij lucem: adeoque se venisse ad legem adimplendam ac perficiendam. 3.

Quartò, Moraliter, vt moneret prælatos facere è peccatoribus iustos, & è bonis meliores. *Iubentur prælati*, inquit S. Bernardus, *hydrias aquâ implere, vt obseruentur mandata Domini in timore, donec veniente charitati foras mittatur timor*. quin etiam is, qui vinum gratiæ sibi infundi vult à Deo, impleat priùs vas cordis sui bonis operibus, maximè contritione & lachrymis, tum aderit mox gratia. Denique vt sciremus ipsum esse, qui post fletum & lachrymas exultationem infundit *Tob.* 3. 4.

SEPTIMA, Vnde comprobatur miraculi huius fides? Resp. Primò ex eo quòd noluerit Dominus id patrare, donec vinum omninò defecisset, ne videretur elementa miscere potiùs quàm mutare. Secundò ex eo, quòd iusserit ministros implere hydrias aquâ, non ipsemet implerit. Item quòd iusserit eosdem postea ex hydriis haurire & ferre Architriclino, velut testes miraculi oculatos. Ter- *H. VII. Vnde constat certitudo huius miraculi?*

tiò

stiò ex eo, quòd impleuerint hydrias vsque ad summum, vt omnibus pateret, aquam fuisse. Quartò ex testimonio Architriclini, qui nesciebat, vnde hoc vinum esset, dixit sponso: *Tu seruasti bonum vinum vsque adhuc*. Porrò ipse maximè sobrius erat & aptus ad vinum examinandum; sciebat etiam vinum aliunde non esse allatum. Denique ex vasorum accurata descriptione.

VIII. Cur primum miraculum dilatum ad annum trigesimum. Q. OCTAVA, Cur Christus primum miraculum suum distulit vsque ad annum ætatis trigesimum? Resp. Primò, quia eousque etiam distulit prædicare: miracula verò pertinebant ad confirmationem doctrinæ eius, vt docet *D. Thom. 3. p. q. 43. art. 3.*

Secundò, Ne si ante maturam ætatem miracula faceret, præstigiæ putaretur.

IX. Quid mysticè significent nuptiæ? Q. NONA. Quid mysticè significant hæ nuptiæ? *Resp.* significare matrimonium Christi cum Ecclesia. Fit enim hoc in Canâ, id est, zelo & amore. Hîc aqua mutatur in vinum, id est, opera terrena fiunt cælestia & meritoria vitæ æternæ: ex attrito fit homo contritus in Sacramento pœnitentiæ. Hîc vinum doctrinæ Euangelicæ affertur prælibandum Architriclino, id est, summo pontifici, qui id approbare debet. Hîc denique sponsa Christi condecoratur miraculorum gratiâ, quasi pretioso annulo, ex quo agnoscatur vera esse Christi sponsa, &c.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matthæi 8.



In illo tempore. Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide ne cui dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moses, in testimonium illis. Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic: vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est: & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

CONCIONES.

CONCIO I.

Quales esse debeant serui erga Dominos, & Domini erga seruos.

Tria potissimùm officia assignantur Dominorum erga seruos, & seruorum erga Dominos:
1. Heri sint seruorum patres: serui sint quasi filij.
2. Heri sint seruorum preceptores: serui Discipuli.
3. Heri sint seruorum tutores: serui autem sint verè serui.

THEMA.

Dico huic; vade & vadit; Et alij Veni, & venit; Et seruo meo, fac hoc; & facit. Matth. 8.

SAnct. Aug. 13. *de ciuitate Dei* c. 3. scribit histrionem quemdam in foro theatrum conscendisse & confluente ad eum frequenti populo dixisse, se scire, quid omnes illi velint & optent, qui ad forum confluxêre. Quibus omnibus suspensis & silentibus: *Hæc*, inquit, *omnium vestrûm mens est: Vultis carò vendere, & vili vultis emere.* Si hoc loco mihi histrionem istum imitari liceret, facilè diuinarem, quid vos etiam Auditores hoc potissimùm tempore, velitis & optetis. Præ foribus sunt dies, quibus Heri nouos sibi famulos, famuli nouos heros quærunt & adsciscunt. Dicámne igitur, quid omnes vos optetis? Heri bonos famulos: famuli bonos sibi optant heros. Verum esse hoc, quod dixi, nemo est, qui nesciat. Quâ ratione verò heri erga suus famulos, famuli erga heros hoc anno se exhibituri sint: hoc & ego & vos nescimus. Vnum certè scio: quòd hodiernum Euangelium depingat nobis bonum herum & bonum seruum. Herum Centurionem; seruum eius puerum: Et si ad exemplum Centurionis se accommodarent Heri, auderem etiam dicere seruos hoc anno habituros bonos Dominos. Et si serui imitarentur puerum Centurionis; dominos habituros bonos seruos. Quare vt quod omnes optant, consequi possint, videndum est tum officium Domini, tum officium serui. Ego dicam vt sciatis, vos facite vt ne frustrà dicam.

Tria potissimùm officia inuenio Dominorum erga seruos, & seruorum erga Dominos. Illi sint velut Patres, Præceptores, Tutores seruorum. Hi verò sint velut filij, Discipuli, Clientes Dominorum suorum.

B. I. PRIMÒ, Domini sint quasi seruorum patres; idcircò enim patres potiùs familias vocantur quàm Domini, vt notauit Tertullianus *in apologet.* c. 34. Et nostrâ linguâ Hausvatter. Ita vocabatur à seruis suis Naaman ille 4 *Reg.* 5. Et de seruo Centurionis *Luc.* 7. dicitur: Et erat illi pretiosus. Vnde non eiecit eum in hospitale, sed domi suæ infirmum tulit: pro salute eius sollicitus instar patris. Nec immeritò sanè, nam eiusdem Ecclesiæ & corporis Christi membra sumus, eumdem patrem & iudicem Deum habemus, nec scire possumus vter Deo gratior & apud illum maior, sit, seruúsne an Dominus. Hinc factum volunt S. Gregorius *hom.* 78. *in Euang.* & Autor imperf. *hom.* 22. quòd Dominus hîc non rogatus vt veniret, volebat tamen venire ad seruum Centurionis: alibi verò à regulo rogatus vt descenderet & sanaret filium eius, noluit descendere; per hoc enim ostendere nobis voluit, se non æstimare externam hominis conditionem, sed animi nobilitatem, quæ sæpe in seruis maior est, quàm in Dominis. Hinc S. Martinus seruis suis, sancta Elisabetha ancillis suis vicissim inseruiebant, nec plus quàm frater & soror haberi ab ipsis voluerunt. Contingere etiam potest vt aliquando serui imperent Dominis. Quod fateri & agnoscere voluerunt gentiles Romani, quando in anno semel, festo Saturnalium, seruis accumbentibus Domini

Heri sint seruorum patres.

ministrare solebant, Macrobio & Athenæo l. 14. testibus. Itemque Babylonij io festo, cui nomen Saceas, quod diebus quinque durabat, vbi serui Dominis imperitabant suis & è seruis vnus stolam regiam induebat, teste Ctesiâ *lib.* 2. *annal. Persic.* & Beroso *lib.* 1. *rerum Babylon.* Sed multò magis hoc agnouit & reipsâ præstitit Centurio noster, & ipse adhoc gentilis, qui non tantùm non expulit è domo seruum ægrum, verùm etiam de eius salute solicitus fuit & ipsemet ad Christum abire ac pro illo supplicare voluit, fierique serui sui seruus. Videant hîc Domini, qui seruos suos ægros deserunt, aut etiam è domibus eiiciunt & ad hospitalia mittunt, cùm equos suos morbo affectos sedulò curent & retineant: Videant, inquam, quàm dissimiles hîc gentili hîc sint. Cogitent id quod Centurio dixit: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus.* Et quod Apostolus ad *Ephes.* 6. *Quoniam ipsorum & vester Deus in cælis est.* Dei enim iudicium subibit vnà cum seruo Dominus: Et quantum erit dedecus domino, si à Deo aliquando postponatur seruo suo, quem hîc contempsit & vexauit; si audiat: *amice descende & da* seruo tuo *locum?* Vicissim Famuli exhibeant se vt filios erga suos Dominos, quemadmodum Apostolus indicat ad *Eph.* 6. *Ex animo cum bonâ voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus.* Vnde debent Primò promptè & hilariter seruire, non tam timore quàm amore ducti, quemadmodum solent parentibus parêre filij & boni fideles Deo, cum bonâ scilicet voluntate. Bonorum Angelorum est, quocumque mittantur à Deo, promptissimè cum gaudio volare ad imperata facienda: Dæmonum verò, quæ facere à Deo & viris sanctis iubentur, cum murmure peragere. Secundò, Res Domini tueri, conseruare & augere tanquam proprias aut propriorum parentum; hoc enim est filiorum: quid dico filiorum? canes non ferunt, si quid hostile in Dominos eorum geratur, sed vlciscuntur & defendunt eos, eorum sarcinis incubant, ante fores excubant, peregrinos omnes velut hostes allatrant, ne quid de rebus Domini contrectetur, & sibi faciliùs aliquid adimi patiuntur quàm dominis. Siculus quidam Catellus, vt scribit Ælianus *in hist. animal. lib.* 7. c. 21. adulterum noctu ingressum tamdiu præ foribus adlatrauit, donec domino suo prodiderit. Vnde bene olim constituta erat pœna seruis, qui dominos non defendissent, vti canem per castra circumferrent, vt refert Christoph. Pflugius apud Maiol. *to.* 4. *Canic. coll.* 1. vt sic vel à cane officij sui monerentur & redarguerentur. Tertiò, Nihil sinistri de dominis loqui, sed potiùs eorum honorē defendere, secreta eorum tegere, &c. hoc verò quanti referat, doceri potest exemplo Dauidis, qui cùm aliquando dominum suum, Saulem videlicet Regem, in speluncâ dormientē offendisset, præscidit oram chlamydis eius, Qui tamen mox pœnituit erroris & irreuerentiæ commissæ in dominum suum, percussitque eum cor suum, eò quòd abscidisset oram chlamydis eius 1. *Reg.* 24. Viderint ergò serui, qui

Serui sint quasi filij.

1.

2.

qui famam dominorum suorum etiam in parvo lædunt. Qui enim leuia quædam dominorum suorum vitia carpunt & coram aliis, dominis nescientibus reprehendũt, teste S.Greg. 3 *p.pastor. cap.5. quasi oram chlamydis silenter incidunt.* Saulem à Deo abiectum & reprobatum esse sciebat Dauid, seque ab eo ad necem quæri, & cùm posset se de eo grauius vlcisci, oram tantùm tunicæ eius abscidit: & tamen hoc in se mox castigauit. Quantò grauiùs igitur delinquunt serui, qui non dubitant dominos suos passim traducere & ludibrio exponere, à quibus ipsi læsi non sunt?

C. II. Heri sint seruorum præceptores. Secundò, Domini sint quasi Præceptores seruorum suorum eosque ignorantes instruant & delinquentes arguant.

Talis profectò Centurio esse debuit, qui nisi seueram disciplinam consuetasset inter milites suos: nequaquam potuisset dicere: *Dico huic: Vade & vadit; Et alij: veni & venit; alij* seruo *fac hoc & facit.* Signum ergò est immorigeros minimè ab eo toleratos esse. Cuius rei præceptũ Mysticũ fuit illud *Leu.14.* de lepra domûs emundandâ. Iubetur enim ibi paterfamilias, si fortè in domo eius appareat quasi plaga lepræ, vocare sacerdotẽ, qui exportatis omnibus, eam claudat per septem dies: postmodum si adhuc appareat lepra, lapides illos, qui videntur maculati, eruere & proiicere foras, domum autem intrinsecus radere & rasuram eiicere. Lepra hæc nihil aliud significat quàm prauos mores in aliquâ domo, qui necessariò castigandi & mundandi sunt. Sed non est necesse, vti paterfamilias, si habeat in familiâ lapides aliquos leprosos & malè moratos homines, sacerdotem aduocet; ipsemet in domo suâ sacerdos sit, imò & Episcopus, vt vult S. Augustinus *tract. 51. in Ioan. Pro Christo, inquit, & pro vitâ æternâ suos admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat charitatem; ita in domo suâ Ecclesiasticum & quodammodo Episcopale implebit officium,* &c. hæc August. nus. Quin etiam in Epistolâ ad Comitem scribit: *Quæso, mi frater, omnibus tibi subiectis à maiore vsque ad minorem, dulcedinem regni cælestis, & amaritudinem ac timorem gehennæ annuncies, & de eorum salute solicitus & vigil existas, quia pro omnibus tibi subiectis, qui in domo tuâ sunt, rationem Deo reddes. Suade ergò eis vt caueant à superbiâ, detractione, ebrietate,* &c. hæc Augustinus. Igitur primò corrigat & coërceat delinquentes, & si opus, carceri includat. Vbi hoc nihil proficere videt: eruat leprosos lapides & è domo exterminet incorrigibiles, reliquos placabili admonitione radat. Sic enim & Dominus præcepit abscindi membra scandalosa. Melius est tibi sine seruis ingredi cœlum; quàm cum peruersis seruis proiici in infernum. Eiusmodi purgationem & reformationem instituit Iacob *Gen.35.* cùm metueret ne Sichimitæ de eo vltionem sumerent ob cladem eis illatam à filiis, *Abijcite Deos alienos,* inquit ad familiam suam, *qui in medio vestri sunt & mundamini ac mutate vestimenta vestra. Surgite & ascendamus in Bethel vt faciamus ibi altare Deo.* Vbi primò discant domini tempore periculoso, belli, pestis vel simili hortari familiam suam ad purgandas conscientias per confessionem. Secundò exemplo eis præire; non enim ait: surgite & ascendite; sed: *Surgite & ascendamus.* Tertiò compellere seruos vt abiiciant Deos alienos, id est turpitudinem vitæ, blasphemias, detractiones, rancores, inuidias, &c. ne propter vnius malam vitam tota domus vltionem Dei incurrat: vti domus Achan propter ipsius crimen. *Ios. 7.* nec non vt festis diebus ascendant in Bethel, id est, domum Dei tempore debito ad orationem, S. communionem, &c. atque ita adlaborare, vt spirituales eorum ægritudines curentur, quemadmodum & Centurio absque dubio seruum induxit ad Christi fidem, post impetratam ei sanitatem. Multorum in ædibus iacent serui longè infirmiores, quia in vitiis & dissolutione. Plurimi etiam paralytici, qui præ somnolentiâ & pigritiâ negligunt Missam & concionem festiuis diebus. Dicant istis Domini: Vade, vade ad templum. Ac nisi illi vadant, baculum arripiant & paralyticos suos ambulare faciant.

Vicissim serui gerant vt discipulos sese, & cùm vt plurimum sint stipites & trunci, patiantur se formari & elaborari manibus dominorum. Vnde Apostolus *Eph.6. Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Ecce *cum timore & tremore*; non cum irrisione & contemptu. Deinde *in simplicitate cordis vestri,* non cum astutiâ, elusione, fraude, &c. nec putent se rem meliùs intelligere quàm Dominos. Denique *sicut Christo,* quia vt idem Apostolus *ad Rom.13.* ait: *Omnis potestas à Deo est, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Quæ in re cogitent, quæso, serui & ancillæ, se esse infirmum hunc Centurionis puerum (siquidem reuera plerumque sunt pueri, id est, ignorantes & inexperti: ægri & paralytici, id est, fragiles, dissoluti, petulantes, &c.) Aliorum ergò operâ, ductu & imperio egent; proinde patienter ferant & libenter acceptent, si quando errores eorum corriguntur & castigantur à Dominis. Et quomodo ô serue tibi placeret, si fortè ægrotus à Domino destituereris & foras in plateas eiicereris? Nónne in cœlum vocem attolleres & Deum vindicem inuocares? Audi querelam ægri cuiusmodi serui Ægyptij, qui ob ægritudinem in agro derelictus à domino, per triduum neque panem viderat neque aquam; inuentus tandem à seruis Dauid & rogatus vnde esset: *Puer Ægyptius,* inquit, *ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius 1. Reg. 30.* Atqui longè maior crudelitas est, si cùm sis peruersus, non argueris à domino; ad mortem enim æternam pergis, coruis tartareis præda futurus. Quare si negligeret te in eo statu Dominus, in inferno ei maledicturus esses.

Serui sint discipuli.

D. III. Heri sint seruorum tutores. TERTIÒ, Domini sint quasi Tutores & Curatores seruorum suorum pro ipsorum vitâ & necessitatibus solliciti, exemplo Centurionis qui ad Christum veniens, afflictionem, serui

serui magno commiserationis sensu exposuit. Huc pertinet quod *Apostolus 1. Tim. 5* ait: *Si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior.* Peccat enim nō tantùm contra legem Christianam, sed etiam contra legem naturalem, quam infideles, vti Centurio noster, obseruârunt, præcipientem, vt bene merita remunerentur. Bestiam igitur, non hominem dicere oportebit, qui Pharaonis instar seruos atterit laboribus & rumunerat flagellis. Nec malè dixerit aliquis similem vel etiam deteriorem Crocodilo, qui teste Plinio *l. 8. c. 25.* Herodoto, Æliano, Solino & aliis cùm linguâ careat ac proinde ad expurgādos dentes & fauces alieno obsequio indigeat, Trochili auiculæ, quæ aliis regulus dicitur, operâ ad hue vtitur aperto ore hians, & dum rostro eius perpurgatur à ciborum reliquiis & fæcibus ori adhærentibus, suauiter obdormit: nihil aliud rependens tam fidæ auiculæ quàm fœtidas illas gutturis reliquias, & si merces vocari potest, vitæ impunitatem. Quam tamen ingratitudinem non impunè fert; liquidè Ichneumon, Mus Indicus quibusdam vocatus beneficio illius trochuli Crocodilum sopientis, in eisdem fauces insilit & intestina illius, vterum denique ipsum rodendo perrumpens bestiam occidit. Ad eumdem modum inhumani quidam domini, licet operâ seruorum indigeât & vtantur ad sordidissima queuis obsequia, parum tamen aut nihil eis repeodunt, nisi fortè vilissimas ciborum reliquias & quasi fęces; quaudoque etiam pro beneficio haberi volunt, si quos non omninò confecerint. Sed aderit aliquando vltor Ichneumon aliquis, qui pauperum labores in perniciem eorum vertet. Ni fallor, ita euenit Ægyptio illi hero, qui seruum suprà tactum deseruit coruis aliisque in prædam. Indicio enim & ductu illius serui Dauid ad locum peruenit, vbi herus ille cum sociis prædonibus morabatur: quorum plerosque occidit & reliquos in fugam egit, prædamque illorum omnem abstulit. *1. Reg. 30.* Non remanent inultæ commissæ in seruos iniuriæ, sed clamor eorum intrat in aures Domini Sabaoth, eumque in vltionem adducit.

Serui sint verè ser-ui. Habent verò vicissim serui, quòd muneri suo attendant, & iuxta appellationem suam verè seruiant. *Non ad oculum seruientes*, inquit Apost. *Eph. 6. quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi. Scientes quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, recipiet à Domino.* Sciebat nimirum Apostolus multos esse eiusmodi seruos, qui tātùm ad oculum seruiunt, & quamdiu videntur ab hero, laborant: ipso dorsum vertente, otiantur, nugantur, fabulantur. Sed vellem isti fernirent, sicut monet S. Chrisost. *hom. 22. in ep. ad Ephes.* ad oculum Dei, qui labores eorum & otia videt, ac suo tempore ponderabit paratoque pretio persoluet. Quòd si oculus hominis calcar addere laboranti potest; quantò magis oculus Dei? satis est aliquibus, quòd mercedem accipiant, non curantes quomodo eam meruerint. Legant isti quid acciderit seruo Elisęi Giezi *4. Reg. 5.* Cùm enim is clam domino suo, munera exigeret à Naamane (quē à lepra curauerat Elisæus) contra domini sui voluntatem, putans id Dominum suum latēre, vix domum redierat, subitò à Domino audiuit: *Vnde venis Giezi?* Et ille: *Non iuit seruus tuus quoquam.* At ille? *nónne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum,* &c. *Sed & Lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix,* inquit Scriptura. Quòd si oculus hominis præsens fuit, cùm seruus absens infideliter contra dominum suum egit, latere putatis, serui, oculos Dei, quæ perfidè agitis & iniquè accipitis? Et accipiunt quidem aliqui mercedem, quam non meruêre; sed quemadmodum Giezi cum argento lepram, & Iudas cum buccellâ accepit Diabolum: Ita & serui iniqui cum mercede accipiunt lepram peccati & Diabolum in carnificem: à quo & Dominos & seruos nosque cum illis omnes seruare dignetur Deus.

CONCIO II.

Voluntatem nostram cum diuina conformandam.

Adferuntur tres rationes ob quas voluntatem nostram diuinæ conformare debemus.
1. *Quia voluntas Dei est potentissima.*
2. *Quia rectissima.*
3. *Quia benignissima.*

THEMA.

Domine si vis, potes me mundare. Math. 8.

A.

PVlcherrimum & vtilissimum documentum in hodierno Euangelio tradit nobis leprosus, quâ ratione scilicet voluntatem nostram conformare cum diuinâ per omnia debeamus. *Domine si vis*, inquit, *potes me mundare*, quasi dicat: si tu vis, volo; si non vis, nolo. Vidit nimirum iste primò quidem Christum nullâ ratione cogi posse: eius ergò voluntati viam pandit. Vidit deinde se nescire an æqua foret petitio sua, scire autem hoc Christum. Vidit denique incertum esse, an expediret sibi à leprâ mundari, Christo soli compertum esse. Ergò sapienter ait: *Domine si vis*; ideoque mox auditus, quod petiit, impetrauit. Huius ergò leprosi scholam hodie frequentemus.

Sponsa sancta dum à capite ad calcem commendat sponsum, inter alia de eius pedibus, inquit: *Cant. 5. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Pedibus fertur, quò vult, corpus; & voluntate anima. Voluntas autem Dei duplex est, antecedens & consequens; illa non considerat hominum merita; hæc verò maximè. Rursum alia voluntas signi, quâ præcipit quid velit; alia beneplaciti, quâ absolutè facit, quod vult. Denique alia immissiua, quâ immittit pœnas: alia permissiua, quâ permittit culpas seu peccata. Notat ergo sponsa in illis verbis tres conditiones voluntatis diuinæ, propter quas ei nostram meritò conformare debemus.

PRIMA

B. I. Quia est potentissima.

Prima, Quia voluntas Dei est potentissima. Nullâ enim ratione à nobis mutari, subterfugi vel eludi potest. Ideò pedes eius marmorei dicũtur, quia potẽtissimo gressu ambulat & omnia sibi cedere facit, alioquin obuia quæque obterit vel elidit. Hoc in suâ ad Deũ oratione expressit Mardochæus, cùm ait: *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui tuæ possit resistere voluntati. Esth. 13.* Quare Primò cùm tibi afflictio aliqua venit, siue ab hominibus, siue à

1. creaturis aliis, quam euitare nequis, cogita eam non aliunde, quàm à Deo proficisci, cui resistere impossibile sit, adeoque æquo animo tolerandam. Ita fecit Ioseph *Gen. 50. cap.* qui fratribus veniam sceleris in eum commissi petentibus respondit: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* q.d. Deus voluit peccatum vestrum permittere & ordinare primò ad meam humiliationem, deinde ad meam exaltationem. Neutri voluntati resistere potuimus (propriè loquendo) non igitur hoc vos perturbet. Sic apud Euiratum in *prato spirit.* Abbas quidam, cui discipulus per imprudentiam in mensa olera peramara apposuit, dissimulauit rem. Gustans posteà discipulus ex eisdem, errorem agnouit & veniam petiit; cui Abbas: *Voluntas*, inquit, *Dei fuit, vt talia mihi apponeres; si enim Deus aliud voluisset, effecisset vt alia proponeres.* Quæ dementia est, potiùs velle trahi, quàm sequi? Quando quis ab apparitoribus armatis ad Iudicem euocatur, solet is rogare ne sibi vincula aut manus iniiciantur, velle se vltrò sequi, quocumque vocâssot Iudex. Cur non idem facimus Deo, cui multò adhuc minùs possumus resistere? Secundò, Idem cogita de afflictionibus imminentibus, cùm malum tibi inferendum vel bonum auferendum metuis; cogita, inquam, non posse tibi quidquam contra Dei voluntatem accidere. Vult te Deus castigare? non poteris obsistere. Vult te exaltare vel ditare? non poterunt alij obsistere; & ita in alijs S. VVolstanus Episcopus erat sanctæ vitæ, quem cùm inuidi quidam Episcopatu cedere velut minùs eruditum coëgissent, ipse pedum Episcopale depositurus, lapidi infixit & abiit. Sed cùm plures accedere & pedum tollere (tanquam successuri in Episcopatu) iussi, id eximere non possent, vtpote durissimo lapidi pertinaciter infixum; iussus tandem VVolstanus repetere pedum suum, nullâ morâ id extraxit ac recepit. Vt in eius vitâ 19. Ianuarij. Omni suâ potentiâ & astutiâ non potuit Herodes è medio tollere Christum infantem: nec Iudæi suis insidiis eumdem neci tradere, antequam ipsemet vellet; nam & per medium illorum ibat, cùm eum præcipitare vellent; & aliàs cùm gestirent eumdem lapidare, quietus inter eos docuit, *quia nondum venerat hora eius*, nondumque id à Deo decretum erat. Nec Saul omnibus suis machinationibus potuit comprehendere Dauidem, hominem priuatum toties sibi obuium & quæsitum cunctis diebus, quia scilicet *non dedit eum Deus in manus eius*, vt dicitur 1. *Reg. 23.* Vnde colligimus sine Dei voluntate neminem nobis nocere posse.

E cõtrà tuâ voluntate Deo resistendo, quæso, quid efficies? Lacedæmonij cùm domi inuicti essent sub Lycurgo legislatore suo, eo defuncto statim aduersus Tegeates ducere voluerunt; cumque compedes secum vinciendis iis portâssent, ipsi ab illis victi & vincti abducebantur. Maiol. *Canic. tom 3. coll. 2.* Quid effecit C. Caligula Imp. qui iratus cœlo, quòd turbidius suis pantomimis & spectaculis officeret, Iouem ad pugnam prouocauit, imò ad duellum internecinum, illud Homeri exclamans: *Aut tolle me, aut ego te.* Corn. à Lapide in *c. 4. Amos.* Nonne Dominus Amos 4. ait: *Hæc faciam tibi Israel*: (id est, grauissimè castigabo) *postquam autem hæc fecero, præparare in occursum Dei tui Israel.* q. d. resista mihi si potes, ictum dexteræ meæ excute vel declina: (*præparare vt aduerseris Deo tuo*, vertunt Aquila & Symmachus) Quare sicut rideretur veluti insanus, qui in cymbâ ad rupem alligatâ stans, vellet ad se rupem trahere; cùm ipse potiùs ad rupem, non rupes ad ipsum accedat: ita etiam insanit, qui Dei voluntati resistere eamque ad suam trahere vult; cùm interim ad ipsam, veluti ad rupem firmissimam trahatur. In omnibus ergò actionibus suis dicat vnusquisque: si Deus, vel sicut Deus voluerit, agam, &c. Narrat Hebræus Scholiastes, apud Nic. Serarium in *c. 4. Epistola S. Iacobi*: fuisse quemdam, qui diceret, se postridie fruiturum sponsæ amplexibus; cui dixerunt amici; vt adiiceret: *Si Deus voluerit*. Ille verò: *Volente nolente Deo*, inquit, *cras in sponsæ meæ amplexus veniam.* At sub noctẽ, dum cubitum it, repentè tam ipse, quàm sponsa moritur. Et hinc Bensiræ natum adagium, vt aliquid facturi, priùs dicant: *Si Deus voluerit.* Vnde In illius prouerbiis hoc legitur: *Sponsa conscendit thalamum, sed nescit quid sibi euenturum sit.*

Secundò, Quia est rectissima adeoque regula absolutissima & infallibilis omnis iustitiæ, sanctitatis & rectitudinis, idcircò eius pedes sponsa vocat columnas: Vt enim columnæ suâ rectitudine sustentant ædificium; quod nequaquam sustentare possent, si inclinatæ essent: ita voluntas Dei æquissima totum regit ac sustentat orbem. Ad illam ergò regulam seu columnam aptanda voluntas & actiones nostræ. Voluntas Dei quasi lingula trutinæ est, quæ vt iustè ponderet, semper rectà sursum tendere debet. Hinc *Sapient. 11.* dicitur: *Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum*; quia scilicet orbis terræ & quæ in eo sunt omnia, non solùm ad nutum eius reguntur, vt quocumque inclinari ab eo possint, verùm etiam quia ad lingulam voluntatis eius rectissimè regulari & dirigi debeat. Voluntas Dei horologium est mundi huius primarium, ad cuius normam & directionem omnia secundaria & minora accommodari debent. Lex est summi, sapientissimi & iustissimi Dei; quidquid ipse vult, æquum est & rectum. Quis ergò ad hanc columnam, trutinam, horologium, legem se non conformabit? Quando mater-

C. II. Quia rectissima.

familias hypocaustum reperit plus æquo calefactum, vt penè videatur esse balneum: Primò quidem stomachari incipit & bilem in ancillam effundere. At si ancilla respondeat: ne indigneris Domina, ita imperauit herus: mox iram domina remittere & calorem illum immoderatum æquo animo ferre; quia ab imperio mariti Domini sui prodiit: Sic omnis finitur pugna. Tanti fuit ea vox: Herus ita voluit. Cur ergò nos non eodem modo acquiescimus summi orbis patrisfamilias voluntati & imperio? Quidquid nobis aduersum contingit, etiamsi fiat mediantibus aliorum peccatis, Dei iussu & ordinatione contingit: Sola peccata nostra non imperat nec vult Deus. Quid igitur irascimur? quid obnitimur & reluctamur, cùm vel aduersa nobis veniunt vel amoueri à nobis nequeunt: Deus & Dominus noster ita iussit, ita ordinauit. Ita se composuit ad animi tranquillitatem Heli sacerdos, cùm diuinæ in se correptionis sententiam audiit, 1. *Reg.* 3. respondit eo in dignum sacerdote verbum: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Ita & Ezechias Rex, cùm audiit à Deo puniendam vanitatem suam, hostium irruptione & thesauri, quem eis ostenderat, direptione; acceptauit æquo animo vindictam, dicens: *Bonum verbum Domini, quod locutus est, Isa.* 39. Ita etiam Dauid rex, quando eum fugitiuum maledictis pariter & lapidibus Semei impetiit, ideoque serui eum defendere & Semeio caput amputare volebant, cohibuit eos, dicēs: *Dimittite eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid; Et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* 2. Reg. 16. *Profsus vir secundum cor Dei*, ait S. Bern. serm. 34. *qui de corde Dei ferebat sententiam: Sauiebat lingua maledica, & ille intendebat, quid in occulto ageret Deus.* Impudens & malesanus foret, qui cum Deo expostularet propterea, quòd fruges grandine protriuerit, quòd turres & quercus fulmine disiecerit, &c. Eodem modo vecors esset, qui indignari vellet & irasci Deo, quòd per homines ab eo castigetur; vel in homines, per quos punitur sæuire. Insaniisset Dauid, si lapides in se proiectos, ad instar canis morsu appetiisset, Semei maledicens huiusmodi lapis fuit, in ipsum à Deo proiectus. Noluit autem scire Dauid, cur hoc lapide impetitus esset: satis illi fuit, proiectum esse à Domino & Deo suo. *Dominus*, inquit, *præcepit.* Diabolus fuit, qui quæsiuit: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis ex omni ligno*, &c. *Gen.* 3. Bona vtique erat arbor illa scientiæ boni & mali; sed noluit eam tangi Deus, quia voluit obedientes homines. Eccur hoc? quia ipse Dominus, hi serui erant. Bonos igitur & morigeros sese ostendunt, ij qui in Dei voluntatem omnia sua resignant, quemadmodum ingenui filij, qui spe recreationis sibi à parente factâ, non, illicò se effundunt, libros abiiciendo & pilam pro iis arripiendo, sed respondent: Sicut Domino parenti placuerit, &c.

E contrà nostram voluntatem si faciamus, quæso, quorsum veniemus? *Cogitationes mortalium timidæ*, ait Sapiens *Sap.* 9. *& incertæ prouidentiæ nostræ.* Quisquis enim suam non Dei voluntatem sequitur, perinde agit, ac si ædificet murum seu domum absque regulâ seu amussi. Tale enim ædificium multis in partibus distortum adeoque fragile sit necesse est.

Ergò sicut muratij, quoties vnum alterúmue lapidem muro adiiciūt, toties regulam ei applicant: ita faciamus nos; regula est Dei voluntas. Hanc applicemus omnibus nostris actionibus & orationibus, ne alioquin audiamus: *Nescitis quid petatis* vel agatis. *Medicus quidem*, ait Tullius, *ingrauescentem morbum ratione prouidet, insidias Imperator, tempestates gubernator; & tamen ipsi sæpe falluntur, qui nihil sine ratione opinantur.* Ad malum potius quàm ad bonum prona est voluntas humana (in statu naturæ corruptæ) si sibi permittatur. Intellexit hoc B. Gertrudis Virgo cui aliquando apparuit Christus vnâ manu sanitatem, alterâ morbum præferens, dansque ei optionem, alterutrum, quod placuisset eligendi. Quid hîc virgo faceret? sanitatem eligeret? impudentiæ daretur. Morbum præriperet? nimiæ modestiæ adscriberetur. Itaque neutrum eligere statuit, sed plicatis in crucem manibus & in genua procumbens: *ô mi Domine*, inquit, *volo vt non meam, sed tuam attendas voluntatem, ego ad vtrumque parata neutrum eligo: tuum est dignoscere, vtrum hoc vel illud mihi relinquas.* Ludou. Blosius *in monil. spirit. c.* 11.

TERTIÒ. Quia est benignissima & paterna, omnia ad salutem nostram quàm optimè disponens. Omnia enim quæ nobis à Deo veniūt (etiam cruces, ærumnæ, tormenta) non solùm vt à potentissimo Rege, verùm etiam vt ab amantissimo patre ad commodum vtilitatemque nostram ordinata sunt. Sola damnatorum supplicia ad meram ipsorum vindictam destinantur: Cætera verò bona ad maius bonum, tam malorum quàm bonorum, salutemque spiritualem, sicut testatur Iudith, cum ait: *Flagella Domini quibus quasi serui corripimur, ad emendationem & nō ad perditionem nostram euenisse credamus. Iudith.* 8. Idcircò pedes Domini seu columnæ illæ dicuntur à sponsâ fundatæ super bases aureas, amoris videlicet erga nos paterni. Multa quidem nobis & circa nos contingere videmus quæ existimamus fieri meliora potuisse; velut cùm tempestas displicet, cùm fruges & vites damna patiuntur, cùm inundationibus agri & domus vastantur, &c. Verùm si eorum radices, fines, circumstantias, ordinem & harmoniam, quam habent cum totius vitæ hominis decursu, ac denique cum totius mundi dispositione & regimine cerneremus, contrarium sanè diceremus. Vnde verissimè dixit Epictetus ac prorsus Christianè, tametsi alioqui gentilis: *Ignauissime homo aliudne expetis, quàm id quod melius est? num verò aliud quidpiam melius, quam quod visum Deo fuerit?* Huic consonat Ecclesiasticus *cap.* 2. qui propterea filium accedentem ad seruitutem Dei monet: *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe.* Quid enim tibi poterit manus tui amans & sapiens

D. III. Quia benignissima.

sapiens imponere; quod tibi non conueniat? Rex cœli pater tuus est, sapiens est, bonus est, omnia potest. Cur in te permittat nisi quod è re tuâ sit? sanè Alexander Magnus ægritudine correptus oblatam sibi à Philippo Medico suo fidissimo potionem medicam bibit intrepidus, tametsi abunde à fido etiam amico monitus per literas fuisset, Philippum auro à Dario corruptum, vt veneno ægrotantem tolleret; indeque post triduum conualuit, vt scribit Curtius l. 3. cap. 10. Cur non infinities magis fidamus Domino Deo, optimo nostro parenti & animarum medico? cur non ab eius manu omnia accepterimus velut salutifera & nequaquam noxia? Propinauerat Christo pater perquam sanè amarum passionis calicem, pro salute nostrâ exhauriendum. Quem cùm Petrus suo gladio amoliri conaretur, quasi Christo noxium & exitiosum; corripuit eum Dominus dicens: *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* q. d. Cùm à patre meo calix iste mihi paratus & oblatus sit, tu mihi eum noxium fore putas? *Ioan.* 18. Idem respondeamus nos, cùm vel aliorum suggestionibus vel à nostris passionibus retrahi nos sentimus ab amplectendâ Dei voluntate, etiam rigidâ & amarulentâ.

Alioquin è contrà, si nostram potiùs quàm Dei voluntatem sequi voluerimus, malè nobis consulemus & deteriorem semper partem eligemus. Exemplo sit Franciscus Borgius Gandiæ dux, qui cum coniuge Leonora octodecim annis mirâ concordiâ vixit. Ægrotante illâ, pro salute eius non ipse solùm præcari sedulò, sed etiam aliorum preces implorare cœpit. Solus aliquando cùm oraret in conclaui lachrymans, vitam coniugi postulans visus sibi est audire vocem interiorem, quæ diceret: *Vxorem si diutius superesse vis, arbitratu tuo fiat; Sed tibi non expedit.* Turbatus hac voce Franciscus, quam Dei vocem esse minimè dubitabat, videtque tacitè se redargui; rursus in lachrymas solutus, has ex imo pectore voces protulit: *Domine Deus, vnde hoc mihi, vt arbitratui committas meo, quod in tuâ solius est potestate? Meâ permagni refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim rectiùs nouit, quid è re meâ sit, quam tu mi Deus? Tua itaque voluntas fiat: nec de vxore solùm, sed de liberis etiam, deque me statuas, rogo, quidquid tibi placuerit: fiat voluntas tua.* Obseruatum est autem eo tempore cōiugis morbum, statum quemdam tune tenuisse, vt dubitarent Medici, deter ú'ne an meliusculè haberet; post has verò preces ad desperationem laborare cœpisse. Franc. Schotus in vitâ Borg. l. 1. c. 12.

Videmus igitur rectiùs & vtilius non posse nos orare, quàm eum hodierno leproso: *Domine, si vis, potes me mundare*, iuuare, sanare, &c. Committendo videlicet diuinæ voluntati nostras petitiones. Sic legitur quidam Patrum in oratione tantùm dixisse: *Fili Dei, sicut vis & scis, miserere mei.* Apud Rabanum & Serarium in c. 8. Iudith. Ita fiet vt voluntati nostræ se accommodet Deus, quemadmodum fecit leproso, mox assentiendo: Volo: mundare, &c.

CONCIO III.

Confessionis necessitas ostenditur.

Probatur Confessio contra Hæreticos variis argumentis: eaque,
1. *Exigitur in lege Natura* Gen. 3. & 4.
2. *In lege scripta veteri, vbi variè præfigurata.*
3. *In lege noua à Ioanne Baptista & Christo.*
4. *Probatur ab ipsa ratione & natura.*
5. *A testimoniis Sanctorum.*

THEMA.

Vade ostende te sacerdoti. Matth. 8.

A. Grauissimum & difficillimum, quod obtingit Christianis, videtur esse peccatorum Confessio, quam proinde hæretici nostri temporis exterminare maluerunt & perluadere hominibus, nōn esse Dei præceptum, sed commentum & inuentum humanum. Verùm deberent inter alia hi expendere, quod eò potissimum de causâ mittere consueuerit Dominus leprosos ad sacerdotes: quia nimirum lepra typus peccati est; & sacerdotes veteres, quibus Iudicium lepræ commissum, typus Confessariorum. Sed quoniam hoc parum mouet aduersarios, fortioribus tormentis eos aggrediemur.

B. I. Exigitur in lege naturæ. Confessio exigitur PRIMÒ, In lege naturæ. Intra paradisum: quando ait Deus Adamo: *Gen. 3. Adam vbi es?* Interrogat, ait Encherius, *vt sui quisque conuincatur responsionibus.* Glossa ibid. ait verba illa Dei fuisse non ignorantis, sed ad confessionem cogentis. Rursum quādo ait Euæ: *Quare hoc fecisti?* Quid enim his voluit Deus nisi vt homo in principio accusator sui fit? Extra paradisum: *Gen. 4. Vbi est Abel frater tuus?* Vbi Ambrosius ait: *Interrogat Dominus Cain de fratre, vt moneret eum ad confessionem.* Et priusquam ille cædem patraret: *Cur iratus es & concidit facies tua?* Et tertiò. *quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* q. d. ego tibi peccatum tuum confitebor, quia tu non vis. Quin etiam apud Gentiles vestigium aliquod confessionis reperitur. Apud Lacedæmonas, teste Plut. *in Lacon. num.* 421. deprehensus in delicto cogebatur aram circumire & compositam in seipsos vituperationem cantare. Apud Indos Occidentales in prouinciâ Nicaraguâ reperti sacerdotes gentiles, confessionibus audiendis & pœnitentiis imponendis destinati, quibus etiam reuelare peccata & vxores ducere nefas erat. Testatur Iosephus Acosta *de procur. Ind. salute c.* 12. Habent & Mahumetani confessionis modum nonnullum. Quibus adde, quod Seneca libro de moribus ait: *Vbi est confessio, ibi est remissio.* Pythagoras aiebat, peccata non esse verbis tegenda, sed detegenda vt reprehensionibus curetur. Aristoteles dicebat, non multum ab impeccabili distare, qui peccatum, vt decet, cōfiteretur; vt scribit Maximus *Serm. de Confess.* Rursum Seneca ad *Luc. epist.* 54. *Somnium, ait, narrare vigilantis est.*

est; & vitia sua confiteri, sanitatis indicium est. Viderunt ergò Gentiles æquum & laudabile esse fateri sua delicta.

C. II. In lege scripta veteri.

Secundò, In lege scriptâ veteri *Num.* 5. vbi dicitur: *Vir siue Mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mãdatum Domini atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum & reddent ipsum caput*, &c. Item *Leuit.* 6. *Conuicta delicta* &c. Et *Leuit.* 26. *Donec confiteantur iniquitates suas.* Rursum *Leuit.* 5. *Anima quæ iurauerit & protulerit labijs suis, vt malè quid faceret, &c. agat pœnitẽtiam pro peccato*, &c. vbi Hebr. & Chald. habetur: *Confiteatur peccatum in quo peccauit.* Vnde Hebræi tradunt ibi specialem requisitam fuisse formulam confitendi: nimirum ponendo manus inter cornua victimæ & exprimendo peccatum suum, dicendoque: *Obsecro Domine, peccaui, iniquè egi, præuaricatus sum, sic & sic feci: ecce pœnitet me & pudet me operum meorum: nunquam reuertar ad rem istam.* Tradũtque nihil profuisse sacrificia nisi adhibitâ hac confessione. Refert Genebrardus ex Rabinis in 2. *Reg.* 12. Ferunt etiam hæbræos in hodiernum vsque festo expiationis hanc confessionem facere & loco satisfactionis plagas sibi imponere. Iosephus item Iudæus l. 3. *Antiquit cap.* 10. ait: *Qui sciens peccauit nemine conscio arietem offert lege ita iubente, & is qui peccat, iubetur adire sacerdotem & peccatum illi detegere, vt pro eius arbitrio aries deligatur & ipse pro peccatore oret.* Certæ item victimæ pro certis offerebantur peccatis iuxta mensuram & æstimationem peccati *Leuit.* 6. 5. 4. Habuerunt ergò & Iudæi suam quandam Confessionem, etsi minùs perfectam.

Figura Confessionis.

In eâdem lege confessio præfigurata est Primò 3. *Reg.* 18. Vbi Elias sacrificaturus Domino & oblaturus holocaustum, composuit altare & disposuit ligna super illud: mox mactauit & diuisit membratim bouem & super altare posuit. Deinde aquâ perfudit bouem & ligna, factumque vt ignis descenderet de cœlo & deuoraret holocaustum, ad indicandum fuisse gratum Deo. Altare extruit & ligna componit, qui ad confessionem se exactè præparat & peccata quæ infernali incendio materiam alioqui præbent, in vnum cogit, bouem mactat & concidit, qui peccata sua minutatim in confessione exponit. Aquam affundit, qui confessioni contritionem iungit. Ita fit vt holocaustum hoc, id est, peccata deuorentur ab igne gratiæ cælestis, quæ in peccatorem descendit, eumque flamma charitatis accendit.

Secundò, In lepræ discussione *Leuit.* 13. & 15. Cuius iudicium penes Sacerdotes veteres erat. Vnde Theodoretus *q.* 15. *in Leuit. Quemadmodum*, ait, *Sacerdos lepram discernit; ita peccatorum anima Iudicem ipsum esse oportet.* Debebat ex lege *Leuit.* 13. Leprosus contaminatum ac sordidum se clamare; & quid aliud facit peccator; cùm de peccatis se accusat?

Tertiò, In tabernaculi introitu, erat lauacrum de speculis mulierum. *Exod.* 38. vt introeuntes prius se in iis contemplarentur & maculas eluerent. Vir considerat se in speculo & abit, non eluit maculam sicut mulier: sic ante communionem confessio adhibenda. Prætereo alias plures huius rei figuras.

D. III. In lege noua.

Tertiò, In lege scriptâ nouâ. In quâ Dispositio primò ad confessionem facta est à Ioanne Baptistâ, ad quem veniebant Iudæi confitentes peccata sua: non vtique in genere tantùm, dicendo se peccasse, sed in specie singula, saltem grauiora; hoc enim est confiteri peccata sua.

Deinde à Christo Domino apertè instituta est & præcepta, quando Apostolos Iudices & Medicos peccatorum ordinauit, dans eis potestatem ligandi & soluendi, remittendi & retinendi. *Ioan.* 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nemo autem remittere aut retinere peccata potest, nisi ea priùs cognoscat. Quòd si nemo teneretur confessariis Christi ministris peccata sua exponere, frustrà imò stultè dedisset Dominus illis hanc potestatem. Si enim quispiam Rex daret alicui potestatem in regno suo iudicandi subditos, condemnandi, absoluendi: subditi autem non tenerentur coram illo comparere & respondere de causis suis: nónne vana & ridicula foret hæc potestas? Ergò frustrà & ridiculè dedisset Christus eam potestatem Apostolis, si nemo teneretur illis confiteri. Atqui Deus & natura nihil frustra agunt vel Aristotele teste *lib.* 3. *de anima.* Vnde Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. anathema dicit illis, qui aliter hæc verba intelligunt & torquent. Quare (vt rectè argumentatur *S. Aug. l.* 50. *hom. hom.* 49. *ne quis sibi blandiatur & dicat; Occul.è apud Deum* (pœnitentiam) *ago: nouit Deus qui mihi remittit quæ in corde ago. Ergò sine causa dictum est: Quæ solueritis in terra, erunt soluta & in cœlo? Ergò sine causa data sunt claues Ecclesiæ?* sic ille. Quòd si Christus tantummodò dixisset: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; forsitan dici posset satis esse confiteri in genere se peccasse. Sed addidit: *quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergò sciendum est, quid remitti, quid retineri debeat. v. g. dicit aliquis se adulterum fuisse; remittetur ei. Sed si dicat, se adhuc esse & fore, retinebitur. Adhæc dici nequit, confessionem ab Ecclesia aut Pontificibus primùm institutam. Quomodo enim tam onerosam rem propriâ authoritate instituere potuissent? quomodo regibus & Imperatoribus rem tam difficilem persuadere? Deinde quis, quando, vbi eam instituit, si Christus non instituit? Certè eius vsus in Ecclesiâ semper fuit, eiusque meminêre Acta Apostolorum, Epistola Iacobi & Ioannis, Clemens, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, &c.

Adumbrauit eandem Christus in Euangelio cum in suscitatione Lazari dixit discipulis: *Soluite eum.* Et in solutione asinæ: *Soluite & adducite mihi.* Et cùm leprosos misit ad Sacerdotes. In quibus figuratè insinuatur principalem causam absolutionis esse Christum iuxta id *Luca.* 5. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Instrumentalem verò esse Apostolos & sacerdotes.

Hinc

Hinc patet, sicut natura ab imperfectiori progreditur ad perfectius, ita progredi & Dei leges. In lege naturæ sufficiebat Deo quomodocumque confiteri peccatum suum. In lege veteri scriptâ plus requirebatur: maior specificatio, quia iuxta varietatem peccatorum variæ offerendæ erant hostiæ; vitulus pro peccato ignorantiæ; par turturum pro offensione proximi: agnellus pro iuramento faciendi aliquod malum. Vnde statim ex hostiâ cognoscebat sacerdos, quàm enormiter quis peccasset, vt patet ex *Leu.4. & 5.* Tandem ergò & meritò in lege gratiæ specialissima peccatorum expressio requisita est. Ita in lege naturæ quæuis sacrificia Deus acceptabat: in lege scriptâ certa sibi deligebat, in lege nouâ præstantissimum instituit filij sui. Certe aliqui peragendæ confessionis causâ mori non permissi sunt vel ad vitam reuocati. In vitâ S. Francisci c. 15. scribit S. Bonauentura, Mulierem S. Francisci precibus ad vitam reductam vt peccatum aliquod, quod confessa non erat, confiteretur. Aliud memorabile exemplum refert Bonfinius dec. 3. l. 5. *Anno enim Domini circiter millesimo quadringentesimo decimo quinto, secundo tertióve post Bossenorum Vngarorumque stragē, quam plerique in eum campum descendissent, vbi patratā stragem fuisse memorant, editissimumque cadauerum aceruum spectarent emissam inter ossa subinde vocem exaudiuere, sanctissima Iesu Christi Saluatoris & diuæ Mariæ Virginis nomina resonantem. Admiratio simul & pauor incessit. Quum ad verba substitissent, eadē paulò post, quasi difficulter expressa excepere. Dum vocis locum inter ossa disquirerent portenti desiderio succensi, loquax inter cadauera caput inueniunt; quod vbi homines sibi adesse nouit; Quid tam (inquit) stupidi hic statis viri? Christianus ego sum & Magnæ Matri D. Mariæ semper addictus, inexpiatus inconfessusque in hoc bello occubui. magna Dea, in cuius tutela vitam degi, me æterni supplicij reum esse non patitur, hic me adhuc lingua compotem seruauit: vt & delicta fateri, & animam sacris ritè Apostolicis lustrare queā, proinde sacerdotem, qui confessionem exaudiat & me expiatum reddat, accersite quæso. Rogatus, quî tātum à Deo beneficij promeruisset: respondit, peculiare sibi id in vitâ fuisse numen, septena quotannis in vitâ suâ festa reuerē dissimè celebrasse, religiosissimisq; ieiunijs ex pane dumtaxat & aquâ decorâsse: Sacris fuisse quàm studiosissimè operatum, illi tantùm numini cūctas animi vires dedicasse. Accersito è pago proximo sacerdote confessionem ritè transegit, & impetratâ erratorum omnium remissione, acceptaque nouissima lustratione, id defuncti caput repentè conticuit perpetuoque quieuit.* Hæc Bonfin. *dec. 3. libro 3.*

E. IV. Ab ipsa ratione & natura.

Docet tandem & natura. Quâ de re S. Gregorius *l.b. 21. Moral.* ait: *Vulnera clausa plus cruciant: nam cùm putredo, quæ interiùs feruet, eijcitur, ad salutem dolor aperitur.* Adstipulatur Seneca *ep. 57.* scribens: *Omnia vitia in aperto leniora sunt: morbi quoque ad sanitatem tunc inclinant, cùm ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt: & auaritiam & ambitionem & cætera vitia mentis humanæ tunc periculosa scias esse, cùm simulatā sanitate subsidunt.* Stomachus aduersam sibi escam vomit: Sic aduersum conscientiæ peccatum euomendum docet Origenes *Ps. 37.* ad illa verba: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.* Qui talem escam vomit, releuatur: ita qui peccata cōfitetur. Canis è stomacho laborās ob cibi indigestionē vel indispositionem herbas comedit, vt vomitu prouocato, sanitatē recuperet. Herba hæc pœnitentia nostra est, vomitus confessio, *2. Petr. 2.* vbi ait Apostolus: *Canis reuersus ad suū vomitum.* Mare mortuos non patitur, sed eiicit ad littus. Adhæc omnia plenilunio maria purgantur, quædam & stato tempore: alicubi fimo similia expuunt in littus purgamenta teste Plinio *l. 2. c. 48.* Atquî pœnitentia mari comparatur *Thr. 2. Magna est velut mare contritio tua.* Vt autem aliundè sciri non poterat submersos esse in mari Ægyptios, nisi quando corpora eorum suffocata ad littus eiecta cernebantur: Ita peccata tua in mari pœnitentiæ submersa esse tum demum scias, quando ea per os in confessione expuisti. Quin & in cœlestibus luminibus aliquis Confessionis typus cernitur, in lunâ videlicet, quæ singulis se mensibus instaurat & quem in solis vicinitate perdidit splendorem, elongatione eiusdem recuperare nititur. Sol Deus; Luna homo est, qui omnia sua à Deo mutuatur. Sed quia per peccatum homo se multoties contra Deum erigit; eique superbè appropinquat, splendorem & gratiam perdit: necesse igitur est vt recedendo à Deo per humilitatem eamdem recuperet: priori modo, stultus vt luna mutatur. *Eccl. 27.* Sed posteriori modo sapiens.

F. V. A testimoniis sanctorum virorum.

Accedunt virorum sanctorum testimonia. Dauidis *Psal. 31. Dixi: Confitebor aduersus me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et *Psal. 50. tibi soli peccaui.* Et ad Nathan: *peccaui Domino 2. Reg. 12.* Non dixit: quid ad te, num peccauerim? sufficit me confiteri Deo: tu enim homo tantùm es.

Ezechias Rex *Isai. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos,* ait, *in amaritudine animæ meæ.*

S. Paulus peccata sua passim in epistolis coram toto orbe confitetur & deplorat.

S. Augustinus confessionem suam libello euulgauit. Iob cap. 31. ait: *Si abscondi quasi homo peccatum meum?* Sapiens Prou. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.*

Audiuimus legem naturæ, audiuimus legem veterem, audiuimus legem nouam, naturam quoque & viros sanctos testimonium ferentes de peragendâ confessione. Quisquis ergò tot testibus nec credit nec mouetur, aut solus sapit, aut solus non sapit, &c.

CONCIO IV.

Satisfactionem cur requirat Deus.

Vltra contritionem & confessionem requiritur satisfactio ob has rationes:

1. *Ne liberè nimis peccent homines.*
2. *Vt per eam radices peccatorum penitus tollantur.*
3. *Quia plus requiritur ad reparandum quàm ad creandum.*
4. *Vt processus iudicialis obseruetur.*
5. *Quia pœna peccato commensuranda.*

6. Quia

Atqui conualuit quidem, sed morbus hoc intulit ei detrimentum. Hæc ille. Quare vti post morbum remanent eius reliquiæ & prauæ in membris dispositiones, quæ nisi contrariis euacuentur medicamentis, ægritudinem facilè reuocant: ita in peccatore remanent habitus multis generati actibus: quos nisi suis correxeris antidotis, facilè ad pristina te peccata trahent. *Propterea cælestis Medicus,* inquit Gregorius *hom. 32. in Euang. singulis quibusque vitiis obuiantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.* Hæc ille. Id quod obseruare solent etiam confessarij in pœnitentiis iniungendis. Hoc insinuauit Dominus, cùm post lotionem discipulorum *Ioan. 13.* Pedes eorum linteo extersit, teste Gersone *Serm. in cœnâ Domini; Linteo,* inquit, *ex tribus confecto filis, oratione, ieiunio, Eleemosynâ.* Nam qui pedes lauit, nisi eosdem sedulò extergat, statim iterum inquinat; quia aqua pedi adhærens, pulueri commixta, ilicò lutum efficit: Simili ratione, si affectui peccatoris adhæreat peccati radix, amor, desiderium, inclinatio, &c. vbi puluerem admoueris, pristina peccati obiecta: protinùs lutum contrahes. Hoc fructu videtur extersisse Dauidi pedes Deus, cùm remisso adulterio filium inde natum morti addixit. Quid enim referebat mori filium, nisi quia temerè nimis amabat illum, cuius ex amore ad alia flagitia fortè accendi poterat? 2. *Reg.* 12. Itaque ne miremini, si ebriis ieiunium, auaris Eleemosyna, libidinosis mortificationes iniungantur: quia morbis remedia conuenire debent.

D. III. Plus requiritur ad reparandum quàm ad creandū.

TERTIÒ, Quia longè plus requiritur ad hominem lapsum reparandum, quàm ad creãdum. Nullo labore creauit Deus hominem perfectum; Sed quãta exantlauit vt perditum repararet? Breui tempore annis scilicet 7. vt habetur 3. *Reg* 6. & sine armis extructum primò fuit Salomonis templum: Sed postquam id semel peccatis Iudæorum exigentibus destructum fuit, quadraginta sex anni ad eius reparationem opus erant, vt habetur *Ioan.* 2. Sed & manu armatâ reparandum erat, structoribus vnâ manu ædificantibus & alterâ tenentibus gladium. 2. *Esd.* 4. *Similis est ædificatio spiritualis,* ait ibid. Beda, *quæ in animarum salute geritur. In baptismo enim renati sine labore per gratiam Dei ciuitas & domus eius efficimur. Si autem pòst, diabolo suadente vel seducente ad peccata relabimur & virtutum mœnia hostis victor igne vitiorum deijcit, necesse est grauiori studio afflictionis vigiliarum & actiuæ vitæ bonorum operum ædificia reparare. Nam expertis vitiorum illecebris difficiliùs caremus, quàm incognitis, minorisq; laboris est incognitam cauere carnis voluptatem, quam reijcere cognitam.* Hæc Beda.

Equus quem ad aliquod hospitium nunquam diuertisti, facilè id pertransit: quòd si vel semel diuerteris, quotiescumque illac iter agis, diuertere ibidem volet, nec nisi admotis calcaribus & virgarum ictibus cohiberi ab ingressu poterit. Non eget pœnitentię calcaribus, qui ad Dæmonis tabernas nondū diuertit. Eget verò multò maximè, qui vel semel diuertit; quomodo enim inde carnem tuam, fallacem scilicet equū, auertas, nisi seriâ afflictione latera eius tundas? Talis erat illa, quæ *Ose.* 2. dixit: *Vadã post amatores meos, qui dant panes mihi & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum.* Sed quid respondet Dominus? *Propter hoc,* ait, *ecce ego sepiam viam tuam spinis & sepiam eam maceriâ & semitas suas non inueniet.*

E. IV. Exigit iustitia.

QVARTÒ, Vt processus Iudicialis obseruetur. Cùm enim Sacramentum pœnitentiæ per sententiam Iudicis in quodam velut conscientiarum tribunali administretur, nulla verò æquitas patiatur, vt qui susceptam Christi gratiam impiè abiecit & conculcauit, iterum eam per sententiam Iudicis absque vllâ punitione recuperet, meritò annexam habet satisfaciendi obligationem, ne Iustitiæ vis inferatur. Propterea *ad Hebr.* 12. dicitur: *Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Vbi pulchrè distinguitur modus tractandi filium adhærentem, & fugitiuum. Illum enim castigat pater, id est, verbis tantùm reprehendit (hoc enim est propriè, castigare) iuxta id *Apoc.* 3. *Ego quos amo; arguo & castigo*: ex merâ dilectione in filij bonum. Hic verò sæuiori disciplinæ subiicitur, & flagris tractatur, si redierit ad patrē: quia si arguitur & increpatur, qui patri adhæret, æquissimum est vt flagelletur, qui patrem deseruit. Propterea Dauid fugitiuum filium Absalonem, licèt placatus reuocari iussisset in Ierusalem, in conspectum tamen suum per biennium non admisit 2. *Reg.* 14. Id quod maximæ pœnæ loco habuit Absalon & optabat magis interfici, quàm priuari diutiùs patris sui aspectu. Quoniam igitur res indigna est, si ex optimi patris gremio fugiat ad hostem filius, ideò iusta est indignatio patris, quâ filium redeuntem corripit.

F. V. Pœna e peccato commēsuranda.

QVINTÒ, Quia cùm in peccato duo sint, auersio à Deo tanquam ab vltimo fine, & conuersio ad creaturam, quæ peruersè Deo anteponitur; idcircò præter pœnam damni auersioni respondentem, decreta fuit etiam peccatori pœna sensus, quæ conuersioni respondet. Audi Ieremiam c. 2. in personâ Dei loquentem: *Duo mala,* inquit, *fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Subiungit verò paulò pòst: *Arguet te malitia tua & auersio tua increpabit te*; id est, pœna sensus & pœna damni, vt insinuat ibi Hugo Card. Vide quomodo duplici malitiæ duplex respondeat pœna. Sed cùm secundùm Augustinum, vt aduertit ibid. Hugo Card. peccare nihil aliud sit, quàm spreto incommutabili bono, commutabili adhærere: quomodo duo sunt mala, auersio à Deo & conuersio ad creaturam & non potiùs vnum tantùm? Certè siquis seruus ab hero suo legitimo fugiat ad alterum, non videtur nisi vnum committere peccatum. Ita sanè est; sed quid si à maximo & benignissimo Domino fugiat ad

abiectissimum & crudelissimum? nónne conduplicat culpam, dum herum legitimum præter ius fasque deserit, & prætereà Tyranno vilissimo postponit? Hoc agit quiuis peccator dum spreto incommutabili bono, vilissimæ & durissimæ adhæret creaturæ; propterea enim dicitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt sibi cisternas dissipatas*; q.d. Me summum bonum deseruerunt, & adhæserunt Idolis, quæ cùm nihil sint, nullum eis auxilium, sed turbidam tantùm fœtidamque turpitudinis aquam propinare possunt. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* inquit Paulus 2. Cor. 6. quæ conuentio fontis aquæ viuæ ad cisternam dissipatam? Quare vti seruus ille transfuga, qui à patrono ad Tyrannum fugit, non tantùm meretur perdere patronum; sed prætereà, infligniter affligi à Tyranno, vt sic experiatur non modò, quem deseruerit, sed etiam quem elegerit: Ita etiam *par est vt malitia & præuaricatio*, quemadmodù inquit Hieronymus à glossa citatus ibid. *postquam præuaricantem satiauerunt & instar coturnicum vsque ad nauseam deuenerunt, erudiant ægitum pœnitentiam, cui imperatur, vt videat quid reliquerit & quid secutus sit, quomodo spernens bona & dulcia, mala elegerit & amara* Exemplo nobis est communis parens noster, cui Dominus absolutionem impertiens dixit: *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ spinas & tribulos germinabit tibi*, &c. q.d. quia spreuisti verbum meum & prævaluisti ei fructum terræ, experieris eam, colendo & operando, vtilium rerum sterilem: inutilium verò & noxiarum feracem, necnon laboriosam, &c. Si dimisit peccatum Adæ Deus, cur non dimisit etiam hanc pœnam? cur non reliquit eum in paradiso; nisi quia iustum erat, vt gustaret fructus arboris suæ, quam Deo præposuerat? Iure igitur quilibet, etiam cùm resipiscit, acerbos peccati fructus (pœnitentiæ satisfactionẽ) comedit, quos ipse sibi elegit. Idem videre est in Dauide, cuius filium paruulum Deus enecuit in pœnam adulterij, ex quo genuerat eum Dauid: vt ita in morte filij gustaret pater fructum suæ libidinis, prostratus in terram, lachrymans & ieiunans. Hinc ad eum resipiscentem non dixit Nathan: Dominus remisit; sed: *transtulit peccatum tuum*, q.d. transtulit ab æternâ morte tuâ in temporalem mortem filij tui: mutauit tibi scorpiones in flagellum: fel Draconum in absynthium, vt saltem hinc degustes fructum peccati tui. 2. Reg. 12.

G. VI. Voluntariæ culpæ debetur inuoluntaria pœná. SEXTÒ, Vt sic voluntarium peccatum, inuoluntariâ pœnâ redimatur, vt ait Gerson in reg. de pœnitentia. Nam proposito hinc bono honesto, inde verò delectabili, licèt hominis intellectus ad bonum honestum propendeat & eligendum esse dictet, relicto delectabili vt noxio: Peccatrix tamen voluntas merâ quasi petulantiâ & libidine, relicto meliori, vtpote honesto; eligit minus bonum scilicet delectabile Quare vt hæc prauæ voluntatis petulãtia pro merito puniatur, æquum est, vt iubire cogatur aliquid, quod aliquid naturaliter fugit, Cuius rei typus erat asina illa Balaam quæ videns angelũ in itinere, gladio euaginato cõtra se stantẽ, auertit se de itinere & ibat per agrũ; sed verberabat eam Balaam donec ad semitam reduceret: quâ reductâ inuenit iterũ angelum, quem fugerat, inter angustias duarũ maceriarũ, vbi iam fugere non poterat Num. 22. Simili enim modo sensualitas hominem ad peccandum, contra Deum ducens, si quando aduertit Dei minas, monentis ne procedat, quia peruersa sit via eius Deoque contraria, quid agit? abducit eum per agrum boni delectabilis, vt sic obstantis sibi Dei quodammodo oblitus, liberè in peccatum ruat. Quòd si redierit per pœnitentiam ad virtutis tramitem inueniet eum, quem fugit satisfactionis gladium; & ibit quò non vult, qui ibat quò non debuit.

H. VII. Christo conformandi sumus. SEPTIMÒ, Vt conformes simus Christo, qui pro nobis satisfecit, & sic eius satisfactionem nobis applicemus. Palmes vt trunco implantetur, debet priùs incidi, sicut & truncus incisus est: sic vt quis succum meritorum Christi ad se trahat, debet Christo in passione conformari. Satisfecit sine dubio pro nobis Christus: sed quoad sufficientiam, non quoad efficaciam; ad hoc enim secundum requiritur, cooperatio nostra. Nam si sitibundo alicui exercitui mõstres fontem aquæ copiosum, statim dicet ille: Satis est nobis, nihil vltrà quærimus. Et tamen si extinguere sitim velit, aquam haurire debet. Et tu si bibere velis, demittenda tibi primò amphora vt aquam haurias; effundenda deinde aqua in vasculum, gestanda denique humero vsque in domum tuam. Præparauit nobis Christus fontem *aquæ salientis in vitam æternam*, hoc est, numquam deficientem in æternum: fontem, inquam, meritorum suorum non tantùm nobis sufficientẽ, sed & supereffluentem. Sed quia ante tẽ puteum cernis, num ideò statim bibisti? Demitte primò amphoram cordis tui & hauri contritionis aquam: deinde per confessionem *effunde sicut aquam cor tuum*. Denique pone eam super humeros & per satisfactionem porta peccatum tuum. Portauit sanè iniquitates tuas Christus, dum crucem baiulauit: Sed nónne legis Simonem Cyrenensem angariatum esse vt portaret crucem post Iesum? Luc. 23. quasi posteriorem tãtùm partem subleuarit & leuiorem, Christus verò gestarit grauiorem: vt vult Caietanus ibid. Itaque gestauit crucem quidem Christus, sed nisi tu simul portes, & leuiorem saltem eius partem tollas, passionem eius tibi non applicas. In cuius rei typum, Samuel sciens spiritu prophetico paulò pòst aduenturum Saulem vt vngeretur in Regem, iussit è prandio suo asseruari armum pecudis; vnde ait illi: *Ecce quod remansit, pone ante te & comede.* 1. Reg. 9. Armus seu humerus laboris instrumentum est: hunc ponit post cœnam passionis suæ ante te Christus, vt tu supponas humerũ ad laborem pœnitentiæ. *Remansit*, ait D. Gregor. ad illa verba 1. Reg 9 *quia non omnia nostra Chr stus expleuit. Per crucẽ quidem suam omnes redemit, sed remansit vt qui redimi & regnare cum eo nititur crucifigatur.*

Hos

hoc residuum viderat Paulus qui 2.Tim.2. si compatimur, ait, & conregnabimus, quasi dicat, quod expleuit Christus, non valet nisi ei quis id quod remansit expleuit. hæc Greg. Paulus 1. ad Cor. 1. ait: *in omnibus diuites facti estis in illo* (Christo scilicet) *in omni verbo & in omni scientia, ita vt nihil vobis desit in vllâ gratiâ.* Quomodo nihil deest, cù *ad Col.* 2. dicat: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea?* Respondeo nō deest homini gratia Christi: sed deest sæpe homo gratiæ, dum ei non cooperatur: sic enim *ad Hebr.* 12. ait idem: *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei.*

Itaque Auditores nemo se decipiat; quisquis de peccatis, maximis suis hostibus, perfectam reportare vult victoriam, non sit contentus accepisse secum Iudam, seu Confessionem: fudisse etiam lachrymas contritionis; sed præterea addat ieiunium aliaque satisfactionis opera, iisque velut hostiis Deum omninò placet, ita vt non modò culpæ, verùm etiam pœnæ culpis debitæ deleantur, &c.

CONCIO V.

Satisfactio quomodo facienda.

1. *Facienda est satisfactio in hoc seculo.*
2. *Copiosè.*
3. *In eo in quo quis deliquit.*
4. *Publicè, saltem in delictis publicis & grauibus.*
5. *Ab ipsomet peccatore.*
6. *Salubriter fit constanter per omnem vitam.*

THEMA.

Offer munus tuum, quod præcepit Moyses. Matthæi 8.

A. IMpiissimus Caluinus non dubitauit inter alias innumerabiles blasphemias effutire etiam illam: *Quid*, quæso, *nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pœna temporalis exigeretur? l.3. Instit. cap 4 §.29.* & seq. O linguam præcidendam! Quasi verò non sit multum Deo reconciliari, ab æternâ morte liberari, diuinæ gratiæ participem fieri, per gratiam ius sortiri ad vitam æternam, & pro infinito debito pauculos obolos dare? Deinde quis est qui nesciat, ipsam nostram satisfactionem donum Dei esse à Christi morte profectum? Rursum an non maiorem sanctis gloriam parit, si pro suis peccatis aliquo modo satisfecerint, quàm si nullo prorsus? Nóune laudabilius est & iustitiæ congruentius soluisse sua debita, quàm ex dono exæratum esse? sed vt alia taceam: quæramus ex Caluino, quamobrem miserit Christus leprosum ad Sacerdotem vt munus suum offerret ex præscripto veteris legis? Cur ita durus & immisericors fuit Dominus, vt à pauperculo leproso, postquam eum sanauit, munus aliquod exigeret? Sed relicto hoc stigmatico & pediculoso Propheta; interrogemus nos salubriùs, quomodo fieri debeat illa satisfactio; faciendam enim esse iam suprà ostendimus.

B. 1. In hoc sæculo. PRIMÒ, Facienda in hoc sæculo, nam in purgatorio strictior exigetur solutio. *Ecclesiastici* 15. dicitur: *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Vbi tacitè innuit purgationem per aquam (quam præponit alteri) huius scilicet vitæ, eligendam esse: quis enim nescit mitiorem esse purgationem aqueam, quàm igneam? Atqui purgatio per ignem in purgatorio erit. Hinc Ieremias *c.* 1. in visione primò videt virgam, secundò ollam succensam. Quâ de re Chrysostomus *hom.* 22. *ad pop.* ait: *Vide quomodo primùm virgam videt Propheta, postea ollam superardentem: demonstrans, quod non sustinentem virga castigationem ignis suscipit.* Hanc ollam deprecatur *Dauid Ps.* 6. *Domine ne in furore tuo*, id est, *in inferno arguas me: neque in irâ tuâ, id est, in purgatorio* (siquidem ira est breuis tantùm furor, furor verò semper durat vt in inferno) *corripias me.* Ita exponunt S.August.& Gregor. apud Bellarm. *ad initium Ps.*37. Idem Bellarminus, refert *Conc. vlt. de Dom. 4. Aduent.* fuisse iuuenem nobilem & valde delicatum, qui cùm vitam admodum seueram arripuisset, reprehensus ab amicis, quòd corporis teneritudini non parceret; respondit se ob idipsum, quòd teneritudinis suæ bene sibi conscius esset, rigorem illum assumpsisse; cùm enim cogitarem, ait, tam delicatum corpusculum non bene ferre posse purgatorij pœnas & inferni: ego delicatus has mitiores elegi, vt grauiores illas euaderem.

SECVNDÒ, Facienda copiosè. Nescis enim quantum pœnæ pro vnoquoque peccato tuo reseruauerit sibi Deus. Certè quantumcumque reseruauerit, dummodò finitam, exigua æstimanda est, respectu culpæ dimissæ; quia finiti ad infinitum nulla est proportio. *Num.* 14. Dixit Deus Hebræis: *Iuxta numerum quadraginta dierum, quibus cōsiderastis terram, annus pro die computabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras.* Vbi Origenes, *hom.* 8. *super Num.* ait: *Si cuique peccatori annus adscribitur ad pœnam pro vnius diei peccato, &c. Vereor ne fortè nobis, qui quotidie peccamus, nec ipsa fortè sæcula aut etiā sæcula sæculorum sufficere possent ad pœnas luendas. Neque hoc contra Dei misericordiā putes. Nā si vulnus corpori infligatur aut os cōfringatur, &c. sub vnius horæ spatio solent hæc corporibus accidere & pluribus postmodum cruciatibus aut doloribus vnaλu multo etiā tempore sanari,* &c. Hæc ille. Propterea *Iud.* 10. dicunt illi: *Peccauimus, redde tu nobis, quidquid tibi placeat, tantum nunc libera nos.* Et veri pœnitentes parum esse existimarunt, quidquid tandem pœnitentiæ sibi iniungeretur. Cæsarius *l.* 1. *mirac. c.* 25. narrat, cùm in familiari sermone de pœnis inferni territa mulier à sacerdote interrogasset, quid fieret de cōcubinis sacerdotum? & ille respondisset quasi per iocum, non posse eas veniam impetrare, nisi clibanum ardentem ingrederentur; illam seriò id existimantem dici, seipsam clibano inclusisse, visamque sub formâ columbæ animam eius euolare in cœlum; cumque nihilominus cadauer, tanquam eius quæ seipsam interemisset, sepultum esset in loco profano, cælestibus luminibus illustratum fuisse. Non dissimile factum alterius, cui S. Antonius Patauinus (vt habetur in eius vitâ) confitenti, quod pede matrem C. II. Copiosè.

procrastinasset, cùm dixisset, dignum videri pedē amputatione, amputauit eum sibi; licet ope eiusdem Antonij diuinitus postea recuperarit. Similiter Otho IV. Imp. anathematis fulmine ab Innocentio tertio percussus, ac tandem absolutus, tantam moriturus pœnitudinem habuit, vt coquinarius suis iuberet collum suum calcaneis premere & vt vilissimam Dei creaturam conculcare. Cranz. *l.* 7. *Saxon. cap.* 37. De Salomone Hebræorum traditio est, apud Bedam in fragmentis ad *lib. Prouerb.* (vt refert Pineda *de rebus Salom. l.* 8. *cap.* 1.) eum solemni ritu pœnitentium quinquies tractum per plateas Ierusalem causâ pœnitentiæ: & cùm quinque virgis venisse in templum, quibus vt verberaretur à legisperitis postularit: sed illis renuentibus in Christum Domine manum mittere: à seipsô acriter flagellatum.

Mirantur multi quamobrem Nicodemus centum libris myrrhæ & aloes vnxerit corpus Christi mortuum. *Ioan.* 19. Sed respondet S. Thomas *p.* 3. *q.* 51. *art.* 2. *ad* 2. id non tantùm ex more gentis, sed etiam ob mysterium esse factum; vt nimirum indicetur debere pœnitentem copiosâ satisfactione amaræ pœnitentiæ totum se inungere, vt totus eam imbibat, omnesque eius sensus & membra, per quæ ingredi vel in quibus habitare solet peccatum, à corruptione deinceps præseruentur.

D. III. In eo, in quo quis deliquit.

Tertiò, Consultò etiam facienda in eo in quo peccatum fuit. Ita enim Chrysostomus *hom.* 11. *super Matth. Qualis*, inquit, *præstat offensio talis debet sequi reconciliatio: si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare; si autem verbo læsisti fratrem tuum, vade & satisfac ei: si autem operibus aliquem offendisti, redde ei quæ abstulisti, & pœnituisti, &c. Quòd si fortè castigaueris hominem imponentem iniustè, dona ei aliquid pro iniuria dignum. Sicut scriptum est in lege:* (Exod. 21.) *si percusseris seruū tuum & fregeris illi dentē dimitte eum liberum. Secundum hoc intelligendum est iniuria peccatum beneficio esse dissoluendum. Aliqui nisi quem factu læsisti, factu placaueris, sine causa oras ad Dominum. Nam quid prodest tibi si alter pro te oret ad Dominum, alter aduersum te interpellet Deum? Et si ad istius orationem vult tibi Deus misericordiam facere, illius interpellatio non permittit.* Hæc Chrysost. Stultus haberetur, qui in brachio gerens vulnus, pedem obligaret: ita incassum laboras, si cum dimittere iniurias aut restituere ablata debes, oratione vel ieiunio vel Eleemosynâ debitum hoc exsoluere velis. Hunc in modum Hebræi cùm fœminas occidere debuissent, vtpote quæ ipsis occasio libidinis & Idololatriæ fuerant, mares occiderunt & fœminas reseruarunt *Num.* 31. Vnde iratus illis Moyses inquit: *Cur fœminas reseruastis? Nōnne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam & præuaricari vos fecerunt in Dominum, &c.*

E. IV. Publicè in delictis publicis grauibus.

Qvartò, Facienda publicè ad ædificationē aliorum saltem pro peccatis publicis. Eiusmodi pœnitentiam requisiuit Deus ab Achab 3. *Reg.* 21. Vnde ad Eliam ait: *Nōnne vidisti humiliatum Achab coram me?* Quid attinebat videri humiliatum ab Eliâ, si Deus illum vidit? Voluit nimirum Deus vti pœnitentia Achabi innotesceret etiā hominibus, alioqui nec ipsi placitura. Propterea in veteri lege, qui verè pœnituerant, palā id fecerunt; vnde vestimenta sua sciderunt. 3. *Reg.* 2. *Esth.* 4. Vestitum ornatum abiecerunt. *Exod.* 33. *Ionæ* 3. Cilicio operiebantur. 3. *Reg.* 21. & alibi sæpe. Cinere capita consperserunt. *Esth.* 4. *Thren.* 2. &c. ambulabant demisso capite 3. *Reg.* 21. Voce magnâ planctū edebant in plateis *Esth.* 4. Sed & in Ecclesiâ primitiuâ præsertim frequens fuit publica pœnitentia, nimirum: *vt concineratus* (ita loquitur Tertullianus apud Baron. anno 216.) *an dedecore & horrore compositi, prosternentes in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lachrymas suadentes, omnium vestigia lambētes, omnium genua detinentes recipere eos æquè & similes.* Talem pœnitentiam egit Henricus Angliæ Rex persecutor S. Thomæ Cantuar. Episcopi, tametsi eum non iussit occidi, ansam tantùm occisioni eius præbuit. Venit enim nudis pedibus ad summum templum Cantuar. ad sepulchrum Martyris & primò locum cædis eius lachrymis rigauit, deinde in ipsum sepulchrum nudatus, caput & scapulas per fenestram impositum ab Episcopo 5. ictus & pòst plusquam ab 80. Monachis tres ictus accepit, deinde totâ nocte ibi pernoctauit. Baron. anno 1174. In concilio Toletano legitur Episcopus quidam Potamius nomine, qui ob tactum fœmineum ipse se primò sponte ergastulo clausit, 9. mensibus ibidem pœnitens; Deinde patribus Concilij illius peccatum suum aperiens, ab iisdem perpetuæ pœnitentiæ addictus est, vt in abiectis officijs quoad viueret, deseruiret; Cùm nihilominus affirmarent humanius cum eo actum esse, ac rigor regulæ postularit, apud *Bellar. Conc. vlt. Dom.* 4. *Aduent.*

F. V. Ab ipsomet peccatore.

Qvintò, Consultius facienda ab ipsomet pœnitente per propriam & voluntariam castigationem, non expectando donec Deus ipsum hîc per cruces & tribulationes castiget: Sic enim faciliùs & suauiùs liberabitur à debito. Eripienda est Dei manibus virga & præuenienda eius punitio, quia grauis est & dura nimis Dei punientis manus, teste Dauide *Ps.* 31. *quoniā die ac nocte grauata est super me manus tua*; quia nimirum Dauid castigabatur à Deo ob adulterium per plurima verbera, per mortem infantis, per filiæ Thamar violationem ex incestu, per Amnonis filij necem, per Absalonis persecutionem dirumque eius interitum. De his ergò flagellis loquitur ibi Dauid, teste Bellarmino, ibid. Grauitas huius manus apparet in occisione triginta millium. *Exod.* 32. Et 70000. 2. *Reg.* 24. Et 70. filiorum Achab 4. *Reg.* 10. &c. Vnde *Iob* 13. *Manum tuam*, inquit, *lōgè fac à me.* Et Apostolus ad *Heb.* 10 *Horrendū est incidere in manus Dei viuentis.* Seruus post delictum suum sponte vadens ad carcerem eumque sibi aperiri petens ac semet includens, faciliùs obtinet veniam & citiùs è carcere dimittitur, quàm si per sententiam Domini carceri adiudicetur: Ita procul dubio & Deus propriâ & voluntariâ castigatione citiùs miti-

mitigatur, quàm si ipse castigare debeat. Vnde qui pœnam suam illo differt, *fugit arma ferrea & irruit in arcum æreum*, vt ait Iob c. 6. siquidem balistâ vel bombardâ grauiùs quis vulneratur, quàm gladio. Et sicut cerui dum pennarum terriculamenta fugiunt, in retia incidunt ac pereunt: Ita homines castigationem sui fugientes, in Dei correptionem incidunt. Barbitonsor iubet tondendum sibimet pectere capillos: ne si ipse id faciat, capillos ei eneliat. Caue tu ne Deus te pectere aliquando cogatur; pecte nunc teipsum.

G. VI. Constanter. SEXTÒ, Denique salubriter fit per omnem vitam: sáltem quoties recordamur peccatorum dimissorum, vel noua rursum committimus. Hinc enim pœnitentiam, quasi pœnæ tenentiam dictum esse vult S. August. *lib. de verâ & falsâ pœnitentia c. 19.* Et hanc tenuisse semper Adamum post lapsum, scribit S. Ambros. *in Ps. 118.* in ea verba: *Adhæsit pauimento anima mea.* Et Dauid, qui licet audierit iam, dimissa sibi esse peccata, adhæsit pauimento, ponens indesinenter in puluere os suum. Vnde & *Ps. 50.* ait: *Amplius laua me, &c. quoniam peccatum meũ contra me est semper.* Et Ps. 37. *Dolor meus in conspectu meo semper.* Et ibid. *non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorũ* Et S. Paulus ad Rom. 9. *Tristitia mihi magna est & cõtinua dolor cordi meo.* Memoriam peccatorum suorum Paulus nunquã deposuit, dum toties ea commemorat. Similiter fecisse S. Petrum, Arsenium, Magdalenã. Mariam Ægyptiacam, Thaidem, aliosque complures, referunt historiæ. Hæc postrema ex institutione B. Paphnutij Abbatis, non audebat Deum nominare, nec manus in cœlum tollere: Sed vna eius vox erat: *Qui plasmasti me, miserere mei.* Quæ & triennio cellæ se inclusit dixitque: *Testor Deũ, quia ex quo huc ingressa sum omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos & flebam semper illa conspiciens*: Vnde bene dixit Abbas ille Sanctus: *Vt vmbra corpus, sic compunctio te vbiq; comitetur.* Cuius rei ratio est, quòd dum hîc satisfacimus, alibi iterum peccamus, & ita continuò foramen nouum facimus in veste animæ nostræ, dum aliud sarcimus. Audi Chrysostomum *hom. 20. in ep. ad Rom. Quemadmodum*, inquit, *in adibus facimus, inueterata perpetuò restituentes, ita & in teipso facito. Peccasti hodie? inueterasti mentem tuam: ne desperes, ne recidas, sed veniona ipsam resipiscentia, lachrymis, confessione, bonorumque operum studio.* Hæc ille.

CONCIO VI.

Quomodo in inferno cruciandi quinque sensus.

1. *Quid ibi visuri sint oculi.*
2. *Quid aures auditurã.*
3. *Quid nares percepturã.*
4. *Quid lingua gustatura.*
5. *Quid tactus ibi sentiet.*

THEMA.

Ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 8.

A. QVàm verè dixit Deus Ezech. 18. *Nunquid voluntatis mea est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis & viuat?* id vel ex eo patet, quòd non solùm Dominus Deus verbis nos hortatur sedulò vt fugiamus à morte æternâ, sed etiam quibusdam gloriæ & gehennæ præludiis. Etenim cœlestis gloriæ, quam dare nobis optat, speciem nobis exhibuit in monte Thabor. Gehennæ verò typum expressit in decẽ plagis Ægypti, quæ propterea decem fuêre, quia omnis generis pœnas prænotabant in inferno futuras. Puniti enim sunt per omnes creaturas, per elementa, terram, aquam, aërem & ignem. Per mixta, grandinem & sanguinem. Per animalia, ranas, muscas, cyniphes, locustas. Per solem & astra, cùm se subducendo tenebras induxerunt. Per homines, Moysen & Aaron, per angelos & Deum. Secundò puniti sunt in omnibus penè bonis, scilicet in fructibus agri, in animalibus, in filiis, in auro & argento, in corpore per vlcera. Tertiò puniti in omnibus sensibus, in visu per tenebras, in auditu per tonitrua, in olfactu per cadauerum peste absumptorum fœtorem, in gustu per sanguinis potum & sitim, in tactu per dolorem vlcerum, &c. Quoniam igitur in hodierno Euangelio Dominus iterum nobis describit inferni pœnas, cùm dixit: *ibi erit fletus & stridor dentium*: Videbimus has accuratiùs.

D. Anselmus in Comp. per fletum angores animi, per stridorem dentiũm angores corporis vult significari: idque satis congruè; nam fletus ex apprehensione rei tristis nascitur, stridor verò dentium ex corporis afflictione. Erit igitur in inferno fletus & stridor dentium, quia patientur ibi vires animi & corporis, sensus externi & interni; sed quid patientur? Et inprimis quid ibi videbunt oculi? Ægyptij videbant inter alias plagas vnam tenebratum densissimarum, in quibus variæ eos spectra terrebant *& personæ tristes illis apparentes pauorem eis præstabant. Sap. 17.* Videbũt etiam damnati tenebras exteriores, id est, densissimas, & in illis spectra & monstra terrifica dæmonea videlicet, horridissimas quasque formas assumentes & repræsentantes. Illi, inquam, oculi, qui nunc satiari aspectibus formarum speciosarum, impudicarum & profanarum nequeũt, totque meretricias imagines in cubiculum cordis introducunt: illi tunc versabuntur in perpetuo tremore, quia in caliginosâ nocte videbunt dæmonum formas abominabiles. S. Bernardus *super Psal. 90.* refert quendam de suis Monachis aspectu dæmonis ita fuisse territum, vt horrendum inclamans omnes sub nocte excitarit Monachos & totâ illâ die vix rationis compos fuerit S. etiam Antonmus *p. 4. sum. tit. 14. cap. 5. §. 9.* ex vitis PP. refert quemdam fratrem ordinis Prædicatorum visso aliquando dæmone dixisse, citiùs se intraturum in fornacem succensam, quàm rursum dæmonem aspiceret. Denique ex dæmonum aspectibus non homines tantùm in ægritudines & quasi amentias inciderunt, sed & equi sæpe efferi & furibundi facti sunt. Exemplum de iuuene patentum contemptore qui noctu à dæmone apprehensus, sed ab alio vix tandem vindicatus, adeò territus fuit, vt pallium illius dimit-

B. I. Quid videbunt ibi oculi?

dimittere nollet & mẽtis impos esset, semperque præ oculis haberet speciem dæmonis, refert Alexander l.4.c. 19. Eiusmodi autem spectris perpetuò infestabuntur damnati. Iam si multi per cœmiterium soli ambulare in tenebris, aut pernoctare in aliquâ domo, præsertim si ea spectris infestetur, non audent nec magnis pollicitationibus ad hoc adduci possunt: quantis in terroribus versabuntur inferi?

Deinde videbunt ad maiorem pœnam suam, amicos & propinquos suos, socios item & complices scelerum suorum in paribus suppliciis. Nam vt ait S. Gregorius l. 9. *moral. super id Iob, Vbi nullus ordo, &c. Illic ignis & ad consolationem non lucet, & tamen vt magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flammâ illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus, qui eorum vitam carnaliter, contra præcepta conditoris amauerunt; ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat.* Sic S. Gregorius. Quàm crudele spectaculum putamus illud fuisse, quo Mauritius Imp. videre debuit, quinque filios suos ante se crudeliter enecari & se postremum à Phocâ, priùs sibi subiecto milite? Quàm crudele illud, quo Alexander Hircani filius & Dux Iudæorum iussit vna die octingentos in cruces tolli ipsâ meridie & ante oculos pendentium (vt non vnâ, sed multis necibus interirent) vxores & liberos singulorum crudelissimè trucidari? vt refert Egesip. *l. 2. de excidio Ierosl.* Nõ deerit inferno eiusmodi supplicium; tota enim Scriptura clamat, delicias & voluptates mundi vertendas ibi in fel, amaritudinem, luctum, fæcem, &c. Quicumque ergo hic oculis suis fræna laxarunt ad discurrendum vbicumque volebant, ibi partim nihil videbunt & tenebris inuoluentur, partim omnia tristia & terribilia videbunt. Quicumque etiam hic vxorum vel liberorum suorum superbos ornatus videre gestiebant, ibi intuebuntur eorum supplicia. Quicumque hic sociorum & amasiarum suarum aspectum & præsentiam auidè quærebant, ibi detestabuntur & in liuorem tamen ac vulnus suum sustinere cogentur. Quicumque denique hic pauperes, afflictos, ægros, egrè aspiciebant, ibi longè tristiora videbunt.

C. II. Quid audient aures?

Secundò, quid audient ibi aures? Ægyptij in septima plaga audierunt tonitrua horrifica mixta cum fulguribus, discurrentibus super terram, & ingenti grandine. Talia audient & damnati; nam inprimis tonitruum & fulmẽ illud: *Discedite à me maledicti,* vsque ad extremum illum diem, & ab illo in omnẽ deinceps æternitatem semper in auribus eorum tonabit, *Tonabit enim Deus in voce suâ mirabiliter. Iob c.15.* Audient deinde terribiles Dæmonum voces, veluti omnis generis ferarum, rugitus, mugitus, boatus, vlulatus, clangores etiam tubarum horridos & clamores inconcinnos: cuiusmodi vocibus Dæmones sæpiùs infestabant viros sanctos. Quibus accedet tristissima illa Musica, damnatorum videlicet eiulatus, gemitus & lamenta, blasphemiæ, execrationes, &c. Vbi stridor dentium erit organum, fletus verò viuæ vocis Musica, strepitus catenarum, malleorum, flammarum, sonitus erit instrumentorum. O si vel parum admouere aures ad foramen aliquod inferni possemus & audire musicam illam! quantum inde fructum caperemus! Imaginemur saltem nobis funestos aliquos & terrificos sonitus, qui in mundo quandoque audiuntur. Quàm triste est audire tonitrua insolita? Lamenta & eiulatus eorum qui ob delicta sua viui exuruntur? Clamores acierum prælio decertantium? Narrat Plutarchus *in Syllâ*, quòd cùm is aliquando in templo coram senatu peroraret, foris interim ingentem stragem sex millium hominum fieri iusserit in vno circo conclusorum. Ex quâ tantus ferientium gladiorum strepitus & lamentantium hominum eiulatus audiebatur, vt Senatores omnes attoniti & pauidi vix in templo contineri possent, ne dum attendere ad perorantem, licet monerentur à Syllâ *ne* curarent ea, quæ foris agerentur. Quid igitur erit audire gemitus innumerabilium hominum in inferno, quando omnis generis tormenta deseuient in illos & nemo vnus erit, qui alteri condoleat aut opem ferre queat, sed ita in æternum omnes cruciabuntur? Huc accedent mutuæ accusationes & execrationes, quibus ipsimet reprobi in se mutuò detonabunt; siquidem vnus alteri causa damnationis fuit. Maledicent liberi parentibus, quòd nimium sibi indulserint, mala exempla dederint, iniusta bona reliquerint. Maledicent parentes liberis, quod nimium eos amauerint & ipsorum causâ mammonæ deseruierint. Cuiusmodi exemplum recenset S. Antoninus *4.p.sum t.14. c.15.§.3.* de patre & filio sibi mutuo in inferno maledicentibus ob iniustam hæreditatem. Ibi dicet socius ad socium: Pereat illa dies, in quâ te primùm vidi, quâ alloqui ac decipere aggressus sum: te enim in vitia & me in hæc supplicia simul præcipitaui. Cui respondebit alter: Pereat illa dies quæ te latronem ac carnificem animæ meæ obtulit & quâ tuis venenatis sermonibus ac consiliis aures præbui. Hæc illorum erit symphonia, hic concentus. Nimirum quia hîc aures oblectabant colloquiis & carminibus impudicis, profanis cantibus, detractionibus, &c. Idcircò ibi contraria debetur illis Musica; Vt ita iure queant dicere illud *Iob 30. Versa est in luctum cythara mea & organum meum in vocem flentium.*

D. III. Quid percipient nares?

Tertiò, Quid odoris percipient ibi nares? Ægyptiorum quinta plaga erat pestis animantium, ex quâ maximos fætor cadauerum vndique iacentium necessariò prouenire debuit. Sic etiam in inferno intolerabilis erit fœtor. Nam inprimis *de cadaueribus eorum ascendet fætor*, ait Isaias *c. 34.* Neque mirum hoc videri debet; si enim in viuentibus peccatoribus sancti aliqui fætorem perceperunt, vti S. Brigitta vidua & S. Catharina Senensis, ita vt diutiùs cùm illis loqui & consistere non possent, vt est in vitâ earum: Et si Dominus damnatos ad iudicium sistendos vocauit hœdos *Matth. 25.*

quàm

quàm fætidum putatis erit stabulum illud tot hœdos in se claudens? Impius Antiochus ad extremum vermibus scatens ita fætebat, vt nō modò ipse iam fætorem suum ferre nō posset, sed eo etiam totum exercitum suum grauaret, vt habetur 2. *Mach.* 9. Mare mortuum, ob peccata Sodomę, quę in eo loco stetit, continuum fumum & sulphur quasi reliquias incendij illius exhalat, vt ait Philo, *l. de Abraham*; & secundùm Borchardum oculatum testem, adeò tetrum vaporem fumat vt vicina ad mediam diætam sterilia reddat, ita vt ne germen quidem producant. Iam si vnius peccatoris fætor totum exercitum grauauit: Et si locus ille, in quo dudum habitarunt malitiosi, in hodiernum vsque fætet: qualis erit ille fætor, qui ex ipsismet damnatorum penè innumerabilium cadaueribus perpetuò ascendet? Quanta foret pœna, alligari fætido cadaueri, donec mortui fætore viuus conficeretur, quod Macrinum Imper. fecisse refert Fulgosus, *l.* 9. Sed quemadmodum ignis noster respectu ignis tartarei, pictus tantùm ignis est, vt ait S. Polycarpus presbyter in vitâ S. Sebastiani: Sic fætor etiam ille pictus tantùm censeri debet, si cum tartareo comparetur, vbi colluuies est innumerabilium cadauerum, & vbi post iudicium & mundi purgationem confluet fæx omnium elementorum & totius mundi, vt vult S. Basilius. Adhæc suffitum etiam suum proferent cacodæmones, qui nunquam ferè hîc apparent aut disparent sine ingenti fætore, qui non modò naribus, sed quandoque etiam vestibus multo adhæret tempore, vti cuidam Adamo Monacho contigisse scribit Gaguinus *in hist. Franc.* Et quem, quæso, hirci illi putidissimi fætorem exhibebunt in patriâ sua, si talem secum ad exteras ferunt nationes? Hic nimirum odor debetur illis delicatulis, qui delibutis incedunt vestibus, qui flores gestant in auribus & ramos applicant naribus etiam in templo, vti vidit facientes Ezechiel *c.* 8. & minùs gratum odorem ægrorum & pauperum auersantur; interim verò fætorem peccati & fætidissimam libidinem nequaquam auersantur, sed Sodomam è corpore suo faciunt: Illis, inquam, *erit pro suaui odore fetor*, vt prædicit illis Isaias *c.* 3. Qui si saperent, deberent modò ex fætore illo tartareo conficere sibi nodum odoriferum, (ein Bisamknopff) & illum sæpe sæpius applicare naribus suis, vt illius consideratione virtutem amplecti & peccata vitare discerent, sicque æternum illum fætorem possent declinare.

P. IV. Quid gustabit lingua? QVARTÒ, Quid gustabit ibi lingua? Ægyptiorum sanè prima plaga erat, cōuersio aquarum in sanguinem, ita vt aquæ potabiles non essent: idque meritò fecit Deus Ægyptiis, quia etiam ipsi sanguine infantium Hebręorum infecerant sua flumina submergendo eos. Ergò damnati pascentur primò fame & siti; sic enim testatur Dauid *Ps.* 58. dicens: *Famem patientur vt canes & circuibunt ciuitatem.* Et Isaias *c.* 65. *Hæc dicit Dominus Deus*, inquit: *Ecce serui mei comedent & vos esurietis, serui mei bibent & vos sitietis*. Idque demonstrauit Dominus in Epulone, qui nec guttam quidem aquæ, quam petebat, potuit obtinere. Non petierat ille vas integrū: nec vt Lazarus totum intingeret digitum; Sed extremum tantùm digiti: non vt sitim extingueret, sed vt linguam solùm eius refrigeraret: id tamen non obtinuit. O sitim inauditam! O terram aridam & maledictam! Quis nescit fame perurgente homines fætidissima quæque comedere, fimum, liberos proprios, imò propria membra? Sitis adhuc intolerabilior putatur. Quid erit igitur æternum sitire & esurire? Sed nimirum quia hîc nimio se cibo potuque ingurgitabant & *potentes erant ad bibendum vinum*, ibi carebunt, & potentes erunt ad famem tolerandam ac sitim: Quique hîc præscriptis diebus ieiunare & abstinere non poterant, nec sobriè è conuiuiis surgere, ibi longam agent quadragesimam & sedebunt ad mensam vacuam in omnem æternitatem. Quid enim aliud est, quod prædixit illis Dominus *Luc.* 6. *Væ vobis, qui saturati estis; quia esurietis?* Quid aliud, quod Abraham ad Epulonem: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ?* q.d. quia quotidie splendidè epulatus es, nunc carere debes.

Ne tamen omni prorsus cibo potuque destituendos esse putemus, exponit nobis Moyses, quis eorum cibus & potus futurus sit, *Deut.* 32. *Vua eorum vua fellis*, inquit, *& botri amarissimi. Fel Draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile.* Et Dauid *Ps.* 10. *Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Hic nimirum potus propinabitur illis à Dæmonibus; cùm enim hîc multiplici concupiscentiæ siti perpetuò laborent reprobi, tali replebuntur ibi potu, qualem hîc sitiebant. Sitiunt hîc vinum? ibi fel Draconum vinum eorum: Sitiunt hîc aurum? ibi aurum liquefactum infundetur in os eorum. Sitiunt hîc sanguinem & cladem proximorum: inebriabuntur ibi sanguine. Ita legimus de Constante Imp. cui frater Theodosius Diaconus, ab eo interfectus, adhuc viuenti poculum plenum sanguine, habitu Diaconi sæpius apparens, porrigere visus est & dicere. *Bibe frater*: sicque eum fugientem & loca mutantem maioribus insequi clamoribus, vt refert Theophan. apud Baron. anno 659. Quàm præstat igitur hîc sitim perdomare, præsertim concupiscentiæ, quàm tam caro pretio eam explere, & per illam emere sitim sempiternam? Desiderant alij carnes etiam diebus vetitis? dabit illis Deus, quomodo olim Hebræis, *vt exeant per nares eorum* & vertantur illis in nauseam.

QVINTÒ, Quid sentiet ibi tactus? Ægyptij sanè in eo puniti sunt, dum sparso in altum cinere facta sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus & iumentis, quæ vehementer cruciabant eos & hoc pro sextâ plagâ, eaque iustissima, quoniam & ipsi Iudæorum dorsa flagellis exulcerabant. Similiter in damnatis tactus, per quem tot flagitia & stupra, tot adulteria, tot sacrilegia committuntur, vehementissimè torquebitur. Igne inprimis sæuissimo, P. V. Quid sentiet tactus?

cuius respectu ignis noster pictus est, vt suprà ex Polycarpo diximus. Talibus nimirum labris tales debentur labruscæ, vehementissimo peccandi instrumento vehementissimum supplicium, quale est ignis. Qui dormiunt io lectis eburneis & æstu libidinis ardent, eumque in semetipsis variis mediis vltrò accendunt: an non merentur, vt in inferno quoque ardeant igne illo, qui semper accenditur & nunquam extinguitur? sed ô crudelem lectum! quanta vlcera, quot vesicas toto corpore excipient, qui in lecto illo iacent? crudelis quidem lectus fuit Martyris Laurentij, cùm in craticula vreretur & subinde verteretur. Sed quàm suauis erat, si cum isto comparetur? siquis cum Beryllo in tauro æneo torreretur, nónne crudele spectaculum foret? sed exiguum tamen est illud, si cum igne deuorante & æterno comparetur. Neque caret lectus ille plumis suis, quæ sunt tineæ & vermes. Sic enim *Iudith cap. 16.* dicitur: *Dominus vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos, dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant in sempiternum.* Sic etiam *Isa. 14.* dicitur: *subter te sternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Et quomodo has plumas ferent, qui ne pulicem quidem vnum aut leuiusculum frigus ferre in templo possunt? Cogitatio ista vnica cōnertit studiosum quemdam Bononiæ, cuius conterraneus quidam ordinis Prædicatorum, cùm ei ex pacto plura quàm duo spiritualia verba dicere non auderet, dixit ei sententiam illam Isaiæ: *Subter te sternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Quæ in animo studiosi tam altè infixa fuit, vt semper ei obuersaretur, vbicumque tandem esset, tametsi eam variis ludis aliisque solatiis eludere & abstergere conabatur. Quare tandem apud se expendens, qualis futura esset ipsa vermium pœna, si eius cogitatio tam erat intolerabilis, manus dedit & sæculo renuntians religionem ingressus est, vt refert S. Antoninus, *4. p sum. t. 14. cap. 5.* § 3. His adnectamus quod refert Ludouicus Granatensis vir pietate & eruditione insignis *l. 1. memorialis cap. 1.* à viro quodam visam in spiritu pœnam hominis mundani & carnalis hoc modo: *Primò, vidit dæmones animam eius iam defuncti rapere & ad Principem tenebrarum adducere, qui in ignea sella prædam suam expectabat, cui iam præsentata dicebat: Volo te magnifice hoc sedili honorare, postquam in magno honore apud homines fuisti & semper gloriam ambiuisti. Qua mox funestum hunc honorem lamentabili voce desleuit. Tum alij dæmones aderant offerentes ei poculum amarissimo & fœtidissimo potu plenum & cogebant eum bibere dicentes: Ita decet. Fuisti enim amicus nobilissimorum vinorum proba nunc vinum illud, quod nos bibimus in hac regione. Hos secuti alij duo, qui duas tubas igne plenas inflabant in aures eius, vociferantes: Hunc concentum tibi praparamus, sicubamus enim te, cùm viueres, harmoniarum amatorem; post hos alij duo in pectus illius viperas inijciebant, dicentes: Quia fuisti appetitor amplexuum & osculorum impudicorum, hu nunc voluptatibus te oblecta: hu fruere istarum loco, quas in mundo habuisti.* Nimirum ita scripsit Isaias c. 27. *In mensura contra mensuram iudicabit eam;* quia iuxta proportionem & qualitatem peccati, recipiet quisque pœnam. Quod huic viro ostensum est, ad nostram instructionem ostensum est, &c.

CONCIO VII.

Quomodo in inferno torquendæ vires animæ.

Non solùm in inferno torquendi sensus exteriores, sed etiam interiores: ac
1. *Intellectus cum verme conscientia bellū geret.*
2. *Memoria recognabit annos præteritos in amaritudine.*
3. *Voluntas cruciabitur inuidiā quam de Dei & Sanctorum gloria concipiet.*
4. *Phantasia cruciabitur appreh ensione tormentorum in quibus homo erit.*
5. *Reliqua vires & membra omnibus cruciatibus erunt obnoxia.*

THEMA.

Ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 8.

A. Mandauit olim Deus Prophetę Ieremię, *Ier. c. 35.* vt tolleret volumen libri & in eo scriberet minas & calamitates omnes, quas locutus erat aduersum Israel & Iuda, & aduersum omnes gentes, à die quā locutus erat ad Prophetam, legeretque omnia quæ scripsisset, audiente populo & coram vniuerso Iuda qui veniebant de ciuitatibus, si fortè reuerteretur vnusquisque de via sua pessima & Deus iram suam super illos contineret, quam in eos effundere decreuerat. Quod cùm fecisset Propheta, minasque diuinas coram omni populo Principibusque legisset, *obstupuerunt vnusquisque ad proximum suum,* ait Scriptura, & quasi attoniti se mutuò intuentes toto corpore contremuerunt. Quo eodem remedio vsus est Deus per Ioannem *Luc. 3.* qui cùm prædicaret arborem infrugiferam excindendam & in ignem mittendam, & quod alius se fortior venisset, cuius ventilabrum in manu eius, qui paleas combusturus esset igni inextinguibili: venerunt ad Ioannem pœnitentes & confitentes peccata sua ac dicentes: *Quid faciemus nos?* Eiusmodi etiā legatione fungor hodie indignus ex mandato Dei, vt videlicet vobis, Auditores, annuntiem iram Dei scriptam contra peccatores; scriptam, inquam, in hodierno Euangelio illis verbis: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Vtinam igitur similes haberem Auditores, quales nacti sunt Ieremias & Ioannes.

Vidimus suprà 5. sensuum pœnas iuxta Ægyptiorum plagas. Nunc ad vires animæ progrediamur. Et quid aget ibi intelligētia? Cum verme conscientiæ perpetuum bellum geret. Nam vt vermis è ligno nascitur & ipsum lignū perpetuò rodit: Sic vermis iste è peccato oritur & contra peccatum deinde perpetuum bellum gerit. De hoc Isaias c. 66. & Christus *Marc. 9.* ait: *Vermis eorum nō moritur & ignis non extinguetur.* Nihil verò aliud est nisi perpetuus accusator & vindex hominis, statuens illi ante faciem præterita peccata & redarguens eum B. I. Quid aget ibi intellectus?

eum iusteque condemnans imò & carnificis instar torquens dolore & pœnitentiâ, rabie & desperatione plenus. Quamobrem de damnatis dixit Ioannes *Apoc.* 16. *Commanducauerunt linguas suas præ dolore.* Ibi dicet tibi conscientia, quod, vt ait Climacbus, *plus tymueris cauem, quàm Deum: quoniam ne canis te latratu panderet, crimina quadam om fisti, qua ex timore diuini iudicij non vitasses.* Item quanta bona perdideris & in quanta mala deueneris, vt Antiochus. 1. *Mach. c.* 6. Ibi obiiciet tibi conscientia, quod absque dubio obiiciebat Ægyptus, qui non credentes prædictioni Iosephi, post annos 7. fertilitatis, inciderunt in annos sterilitatis & simul in extremam inopiam, ita vt non pecora modò, sed etiam seipsos vendere pro frumento cogerentur: Eheu miseri nos! quis adeò nos fascinauit, vt non crederemus bene monenti & prouideremus nobis de frugibus bonorum operum, de remediis sacramentorum, cùm tam facilè possemus & copia nobis esset? Nunc anni sterilitatis sunt, in quibus nec serere licet nec metere. O anni mali & maledicti! Dicent etiam: Quòd si inter Ethnicos fuissem & non credidissem aliam nobis sortem esse præter nasci & mori, essem fortassis excusandus & dicere possem: Nesciebam hæc mihi euentura. Sed viuens inter Christianos Christianus ipse & credens horam hanc venturam tempusque illud, toties mihi prædictum, vidés insuper multos admonitionibus illis permotos, toto vitæ tempore sese in hanc horam præparasse, sibique comparasse ea, quæ ad futuram vitam erant necessaria, quâ suâ diligentiâ magis confirmabant ea, quæ mihi in Ecclesiâ prædicabantur: nihilominus ad hæc omnia obsurdui, volens sine omni molestia assumi ad cœlum; quid aliud commerui, nisi quod patior? O furiæ infernales lacerate & laniate viscera mea: id enim ego meritus sum &c. Ibi ostendetur tibi altera peccati facies, quæ est abominatio, quam tu hic aspicere nolebas: Sed priorem tantùm, quæ est delectatio, intuebaris, & tunc incipies dicere: O monstrum, O terror! Si priùs te ita vidissem, teruncio non emissem. Congrega ergò tibi cum formicâ tempore æstatis, *antequam appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent*, vt ait Ecclesiasticus *c. vlt.* contemplare hîc peccatum à facie posteriori vt ne debeas ibi. Designata fuit hæc pœna per ranarum plagam ordine secundam, quæ sicut clamore suo turbant quietem dormientium: Sic vermis conscientiæ damnatos semper infestabit. De illis dixit Ioannes Apoc. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec requiem habent die ac nocte, qui adorauerunt bestiam.* Quiescunt & tacent interdiu ranæ, vt etiam vermis conscientiæ in viuentibus subinde, cùm scilicet rebus aliis occupantur: Sed ibi numquam tacebit, quia apud inferos nulla somni quies, nulla lectio vel operatio aderit.

C. II. Quid memoria? SECVNDÒ, Quid aget ibi memoria? Recogitabit annos præteritos in amaritudine animæ suę, sed sine omni fructu, ad maiorem suam pœnam. Cùm Sesostres Ægypti rex, vt scribit Nicephorus. *l.* 18. *c.* 39. à quatuor regibus sibi subiugatis trahi se in curru velut à quatuor equis faceret, eorum vnus sæpe retrospiciens, rotam intuebatur. Causam cur ita respectaret cùm sciscitaretur Sesostres, respondit ille: *Intuens rota volubilitatem, cum superi eam admiror, q. á summa citò fiunt ima, & cogito fortuna instabilitatem.* Hanc eandem rotam contemplabitur memoria damnatorum, quando videlicet paulò antè summi in mundo erant, diuitiis & voluptatibus affluebant, nunc verò ad ima depressi, ad extremam item inopiam & angustiam redacti sunt. Vehementer affligebat Hebræos memoria ciborum, quibus in Ægypto vescebantur, constitutos in solitudine, vnde dicebant: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones,* &c. Num. 11. Quanta igitur tristitia inuoluet condemnatos, cùm in mentem eis venient præteritæ voluptates, quæ tantum abest, vt delectent eos, vt magis etiam torqueant, tanquam damnationis suæ causæ? Tunc enim tandem intelligent, quàm acri pipere conditæ fuerint epulæ illæ, quæ tam dulces eis videbantur. Magna pars infœlicitatis est fuisse aliquando fœlicem. Quantâ enim miseriam fuisse putamus Henrici quarti Imp. quando imperio exutus & à proprio filio eiectus ad tantam deuenit desolationem, vt nec beneficium aliquod Ecclesiasticum ad sustentandam vitam obtinere posset, vnde suspirans cum lachrymis exclamasse fertur: *Miseremini mei saltem vos amici mei.* Ziegl. *de viris illustribus Germ. c.* 39. sed nihil hoc ad miseriam damnatorum, vt apparet in Epulone, qui priùs epulabatur quotidiè splendidè, postea à Lazaro guttam aquæ mendicabat, & non obtinebat. Quàm enim vulneratam fuisse putamus illius animam, cùm audiit ab Abrahamo: *Fili recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ?* Quid enim iuuat recepisse, si postea egebat? An non satius fuisset, nihil vnquam solatij in mundo habuisse? Pœnæ illius typus fuit mors primogenitorum, in ordine postrema. Nam præteritarum deliciarum memoria, quid nisi mors primogenitorum, velut Charissimorum?

D. III. Quid voluntas? TERTIÒ, Quomodo porrò voluntas ibi se habebit? Cruciabitur rabidâ quadam inuidiâ, quam de ipsius Dei & omnium sanctorum gloriâ concipiet. Et huc referri potest stridor dentium, quomodo Iudæi stridebant dentibus in S. Stephanum *Act.* 7. & *Psal.* 111. dicitur: *Peccator videbit & irascitur, dentibus suis fremet & tabescet.* Frement damnati primò contra Deum, quem norunt numquam sibi reconciliandum, sed semper fore inimicum & vindicem inflexibilem & inexorabilem. Idcircò de illis Ioannes dixit *Apoc.* 16. *Blasphemauerunt Deũ cœli præ doloribus & vulneribus suis.* Blasphemarunt verò Dei potentiam quòd crearit illos. Eius iustitiam, quòd ita puniat. Eius sapientiam, quòd scelera eorum viderit & nunc intueatur supplicia. Eius bonitatem, quod alios prædestinauerit ad vitam, ipsos verò

verò in peccatorum sordibus reliquerit & beneficia eis præstita nunc maioris supplicij causa sint. Frement deinde in sanctos, cùm videbunt se cœlo excidisse, & alios loca eorum occupasse, cùm videbunt indoctos rapuisse cœlum; & præcedere se meretrices & publicanos; cùm videbunt eos quos oderant, in cœlo exaltatos: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*, &c. Ex quâ inuidiâ putat Chrysologus *ser. 122.* Epulonem petijsse vt Lazarus ad eum mitteretur, de gremio scilicet Abrahæ ad infernum, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentum & stridorem de sanctâ quiete, vt ait ipse, quia scilicet ei quem oderat tantam gloriam inuidebat. Frement etiam in seipsos & omnia membra ac potentias suas quibus pœnam sibi mercati sunt. Frement denique in eos qui sibi ad damnationem fuerunt adiumento. Et hoc erit eorum Matutinum & Completorium. Quam pœnam designant locustæ illæ, quæ octaua Ægypti plagâ omnium plantarum virorem depastæ sunt, id quod inuidia etiam facit.

F. IV. Quid phantasia? QVARTÒ, Quid Phantasia? Cruciabitur vehementissimâ apprehensione eorum tormentorum, in quibus homo erit. Computabunt enim præsentes pœnas cum præteritis voluptatibus; dicentque: Quid nobis mundus offerebat, vt tam terribilem Deum prouocare ad iracundiam auderemus? Quomodo tam cæci fuimus vt pro mudico lucro, pro fœdâ voluptate, pro exili honore, tam grandes mercaremur pœnas? Sed & si regna & imperia cũ omnibus diuitiis & delectationibus obtulisset, quid erant illa omnia vt cum his pœnis conferrentur? Cùm igitur non regna, non imperia, sed vmbram tantùm amarissimam voluptatis nobis obtulerit & verè fumum vendiderit, quis ita crudeliter nos fascinauit, vt in hæc tempora non respiceremus? Cõputabunt etiam æternitatem gehennæ, cum breuitate voluptatum, dicentque: *Quid nobis profuit superbia aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam nuntius præcurrens & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam*, &c. vti ratiocinantur Sapientiæ *cap. 5.* Quid verò est æternitas pœnarum nostratum? Quis tam peritus Arithmetiens inueniri queat, vt nobis metiatur, quanto spatio tempus ab æternitate superetur? O æternitas, æternitas! quamdiu iam durasti? quamdiu adhuc durabis? an non tandem aliquando finem & tu accipies? Hoccine saxum Sisyphi semper nos voluemus & relapsum reuoluemus? & iterum reuoluemus? & in æternum reuoluemus?

Computabunt etiam laborem pœnitentiæ præsentis vitæ, quo vitam sibi parare & gehennam euadere poterant, cum gehennæ pœnis dicentque: Heu miseros nos, quàm vili pretio redimere has pœnas poteramus, quibus vltrò regnum cœlorum offerebatur & gratis donabatur, quin etiam obsecratum est vt illud acciperemus & respuimus! Si vel extremâ horâ ingemuissemus super erratis nostris condonata omnia fuissent. Quid magnum erat ingemiscere & dolere de peccatis? quid magnum confiteri? quid magnum deserere voluptates, quæ modò nos ipsæ deserunt? In promptu erant Confessarij, in promptu Sacramenta, in promptu Dei gratia, in promptu Christus ipse in medio nostrûm habitans: Præ foribus erant pauperes, à quibus regnum cœlorum facillimè poteramus mercari, si quidem poculum aquæ frigidæ mercedem habuisset. Nunc omnis occasio calua est, & imposterum perpetuò ieiunabimus, perpetuò cruciabimur. O tempus illud aureum, ô dies illos nobiles, qui quidem iam transierunt, nec ampliùs reuertentur! Comparabunt viam peccatorum laboriosissimam, cum viâ facili iustorum & dicent: *Lassati sumus in viâ iniquitatis, ambulauimus vias difficiles. Sap. 5.* Istas cogitationes designant illi cyniphes seu culices, qui in tertiâ Ægyptionum plagâ aculeatis stimulis corpora terebrabant & in oculos hominum inuolabant. Quid enim acutiùs terebrare potest animum damnatorum, quàm tales cogitationes? Cogitationes Balthasaris conturbabant eum vt genua eius colliderentur, dum aspiceret manum in pariete scribentem ei excidium. Sed quantò grauior est scriptura illa inferni: *Amen dico tibi, non exies hinc, donec soluas nouissimum quadrantem*: tantò terribiliores etiam erunt cogitationes damnatorum.

F. V. Quid reliquæ vires & membra. QVINTÒ, Quid reliquis membris accidet? Cruciatus omnis generis; Sicut Iob dixit *cap. 20. Omnis dolor irruet super eum.* & Moyses *Deut. 32. Congregabo super eos mala & sagittas meas cõplebo in eis.* Erit igitur homo tunc scopus omnium sagittarum Dei. Quando hîc in vitâ sagittas emittit Deus, vnam aut alteram mittit velut vnum aut alterum morbum, vnum aut alterum membrum affligit, vnum aut alterum bonum aufert: Sed non omnes simul emittit, non omnia bona aufert, non omnes dolores infert. At ibi simul omnes eiaculabitur. Iam si vno dentium dolore angeris vt huc illuc currens somnum non capias, cibus desipiat, &c. cum tam multas interim habeas consolationes & leuamenta: quid erit omnes dolores simul perferre in æternum? Et iustè hoc, quia qui in omnibus membris contra Deum pugnarunt, in omnibus punientur membris. Docent hoc plurima diuinæ vindictæ exempla. Pharao in mari rubro periit, quoniam & ipse flumina sua sanguine infantium Hebræorum tinxit. Sodoma & Gomorrha igne perierunt, quia igne libidinis arserant. Datã & Abiron disruptione terræ absorpti sunt, quia & ipsi diuisionis & schismatis auctores erant. Murmuratores à serpentibus icti sunt, quia & ipsi linguam contra Moysen exercuerant. Diluuij aquis suffocati sunt, qui potu satiari non poterant & cibo. Iudæi quomodo Christum crucifixêre & emêre, sic & ipti crucifixi & venditi sunt. Ægyptij fuerunt puniti per bruta animalia, per quæ & peccauerunt, ea adorãdo, vt Sap. 11. habetur; *quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, vt ibid. dicitur. Ibi ergò superbi

extremè humiliabuntur & omnibus erunt ludibrio, pleni confusione: Auari extremè egebunt: Guloti extremâ laborabunt siti & fame: Luxuriosi intolerabiles sentient morsus, puncturas, vstiones: Inuidi extremè tabescent: Iracundi crudeliter vapulabunt: Acediosi perpetuâ vexabuntur vigiliâ, &c.

Cùm ergò hæc, vt diximus, ita euentura sint damnatis, quis non sibi metuat & caueat? *Surdi audite*, ait Isaias c.42. *& cæci intuemini ad videndum.* Si non credas hæc, quomodo Christianus appellaberis? Si credas & non caueas, quomodo ratione præditus? Secundùm Aristotelem, sola quidem imaginatio timorem generare nequit; sola tamen opinio potest. Quare si hæc opinionem tantùm haberent, metuenda tamen forent: quantò magis cùm diuinâ scripturâ comprobentur, de quâ iota vnum aut vnus apex non præteribit, donec omnia fiant? siquis sibi imaginetur, se in latrones incidisse, vel in foueam serpentum, &c. non sufficit hoc ad timorem excitandum: sed homicida meritò timet v. g. quia probabiliter scit sibi insidias poni. Quoniam ergò conscij nobis sumus multorum peccatorum & nostræ duritiæ ac impœnitentiæ, quomodo non perpetuò timemus?

CONCIO VIII.

Præscripta ducum militarium.

Sedulus & prudens Dux	6. *Sibi supremis imperat ne per iram quid præcipiat.*
1. *Adest exercitui.*	7. *Non patitur facinorosos.*
2. *Delectum habet militum.*	8. *Conseruat disciplinam.*
3. *Præparat milites ad pugnam per pœnitentiam.*	9. *Militibus sua stipendia numerat.*
4. *Animat milites ad pugnam.*	10. *Victoriam Deo adscribit.*
5. *A Dei inuocatione pugnam inchoat.*	

THEMA.

Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, &c. Matth. 8.

A. Videmus, Auditores, in hodierno Euangelio, quàntum in bono Duce situm sit. Eccur enim, putatis, hic Centurio tam obsequentes milites habuit, vt ad nutum ei parerent: nisi quia ipse egregius Capitaneus fuit, virtutis & Dei cultûs amans, suæ conditionis & officij memor? Inde enim illa eius verba: *nam & ego homo sum sub potestate constitutus*, &c. Hinc Cimon Lycaonensium Dux dicebat: *malle se exercitum Ceruorum cum Duce Leone, quàm exercitum Leonum cum Duce Ceruo.* Hinc olim in Palæstinâ sicut omnes Reges vocabantur Abimelech, id est, pater meus Rex: ita omnes militum Duces vocabantur Phicol, id est, omnis facies, vel omne os, vt ex *Gen.* 21. *& 26.* colligit Cornelius à Lapide ibid. vt indicaretur, quòd belli Dux omnium militum facies, omnium os quodammodo esse debeat: ita vt omnium ora & oculi in ipsum sint conuersi, ipseque omnium instar sit, omnes exemplo suo velut facies præcedat.

Quando ergò in Duce exercitus tantum est positum, proinamus quæ ad huius institutionem veramque laudem spectant. Huius enim faciem si lauerimus nitidamque effecerimus, omnium militum facies lotas esse credemus. B. I. Adest exercitui.

PRIMÒ, Sedulus & prudēs Dux adest exercitui suo. Hinc enim Chiliarchæ cæterique longè vigilantiùs in officio sunt, & milites animosiùs in hostem irruunt, eo spectante, pro quo decertant vel à quo virtutis laudem expectant & præmium. Hinc Macedones cùm contra Illyricos & Thraces infeliciùs pugnarent, sese colligentes, iudicarunt causam esse, quia Regem non haberent, vtpote qui non ita pridem mortuus esset & filium tantùm paruulum reliquisset. Itaque infantem regium adhuc in cunis iacentem ante aciem suam posuerunt, indeque eius præsentiâ roborati, hostes debellarunt. Iust. lib.7. Carolus V. & VI. Franciæ Reges vix vnquam de Anglo triumpharunt, cum quo per suos tantùm bella gerebant. At Carolus VII. contrà semper præsens, intra annum eripuit ei Normandiam totam, vastissimam prouinciam. Chauass. *de prudent. l.* 2. *cap.* 8. Tanti est Regis vel Ducis præsentia in bello.

SECVNDÒ, In legendis militibus delectum habet. Carolus V. in comparando exercitu dicebat se caput sumere ab Italis, brachia ab Hispanis, pectus à Germanis, ventrem & pedes à reliqua gentium turbâ. Itali enim solertes sunt & vigiles atque industrij, proinde boni Duces. Hispani fortes; Germani animosi. Deinde aduertit vt Catholicos potiùs milites habeat, quàm hæresi infectos. Quis enim non multò plus fidat iis, qui fidem Deo integram seruant, quàm aliis? C. II. Delectū habet militum.

TERTIÒ, Ad pugnam præparat milites per pœnitentiā & confessionem, si illi iam fideles sint: vel per sacrum baptisma, si adhuc infideles; quomodo scilicet Gedeon Dei iussu duxit milites suos ad aquas, & aquarum haustu probauit, quinam essent ad militiam idonei, *Iudic.* 7. Nihil dubium, quin multò alacriùs pugnaturi sint expiati, quàm sceleribus obnoxij: qui pacatæ sunt conscientiæ, quàm qui perturbatæ & timidæ, cuius reatu metuunt vtique mortem & post hunc Iudicium & gehennam. D. III. Præparat milites ad pugnam.

QVARTÒ, Instante pugnâ animat suos propositâ causæ æquitate & cælestis præmij magnitudine, vti fecit Machabæus, 1. *Mach.* 2. *& 3.* *O filij*, inquit, *æmulatores estote legis & date animas vestras pro testamento Patrum*, &c. Monet etiam ne terreantur hostium minis & clamoribus; si quidem hi vaidiores non reddunt hostes, & plerumque canes timidiusculi plus latrant, quàm mordent. Ludouicus VII. Galliæ Rex bellum Venetis inferens, extollente quodam Venetorum prudentiam: *Ego verò*, inquit, *illis tot stultos opponam, vt quid se vetant sint ignorantes.* Correzet. de dict. & fact. mem. E. IV. Animat ad pugnā milites.

QVINTÒ, A numinis inuocatione & oratione F. V. A Dei inuocatione pugnam inchoat.

ne pugnam incipit; vti fecit Iosue. *c.* 10. 23. 24. Iudæi. 1. *Reg.* 7. Dauid 1. *Reg.* 23. 2. *Reg.* 5. 1. *Par.* 14. Constantinus M. in bello Persico tabernaculum fixit, instar templi exædificatum, in quo sacra peragebantur. Cuiuis etiam legioni templum mobile erat, ad eumdem finem. Ambos Theodosios Impp. plures victorias obtinuisse precibus quàm armis, compertum est apud Historicos. Senior ille Theodosius *circuibat ante pugnam cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus & auxilium sibi fidâ sanctorum intercessione poscebat*, inquit Rufinus l. 2. c. 32. Similiter Heraclius præuiâ oratione præclaram de Persis victoriam obtinuit.

G. VI. Sibi primò imperat.

SEXTÒ, Sibi inprimis imperat, ne per iram quid præcipitet. Demonax rogatus à Duce, quâ ratione optimè præesset exercitui, respondit: *Si iracundiâ vacaris: si cogites non hominis, sed vitio irascendum: si instar Medici ægroto non indigneris, sed placidè ei morbum animi cures.*

Rursum ne in victu & vestitu exorbitet, aut voluptatibus indulgeat: hæ enim exhauriunt vires & exercitum hosti produnt. Rudolphus Austriacus Imp. contra Ottocarum Bohemiæ regem mouens, cùm graui commeatûs, potûs præsertim defectu laboraret, hydriam aquæ colono, qui eam messoribus tulerat, ablatam, sibique oblatam, noluit acceptare, dicens se exercitui sitiuisse. Idem posteà victum Ottocarum excepturus fidemque ab eo accepturus, monitus se regio cultu trabeaque adornaret, eò quòd; Bohemus se splendidâ veste foret, exhibiturus, renidens: *Absit*, inquit, *Rex Bohemiæ, toties meam gryseam togam explosit, nunc illa ipsummet explodet: Vos commilitones vt ad pugnam state. Decus Teutonicorum armorum, non vestium, aduenis istis ostendite.* Lipsius *Monit. Polit.* l. 2. c. 17. Æneas Sylu. *lib.* 3. *de rebus Alph.*

Denique ne cupiditate victus bellum protrahat, cùm citò absoluere & conficere potest: ne miseros subditos, pondus eius sustinentes & clamantes in cœlum ob procrastinationem lento adurat igne. Pari passu ambulant & in eadem damnatione sunt Iudex, Medicus & belli Dux, si primus causarum forensium decisionem, secundus infirmorum curationem, tertius belli tam multos prementis & ad desperationem penè redigentis, finem producat æquo longiùs; tenenturque omnes ad reparationem superfluorum sumptuum. Imò tertij tantò maior culpa est, quantò plures grauantur eius oscitantiâ & neglectu. Maximam laudem promeruit Q. Cincinnas quòd ab aratro ad belli Romani vocatus administrationem, intra dies plus minus 15. rem totam perfecerit, hostes profligauerit, vrbi pacem attulerit, & ad stiuam, quam reliquerat, redierit. Chauass. *l. 2 de Prud. c.* 8.

H. VII. Non patitur facinorosos.

SEPTIMÀ, Non patitur in exercitu facinorosos. Scimus enim quid acciderit exercitui Hebræorum, quando ex eo vnus Achan furti & Anathematis se reum fecit. Hinc enim cæsi Israelitæ & fugati sunt ab hostibus, priùs inuicti & terror hostium. Vnde Dominus *Iof.* 7. dixit: *Non poterit Israel stare ante hostes suos, quia pollutum est anathemate. Non ero vltrà vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Et 2. *Par.* 25. dicitur regi Amasiæ: *O Rex ne egrediatur tecum exercitus Israel, non est enim Dominus cum Israel & cunctis filijs Ephraim. Quod si putas in robore exercitus bella consistere: superari te faciet Deus ab hostibus.* Armauerat is se ingenti exercitu: & tamen audit, nihil se posse contra hostem, propter militum peccata. *Non enim debent*, inquit Constantinus Magnus apud Euseb. l. 4. *de vitâ Constantini, c.* 19. *milites in armis aut viribus corporum spem ponere, sed vniuersitatis Deum rerum omnium bonorum & ipsius victoria auctorem agnoscere.* Iouianus, cùm post Iuliani Apostatæ interitum Imperator eligeretur: *Non possum*, inquit, *regere Iuliani exercitum, qui tam pestiferâ doctrinâ est imbutus: talis enim à Deo destitutus, facilè ab hostibus superabitur.* Quibus auditis milites vno ore conclamarunt: *ne dubita, Christianis hominibus & in verâ pietate educatis imperabis.* Theodor. *l.* 4. *c.* 1. VVamba rex Hispaniarum militibus adulteris virilia amputauit, dicens: *Ecce nunc iudicium imminet belli: & licet fornicari vt Deus ad iracundiam prouocetur?* Dicebat etiam: *Frustra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum.* Bar. anno 674. Audiamus & Mauri à fide alieni exemplum memorabile. Cabones Dux Maurorum circa Tripolim, postquam VVandalos bellum aduersus se mouere audiuit, primùm subditis suis præcepit, vt ab omni iniquitate & cibo, qui ad delicias faceret, abstinerent, omniumque maximè à mulierum consuetudine. Et binis castris positis, in alteris quidem ipse cum viris inarmis fuit, in alteris mulieres inclusit, mortis supplicium minatus, si quis fœminarum vallum ingressus esset. Deinde exploratores Carthaginem misit, cum mandatis, si quid impij à VVandalis in Christianorum templis perpetrari viderent, vt illi spectarent, & pòstea cùm VVandali discessissent, illud restituerent: ac subiecit se quidem Deum, quem Christiani colerent, ignorare: consentaneum verò sibi videri, siquidem (quod diceretur) fortis potensque esset, vt contemptores sui numinis puniret, cultores tueretur. Exploratores postquam venerunt Carthaginem, viderunt belli apparatum ingentem. Deinde secuti exercitum, in Christianorum templa equos & iumenta introduci, lasciuiam & libidinem exerceri, sacerdotes plagis affici & alia multa impia & horrenda à VVandalis fieri spectarunt. Illi post eorum discessum templa repurgarunt, sacerdotes coluerunt, & eleemosynas in pauperes largè distribuerunt. Tandem facto conflictu, VVandali ad vnum omnes sunt trucidati, & Mauri victoriam reportarunt. Ita Euagrius *lib.* 4. *cap.* 15. & Nicephorus *l.* 17. *cap.* 11.

OCTAVÒ, Accuratam seruat disciplinam, præsertim ne in prædas se effundant milites contra fas & æquum. Hinc enim sæpius contigit vt victores dum improuidè sectatentur prædas, præda fierent victis. Belisarius Dux Constantinopoli missus in Italiam cum I. VIII. Conseruat disciplinam.

exer-

exercitu ab Imp. Iustiniano,ita suorum manus continuit à rapinis, vt cùm iter faceret, nemo ad decerpendos fructus,qui in viam ab arboribus pendebant,manum extenderit,vel in opacum locum pabulatum aut frumentatum iuerit. Procopius apud Fulg. l. 2. cap. 2. Scipio minor videns in castris multam licentiam, lasciuiam,superstitionē & luxum, Diuinos cum lenonibus protinus eiecit: quin & vasa omnia iussit amoueri, excepta ollâ, veru & poculo ligneo. Edixit vt milites stantes pranderent obsonium non igne coctum: cœnarent verò discumbentes, panem, aut pultem solam & carnes assas siue elixas. Ipse verò sago tectus obambulabat castra,dicens, se lugere exercitus dedecora Plut. *in apopht. Rom.*

Milites etiam suos non finit otio diffluere & contabescere. P. Nasica militi requiem nunquam dabat. In hybernis verò,vbi non pugnatur,classes ædificare milites cogebat,ne desidiâ corrumperentur. Pompeius semper cum alacribus militibus cursu,cum validis vecte, cum velocibus saltu certabat & cursu. Traianus suos milites quoties vacabant cursu, saltu, vsu natandi exercebat: studio cæsim punctimque feriendi,fundâ aliisque modis exagitabat.

IX. Militibus sua stipēdia numerat. Nonò,Militibus stipendia sua numerat,neque eos iniustè opprimit aut bonis exuit,vel oneribus & annonæ caritate premit. Pecunia belli & militum neruus est,& quemadmodum Medici negant homines ambulare sine neruis posse,ita nec bellum sine pecuniâ progredi potest. Vnde T. Flaminius Philopœmeni Achæorum prætori multis equitibus & grauis armaturæ viris instructo, pecuniæ autem inopi, dixit,manus enim & crura habere, sed ventre carere. Maiol. *to.3.coll* 2. Adhæc qui defraudat milites debito stipendio, & ipse sibi indelebilem auaritiæ notam inurit,& milites prædones efficit aut transfugas,denique ad restitutionem obligatur. Grauius adhuc delinquit, si ipsosmet milites peculiis suis spoliet. Cuius memorabile exemplum refert Cedrenus de Theophilo Imp. qui in huiusmodi spoliatorem animaduertit. Miles quidam manu promptus equum habuit egregium,qui ipsum sæpe incolumem ex acie extulerat. Huius equi amore captus Dux, sub quo is militabat, cùm neque pollicitationibus neque minis impetraret, hominem timiditatis accusatum apud Imp. exauctorat.Cùm autem Theophilus equū insigni virtute cuperet habere,& missis in omnes partes mandatis talem sibi quæri, atque adduci iuberet,eam nactus occasionem Dux iste, militi ei equum inuito adimit, & tanquam suum Imperatori mittit. Post cùm necessitas bellica plures milites requireret mandatoque Imp. omnes, qui arma ferre possent in exercitum allegerentur,ille etiam miles arma sumpsit, & in prælio fusis suis,quòd equum,à quo seruari consueuerat,non haberet, occubuit,vxore, & liberis relictis. Vidua amissi mariti desiderio accensa, & quòd necessaria pupillis subministrare nequibat, iustitiæ Imp. famâ instigante Constantinopolim venit. Theophilumque ad templum Blachernense equitantem de more conspicata mariti sui equo vehi,cōcitato cursu aggressa,frænum equi apprehendit,suum hunc esse vociferans: & non alium, sed ipsum Imp. cædi mariti sui causam præbuisse. Perterritus Imp. manere eam iubet dum in palatium ipse redeat:ac reuersus statim ad se vocat, ac de re totâ accuratiùs inquirit. Quam cùm ea ad finē vsque recitaret, illicò etiam Dux ipse sistitur, & muliere iussu Imp. occultatâ, de equo acriter interrogatur. Quem cùm asseueraret suum fuisse,neque raptu paratum, producitur extra velum mulier reum de vi peractura. Quâ is conspectâ diriguit,& aliquamdiu mutus adstitit: tandemque ad se reuersus supplex pedibus Imp. sese aduoluit lacrymans, ac peccatum confitens. Ergo Imp. ipsius facultates viduæ, eiusque liberis hæreditario iure addicit: ipsumque dignitate spoliatum, exilio perpetuo damnat. Adeo infensus erat & iis, qui iniustè opes parare intenderent. Cedren.

Denique curas gratis sanari milites læsos, quibus præest, sique strenuè in bello versati vulnus acceperunt, quo ad victum sibi posthac comparandum reddantur inepti, consulit iis in futurum. In obsidione vrbis singularem gerit curam eorum obsessorum, qui meritò præsumuntur Innocentes, hoc est, paruulorum,mulierum, senum, sacerdotum, edicitque suis,ne in tales gladium furoremque conuertant.

X. Victoriā Deo adscribit. Decimò,Victoriam Deo adscribit,nec deuictis hostibus insultat, ingenuis præsertim: Sed miseretur eorum potiùs, humanæ conditionis memor, mœstosque consolatur, nisi ij pergant insolescere.Ita Moyses post victoriam de Amalec obtentam, ædificauit altare idque appellauit: *Dominus exaltatio mea. Exod.* 17 Et *Num.* 31. iubet Deus post victoriam separari partem prædæ Domino, dariique sacerdotibus in signum gratitudinis, quòd à Deo obtenta esset. Hinc Dauid gladium Goliath, quo ipsummet capite truncauit, Deo dicauit & in tabernaculo suspendit 1. *Reg.* 21. Phocas Imp. Tarso & Mopsuestiâ Vrbibus Agarenorū captis, Constantinopolim reuersus, portas earum secū duxit Deoque quasi suæ expeditionis primitias tribuēs, in templo S. Sophiæ dedicauit. Ioannes Columna Cardinalis ab Honorio Pont. Christiani exercitus & classis Legatus Heliopolim in Ægypto expugnauit & inde sacrum Trophæum,columnam scilicet, in quâ Christus deligatus & flagris cæsus fuit, tulit & Romæ in templo S. Praxedis statoit. P. Iouius in pompâ columnæ. Theodosius iunior Imp. cùm ei Victoria de Tyranno Ioanne in Ludis Circensibus renunciaretur, ad populum vociferās: *Agite, inquit,ludicro hoc omisso,in adem hanc precatoriam eamus & carmina gratiarum auctori victoriæ Deo concinamus.* Nicephorus l. 14. c. 7. Quin etiam gentilis Imp. Titus post captam & excisam Ierosolymam Deo victoriam suâ adscribēs, coronam, quam ei propterea finitimæ gentes obtulerant, acceptare noluit, non enim se talium operū auctorē dictitans, sed Deo cō-

tra Iudæos iracundiam demonstranti manus præbuisse suas.

Hæ ferè dotes sunt boni & æqui Ducis, quas nostro Centurioni non arbitror defuisse; siquidem, vt diximus, & bonum gubernatorem, & Dei cultorem & militum suorum amatorem ac patrem reuera se exhibuit. Has ergò si, vt in Centurione isto, ita in aliis quoque belli Ducibus inuenerit Dominus, merebuntur etiam illi suo tempore extolli & celebrari ab ipso Christo: *Amen dico vobis: Non inueni tantam fidem*, tantam virtutem, *in Israel*, &c.

CONCIO IX.

Præscripta militum.

Primum officiũ bonorum militum est vt bonâ intentione militent.
2. *In Deo potiùs quàm in suo robore confidant.*
3. *Sint fideles.*
4. *Zelum bonum habeant.*
5. *A grauioribus vitiis abstineant, v. g. rapinis, scortationibus &c.*
6. *Sint expiati ante conflictum.*

THEMA.

Habens sub me milites, dico huic: vade, & vadit; & alij veni, & venit. Matth. 8.

A. QVemadmodum necessarium est militi, vt antequam in prælium eat, armis conuenientibus muniatur: ita non minùs, imò magis est necessarium, vt sciat & intelligat, quod sit eius officium, nisi vinci velit. Hoc aduertentes milites illi *Luc.* 3. venerunt inter alios ad Ioannem Baptistam in desertum & interrogauerunt eum: *Quid faciemus & nos?* Quibus respondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, estote contenti stipendijs vestris.* Vbi non vetat eis militiam, nec instruit armis corporalibus, quænã illa gestare vel quomodo debeãt, &c. sed armis tantùm spiritualibus, velut magis necessariis, ad quæ milites sæpe parum attendunt. Quoniam igitur & in hunc locum sæpius conueniunt milites ad verbum Dei audiendum, haud dubiè vt intelligant etiam ipsi, quid sibi faciendum sit: & quia hodiernum Euangelium proponit nobis morigeros Centurionis milites, volui hoc illis proponere in exemplum simulque explicare quæ strenuum ac Christianum militem decent.

Apostolus Paulus ad *Eph.* 6. militem describẽs Christianum, sex arma ei perquam necessaria præscribit, cùm ait: *Assumite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo & in omnibus perfecti stare. State ergò succincti lumbos vestros in veritate.* En cingulum, armorum primum. *Et induite loricam iustitiæ*, en secundum: *Calceati pedes in preparatione Euangelij pacis*, en tertium: *In omnibus sumentes scutum fidei vt possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, en quartum: *Et galeam salutis assumite*, en quintum: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* En sextum. Quæ quidem arma spiritualia spirituali tantùm assignat militi, desumpsit tamen ab iis quæ debentur & cõueniunt vero militi. Incipiamus nos à galeâ, quæ, quia caput munit, intentionis significat bonitatem, quæ militem ad militiam permouere debet. Vt enim caput principium est sensuum & neruorum: Sic intentio operationis. Quemadmodum homo præ omnibus mẽbris caput tutatur, dum brachia obiicit ictibus, quo caput seruet: ita ante omnia attendere miles debet, vt bonam habeat militandi intentionẽ, scilicet ad Ecclesiæ defensionem, iustitiæ promotionem, iniuriarum propulsionem, patriæ propugnationẽ, &c. Et vltimatè ad Dei solius gloriam: ideoque intentio bona, rectè vocari potest galea salutis, quia ab eâ salus pendet. Si intentio tua bona fuerit, omnis tua militia bona erit: Sicut totum corpus lucidum erit, si oculus sit lucidus. Si verò oculus obscurus & turbatus puluere auaritiæ, prædæ, libertatis, ambitionis fumo, &c. fuerit, totum corpus tuum cæcum erit, in tenebris & ad tenebras ambulabit: omnes militiæ labores inutiles, imò abominabiles coram Deo erunt. Qui versus polum arcticum nauigant Buccinam contemplantur, id est, constellationem illam quæ refert speciem buccinæ. Qui verò ad polum antarcticum, crucem intuentur, id est, constellationem quæ refert formam Crucis, vt scribit Barrad. *tom.* 2. *in Euang.* Polus arcticus malum repræsentat finẽ, iuxta id Ier. 1. *Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitationes terra.* Antarcticus verò finem bonum. Cogita ergo cùm militiæ nomen das, te nauigium & mare conscendere, vbi omnia plena periculis & incertus reditus; & propterea sedulò attende, quem tibi finem proponas, ne ad buccinam ambitionis, cupiditatis, libertatis attendas, quia hoc pacto ad frigidissimum inferni arctum & noctem æternam nauigarès. Attende potiùs ad crucem, quam repræsentat vexillum iuxta Hier. *in epist. ad Latam. Vexilla militum crucis insignia sunt*, ait: & pro eâ fortiter dimicare contende. Hæc enim Cõstantino M. à Deo in aëre ostensa, cum addito illo: *In hoc signo vinces*, eius deinceps vexillum in bellis fuit, &c. animumque illi addidit ac de omnibus hostibus insignes peperit Victorias. Huc certè tendebat veterum Christianorum consuetudo, vt eo die, quo quis militiam amplecteretur, Ecclesiam solemniter adiret, & gladium in altari collocaret, & postquam se suumque propositum Deo & Ecclesiæ deuouisset, eumdem ab altari acciperet, vt refert Helinandus apud S. Bernard. *in* 3. *p. sum. tit.* 4. *c.* 1 §. 8. vt hac quasi professione se obsequio Altaris deuoueret, & Dei seruitio. Qui ritus fortè ex 2. *Mach.* 15. desumptus est, vbi per visum apparens Ieremias Propheta Iudæ Machabæo, extendit dextram & dedit ei gladium aureum dicens: *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.*

B. I. Bonâ intentione militent.

C. II. In Deo potiùs quàm in suo robore confidant.

SECVNDÒ, Assumat scutum fidei, seu confidentię & fiducię in Deo magis, quàm in propriis aut creaturarum viribus. In scuto veteres milites maximam posuêre fiduciam, quia per illud

illud omnes ictus declinabant & in coteeipiebant. Scutum militum esse debet fiducia in Deo, per quem omnia, sine quo nihil efficient. Audi *Ps.* 32. *Non saluatur Rex per multam virtutem & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ: Fallax equus ad salutem: in multitudine autem virtutis suæ non saluabitur.* Vbi ergò? *Ecce oculi Domini super metuentes eum & in eis qui sperant super misericordia eius.* Ratio, quia victoria est donum Dei & *de cælo fortitudo est*, vt dicitur 1. *Mach.* 3. Hoc scuto vsus est Dauid cōtra omnes inimicos suos eoque mediante vel deuicit eos vel euasit. Quæ comparatio erat Dauidis cum Goliatho? Goliath sex cubitorum & palmi altitudinem habebat: Dauid autē *puer*, respectu scilicet Goliathi erat. Goliath vir bellator ab adolescentiā suā erat, Dauid verò patris sui greges pascebat. Goliath cassidē æream in capite, loricam hamatam in corpore, ocreas æreas in cruribus, clypeum æreum in humeris, hastam denique præacutam in manibus gerebat: Dauid sine omni armaturā, cum baculo, perā & 5. lapidibus in arenam descendebat; Goliathum præcedebat armiger eius: Dauid solus fuit. Et tamen hic primo ictu deiecit Goliathum & quidem mirabiliter: nam fronti eius infixit lapidem & Goliath in faciem cecidit, cùm potiùs in tergum cadere debuisse videatur: quia nimirum pro & cum Dauide pugnabat Angelus Dei, isque S. Michaël, vt vult Pantaleon de S. Michaele apud Serar. *in l.* 1. *Reg.* qui percussit Goliathum retrò, vt in faciem caderet. Patet igitur, quòd fiducia in Deum longè plus possit in bello, quàm omnis apparatus, robur, astutia, consilia, &c. Hoc enim indicabat Dauid, cùm Goliatho obuiaret dicens: *Tu venis ad me cum gladio & hastā & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini.* Et iterum: *nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hastā saluat Dominus.* Et propterea cùm liberatus esset ab omnibus inimicis suis, canebat: *Deus fortis meus, sperabo in eum, scutum meum & cornu salutis meæ*: Et rursum: *Deus scutum est omnium sperantium in se.* 2. *Reg.* 22.

Errant igitur qui in seipsis confidunt, cùm in se deceptus sit Goliath.

Errant etiam & multò magis, qui confidunt in dæmonis præstigiis, & magicis virtutibus, amuletis, &c. vti dixi aliàs. Audi etiam Chrysostomum *homil.* 25. *ad pop. Ant. Quid verò diceret aliquis de his, ait, qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus? Dic mihi, hæne sunt spes nostræ vt post crucem & mortem Domini in gentilis regis imagine spem salutis habeamus?* Hæc ille. Non interimit quidem Diabolus statim eiusmodi milites, sed Dei permissu expectat donec in pessimo & certo damnationis statu eos inueniat: sicut auceps non trahit rete super auem cùm auis non plenè est in areā, vel adhuc pauida circumspicit, ne sibi elabatur; sed cùm iam quasi secura in medio areæ pabulatur.

In Dom. 5. post Pascha.

D. III. Sine fideles.

Tertiò, Gestet Cingulum Veritatis, per quod intelligimus fidelitatem & obedientiam, quam iurare & seruare debent Ducibus suis milites. Vt enim cingulo ligatur corpus; ita obedientiā & fidelitatis promissione propriā militis ligatur voluntas, vt iam non suam, sed Ducis voluntatem in omnibus exactissimè sequi obligetur. Præcipua nota militis, cingulum: & præcipua eius virtus obedientia & fidelitas. Vnde olim præstito sacramento militari, milites cingulo accingebantur & ita demùm in numerum militum referebantur, vt scribit Barnab. Brisson. I.C. *apud Auct. antiquit. Rom. l.* 10. *c.* 3. Hanc eandem obedientiam insinuauit Christus Petro velut militi Christiano cùm dixit: *Cùm esses iunior cingebas te & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas & alius te cinget & ducet quò tu non vis. Ioan. vlt.* Igitur hoc idem sibi imaginetur quicumque militiæ cingulum accepit, se nimirum adstrictum sacramento militari, quod iubebat Ducem sequi quocumque iret vel duceret, & ne latum quidem vnguem à statione recedere vel ordinem deserere. Hoc indicatum, *Iud.* 7. vbi delectum militum facturus Deus præcepit Duci Gedeoni, vt milites suos duceret ad aquatum, & qui lamberent aquas sicut canes solent lambere, illos eligeret & ad prælium secum duceret: reliquos autem, qui flexo poplite biberent, dimitteret. Igitur qui canes imitabantur, bello aptos pronuntiabat Deus; vbi non obscurè indicatur bonum militem canis fidelitatem & obedientiam erga Ducem suum exercere debere. Vnde & olim milites ob neglectam Ducis sui custodiā vel obedientiæ & fidelitatis officium, pro pœna canem in castris humeris circūgestare cogebantur: quod magna infamia erat. Vt ita in cane monerētur officij sui. Vt aliàs diximus. Canes enim dominis fideliter seruiunt & ab iis non facilè recedunt, imò & defendunt eos, cæsi non oblatrant, & post verbera etiam mox redeunt ad illos. Sic etiam milites Ducibus suis fideliter assistere debent, nec contra eorum voluntatem ad prædam se effundere adeoque flexo quasi poplite rapinis inhiare: castigati præterea non oblatrare, aut repercutere, sed mox ad officium & stationem suam redire & in omnibus parēre. Hanc obedientiam in militibus suis prædicabat Centurio in hodierno Euangelio: *Et ego homo sum*, inquit, *sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic; vade, & vadit; Et alij: Veni, & venit.* In suis item militibus trecentos habuit Scipio Africanus, de quibus dicebat: *nullus horum est, qui non sit me iubente conscensa hac turri præcipitem se in mare deiecturus.* Refert Plut. *in apophthegm. Roman.* Et certè sine ea pessum eunt res militares: cum ea nihil non effectui datur. Vnde ne mirentur milites aut ægrè ferant, si ob violatam obedientiam tam citò & tam grauiter plectantur: plurimum enim ac ferè totum militiæ negotium in obedietiā eorum pendet. Certè Manlius Torquatus, in filium, qui iniussus pugnauerat, tametsi victorem, securi animaduertit; Et Publius Crassus virgis cædi iussit architectū, eò quòd ad arietem conficiendum, non miserat malum quem petierat, sed alium, & tamen optimā fide

alium miserat, velut iudicio suo aptiorem; sed Publio de obedientiâ inprimis solicito displicuit tanta prudentia. Aulus Gell. *lib 1. cap. 13.* Quare qui obedire nescit & canem agere: militem non agat.

E. IV. *Zelum habeant bonum.*

QVARTÒ, Ferat gladium spiritus, id est, zelum bonum coercendi & persequendi hostes, defendendi ciues & innocuos. Duplici enim modo fertur gladius, ad femur reclusus in vaginâ, & nudatus in dexterâ; Priori modo tempore pacis & inter amicos; Posteriori, tempore belli seu inter hostes: Priori modo contra insuntes, Posteriori contra noxios. Tempus gerendi gladium in vaginâ, & tempus gerendi in dexterâ. Et ideò debet gladius militis esse gladius spiritus, id est, regi à bono spiritu, & cum bono zelo; quod indicauit Dominus *Luc. 9.* quando discipuli in Samaritanos nolentes Christum recipere, gladium vindictæ eximere & ignem de cœlu in eos euocare volebant. Quid enim ait illis Dominus? *Nescitis cuius spiritus estis*, q.d. non est à bonu spiritu hic zelus, hæc vindicta: non enim decet me pugnare in homines, fratres meos, quos saluare veni; sed in malos dæmones, quos solos oppugnare volo. Plato *l. 2. de rep.* eleganter dixit milites similes esse debere cani generoso, qui aduersus familiares & notos mitissimus est, contrà verò aduersus fures & ignotos ferocissimus. Ita bodiernus Centuriu, licèt aliqqui gentilis, diligebat Iudæos inter quos diuersabatur, ac proinde eos etiam tutabatur ab omni militum suorum iniuriâ. Ita Dauid contra hostes erat sæuissimus & quasi vrsa rapris catulis, vt dicitur *2. Reg. 17.* Erga notos verò & suæ gentis homines mitissimus & defensor: vt patet. *1. Reg. 25.* vbi per multos annos non modò non fuit molestus Nabali, babitanti in deserto, nec quidquam de gregibus eius abstulit, ant auferri à suis passus est, sed potiùs illi pro muro fuit & seruauit omnia illius quæ habebat. Eximere deinde gladium debēt in hostes, sed qui verè hostes sunt, non in paruulos, senes, sacerdotes, mulieres & cæteros, qui etiam inter hostes sunt innoxij. In huius rei figuram præcepit Deus *Deut. 20.* vt obsidentes aliquam ciuitatem, nō succiderent arbores innoxias & lignum, quod est circa ciuitatem, *quia lignum est, & non homo,* ait, *nec potest contra te bellantium augere numerum.* Denique à rerum sacrarum direptione abstineant, quia templum domus Dei, & vasa templi, vasa Dei sunt: Nec inultæ manent eiusmodi rapinę. Certè Constantinus M. & successores Imp. etiam à direptione templorum gentilium in bellis abstinuerunt, cùm tamen contrà gentiles à Christianorum templis non abstinuissent, vt testatur ep. 35. aduersus Symmachum. Non abstineant igitur Christiani à sacris Christianis?

F. V. A grauioribus vitiis abstineant.

QVINTÒ. Fulgeat Loricâ iustitiæ, hoc est, caueat sibi à vitiis saltem grauioribus & muniat se virtutibus. Tum quia in præsentiori periculo mortis & pluribus peccandi occasionibus versatur quàm quisquam alius, tum quia scelerati milites indigni sunt victoriâ & fœliciter pugnare nequeunt. Hoc enim est, quod præcepit Deus *Deut. 23. Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re malâ,* Intellige, à furtis, rapinis, ebrietate, scortationibus, blasphemiis, similibusque vitiis, quibus milites infici & inficere castra solēt. *Ab omni* verò, inquit, *re mala:* quia si vel vni vitio sit deditus, iam satis est Diabolu, vt eum in gehennam trahat, licet vnicâ tantùm catenâ. Quemadmodum enim lorica totum corpus tegere debet, alioquin si in parte aliquâ nō tectâ vulneretur miles, parum ei prodest alibi tectum fuisse. Sic enim & Achab cæteroquin armis coopertus, vnâ tantùm corporis parte nudatus, sagittâ ibidem percussus interiit *3. Reg. vlt.* Satis etiam est Deo, vt auxilium suum ei neget, qui vel vni vitio deditus est. Pręcipuè tamen abstineant primò à rapinis & iniuriis. *1. Præsertim à rapinis & iniuriis.* Audiant enim concionantem sibi Ioannem Baptistam. *Luc. 3. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis & contenti estote stipendiis vestris.* Audiant Alexandrum Seuerum Imp. licèt gentilem, qui militibus suis crebrò inculcabat & per præconem promulgabat illud, quod audierat à Christianis: nimirum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Item, si quis in alicuius possessionem deflexisset, dicebat: *Vellesne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno?* Ita Lamprid. refert. Audiant Aurelianum Imp. Vicario suo scribentem: *Tu si vis Tribunus esse, imò si vis viuere manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat; oleum, sal, lignum nemo exigat, annonâ suâ contentus sit. De præda hostium, non de lachrymis prouincialium habeat, &c. stipendium in baltheo, non in popina habeat, in hospitiis castè se agat: qui litem fecerit vapulet.* Ita Vopiscus in Aureliano.

Secundò abstineat à scortationibus à quibus eneruantur milites & hostium prædæ exponuntur. *2. A scortationibus.* Vt Sardiani qui libidine defatigati & somno oppressi, à Smyrnæis obruti capti sunt. Plut. *in Paral.* Titus Liuius, de his loquens ait: *hæ delicia Capua Annibalis copias eneruarunt.* Strenuissimi etiam milites propterea serui facti omnem suam deturparunt gloriam. Vnde prudentes Duces qualis Scipio apud Valer. Max. meretrices omnes à Castris relegarunt.

Tertiò à crapulâ & ebrietate: hæc enim ligat & exarmat milites. *3. A crapula.* Nemo autem militum patitur facilè se ligari, aut gladio discingi, quia non haberet ampliùs quo se defenderet. Sanè Lacedæmonij comam etiam tondebant, ne haberēt quo teneri vllatenus in bello possent, teste Pierio *l. 32. Hierogl.* Ebrietas autem aufert homini rationis vsum, quæ verè gladius est animę, quo contra omnes spiritualium præsertim hostium insultus defendere nos possumus. Eo verò discinctus quomodo se defendet, quomodo de salute suâ cogitabit? Quod eò magis aduertere debent milites, quò ipsi præ cæteris faciliùs subitaneam incurrere mortem solent. Vt enim qui certos & iuratos habet hostes sibi insidiantes cautissimus est & quocumque vadit, arma secum fert: ita decet mili-

tem

tem tantò solertiùs gestare gladiū sobrietatis, quò certior est de hostibus, incertior de vitâ. Vnde Epicuri de grege natos esse oportet rythmos illos: Ein Lanßknecht vnnd ein Bettrenschwein / sollen allzeit voll vnd satt sein / dann eigentlich sie wissen nicht / wann man sie würgt vnd niedersticht. Hoc enim non difficilè approbarem, si milites quoad animam etiam mortales essent, quemadmodum & porci.

A blasphemiis. Quartò à blasphemiis, siquidem ob blasphemias periêre multi exercitus. Exercitus Regis Sennacheribis: Exercitus Demetrij Regis Duce Nicanore: Exercitus Antiochi Regis, &c. Et præterea miles multū blasphemās, imbellem se demonstrat & timidum, quasi qui verbis solùm & execrationibus terrere velit hostem. Nemo enim nescit canes timidiusculos plus latrare, quàm mordere, iuxta parœmiam nostram. Quod verum etiam in hostibus ante conflictum vociferari solitis, quales Vngari; ij enim vt plurimum sunt qui primi capessunt fugam & animo parum valent.

G. VI. *Sint expiati ante conflictū.* Sextò, Sit calceatus pedibus in præparatione Euangelij pacis. Per calceos intelligere possumus expiationem conscientiæ, quæ præcedere debet conflictum, quantum fieri potest. Vt enim is qui peregrè vult ire, calceos induit, qui domi alioqui nudipes incederet: ita qui in prælium descendit, meritò se calceat per sacram exomologesin, quia fortè longissimum iter conficiet & apud inferos cœnabit, quemadmodum dixit Leonides militibus suis ante conflictum: *prandete hic milites apud inferos cœnaturi.* Per istos ergo calceos præparatur miles ad euangelium, id est, bonum nuncium pacis, Primò, quia nihil dubium quin multò alacriùs pugnaturi sint expiati seu quādo conscientiam suam verisimiliter pieque credent in tuto positam & ab omni grauiori culpâ liberam, cuius reatu reformidant futurum Iudicem & pœnas illas æternas, in quas statim post obitum ruunt, qui ad futurum sæculum sine expiatione transeunt; & quia reformidant, mortem refugiunt, mortisque pericula, aut frigidè aggrediuntur; *semper enim præsumit sæua perturbata conscientia*, ait Sapiens *cap.* 17. Certè calcei militares olim clauos habebant, quibus in terram defixis in eodem vestigio staret miles, nec ad fugam esset idoneus, vt testatur Iosephus *l. 7. de bello Iud. cap.* 3. Quid autem firmius in prælio militem stare facit, quàm secura conscientia? quid fugere, nisi mens sibi malè conscia? Vidit hoc Horatius Poeta canens: *Integer vitæ scelerisque purus, non timet Mauri iaculis nec arcu, &c.* Suasit verò, imò præcepit suis Iacob, quando post cædem Sichimorum à filiis suis factam, timens ne Sichimitæ vltionem ab eo quærerent & armati in eum irruerent, dixit conuocatâ omni domo suâ: *Abijcite Deos alienos, qui in medio vestri sunt & mundamini ac mutate vestimenta vestra. Gen.* 35. Hoc idem Dux ad milites suos (& quilibet ad seipsum) dicere deberet, antequam confligat: & si occasio confitendi peccata non sit, saltem examine conscientiæ vtatur & Deo confiteatur, contritionem in corde suo excitet & confiteri pro occasione data proponat. Alioqui dicat, quod Moyses suis illis *Num.* 14. *Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris.* Gedeon ante pugnam probauit milites suos ad aquas, *Iudic.* 7. Sic Dux milites probet suos priùs ad aquas baptismi, si non sunt baptizati, vt fecit Constantinus Imp. pugnaturus contra Magnentium Tyrannum, victoriamque felicissimam comparauit: apud Theodoret. *l. 3. histor. cap.* 3. Vel ad pœnitentiam, si sunt Christiani.

Secundò, quia bene sperandum est, quòd ita expiati, victoriam, quæ profectò bonum nuncium pacis est, sint consecuturi, quemadmodum multis ex historiis Christianorum Ducum patet.

Denique miles ritè expiatus, etiamsi occumbere eum contingat, præparatur ad Euangelium pacis, id est, ad optimum nuncium cælestis coronæ, quia audiet illud: *Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.*

CONCIO X.

Documenta.

Ex hoc Euangelio discūt
1. *Catholici reuereri Christum.*
2. *Infideles & heretici credere.*
3. *Magnates humiliari.*
4. *Humiles bene sperare.*
5. *Diuites erogare.*
6. *Pauperes esse grati.*
7. *Domini de seruis esse solliciti.*
8. *Serui esse fideles Dominis.*

THEMA.

Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israel. Matth. 8.

NOn inuenit Christus tantam fidem in Israel, quantam in hodierno Centurione. Et ego, nisi fallor, non inueni tot tantáque virtutum exempla in vllo Euangelio, quot & quanta in hodierno: quare sine ambagibus illud aggrediemur. A.

PRIMÒ, Ecce vobis Catholici exemplum reuerentiæ, quam Domino Deo vestro exhibere debeatis. Aspicite leprosum, qui ob morbi horrorem ab hominibus separatus & hinc rerum diuinarum ignarus, genibus flexis ad Christum venit, imo vt S. Lucas ait, cadens in faciem adorauit eum. Quid iam facere vos decet? non miror ego hæreticos non prosterni ante Eucharistiam, imò ludere & ridere, qui nesciunt quid faciant, vti milites ante crucem aleâ ludentes: at de Catholicis hoc intolerandum est, quia credunt esse Dominum & Deum suum, ante cuius oculos stant. Videntur ergo facto negare, quem verbo confitentur. Rursum exemplū perfectæ orationis, quâ Dei voluntati committitur necessitas orantis; *Domine si vis, potes me mundare.* Non dubitat de potentiâ exorati, sed de suâ petitione, an expediat sibi: ideò nil petit, sed necessitatem tantùm aperit suam: futurus etiam contentus, si non audietur. Videtur hanc prudentiam suique re- B. I. *Discunt Catholici reuereri Christū.*

resignationem didicisse à tribus pueris, qui *Dan.* 3. dicebant Nabuchodonosori: *Ecce enim Deus noster, quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex; quia Deos tuos non colimus, &c. quasi dicant*, inquit Theodoretus: *Nos pro mercede aliquâ Domino nostro non servimus, sed amore eius omnibus rebus cultum ipsius praeferimus: ipsi omnem nostram gubernationem & prouidentiam permittimus: quamlibet iudicij eius sententiam tanquam meliorem nobisque vtiliorem libenter accepturi.*

C. II. Infideles & heretici credere.

SECVNDÒ, Ecce vobis Hæretici & omnes infideles, Iudæi & gentiles, exemplum magnæ fidei in Iudæo & gentili, vtroque rudi & plebeio. Primum dat leprosus Iudæus: *Domine si vis potes me mundare.* Fatetur ergo clarè Christi diuinitatem adeoque omnipotentiam, quâ si modò velit, possit illicò sanare: non vt alij sancti, preces interponendo, sed solâ voluntate & mandato. Ac ne vos hæretici deceptum esse putetis; ecce vobis Christum petitioni respondentem: *volo, mundare.* Dixerat leprosus: *Si vis.* Respondet Christus: *volo.* Dixerat: *Potes me mundare*: Respondit Christus: *Mundare.* Vno verbo lepram pellit, qui vno verbo mundum creauit. Et vos tamen necdum credere vultis eius verbo pelli lepram spiritualem, fieri transsubstantiationem, &c.

Et quid Ethnicus Centurio? *Domine*, inquit, *noli vexari, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Nam si mihi homini, obediunt serui mei, cur nō potiùs tibi Deo omnes creaturæ? Credidit ergo Christum sanare posse lepram, credidit pueri verbo sanare, credidit absentem posse, credidit imperando posse. Quid si ergò Dominus dicat substantiæ panis vt migret à suis accidentibus; dicat item corpori suo, vt locum panis subintret & sustentet eadem accidentia; nónne id mox futurum dixisses noster Centurio?

Rursum ecce vobis specimen intercessionis à Christo admissæ & auditæ. Rogant Iudæi pro centurione: *quia dignus est vt hoc illi praestes*, &c. Centurio pro seruo, & omnes audiuntur. Cur igitur repellat Deus sanctorum intercessiones, factas pro fidelibus?

D. III. Magnates humiliari.

TERTIÒ, Ecce vobis Magnates exemplum humilitatis primò in Christo Domino, qui nequaquam horruit tangere leprosum, neque detrectauit descendere ad seruum iacentem in paralysi. *Ego veniam*, inquit, *& curabo eum.* Quanta hæc humilitas! Poterat illum intactum, hunc absentem curare. Illum tamen tetigit, hunc adire voluit: vt confunderet nos, qui leprosos abominamur & in seruorum gratiam nihil humile obire, nullum præstare obsequium volumus. Rursum cùm leproso ait: *Volo, mundare*: *Considera*, inquit S. Hieronymus *in comment. super hoc Euangel. quàm humilis & sine iactantia responsio.* Medicorum aliquis hoc rogatus, dicturus fuisset; Magna res est lepram curare: paucorum est hæc ars. Quid mercedis loco dabis? &c. Nihil horum Christus; sed quod medicorum artem superat vno verbo præstat, nullo prorsus lucro, multò minùs fastu.

Secundò in Centurione, qui professus est se non esse dignum, qui susciperet Christum Dominum; imò vt ad eum iret. Nam Iudæos illi misit internuncios velut digniores se. Ac licet isti asseuerarent eum esse dignum, vt hoc illi præstetur: quia diligeret Iudæos & ædificasset eis Synagogam ipse nihilominus dicebat: *Domine non sum dignus.* Quare licèt totus mundus clamet te esse dignum, doctum, sanctum: tu reclama & dic esse te indignum, ignorantem & peccatorem. Non comparabat se Centurio cum militibus, quibus imperabat: sed cum Christo & aliis viris, se longè melioribus. Fac modo tu noli considerare quòd aliquibus præcellas: sed quòd multis sis inferior; ita nunquam extolleris.

E. IV. Humiles bene sperare.

QVARTÒ, Ecce vobis humiles & abiecti in hoc mundo, argumentum dignitatis vestræ & beneuolentiæ Christi erga vos. *Alibi regulo dicit*, inquit S. Ambros. *in Luc. cap.* 7. *Vade filius tuus viuit: vt scias & potestatem diuinitatis & humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere: ne in reguli filio videretur magis diuitias detulisse: hic ipse perrexit, ne videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse seruilem.* Similiter olim Elisæus Propheta noluit descendere è domo ad Naamanem Principem militiæ leprosum, & tangere locum lepræ, sed solùm ei nunciauit: *Vade & lauare septies in Iordane.* 4. *Reg.* 5. quod is indignè ferens dicebat: *Putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui & tangeret manu sua locum lepræ & curaret me.* Sed noluit Elisæus hoc facere, ne potentiæ huius Principis detulisse videretur. Quod ergo Principi leproso noluit facere Elisæus, hoc fecit Christus pauperi leproso. Descendit enim ad eum de monte & extendens manum tetigit eum. Humilem leprosum non detrectat tangere Christus: pomposum & fastuosum leprosum detrectat tangere Propheta. Videmus igitur apud Deum meliore loco esse cæteris paribus humiles, quàm excelsos, pauperes quàm diuites. Taceo quòd Naaman non nisi post septimam lotionem obtinuit sanitatem: Leprosus verò iste, vnico statim verbo: *Volo, mundare.* Statim enim mundata est lepra eius, ait Euangelista.

F. V. Diuites erogare.

QVINTÒ, Ecce vobis diuites, exemplum misericordiæ & liberalitatis primò in Christo, qui extendens manum in leprosum, mundauit eum. Ita faciant illi; extendant manum suam ad pauperem, & sic mundabunt eius lepram, id est, abstergent eius maciem, famem, nuditatem, &c.

Secundò in Centurione, qui, licet alienæ sectæ hominibus, videlicet Iudæis synagogā ædificauit. Quantò magis Christiani liberales sint in templa sua? *Si cōmendatur Domino*, inquit S. Ambr. *ser.* 89. *qui ædificauit synagogā, quantò est commendatior, qui ædificauit Ecclesiam?* Et si commendandus, qui ædificat Ecclesiam, nónne vituperandus qui destruit, spoliat omnique ornatu destituit? Hîc tamē monet Christus fugien-

dam

dam vanam gloriam: *Vide nemini dixeris*; ne videlicet sinistra manu destruas, quod dexterâ ædificas. Ideò dixit Dominus dantibus eleemosynam: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Matth. 6.*

G. VI. Pauperes esse grati.

Sextò, Ecce vobis pauperes exemplum gratitudinis, & quidem in leproso, qui, licet à Christo iussus tacere beneficium perceptum, nequaquam tamen tacuit, sed cœpit prædicare & diffamare sermonem, impulsu gratitudinis, non inobedientiæ. Sic decet facere pauperes, grato nimirum animo recognoscere beneficia & laudare benefactores: non extenuare beneficium, non oblinisci, multò verò minùs compensare maleficio.

Deinde gratitudinem erga Deum discunt à leproso, qui tametsi pauper erat, offerre tamen iubetur à Christo munus suum sacerdotibus: quod præcepit Moyses. Quia enim & ipsi quotidie multa beneficia recipiunt à Deo, recognoscere ea debent, eo quo possunt modo. Nam & à pauperibus exegit olim Deus munus suum, par turturum aut duos pullos columbarum. Et vniuersim præcepit Deus *Exod. 23. Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

Exemplum etiam fiduciæ in Deo reponendæ. Etenim leprosus aperit solùm Domino lepræ suæ miseriã, curamque eius arbitrio committit, non dubitans de salute ab ipso impetrandâ, si ita sibi expediret. Non ait: Domine munda me; sed necessitatem tantùm suam ac desiderium breuissimis verbis manifestat. Similiter Centurio satis sibi esse existimat serui sui paralysin & dolores eidem proponere; nihil dubitans adeò benignum & misericordem esse Dominum, vt huiusmodi pauperibus & afflictis vltrò subueniat, etiam non rogatus: quia nimirum teste Psalmo 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.*

H. VII. Domini de seruis esse soliciti.

Septimò, Ecce vobis Domini exemplum Charitatis & solicitudinis erga seruos ac subditos vestros. Inprimis enim seruum ægrum non misit in hospitale, non à se remouit, sed domi suæ fouit. Idem facite vos domini. *Cogita*, inquit Seneca *epist. 47. quem seruum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æquè spirare, æquè viuere, æquè mori. Nam tu illum ingenuum videre potes, ille te seruum. Stare ante limen Callisti Dominum suum vidi, & alijs intrantibus excludi.* Hæc Seneca. Sæpe melior est seruus Domino suo. Videant ergo Domini, ne si excludant seruos, aliquando excludantur, si non à seruis suis, certè à Deo suo.

Secundò, Magna solicitudine salutem ei quærit. Misit obuiã Christo primores Iudæorum, qui ipsum precibus vincerẽt, vti S. Lucas scribit: rursum venienti misit obuiam amicos; ad extremum ipse occurrit. Ad quid tot & tanta? Serui sanitas quæritur, non charæ vxoris, non vnici filij, nõ dilecti amici. Ita ergò & vos Domini facite seruis vestris. Et si parum vobis est exemplum hominis Ethnici, inspicite aliud bruti. Elephantes, authore Æliano *l. 7. c. 36.* suis morbo affectis summâ fide adhærent & eorum causâ insequentibus se opponunt ac pro eis pugnant, quod nunquã aliàs faciunt nisi illorum aut fœtus sui gratiâ. Et licet eis fugere sit integrum, vulnerari se patiuntur magis, quàm vt eo relicto salutem sibi fuga quærant. Quàm ab hoc animali diuersus ille dominus pueri Amalecitæ. *1. Reg. 30.* derelicti ab eo in agro quòd cœpisset ægrotare? Vin' aliquid mirabilius? In Cambaya, ditione Regis Mogor, tanta est hominum pietas ac beneficentia erga aues morbidas, vt ijs Xenodochia extruxerint amplissimis dotata reditibus, quibus tum auiculæ tales, tum earum curatores largiter sustentantur. Nec deest, qui huiusmodi aues vndique conquirat per campos & ciuitatum fora vt valetudinario inferat, quas sibi restitutas libertate etiam donant & auolare sinunt. P. du Iaric. *tom. 1. hist. Orient. l. 2. c. 6.* Quid hîc dicant Christiani?

I. VIII. Serui esse fideles Dominis & obedientes.

Octavò. Ecce vobis subditi & serui exẽplum fidelitatis & obedientiæ erga Dominos, in seruis Cẽturionis, qui, vt testatus est Dominus, venire iussi veniebant, vadere iussi ibant, facere iussi faciebant. Et quidem milites isti fuerunt, id est, homines pessimis alioqui moribus communiter imbuti. Et quid serui nostri multi? venire iussi, abeunt; vadete iussi, veniũt; iussi facere hoc, faciunt aliud. Veteri emblemate seruus pingebatur rubro tectus pileo, eleganti vestitus interula, aures habens asininas, pedes verò ceruinos, dexteram tenens erectam & in palmam explicatam. Pileus notabat debere eum ingenio esse liberali: interula laboriosum, aures asini patientem, pedes cerui celerem in mandatis exequendis, dextera explicata fidelem, vultin' videre subditos ad stuporem obsequentes? *Assasinorum*, inquit Baptista Fulgosus l. 1. cap. 1. *in Syria Princeps, Vetus dictus, præsente Henrico Campaniæ Comite, qui ad eum legatus venerat, vt quanta subditorum suorum esset obedientia ostenderet, monstratis in alta turris summitate aliquot hominibus, vnum nominatim euocauit, qui nullâ mora factâ in ipsorum conspectu se demisit casuque obtritus vitam finiuit. Et cùm alios etiam vocare vellet, Comitis precibus vix retentus fuit.* Vultin' subditos admodum fideles? Veteres Boios aspicite. Horum Dux Stephanus cognomento Kneuffel, à thorace continuis fibulis constricto dictus, habitans Ingolstadij, circa annum 1400. cùm aliquando mentio de fide popularium & subditorum erga Dominos suos fieret, asseuerauit nullum esse ex Boijs sibi subditis, cui non auderet vitam suam credere atque in eius sinu solus & inermis dormire. Refert Hieron. Ziegletus *de viris Illustribus Germ.* Vtinam hanc maiorum nostrorum fidelitatem etiam nunc cordi haberẽmus!

CONCIO XI.

Mysteria.

Quaeritur primò, Cur Christus tetigerit leprosum.
2. *Cur iusserit eum tacere.*
3. *Cur eum miserit ad sacerdotem.*
4. *Quid significet lepra mysticè.*
5. *Quomodo accesserit ad Iesum Centurio.*
6. *Quomodo miratus Iesus.*
7. *Quomodo fides Centurionis maxima.*
8. *Quid teaebra exteriores.*
9. *Quid fletus & stridor dentium.*
10. *Quem notet paralyticus.*

THEMA.

Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Matth. 8.

A. MYsterio non vacat, optimi Auditores, quòd cùm descendisset Iesus de monte, sanauit duos afflictos, primum Iudæum, alterum Gentilem: Primum leprosum, alterum paralyticũ: Primum virum, (sic enim vocatur à Lucâ, *vir plenus leprâ*) secundum puerum: Primum sanauit præsens, secundum verò absens. Quid enim hoc aliud significat, quàm Christum vbi de cœlo in terram descendit, sanasse duos populos, & primò quidẽ Iudaicum, posteà gentilem? Ille erat leprosus, quia vt leprosus, non tam æger, quàm carne vitiatus & maculosus est: ita is cum sanâ fide maculas habebat multorum vitiorum; Iste paralyticus erat, quia fide & operibus, quibus moueretur ad salutem, destitutus. Ille vir erat, quia in lege Domini bene eruditus & diu valde versatus; Iste puer erat, quia in solis creaturarum elementis Deum suum quærebat & difficilè discebat. Ille sanatus est à Christo præsente & leprá tangente, quia ab ipsomet eruditus & ad gratiam perductus est. Iste ab absente, quia per Apostolos doctus & sanatus. Cæterùm, quia plura sunt mysteria huius Euangelij, ea paucis explicabimus.

B. I. Cur leprosum Christus tetigit. 1. Q. PRIMÒ, Cur tetigit Christus leprosum? Resp. Primò vt ostenderet se mediá humanitate suâ velut instrumento sanare morbos, & sanaturum aliquando totum genus humanum à peccati leprâ per extensionem manuum suarum in Cruce, ac propterea etiam se descendisse de monte cœli; denique per extensionem manus Sacerdotum sanaturum se peccatores in absolutione.

2. Secundò, Vt ostenderet se lege Mosaicâ non teneri, quæ vetabat attrectare leprosum, vt colligitur ex *Leu.* 14. *v.* 46. quanquam eius contactus non fecit immundũ, sed tantùm irregularem, secũdum Abul. nam & Elias & Elisæus mortuum tetigere, quod itidem erat prohibitum. Certè ratio legis illius in Christo non vrgebat, quia lepræ contactu non poterat contaminari.

3. Tertiò, Vt doceret nos hîc facto, quod alibi verbo docuit: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Cùm enim soleant homines tactũ & communionem leprosorum auersari; docuit nos Christus vincere naturam & cogitare eos homines esse similes nobis, & propterea misericorditer & humaniter excipiendos. Quod exemplũ sectati multi Christiani, vel leprosos obuios osculati sunt, vt S. Martinus, & S. Franciscus: vel pedes eorum abluerunt; vt S. Elzearius Comes & S. Margareta Regina Scotiæ: vel aliter eis seruierunt. Alij hospitalia extruxerunt; in quibus ministrarunt manibus suis ægris & leprosis, vt Fabiola apud Hier. in ep. ad Ocean. & alij, quorum opus misericordiæ præstantius est illo, quo pecuniæ tantùm suppetũtur. Vnde S. Hieronymus in ep. ad Ocean. eos, qui pecuniâ iuuant miseros, clementes pecuniâ appellat: eos verò, qui manibus propriis sordes & ægritudines eorum abstergunt, clementes manu. Sola animæ lepra est, à quâ abhorret Deus & vult nos abhorrere.

Q. SECVNDÒ, Cur iussit eum tacere beneficium curationis acceptum? Resp. Primò, quia sat superque res ipsa clamabat & sanitas impertita medicum laudabat. Melius est laudari ab opere, quàm ab ore. Vnde Hier. *in Matth.* 8. ait: *Quid erat opus, vt leprosus iactaret, quod corpore præferebat?* C. II. Cur iussit tacere leprosum? 1.

Secundò. Vt doceret se suis miraculis & beneficiis non quærere gloriam seu laudem humanam, sed fugere potiùs, idemque nobis quoque faciendum esse. Fugiendo enim gloriam eam consequemur: sectando perdemus. Quare qui sapiunt, opera sua bona tegunt: stulti verò produnt, & vt S. Iob ait c. 31. *Osculantur manum suam:* & vt Isaias inquit c. 3. *adorãt opus manuum suarum.* Sed cur publicè corã populo fecit hoc & alia miracula, si noluit ea publicari? Respõdeo ex vnâ parte patere debuisse Christi opera & miracula, quatenus nimirum ex patris volũtate & mandato ea patrare debuit; sicuti ait *Ioan.* 14. *Vt cognoscat mundus quia diligo patrem & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Ex altera parte, quoad circũstantias liberum erat Christo ea opera patrare, quando, quomodo, cui & ex quo motiuo vellet: & hac ex parte voluit ea taceri; quia hæc ipsius potiùs opera, quàm patris: illa contrà patris potiùs, quàm Christi erant opera. Ex quo docemur ea, quę præcepti sunt, & communiter à Christianis ex ratione status vniuscuiusque fiunt, publicè peragere, ad exemplum aliorum, *vt videant opera nostra bona & glorificent patrem* nostrum *qui in cœlis est:* quia *fecimus quod debuimus, serui inutiles sumus.* At verò quæ sunt consilij & supererogationis fiuntque ex merâ electione, tegere debemus, quia in his causam superbiæ inuenire possumus. 2.

Q. TERTIÒ, Cur misit leprosum ad sacerdotem? Resp. Primò propter se, ne videretur Legis præuaricator & contemptor, quæ iubet Leprosum mundatum expiari per sacerdotem *Leuit.* 14. adeoque ne calumniandi ansam præberet aduersariis. D. III. Cur misit leprosum ad Sacerdotem. 1.

Secundò propter sacerdotes, tum vt deferret sacerdotio Aaronico: ac multò magis sacerdotio nouæ legis, ad quod mittũtur hic typicè 2.

picè expiandi peccatores, tum vt illi vel credentes saluarentur, vel non credentes fierent inexcusabiles, qui miraculum Christi probassent & verum esse deprehendissent. Vnde addit Dominus: *In testimonium illis.* Marcus ait missum leprosum ad principem sacerdotum quo videlicet magis constaret & vulgaretur miraculum.

Tertiò propter ipsum Leprosum, ne alioquin ipse ciuitatis ingressu prohiberetur à sacerdotibus, à quibus priùs iudicandum erat ex lege de lepræ curatione. Noluit ergo Christus huic leproso dare licentiam versandi inter homines, ne prolixum ei crearet negotium seu litem apud Sacerdotes. Quod vtinam facerent Aduocati & Iudices, qui communiter prolongant lites & in varias ambages ducunt litigantes, quorum lis & causa compendio expediri posset.

E. IV. Quid lepra mysticè? 1. Q. QVARTÒ, Quid lepra mysticè significat? Resp. Primò, peccatum. Nam primò lepra est morbus adeò grauis vt Medicorum vim superet & scientiam, vt D. Cyrillus adnotat, L. 2. *de adoratione. Carnis*, inquit, *morbus est lepra, isque grauior, quàm vt à Medicis ei succurri possit aut illorum peritiâ expugnari, &c.* Ita & peccatum morbus est eiusmodi, qui non poterat curari, nisi Deus ipse descenderet de monte cœli, eumque manu suâ abstergeret, imò ablueret sanguine suo; quod figuratum est *Leuit.* 14. in expiatione leprosi, quæ fiebat cum sanguine passeris occisi. Iubebatur enim expiandus offerre duos passeres, quorum vnus viuus dimittebatur, alter necabatur; ille diuinitatem, hic humanitatem Christi signabat. Secundò lepra eiicit hominem è castris, peccatum è cœlo. Porrò *Leuit.* 14. recensentur 7. species lepræ similiter expiandus aspergebatur septies. Pari ratione septem sunt peccata capitalia, & 7. Sacramenta à Christo instituta ad peccata expianda. Tertiò leprosi à Sacerdotibus inspici, examinari & iudicari debebant. Sic etiam peccatores à Sacerdotibus, qui præterea hoc habent, vt possint mundare lepram velut Medici, quod non habuerunt Sacerdotes veteris legis, qui solùm expiabant leprosos & restituebant communioni hominum aliorum, seu declarabant esse mundatos; quo sensu impropriè dicuntur mundare lepram. *Leuit.* 14.

2. Secundò hæresin præsertim secundùm Aug. *l. 2. qq. Euang. q.* 40. Primò, quia vt lepra colorum sic hæresis dogmatum non cohærentium varietatem habet, dum veris falsa miscet. Secundò, quia vt leprosus alios inficit: ita hæreticorum sermo vt cancer serpit & totum Reip. corpus contaminat. Vnde S. Hier. *ad Gal.* 5. ait: *Arius in alexandria vna scintilla fuit. Sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Tertiò, quia vt lepra hominem è castris, ita hæresis eiicit ex Ecclesiâ.

F. V. Quomodo accessit ad Iesum Centurio? Q. QVINTÒ. Quomodo accessit ad Iesum Centurio? Resp. accessisse per alios, teste S. Luca. Primò per seniores Iudæorum: deinde rursum per amicos obuiã ei missos; (quod autem quis per alios facit, per se facere videtur) denique fortè etiam per seipsum, cùm iam propè esset Dominus, illi obuiauit & audiit à Domino: *Vade*, &c. vt scribit Matthæus. Quod tamen non est necesse asserere. Quomodo enim internuncij Centurionis nomine eius dixerunt: *Domine non sum dignus*: eo modo etiam Christus respondit illis quasi Centurioni ipsi, qui per illos aduenerat. Quare videmus hinc posse nos ad Deum accedere etiam per internuncios peccatores, sanctos videlicet, & vt ait Ven. Beda, *Summos Ecclesiæ viros, qui nos ad Dominum præcesserunt.* Auditus fuit à Domino Centurio etiam per alios rogans & insuper de fidei excellentia commendatus, cur Ecclesia reprehendatur, si per intercessionem sanctorum ad Deum suas preces mittat? cur audiri non debeat?

G. VI. Quomodo miratus Iesus? 1. Q. SEXTÒ. Quomodo miratus Iesus, cùm admiratio proueniat ex ignorantiâ causarum quæ in Christo nulla? Resp. Primò ex D. Thom. 3. *p. q.* 15. *art.* 8. Christum mirari potuisse quantum attinet ad scientiam experimentalem, dum quod iam antea nouerat, nouo modo didicit, per experientiam videlicet.

Secundò ex D. Aug. *l. contra aduersarios legis c.* 7. Christum mirantis speciem præsetulisse tantùm, vt fidem Cẽturionis hac admirationis specie commendaret & nobis mirandam proponeret. Ergo sicut nutrix balbutit cum infante eiusque infantiæ se accommodat, quò eum interim erudiat, soletur & excitet; ita Christus egit nobiscum, & docuit hoc gestu nos non mirari ea, quæ miratur mundus, thesauros, opes, honores, artes, regna, ædificia, &c. Sed fidem & virtutes, quæ naturam superant, eaque sola magnificare. Monstrabat aliquando discipulus Christo splendorem templi Ierosolymitani: *Magister*, inquit, *aspice, quales lapides & quales structura*? Sed Christus hæc nihil miratus, imò veluti ridens respondit: *Vides has omnes magnas ædificationes?* Deinde serio subdit: *non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Marci* 13. Nimirum *Volebat homines*, inquit Abulensis, *totaliter trahere ad spiritualia & illa sola magna & bona iudicare: & ideò vt ostenderet illud nihil esse coram Deo, dixit penitus esse destruendum.* Sæpius viderat templum Christus, sed curiosiùs non intuebatur nec mirabatur eius decorem, quia nihili faciebat. Ingrediebatur & egrediebatur, quasi non videret. Sic nos oportet transire per hunc mundum. Porrò in cœlum Christus sæpiùs suspexit, vt doceret nos cœlestia sola mirari & magnificare. Sic fatuus quidam minimè insipiens principi suo ostentanti Legatis quibusdam palatij sui structuram, ostendisse fertur cœlum ac dixisse: *Domine frater tu ædificium tuum iactas: aspice verò cœlum. Tu tuo ædificio columnas supposuisti ad illud stabiliendum: cœli verò architectus ad tantam illam machinam nullis eguit columnis: quare te longè superat & machina tua nuga sunt.* Pontan. p. 2. Att. Bellarm.

Q. SEPTIMÒ, Quomodo Centurionis fides superauit fidem aliorum Iudæorum? Resp.

Resp. Superasse fidem eorum, quos eousque repererat Christus, ex quo docere & miracula facere cœperat. Vnde excluditur fides B. Virginis, Ioannis Baptistæ & eorum, qui post hoc tempus credituri erant. Cæterorum fidem vicit vel quia minoribus paucioribusque signis credidit, in quo vicit Apostolos; vel quia credidit Christum etiam absentem posse mederi morbis: in quo vicit leprosum; vel quia gentilis erat, ignarus legis & scripturæ, in quo & hunc & illos vicit; vel denique quia nullus tam dignam & honorificam fidei professionem edidit, quâ & Christum Deum credidit & vt talem, omnipotentem, vbique præsentem, &c. Timendum sanè ne fidem nostram superent Indi, Chinenses & Iapones aliique noui Christiani, quicùm tanta fidei argumenta non viderint, quanta videmus nos, firmiùs tamen credunt & meliùs viuunt.

I. VIII. Quid tenebræ exteriores? Q. OCTAVÒ, Quid significant tenebræ exteriores? Resp. Primò ex communi sententiâ, significare infernum. Vocatur autem infernus tenebræ exteriores. Primò respectu tenebrarum interiorum, quæ sunt in animabus peccatorum & infidelium, partim hic, partim in inferno. Habent enim & damnati tenebras seu cæcitatem in animo. Quod exemplo Philippi Cancellarij Parisiensis confirmatur, qui post mortem apparuit cuidam Episcopo asserens se damnatum ob beneficiorum pluralitatem, simulque rogauit an mundus adhuc staret, cùm tot quotidie in infernum descenderent? cui cùm ille diceret, mirari se, quòd hanc quæstionem moneret homo doctus; respondit Cancellarius: *ne mireris; apud inferos enim nec opus est, nec ratio, nec scientia, nec sapientia.* Cantiprat. *l. 1. Apum cap. 19.*

1. *Infernus.*

Secundò Respectu Tenebrarū huius mundi, quæ subinde pelluntur à luce aduentante. Illæ verò extra hunc mundum positæ, nullâ vnquam luce perfundi possunt.

Tertiò respectu tenebrarum aliarum quarumcunque, quia omnium maximæ sunt; vnde exteriores, id est, extremę dicūtur. Primò, quia infernus à sole remotissimus est, vtpote in centro terræ. Ac licet ibi ignis sit, is tamen non lucebit, nisi ad videnda ea, quæ dolorem augere possunt, teste S. Gregor. *l. 9. moral.* Secundò, quia murus inter infernum & lucem interest densissimus, terra videlicet plusquam mille leucarum seu 4000. milliarum Italicorum, à centro ad superficiem terræ.

2. *Infimus inferni locus.* Resp. Secundò significare infimum inferni locum, omnium sæuissimum, secundum Theophylactum *in Matth.* 8. Ostendere enim vult Dominus, filios regni, qui non crediderunt Christo, vel non vixerunt sicut crediderunt, profundiùs damnandos: qua ratione etiam is, qui ad nuptias deprehensus fuit absque veste nuptiali, hoc est, inter Christianos non vixit Christianè, mitti iubetur in tenebras exteriores. Confirmatur hoc ex vita S. Macharij Alexandrini apud Surium tom. 1. qui dum aliquando per Scythioticam solitudinem deambularet, caluariam hominis humi iacentem conspicatus, cœpit per Christum Iesum obsecrare & interrogare, cuius fuisset dum viueret, quóve nunc in loco animus quondam inhabitator suus degeret? Grande miraculum: aridum os carneque & neruis nudum prorupit in vocem ac se gentilem fuisse proximique vicè indigenam respondit: Nunc verò in foueam barathri infernalis tam altè retrusum angustiari, quàm procul à terrâ distet cœlum. Sed etiam se inferius, corruere Iudæos incredulos & ipsis inferius hæreticos Christianos, qui reuelatam diuinitus veritatem mendacibus peruertere sententiis moliuntur. Nemo igitur sibi blandiatur solo nomine Christiani, sed hoc ipso potiùs timeat & viuat Christianè, ne alioquin cum filiis regni eiiciatur in tenebras exteriores.

Q. NONÒ, Quid fletus & stridor dentium? Resp. Primò secundum Hieron. *in Iob c.* 24. & Aug. *l. de triplici habitaculo cap.* 2. significare duo principalia tormenta inferni, frigus intolerabile & calorem ignis inextinguibilem, iuxta illud *Iob* 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.* Idque declarat Hieron. *Matth.* 10. ex febrium similitudine, in quibus ex flauæ bilis abundantiâ intolerabilis rigor præcedit calorem ardentissimum secuturum. Adhæc ex Galeno in prognost. Hippocratis *comment. cap.* 21. si stridor dentium cum ardore febris coniungatur in ægro, insaniam significat ac mortem. Quanti igitur tormenti indicium esse putas, in medijs ignibus stridere dentibus? Secundò. Fletum denotare pœnam damni, iuxta id Iuuen. *Satyr.* 13. *Ploratur lachrymis amissa pecunia veris.* Flebunt enim quod fluxis & momentaneis voluptatibus emerint sibi æternos dolores, quòd tam vili pretio vendiderint æternam suam hæreditatem; quòd tam miserè & facilè decepti; quod mundo frustrà seruierint tanto cum labore; quòd tot bonas occasiones operandi salutem suam neglexerint, quod alia omnia fecerint, in vno aut altero tantùm defecerint; quòd toties moniti & redarguti non paruerint, &c. Stridor dentium pœnam sensus notat, quæ duæ pœnæ fontes sunt pœnarum aliarum. Alij fletum ad pœnas præsentes, stridorem dentium ad futuras, quas præuident æternas, referunt. Alij fletum ad dolorem, stridorem referunt ad horrorem. Alij aliter hæc exponunt vt certum non sit, quid propriè significet hic loquendi modus. Certè voluit Dominus his verbis adumbrare maximam calamitatem tartarei illius carceris, quæ tanta sit vt verbis exprimi non possit. Quemadmodum enim stridet plaustrum, cùm onere nimio premitur: ita & damnatis ob pressuram tormentorum stridebunt dentes, Vnde solemus dicere; Er muß kriden/daß jm die Zeen krachen.

I. IX. Quid fletus & stridor dentium?

I. X. Quę notat paralyticus? Q. DECIMÒ, Quid significat paralyticus? Resp. significare peccatorem, Primò enim puer est, quia pro rebus vilibus & momentaneis perdit summas & æternas. *Vsquequo paruuli diligitis infantiam?* ait Sapiens *Prouerb.* 1.

Secundò

Secundò seruus est, suarum scilicet cupiditatum; qui etiam vinculis peccatorum suorum constringitur.

Tertiò iacet, in lecto deliciarum, cœno voluptatum & stercore peccatorum.

Quartò paralyticus, quia carnem & passiones habet rebelles vitio deprauatas, ita vt eas regere nequeat, attollere & mouere, ad Deum scilicet & animæ suæ salutem.

Quintò torquetur malè à peccatis, quibus seruit, ambitione, auaritiâ, inuidiâ, irâ, gulâ, curis & anxietatibus, omniumque acerrimè à conscientiæ remorsibus.

Sextò ad mortem æternam tendit, quemadmodum & puer ille secundùm Lucam moriturus erat, nisi videlicet à Christu seruatus fuisset. Ita & peccator ad infernum fertur cursu rapidissimo, ac nisi à Dei gratiâ retineatur, ibit certò certiùs.

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matthæi 8.



IN illo tempore, Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes; Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt; dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

CONCIONES.

I. *Tentationum commoda & causa.*
II. *Concupiscentiæ motibus quomodo obuiandum.*
III. *Duodecim Ecclesiæ persecutiones, sub Gentilibus.*
IV. *Quid faciendum tempore afflictionis, præsertim famis.*
V. *Emolumenta voluntatis humanæ ad diuinam conformatæ.*
VI. *Discrimen bonæ & malæ conscientiæ.*
VII. *De humanæ vitæ miserijs.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Mysteria.*

CONCIO I.

Tentationum commoda & causæ.

1. *Ex tentationibus oritur nostra humiliatio.*
2. *Cognitio suipsius.*
3. *Stimulus ad virtutem.*
4. *Gloria Dei & virtus iustorum.*
5. *Iustorum exercitum.*
6. *Gloriosior ereptio.*
7. *Maius in cœlo præmium.*

THEMA.

Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Matth. 8.

A. QVid hoc rei, Auditores? Christus Dominus noster præcepit nobis orare: *Et ne nos inducas in tentationem*; & quid ipse in hodierno Euangelio? Nónne in tempestatem adeoque in tentationem & periculum vitæ induxit suos discipulos, dum ascendens in nauiculâ secum duxit, dumque maris commotionem exurgere permisit? Sed sciendum nobis est, aliud esse tentationem pati, aliud tentatione vinci. Prius non deprecamur in oratione Dominicâ; (quis enim nisi ignauus miles rogare Ducem auderet vt in prælium non duceretur? quis nauta, ne nauigare cogeretur?) Posterius deprecamur, ne videlicet à Deo inducamur, seu potiùs induci permittamur in eiusmodi tẽtationem, in quâ præuidet nos vincendus. Porrò hæc tẽpestas eiusmodi erat, vt facili negotio superari à Discipulis posset. Sed quamobrem, roget aliquis, permittit Deus excitari tentationum fluctus & nos in eos induci? Audiamus causas, simulque vtilitates talium tentationum.

PRIMA, nostra humiliatio. Tentatio libramentum est iustorum & quasi saburra nauim iusto arenæ pondere mergens, ne vel ab vndis superetur, vel nimiùm eas superet indeque à ventis abripiatur & euertatur. Audiamus S. Gregorium *l. 19. moral. cap. 6. Optima, ait, virtutis custos est infirmitas vel pressurarum vel tentationum: & fit certo moderamine vt dum quisque sanctorum iam quidem interiùs ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exteriùs, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat, sicque cognoscimus in profectu, quod accepimus, in defectu quod sumus: & sic subtilissimâ interni iudicij moderatione infra summa & supra infima, in quodam medio anima libratur.* Vident & experiuntur subinde viri docti & virtute eminentes pulsari se tentatione pusillanimitatis & sæpe leuissimâ re inordinatè amatâ inescari, vinci, deiici; ne scientia more suo eos inflet, ne virtus extollat. In vitis Patrum legimus adolescentem stimulo carnis dirè exagitatum, cùm frustra remedia cætera tentasset, falsis criminationibus à socijs iussu Abbatis assiduè appetitum, tentationem superasse. Postea rogatus ab Abbate, an adhuc ea pulsaretur? Vah, inquit; viuere non libet & fornicari libeat? Ita nimirum vna sæpè tentatio est cuneus ad superandam aliam periculosiorem. Colaphizamur à stimulo carnis, ne de nobis præsumamus & super- B. I. Nostra humiliatio.

superbè sapiamus. *& quantos vidimus*, inquit D. Laurentius Iustinianus *in ligno vitæ tract. de patientia cap. 4. modicis tentationibus à magnis periculis protegi & tentationis quadam timoris & corporali quadam ineptitudine à peste superbiæ liberari, qui, alias quasi equi effrenes sua talentu superbirent?*

C. II. Cognitio sui ipsius. SECVNDÒ, cognitio sui ipsius. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*, ait Ecclesiasticus. *c.* 27. Ostendit enim tentatio an verè in virtute & Dei amore solidati simus. Aquæ mortuæ seu stagnantes nō putent, dum immotæ manent; motæ verò tetrum & intolerabilem spargunt odorem. Ita multi quamdiu non tentantur perfecti sibi videntur: sed tentatio aperit, quid sint. *Nescimus sæpe quid possumus, sed tentatio aperit quid sumus*, ait Thomas de Kempis. Nisi tentationibus pulsaremur, Heroes aliqui nobis videremur: at cùm iis premimur & lapsui proximos nos videmus, demittere alas incipimus: vt docet S.Greg. 2. *Mor. cap. 37. Nam esse se magnarum virium*, inquit, *homo crederet, si nullum vnquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed cùm tentatione irruente quatitur & quasi vltra quàm sufficit fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur.* Expertus hoc in se est Dauid, quando cæso Goliatho, diligebatur à Rege & omni populo, factusque tribunus & Gener regis cantabat: *Ego autem dixi in abundantiâ meâ: non mouebor in æternum*; q. d. nemo me dimouebit à mea fœlicitate. Sed quid sequitur? *Auertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus.* Vult dicere: in medio fœlicitatis destituisti me ac permisisti incidere in odium & persecutionem regis. Permisit verò id Deus, ne nimiâ prosperitate supra se eleuatus in præsumptionem caderet.

Bene igitur Sapiens dixit: *Qui non est tentatus, quid scit? Eccli.* 34. Quid scit, inquam, de se ipso, probúsne sit an improbus? solidúsne an fragilis? Dantur adamantes, qui malleorum ictibus cedunt & franguntur: dantur & quibus mallei cedunt vtrimque dissilientes, teste Plinio *l. vltim. cap.* 4. quales Indici & Arabici. (apud Lud. Viuem Scholiasten Augustini 21. *de ciuit. cap.* 4.) Vt ergò ille tantùm Adamas in pretio habetur, qui malleorum ictibus probatus est: ita & ille Christianus, qui tentationibus pulsatus perstitit in virtute; iuxta id *Eccl.* 31. *Qui probatus est in illo & perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna.*

D. III. Stimulus ad virtutem. TERTIÒ, Stimulus ad virtutem. Ita enim tentationem nominat Apostolus 2. *Cor* 12. *stimulum*, inquam, non gladium, non pugionem, non lanceam aut fustem. Stimulus enim citra noxam & vulnus pecus propellit ad gressum velociorem: ita tentatio nō nocet, sed alacrius viâ virtutis progredi cogit. Ventus est tentatio: is dum ventilat arbores, magis consolidat: hæc dum hominem exagitat, magis roborat, vt docet D. Gregorius 2. *moral. cap.* 26. Accedit Nilus Abbas: *Plantas*, inquit, *enutriunt venti & tentatio confirmat animæ fortitudinem.* Hyberno tempore stomachus ob externum frigus maiori abundat calore, qui per antiperistasin se colligit ad stomachum & resistit circumstanti frigori. Si thesin aliquam propugnes, eò pluribus & validioribus te munis rationibus, quò pluribus argumentorum telis eam impugnari videris. Sicut cum acri antagonista congrediendū tibi est, omnes vires exeris. Marcet enim sine aduersario virtus. Ita omnino Dei seruus, quò magis oppugnari virtute suam cernit, eò magis sese armat ad eam contutandam magisque in ea proficit. Illustrat hanc doctrinam, quod refertur *in vitis PP. l. 3. cap.* 8. de quodam seniore, qui videns discipulum grauiter tentari fornicatione: inquit, *ô fili, deprecor Dominū vt auferat à te istam impugnationem.* Cui discipulus: *Video pater, quia etsi laborem sustineo, sentio tamen fructum in me perficere bonum: quia per occasionem impugnationis huius & amplius ieiuno & ampliùs in vigilijs & orationibus tolero: sed deprecor te vt exores pro me misericordiam Domini, vt det mihi virtutem, quatenus possim sustinere & certare legitimè.* Mox senior: *Nunc cognoui fili, quia fideliter intelligis, quòd hoc spirituale certamen per patientiam ad salutem æternam animæ tuæ proficiat.* Inter alia stimulat tentatio vt ad Deum recurramus pro subsidio & ope, vtpote quam nobis necessariam aduertimus, ad victoriam parandam. Vnde S. Chrysostomus *l.* 1. *de proui.* ait: *Quando malignus ille perterret nos atque probat, tunc frugi efficimur, tunc nosmetipsos agnoscimus, tunc ad Deum omni studio recurrimus.*

QVARTÒ, Gloria Dei & virtus iustorum, vt innotescat vtraque. *Omnis* quidem *homo mendax*, id est, labilis & instabilis, puluis & cinis est: potest tamen Dei virtute ita consolidari, vt quoscumque ictus maligni hostis sustineat & contemnat: atque in eum finem vult eiusmodi hominem Deus tentationibus examinari, vt probetur eius virtus & pateat Dei gloria, qui in sanctis suis tam mirè operatur. Vinum quod ex aquâ fecit Dominus, statim Architriclino afferri degustādū iussit. Quo examinato, is, *bonum vinum*, inquit, *Ioan.* 2. Sanatum paralyticum iussit tollere lectum suum & portare in domū suam: quo nimirum pateret eum reuerà & integrè sanatum esse, *Ioan.* 5. & *Luc.* 5. Puellæ resuscitatæ iussit dari ad manducandū, *Marci* 5. Lazarum suscitatum iussit solui & abire *Ioan.* 11. Cur hæcne suspecta esset istorū salus; deò examini subiecta. Par ratio est in iustis. Hos enim in baptismo & pœnitentia per gratiam suam consolidat, ideoque probari vult per varias tentationes, vt eorum pateat sanitas & virtus, indeque Dei Gloria. Exemplo est S. Iob, cuius virtus & patientia vt pateret orbi, voluit eum Deus subiicere vexationi dæmonis; ad quod eum inuitauit verbis illis: *Considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra?* Neque enim credidit Dæmon tam solidam, tam adamantinum, tam armatum esse, vt omnis generis clades sustinere posset: posteà expertus est. Inde patuit virtus Iobi, inde & Dei gloria. Deinde hoc ipso, quòd diabolus tentat hominem iustum, indicat in eo esse talia Dei dona, quibus alios multos excellit ipsumque inprimis diabolum: neque enim eum tentaret, nisi in E. IV. Gloria Dei.

in maiore honore conspiceret esse positum. Hinc aduersus Adam primò consurrexit, quia excellenti dignitate vidit præditum: propterea & contra Iob arma mouit, quia viderat eum à Deo magnis laudibus celebratum. Bonũ ergò indicium & magnę gratię argumentum est tentari; tantum abest, vt malum. Denique vt pateat Diabolo, iustos in baptismo & conuersione suâ verè & ex animo ei renuntiasse vt qui nullis artibus, minis vel promissionibus reuocari ad eum possint. Miles à suo Duce ad hostium partes profugiens, si ad primam Ducis vocem territus ad eum reuertatur, minimè censetur Ducem suum deseruisse.

F. V. Iustorum exercitiũ. QVINTÒ. Iustorum exercitium. Nisi enim tentationibus subinde agitentur & ventilentur, otio torpebunt indeque computrescent. *Sicut caro*, inquit S. Laurentius Iustinianus loco supracit. *si sale non aspergitur, quamuis sit magna & pracipua corrumpitur: ita & anima, nisi tentationibus assiduè saliatur, continuò resoluitur & relaxatur. Per ipsa namque tentamenta anima negligentia putredinem excutit & in spiritus viuacitate conseruatur.* Narrat Palladius Abbatem Pastorem cuidam dicenti: *Oraui Deum & liberauit me ab omni tentatione*, respondisse: *Ora Deum vt tibi tuas tentationes reddat, ne fias deses & negligens*; idque à Deo approbatum esse. Quemadmodum cos aciem, ita tentationis exercitatio vires animi acuit & auget. Equus qui ad cursum nunquam exercetur, nullum impetum sustinet, imbellis est & impotens: contrà qui bello assuetus est, nec armorum strepitus, nec bombardarum sonitus timet, agilis & robustus est. Manus Agricolarum laboribus assuetę, in callum obdurantur & fortes sunt: contrà delicatæ & otiosæ minimo labore franguntur ac vulnerantur. Ita res habet cum animâ; eneruatur enim otio: roboratur tentationis exercitio.

G. VI. Gloriosior ereptio. SEXTÒ. Gloriosior ereptio. Sinit enim Deus velut strenuus natator mergi nonnihil eos, qui minùs natandi arte pollent; sed cùm videt eos deficere, ilicò eis adnatat & auxilium præbet. Testatur id *Isaia 54. cap. Ad punctum in modico dereliqui te, in miserationibus magnis congregabo te.* Fecit hoc Petro Dominus, quando super mare ambulans, idipsum Petro concessit, & mergi incipientem erexit. Hinc omnes ædificati adorauerunt eum, dicentes: *Verè filius Dei es. Matth. 14.* Idem fecit Petro, post lapsum erecto, inde enim humilior & cautior surrexit. Et propterea non orauit Dominus, ne cribrarentur à Sathanâ discipuli; tametsi ea cribratione vincendi essent: sed vt ea tentatio in maiorem ipsorum vtilitatem cederet essetque illis instar cribri, quo purificarentur. Cùm à populo vexarentur & insidias paterentur Moyses & Aaron, fugerunt illi ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes & apparuit gloria Domini. *Num. 16.* Ita cùm tentantur iusti, recurrunt ad Dei opem veluti asylum, descenditque nubes protectionis diuinæ ad eorum defensionem, & suam in eis gloriam manifestat.

Conc. Fabri Pari Hyemalis.

SEPTIMÒ. Maius in cœlo præmium. *Beatus enim vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vita*, inquit S. Iacobus cap 1. Et Ioannes Apoc. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*; id est, vt sit magnus & gloriosus, tum in Ecclesiâ, tum in cœlo. Huiusmodi columna erat inter alios S. Antonius, cui post tentationes & pugnas cum Diabolo habitas apparuit Christus dicẽs: *Quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi & faciam te in toto orbe nominari.* Athan. in eius vitâ. Atque hinc etiam oritur mira in animo tranquillitas post superatam tentationem, ex spe nimirum sublimis coronæ quæ victores in cœlo expectat. H. VII. Maius in cœlo præmiũ.

Quare Auditores, non modò non molestè accipite, cùm tentationis procella exurgit: Verùm, vt cum S. Iacobo cap. 1. loquar, *omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes incideritis.* Non orandum quidem vt in tentationem incidamus; sed si ex Dei voluntate inciderimus, gaudij materiam habemus. Duo habet tentatio: sollicitat ad peccatum; & dat materiam luctæ. Ex illo capite fugienda, ex hoc verò amplectenda est; atque hoc sensu dicere possumus id *Cant. 4. Surge Aquilo & veni Auster* (ille austerus & frigidus, hic verò noxius ventus est) *& perfla hortum meum, & fluent aromata eius.* Aromata, hoc est, commoda tentationis indicata, &c.

CONCIO II.

Cõcupiscentiæ motibus quomodo obuiandum.

1. *Exurgente vento concupiscentia, statim ei imperandum, ac principijs obstandum.*
2. *Primi motus contemnendi.*
3. *Animus colligendus, cogitando quid agas, &c.*
4. *Mens bonis rebus occupanda.*
6. *Exploranda tentationes.*

THEMA.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8.

QVod nauiculæ Christi in hodierno Euãgelio contigit, proh sępe nimis contingit cordi humano & vnicuique nostrûm. Ibi ventus excitauit fluctus, hi nauem operuêre & penè obruêre. Quid ventus nisi tentatio? ventus exhalatio est à nube in terram depulsa. Tentatio illecebra est à maligno Dæmone cordi nostro ingesta. Ventus agitat fluctus, tẽtatio motus cõcupiscentiæ ciet. Hi ergò in cor nostrum magno sæpe impetu sæuiunt, quasi id euersuri & à Deo omnique virtutis proposito auersuri. Audiamus magnum Apostolum hac tempestate agitatum & propterea ingemiscentem: *Infelix ego homo*, ait *ad Rom. 7. quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quare nos instar prouidi Nauarchi præmuniamus nos contra istos fluctus & discamus quâ ratione eis, si forte in- A.

tè ingruerint, occurrere debeamus.

B. I. Primis motibus mox occurrendum.

PRIMÒ, Vento concupiscentiæ exurgente statim impera illi & dic: *Tace, obmutesce*. Vin' clarius? Primi motus non sunt quidem in nostra potestate, sed possumus tamen illis citò obuiare, & principiis obstare. Non possumus quidem viuere citrà omnem tentationem, *possumus* tamen, vt ait S. Hieronymus, *in epistola ad Eustoch. dum paruus est hostis, eum interficere, nequitiam elidere in semine*. Vnde Dauid Psal. 136. *Beatus*, inquit, *qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram*. Huiusmodi paruuli sunt carnis, iræ, superbiæ, impatientiæ titillationes, ad Christum firmissimam petram allidendi. Quòd si istis motibus vel minimam fenestellam aperueris, illicò vires accipient & robur fortiusque ad peccandum impellent; vt respondit aliquando dæmon S. Pachomio, *in vitis PP. 1. p. pag. 913.* Non potest nauta ventos compescere: potest tamen ratio compescere motus concupiscentiæ: potest illis dicere: *Tace, obmutesce*; non assentior, non audio; quia Deus dixit homini: *sub te erit appetitus eius* (peccati) *& tu dominaberis illius. Gen. 3.* Sed quemadmodum puero faciliùs dominamur quàm viro: ita res habet in concupiscentiis: *Cogitatio fornicationis*, inquit Abbas quidam in vitis PP. cap. de fornicatione, *fragilis est, velut papyrus. Si ergò iactetur in nobis, & non acquiescentes proijciamus illam à nobis, facilè rumpitur*. Contrà quàm difficulter superentur inueteratæ cupiditates, ostendit S. Dorotheus *ser. 11.* exemplo cuiusdam confratris sui qui ad ipsum venit dicens: *Da mihi veniam, obsecro Domine, & ora pro me: quoniam & furtum surripio & comedo*. Concedit igitur illi, vt adeat Oeconomum, quoties esurierit, comedatque quantum placuerit, modò ne quid furetur imposterum. Fecit ille vt iussus erat: sed paulò pòst rediens ad Dorotheum; iterum se furari & furtim edere queritur, quòd petere erubesceret. Iubet ergò Dorotheus, petere imposterum à se quidquid libuerit, confestim obtenturum. Accessit ille cùm voluit, & comedit quantum voluit; sed ecce rursum furari incepit, narransque id Dorotheo ait: *Ecce denuo furor & nescio cur id faciam*. Cui Dorotheus: *Dic mihi veritaté quid agis ex his, quæ furatus?* Respondit: *Asino ea appono*. Atque ita inuentum est, furabatur enim palmulas, ficus, cæpas & alia id genus, quæ sub lectulo reponens, cùm denique nesciret, quid cum iis ageret, asino offerebat. *En frater*, subdit

.A

Dorotheus, *quàm miserum sit passiones habere iam inolitas & in habitum prolapsas*. Bene ergò S. Chrysostomus *hom. 2. ad pop. ait: Canis similis est voluptas; si pellas, fugit; si nutrias, permanet*. Serpens est concupiscentia, quò caput infert, eò totum corpus facilè inducit.

C. II. Contemnendi primi motus.

SECVNDÒ, Contemne istiusmodi motus; quia nullum est peccatum in sensu, sed in consensu tantùm. Materia potiùs virtutis & meriti sunt hi motus, quàm peccati. Audi Bern. *de vit. dom. Molesta est lucta, sed fructuosa; quia si habet pœnam, habebit & coronam. Non nocet sensus, vbi non est consensus; imò quod resistentem fatigat, vincentem coronat*. Docemur & hoc à Christo, cùm dixit ad discipulos fluctuantes: *Quid timidi estis, modicæ fidei? vbi est fides vestra?* Ergò si credimus certissimæ Theologorum doctrinæ primos scilicet motus, quamdiu illis non condescẽdimus, non auscultamus, non admittimus quod suggerunt, peccato carere: quid timemus & turbamur? Virum spiritualem designat Onager, qui vt ait Iob c. 39. *clamorem exactoris*, id est, ventris aut carnis, *non audit. Clamorem exactoris non audire*, inquit Greg. *l. 30. Mor. c. 13. est, violentis tentationum motibus minimè cõsentire*. Item omninò iudicium esto de prauis, quæ insurgunt cogitationibus vel contra castitatem, vel fidem, aliámve virtutem: quò enim absurdiores sunt, eò minùs periculosæ: quia à consensu tuo longiùs absunt. Hinc S. Catharinæ Senensi, dũ immundis cogitationibus admodum iactaretur, respondit Christus, se tùm in corde eius fuisse, fecisseque vt ei displicerent cogitationes illæ. Fac igitur quod docuit pater quidam spiritualis monachum eiusmodi fœdis cogitationibus vexatum 20. annis, apud Gerson 3. p. f. 71. Cùm te inuaserit talis turpis cogitatio dic: *Tibi & super te inimice nequam, sit hæc tua blasphemia; ego nihil in eâ habere volo, sed Dominum meum adoro & veneror in ipsumque credo*. Imò ne conflictu aut voce quidem opus est: satis, imò securius est, contemnere hos latratus; quomodo generosi canes transeunt immoti per catellos & despiciunt latrantes, vel sicuti viator, cùm turbo in eius vultum attollit & conijcit puluerem, clausis oculis transit. Tantum abest vt anxij esse debeamus, quæ anxietas sæpe plus obest quàm prodest.

B. III. Animus colligendus.

TERTIÒ, Anchoram iacito & firmato nauem, hoc est, siste animum & cogita quid agas, quò abripiaris, quid quæras; antequam sequaris concupiscentiam tuam. Videbis enim primò fortè non assecuturum te, quod quæris, iuxta id Iacob. 4. *Concupiscitis & non habetis*, id est, non obtinetis quod concupiscitis. Vel enim id omninò non assequuntur, quod sæpissimè fit; vel eo, quod quæsierunt, habito, necdum acquiescunt, sed magis accendunt sitim, vel acquisitum citò fastidiunt & alia desiderant; vel id non tam possident, quàm ab eo possidentur, vnde re cupitâ frui ac gaudere nequeunt, vt auarus nummis.

Videbis secundò cupiditates omnes relinquere pòst se amaritudinem, vermẽ, pudorem. Vnde præcepit Aristoteles, *vt voluptates abeuntes consideremus*, (apud Valer. l. 7. cap. 2.) *non venientes*, veniunt enim cum dulcedine, abeunt cum amaritudine, quo modo aquæ dulces abeunt in mare & in eo fiunt amaræ. Testem habemus expertum Salomonem, qui in omnibus suis cupiditatibus asserit se non inuenisse nisi vanitatem & afflictionem animi. Idem Aristoteles 2. *Eth. c. vlt.* docet vt circa voluptates nos geramus, sicut proceres Troiani circa Helenã, qui eam dimittendam censebant, ne belli damna & excidium incurrerent. Et Epictetus c. 56. *Si voluptatis alicuius imaginem*, inquit, *animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea moueâris. Sed & rem examina & tibi ipsi præbe deliberandi spatium: deinde*

de vtriusque temporis memorô; tum eius quo voluptate perfruerū, tum eius, quo perceptâ iam voluptate dolebis teq; ipse obiurgabis. Atque hic illa confer, si abstinueris, fore vt gaudeas teque ipse collaudes. Coruū scribunt in siccâ æstate, tametsi pluuiam prænunciat & sitit, abstinere tamen à potu aquæ pluuialis, ad ventris profluuium sedandum. Pier. *lib.* 23. *Hierogl.* Sic coercuit se Dauid abstinendo à potu concupito, quem sine notâ temeritatis bibere non poterat. 2. *Reg.* 23. Item cùm pepercit Sauli 1. *Reg.* 24. Cur non ita sapimus nos? an nescimus gulam desinere in cruditatem stomachi, membrorum dolorem ac tremorem, morbos denique & immaturam mortem? Libidinem in luem veneream & membrorum deprauationem? superbiam in odia, inuidiam, æmulationem, inquietudinem, auaritiam, in curas & anxietates?

E. IV. Mens bonis rebus occupanda.

QVARTÒ, Strenuè labora, nautarum instar, cùm vel pontem vel alium locum periculosum transeunt, qui totis viribus remos trahunt, elauum semper in manu tenent, &c. Hunc in modum tu mentem tuam auoca à re quæ tibi prosequenda obiicitur; velut si conuentus ab aliquo natrante tibi nugas animum nō aduertas, nec cures quæ ille blaterat, sed operi tuo intendas. Quare vt monet S. Hier. *semper aliquid boni fa.ito, vt te Diabolus inueniat occupatum.* Sic docuit Angelus Antonium vincere tentationes, nunc texendo calathos, nunc procumbendo ad orationem, vt alibi diximus. Adhæc obnitere obnitenti concupiscentiæ tuæ: perturbat te illa, perturba & tu illam. Sic faciebat ille Sanctus, qui corpus onerans dicebat: *Vexo vexantem me.* Tentatus enim spiritu superbiæ, sportam terrâ impletam gestauit de loco in locum, apud Pallad. Narrat Smaragdus Abbas l. de gemmis, vidisse aliquando nescio quem Religiosum duos Dæmones inter se fabulantes, quorum alter: *Heu, vt tibi succedit cum tuo monacho? Ex sententiâ,* alter responder: *nam quicquid ipsi suggero, arripit, cogitandoque fouet: postea singula relegens, cogitationis ortum occasionemve, progressum, moram inquirit, an ei pro virili restiterit, an consenserit, num quid aliunde culpæ contraxerit: ita misero cerebrum perturbo, & tantum nō ad insaniam redigo.* (Ecce quem ludum Dæmon ludat cum eo qui cū suâ tentatione disputans rationes dat accipitque; neque enim Dæmoni, quaa vocāt, instantiæ desūnt, neque strophæ, neque vllius generis argumēta.) Prior ergò Dæmon: *At ego,* inquit, *cum meo monacho admodum nihil promoueo: quamprimum enim ipsi cogitationem prauam inijcio, mox ad Deum aut aliam cogitationem bonam, aut occupationem quampiam honestam, quibus meum semen suffocet, recurrit, vnde nullus mihi ad eius animum patet accessus.* Imprimis verò occupa te cogitationibus mortis, inferni, & Passionis Dominicę. Ionas exortâ tempestate, pro maiori securitate descendit ad interiora nauis. *Ion.* 1. Tu in tentatione recipe te ad fundum cordis, meditando mortem & infernum. Sic Abbas Elias apud Io. Moschum *in prato c.* 19. tentatus ex aspectu fœminæ religiosæ, raptua in exstasin vidit in hiatu terræ cadauera putrida & fœtentia omnis generis hominum, monitus à viro graui vt nunc frueretur sua voluptate, cū quo vellet cadauere, mulieris, viri, pueri. Ille autem præ fœtore in terram cecidit. Ita de libidine triumphauit. Optimè S. Greg. *l.* 18. *Moral. Caro,* inquit, *cùm concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, intelligetur, quid ametur.* Ita Eremita ille *in vitis PP. l.* 5. *l.* 5. *n.* 22. tētatus circa fœminam, vbi eam mortuam audiuit, aperuit eius sepulchrum & pallio suo detersit saniem putrefacti cadaueris: mox rediens in Eremum, ingruente suggestione mala fœtorem infecti pallij intuitus: *Ecce habes,* inquit, *quod quærebas satia te.*

F. V. Oratio adhibenda.

QVINTÒ. Ora & clama ad Deum: *Domine salua nos, perimus. Si enim duo pugnarent,* ait S. Th. opusc. 7. *& velles vnum iuuare, alterum non: oporteret primo auxilium dare, secundo verò subtrahere. Inter spiritum autem & carnem est prælium continuum. Vnde oportet, quòd si vis vt spiritus vincat des ei auxilium, & hoc fit per orationem: carni verò subtrahas, & hoc fit per ieiunium.* Hæc ille. Quid ageres, quæso, si domi tuæ fures nocturno tempore deprehenderes? nōnne clamores excitares & vicinorum opem inuocares? Ita certè S. Bernardus, cùm ad eius cubiculum impudica mulier ingressa esset, exclamabat: Latrones, Latrones; sicque territam mulierculam illicò fugauit; vti aliàs diximus. Quando ergo in corde tuo peruersos concupiscentiæ motus exurgere aduertis, tunc fures & latrones domum tuam ingressos esse nihil dubita. Quid igitur consilij, nisi vt ad Deum clames, sanctorumque opem inuoces, dicens: Latrones, Latrones mihi ingruunt: Domine adiuua me?

G. VI. Exploràdæ tentationes.

SEXTÒ. Nosce ventos, quinam sint & vnde prodeant, hoc enim non parum adiumenti adfert nauigantibus in tempestate. Qua de re pulchrè hic discurrit P. Cornelius à Lapide in cap. 1. Iacobi: Magna pars victoriæ est, nosse id quod suggeritur, esse tentationem, si enim scrupulosi, acedi, timidi, melancholici scirent cogitationes & motus timoris, angoris, tristitiæ, pusillanimitatis, qui eis crebrò suggeruntur, esse à scrupulo, acediâ, timore, melancholiâ, ilicò eos auersarentur & repellerent, at dum metus & anxietas mentem percellunt & obnubilant, id non vident, timentque, ne quid veri dubij, timoris & peccati subsit aut lateat; ideò anguntur & cruciantur. Credant ergò suis Confessariis, virisque prudentibus; credant suæ experientiæ, sibique dicant: Ego laboro nimio metu, angore, scrupulo, hic meus est morbus, hoc meum malum, hoc meum vitium: Crebrò eius motibus exagitor. Hactenus re discussâ expertus sum & didici, metus, qui mihi suggeruntur, inanes esse & vanos: in re nihil esse metuendum. Hunc ergò pariter vt inanem & vanum contemnam. Sicut enim hydrophobi, qui metu & melancholiâ laborant, omnia tuta timent, ne v.g. domus in eos cadat, ne pauimentū eos dehiscat, ne tegula decidens eos feriat, ideoque eis dicunt Medici: Erras, ista tibi suggerit humor melancholicus, domus non gyrat, firma consistit, non cadet, sed tuum cerebrum gyrat, laboras capitis vertigine &

ne & maniâ: ne ergò credas illis suggestionibus, quos tibi tuus timor & mania parit: vides enim cæteros illis non credere, imò ridere vt vanos & futiles: Ita prorsus accidit scrupulosis, meticulosis & tristibus, qui proinde suis apprehensionibus & angoribus totis viribus resistere debent, ac imitari Christum, qui orans in horto adeò validè timori & horrori mortis restitit, vt ex luctâ & contentione sudarit languinem. *Luca* 22. ideoque planè horrorem hunc vicit & prostrauit. Si simili conatu timoribus nostris resisteremus, vtique eos debellaremus.

CONCIO III.

Duodecim Ecclesiæ persecutiones, sub Gentilibus.

Prima persecutio facta est sub Nerone.
2. *Sub Domitiano.*
3. *Sub Traiano.*
4. *Sub Adriano.*
5. *Sub M. Aurelio.*
6. *Sub Seuero.*
7. *Sub Maximino.*
8. *Sub Decio.*
9. *Sub Valeriano.*
10. *Sub Aureliano.*
11. *Sub Diocletiano & Maximiano.*
12. *Sub Iuliano Apostata.*

THEMA.

Et ecce motus magnus factus est in mari ita vt nauicula operiretur fluctibus. Matth. 8.

A. ANtequam tempestas in mari oriatur, præcedunt ordinariè certa quædam indicia & præsagia illius: veluti Delphini lasciuientes tranquillo mari, conchæ adhærescentes, echini affigentes sese aut arenâ saburrantes teste Plinio libr. 18. cap. vlt. idque ex Dei benignâ prouidentiâ, vt nautæ & nauigantes rebus suis consulere possint & periculum euitare, aut saltem animæquiùs tolerare. Et quid sibi fluctus hodierni & sæua tempestas voluit? quid præsagiit, nisi tempestatem aliam ferociorem futuram in Ecclesiâ, & fluctus persecutionum, vt iis exurgentibus non conciderent animis, qui in Ecclesiæ naui futuri erant? Hi enim primis 300. annis Ecclesiæ nauiculam sæpiùs ita obruerunt vt mergenda non semel videretur. Et videbatur interim dormire Christus & Ecclesiam deserere; sed ad extremum excitatus suorum precibus & calamitatibus, surrexit & imperauit ventis, factaque est subinde serenitas, donec tandem omni sublatâ persecutione, magna & omnimoda tranquillitas subsecuta est. Et quidem hac nos fruimur nunc per Dei gratiam: non tamen decet nos ignorare, quæ & quanta pericula, quantas calamitates Ecclesia mater nostra in ipso sui exordio passa sit. Hinc enim intelligemus Dei nostri magnalia, qui tam iniquis temporibus tam mirabiliter propagauit fidem nostram & extinxit Idololatriam. Intelligemus quantò sanguine constiterit ædificium Ecclesiæ. Intelligemus quàm non sit consilium aut potentia contra Deum. Intelligemus quàm bono loco & quàm quieto tempore nauigemus modò nos. Quocirca videamus, quot & quàm impetuosi fuerint hi fluctus.

PERSECVTIO PRIMA sub Domitio Nerone sexto Rom. Imp. fuit. Qui primo biennio sui Imperij videbatur bonus & abhorrere à cædibus, ita vt cùm ex more super alicuius capite damnati supplicium subscribere deberet, diceret: *Quàm vellem nescire litteras?* Sed paulò pòst totus alius præter spurcitiam quâ Sporum puerum exsectum in muliebrem naturam transformare conatus est & cum dote ac flammeo per solemne nuptiarum celeberrimo officio ad se deductum pro vxore habuit, (vnde cuiusdam non inscitus iocus extitit, bene agi cum rebus humanis potuisse, si Domitius pater talem habuisset vxorem) exercuit etiam sæuitiam inprimis in domesticos. Matrē enim Aggrippinam occidi præcepit, & ad visendum occisæ cadauer accurrit, attrectauit, alia laudauit, alia vituperauit, sitique interim obortâ bibit. Occidit etiam amitam: Octauiam vxorem calomniis circumuentam & relegatam mori præcepit. Poppæam item coniugem ictu calcis occidit. Præterea ditissimos & optimos quosque de medio sustulit. Optabat vt se viuente terra igni misceretur; id quod modo aliquo præstitit: nam incendit vrbem palam & per sex dies septemque noctes ardentem spectauit lætus ipse in turre Mæcenatianâ ἅλωσιν Ilij scenico interim habitu decantans. Quæ ideo recensui vt palam fieret, quisnam & qualis fuerit qui primam in Christianos persecutionem mouit. Hoc enim obtrusit gentilibus Tertullianus *in Apol. ad senat. P. Rom. Consulite*, inquit, *commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in sectam tum maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ ita gloriemur: qui enim scit illū, intelligere potest, non nisi aliquod bonum grande à Nerone damnatum.* Sic ille. Ex illo verò suo incendio prætexuit & sumpsit causam persequēdi Christianos; quasi ipsi incendium id excitassent, cùm tamen ipse certissimus eius auctor foret, vt testatur Suetonius. Sed vt opinionem immissi incendij & inuidiam in se conflatam amoneret, Christianos subdidit reos, inquit, Tacitus l. 15. eosque exquisitissimis affecit suppliciis, ita vt ferarum coriis insutos canibus obiiceret aut crucibus affigeret, aut in vsum nocturni luminis combureret. Occidit autem Principes Apostolorum, Petrum cruce, Paulum gladio. Ipse tandem crebris defectionibus conterritus & à senatu hostis iudicatus & profugus à palatio, cùm odiosus omnibus quæri se ad necem sciret, seipsum transfigendo sibiipsi mortem attulit iuuante Sporo, dicens: *Dedecorosè vixi, turpiùs peream.* Sueton. Eutrop. Ecce igitur, Christus surgens imperauit mari & ventis: & facta est tranquillitas magna, sub 5. sequentibus Imperatoribus, Galbâ scilicet, Othone, Vitellio, Vespasiano & Tito.

B. I. Sub Nerone.

SECVNDA, Sub Domitiano 12. Imp. qui inprimis fratrem Titum Imperatorem veneno sustu-

C. II. Sub Domitiano.

substulit, vti fama erat. Posteà in Christianos, qui priùs certis horis muscas capere & cõfigere acutis stylis solebat, sæuire cœpit. Ioannem Euangelistam in feruentis olei dolium coniecit, nihilque inde passum in Patmos Insulam relegauit. Cletum Papã religionis causâ interfecit. Antipam Pergami Martyrem fecit, &c. Tandem ingenti superbiâ, quâ Dominum & Deum se nominari iusserat, elatus & omnibus inuisus ob crudelitatem suam, à Flauię Domitillæ relegatæ procuratore Stephano interficitur, & à Vespillonibus cadauer eius tanquam gladiatoris effertur contumeliosè. Suet. Dio & Philostr. Cuius morte adeò lætatus est senatus, vt mortui statuas & arcus euerteret, imagines & clypeos detraheret & ad terram allideret; titulos item & memoriã eius omnem vndique eraderet. Atque ita rursum pax Ecclesiæ facta est sub Neruâ qui edicto vetuit ne quem liceret impietatis, id est, sectæ Christianorum accusare, quos etiam exules reuocauit.

D. III. Sub Traiano. TERTIA, sub Traiano 14. Imp. qui Clementem Papam Dijs immolare nolentem relegauit in Pontum cum aliis plurimis Christianis; Simeonem fratrem Domini dictum filium Cleophæ in crucem egit 120. annos habentẽ. S. Ignatium Episcopum Antiochen. Leonibus obiecit, Onesimum Pauli discipulum, Ephesiorum Episcopum, lapidibus obruit, &c. Lustrans exercitum, inuentos vndecies mille Christianos Dijs immolare nolentes in Armeniam relegauit. Quinque item Virgines Christianas igne cremauit, ex quarum cineribus æri admistis ænea vasa fieri mandauit & publico lauacro dedicauit. Verùm Deo vlciscente quicunque aquas illas attingebant, caligine & vertigine correpti inde procurrebant concidebantque. Quo cognito Traianus ea rursum conflari in statuas & imagines 5. illarum virginum iussit, & pro balneo collocari. Plinio Bithyniæ præfecto Christianos per litteras purgarti, quòd nimirum Christiani nihil contra leges agerent, solummodò surgerent ante lucem, Christum tanquam Deum laudarent, disciplinæ & honestatis amantes à vitiis vehementer abhorrerent: ad has, inquam, Plinij litteras rescribit, eos quidem non inquirendos, sed oblatos tamen puniendos. Tiberiano item Palæstinæ Prælidi scribenti, se non parem esse Christianis occidendis, qui vltro supplicia appeterent, mandauit, vt & omnibus præfectis suis, ne eos suppliciis afficerent, vt refert Suidas. Occubuit tandem apud Selinuntem siue morbo, siue veneno, vt refert Dio Cass. vltimo eius anno passus Phocas martyr damnationem & post triduum mortem ei prędixit, vti & contigit, vt refertur in fasciculo temp. *Traiane*, inquit, *perge ad vlterioris abyssi loca & ad praeparata tibi tormenta festina, vbi nocte perpetuâ & fame excruciandus es incendio. Triduo hac in luce versaberis, quo emenso cadiga te mortis excipiet; nec enim multum innocentium sanguis deuitus esse potest.*

E. IV. Sub Adriano. QVARTA, Sub Adriano 15. Imp. qui tumultuantes Ierosolymis Iudæos omninò euertit & eiecit, ita vt pedem ampliùs in eam vrbem referre non auderent: & iuxta prædictionem Isai c. 33. *terram à longè cernerent*. Pòst arma in Christianos vertit, quoniam à Iudæis prognatos existimabat. Atque vt Antecessorem Traianum in omnibus æmulabatur, dirissimè sæuiit in illos, ita vt ad fidelium damnationem nulla iudicij dispositio seruaretur, sed Christiani à quocunque delati statim absque vllâ aliâ inquisitione ad cædem raperentur. Id quod ægrè ferens Serenius Granianus, vnus ex Imperatoris præsidibus, ad Imperatorem scripsit iniquissimum esse, clamoribus vulgi innocentissimum hominum sanguinem concedi & sine vllo crimine nominis tantùm & sectæ reus fieri. Quibus commotus Adrianus Minutio Fundano eius decessori, proconsuli Asiæ scripsit, sine obiectu criminum Christianos non condemnandos. Vt refert Euseb. Cæsar. in Chron. inter alios S. Dionysius sub eo martyr factus est, secundùm Bedam & Adon. Item Eustachius, alio nomine Placidus eum vxore Theopistâ & filiis Leonibus obiectus, & cùm nihil læderetur, boui æneo inclusus subiit martyrium. Item Euaristus Papa: Faustinus & Iouita: Alexander Papa cum sociis, qui maiorem senatorum vrbis partem conuerterat ad fidem. Symphorosa cum septem filiis, &c. Tandem ipse in Tiburtinâ villâ profluuio sanguinis penè ad exitum venit, mox phtisi & aquâ intercute laborans, tædio vitæ mortem expetens nec inueniens, qui eam sibi inferret, siue Medicum siue domesticum, inediâ sibi vitam finiit. Dio & Spartian. non tam quòd Seruianum virum bonum occiderit, vt isti referunt: quàm ob ingentem Christianorum carnificinam. Respirauit posteà Ecclesia sub Antonino Pio per annos 24.

QVINTA, Sub M. Aurelio Antonino Vero 17. Imp. Anno Domini 140. cum quo simul regnabat Lucius Aurelius Verus. Inprimis M. Aurelij proconsules passim in Christianos sæuiebant, idque ex veteri magis, quàm Marci edicto, quo omnis peregrina religio vetabatur. Posteà etiam ipse legem tulit vt omnes Dijs sacrificarent, qui verò recusarent, damnarentur, & quidem acerbissimis cruciatibus torquerentur, vti scripsit ad præsidem Galliarum apud Euseb. *l. 4. cap. 1.* Inter alios sub eo passus est S. Polycarpus S. Ioannis discipulus, Episcopus Smyrnæ. S. Iustinus Martyr. S. Fœlicitas cum septem filiis, Geruasius & Prothasius tempore belli Marcomannici quòd Deorũ Sacerdotes dicerent, vinci nõ posse, nisi his sublatis. Tandẽ cùm ope & oratione Christianorum aduersus Marcomannos victoriam diuinitus obtinuisset, obtentâ per eos exercitui suo aquis destituto pluuiâ, in hostilem verò grãdine mixtâ fulminibus, eo miraculo commotus persecutionem inhibuit, imò omnem, qui Christianum religionis causâ accusasset, viuum exuri præcepit. Vt testantur eius litteræ eã de re ad senatum missæ apud Iustin. *in fine Apolog. 2. pro Christ.* Vbi inter alia habet: *Iam nunc igitur permittimus* F. V. Sub M. Aurelio.

esse Christianos huiusmodi hominibus: ne forte contra nos tale quidpiam telum postulando impetrent, &c. Quia tamen in perfidia sua persistit, tandem & ipse male periit in Pannonia, voluntaria scilicet cibi abstinentia. *Fertur autem*, inquit Iulius Capitolinus, *illum mori voluisse, cum filium talem videret futurum, qualis exstitit.* Sed diuino plane iudicio permissum est vt in punitionem tanti effusi sanguinis Christiani, filius eius nequissimus & crudelissimus vrbem, senatum, Ciues, Principes, præfectos immanissimè trucidaret, nulla interim Christianis illata molestia. Vt est apud Baron. Anno 182. Atque ita rursum Christus præcepit ventis & mari: dum sub Comodo Imp. pax Ecclesiæ reddita & fides mirè propagata est per annos 13. & amplius.

G. VI. Sub Seuero. SEXTA, Sub Septimio Seuero 21. Imp. qui leuissima de causa occasionem sumpsit persequendi Christianos. Cùm enim ipse ex Galliis vrbem ouans ingrederetur & publica lætitiæ signa ederet, quæ soli Christiani, vtpote Christianæ modestiæ contraria, prætermittebant: Miles etiam quidam Christianus coronam, inter cæteros milites coronatos, quasi non liceret in capite gestare ob Christi reuerentiam, manu gestaret, idcircò Christiani in odium vocati & miles in vincula coniectus est, indeque grauissima Christianorum persecutio cœpit. De quo Tertullianus *in Apolog. c. 35.* scribit: *Propterea igitur publici hostes Christiani, quia imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant, quia vera religionis homines etiam solemnia eorum potius conscientia quam lasciuia celebrant. Grande videlicet officium, focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras: siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus?* Sic ille, qui de persecutione illa eodem libro scribit: *Crucibus & stipitibus imponitis Christianos, vndique vngulis deradatis latera Christianorum, ceruices ponimus ante plumbum & glatinum & gomphos, ad bestias impellimur, ignibus vrimur, in metalla damnamur, in Insulas relegamur.* Et quia Christiani communiter ad stipites alligati cremabantur, inde Semaxij & Sarmentitij vocabantur. Hic excogitata à Christianis redemptio vexationis per pecuniarum solutionem: adeoque grauis erat persecutio, vt aliqui existimarent, tunc Anti-Christi aduentum appropinquare, apud Eufeb. lib. 6. Passi tunc Victor Papa, Leonides Origenis pater multique eius discipuli, Ireozus, Perpetua & Fœlicitas, &c. Sed interim augebatur magis Christianorum numerus, vti testatur Tertullianus, qui sub hoc Imp. Romæ vixit: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis*, loquitur *in apol. c. vlt. Semen est sanguis Christianorum.* Seuerus tandem non tam corporis morbo quàm animi mœrore confectus, quòd sciret filium Antoninum necem sibi machinari & sæpius attentasse, obiit Eboraci in Britannia: Cuius Medicos interfecit Antoninus succedens & domesticos eius, quòd patrem tamdiu viuere permisissent. Vt author est Herodianus. Hinc rursum cessatum à persecutione per annos 23. saltem publica & solemni. Inprimis autem fauit Christianis Alexander Imp. & Christo tanquam Deo qualemcumque cultum exhibuit, vnà tamen cum diis suis: instituta etiam Christianorum imitatus est in ordinandis Sacerdotibus & Magistratibus designandis. Habuit tamen is Iurisconsultos Christianis infensos, præsertim Vlpianum, quorum operâ multi circumuenti, Martyres facti sunt, inter quos est Cæcilia Virgo, cum sponso Valeriano & fratre eius Tiburtio.

H. VI. Sub Maximino. SEPTIMA, Sub Maximino 26. Imperatore, qui propter inuidiam erga familiam Alexandri Seueri Imp. prædecessoris sui, in qua sciebat multos Christianos fuisse, persecutionem in eos mouit. Inprimis verò contra Ecclesiarum præsides. In quibus Pontianus & Anterus Romani Antistites Martyrio affecti sunt. Sed quoniam etiam in gentiles sine delectu crudeliter fæuiebat, crimina fingebat, innocentes occidebat, damnabat omnes & crudelissimè necabat, &c. Ideò Senatus Romanus vota in templis publicè priuatimque, mulieres etiam cum liberis suis faciebant, ne is vnquam vrbem Romanam videret. Deinde Senatus ab eo defecit, & milites pertesi eius fæuitiâ, è Germania in Italiam venientem & Aquileiam frustra appugnantem obtruncant simulque filium eius adolescentem pulcherrimum, conclamantibus cunctis: ex pessimo genere nec catulū quidem habendum. Cuius fortunæ nuntius de Aquileiâ quatriduo Romā auolauit mutatis equis. Eorum capita contis præfixa, Aquileiensibus demonstrarunt & Romam etiam miserunt. Vbi ingenti concursu, omnium lætitia & applausu visa & excepta sunt. Amici etiam illius omnes deinde occisi & in cloacas missi. Victor. Iul. Capitolin. & alij. Porrò non amplius quàm tribus annis durauit illius persecutio. Postea per 12. annos sub Gordiano & Philippo reddita pax Ecclesiæ est. Fuit hic Philippus primus Imp. Christianus, Christiana religione quarto imperij sui anno initiatus, qui erat millesimus ab vrbe condita. Baron. anno 249. sub eo longè lateq; propagata est fidei prædicatio, obsolescente interim gentium superstitione.

I. VIII. Sub Decio. OCTAVA, Sub Decio. 30. Imp. qui *quoniam Philippo* (Imp. Christiano prædecessori) *erat infensus, persecutionem aduersus Eccl. siam excitauit*, inquit Euseb. *l. 6. hist. Eccl. c. 39.* Et quia sub Philippo longè lateque propagata fides fuit, lāguescente indies gentili superstitione, ex hoc Decius irâ & inuidiâ incitatus, putans diuinum consilium humanâ vi posse eludi, indixit omnium atrocissimam persecutionem. Greg. Nyss. in vitâ Thaumaturgi. In ea prædictionē illam Domini: nimirum electos, si possibile foret, in errorē inducendos, propemodum completam esse scribit Dion. Alexādrinus ad Fabium Antioch. quia nimirum *hostis callidus*, vt ait Hier. in vitâ Pauli. Erem. *tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora.* Certè Origenes prius tam cupidus martyrij, cùm in abusum corporis eius Æthiops subornа-

ornaretur, sacrificare maluit. Epiph. *hæret.* 64. Multi tormẽtorum exquisitissimorum grauitate & diuturnitate à fide abrepti vel Diis immolarunt (qui sacrificati & thurificati appellabantur) vel saltem Christum negauerunt, redimentes oblationem pecuniâ (qui libellati dicebantur, quòd securitatis libellum à Magistratu accepissent.) Sed teste Cypriano *l. de lapsis*, qui tunc vixit & scripsit, illos tantùm persecutio prostrauit, quos anteà deliciæ & concupiscensiæ subiugassent, & quorum inquinatior erat vita, eorum turpior erat lapsus: quod etiam prædixit idem Cyprianus ex Christianorum motibus longâ pace corruptis *ep.* 8. Sub eâ persecutione variis orbis partibus passi sunt innumeri: dispersi alij in solitudines se receperunt, vt Gregorius Thaumaturgus, Paulus primus Eremita: Septem dormientes, qui in antro ab Insidiatoribus conclusi ibidem in Domino obdormierunt. Fabianus Papa martyrio coronatus, clerici Romani aut incarcerati, aut fugâ elapsi, ita vt per annum & ampliùs eligi Papa non potuerit. Sed Deo non ferente tam crudelem Tyrannidem, Decius secundo Imperij anno, per 3. menses inchoato, cùm contra Gothos, cum filio, quem iam Cæsarem appellauerat, profectus esset, in collocatas ab hostibus insidias incidens, suis difficillimè præliantibus, vt refert Sextus Aurelius, inter confusas turbas in gurgitem palustrem impellens equum, submersus periit, ita vt nec cadauer eius potuerit inueniri. Filius verò in prælio fuit occisus. Ob eam etiam persecutionem tanta clades illata est Romanis, vt tunc primùm Scythis tributarij facti sint: Vt author est Pomp. Lętus in Gallo. Tunc prodiêre iterum Christiani latentes, vti & Cyprianus qui tunc commentarium *de lapsis* scripsit, in cuius exordio ait: *Pax ecce dilectissimi fratres Ecclesia reddita est. Dandæ laudes Deo, &c.* & tunc lapsi glomeratim ad Ecclesiam redeuntes, instabant vt reciperentur, sub Gallo scilicet & Volusiano Impp.

K. IX. Sub Valeriano.

NONA, Sub Valeriano 32. Imp. *qui quidem initio imperij sui*, vt ait apud Euseb. *l.* 7. *c.* 9. Dionysius Alexand. *in epist. ad Hermammonem, quàm familiarissimè & amicissimè atque in oculis omnium eosdem (Christianos scilicet) excepit, & tota domus eius pijs hominibus complebatur eratq; planè Dei Ecclesia. Verùm Doctor quidam & Princeps Magorum Ægypti illum tandem perdito consilio deprauauit & non impulit solùm vt homines culpâ vacuos ac sanctos Dei, vtpote scelestorum ac execrabilium incantamentorum aduersarios & oppugnatores (satis namque virium ac potentia præsentia, aspectu, spiritu & voce solùm ad detestabilium dæmonum insidias dissipandas & habent & semper habuerunt) acerbè persequeretur necique traderet, verùm etiam vt impuras ceremonias obiret, profanas exerceret præstigias, execranda mysteria exequeretur, mactaret pueros misellos, prolem infælicium parentum sacrificaret, &c.* Hæc Dionysius *apud Euseb.* In eâ persecutione passi sunt Stephanus Papa, Xystus Papa, S. Laurentius, S. Cyprianus & alij, vti treceuti illi martyres, qui se vltrò in fornacem calcariam accensam conicere maluerũt, quàm thus Ioui incendere: ideircò massa candida dicti. Postquam ergò per annos tres cum dimidio seuiisset, bellum gerẽs in Mesopotamiâ cum Sapore Persarum rege, captus venit in ditionem Saporis, qui quamdiu vixit eo per annos octo pro suppedaneo vsus est, quoties equum ascendit, nec dimittere eum voluit, licèt à multis amicis Regibus solicitatus, sed ad extremum eum excoriatum, sale condiri iussit, septuagenario maiorem, vt testatur Constantinus Magnus in *orat. ad sanct. cœtum cap.* 24. Gallienus verò eius filius de patris liberatione minimè solicitus, eius edicta contra Christianos rescidit, persecutionem inhibuit, aliaque in eorum fauorem vulgauit: atque ita rursum facta est tranquillitas in Ecclesiâ sub Gallieno & Claudio.

L. X. Sub Aureliano.

DECIMA, Sub Aureliano 37. Imp. qui initio malorum consiliis impulsus persecutionem in Christianos & decretum contra eos subscribere volens, diuinitus impeditus est, debilitato subitò & eneruato eius brachio. Sed quamuis tunc ab incepto destiterit, paulò pòst tamen persequi Christianos cœpit & inter alios Fœlicem Papam, Agapitum 15. annorum puerum & alios plurimos sustulit. Qui tamen quadriennio post cùm inter Bizantium & Heracleam iter faceret denso agmine stipatus, casu fulminis consternatus, paulò pòst à suis occisus est. Vopiscus & Eusebius in Chron. Eius impio sanguine impletas cruentum vias ait Constantinus *in orat. ad SS. cœtum.* Cuius successor Tacitus iussit cessare persecutionem per omnes prouincias. Et reddita est pax Ecclesiæ per annos multos.

M. XI. Sub Diocletiano & Maximiano.

VNDECIMA, Sub Diocletiano & Maximiano Herculeo Imp. 42. qui omnium acerbissimam persecutionem mouerunt, exquisitissimis tormentis innumerabiles efficiendo Martyres; nec non conquirendo & comburendo Christianorum libros cœlo ipso repugnante. Cùm enim eos sacrilegus Magistratus in ignẽ inijceret, subitò imber sereno cœlo diffusus ignem extinxit & grando regionem gentium pro Christianis pugnando vastauit, quod contigit in Alutinẽsi coloniâ Africæ apud. Baron. Anno 303. Tandem ambo illi eodem die & anno. Imperio se abdicarũt, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani, & priuatã vitã amplexi sunt præ animi mœrore videlicet & desperatione, quòd Christianum nomen se extinguere non posse viderent, adeoque ex diuinâ vltione, vt affirmat Constantinus Imp. *in orat. ad sanct. cœt. c.* 25. quantumuis de Christiano nomine deleto inania per orbem trophæa erexissent: Cùm contrà re Christianâ magis efflorescente, ipsorum acta viginti annorũ penè omnia perierint, deperditis historiis de eorum rebus gestis; idque iustissimè, quòd in sacros Christianorum codices adeò sæuierint. Quanti martyres sub Diocletiano fuerint, ex eo cognosci potest, quòd vno mense decẽ & septem millia cæsa sunt, vt est in libro *de Rom. Pontif. in Marcellino Papa.* De eâ persecutione Seuerus l. 2. ait: *Hac tempestate omnis fere sacro Martyrum cruore orbis infectus est; quippe certatim gloriosa in certamina*

mina vehebatur, multoq; auidiùs tum martyria gloriosa mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus ambitionibus appetuntur. Nullo vnquam magis bello mundus exhaustus est neque maiore vnquã triumpho vicimus, quam cùm decem annorum stragibus vinci non potuimus. Sic ille. Sub iis vulgatum edictum fuisse et cuilibet volenti liceret impunè Christianum occidere, colligitur ex actis S. Anysiæ apud Sur. 30. Decemb. Itẽ carceres omnes ita Christianis implebantur, vt non esset locus facinorosis. Baron. auctore. Ad hæc carnifices fatigabantur aliis atque aliis succedentibus toto die ad iugulandum: acies gladiorum hebetabantur, vti se vidisse scribit Eusebius *l.* 8. *c.* 9. Sub iis passi S. Sebastianus, Cosmas & Damianus, Caius Papa, Mauritius tribunus cum totâ legione suâ Thebæorum, Romanus, Marcellinus Papa, Ianuarius, Vincentius, Agnes. Posteà Galerius Maximianus Cæsar instaurauit rursum persecutionem Augusti nomine sumpto, qui tandem diuinitus percussus acerbissimo & horribili morbo, putrescente femore eius & vermibus scatente, agnoscens id sibi euenire ob suam immanitatem in Christianos, relaxauit eam & Christianis liberum religionis suæ concessit vsum, & vt Deo suo pro suâ & reipublicæ salute supplicarent, monuit; Euseb. *l.* 8. *cap.* 28. *&* 29. Instar Antiochi videlicet illius impij. 1. *Mach.* 6. Maximianus verò Herculeus cùm imperium iterum affectaret & ob id Constantino M. iam tum Imperatori, insidias strueret, ab eo Massiliæ inclusus, de salute desperans, laqueo sibi vitam eripuit: aut vt alij volunt, strangulatus à Constantino est: Cùm paulò ante necem ei prædixisset Victor iussu Maximiani ob Christi confessionem plectendus, qui militibus dicebat: *Dicite Maximiano Imp. hoc anno illum abiturum è vitâ.* Vt in eius actis apud Sur. 8. Maij. Diocletianus verò diuino haud dubiè iudicio ad id tempus (videlicet vndecimum Constantini M. Imp. annum, vbi res Christiana sub Imp. Catholico mirabiliter exaltata est, gentilitas verò depressa) reseruatus, quo Christianorum religionem, quam omni mole extinguere conabatur, florentissimam videret & tabesceret, eo anno miserabiliter obiit, per formidinem scilicet voluntariam, vt ait Victor apud Baron. anno. 316. cùm suspectans necem dedecorosam à Constantino sibi afferendam, venenum hausit. Quin etiam Maxentium Maximiani Herculei generũ item in Christianos Romæ sæuientem & qui inter alia Marcellũ Papam ad equorum publicorum ministerium damnauit, Romam cum exercitu venientem contra se idem Constantinus primo aspectu terruit, vt hostilis exercitus mox fugam arriperet; & cùm angustiæ pontis Miluij fugam impedirent, in Tiberim præceps abijt & suffocatus est, in quã & Maxentius frustrà conatus per vlteriora ripæ abrupta euadere eodem flumine absorptus est. Orator *Paneg.* 4. Euseb. *l.* 9. *c.* 8. Zosim. *l.* 3. Maximinus in Oriente Christianos persequens à Galerio Maximiano Cæsar dictus, qui inter alios S. Catharinam, & Mennam martyrio affecit, tandem Deo Christianorum laudes tribuẽs, pro eorum plenissimâ libertate sancit, ac demum lethali & horribili morbo correptus, oculis de capite fluentibus, miserabiliter moritur, confitens ea se meritò pati ob admissam in eos immanitatem. (Ab aliis se apud Tarsum, ne viuus caperetur à Licinio, strangulasse dicitur.) Ministri eius, domestici, liberi ipsi morte cum ignominiâ mulctantur: statuæ eius, Tituli, inscriptiones eraduntur, deijciuntur, deturpantur. Ecclesia ingenti exultatione triũphat. Euseb. *l.* 9. *c.* 8 *&* 9. Licinius denique & ipse Cæsar creatus à Galerio in Oriente Christianos persecutus est & multos à fide abstraxit, plurimos occidit, vt 40. milites Cappadoces, S. Blasium Sebastenum Episcopum, &c. Eum ergò Constantinus Magnus vt orientale imperium à tyrannide liberaret, bello petit & iteratò profligat, supplicem recipit & ad vitam priuatam agendam ablegat Thessalonicam, nec multò pòst res nouas molientem interficit. Euseb. *in Chron.* Quem tamen Ioan. Nicomed. Presbyter apud Sur. 26. Apr. dicit in Galliam ablegatum, difficili morbo oppressum, Deum verum se reiecisse confitentem, diem clausisse. Atque ita intra paucos annos sex crudeles Ecclesiæ persecutores exterminati sunt & optatissima pax Ecclesiæ sub Constantino Christiano Imp. qui ad annum 32. imperauit, reddita est. Cõstantinus ergò septimo Imperij sui anno viso crucis signo in cœlo, conuersus, mediâ in vrbe signũ crucis erexit cum inscriptione: *Hoc salutari signo vero fortitudinis indicio ciuitatem vestram Tyrannidis iugo liberaui, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans pristinæ amplitudini splendorique restitui.* Eusebius *in vita Constant. lib.* 1. *cap.* 31.

DVODECIMA, Sub Iuliano Apostata Imp. qui citò ad gentiles deflexit, Deorum templa aperuit & illis sacrificauit, cùm priùs Christianus, imò & de Clero fuisset. Attriuit Christianos primò exactionibus; deinde allicere conatus est blanditiis, seducere dolis & fraudibus. Fauit etiam Iudæis in odium Christianorum, iisque Ierosolymam restituere & templum restaurare incepit; sed opus diuinitus impeditum est. Tandem cum persis prælio decertans inermis iaculo cõfigitur ex obscuro per brachium in latus eius infixo: quod ab Angelo emissum creditur. Saucius Iulianus impleuit manum sanguine de vulnere scaturiente sparsoque eo in aërem dixit: *Vicisti Galilæe.* Theodoretus *l.* 4. *hist. cap.* 25. Ita Impius Apostata, vt merebatur, periit. Et tum demum Ecclesia à Tyrannide gentilium secura fuit & permansit. N. XII. Sub Iuliano Apostata.

Iam nunc igitur patet Ecclesiam nauem illam esse, quæ inter fluctus persistit: Domum illam esse, quæ non in arenâ, sed in petrâ ædificata est: Sinapi illud esse, quod excreuit in arborem immensam: fermentum illud, quo tres orbis partes fermentatæ & inuersæ sunt, &c.

CONCIO IV.

Quid faciendū sit tempore afflictionis, præsertim famis.

Primò patientia scutum obijciendum.
2. Sperandum in Domino.
3. Vires nostræ addendæ.
4. Expianda à peccatis anima.
5. Inuocandus Deus.

THEMA.

Suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus. Matth. 8.

A. CVm hodiernum inspicio Euangelium, videre mihi videor calamitosum perturbati temporis statum affabrè depictum. Equidē in Euangelio vix incepit dormire Dominus, *& ecce motus magnus factus est in mari*, ait Matthæus. *Et descendit procella venti in stagnum*, ait Lucas. *Et fluctus mittebat in nauim ita vt impleretur nauis*, ait Marcus. Videtur interdum certè Dormire Deus, hoc est, dimittere homines agere pro suo libitu & seipsos regere. Et tunc quantus in orbe motus? Descendit ventus malarum suggestionum ex aëreis potestatibus, quæ vehementissimè impellunt homines ad auaritiam & cupiditatem aliaque vitia. Atque ita motus magnus fit in mari, vt non immeritò quilibet sibi attendere debeat, quid factu opus sit. Inter hæc bonum consilium præbent nobis discipuli, qui accesserunt & suscitauerunt Christum. Videbimus ergò quid nobis tempore tribulationis faciendum sit.

B. I. Patientiæ scutum obuciendum. PRIMÒ, In tempestate graui nauigantes velis contractis remigare desinunt & descendūt ad inferiora nauis clauduntque ostiolum eius, nec non pice obliniunt, atque ita velut ouo clausi, se & nauim Deo ac ventis committunt, donec quiescat mare: suntque securi, quamdiu nauis ad scopulum non impellitur. Sic postquam Noe *Gen. 7.* cum suis ingressus esset nauim, inclusit eum dominus deforis, ne scilicet aquæ obruerent. Ad hunc ergò modum tempore afflictionis descendamus in profundum nauis, id est, cordis nostri, & cogitemus quàm meritò hæc patiamur & quantam purgatorij pœnam his malis patienter acceptis redimere possimus. Fecit hoc Henricus sextus Angliæ Rex, qui ab Eduardo æmulo suo regno exutus & in vincula coniectus, occiso insuper filio, gratias egit Deo, quòd hoc sibi in vitâ purgatorium dedisset, quo peccata expiaret Polydoro auctore l. 24. Irene Augusta à Nicephoro seruo suo imperio deiecta: *Ego*, inquit, *Deo acceptum refero quòd me orphanam & indignam ad imperij clauum collocauit; quid verò me iam deijci permittit, meis peccatis adscribo. In cunctis autem bonis ac malis omnibus sit nomen Domini benedictum.* refert Paulus Diaconus l. 23. rerum Rom. Cogitemus tempore morbi, quàm bene nobis fuerit tempore sanitatis; tempore penuriæ & famis; quàm bene nobis fuerit tempore abundantiæ, & quàm tunc ingrati Deo & immemores fuerimus beneficiorum eius. Deinde committamus nos Deo dicentes cum Iob: *memento mei Domine, quoniam ventus est vita mea.* Hoc modo si nos componamus; qualitercumque iactetur nauis, securi erimus, modò, inquam, nauis nostra ad scopulum murmurationis cōtra Deum & impatientiæ non allidatur; sic enim nouissima peiora forent prioribus, sicut accidit Hebræis *Num. 11. & 14.* cùm in afflictione murmurarent contra Deum & superiores suos, illic ob penuriam carnis; hic ob difficultatem ingressus in terram promissionis: tunc enim omninò pessundati sunt & à Deo occisi. Vnde *Numer. 14.* ait Dominus: *Feriam eos pestilentiâ atque consumam.* Non enim solùm afflictionem sibi conduplicant murmurantes contra Deum & superiores, sed insuper omne meritum patientiæ perdunt & Martyres Diaboli fiunt. Contrà maximum meritorum thesaurum nobis corradere possemus, si patientiam exerceremus & virgam velut à Deo nobis immissam oscularemur. Quapropter Apostolus Iacobus eiusmodi tempore gaudere nos iubet: *Omne gaudium existimate fratres mei*, inquit, *cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Probatur in tribulatione fides nostra, vtrum Deo synceré adhæreamus & gratis etiam seruire, non ob temporalia bona parati simus.

C. II. Sperandum in Domino. SECVNDÒ, Anchoram iaciunt & nauim firmant ne à tempestatibus iactetur. Sic *Act. 27.* nautæ S. Paulum vehētes in tempestate mittebant anchoras quatuor ne in aspera loca inciderent. Ergò nos in tribulatione spem & confidentiam nostram velut anchoram in Deum iaciamus. Sic enim S. Paulus *ad Hebr. 6.* ait: *Cōfugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Qui hanc nō iaciunt, facilè ad aspera & saxosa loca desperationis deueniunt & naufragium salutis faciunt: quod nequaquam euenit ijs, qui anchoram spei in Deum iaciunt. Et sanè quantò magis in mundo tribulamur, tantò magis in Deo sperare & ipsi adhærere ab eoque auxiliū debemus expectare, sicut polypus in tēpestate firmissimè adhæret petræ, ita vt auelli nequeat & potiùs auellantur eius membra à corpore, quàm ipse à petrâ, vt scribit Pierius l. 27. Hierogl. Cùm enim humanum deficit subsidium, tunc incipit diuinum. Hoc est, quod suasit S. David *Ps. 54.* dicens: *Iacta super dominum curam tuam & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Quo loco duo sperari iubet: 1. Inprimis Deum nos omnes pasturū; ipse enim coruos etiam pascit; aues licet inutiles & voraces: quorum pulli cùm à parentibus destituuntur, propter penuriam cibi subinde clamant, pascunturque animalculis circa nidum obuolantibus, quibus captatis viuunt, vt scribit S. Chrysostomus *in serm. in Heliam Prophetam.* Et miratur id Iob cap. 38. *quis præparat coruo escam suam*, inquit, *quando pulli eius clamant ad eum vagantes, eò quòd non habeant cibos?* Nec tantum Deus pascit coruos, sed & per coruos pauit SS. viros, vt Eliam & Paulum Eremitam,

tam. Quare *considerate coruos*, inquit Dominus Luc. 12. *quoniam non seminat neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos; quantò magis vos pluris estis illis?* Audiamus hic exemplũ diuinæ huius prouidentiæ ex Pithæo in Annal.Franc.Bar.to.10. Anno Christi 850. grauissima fames Germaniæ populos oppressit, maximè circa Rhenũ habitantes: nam vnus modius frumenti Moguntiaci vendebatur decem siclis argenti. Morabatur autem eo tempore Rabanus Archiepiscopus in quadã villa parochiæ suæ, cui vocabulum est VVinzella, & pauperes de diuersis locis venientes suscipiens, quotidie plusquam trecentos alimento sustentabat, exceptis his, qui in præsentiâ illius vescebantur assiduè. Venit autẽ & mulier quędã pœnè cõsumpta inediã cũ puerulo paruulo inter cæteros refocillari desiderans, quę priusquã limen portæ transcẽderet, præ nimiã imbecillitate corruens spiritum exhalauit; puer verò mammillã matris mortuæ quasi viuentis de sinu protrahens, & sugere tentans multos intuentes gemere & flere coegit. Quidã etiam in illis diebus de Grabsfelden cũ vxore sua & filio tenero in Thuringiam proficiscẽs, vt malum inopiæ temperare posset, vxorẽ in itinere in quadam syluã sic affatus est: *Nonne*, inquit, *melius est, vt puerũ istum occidamus, & manducemus carnes eius, quàm omnes inediâ consumamur?* Illa verò contradicente, ne tantum scelus cõmitteret: tandem vrgente fame filium de brachiis maternis per vim rapuit; & voluntatem opere complesset, nisi Deus illum suâ miseratione præuenisset. Nam, sicut idem postea in Thuringiâ positus plurimis retulit, cùm euaginãsset gladium, vt mactaret filium, & in ancipiti positus necẽ distulisset: Vidit eminus duos lupos super vnã ceruam stantes, & lacerantes carnes eius. Statimque parcens filio, ad cadauer ceruæ cucurrit: & lupos inde abigens tulit de carnibus pręgustatis & cum incolumi filio ad vxorem reuersus est. Priùs enim quando filiũ tulerat de manibus matris, paululum ab eâ declinauerat, ne illa morientem puerum videret & audiret. At illa veniente marito, vidẽs recentes carnes & cruore perfusas, putabat filium occisum, & cecidit retrorsum penè exanimis. Ille autem accedens consolatus est eam, & erigens illam, ostendit puerum viuentem. Tunc illa resumpto spiritu, Deo gratias egit quia filium sanum recipere meruit; nec minus ille, quia cũ Deus à filij interfectione innocuum dignatus est conseruare. Ambo tamen carnibus lege prohibitis necessitate coacti se recrearunt.

Secundò non duraturam semper hanc tribulationem: *non dabit in æternum fluctuationem iusto*, ait Dauid. Quemadmodum enim faber ferrarius postquam ferrum aliquamdiu igniuit in fornace, postea extractum intingit & refrigerat in aquã, quam non longè à foco paratam semper habet: sic Deus facit cũ fidelibus suis. Vnde Ps. 65. ait illi Dauid: *Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.* Narrat Sextus Iulius *l.3.c.6.* de principe quodam nomine Cleonino, qui videns populum suum in quadam ciuitate obsessum, subornauit militem, qui ad obsidentium transiret castra, eiusmodi tamẽ telis instructum, quibus inscriptum erat: *Confortamini & estote fideles: Ego Cleoninus obsidionem istam vobis venio celeriter remouere.* Quas sagittas cùm hic miles in ciuitatem emisisset, confortati sunt ciues, vrbemque defenderunt. Eiusmodi sagittam proiecit ad nos miles Dei Dauid, cùm dixit: *non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Eiusmodi sagittam proiecit Eliseus 4. *Reg.7.* in Samariam obsessam & grauissimã fame pressam (quando caput asini vendebatur 80. argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum, quinque argenteis) cùm prædixit: *Cras modius simila vno statere erit & duo mody hordei statere vno in portã Samariæ.* Quod cùm vnus de Ducibus regis pro fabulã haberet & diceret: *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo*, id est, *si aperuerit cœli fores & inde triticum deiecerit: numquid poterit esse quod loqueris?* respondit Propheta: *Videbis oculis tuis & inde non comedes.* Quæ ordine facta sunt: vænijt enim altero die modius similæ statere vno, similiter duo modij hordei: Dux verò ille, cùm ad portam à Rege constitutus esset à turba cõculcatus est, in pœnam scilicet diffidẽtiæ suæ; & in exemplum illorum, qui de Dei bonitate diffidunt & acerbiora semper præsagiunt afflicto populo, eumque pusillanimem & impatientem faciunt.

Tertiò, Strenuè laborant siue remigando, siue vela contrahendo, siue alia agendo. Sic *Marci* 6. discipuli Christi laborabant remigando cùm ventum haberent contrarium. Similiter in afflictione manum etiam nostram adhibere debemus & strenuè laborare vt afflictis succurratur. *Matt.* 14. legimus discipulos dominum rogasse vt dimitteret esurientes turbas in vicos & castella ad emendos panes; sed respondit Dominus: *non habent necesse ire, date illis vos manducare*; quod & facere volebant, quia apud Marcum *c.6.* ad hoc responderunt: *Euntes ememus ducentis denarijs panes, & dabimus eis manducare*; vnde colligitur discipulos tunc habuisse nummos, fortè ex loculis Domini, vnde participabant. Hoc idem Dominus dicit ditioribus cùm queruntur de multitudine egentium & mendicantium: *Date illis vos manducare*; habetis enim ex Dei liberalitate, vt ipsi mit eos pascere possitis: Alioquin enim velut iniqui dispensatores corripiemini. Sed plurimi diuitum, instar Philippi, respondent Domino interroganti: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan. 6. *ducentorum denariorum panes non sufficiunt vt vnusquisque modicum quid accipiat*: non sufficerent istis explendis omnes mundi thesauri: Vnde mihi tantæ opes vt omnibus subueniam, &c. sed nescis miser, quòd sicut Philippum Dominus interrogauit, tentans eum & virtutem eius, sic etiam tentet te & charitatem tuã, quid facere coneris erga pauperes, quomodo erga illos affectus sis? Da quod potes, idque etsi modicum est, libenter tribue, & Dominus in reliquo prouidebit pauperibus; sicuti ex paucis panibus plurimos fecit, sic etiamnũ benedicere potest eleemosynas, vt omnibus sufficiant.

D. III. Vires nostræ adhibendæ.

Qui

Qui verò egentibus non subueniūt, cùm possint, res Domini sui iniustè detinent, qui ad hoc eas ipsis dedit, vt egentibus communicarent. Audi S. Basil. *in orat. ad Diuites*: *At tu*, inquit, *nó ne spoliator es qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam tu in conclaui conseruas: discalceati calceus, qui apud te marcescit: indigentis argentum, quod possides inhumatum; quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres.* Hæc ille.

E. IV. Expiscanda à peccatis anima. QVARTÒ, Alleuiant nauim eiiciendo onera, merces, arma, &c. vt fecerunt nautæ, *Iona* 1. & *Act.* 27. Similiter ergo eiicienda sunt ex cordibus nostris onera peccatorum, propter quæ vt plurimū immittuntur nobis tempestates afflictionum. Nihil proderat eiectio valorum nautis Ionam vehentibus, quia aliud & spirituale onus eiiciendum erat, scilicet Ionas inobediens, qui quamdiu à facie Dei fugiebat, tamdiu sæuiit mare: Hinc ipsemet dicebat: *Tollite me & mittite in mare & cessabit mare à vobis, scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis est super vos.* Hoc verò nautæ non libenter faciebant, sed remigabant vt reuerterentur ad aridam: sed non valebant, nec quieuit mare donec eiiceretur Ionas. Similis euētus legitur 2. *Reg.* 20. Cùm Ioab vrbem Abelam obsideret & iamiam vastare muros vellet; contigit enim vt prudens mulier è ciuitate loquens, de Ioab conquereretur, quòd ciuitatem vellet perdiram. Cui ille, se ciuitatem non impugnare illius odio, sed quia intus receperat, tenebat & defendebat Sebam filium Bochri, insignem proditorem qui leuauerat manum contra Regem Dauid: vnde, *tradite illum solum*, aiebat, & *recedemus à ciuitate.* Ciues igitur postquam abscideruut Sebæ caput & proiecerunt ad Ioab, ab obsidione liberati sunt. Iam ergò si causam tribulationis nostræ scire cupimus, quæramus in naue & ciuitate cordis nostri & circūspiciamus, vtrum non sit ibi aliquis Ionas & Sebas inobedientiæ & peccatorum onus, idque mox eiiciamus per pœnitentiam. S. Ambrosij *ser.* 85. verbum est: *Ciuitati non nisi propter ciuium peccata infertur excidium. Desine peccare & ciuitas non perihit.* Idem ego dico non de excidio tantùm, sed etiam de quauis graui calamitate. Quid verò de illis dicamus, qui hoc ipso tempore multiplicant peccata! Audiamus S. Greg. *l.* 8. *ep.* 41. *ad Episc. Carthag. In flagellis positos, flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire & ferientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis iustè quiescere & Deum iniustè à sua velle vltione cessare.* Hæc ille. De talibus loquitur Isaias cap. 22. *Vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum & ad caluitium & ad cingulum facci: Et ecce gaudium & lætitia: occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinū. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Vbi Glossa interlin. ait: *Quasi omnia morte finiantur, cōtra Deum blasphemiam loquuntur.* Reuerà enim isti vitam alteram non expectant, neque immortalem credunt aut Deum esse retributorem operum. Quoniam igitur huic mundo non sapit concio Dei, proponamus ei concionem Diaboli: *comedamus & bibamus*, cras ad inferos descendemus, quo modo ille Dux militibus suis pugnaturis dixit: *prandete hîc milites, tanquam apud inferos cœnaturi.*

F. V. Inuocandus Deus. QVINTÒ, inuocant Deū & orant, quantumuis alioqui perditi & orationis insueti nautę, quià mortem præ oculis cernunt. Fecerūt hoc gētiles nautæ Ionā vectantes: *Timuerunt nautæ*, inquit textus, *& clamauerunt viri ad Deum suum.* Quin etiam accessit gubernator ad Ionam & dixit ei: *Quid tu sopore deprimeris? surge, inuoca Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis & non pereamus Ion.* 1. Ita excitarunt discipuli Christū in nauiculâ dormientem, & precibus suis impetrarunt tranquillitatem. Iosaphat Rex cùm belli ingrueret tempestas 2. *Par.* 20. *totum se contulit ad rogandum Dominum Sed & omnes de vrbibus suis venerunt ad obsecrandum eum, &c.* sicque facta est tranquillitas magna, Iosaphati Regis hostibus per mutua vulnera mirabiliter cæcis & profligatis. Accaronitæ ob plagam murium fecerunt vota Deo & aureos mures aureos obtulerunt cessauitque plaga. 1. *Reg.* 6.

Hebræi audito Holofernis aduentu & clade, quam intulerat vrbibus, clamauerunt *ad Dominum instantiâ magnâ, & humiliauerunt animas suas in ieiunijs & orationibus, ipsi & mulieres eorum: Et induerunt se Sacerdotes cilicijs & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini & altare Domini operuerunt cilicio: Et clamauerunt ad Dominum Deum Israel vnanimiter ne darentur in prædam infantes eorum & vxores eorum in diuisionem, & ciuitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutionem & fierent opprobrium gentibus. Tunc Eliachim Sacerdos Domini magnus circuiuit omnem Israel allocutusque est eos dicens: scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu Domini, &c.* Iudith 4. His ergò orationum armis pugnantes miram Dei senserunt opem, Holoferne à Iudith interfecto; quibus armis si nos quoque vtemur tempore afflictionis, audeorem & ego non dubiam Dei opem nobis promittere, &c.

CONCIO V.

Emolumenta voluntatis humanæ ad diuinam conformatæ.

Conformans voluntatem suam cum diuinâ,	3. *Compendiosâ viâ ad sanctitatem peruenit.*
1. *Gratissimum Deo sacrificium offert.*	4. *Tranquillo semper animo est.*
2. *Pro illo sacrificio singulares gratias à Deo obtinet.*	5. *Cœlum in terra habet.*

THEMA.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8.

A. MAgnū discrimen cernitur inter Christū Dominū & reliquos nauigantes in hodierno Euangelio. Isti enim exortâ tempestate consternati, timidi ac penè desperati erant, ille verò interim non modò nihil timebat, sed suaui-

suauiter etiam dormiebat timidosque increpabat ob pusillanimitatem. Quod idem typicè ostensum est in Historia Ionæ c. 1. vt docet S. Hieronymus super hoc Euangelium, cùm ait: *Huius signi typum in Ionâ legimus, quando cæteris periclitantibus ipse securus est & dormit.* Ibi enim exortâ tempestate gentiles clamauerunt ad Deum suum, miserunt merces in mare & timuerunt timore magno: Ionas autem Propheta Dei, in eadem naui constitutus, interim *descendit ad interiora nauis & dormiebat sopore graui.* Quid hoc sibi vult, Auditores? Discrimen indicat inter eos, qui se Deo committunt eiusque voluntati suam per omnia conformant, & inter eos qui secundùm suam voluntatem omnia euenire volunt. Hi enim licet in eadem naui diuinæ prouidentiæ vehantur, quâ illi, semper tamen anxij, semper inquieti sunt: illi verò pacatissimè dormiũt & in diuinâ dispensatione quasi in molli culcitrâ impauidi conquiescunt. Quæro nunc è vobis: Quis non malit cum Christo & Ionâ suauiter & securè dormire in mediâ tempestate, quàm frustra timere & angi cum turbâ? Vt ergò somnum illum nobis conciliemus, audiamus quanta bona sint huius conformitatis voluntatis nostræ cum diuinâ.

B I. Gratissimũ Deo sacrificiũ facit. Qui suam voluntatem conformat cum diuina Primò gratissimum & præstantissimum Deo sacrificium offert, holocaustum videlicet sui ipsius. In aliis enim sacrificiis & oblationibus homo sua duntaxat offert, in hoc verò seipsum. In aliis mortificat se ex parte solùm, temperantiâ, patientiâ, modestiâ, silentio, &c. in hoc autem planè se totum dat, vt de ipso & ipsius rebus omnibus disponere prò libito Deus possit; proinde quantum totus homo differt à rebus suis, tantum differt hoc sacrificium ab aliis. Auicula præbet tibi cantum suique conspectum; non tamen seipsam: nam vbi eam apprehendere voles, auolabit. Sic alij parati sunt elargiri sua vel iacturam eorũ æquanimiter tolerare, iniurias pati, inimicis benefacere, carnem suam affligere ieiuniis, verberibus, &c. Sed si ipsos Deus apprehendere cunctur morbo lethali aliisve ærumnis inexpectatò immissis; tum fugere & resilire solent, nec Deo manus dare volunt; sed obsistere, murmurare, indignari, conqueri, lamentari, &c. Varia munuscula pro suâ quisque facultate obtulère Socrati Auditores eius: sed omnium maximum obtulit Æschines pauperculus, qui cùm aliud non haberet, seipsum illi obtulit; vnde & seipsum ab eo bonis artibus imbutum, multo cum fœnore recepit. Seneca *l. 1 de beneficijs cap. 8.* Idem sensit S. Paulus, qui cùm cælesti lumine ac voce prostratus se obtulisset Christo; *Domine quid me vis facere?* factus ab eo Apostolus & vas electionis, seipsum ab eodem multò meliorem recepit. *Actor. 9.*

C. II. Singulares gratias obtinet. Secundò, Pro tam accepto & magno sacrificio obtinet à Deo singulares gratias, & fauores, veluti Primò Dei crebram visitationem & liberam secum commorationem. Ita refert
1. Lud. Blosius *in Monili Spirit. cap. 11.* Christum aliquando S. Gertrudi dixisse: *Quicumque cupit à me sæpius adiri, sua voluntatis clauem mihi offerat, nec eam à me vnquam repetat.* Quâ re edocta Gertrudis precari ſæu am fecit his verbis: *Non mea sed tua voluntas fiat, mi amantissime* Iesv. Et hoc ipsum trecentiès sexagies quinquiès instituit repetere. Ita prudens & bonus filius, si rebus suis consulere & parentum gratiam sibi conciliare velit, clauem sui peculij parentibus tradit, vt inde sibi emant, quæ iudicarint fore vtilia: non sibi eam reseruat, ne peculium suum prodigat in nugas & crepundia.

Secundò obtinet, quæ petit & desiderat à Deo. Taulerus *serm. 1. de Circ.* refert eximiam quandam Dei famulam, cuius orationi se plurimi commendare solebant, omnia impetrasse, quæcumque illi petierant, Cumque proptereà famulæ Dei gratias agerent, erubuit illa & cum Deo amicè expostulare cœpit, cur in omnibus suis petitionibus semper audiretur & proptereà ab hominibus gratias acciperet, quę nihil commodasset ad collata beneficia? dixit ei Christus: *Vide filia: illo ipso die, quo tu tuam voluntatem mihi tradidisti, ego vicissim tradidi tibi meam, & etiamsi tu nihil petas, facio tamen nihilominus, quæ postulari voluisses.* 2.

Tertiò plurimum in cœlo meretur. Ioan. Gerson Cancellarius Paris. asseruit Iob plus meruisse, quòd illatam à Sathanâ cæterisque hostibus suis iniuriam æquo animo tulerit, quàm si suo libitu distribuisset opes suas omnes pauperibus. Nec malè; nã plus est ærumnas vndecumque immissas sine querelâ sufferre, quàm carnem macerare voluntariis afflictionibus; sicut plus est, pauperes, qui non inuitati veniunt in domum tuam cœnare & hospitari volentes adeoque semetipsos inuitantes, libenter & largiter accipere, quàm si eosdem priùs inuitasses. Sic magis est laudandus Zachæus, qui Christum non inuitatum ad se diuertentem gaudens & liberaliter excepit, quàm Phatisæi, qui eundem inuitatum exceperunt. 3.

Quartò roboratur ad vincendas Dæmonis tentationes. Patet hoc etiam in S. Iob, qui variè percussus conformando se Dei voluntati, dæmonum conatus omnes elusit. S. Antonius suis crebrò ingerebat: *si semper Dei manibus omnia commiserimus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere:* Nec videtur melius consilium ad eludendas Dæmonis tentationes, præsertim cùm ingerit scrupulos, quàm respõdere: si hoc vel illud vult Deus, volo etiam ego: si nolit, nolo. Senserunt etiam sibi vires accedere ad tormenta perferenda ex hac conformitate duo SS. Martyres Epictetus presbyter & Astion, sub Diocletiano, sanctissimè viuētes in Oriente, qui à Latroniano Almiridensium Duce cõprehensi in carcerem coniecti sunt. Vbi Epictetus: *si eras,* inquit, *ô Astion ad quæstionem rapiamur, nil aliud respondeamus quàm. Christiani sumus, hoc nobis nomen, genus & patria est. Quod si nos tormentis exagitari Deus voluerit, solùm hoc dicamus: Domine Iesu tua voluntas semper in nobis fiat.* Euocati igitur ad tribunal & de patriâ ac domo interrogati à Latroniano respondent: *Christiani sumus* 4.

sumus & parentibus nati Christiani. Ille: *non hoc quaero*, inquit, *nomina vestra edite, secta vestra perfidia iam ante mihi perspecta est*. Hic rursum Martyres: *Christiani sumus, Christum adoramus, Idola detestamur*. Iussi igitur sunt immaniter caedi ab irato Iudice. Verùm illi inter plagas clamant: *Domine Iesu tua in nobis voluntas fiat*. In eculeum sublati & vngulis laniati, idem crebrò repetunt. Faces illis ardentes admotae: eadem illis vox erat; sicque in carcerem reducti sunt. Spectato hoc certamine Vigilantius Iudicis Assessor, cogitare intra se cœpit, subesse nescio quid magici carminis verbis illis: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis*; quibus tormentorum omnium vis & sensus eneruari possit: itaque ea domi suae triduo ipso frequentissimè in ore habuit, sedens, stans, cubans, surgens, ambulans. Quartâ die occultâ Dei virtute permotus in publicum prodijt clamas: *Christianus ego sum, ô Tyranne Latroniane, fiat voluntas Dei nostri in nobis*. Admissus deinde in carcerem ad Martyres Doctores suos, ab ijsdem cum familiâ suâ baptizatus est. Producti iterum ad tormenta duo illi Athletae priori voce suâ velut scuto inexpugnabili eliserunt omnes poenas. Post 30. dies ad supplicium ducti mutuò se animabant eâ voce: *Laudate nomen Domini, quia facta est voluntas Dei nostri in nobis per omnia*; idemque repetierunt iam plectendi capite, sicque obierunt sanctissimè. Rolweid. de vitis PP. l. 1. c. 12. & seq.

D. III. Compendiosa ad perfectionem via.

Tertiò, Compendiosâ viâ ad veram perfectionem & vitae sanctitatem perueniet. Vnde Arias *p. 1. de orat. ment. c. 5.* dixit: *Summa vitae Christianae & virtutum omnium compendium est: Dei voluntati se in omnibus conformare, idem velle & idem nolle*. Trium dierum iter est ad cœlum iuxta id *Exod. 5. Deus Hebraeorum vocauit nos vt eamus viam trium dierum in solitudinem & sacrificemus Domino Deo nostro*. Primi diei via purgans, secundi illuminans, tertij vniens. Et haec omnium breuissima, quâ proximè ad Deum venitur; vnit enim arctissimè & despódet animam Deo ad ipsius voluntatem perpetuò faciendam. Vnde S. Bern. *serm. in Cant.* ait: *Talis conformitas maritat animam Verbo, cùm cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsa se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Quid hâc conformitate iucundius? quid optabilius charitate? quâ fit vt humano magisterio non contenta per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhaereas, Verbum familiariter percuncteris consulteque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualis sanctique connubij contractus est iste*. Haec Bernard. Deinde sicut impuritas nascitur ex contactu inferiorum, puta ex amore & adhaesione ad epulas, veneres, honores vanos aliaque bona infima & terrena: ita puritas oritur ex cótactu superiorum, scilicet ex amore & adhaesione ad Deum resque diuinas ac caelestes. *Sanctitas autem est omnimoda puritas*, ait S. Dionysius cap. 12. de diu. nom. Sanctior ergo est, qui Deo magis appropinquat & adhaeret suaque omnia ad eum dirigit, quod profectò facit is, qui se eius voluntati per omnia conformat. Narrat Caesarius *l. 10. Mirac. cap. 6.* fuisse in quodam cœnobio Monachum quendam, in patrandorum miraculorum gratiâ tam illustrem, vt vel ad solum vestium ipsius cingulique contactum aegri persanarentur. Considerabat rem hanc tacitus secum diligenterque Antistes ipsius, nihil enim deprehendebat in hoc viro singularis sanctitatis. Vocato ergo ad se aliquando Monacho, causam inquirit tot per ipsum à Deo factorum miraculorum: respódet ipse Abbati, nescire se id: nec enim plus al js ieiuno, inquiebat, nec alijs seueriùs corpus emacero; nec prolixiores alijs orationes fundo, neque demum plus alijs vigilo. Vnum hoc scio & assevero, me nec rebus prosperis efferri, nec deprimi aduersis: nihil me omninò rerum mundi huius inquietare aut turbare, vereque deprehendo animam meam in rebus omnibus tam meis, quàm aliorum consistere semper immotam. Cui Abbas: sed nunquid non sensisti turbationis quidpiam, cùm nuper nobilis iste aduersarius noster, iniecto in horreum nostrum igne, illud exussit? nihil, inquit ille, sed commisi Deo omnia, eiusque voluntati me penitissimè obtuli. Cognouit ex hoc Abbas, hanc fuisse mirabilium istorum caussam. Apud P. Rodriq. *p. 1. Exerc. tract. 8. c. 8.*

E. IV. Tranquillitatem affert.

Qvartò, Tranquillo semper animo est, quia nullam agnoscit fortunam: proinde neque metuit vllos fortunae casus aduersos; scit enim Dei prouidentiam perpetuò sibi inuigilare ab eaque proficisci omnia, quae sibi cótingunt, nec ad perniciem sed ad salutem dirigi. Deum nouit esse peritissimum Nauarchum suum, qui omnes tempestates & fluctus in manu sua habeat. Vnde in eius naui securè cum Christo dormit. Solum peccatum & Dei offensam metuit; absque hac *non contristabit iustum, quidquid ei acciderit*, inquit Sapiens *Prov. 12.* Non caret iustus rebus aduersis: sed iis non concutitur, imò in illis laetatur, sciens eas sibi ad virtutis exercitium à Deo immissas. Vt enim mare non perdit saporem suum salsum, quantumuis plurima & ingentia flumina dulcis aquae influant in illud: ita neque iustus immutatur aduersis. In summo vitae periculo & saeuissima maris tempestate S. Paulus nauigás, alijs prae metu abstinentibus, cibum sumpsit idemque caeteros facere & bono esse animo iussit, quia videlicet promiserat ei Deus in gratiam ipsius neminem periturum. *Act. 27.* Eadem spe suffulti sunt, qui se Deo committunt. Sanctus etiam Petrus in custodiâ detentus & manè ad necem producédus dormiuit securus inter milites se custodientes, *Act. 12.* quiescens nimirú in Dei prouidétiâ, cui se curae esse sciebat, paratus vel viuere vel mori, prout Deus norat expedire ad suam gloriam & Ecclesiae bonum. Deus ergo custos eius interim non dormiuit, sed per angelú eum morti & carceri eripuit. Vnde S. Petri dogma hoc fuisse: *Nos Christiani de nullâ re vel euentu soliciti sumus, sed in Dei prouidentiâ planè conquiescimus; scientes nos illi curae esse ac ab eo per omnia dirigi, vt cuncta nobis cedant*

dant in bonum, scribit S. Clemens initio Recognit. Etiam in saxeo ceruicali suauiter dormiuit Iacob, quia vidit interim angelos iuxta se vigilantes, euntes & redeuntes, Deumque supra se scalæ innixum. *Gen.* 28 Sic in rigidissimo vitæ genere & Eremo, hilari semper & sereno animo fuit S. Antonius, vt vel ex hoc nosceretur solo aspectu. Vt in eius vitâ Athanasius. Similiter S. Martinus nunquam visus est iratus aut mœstus, sed semper sibi similis, pacatus & compositus; quia quidquid illi accideret, de manu Dei accipiebat, cuius se voluntati intimè coniunxerat. Vt in eius vitâ Sulpitius.

F. V. Cœlum in terrâ habet. QVINTÒ. Cœlum in terrâ sortitur. Quod inprimis intellexit Alphonsus Aragoniæ Rex, qui rogatus, quem in terris iudicaret beatum, respondit; *Qui seipsum Domino Deo summa pietate & affectu committit, & omnia, quæ illi eueniunt, non aliter quàm rem à Deo factam laudat & acceptat.* Panormit. *in eius vitâ* Habuit suum cœlum Christus & gloriam in anima beatificam etiam in ipsa cruce & summis doloribus: ita qui Dei voluntati affixus est, cœlum suum habet in animâ; tametsi interim aduersa patitur. Cœlum licet infrà tonet, supra nubes tamen semper tranquillum & pacatum est: ita animus iusti Deo inhærentis. Arsit Rubus Moysi ostensus, interim tamen incombustus fuit. *Exod.* 3. Sic patiuntur iusti, interim tamen sunt læti. Inde dixit Iob *cap.* 10. *Mirabiliter me crucias*, id est, ærumnis me exerces in corpore & interim lætitiâ perfundis in animo. Persa aliquando hostem territurus dicebat: *Crus sagitta nostris solem obscurabimus.* Cui respondit hostis: *Benè narras: in vmbrâ enim meliùs prœliabimur.* Valer. M. l. 3. c. 7. Idem dicunt iusti in tribulatione positi. Præuiderat aliquando S. Remigius Rhemensis Episcopus iam senex annonæ caritatem in sequentem annum: ideoque magnam frumenti copiam collegerat pauperibus alendis. Pupugit hoc improbos aliquos, qui cùm non perspicerent, quorsum illi aceruí comportati forent, hurreum incenderunt. Refertur celeri nuncio res hæc ad Antistitem, qui mox aduolans, vidit flammam iam totum penè horreum esse depopulatam. Itaque equo descendit, & cùm spes non esset ignis sopiendi propiùs ad eum stetit tanquam se calefacturus, atque: *semper bonus est focus præsertim suus*; subijciens id Iobi: *Dominus dedit, Dominus abstulit.*

Quare Auditores, quisquis tranquillo semper esse animo & cœlum habere in terrâ vult, istos imitetur, Deo se conformet, &c.

CONCIO VI.

Discrimen bonæ & malæ conscientiæ.

Quod constituitur in his:

1. *Conscientia bona parit gaudium; mala tristitiam.*
2. *Illa parit quietem; hæc perturbationem.*
3. *Illa securitatem; hæc timorem parit.*
4. *Bona parit fiduciam: mala diffidentiam.*
5. *Bona parit gloriam, mala confusionem.*

THEMA.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8.

REfert Macrobius. *l.* 2. *Saturn. c.* 4. Augustum Cæsarem cùm ob ingentes curas sæpe multas noctes duxisset insomnes, & aliquando intellexisset vendi supellectilem cuiusdam Equitis Romani, qui tametsi ingentem pecuniarum summam debebat, nihilo tamen tristior, semper id celauerat; iussit sibi ex eius rebus emi culcitram; quòd diceret eam sibi ad somnum fore idoneam, in quâ ille tam obæratus, somnum capere potuerit. Aliquid ego simillimum emerē, si liceret mihi à Christo Domino, & quidem ex hodierno Euangelio. Ecquod verò illud? Cerucal in quo dormijt securus, non quidem vllis obæratus debitis, sed magnis obrutus fluctibus, & in mediâ tempestate nauigans. Ait quippe S. Marcus *cap.* 4 *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens*. Dormiebat certè, sed aliter ac nos; nam antequam ad somnum se componeret, futurā præsciebat tempestatem; & dum dormiebat, præsentem iam videbat: & interim tamen nihilominus cæteris omnibus timentibus suauiter ipse & securè dormijt. Quā in re *exprimitur securitas potestatis*, ait S. Ambrosius *in cap.* 8. *Lucæ*; *quòd omnibus timentibus solus intrepidus quiescebat.* Hoc igitur Ceruical quid aliud designat, nisi bonam conscientiam? in hac enim quisquis cubat, suauissimè cubat, etiam inter ipsos fluctus. *Bona est substantia*, inquit Ecclesiasticus cap. 13. *cui non est peccatum in conscientia.* Quàm verò bona sit hæc substantia & culcitra, quàm durus item lectus conscientia mala, videamus. A.

B. I. Conscientia bona parit gaudium. PRIMÒ, Conscientia bona parit gaudium, teste Salomone *Prou.* 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Et Ecclesiastico cap. 30. *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Nascitur gaudium in conuiuijs ex mero largiùs hausto, quod obliuionem tristitiæ & molestiarum inducit: tale porrò merum est conscientia bona. Vnde à Plutarcho *in moral.* comparatur herbæ, quæ Nepenthes dicitur & obliuionem tristitiæ gignit, *Vt nepenthes herba*, inquit, *additæ poculis omnem discutit tristitiam ita mens bona.* Nascitur item gaudium ex cordis dilatione, vt timor ex constrictione. Atqui bona conscientia nullo vinculo constringitur, nulli quidquam debet, sed velut in latissimo campo discurrit

pro

pro suo libitu. Vnde Cicero Tuscul. 2. ait: *Nullum theatrum virtuti conscientiâ maius est.* Et Sen. ep. 27. *Sola virtus,* inquit, *præstat gaudium perpetuum securum; etiamsi quid obstat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vnquam diem vincunt.* Bona igitur conscientia citò dissipat nubes, si quæ aduolant tristitiæ, velut solis radius, & se recolligit ad suam serenitatem.

Mala tristitiam.

Contrà verò conscientia mala parit tristitiam. Hinc concidit facies Cain *Gen.* 4. S. Ambrosius: *Cain tristis factus est,* inquit, *quia propriâ conscientiâ intellexit Deo sacrificium suum non probatum. Quando enim mens sibi recta est, conscientia gratulatur, vel infusione quadam spirituali repletur animus gaudio, cùm alicuius vel studia vel opera à Deo probantur, &c.* Experientia etiam testis est, nunquam verè lætos esse, qui graui aliquo scelere obstricti sunt, quia conscientia accusante semper infestantur & cor eorum coangustatur. Ac licet externè præferant fortè aliquam lætitiam, ea tamen vera & solida non est, quia in corde non est. Nam *sicut qui in carcere habitant,* ait S. Chrysostomus *hom.* 22. *de iniquitia repulsa; capitis damnationem operientes & mortem, etsi delicijs abunde fruantur, vitam agunt, maximè molestam & anxiam: sic qui improbâ conscientiâ molestantur.* Talibus enim licet multa narrentur vel repræsententur læta, cor tamen interim semper palpitat sibi & malè sibi cõscijs. Exemplo est Theodosius Imperator, qui ob cædem innocentium Thessalonicæ factam, à S. Ambrosio excommunicatus & ab Ecclesia exclusus, maiorem in modum exagitabatur: & Ruffino familiari suo, qui illum bono animo esse iubebat, humi prostratus cum lacrymis: *ô Ruffine,* inquit, *tu mea mala non sentis: ego lamentor & gemo calamitatem meam, quia seruis quidem & mendicantibus aperta sunt templa Dei, & proprium Dominum ingredientes licitè exorant: mihi verò ingressus ad eum non est, insuper etiam cœli mihi sunt clausi. Hæc dicens, singultibus verba singula interrumpebat; neque quieuit, donec nexu anathematis solueretur.* Theodor. *hist. trip.* 9. *cap.* 30. *Vis ergo nunquam esse tristis,* inquit Isidorus, l. 2. soliloq. *bene viue.*

C. II. Bona parit quietem.

SECVNDÒ, Conscientia bona parit quietem & tranquillitatem, ita vt non moueatur aut irritetur obtrectatorum iniurijs, iuxta id Sapientis *Prou.* 12. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Velut enim Ericius in globum conuolutus in medio canum adlatrantium & ringentium securus conquiescit: sic bona conscientia inter obtrectatores. Ita Christus obtrectatoribus suis pessimam ei calumniã obijcientibus: *Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es & Dæmonium habes?* pacatissimè respondit: *Ego Dæmonium non habeo.* Sic & S. Augustinus *contra Secundinum hæreticum cap.* 1. scribit: *Senti de Augustino, quod libet: sola me conscientia in oculis Dei non accuset.* Et S. Greg. hom. 9. super Ezech. *Quid prodest,* inquit, *si te omnes laudant, & conscientia accuset? aut quid obesse potest, si omnes tibi derogant, & conscientia defendat?* Hinc sæpe viri iusti iniurias suas, cùm facilè possint propulsare, negligunt; & mendacia de se sparsa ridient, solâ innocentiæ conscientiâ contenti. Ratio, quia habent vnum Iudicem intra se infallibilem, qui absoluit eos, conscientiam scilicet. Et sperant adhuc alium maiorem, se similiter absoluturum, Deum: homines verò aliter iudicantes vident decipi, ideoque eos rident aut contemnunt.

Mala perturbationem.

Contrà conscientia mala perturbationum motus gignit, & tacta in vulnere, mox reclamat oblatratq; velut canis lapide petitus iuxta id vulgare: Wann man den hund trifft so melt er sich. Ideò tales fugiunt lucem & habitare malunt in tenebris & sepulchris, vti dæmoniaci illi *Matth.* 8. Fugiunt item viros iustos, sicut scabiosa capita pectinem. Sic Herodes à multo tempore cupiebat videre Christum *Luc.* 23. nunquam tamen eum ad se accersiuit aut vocauit, cùm facilè præsentem habere posset, quia nimirum malè sibi conscius erat & metuebat ne vti à Ioanne, ita & ab ipso reprehenderetur de incestu.

D. III. Bona parit securitatem.

TERTIÒ, Conscientia bona securitatem & audaciam parit iuxta id *Prou. c.* 28. *Iustus quasi Leo confidens, absque terrore erit.* Solus Leo absque pauore dormit aperto loco, cæteræ feræ ad somnum capessendum, latebras quærunt. Ita solus iustus nihil quod timeat, habet, siue dormiat, siue vigilet, siue inter hostes, siue inter amicos sit. Cuius rei exemplum videre est in Petro, qui in carcere constitutus & postero die producendus ac Iudæis tradendus ad necem, dormiuit securè inter duos milites, vinctus catenis duabus, *Act.* 12. Item in S. Tiburtio Martyre, qui dum à Fabiano iuberetur ocyùs Christi fidem abnegare, aut varijs tormentis excruciari, intrepidè respondit: *Decerne quod lubet. Omnis nobis vilis est pœna, vbi pura est comes conscientia.* Surius to. 1. in vitâ S. Sebast. Item in S. Hilarione, qui inuentus & interrogatus à latronibus: *Quid faceres, si latrones ad te venirent?* respondit: *nudus latrones non timet. Atqui occidi potes,* inferunt. *Possum,* ait Hilarion, *sed ideò latrones non timeo, quia mori paratus sum.* Hanc animi magnitudinem conspicati latrones resipuerunt. Idem etiam moriens animam suam sic allocutus est: *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis seruiuisti Christo & mori times?* Hieronymus in vitâ. Denique S. Ægidius comes S. Francisci dicere solebat: *Licet lapides & saxa de cœlo plueret Dominus, non nocebunt nobis, si tales fuerimus quales nos ille requirit.* Ferunt Germanorum legatos olim ad Alexandrum Magnum missos, postquam omnia ex votis cum illo peregissent, ab eodem interrogatos; quidnam esset in humanis rebus, quod præ cæteris Germani extimescerent? (Etenim nominis sui magnitudinem ad illos penetrasse, séque præ omnibus sibi formidandum esse responsuros putabat) Germani præter spem responderunt breuiter, se illud ante omnia timere, ne fortè in se cœlum aliquando rueret. Quo dicto nihil motus Alexander id tantùm subdidit: Germanos omnes arrogantes esse. Refert Hieronymus Ziegleius *de viris illustribus Germ. cap.* 12. Sed

absque arrogantiâ dicere iusti possunt, se ne hoc quidem metuere, ne aliquando in se cœlum ruat. Quod enim Satyricus ille Poëta *l. 3. ode 3.* cecinit, sibi vsurpare possunt quicumque conscientiam habent integram: *si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.*

Mala timorem.

Contrà verò conscientia mala, timorem & pusillanimitatem gignit. *Semper enim præsumit sæua*, inquit Sapiens *c. 17. perturbata conscientia.* Exemplum toti orbi propositum est Cain, qui ob cædem fratris pauore conscientiæ occupatus & præterea membrorum tremore punctus semper vndique sæua præsumpsit & se ad necem quæri putauit, cùm tamen præter ipsum & parentes eius nullus adhuc homo in mundo esset. *Omnis qui inuenerit me, occidet me*, inquit, Quid times ô Cain? nemo adhuc in mundo est præter parentes tuos, & tu ab illis occidi metuis? Sed persequebatur illum sanguis fratris eius, qui ad cœlum vsque clamabat. Deinde ipsa terra, bestiæ & elementa omnia, tanquam exactores obedientiæ Deo debitæ, quam ipsi ei præstant, Cain minimè præstitit. Vnde non immeritò timuit, ne ab illis opprimeretur. Vidit & posterior ætas plura eiusmodi exempla. Dionysius Syracusanorum Tyrannus, plurimorum sibi malorum conscius, non modò amicissimis et ... non fidebat, sed tonsoris quoque metu tondere filias suas docuit: quarum ipsarum postquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ferrum non ausus committere, instituit vt candentium iuglandium aut nucum putaminibus barbam sibi & capillum adurerent. Atque etiam cubicularem lectum perinde quasi castra lata fossâ cinxit: in quem se ligneo ponte recipiebat: cùm forem cubiculi, extrinsecus à custodibus opertam, interiorem claustro ipse diligenter obserasset. Valer. Max. *lib. 9. cap. 14.* Caligula Imp. item flagitiosus valde, qui propriis se sororibus commiscuit, & omnibus Romanis optauit vnum collum, quo omnes ictu vno posset interimere, non plus quàm tribus horis nocturnis quiescebat, ac ne his placidâ quiete, sed pauida miris rerum imaginibus. Nam ad minima tonitrua conniuere, caput obuoluere; ad maiora verò proripere se è lecto, imò sub lectum condere solebat. Sueton. *cap. 50. & 51.* Vnde patet quàm verè olim de talibus dixerit Deus *Leuit. 26. Dabo pauorem in cordibus eorum in regioni hostium, terrebit eos sonitus folij volantis & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente.*

E. IV. Bona parit fiduciam.

QVARTÒ, Conscientia bona parit fiduciam & spem certam impetrandi quiduis à Deo & consequendi tandem gloriam, teste S. Ioanne dicente: *Si cor nostrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus apud Deum & quidquid petierimus accipiemus ab eo* *1. Ioan. 3.* Exemplo est Ezechias Rex, qui cùm acceptâ mortis sententiâ orasset ad Dominum; *Memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim*; statim misit Deus reuerti Prophetam ad eum ac dicere, donatos illi esse annos adhuc 15. *4. Reg. 20.* Similiter Susanna in suâ afflictione, quâ innocens damnabatur, suspiciebat ad cœlum: *erat enim cor eius habens fiduciam in Deum*, vt dicitur *Dan. 13.* & mox sensit Dei opem: Puer enim Daniel excitatus Dei spiritu, eam liberauit.

Deinde fiduciam consequendi vitam æternam, cuius in se pignus satis certò intuetur, Vnde vir bonæ conscientiæ, velut alter Moyses terram sanctam à longè conspicit. *Deut. 34.*

Mala diffidentiam.

Conscientia verò mala parit diffidentiam. Quid enim à Deo petere audeat vel expectet, qui se hostem eius esse nouit? Exemplo est Miles ille impœnitens de quo S. Beda *lib. 5. hist. Angl. c. 14. anno 704.* qui ostenso sibi à duobus Angelis bonis libello bonorum operum suorum, & postea ingenti libro peccatorum suorum à dæmonibus proposito: cùm à rege Angliæ Cœnredo moneretur ad pœnitentiam agendam, desperans negauit id fieri posse, *quia post mortem, inquit, mihi conscientiam præ oculis certus habeo.* Vide in Catechism. *hist. cap. 5* in 36. *ex. 1.* Nihil aliud hi libri erant, nisi conscientia militis sub tali figurâ ei proposita quâ ipse perterritus spem omnem impetrandæ salutis abiecit.

F. V. Bona parit gloriam.

QVINTÒ, Conscientia bona parit gloriam, iuxta id Apostoli *2. Cor. 12. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Græcè habetur pro gloriâ *gloriatio*, q.d. in hoc testimonio gloriari possumus & in hoc gloriabatur coram Concilio *Act. 23. & 24.* Id certè fecit Christus cùm palam coram inimicis suis dixit: *Quis vestrûm arguet me de peccato? Ioan 8.* Sic Samuel postquam imperâsset Israeli & illi Regem sibi dari postulassent: *Loquimini de me*, inquit, *coram Domino & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi. 1. Reg. 12.* Similiter ferè S. Paulus discedens à Mileto dixit ad maiores Ecclesiæ, inter alia: *Contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annunciarem omne consilium Dei vobis, &c.* Et: *argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Act. 20.* S. Martinus etiam discedens ex hac vitâ cùm adstantem vidisset dæmonem: *Quid hic adstas, inquit, cruenta bestia? nihil in me funesti reperies.* Sulpit. in eius vitâ. Hinc prodire audet absque rubore in conspectu hostium, iudicum, & ipsius Dei: Vti S. Stephanus cuius faciem viderunt Iudices tanquam faciem Angeli stantis coram se & accusatoribus, *Act. 6.* Vnde S. Hieronymus dixit: *Bona conscientia nullius oculos fugit.* Maximam certè gloriam pariet nobis hoc testimonium in morte, cùm stabimus ante tribunal Dei coram hostibus nostris, &c.

Mala confusionem.

Conscientia verò mala confusionem parit & obmutescere facit; quemadmodum illi fecit, qui sine veste nuptiali deprehensus & obiurgatus obmutuit. *Matth. 22.* Nec non Iudæis illis qui adulteram lapidaturi, cùm legi-

sent

sent vnusquisque peccata sua, descripta in terram à Christo (iuxta communem sententiam) confusi omnes exierunt *vnus post vnum*, nihil ampliùs de lapidatione cogitantes. *Ioan.* 8. Denique primis nostris parentibus qui post admissum peccatum vocem Dei audientes conscientiâ vrgente se abscondenrunt, pudore peccati non ferentes *Gen.* 3. Et quomodo confundentur ibi, qui secum Vriæ literas deferunt ad Iudicium contra seipsos, quando illæ è sinu eorum protrahentur in eorum condemnationem? Quod si Vrias sciuisset se mortis suæ literas gestare secum: num illas non abiecisset vel astu quodam emendasset? At nos scire possumus, quid in conscientia nostra scriptum sit. Abiice ergò & corrige illam, si sapis: ne ipsa te condemnet.

CONCIO VII.

De humanæ vitæ miseriis.

Quàm multis miseriis sit vita humana obnoxia, patet

1. *Spectado miserias corporis, quæ sunt sordes, nuditas, fragilitas, inconstantia, &c.*
2. *Spectando Miserias animi, quæ sunt angustiæ & insaturabilitas, anxietas, ignorantia & inconstantia, passiones rebelles & peccatorum onus.*
3. *Spectando miserias externas, vti calamitates, dæmonum insidias, laqueos peccandi, &c.*

THEMA.

Domine salua nos, perimus. Matth. 8.

A. Videmus, Auditores, humanæ conditionis statum in hodierno Euangelio quasi penicillo quodam depictum, cùm videmus Christum cum discipulis nauigantem trans mare Tiberiadis. Quid enim nauicula, nisi corpus hominis? quis in eâ nauigans, nisi animus eiusdem? quid mare, nisi mundus? quid fluctus, nisi calamitates & tentationes in hominem vndique irruẽtes? quid portus, è quo soluimus nisi maternus vterus? quid portus, ad quem tendimus, nisi terræ sepultura? Quare optimè dixit S. Greg. *l.* 6. *epist.* 26 *Vita nostra nauiganti similis est.* Idemque testantur in inferno, hi qui peccauerunt, vt ait Sapiens *Sap.* 5. *Tanquam nauis*, inquiunt, *quæ pertransit fluctuantem aquam*, &c. *Sic & nos nati con:inuò desiuimus esse.* Confirmatur denique ipsa hominis natiuitate, in quâ præsciditur infantis mox nati vmbilicus, qui matri alligatus adhæserat veluti nauis terræ, funibus anchorariis: & sicuti his sublatis aut abscissis nauis à portu soluit & alto mari creditur: ita etiam infantulus ex portu materni vteri soluens, præciso vmbilico, vorticoso huius vitæ pelago committitur & fertur ad portum oppositum mortis & sepulturæ, vbi animus de naui exscendens in terram alteram vitæ futuræ ingreditur, siue ea sit viuentium, siue mortuorum. Quare huic typo vitæ nostræ insistentes clarè inspiciemus, quid sit vita nostra & quàm multis obnoxia miseriis.

B. I. *Miseriæ corporis.* 1. *Sordes.* Primò, Si spectemus corpus hominis, id naui est simillimum. Primò sicut naues fœtere solent, partim propter picem, quâ iuncturæ trabium opplentur; partim ob sentinam, quæ aquam iniectâ colligit & vetustate corrumpit: ita homo nihil est aliud, quàm vas sordidum, primò quidem ex fœtido spermate genitum, cuius typus fuit limus ille, ex quo factus Adã: deinde in omni vita circumferens in ventre, quasi in sentinâ, vbi quidquid infunditur, mox acescit & corrumpitur, fimum & fœtorem. Vnde Bernardus in *Meditat. Cogita*, inquit, *ô homo, quid fuisti, quid es, quid eris: fuisti sperma fœtidum: es vas stercorum, futurus es esca vermium.* Quare sicut naues tametsi depictæ quidem pulchræ appareant & ornatæ, vbi propè accesseris vel intraris, fœtidum odorem continent: ita etiam homines. Vno verbo fimeta sunt candidâ niue tecta. Arbores, herbæ, bestiæ multas gratissimi odoris excrementa fundunt, at homo præ cæteris omnibus maximè abominandæ egerit. Hoc considerans Plotinus Ethnicus, nunquam pati voluit corporis sui effigiem delineari; indignum ratus thecam animi tam vilem penicillo depingi. Hoc attendens Deus filius noluit modo naturali concipi ex muliere.

2. *Nuditas.* Secundò, sicut nauis cùm in mare mittitur (quod non sine labore fit) nuda & inermis est ac vacua, destituta velis, remis, armis, bombardis, commeatu, &c. ita in lucem prodit homo (quod maximo matris dolore fit) nudus & inermis, infirmus & ignurans, omnique consilio ac subsidio destitutus: loqui nescit, nec seipsum iuuare potest, nec aliorum implorare opem: solum ploratum edit, quæ prima eius vox est, vt miserias suas indicet. Animantia cætera cum vestibus suis nascuntur & calceis; alia squamis tecta, alia plumis, pilis, lanâ, corio, testis: vti & arbores corticibus: Item suis armis instructa, vt cornibus, vnguibus, dentibus, calcibus, rostris, &c. Adhæc mox vt nascuntur, victum sibi parare norunt, natant, volant, repunt, currunt, & sine vllo duce ad matris vbera pergunt: solus homo nudus prodit, omnibus cœli iniuriis expositus: neque comedere quidem potest, nisi doceatur, nedum victum parare: ambulare nescit, vlnis aliorum gestandus est, parentes non agnoscit, non sapit ante septennium, nec ridet ante 40. ab ortu diem; defendere se non potest, nisi in robustâ ætate & aliunde partis armis.

3. *Fragilitas.* Tertiò, sicut nauis est strues quædam lignorum fragilis ex trabibus vel asseribus & clauis compacta, quæ facilè læditur & illiditur, ideóque semper reficiẽda semperque exhaurienda est aquis supernè iniectis & per rimas penetrantibus; denique quatuor tantùm digitis à morte & submersione distat (quantum scilicet eminet super aquam:) ita corpus hominis ex ossibus & neruis (vt ait Iob) compactum, fragile & infirmum est. Pestilens odor, in-

fectus aër, sol feruentior, hyems acrior facilè id prosternunt, & sæpe prorsus enecant. Perit alius ex haustu frigidæ, alius ex vini ebrietate, alius ex doloris vehementiâ, alius ex merâ formidine & phantastico timore, alius ex morsu felis aut serpentis. Taceo quotidianas infirmitates, catarros, tusses, phlegmata, nauseas, &c. vnde necessarium est superfluos & noxios humores subinde exhaurire per potiones & syrupos, per scarificationes & venisectiones corpusque malè affectum medicorum ope resarcire: quod nî fiat, breuî obruetur & mergetur.

4. *Inconstantia.* Quartò, vt nauis semper nutat fluctuatque, nunquam fixo loco consistens: ita corpus hominis mutationi est obnoxium; modò enim in infantiâ est quadrupes, modò in senectâ tripes, modò in reliquâ ætate bipes; modò florens & venustum in iuuentute; modò deflorescens in ætate virili, modò canum, horridum & incultum videlicet in senectâ. Vnde *Iob* 14 dicitur: *Fugit velut vmbra & nunquam in eodem statu permanet.* Rursum pueritia imbecilla est tam animo quàm corpore; iuuentus animo imbecilla, corpore robusta: ætas matura & animo & corpore robusta; senectus animo robusta, corpore imbecilla: ætas autem decrepita tam animo quàm corpore rursum imbecilla, quemadmodum & nauis in prorâ est angusta, in medio lata, in puppi rursum angusta. Pueritia lepida & iucunda est, ætas virilis grauis, senectus verò morosa.

5. *Fluxus perpetuus.* Quintò, vt nauis semper in progressu & cursu est eoque velocissimo ad portum tendens destinatum, licèt nauigantes edant, ludant, dormiant & quandoque decepti putent sese stare, ciuitates autem, arbores & regiones sibi occurrentes currere: ita corpus nostrum continuò ad mortem tendit, quot respirationibus tot passibus, & sicut nauis singulis remorum tractibus impellitur ad progressum: ita corpus nostrum singulis cordis pulsibus. Vnde S. Gregorius, loco suprà citato, ait: *Is qui nauigat, stat, sedet, iacet, vadit, quia impulsu nauis ducitur: ita & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus.* Et interim tamen amore proprio decepti nescimus nos ad mortem Euro citiùs currere: alios citò morituros putamus, nos verò diu victuros, quasi vita nostra in nostro esset arbitrio. Vnde Hieronym. *epist. ad Nepot.* ait: *Quotidie morimur & quotidie commutamur & contra fidem atque experientiam ipsam nos esse æternos credimus.* Et iterum: *nemo enim tam fractis viribus & sic decrepita senectute est, vt non putet se adhuc annum vnum supervicturum.*

C. II. Miseriæ animi. 1. *Angustia & insaturabilitas.* SECVNDÒ, Si spectemus animum hominis, similis is est nauarcho, qui vehitur in naui eâque regit & imperat remigibus. Habet verò ille suas etiam miserias. Nam Primò angustè habitat; alligatur naui, exspatiari nequit, camerâ angustâ vnâ alterave contentus esse debet, tametsi Comes sit aut Princeps. Ita animus rationalis ad summa bona natus in corpore humano nimis angustè habitat, ideoque semper malè habet, altiora quærit, melioribus inuidet, nullâ denique re creatâ satiari potest. Nemo non statum suum desiderat cum alterius statu commutare, quia cum suo multò beatiorem putat. Agricolæ mercatores, mercatores agricolas beatos esse dicunt. Priuati Magistratibus inuident honorem: Magistratus contrà priuatis otium & quietem. Clerici contendunt statum Laicorum esse securiorem & tranquilliorem: hi contrà illorum præferunt statum. Nemo suâ sorte contentus est. Quot Imperatores & Reges sponte suâ abdicarunt se imperio? quot Episcopi Episcopatu? Velut enim ægri vertunt se in lecto nunc ad hanc, nunc ad illam partem, requiem quærentes nec tamen inuenientes, quia nesciunt causam suæ inquietudinis infirmitatem esse internam: ita & mortales. An non audimus Amanem dicentem: *Cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias. Esth.* 5 Nimirum homo factus est æternitatis capax, ideò nulla re fluxa satiari potest.

2. *Anxietas continua.* Secundò nauarchus semper anxius & solicitus est, quomodo nauem regat, quomodo de commeatu nauigantibus prouideat, quomodo se defendat contra hostiles naues, quomodo diuitiis nauem suam oneret & saluus domum redeat. Ita mortalium animi perpetuò exagitantur timore, mœrore, dolore, etiâ sine causâ, vt possint dicere cum Iob cap. 7. *Quare factus sum mihimetipsi grauis?* Quantas enim molestias sustinent mortales vel pro lucrando pane? an non in annis suis sicut aranea meditantur *Psal.* 89. dum excarnificant seipsos variis cogitationibus, quomodo telas texant ad parandum lucrum tametsi vile & incertum?

3. *Ignorantia & inconstantia.* Tertiò plurima ignorat & propterea etiam inconstans est in consiliis suis. Nescit sæpe quò tendat, hostibúsne an amicis occurrat, &c. ita intellectui humano parum inest luminis, multum verò caliginis: pauca nouit, plurima ignorat; & quod nouit, citò obliuiscitur, ignorata difficulter discit, fallit semetipsum, ampliora scire desiderat & desiderando excruciatur: quò plura enim nouit eò plura se ignorare videt, sicut qui ascendit montem, plura semper deprehendit ac distantiora, quæ distinctè nôdum vidit. De inconstantiâ quid dicam? mutatur in horas, citò ab opinione & sententiâ recedit, quam conceperat: sæpe stolidissimus cùm sit, sapientissimum se credit: nunc lætus est, mox tristis; nunc quietus, mox turbatus; nunc dubius, mox certus; nunc timidus, mox audax; nunc vult, mox non vult; nunc ridet, mox flet. Et, vt semel dicam, quo modo ad varietatem obiectorum mutat Chamæleon colorem, eo modo & homo omnium, quæ occurrunt, formas induit, &c. vt ait Iob, *nunquam in eodem statu permanet c.* 14.

4. *Passiones rebelles.* Quartò remiges habet immorigeros & infideles, mancipia videlicet naui alligata ad tragendos remos, quæ interdum insurgunt contra Dominum, cumque sibi subiiciunt & Domini

mini nauis fiuot. Ita ratio humana habet quinque sensus deinde passiones corpori alligatas, rebelles & præfractas; amor alius se præfert, alios stultè deperit, odium fastidit res salutares & quandoque se ac Deum: concupiscentia tota est in appetendis noxiis, stultis, inutilibus rebus: delectatio exultat in rebus pessimis, gaudet alienis infortunijs: spes pollicetur sibi, quæ nunquam euentura; metus otio diffluit, somniat pericula, vbi non sunt: audacia versatur inter media damnationis pericula: ita insanit: gula tota est in patinis & corpore saginando, &c.

5. *Peccatorū onus.* Quintò onus mercium aliarumque rerum nauim prægrauantium vehit, quod vt se suosque saluet sæpe abijcere in mare cogitur. Ita etiam animus hominis peccatorum pondere premitur eoque maiore, quò diutiùs vixit; quæ, si de salute suâ periclitari nolit, eijcere per pœnitentiam debet vitamque in melius commutare. Deprimit hoc onus sæpe homines aliquos, vt sustinere id non possint, ideoque sibimetipsis mortem consciscant, seque in abyssum mergant; alij perpetuò se inebriant, ne peccatorum suorum grauitatem aspiciant: alij scelerum suorum conscientiâ torti veluti fugitiui vndique discurrunt & seipsos fugiunt: alij doloris impatientiâ vltrò scelus suum produnt.

G. III. *Miseriæ externæ.* 1. *Calamitates.* TERTIÒ, Si quæ extra nauim sunt, pericula spectemus. Et Primò occurrunt tempestates, quibus crebris agitatur nauis & nauarchus, & vel in scopulos illiditur, vel in hostium terras eiicitur, vel adeò procul à terris repellitur, vt tandem annona deficiat & cum fame ac siti bellandum sit. Pari modo vitam hominis exagitare solent externæ calamitates, pestis, bella, fames & annonæ caritas, seruitus, terræ motus, eluuiones, furta, cædes, &c. Sed & ipsa tranquillitas ventique prosperi non minus, imò maius sæpe periculum ei afferunt, veluti abundantia, potestas, sanitas, &c. Ab his in altum effertur Deique ac sui obliuiscitur, & tandem casu grauiore ruit: ab illis verò aduersis ventis in imum pusillanimitatis & desperationis deiicitur: quæ duæ fortunæ cum homine ludunt, quemadmodum fluctus cum nauigantibus.

2. *Dæmonū insidiæ.* Secundò occurrunt hostes & piratæ, quibuscum sæpe pugnandum, & ideò semper nauis instructa esse debet militibus & bombardis: ita vnicuique plurimi occurrunt hostes nunquam non infesti. Occurrunt primò piratæ illi Dæmones, qui hoc mundi mare semper obeunt & infestant, callidissimi, potentissimi, sæuissimi, quamplurimi. Deinde ipsimet homines, qui sibi inuicem lupi sunt & carnifices. Accedunt grandia cæte, variarum bestiarum, quæ hominem persequuntur, principem licèt sunt; nec maiores illæ solùm, vti Leones, Vrsi, Tigres, &c. Sed etiam minutissimæ, vti muscæ, culices & pulices, quæ eum vexant & discruciant, imò sede suâ nonnunquam pellūt, vt aliò commigrare debeat, vti fecêre culices Indis Risophagis apud Ælian. *l. 17. hist. cap. 37.* Mures Italiæ quibusdam populis, apud eundem cap. 38. Ranæ Indis Autheriatibus eodem authore: Alius cuniculi, &c.

Tertiò, occurrunt scopuli & alia impedimenta atque incommoda cursum retardantia, vti Remora pedali longitudine piscis nauim maximâ remorans: Montes Magnetici nauim ad se trahentes sibique agglutinantes: Syrtes & Charybdes, &c. Eodem modo vita hominis in medio laqueorum ingreditur, quibus mundum plenum vidit aliquando S. Antonius, vt attonitus exclamaret: *O Domine quis euadet omnes istos laqueos?* Tales laquei sunt honor, pecunia, voluptas, mulier, cibus & potus, &c. qui alios à progressu virtutum retrahunt, alios ad se trahunt & fortissimè sibi alligant tandemque ad certum naufragium impellunt. Hinc est, quod tot animæ pereant quotidie, ita vt S. Bernardus non vereatur dicere, sicut ex decem nauibus in Oceano vix vna in portum peruenit: sic ex decem animabus vix vnam laqueos mundi euadere & ad vitam æternam peruenire. Nec in cœlo securitas, vnde lapsus Lucifer: nec in paradiso, vnde eiectus Adam: nec in Schola Christi, in quâ periit Iudas: Nec in primo Christianorum cœtu, in quo extinctus Ananias vnà cum vxore. Denique verissimum est illud Anacharsis, qui rogatus, quænam naues essent tutissimæ, *quæ in siccum*, inquit, *protractæ sunt*. Laert. *lib. 1. cap. 9.* Ita nemo tutus, nisi qui iam à vita expeditus est. 3. *Laquei peccandi.*

Quartò obuersatur ei semper ob oculos timor naufragij & submersionis, si quidem tribus tantùm aut quatuor digitis à morte distat. Vnde quidam Philosophus dubitauit vtrum nauigantes in viuentium an potiùs mortuorum numero poni deberent. Alius vero nautas bis mortuos appellauit. Simili ratione fieri non potest, vt mors quâ nihil homini certius, non obseruetur eidem perpetuò ante oculos. Naufragium illi certum est; quod alij mox in matris vtero quasi in portu faciunt: alij in infantiâ, cùm à portu soluunt, alij in medio mari, ætate maturiore: alij cùm appellunt, in senectâ. Et sicut Nauigantes variis casibus pereunt, alij ad scopulos allisi, alij ab hostibus intercepti, alij à piscibus euersi, alij fame enecti, &c. ita & mortales variis modis viuere desinunt, alij violenter enecti, alij morte naturali. Adhæc sicut nauis vacua & inanis fuit, cùm in mare mitteretur, & rursum euacuatur cùm ad portum appellit: ita omninò contingit homini. Vnde Ecclesiastici 5. dicitur: *sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur.* Ad hoc insinuandū, ex 12. lapidibus pretiosis, qui ponuntur in coronâ Regis Franciæ, supremus est Sardius, terræ colorem referens, vt se nouerit in terram abiturum vnde venerat: nec aliud esse regem, dum regnat, quàm terram eleuatam, Chauass. *de prud. l. 3. c. 9.* Illa verò omnium maxima est miseria, quòd nihilominus tam securè viuant homines, quasi 4. *Timor mortis.*

 nun-

nunquam morituri essent, nec de morte suâ cogitent.

5. Timor Dei iudicis. Quintò nauigantes in manu & potestate Dei sunt, quasi eius captiui, ita vt omni momento, facillimo negotio nauim euertere & omnes illos mergere queat; vnde cum S. Iob iurè possunt orare: *Memento Domine, quoniam ventus est vita mea.* Ac licet qui maria nauigant, ab hominum & principum legibus exempti videantur, quia extra illorum oculos & manum sunt, velut pisces maris: Non tamen sunt extra oculum & manum Dei, qui omnia illorum opera diligentissimè obseruat. Contendebat Ionas fugere à facie Dei, cùm ad mare fugit & in nauim se recepit: sed ibi mox deprehensus & sæuâ tempestate iactatus est, nec non Dei iudicio in mare proiectus à pisce gluttiendus. Hunc in modum omnes nos in manu Dei sumus & ipse considerat omnia nostra opera. Magna profectò hæc miseria, si agnoscimus: videlicet præceptorem nostrum perpetuò cum ferulâ stare ante nos; maior, si non agnoscimus. Et quàm facilè est illi nos omnes pessundare? Et quò à facie eius fugiemus, qui eum semper nobiscum gerimus, quo modo & gentiles nautæ suos Deos tutelares semper in puppi secum gerebant, vt scribit Sanchez in *Act. cap.* 28.

Quæ cùm ita sint, mirum inprimis est, quomodo extolli possit homo. *Quid enim superbis terra & cinis?* Deinde quomodo mundum & miseram hanc vitam diligere quis possit, tot repletam amaritudinibus? Denique quomodo non in continuo timore versari possumus, qui in tantis periculis nauigamus? Quàm multæ & magnæ causæ sunt semper orandi & sine intermissione clamandi ad Deum: *Domine salua nos, perimus?* Quàm seriò laborandum; vt Christum in nauiculâ nostrâ semper habeamus & in eius gratiâ constituti simus?

CONCIO VIII.

Documenta ex Evangelio.

1. *Docemur videre & mirari Christi bonitatem.*	4. *Docetur iustorum securitas in periculis.*
2. *Sine Christo duce nos nihil esse.*	5. *Hominum audacia & ingenium.*
3. *Vbique esse pericula, etiã in naui Christi.*	6. *Dei potentia.*
	7. *Creaturarum ad Deũ subiectio.*

THEMA.

Homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic? Matth. 8.

A. Ante octiduum miratus fuit Christus fidem Centurionis? Hodie mirantur homines potentiam Christi, imperantis mari & ventis. Et quidem iure merito mirantur homines Christum, quia prædixit Isaias vocandum *admirabilem. Isai.* 9. sine eius naturam incomprehensibilem, siue eius operationem & potentiam, siue eius vitam, mortem & resurrectionem, siue eius Sanctos consideres. Illud verò mirandum, quomodo aliquid in homine mirari potuerit Christus, cùm omnia illa Christo sint tenuia & vilia. Nimirum quemadmodum Iapones, Brasilij, aut Chinenses, si in nostras terras venerint, mirantur illi nos & nos miramur illos. In nobis illi mirantur vasa figulina, æreas ollas, ferreas tripodes, papyrum, cultros, & similia tritissima & vilissima, quia ipsis rara. At verò nos in illis meritò suspicimus vestes serico, gemmis, auro, nitentes, aliaque pretiosissima, quibus ipsi abundant. In hunc modum mirabatur Christus fidem Centurionis, vilem vtique rem, si cum Christi dotibus & virtutibus comparetur: sed tamen raram, & ab ipso in Israel non inuentam. At nos multò æquiùs miramur dotes Christi, vtpote quas è cælo in terras secum attulit, sapientiam, potentiam, &c. priùs mundo incognitas. Porrò in hodierno Euangelio non paucæ sanè occurrunt mira & recondita quæ proinde declarabimus.

B. I. Christi bonitas. Primò, Vide & mirare Christi Domini nostri bonitatem ac benefaciendi pruritatem. Vt enim haberet occasionem homines magno sibi beneficio alligandi, ad fidem & dilectionem suam trahendi, ecce quid non facit? Intrat in nauiculam, recumbit & dormit, sinit excitari tempestatem & periclitari nauem, nautasque iactari & perturbari. Quorsum hæc omnia, nisi vt ab iis excitatus & inuocatus posset eos consolari, liberare per insigne miraculum: ad suam cognitionem, fidem & amorem velut suaui & fortissimo philtro allicere sibique deuincire? Vide quàm ingeniosus sit amor in Christo. Si tempestatem nullam permisisset, si non dormiuisset, non timuissent discipuli, nec opem Christi implorassent, nec in ipsum tantâ fide credidissent, nec admirati fuissent eius potentiam, nec ipsum adeò dilexissent & tanquam creaturarum Dominum reueriti fuissent. Simili ingenio perfecit Deus opus incarnationis, miraculorum omnium maximum, vt eo velut fortissimo fune traheret ad se filios Adam. Dormiuit enim quando permisit Adamum & Euam pro arbitrio suo agere & quasi solos in paradiso nauigare. Permisit deinde procellam venti descendere in mare, hoc est, Diaboli tentationem in Euam & Adamum & in illis excitare fluctus concupiscentiæ erga fructum vetitum. Vnde orta est ingens illa tempestas, quâ tota Adami posteritas miserabiliter iactari & in omne vitiorum genus prolabi, ad extremam denique miseram redigi cœpit. Ideò olim Patres Deum excitarũt vt surgeret & imperaret Demoni, &c, quam is excitauit, tempestati. Quorsum hæc permisit Deus, qui omnia impedire potuisset? Vt hoc modo haberet occasionem quàm commodissimam, perficiendi eum maximâ suâ gloriâ, nostrâ vero vtilitate, opus incarnationis. Euigilauit igitur Deus quando est incarnatus, & imperauit ventis ac mari reddiditque nobis tranquillitatem. *Melius enim iudicauit*, ait Augustinus in Enchirid. *ex malis bona facere*, quàm

quàm mala nulla esse permittit. Ex hoc iam magis videmus & admiramur Dei potentiam, qui tantam tempestatem tam mirabiliter sedauit; magis agnoscimus & amplectimur eius bonitatem & misericordiam, qui è tanta calamitate tam paternè nos liberauit; rapimur in amorem eius, qui tam efficaci medio ad eum nos pellexit. Et verò quod vniuerso generi humano fecit, id etiam facit sæpe cum vnoquoque nostrûm. Cùm enim nos auertere à vià mala & ad se allicere, de morte æterna ad vitam volt pertrahere, dormire quandoque incipit & sinit nos iactari tentationibus, morbis, persecutionibus, vsque dum agnoscentes miseriam & peccata nostra, recurramus ad ipsum per pœnitentiam & orationem, vt ita ab eo liberati prædicemus eius bonitatem & amemus ac timeamus eum, quem priùs nec amauimus, nec timuimus. Sic Ionas à facie Dei fugiens & inobediens cùm tempestate iactaretur & in ventre ceti esset, tum demum in se rediit, Dominum deprecari & benedicere cœpit *Ion. 2.* Væ nobis si his vinculis non trahamur, si liberati à corporis aut animæ periculis & miserijs non resipiscamus, non amemus ac timeamus Deum.

C. II. Sine Christo Duce nihil.ionas. SECVNDÒ, Vide & mirare quàm mox omnia sursum deorsum eant, si vel modicum Deus dormiat, & dimittat homines agere pro libitu. Dormit quodammodo Deus, cùm non dirigit homines suâ gratiâ, cùm non increpat per concionatores, cùm non punit per Magistratû vel plagas à se immissas, cùm immittit prædicatores mutos, Magistratum & superiores ignauos, &c. quo casu mox tempestas citetur à dæmonibus, imò à nobis ipsis. Benè dixit Aristoteles vel quisquis est auctor *l. de mundo: Hoc in mundo est Deus, quod in naui gubernator, quod in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu imperator.* Vt enim gubernatore, aurigâ, præcentore, lege, Imperatore dormiente seu conniuente omnia pessum eunt; ita si à directione suâ paternâ Deus cesset. Neque potest grauiùs punire homines, quàm si eos sinat ire *in adinuentionibus suis*, adeoque es dormiat. Pardalis se sub arbore deijcit in terram & mortuam se simulat, tum Simiæ ex arbore descendunt & vbi mortuam explorant, ac credunt, circum eam saltitant, super eam gradiuntur ac varijs modis ei illudunt. Pardalis omnia sustinet immota, donec Simias defatigatas esse aduertit, tum ex inopinato surgens exiliensque eas partim dispergit, partim lacerat & deuorat. Idem sæpe facit Deus, (non quidem in fraudem vti pardalis, sed in pœnam reproborum iustissimam) tolerat enim libidines impiorum quasi dormiens aut mortuus: sed suo tempore exsurgit & vindictam sumit. Vnde *Isai. 42.* ait: *Tacui, semper silui, patiens fui, vt parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul.*

D. III. Vbique pericula. TERTIÒ, Vide & mirare in exiguo mari (seu potiùs lacu Genesareth vid.) magnam & repentinam tempestatem: vt scias in hac vita nunquam deesse tentationes, licet in naui Christi sis; imò tunc magis certiusque adfore. Vt enim in hanc nauiculam, cùm è portu solueret, mox venti procellosi certatim irruerunt eamque tantùm non obruerunt: ita anima nostra vbi annos discretionis attigerit, statim incidit in procellas. Inde venti tentationum, hinc maris, id est, carnis nostræ inquietudo & fragilitas, illinc remiges inexperti ac timidi, id est, vires animi nostri feniusque corporis; durabitque hæc tempestas, quamdiu hoc corpus gerimus. Quanquam aliqui tempestatem hanc non sentiunt, sed omnia pacifica sibi imaginantur, quia toti caro sunt & in carnem quasi mutati, ideoque pugnam nullam aduertunt inter carnem & spiritum: nesciunt quid sit murmur carnis & querimonia rationis, bocque ipso periculosiùs laborant. *Erras frater, erras*, ait S. Hieron. *ep. ad Heliodor. si putas vnquam Christianum persecutionem non pati: tunc maximè impugnaris si te impugnari nescis.* Sunt enim isti in maiori periculo, & quasi feræ iam captæ in horto Principis securè degentes, quas nemo infestat aut venatur. Cæterùm pij & Christi milites quasi feræ sunt adhuc liberæ, quibus insidiatur dæmon. Vnde Apostolus 2. *Tim 3. Omnes, inquit, qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patiuntur.* Quare bonum signum est, cùm tentationibus exercemur; hostes enim vexat dæmon à quibus se victum aut vincendum sentit, non amicos. Vicissim bene Demetrius apud Senecam *epist. 67.* vitam securam & sine vllis incursionibus, mare mortuum vocat. Etenim mare mortuum, vt scribit Tacitus *lib. 5. hist.* neque vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur & tetrum odorem fundit. Ita etiam qui nullis agitantur tentationibus, nullos aut exiguos bonorum operum fructus ferunt, fœtent vitijs, &c.

QVARTÒ, Vide & mirare iustorum in medijs persecutionibus securitatem & quietem, designatam in Christo dormiente inter procellas. Simili enim ratione *non contristabit iustum*, ait Sapiens *Prou. 12. quidquid ei acciderit.* Rationem dat S. Chrysostomus *hom. 18. ad pop. Deum enim, inquit, si ut oportet, timens, & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est & omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla breui facilè extinguitur, sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur.* Hinc S. Martinus à latronibus interceptus & mulctatus, nunquam se magis securum fuisse asserit, quòd nimirum Deus maximè adsit iustis, cùm in afflictione sunt. Sulpit. in vitâ. Ea verò securitas & lætitia maximè se prodit in tempestate instantis mortis, cùm se iustus aduertit iam ad portum tendere. Nimirum Deum secum in naui cordis sui præsentem habere se intelligit, vnde ait: *Et si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Non ita dormiunt impij: quia inquit Isai. c. 57. *impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Ita Ionas fugiens, cùm videret exortam sui causâ tempestatem, præ metu & fastidio descendit ad interiora

E. IV. Iusti securitas in periculis.

nauis,

nauis, tenebras quærens, & dormiuit quidē ſed idcircò tantùm, vt ſtimulos conſcientiæ hoc ſopore compeſceret. Sic aliqui crebrò ſe inebriant, ne oblatrantem conſcientiam audiant.

F. V. Hominū audacia.

QVINTÒ, Vide & admirare hominum ingenium. Audaciſſimo animo ſe concredunt mari, & exiguæ nauiculæ, nihil de tempeſtatis & mortis periculo, quod tamen in mari in quo vix 4. digitis à morte abſunt, paſſim obuium & præſentiſſimum eſt, cogitantes. Poſtmodum vbi procella venit, toti conſternantur caduntque animis, & quaſi mentis inopes Christi opem inclamant. Ita nimirum plerique agunt. Licèt enim ſciant ſe fragili cymbâ vehi, fragiliſſimo, inquam, corpore, & vix palmo vno abeſſe à ſepulchro: nihilominus tamen velut cæci in quæuis pericula ruunt & viuunt quaſi nunquam morituri, ideoque nec de morte cogitant. Mox verò vbi vel vna febris eos quatere incipit, ilicò conſternantur, mortem fugiūt, opem Dei & huminum implorant: *Domine ſalua nos perimus*, &c. Quid miramini mortales eiuſmodi tempeſtates? an neſcitis vos paruâ & fragili cymbâ nauigare in hoc mundo? & cur ita temerè ob exiguum lucrum aut voluptatem, mortis pericula aditis? aut cur non potiùs horam mortis præ oculis ſemper habetis? & quaſi omni loco mortem expectatis? Plutarchus in Lacon. refert quendam philoſophum iurè dubitaſſe, num nauigantes eſſent in numero viuentium, an defunctorum computandi, propterea quòd in continuo vitæ diſcrimine verſentur. Et Diogenes Laertius *l. 1. in vita philoſophorum*, ſcribit Anacharſim quendam interrogaſſe, quanta eſſet ſpiſſitudo tabularum nauticarum; illum autem reſpondiſſe quatuor digitorum. Cui tum ille. *Tantillum ergo abſunt à morte, qui nauigant.* Idem nos de vitâ noſtrâ dicere poſſumus. Eccur igitur non in perpetuo timore ſalutis noſtræ verſamur? Num quia ſpem in Deo ponimus, quem ingruente mortis periculo, ſuſcitandum à nobis ſperamus & in auxilium vocandum? ſed quid ſi à fluctibus hauriamur antequam clamare & ſuſcitare eum poſſimus?

G. VI. Dei potentia.

SEXTÒ, Vide & mirare Dei potentiam. *Surgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Non ſolùm ceſſarunt venti, ſed & mare mox deferbuit, idque iuſſit Dominus cum imperio & minis. Quid eſt omnis mundi poteſtas cum hac collata? Canutus Anglorum Rex, cùm adulatores ei dicerent, omnia ad eius nutum verti & conuerti, vanitatem eorum oſtendere volens, ſedem regiam in littore maris poſuit, ipſo maris affluxu & refluxu, & dixit: *Impero tibi mare & denuntio, ne in terram meam aſcendas, nec membra nec veſtem Domini tui madore perfundas.* Dixit ille, ſed incaſſum; mare fluxum ſuum tenuit, regem alluit & aſperſit. Tum is reſiliens: *En, quàm bellè*, inquit, *mihi parent omnia? Quin potiùs ſciant omnes, vanam eſſe & falſam Regum potentiam atque vnum eſſe Deum, qui cælo terra mari imperat.* Hinc Vintoniam progreſſus, coronam regiam capiti ſuo detraxit & capiti Christi Crucifixi impoſuit, nunquam deinceps eo inſigni vſus. Polydor. Virg. Nondum ita ſapiebat Hiſpani Regis Philippi II. filius Iacobus, quando ad feneſtram quandam ſtans, à vento moleſtiæ neſcio quid paſſus, cœpit puerili quadam temeritate dicere: *Tibi ô vente impero ne moleſtiam mihi afferas.* Adſtabat ei tunc honorarius quidam puer Beatus Ludouicus Gonzaga, & dixit: *Poteſt ô Domine, celſitudo tua hominibus quidem, vt obediant, imperare: ſed non elementis, quia hoc ſolius Dei eſt, cui etiam Celſitudinem tuam obedire neceſſe eſt.* Quam ſapientiſſimam ſententiam Philippus Rex cùm inaudijt, ſummoperè laudauit. In vita B. Aloyſij Gonz. p. 1. *cap.* 7. Quocirca videmus quantopere Deum oporteat timere; cui elementa omnia tam ad nutum obediunt. Quid enim ſi ſuos iſtos Leones in peccatores immittat, iuxta id *Sap* 5. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum?* quid ſi imperet ventis & mari vt perdant reprobos? An non id fecit Ionæ inobedienti & fugitiuo? Audi Scripturam: *Dominus autem miſit ventum magnum in mare & facta eſt tempeſtas magna in mari & nauis periclitabatur conteri. Ion.* 1. Ecce quàm ad nutum & in momento obediant elementa Deo, ſiue ad perniciem hominum ſiue ad vtilitatem! *Ipſe continet ſicut in vtre aquas maris*, ait Dauid. *Pſal.* 64. *Ipſe educit ventos de theſauris ſuis. Pſ.* 134. *Ipſe conturbat profundum maris. Pſ.* 64. Vnde Dauid admirabundus ait. *Pſal.* 88. *Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi? Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas*, &c.

H. VII. Creaturarum ad Deum ſubiectio.

SEPTIMÒ, Vide & mirare creaturarum inanimatarum obedientiam. Continuò enim ad verbum Christi acquieſcit mare, cōquieſcunt venti; vnde mirati ſunt, qui id viderant, dicentes: *qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* Et quidem meritò mirantur. Quid enim mirabilius, quàm obedire voci Christi inanimes creaturas, non obedire homines ratione præditos? Hoc igitur exprobrat inobedientibus Iſaias cap. 1. dicens: *Audite cæli, & auribus percipe terra. Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum & Aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit & populus meus non intellexit.* Similiter Moyſes contra inobedientes inuocat cœlum & terram *Deuter.* 4. S. Antonius de Paduâ, cùm homines audire prædicantem nollent, piſces conuocauit in flumine Ariminenſi, qui certatim ad littus adnatantes perſiſtebant velut audituri concionantem; idque factum in confuſionem hominum. Ita confundunt venti & mare Tiberiadis inobedientes homines, iuxta id *Iſai.* 23. *Erubeſce Sidon, ait mare.* Certè mare præceptum accepit á Deo: *Vſque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Iob* 38. Cui mandato obedit mare ſemper. Quid ergò dicet homo iracundus, cui præcepit Deus ne iraſceretur, ne diceret fratri ſuo, *Racha*; ne diceret, *fatue*, ſub interminatione iudicij, concilij, gehennæ? quid dicet? Nónne mare Tiberiadis contra illum inſurget dicens: Erubeſce

beſcẽ homo? Idem de periuriis, blaſphemis, &c. iudicium. Mari dixit Chriſtus: *Ta e, obmuteſce, Marci 4. & ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna*, præcepit etiam nobis, ne iuraremus, blaſphemaremus, imprecaremur, &c. cur non obedimus? cur non obmuteſcimus? ſed quod viuentes facere nolumus, mortui facere debebimus, iuxta apologũ illum noctuæ, quæ cùm monuiſſet cicadam ne de nocte ſibi dormienti obſtreperet, ſed taceret, illaque noluiſſet; inuitauit eam ad Palladis nectar: veniẽs igitur cicada à noctuâ occiſa eſt, ſicque quod negarat viua, tribuit mortua Phædri *l. 3. c. 55.* Quoties monet Deus per Euangelium & Cõcionatores ſuos, ne illi obſtrepamus, contumelijs, mendacijs, detractionibus, execrationibus, imprecationibus, blaſphemijs, iuramentis, periurijs? Et nihil tamen obtinet. Obtinebit tamen ſuo tempore, cùm iſtos inuitabit ad triſte illud nectar mortis & fortè etiam calicem furoris & indignationis ſuæ. Ibi demum obmuteſcent: Quod à nobis auertat Deus.

CONCIO IX.

Myſteria.

Quæritur primò, quorſum excitata ſit hæc tempeſtas.
2. *Quare Chriſtus in naui dormierit.*
3. *Cur reprehenderit diſcipulos.*
4. *Cur imperet ventis & mari.*
5. *Quid ſignificet Nauicula.*

THEMA.

Porrò homines mirati ſunt dicentes: Qualis eſt hic? Matth. 8.

A. QVærunt Doctores, quinam fuerint iſti homines, qui mirati ſunt ſedatã à Chriſto tempeſtatem? Inter quos Ianſenius rectiùs ſentire videtur, qui ait non diſcipulos tantùm, ſed homines etiam, qui in alijs nauibus Chriſtum comitabantur, miraculumque obſeruabant, miratos fuiſſe. Ait enim S. Lucas fuiſſe cum Chriſto & alias naues. Ergo etiam in mari proſecuti ſunt Chriſtum homines, vt illius dicta & facta notarent cordique ſuo inſcriberent. Laudandus vtique zelus & ſalutaris curioſitas: quæ vtinam in nobis quoque cerneretur, Auditores. Quare ne ſegniores Iudæis ſimus, inſcendamus & nos in nauiculam cordis noſtri & obſeruemus ea, quæ in hodiernâ nauigatione peracta ſunt: obſeruata expendamus.

B. 1. Quorſum excitata tẽpeſtas. Q. PRIMA. Quorſum excitatur hæc tempeſtas? Reſp. Primò Gloſſa ord. vt diſcipuli magis timeant ac rogent, & ipſe rogantibus oſtendat potentiam ſuam. Viderant quidem diſcipuli 2. multa iam Chriſti beneficia & miracula alijs exhibita, ſed nondum ea in ſeipſis experti erant. Ergo vt Chriſto firmiùs crederent eiuſque miracula neruoſiùs prædicarent, Chriſto etiam gratiores eſſent, velut mirâ eius ope periculo mortis erepti: permiſſa tempeſtas, vel vt aliqui volunt, ab ipſomet Chriſto excitata eſt. Qui ſuauiter epulari vult & bibere, priùs eſurire & ſitire debet: qui in altum euehi, priùs debet deprimi? qui gaudio & ſolatio perfundi; priùs debet in anguſtias redigi; hinc enim ad Deum confugiet eumque excitabit ad ferendam opem. Flores hortorum non ſpirant odorem ſuum copioſum, niſi ventorum vi agitentur; tunc enim vnuſquiſque odorem ſuum refert: ita tribulatio immittitur homini, vt is exſerat virtutem ſuam. Eò pertinet id *Cant. 4. Surge Aquilo & veni Auſter & perfla hortum meum & fluent aromata eius*. q.d. auſteritas calamitatis excitabit virtutis odorem.

Reſpondet Secundò Theophylactus; *permiſit Dominus tempeſtatem oriri vt diſcipuli ad tentationes exercerentur & vt per miraculum crederent*. 2. Debebant Chriſti diſcipuli fieri inſignes & ambidextri pugiles, vtpote qui mundum peruadere & expugnare deberent: idcircò priùs bene exercendi in omni genere armaturæ erãt maximè in aduerſis rebus; ſiquidem eos gladio accinxit, non vt eo percuterent, ſed percuterentur, ſuamque fidem probarent per omnes calamitates. Hinc ergo eos Dominus in hanc tempeſtatẽ duxit quaſi in ludum gymnicum, vt in fide, patientiâ, fiduciâ in Deum, humilitate, &c. ſeſe exercerent adeoque ad imminentes ſibi perſecutionum tempeſtates fortiter ſuſtinendas (quas & in hac tempeſtate quaſi in typo prævidere poterant) inuictiores redderẽtur. Vnde Pſ. 126. vocantur *filij excuſſorum: & filij areæ Domini* Iſai. 21. *Tritura mea & filij areæ meæ, quæ audiui à Domino exercituum Deo Iſrael, annunciaui vobis.* Tritura ergo Chriſti & filij areæ eius erant, quia tribulis, hoc eſt, tribulationibus varijs triturandi & à paleis excutiendi, multiſque odij & inuidiæ telis alijſque calamitatibus opprimendi, vt nudi à paleis & terrenis affectibus in horreum Chriſti reconderentur. Gladius à multo tempore non euaginatus rubiginem contrahit, cuius interuentu vaginæ adhæreſcit, vt cùm repentè pugnandũ eſt, nullis penè viribus extrahi queat, ſua proinde remorâ dominum vulneribus exponat. Par omninò ratio de homine nullis aduerſitatibus ventilato. Patientia enim non excitata adeò tarda eſt vt locum ſæpe Diabolo det vulnerandi animam.

Reſpondet Tertiò S. Ambroſius *in c. 5. Lucæ*; & Ven. Beda, *Luc. 8.* concitatam tempeſtatem propter præſentiam Iudæ proditoris (Incertum iſtud eſt; videtur enim tunc Iudas nondum fuiſſe reprobus) quod tamen ſi veritati conſentaneum eſt, oſtendit nobis Ionam alterum, qui profugus à Deo, dum naui ſeſe credit, à fluctibus & ventis veluti lictoribus comprehenſus exagitatur, quique ſuâ ſocietate totam nauim periculo exponit. Audiamus S. Ambroſium ſerm. de Cathed. S. Petri hac de re loquentem. *Tranquillitas eſt*, ait, *vbi ſolus Petrus nauigat: tempeſtas, vbi Iudas adiungitur: Licet eſſet Petrus firmus ſuis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius igitur delicto cunctorum merita quaſſabantur.* Quare non mirum 3.

ſi com-

si communes plagæ, naufragia, pestes, bella sæuiant in communitatibus; propter vnum enim reprobum à bonis toleratum, patiuntur etiam boni.

C. II. Quare Christus in naui dormit? 1. Q. SECVNDA, Quare dormiuit in naui Christus? Resp. Primò Liranus: *dormiit*, inquit, *Dominus, vt veritas humanæ naturæ in eo ostenderetur.* Idque confirmari ex eo potest, quòd Marcus c.4. ait, ipsum serò esse factum & dimissam ab eo turbam. Erat igitur causa dormiendi, tempus serum & fatigatio ex longâ ad turbam concione. Hanc etiam defatigationem indicare videntur illa verba apud Marcum: *Assumunt eum ita vt erat in naui.* Etenim fessus ambulando & concionando in puppim se receperat & super ceruical quiescebat. Sic Ioannes cap.4 de eodem dixit: *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Habemus ergo somnum Christi minimè fuisse intempestiuum, sed serum & ex fatigatione ortum: quâ re nos docemur vti somno non nisi post laborem, nec ad voluptatem, sed ad remedium & naturæ conseruationem: quo modo agri duobus annis conseruntur vt fruges afferant, tertio anno interquiescunt, ne nimis exhauriantur, indeque sterilescant. Sat superque est tertiam vitæ partem somno indulsisse.

2. Respondet Secundò S. Chrysostomus *hom. 29. in Matth. Si vigilantem viderent Christum aut nō adeò timuissent discipuli, aut petere ab eo salutem, qui pericula eorum videret, neglexissent: aut non posse ipsum fluctus sedare putassent. Ideircò dormit vt & timoris causa ipsis maior preberetur & sensus eorum apertior ad videnda miracula redderetur, &c.* Quàm soletter consulit Dominus suorum discipulorum profectui & saluti! Vt periclitantes iusto bonoque timore impleat, vt ad orandū impellat, vt fide armet, somnum sibi conciliat. Hinc agnoscunt illi, se sine Christo nihil posse, nihil esse: cum Christo omnia posse, omnia esse.

3. Respondeo Tertiò. Dormijsse ad instructionem nostram, quo sciremus iusto nihil valdè pertimescendum esse. Vt enim leo dormit quouis loco etiam aperto, nec latibula ad somnum quærit, quia nullum hostem timet: ita Christus inter fluctus dormit & cum eo iustus quoque. Petrus inter milites vinctus altum dormit, sciens licèt gladium Herodis iam iam in se exacui. Paulus in sæuissima tempestate, securus de salute, iussit omnes cibum sumere dicens: *quia nullius vestrûm capillus de capite peribit. Act. 27.*

D. III. Cur reprehendit discipulos? Q. TERTIA. Cur reprehendit Christus discipulos, & quidem, vt videtur, iteratò: ante sedatam tempestatem, vt habet Matthæus: & rursum, post sedatam, vt habent Marcus & Lucas? quis enim in tali tempestate non iure sibi timeret? Resp. meritò obiurgasse eos propter fidei defectum, vt qui putarent dormiēti Domino non esse vires ad tollendum periculum & incolumitatem impertiendam; & inde etiam modicam gererent fiduciam erga opitulatorē Christum, cuius tamen potentiam & diuinitatem iam satis comperissent. Valde Deum pungit cùm ipsi diffidimus spemque nostram ab eo auertimus & defigimus in creaturis. Hinc enim per Sophoniam c.3. tam grauiter obiurgat Ierusolymā, vel secundùm Lir. & Arian, Christianos: *Væ prouocatrix & redempta ciuitas, columba* (alij vertunt molestatr x) *in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquauit.* Arguit enim talis Deum, quasi non sit omnipotens, summè prouidus & beneficus, ac propterea sibi & creaturis, in quas sperauit, relinquitur vt ab ijs deferatur, fallatur & euertatur. Id enim ei comminatur Deus *Ier.17. Maledictus homo qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto,* &c. hoc est, contemptus sterilis, desertus, infœlix qualis est & myrica herba. E contrà. *Benedictus vir* (pergit) *qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas & non timebit cùm venerit æstus.* Huiusmodi arbor erat S. Barbara Virgo fragilis & tenera, quæ cùm pectinibus ferreis horrendè laceraretur à carnifice & facibus admotis vreretur, defixis in cœlum oculis Christum inuocabat dicens: *O bone* IESV *tu vides secretum cordis mei, quod in te solo spem meam defixi: non ergo me deseras, quia sine te sum debilis & infirma, tecum autem sum fortis & robusta.*

Q. QVARTA, Cur per modum imperantis: & vt Marcus ait, comminantis: & vt Lucas, increpantis, sedauit mare & ventos? Resp. Primò, vt ostenderet se Dominum esse maris & terræ omniumque creaturarum, quibus pro libitu dominari quasi seruis queat. Propterea etiam Angelus (qui Christū repræsentabat) ponere pedem vnū super mare, alterum super terram, quòd vniuersodominetur mundo. Secundò, Ad instructionem nostram, vt vel à creaturis inanimatis disceremus obedire Deo, cuius illæ voci aures quodammodo præbent & obediunt ad nutum, quemadmodum & Baruch. 3. *Stella vocata sunt & dixerunt adsumus.* Non verbo, sed facto. Ita Ionæ cap. 2. dicitur: *Dixit Dominus pisci & euomuit Ionam in aridam.* E. IV. Cur imperat vētis & mari? 1. 2.

Q. QVINTA. Quid significat hæc nauicula? Resp. significare Ecclesiam Christi. Primò quia omnia ferè in se continet, quæ in naui reperiuntur. Supremus gubernator est Christus Nauarchus ad clauum sedens summus Pontifex, Speculatores Episcopi, nautæ Sacerdotes, præfecti ciborum Diaconi, milites concionatores, nauigantes Christiani reliqui, malus crux, vela virtutes, aura nauim prouehens Spiritus Sanctus, procellæ persecutiones, pyratæ Tyranni, scopuli hæreses, &c. F. V. Quid significat nauicula 1.

Secundò, sicut nauis diuisionem non admittit, quamuis minima sit; mox enim hauriret aquam & mergeretur: ita Ecclesia eadem fide compaginata esse debet, diuersas religiones & contraria fidei dogmata minimè admittit. 2.

Tertiò, quia sicut nauis, ita & Ecclesia iactari quidem fluctibus persecutionum potest, non euerti tamen; quia secum vehit Christum, qui mari & ventis imperare omnesque hostiū incursus debellare potest. Quare si Iulius Cæsar 3.

nautæ

nautæ in tempestate trepidanti dicere potuit: *Noli metuere, quia Cæsarem vehis & fortunam eius*: multò sanè veriùs & verissimè quidem dicere id nobis Christus potest: sæuiant licèt Tyranni, sæuiant vndique Hæretici, fluctuet nauicula, nolite metuere vos, qui in Christi naui estis; Christum enim vehitis & diuinam eius potentiam, quâ ad nihilum redigere omnes illos Gigantulos potest & magnam in Ecclesiâ tranquilitatem facere. De Ecclesiâ Christi non de carnali Dauidis regno scripsit ad litteram Dauid Ps. 88. in personâ Dei loquens: *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar! semen eius in æternum manebit: Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo.* Quis autem expugnare solem cœloque detrahere præsumet? Milites quidem Caij Cæsaris nescio quibus furijs acti iacula certatim versus solem emiserunt, sed ea in ipsorum capita relapsa ipsissimet nocuerunt. Hoc idem contingit hæreticis Ecclesiam oppugnantibus. *Sagitta paruulorum factæ sunt plagæ eorum.*

DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matthæi 13.



IN illo tempore; dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait, Non: Ne fortè colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

CONCIONES.

CONCIO I.

Cur inter bonos toleret Deus malos.

Tolerantur mali inter bonos,
1. *Quia mali possunt fieri boni.*
2. *Vt boni per malos exerceantur.*
3. *Vt instruant bonis, eisque sint adiumĕto.*
4. *Vt sic mali etiam suo modo remunerentur.*
5. *Vt ostendat Deus clementiam suam.*
6. *Vt appareat Dei iustitia, eiusque potentia*

THEMA.

Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Matth. 13.

QVod dixerunt & voluerunt serui in hoc Euangelio de zizanijs: hoc dixerunt & voluerunt, dicunt & volunt etiamnum multi iusti & zelo pleni viri, de peruersis hominibus: *Vis imus & colligimus eos?* vis eradicemus eos? Talis Primò Abacuc qui cap. 1. ad Deum ait: *Quare non respicis super iniqua agentes & taces deuorante impio iustiorem se? Et facies homines quasi pisces maris & quasi reptile non habens Principem.* Vt enim inter pisces alter alterum deuorat, fortior imbecilliorem, grandior minorem: ita fit sæpe inter homines. Queritur ergò Propheta, homines iustos à Deo deseri, quasi essent pisces aut reptilia. Ita etiam Dauid Psalm. 43. *Propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Exurge, quare obdormis Domine?* Et iterum Psalm. 93. *Vsquequo peccatores Domine? vsquequo peccatores gloriabuntur, &c.* Certè tanta est hæc res, vt aliqui proptereà negarint Dei prouidentiam & putarint eum nostra vel non videre vel non considerare aut curare. Quare indagemus huius rei causas.

B. PRIMÒ, Tolerantur Mali inter bonos, Ne simul eradicetur & triticum, id est, Iusti, quia fieri potest (inquit D. Augustinus serm. 46. de diuersis) vt qui hodie sunt zizania cras sint frumentum. Natura quidem ex zizanijs facere triticum nequit, potest tamen gratia Dei ex reprobis facere bonos. Angeli tantùm sicut immobiliter apprehendunt, ita immobiliter volunt & volito adhærent; (vnde mali angeli

1. Quia possent fieri boni

geli expectati non sunt post primum peccatum ad pœnitentiam: & bonis dilata non est gloria post primum actum virtutis.) Homines verò non item, quia cùm per discursum res apprehendant & facilè in eo decipi possint, inde fit multoties vt cras velint, quod hodie nolunt & contrà. Inde *Psalm.*77. dicitur: *Ipse autem est misericors & propitius fiet peccatis eorum & non disperdet eos, &c. recordatus est quia caro sunt.* Sunt enim homines veluti chordæ in cytharâ, quæ etsi sæpe dissonant, temperari tamen possunt. Vt igitur Cytharœdus non statim frangit cytharam, quia chordæ aliquæ dissonant, sed potiùs eas aptat: ita cum peccatoribus agit Deus. In vitis PP. fol. 300. legitur Anonymus religiosus cuidam interroganti, num Deus peccatorum misereatur? respondisse: *Túne vbi chlamys tua lacera est, eam protinus abijcis? Ita nec Deus; custodit quippe eos quos ad imaginem suam creauit. Resarciri potest tunica & diu vtilis esse quemadmodum & peccator.* Exemplo sunt Samaritani, quos, cùm Dominum, *Luc.*9. in ciuitatem suam recipere nollent, duo illi Boanerges Iacobus & Ioannes irati extinguere gestiebant; sed quid audierunt? *Nescitis cuius spiritus estis; filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Cui voci quasi Propheticæ euentus respondit, nam vt eo loco ait S. Ambrosius, Samaritani posteà citiùs crediderunt, quando cum magno gaudio Euangelium primi receperunt, vti legimus *Actor.* 8.

C. II. Vt exerceant bonos. SECVNDÒ, Vt boni per malos exerceantur & exaltentur. Zizania naturalia nocent tritico, idque ad terram trahunt, contrà reprobi prosunt bonis. Penè omnes ludi in quadam lite & pugnâ consistunt, vbi alter alterum capere, alter alterum vincere robore, velocitate, astu, ingenio contendit. Pugnabant in vtero Matris Iacob & Esau, mutuâ collisiune: maior tamen seruijt minori, Esau videlicet Iacobo, *non obsequendo, sed persequendo*, ait Augustinus *serm.* 78. *de tempore; quomodo persecutores martyribus, quomodo lima vel mallei auro, quomodo mola seruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, quomodo in fornace aurificis palea seruit auro, vbi palea consumitur, aurum probatur.* Sine hac hostilitate, nulla ferè exercitatio est. Hinc Lacedæmonij hostem aliquem superesse quàm omnino deleri maluerunt. Cùm enim Rex eorum vrbem quæ Lacedæmonijs multum sæpe negotij facessebat, penitus euersurum se polliceretur, ab Ephoris seu præsidibus ne id faceret, monitus est, dicebant enim: *Iuuenum cotem ne destruas néve tollas*, apud Maiol. *tom.* 3. *Canicul. coll.* 3. Cos bebetatur, ferrum acuitur: sic mali deficiunt, iusti ab ijs tribulati proficiunt. Vrsus cùm imbecillo sit capite, eius sanandi gratiâ immergit id aluearibus, vt ita apum aculeo vndique vulneratum noxium sanguinem emittat, teste Pierio *lib.* 11. *Hierogl.* Cur igitur iusti non æquanimiter tolerent malos, à quibus velut apibus phlebotomiam patiuntur & sanantur? Id in se expertus Dauid, ait *Psal.* 117. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Ignis absumens spinas, tribulos & vepres, in agro, reddit eum fertiliorem: sic reprobi proborum defectus taxant eosque interim meliores reddunt. Hinc Iob tantus inter Chaldæos, Dauid iuxta Saulem, Abel iuxta Cain, Ioseph iuxta fratres, Iacob iuxta Esau, &c.

D. III. Vt inseruiant bonis. TERTIÒ, Vt mali iustis sint adiumento, eisque inseruiant; nam eis vel inuiti sæpe vtiles sunt teste Augustino in lib. quæstionum ex Matth. c. 12. In aula Principis sunt aliqui nobiles aulici, qui splendidè aluntur & habentur velut Domini: alij verò sunt serui stabularij, coqui, venatores, &c. qui necessaria parare Principi eiusque aulicis debent: Ita in hoc mundo reprobi aluntur vt saltem seruiant probis, similes Iudæ qui in Collegio Christi licet sibi malus, seruijt tamè alijs, curam loculorum babens. Similes vlmo arbori, quæ fructum quidem non affert, portat tamen vitem fructiferam. Idem typicè expressum fuit in Gabaonitis, qui viuere quidem inter Israelitas permissi sunt, ita tamen vt in vsum vniuersæ multitudinis perpetuò ligna cæderent & aquas comportarent. Nónne Eliæ dixit Deus 3. *Reg.* 17. *Coruis præcepi vt pascant te ibi?* Corui sunt peccatores fœdi, rapaces, qui nutrire debent bonos. Per paleam & triticum significari peccatores & iustos patet ex Euangelio: atqui paleæ vtilissimæ sunt tritico, fouent enim & tuentur id à calore nimiô & frigore, nec non ab auium morsibus: ita mali prosunt bonis mirâ Dei prouidentiâ. Exemplum huius rei scribit Ioannes Moscbus *in prato spir. cap.* 189. de Negotiatore quodam, qui cùm rem suam naufragio perdidisset & ita ad paupertem redactus à creditoribus suis in vincula coniectus esset, suâ omni supellectile creditoribus addictâ, nec haberet quo se exsoluere posset, nec vxor ei crebrò in carcere assidens, alimenta quidem præbere ob inopiam posset, accidit vt homo quidam copiosus carcerem ingrederetur vinctis benefacturus, qui cùm fœminam illam viro assidentem formâ & moribus gratiosam, mœstam conspexisset, fortunam eius inquirit & quid isthac mœsta consideret: quæ exponit naufragium & nomina creditorum. Tum diues se pro viro satisfacturum spondet si ipsa sibi consentire velit. Mulier casta & simplex, audisse olim, ait, ex Apostolo, mulierem in potestate viri esse; percontaturam se maritum & renunciaturam quid ille iuberet; perinde quasi in potestate viri esset, mulierem prostituere. Maritus quamuis miser noluit offenso Deo liber esse: pergere vxorem ad diuitem & negare iuber: adfuturum sibi alio medio Deum. Redit illa ad diuitem, &, Maritus, inquit, negat fieri posse quod petis. Audit rum per fenestram hanc coniugum integritatem & castitatem latro quidam in eodem carcere clausus, qui cùm antea de Deo nihil cogitasset, mox in se rediens & ingemiscens; En hi coniuges, ait, extremâ in angustiâ constituti honestatem pecuniæ præferunt & libertatem peccato emere verentur, ego verò ho-

hominum pessimus pecuniæ causâ tot homines innuctos mactaui: Igitur ad coniuges hos conuersus & per fenestram locutus: Animaduertite, inquit, fidem vestram; ego latro de perpetratis doleo. Vos ite ad illum locum (quem designabat) ciuitatis & effodite quod ibi abscondi aurum, exsoluite vestra debita & de reliquo viuite, & Deum pro me exorate. Ducto paulò pòst latrone ad supplicium, Vxor ad designatum locum abit & reperit ollam plenam; vnde panlatim, ne res aduerteretur, creditoribus satisfecit, & maritum vinculis exemit. Nónne in hac historiâ coruus pauit Eliam? Latro homines iustos?

E. IV. Vt & mali suo modo remunerentur. QVARTÒ, Vt sic mali etiam suo modo remunerentur à Deo: qui cùm multa opera faciant moraliter bona, licèt extra gratiam atque adeò ad beatitudinem non pertinentia; ea sunt de cōgruo saltem meritoria bonorum temporalium. Ita quòd cùm Dei mandato Nabuchodonosor Tyrum expugnasset, pro mercede Deus fecit eum Regem Ægypti *Ezech.* 29. Ita Rahab illa seruata est & in medio Israel habitare permissa, quia legatos eius seruauerat. *Iof.* 6. Ita Romanorum eximiam olim gloriam & fœlicitatem Sanctus Augustinus *lib.* 5. *de ciuitate capit.* 15. bonis eorum moribus, politiæ & artibus adscribit. Prouerbio dicitur: **ie boser Mensch/ ie besser glück**; quò peior, eò fœlicior; sed fortuna hæc non accidit præter Dei prouidentiam. Ea siquidem post se in dorso gerit infortunium maximum, quod exemplo prodigi filij possumus intelligere. Mali enim instar prodigi filij petunt hîc & absumunt portionem substantiæ suæ; perdunt verò interim paternam hæreditatē: boni ècontrà patienter sub dominio patris remanent & æterna expectant. In cuius rei figuram Abraham filio suo Isaac legitimo hæredi dedit omnia immobilia & cuncta quæ possederat: filijs autem concubinarum (ex Agar scilicet & Cethurâ) vxorum quodammodo seruilium, munera tantùm, id est, mobilia quædam, separauitque eos ab Isaac filio suo, *Gen.* 25. Terrena ergò & improbi capiunt, sed excluduntur à cœlestibus & à Deo separantur. Boni capiunt cœlestia & cum Deo manent.

F. V. Vt ostendat Deus clementiā suam. QVINTÒ, Vt Deus clementiam suam nobis commendet, dum adeò tardè procedit ad damnationem impiorum; si enim antequam ab Ecclesiâ quis excommunicatur, tertiò & sæpius interdum monetur, quid mirum si hoc faciat etiam clementissimus Deus ante æternam excommunicationem? Videt enim ipse pœnarum infernaliū atrocitatem, videt æternitatem, quæ nos nec videre nec intelligere possumus: ideò diutiùs expectat vt videat si quo modo conuenienti impios seruet; quæ si nos videremus, idem sentiremus. Franciscus I. Galliæ Rex post captiuitatem à Carolo V. dimissus, cùm à suis instigaretur ad restaurandas copias & vltionem de Imperatore sumendam, respondebat illis: *Vos non interfuistis prælio ad Papiam.* Peucerus in lect. Chron. Anni 1574. Interfuit sanè ipse & vidit quanto sanguine constiterit prælium illud, vidit miserandam illam cladem; vnde maluit ignominiam ferre victi, quàm iterum tot copias in tam crudele prælium ducere. (Vidi in eâ ipsâ ciuitate Papiensi non sine stupore maximā ossium struem seu cumulum congestum ex illorum ossibus, qui in prælio illo ciciderunt.) Simili ratione nos optamus interdum vt Deus perdat impios & in orcum detrudat; sed non interfuimus nos inferni pœnis, non cernimus voraces illas flammas, sulphur & fumum: non audimus inferorum clamores & eiulatus, fletū & stridorem dentium: alioquin aliter sentiremus; cernit verò & audit Deus. Hinc ipse singulari cautelâ vetat occidi impios priuatâ manu; quemadmodum Cainum in quo signū posuit, ne à quoquam interficeretur *Genes.* 4. quia vt Sanctus Ambrosius super ea verba dicit, *in hoc teflectere voluit errantem & beneficio suo inuitare ad correctionem.* Vt enim principes solent in certis locis statuere tabulas & imagines certarum ferarum præcipiuntque ne quis eas audeat venari, vtpote quas ipsi venationi suæ reseruari volunt: sic Cainum Deus voluit immunem esse à cæde, quo diutiùs viuens, longiùs haberet spatium pœnitentiæ, per quam, si vellet, in Dei rete cogi & gratissima ei præda fieri posset. Hanc etiam ob causam Dauid Ducibus suis pugnaturis contra Absalom præcepit: *seruate mihi puerum Abslalom.* q. d. ideò seruate & ne occidite illum, quia puer est ex ignorantiâ in me peccans; sapiet suo tempore, si vixerit, vt docet S. August. *lib.* 3. *de doct. Christ. cap.* 21. Et ideò tam dolenter accepit eius mortem tamque acerbè planxit, quia nimirum meritò timebat ne in æternum perijsset. *Tanquam pius laxit eum*, inquit Theodoretus quæst. 26. *qui non poterat amplius curari per pœnitentiam.* Narrat Sanctus Dionysius *in epist. ad Themophilum*, Carpum quendam zelo percitum postulasse, vt duos, quorum alter alterum ad impiū cultum abduxerat, è medio Deus tolleret & occideret. Interim Christus ei per somnium apparet & monstrat ei ingentem hiatum, in cuius ore stabāt duo illi peccatores trementes. Ad hos ascendebant immanes ex hiatu serpentes, vt eos inuoluerent ac secum traherent in barathrum, sed & ipse Carpus cum quibusdam alijs impellere eos videbatur ac dolere, quòd non mox deciderent. Sed dum intereà sursum aspicit, videt Christum porrigentem illis qui cadere videbantur, dexteram & tenentem eos ac dicentem: *Feri mi iam; paratus sum iterum rursum hominum causâ mortem perpeti.* Vides hîc quàm benignus & dissimilis sit nobis Deus! quàm nolit mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat!

G. VI. Vt appareat Dei iustitia. SEXTÒ, Vt appareat Dei iustitia, quâ iustissimè damnat malos, quibus diuturnum pœnitentiæ agendæ spatium concessit. Eò pertinet, quod Christus de sterili ficu dixit: *Luc.* 13. *Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hac & non inuenio, succide ergò illam.* q. d. satis diu expecta-

tu, non est spes emendationis; fiat ergò iustitia.

H. VII. Vt appareat Dei potentia. SEPTIMÒ Vt appareat Dei potentia; si quidem non effugient manus eius peccatores etsi per aliquod tempus fruatur voluptatibus suis; finite eos crescere, sed quousque? vsque ad messem. Si principi alicui nuncies aprus aut ceruos esse in proxima sylua, non ilicò persequetur eos princeps, sed dicet: non effugient manus nostras, quia spaciosa est nostra terra: finite eos crescere; suo enim tempore expandemus retia nostra & capiemus eos. Non vidisti opinor, aristas in agris iam demessis quæ fugerint messorum falces; omnes excisæ sunt à recurua & voraci falce. Non reperis facilè feras in syluis senio extinctas, omnes in retia coguntur & venatorum manibus iugulantur: Pari modo peccatores, faltent quantum volēt, non effugient manus Dei. *Expandam super eos rete meum*, inquit Dominus Ose. 7. *quasi volucrem cœli detraham eos.* Idipsum 7. fratrum Machabæorum minimus Antio. ho, cuius imperio necabatur, dicebat: *Tu verò qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos non effugies manum Dei.* Et iterum; *Noli frustra extolli vanis spebus, nondum enim omnipotentis Dei & omnia inspicientis iudicium effugisti.* 2. Mach. 7. Ita Michaeli Imp. Constantinopolitano in somnio, quod habuit Bardas Cæsar dixit S. Petrus digito comminando: *Et tu impie fili expecta parumper*, apud Baron anno 867. Expectat enim Deus donec peccator impleat mensuram peccatorum suorum; neque enim amphora in puteum demissa mox subsidit, sed priùs paulatim aquis impletur; & tum repente mergitur) sic loquuntur venatores: Laß ihn auff die Heydwinzer oder wiß-schmeiß/ vsque ad venandi tempus. Venationis tempus mors est. Licèt peccatores millies in Deum insaniant eiusque iram prouocent: omnes tamen illas iniurias Deus vno ictu, vno lethali vulnere compensare potest mergendo eos ad inferos. Eupolus mordax homo in ipsum etiam Alcibiadem Principem Atheniensium mordacissimos scribere versus ausus est: quem tandem die quodam deprehensum demersit in mare dicens: *Tu me in scenâ sæpe mersisti Eupole: ego te semel mergam* refert Chauass. *de prud. l. 2. c. 7.* Idem Deus peccatori, à quo tamdiu læsus est, aliquando dicet: Tu me sæpe in hac mundi scenâ mersisti, blasphemijs aliisque iniurijs; ego te semel mergam, sed æternùm. Ita dicebat Hebræorum populo toties rebellanti Exodi 33. *Semel ascendam in medio tui & delebo te.*

Quare quisquis peccator est ne sibi blandiatur de suâ libertate: quisquis peccator non est, ne inuideat peccatoribus libertatem & prosperitatem: sed ad finem potiùs attendat, &c.

CONCIO II.

Liberum arbitrium cur homini collatum.

Datum est homini liberum arbitrium,	*3. Ad hominum ipsorum gloriam.*
1. Ad perfectionem Vniuersi.	*4. Ad Dei delicias & delectationem.*
2. Ad maiorem Dei gloriam.	*5. Ad hominum exercitium.*

THEMA.

Domine nonne bonū semen seminasti in agro tuo? Vnde ergò habet zizania? Matth. 13.

A. DEfenditur quidem Deus optimus maximus in hodierno Euangelio, quòd non sit author peccati, saltem directè; siquidem in agro mundi non seminauit nisi bonum semen, malum à Dæmone superseminatum est. Sed si per agrum intelligamus ipsum hominem, quomodo non in eo seminauit semen malum, dum contulit homini liberum arbitrium, per quod peccare potest: & proinde quomodo Deus non indirectè saltem peccatum seminauit? *Nunquid ergò iniquitas apud Deum? Absit.* Insitum nobis à Deo est liberum arbitrium vt progignat bonorum operum triticum, tametsi alioquin ex se gignere potest & triticum & zizania. Quod si zizania proferat, culpa nostra est. Quamobrem verò hoc semen libertatis ad vtrumque potens, insitum nobis sit, nunc audiamus.

B. I. Ad perfectionem vniuersi. Liberum arbitrium homini datum est. PRIMÒ, ad perfectionem & ornamentum vniuersi, nec non ipsiusmet hominis, pertinet enim ad mundi complementum, vt sit aliqua creatura dono libertatis prædita: hac autem est homo, qui ad imaginem Dei factus & Imperator orbis constitutus, vt plenum ius vtendi creaturis haberet, libertate agendi decorari debuit. Principes aliqui habent in aulis suis seruos duplicis generis, alios emptos & captiuos, alios ingenuos sibi modo aliquo propinquos, nobiles, aulicos, Barones, Comites. Illis absolutè imperant, velint nolint: his verò comiter & vrbanè, non tam præcipiendo, quàm insinuando illis voluntatem suam, quia honoratiores sunt eisque propinquiores. Cæteris creaturis Deus vtitur cū imperio, trahendo & cogendo ad ea quæ ipse vult: hominem, velut earū progem ad peragenda iussa sua comiter tantùm inuitare & allicere voluit: non cogere. Maior autē dignitas adeoque maius etiam beneficiū est hominem relinquere sibi suæque electioni, interim eum suauiter allicere ad bonū, quàm vi impellere. Certè si Rom. Imper. promulgaret per imperium, se velle vt integra aliqua natio veniat in Austriam omni opulentiâ plenam in eaque sibi sedem deligat, acceptura loco paupertatis suæ diuitias: Si ad hoc eam cogere vellet, iniuriam ei videretur facere: secus verò, si hoc eis liberum faceret. Proponit nobis Deus & promittit in cœlo sedes beatissimas,

mas, neminem tamen cogit ad eas capessendas: facit omnibus liberum. Vt verò adiuuetur homo ad quærendam salutem suam & fugiẽdam perniciem, inijcit ei quodammodo suaues funiculos, spem & promissionem summarum diuitiarum, si obediat: minas summorum suppliciorum, si non pareat: gratiam item adiuuantem, exemplum suum & Sanctorum, &c. Hoc est, quod dixit Deus Oseæ 11. *In funiculis Adam* (id est, hominis) *traham eos in vinculis charitatis.* Chaldæus vertit: *sicut moris est trahi filios dilectos traxi eos fortitudine charitatis.* q. d. Nolo eos vt bestias trahere, funibus canabinis, sed vt homines alliciendo eos vna ex parte immensâ gloriâ, ex alterâ terrendo eos æterno supplicio & confusione. Nobilius vtique est hoc trahendi genus, quàm illud alterum.

C. II. Ad maiorem Dei gloriam. SECVNDÒ, Ad maiorem Dei gloriam. Hinc enim elucescit magis Dei potentia & sapientia dum homo etiam sibi & suæ voluntati permissus Dei prouidentiam nequit euertere aut ordinem eius perturbare, vt fiat aliquid cõtra voluntatem Dei absolutam, sed illustrat potiùs. Habet enim Deus homines conclusos intra suæ prouidentiæ terminos, sicut venator in suâ venatione ceruos. Hos enim vndique cingit, hîc retibus, ibi canibus, alibi sclopetarijs, &c. vt si retia euadant, incidant in canes: si hos effugiant, incidant in grandinem sclopetorum ferream, &c. Ita nemo etiam suo arbitrio relictus Dei manus effugere potest: si enim fugiat Dei misericordiam, incidet in eius iustitiam. Vult quidem Deus & instanter monet vt omnes homines veniant ad sinum clementiæ eius: quia tamen multi eũ spernunt, excipiũtur à Dei iustitiâ, vt ita Deus appareat, non tantùm clemens, sed & iustus. Iulius Secundus Pontifex fecit aliquãdo depingi iudicium extremum à Michaele Angelo celeberrimo pictore. Hic cùm Episcopis & Cardinalibus parum faueret, aliquos eorum penicillo suo in inferno collocauit. Pontifex hoc aduertit, sed ne pictorẽ in transuersum ageret adeoque opus impediret, rem dissimulauit, donec opus perfectum esset, illud secum cogitans: Modò finiat opus, sciet mox in carcere, quod in odium Prælulum pinxit. Idem agit Deus. Vult quidem nos æternitati & accuratè pingere, in emolumentum nostrum, non in damnum vel contemptum cuiusquã. Tametsi verò plurimi multa impertinentia, imò fœda, noxia & iniuria sibi & alijs, pingunt; patienter tolerat Deus, vt opus prouidẽtiæ suæ ex bonis & malis hominum operibus concinnatum pulchrius appareat. Tandem verò in iudicio picturam totam ostẽdet & quod quisque pinxit, pro meritis cõpensabit. Ita fiet vt Dei prouidentia, sapiẽtia, potentia, bonitas & iustitia clarissimè pateant, quæ alioquin latuissent. Patebit Deum sibi sufficientem esse nec indigere suis creaturis. Patebit Dei bonitas, clementia & misericordia, qui peccatores resipiscentes tam benignè recepit: Dei Charitas & liberalitas, qui ad eos conuertendos tanta fecit: Dei patientia, qui eosdem delinquentes tamdiu sustinuit & ad pœnitentiam expectauit: Dei sapientia, qui è peccatis hominum tanta bona elicuit; velut ex Adami peccato tanta strategemata & mira sanctorum opera, quibus eluctati sunt ex inferno ad cœlum, de exilio in patriam, è miserijs in pristinam fœlicitatem. Dei iustitia, qui pertinaces & refractarios meritis tandem pœnis mulctabit. Quæ omnia alioqui sepulta essent, nisi homo ad vtrumque liber factus esset.

TERTIÒ, Ad hominum ipsorum gloriam. Maius enim absque dubio est, si homines suâ industriâ gloriam consequantur, quàm si omninò gratis & nullo prorsus merito; illud enim laudem meretur, non istud. Vnde S. Bernardus *in tract. de gratia & liber. arb.* ait: *Datum est homini posse peccare, non vt proinde peccaret, sed vt gloriosior inde appareret si non peccaret, cum peccare posset.* Sic Princeps vel Pontifex dat alicui gladium, non vt eo abutatur ad homicidia: sed vt hostium & Barbarorum excidio gloriam inde sibi acquirat. Hinc Ecclesiastici c. 31. laudatur diues, qui acceptis à Deo diuitijs ad suas delicias & voluptates abuti potuit, & non est abusus, sed bene potiùs vsus ad eleemosynas pauperum: *Beatus diues,* inquit, *qui inuentus est sine macula.* Et mox: *qui potuit transgredi & non est transgressus; facere mala & non fecit; Ideò stabilita sunt bona illius in Domino* (Glossa interlinearis exponit: Conseruata ad remunerationem) *& eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorũ.* D. III. Ad hominum gloriam.

Et hinc augetur multò maxime gaudium iustorum quando vident se suis manibus suaque industriâ gloriam sibi promeruisse. Quò tendunt verba Isaiæ c. 9. de Apostolorum prædicatione prophetantis: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt spolia.* Quantum enim gaudium erit Apostolorum in cœlis, cùm aspicient copiosam messem, quam prædicationis suæ falce Christo lucrifecerunt? cùm intuebuntur prædam tot pugnis & laboribus suis partam? Exultant & gloriantur agricolæ cum ipsorum agri bene & industriè exculti, vberiorem messem ferunt: sic etiam Apostoli & alij Doctores: Isti sunt filij mei, dicent, quos genui Domino meo Christo. Ita S. Paulus Philippẽses, quos ad Christum conuerterat, vocat *gaudium suum & coronam suã. Philip. 4.* Et ad Philemonem, virũ nobilem Colossensem scribens, commendat & reconciliat illi seruum eius fugitiuum olim & infidelem, hoc nomine, quòd genuerit cũ Christo in vinculis: *Obsecro te pro filio meo,* inquit, *quem genui in vinculis, Onesimo.* Quanta hæc Pauli gloria, genuisse Christo in vinculis seruum furẽ & fugitiuum, mutâsseque in virum optimum, *vtilem & fidelem ministrum? Coloss. 4.* Ita S. Amandus moriens & ad cœlum conscendens apparuit B. Aldegundi absenti & oranti, augustâ specie, cinctus coronâ albatorum: cumque illa percunctaretur, quis ille esset reuerendus, in quem albati omnes respicerent? ab Angelo audiuit: *Hic est amabilis Deo Amandus, qui à sæculo migrat ad cœlum stipatus sanctis animabus, quas verbo & exemplo ad omnem virtutem*

tutem instituit, ac proinde ab eis quasi pater colitur, & tum eos ad gaudia Domini tam gloriosus ascendit. Testis est auctor vitæ S. Gisleni c. 12. & auctor vitæ S. Aldegundis c. 17.

Si parentes naturales lætantur cùm aspiciūt coronam liberorum à se genitorum, multò magis parentes spirituales, qui suâ industriâ & labore filios in æternum victuros cœlo genuerunt, lætabuntur cùm aspicient numerum filiorum suorum. Porrò nisi liberum arbitrium foret, gaudium hoc rueret, nec maius esse posset, quàm sit gaudium parentum naturalium, cùm aspiciunt liberos suos, non ex virtute, sed ex naturâ genitos.

F. IV. Ad Dei delicias.

QVARTÒ, Ad delicias, vt sic dicam, & delectationem Dei; vt in creaturis suis liberis sibi potissimùm complaceret. Complacuit sibi in creaturis illis quæ aguntur necessitate: nam cùm creato mundo vidit singula quæ fecerat, deprehendit ea bona esse. Sed cùm vidit simul omnia post creatum hominem, deprehendit ea valde bona, id est, longè meliora & pulchriora propter hominem Dei imagine insignitum. Vnde de homine longè aliter, quàm de creaturis cæteris loquitur *Prouerb.* 8. *Ludens in orbe terrarum*, inquit, *& deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Quamobrem, nisi quia hi voluntariè agunt, Deo obedientiam, cultum, laudem impertiunt: cæteræ verò creaturæ agūtur potiùs & coactæ Deo seruiunt? Iam vero quis nescit longè acceptiora & iucundiora esse obsequia gratuita, quàm coacta? quando liberi parentibus vltrò manum osculo decoratam porrigūt aliáve obsequia exhibent, quàm cùm id iussi faciunt? Delectat nos arcana vis naturæ, v.g. cùm magnete præeunte ferrum quaquauersum trahimus, aciculas multas supra chartam positas eodem duce modò in pedes erigimus velut aciem hastatorum, modo prosternimus, modò in saltum cogimus, modò in altum trahimus: quod si manu admotâ faceremus, nequaquam delectaremur. Pari ratione Deus vtique sibi perplacet, cùm voluntates hominum miro & arcano modo, nullâ adhibitâ vi sed suauibus tantùm medijs, inspirationibus, consilijs, exemplis, beneficijs, promissionibus, minis, &c. ad se trahere & iuxta placitū suum, quò vult mouere solet. Delectant nos animalia illa, quæ nostros imitantur mores & gestus ad eosque effingendos erudiri se patiuntur, velut simiæ, canes, psittaci, &c. Scribit Ambrosius Pareg. *l. 1. de animantibus, in opere suo Chirurgico*, vidisse se in ædibus Ducis Somer, simiam ita ad omnia factā & eruditam, vt vulgò *Magister Ioannes Fac totum*, diceretur. Ad fistulam saltabat, ad palum excurrebat, per Magistri crura mirâ se agilitate transmittebat, fercula ad mēsam ferebat; &c. Cur non delectet Deum illa eius creatura quæ per arbitrij libertatem se ipsius placito per omnia conformare, ipsi in omnibus seruire, ipsumque adeò suo modo imitari & ad omnia Deo placita obsequia edoceri potest? Et hoc fortasse voluit S. Xystus Pontifex & Martyr (qui Diaconum suum Laurentium ad Martyrium præcessit) dicto illo suo, quod laudat S. Augustinus *l. de nat. & gratiâ c.* 64. *Deus*, inquit, *libertatem arbitrij sui permisit hominibus, vt purè & sine peccato viuentes fiant similes Deo.* Solus enim homo per arbitrij libertatem potest se perficere, vt Deo se conformet, faciat quæcumque is vult, imiteturque, quæ is facit. Quod sanè Deo placet, quemadmodum placet nobis, si nos simiæ imitētur. Videt enim Deus in huiusmodi hominibus veluti in speculo relucere suā gloriam & diuinitatem. Primarium huiusmodi speculum extra ipsum Deum fuit Christi humanitas, de quo dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ad huius speculi similitudinem quò magis accedimus ipsum imitando, eò magis Deo placemus.

F. V. Ad hominum exercitium.

QVINTÒ, Ad hominum exercitium, vt si velint, possint maximo suo merito reddere & quasi sacrificare Deo arbitrium suum, itaque ad peccandum quodammodo impotentes fieri. Dicunt multi; vellem Deus abstulisset mihi libertatem ad peccandum. Sed cur tu hanc libertatem non ipse tibi adimis? siquidem hoc facere potes cum merito: illud verò si fecisset Deus, nullo tuo merito fecisset. Vt enim diuina mysteria voluit Deus à nobis intelligi per fidem, nō per scientiam; vt cum merito nostro intelligantur: ita nos vult cum fructu abstinere ab illicitis. Sicut ergò captiuamus intellectum per fidem, sic captiuemus voluntatem per obedientiam. Pater donat filio adhuc puero gladium: sed cupit eundem sibi à filio asseruādum reddi, vt filius eum nō accingat nisi iuxta placitum patris. Ita nobis quidem Deus dedit libertatem: sed interim tamen petit: *præbe fili mi, cor tuum mihi, Prou.* 23. Decij Imperatoris filius cùm à Patre ad imperij culmen euocaretur, renuit, dicens: *ne si fiam Imperator superbus, dediscam esse humilis filius.* Cur tu non simili modo resignas Deo arbitrium tuum, ne si velis imperare tuo libitu, dediscas Deo obedire? Fecit hoc ipse Dei filius, Christus, qui quodammodo ademit sibi voluntatem propriam, vt faceret volūtatem Patris. Sic enim ait *Ioan.* 6. *Descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Idque reipsâ fecit: cessit enim voluntati suæ quæ passionem refugiebat, & secutus est voluntatem Patris. *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Ad hoc ipsum inuitat omnes *Luca* 9. dicens. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Abnegat seipsum, qui voluntatem suam sibi adimit & Deo transscribit, vt iam nō sit eius Dominus, nec possit diuinæ voluntati contraire. Sic fecerat adolescens Ioseph, qui à Domina solicitatus ad stuprum, respondit: *Quomodo possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum? Gen.* 39. Quin etiam Balaam improbus alioqui, monitus à Deo: *ne maledicas populo* (Hebræorū) *quia benedictus est*, iussus postmodum à Balaac rege, maledicere Hebræis, respondit ei constanter: *si dederit mihi plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonē Domini Dei mei. Num.* 24. Ecce isti dicunt, non posse se contraire Dei mandato & voluntati. Quis coegit eos? Ipsi vtique semet: ipsi volun-

voluntati suæ frænum iniecerunt. Eccur igitur nos non idipsum facimus? Nunquid hoc non possumus? Quæro ex te, si per syluam iter facias sclopero armatus & ceruum propè stantem fortè conspicias: nónne statim dicet tibi animus tuus: Ecce tibi prædam, quàm facili negotio parandam? Abstines tamen & imperas tibi, ne ceruum iaculo sternas, nec ad hoc faciendum induci potes etiam magnis promissionibus. Quis ita, quæso, ligauit & frænauit voluntatem tuam? Nónne ipse tu, dum cogitas pœnam statutã ijs qui feras persequuntur? Rursum quàm multi sunt qui ob vini nimium pretium, vino se interdicunt tametsi abundè habent, vnde vinum sibi comparent? Vnde hoc, nisi quia absterrentur nimio vini pretio, ideoque frænant gulam suam? Possumus ergò in his & alijs voluntati nostræ frænum inijcere & quodammodo libertatem adimere: cur non idem facimus, quotiescumque scimus à Deo aliquid vetitum esse & nimio constare? Nimio sanè constat & grauissimè à Deo vetitum est quoduis peccatum mortiferum: non sit ergò voluntas nostra libera ad id patrandum. Quare cùm præter vxorem tuam cernis aliam fœminam, noli cogitare vt eà potiaris, quia fera interdicta est. Si carnem diebus vetitis vel occasionem ebrietatis propositam tibi vides, fræna gulam & voluntatem tuam, quia nimio constat; gehennâ videlicet. Stulto & inconsiderato mandato adiurauerat Saul exercitum suum, ne gustaret aliquid vsque ad noctem. Et tamen cùm exercitus fame pressus mel in agris obuium cerneret, transiuit eo intacto, *nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum.* 1. *Reg.* 14. Similiter miles, qui vidit Absalonem è quercu pendentem, cùm à Duce Ioab obiurgaretur, quòd eum non confodisset, respondit: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis; audientibus enim nobis præcepit Rex tibi & Abisai & Ethai dicens: Custodite mihi puerum Absalom.* 2. *Reg.* 18. q. d. nullo pretio adduci possum, vt mandatum Regis mei violem. Quare non video, Auditores, quomodo coram Deo excusare nos possimus, si nostræ voluntati vim inferre nolumus, cùm isti tamen intulerint, quando non de regno cœlorum aut gehennæ incendio agebatur, sed de Regis tantùm morituri irâ & indignatione. Captiuemus ergò voluntates nostras in obsequium Dei, quemadmodum voluntas cælitum captiua est in Deo, vt non possit nisi bonum velle: Dicamus proinde quotidie & feruenter: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ.*

CONCIO III.

Concupiscentia cur in homine remanserit.

1. *Causa est, peccatum primorum parentum.*	3. *In exercitium nostrum.*
2. *Ad nos humiliandos & continendos intra limites modestiæ.*	4. *Ad meritum & coronam.*
	5. *Vt pateat vis & efficacia gratiæ Christi.*

THEMA.

Vnde ergò habet zizania? Matth. 13.

QVemadmodũ in agro hodierni Euangelij, ita & in nobis ipsis deprehendimus, Auditores, pessima zizania, concupiscentiam videlicet eiusq; motus inordinatos seu passiones inde promanantes, quæ non solùm fœdant & dehonestãt animum nostrum, verùm etiam multoties suffocant vel ad terram trahunt triticum optimorum desideriorum & propositorum. De hoc enim queritur S. Paulus ad *Rom.* 7. dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Vnde ergò in nobis, in quibus vtique Deus, (qui omnia fecit bona) non nisi bonum seminauit semen, vnde hæc zizania? Nimirum *inimicus homo hoc fecit.* Inimicus, inquam, & homo. Inimicus quidem Diabolus, qui suggessit primis parentibus diuinæ legis præuaricationem: Homo verò Adam, qui consensit suggerenti Dæmoni. Hinc orta illa zizania, hinc illa concupiscentia & rebellio carnis nostræ, hinc beluinæ passiones. Sed quamobrem hæc zizania non euulsit Deus in baptismo, in quo ablui voluit cæteras nostras maculas, tam pœnas peccatis debitas, quàm peccata ipsa? Cur zizania ista crescere in nobis passus est? Possem hîc respondere cum Apostolo *ad Rom.* 9. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic?* Potuisset quidem facere Deus, vt vnà cum peccatis nostris suffocaretur in baptismo etiam concupiscentia cum suis fœtibus, passionibus, adeoque zizania hæc quamprimum euellere. Sed voluit hunc fauorem ad futuram vitam differre: nec sine magnis causis reliquit interim in nobis hæc zizania, quas nunc audiamus. A.

Causa PRIMA est, vt fel peccati à primis nostris parẽtibus admissi ex his eius reliquijs degustaremus. Concupiscentia enim est appetitus inordinatus rerum caducarum & terrenarũ partim in intellectu situs, qualis est curiositas, vanitas, inflans superbia; partim in voluntate, vti cupiditas honoris, gloriæ, opum, deliciarum; partim ac potissimùm in appetitu sensitiuo, vti libido & gula. Porrò ante peccatum cohibuit hunc appetitum iustitiâ originalis; quâ velut aureo fræno, ob peccatum Adami, subtractâ, cœpit rebellare & dominari appetitus ille cõtra ordinem rationis, indeque factus est homo, quasi Centaurus quidam, vt docet B. I. Ob peccatum primorũ parentũ.

Clemens Alexandrinus *l. 4. strom.* cuius supera pars homini, infera vero equo similis fingebatur à Poëtis. Ergo vt intelligeremus hanc naturæ deformitatem, miseriam & languorem à peccato parentum nostrorum ortum, voluit eum Deus relinquere in nobis, vt inde argumētaremur, quanta peccati malitia & amaritudo sit, cuius reliquiæ tam molestæ & onerosæ sunt. Porrò in hoc nō iustitiam tantùm, verùm & misericordiam suam nobis ostendit. Misericordiam quidem in eo, quòd malū illud, quod verè malum erat, nobisque portas paradisi occludebat, euulsit & extirpauit. Iustitiam verò in eo, quòd quosdam veluti stimulos & aculeos vulnerum sanatorum, ac pruritus aliquos plagarum concretarum in nobis reliquit, vt videlicet signa & memorialia quędā essent peccati nostri. Purgauit ergò Deus in baptismo partem & quasi contignationem animæ superiorem eamque fortitudine ac pulchritudine suâ semel deperditâ rursum exornauit: non itē inferiorem, in quâ reliquit rebelliones aliquas, quas tamen Dei gratiâ adiuuante facilè possumus vincere. Contriuit serpentis caput, in quo omnis veneni & internecionis fons scaturiebat, reliquit autem truncum corporis & caudam, quæ se mouere potest & molestias creare, non tamen nocere aut venenare, nisi nos ipsi velimus. Pulchrè S. Augustinus *in Psal. 64.* ait: *Primò concupiscētia carnis sequentes duxit nos, posteà renitentes traxit nos, deinde acceptâ gratiâ cœpit nos nec ducere nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum, post contentionem erit & victoria, modò te, etsi oppugnat, non expugnet.*

C. II. Ad nos humiliandos.

SECVNDA, Ad nos humiliandos & continendos intra limites modestiæ. Etenim si maledictione illâ liberati, nullū penitus aculeum aut spinam sentiremus, facilè istius beneficij obliti, nostris viribus adscriberemus, quod diuinæ gratiæ est. Certè S. Paulus cæteroqui ingentia gratiarū dona obtinuit à Deo, hanc tamen obtinere non potuit, vt stimulum carnis à concupiscentē prodeuntē non persentisceret. Sic enim scribit 2 Cor 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me; Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* Ergò absque hoc stimulo facilè in superbiam elatus Paulus fuisset, adeoque præcipitatus. *Hic monitor*, ait S. Hier. in epist. 25. ad Paulam de obitu Blesillæ, *Paulo datus est ad premendam superbiam, vt in curru triumphali triumphanti datur monitor suggerēs: Hominem te esse memento.* Ita Summo Pontifici, cùm inauguratur, stupâ accensâ moxque extinctâ, accinitur: *Pater sanctè sic transit gloria mundi.* Fuit autem stimulus ille, carnis rebellio & inflammatio ex turpium cogitationum obiectu prognata, quæ pudorem & verecundiam Paulo inijciebat. Vnde comparat eam colaphis sibi impactis, qui pudorem & ignominiam afferunt. Hinc ergò Paulus infirmitatis suæ memor, statim se colligebat inter honores & fauores diuinos contitēs, ac cogitabat, quàm ijs ex se indignus esset, & quàm facilè in barathrum grauissimi sceleris à propriâ concupiscentiâ impelli posset, si Dei gratiâ destitutus sibimet relinqueretur. Neque indignus tanto viro fuit in statu naturæ lapsæ stimulus ille, sed perutilis. Sapientissimo enim Dei consilio electi inter raptus & eleuationes aliasque gratiarum prærogatiuas hinc inde inter infirmitates & depressiones iam in altum elati, iam quasi in abyssum demersi, ancipites librantur, ne vel in superbiam vel in desperationem corruant, sed mediâ inter vtramque viâ rectâ in cœlum gradiantur. Hinc etiam alij sancti tametsi iam senes conquesti sunt, se hoc stimulo infestari, vti S. Gregorius Nazianzenus *ep. 96.* & in carmine de carne suâ.

D. III. Ad nostrū exercitium.

TERTIA. In exercitiū nostrum & materiam certaminis siue ad agonem, vt ait Conc. Trid. *sess. 5.* Nō adeò fœliciter primis nostris parentibus cessit quies illa, quā ob iustitiā originalem, sine pugnâ & conflictu gaudebant, siquidē ob superbiam quā in pace viuebant, ab hoste superati sunt. Expedit proinde filijs eorum vt non solùm externis, sed domesticis etiam hostibus subinde exagitentur, ne otio diffluant, sed cōtinuò in armis stent & ad Deum pro auxilio identidem recurrant frequenti oratione. Noluit Deus olim exterminare è Chananæa omnes Gentiles simul & vno anno, tum ne magna terræ pars redigeretur in solitudinem indeque feræ belluæ multiplicarentur, vt dicitur *Exodi 23. & Deut. 7.* tum ne Israelitæ otio torperent, luxu, Idololatriâ & gentilium societate corrūperentur, sed potiùs in hostibus erudirentur discerentque Deum colere metu hostium & victoriam ab eo quærere ac sperare, vt habetur *Iudic. 3.* Sic olim Cato vetuit deleri Carthaginem vrbem hostilem & bellicosam, vt esset Romanis cos virtutis & iuge armorum exercitium, ne otio torpere͡t. Pari modo noluit Deus in baptismo delere omnes hostes nostros: quia fortè alia insurgerent infensiora vitia superbiæ, & quæ otium gignit in eo, qui non habet inimicos, à quibus impugnetur. Eodem fine remanserunt in mundo Diaboli, improbi in rebusp. imperfecti in religionibus, vt bonos nimirum exerceant, humilitatem & sanctitatem eminere faciant, sicque Ecclesiæ perfectio, iuxta contrarium suum posita magis elucescat. Grauissimè igitur errant, qui post concupiscentias suas eunt, fœdus & amicitiam cum eis ineunt; siquidem pugnare potiùs cum eis irreconciliabili bello debent.

E. IV. Ad meritum nostrum.

QVARTA, Ad meritum & coronam nostrā. Alexander Magnus validos & fortes optabat sibi hostes, vt in ijs debellandis gloriam sibi parare posset; vnde quoties patrem suum vrbē aliquam aut prouinciam cepisse intellexisset, indignari solitus fuit, quasi nihil hostium reliquū sibi fieret, indeque crebrò dictitabat malle se hæreditatem magni alicuius & periculosi belli à patre sibi legari, in quo fortiter præliando laudem & victoriam adipisceretur, quàm nescio quid thesaurorum & deliciarum relinqui. Plut. in Alexandro. Ac nisi hostes fuissent, triumphi Romanorum Imperatorum nulli

quo-

quoque fuissent. Iam verò cōcupiscentia hostis noster iuratus est, tantò validior, quantò coniunctior. Potuit Alexander, potuit Hercules, aliique strenui Duces debellare hostes suos, sed interim à passionibus suis turpiter victi sunt: vnica carnis titillatione, vnicâ ebrietate, vnicâ iracundiâ ab æquo animique potestate deiecti sunt & turpia designarunt facinora. Sanè Cicero in orat. pro Marcello plus laudis & ornamenti accessisse ait Iulio Cæsari ab vnâ illâ facilitate, quâ M. Marcello veniam delicti dedit, quàm à 52. victorijs suis. Multi norunt equos peritissimè agitare, alium interiam suum edomare nesciunt: quin leui verbo tacti ab eo exeutiantur. Quare vt materiam laudis & victoriæ in promptu semper haberemus, reliquit nobis Deus concupiscentiam, veluti effrænem equum, quem iniecto fræno domaremus & ad quæuis obsequia idoneum faceremus. Reliquit nobis hostem, in quo subiugando laudem & victoriam adipisceremur. Stultum & ridiculū foret, nedum laude dignum, siquis gloriaretur, quòd hosti iam occiso caput amputasset. Nihilo verò plus laudis mereremur, si concupiscentiæ quæ in baptismo iam enecta foret, dominaremur. Porrò in nostrâ potestate est vincere hunc hostem; qui, nisi ei consentiamus, nocere nobis nequit. Calcaria habemus, quibus eum porrò agamus: frænum, quo retrahamus: virgam, quâ subigamus. Sessoris culpa est, si ab equo excutiatur, non equi. *Non has affectiones habendo, sed in male viendo delinquimus*, ait S. Prosper. *l. 2. de vitâ contempl. c. 2.* Arripiamus arma Christianorum, Sacramenta, ieiunia, disciplinas, loricam S. Dominici Loricati, spinas S. Benedicti, &c. Ita è spinis carnis nostræ, gloriæ coronam nobis contexemus.

F. V. Vt gratiæ efficacia pateat. QVINTA. Vt emineat vis & efficacia gratiæ Christi, cuius ope ita edomari rebellis illa bellua potest, vt habitet Lupus cum agno, pardus cum hœdo, &c. vt prædictum *Isai. 11.* ac quemadmodum Daniel inter Leones famelicos saluus & illæsus mansit: ita & nos, si volumus, inter passionum rugitus, salui consistere possumus. Enituit hæc virtus in quamplurimis Sanctis, qui nisi hunc habuissent hostem, ignaui & inertes desidere debuissent. Theodoretus Episcopus Cyri in hist. SS. PP. c. 24. de Polychronio sic scribit: *Mortificabat se aspero silicio, vilique & nullius pretij habitu: sicq; inopem vitam agibat, vt nec necessarium quidem semper haberet nutrimētum; at totam noctem vigil in precibus staus consumebat; ad augendam autem mortificationem habebat in cellâ truncum ex quercu* (quem fatetur Theodoretus vix se potuisse tollere) *hunc noctu dinq; imponebat humeris, & sic in oratione perstabat. Paupertatem tanto studio colnit, vt existimaret quouis regno magis expetendam. His aliisque id genus exercitijs in extremam vsque ætatem vsurpatis, ad tantam Dei notitiam continuamque rerum diuinarum memoriam peruenit, vt mentem à contemplatione diuellere nō posset: quare & cum his, qui ad ipsum, sub mda veniebant, paucis differens, non poterat eis animum inducere vt cogitationem à cælo deduceret.* Hæc ibi. Palladius quoque *in hist. Lausiacâ sect. 17.* scribit Macharium Alexandrinum, domandi sui causa, toto sexennio nihil præter cruda olera & leguminа humectata sumpsisse: viginti diebus & noctibus tectum non ingressum, vt somnum vinceret; cùm interdiu quidem arderet æstu, noctu frigore rigeret: deinde, cùm aliquando ei molestiam exhibuisset spiritus fornicationis, nudum sex menses sedisse in palude Scetes, quæ est in vastâ solitudine, & à culicibus, quæ magnitudine æquant vespas toto corpore ita demorsum vt videretur leprosus. Addit autem, ad humiliandum se, duorum modiorum sportam arenâ plenam, humeris impositam, per totam solitudinem deportare solitum. His aliisque exercitationibus corporis tantam apud Deum promeruit gratiam & ad tam sublimem & constantem peruenit Dei cognitionem, vt sæpe noctem cum die in solius diuinitatis contemplatione detineretur. Denique prodigium, quod vidit Moyses in rubo ignito sed non cōbusto, hoc quotidie cernitur in viris exercitatis, qui flammam concupiscentiæ quidem gerunt intra se, nihil tamen ab eâ læsionis capiunt. Vidimus ibi, dæmonem cuidam Dominico Ord. Prædicatorum lectatori, postquam libidinis flammas subiecisset, victus tamen ab eo fuisset, acclamasse: *Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti & non arsisti.*

Quando igitur zizania concupiscentiæ, vt vidimus magno Dei cōsilio relicta sunt in agro cordis nostri: superest, Auditores, vt saltē operam demus, ne super triticum excrescant mentemque suffocent vel tenaci nimis implexu ad terram trahant. Deprimenda ergò sunt & rationi subijcienda. Veniet aliquando tempus, quando lolium istud prorsus eradicabitur & per omnem æternitatem à nobis exulabit, &c.

CONCIO IV.

Cur alij fortunati, alij infortunati.

Assignantur causæ huius varietatis:	*tio hominum.*
1. *Dei dominium.*	4. *Ipsorum vitia.*
2. *Diuersum hominum meritum.*	5. *Industria vel ignauia, astutia vel simplicitas eorum.*
3. *Exercitatio & proba-*	

THEMA.

Vnde ergò habet zizania? Matth. 13.

QVanta ferè in agris, tanta in hominibus cernitur inæqualitas. Videas agrum aliquem purissimis frugibus plenum: videas contrà alium vicinissimum, eodem tempore consitum, zizanijs refertum & frugibus destitutum. Multùm sæpe mirantur hoc ipsi etiam agricolæ, quæ nimirum causa sit, cur ager iste sterilis, alter verò fœcundus sit. Pari ratione in hominibus magna est diuersitas, quod attinet ad fortunam. Vnus enim felix est, alter verò infelix: vni omnia cedunt prosperè, alij omnia infaustè: vnus sine magno labore ditescit, alius continuis laboribus vix inopiam pellit. Ecquæ verò, inquies, huius disparitatis causa?

Gentiles

Gentiles cæci causam censuerunt esse Fortunam Deam cæcam,quæ fortuitò non pro meritis bona distribueret, ideò sæpe dignis negaret, indignis autem conferret. Astrologi in astra & huroscopum causam referunt, vnde & de cuiusque fortuna & infortunio futuro diuinare audent; æquè cæci ac gentiles. Vulgus casu id euenire putat. Sed errant vniuersi. Causa enim huius rei non est nisi Deus, qui singulis distribuit prout vult. Cur autem velit Deus alios esse fortunatos, alios infortunatos, hunc videbimus.

B. I. Dei Dominium. PRIMA, huius varietatis causa est, Dei absolutum in homines dominium, in cuius manu & potestate est fortuna & infortunium. Quemadmodum enim figulus habet potestatem faciendi ex eodem luto aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: ita etiam Deus faciendi vnum diuitem, alium pauperem: vnum nobilem, alium ignobilem: vnum fœlicem, alium infœlicem; vt discurrit Apostolus *ad Rom. 9.* Et quemadmodum lutum ex se nō habet, nisi quòd sit lutum: ex figulo autem habet, vt sit tale vel tale vas: ita homo ex suâ humo,nil nisi humum & lutum habet; ex Deo autem quòd sit tale lutum, talis vel talis homo. Cæterùm sicut ipse dat hanc vel illam fortunā; ita & dat vires ad ferendam hanc & illam. Vt ergò hoc agnoscamus, & ad Deum tanquam figulum nostrum recurramus, nec ab alio quàm ab ipso prosperitatem hanc postulemus, vult eam alijs quidem dare, alijs verò negare. Verùm quia nescimus vtra nobis fortuna sit vtilior, idcircò Deo fortem nostram committamus, dicentes cum Dauide *Psal. 30. In manibus tuis fortes mea.*

C. II. Diuersum hominum meritum. SECVNDA, Diuersum hominum meritum. Ideò sæpe bonis bona largitur Deus & præter spiritualia etiam temporalia, quemadmodum legimus *psal.* de viro ambulante in lege Domini: *Omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Et ad Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sic Iacob Patriarcha, quia seruus Dei fidelis & iustus fuit, non ipse tantùm prosperatus est in omnibus suis actionibus & itineribus, sed & alij propter ipsum. Vnde Laban eius socer & Dominus ait ei: *Experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te,* Gen. 30. Similiter & mali sæpe prosperantur, quia eam prosperitatem meruerunt bonis operibus moralibus, nemo enim adeò malus est, quin aliquid interdum faciat boni: quod cùm meritū vitæ æternæ nō habeat, meretur saltem aliquod præmium temporale, teste S. Aug. *l. 5. de ciu. c. 15.* Vicissim boni aliquoties aduersa patiuntur, quia vel præteritis & dimissis iam peccatis ea sunt commeriti vel merentur adhuc quotidianis & venialibus defectibus, quibus cùm non debeatur pœna æterna, debetur saltè temporalis, veluti bonorum temporaliū amissio & timides afflictiones. Huius rei exemplum refert Gabriel Inchino Canonicus Reg. Later. in scala cœli ex vitis PP. *Erat Eremita quidam, qui in deserto locis longè ab hominum commercio degens, vitam sanctissimam traducebat: huic pius quidam vir ex vrbe vicinâ consueuerat cibaria deferre. Erat autem in eadem vrbe homo prædiues, opibus quidem inclytus, at impietate & crudelitate notissimus. Hic cùm mortem obijsset, vidit illum qui functo Eremitæ ministrare consueuerat, ad sepulcrum magnâ cum pompâ & honore deferri, vniuerso clero & omnibus Religiosis familijs, magna cum populi parte funus associantibus, atque candelas & faces ardentes gestantibus, aeremque thuris, aliarumque rerum odoriferarum fumo complentibus. Quo sepulto perrexit ad Eremum, vt sancto Eremitæ iuxta consuetudinem solitum cibum deferret: & ecce inuenit eum mortuum atque à bestijs laceratum. Cœpit tum vehementer intra se admirari, cur impius ille post mortem tanto cū honore & pompâ sepulturæ traditus, functus verò hic vir defunctus, à feris lacerari promeruisset. Cui Angelus apparens ait: Nullam tibi causus hic commoueat admirationem, quia homo ille sceleratus & immanis eò quòd in vitâ suâ nonnihil boni operis effecisset, à Deo qui nullum bonum relinquit irremuneratum, in hoc mundo pro mercede honorem illum accipere meruit. At sanctus hic Eremita qui bonis operibus & diuinis virtutibus plenus fuit, quoniam in vitâ paruos aliquos errores & defectus admiserit, Deo permittente, qui nullum malum relinquit impunitum, à bestijs laceratus est, vt per temporalem hanc pœnam omninò purgatus & emundatus, è vestigio ad sempiternam cælestis paradisi gloriam transiret, ibique præmio virtutum & operum suorum vitaque integerrimè traductæ frueretur. Quo dicto Angelus discessit; & S. Eremito minister admirari desijt.*

Nemo igitur existimet iniuriam sibi fieri, cùm premitur aduersitate, quia nemo à peccatis liber saltem venialibus: imò pro beneficio computet, cùm hîc à Deo punitur. Hoc enim orat Habac. *c. 3. Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis.* Multò minùs mirum, si impij & damnandi calamitatibus hîc premantur; hoc enim meritò illis contingit propter eorum scelera ad ostensionem diuinæ iustitiæ, quæ non semper differt reproborum punitionem, sed in hoc mundo sæpe inchoet, & in altero complet. Ne igitur conquerantur impij contra Deum, cum asinâ illâ Balaā: *Cur percutis me, ecce iam tertiò?* respondebit enim illis Deus: *Quia cōmeruistis. Num. 22.* Asinus Balaami verberibus mulctatus est, quia progredi noluit: ita reprobi mulctantur plagis à Deo, quia progredi nolunt in viâ mandatorum diuinorum: & ita sæpe duplici contritione conteruntur, vti legimus *Ier. 17.* hîc nimirum & ibi, quando corrigi nolunt.

TERTIA, Exercitatio & probatio hominum, vt qui fœlices sunt, suâ fœlicitate ad Dei gloriam aliorumque auxilium vtantur: infœlices suâ afflictione habeāt materiam virtutis modestiæ & patientiæ, adeoque pateat, quid possit virtus in vtraq; fortuna. Videmus enim alios diuitijs bene vtentes: alios paupertates imò aliquos ambidextros, ad vtramque strenuos. Sed quia id paucorum est, eā de causā Deus maiorem hominū partem mediocri fortunā donauit, vt eam leuiùs ferant. Tam enim periculosa est nimia prosperitas, quàm nimia aduersitas. Quemadmodum ergò Deus Hebræis per desertum peregrinantibus, noctis D. III. Exercitatio hominum.

obscu-

obscuritatem mitigauit & leniuit columnâ ignis: & diei æstum temperauit columnâ nubis: ita diem prosperitatis moderatur nube afflictionis & noctem afflictionis igne prosperitatis. Neque enim omnes tam exercitati & ambidextri sunt, vti S. Paulus qui dixit: *Scio abundare, scio & penuriam pati.*

Magna virtus est tolerare æquo animo aduersitatem: sed non minor, imò maior est, non abuti prosperitate, vt si V. G. ad splendidam mensam assidens, tot illecebris & delicijs non capiaris, metas temperantiæ non excedas, sed in sobrietate te contineas; quàm si in ædem rusticam diuertens atro pane & aquâ sis contentus. Vnde S. Bern. ait: *Magna & rara virtus est, inter epulas esurire, inter vestes algere; inter honores humiliari.* Maxima verò est scire ferre vtrâque fortunam. Nemo ergò existimet fortunam prosperam seu aduersam sibi à Deo datam alio fine, nisi ad exercitiũ, vt videlicet se virum præbeat, & seu diuitis, seu mendici personam bene agat. Aspicit de cœlo Deus velut Agonotheta: quàm bene vtatur opibus diuites, quàm largiter egentibus tribuant: quàm sibi in luxu temperent, &c. Aspicit & pauperes, quàm patientes sint & humiles, quàm grati & modesti: remuneraturus suo tempore & hos & illos.

E. IV. Hominũ vtilitas. 1. QVARTA, Hominum vtilitas. Primò vt fideles discant mundum contemnere, dũ vident pios subinde esse infœlices, impios fœlices. Hinc enim colligunt omnia terrena esse adiaphora, nec digna quæ amentur, quando ea dantur etiam iniquis. Si enim valde magnum bonum esset fœlicitas terrena, non negaretur iustis, nec daretur iniustis. Dixit enim Dominus, non mittendas esse margaritas ante porcos. Ergò terrena omnia non sunt maius quid, quàm panis & aqua, quæ dantur etiam mancipijs; proinde qui his affluunt, libenter ea partiri cum conseruis egentibus debent; siquidem parui æstimanda & onera potiùs sunt atque impedimenta viæ, quæ ad summa & cœlestia bona ducit.

2. Secundò. Vt per aduersitatem à peccatis auocentur, & per prosperitatem ad Dei amorem, laudem & gratiarum actionẽ excitentur. Aduersitas quasi virga est, quâ terret Deus & punit malos: prosperitas quasi præmium, quo allicit & remunerat bonos. *Zach. 11.* ait Deus. *Assumpsi mihi duas virgas: vnam vocaui decorem & alterã vocaui funiculum.* Prior significat regimẽ amoris per beneficia & prosperitatem; posterior regimen terroris per afflictiones & aduersitates. Aduersitates enim & tribulatio sepit hominibus vias peccatorũ spinis, ne inueniant amatores aut amasias suas. Prosperitas verò monet vt oculos attollant & cõsiderent, vnde illam habeant: Si enim sapiunt, secum cogitabunt: Vnde mihi tantæ opes, tanta commoda, generis splendor, serui, pecuniæ, ditiones, prædia? Num ea mecum tuli, cùm nascerer? At nudus natus sum. Num ingenio meo illa comparaui? At multi meliori præditi ingenio in suâ adbuc egestate viuunt. Et si de patre diuite natus sum, multi me iustiores ex parentibus nati sunt pauperibus. Deus igitur est; qui me sic beauit, merâ suâ bonitate: huic ergò gratias agere & amorem impendere me oportet.

Tertiò. Vt in fide ambulemus, dum obscurè & ex parte tantùm cognoscimus Dei prouidentiam. Quinque enim modi possunt excogitari, quibus gubernaret Deus bonos & malos homines; vel vtrisque dando semper bona; vel vtrisque semper mala; vel bonis semper mala, reprobis semper bona; vel contra bonis semper bona, malis semper mala; vel denique vtrisque modò mala, modò bona. Tres priores modi fidem eliminarent, quia nimis obscuri sunt: Quartus quia nimis clarus. Si enim mali semper prosperarentur, boni semper affligerentur, quanta esset hæc tentatio? quàm pauci futuri essent, qui crederent esse Numen, quod iustitiam amet, oderit peccatum? Rursum si bonis semper bene esset, malis semper malè: nimis aperta esset & perspicua Dei prouidentia: ex quo etiam fieret, vt mali vel desperarent salutem, vel spe præmij temporalis solùm Dei legẽ seruarent, non virtutis amore. Conuenientissimus ergò modus præsenti rerum statui fuit, vt neque aduersa neque prospera iustos aut iniustos apertè demonstrarent: ne fides eiusque meritum euacuaretur, siue à nimiâ luce, siue à nimijs tenebris. Ergò licet Deus sæpe multa largiatur hostibus, quæ negauit amicis, vt fidem & patientiam conseruent: tamen sæpe etiam impius flagellat, & præmijs afficit pios, vt prouidentiam suam ostendat & homines intelligant, ipsum non dormire semper, sed suo tempore rationes exacturum, zizania eradicatum & in ignem proiecturum.

QVINTA Causa est hominum industria vel ignauia, astutia, & prudentia vel simplicitas. Deus enim plerumque sinit in mundo res ferri suis motibus. Instruxit hominem libero arbitrio & alijs facultatibus, quibus sibi ipsi prouidere possit. Vnde fit communiter vt pro cuiusque industriâ vnicuique res succedat: Ergo homines boni sæpe prosperantur, crescunt & ditescunt, quia parcè viuunt, tenui victu & vestitu contenti; timent dona Dei prodigere & dilapidare, &c. Mali contra decrescunt & ad paupertatem rediguntur, quia nesciunt sua retinere, parcè viuere, &c. F. V. Hominũ industria vel ignauia.

Rursum sæpe boni idcircò egent, quia malunt fraudem pati; quàm inferre: quia nimis candidè agunt, &c. cõtrà mali sæpe abundant, quia lucrantur, possidẽt ac retinent, quæ Deus illis non donauit, sed tantùm acquirere & habere permisit; vt quæ fraudibus atque vsuris compararunt, dolis & mendacijs, furto & rapinâ, &c. Quemadmodum enim in spectaculis, quidam homines sunt, qui per cuneum spectatorum refertum penetrare ad ipsum vsque circum possunt, quia nimirum impudentes, importuni & negotiosi sunt, omnes cubitis trudunt, omnia perrũpunt, cùm interim alij multi quia hoc facere non audent, retrò stare coguntur & ita nihil de spectaculo videant: ita prorsus in hoc mundo, qui impudentes, importuni &,

ni & audaces sunt, nihil non acquirunt, nihil non efficiunt: Cùm alij qui metuunt conscientiam suā offendere, nihil tale audeant. Verùm sinit Deus zizania illa crescere vsque ad messem. Licet enim plerumque conatus iniquorum videantur ipsis ad tempus ex voto succedere, cùm potentiâ præualent: id tamen non est diuturnum, & illa prosperitas sæpe multis aduersitatibus temperatur ac demum miserrimè euertitur, vt videre est in celeberrimis monarchijs, quæ suis temporibus maximè floruerunt. Assyriorū Monarchia euersa est à Chaldæis: Chaldæorum à Persis & Medis: Persarum à Græcis: Græcorum à Romanis: Romanorum nunc mirè accisa & ad magnas angustias redacta. Nabuchodonosor in summâ prosperitate ad ferarum vitam ablegatur. Balthasar eius nepos epulis & lætitiæ deditus, eadē nocte, capiâ ciuitate occiditur. Cyrus post tot victorias miserrimè à Scythis, amisso exercitu trucidatur. Xerxes cum exercitu, in quo tricies cētena millia militum, à Græcis turpiter vincitur, &c. Si quis vetitas merces circumferat per vrbem, liber aliquamdiu procedit, sed vbi è portâ ciuitatis pedem vult efferre, aderunt ilicò telonarij, qui pro singulis mercibus mulctam suam exigent vnaque merces tollent. Pari modo impij sinuntur in hoc mundo circumferre bonorum suorum sarcinas: sed ad portam mortis sentient insultum iudicis rationem exigentis. Quare nemo bonus iure dici infœlix potest, Contrà *miser est improbus, fœlix licet*, ait Menander. Ratio est, quia boni supernaturaliter sunt fœlices & per temporalem infœlicitatē diriguntur ad contemptum mundi, ad veram sapientiam, ad patientiam & fortitudinem, ad æternam fœlicitatem. Mali contrà supernaturaliter infœlices sunt & per temporalem fœlicitatem diriguntur ad amorem mundi, ad libertatem & arrogantiam & denique ad infernum. Boni licet omnibus careant, Deum tamen habēt; Mali licet omnibus abundēt, Deo tamen carent. Fallitur ergò vulgus, cùm hos fœlices putat, illos verò infœlices. Vnde *Psal.* 143. dicitur de illis: *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ: non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum: Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Sed quid respondet Propheta? *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Quo loco *diligenter notandum*, ait Cardin. Bellarm. *non facere differentiam inter filios Dei, & filios alienos, copiam, vel inopiam rerum temporalium: multi enim filij Dei his bonis abundarunt, & Dominus* Matth. 19. *promisit centuplum eorum, quæ dimisimus, in hoc mundo, & posteà vitam æternam, & contrà multi filij huius sæculi miserè perierunt in egestate, in exilio, in triremibus, in patibulis. Sed quod differentiam facit inter filios regni, & filios gehennæ, filios huius sæculi, & filios lucis, est affectio: qui enim bona temporalia magna bona esse ducunt & ijs ita afficiuntur vt præ illis æterna bona contemnant; & contrà, qui detrimenta temporalia magna mala esse ducunt, eaque ita timent, vt pro ijs euadendis Deum offendere, & vitam æternam perdere non formident? illi sunt filij tenebrarum, huius sæculi & gehennæ. Et hoc significatur in illis verbis: Beatum dixerunt populum cui hæc sunt; id est qui tanti faciunt hæc temporalia, vt in illis beatitudinem suam esse arbitrentur. Qui verò bona temporalia parua bona; & iacturam eorum parua mala esse ducunt vt reuerâ sunt: contrà autem gratiam Dei, & cœlestem patriam in maximis bonis reponunt: & offensionem Dei ac vitæ æternæ detrimentum, mala grauissima putant, illi sunt filij Lucis, filij Dei, filij regni, qui non surdâ aure audierunt, Primum quærite Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Matth. 6. *& hoc significatur in illis verbis; Beatus populus, cuius Dominus Deus eius; id est, bona temporalia, bona sunt, sed beatum non faciunt: quod autem vt è facit beatum, est possessio summi boni, quod in Dei visione consistit.* Quod nobis largiatur Deus.

CONCIO V.

Cur à Deo permittantur hæreses.

1. *Resp. vt pateant sinceri Christiani.*
2. *Vt Ecclesia purgetur à leuibus membris & scandalosis.*
3. *Vt Ecclesia industria exerciteur.*
4. *Vt fidelium mores corrigantur & peccata.*
5. *In pœnam peccatorum nostrorum.*

THEMA.

Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Matth. 13.

SAnctus Augustinus *in l. qu. Euang. in c. 11. Matth* existimat per zizania intelligi hæreticos, & per agrum, mūdum. Quam expositionem si sequamur, meritò admiramur, cur Dominus patiatur zizania hæreson nasci iuxta Ecclesiam suam in agro huius mundi. Certè Celsus Epicureus Philosophus hinc occasionē sumpsit, Christianis de suâ ipsorum dissentione insultandi, quòd inter ipsus essent tot hæreses, apud Baron. anno 146. Nos ergo si possemus, quamprimùm iremus & colligeremus ea, hæresesque omnes in perpetuum extirparemus, quoniam ab illis nimium quantum premimur. Sed non ita Dominus, qui licèt vnam post alterā extinguat hæresin, subinde tamen semper nouas prodire patitur; ita vt iuxta Ecclesiam eius semper sint hæretici. Quæ res cùm non sine diuino consilio fiat, nobis indaganda est. A.

PRIMÒ permittūtur, *Vt qui probati sunt, manifesti fiant* ait S. Paulus 1. *Cor.* 11. Id quod etiam B.
Dauid indicauit ps. 67. cùm dixit: *Increpa feras arundinis: Congregatio taurorum in Vaccis populorum, vt excludant eos qui probati sunt argento.* Vbi S. Augustinus, per feras arundinis, seu calami, (sic enim ipse legit) intelligit hæreticos, qui calamo, id est, scripturâ vexant Ecclesiam, & ventilant vt tauri cornibus superbiæ suæ. Isti ergò congregātur vt tauri in medio populorùm insipientium à se seductorum, vt excludant, id est, reijciant & exterminent sinceros fidei cultores & veros Christianos: sed id solùm efficiunt,

I. Vt pateāt sinceri Christiani.

ciunt, vt excludant, id est, segregent à fictis veros Christianos, eosque præ illis eminere faciant, vt exponit S. Augustinus, sicut enim argentum ab artifice ex rudi massa excluditur & secernitur. Vel sicut in exclusione ouorum apparet ex prodeuntibus fætibus, quæ qualia oua fuerint. De Constantio Chloro patre Constantini Magni gentili refert Historia tripart. l. 1. c. 7. quòd cùm ex multis Christianis, qui in eius aulâ erant, cuperet explorare, quibus potissimùm credere posset finxerit se deorum cultui instaurando, ac à exigere velle & honoribus spoliare quicumque Christianam religionem non abiurarent, patriamque amplecterentur. Quâ factâ denuntiatione, cùm alij mutarent religionem cum gentilium superstitione, alij in fide persisterent posthabitis omnibus, Constantius vbi hoc pacto animos suorum agnouit, mutatâ sententiâ eos, qui defecerant à se remouit, vt quibus nihil magnæ rei tutò credi posset, qui Deo suo infideles extitissent: qui verò persliterant, eos charissimos ac fidelissimos habuit. Ad eumdem modum Devs, quia nouit inter Ecclesiæ suæ domesticos multos fore nutantes & ambiguos, ad quædam, sed non ad omnia fidei dogmata credenda paratos, item ob temporalia commoda nequaquam verò gratis: rursum tempore prosperitatis, & quamdiu contrarium illis non prædicatur, nequaquam verò tempore tentationis; idcircò videtur interdum velle introducere alienam religionem, dum permittit diuulgari & prædicari subinde hæreses, vt qui in fide probati, sinceri & solidati sunt appareant: similiter & qui vani atque ad defectionem inclinati. Ita enim *Deut. 13.* ait Moyses, *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, &c. non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester vt palam fiat vtrum diligatis eum, an non, in toto corde & in totâ animâ vestrâ.*

C.
II.
Vt Ecclesia purgetur.
1.
A leuibus membris.

Secvndò, Vt Ecclesia purgetur, & primò quidem à leuibus & inutilibus Christianis, hos enim ad se trahit hæresis, imò isti in illam spontè ruunt. Quemadmodum enim ventus segregat paleas à frumento, sic hæresis separat leues & inutiles Christianos, saltem plerosque à bonis & sinceris? iuxta id Baptistæ de Christo loquentis Luc. 3. *Ventilabrum in manu eius & purgabit aream suam.* Sanè qui ad hæreses defecerunt, quid nisi paleæ erant? iam ventri & Veneri dediti erant, & nihil magis optabant audire, quàm ieiunia abroganda, vota annihilanda, confessionem abolendam, satisfactionem & opera pœnitentialia nil prodesse, &c. Vnde non nisi vento quodam egebant prædicationis hæreticæ, vt ab Ecclesiâ auolarent. Et hoc in magnum Ecclesiæ cedit ornamentum & fructum. Vnde Tertullianus l. *de præscriptio. c. 3.* ait: *Auolent quantum volent, paleæ leuis fidei quocumque afflatu tentationum; eò purior massa frumenti in horrea Domini reponetur.* Leui vento non excutiuntur ab arbore nisi poma putrida & vermiculosa quæ porcis proiiciuntur, ab hominibus non eduntur. Ecclesiasticus c. 31. dicit: *Si coactus fueris in edendo multum, surge è medio & vome, & refrigerabit te; & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Multùm noxij cibi inter tot sibi appositos coacta fuit comedere Ecclesia, tepidos Christianos in stomacho plurimos habuit; idcircò vt ab ijs purgaretur, vomere subinde, & tepidos illos in hæresim euomere debuit, eosque canibus infernalibus obiicere. Sic Episcopo Laodiciæ scribit per Ioannem Dominus, *Apoc. 3. quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.*

2.
A scandalosis.

Secundò, à scandalosis & scabiosis ouibus, quæ alias inficere possunt. Sic medicus latentes humores noxios per medicinam foras educit vt dolores omnes abstergere, & sanitatem corpori afferre queat. Sic Chirurgus membrum putridum abscindit ne alia membra inficiat. Vnde ad *Gal. 5.* ait Apostolus: *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Quando Sara vidit Ismaëlem malè moratum, colludentem cum Isaac filio suo; contristata inde petijt à marito vt eiiceret ancillam, cum Ismaële filio, *Gen. 21.* Pari modo Devs, cùm ab immorigeris filijs & falsis fratribus videt alios peruerti, indeque pati Ecclesiam, exaudit gemitus sponsæ suæ, eiicitque de Ecclesia reprobos; dum permittit vt à pseudoprophetis inducantur in errorem & abscindantur ab Ecclesiâ.

D.
III.
Vt Ecclesiæ industria excitetur.

Tertiò, Vt Ecclesiæ industria excitetur ad cognitionem scripturarum, & ex hoc fides illustretur, atque in fidelium cordibus confirmetur. Sic Augustinus *ep. 105. Hæreticorum inquietudine*, inquit, *vt scripturas vigilantiùs perscrutemur, vnde ne ouili Christi noceant, eis possit occurri, tanquam de somno ignauia nostra excitatur industria.* Et l. 16. *de ciuit. c. 2.* ait: *Multa ad fidem pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur; & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio.* Et in *Ps. 54. Numquid perfectè*, inquit, *de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? Numquid perfectè de pœnitentiâ tractatum est, antequam obsisterent Nouatiani, &c.* Non vult Devs vt imprudenter & irrationabiliter credamus, sed vt sciamus reddere rationem dogmatū nostrorum. In hoc verò apparet Dei mira prouidentia, quòd ministerio hæreticorum erudiat Ecclesiam suam. Gabaonitæ viuere inter Hebræos permissi sunt à Iosue; ita tamen vt ligna cæderent & aquas comportarent perpetuò pro domo Domini. *Iof. 9.* Sic hæretici inter Christianos à Deo tolerantur, sed vt illis seruiant ad ædificationem Ecclesiæ & aquam sapientiæ comparandam; Vel illi ligna apportant, dum calumnijs Ecclesiam appetunt: Aquam dum suis rationibus impugnant. Et hinc incalescit, & à sordibus purgatur Ecclesia. Ideò omnibus sæculis ventilata ab hæreticis Ecclesia, semper magis illustrata est. Hostibus ingruentibus muniuntur vrbes patriæ, eriguntur valla, cuduntur arma, &c. atque ita paulatim patria fit munitissima; & ad resistendum fortissima. Sic etiam Ecclesia. Hinc oppugnatò vno fidei articulo ab hæreticis, mox

coactum est concilium & veritas inquisita cõmunique Patrum consessu contra hæreses stabilita. Vnde & hoc consecutum, vt fidelis populus in fide fulciretur, dum videbat maiores suos non temerè ita credidisse, sed cum prudenti examine: quorum fides tam seriò & toties examinata à tam multis Doctoribus retenta & defensa est. Hoc ipsum patet nostro tempore; vbi studia in Ecclesiâ refloruerunt: cùm paulò ante Lutherum penè nulla forent. Ita dum Nestorius olim impugnaret B. Virginem, contendens non vocandam esse Deiparam, interim eius cultus latiùs propagabatur, quàm olim factum sit, vt templa ei erigerentur, & vix inueniretur qui Mariam non vocaret DEI genitricem. Baron. anno 431.

E. IV. Vt fidelium mores corrigantur.

QVARTÒ. Vt fidelium mores corrigantur & peccata, è quibus sicut è corporum & vestium pædore pediculos, ordinariè videmus prodire hæreses. Sic Dominus dicebat: *Omnem palmitem ferentem fructum purgabit eum* (Pater) *vt fructum plus afferat Ioan.* 15. Purgat autem Ecclesiam DEVS cultro etiam hæreseos. Primò, quia exorieote hæresi mox cogitur Concilium, vbi non tantùm stabiliuntur fidei dogmata, sed etiam extirpantur vitia (tam è populo, quàm è clero) è quibus maximè solet oriri hæresis. Secundò, quia tunc euigilant Catholici, & quam priùs quasi dormientem habebant fidem, excitant in actum & dicunt v.g. absit vt ego ab auitâ & Catholicâ religione in hoc vel illo minimo punctò discedam, hoc vel illud nouum dogma credam, &c. Tertiò, quia tunc attendunt sibi, cùm attendunt illis hæretici; vbi enim vitia eorum notârint, statim taxant & obiiciunt ea Catholicis, sicque eos pudefaciunt & cautiores reddunt. Ecce, inquiunt, qualem habetis clerum? quales Pastores? quales Canonicos? qualem religionem, qui tam facilè nobiscum diebus vobis prohibitis comeditis carnes? Scortamini, inebriamini, &c. Quartò, alienis casibus sapere discunt, & dum in religione stant, vident ne cadant, cùm aduertunt aliquos etiam literatos & clari nominis viros in hæresin lapsos esse. Atque hinc fit vt Catholici inter hæreticos degentes meliores communiter & feruentiores sint, vti Catholici in Angliâ, in Heluetiâ, in ciuitatibus Imperialibus hæresi infectis: (cùm alioqui iuxta malos Catholicos peruertantur, iuxta id: *Cum peruerso peruerteris*) quia enim hæreticis Catholici meritò infensi sunt, tunc exstimulantur ad cautiùs viuendum. Sic teste S. Gregorio in Moralibus, agricolæ iuxta allia & cepas serunt rosas, quia animaduertunt eas fragrantiores fieri ex tetri odoris viciniâ, alliorum & ceparum.

F. V. In pœnã peccatorum nostrorum.

QVINTÒ, In pœnam peccatorum nostrorum, quæ merentur eiusmodi tentationem & plagam. Promiserat olim DEVS Abrahæ multiplicaturum se eius semen, sicut stellas cæli, sicut puluerem terræ & arenæ maris *Gen.* 13. & 22. Idque impleuit tempore Dauidis & Salomonis, de quo scribitur quod filij Israël erant multiplicati sicut arena maris, 2. *Reg.* 17. 3. *Reg.* 4. At postquam creuêre peccata, decreuit Israë-litarum numerus, quod prædixit eis Moyses *Deut.* 4. & 28. *nisi custodieris & feceris omnia verba legis, & remanebitis pauci numero, qui priùs eratis sicut astra cæli præ multitudine.* Quod factum esse testabantur tres pueri in fornace ignis dicentes & orantes: *Domine imminuti sumus plusquam omnes gentes*: Deoque adeò imminuti fuêre, vt vix quinquaginta millia ex captiuitate Babylonica ad reædificandum templum & ciuitatem reuersa sint. Sic in regno Christi creuit inprimis sub persecutionibus Christianorum numerus, quamdiu virtuti studebant & charitate ardebant: sed postmodum tempore prosperitatis, refrigescente charitate & crescentibus Christianorum vitijs prosperitatem consequentibus, ambitione, inuidiâ, delicijs, auaritiâ, &c. decreuit etiam fides, & iusto Dei iudicio Christiani passim in hæreses lapsi sunt. Hoc supplicium minatur Christus in Apocalypsi, admonens Ecclesias suas vt se emendent & pœnitentiam faciant; *age pœnitentiam*, inquit, *& prima opera fac: Sin autem, venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris, Apoc.* 2. Candelabrum enim hoc, lumen fidei est quod DEVS iusto iudicio permittit admittere eos, qui nullum ex eo fructum faciunt, sicut & in Euangelio iubet tandem exscindi è vineâ suâ ficum sterilem *Luc.* 13. & alibi auferri ab eo talentum, qui defoderat illud, nec vsuram ex illo fecerat: *Habenti dabitur*, ait Dominus: *ab eo autem qui non habet, & quod habet seu putat se habere* vt *Luc.* 8. (id est, fides mortua; quæ aliquid est, sed sola nihil prodest) *auferetur ab eo.* Causa est, quia fides secundùm Theologos non tantùm est habitus speculatiuus, qui mouet ad credendum mysteria diuina, sed etiam practicus: quia inclinat nos ad operandum ea, quæ conformia sunt fidei. Quod si igitur fideles contra hanc fidei suæ inclinationem viuunt aliter ac credunt: tunc permittit DEVS fidem in ijs omninò extingui & perire, sicut perire dicitur equus, qui in stabulo semper stans, nulli adhibetur vsui, indeque fit inutilis, & tandem abiicitur. Propterea S. Paulus præcipit discipulo suo Timotheo vt iungat fidei *conscientiam bonam*: *quam*, inquit, *quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.* 1. *Tim.* 1. Id quod etiam docet nos experientia: Videmus enim in Germaniâ nationes ferè opulentiores, & quæ Cerere & Baccho abundabant, ijsque studium suum deuouebant, ad hæresin deflexisse. Vnde Apostolus sicuti dixit in nouissimis diebus fore homines voluptatum amatores & vitijs deditos. 2. *Tim.* 3. Sic etiam dixit: quòd in nouissimis diebus, *discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.* 1. *Tim.* 4. Vbi quàm vera nobis prædixerit, quis non videt? Hinc Carolus V. Imp. de Lutheri sectâ dixit: *Peccata nostra commeruere vt Ecclesiæ integritas secaretur.* Eiusque scissuræ auctorem Lutherum indicans addidit: *Vnus homo nobis scribendo perdiderat rem.* Flores sent. Hispan. Quando ergo, Auditores, zizania hæreseun non sine magnis causis prodeunt in Ecclesiâ, superest vt inde non

modò

modò non perturbemur, verùm potiùs excitemur ad fidei constantiam & virtutum studium; atque vt DEVM laudemus, qui tali ventilabro purgat aream Ecclesiæ suæ. Denique cùm talis persecutio oritur in Ecclesiâ, imitemur Moysen & Aaronem, qui exorto murmure & contradictione in populo confugerunt ad tabernaculum *Num. 20.* fugiamus, inquam, ad Ecclesiam Petri à Christo fundatam. Ita enim monet S. Augustinus *in Psal. 30.* *Contradicunt, inquit, lingua multa, diuersa hæreses, diuersa schismata personant, lingua multa contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam Catholicam tene, à regulâ veritatis noli discedere, protegeris in tabernaculo à contradictione linguarum.*

CONCIO VI.

Quàm multos offendat peccator.

Primò offendit Deum multipliciter.	8. *Proximos.*
2. *Christum.*	9. *Creaturas irrationales.*
3 *Deiparam.*	10. *Animas Purgatorij.*
4. *SS. Angelos.*	11. *Damnatos.*
5. *Sanctos.*	12. *Offendit omnium maximè seipsum.*
6. *Ecclesiam.*	
7. *Rempublicam.*	

THEMA.

Vis imus & colligimus ea? Matth. 13.

A. NOtum est Abrahamum habuisse duos filios, vnum ex Agar ancillâ, hoc est vxore secundariâ, Ismaëlem: alterum de vxore primariâ, Sarâ videlicet, Isaacum. De Isaac dixit ei Dominus *Gen. 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* De Ismaële verò *Gen. 16. Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes & manus omnium contra eum.* Id quod etiam contigit; Ismaël enim & Ismaëlitæ omnes impugnabant & ab omnibus impugnabantur, cùm habitarent in circuitu deserti Pharan, vbi fines multarum gentium attingebant & ab eis infestabantur. Abraham DEI typus est, qui duplices habet filios, electos, & reprobos. Per illos omnibus benedicitur: Isti verò sunt contra omnes creaturas, & omnes creaturæ contra illos. Priores designantur in hodierno Euãgelio per semen bonum, posteriores per zizania, quæ tanquam pestem seminis boni, eradicare volebant serui, id est, creaturæ omnes, idque actutum facerent, si DEVS id permitteret, quoniam ab iis offenduntur omnes. Quod solum si attentè cogitaretur, satis superque esse deberet ad absterrendum à peccato hominem. Videamus ergo hunc Ismaëlem eiusque hostiles manus, quibus contra omnes pugnat.

B. 1. Offendit Deum. 1. PRIMÒ, Offendit DEVM & quidem multipliciter. Primò, quia auertit se à DEO & conuertit se ad creaturam, ab incõmutabili bono, ad fluxa & inania, à legitimo hero ad alienum & Tyrannum, à patre ad hostem. De hoc queritur Dominus *Ierem. 2. Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Mundus, caro, opes, honores, voluptates cisternæ sunt dissipatæ: DEVS fons indeficiens est bonorum omnium, quæ ita superant bona mundi, sicut aqua viua aquam palustrem, fœtidam & mortuam. Cùm verò ad istam se conuertit homo, necessariò à Deo se auertit, quia cùm simul ea vtraque obtinere nequeat, velut pugnantia, idcircò dum faciem creaturæ vertit, consequenter tergum DEO vertit. Præcepit olim DEVS apud Ezech. c. 46. vt nemo eâ portâ templum egrederetur, quâ ingressus fuit, ne tergum scilicet propitiatorio, in quo Deus habitabat, verteret. Quid re quid aliud voluit Deus, nisi vt nemo ab eo se auerteret, qui solus incommutabile bonũ est? Et quid agunt peccatores? *Dixerunt ligno: pater meus es tu. Et lapidi: tu me genuisti Verterunt ad me tergum, & non faciem,* ait idem *Ier. 2.* Infaustum nuntium allatum erat Dauidi: *Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon. 2. Reg. 15.* quantum hoc afflixisse putamus cor Dauidis, legitimi regis? At quantò infaustius illud, quòd innumera & maxima pars hominum derelicto Deo suo sequitur creaturas & vanitatem?

2. Secundò quia legem Dei perfringit & obedientiam ei negat, liber enim esse conatur, licet interim se diaboli iugo subiciat. De hoc queritur idem *Ier. 2.* Deus: *Confregisti iugum meũ, rupisti vincula mea, dixisti: non seruiam.* Et *Isa. 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum: propter hoc maledictio vorabit terram.* Est autem fœdus sempiternum, ipsa Dei lex æterna, quæ est regula omnis æquitatis & omnium aliarum legum, ita vt nequem rectitudinem ab illa desumant, nec iustæ esse possint, nisi illi conformentur: vnde quicumque præceptum aliquod siue humanum, siue diuinum violat, contra regulam & fœdus illud sempiternum, & perinde agit, ac si ciuitas aliqua legitimo Regi rebellet, præfectum regiũ expellat, mandata Regis laceret, sibiipsi leges pro libito ponat, vel sine legibus viuat, aut etiam tyranno alicui se submittat. Cùm enim peccator sciens prohibitam esse à Deo v. g. fornicationem aut adulterium, interim verò adulterium committit, quid quæso aliud agit, quàm vt laceratâ Dei lege liber esse velit & suipsius Dominus? Quin etiam impudentes peccatores ita demum viuunt, ac si nullus omnino Deus esset, non plus peccaturi si non esset Deus. Quã iniuriã quæ maior excogitari potest? Hoccine non est legem Dei lacerare, & pedibus conculcare?

3. Tertiò quia conatur quantum in se est, Deũ perdere; constituit enim sibi Deum alium & ad eum velut finem vltimum refert omnia sua obsequia, desideria, dicta & facta, & perinde agit ac Hebræi, qui relicto Deo suo erexerunt sibi vitulum, & circum eum saltantes dixerunt: *Hi sunt Dij tui,* &c. Sic colit aurum auarus, impurus Venerem, gulosus ventrem, ambitiosus gloriam: his toto corde seruiunt, dum malunt præcepta Dei transgredi quàm contra ista quid agere aut circa ea quid negligere;

quod quid aliud est, quàm exturbare Deum è solio suo, & collocare in eo idolum? Non enim est Deus noster vt Dij gentium, qui secum ferat alium Deum: solus ille vult esse Deus noster, aut omnino non vult: quod bene omnes nouimus. Pellit deinde peccator quantum in se est, Deum è corde suo: vellet item nescri scelera sua, & puniri ab eo non posse: quod nil aliud est, quàm Deo ius suum auferre, oculos effodere & manus ligare velle.

C. II. Christū. SECVNDÒ. Offendit Christum. Primò, quia quod Christus ingenti labore destruxit, ipse reædificat: peccatum videlicet. Quod si imprecatus est Iosue reparatoribus ciuitatis Iericho maledictæ, & ab eo destructæ: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho. Ios. 6.* non offendetur Christus, si quis peccatu n reædificet, quod ipse morte suâ destruxit? Nisi ingenti odio prosequeretur Christus peccatum, non euertisset illud proprio sanguine.

2. Secundò, quia sanguinem testamenti eius conculcat & effundit velut aquam in terram, dum se & proximos perdit, quos Christus pretioso sanguine suo comparauit. Si enim aurum est, quod aurum valet: cur non item sanguis Christi est, quod sanguine eius emptū est? Nónne vehementer affligit patrem filius, qui vocantem & insequentem fugit, & ab ipso ad hostes vel carnificem currit? Atqui hoc facit Christo peccator. Audi quærelam Christi: *Pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in siti. Psalm. 61.* Itaque recrudescere facit vulnera Christi, quomodo carnifices ea renouarunt, cùm tunicam carni adhærentem abstraxerunt in monte Caluariæ.

Tertiò, quia Christum quodammodo vesaniæ aut imposturæ arguunt, dum contrariam ei, quam ipse docuit & tenuit, viam tenent & ambulant; quasi non è cælo venerit Christus propterea vt veram nobis cæli viam monstraret. Quemadmodum enim discipulus magistro contraria sentiens despicere illum censetur & offendit: Sic Christianus aliter viuens, ac præscripsit illi Christus.

D. III. Deiparā. TERTIÒ, Offendit Deiparam, quia iniuria filij redundat in matrem. Si enim grauiter accepit Bethsabee, quòd Adonias in regnum patris, Dauidis scilicet, se intruderet, & filius eius

1. Salomon, cui iure debebatur regnum, excluderetur (quandoquidem id quærebatur regi, dicēs inter alia: *Cùm dormierit dominus meus Rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores,* id est, miseri vel quasi rei.) Quantò grauiùs accipiet Deipara, si in filium eius peccetur, isque honore debito priuetur à peccatoribus? Posset enim dicere peccatori: Quoniam tu filium meum honore suo spolias: ergo ego & filius meus erimus peccatores?

2. Secundò, quia rursum affligit illi filium & in oculis eius quodammodo crucifigit: atque ita doloris gladio rursus animam eius confligit. Quod si tunc is gladius animam eius pertransijt, quando vidit filium ab impijs flagellari, illudi, & crucifigi: nónne rursum offendetur, & quantum in peccatoribus est, doloris gladio transfigetur, si videat eundem filium suum, rursum ab illis flagellari, illudi & crucifigi, blasphemijs alijsq́ sceleribus? Et quemadmodum Iudas ingentem iniuriam intulit Mariæ, quando eius filium vendidit, in quem ipse ius nullum habuit, sed mater sola habebat: Ita iniurius etiam est Deiparæ, qui filium eius blasphemat, vel aliter offendit. Tertiò, quia 3. eidem filium etiam adoptiuum eripit, seipsum videlicet. Est enim & ipsa omnium nostrum mater, quoniam per filium suum, nos ad vitam genuit, dum vitæ auctorem nobis genuit. Ac licet quis offenderit filium eius naturalem, Christum scilicet: non ideò tamen ipsa vult mortem & perditionem offendentis, adoptiui filij sui; sed potiùs adhuc pro eo supplicat vt seruetur & veniam accipiat; instar illius Thecuitis videlicet, cuius filium cùm frater occidisset, supplicabat tamen nihilominùs pro superstite parricidâ, 2. Reg. 14.

E. IV. SS. Angelos. QVARTÒ, Offendit SS. Angelos. Primò, quia 1. ipsorum communem Dominum, cuius honorem maximè zelant. Si enim filij Saruiæ, serui Dauid, cùm viderent Semei iacere lapides contra Dauid & maledicta, irâ accensi gestiebant ei mox amputare caput & vindicare contumeliam Domini sui. 2. Reg. 16. dubium non est SS. Angelos, qui longo magis diligunt Dominum suum, multò acriùs indignari, cùm vident eum offendi. Vnde in hodierno Euangelio iuxta opinionem S. Hieronymi, paratos se offerunt ad euellendi zizania, si Devs permitteret; *Vis imus & colligimus ea?* Vnus Angelus pro honore numinis diuini, quod blasphemarant Assyrij, zelans, occidit vnâ nocte centum octoginta quinque millia Assyriorum 4. *Reg.* 19. Idem facerent & cæteri horum similibus, si Devs id concederet. Secundò, quia pri- 2. uat illos gaudio accidentali, quo cumulare alioquin possent suâ cunuersione, Domino testāte: *Dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.* Vt ergo insignis aliquis nouitius discedens è religione affligit omnes religiosos: ita qui à societate Angelorum quibuscum velut nouitius per gratiam viuebat, discedit per peccatum. Sic afflixit 40. Martyres, quòd vnum à se deficere cernerent, & in tepefactum balneum è gelido transilire. Tertiò, quia custodum operam lu- 3. dit, eisque illudit, monita & consilia eorum irrita faciens; inprimis proprij custodis, cui non paruit; deinde alienorum, quorum clientes ipse furtiuo seduxit. Si enim meritò indignatur Ludimagister, cùm videt pueros, post sedulam non vnius tantùm, sed plurium annorum nauatam operam nihil proficere: non dolebunt Angeli custodes, si videant in clientibus suis perire suum tot annorum studium? Quid, quòd idem per praua opera fugamur, vt S. Basilius in Ps. 33. asserit; quemadmodum videlicet apes fumo & columbæ graueolentia? Ita enim auditæ voces (vtique ipsorum) in templo Ierosolymitano paulò ante excidium: *Migremus ex his sedibus.*

QVINTÒ

F. V. Sanctos. 1. QVINTÒ, Offendit Sanctos, quia eorum patrem & Magistrum rursum instar Iudæ ficte osculatur & quantum in ipso est, tradit, dum Christianum se fatetur, Christum interim persequitur. Vnde titum Petrus Christum defensurus eduxit gladium & resecuit aurem Malcho: Sic facerent Sancti peccatori, si à Deo permitterentur, & quidem multo expeditiùs. Quid fecêre duo illi Boanerges, cùm viderent Christum excludi à Samariâ? nónne dicebant: *Vis dicimus, descendat ignis de cælo & deuoret hos?* Quid ergo facerent modò, quando vident offendi Magistrum suum regnantem in cælis?

2. Secundò, quia desiderant corporum suorum resurrectionem, quæ tamen institui nequit antequam numerus prædestinatorum impleatur: huius verò impletionem retardant peccatores.

3. Tertiò, quia sancti indignissimè ferunt grauissima peccata tam facilè admitti, quæ vt illi vitarent, velis remisque contendebant, & plurimi ex illis vitam & sanguinem profuderunt. Maluerunt enim aliqui Martyres tormentis enecari, quàm vel tradere sacros libros Tyrannis: vel comedere cibos vetitos, vel vnicum Christianum prodere, aut mentiri.

G. VI. Ecclesiā. 1. SEXTÒ, Offendit Ecclesiam. Primò, quia eius membra in ea collidit. Si patiebatur Rebecca ante partum, ex eo quòd vterque fœtus, Iacob & Esau in vtero eius colliderentur: si Sara cùm videret Ismaëlem ludere cum Isaac eumque seducere; Quomodo non affligetur Ecclesia, cùm videt suos Principes, Prælatos & fratres inter se mutuis collidi bellis, & diuidi sectionibus?

2. Secundò, quia membrum eius aliquod mortificat peccator, videlicet seipsum. Qui verò non offendatur Ecclesia; si videat fines suos tot spiritualibus remediis munitos, cedere in prædam infernalium luporum, seque frustrà eos insequi & clamoribus reuocare? Si Rachel (id est, Ephrata) dicitur plorasse filios suos, quia in captiuitatem ducti sunt: non plorabit Ecclesia, videns imminentem filiorum damnationem, monita eius spernentium?

3. Tertiò, quia sana eius offendit membra, iustos videlicet, qui cum Dauide vident præuaricantes & tabescunt. Idcircò in parabolâ serui nequam, ait Dominus contristatos fuisse conseruos super immani crudelitate conserui, & venisse & narrasse Domino suo omnia, quæ facta fuerant. Hoc enim faciunt iusti, cùm vident præuaricatores impunè delinquere & sæuire in proximos. Hinc Apostolus Paulus de putridis quibusdam membris dixit: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant. ad Galat. 2.* sicut enim putre membrum molestiam affert alijs: sic crebris Bonis.

H. VII. Rempublicam 1. SEPTIMÒ, Offendit Rempublicam. Primò quia Magistratui labores, curas & molestias creat. Quid enim non molestiarum sustinet Magistratus propter fures, homicidas aliosque reos, quos inuitus debet perquirere, inuestigare, capere & tandem sine commiseratione condemnare, plectere? Vnicus sæpè refractarius eius perpetuò vexat Magistratum.

2. Secundò, quia scindit & destruit harmoniam corporis politici, & Musicum concentum suo stridore turbat. Cùm enim tota Respublica bene ordinata & disciplinata est omnibus suum officium facientibus, quasi Magistratu non indigeret; solet ab omnibus laudari. Quando verò in eâ reperiuntur improbi, qui variis supplicijs debent castigari, carceribus, vinculis, patibulis, perdit bonum nomen. Et vnicus sæpè impius pessimam ei inurit notam, vti Achan, qui turbauit omnem Israëlem furto suo, ideoque exturbatus & ab omnibus lapidatus est. *Ios. 7.* Sic Iacob duobus filijs suis Simeon & Leui, quòd Sichem occidissent dixit: *Turbastis me & odiosum* (Hebraicè *fœtentem*) *fecistis me Chananæis, Gen. 34.*

3. Tertiò, quia cætera membra Reipubl. tristitiâ afficit, vti in primis propinquos & amicos, qui non possunt non dolere, cùm vident eũ accusari, incarcerari, mulctari, occidi, &c.

I. VIII. Proximos. OCTAVÒ, Offendit proximos. Primò pœnam ad eos etiam deriuando, siquidem propter vnius aut paucorum scelera sæpè integræ communitates & ciuitates puniuntur: quod ne fieret, ideò blasphemi in veteri lege omnium manibus iubebantur lapidari. Deriuat etiam pœnam in propriam familiam vsque in tertiam & quartam generationem. Et nil crebriùs quàm quòd filij parentum flagitia luere coguntur. Ad quid enim munentur parentes sæpè, vt desistant à malis propositis, cùm dicitur eis: Parcite liberis vestris?

2. Secundò, culpam etiam in eos deriuando partim directè per consilium, iussionem, auxilium, &c. (non enim vult solus perire, sed socios sibi quærit, & veneno suo alios quoque inficit: quemadmodum vna ouis scabiosa totum inficit gregem) partim indirectè, per scandalū: quod adeò graue damnum est, vt dominus dicat, melius ei futurum, si appendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum. Hàc ratione offendit etiam infideles & hæreticos, qui cùm vident vel audiunt peruersos Christianorū mores, ipsi in perfidia suâ solidantur & à fide magis abhorrent, dicentes: si tales sunt Christi discipuli, non dissimilis erit Magister. Et ideircò propter eos blasphemant nomen DEI, vt testatur Apostolus ad *Rom. 2.*

3. Tertiò, alia damna inferendo, vti contumelias, probra, detractiones; oneribus opprimendo: verberibus mulctando, vel omnino occidendo: propter quod sanguis eorum in cœlum clamat.

K. IX. Creaturas irrationales. NONÒ, Offendit etiam creaturas irrationales. Primò, quia auertit eas à DEO creatore suo, vt seruiant eius hosti & proditori ad ipsius DEI iniuriam. Vino vtitur ad ebrietatem & luxuriam, gladio ad homicidium, opibus ad luxum, vestibus ad superbiam, ingenio & scientiâ ad spargendos & tuendos errores, hæreses excogitandas, dolos, iniustitias, &c. Propter quod omnis *creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc*; quia scilicet *vanitati*, id est, homini vano & peccatori, *subiecta est non volens*

lens, sed propter eum, qui subiecit eam, vt ait Apostolus ad *Rom.* 8.

2. Secundò, quia dissoluit harmoniam mundi: omnia enim seruiunt DEO & ad nutum parent præterquam homo, qui tamen principalis est rota totius horologij huius mundi, quæ idcircò etiam reliquas impedit & ordinationem DEI peruertit, ita vt sæpè propter peccatores cælū fiat æneum nec pluat: modò aperiat cataractas vt pluere non desinat: vt ignis de cælo cadens terram incendat; terra dirupta vel mons cadens malos obruat; venti domos & syluas sternant: aquæ & maria intumescant hominesque demergant: bestiæ hominibus noceant, & quandoque in ciuitates irruant, vel eas obsideant, &c. Hæc tota naturæ peruersitas vnde prouenit nisi à peccatoribus, qui primi esse deberent in facienda Dei voluntate, modò autem rebelles sunt? Hinc *Isa.* 6. dicitur: *Erubesce Sidon, ait mare.*

3. Tertiò, quia propter illum sæpè irrationales etiam creaturæ puniuntur. Quid commisêre pecora & iumenta vt quandoque peste absumantur? segetes vt grandine feriantur, &c. hominum peccata luunt.

L. X. Animas Purgatorij. DECIMÒ, Offendit etiam animas Purgatorij, quia priuat eas speratis & debitis sibi à nobis suffragijs, quibus refrigerari possent. Quêadmodum enim vir præstans immoderatè viuendo morbos sibi concilians, nocet liberis & familiæ suæ totique Reipublicæ; sic peccator nocet animabus parentum & fratrum suorum, omniumq́; eorum qui in Purgatorio detinentur, quia reddit se inutilem ad iuuandum illas.

M. XI. Damnatos. VNDECIMÒ, Offendit ipsos etiam damnatos. Primò, quia pœnam eis auget, cùm ver sibi qua peccata committit, ad quæ sibi auctor fuit damnatus aliquis. Sic Lutherani pertinaciter in hæresi persistentes, quotidie adaugent Luthero suo pœnam.

2. Secundò, quia quò magis crescit multitudo impiorum, eò magis etiam crescit supplicium eorum, maximè propinquorum, amicorum & complicum. Hanc enim causam vult esse Lyranus, cur epulo petierit mitti ad domos fratrum suorum, ne & ipsi in locum tormentorum suorum venirent: vnde videlicet eorum societate acriùs torqueretur?

N. XII. Seipsum. DVODECIMÒ, Offendit seipsum & quidem omnium maximè, quia maximè sibi nocet. Vt enim viperam necant proprij fœtus, sic peccata auctorem. Vnde *Ps.* 10. dicitur: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et Angelus *Tob.* 12. ait: *qui faciunt iniquitatem & peccatum, hostes sunt animæ suæ.* Res crudelis est, sibimet mortem inferre; crudelissima necare animam propriam. Si enim omnes creaturæ in te consurgerent & quantum possunt, tibi nocerent: non tantum te offendere possent, quantum tu te ipse offendis, cùm peccas. Imò nec DEVS tantum tibi nocere potest: quia non aliud tibi malum inferre potest, quàm malum pœnæ: hoc autem longè minus est peccato. Verè igitur S. Chrysostomus scribit, neminem lædi nisi à seipso; quoniam omne malum, quod extrinsecus aduenit, siue ab hostibus, siue ab elementis, siue à diabolo homini cooperatur in bonū, si peccatum absit. Nam cùm peccatum abest, DEVS adest, & si DEVS pro nobis, quis contra nos? ait Apostolus *ad Rom.* 8. At cùm quis animam gladio peccati perimit, simul omnia perdit bona, & incidit in foueam omnium malorum. O gladium acutum! gladium prælongum! Pertingit enim vsque ad cælum, pertingit vsque ad Orcum; pertingit vsque ad fines orbis.

Ex quibus patet, quàm merito non Angeli tantùm vel Prælati hodierni Euangelij sed & omnes aliæ creaturæ dicant de peccatoribus ad Deum: *Vis imus & colligimus ea?* Sed licet hîc non permittantur insurgere, simul saltem & semper in peccatorem, permittentur tamen aliquando, cùm videlicet audient: *alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Ita enim Sapiens c. 5. testatur: *pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos.* Quemadmodum enim lupi & canes rabidi à tota communitate quæruntur ad necem, quia omnes inuadunt & rabido ore mordent; sic etiam in peccatores insurget aliquando totus orbis. Vis igitur totum mundum non habere hostem? desine peccare.

CONCIO VII.

Documenta.

1. *Primò docetur quàm noxia sit somnolentia.*
2. *Qualis astutia diaboli.*
3. *Zelus illistitia ad tollendos noxios.*
4. *Dei clementia in tolerandis, & perficienda in cognoscendis malis.*
5. *Discrimen malorum & bonorum, exemplo Iacob & Esau.*

THEMA.

Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? *Matth.* 13.

MIramini forsan, Auditores, quòd eandem rem varijs parabolis sæpiùs inculcet nobis Dominus. Quod enim docet in hodierno Euangelio, est, non omnes qui in Ecclesiâ sunt, esse iustos ac proinde cæli hæredes futuros, sed alios esse triticum, alios zizania; alios congregandos in horreum Dei, alios alligandos ad comburendum in gehennâ. At hoc idem docuit Dominus in parabola de piscibus bonis & malis in eâdem sagenâ: in parabola de ouibus & hædis in eodem grege: in parabolâ de sapientibus & fatuis Virginibus in eodem nuptiarum comitatu: in parabolâ de benè & malè vestitis in ijsdem nuptiis. At quid ergo eandem cantilenam toties nobis occinit? Nimirum, Aud. tores, sciebat Dominus stultum illum & perniciosum errorem qui docet omnes esse iustos, & quo sibi quisque imaginatur ac persuadet se in Dei gratiâ esse adeoq; certò saluandum, nemo se damnandum putat, cordibus nostris amore proprio excæcatis pertinaciter infixum esse. Quê vt nobis A.

bis eximat adeoq; nos cum timore & tremore salutem nostram operari doceat, dicere vult hâc parabolâ: Nemo sibi blandiatur, quòd in Ecclesiâ Dei sit, quasi iam securus de salute. Sunt in eodem agro triticum & zizania: in eâdem Sagenâ boni & mali pisces: in eodem grege oues & hædi: in eodem comitatu prudentes & fatuæ Virgines: in ijsdem nuptijs benè & malè vestiti. Priores à Deo colligentur: posteriores abijcientur. Deinde agit nobiscum Dominus, sicut medicus cum ægrotis quibus idem medicamentū sub varijs confectionibus propinat, tum ne eius fastidium capiant, tum vt id quod per vnâ capere non possunt, capiant per aliam. Ergo Auditores tametsi interdum eadem doctrina pluribus tropis & figuris vobis inculcatur, nolite ægrè accipere; bonum semen verbi diuini est, quod seminauit Christus, crebriùs licet iactum, & quod ex ipso seminamus nos. Expandite agrum cordis vestri & excipite semen.

B. I. Somnolentia quàm noxia.

Discimus PRIMÒ, Quid mali causet negligentia & somnolentia hominū, maximè Prælatorum, dum audimus diabolum non nisi dormientibus hominibus zizania seuisse. Somnus corporalis sæpè noxius fuit hominibus. Noë enim nudauit: Lothum incestu fœdauit: Sisaram terræ affixit: Madianitas hosti tradidit: Samsonem robore spoliauit & Philisthæis illudendum præbuit: Holofernem capite truncauit: Tobiam stercore hirundinum cæcauit, &c. vt non leui de causâ assuescere à teneris debeamus, priusquam imus cubitum, Deo nos commendare & Angelo custodi; ne quid damni malignus hostis nobis dormientibus struere & inferre queat. Verùm longè periculosior est somnus spiritualis cùm in peccatis obdormimus & sine scrupulo viuimus: tunc enim malus ille sator nihil non zizaniorum cordibus nostris superseminare potest.

Maximè verò in Prælatis & rectoribus perniciosus est hic somnus. His enim, qui vigiles esse debent consopitis, quid non moliri in greges eorum malus Genius potest? Quando Niniuitæ post Ionæ prædicationem & suam pœnitentiam ad ingenium redierunt, & in pristina scelera relapsi sunt, obsessi sunt à Chaldæis. Durante obsidione Rex & optimates consisi in muris & munitionibus suis, conuiuijs & symposijs vacâtunt, vt scribit Diodorus Siculus l. 3. atque ita vino somnoque sepulti sunt. Interim Chaldæi Niniuen inuaserūt & Duces occiderunt, populum verò dispersêrunt. Hinc eorum regem alloquens Nahum *cap. 3.* ait *Dormitauerunt pastores tui Rex Assur: Sepelientur Principes tui*; (primò vinos, deinde humo) Septuaginta vertunt: *Consopiuit* (Rex) fortes tuos; quo modo sc. Balthasar mero cōsopiuit optimates suos: quos proinde Cyrus eâdē nocte oppressit & occidit *Dan. 5.* Hoc idem certè nos superiore sæculo experti sumus, cùm adueteret diabolus non paucos Ecclesiæ Antistites profundo otio & delicijs, quibus diuturna pax & per eam congestæ diuitiæ materiam suppeditabant, sepultos, illis insidiari cœpit, non secus ac carnluoræ aues præpingvia animantia, quæ semianima iacere vident, ad escam sibi obijquis oculis designant: ijs verò quæ per pascua currunt & exsultant, appropinquare non audent. Itaque illis consopitis & de suis gregibus nihil sollicitis, venit diabolus vel potiùs adduxit pessimum illum Satorem Lutherum, qui doctrinæ suæ zizanijs Ecclesiæ agrum cōspurcauit; & inprimis capita quædam & duces, deinde reliqua membra & populum non difficilè in hæresin abripuit. Optimum quidem semen seminârant, primò in Germaniâ, Rupertus, Bonifacius, Wilibaldus, Burchardus, Corbinianus, Vdalricus, Wolfgangus, &c. Sed dormientibus posteà Pastoribus venit inimicus homo Lutherus, & superseminauit zizania. Inimicus, inquā, crucis Christi, quam, is se abiecturum dixit, vbi à nemine cō'pici posset, vt alibi diximus. Inimicus Indulgentiarum, contra quas debacchatus est è publicis cancellis. Inimicus summi Pontificis, quē omnibus calumnijs & iniurijs proscidit, draconis, anni, dæmonis figurâ repræsentauit. Inimicus SS. Patrum, quos omnes præ se cōtempsit dicens, non curare se mille Augustinos, non mille Cyprianos, non mille Ecclesias; indignos illos esse qui calcei sui corrigiam soluant. Inimicus principum, quos appellabat carnifices, IESV CHRISTI interfectores, Herodes impios, intolerabiles tyrannos. Turcis multò peiores *lib de sæcul. potest. contra Ambros. Cathar* Inimicus Consiliorum Euangelicorum; votorum, virtutum, præsertim castitatis. Inimicus pœnitētiæ & omnis mortificationis. Sed pergamus.

C. II. Diaboli astutia. 1.

Discimus SECVNDÒ, diaboli astutiam, qui de nocte, hoc est, clanculum & subdolè venit, tentationes ingerens, cùm quis securus & quietus degit. Ita *Iudic. 18.* Danitæ cùm venerunt in Lais quærere sibi regionem, miserunt exploratores, qui viderunt populum illum quiescentem & securum habitantem absque timore. Venerunt ergo sexcenti viri & percusserunt eum in ore gladij. Scribit Iulius Frontinus *Stratagem. l. 2. cap. 5.* Ducem quemdam Carthaginensium Africanos sibi rebellantes hoc astu decepisse. Plura vini, cuius auidos sciuit Africanos, dolia impleuit, & mandragorâ (herbâ soporiferâ) commiscuit, fugiensque in castris suis reliquit. Insecuti mox Africani, vinum in castris repererunt, eoque largiter hausto se totos proluerunt, indeque mox obdormierunt. Hoc exploratō rediit Dux cum suis & omnes in somno obtruncauit. Quid aliud agit diabolus? Implet peccatores dulcedine peccati, vt in ea conquiescant, securēque viuant, nihil de morte, nihil de iudicio, nihil de inferno soliciti; tum adest repentè & cùm minimè existimant, DEO permittente eos corripit necatque, vel in tam grauia scelera præcipitat, vt inde vix aut nunquam emergere queant.

Deinde in medio tritici seminat, quia dæmō & hæreticus in disseminandis suis erroribus semper nititur super aliquo vero, aut super aliquo loco scripturæ, qui in speciem facere vide-

tur. Vnde Irenæus l. 1. *contra Valent.* c. 1. ait: *Vt facile est ex multitudine lapillorum pretiosorum, qui varijs coloribus consistant efficere imaginem Regis, aut aliter compositu & contextu efficere imaginem vulpis: ita hæreticus sententias Scripturæ S. quæ imaginem veritatis reddunt, detortas & malè intellectas ad repræsentendam effigiem falsitatis & erroris componere solet, ita vt videatur Scriptura asserere, quod numquam asseruit.* Hoc astu decipit dæmon mediis Prędicantibus pseudo-euangelicis stultam Lutheranorum plebeculam, dum suas conciones ex meris Scripturæ sententiis pessimè applicatis contexunt, interimque clamant: Verbum Dei, verbum Dei purum & putum est hoc.

Tertiò, non in siligine, hordeo aut auenâ, sed in tritico seminauit zizania; quia optimis quibusque maximè insidiatur dæmon, quale est triticum inter frumenta; Et hinc etiam *Luc.* 22. expetiuit Apostolos *cribrare sicut triticum*, vt expendit ibi S. Hieronymus: quia ceteris meliores & perfectiores erant. Non enim valde expetiuit scribas & Pharisæos ceterosue Iudæos, quos vtpote carnales facilè superare poterat, iamque penè deuictos habuit. *Absorbebit fluuium*, inquit, de eo Dominus Iob c. 40. *& non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Iordanis aquæ Christi tactu sanctificatæ, viros sanctos & spirituales repræsentant: cæteræ aquæ carnales homines, qui suapte pondere ad interitum ruunt. Audiamus D. Gregorium l. 33. *Mor.* c. 7. *Antiquus hostis*, inquit, *hoc pro magno non habet, quòd sub iure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet. Prophetâ quippe attestante cognouimus, quia esca eius electa Neque enim mirum putat, si eos absorbeat, quos superbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbebit ergo fluuium & non mirabitur, quia pro magno non æstimat, cùm eos deuorat, qui per ipsa vitæ sua studia deorsum currunt. Sed illos magnopere rapere nititur, quos despectu terrenis studijs iungi iam cælestibus contemplatur.* Quisquis ergo accedit ad seruitutem Dei, stet in iustitia & præparet animam suam ad tentationem, vti monet Ecclesiasticus c. 2. quia illi magis impugnantur, in quibus maior est virtus.

Quartò, denique post iacta loliorum semina abiit, quia ita subdolè nocet, vt quæ ipse nobis intulit damna, alijs imputari à nobis velit, non ipsi. Hinc Iobum ad impatientiam & blasphemiam pertracturus, induit personas nuntiorum, qui narrarent Iobo damna illata, vt vult S. Gregorius, neque sibi, sed Sabæis & Chaldæis, igni cælesti & turbini damna illa velut auctoribus attribuit. *Iob.* 1. At ita canum instar in lapidem, hoc est, innoxios, infigamus dentes: vti inimicos nostros persequamur, non dæmonem, qui eos velut eques equos instigauit ad nocendum, &c.

D. III. Zelus iustitiæ discretus sit.

Discimus Tertiò Zelum iustitiæ ad tollendos noxios; non qualemcumque sed discretum. Etenim serui zizania deprehensa eradicare cupiuerunt, non tamen propriâ auctoritate, sed cum Domini consilio & imperio: *Vis imus*, inquiunt, *& colligimus ea?* cui etiam acquieuerunt. Caruit hac Zeli discretione Ionas, cùm afflictus est proptereà, quòd pepercerit Devs Niniuitis nec perdiderit eos iuxta prædictionem suam. Hinc enim sibi metuens ne propheta vanus & mendax reputaretur, videreturq; ab hominibus, dolere magis propter honoris sui diminutionem, quàm lætari propter honorem Dei, qui tunc agebatur, cœpit. *Ion.* 4. Non ita Michæas c. .. qui cùm certum exitium prædiceret impiis, indoluit, eorumque salutem suo honori præferens, dixit: *Vtinam non essem vir habens Spiritum* (propheticum) *& mendacium potiùs loquerer.* Hebr. *Vtinam essem vir vadens Spiritu*, id est, mallem dici vir inanis & vertigine agitatus, quàm videre euentum prædictionis meæ, exitium populi. Sed non ita Ionas, qui passione actus, vni suæ existimationi intentus erat, vti prodit illis verbis: *Nunquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terrâ meâ? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis; scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, &c.* Ergo qui indiscreto Zelo in vitia inuehuntur, suam passionem produnt, & suum potiùs sensum & honorem, quàm Dei voluntatem & honorem quærere conuincuntur.

Deinde nec priuatâ vltione corripiendi peccatores, præsertim inimici: sed Magistratui & Deo committenda est vindicta. Intellexit paterfamilias difficilè eradicanda zizania sine damno & euulsione tritici: ita etiam difficile est punire velle peccatum seu offensam: & simul amare & seruare velle personam offendentem. Hoc prudentibus messoribus committendum vult paterfamilias, qui zizania à tritico separare norunt. Quis tam peritus iaculator est vti Heluetus ille Dellius, qui pomum in capite filij repositum iaculo tangere queat sine noxâ filij? Quis cristam galli gallinacei ipso prorsus illæso? Ita pariter velle plectere offensam, nec tamen lædere offensorem nimis est difficile ei, qui offensus est.

E. IV. Dei in cognoscendis malis perspicacia.

Discimus Qvartò Dei clementiam & longanimitatem in tolerandis reprobis: nec perspicaciam ad eosdem cognoscendos. Perspicaciam quidem, quia vidit illum, qui noctu zizaniam seminauit. Latuit is seruos, latuit homines cæteros, quia tunc dormierant. At nunquid dormiit Devs? nunquid illum nesciit? *Inimicus homo hoc fecit*, inquit. Potest ergo fur, deceptor, impostor homines latere, non Devm.

In tolerandis clementia.

Clementiam verò, quia semen bonum ipsemet seminauit, zizania verò non ipse eradicauit, sed messoribus suo tempore eradicanda dimisit. *Considera*, inquit Chrysostomus *homil.* 48. *in Matth. ineffabilem Christi misericordiam & quòd ad benefaciendum promptus est, à desiderio autem puniendi alienus. Nam quando seminat, per seipsum id peragit, supplicia verò per alios infert; Nam dicam, ait, messoribus, alligate ea, &c.* Idem *videntur Reges facere*, inquit Philo in lib. de Abrahamo, *ad imitationem naturæ diuinæ, dum perseipsos gratias peragunt, pœnas per alios sanciunt.*

Lon-

In expe-ctando longani-mitas.

Longanimitatem denique dum zizania non illicò euelli iussit, sed expectauit tempus messis, vt clarius pateret quænam sint zizania, quod triticum; & neutri iniuria fieret. Sanè serui patrisfamilias (qui significant Dei seruos, vel secundùm Hieronymum Angelos) si per ipsos stetisset, nequaquam exspectassent vsque ad tempus, sed inutiles herbas illicò exterminassent. Quod etiam Niniuitis factum optabat Ionas, quorum Iudex si fuisset, protinus tulisset sententiā mortis in omnes, etiam post eorum pœnitentiam, eò quòd hanc tulisset Deus ante illam. Verùm non ita Deus, qui expectauit eos ad emendationem & posteà mutauit sententiam. Quantò igitur clementior Deus hominibus etiam sanctis? quantò satiùs confugere ad Dei, quàm ad hominum tribunal? Id quod vidit Dauid, qui propositâ sibi optione gladij, famis, pestis, pestem elegit, dicens: *Melius est mihi vt incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum* 2. *Reg.* 24.

F. V. Discrimē malorum & bonorum.

Discimus QVINTÒ. Discrimen malorum & bonorum hominum. Hi enim tritico similes sunt; illi verò zizaniis; vnde vulgò reprobos vocare solemus zizania ren Bunsaut. Sed quia de hoc diximus superiùs, statuemus nunc ante oculos amborum exemplar. Tales igitur

Exemplo Iacob & Esau.

erant Iacob & Esau duæ quasi plantæ in eodem agro, duo fratres in eodem matris vtero, ille bonus, hic malus; ille zizania, hic triticum. Ac quemadmodum zizania & triticum impediunt se mutuò & despoliant succo suo, detrahunt ad terram, &c, ita Esau & Iacob collidebantur in vtero matris; quo significabatur fore eos duorum populorum duces, bonorum & malorum, atque inter se ἀσπονδον πόλεμον, perpetuum & implacabile bellum gesturos; siquidem boni reprehendunt malos, mali vexant bonos.

1. Primò Esau fuit prior & honoratior apud homines, sed Iacob apud Deum: sic communiter in hoc sæculo reprobi excellunt bonis fortunæ, genere, opibus, dignitatibus, & idcircò coluntur ab hominibus, præferuntur cæteris, promouentur, amantur: cùm interim apud Deum sint inglorij & postremi. Contrarium accidit iustis. Esau diligebatur ab Isaac secundùm quid, quia comedebat de venatione eius *Gen.* 25. Sed Iacob à Rebeccâ & Deo (Malach. 1.) absolutè, quia bonus erat: sic mali diliguntur à mundo, sed ob temporalia tantùm commoda. Boni verò absolutè ab Ecclesiâ & Deo, quia virtuosi.

2. Secundò, Esau seruiit Iacobo, maior minori: sic impij licet hîc videantur dominari iustis, reuerâ tamen seruiunt potiùs, quia sua persecutione, crucibus & tormentis fabricant eis coronas. *Quomodo mali seruiunt bonis?* ait S. Augustinus *ser.* 78. *de temp. quomodo persecutores martyribus; quomodo lima vel malleus auro: quomodo mola seruiunt tritico: quomodo panibus coquendis fornalia, vt illi coquantur, illa consumantur. Quomodo in fornace aurifi.is palea seruit auro; vbi sine dubio palea consumitur, aurum probatur.*

Tertiò, Esau prior egressus est, sed Iacob egredientis plantam manu tenuit: ita impiorum initia prospera sunt & læta, extrema verò luctuosa & funesta. In calcaneo enim & fine vitæ subijcientur iustis, qui, vt dicitur *Sap.* 3. *iudicabunt nationes & dominabuntur populis.* Reprobi in planta, id est, fine vitæ tentos se videbunt & ligatos, peccatorum vinculis: Iusti verò liberos. 3.

Quartò, Esau erat totus in modum pellis hispidus, Iacob autem lenis seu glaber *Gen.* 25. & 27. ita reproborum mores asperi sunt, duri ac feroces: bonorum verò lenes, humani, mansueti. Ad Esau pertinebat Nabal, qui rogatus à seruis Dauid pro commeatu, verba dedit aspera: *Quis est Dauid & quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui, qui fugiunt Dominos suos,* &c. 1. Reg. 25. Ad Iacob verò mater eius Rebecca, quæ rogata vt pauxillum aquæ daret ad bibendum de hydriâ suâ, respondit: *Bibe domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant Gen.* 24. 4.

Quintò, Esau *factus est vir gnarus venandi & homo agricola Gen.* 25. (Hebr. *vir agri,* q. d. erat rarò domi, sed ferè in agris & syluis versatum) Iacob autem *vir simplex habitans in tabernaculis,* id-est, domi suæ se continebat, & vitæ quietæ ac culturæ animi sui vacabat, vt ibi Caietanus notat. Sic impij semper extra se sunt, dum terrenis bonis inhiant & ad animam suam non attendunt: Contrà *pij à distractionibus ad mentis secreta se restringunt & ibi quasi in tranquillitatis sinu requiescunt,* ait S. Gregorius l. 5. moral. c. 7. Vnde rectè Hesiodus dixit: *Melius est esse domi, damnosum verò est foris vagari.* 5.

Sextò, Esau vili lenticulâ vendidit Iacobo primogenituram, hocq; damnum suum initio paruipendit, sed ad extremum maximè sensit, doluit & fleuit cum rugitu & clamore, licet irritâ pœnitentiâ. Contra Iacob emit à fratre ius primogenituræ, quod licet primò eidem obfuisse potiùs quàm profuisse videbatur, dum propterea in fratris odium incidit; sensit tamen posteà id sibi profuisse, dum Chananæam tenuit, quam Esau ei cesserat abiens in Idumæā *Gen.* 36. Ita reprobi ius adoptionis filiorum Dei & cælestis hæreditatis cum vilissimis bonis, & sæpè ex merâ libidine ac curiositate (quemadmodum & Esau coctionem rufam merâ cupiditate ductus emit, non necessitate, vt qui in diuite domo multa meliora habebat) commutant, iuxta id *Ezech.* 13. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, vt interficerent animas.* Et *Proverb.* 6. *Pretium scorti vix est vnius panis; mulier autem viri pretiosam animam capit.* Ad hæc damnum hoc, grauissimum licet, rident & pro nihilo ducunt; ad extremum tamen sentient in articulo mortis (quamuis absque fructu) quàm malè sibi consuluerint. Vide & audi eiulantes, *Sapient.* 5. *Nos insensati,* &c. Vicissim verò pij emūt cælum ab impijs quodammodo, dum eorum iniurias tolerant, dum ipsis benefaciunt, dum pro ipsorum peccatis gemunt, seque affligunt, dum eis terrena sua bona cedunt, vti S. Franciscus patri suo secum litiganti ius 6.

parer-

paternæ hæreditatis, &c. quod licet eis obesse potiùs quàm prodesse videatur, proderit tamen in fine cùm hinc emigrandum erit.

7. Septimò Esau duxit vxores alienigenas eoque facto parentes suos grauiter offendit; Iacob verò duxit vxores de cognatione suâ iuxta votum parentum. Ita mali malos sibi adsociare student vt magis noceant, in quo Deum & Ecclesiam magnoperè offendunt. Dicebat Rebecca: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth.* Quas scilicet Esau duxerat eas in vxores. Simili modo dolet Ecclesia, cùm alter alterum seducit. Boni se bonis iungunt & in hoc Deum & Ecclesiam lætificant. Viderit nunc vnusquisq; vtram sequi partem velit, vtri adhærere statuat. Vtiq; qui sapit, Iacobo adhærebit, &c.

CONCIO VIII.

Mysteria.

Assignatur primò scopus huius parabolæ, quæ ostendit Deum non esse mali Authorem, perpetuum esse bellum diaboli cũ Christo &c.

2. *Quæritur quis sit bonus, & quis malus seminator.*
3. *Quis triticum, qui zizania.*
4. *Quis ager.*
5. *Qui dormientes.*
6. *Quinam sint serui patrisfamilias.*
7. *An liceat hæreticos occidere.*
8. *Quomodo periculum ne cum zizaniis eradicetur triticum.*
9. *Quid alligare in fasciculos.*

THEMA.

Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Matth. 13.

A. Finxerunt olim Poëtæ (Ouid. *lib. 6. Metamorph.*, puellam quandam nomine Arachnem arte textrinâ celebrem eò se extulisse vt cum Pallade Deâ sapientiæ & inuentrice artiũ in certamen descendere & artificio contendere auderet. Sed cùm non nisi obscurum quendam cæli arcum pingeret: Pallas verò deos cælestes pulcherrimo artificio & suis coloribus texeret: Arachne à Pallade radio percussa, mutata est in araneã & pendula in aëre relicta vt telas aranearum texeret ad muscas capiendas. Depingit nobis fabula hæc certamen Luciferi cum Deo. Cùm enim ei similis esse contenderet, turpissimam in cælo telam, peccatum texuit. Vnde è cælo deiectus aërem nunc infestat & laqueis tentationum suarum homines, velut aranea telis suis muscas, captat. Hoc idem est, Auditores, quod audiuimus in hodierno Euangelio. Bonus enim Sator, qui triticum seminauit, DEVS est: Malus verò, qui superseminauit zizania, diabolus. Quod nunc expendemus.

B. I. Quis parabolæ scopus. Q. Prima. Quis est scopus huius parabolæ? Resp. Parabolam ostendere Primò DEVM non esse mali auctorem, sed diabolum. Vnde confutantur Caluinus & Lutherus ac Melanchton qui peccata etiam DEO velut auctori adscripserunt. Secundò, perpetuum esse bellum & æmulationem diaboli in Christum: vt dum Christus homines bonos facit, faciat ipse malos. Tertiò, In Ecclesia semper malos fore inter bonos. Vt ita nemo miretur, si verbum DEI sæpè in terram malam ceciderit, quod paulò antè in aliâ dicebatur parabolâ.

C. II. Qui bonus & quis malus seminator. Bonus. Q. Secunda. Quis homo seminator boni seminis: & quis inimicus homo, seminator mali? Resp. Ipsomet Christo explicante: *Qui seminat bonum semen, est filius hominis.* Primò quidem cùm creauit hominem perfectum. Deinde & peculiari ratione cùm in sterilem hunc mundum velut in agrum, rusticano sago naturæ humanæ indutus & linteo virgineæ carnis præcinctus se dimisit, & agrum hunc sudore, lachrymis & sanguine suo excoluit ac ligone crucis proscidit. Vnde miratur Ieremias c. 14. *Quare quasi colonus futurus es in terra?* Cui respondetur ex hodierno Euangelio; quia venit seminare semen bonum, siquidem ager mundi operâ diaboli penè totus repletus erat vrticis & zizaniis. Christus eum proscidit & inuertit, dum honorum, opum & voluptatum cupiditates sepeliuit, amorem verò contemptus, paupertatis, tribulationum in lucem produxit & hominibus commendauit.

Malus. Porrò inimicus homo, qui seminauit zizania, est diabolus, inquit Dominus. Inimicus quidem DEI, quia ab eo detrusus in infernum; Christi, quia ab eo iudicandus; Hominum, quia inuidet illis sedem & gloriam cæli, à quâ ipse excidit. Homo verò dicitur, tum quia hominum ingeniis & desideriis se accommodare solet cum eos tentat, tum quia hominum operâ ad seducendus homines, tanquam suis instrumentis vtitur.

Seminat hic zizania, id est, homines malòs, quia ex bonis tales efficit suis consiliis, technis & persuasionibus. Laborat Christus vt faciat homines triticum: laborat dæmon vt faciat eos zizania.

D. III. Qui triticũ, qui zizania. Q. Tertia. Qui sunt semen bonum seu triticum: qui zizania? Respondet Christus: *Bonum semen hi sunt filij regni. Zizania autem filij sunt nequam.* Boni seu filij regni, id est, hæredes cæli, semen bonum & triticum vocantur, quia hîc fructus bonos faciunt & crescunt in virtutibus, vt tandem panis mundus & candidus fiant DEO beneplacens. Vnde S. Ignatius dicebat: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Secundò, quia in mundo seminis instar crescere & maturescere, interim tamen multis agitari tempestatibus debent.

Zizania. 1. Zizania vocantur filij nequam. Primò quia vt illa succum penè omnem ad se trahunt & suffocant vicinum semen bonum: ita & mali in mundo omnia penè commoda ad se rapiunt, bonisque abstrahunt. Secundò, quia vt zizania variorum colorum flores sunt, qui pueris quidem placent, sed displicent agricolis, quia farinam nigram præbet & inutilem: ita qui hono-

res,

re, vestitu & opibus florent, mundo quidem placent, sed non item DEO. Tertiò, quia vt zizania in pabulum brutorum tantùm cedunt:
Speciatim hæretici. sic mali in escam dæmonum: *Mors depascet eos,* & semper in æternum ruminabit. In specie verò tales sunt hæretici secundùm Augustinum
1. & alios: Primò, quia post bonum semen, id
2. est, post Catholicos primùm seminati prodeunt: Secundò, quia sicut zizania (Crdwaih) dicuntur hominem reddere quodammodo ebrium, vel insanum: sic facit & hæresis. Quanta enim est insania sibi vni plus credere, quàm Ecclesiæ, & tot sanctis Patribus, & iactare se solùm videre, quod à tot sæculis nemo anteà vidit? Tertiò, quia non tam altè excrescunt,
3. vt semen bonum: sic hæretici terræ affixi.
4. Quartò, quia radicibus implicant se tritico, ne euelli possint: ita quoque hæretici immiscent se Catholicis.

E. IV. *Quis ager.* Q. QVARTA. Quis ager? *Ager est mundus,* ait Dominus. Ager nimirum ille, qui non solùm ab ipso creatus est, sed etiam qui sanguine eius emptus: Vnde vocat eum agrum suum. Agro verò comparatur mundus. Primò, quia totus terrenus est, & vix in eo ambulari potest, vt sordes non contrahantur. In cælo plateæ sunt ex auro & parietes è lapidibus pretiosis, vti Ioannes ait *Apoc.* 21. Sed mundus ager est luto stratus. In hoc agro omnes quotquot sumus, sepeliemur peregrini: vt verè mundus aliud non sit, quàm commune cœmeterium. Secundò, quòd pro ratione culturæ fructus profecit. Si bene ac sedulò colueris portionem tuam, quam habes in hoc agro, multum fructum afferet; sin verò malè, pariet tibi vrticas & zizania.

F. V. *Qui dormientes.* Q. QVINTA. Qui sunt homines dormientes? Non explicauit hoc Dominus. Resp. ergo primò esse eos, qui otio se dant & in bonis
1. propositis torpent ac cessant bene agere. Vnde Epiphan. hæref. 66. *Cùm nos,* inquit, *obdormierimus à bonis operibus, cùm neglexerimus iustitiam, cùm mentem nostram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc seminamus peccata.* Sic cùm cessamus ab oratione quotidianâ, frequentatione Missæ & sacramentorum, &c. Tunc aditum dæmoni patefacimus. Secundò, esse superiores & Prælatos, qui ex officio cùm vi-
2. gilare pro subditis deberent, non vigilant. Qualis Gallio ille proconsul, qui caulam litigantium non curabat, nec puniuit eum, qui ante tribunal alterum cæcidit *Act.* 18. Potest etiam intelligi per hunc somnum seu tempus nocturnum, ipsa DEI permissio. Ex quo enim abijt in cælum, videtur nunc dormire & permittere mala, quæ fiunt instigante dæmone.

G. VI. *Qui serui patrisfamilias.* Q. SEXTA. Quinam serui patrisfamilias, qui monuerunt eum de zizanijs ortis & eradicandis? Nec hoc expressit Dominus, neque necessarium est ad rem accommodare omnia, quæ dicuntur in parabolis: Cuius rei exemplum dat Augustinus *l.* 16. *de Ciuit. c.* 2. *Solo vomere,* inquit, *terra proscinditur: sed vt hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria.* Inducuntur ergo hi serui, vt occasionem haberet paterfamilias docendi eos patientiam & mandandi illud: *Sinite vtraque crescere.* Quanquam per illos intelligi pij fideles possunt, DEI zelo præditi, qui cùm tot mala patrari ab impijs ad DEI & piorum iniuriam vident, desiderant eos tolli; quo modo Boanerges illi dicebant: *Domine vis dicimus, descendat ignis de cælo & consumat illos? Luc.* 9. Et Apostolus ad *Gal.* 5. *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.*

Q. SEPTIMA. Licétne hæreticos occidere? H. VII. *Licétne hæreticus occidere.*
Respondeo SS. August. & Chrysostomum existimasse non licere, quòd id colligi videretur ex hoc loco: *Non, ne fortè eradicetis,* &c. Sed nihil obstat hic locus: (nam ad literam non hæretici tantùm, sed omnes reprobi vocantur zizania) ex quo sequeretur neque fures, maleficos, homicidas, &c. occidendos esse, quod est contra DEI mandatum: *Maleficos non patieris viuere. Aufer malum de medio populi, &c. Deut.* 31. *Exod.* 21. Deinde ex his Christi verbis solùm colligitur, tunc non eradicanda zizania, cùm periculum est, ne simul eradicetur & triticum, vti senserunt S. Hieronymus in eum locum tom. 9. Et August. *l.* 3. *contra ep. Parmen. c.* 2. qui & retractauit priorem sententiam *l.* 2. *retract. c.* 5. Cùm ergo tale periculum non est, sed potiùs id tritico salutare est, licebit. Denique verbis his non prohibetur huius vel illius mali aut malefici eradicatio: Sed omnium vniuersim malorum, qualis non fiet ante iudicium. Ostenditur itaque sola DEI prouidentia, quæ tolerat malos inter bonos in hoc mundo vsque ad tempus. Dici etiam potest, verba patrisfamilias non fuisse directa ad Magistratus, quorum est punire flagitia: sed ad seruos tantùm suos, qui priuatâ auctoritate & zelo volebant insurgere in zizania & de medio tollenda; quod fas non est.

Occidi autem & comburi quidem hæreticos iubet lex Cæsarea, *Quicunque C. de heret.* Dicit etiam Tertull. Scorpiaci c. 2. *Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda hæresis.* Quòd si ex veteri lege Sacerdotis filia in fornicatione deprehensa flammis exurebatur, quòd violâsset nomen patris sui, *Leuit.* 21. non immeritò idem statuit lex Cæsarea faciendum animæ, quæ cùm sit Christi summi Sacerdotis filia, fornicatur à vera fide ad falsam transeundo. Sic miles qui sacramentum duci suo præstitit, si ad hostem transfugit, morte dignus est & plecti potest: non item qui semper hostili ex parte stetit. Vulpes Samsonis colligatæ ignem in caudâ habentes segetem incenderunt & simul perierunt: ita & hæreticis segetem Ecclesiæ vastantibus debetur ad finem ignis, vt docet Augustinus *serm. de Sams.* Quantum ignem excitat vel vna hæreseos scintilla, nisi mox opprimatur? *Igitur & scintilla,* ait Hieron. super epist. ad Galat. cap. 5. *statim vt apparuerit extinguenda est; & fermentum à massa vicinia remouendum; secanda putrida carnes; scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est,*

totam

totum orbem eius flamma populata est. Sic.Hier.

I. VIII. Quomodo periculum ne cum zizanijs eradicetur triticum.

Q. OCTAVA, Cùm zizania soleant ac possint eradicari, quomodo periculum esse dicit paterfamilias, ne simul cùm zizaniis eradicetur & triticum? Resp. Primò, quia si omnes mali tolli deberent, periculum foret, ne interdum ex errore etiam pro & cum malis boni tollerentur; sicuti cùm in Hispania plebs furiosa non solùm hæreticos Priscillianistas, sed multos etiam Catholicos perdidit anno 386. hæresin magis pallore faciei & vestibus, quàm verbis ac confessione metiens, vt inquit Sulpitius *dialog.3. de S. Martino cap.* 15. Secundò, quia si trucidarentur omnes mali atrox & irreuocabile bellum inferretur orbi, vbi & bonis plurimis pereundum esset. Tertiò, quia periculum foret, ne boni scandalizarentur ob tam rigidam & vniuersalem in impios vltionem, quibus amicitiâ & sanguine iuncti sunt. Quartò, quia probi multi nascuntur ex improbis; vnde qui hos sustulerit etiam illos tollet. Quintò, quia vt ait S. Augustin. *ser.*46. de diuersis, *fieri potest, vt qui hodie sunt cizania, cras sint frumentum.* Sextò, quia impij sanctos exercent & quodammodo faciunt. Tolle impios tyrannos, & Martyres non erunt. Vt ergo

In Dom. 5. Aduẽt. rosæ iuxta alia fiunt fragrantiores, vt scribit S. Gregorius: ita boni iuxta reprobos. Messis tempus cur iudicij diem designet, diximus alibi.

K. IX. Quid alligare in fasciculos.

Q. NONA. Quid sibi vult illud: *Alligate ea in fasciculos,* &c. Resp. significare. Primò, pares cum paribus in iudicio congregandos & in ignem mittendos. Vnde S. August. *serm.* 39. *de sanctis,* ait: *Ligate fasciculos, hoc est, rapaces cum*

1. *rapacibus: adulteros cum adulteris: fornicatores cum fornicatoribus: homicidas cum homicidis: auaros cum auaris: iracundos cum iracundis: falsos testes cum falsis testibus: fures cum furibus: similes cum similibus: Hi sunt fasciculi ad comburendum, &c.*

2. Secundò, secundùm Euthymium, *ostendit sermo,* inquit ipse, *quòd ij, qui in eodem peccato communicant, etiam in supplitio communicaturi sunt eodem, &c.* Sic vsurarius, & vxor sc ex vsuris vestiens, liberi inde splendidè viuentes: in fasciculum. Sic epulo & potator, & hospites qui instigarunt, & socij qui comessati sunt, & fidicines qui admodulati sunt, & parasiti qui arriserunt, & parentes qui pecunias dederunt; in fasciculum. Filia superbè ornata, & mater quæ ornauit, & iuuenis qui adamauit, & ancilla quæ suasit, & pater qui non corexit, & Concionator qui non redarguit: in fasciculũ. Filius iniustè bona possidens, & parentes qui reliquerunt, & filij quibus reliquit, & vxor quæ adiuuit, & Confessarius qui non correxit; in fasciculum. Huc pertinet illud Ecclesiastici 21. *Stipula collecta Synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.* Stipulæ enim colligatæ fortiùs ardent, & se mutuo accendunt; ita complices in inferno complicati in fasciculos. Nónne adulter & adultera statuti ante fores Ecclesiæ cum cereo & virgâ sibi mutuo pœna sunt & supplicium?

Tertiò. Secundùm Theophylactum, significat alligandos esse damnatos, ne ampliùs operari possint. 3.

Quartò, significat damnatorum constrictionem & compressionem: siquidem tot millones hominum in centro terræ conclusi erunt. 4.

Iusti vicissim congregabuntur in horreum Christi, id est, cælum. Hi venient ad fasciculum viuentium, id est, eorum beatorum. Iudæi passim tumbis mortuorum amicorum inscribebant: *Anima eius sit in fasciculo viuentium;* Vt dicitur in libro, qui inscribitur: Precationes Iudæorum. Id verò significat beatos sedulò conseruari à DEO & custodiri, vt patet, 1. Reg. 25. *Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* addit, Dominus: Quemadmodum fasciculus florum in manu semper tenetur & naribus subinde applicatur, &c. Sic etiam seruabuntur sancti à Christo. Quare tempestiuè quilibet oculos aperiat, & quid eligat, videat. Non enim frustrà addidit Dominus vltimo hæc verba. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Pendet enim ab hâc nostrâ electione salus & perditio sempiterna.

DOMI-

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matthæi 13.



IN illo tempore, dixit IESVS turbis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo; quod minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creuerit maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis; simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est IESVS in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.

CONCIONES.

I. *Militans Ecclesia cur vocetur regnum cælorum.*
II. *Incrementa Ecclesiæ.*
III. *Regnum Christi quantum alia regna superet.*
IV. *Quibus modis ac mediis fides propagata sit.*
V. *Causa propagationis hæresum nostri temporis.*
VI. *Multiplex verbi Dei auditi fructus, & non auditi damnum.*
VII. *Documenta.*
VIII. *Mysteria.*

CONCIO I.

Militans Ecclesia cur vocetur regnum cœlorum.

1. *Quia Regem cælestem habet Christum.*	4. *Quia ad cælum tendit.*
2. *Quia similis est cælo quoad multa.*	5. *Quia in ea regnant Christiani, vti beati in cælo.*
3. *Quia de cælo descendit, & originem suam habet.*	6. *Quia in terris cæleste vitam æmulatur.*

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis Matth. 13.

GEnesis 2. legimus Adamo hanc à DEO potestatem factam, vt pro indita sibi sapientiâ omnibus animalibus quæ sunt super terram, nomina imponeret; *& quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius*, ait sacer Textus. Cæterùm vt Adam primus rebus naturalibus, ita secundus Adam noster Christus rebus quæ supra naturam sunt, sua indidit nomina pro suâ sapientiâ & potestate. Quare quod ipse vocauit, ipsum debet esse nomen eius. Portò in hodierno Euangelio Ecclesiam militantem vocat Christus manifestè regnum cœlorum: *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Ita eandem appellauit in Dominicâ quintâ post Epipban. proximè elapsâ: ita eam rursum appellat in Dominicâ Septuagesimæ mox sequente. Hoc igitur est & esse debet verum & genuinum Ecclesiæ nomen, quod Christus ei dedit. Videtur mihi Isaias hoc idem prædixisse c. 62. ad Ecclesiam loquens: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Et quodnam illud? Sequitur mox: *Et tris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu* DEI *tui* q. d. euehet te ad dignitatem coronæ & regni sui, quo coronatur in cælis, & ita faciet ac vocabit te regnum cælorum. Magna dignitas Ecclesiæ & *gloriosa dicta sunt de te ciuitas* DEI. Quàm verò congruenter sic vocetur Ecclesia, nunc discutiemus.

Primò, Quia Regem habet Regem cælorũ Christum adeoq; eundem illum quem habent in cælo beati. Sic enim testatur ipse: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra* Matth. vlt. Item quia Ecclesia triumphans militanti annexa est & incorporata. Vtrobiq; Christus præsens est, ibi in gloria, hic in Eucharistiâ. Idem tributum ei pendimus, charitatem, nisi quòd nos prętereà fidem & spem addere debeamus; tametsi cum differentiâ: nam beati habitant cum Christo, quasi in metropoli, vallis & præsidiis optimè munitâ: Ecclesia verò militans quasi in suburbio vel aliis regni pagis, oppidis, vrbibus. In his enim rex videtur rarius & velut in trãscursu, nec in suâ maiestate, sed vel veste indutus venatoriâ, vel peregrinâ: in his ædificia humilia & fragilia, victus & vestitus incolarũ vilis, in his omnia aperta hostibus & intuta sunt atque immunita. In metropoli verò regiâ, videtur rex perpetuò, & quidẽ in suâ gloriâ: ædificia omnia splendent, vti & victus atq; amictus ciuiũ omniaq; tuta sũt, mœnibus & — B. I. Quia regem cœlestem habet.

& vallis cōmunita. Simili modo videtur quidem sæpè Rex noster in suburbio vel pago Ecclesiæ militantis in SS. Eucharistia, sed nec semper nec eâ specie, quam ostendit beatis in cælis, nec eo modo; quia per fidem tantùm. Beati autem in Ecclesia triumphante vident DEVM semper, vident eum in gloriâ suâ, vidēt facie ad faciem. Rursum hîc habitamus in domibus tantùm luteis & lapideis quasi in tugurio rusticano, ex limo & lignis compacto, lutea vasa portantes: beati verò *in domo non manu factâ æternâ in cælis*, vt ait Apostol. 2. *Cor.* 5. Victus etiam & vestitus noster vilis & rusticanus est. Pascimur quidem verbo Dei & SS. Eucharistiâ: sed non cum eâdem lautitiâ, nec cum eodem gustu, quemadmodum beati quibus ipsa Dei visio omnes delicias & voluptates præbet. Vestimur Dei gratiâ velut arrhâ tantùm & pignore gloriæ, virtutibus etiā; sed his imperfectis. Taceo sordes peccatorum, quæ nemini nō adhærent: at beati omnes fulgent veste gloriæ, omni virtute splendent, nihil in illis sordidum aut coinquinatum, quia vt scribit Ioannes Apoc. 21. *nihil coinquinatum intrat* in ciuitatem cælestem. Ad hæc omnes nos in hoc suburbio vel pago Ecclesiæ militantis habitamus immuniti contra hostes, mortem, carnem, mundum, dæmonem, peccatum: omnia hic intuta sunt & hostibus nostris peruia; hinc clades quotidianæ; quotidie enim morimur, quotidie labimur, quotidie vincimur & prosternimur: modò habemus, modò non habemus. At in metropoli triumphantis Ecclesiæ, omnia munita, omnia tuta sunt; *quoniam confortauit seras portarum tuarum*, inquit Dauid Ps. 147. *benedixit filiis tuis in te.* Ibi omnes securi & benedicti sunt. Ecclesia quidem militans præualebit portis inferi, quia Christus Rex tuetur eam, velut regni sui partem alteram: sed patitur interim plurimas molestias & vexationes à plurimis eius hostibus etiam internis. Multi in eam intrant mali, multi ex eâ deficiunt boni: ciues cum rusticis admixtos habet, quia alij cælestia, alij terrena tractant, quærunt, amant. In cælo omnes politici & aulici sunt, summa ac cælestia tantùm bona tractantes. Hic nos velut rustici crassam DEO reuerentiam facimus, crassis moribus & rudi linguâ vtimur: ibi omnia cultè, doctè & ornatè fiunt.

C. II. Quia similis cælo. SECVNDÒ, Quia Ecclesia militans quoad multa similis est cælo, quod videmus. Nam

1. primò excelsa est instar cæli, quod fidei mysteria, quæ suo intellectu nemo penetrare potest; quemadmodum & cælum nemo digito tangere, qualiscunq; gigas sit. Secundò, magna

2. & amplissima est per totum orbem terrā marique diffusa, vnde à quatuor plagis mundi dicitur congreganda: quemadmodum & cælum totam terrā ambit, & luce sua collustrat. Tertiò,

3. fulget suis syderibus, quemadmodum & cælum. Habet enim solem, Pontificiam auctoritatem: habet lunam, Imperatoriam potestatem: habet duodecim signa zodiaci, 12. Apostolos, habet sydera alia maiora & minora, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Præpositos, Abbates, Pastores, Doctores, &c. qui omnes suâ luce influūt in inferiora Ecclesiæ membra, fouendo ea exemplis, illuminando doctrinis: de quibus dixit Christus: *Vos estis lux mundi.* Cæterùm sicut inter astra principatum obtinet Sol, à quo cætera omnia mutuant lumen suum: ita in Ecclesiâ Pontificia Auctoritas, cui ex altera parte respondet Imperatoria, velut Luna. Illa luminare maius, hæc minus: illa præest diei, id est, spirituali Ecclesiæ regimini; hæc præest nocti, id est, sæculari: illa superior, hæc inferior & subiecta superiori, id est, Pontificiæ potestati. Vnde *Apoc.* 12. dicitur Ecclesia, *mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum* 12. qui sunt 12. Apostoli, quasi totidem signa zodiaci, terram totam ambientes, & Christum Solem ad eam vndiq; deferentes. Hinc etiam Innocentius III. Papa ad Constantinopolitanum Imperatorem scribens, ait: *Ad firmamentum cæli, id est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit DEVS duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, qua sunt Pōtificalis auctoritas & regalis potestas. Sed illa que præest diebus, id est spiritualibus maior est, que verò carnalibus, minor*, &c. l. 1. Decretal. tit. 33. cap. solitæ. Rursum Sol illuminat Lunam, non contrà; sic potestas Pontificia instruit & gubernat in spiritualibus, imò & confirmat in sæculari regimine Imperatoriam. Sol obscurare per Eclipsin potest Lunam totam: Luna verò Solem, non nisi ex parte aliquâ, nec adimere ei potest splendorem, sed impedire tantùm eius radios suâ interpositione: sic Pontificia potestas tollere potest regiam dignitatem vni & transferre in alium, vti fecit Leo Papa tertius qui Imperium transtulit à Græcis ad Francos in Carolum Magnum. Contrà Imperator nihil habet imperij in Pontificem. Potest quidem eum nonnihil obscurare persequendo, incarcerando, in exilium pellendo, &c. quod aliquoties factum: sed nequit potestatem ei adimere. Sol in suo splendore stabilis est, Luna verò mutabilis: ita sedes Pontificia inuicta semper manet, & stabilis vsque ad finem mundi: sedes Imperatoria mutabilis est, & varia à Romanis translata ad Græcos, à Græcis ad Francos, ab his ad Germanos. Denique sicut Sol modò ad nos accedit versus septentrionem à solstitio hyberno, modò à nobis recedit versus Austrum, à solstitio æstiuo: ita Pontificia potestas & influentia variat quoad hoc, dum modò lumen Euangelij defert ad hanc, modò ad aliam orbis plagam. Accessit ad nos Germanos, cùm per legatos suos Bonifacium, Rupertum, VVilibaldum, &c. nos Euangelij luce collustrauit: recessit à nobis cùm per hæresin repudiata migrauit ad orbem alterum, Americam, Indiam, Chinam. Quartò, cælum omnibus cōnspicuum est, ita & Ecclesia nequaquam inuisibilis, vti fingunt hæretici, sed conspicua & manifesta est. *In sole enim posuit tabernaculum suum*, id est, in manifestatione Ecclesiā suam, non in occulto, non quæ lateat, vt exponit S. Augustin. in Psal. 18. 4

D. III. Quia de cœlo descendit. TERTIÒ, quia de cœlo descendit, & origi-

nem

nem suam habet, cælo suam fundationem & stabilitatem, suam prædestinationem, suas virtutes, gratiam & merita debet: de cælo Angelorum custodiam, adoptionem filiorum. Sacramenta & Pastores suos habet. Alia regna humana tantùm sunt, nec quidquam præter humanum habent, veluti cùm in reg.bus creantur aliqui Comites: alij Barones, alij Nobiles, alij Præsides vel Quæstores: cùm filij spurij legitimantur: cùm alij titulis, honoribus, priuilegiis donantur, alij infames declarantur, &c. hæc enim omnia annullari & reuocari possunt ab iisdem vel sequentibus Regibus. Ipsi Reges ab hominibus constituuntur & exauctorantur. At verò in Ecclesiâ multa à DEO fiunt omnem virtutem creatam excedentia, vt cùm per Baptismum à peccatis emundamur & spiritualiter renascimur & adoptamur in DEI filios ac velut oues Christi charactere consignamur; cùm per Confirmationem accipimus virtutem ex alto, vt in fide solidemur & roboremur ad eandem retinendam ac tuendam: cùm in Pœnitentiâ absoluimur à peccatis, ita vt in cælo etiam simus absoluti: cùm Manna cælesti pascimur in S. Eucharistiâ; cùm Sacerdotes initiantur & accipiunt potestatem conficiendi corpus Christi & dimittendi peccata, ita vt hâc potestate nequeant spoliari; cùm summus Pontifex infallibili Spiritus sancti assistentiâ ita regitur, vt in rebus fidei decernendis nequeat errare: cùm vinculô indissolubili cõnubia sociantur. Plura numerant Iudæi, quę de cælo habuerunt, beneficia ante captiuitatem Babylonicam, veluti quòd ignis de cælo lapsus absumebat sacrificia; quòd responsa & oracula dabantur è propitiatorio, quòd fulgor gemmarum in rationali Pontificis declarabat euentura, quòd cùm aliquis esset inungendus, deuolabat spiritûs gratia & insiliebat in vnguentum: quæ commemorat S. Chrysostomus *orat. 3. contra Iudæos.* Sed non minora, imò maiora habemus nos Christiani. Nobis enim Christus ipse in Missæ sacrificio de cælo ad nos delabitur. Nobis summus Pontifex oraculum est infallibile in rebus ad fidem spectantibus. Nobis etiam *Spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filij* DEI, vt ait Apostolus ad Rom. 8. cùm nimirum splendent in nobis virtutes, maximè amor DEI & rerum cælestium humilitas & promptitudo ad obediendum DEO, odium ingens peccati, &c. Nobis etiam de cælo ordinantur & vnguntur Sacerdotes, imò & Laici omnes in Baptismo & Confirmatione.

E. IV. Quia ad cælum tendit. QVARTÒ, Quia ad cælum tendit. Nam secundùm vnam sui partem iam ad cælum peruenit, secundùm alteram adhuc eò pergit: sicut cùm vna & eadem supplicatio in parte præcedente iam templum est ingressa, in sequente subsequitur. Vel quo modo populus Hebræus per mare Rubrum incedens, quoad præcedentes emergebat, quoad sequentes ad ripam tendebat: Vel vt vnus & idem exercitus cum aliquot vexillis & militibus iam conscendit murum, cum aliis adhuc pugnat & oppugnat castrum; quò isti peruenerunt, illi peruenturos se sperant, quia regnum pro quo pugnant, iam quasi in manu habent; Vnde ait Dominus: *regnum* DEI *intra vos est Luc.* 17. Hinc Ecclesia nostra militans, illa triumphans dicitur. Spartani à quodam rogati, quantum terræ possiderent? Respondisse feruntur: *Quantum hasti pertingimus* Plut. *in Lacon.* Atqui Ecclesiâ militans hastâ fidei & spei ac pugnâ spirituali contingere & expugnare cælum potest; ergò illud suum esse meritò existimat & vocat regnum suum.

QVINTÒ, Quia vti regnant in cælo beati, sic suo modo Christiani in Ecclesiâ præsenti. Nam primò sicut beati nullis legibus subiecti sunt; quia à DEI voluntate, nec possunt. nec volunt recedere: sic etiam in Ecclesiâ, *iusto lex non est posita*, teste Apostolo 1. *Tim.* 6. Et vt ait ibi S. Chrysostomus: *Iustus non est sub lege, sed supra legem*; quia legem quidem obligantem habet, non tamen cogentem; nam quæ legis & æquitatis sunt, facit vltrò & ex amore, quemadmodum & Beati. Vnde idem Apostolus *ad Gal.* 5. ait: *Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Aristippum interrogauit Dionytius Tyrannus, quid præ ceteris mortalibus eximium haberet Philosophi? Cui Aristippus: *Vt etiamsi omnes leges aboleantur, tamen æquabiliter victuri simus.* Laërt. l. 6. Multò veriùs hoc dicetur de Philosophiâ Christianâ, in quâ *oderunt peccare boni virtutis amore.* Vnde fit vt hoc ipso regnent, dum hoc pacto seruiunt DEO. Serui enim DEI, eiusdem etiam amici sunt. Vnde DEVS facit voluntatem eorum, quemadmodum in Ecclesiâ triumphante, ita & in militante, iuxta id: *Voluntatem timentium se faciet.* V. Quia in ea regnāt Christiani velut in cælo. 1.

Secundò, quia nôrunt seipsos regere & dominari appetitibus suis, iræ, gulæ, superbiæ libidini, auaritiæ, membris item, potentiis & passionibus suis. Vnde S. Augustinus in sententiis sent. 242. ait: *Non caret regiâ potestate, qui corpori suo nouerit rationabiliter imperare. Verè enim dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ.* 2.

Tertiò, quia dominantur mundo & iis quæ in mundo sunt, opibus, honoribus & voluptatibus, per contemptum earum. Vnde *Apoc.* 12. dicitur Ecclesia Lunam, id est, sublunaria & mundana habere sub pedibus, *quia ipsa cuncta temporalia & omnem creaturarum mutabilitatem despicit & pedibus calcat*, (vt ait S. Gregorius 34. *Mor. c.* 12.) item infidelibus, hæreticis & improbis, quos aut conuincunt aut confundunt: rursum dæmoni, morti, persecutioni & quibuscunque tribulationibus; quia superare hæc omnia norunt, ideoque ea despiciunt & rident tanquam ex loco edito vel cælo. Ob has causas sanctus Petrus *ep.* 1. *c.* 2. vocat Christianismum *regale sacerdotium*; ideoque olim baptizatorum capiti corona imponebatur ab Episcopo benedicta, quòd videlicet Reges essent ad DEI familiam & regiam dignitatem euecti, vt scribit Seuerus Alex. *l. de Baptismo.* Propterea etiam inunguntur infantes, quemadmodum & Reges. 3.

G. VI. Quia in terrâ cælestem vitam æmulatur.

Sextò, Quia in terris cælestem vitam agit aut æmulatur saltem militans Ecclesia; certè filios suos ad eiusmodi vitam dirigit & hortatur. Quemadmodum enim nobiles pueri in Chaldæâ de mensâ Regis alebantur, instituebanturque in litteris & linguâ Chaldæorum (scientia autem Chaldæa erat ferè Astrologia) vsque dum apti essent apparere coram rege eique semper assistere, *Dan.* 1. ita & Ecclesia nutrit filios suos in sanctâ Communione de mensâ regis cælestis, in quâ Christvs ipse cibus & deliciæ est beatorum: instituit etiam illos in verâ sapientiâ ad Dei cultum & obsequium, aliasque virtutes, quò nimirum digni fiant assumi ad regiam cælestem: docet eos Astrologiam, contemnere omnia sublunaria, nec sibi in hoc sæculo manentem comparare ciuitatem, sed futuram inquirere; docet eos linguam cælestem, id est, Dei laudem, videlicet in templo ad instar Angelorum, quotidie & penè continuò Devm laudare in hymnis & sacrificiis, item quotidie ter dicere cum beatis: *Sanctus, sanctus, sanctus*, dum trino pulsu matutino, meridiano, vespertino, ad orandum eos hortatur, omnia in laudem & gloriam Dei facere, seruare concordiam & pacem: per omnia Dei voluntatem facere vnde orat quotidie: *Fiat volantas tua sicut in cælo & in terrâ*: vitam monasticam sectari, & ita Angelorum vitam in religione viuere: Denique conuersationem suam in cælo habere, & corde ac desiderio semper in cælo fixum esse.

Quæ cùm ita sint, laudemus inprimis Christum cum sanctis omnibus dicentibus Apocal. 5. *Fecisti nos* Deo *nostro regnum & Sacerdotes & regnabimus super terram.* Deinde operam demus vt ne in hoc regno putrida membra simus, & solo nomine Christiani, ne coronam Christi regiam spuriis gemmis contaminemus; ne nobis aliquandò dicatur: *Filij autem regni eiicientur foras.* O quantum hoc affliget damnatos Christianos, cùm animo reuoluent se iam aliquando fuisse in regno cælorum, Ecclesiâ videlicet, quæ rectissima ad cælum via est eiusque municipium, inde verò cum Lucifero excidisse in infernum? Iam non dubito ampliùs quin mali Christiani profundiùs in infernum cadant & grauiùs damnentur, quia ex altiori loco, ex ipso videlicet regno cælorum cadunt in profundum illud barathrum. Deiicite è turri lapidem molarem, vel campanam: nonne in terram profundiùs cadet, quàm si de curru caderet? Ergo, &c.

CONCIO II.

Incrementum Ecclesiæ.

1. *Creuit Ecclesia viris Apostolicis.*
2. *Variis Ordinum statibus.*
3. *Legibus & censuris.*
4. *Sacris ceremoniis in Ecclesia adhiberi solitis.*
5. *Scientiis & Doctrinis.*
6. *Viris sanctis.*
7. *Virtutibus & earum operibus.*

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis Matth. 13.

A. Varias expositiones huius parabolæ adducunt SS. Patres, quæ quoniam inter se non pugnant, sed ferè in idem coëunt, omnes debent cum veneratione suscipi. S. Hilarius, Ambrosius, Gregorius per regnum cælorum & granum sinapis Christum intelligunt. S. Chrysostomus Ecclesiam. S. Augustinus fidē, S. Hieronymus prædicationē Euangelij. Omnes hæ explanationes sibi cognatæ sunt & à se inuicem dependent. Placet inter illas sententia Chrysost. *hom.* 48. *in Matth.* qui per granum sinapis Ecclesiam intelligit. Quemadmodum enim granum sinapis in se minimum, in arborem excrescit altiorem omnibus herbis: ita & Ecclesia è minimo exordio creuit in regnum omnium amplissimum, toto orbe diffusum. Deinde quemadmodum granum sinapis multa & varia corpora virtute in se continet; vt lignum, corticem, ramos, virgas, folia, flores, fructus: (siquidem feminatum hæc omnia ex se gignit) ita & Ecclesiæ regnum in suo exordio humile, paruum & contemptum sensim creuit, & ingentes fructus protulit, non dissimiles illis, quos in grano sinapis contineri diximus. Eos verò nunc contemplabimur.

B. I. Creuit viris Apostolicis.

Granum sinapis virtute in se continet, Primò, stipitem arboris seu lignum, in quod excrescit. Ita & Ecclesia continet in se viros Apostolicos, in fide firmissimè solidatos, robore duriores, qui ad quæuis aduersa infracti, ad quæuis martyria sustinenda imperterriti sunt; Prælatos & Pastores, scientiâ & virtute præcellentes, qui infirmiores alios fideles veluti ramos suo robore sustentāt, & succo doctrinæ atque exempli sui pascunt, adeoq; totum Ecclesiæ corpus sustinēt, fundati in radice Christo. Fuerunt autē Ecclesiæ necessarij tales viri, qui potestatem Iurisdictionis haberent ad fideles gubernādos, ad prædicandum Euangelium, ad Sacramenta dispensanda, &c. non minùs, quàm ouili necessarij sunt pastores ad hoc deputati; tum ne, si cuiuis se ad concionandum & Sacramenta dispensanda ingerenti credere oporteret, essemus sicut paruuli fluctuantes & *circumferremur omni vento doctrina, in nequitia hominum, in astutiâ, in circumuentione erroris.*

tum

tum vt cibum Verbi DEI Ecclesiæ filiis paruulis frangerent, præmanderent & distribuerent. Submisit porrò Christus paulatim huiusmodi viros Ecclesiæ suæ maiore numero, & ita quidem vt non modò ciuitates illis abundent, verùm etiam pagi omnes populosiores suis instructi sint pastoribus & concionatoribus per vniuersam Ecclesiam, iisq; pulcherrimo ordine sibi inuicem subordinatis, ita vt omnes ab Ecclesiæ capite dependeant, & in eius fide & obedientiâ inter se connexi sint. Ex quo & illud fit, vt nemini facile sit ingerere se in opus pastorale absq; legitimâ missione: aut errores seminare: quandoquidem à superiore Magistratu citò deprehenduntur & corripiuntur isti lupi. Atq; vt de nostrâ solâ Germaniâ aliquid dicam: Habet ea quatuor Nuncios Apostolicos, septem Archiepiscopos, quibus vniuersim subiecti sunt plusquam quadraginta Episcopi, demptis iis qui immediatè subsunt Rumano Pontifici, & qui aliis Archiepiscopis extra Germaniam sitis. Horũ singuli Episcopi multis præsunt Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Decanis. Hi compluribus parochis, qui ita cõmodè per omnes terras diuisi sunt, vt nulla reperiatur ouicula, quæ suum nequeat demonstrare pastorem. Ad hos igitur viros attendit peculiari curâ Ecclesia, vt sint (contra quàm hæretici) nubes aqua cælesti sapientiæ plenæ ad irrorandos fideles, sint arbores non bis mortuæ, sed bis viuæ, duplici vitâ, fidei & charitatis; nec sint contenti foliis verborum, sed fructus etiam proferant bonorum operum: non sint mare turbatum, sed tranquillum: non sydera errantia, sed fixa in fidei petrâ, & sint velut stellæ polares ad aliorum directionem. Creuit denique in bis Ecclesia, non solùm numero sed etiam robore, dignitate & potentia in summis Pontificibus & Episcopis, ita vt ipsi suis operibus & viribus defendere queant Ecclesiam contra eius hostes; siquidem Episcopi in multis nationibus sunt, etiam Principes in temporalibus. Huc respexit Zacharias c. 9. dicens: *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & reuertentes, & non transibit supra eos vltra exactor.*

C. II. Ordinum statibus variis. SECVNDÒ, Ramos permultos. Hi verò sunt varij ordinum status seu religiones, earumque Fundatores magno numero & varietate institutorum & regularum, ad scopum perfectionis collimantium. Hi ordines Ecclesiam velut rami arborem miro modo exornant atq; iuuat. Ornant quidem, dum sublime vitæ genus, quod quæuis impedimenta perfectionis remouet & ad Christi imitationem proximè accedit, sectâtur, eique se ex voto adstringunt, in eo pares omnes, quod trium Consiliorum, Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ professionem faciunt: in alio varij & dispares, quòd singuli se ad specialia quædam consilia obligant, quidam strictissimè silentium colunt, vt contemplationi ac diuinis laudibus commodiùs vacent, cum Moyse in monte orantes pro bis qui instar Iosue in campestribus præliantur: Alij contemplationi actiunem iungunt, & variis se misericordiæ corporalis & spiritualis operibus ad proximorum solatium & profectum dicant; horum quidam curandis & fouendis ægris toto studio deseruiunt: alij stipem pro redimendis captiuis corradunt: alij Sacramenta administrant, concionantur, docent, hæreticorum & infidelium conuersioni incumbunt & ob hæc in remotissimas etiam orbis partes nauigant: Alij vigiliis, alij ieiuniis, & abstinentia à carnibus, alij ciliciis & asperiore vestitu solertiùs se castigant. Iuuant verò Ecclesiam, dum à mille curis liberi proficiunt in virtutibus & ita suo exemplo sæculares ædificant: suis precibus defendunt: suis doctrinis & concionibus erudiunt, conuertunt & ad virtutem stimulant. Vbi enim plures sanctos inuenire est, quàm in domibus religiosis & monasteriis? Vbi qui plures vtilissimos libros conscripserint, infideles conuerterint, hæreticos ac schismaticos contuderint, quàm in monachorum claustris? Vnde sanctissimi quique Episcopi & Pontifices nisi ex religiosorum cœtibus assumpti? Ad hos igitur innumeræ auiculæ vndique aduolarunt, vt in iis requiem, vmbram & tutelam à mundi prædonibus inuenirent. In his nidum sum posuerunt, sanctorumque operum fœtus excluserunt: in his velut auiculæ diu noctuque cantillârunt, horarias scilicet laudes & preces. Porrò bi rami omnes inter se connexi & copulati sunt, non fide humanâ, amore naturali & lege ciuili, quemadmodum resp. & familiæ politicæ: sed fide diuinâ, charitate supernaturali & legibus canonicis.

TERTIÒ, Complures palmites & virgas è ramis prodeuntes. Tales autem sunt in Ecclesiâ Leges & Censuræ, quibus paulatim magis & magis aucta, & intra pietatis ac iustitiæ limites contenta est, maximo suo bono & ornamento. Sciendũ enim Ecclesiam similem esse regno. In omni autẽ regno & republ. bene ordinatâ necessarium est præter legem naturalẽ alias quasdam leges peculiares esse ad singulorum statuum & ordinum directionem, vt omnia debitè, tranquillè & ordinatè fiant; (cuiusmodi fuisse aulâ Salomonis ob leges singulorum officialium exactissimas, non est dubium.) Quare in Ecclesiâ etiam præter legem Euangelicam quæ generalis est oportuit alias particulares esse, vt omnia rectè fierẽt. Deinde quia Christiani sæpè officij sui penitus obliuiscuntur, eius commonendi erant, & ad viam debitis præceptis reducendi, nec non pœnis & censuris cogendi. Profecit igitur in his paulatim magis Ecclesia operante Spiritu sancto & dirigente præsides Ecclesiæ vt sanctis huiusmodi legibus vndique vallaretur, atque in vigorẽ suo virtutumq; studio conseruaretur. Etenim præcepta Ecclesiæ non tam nouum onus imponunt, quàm tempus, quo diuinum præceptum impleri debet, determinant. In primis enim certum est, aliquando iure diuino cultui DEI vacandum esse: cùm autem eodem iure tempus non sit determinatum, necesse fuit illud ab Ecclesiâ determinari, quæ Dominicam & festos dies sanctificari iussit. Secundò, iuris D. III. Legibus & censuris. quo-

paternæ hæreditatis, &c. quod licet eis obesse potiùs quàm prodesse videatur, proderit tamen in fine cùm hinc emigrandum erit.

7. Septimò Esau duxit vxores alienigenas eoque facto parentes suos grauiter offendit; Iacob verò duxit vxores de cognatione suâ iuxta votum parentum. Ita mali malos sibi adsociare student vt magis noceant, in quo Deum & Ecclesiam magnoperè offendunt. Dicebat Rebecca: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth.* Quia scilicet Esau duxerat eas in vxores. Simili modo dolet Ecclesia, cùm alter alterum seducit. Boni se bonis iungunt & in hoc Deum & Ecclesiam lætificant. Videat nunc vnusquisq; vtram sequi partem velit, vtri adhærere fratri. Vtiq; qui sapit, Iacobo adhærebit, &c.

CONCIO VIII.

Mysteria.

1. *Assignatur primò scopus huius parabolæ, quæ ostendit Deum non esse mali Authorem, perpetuum esse bellum diaboli cū Christo &c.*	4. *Quis ager.*
2. *Quæritur quis sit bonus, & quis malus seminator.*	5. *Qui dormientes.*
3. *Quis triticum, qui zizania.*	6. *Quinam sint serui patrisfamiliæ.*
	7. *An liceat hæreticos occidere.*
	8. *Quomodo periculum ne cum zizaniis eradicetur triticum.*
	9. *Quid alligare in fasciculos.*

THEMA.

Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Matth. 13.

A. Finxerunt olim Poëtæ (Ouid. *lib. 6. Metamorph.*, puellam quandam nomine Arachnem arte textrinâ celebrem eò se extulisse vt cum Pallade Deâ sapientiæ & inuentrice artiū in certamen descendere & artificio contendere auderet. Sed cùm non nisi obscurum quendam cæli arcum pingeret: Pallas verò dees cælestes pulcherrimo artificio & suis coloribus texeret: Arachne à Pallade radio percussa, mutata est in araneā & pendula in aëre relicta vt telas aranearum texeret ad muscas capiendas. Depingit nobis fabula hæc certamen Luciferi cum Deo. Cùm enim et similis esse contenderet, turpissimam in cælo telam, peccatum texuit. Vnde è cælo deiectus aërem nunc infestat & laqueis tentationum suarum homines, velut aranea telis suis muscas, captat. Hoc idem est, Auditores, quod audiuimus in hodierno Euangelio. Bonus enim Sator, qui triticum seminauit, Devs est: Malus verò, qui superseminauit zizania, diabolus. Quod nunc expendemus.

B. I. Quis parabolæ scopus. Q. Prima. Quis est scopus huius parabolæ? Resp. Parabolam ostendere Primò Devm non esse mali auctorem, sed diabolum. Vnde confutantur Caluinus & Lutherus ac Melanchtun qui peccata etiam Deo velut auctori adscripserunt. Secundò, perpetuum esse bellum & æmulationem diaboli in Christum: vt dum Christus homines bonos facit, faciat ipse malos. Tertiò, In Ecclesia semper malos fore inter bonos. Vt ita nemo miretur, si verbum Dei sæpè in terram malam ceciderit, quod paulò antè in aliâ dicebatur parabolâ.

C. II. Quis bonus & quis malus seminator. Bonus. Q. Secunda. Quis homo seminator boni seminis: & quis inimicus homo, seminator mali? Resp. Ipsemet Christo explicante: *Qui seminat bonum semen, est filius hominis.* Primò quidem cùm creauit hominem perfectum. Deinde & peculiari ratione cùm in sterilem hunc mundum velut in agrum, rusticano sagu naturæ humanæ indutus & linteo virgineæ carnis præcinctus se dimisit, & agrum hunc sudore, lachrymis & sanguine suo excoluit ac ligone crucis proscidit. Vnde miratur Ieremias c. 14. *Quare quasi colonus futurus es in terra?* Cui respondetur ex hodierno Euangelio; quia venit seminare semen bonum, siquidem ager mundi operâ diaboli penè totus repletus erat vrticis & zizaniis. Christus eum proscidit & inuertit, dum bonorum, opum & voluptatum cupiditates sepeliuit, amorem verò contemptus, paupertatis, tribulationum in lucem produxit & hominibus commendauit.

Malus. Porrò inimicus homo, qui seminauit zizania, est diabolus, inquit Dominus. Inimicus quidem Dei, quia ab eo detrusus in infernum; Christi, quia ab eo iudicandus; Hominum, quia inuidet illis sedem & gloriam cæli, à quâ ipse excidit. Homo verò dicitur, tum quia hominum ingenijs & desiderijs se accommodare solet cum eos tentat, tum quia hominum operâ ad seducendos homines, tanquam suis instrumentis vtitur.

Seminat hic zizania, id est, homines malos, quia ex bonis tales efficit suis consilijs, rebus & persuasionibus. Laborat Christus vt faciat homines triticum: laborat dæmon vt faciat eos zizania.

D. III. Qui triticū, qui zizania. Q. Tertia. Qui sunt semen bonum seu triticum: qui zizania? Respondet Christus: *Bonum semen hi sunt filij regni. Zizania autem filij sunt nequam.* Boni seu filij regni, id est, hæredes cæli, semen bonum & triticum vocantur, quia hic fructus bonos faciunt & crescunt in virtutibus, vt tandem panis mundus & candidus fiant Deo beneplacens. Vnde S. Ignatius dicebat: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Secundò, quia in mundo seminis instar crescere & maturescere, interim tamen multis agitari tempestatibus debent.

Zizania. I. Zizania vocantur filij nequam. Primò quia vt illa succum penè omnem ad se trahunt & suffucant vicinum semen bonum: ita & mali in mundo omnia penè commoda ad se rapiunt, bonisque abstrahunt. Secundò, quia vt zizania variorum colorum flores sunt, qui pueris quidem placent, sed displicent agricolis, quia farinam nigram præbet & inutilem: ita qui bono-re,

re, vestitu & opibus florent, mundo quidem
placent, sed non item DEO. Tertiò, quia vt
zizania in pabulum brutorum tantùm cedunt:
Speciatim hæresis. sic mali in escam dæmonum: *Mors depascet eos,*
& semper in æternum ruminabit. In specie ve-
1. rò tales sunt hæretici secundùm Augustinum
2. & alios: Primò, quia post bonum semen, id
est, post Catholicos primùm seminati prodie-
runt: Secundò, quia sicut zizania (Ertwalh)
dicuntur hominem reddere quodammodo e-
brium, vel insanum: sic facit & hæresis. Quan-
ta enim est insania sibi vni plus credere, quàm
Ecclesiæ, & tot sanctis Patribus, & iactare se
solùm videre, quod à tot sæculis nemo anteà
vidit? Tertiò, quia non tam altè excrescunt,
3. vt semen bonum: sic hæretici terræ affixi.
Quartò, quia radicibus implicant se tritico,
4. ne euelli possint: ita quoque hæretici immi-
scent se Catholicis.

E. IV. Quis ager. Q. QVARTA. Quis ager? *Ager est mundus*, ait Dominus. Ager nimirum ille, qui non solùm ab ipso creatus est, sed etiam qui sanguine eius emptus: Vnde vocat eum agrum suum. Agro verò comparatur mundus. Primò, quia totus terranus est, & vix in eo ambulari potest, vt sordes non contrahantur. In cælo plateæ sunt ex auro & parietes è lapidibus pretiosis, vti Ioannes ait *Apoc.* 21. Sed mundus ager est luto stratus. In hoc agro omnes quotquot sumus, sepeliemur peregrini: vt verè mundus aliud non sit quàm commune cœmeterium. Secundò, quòd pro ratione culturæ fructus profe-rat. Si bene ac sedulò colueris portionem tuam, quam habes in hoc agro, multum fructum afferet; sin verò malè, pariet tibi vrticas & zizania.

F. V. Qui dormientes. Q. QVINTA. Qui sunt homines dormientes? Non explicauit hoc Dominus. Resp. ergo primò esse eos, qui otio se dant & in bonis
propositis torpent ac cessant bene agere. Vnde
1. Epiphan. hæres. 66. *Cùm nos*, inquit, *obdormierimus à bonis operibus, cùm neglexerimus iustitiam, cùm mentem nostram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc seminamus peccata.* Sic cùm cessamus ab oratione quotidianâ, frequentatione Missæ & sacramentorum, &c. Tunc aditum dæmoni patefacimus. Secundò, esse
superiores & Prælatos, qui ex officio cùm vi-
2. gilare pro subditis deberent, non vigilant. Qualis Gallio ille proconsul, qui causam litigantium non curabat, nec puniuit eum, qui ante tribunal alterum cecidit *Act.* 18. Potest etiam intelligi per hunc somnum seu tempus nocturnum, ipsa DEI permissio. Ex quo enim abijt in cælum, videtur nunc dormire & permittere mala, quæ fiunt instigante dæmone.

G. VI. Qui serui patrisfamilias. Q. SEXTA. Quinam serui patrisfamilias, qui monuerunt eum de zizanijs ortis & eradicandis? Nec hoc expressit Dominus, neque necessarium est ad rem accommodare omnia, quæ dicuntur in parabolis: Cuius rei exemplum dat Augustinus *l.* 16. *de Ciuit. c.* 2. *Solo vomere,* inquit, *terra proscinditur: sed vt hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria.* Inducuntur ergo hi serui, vt occasionem haberet paterfamilias docendi eos patientiam & mandandi illud: *Sinite vtraque crescere.* Quamquam per illos intelligi pij fideles possunt, DEI zelo præditi, qui cùm tot mala patrari ab impijs ad DEI & piorum iniuriam vident, desiderant eos tolli; quo modo Boanerges illi dicebant: *Domine vis dicimus, descendat ignis de cælo & consumat illos? Luc.* 9. Et Apostolus ad *Gal.* 2. *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.*

Q. SEPTIMA. Licétne hæreticos occidere? Respondeo SS. August. & Chrysostomum existimasse non licere, quòd id colligi videretur ex hoc loco: *Non, ne fortè eradicetis, &c.* Sed nihil obstat hic locus: (nam ad literam non hæretici tantùm, sed omnes reprobi vocantur zizania) ex quo sequeretur neque fures, maleficos, homicidas, &c. occidendos esse, quod est contra DEI mandatum: *Maleficos non patieris viuere. Aufer malum de medio populi, &c. Deut.* 31. *Exod.* 22. Deinde ex his Christi verbis solùm colligitur, tunc non eradicanda zizania, cùm periculum est, ne simul eradicetur & triticum, vti senserunt S. Hieronymus in eum locum tom. 9. Et August. *l.* 3. *contra ep. Parmen. c.* 2. qui & retractauit priorem sententiam *l.* 2. *retract. c.* 5. Cùm ergo tale periculum non est, sed potiùs id tritico salutare est, licebit. Denique verbis his non prohibetur huius vel illius mali aut malefici eradicatio: Sed omnium vniuersim malorum, qualis non fiet ante iudicium. Ostenditur itaque sola DEI prouidentia, quæ tolerat malos inter bonos in hoc mundo vsque ad tempus. Dici etiam potest, verba patrisfamilias non fuisse directa ad Magistratus, quorum est punire flagitia: sed ad seruos tantùm suos, qui priuatâ auctoritate & zelo volebant insurgere in zizania & de medio tollenda; quod fas non est. H. VII. Licétne hæreticos occidere.

Occidi autem & comburi quidem hæreticos iubet lex Cæsarea, *Quicunque C. de hæret.* Dicit etiam Tertull. Scorpiaci c. 2. *Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda hæresis.* Quòd si ex veteri lege Sacerdotis filia in fornicatione deprehensa flammis exurebatur, quòd violâsset nomen patris sui, *Leuit.* 21. non immeritò idem statuit lex Cæsarea faciendum animæ, quæ cùm sit Christi summi Sacerdotis filia, fornicatur à vera fide ad falsam transeundo. Sic miles qui sacramentum duci suo præstitit, si ad hostem transfugit, morte dignus est & plecti potest: non item qui semper hostili ex parte stetit. Vulpes Samsonis colligatæ ignem in caudâ habentes segetem incenderunt & simul perierunt: ita & hæreticis segetem Ecclesiæ vastantibus debetur ad finem ignis, vt docet Augustinus *serm. de Sams.* Quantum ignem excitat vel vna hæreseos scintilla, nisi mox opprimatur? *Igitur & scintilla*, ait Hieron. super epist. ad Galat. cap. 5. *statim vt apparuerit extinguenda est; & fermentum à massa vicinia remouendum; secanda putrida carnes; scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est,*

totum

totum orbem eius flamma populata est. Sic. Hier.

I. VIII. Quomodo periculum ne cum zizanijs eradicetur triticum.

Q. OCTAVA, Cùm zizania soleant ac possint eradicari, quomodo periculum esse dicit paterfamilias, ne simul cùm zizaniis eradicetur & triticum? Resp. Primò, quia si omnes mali tolli deberent, periculum foret, ne interdum ex errore etiam pro & cum malis boni tollerentur; sicuti cùm in Hispania plebs furiosa non solùm hæreticos Priscillianistas, sed multos etiam Catholicos perdidit anno 386. hæresin magis pallore faciei & vestibus, quàm verbis ac confessione metiens, vt inquit Sulpitius *dialog. 3. de S. Martino cap. 15.* Secundò, quia si trucidarentur omnes mali atrox & irreuocabile bellum interretur orbi, vbi & bonis plurimis pereundum esset. Tertiò, quia periculum foret, ne boni scandalizarentur ob tam rigidam & vniuersalem in impios vltionem, quibus amicitiâ & sanguine iuncti sunt. Quartò, quia probi multi nascuntur ex improbis; vnde qui hos sustulerit etiam illos tollet. Quintò, quia vt ait S. Augustin. *ser. 46. de diuersis, fieri potest, vt qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum.* Sextò, quia impij sanctos exercent & quodammodo faciunt. Tolle impios tyrannos, & Martyres non erunt. Vt ergo rosæ iuxta alia fiunt fragrantiores, vt scribit S. Gregorius: ita boni iuxta reprobos. Messis tempus cur iudicij diem designet, diximus alibi.

In Dom. 1. Aduēt.

K. IX. Quid alligare in fasciculos.

Q. NONA. Quid sibi vult illud: *Alligate ea in fasciculos,* &c. Resp. significare. Primò, pares cum paribus in iudicio congregandos & in ignem mittendos. Vnde S. August. *serm. 39. de sanctis,* ait: *Ligate fasciculos, hoc est, rapaces cum rapacibus: adulteros cum adulteris: fornicatores cum fornicatoribus: homicidas cum homicidis: auaros cum auaris: iracundos cum iracundis: falsos testes cum falsis testibus: fures cum furibus: similes cum similibus: Hi sunt fasciculi ad comburendum, &c.*

1.

2. Secundò, secundùm Euthymium, *ostendit sermo,* inquit ipse, *quòd ij, qui in eodem peccato communicant, etiam in supplicio communicaturi sunt eodem, &c.* Sic vsurarius, & vxor se ex vsuris vestiens, liberi inde splendidè viuentes: in fasciculum. Sic epulo & potator, & hospites qui instigarunt, & socij qui comessati sunt, & fidicines qui admodulati sunt, & parasiti qui arriserunt, & parentes qui pecunias dederunt; in fasciculum. Filia superbè ornata, & mater quæ ornauit, & iuuenis qui adamauit, & ancilla quæ suasit, & pater qui non correxit, & Concionator qui non redarguit: in fasciculū. Filius iniusta bona possidens, & parentes qui reliquerunt, & filij quibus reliquit, & vxor quæ adiuuit, & Confessarius qui non correxit; in fasciculum. Huc pertinet illud Ecclesiastici 21. *Stipula collecta Synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.* Stipulæ enim colligatæ fortiùs ardent, & se mutuo accendunt; ita complices in inferno complicati in fasciculos. Nónne adulter & adultera statuti ante fores Ecclesiæ cum cereo & virgâ sibi mutuo pœna sunt & supplicium?

3. Tertiò. Secundùm Theophylactum, significat alligandos esse damnatos, ne ampliùs operari possint.

4. Quartò, significat damnatorum constrictionem & compressionem: siquidem tot milliones hominum in centro terræ conclusi erunt.

Iusti vicissim congregabuntur in horreum Christi, id est, cælum. Hi venient ad fasciculum viuentium, id est, cœtum beatorum. Iudæi passim tumbis mortuorum amicorum inscribebant: *Anima eius sit in fasciculo viuentium,* Vt dicitur in libro, qui inscribitur: Precationes Iudæorum. Id verò significat beatos sedulò conseruari à DEO & custodiri, vt patet, 1. Reg. 25. *Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum,* addit Dominus. Quemadmodum fasciculus florum in manu semper tenetur & naribus subinde applicatur, &c. Sic etiam seruabuntur sancti à Christo. Quare tempestiuè quilibet oculos aperiat, & quid eligat, videat. Non enim frustrà addidit Dominus vltima hæc verba. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Pendet enim ab hâc nostrâ electione salus & perditio sempiterna.

DOMI-

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Euangelium Matthæi 13.



IN illo tempore, dixit IESVS turbis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum grano finapis, quod accipiens homo feminauit in agro fuo; quod minimum quidem est omnibus feminibus: cùm autem creuerit maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis; fimile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abfcondit in farinæ fatis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est IESVS in parabolis ad turbas, & fine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abfcondita à constitutione mundi.

CONCIONES.

I. *Militans Ecclesia cur vocetur regnum cœlorum.*
II. *Incrementa Ecclesiæ.*
III. *Regnum Christi quantum alia regna fuperet.*
IV. *Quibus modis ac mediis fides propagata fit.*
V. *Caufa propagationis hærefum nostri temporis.*
VI. *Multiplex verbi Dei auditi fructus, & non auditi damnum.*
VII. *Documenta.*
VIII. *Mysteria.*

CONCIO I.

Militans Ecclesia cur vocetur regnum cœlorum.

1. *Quia Regem cœlestem habet Christum.*
2. *Quia fimilis est cœlo quoad multa.*
3. *Quia de cœlo defcendit, & originem fuam habet.*
4. *Quia ad cœlum tendit.*
5. *Quia in ea regnant Christiani, vti beati in cœlo.*
6. *Quia in terris cœlestē vitam æmulatur.*

THEMA.

Simile est regnum cœlorum grano finapis Matth. 13.

GEnefis 2. legimus Adamo hanc à DEO potestatem factam, vt pro inditâ fibi fapientiâ omnibus animalibus quæ funt fuper terram, nomina imponeret; *& quod vocauit Adam, ipfum est nomen eius*, ait facer Textus. Cæterùm vt Adam primus rebus naturalibus, ita fecundus Adam noster Christus rebus quæ fupra naturam funt, fua indidit nomina pro fuâ fapientiâ & potestate. Quare quod ipfe vocauit, ipfum debet effe nomen eius. Porrò in hodierno Euangelio Ecclefiam militantem vocat Christus manifestè regnum cœlorum: *Simile est regnum cœlorum grano finapis.* Ita eandem appellauit in Dominicâ quintâ post Epiphan. proximè elapsâ; ita eam rurfum appellat in Dominicâ Septuagefimæ mox fequente. Hoc igitur est & effe debet verum & genuinum Ecclefiæ nomen, quod Christus ei dedit. Videtur mihi Ifaias hoc idem prædixiffe c. 62. ad Ecclefiam loquens: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Et quodnam illud? Sequitur mox: *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu* DEI *tui* q. d. euehet te ad dignitatem coronæ & regni fui, quo coronatur in cælis, & ita faciet ac vocabit te regnum cælorum. Magna dignitas Ecclefiæ & *gloriofa dicta funt de te ciuitas* DEI. Quàm verò congruenter fic vocetur Ecclefia, nunc difcutiemus.

Primò, Quia Regem habet Regem cælorū Christum adeoq; eundem illum quem habent in cælo beati. Sic enim testatur ipfe: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ* Matth. vlt. Item quia Ecclefia triumphans militanti annexa est & incorporata. Vtrobiq; Christus præfens est, ibi in gloria, hic in Eucharistiâ. Idem tributum ei pendimus, charitatem, nifi quòd nos prætereà fidem & fpem addere debeamus; tametfi cum differentiâ: nam beati habitant cum Christo, quafi in metropoli, vallis & præfidiis optimè munitâ: Ecclefia verò militans quafi in fuburbio vel aliis regni pagis, oppidis, vrbibus. In his enim rex videtur rariùs & velut in trāfcurfu, nec in fuâ maiestate, fed vel veste indutus venatoriâ, vel peregrinâ: in his ædificia humilia & fragilia, victus & vestitus incolarum vilis, in his omnia aperta hostibus & intuta funt atque immunita. In metropoli verò regiâ, videtur rex perpetuò, & quidē in fuâ gloriâ: ædificia omnia fplendent, vti & victus atq; amictus ciuiū omniaq; tuta fūt, mœnibus &

B. I. Quia regem cœlestem habet.

& vallis cõmunita. Simili modo videtur quidem sæpè Rex noster in suburbio vel pago Ecclesiæ militantis in SS. Eucharistia, sed nec semper nec eâ specie, quam ostendit beatis in cælis, nec eo modo; quia per fidem tantùm. Beati autem in Ecclesia triumphante vident DEVM semper, vident eum in gloriâ suâ, vidẽt facie ad faciem. Rursum hîc habitamus in domibus tantùm luteis & lapideis quasi in tuguriu rusticano, ex limo & lignis compacto, lutea vasa portantes: beati verò *in domo non manu factâ æternâ in cælis*, vt ait Apostol. 2. Cor. 5. Victus etiam & vestitus noster vilis & rusticanus est. Pascimur quidem verbo Dei & SS. Eucharistiâ: sed non cum eâdem lautitiâ, nec cum eodem gustu, quemadmodum beati quibus ipsa Dei visio omnes delicias & voluptates præbet. Vestimur Dei gratiâ velut arrhâ tantùm & pignore gloriæ, virtutibus etiã; sed his imperfectis. Taceo sordes peccatorum, quæ nemini nõ adhærent: at beati omnes fulgent veste gloriæ, omni virtute splendent, nihil in illis sordidum aut coinquinatum, quia vt scribit Ioannes Apoc. 21. *nihil coinquinatum intrat* in ciuitatem cælestem. Ad hæc omnes nos in hoc suburbio vel pago Ecclesiæ militantis habitamus immuniti contra hostes, mortem, carnem, mundum, dæmonem, peccatum: omnia hic intura sunt & hostibus nostris peruia; hinc clades quotidianæ; quotidie enim morimur, quotidie labimur, quotidie vincimur & prosternimur: modò habemus, modò non habemus. At in metropoli triumphantis Ecclesiæ, omnia munita, omnia tuta sunt; *quoniam confortauit seras portarum tuarum*, inquit Dauid Pf. 147. *benedixit filiis tuis in te*. Ibi omnes securi & benedicti sunt. Ecclesia quidem militans præualebit potis inferi, quia Christus Rex tuetur eam, velut regni sui partem alteram: sed patitur interim plurimas molestias & vexationes à plurimis eius hostibus etiam internis. Multi in eam intrant mali, multi ex eâ deficiunt boni: ciues cum rusticis admixtos habet, quia alij cælestia, alij terrena tractant, quærunt, amant. In cælo omnes politici & aulici sunt, summa ac cælestiâ tantùm bona tractantes. Hîc nos velut rustici crassam DEO reuerentiam facimus, crassis moribus & rudi linguâ vtimur: ibi omnia cultè, doctè & ornatè fiunt.

C. II. Quia similis cælo. SECVNDÒ, Quia Ecclesia militans quoad multa similis est cælo, quod videmus. Nam primò excelsa est instar cæli, quod fidei mysteria, quæ suo intellectu nemo penetrare potest; quemadmodum & cælum nemo digito
1. tangere, qualiscunq; gigas sit. Secundò, magna
2. & amplissima est per totum orbem terrã mariq; diffusa, vnde à quatuor plagis mundi dicitur congreganda: quemadmodum & cælum totam terrã ambit, & luce sua collustrat. Ter-
3. tiò, fulget suis syderibus, quemadmodum & cælum. Habet enim solem, Pontificiam auctoritatem: habet lunam, Imperatoriam potestatem: habet duodecim signa zodiaci, 12. Apostolos, habet sydera alia maiora & minora, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Præpositos, Abbates, Pastores, Doctores, &c. qui omnes suâ luce influũt in inferiora Ecclesiæ membra, fouendo ea exemplis, illuminando doctrinis: de quibus dixit Christus: *Vos estis lux mundi*. Cæterùm sicut inter astra principatum obtinet Sol, à quo cætera omnia mutuant lumen suum: ita in Ecclesiâ Pontificia Auctoritas, cui ex altera parte respondet Imperatoria, velut Luna. Illa luminare maius, hæc minus: illa præest diei, id est, spirituali Ecclesiæ regimini; hæc præest nocti, id est, sæculari: illa superior, hæc inferior & subiecta superiori, id est, Puntificiæ potestati. Vnde Apoc. 12. dicitur Ecclesia, *mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum 12.* qui sunt 12. Apostoli, quasi totidem signa zodiaci, terram totam ambientes, & Christum Solem ad eam vndiq; deferentes. Hinc etiam Innocentius III. Papa ad Constantinopolitanum Imperatorem scribens, ait: *Ad firmamentum cæli, id est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit DEVS duo luminaria magna, id est duas instituit dignitates, qua sunt Pôtificalis auctoritas & regalis potestas. Sed illa qua præest diebus, id est spiritualibus maior est; qua verò carnalibus, minor*, &c. l. 1. Decretal. tit. 33. cap. solitæ. Rursum Sol illuminat Lunam, non contrà: sic potestas Puntificia instruit & gubernat in spiritualibus, imò & confirmat in sæculari regimine Imperatoriam. Sol obscurare per Eclipsin potest Lunam totam: Luna verò Solem, non nisi ex parte aliquâ, nec adimere ei potest splendorem, sed impedire tantùm eius radios suâ interpositione: sic Pontificia potestas tollere potest regiam dignitatem vni & transferre in alium, vti fecit Leo Papa tertius qui Imperium transtulit à Græcis ad Francos in Carolum Magnum. Contrà Imperator nihil habet imperij in Pontificem. Potest quidem eum nonnihil obscurare persequendo, incarcerando, in exilium pellendo, &c. quod aliquoties factum: sed nequit potestatem ei adimere. Sol in suo splendore stabilis est, Luna verò mutabilis: ita sedes Pontificia inuicta semper manet, & stabilis vsque ad finem mundi: sedes Imperatoria mutabilis est, & varia à Romanis translata ad Græcos, à Græcis ad Francos, ab his ad Germanos. Denique sicut Sol modò ad nos accedit versus septentrionem à solstitio hyberno, modò à nobis recedit versus Austrum, à solstitio æstiuo: ita Pontificia potestas & influentia variat quoad hoc, dum modò lumen Euangelij defert ad hanc, modò ad aliam orbis plagam. Accessit ad nos Germanos, cùm per legatos suos Bonifacium, Rupertum, VVilibaldum, &c. nos Euangelij luce collustrauit: recessit à nobis cùm per hæresin repudiata migrauit ad orbem alterum, Americam, Indiam, Chinam. Quartò, cælum omnibus conspicuum est, ita & Ecclesia nequaquam inuisibilis, vti fingunt hæretici, sed conspicua & manifesta est. *In sole enim posuit tabernaculum suum*, id est, in manifestatione Ecclesiã suam, non in occulto, non quæ lateat, vt exponit S. Augustin. in Psal. 18. 4

D. III. Quia de cælo descendit. TERTIÒ, quia de cœlo descendit, & origi-

nem suam habet, cælo suam fundationem & stabilitatem, suam prædestinationem, suas virtutes, gratiam & merita debet: de cælo Angelorum custodiam, adoptionem filiorum. Sacramenta & Pastores suos habet. Alia regna humana tantùm sunt, nec quidquam præter humanum habent, veluti cū n à reg.bus creantur aliqui Comites: alij Barones, alij Nobiles, alij Præsides vel Quæstores:cùm filij spurij legitimantur: cùm alij titulis, honoribus, priuilegiis donantur, alij infames declarantur, &c. hæc enim omnia annullari & reuocari possunt ab iisdem vel sequentibus Regibus. Ipsi Reges ab hominibus constituuntur & exauctorantur. At verò in Ecclesiâ multa à DEO fiunt omnem virtutem creatam excedentia, vt cùm per Baptismum à peccatis emundamur & spiritualiter renascimur & adoptamur in DEI filios ac velut oues Christi charactere consignamur; cùm per Confirmationem accipimus virtutem ex alto, vt in fide solidemur & roboremur ad eandem retinendam ac tuendam: cùm in Pœnitentiâ absoluimur à peccatis, ita vt in cælo etiam simus absoluti: cùm Manna cælesti pascimur in S. Eucharistiâ; cùm Sacerdotes initiantur & accipiunt potestatem conficiendi corpus Christi & dimittendi peccata, ita vt hâc potestate nequeant spoliari; cùm summus Pontifex infallibili Spiritus sancti assistentiâ ita regitur, vt in rebus fidei decernendis nequeat errare: cùm vinculo indissolubili cõnubia sociantur. Plura numerant Iudæi, quę de cælo habuerunt, beneficia ante captiuitatem Babylonicam, veluti quòd ignis de cælo lapsus absumebat sacrificia; quòd responsa & oracula dabantur è propitiatorio, quòd fulgor gemmarum in rationali Pontificis, declarabat euentura, quòd cùm aliquis esset inungendus, deuolabat spiritûs gratia & inhibebat in vnguentum: quæ commemorat S. Chrysostomus *orat. 5, contra Iudæos.* Sed non minora, imò maiora habemus nos Christiani. Nobis enim Christus ipse in Missæ sacrificio de cælo ad nos delabitur. Nobis summus Pontifex oraculum est infallibile in rebus ad fidem spectantibus. Nobis etiam *Spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filij* DEI, vt ait Apostolus ad Rom. 8. cùm nimirum splendent in nobis virtutes, maximè amor DEI & rerum cælestium humilitas & promptitudo ad obediendum DEO, odium ingens peccati, &c. Nobis etiam de cælo ordinantur & vnguntur Sacerdotes, imò & Laici omnes in Baptismo & Confirmatione.

E. IV. Quia ad cælum tendit. QVARTÒ, Quia ad cælum tendit. Nam secundùm vnam sui partem iam ad cælum peruenit, secundùm alteram adhuc eò pergit: sicut cùm vna & eadem supplicatio in parte præcedente iam templum est ingressa, in sequente subsequitur: Vel quo modo populus Hebræus per mare Rubrum incedens, quoad præcedentes emergebat, quoad sequentes ad ripam tendebat: Vel vt vnus & idem exercitus cum aliquot vexillis & militibus iam conscendit murum, cum aliis adhuc pugnat & oppugnat castrum; quò isti peruenerunt, illi peruenturos se sperant, quia regnum pro quo pugnant, iam quasi in manu habent; Vnde ait Dominus: *regnum* DEI *intra vos est Luc. 17.* Hinc Ecclesia nostra militans, illa triumphans dicitur. Spartani à quodam rogati, quantum terræ possiderent? Responderunt ferunt: *Quantum hasti pertingimus* Plut. *in Lacon.* Atqui Ecclesia militans hastâ fidei & spei ac pugnâ spirituali contingere & expugnare cælum potest; ergò illud suum esse meritò existimat & vocat regnum suum.

R. V. Quia in ea regnāt Christiani velut in cælo. QVINTÒ, Quia vti regnant in cælo beati, sic suo modo Christiani in Ecclesiâ præsenti. Nam primò sicut beati nullis legibus subiecti sunt; quia à DEI voluntate, nec possunt, nec volunt recedere: sic et iam in Ecclesiâ, *iusto lex non est posita*, teste Apostolo 1. *Tim.* 6. Et vt ait ibi S. Chrysostomus: *Iustus non est sub lege, sed supra legem*; quia legem quidem obligantem habet, non tamen cogentem; nam quæ legis & æquitatis sunt, facit vltrò & ex amore, quemadmodum & Beati. Vnde idem Apostolus *ad Gal. 5.* ait: *Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Aristippum interrogauit Dionysius tyrannus, quid præ ceteris mortalibus eximium haberet Philosophia? Cui Aristippus: *Vt etiamsi omnes leges aboleantur, tamen æquabiliter victuri simus.* Laërt. l. 6. Multò veriùs hoc dicetur de Philosophiâ Christianâ, in quâ *oderunt peccare boni virtutis amore.* Vnde fit vt hoc ipso regnent, dum hoc pacto seruiunt DEO. Serui enim DEI, eiusdem etiam amici sunt. Vnde DEVS facit voluntatem eorum, quemadmodum in Ecclesiâ triumphante, ita & in militante, iuxta id: *Voluntatem timentium se faciet.* 1.

Secundò, quia nôrunt seipsos regere & dominari appetitibus suis, iræ, gulæ, superbiæ libidini, auaritiæ, membris item, potentiis & passionibus suis. Vnde S. Augustinus in sententiis sent. 242. ait: *Non caret regiâ potestate, qui corpori suo nouerit rationabiliter imperare. Verè enim dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ.* 2.

Tertiò, quia dominantur mundo & iis quæ in mundo sunt, opibus, honoribus & voluptatibus, per contemptum earum. Vnde *Apoc.* 12. dicitur Ecclesia Lunam, id est, sublunaria & mundana habere sub pedibus, *quia ipsa cuncta temporalia & omnem creaturarum mutabilitatem despicit & pedibus calcat.* (vt ait S. Gregorius 34. *Mor. c.* 12.) item infidelibus, hæreticis & improbis, quos aut conuincunt aut confundunt: rursum dæmoni, morti, persecutioni & quibuscunque tribulationibus; quia superare hæc omnia norunt, ideoque ea despiciunt & rident tanquam ex loco edito vel cælo. Ob has causas sanctus Petrus *ep. 1. c. 2.* vocat Christianismum *regale sacerdotium*; ideoque olim baptizatorum capiti corona imponebatur ab Episcopo benedicta, quòd videlicet Reges essent ad DEI familiam & regiam dignitatem euecti, vt scribit Seuerus Alex. *l. de Baptismo.* Propterea etiam inunguntur infantes, quemadmodum & Reges. 3.

G. VI. *Quia in terra cæleftem vitam æmulatur.*

SEXTÒ, Quia in terris cæleftem vitam agit aut æmulatur faltem militans Ecclefia; certè filios fuos ad eiufmodi vitam dirigit & hortatur. Quemadmodum enim nobiles pueri in Chaldæâ de mensâ Regis alebantur, inftituebanturque in litteris & linguâ Chaldæorum (fcientia autem Chaldæa erat ferè Aftrologia) vfque dum apti effent apparere coram rege eique femper affiftere, *Dan. 1.* ita & Ecclefia nutrit filios fuos in fancta Communione de mensâ regis cæleftis, in quâ CHRISTVS ipfe cibus & deliciæ eft beatorum: inftituit etiam illos in verâ fapientiâ ad DEI cultum & obfequium, aliafque virtutes, quò nimirum digni fiant affumi ad regiam cæleftem: docet eos Aftrologiam, contemnere omnia fublunaria, nec fibi in hoc fæculo manentem comparare ciuitatem, fed futuram inquirere; docet eos linguam cæleftem, id eft, DEI laudem, videlicet in templo ad inftar Angelorum, quotidie & penè continuò DEVM laudare in hymnis & facrificiis, item quotidie ter dicere cum beatis: *Sanctus, fanctus, fanctus*, dum trino pulfu matutino, meridiano, vefpertino, ad orandum eos hortatur, omnia in laudem & gloriam DEI facere; feruare concordiam & pacem: per omnia DEI voluntatem facere vnde orat quotidie: *Fiat voluntas tua ficut in cælo & in terrâ*: vitam monafticam fectari, & ita Angelorum vitam in religione viuere: Denique conuerfationem fuam in cælo habere, & corde ac defiderio femper in cælo fixum effe.

Quæ cùm ita fint, laudemus inprimis Chriftum cum fanctis omnibus dicentibus Apocal. 5. *Fecifti nos DEO noftro regnum & facerdotes & regnabimus fuper terram.* Deinde operam demus vt ne in hoc regno putrida membra fimus, & fulo nomine Chriftiani, ne coronam Chrifti regiam fpuriis gemmis contaminemus; ne nobis aliquando dicatur: *Filij autem regni eiicientur foras.* O quantùm hoc affliget damnatos Chriftianos, cùm animo reuoluent fe iam aliquando fuiffe in regno cælorum, Ecclefiâ videlicet, quæ rectiffima ad cælum via eft eiufque municipium, inde verò cum Lucifero excidiffe in infernum? Iam non dubito ampliùs quin mali Chriftiani profundiùs in infernum cadant & grauiùs damnentur, quia ex altiori loco, ex ipfo videlicet regno cælorum cadunt in profundum illud barathrum. Deicite è turri lapidem molarem, vel campanam: nónne in terram profundiùs cadet, quàm fi de cutru caderet? Ergo, &c.

CONCIO II.

Incrementum Ecclefiæ.

1. *Creuit Ecclefia viris Apoftolicis.*
2. *Variis Ordinum ftatibus.*
3. *Legibus & cenfuris.*
4. *Sacris ceremoniis in Ecclefia adhiberi folitis.*
5. *Scientiis & Doctrinis.*
6. *Viris fanctis.*
7. *Virtutibus & earum operibus.*

THEMA.

Simile eft regnum cælorum grano finapis Matth. 13.

A

VARIAS expofitiones huius parabolæ adducunt SS. Patres, quæ quoniam inter fe non pugnant, fed ferè in idem coëunt, omnes debent cum veneratione fufcipi. S. Hilarius, Ambrofius, Gregorius per regnum cælorum & granum finapis Chriftum intelligunt. S. Chryfoftomus Ecclefiam. S. Auguftinus fidē. S. Hieronymus prædicationē Euangelij. Omnes hæ explanationes fibi cognatæ funt & à fe inuicem dependent. Placet inter illas fententiā Chryfoft. *hom. 48. in Matth.* qui per granum finapis Ecclefiam intelligit. Quemadmodum enim granum finapis fe minimum, in arborem excrefcit altiurem omnibus herbis: ita & Ecclefia è minimo exordio creuit in regnum omnium ampliffimum, toto orbe diffufum. Deinde quemadmodum granum finapis multa & varia corpora virtute in fe continet; vti lignum, corticem, ramos, virgas, folia, flores, fructus: (fiquidem feminatum hæc omnia ex fe gignit) ita & Ecclefiæ regnum in fuo exordio humile, paruum & contemptum fenfim creuit, & ingentes fructus protulit, non diffimiles illis, quos in grano finapis contineri diximus. Eos verò nunc contemplabimur.

B. I. *Creuit viris Apoftolicis.*

Granum finapis virtute in fe continet, Primò, ftipitem arboris feu lignum, in quod excrefcit. Ita & Ecclefia continet in fe viros Apoftolicos, in fide firmiffimè folidatos, robore duriores, qui ad quæuis aduerfa infracti, ad quæuis martyria fuftinenda imperterriti funt; Prælatos & Paftores fcientiā & virtute præcellentes, qui infirmiores alios fideles veluti ramos fuo robore fuftentāt, & fucco doctrinæ atque exempli fui pafcunt, adeoq; totum Ecclefiæ corpus fuftinēt, fundati in radice Chrifto. Fuerunt autē Ecclefiæ neceffarij tales viri, qui poteftatem Iurifdictionis haberent ad fideles gubernādos, ad prædicandum Euangelium, ad Sacramenta difpenfanda, &c. non minùs, quàm ouili neceffarij funt paftores ad hoc deputati; tum ne, fi cuiuis fe ad concionandum & Sacramenta difpenfanda ingerenti credere oporteret, effemus ficut parui fluctuantes & *circumferremur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aftutiâ, in circumuentione erroris:*

tum

tum vt cibum Verbi DEI Ecclesiæ filijs paruulis frangerent, prændenrent & distribuerent. Submisit porrò Christus paulatim huiusmodi viros Ecclesiæ suæ maiore numero, & ita quidem vt non modò ciuitates illis abundent, verùm etiam pagi omnes populosiores suis instructi sint pastoribus & concionatoribus per vniuersam Ecclesiam, ijsq; pulcherrimo ordine sibi inuicem subordinatis, ita vt omnes ab Ecclesiæ capite dependeant, & in eius fide & obedientiâ inter se connexi sint. Ex quo & illud fit, vt nemini facile sit ingerere se in opus pastorale absq; legitimâ missione: aut errores seminare: quandoquidem à superiore Magistratu citò deprehenduntur & corripiuntur isti lupi. Atq; vt de nostrâ solâ Germaniâ aliquid dicam: Habet ea quatuor Nuncios Apostolicos: septem Archiepiscopos, quibus vniuersim subiecti sunt plusquam quadraginta Episcopi, demptis iis qui immediatè subsunt Romano Pontifici, & qui aliis Archiepiscopis extra Germaniam sitis. Horũ singuli Episcopi multis præsunt Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Decanis. Hi compluribus parochis, qui ita cõmodè per omnes terras diuisi sunt, vt nulla reperiatur ouicula, quæ suum nequeat demonstrare pastorem. Ad hos igitur viros attendit peculiari curâ Ecclesia, vt sint (contra quam hæretici) nubes aqua cælestis sapientiæ plenæ ad irrorandos fideles, sint arbores non bis mortuæ, sed bis viuæ, duplici vitâ, fidei & charitatis; nec sint contenti folijs verborum, sed fructus etiam proferant bonorum operum: non sint mare turbatum, sed tranquillum: non sydera errantia, sed fixa in fidei petrâ, & sint velut stellæ polares ad aliorum directionem. Creuit denique in his Ecclesia, non solùm numero sed etiam robore, dignitate & potentia in summis Pontificibus & Episcopis, ita vt ipsi suis operibus & viribus defendere queant Ecclesiam contra eius hostes; siquidem Episcopi in multis nationibus sunt, etiam Principes in temporalibus. Huc respexit Zacharias c. 9. dicens: *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & reuertentes, & non transibit supra eos vltra exactor.*

C. II. Ordinum statibus varijs.

SECVNDÒ, Ramos permultos. Hi verò sunt varij ordinum status seu religiones, earumque Fundatores magno numero & varietate institutorum & regularum, ad scopum perfectionis collimantium. Hi ordines Ecclesiam velut rami arborem miro modo exornant atq; iuuãt. Ornant quidem, dum sublime vitæ genus, quod quæuis impedimenta perfectionis remouet & ad Christi imitationem proximè accedit, sectãtur, eique se ex voto adstringunt, in eo pares omnes, quod trium Consiliorum, Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ professionem faciunt: in alio varij & dispares, quòd singuli se ad specialia quædam consilia obligant, quidam strictissimè silentium colunt, vt contemplationi ac diuinis laudibus commodiùs vacent, cum Moyse in monte orantes pro his qui instar Iosue in campestribus prælantur: Alij contemplationi actionem iungunt, & varijs se misericordiæ corporalis & spiritualis operibus ad proximorum solatium & profectum dicant; horum quidam curandis & fouendis ægris toto studio deseruiunt: alij stipem pro redimendis captiuis corradunt: alij Sacramenta administrant, concionantur, docent, hæreticorum & infidelium conuersioni incumbunt & ob hæc in remotissimas etiam orbis partes nauigant: Alij vigilijs, alij ieiunijs, & abstinentia à carnibus, alij cilicijs & asperiore vestitu solertiùs se castigant. Iuuant verò Ecclesiam, dum à mille curis liberi proficiunt in virtutibus & ita suo exemplo sæculares ædificant: suis precibus defendunt: suis doctrinis & concionibus erudiunt, conuertunt & ad virtutem stimulant. Vbi enim plures sanctos inuenire est, quàm in domibus religiosis & monasterijs? Vbi qui plures vtilissimos libros conscripserint, infideles conuerterint, hæreticos ac schismaticos conuiderint, quàm in monachorum claustris? Vnde sanctissimi quique Episcopi & Pontifices nisi ex religiosorum cœtibus assumpti? Ad hos igitur innumeræ aniculæ vndique aduolarunt, vt in iis requiem, vmbram & tutelam à mundi prædonibus inuenirent. In his nidum suum posuerunt, sanctorumque operum fœtus excluserunt: in his velut auiculæ diu noctuque cantillârunt, horarias scilicet laudes & preces. Porrò hi rami omnes inter se connexi & copulati sunt, non fide humanâ, amore naturali & lege ciuili, quemadmodum resp. & familiæ politicæ: sed fide diuinâ, charitate supernaturali & legibus canonicis.

D. III. Legibus & censuris.

TERTIÒ, Complures palmites & virgas è ramis prodeuntes. Tales autem sunt in Ecclesiâ Leges & Censuræ, quibus paulatim magis & magis aucta, & intra pietatis ac iustitiæ limites contenta est, maximo suo bono & ornamento. Sciendũ enim Ecclesiam similem esse regno. In omni autẽ regno & republ. bene ordinatâ necessarium est præter legem naturalẽ alias quasdam leges peculiares esse ad singulorum statuum & ordinum directionem, vt omnia debitè, tranquillè & ordinatè fiant; (cuiusmodi fuisse aulã Salomonis ob leges singulorum officialium exactissimas, non est dubium.) Quare in Ecclesiâ etiam præter legem Euangelicam quæ generalis est oportuit alias particulares esse, vt omnia rectè fierẽt. Deinde quia Christiani sæpè officij sui penitus obliuiscuntur, eius commonendi erant, & ad viam debitis preceptis reducendi, nec non pœnis & censuris cogendi. Profecit igitur in his paulatim magis Ecclesia operante Spiritu sancto & dirigente præsides Ecclesiæ vt sanctis huiusmodi legibus vndique vallaretur, atque in vigore suo virtutumq; studio conseruaretur. Etenim præcepta Ecclesiæ non tam nouum onus imponunt, quàm tempus, quo diuinum præceptum impleri debet, determinant. In primis enim certum est, aliquando iure diuino cultui DEI vacandum esse: cùm autem eodem iure tempus non sit determinatum, necesse fuit illud ab Ecclesia determinari, quæ Dominicam & festos dies sanctificari iussit. Secundò, iuris quo-

quoque diuini obligatio est, DEO sacrificium offerri: & quia hoc etiam populo commune est, necesse est aliquando huic oblationi interesse; adeoque conueniens erat statutum aliquod Ecclesiæ esse, quod hanc obligationem ad Dominicos & Festos dies determinaret. Tertiò, certum etiam est ex diuino iure nos ad ieiunium & abstinentiam teneri, licet idem ius nullum certum ieiunandi tempus, aut modum præscribat; quare præceptum Ecclesiæ certas Festorum Vigilias, Quatuor tempora, & quadragesimam designat. Idem de Confessione & Communione dici poterit; vtramque enim Christus iussit, licet nullum determinatum tempus præfixerit, Ecclesia conuenienter statuit, vt saltem semel in anno omnes Christiani, qui ætatem habent, confiteantur & circa festum Paschæ communicent. Nullum itaque nouum grauamen hæc præcepta fidelibus imponunt, imò impositum diuinâ lege pondus alleuiant; nam tempus designant, quo ei legi satisfaciendum sit, ne nos de eo scrupulosè & anxiè inquiramus.

Magno itaque bono leges istæ præscriptæ sunt fidelibus. Quod enim est vallum & murus vrbi, quod seps horto, quod excubiæ exercitui, hoc sunt Ecclesiæ leges istæ: Sed nec minus necessariæ ac salutares eidem sunt censuræ & pœnæ Ecclesiasticæ, quasi baculi & virgæ ad coërcendos malos. Debent enim Respublicæ duobus omninò conseruari, præmiis scilicet & pœnis. Et quia contumaces tam sibi quàm aliis noxij sunt, ideò expedit & ipsis & aliis, vt per disciplinæ seueritatem corripiantur. Huiusmodi verò censuris quasi virgis & flagellis instructa paulatim est Ecclesia, geritque super gregem suum baculum pastoralem & virgam vigilantem.

E. IV. SS. Cæremoniis. QVARTÒ, Corticem, qui arborem vndique ambiens partim ornat, partim tuetur. Hic verò designat cæremonias sacras in Ecclesiâ consuetas, quibus ipsa etiam partim ornatur, partim in pietate & religione conseruatur. Inptimis enim fidei mysteria altissima sunt & intellectu difficilia, expediebat igitur vt imbecillitati intellectûs humani subueniretur, & per corporales cæremonias in spiritualium cognitionem deueniretur; siquidem etiam inuisibilia DEI, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, teste Apostolo *ad Rom.* 1. Deinde, cùm charitas & deuotio in plurimorum pectore refrixerit, ad eam denuò excitandam, vtilissimum fuit solemnitatem aliquam cæremoniarum festorumque celebritatem introduci. Iam verò in bis solemnitatibus & cæremoniis paulatim creuit Ecclesia, & nunc magnopere floret. Nam & ipsę cęremonię sensim in meliorem & splendidiorem formam redactæ sunt, & auctæ. Introductus in Ecclesiam cantandi ritus: hic ex Chorali in figuratum, suauiorem scil. & solemniorem, vbi fieri potuit, commutatus: Addita passim Ecclesiis Organa, quæ speciali DEI beneficio ad decorē cultus diuini & templum inuenta meritò creduntur. His accessit templorum structura, non frequentior modò, sed & elegantior: Ornatus item altarium, sacrarū vestium & cimeliorum splendor longè pretiosior, ministeriorum ordo & decor amplior, &c. Hæc enim in spiritu præuidēs Isaias dixit de Ecclesiâ nostrâ, c. 60. *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem*, ita scilicet vt Ecclesiæ maiestas gaudium sit omnibus in eâ degentibus vel eam cernentibus. Similiter Zacharias c. 14. multitudinem & splendorem sacrorum vasorū præuidens, ait: *In die illâ erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari, & erit omnis lebes in Ierusalem, & in Iudâ sanctificatus Domino exercituum*; hoc est: Erit in Ecclesiâ copia SS. calicum, patenarum, ciboriorum, hierothecarum, thuribulorum, aliorumque vasorum ad DEI cultum sacratorum, vt ibi Lyranus & Corn. à Lap. exponunt.

QVINTÒ, Folia quàm plurima. Hæc significant doctrinam Euangelicam & scientias quibus adeò augendam prævidit Ecclesiam Isaias c. 11. vt dixerit de eâ: *Repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes*, q. d. sicut mare exundans operit terram vicinam; ita exundabit scientia & DEI diuinarumque rerum cognitio in Ecclesiâ, vt eius quasi diluuio omnes inebrientur, modò ad Doctores & Concionatores appropinquare velint. Testes sunt innumeri Ecclesiæ Doctores omni scientiarū genere excultissimi: testes infiniti penè libri eruditissimi ab iisdē conscripti, quos numerare difficilius erit, quàm folia in arbore. Ab his paulatim magis & magis illustrata Ecclesia, adeò nunc fulget, vt in plenilunio esse videatur, adeoque videatur magis crescere nō posse. Præter enim particularia cæterarum nationū & prouinciarum Concilia (quæ plurima) habuit vniuersalia decem & octo, vel, si addas Sardicense, decem & nouem, vt scribit Thom. Bozius *tom.* 1. *de sign. Eccles. sig.* 14. ad quæ omnia conuenerunt in vnum locum & consensere in eandem doctrinam ex omni totius orbis celebriori natione Christianâ aliqui Episcopi vel per se vel per procuratores. F. V. Scientiis & doctrinis.

SEXTÒ, Flores verno tempore copiosissimos. Hi verò in Ecclesiâ quinam sunt, nisi sancti vitæ sanctitate & miraculis conspicui, maximo numero ex omni hominum statu Ecclesiam exornātes? Hinc de Ecclesiâ prædixit Isa. c. 35. *Florebit quasi lilium*. Vt enim flores lilij citò multiplicantur & breui totum hortū, nisi euellantur eorum radices, implent: Sic aucta est Sanctis Ecclesia. Vnde mox subdit Isaias: *Germinans germinabit*. Vnicus sanctus Benedictus, Dominicus, Franciscus, Ignatius peperit innumerabiles viros sanctitate illustres. Quid enim tot vndique in Ecclesiâ religiosorum monasteria & collegia, nisi Sanctorum coetus & domicilia? Et quis ea enumerare queat? Et nónne istorum odor florum totam peruadit & recreat Ecclesiam? nónne miro modo adornat? Sed ad finem properemus. G. VI. Viris sanctis.

SEPTIMÒ, Fructus; qui in Ecclesiâ sunt virtutes & virtutum opera. Ea verò talia ac tanta sunt, vti nouam faciem vniuerso mundo induerint. H. VII. Virtutibus.

duerint. Eò enim pertinet prophetia Isaiæ c.65. dicentis: *Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam.* Cælos, id est, viros Ecclesiasticos: terram, id est, sæculares in nouitate vitæ ambulantes. Si illos inspiciamus, videmus ab vniuerso clero voueri castitatem: à religiosis præterea paupertatem & obedientiam. Si istos, videbimus in iis virtutum & bonorum operum studium, olim siue à Iudæis, siue à gentilibus minimè receptū. Viget passim in Ecclesiâ spiritus precum: Religiosi & omnes Clerici septem horarum precibus, septies in die laudem DEO dicunt. Laici omnes manè, meridie, vesperi DEO preces suas offerunt, & ad campanæ pulsum genua submittunt: multi quotidie Missam audiunt: instante tribulatione ad comprecandum DEVM per horas 40. conueniunt. Publicæ orationes pro defunctis, ægrotis, afflictis in Ecclesiis fiunt: in manibus præterea rosaria sua gestant, in quibus preces suas numerent. Deinde apud Christianos vigent crebra ieiunia, hinc etiam abstinentię à carnibus per singulas hebdomades. De eleemosynis quid dicam; quis nescit Episcopatus, Abbatias, Monasteria, Canonicatus, Hospitalia, Leprosoria ingenti numero piorum eleemosynis certatim & passim erecta? Viget in eâdē frequens & pius Sacramentorum vsus: Verbi DEI auditus, aliaque Christianę pietatis exercitia, quę si cum Ethnicorum, Iudęorum & Hęreticorū studiis compararentur, profectò cęlum nouum & terra noua vocabontur. Sed non vident illi nec credunt hęc nostra facta & virtutum exercitia, ideoq; in suis tenebris oberrant. Nos ergo qui in hoc cęlorum regno, quod simile est grano sinapis, sumus, Deum glorificemus operamque demus vt huius grani virtutes & incrementa in nobis elucēscant. Amen.

CONCIO III.

Regnum Christi quantum alia regna superet.

Superat regnum Christi seu Christianismus omnia regna terrena,	3. *Robore & efficaciâ.*
1. *Amplitudine.*	4. *Incremento miro.*
2. *Ætate.*	5. *Legibus sanctissimis.*
	6. *Fructibus.*
	7. *Regis eminentiâ.*

THEMA.

Cùm autem creuerit maius est omnibus oleribus & fit arbor, Matth. 13.

A. HOdiernum Euangelium pulchrè correspōdet prophetię Danielis c.2. Vidit ibi Nabuchodonosor in somnio statuam prægrandem, cuius caput erat aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora ęrea, tibię pedum ferreę. Et ecce lapis de monte sine manibus abscissus, percussit statuam in pedibus & comminuit eos vnaq; statuam totam: lapis verò ille factus est mons magnus & impleuit vniuersam terram. Hoc somnium explicuit regi Daniel asserens quatuor illas statuę partes designare 4. Monarchias seu regna tot us orbis florentissima, Caput aureum regnum Nabuchodonosoris seu Babyloniorum, quod esset felicissimum, famosissimum: Pectus argenteum regnum Persarum illi succedens, quia erat ditissimum: Ventrem æreum, regnū Græcorum, quod sapientissimum: Tibias ferreas regnum Romanorum, quod fortissimum. Lapis abscissus sine manibus Christum denotabat conceptum absque viri operâ. Is regna illa contriuit, quia orbem totum ad se traxit & per Euangelium suum immutauit; Vnde factus est mons magnus, & repleuit totam terram, quia regnum Christi initio augustissimum factum est omnium maximum, & dilatauit se in orbem vniuersum, estque regnum æternum & omnium felicissimum. Iam hoc ipsum est quod describitur in Euangelio hodierno per granū sinapis & fermentum. Superest nunc vt ostendamus quâ ratione regnum Christi seu Christianismus superet omnia regna terrena.

Arbor regni Christi superat arbores regnorum aliorum. PRIMÒ Amplitudine, quia omnes mundi plagas, etiam priùs incognitas, Indos, Sinas, Iapones, &c. sibi subiecit, aut si quæ adhuc supersunt, sibi subiciet. Hoc significat Daniel, cùm ait lapidem illum factum esse montem & repleuisse vniocrsam terrā. Cætera orbis regna singula non nisi partē aliquam orbis continebant, quæ si in globo terrestri vel mappâ inspiciatur, exigua & penè nulla apparet. De Iudæorum regno ait Dauid Ps. 79. *Extendit palmites suos vsq; ad mare* (scil. Mediterranenm) *& vsq; ad flumen* (Euphratem) *propagines eius.* Sed quantula est hæc orbis pars? Longè aliter de Ecclesiæ regno scribit Ps. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarū.* Et à Ps. 2. vbi omnes Reges ei subditos fore asserit: *postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam & possessionem tuā terminos terræ.* Romanorum regnum quidem amplissimum fuit, sed vltra Danubium se nō porrexit, multò minus ad orbem nouum. Audi Tertullian. aduersus Iudæos c.7. scribentē: *Romani,* inquit, *tot legionibus suū imperium muniunt, nec trans istas gentes* (Britannos, Mauros & Getulos intelligit) *porrigere vires regni sui possunt. Salomon regnauit, sed in finibus Iudæ tantùm, à Dā vsque Bersabee. Babylonijs & Parthis Darius, non vltra. Ægyptijs Pharao, sed illis tantùm. Nabuchodonosor ab India vsque ad Æthiopiam habuit regni sui terminum. Alexander Macedo nunquam Asiam vniuersam & cæteras regiones postquam deuicerat tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani imperij sui habent terminos. Christi autem regnum & nomen vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus suprà numeratis colitur, vbique regnat, vbique adoratur.* Hæc ille. S.Leo *serm. 1. de nat. Petri & Pauli,* asserit Romam latiùs præsedisse religione diuinâ, quàm dominatione terrenâ. Prænuntiatum hoc fuit in die Pentecostes, vbi ad primam fidei promulgationem adfuerūt omnis generis & linguæ nationes, Parthi, Medi, Elamitę, Mesopotamij, Iudęi, Capadoces, Ponti & Asię, Phrygię, Pamphilię, Ægypti, Lybię incolę, Romani, Arabes, Cretes,

B. I. Superat amplitudine.

tes, *Actor. 2.* Qui tunc quodammodò fuerunt Legati totius orbis.

C. II. Ætate. SECVNDÒ, Annositate, quia cætera omnia regna & parum durârunt, & de facto velut arbusta euulsa sunt & perierunt, si quæ recentius exorta sunt, euellentur similiter; regnum autem Christi stetit iam 1600. annos, & stabit in æternum. Sic enim prædixit Gabriel Angelus: *Dabit illi Dominus* DEVS *sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternū; &* (ne putes hoc per exaggerationem dictum, addit) *regni eius non erit finis.* Luc. 1. Idē omnino prædixit Isaias c. 9. *Multiplicabitur eius imperiū*, inquit, *& pacis nō erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitiā amodò & vsque in æternum.* Hoc idē est, quod de suo regno Christus ipse dixit: *super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Maxima orbis regna fuerunt, regnum Babylonis, Persarū, Græcorum, Romanorum; sed primum Babylonis cœpit à Nabuchodonosore, finitum est in Balthasare, euersum à Cyro, stetit annos tantùm 70. Secunda Persarū Monarchiā cœpit à Cyro, desiit in Dario, euersa ab Alexandro Magno, stetit annos solùm ducentos. Tertia Græcorū, cœpit ab Alexandro, inde mox diuisa est in regna Ægypti, Syriæ & Macedoniæ; stetit in Ægypto vsq. ad Augustū Cæsarē, qui Cleopatrā cum Antonio ad spontaneam mortē adegit, regnumq; Ægypti euertit: stetit autē annos 288. Quarta Romanorū, quæ cœpit à Iulio Cæsare & Augusto adhuc durat, sed, quàm diuisa & debilitata: Ea de num euer.etur ab Antichristo. Denique Salomonis seu Hebræorū regnum non nisi per annos 400. stetit. Solùm Christi regnū adhuc stat & stabit semper; ac licet aliqua ex parte exarescant eius rami, alia tamen ex parte su. crescunt multo plures. Conati quidem sunt quamplurimi totis viribus euellere hanc arborem: Tyranni primùm & Imperatores potentissimi, deinde Hæresiarchæ callidissimi: sed incassum laborarunt, ipsi crepuerunt, Ecclesia salva perstitit, medios inter hostes, siue tyrannos, vt per annos primos 300. siue Reges hæreticos, vti circa annū Domini 4 6. cùm Odoacer Arianus tenebat Italiā, Gensericus item Arianus Africam Visigothus etiam Arianus Hispaniæ & Galliæ partem, Zeno Imp. Eutychianus Orientem. Quis non existimâsset tunc Ecclesiam exterminandā, si humanas tantùm vires pensemus? Nostri temporis hæretici quanto nisu & impetu tam armorum quàm argumentorum conabantur euellere hanc arborem? Sed crepuerunt omnes: Ecclesia stat immota, vt meritò possit canere: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* Ps. 128. in quem locum S. Aug. ait: *nunquid ideò non peruenit ad senectutem, quia non cessauerunt illi expugnando? consolatur igitur se Ecclesia de præteritis exemplis, & dicat: Etenim non potuerunt mihi.*

D. III. Robore. TERTIÒ, Robore & efficaciā, quia alia imperia in corpora tantùm dominantur & actiones externas, in animum verò & internas eius operationes vim & ius non habent, ideoque prohibere nequeunt peccata interna, nec præcipere virtutum opera, quæ in corde resident. Hinc compescere quidem mores hominū externos possunt, sed homines facere bonos nequeunt. At imperium Christi non solùm corporibus in resurrectione, sed & mentibus hominum intimè dominatur, easque trahere ad virtutem potest; adeoque ex obduratis, superbis, obscœnis, rebellibus, facit molles, humiles, castos, obsequentes. Ecce enim qualē agnū ex quā atroci lupo fecit, cùm ex Saulo Paulum fecit? cùm Matthæum, Zachæum, Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Pelagiā, &c. de perversis moribus ad sanctissimam vitam traduxit, & amare fecit quod prius extremè oderant, odisse quod prius amârant? cùm ipsos sæpè persecutores, præsides & carnifices repentè immutauit & ex tortoribus Christianorum, Cōfessores Christi fecit? Cùm etiam histriones sacra Christianorum irridentes & scenicè repræsentātes in ipso actu afflauit & seriò Christianos, imò & martyres fecit? Vt Genesium, Ardalionem, Porphyrium, Dioscorum.

Adhæc Reges alij corpus tantùm occidere & peritura bona tollere possunt: Christus etiā animam perdere in gehennam & adimere æterna bona potest Vnde ei dicitur Psal. 2. *Reges eos in virgā ferreā*; quæ scilicet gladij instar penetrat per carnem vsque ad animam. Regum aliorum sceptra sunt instar virgæ ligneæ, quæ facilè flectitur, & frangitur solamque carnem vulnerat.

QVARTÒ, Incremento. Primò, quia non armorum, opum, fraudum aut stratagematum præsidio ad tantam amplitudinem venit, vti regna alia: sed per crucem & contemptum honorum, opum, voluptatum, per doctrinæ nouæ, difficilis & minimè blandientis disseminationem, imò & per martyria & sanguinem multorum millium, quo quantò magis rigabatur, tantò magis dilatabatur arbor. Vnde Tertullianus *in Apol. c. vlt. ait: Plures efficimur quoties metimur à vobis: Semen est sanguis Christianorum.* Et S. Leo ser. 1. de SS. Petro & Paulo. *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata resurgunt.* Similiter S. Chrysost. serm. in Iuuentinum & Maximum martyres: *Sicut*, inquit, *planta rigata magis crescunt: ita & fides nostra oppugnata magis floret, neque horti aquis irrigati ita germinant, vti Ecclesia, si martyrum sanguine irrigentur.* Et S. Iustinus in Dialogo cum Tryphone: *Vt vinea putatione* inquit, *ad vbertatem prouocantur: ita Ecclesia persecutionibus crescit.* Et hæc est vitis illa, cuius palmites purgari & putati fructum plus attulerunt. Hæc arca illa Noë, quæ quo magis inundabant aquæ tantò magis exaltabatur & securiùs ferebatur. Ventus persecutionis propulit hanc nauem vti in prima persecutione Apostolorum *Actor. 16.* cùm eius occasione omnes Christiani præter Apostolos dispersi sunt in varias terras ad fidem propagandam. E. IV. Incremento.

Ad-

Ad hæc regna gentilium armis ferè, imò & latrociniis ac cædibus parta fuêre. Vt i regnum Nabuchodonosoris, qui idcircò vocatur latro *Ierem.* 18. Et regnum Alexandri Magni cui piratæ ab eo capti & interrogati; qui essent, responderunt: *Tales sumus, quales tu, sed tu magnus es prado, nos parui pradones sumus.* Similiter regnum Mahometus, qui vt id promoueret, gladio iussit occidi omnes nolentes amplecti hoc eius symbolum: Alla illa Alla, Mehamed rassul Alla, id est, *non est* DEVS *nisi* DEVS *& Mahomet Apostolus eius.* Refert Corn. *in epist. ad Hebr. c.* 7. Non indiget etiam exercitibus seu legionibus ad sui conseruationem: quomodo Romanorum Imperium suas habere debuit legiones, in Syria, Africâ, Galliâ, Germaniâ.

Secundò, quia in tantam proceritatem breui tempore creuit, vti granum sinapis in arborem vnâ æstate, Tertullian. qui vixit circa annum Domini 200. in Apol. c. 37. scribit: *Externi sumus & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias palatium, senatum forum.* Et infrà: *Si in aliquem remotissimum orbis angulum nos à vobis abrupissemus, procul dubio expauissetis ad solitudinem, quasi mortua vrbis reliquias quasiuissetis, quibus imperaretis.* S. Irenæus qui vixit circa annũ Domini 167. temporibus Apostolorum vicinissimus l. 1. contra hæreses, ita scribit: *Hanc pradicationem & hanc fidem cùm accepit Ecclesia, & quidem in vniuersum orbem disseminata diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit quasi vnam animam habens & vnum cor: & constanter pradicat, docet & tradit quasi vnum possidens os: neque ha qua in Germaniâ fundata sunt Ecclesia aliter credunt, neque ha qua in Iberis, neque ha qua in Celtis, neque ha qua in Oriente, neque ha qua in Occidente, neque ha qua in Ægypto, neque ha qua in Lybiâ, neque ha qua in medio mundi sunt constituta: Sed sicut Sol omnis creatura* DEI *in vniuerso mundo vnus & idem est: Sic & lumen & pradicatio veritatis vbique lucet & illuminat omnes homines, &c.* Deinde Plinius secundus, qui circà annum Domini centesimum sub Traiano Asiæ proconsulem egit, scribit in ep. 97. Christianos in tantum multiplicatos, vt non vrbes solùm sed etiam villas & vici Christianorum pleni essent, imò delubra deorum desererentur. Quid quòd ipsis Apostolorum temporibus iam penè in toto orbe Euangelium coruscabat? Sic enim Apostolus *ad Coloss.* 1. quam epistolam scripsit 26. anno post Ascensionem Domini, ait Euangelium prædicatum esse *in vniuersâ creaturâ, qua sub calo est.* Et in epist. *ad Romanos cap.* 10. quam scripsit 24. anno post Ascensionem Domini, ait annuntiatum esse Euangelium per totum mundum. Quibus 24. annis si demantur decem illi, quibus Apostoli in Iudæa fuerunt ante diuisionem suam, sequitur annuntiationem illam intra 14 annos factam esse. Deinde post tempora persecutionum sub Constantino Magno creuit subitò in immensum, & tunc vndique ex variis orbis partibus aduolârunt aues, id est, principes & reges, vt in ramis huius arboris conquiescerent. Quorum prodromus & typus videtur fuisse Zachæus in Sycomoro, id est, in fatuâ (Crucis) arbore, (hoc enim sonat Sycomorus) conspicuus. *Luc.* 19.

Tertiò, quia à tenuissimo initio incepit, videlicet à contemptu, paupertate, doloribus, 3.
persecutionibus, &c. & ad summum honorũ apicem ascendit in vitâ denium alterâ. Regna mundi à gloria & maiestate fluxa oriuntur, & tandem desinunt in cinerem, fumum, obliuionem & exterminium sempiternum. Vbi nunc regna illa Nabuchodonosoris, Cyri, Alexandri, Salomonis, &c. Vbi reges ipsi? *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Baruch. 3. Sed regnum Christi ab humilitate temporaneâ incipit, & in gloriam æternam desinit: vti testatus est coram Pilato Dominus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et Angelus cùm dixit: *sedebit super solium Dauid.* Vt enim Dauid postquam in regem vnctus fuit multis adhuc laboribus, curis, periculis, fugis regnum sibi comparare debuit: ita etiam Christus à suâ cõceptione vnctus fuit in regem, sed per labores & passionem intrauit in gloriam suam. Eadem est ratio de omnibus fidelibus qui in Christi regno militant. Et hoc granum sinapis, quod à minimo incipit & desinit in maximum.

QVINTÒ, Foliis & floribus, id est, legibus sanctissimis, quæ omnem sanctimoniam, innocentiam, castitatem & perfectionem præscribunt, & quod præcipuum est, veri Dei cultum. Cæterorum regnorum leges solùm pertinent ad Reipublicæ cõseruationem, augmẽtum, pacem & terrenam prosperitatem procurandam. Multa etiam absurda & quædam iniquissima olim continebant, vt alibi ostẽdimus, At verò leges Christianorum DEI cultum inprimis vrgent, & peccata omnia quasi pestẽ euitare iubent, DEI & proximi amorem inculcant, iniustitiam omnem cauent, turpitudines auersantur, iniurias omnes plectunt: necligant tantùm manus, sed linguam quoque & cor, prohibentes tam internos quàm externos actus malos. Deinde vltra præceptum proponunt etiam sequenda cælestia consilia ad omnimodam sanctitatem consequendam, de quibus aliæ nihil vnquam meminerunt.

F. V. Legum æquitate.

SEXTÒ, Fructu. Primò, quia suos facit sibi subditos & spontè obedientes, ita vt omnia cum delectatione faciant. Hoc est quod prædictum est Ps. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Reges alij per terrorem ferè suos ad officium compellunt: *Oderint dum metuant.* Sed Christus per amorẽ suorum animos mouet ad obsequiũ suũ.

G. VI. Fructibus.

Secundò, quia liberat eos à dæmonis & peccati iugo, nec non ab inferno, atque ita facit verè liberos.

Tertiò, quia facit eos DEI filios, cæli hæredes & reges Reges primò, in hoc sæculo; quomodo enim rex non est, qui suis cupiditatibus & passionibus per DEI gratiam imperat? Deinde in altero sæculo. Attollit enim hæc arbor cacumẽ & cultores suos vsq; ad cælum. Regna terrena diriguntur non tam ad subditorum,

quàm

quàm ad regis solius vtilitatem. Hoc enim primò, quærunt reges vt bene sibi sit & posteris suis, vt regna sua conseruent & amplificent ipsiq; maiores fiant, non vt subditos extollant, multò minùs vt eos regni sui participes efficiant. Sanè reges quando bello acquirunt aliorum territoria, sibi ea retinent, militi vulnera relinquunt & vix stipendia soluunt. At verò regnum Christi dirigitur ad vtilitatem nostrā, & vt nos cum Christo regnemus in cælo. Promisit Mahomet suis paradisum, sed ex voluptatibus tantùm cibi & potûs ac Veneris constantem. Ne verò concedere cogeretur, ex perpetuo illo luxu ingentes excrementorum humanorum aceruos in cælo congerendos fore, dixit hæc excrementa per sudorem euaporanda. Lud. Granat. *in Cate hi∫. l. 2. c* 8. Quis hîc risum contineat? Non tam viles & beluinas delicias expectamus in regno nostro. *Regnum* enim DEI *non est esca & potus*: Sed longè sublimiores & Angelicæ deliciæ.

H. VII. Regis eminētia. SEPTIMÒ, Quia cultorem, Dominum & regem habet ipsum Christum DEVM & Dominum omnium qui primò est sapientissimus & nullatenus potest decipi aut errare. Hanc & alias regis dotes pulchrè expressit Dauid in Epithalamio regis nostri Ps. 44. *deducet te mirabiliter dextera tua*, q. d. tu non eges consiliariis, qui sint velut manus tuæ ad gubernandum regnum tuum: Sed tua ipsius dextera tibi sufficit ad hoc.

2. Secundò, Benignissimus & mansuetissimus, pulcherrimus & humanissimus. Vnde ib. dicitur. *speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Et rursum: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis.* q. d. vestimenta tua suauissimum spirant odorem & delectant omnes.

3. Tertiò, Potentissimus & inuictissimus. Vnde ib. dicitur: *Sagitta tua acuta, populi sub te cadent.*

4. Quartò, Æquissimus: *Virga directionis, Virga regni tui.*

5. Quintò, Vnus & idem semper. Vnde ib. subditur: *Sedes tua* DEVS *in sæculum sæculi.*

Quantum autem bonum est habere talem Regem? Certè Reges mundi quantò acceptiores sunt, tantò ægriùs amittuntur cùm moriuntur. Atqui Rex noster *Christus heri & hodie ipse, & in sæcula*, inquit Apostolus *ad Hebr.* 13. Ipse nostra sapientia est quæ nos doceat; nostra iustitia, quæ nos remuneret; nostra bonitas, quæ nos foueat; nostra potentia, quæ nos defendat. Beatos igitur nos auditores, qui in regno Christi sumus & talem regem habemus. Gloriabantur Hebræi Legislatorem se habere Moysen; sed quantò maior Christus Moyse? Gloriabantur patrem se habere Abraham; Sed quantò maior Christus Abraha? Gloriabantur de Rege suo Salomone? sed ecce hic plusquam Salomon. Quare si Regina Saba admirata Salomonis aulam, regnum & sapientiam, dicere potuit: *Beati serui tui, qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuā* 3. Reg. 10. quantò rectiùs id de nobis dicetur? Hac de causa Theodosius Imp. & S. Ludonicus Galliæ Rex magis sibi gratulabantur, quòd essent Christiani, quàm quòd essent Reges. Quia ergo & vos per DEI gratiam auiculæ huius arboris estis iuxta Apostoli monitū ad Coloss. 1. *Dignè ambuletis* DEO *per omnia placentes, &c. gratias agentes* DEO *patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.*

CONCIO IV.

Quibus modis ac mediis fides per orbem propagata sit.

Creuit fides & Euangelium.	3. *Per miraculorum ostensionem.*
1. *Christianorum primorum virtute.*	4. *Per tempestates persecutionum.*
2. *Prædicationis Verbi Dei efficaciâ.*	5. *Per singularem DEI assistentiam.*

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. *Matth.* 13.

QVòd fides Christiana Christiq; Euangelium granum hoc sinapis sit iuxta Christi prædictionē, id iam non ampliùs credimus, sed oculis videmus & manibus palpamus; quēadmodum videlicet ex minimis initiis in immensam creuerit molem, & per totum orbem ramos suos extenderit. Id verò nunc quærent multi, quâ ratione, quibus mediis & adiumentis adeò creuerit. Et facilis responsio. Quâ enim ratione prouenit ex agro multa & copiosa messis? nonne si ager ipse sit pinguis & idoneus: si semen sit sanum & efficax: si pluuiarum adsit crebra irrigatio; si nix, gelu & ventus suo tempore accedant; ac deniq; Sol subinde affulgeat? Ad eundem modū creuit fides & Euangeliū. Quod videtur colligi posse ex parabolâ illâ *Marc.* 4. propositâ: vbi Dominus: *Sic est regnum Dei*, inquit, *quemadmodum si homo iaciat semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet & increscat dum nescit ille. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Quæ nunc accuratiùs videbimus. A.

PRIMÒ, Per agri Dominici bonitatem & pinguedinem, id est, per Christianorū primorum bonitatem & sanctitatē, quam cùm aspiciebant gentiles, vehementer inde mouebantur ad amplectendam fidem Christianam tanquam ad sanctitatis scholā & magistram, iuxta id 1. *Pet.* 2. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonā: Vt in eo quod detrectāt de vobis tanquā de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.* Et S. Paul. ad Philipp. *sitis sine querelâ & simplices filij Dei sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mūdo.* Et 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereūt.* Et ex hoc odore vnguenti repleta est tota mūdi domus: vti illa Simonis ex effusione vnguēti. B. I. Christianorū primorum virtute.

ti, *Ioa.* 12. Hic splendor, hic odor traxit ad fidē innumeros gētiles. Viderunt enim illi in Christianis morum innocentiā: ita vt Christiani ab ipso eorum Apolline iusti pronūtiati sint fuisseq; sibi impedimento, ne vera ederet oracula: vt obiicit illis Constantinus Magnus in edicto apud Euseb. *in vitā l.* 2. *c.* 49. & 50. Fatetur etiā Plinius II. Bythiniæ Præfectus in ep. ad Traianū Imp. *Christianos stato die ante lucē cōuenire carmenq; Christo quasi Deo, dicere secū inuicem; seq; sacramento nō in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria cōmitterent, ne fidem fallerent, ne depositū appellati abnegarent.* Sic Plin. Fuit fortè sacramenti illius obstrictio, quam meminit Tertull. ad Scapul. scil. *Nemo nostrûm sceleratus aut iniquus esse.* Qui & ait: *depositum non abnegamus; matrimoniū nullius adulteramus: pupillos piè tractamus: nulli malū pro malo reddimus,* &c. S. Blandina in tormentis, de criminibus interrogata: *Christiana sum*, inquit, *nec mali quippiam à nobis committitur.* Barbari item cùm sub Gallieno Imp. variis irruptionibus Romanum imperium vexarent, & inde Christianos secum abducerēt, ob eorum innocentiā, sanctitatem & mirabilium patrationem in admirationem, amorem, & imitationem deniq; illorum perducti sunt, vt testatur Sozom. *l.* 2. *c.* 25. & Niceph. *l.* 8. *c.* 33. Videbant & mirabantur in illis fidei constantiā inuictam, alacritatem ad patiendū, iniquam eorum condemnationem: veluti cùm duceretur S. Andreas, clamabant enim ad Ægeam Proconsulē: *concede nobis hominem iustum, redde nobis hominem sanctum, &c. innocens eius sanguis sine causâ condemnatur.* Videbant eorū sacra, ritus, cultū Dei, & inde obtupescebant, quemadmodum Afra Augustana cùm videret in suâ domo Narcissum Episcopū toto corpore, vultu, oculisque ad orationē componentem: insolitâ pietate stupefacta ad eius pedes se abiecit, vitam impuram abiurauit & fidē amplexa est. Videbant deinde in illis admirādum mutuæ charitatis vinculum, qualiter videlicet vnà cibum capere in publico solerent: non delicatum & splendidum, sed *promiscuum*, id est, facilem paratu & obuium, vt ait Plin. ad Traian. qualiter ditiores pauperum curam agerent, & eos de mēsis suis sustentarēt: se mutuò in templis & in publico salutarent osculis: pro sustentatione egenorum collectas facerent: intimos etiā carceres intrepidi penetrarent, Sacerdotes vt incarceratis confessoribus Eucharistiam offerent, (teste Tertul. *l.* 2. *ad vxorē*, & D. Cypr. *de curâ pauperū & vinctorum*) se mutuò ad martyrium fortiter subeundum hortarentur, & qui fortiores erant, licet nondum vincti, nutantes strenuè confirmarent: Martyrum corpora maximo studio & contentione, summo suo periculo raperent. eosq; veluti sanctos honorificè tumularent ac colerent. Hæc animorum vnio inuictos illos reddidit & victores Ethnicorū, iuxta id Prov. 18. *frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma.* Dicebāt enim de illis Ethnici: *Vide vt se mutuò amant! vt pro inuicem mori parati sunt!* Tertull. Videbant item maximā eorum charitatem & beneuolentiam, etiam erga gentiles & inimicos suos; quàm Imperatorem quantumuis paganum summoperè venerarentur, eiq; omnia felicia precarentur, vt ex Tertull. aliisq; patet, quàm pro persecutoribus etiam suis orarent, & carnificibus suis libentissimè ignoscerent, ac signa amoris exhiberent: quàm etiam erga gentiles præberent se hospitales & munificos apud Lucian. quantam legio Christianorum Aurelio Imp. in rebus desperatissimis victoriam mirabiliter impetrarit, vt testatur Marcus Aurel. Imp. ipse in ep. ad senatū; quàm ipsos gentiles partim à dæmonum obsessu liberarint, vt Albercius Hieropolitanus Episcopus Lucillam filiam eiusdem Aurelij: vt in actis Albercij apud Metaphr. 22. Octobr. quàm eos sæpè ab infirmitatibus liberārint: quàm eis famis tempore victum suppeditarint & peste infectis (quos ipsimet gentiles fugiebant) libentissimè ministrarint: sub Gallieno Imperatore anno 263. apud Baron. Nobilis est historia illa quam de Pacomio legimus, qui cùm mereret sub Constantino Magno etiamnum gentilis, & à verâ fide alienus, Cæsarisq; miles adeò rerum omnium inopiâ premeretur, vt fame quamplurimi necarentur, venientes alij ad quandam ciuitatem repererunt ciues ad eorum calamitatem subleuandam profusissimè liberales. Miratus Pacomius, & quænam hæc gens esset, quæ tā prolixè in militem externum sua omnia effunderet, intellexissetq; esse Christianos quorum institutum professioque propria esset aliorū necessitatibus pro viribus opitulari? Sensit illicò interiùs moueri sese, & cor veluti numine tangi, quare nullâ interpositā morâ, elatis in cælum manibus, DEVM testem inuocat velle se relictis castris, Christianorum religionem mox fusci, eorumque sacra cupidissimè amplecti. Satis nimirum ipsi erat ad conuersionem, & ad credendum eam solam veram fidem religionemque esse, quæ homines tantâ charitate cōglutinaret. Ad hæc in vita S. Agnetis habetur, quomodo ipsa Præfecti filium qui se inuaserat, à morte suscitārit. In vita SS. Ioannis & Pauli, quomodo Terentiani Præfecti filiū à dæmone liberārint: In vitâ S. Laurentij & Pergentini, quomodo obrigescentibus carnificibus orando vigorem restituerint. In vitâ S. Sabini quomodo Venustianum præsidem oculorum dolore percussum sanârit. In vitâ SS. Nazarij & Celsi, quomodo ipsi mergentibus se nautis & postea periclitantibus subuenerint. In vitâ S. Christinæ, quomodo ea carnificem suum à serpentibus qui in Virginem immittebantur, occisum ad vitam reuocārit. Et alia sexcenta apud Marulum l. 3. c. 5. His ergo & similibus amoris philtris longè efficacissimis conuerterunt SS. Martyres & primi Christiani, tyrannos, carnifices, populumq; spectantem. Et hæc fuit agri Dominici in primæuo illo flore bonitas & pinguedo: quę si adhuc in eo vigore esset, non difficulter conuerterentur, qui supersunt infideles & hæretici, sed dolendum quod S. Hieronymus in vita Malchi scribit Christi Ecclesiam scilicet post-

postquam ad Christianos Principes venit, potentiâ quidē & diuitiis maiorem: sed virtutibus minorem factam esse; Nimirum vt recens ager initio pinguissimus & fertilissimus est, posteà paulatim exhauritur: Ita & ager Ecclesiæ.

C. II. Prædicationis efficacia. SECVNDÒ, Per seminis iacti, id est, prædicationis Verbi DEI efficaciam. Grano sinapis vis quædam ignea inest, corpus inflammans ob acrimoniā: sic & Verbo DEI. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis?* dicit Dominus Iere. 23. *& quasi malleus conterens petram?* Igneam hanc vim experti tria millia hominum illorum, qui in Pentecoste ad vnam Petri côcionem conuersi & baptizati sunt. Experti 50. illi Philosophi disputantes cum Catharinâ, cuius demonstrationibus victi & conuicti eiurato idolorum cultu fidē mox amplexi sunt, & martyrio consignârunt, apud Metaphr. Experti illi Dialectici gentiles, qui in consessu Episcoporum Sophismatibus agentes confusi sunt ab vno laico simplice ac sincero dicente: Christum certè & Apostolos artem differendi neutiquā nobis tradidisse, neq; inanes fallacias, sed mentem apertam & simplicem, quæ fide & operibus integra seruari solet. Hanc enim eius sententiam mox admirati approbârunt & acquieuerunt. Socr. lib. 1. cap. 5. Sozom. & Ruffin. Expertus ille philosophus gentilis, qui in præsentia Constantini Magni Bizantij disputaturus cum Christianis, cùm dicere parans ab Alexandro Episcopo Constantinopolitano non admodum literato, sed morum sanctitate præstante in nomine Christi tacere iuberetur, mox velut elinguis ne verbum quidem proloqui potuit, sed victum se præbens manum Alexandro præbuit, & reliqui sepositis altercationibus volentes fidem amplexi sunt. Euseb. in vita Constant. Expertus & ille gentilis Philosophus seu Eulogius secundùm Glycam, seu Phædon secundùm alios, qui in Concilio Nicæno fidem Christianam pertinaciter impugnabat, nec vllis acquiescebat rationibus. Huius pertinaciam videns Spiridion senex Episcopus Trimituntinus in Cypro humanas quidem non callens argutias, sed plenus Spiritu sancto, prouocato eo in certamen (non sine plausu & risu gentilium, timore verò Catholicorum Christianorum, qui eum quidem sanctum, sed interim parum esse doctū nouerant) dixit: *In nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, *audi vir Philosophe. Vnus* DEVS *est qui omnia per Verbum & Spiritum sanctum suū creauit. Hoc verbum* DEI *filius est qui miseratus naturam humanā eandem suscepit vt à peccatis & damnatione homines redimeret: & posteà venturus est iudicare viuos ac mortuos & reddere vnicuique iuxta opera sua. Quare noli mysteria hæc curiosè inquirere & scrutari, quomodo fieri ista possint: sed humiliter crede atq; intellectum captiua. Habes quod ad hæc respondeas? Respōde, credis?* Et Mirum dictu: Philosophus in sancti viri verbis diuinam sentiens virtutem: *Imò verò*, respondit, *ac singula quidem credo, & gratias habeo quòd tam bene me instruxeris.* Adiecit iusiurandum se vi ac virtute diuinâ quâdā inexplicabili mutatum & conuersum esse, moxq; cæteris Philosophis sui similibus author esse cœpit, vt & ipsi pertinaciam deponerent & rationem fidei submitterent, refert Sozom. *l.* 1. *c.* 17. & Ruffin. *l.* 1. *c.* 3. qui subiungit: *Philosophum conuersum ad discipulos suos, vel eos qui audiendi gratia conuenerant: Audite, inquit, ô eruditi viri: Donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subuerti; vbi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt verba virtuti, nec homo aduersari potuit* DEO. Euenit huic Philosopho, quod Magis Pharaonis qui vertente Moyse virgam in serpentem, aquas in sanguinem, vertebant etiam ipsi: educente eo ranas ex aquis innumerabiles, educebant etiam ipsi; sed cùm produceret Moyses è puluere terræ ciniphes, minutissima animalcula, seu culices: nihil ampliùs potuerunt Magi, sed dixerunt: *digitus* DEI *est hic.* Exod. 8. id est, potentia & operatio DEI. Sic enim per Doctorū sapientiā conuersus fuisset mundus, non ita apparuisset hoc DEI opus esse. Nunc autē dicere omnes debent: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc mutatio dexteræ excelsi.*

D. III. Miracula. TERTIÒ, Per imbrium copiosam irrigationem, id est, per miraculorum ostensionem, quæ de cælo donata in agrum Domini efficacissimè influxerunt, eumq; breui mirabiliter fæcundarunt. Hoc enim est quod prædixit Deus per Ioël. Prophet. c. 2. vt ipsemet S. Petr. explicat, & factū esse asserit in concione habitâ die Pētecostes act. 2. *In diebus illis effundā de Spiritu meo & prophetabunt, & dabo prodigia in cælo sursū & signa in terrā deorsum*, &c. Quæ quidem irrigatio primis illis tēporibus necessaria erat, tum vt homines res supra facultatē rationis positas tanquā libris testimonialibus cōsignatas & sigillo cōfirmatas (iuxta id Marc. vlt. *prædicauerunt vbique Dño cooperante & sermonē confirmante sequētibus signis*) credere possent, quæ aliàs vix credi poterāt: tum vt per eā nouellæ plantæ non exarescerent, sed firmas in fide radices agerent: quo modo etiam plantis nuper positis frequētior irrigatio necessaria est. Quā ob causā scribit S. Greg. hom. 29. in Euāg. *Vt ad fidē cresceret multitudo credentiū, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cùm arbusta plantamus, tādiu eis aquā infundimus, quousq; ea in terra iā coaluisse videamus; at si semel radicē fixerint, irrigatio cessabit.* Talis igitur irrigatio facta inprimis est in die Pentecostes, cùm Apostoli variis linguis loquebantur: Vnde tria millia côuersa sunt. Talis cùm S. Petrus Simonem Magum deiecit ex aëre volantē: & cùm iuuenem excitauit, quē is excitaturū se iactabat, apud Egesippum de excid. Ierosl. talis cùm Amanus S. Marci discipulus Alexandriæ iussis Christianis à rege Babyloniæ montem transferre iuxta prædictionē Christi: *Si habueritis fidem sicut granū sinapis, dicetis huic mōti: Tolle, &c.* Mat. 17. aut fidem negare vel supplicia subire: montem loco cedere coëgit & celerrimè per aërem velut nauem versus Babylonem ferri. Vnde Rex & omnis populus conuersus est, apud Petrum de Natalibus in catalogo Sanctorum. Et alia innumerabilia. Atque ita non modò talia, qualia Christus fecit miracula

racula, à Christianis facta sunt, sed etiam maiora, vti prædixerat ipse. Cuius rei typus fuit Moyses & Aaron facientes prodigia coram Pharaone in Ægypto, donec dimitteretur populus Dei.

E. IV. Persecutionibus.

QVARTÒ, Per cæli tempestates, frigoris & nimium constrictionem ac ventorum agitationem, id est, persecutionum tempestates. Quemadmodum enim tempestates illæ frugibus non modò non obsunt, sed prosunt: (nix enim calorem terræ tollar velleris instrati souet, & ne gelu profundiùs penetrans vim seminaleto extinguat, impedit, gelu verò calorem terræ repercutit & introrsum agit, ne euanescat: Ventus denique inutiles terræ humores absumit, segetem excitat, & latentem frugem ruptis folliculis aperit) sic etiam persecutiones fidem promouerunt. Hæ enim fidelium feruorem in suo vigore confouebant, eorùmque latentes virtutes in lucem prodiderunt. Vnde cædes Christianorum aliud non erat quàm sementis in terram iacta, quæ ex vno grano decem, imò centum & plura proferebat. Vnde Tertullianus in apolog. dixit: *Sanguis martyrum est semen Christianorum*: siquidem ipsis cadentibus multa sæpè centena ac millia surgebant Christianorum, qui partim illorum fortitudinem, partim miracula, partim Dei præsentiam cernebant. Modico verò ad incendium accedente tota facilè exuritur ciuitas: Sic flagrante persecutione accendebatur fides. Hic verùs statim in primâ persecutione Ierosolymitanâ post Stephani necem dispersit felici euentu Christianos in plurimas nationes, qui ideò dicti Hebræi dispersionis. Et quemadmodum incendium corripit sæpè eos, qui restinguere id conantur; ita sæpè ad fidem tracti sunt, qui fidales impugnabant. Cuius rei figuram legimus 1. *Reg.* 19. vbi cùm Saul Dauidem persequens, intellexisset eum cum Samuele morari in Naioth Ramathæ: *Misit lictores vt caperent eum, qui cùm vidissent cuneum prophetarum Vaticinantium*, id est, Deum Laudantium: *& Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis & prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cùm nunciatum esset Sauli, misit & alios nuncios: prophetauerunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuncios, qui & ipsi prophetauerunt. Iratus ergo Saul abijt etiam ipse in Ramatha, & factus est etiam super eum Spiritus Domini, & expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coràm Samuele, & cecinit nudus totâ die illâ & nocte. Vnde & exiuit prouerbium: Num & Saul inter Prophetas?* Quod Samuel inter Dauidem & cæteros Prophetas, hoc Christus inter Apostolos & primos Christianos erat. Hos enim cùm Tyranni, Saulis imitatores rapere ad supplicium vellent, rapti sunt ipsimet & ministri eorum, Iudices & lictores ad fidem Christianam. Sic euenit inter multa exempla, in Martyrio S. Faustæ virginis, quæ cùm virginitatem coleret & sanctissimam vitam degeret, Maximianus Imperator re intellectâ, præcepit Iudici nomine Euilasio, vt Virgini cultum idolorum persuaderet. Quod cùm effectum dare non posset videretque simul miracula, quæ sancta Virgo faciebat, inspiratione diuinâ motus, similiter fidem Christi amplexus est. Iratus Imper. alium Iudicem constituit nomine Maximum, vt Virginem vnà cum Iudice excarnificatam interficeret. Iudex hic cum omni diligentiâ volens Imperatoris mandato satisfacere, ambos in ollam aquæ feruentissimæ immisit: Sed cùm 10 eâ nihil tormenti sentirent Martyres, motus inde Iudex & ipse ad fidem conuersus, atque in eamdem ollam proiectus, atq; ita vterque Iudex per virginē fidē & cum eâ Martyrium consecutus est. In Martyrio S. Mennæ Martyris cùm Diocletianus Imperator misisset Alexandriam truculentissimum Iudicem, qui eius causam cognosceret: Is initio adeò curiosus & diligens fuit in exequendo Domini sui mandato, vt statim cùm Alexandriam appulisset, S. Martyri linguam abscideret & oculos erueret. Sed Dominus, qui mirabilis est in sanctis suis, paulò post linguam illi & oculos restituit. Quâ re stupefactus Iudex & Dei digito tactus; tanta cum firmitate in Christum credidit, vt vna cùm S. Menna palmam Martyrij adeptus sit. In Martyrio S. Martinæ Virginis octo carnifices, qui illam torquebant, fidem amplexi sunt, videntes pœnas, quibus putabant se virginem exagitare, pro virgine in seipsos ab Angelis retorqueri. Vnde mox diis abnegatis, fidem Christi confessi sunt, & pro eâ variis tormentis enecati.

F. V. Singulari Dei assistentia.

QVINTÒ, Per Solis calorem & serenitatem subinde affulgentem, id est, per singularem Dei assistentiam, curam & prouidentiam. Inprimis enim vt aperiret viam Euangelio, procurauit Deus vt per vniuersum orbem talis pax esset, qualis nunquam anteà fuerat. Omnes enim nationes vni parebant capiti, Romano scilicet Imperatori: ita vt totus mundus vnum constitueret populum, & proinde sine impedimēto in omnes nationes prædicatio curreret Euangelij quod fieri tam citò & facilè non potuisset, si mundus in diuersa diuisus & animi inter se contrarij fuissent. 1.

Secundò, intra trecentos illos persecutionum annos subinde Ecclesiã respirare passus est & pace aliquâ frui, in quâ se rursum colligeret & vires instauraret: vti post Neronis persecutionem sub Vespasiano & Tito qui vetuit inquiri aut mulctari Christianos. Dio in Tito. Baron. anno 79. & 81. Post persecutionem Domitiani sub Nerua Imperatore, qui captiuos Christianos absoluit, exules restituit, & vetuit eo nomine quemquam accusari. Baron. anno 98. Post tyrannidem Traiani & Adriani, sub Antonino, qui aduersis cladibus territus inhibuit persecutionem. Baron. anno 154 Post M. Aurelij persecutionem sub Commodo. Baron. anno 182. & Seuero anno 195. Et Caracalla anno 214. Post Decij furorem, sub Gallo & Volusiano anno 253. Post Diocletiani & Maximiani interitum, sub Constantino Magno plena tandem Ecclesiæ pax est reddita. 2.

Tertiò, Multis subinde cladibus affecit Romanos eorumque Imperatores Christianorum perse- 3.

persecutores, vt non difficulter intelligere potuerint & sæpè fateri debuerint, eas sibi ob iniquissimam Christianorum cædem immissas esse. Sic in vltionem sanguinis Christiani effusi sub M. Aurelio, Commodus eius filius sæuit in vrbem, Senatum, ciues, Principes, Præfectos, immanissimè illos trucidando, nullâ interim Christianis illatâ molestiâ. Baron. an. 182. In vltionem effusi sanguinis Christiani per Alexandrinos sub Seuero Imp. Antoninus huius filius ingenti editâ cæde Alexandrinos, quòd ipsum illusissent, vastauit. Baron. an. 217. idemque immisso exercitu in populum Romanum, Circenses spectantem, quòd in aurigam ipsi charum nescio quid cauillatus esset, maximam cædem fecit, Christianis nihil nocuit. In vltionem persecutionis sub Decio Romani Scythis primùm tributarij facti & pestis decennalis vrbem vastauit sub Gallo & Volus. Baron. anno 255. In vltionem persecutionis Valeriani Romanum Imperium sub eius filio Gallieno variis cladibus afflictum in singulis penè eius regionibus fuit, terræ motibus, multorum dierū tenebris, hiatibus terræ, maris inundationibus, peste, fame, incendiis, Barbarorum incursionibus. Baron. anno 263.

4\. Quartò, In omnes orbis partes ablegauit prædicatores eruditione & sanctitate præstantes. Destinatus est Iacobus minor Hierosolymam, ordinatus illius Episcopus. Ioannes in Asiam abiit, illiusque Ecclesias rexit. Iacobus maior in Samariâ prædicauit & in Hispaniâ. S. Andreas in Scythiâ & Achaiâ, &c. S. Barnabas abiit Mediolanum. S. Marcus Aquileiam. S. Dionysius in Galliam, cum Rustico & Eleutherio: Fugacius & Damianus in Britanniam: S. Crescens Moguntiam, S. Maternus Coloniam, S. Eucharius Treuiros, S. Andronicus in Pannoniam, S. Augustinus missus à Gregorio Magno in Angliam. Valentinus in Noruegiam, Narcissus Augustam, Bonifacius Moguntiam, S. Xauerius in Indiam, &c.

5\. Quintò, Exoriente quapiam hæresi, semper excitauit aliquos viros eruditos & religiosos, qui eam expugnarent, ita vt sæpè vnicus vir sanctus hæresim integram confutaret & extingueret, quemadmodum de formicis quibusdā scribit Olaus lib. 22. c. 5. quarum vnica interdum in laribulo vrsi nidificans, inde ipsum & totam eius sobolem expellit, & perpetuò exulare facit. Sic cùm Arianæ pestis inuasisset Orientem, Deus extulit in lucem S. Antonium in Ægypto, vnde ea erupit, & S. Basilium in Cappadociâ. Cùm eandem VVandali intulissent in Africam, Ostrogothi in Italiam, misit Deus Africæ S. Augustinum, Italiæ S. Benedictum. Contra Iouinianum S. Hieronymum; contra Entychianos S. Sabam; Contra VValdenses S. Dominicum & S. Franciscum. Contra Hussitas S. Bernardinum Senensem, & B. Vincentium Ferrerium. Nostro sæculo contra Caluinum & Lutherum S. Ignatium eiusque Societatem, S. Philippum Nereum cum suo collegio, Patres Capucinos, &c.

CONCIO V.

Causæ propagationis hæresum nostri temporis.

Prima est heretica doctrina suauitas & plausibilitas.	*quasi innata facunditas.*
2. Dissoluta Christianorum illius temporis vita.	*4. Hæreticorum inquietudo & studium.*
3. Hæresum propria &	*5. Fraudulentia earundem.*
	6. Eorum violentia.

THEMA.

Simile est regnum cælorum fermento. Matth. 13.

SVnt non pauci, qui mirentur, cur huius temporis hæreses, Lutheri maximè & Caluini breui tempore ita sint propagatæ, vt integras nationes ac totum penè Septentrionem peruaserint & occupauerint. Ecce enim vnicus Lutherus flagitiosus Apostata, sedem Romani Imperij, regionem florentissimam & non tantùm fortitudine incolarum, sed etiam pietate morumque integritate olim spectatissimam, Germaniam, prauis suis opinionibus ita imbuit, vt à fide in quâ nati erant, & in quâ maiores illorum obierant, desciuerint & nouam anteà inauditam tam auidè & ambabus vt dicitur manibus amplexati sint. Vnus Caluinus mali corui pessimum ouum in plerasque Galliæ ciuitates non tantùm nouas de religione persuasiones, sed etiam seditiones & horrida bella inuexit. Quę vtriusque pestes totam Angliam, Hyberniam, Scotiam, Daniam, Sueciam, Belgium, Saxoniam & penè totam Septentrionem inuaserant & corruperūt. Cùm enim nemo libenter decipiatur etiam qui fors alios paratus esset fallere; omnis autem nouitas suspecta sit & fraudem oleat, nemo etiam facilè adigi possit, vt fidem à parentibus & maioribus suis hæreditarem mutet, qui tandem fieri potuit, vt tam noua & suspecta dogmata deciperent, & ab auitâ fide abducerent tot nationes? Accedit quod hæresiarchæ isti & eorū posteri nec sint, nec fuerint vnquam vel doctrinâ præter cæteros eximij, vel rebus miris & quæ naturæ vim exsuperent, clari vel vitæ sanctimonia conspicui; sed potiùs infames & pessimæ vitæ. Quantos labores exantlarunt viri sanctissimi: Bonifacius Germaniæ Apostolus, Kilianus, Columbanus, VVilibaldus, Rupertus, Seuerinus & aliextra nomerum, vt Germanos ad veræ fidei agnitionem traducerent? quos tamen Lutherus ab eadem fine vllo sudore suo abduxit. Quas molestias non susceperunt viri doctissimi & sanctissimi in Gallia, vt densis Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Saxoniæ, &c. tenebris lumen inferrent? At easdem hoc lumine priuare & denuò in æquè A.

æquè densam aut fermè densiorem caliginem veritque Dei ignorantiam præcipitare, adeò nõ arduum fuit Caluino, vt id ludibũdus, & quasi aliud agens perfecerit. Quæ cùm ita sint, non dubitant hæretici vniuersalem hanc Germaniæ velocem commotionem & inuersionem nobis quasi portentum & ingens aliquod prodigium obiicere, certissimum fidei suæ argumentum. Ecce enim, inquiunt, Martinus Lutherus vnicus homo tantùm potuit intra paucos annos effectum dare, vt totum penè attraxerit Septentrionem. Ecce fermentum illud, modicum, de quo Dominus prædixit, totam (Germaniæ) massam abeo fermentandam: Quemadmodum enim per pauculos & simplices Apostolos totum conuertit mundum & hoc ipso doctrinæ suæ veritatem comprobauit, ita totius Germaniæ innersio per Lutheri prædicationem certissimum erit argumentum, fidem illius veram esse. Sed non mouemur nos his inanibus hæreticorum bombis: quia si penitùs introspiciamus, quid traxerit Germaniam ad Lutheri sectam, non adeò mirabimur. Audiamus.

Comparatur quidam in hodierno Euangelio fermento Ecclesia vera & Catholica, cùm Dominus ait: *Simile est regnum cœlorum fermento*, quia nimirum illa immista tribus satis, id est, mundi partibus Europæ, Asiæ, Africæ, totum mundum fermentâtit. Sed comparatur etiam fermento synagoga diaboli & hæresis: & quidem ab ipso etiam Domino *Matth. 16.* monente discipulos suos & dicente: *Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum*. Vbi *non corporalem panem*, inquit ibi S. Hieronymus; *sed traditiones peruersas & hæretica significat dogmata*. Et de simili, id est, malo etiam fermento ait Apostolus *1. Cor. 5. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Itaque nequaquam est sufficiens comprobatio doctrinæ Lutheranæ, quòd instar fermenti totam inuerterit Germaniam: nam etiam modicũ aceti dolio generosissimi vini infusum, totum acore suo destruit & corrumpit. Et in simili genere vnus Arius totum Orientem & ex parte Occidentem: vnus Donatus & Manichæus totam Africam hæreticis suis dogmatibus olim contaminârunt. Sic denique vnus Lucifer traxit secum in perditionem tertiam partem stellarum. Taceo quòd fermentum Christi, non vnam tantùm orbis partem, vnam tantùm Germaniam, Galliam, aut Angliã, sed sata tria, hoc est, tres orbis partes, adeoque totum mundum debet fermentare; vbique eius fides coruscare, non in vno tantùm orbis angulo, quemadmodum doctrina Lutheri & Caluini. Vnde dicitur: *donec fermentatum est totum*. Taceo quòd fermentum Christi ab ipsamet Christi prædicatione vim suam exercere & per manus Apostolorum & successorũ continuò derinare vsque ad diem Iudicij debet: non post quatuordecim primùm sæcula: quemadmodum Lutheri & Caluini dogmata. Id solùm nũc dicemus, nequaquam mirum esse quòd Germania à fermento Lutheri aut aliæ nationes à fermento quorumcunq; hæreticorum sint corruptæ. Nã

Prima Causa tantæ propagationis hęreseõ est, doctrinæ illarum suauitas & plausibilitas: Siquidem ex Epicuri scholâ est, libertatem carni præbet, frænum libidini laxat, leges tollit, opera pœnalia damnat, timorem gehennæ pellit, salutem certò promittit, modò retineas fidem. Quis, quæso, sæcularis homo tam plausibilem doctrinã non obuiis vlnis amplectatur? An nescimus saxa deorsum cadere spõte & suopte pondere; difficulter verò in altum tolli? Faciliùs destrui domum, quàm ædificari? faciliorem esse descensum, quàm ascensũ? Doctrina hęreticorum nostrorum deorsum ducit, ad libertatem ducit: disciplinam destruit, descensum offert. Hæc enim sunt eorum dogmata: Nullum peccatum damnat nisi sola infidelitas: Fides sola absque omni bono opere iustificat coram Deo: Quodlibet opus bonum intuitu mercedis æternæ factum est peccatum. Auricularis confessio figmentum est, Purgatorium figmentum est: Ieiunia, peregrinationes, & cæteræ carnis mortificationes aniles Papistarum fabulæ sunt: Vota monastica irritanda sunt, quia Deo contraria: nubendum est omnibus clericis & similia longè plura: Quare scitè & festiuè Thomas Morus Cãcellarius Angliæ & Martyr Luthero suæ sectæ propagationem iactanti respondisse fertur: mirum id non esse; siquidem facilior sit descensus quam ascensus. Et *in ep. aduersus Pomeranum* scribit. *Ad propositam vita libidinem & licentiam populum ruere, maius non est miraculum, quàm saxa deorsum cadere.* Cui veritati & hoc addit, quod Castillæ meretrici Socrates quondam respondit. Insultabat illa Socrati ac dicebat: *Tu neminem ex amatoribus meis vnquam valebis à me abalienare: At ego quoties lubet, tuos auditores omnes à te auoco & ad me traho.* Cui prudentissimè respondit Socrates: *Mirum hoc non est: tu siquidem ad decliuem voluptatis tramitem omnes rapis & trahis: Ego ad arduum virtutis callem cogo & impello.* Ælianus *lib. 13. de var. hist.* Sanè in sacris Literis Hæresis non semel vocatur meretrix vti Esa. 1. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis?* quare sicut meretrix nullo planè negotio plurimos seducit, sic fecit hæresis Lutherana & Caluiniana. Quæsitum olim erat de Philosophis, cur tot reperirentur Epicurei & tam pauci Peripatetici & Stoici? In promptu causa erat, Stoicorum & Peripateticorum disciplina seuerior & subtilior: Epicureorum laxior & crassior: Vnde hanc turmatim amplectebantur: illas vt minùs ab domini gratias repudiabant. Audi Lactantium *l. 3. diuin. instit. c. 16. Epicuri*, inquit, *disciplina multò celebrior semper fuit, non quia veri aliquid afferat, sed quia multos ad populare nomen voluptatis inuitat: nemo enim non in vitia pronus est, teq, vincere difficillimum est.* Eadem causa tantopere protulit & diffudit sectam Mahometanam non homine sed beluã dignam, dum plures concedit vxores, libellum repudij, &c. Si tamen Lutherus suis asseclis vti Mahometes suis vsu vini & cereuisię interdixisset, nescio num in Germaniâ tam multos sectatores

B. Doctrinæ hæreticæ plausibilitas. 1.

tores inuenisset. Sine dubio repulsus fuisset vt nimiùm seuerus & rigidus. Certè carnis, non religionis amor extraxit è monasterio & cœtu Catholico Lutherum, Munsterum, Pelicanum, Bucerum, Ochinum, Oecolampadium, Caluinum, Bezam, & id genus alios: libertas item carnis, non spiritùs post eos attraxit Germanos, Gallos, Anglos, &c. Fermentum Christi amarum & austerum fuit, ad crucem, ad opera pœnitentiæ, ad virtutis callem inuitauit, & tamen attraxit orbem. Hoc prodigium, hoc portentum est. Fermentum hæreticorum non tam fermentum, quàm mel fuit, quod muscas attraxit.

C. II. Dissoluta illius téporis vita.

SECVNDA, Dissoluta Christianorum vita & procliuitas ad lapsū, quæ viguit in Germaniâ tempore Lutheri. Facilè inflammatur lignum aridum: & facilè credunt homines quæ audire gestiunt & facilè arripiunt, quæ desiderant. Non est difficile persuadere voluptuario homini, Sacerdotes vxoratos esse debere, castitatem impossibilem esse: Guloso, ieiunia esse superflua, ebrietatem non esse peccatum; Auaro, vsuras esse licitas: Luxurioso, fornicationem. Ita enim Pharisæi audiebant Dominum prædicantem eleemosynas & reprehendentem auaritiam ac dicentem: ***Non potestis seruire Deo & Mammona***; sed nihil mouebantur, imò ***deridebant eum, qui erant auari***. Audiebant, inquit Lucas c. 16. ***Omnia hæc Pharisæi, qui erant auari & deridebant eum***; quod si vsuras excusasset Dominus, si diuitias laudasset: vàh quàm auidè id auari arripuissent? Sic. Acbab gestiens ire ad bellum, facilè persuasus est à Prophetis falsis, 3. *Reg. vlt.* Itaque non mirum si tam multi & tam facilè Mahometo primùm, deinde Luthero & Caluino carnis libertatem prædicantibus se adiunxerint. Erant enim vtroque tempore illic in Græciâ, hîc in Germaniâ, vt historiæ testantur, mores Christianorum magna ex parte corruptissimi. Nulla propè erat in Iudiciis Ecclesiasticis seueritas, nulla in sacris Literis eruditio, nulla in rebus diuinis reuerentia, nulla sacrorum Canonum obseruantia. Sacerdotes contemptui erant & contemptim ferè viuebant: Sacramenta, religio, disciplina Ecclesiastica negligebantur, & fortasse à multis etiam nesciebantur. Itaque ***dum dormirent homines, venit inimicus homo*** (diabolus & Lutherus eius legatus) ***& superseminauit zizania. Matth.*** 13. Non arauit, neque occauit terram sicut fieri debet vt fructum bonum afferat; Seminatio solùm deerat, quia tellus ad zizania ferenda iam optimè disposita erat. Vnde R. P. Lanspergius Carthusianus scitè admodum dicere solebat, Lutherum nil fecisse, nisi quod tibiam vtricularem inflarit; homines enim ad saltandum iam fuisse paratos: sed tibicinem defuisse. Paratissimi tunc erant multi clerici ad fornicationes, ad libidinem: Desiderabant nobiles & Principes sæculares multi, bona & prædia Ecclesiastica: populus libertatem à iugo suorum principum nec non Christi; Vnde aliud non requirebatur nisi vt auceps ille Lutherus & Caluinus singulis auiculis suas quas amabant, escas veluti in areâ proponeret. Vnde *Ierem.* 5. ***Inuenti sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros.*** Typus horum aucupum erat Balaam ille, qui videns Israëlem, nisi destitutum à Deo propter peccata, vinci non posse, posuit scandala coram eis, & consuluit Regi Balac vt selectissimas puellas propè exercitum Hebræorum mitteret: quò ad Venerem eas pellicerent, nec verò priùs admitterent, quàm Idola earum venerarentur, & de Idolothytis manducarent: vt habetur *Num.* 31. *Apoc.* 1. quo facto plurimi Israëlitarum seducti sunt, vt *Num.* 25. patet. Porrò ipse S. Ioannes *Apoc.* 2. ariolo illi comparat Nicolaitas hæreticos sui temporis, qui fornicationes suadebant & præcipiebant. Et quid aliud quæso, fecit Lutherus & Caluinus? Ipsi proposuere escam: mox carnales in aream eorum descenderunt, vtpote carnis, auaritiæ, & libertatis iam priùs amantissimi. Ita prorsus ad hæresim dispositus erat Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux, sicut Achab ad bellum. Cùm enim mirè desideraret familiam Austriacam Imperatoriâ dignitate spoliare, quòd sentim videretur, quasi hæreditario iure ab eo possideri: Communicauit desiderium suum Luthero, qui suasit vt Dux mutaret religionem, si Imperium mutatum vellet, nec difficilè persuasit homini inuidiâ pleno, & Cæsari infenso. Itaq; Dux Lutherum sibi adiunxit conceptæ nequitiæ aptissimum instrumentum & arma in Carolum V. mouit, vt eum Germaniâ exturbaret. Sed profligatis eius copiis victus & captus ac potestate electoriâ priuatus est: quam in Mauritium eius patruelem transtulit Imperator, in cuius familia adhuc perseuerat. Petr. Ribadeneira. *princ. Christi. l.* 1. *cap.* 15. Nihil ergo hîc miraculi, deiicere videlicet parietem inclinatum, de quo *Ps.* 61. dicitur: ***Tanquam parieti inclinato***, scilicet vim facitis.

D. III. Hæresum propria fœcunditas.

TERTIA, Ipsa hæresum propria & innata quasi fœcunditas tam in sibi similibus quàm in dissimilibus fœtibus progignendis. Nam si qua hæresis citò crescat, quid mirum, cùm herba mala multò citiùs & copiosiùs crescat quàm bona? Multa opus est cultura vt herbæ vtiles crescant, inutiles etiam absque cultura & vltrò crescunt. Quis nescit etiam inutilia animalcula & insecta citiùs & abundantiùs progigni, quàm vtilia & perfecta? vnus pediculus vesti adhærens citò generat plures. Ita res habet cum hæresibus. Achab habuit 450. pseudoprophetas Baal, & solus Elias, vt ipsemet deplorat, erat Propheta Domini. 3. *Reg.* 18. Et licet Elias hos omnes occiderit, nihilominùs paulò post alij 400. surrexerunt pseudoprophetæ, cùm solus Michæas superesset Propheta Domini. 3. *Reg.* 22. Facilè igitur est hæretico similem sibi gignere. Sed accedit quòd tanta sit eorum fœcunditas vt etiam sibi dissimiles pariat, ac veluti gallina omnia excludit oua, simul anserum, pauonum, anatum, gallinarum: ita etiam hæretici diuersas à se quamplurimas excludunt hæreses. Et sanè si eos tantùm nu-

numerare vellemus hæreticos, qui eiusdem sectæ sunt, paucos inueniemus, præsertim si cum Catholicis comparemus. Catholici omnes idem circa fidem sentiunt & per totum orbem diffusi sunt. Nequaquam ita hæretici, sed singulæ eorum turmæ in singulis tantùm mundi angulis hærent. Germania alit Lutheranos & hos diuersarum sectarum, Saxonia Confessionistas, Morauia Anabaptistas, Gallia Caluinistas, Anglia Puritanos, Polonia Arianos, Græcia Schismaticos, & in singulis locis plura inter eos schismata. Rudiores enim inter eos sequuntur suos magistros; qui verò subtiliores sunt, etiam ipsi aliquid noui inueniunt; & quod licuit magistris etiam sibi licere volunt; inde fit vt inter eos paucissimi reperiantur concionatores, qui eosdem fidei articulos prædicent. Ita olim in Africâ, teste S. Augustino *l. 3. contra Parmen. cap. 4.* Donatistæ in plurimas partes scissi sunt, &, vt ipse loquitur, *in multa minutissima frusta.* Manichæi in Catharistas, Machariοs & propriè dictos Manichæos. Ariani in Acacianos, Eunomianos & Macedonianos. Ex sectâ Lutheri tot aliæ natæ sunt, quot ferè naues græcanicæ Troiam oppugnantes, quarum catalogum vide apud Staphylum & Prateolum. Primò Anabaptistæ, & hi Antinomi, Osiandristæ, &c. Secundò Confessionistæ, & hi rigidi, molles, extrauagantes, reformati. Qui omnes iterum variè diuisi. Tertiò sacramentarij, & horum alij remonstrantes & contraremonstrantes. Arminiani & Gomaristæ, molles & rigidi Caluinistæ. Ratio harum sectionum est, quia non habent certam regulam interpretandi scripturam, sicut habet Ecclesia Romana, iuxta interpretationem videlicet SS. Patrum, sed permittunt cuiuis sensu suo scripturam interpretari: inde tot capita quot sententiæ. Vti v. g. Hoc est corpus meum, interpretatur Lutherus, corpus simul cum panis substantia: Hic est sanguis meus, sed cum substantia vini. Huius interpretationis absurditatem videntes Zvvinglius, Caluinus, Oecolampadius intellexerunt ita: Hoc est corpus, id est, hoc significat corpus meum, & ita in aliis. Ecclesia Catholica, quia habet certam regulam interpretandi, nimirum iuxta intellectum SS. Patrum, ideò nequit in varias sectas diuidi. Nam quod obiiciunt illi nobis varietates ordinum, stultitiam suam produnt; hi enim in fidei articulis omnibus conueniunt, in regulis tantùm viuendi discrepant. *Vna est columba mea,* scilicet Ecclesia Romana, & hæc vna per totum volat & habitat orbem. Nequaquam ita hæreses.

E. IV. Hæreticorum inquietudo & studium.

4. QVARTA, Hæreticorum inquietudo & indefessum studium, acquirendi sibi similes & homines fermento suo incorporandi: siue vt ita fortiores & tutiores ab exterminio sint, quemadmodum seditiosi solent ad se multos trahere, quo impunius furiant; siue quia hæreticorum & cacodæmonum idem omnino est studium & coniunctum, pertrahendi animas in gehennā, doctrinis peruersis, consiliis, fraudibus, pollicitationibus, minis & bellis: sicut idem ferè vtrorumque casus, illorum de Ecclesiâ, horum de cælo. Vnde in sacris Literis tam hæretici quàm cacodæmones vocantur lupi, oues Christi dilaniantes: hi *Ioan. 10. Lupus rapit & dispergit oues.* Illi *Act. 20. Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi.* Vt enim lupus non tam ad famem pellendam, quàm ad libidinem satiandam lacerat oues omnes, non contentus vnâ vel duabus, ideòque totâ nocte longa itinera indefessus currit vt rapiat & mactet: sic etiam diabolus, *circuit quærens quem deuoret*: vti & hæretici qui explorant omnes modos & mira excogitant ad propagandam hæresin. Cogunt populū ad Conciones & pueros ad Catechesin, proscribunt religionis Catholicæ exercitia, neminem nisi suæ sectæ ad Magistratum admittunt, Magistratus neminem Catholicorum in ciuium numerum, vt in ciuitatibus Imperialibus patet, vbi Magistratus hæreticus est: studia magna ex parte impediūnt, & vrbes opificibus tātùm ac mercatoribus implent. Prædicantes eorum ferè quotidie prædicant, manè sæpè & vesperè, vt verè de iis dici possit id *Eccl. 19. Sagitta infixa femori canis, sic verbum* (Dei Lutheranum) *in ore stulti.* Vt enim eiusmodi canis non quiescit quamdiu sagittam in femore retinet: sic nec Prædicantes à verbo suo circumferendo, iuxta id *Hier. 23. non mittebā Prophetas, & ipsi ' currebant.* Denique quid nō expendunt, quid non tolerant, quò fidem nostram eradicent, suam plantēt? His annis vidimus quæ & quàm multiplicia consilia in nos conceperint, quot Principes & Resp. sibi deuinxerint, quas machinas excogitârint vt nos supprimerent: ipsi nos hæc eorum consilia mirabiliter à Deo patefacta & in manus nostras in originali delapsa & publicis typis euulgata legimus. Vt taceam quid non toletârint eorum milites, qui multo tempore sine stipēdiis militarunt: quid non pecuniarum contulerint ciuitates Imperiales, &c. ô quàm ergo verum est illud Domini *Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt! Luc. 16.* Vincunt hāc suâ sedulitate Catholicos, sicut Iudas cum suis vigil discipulos in horto dormientes; & vultur (cui S. Augustinus *tract. 6. in Ioan.* hæreticos comparat) columbam, quæ Ecclesiæ typus est.

QVINTA, Fraudulentia hæreticorum. Lupinæ enim pelli vulpinam assuunt, & inprimis semper & vbique iactant Euangelium suum, verbum Domini, verbum Domini, quasi eorum doctrina eaque sola clarissimè reperiatur in Euangelio, & nos Euangelium reiiceremus, vel ei contrairemus; hinc omnia sua commenta sententiis scripturæ vestiunt & infinitis centonibus obtegunt, vt ea rudi populo credibiliora faciant, ad eum ferè modum, quo Sutor vt filum crassius in angustum calcei foramen introducat, setam illi subtilem intorquet & præfigit, vt beneficio setæ etiam crassius filū traducat: sic enim illi paradoxa sua (vti vota, ieiunia, bona opera, purgatoriū, sanctorū inuocationes, castitatem, confessionem, &c. mera commenta esse) vt rudioribus persuadeāt, bene-

F. V. Fraudulentia eorundem.

ficio scripturarum id efficiunt: & has esse ouinas illas pelles sentit Vincentius Lyrinensis *l. contra prophan. hæres. nouit. c.* 36. in quibus lupos venturos ad nos prædixit Dominus: *qui vt fallaciis incautis ouibus obrepant manente luporum feritate lupinam speciem deponunt, & sese diuinæ legis sententiis velut quibusdam velleribus obuoluunt*; inquit ille. Atque vt huic fraudi robur addant, quibuscunque hominibus facultatem præbent legendi & interpretandi scripturas, imò etiam suadent: nec dubitant asserere Papam & eius asseclas, ideò prohibuisse laicis lectionem scripturarum SS. ne fraudes eius apparerent, quibus vulgum dementârit, quasi plurima commenti sint Pontifices ad suam & Ecclesiasticorum vtilitatem, quæ scripturis contra dicat, vt Missas, confessiones, oblationes, &c. quo sanè modo innumerabilem hominum multitudinem traxerunt ad suas hæreses. Quemadmodum si cuiuis hominum daretur Romæ licentia ingrediendi cryptas Martyrum obscurissimas, velut ad S. Pancratium, ad S. Sebastianum &c. plurimi in iis exerrarent, etiam accenso lumine, & in iis miserè perirent, ona varias, anfractuosas, longas & obscurissimas vias: id igitur ne cui accidat, sub graui pœnâ prohibent ne quis, nisi duce aliquo viæ gnaro cum aliquot luminibus eò ingrediatur. Ita res habet cum sacris scripturis: cùm enim licentia datur omnibus earum obscuritates ingredi & abditos sensus rimari, licet lumen intelligentiæ & ingenij acumen se habere existiment, fieri nō potest, quin plurimi exerrent, cùm scriptura omnis varias patiatur interpretationes. Atque hinc est quod tot in iis deuiârunt & in hæresin lapsi sunt. Omnes enim hæretici scripturam allegant pro se, licet diuersarum hæresum, quibus certè omnibus scriptura seruire nequit. Igitur vt ne erremus nos Ecclesia mater nostra homini laico prohibet scripturam aut saltem eam rimari & interpretari, vultq; vt non nisi iuxta SS. Patrum sententiâ velut prælatis facibus & duce aliquo, approbato Doctore, eam ingrediamur, audiamus & legamus.

G. VI. Violentia eorum. SEXTA, Violentia hæreticorum. Ad extremum enim vbi etiam vulpina pellis non sufficiebat, iuxta prouerbium, leoninam assuerunt. Nam initio principum & magnatum ambiunt ostia, ipsos primò inficiunt, vt ipsorum auctoritate dogmata sua promoueant ad subditos, mediante videlicet Principis mandato, minis & pœnis. Ita primus hæreticorum pater Simō Magus, magicis artibus Neronem Imp. seduxerat, & in Apostolos Petrum & Paulum ac fideles alios exacerbârat. Ita Arius & Eutyches Imperatores Christianos. Ita Lutherus Principibus adulabatur, ad Magnates, Comites, Barones literas dabat, & fauorem eorum captabat; vt sic eorum gladiis perromperet, & Euangelium suum propagaret. Atque ita factū vt captis potentioribus caperentur & subditi. Sed non ita voluit Christus plantari Euangelium suum. A simplicibus & humilibus incepit Christus & vocauit primò humiles piscatores, deinde, plebeios & inopes. (vnde est illud 1. *Cor.* 1. *non multi potentes, non multi nobiles, nō multi sapientes, &c.*) post illos quosdam doctos vt Gamalielem, Saulum, ac deinde alios diuites, demùm Reges & Imperatores. In cuius rei figuram priùs pastores vocati sunt ad præsepe Domini, posteà primùm Reges, prout etiam prædictū *Isa.* 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo & reges in splendore ortus tui.* Ratio est, quia si Deus à nobilibus, doctis potentibusque auspicatus fuisset Euangelium, qui illud edictis ac statutis imperassent subditis, non tam diuinâ virtute, quàm humanâ operâ videretur disseminatum Euangelium. Non esset mirum lupis capere oues, sed ouibus capere lupos. Christus dixit: *Ego mitto vos sicut oues in medio luporum* (scilicet ad capiendum & cicurandum eos) non sicut lupos in mediò ouium. Nihil igitur miraculi habet Lutheri Euangelij propagatio. Porrò vbi apud Principes nihil efficiunt hæretici, postmodū turbas cient, seditiones & bella commouent, subditos in Principes suos armant, atque ita ferro & flammâ Euangelium suum disseminare conantur. Quod accuratè præstitit Lutherus, qui postquam aduertit obsistere sibi multos Imperij Principes ac Cæsarem inprimis, docuit libertatem Christianam eximere omnes subditos à dominatu & subiectione Principum; vnde & suasit eis, arma in eosdem sumerent. Sic enim scribit in libr. de captiu. Babylon. item contra duo Cęsaris mādata, nullam spem superesse remedij, nisi omnibus humanis legibus extinctis, populus regnet, & Deum rogandum ne subditi suis obediant & Magistratibus. Ex quâ Lutheri doctrinâ animatus & armatus Thomas Muncerus eius discipulus concitauit seditionem rebellium rusticorum per Germaniam & bellum Schmalcaldicū, in quo plusquā 500. millia rusticorum periêre. Vt patet ex commentario Surij, Schledano hæretico, &c. Quo eodem medio vsus in Heluetiâ Zwinglius, qui & ipse in suo prælio periit cùm se iactasset globos omnes bombardarum manicâ suâ excepturū: Caluinistæ in Galliâ, &c. Sed non voluit Christus Ecclesiam suam armis propagare nec permisit etiam Apostolis suis baculum portare: atque in eius rei significationem noluit sibi à Dauide templum ædificari, quia is multum sanguinē fuderat & grauia bella gesserat, sed à Salomone pacifico, qui nec cædē fecerat nec bellum gesserat, vt habetur 1. *Par.* 22. Neque mirandum est aut DEO adscribendum cùm secta aliquà armis propagatur: alioquin potiùs Turcæ secta approbanda esset. Lapis ille, qui contriuit statuam Nabuchodonosoris sine manibus abscissus fuit *Dan.* 3. ita sine violentiâ fides Christi propaganda erat.

Concludamus ergo nihil prorsus miraculi continere hæresum propagationem neque valde mirandam. Dicendum potiùs: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti. Thren.* 3. Et orandus DEVS, ne patiatur nos induci in errores tam peruerso tempore.

CON-

CONCIO VI.

Multiplex verbi Dei auditi fructus, & non auditi damnum.

Assignatur sex vtilitates Verbi Dei per comparationem ad granum sinapis.
Primò illuminat intellectum.
2. Roborat mentem spe.
3. Accendit charitatem.
4. Preseruat à vitiis.
5. Prouocat ad pœnitentiam.
6. Incitat ad virtutem.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Matth. 13.

A. SAnctus Hieronymus in Comment. super hoc Euangelium, ait: *Regnum cælorum prædicatio Euangelij est & notitia scripturarum, qua ducit ad vitam, & de quâ dicitur ad Iudaeos: Auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructum eius. Matth. 21.* Eodem modo accepit regnum Dei Apostolus cùm *ad Coloss. 4.* scripsit: *Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei*, id est, in prædicatione Euangelij. Sed cur verbum Dei vocatur regnum cælorum? rationem indicauit Hieronymus, quia ducit ad regnum cælorum, & est via ad illud. Et sicut semen sinapis virtualiter est arbor: sic semen verbi Dei virtualiter est cælum. Hinc Christus & Ioannes prædicationi suæ hoc thema præfixerunt: *pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Appropinquat videlicet audientibus verbum Dei. Sed quâ ratione verbum Dei grano sinapis comparatur? Respondeo in præsenti, ob varias eius vtilitates, quæ etiam in grano sinapis cernuntur vt videbimus.

B. I. Illuminat intellectum. PRIMÒ, Sinapi caliginem oculorum detergit, teste Anglico *l. 17. c. 155.* Sic verbum Dei illuminat intellectum & accendit ac conseruat in eo lumen fidei, per quam hominis gressus ad securè ambulandum in vitam æternam facilè diriguntur. Nam *fides ex auditu*, ait Apostolus *ad Rom. 10. auditus autem per verbum Dei.* Cuius rei figura erat stella illa, quæ Magos ad præsepium duxit: significabat enim per verbũ Dei ducendas esse gentes ad cognitionem fidei. Vnde S. August. *ser. 2. & 3. de Epiphan.* stellam Magorum vocat *linguam cælorum*: nec immeritò, quia sicut Angeli pastores verbo, sic stella suâ luce duxit ad fidem Christi Magos. Certè quando se occultauit stella propè Ierosolymam à Magis, tunc iam illi inquirere debuerunt iter & Ierosolymam diuertere ad indagandum Regem natum: eâ verò rursum apparente rursum rectum tenuerunt iter: sic quãdiu verbum Dei prædicatur, tamdiu etiam fidei ductus & lumen conseruatur: vbi verò cessauerit prædicatio in tenebris ambulabimus & à fide aberrabimus. Hinc Sapiens ait *Prouerb. 26. cùm defecerint ligna, extinguetur ignis.* Ligna quibus fouetur in nobis ignis fidei, prædicatio verbi Dei est: quâ cessante paulatim extinguitur fides. Per semen creaturarum conseruantur mundus & rerum species, & per semen verbi Dei fides ac consequenter etiam Ecclesia fidelium; meritòque dicere possumus id *Isa. 1. nisi Dominus reliquisset nobis semen*, verbi Dei) *quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*; quia nimirum à fide excidissemus. Et propterea Dominus vocauit Apostolos sal terræ, quia vti sal carnes à corruptione, ita ipsi per verbi prædicationem Ecclesiam ab interitu & putredine seruaturi erant. Testis est experientia, contemprores verbi Dei, à cuius auditu vt plurimum... [sic] muoitet viuere quasi athei aut saltem hæretici fieri & quandoque ad extremum desperare.

C. II. Roborat mentem spe. SECVNDÒ, Sinapi seruit contra tinnitum aurium, teste Anglico ib. Sic etiam verbum Dei munit & solatur nos contra scrupulos cõscientiæ & metum tubæ illius terribilis, quam sibi audire semper videbatur S. Hieronymus, iudicij videlicet, cuius annuntiatio ita conturbabit reprobos vt tinniant ambæ aures eorum: atque ita erigit nos in optimam spem & fiduciam. *Quæcumque enim scripta sunt*, ait Apostolus *ad Rom. 15. ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Scriptura siquidem passim amplissima Dei promissa complectitur & modos ac vias demonstrat quibus fugere à venturâ irâ possimus. Timere posset iustus, ne à perseuerantia excideret: eum consolatur verbum Apostoli *2. ad Tim. 1. Certus sum quia potens est seruare depositum meum iustus iudex.* Anxiari possent diuites: quos solatur illud verbum: *Facite vobis amicos*, &c. Et: *diuitiæ si affluant, nolite cor*, &c. Timere posset peccator, ne forsan eius pœnitẽtiam Deus non acceptarit, nec culpas condonarit, sed tantùm dissimularit. Hunc consolatur Scriptura, *Ezech. 18.* dicens: *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitiâ suâ, quam operatus est, viuet.* Consolatur per exempla pœnitentium, Magdalenæ, Petri, Dauidis, &c. Angustiari & quandoque ad desperationem adigi posset grauis aliquis peccator, quasi maior esset iniquitas eius, quàm vt veniã mereatur: occurrit huic Scriptura mille locis & dicit: *Viuo ego dicit Dominus Deus: Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ & viuat. Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israel. Ezech. 33. & 18.* Metuere possent rudes ne forte plus ab ipsis requiratur in iudicio quàm acceperint: sed solatur eos Scriptura, quæ ait: *Cui multum datum est, multum requiritur ab eo*, &c. & parabola talentorum quæ 2. tantùm repetit ab eo, qui duo accepit. Perturbari possent tribulati & afflicti; quibus ait Scriptura: *non patietur vos tentari supra id quod potestis 1. Cor. 10.*

D. III. Accendit charitatẽ. TERTIÒ, Sinapi vim ignitam habet, quâ corporis artus accendit & inflammat, lachrymas excutit, frontem contrahit, &c. Sic etiam verbum Dei charitatem Dei accendit in cordibus hominum & accensam inflammat augetque. De Deo ait Moyses? *In dextera eius ignea lex. Deut. c. 33.* Quia eleêt, ait S. Greg. *hom. 30. in Euang. Mandata cælestia vsquequam frigido corde audiunt, sed ab hac amoris intimi facibus inardescũt.*

Declarat hoc S. Ambrosius *serm.* 2. cùm ait: *Sicut cùm sinapis succum sumimus, vultu constristamur, fronte contrahimur, ad lachrymas permouemur & ipsam salubritatem corporis nostri cum quodam fletu auferitatu accipimus: illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, hinc calor igneus saporis accendit, & toto pectus bari corpore tunc magis sani efficimur, cùm ampliùs deploramus: ita & cùm fidei Christianæ mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas permouemur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu ac mœrore consequimur, inde tetunia nos exasperant, illinc peccatorum conscientia mactrat, hinc patrimonij iactura perturbat, & toto contristati habitu magis salutem consequimur, si ampliùs defleamus, &c.* Sic ille. Hâc flammâ correpti erant discipuli illi euntes in Emaus: dicebant enim: *Nonne cor nostrum erat ardens in nobis dum loqueretur in viâ & aperiret nobis scripturas? Luc. vlt.* Quis enim non inardescat, si immensum illum Dei erga nos amorem & innumera beneficia, creationis, conseruationis, redemptionis, vocationis, iustificationis, glorificationis audiat vel legat è scripturis? Quis nō amore langueat cū sponsâ, si introducatur in cellam vinariam sponsi & consideret omnia quæ docuit, fecit ac passus est nostri causâ? Sanè vti vehemēs ignis sæpè corripit circumstantes & qui extinguere eum conantur: ita verbum Dei. Experti sunt hoc apparitores illi missi ad capiendum Christum *Ioan.* 7. qui audito Christi eloquio re infectâ ad Pontifices redierunt & ex lictoribus prædicatores Christi facti sunt, cùm dicerent: *nunquam sic locutus est homo sicut hic homo.* Vnde Pharisæi ad illos: *Nunquid & vos seducti estis?* Sanè & Saul olim inter Prophetas numeratus est Dauidicæ cytharæ attractus suauitate, quæ verbi diuini typus fuit. Expertus idē est igneā hanc vim S. Antonius, qui cùm ingressus Ecclesiam ex Euangelio audisset: *si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus: tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino* obtemperandum existimauit. Itaque venditā re familiari pecuniam omnem pauperibus distribuit, & cælestis vitæ genus in terris colere instituit. Similiter S. Franciscus cùm illud ex Euangelio audiuisset: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta;* statim sibi eam regulam seruandam proposuit. Serapion Anachoreta cùm in sacro codice suo legisset: *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus:* foras egressus incidit in mendicum nudum, cui ipse detractam sibi vestem dedit; ipse verò propè nudus cùm ab obuiis rogaretur, quis eum latro tam miserè spoliâsset? digito in codicem quem sub axillâ gestabat, intento: *Hic,* inquit, *est.* Vnica Euangelij lectio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum; beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Simeonem Stylitem illicò conuertit, eoq; prouexit vt 80. annos continuos in columnâ eodem pede consisteret, perdius & pernox orationi vacaret, penè sine cibo & somno viueret, vt portentum orbis, neque tam homo quàm Angelus in carnem lapsus esse videretur.

Denique S. Bernard in ea CHRISTI verba: *Si vis perfectus esse, vade, &c.* ait: *Hæc verba sunt quæ contemptum mundi in vniuerso mundo & voluntariam persuasere paupertatem; hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis.* Sic ille. At inquies: Cur ergo nos, qui toties Scripturas SS. legimus & Conciones audimus, hos æstus, has viuæ mutationes non sentimus? Respondeo, quia eas obiter & oscitanter legimus & audimus. Nam *sicut granum sinapis*, ait S. Ambrosius *serm.* 1. *Prima fronte specie sui est paruum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suauitatem: At vbi teri cœperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto caloris feruore succenditur, vt mirum sit in tam friuolo grano tantum ignem fuisse conclusum.* Sic verbum Dei non exserit vim suam nisi sedulâ meditatione contritum, beneque in corde expensum, accedente oratione, bonâ voluntate, &c.

QVARTÒ, Sinapi *stomacho vtilissimum est contra omnia vitia pulmonibusq;* ait Plin. *l.* 20. *cap.* 22. Sic etiam verbum Dei saluberrimum est præseruatiuum contra animi vitia & fortis armatura. Hoc muniuit stomachum suum Dauid, qui *Psal.* 118. ait: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Causa verò cur abscondisse se dicat, est, quia diabolus verbo Dei in corde seminato, vehementer insidiatur, vt suffuretur illud, quod testatus est Dominus in parabola de semine cadente secus viam; nouit enim quàm efficax sit medicamentum contra peccata; & quomodo per verbum Dei à Christo victus & confusus sit in deserto. Quare cùm tentaris de superbiâ, dicit tibi Verbum Dei: *Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem, Luc.* 10. si de ambitione honorum & dignitatum: *Iudicium durissimum his qui præsunt.* Et: *Potentes potenter tormenta patientur. cap.* 6. si de auaritia: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Matth.* 16. si de luxuria: *nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, &c. Regnum Dei possidebunt.* 1. *Cor.* 6. si de inuidia: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth.* 20. si de ira: *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Matt.* 5. si de gula & delicijs: *Va vobis, qui habetis consolationem vestram. Luc.* 6. Et: *quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctū, Apoc.* 18 si de acedia: *Vade ad formicam, ô piger, Prouerb.* 6. Et: *inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, Matth.* 21. Quare optimè comparatur sacra Scriptura & Dei verbum in ea contentum Dauidicæ turri. *Cant.* 4. de quâ dicitur: *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Huius igitur sinapis grana aliquot memoriæ mandanda & quasi comedenda sunt contra occurrentes tentationes. Sacra Scriptura familiaris tibi facienda, crebrò vel legenda vel audienda, ruminandaque. Ideircò etiam oculi sponsæ dicuntur *sicut columbæ, quæ resident iuxta fluenta plenissima Cant.* 5. nam *sicut columbæ,* inquit S. Gregorius eo loco, *iuxta fluenta residere solent, vt volantium auium vmbram in aquâ videāt,* supra

IV. Præseruat à vitijs.

supra quam se proiicientes, vngues rapacium sic effugiant: sic sancti viri in Scriptura sancta fraudes dæmonum prospiciunt, & ex descriptione quam vident, quasi ex vmbra hostem cognoscunt. Denique se consiliis Scripturæ ex toto addicunt, vt videlicet nihil agant, nisi quod ex responso scripturarum audiant, & quasi in aquam se proiicientes hosti illudant: quia scriptura fluenta plenissima dicuntur, quia de quibuscunque scrupulis in scripturis cõsilium quæritur: sine mensuratione de omnibus ac plenum inuenitur. Sic ille.

Denique proponit scelestorum pœnas: Superbi mementote Luciferi, Nabuchodonosor, Herodis, Iezabel, Pharaonis, Auari epulonis, duri Nabal, &c. Luxuriosi Amnon, senum illorum *Daniel.* 13. Inuidi Cain, Saulis, iracundi Datan & Abiron, Aman, &c. Gulosi epulonis, Holofernis, Balthasar, &c. Hinc sequitur hominem verbo Dei destitutum inermem esse & diabolicæ prædæ omnibusque procellis veluti nauem gubernaculo carentem, expositum.

F. V. Prouocat ad pœnitentiam.

QVINTÒ, Sinapi *sensus atque sternutamentis caput purgat: excreationis item faciles facit in cibo sumptum*, inquit Plinius loco cit. Sic verbum Dei prouocat in homine peccatorum eiectionem per compunctionem & confessionẽ: contemptum item & abiectionem rerum mundanarum. Ascendit enim instar sinapis mox in caput seu phantasiam & ostendit homini periculum in quo versatur, peccatorum suorum grauitatem, pœnasque illis debitas: item sæcularium rerum, quas amabit, vanitatem, dum demonstrat ei bona longè præstantiora & solida: ex quo incipit homo sternutare seu eiicere malos illos humores, & spernere fluxa ac puerilia bona, peccataq; per confessionẽ quasi excreare. Etenim ita natura comparati sumus, vt quamdiu meliora non videmus, tamdiu viliora sectemur. Sic pueri trochum tantùm & pilam amant, quia præclariora exercitia non nouerunt. Sic plerique opes & honores quærunt, quia meliora bona nesciunt. Sic rusticus nullum potum præfert cereuisiæ, quia meliorem non gustauit. Atqui verbum Dei præ oculis ponit bona solida & æterna, nulli malo admista, quæ in cælo promittuntur. Inde fideles aspernari incipiunt fluxas, puesiles & inanes voluptates, honores, opes, simulque per pœnitentiam deponere, quos habent affectus erga illas. Fecit hoc Dauid, quamprimùm audiuit Dei exprobrationem & comminationem per Nathan sibi propositam: sternutauit enim illicò dicens: *Peccaui Domino* 2. *Reg.* 12. Fecit hoc Zachæus, qui Christi verbo audito mox de vanitatis arbore descendit & affectum auaritiæ deposuit, bona iniusta restituit & sua pauperibus communicauit: imò & per confessionem publicam peccata sua expuit: dum ait: *si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Sanctus Augustinus cùm adhuc hæresi Manichæorum & mundo addictus esset: fortè audiens è vicino vocem sibi dicentem: *Tolle, lege*; arreptum S. Codicem legit & incidit in locum illum Apostoli *ad Rom.* 13. *non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christũ, &c.* moxque ea lectio persuasit animum eius, ita vt firmiter statuerit deinceps hæresi & mũdo valedicere, vitamque in melius commutare, quod & fecit, vt testatur ipse *l.* 8. *confess. c.* 12. Similiter Babylas Mimus ingressus quodã die Ecclesiam auditoque Euangelio: *Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cælorum*, ita compunctus est vt rediret domum & duabus concubinis valediceret, monachus futurus. Quo audito & ipsæ turpitudine abiuratâ, & bonis suis in pauperes erogatis, pudicam deinceps & sanctam duxêre vitam, vt quæ cum illo peccassent, cum eodem pœniterẽt. Ioan. Moschus Euir. *in prato cap.* 32.

G. VI. Excitat ad virtutem.

SEXTÒ, Sinapi *lethargicos excitat & appetitum prouocat*, vt scribunt Plinius & Angl. supra cit. Sic verbum Dei ignauos ad virtutem sectandam excitat, eiusque desiderium in illis accendit dum varias Dei adhortationes sanctorumque exempla imitanda proponit. Legimus *Gen.* 30. Iacob Patriarcham, cùm adhuc pasceret oues soceri sui, virgas populeas decorticatas immisisse in canales, vnde bibebant oues, vt sic varij coloris intuitu varicolores quoq; gignerentur fætus, quod etiam ex voto successit: Sic, vt interpretatur S. Greg. *lib.* 21. *Moral. c.* 1. in sacris Literis & verbo Dei proponuntur variæ sanctorum virtutes & exempla, vt qui ea pensiculatè contuentur, similia designent opera: quod etiam magno fructu consequitur. Quis enim non accendatur ad fidem, cùm legit vel audit fidem Abrahæ, qui etiam post factam sibi à Deo promissionem de semine suo ex Isaac multiplicando, voluit eumdem immolare ad præceptum Dei, credens quod à mortuis eum Deus mox resuscitaturus esset? Quis non ad obedientiam, cùm audit Isaacum parenti tam promptè obedisse? Quis non ad castitatem, cùm audit Iosephum dominæ suæ pertinaci libidini tam strenuè restitisse & pallium in manibus eius reliquisse? Quis non ad mansuetudinem, cùm intelligit Dauidem persecutori suo Sauli toties pepercisse, tam bona verba dedisse, tot lachrymis parentâsse? Quem non moueat patientia Iob & Tobiæ? fortitudo Iudithæ? constantia 7. fratrum Machabæorum? &c. In nouo verò Testamento quanti nobis Hæroës & heroica proponuntur facinora? Quæ qui sedulò contemplatur, quomodo non accenditur ad similia imitanda? Hoc est quod Dauid ait: *Psal.* 1. *Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte: & erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Talis enim vitalem succum bonorum exemplorũ trahit è flumine verbi Dei & Scripturæ. Et sanè vti in viridario inter vernantes arborum florumque surculos, necesse est prætereuntem refici: & ambulantem in sole rubore & colore imbui: ita quoque necesse est animos legentium vel audientium tot sanctorum virtutes in Dei verbo virtutum desideriis sanctisque accendi affectibus.

H. VII. Solatur in tribulationibus.

SEPTIMÒ, Sinapi *ad dentium dolorem manditur*, ait Plinius ibid. Sic quoque verbum Dei

con-

consolatur in tribulationibus & mitigat dolores: vt testantur Machabæi, cùm in tribulationibus grauissimis constituti ad Spartiatas scriberent: 1. *Machab.* 12. *Nos enim*, inquiunt, *cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris*, &c. Est igitur Verbum Dei, quasi mammilla matris, ad quam paruuli plorantes recurrunt; ibi enim sæpissime legitur Deus promittere se omnibus adfuturum, qui in tribulationibus ad ipsum confugerint: quod ipsum innumeris exemplis ostenditur esse factum, cùm Abraham, Iacob, Ioseph, Moyse, Dauide, Ioh, Tobia, Mardochæo, Daniele, Machabæis, Petro, Paulo, cæterisque discipulis: qui omnes & longè plures ex pluribus tribulationibus ope Dei erepti, & exinde gloriosiores & feliciores effecti sunt: Vt meritò dixerit Dauid: *Iunior fui, etenim senui & non vidi iustum derelictum.*

Omnia hæc bona perdit, qui Verbum Dei audire negligit; nam & lumen fidei, si nō prorsus, magna tamen ex parte amittit & anxius viuit, nunquam spiritu Dei inflammatur ad facta heroica, non habet quo resistat vitiis & tentationibus, nec quomodo se ab iis liberet: nec virtutum incitamenta, nec denique consolationem in afflictionibus & præsertim mortis articulo, &c. Contrà quemadmodum tumgidæ vesicæ, quamdiu retinentur, non patiuntur mergi in aquis hominem: ita qui Verbo Dei sedulò attendit, & in suis actionibus firmiter insistit, ne is perire nequit.

CONCIO VII.

Documenta.

1. Docetur fidem Catholicam solam esse veram.
2. Christianum debere esse granum sinapis & fermentum.
3. Parem esse conditionem viri & mulieris apud Deum.
4. Concionatores. idem sæpius inculcare posse.
5. Scripturas non esse omnibus claras.

THEMA.

Aperiam in parabolis os meum, Matth. 13.

A. Regius Propheta *Psal 68.* sacram Scripturam vocat mensam: *Fiat mensa eorum* (Iudæorum scilicet incredulorum) *coram ipsis in laqueum.* Nec malè in S. enim Scripturâ veluti in mensâ pascuntur animæ fidelium veritate diuinâ. Et quemadmodum diues paterfamilias proponit suis hospitibus plures & varias in eâdem mensâ epulas: ita Christus auditoribus suis alias & alias proposuit parabolas, velut fercula exquisitè cocta ad gustum auditorum. Ita D. Hieronymus in hoc Euangelium: *Proponit*, inquit, *eis & aliam parabolam, quasi diues paterfamilias inuitatos diuersis reficiens cibis, vt vnusquisque secundùm naturam stomachi sui varia alimenta susciperet.* Nimirum istis epulis, quas ipse ab æterno de sinu patris hauserat, plenus & faturerat; Vnde eas nobis de plenitudine suâ eructauit, quemadmodum ait Euangelista. Hãc igitur ad mensam vos inuito auditores. Fercula illius ad cuiusque stomachum facta sunt, nec de cæli arcanis, sed de quotidiano vsu & communi hominum conuersatione, de agriculturâ & picturâ desumptâ. Horum quinque nunc delibemus.

B. Ferculum primùm volumus? Discite fidem, doctrinam & Ecclesiam Catholicam solam esse veram. Comparatur enim Ecclesia & doctrina Euangelica (hanc enim vocat regnum cælorum hoc loco, non cælestem beatitudinē, quæ nec minima est omnibus Rebusp. nec in terra seminatur) grano sinapis, quod ex minimo semine creuit in arborem, ad quam volucres cæli veniant vt in eâ habitent. Comparatur & fermento, quod totam peruadit massam faciéque panem sapidum. Hæc autem in Catholicam tantùm quadrant Ecclesiam, non in Lutheranam, non in Caluinianam, aliámue sectam. — 1. Fides Catholica sola vera.

1. Nam primò, sinapi austeram habet acrimoniā & vim inflammatiuā appetitui resistentem, nec odore, nec colore, nec sapore blandientē. Certè qui sinapis succum paulò largiùs ori ingerit, vultum & frōtem contrahit atq; in lachrymas resoluitur. Similiter fermentum colore, odore, sapore ingratum est & amaritiem continet. Huiusmodi autem est doctrina nostra Catholica, quæ carni & sensibus non blanditur, sed vitia carpit, virtutes inculcat, ieiunium aliáque opera carni edomandæ præcipit vel suadet ad pœnitentiam & lachrymas hortatur. Non item doctrina quinteuangelica, quæ carni blanditur & fræna laxat, bona opera & studium perfectionis eliminat, vt Sole clarius est.

2. Secundò, sinapi ex minimo semine in arborem excrescit, & fit maius omnibus oleribus. Fermentum item totam massam peruadit & immutat. Ita Ecclesia Catholica ex minimis initiis in tantam excreuit magnitudinē, vt omnia alia regna, sectas & respublicas amplitudine superaret; per omnes enim orbis partes extēdit ramos suos, & fermēto suæ doctrinæ peruasit & immutauit totum mundum cognitum, ac si qua eius pars superest nondū cognita, non desinet serpere hoc fermētum, donec fermentatus sit totus. Nō ita Synagoga Lutherana & Caluiniana, quæ citò quidem inuasit, tametsi non peruasit nationes septentrionales sed vltrà Septentrionem nequaquam se extendere potuit. Vnde in Asiâ, Africâ & Americâ inaudita est, & à maiore parte Europæ exulat. Tueri se conantur earum sectatores eâ Christi sententiâ: *Nolite timere pusillus grex*; sed scire debent Christi gregem initio quidem nascentis Ecclesiæ pusillum fuisse posteà verò crescere debuisse; & verò in immensum creuisse, vti hodierna parabola ostendit. Secta verò aduersariorum non modò non crescit ampliùs, sed potiùs indies decrescit. Quòd si initio per Germaniam citò radices egit, minimè id mirandum. Epicurea enim doctrina Epicureis hominibus facilè persuasa fuit, cæteris vi, atmis,

dolo

dolo obtrusa. Simile mihi videtur exordium illorum nouatorum exordio Carthaginensium; siquidem vt scribit Appianus Alexandrinus, Dido Tyria mulier extincto marito cum virorum comitatu in Africam venit, & tantum terræ ab Afris petiit, quantum tauri tergore comprehēdi posset; quòd cùm facilè impetrásset secto in orbem corio, ita vt vnam corrigiam tenuissimam & longissimam efficeret, circumdedit spatium eius loci, in quo posteà arx Carthaginensium stetit. Hinc paulatim aucti posteri arcem vrbe circumdederunt & finitimas nationes incursarunt, tandemq; Romanis multa negotia facessiuerunt. Simili modo Nouatores primò ab Imperatore petierunt sibi confirmari confessionem Augustanam: Sed hanc obtētam in plurimas diuiserunt sectas, quibus maximam Romani Imperij partem occupârunt, Ecclesiamque Romanam eiusque adhærentes acerrimè infestarunt. Obtinuerunt vt in imperio ipsi quieti manere possent, posteà è suis ditionibus, imò & vrbibus imperialibus Catholicos expulerunt. Obtinuerunt in libello *Interim*, dicto (donec videlicet per concilium omnia definirentur) coniugium Sacerdotū & communionem sub vtraque; sed illi mox scāma transilire & cælibatum ac communionem sub vna reprehendere & erroris arguere. Sic ante eos Bohemi obtinuerunt à Basileensi Concilio S. Calicis vsum; sed posteà abolitâ omninò Missâ in varias hæreses lapsi sunt, paucissimi ex illis in Catholicâ fide perstiterunt; donec nunc bello subacti & calix eorum è sublimi loco deiectus est ab inuictissimo nostro Imperatore Ferdinando II.

3. Tertiò sinapi comestum mirè afficit hominem; reddit enim velut igneum, penetrat mox in nares & cerebrum, purgat pituitam & cerebri superfluitates. Similiter fermentum immutat totam farinæ massam, alleuiat & quodammodo viuificat, quæ priùs grauis & emortua erat, vt sapidus inde panis fiat, qui alioquin azymus & insipidus foret. Ita omninò doctrina Catholica mundum ex barbaro fecit humanum, ex mortuo viuum, ex terrestri cælestē. Innumeros enim fideles igne amoris diuini ita inflammauit, vt pro Christo mori appeterent, sæculum eiusque commoditates omnes relinquerent, ad monasteria & eremos currerent: grauiora vitia è mundo exterminauit: obedientiam erga Magistratus, dilectionem erga proximos animis implantauit; taceo alia fidei bona, aliàs explicata. At verò secta nouatorum mundum quotidie deteriorem reddidit (vel ipso Luthero teste, vt alibi videmus) bella & rebelliones ac seditiones excitauit.

4. Quartò, Sinapi, vbi in arborem creuit habitaculum & *requies* (vt habetur in textu Græco) fit volucrum. Ita etiā fideles habitant & quiescunt in Ecclesiâ Catholicâ: quietem enim inueniunt in Ecclesiæ ramis, id est, dogmatibus, quæ nôrunt sibi proponi à magistrâ infallibili; in ramis, id est, sacris Scripturis: in quibus exponendis & intelligendis certam & infallibilem habent regulam, Ecclesiæ scilicet & SS. PP. sensum & consensum: in ramis, id est, fidei mysterijs, quæ per annum in Ecclesiâ celebrātur, in quorum recordatione & meditatione cōsolationem inueniunt, & fructus bonorum operum quasi pullos excludunt. Quin etiā qui ad arborem seu Ecclesiam venire compelluntur, posteà gaudent & Deo gratias agunt, vt testatur S. Aug. *ep. 84. ad Vincentium* de Donatistis, qui ne ad Ecclesiæ redirent vnitatem, varijs compedibus tenebātur, videlicet offensione amicorum, obduratâ consuetudine, negligentiâ inuestigandi veritatem, falsis maledicorum rumoribus de doctrinâ Catholicâ, persuasione animi, quasi interesset quibuscum in Christum crederetur, posteà verò his laqueis expediti, & veritate deprehensâ Deo gratias agebant. Non inuenitur ista quies & animi solatium in aliorū sectis: quia fundum & fundamentum stabile doctrinæ suæ non inueniunt; vnde circūferuntur omni vento doctrinæ: deinde regulā stabilem & infallibilē sacras exponēdi Scripturas nō habēt. Deniq; sacra Christi & fidei mysteria per annū nō celebrāt, nisi frigidissimè & iisdē sēper nænijs. Sed verò multi etiam sunt, qui vbi ad Ecclesiā redierūt, nimis facilè trepidant, quasi rursū inde abstrahendi & ad hæresim retrahēdi sint, v.g. cùm hæretici vnā alterámve ciuitatem occupant. Hi nimirum in fide nullas adhuc aut exiguas radices egerunt. *Modicæ fidei?* An non videt is etiam vacillare ramulos, cùm iis aues inuolant insidentque? Et tamen illi non franguntur, nec aues inde terrētur. A multo tempore obseruatum est quotiescumque Catholici cum nouatoribus prælio decertârunt, victores illos fuisse numquam victos. Id Belgæ sciunt, Heluetij Catholici gloriantur, acies Caroli V. in bello Smalcaldico mirata est, eò quòd hostis Cæsare duplo esset potentior, infeliciter tamen pugnauit & Cęsari supplex fieri coactus est. Tillius deiq; gloriosus varijs prælijs per hos plusquā 12. annos expertus est, qui si nuper in Lipsiensi prælio cladem accepit, primò accepit, dum nō contra vnum, sed contra duos exercitus dimicare debuit. Ciuitates per vim occupare, arces & pagos vastare, insidijs ac dolo aduersarios suos cædere quandoq; potuerunt Protestantes, sed nō Marte aperto victoriam reportare. Nimirum causa illorum mala est, dū sub nescio quorū prætextu grauaminum hæresim suam propagare, Ecclesiæ bona inuadere ipsamque opprimere machinantur. Quamquam & sanctorum in cælo opem non habent, cùm nec postulent, imò reiiciant, & quæ ad illorum honorem fundata sunt: vsurpent aut vastent.

Ferculum secundum: Vide vt & tu granum sis sinapis, & quod eodem recidit, fermentum. Ita enim Theophylactus monet Matth. 13. *Et tu quoque*, inquit, *esto granum sinapis, quod paruum quidem videatur. Non enim oportet virtute spectabilem se prebere: feruidum autem & prouocatiuum & austerè reprehendentem. Sic enim eris maximus inter olera, id est, perfectus inter infirmos, ita vt volatilia cæli, id est, Angeli habitent in te Angelicam ducente vitam.* Hæc Theoph. Granum ergo sinapis

C. II. Christianus sit granum sinapis.

consolatur in tribulationibus & mitigat dolores: vt testantur Machabæi, cùm in tribulationibus grauissimis constituti ad Spartiatas scriberent: 1. *Machab.* 12. *Nos enim*, inquiunt, *cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris*, &c. Est igitur Verbum Dei, quasi mammilla matris, ad quam paruuli plorantes recurrunt; ibi enim sæpissime legitur Deus promittere se omnibus adfuturum, qui in tribulationibus ad ipsum confugerint: quod ipsum innumeris exemplis ostenditur esse factum, cùm Abraham, Iacob, Ioseph, Moyse, Dauide, Iob, Tobia, Mardochæo, Daniele, Machabæis, Petro, Paulo, cæterisque discipulis: qui omnes & longè plures ex pluribus tribulationibus ope Dei erepti, & exinde gloriosiores & feliciores effecti sunt: Vt meritò dixerit Dauid: *Iunior fui, etenim senui & non vidi iustum derelictum.*

Omnia hæc bona perdit, qui Verbum Dei audire negligit; nam & lumen fidei, si nō prorsus, magna tamen ex parte amittit & anxius viuit, nunquam spiritu Dei inflammatur ad facta heroica, non habet quo resistat vitiis & tentationibus, nec quomodo se ab iis liberet: nec virtutum incitamenta, nec denique consolationem in afflictionibus & præsertim mortis articulo, &c. Contrà quemadmodum turgidæ vescæ, quamdiu retinentur, non patiuntur mergi in aquis hominem: ita qui Verbo Dei sedulò attendit, & in suis actionibus firmiter insistit, ne is perire nequit.

CONCIO VII.

Documenta.

1. *Docetur fidem Catholicam solam esse veram.*
2. *Christianum debere esse granum sinapis & fermentum.*
3. *Parem esse conditionem viri & mulieris apud Deum.*
4. *Concionatores, idem sæpiùs inculcare posse.*
5. *Scripturas non esse omnibus claras.*

THEMA.

Aperiam in parabolis os meum, Matth. 13.

A. REgius Propheta *Psal* 68. sacram Scripturam vocat mensam: *Fiat mensa eorum* (Iudæorum scilicet incredulorum) *coram ipsis in laqueum.* Nec malè in S. enim Scripturâ veluti in mensâ pascuntur animæ fidelium veritate diuinâ. Et quemadmodum diues paterfamilias proponit suis hospitibus plures & varias in eâdem mensâ epulas: ita Christus auditoribus suis alias & alias proposuit parabolas, velut fercula exquisitè cocta ad gustum auditorum. Ita D. Hieronymus in hoc Euangelium: *Proponit*, inquit, *eis & aliam parabolam, quasi diues paterfamilias inuitatos diuersis reficiens cibis, vt vnusquisque secundùm naturam stomachi sui varia alimenta susciperet.* Nimirum istis epulis, quas ipse ab æterno de sinu patris hauserat, plenus & satur erat; Vnde eas nobis de plenitudine suâ eructauit, quemadmodum ait Euangelista. Hâc igitur ad mensam vos inuito auditores. Fercula illius ad cuiusque stomachum facta sunt, nec de cæli arcanis, sed de quotidiano vsu & communi hominum conuersatione, de agriculturâ & picturâ desumptâ. Horum quinque nunc delibemus.

B. Ferculum primùm volumus? Discite fidem, 1. doctrinam & Ecclesiam Catholicam solam esse veram. Comparatur enim Ecclesia & doctrina Euangelica (hanc enim vocat regnum cælorum hoc loco, non cælestem beatitudinē, quæ nec minima est omnibus Rebusp. nec in terra seminatur) grano sinapis, quod ex minimo semine creuit in arborem, ad quam volucres cæli veniant vt in eâ habitent. Comparatur & fermento, quod totam peruadit massam facitque panem sapidum. Hæc autem in Catholicam tantùm quadrant Ecclesiam, non in Lutheranam, non in Caluinianam, aliámue sectam.

Fides Catholica esse vera.

Nam primò sinapi austeram habet acrimoniā & vim inflammatiuā appetitui resistentem, nec odore, nec colore, nec sapore blandientē. Certè qui sinapis succum paulò largiùs ori ingerit, vultum & frōtem contrahit atq; in lachrymas resoluitur. Similiter fermentum colore, odore, sapore ingratum est & amaritiem continet. Huiusmodi autem est doctrina nostra Catholica, quæ carni & sensibus non blanditur, sed vitia carpit, virtutes inculcat, ieiunium aliaque opera carni edomandæ præcipit vel suadet ad pœnitentiam & lachrymas hortatur. Non item doctrina quinteuangelica, quæ carni blanditur & fræna laxat, bona opera & studium perfectionis eliminat, vt Sole clarius est. 1.

Secundò, sinapi ex minimo semine in arborem excrescit, & fit maius omnibus oleribus. 2. Fermentum item totam massam peruadit & immutat. Ita Ecclesia Catholica ex minimis initiis in tantam excreuit magnitudinē, vt omnia alia regna, sectas & respublicas amplitudine superaret; per omnes enim orbis partes extēdit ramos suos, & fermēto suæ doctrinæ peruasit & immutauit totum mundum cognitum, ac si qua eius pars superest nondū cognita, non desinet serpere hoc fermētum, donec fermentatus sit totus. Nō ita Synagoga Lutherana & Caluiniana, quæ citò quidem inuasit, tametsi non peruasit nationes septentrionales; sed vltrà Septentrionem nequaquam se extendere potuit. Vnde in Asiâ, Africâ & Americâ inaudita est, & à maiore parte Europæ exulat. Tueri se conantur earum sectatores eâ Christi sententiâ; *Nolite timere pusillus grex*; sed scire debent Christi gregem initio quidem nascentis Ecclesiæ pusillum fuisse posteà verò crescere debuisse: & verò in immensum creuisse, vti hodierna parabola ostendit. Secta verò aduersariorum non modò non crescit ampliùs, sed potiùs indies decrescit. Quòd si initio per Germaniam citò radices egit, minimè id mirandum. Epicurea enim doctrina Epicureis hominibus facilè persuasa fuit, cæteris vi, armis,

dolo obtrusa. Simile mihi videtur exordium illorum nouatorum exordio Carthaginensium; siquidem vt scribit Appianus Alexandrinus, Dido Tyria mulier extincto marito cum virorum comitatu in Africam venit, & tantum terræ ab Afris petiit, quantum tauri tergore comprehẽdi posset; quòd cùm facilè impetrásset secto in orbem corio, ita vt vnam corrigiam tenuissimam & longissimam efficeret, circumdedit spatium eius loci, in quo posteà arx Carthaginensium stetit. Hinc paulatim aucti posteri arcem vrbe circumdaderunt & finitimas nationes incursarunt, tandemq; Romanis multa negotia facessiuerunt. Simili modo Nouatores primò ab Imperatore petierunt sibi confirmari confessionem Augustanam: Sed hanc obtẽtam in plurimas diuiserunt sectas, quibus maximam Romani Imperij partem occupârunt, Ecclesiamque Romanam eiusque adhærentes acerrimè infestarunt. Obtinuerunt vt in imperio ipsi quieti manere possent, posteà è suis ditionibus, imò & vrbibus imperialibus Catholicos expulerunt. Obtinuerunt in libello *Interim*, dicto (donec videlicet per concilium omnia definirentur) coniugium Sacerdotũ & communionem sub vtraque; sed illi mox scãma transilire & cælibatum ac communionem sub vna reprehendere & erroris arguere. Sic ante eos Bohemi obtinuerunt à Basileensi Concilio S. Calicis vsum; sed posteà abolitâ omninò Missâ in varias hæreses lapsi sunt, paucissimi ex illis in Catholicâ fide perstiterunt; donec nunc bello subacti & calix eorum è sublimi loco deiectus est ab inuictissimo nostro Imperatore Ferdinando II.

3. Terriò sinapi comestum mirè afficit hominem; reddit enim velut igneum, penetrat mox in nares & cerebrum, purgat pituitam & cerebri superfluitates. Similiter fermentum immutat totam farinæ massam, alleuiat & quodammodo viuificat, quæ priùs grauis & emortua erat, vt sapidus inde panis fiat, qui alioquin azymus & insipidus foret. Ita omninò doctrina Catholica mundum ex barbaro fecit humanum, ex mortuo viuum, ex terrestri cœlestẽ. Innumeros enim fideles igne amoris diuini ita inflammauit, vt pro Christo mori appeterent, sæculum eiusque commoditates omnes relinquerent, ad monasteria & eremos currerent: grauiora vitia è mundo exterminauit: obedientiam erga Magistratus, dilectionem erga proximos animis implantauit; taceo alia fidei bona, aliàs explicata. At verò secta nouatorum mundum quotidie deteriorem reddidit (vel ipso Luthero teste, vt alibi videmus) bella & rebelliones ac seditiones excitauit.

4. Quartò, Sinapi, vbi in arborem creuit habitaculum & *requies* (vt habetur in textu Græco) fit volucrum. Ita etiã fideles habitant & quiescunt in Ecclesiâ Catholicâ: quietem enim inueniunt in Ecclesiæ ramis, id est, dogmatibus, quæ nôrunt sibi proponi à magistrâ infallibili; in ramis, id est, sacris Scripturis: in quibus exponendis & intelligendis certam & infallibilem habent regulam, Ecclesiæ scilicet & SS. PP. sensum & consensum: in ramis, id est, fidei mysteriis, quæ per annum in Ecclesiâ celebrãtur, in quorum recordatione & meditatione cõsolationem inueniunt, & fructus bonorum operum quasi pullos excludunt. Quin etiã qui ad arborem seu Ecclesiam venire compelluntur, posteà gaudent & Deo gratias agunt, vt testatur S. Aug. *ep. 84. ad Vincentium* de Donatistis, qui ne ad Ecclesiæ redirent vnitatem, variis compedibus tenebãtur, videlicet offensione amicorum, obduratâ consuetudine, negligentiâ inuestigandi veritatem, falsis maledicorum rumoribus de doctrinâ Catholicâ, persuasione animi, quasi interesset quibuscum in Christum crederetur, posteà verò his laqueis expediti, & veritate deprehensâ Deo gratias agebant. Non inuenitur ista quies & animi solatium in aliorũ sectis: quia fundum & fundamentum stabile doctrinæ suæ non inueniunt; vnde circũferuntur omni vento doctrinæ: deinde regulã stabilem & infallibilẽ sacras exponẽdi Scripturas nõ habẽt. Deniq; sacra Christi & fidei mysteria per annũ nõ celebrãt, nisi frigidissimè & iisdẽ sẽper næniis. Sed verò multi etiam sunt, qui vbi ad Ecclesiã redierũt, nimis facilè trepidant, quasi rursũ inde abstrahendi & ad hæresin retrahẽdi sint, v.g. cùm hæretici vnã alterámve ciuitatem occupant. Hi nimirum in fide nullas adhuc aut exiguas radices egerunt. *Modicæ fidei*? An non videt is etiam vacillare ramulos, cùm iis aues inuolant insidentque? Et tamen illi non franguntur, nec aues inde terrẽtur. A multo tempore obseruatum est quotiescumque Catholici cum nouatoribus prælio decertârunt, victores illos fuisse numquam victos. Id Belgæ sciunt, Heluetij Catholici gloriantur, acies Caroli V. in bello Smalcaldico mirata est, eò quòd hostis Cæsare duplo esset potentior, infeliciter tamen pugnauit & Cęsari supplex fieri coactus est. Tillius deiq; gloriosus variis prœliis per hos plusquã 12. annos expertus est, qui si nuper in Lipsiensi prælio cladem accepit, prîmò accepit, dum nõ contra vnum, sed contra duos exercitus dimicare debuit. Ciuitates per vim occupare, arces & pagos vastare, insidiis ac dolo aduersarios suos cædere quandoq; potuerunt Protestantes; sed nõ Marte aperto victoriam reportare. Nimirum causa illorum mala est, dũ sub nescio quorũ prætextu grauaminum hæresim suam propagare, Ecclesiæ bona inuadere ipsamque opprimere machinantur. Quamquam & sanctorum in cælo opem non habent; cùm nec postulent, imò reiiciant, & quæ ad illorum honorem fundata sunt: vsurpent aut vastent.

Ferculum secundum: Vide vt & tu granum sis sinapis, & quod eodem recidit, fermentum. Ita enim Theophylactus monet Matth. 13. *Et tu quoque*, inquit, *esto granum sinapis, quod paruum quidem videatur. Non enim oportet virtute spectabilem se prabere: feruidum autem & prouocatiuum & austerè reprehendentem. Sic enim eris maximus inter olera, id est, perfectus inter infirmos, ita vt volatilia cali, id est, Angeli habitent in te Angelicam ducente vitam.* Hæc Theoph. Granum ergo sinapis

C. II. Christianus sit granum sinapis.

napis est, qui minimus est humilitate, magnus verò ardore & charitate ad informandos & corrigendos proximos, cùm errant. Sinapis ignea vis elucet primùm quando teritur: sic etiam Christianus in tribulationibus potissimùm virtutē suam ostendat. Sinapi omnia olera superat incremēto: ita Christianus crescere semper studeat in fide & virtutibus, vt tandem fiat arbor, virtuti & DEO ita infixa vt euelli nullis minis, nullis promissis queat. ita fiet vt SS. Angeli & viri iusti ad eum veniant, & gaudiū ac solatium suum apud ipsum quærant, & (vt ait S. Gregorius præfat. in libr. Ioh c.a.) *in eorum dictis atque consolationibus à fatigatione vitæ respirent.* Similiter & fermentum fieri potest, qui Christo adhæserit, vt docet S. Ambrosius hom. 3. tom. 12. *talis enim efficitur & ipse fermentum, tam sibi vtilis, quàm idoneus vniuersis*, inquit.

Et fermentum.

Inprimis verò tales esse deberent patres & matresfamilias; quia si ipsi Christo adhærent, quiescere non deberent, donec domum suam totam fermentarent & Christo adiungerent, ad virtutem & pietatē componerent, &c. Tale fermentum in aulâ suâ erat Dauid, qui ait: *Non adhæsit mihi cor prauum: non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, &c.* Zachæus, Regulus, Cornelius & alij, qui vbi ipsi à Christo illuminati & inflammati erant, illuminârunt & inflammârunt totam domum suam.

D.
III.
Par conditio vtriusque sexus apud Deum.

Ferculum tertium. Parem esse apud Christum conditionem, viri & mulieris, docemur hîc à Christo. *Verè sicut dixit Apostolus Paulus 1. Cor. 11. neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Ad vnum regnum diuersum sexum varia similitudo producit: neque virū à muliere separat vocatio Christiana*, inquit Chrysostomus *ser.* 99. Ergo vt intelligamus tam mulieribus, quàm viris pari pretio offerri regnum Dei, comparat regnum Dei sexui vtrique. Verùm quia hoc obtineri nequit nisi per verbum Dei, hoc ipso etiam, quo & viris suam parabolam & mulieribus suam proponit, insinuat audiendum esse vtrique. Non dicant ergo viri: Ego mitto ad concionem vxorem meam; non dicant vxores: ego mitto virum meum; sed ambo veniant & faciant, quæ ad eorum salutem spectāt, nisi velint etiam ad cælum mittere pro se coniugem, & ipsi foris stare. Ad hæc quod officium cuiusque sit, non obscurè discunt. Prior enim parabola est de viro seminante, posterior de muliere pinsente. Vir ergò foris & in agro occupari, panemque lucrari debet; mulier domi suæ domestica curare, & panem fatigato viro pinsere, similiaque obsequia exhibere.

E.
IV.
Concionatores idem sæpius inculcare possunt.

Ferculum QVARTVM. Non sunt taxandi cōcionatores, si idē sæpiùs & variis modis inculcent, imò & si minùs eleganter sua proponant. Audiuimus enim in hodierno Euangelio eandē omninò doctrinam duabus explicari parabolis. Deinde grammaticam constructionem nō rigidè obseruari à Domino, cùm ait; *Quod minimum est* omnibus seminibus (quamquam Græca constructio alia est) sic etiam Apostolus 2. *Cor.* 11. vocat se imperitū sermone; Græco videlicet in quo nullā quæsiuit elegantiam & quandoq; errores grammaticos admisit, vt ibi testatur Cornel. à Lapid. Nimirum elegantia Verbo Dei necessaria non est, nec admodum conueniens; quia non sui ornatu, sed Spiritu sancto mouere corda debet. Par ratio in concionatoribus. Præclarè S. Augustin. *sent.* 266. ait: *Bonorum ingeniorum clara est indoles; in verbis differentium verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est?*

F.
V.
Scripturæ non omnibus claræ.

Ferculum QVINTVM. Nō sunt ita claræ SS. Scripturæ vt omnibus pateant & expositione non indigeant, quemadmodum fingunt nouatores. Plurima enim Dominus locutus est in parabolis, quas nec ipse exposuit, nec cuiuis exponere facile est. Vnde etiam ait, eructare se abscondita. Voluit ergo Dominus distinguere Doctores à discipulis; vt hi ab illis discerent SS. Literas, iuxta id Iob 1. *Boues arabāt, & asinæ iuxta eos pascebantur*, hoc est, inquit S. Greg. l. 2. Mor. c. 25. *Docti prædicant ac simpliciores instituūt: rudes autem ab illis pasci debent.* Mira est hæreticorum insania dum iactitant facilè & obuium esse cuiuis scripturam intelligere, vti docuit Lutherus in primis *in l. de seruo arbitrio*, & alibi; & post ipsum Melanchton & alij plurimi. Nā primò si Scriptura est tam clara vt fingunt; vnde tot in eam commentarij non SS. Patrū modò, sed & ipsorum sectariorum? Secundò cur ipsi inter se tam variè & dissonè exponunt SS. Literas & non potiùs eodē modo? Tertiò, cur toties in SS. Literis Scriptura eiusq; sensus dicitur aperiri, si non est clausus & obscurus? Quartò, cur iubemus scrutari Scripturas, si absconditæ non sunt? Deniq; quàm multa passim occurrunt loca Scripturæ difficillima & obscurissima, ad quę ipsi hæretici statim obmutescūt, cùm iubentur ea exponere? Quare vbi Lutherus rectiùs sapere cœpit, confiteri debuit, illas esse obscuras & proborum indigas interpretū, vti *præfat. in Psalmos.* Multò apertiùs *in sympos.* c. 1. fol. 2. *In Scripturis*, ait, *vix scimus A. B. C. & adhuc non rectè.* Et fol. 3. *Dat verbum est inscrutabile*, &c. Et biduo ante mortem dixit: *Scripturas sanctas sciat se nemo degustasse satis; nisi centum annis cum Prophetis, vt Eliâ & Elisæo, Ioanne Baptistâ, Christo & Apostolis gubernârit Ecclesiam.* Ratio etiam manifestè conuincit. Nam inprimis multæ ibi tractantur materiæ sublimes, vt de Trinitate, Incarnatione, Eucharistiâ, &c. Secundò, multæ Prophetiæ obscurissimè propositæ & quædam nondum impletæ, vt in Apocalypsi. Tertiò, multi describuntur ritus & consuetudines veterum, modò obsoletæ. Quartò, multi ibi Hebraismi & Græcismi, nobis non sat perspecti. Quintò, multæ ibi figuræ, similitudines & parabolæ tenebris inuolutæ.

Quare dum hæretici tam temerè & audacter Scripturam S. tractant, omnibusque tractandam veluti clarissimam proponunt, verissimè in illis impletur; quod initio sermonis ex Ps. 68. retulimus: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in retributiones & in scandalum: Obscurentur oculi eorum ne videant.* Dum enim pro-

prio

prin iudicio ſcripturam audent exponere, inde ſibi laqueos & ſcandala parant, ſeque nouis tenebris inuoluunt. Nos ergò, Auditores veluti filij Eccleſiæ in circuitu menſæ Domini ſedeamus, & quæ à matre noſtrâ nobis apponuntur edamus, vt tandem in menſa cœleſti cùm Chriſto epulemur.

CONCIO VIII.

Myſteria.

1. *Exponitur ſignificatio grani ſinapis tam literaliter quàm myſticè.*
2. *Quid notent volucres cœli.*
3. *Quid rami.*
4. *Quid parabola de fermento.*
5. *Quæritur cur Chriſtus toties in parabolis fuerit locutus.*
6. *Cur S. Scriptura tam obſcura.*

THEMA.

Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. Matth. 13.

A. HOdierni Euangelij clauſula: *Eructabo abſcondita* &c. non obſcurè docet prædicationem verbi Diuini ructui eſſe ſimilem; quãdo audimus Chriſtũ eructaſſe ſuas parabolas. Stomachus enim cibis repletus odorem illorum eructat, & Chriſtus diuina ſapientia plenus eiuſdem odore quodam modo eructato afflauit Auditores ſuos. Alij igitur ructus Chriſti ſunt, alij Epicuri & Epicureorum. Hi crapulam & ingluuiem ſuam, quam diu noctuque meditantur, eructant: Chriſtus DEI ſapientiam mundo abſconditam. Nos ergo caueamus ructus Epicuri, attendamus ad ructus Chriſti.

B. I. Quid granum ſinapis. 1. Q. PRIMÒ, Quid deſignat granum Sinapis? Reſp. Primo ad literam deſignat Eccleſiã, ſeu Euangelium Chriſti. Primò ad mentem Chriſti, quia cùm ſit minimum in ſeminibus, in tantum tamen excreſcit altitudinem, vt fiat quaſi arbor &c. Sic Eccleſia & Euãgelium è tenuiſſimis initijs adeò dilatata ſunt, vt orbem totum peruaderent, & paulatim omnes nationes ad hanc arborem velut aues aduolarent, Euangeliumque ſuſciperent. Minimum fuit in exordio regnum Chriſti, tum quoad numerum Chriſtianorum, qui pauciſſimi erant: vnde cùm Phariſæi interrogarent eum: *quandò venit regnũ Dei* reſpondit Dominus: *Non venit regnum Dei cum obſeruatione, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.* Luc. 17. q. d. Non venit vt vos opinamini cum ſplendore & pompa, ſed cum tenuiſſimo exordio paucorum Chriſtianorum, qui intra vos, adeò tamen exigui ſunt, vt in ijs vos regnum meum non videatis. Tum propter rerũ deſpicientiam, quam docet. Tum propter fidei ſublimitatem & difficultatem. Tum propter tolerantiam rerum arduarum, ad quam hortatur. Tum propter prædicatorum eius humilitatem & ſimplicitatem, qui ſtylo ſimplici, ſine verborum phaleris aut eloquentia fidem annuntiarunt.

Secundò, quia grano Sinapis *ignea quadã vis ineſt, & medica, nec aliud magis in nares & cerebrum penetrat*, vt ſcribit Plinius l. 20. c. 22. Sic Euangelio Chriſti ignea vis ineſt ad penetranda & inflãmanda hominũ corda ardore fidei, iuxta id Apoſtoli ad Hebr. 4. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio acuto* &c. Hoc inflammati illi duo diſcipuli dicebãt ad ſe inuicẽ: *Nonne cor noſtrũ ardens erat in nobis dum loqueretur in via & aperiret nobis ſcripturas?* Luc. vlt. 2.

Tertiò, Quia quò plus teritur, eò magis exſerit vim ſuam: ita Eccleſia Chriſti virtutem ſuam prodit maximè in perſecutionibus: vti patuit in trecentis primis annis, quibus afflictata fuit à Tyrannis, quorum crudelitatem infractâ ſuâ patientiâ ſuperauit, confudit, fatigauit, extinxit. 3.

Quartò, Quia non in herbam tantùm, ſed in arborem exſurgit: In calidioribus enim locis longè ſuperat humanam ſtaturam, vt videre erat in Palæſtinâ. Aliæ Philoſophorum ſectæ in herbas excreuere, quæ citò exareſcunt, quia nihil ſolidi habent. Chriſti Euangelium in arborem ſurrexit & orbem totum impleuit. 4.

SECVNDÒ, Deſignat myſticè Chriſtum ſecundùm D. Hilarium in Matth. quia in exordio ſuo humillimus, crucifixus & in ſepulchro velut horto (id enim in horto erat) ſeminatus fuit: inde tamen exſurgens ſummâ cum gloria in arborem excreuit maximam & aſcendens in cœlum factus eſt cœli & terræ Dominus, extenditque ramos regni ſui per vniuerſum orbem, ramos, inquam, Apoſtolos & prædicatores ſuos, vel ramos imperij aut fidei ſuæ.

TERTIÒ, Deſignat bonum Chriſtianum, qui minimus eſt humilitate, magnus verò ardore & charitate, qui cùm teritur tribulationibus inflammatur & ardet ſuauiſſimumque virtutũ odorem ſpargit. Tales Apoſtoli & Martyres, Tales Benedictus, Franciſcus, Ignatius, &c. qui poſtquam vel tribulationibus attriti fuerunt, vel ſeipſos mortificationibus attriuerunt, magni facti ſunt, & ſuam ſanctitatem & religionem per totum penè orbem propagarunt.

Q. SECVNDÒ, Quid notant volucres cœli? C. II. Quid volucres.
Reſp. In primo ſenſu ſignificant reges & Principes terræ, Philoſophos itẽ quoſcumque qui ad fidem acceſſerunt & requiem ſuam in Eccleſia inuenerunt, veluti S. Iuſtinus Martyr, qui primò Philoſophus cùm eſſet gentilis, veræ Philoſophiæ quæ ad Deum ducit cupidus, mirabili circulo ſectas quaſque Philoſophorum illuſtriores peragrauit & quaſi circumuolauit fruſtrà; in Chriſtiana demum Philoſophia tanquam ſola ſolida conquieuit, vt teſtatur ipſe initio Dialogi contra Tryphonem.

In ſecundo ſenſu ſignificant homines ſpirituales & pios quorum conuerſatio in cœlis eſt, quique in meditatione vitæ Chriſti, in frequenti ſacramentorum, Confeſſionis maximè & Communionis vſu; in verbi DEI auditione &c. quietem & conſolationem ſuam inueniunt.

In tertio ſignificant SS. Angelos, ſecundùm

dùm Hieronymum, qui in iustis habitant & cum illis cōuersari gaudent: vel etiam fideles, qui in sanctorum virorum virtutibus, libris, concionibus, miraculis solatia sua quærunt.

D. III. Quid rami. Q. Tertiò, Quid rami? Resp. In prima expositione, sunt Ecclesiæ particulares per orbē diuisæ, veluti sedes Patriarchales diuisæ in Archiepiscopales, hæ in Episcopales, hæ in Parochias. Item dogmata fidei & sacramenta.

In secūda sunt Apostoli & discipuli Christi horumque sequaces, Episcopi & Prælati; quos extendit Christus per orbem, cùm iussit eos prædicare Euangelium per vniuersum mundum. Item fundatores SS. Ordinum.

In tertia sunt virtutes & exempla sanctorum, doctrina, libri & miracula eorundem; in quibus ædificantur & quiescunt alij fideles.

E. IV. Quia parabola de fermento. Q. Quartò, Quid parabola de fermento? Resp. Eòdem recidit cum parabola Sinapis.
1. Primo enim fermentū significat Ecclesiæ nascētis & Euangelij primordia quæ initio tenuia valde erant, ingrata & displicētia mundo, postmodū verò in immensum creuerunt, quādo videlicet parua illa Ecclesia & Euangelium Christi commixta est à sapientiâ Dei æterna tribus farinæ satis, id est, tribus orbis terræ partibus, Asiæ, Africæ, Europæ (quarta enim America adhuc incognita erat) suaq; commixtione immutauit & ad suos mores traxit orbē totum, ita vt panis Deo sapidus fieret, qui antea fuit insipidus, ex incredulo fidelis, ex aspero mitis, ex superbo humilis, &c. quod idem facit Dei Verbum abscōditū in corde auditorum.

Secundo significat Apostolos, qui cùm essent
2. pauci, rudes & viles piscatores à Christo assumpti & orbi terræ immissi ac quodammodo commixti, prædicationis suæ acrimoniâ & vitæ austeritate, dedêre saporem gentibus insipidis easque suâ doctrinâ imbutas prorsus immutarunt ex inimicis Dei amicos faciendo.

3. Tertiò ex sententiâ S. Greg Nyss. *serm. de Eucharistia*, & Cyrilli Alex. *l. 4. in Ioan. c.* 17. significat Venerabilē Eucharistiā, quæ cùm modica sit aspectu & difficilis intellectu, vbi sedulo & debito modo abscōditur in corde per dignam sumptionem, paulatim hominem in se trahit & immutat, ita vt Christus sit in ipso & ipse in Christo. Abscondenda autē est in satis tribus, in syncerâ fide, animæ puritate & rectâ intentione. Vel in tribus hominis potentiis, rationali, concupiscibili, irascibili.

Q. Qvintò, Cur frequēter Christus locutus
F. V. Cur toties locutus Christus in parabolis. est in parabolis? Resp. Primò propter morem sapientum, qui parabolis vti consueuerant, vt paucis multa & sapienter dicerent: & propter morē Syrorum, quibus familiare erat, Palæstinis præsertim, ad omnem sermonem parabolas iungere, vt scribit S. Hieron. *in Matth. cap.* 18.
1. Secundò, quia hoc docēdi genus est accōmo-
2. datissimū: præsertim cùm explicari debent res spirituales, quæ sensibus percipi nequeunt. Primò enim per parabolas illustratur intellectus, quia parabolæ rem veluti præsentem & sensibilē oculis subiciunt, vt potiùs spectari quàm audiri videatur. parabolæ, inquam, explicatæ & enucleatæ: nam aliàs velut nox clausæ, rem potius tegunt & abscōdunt. Secundò accenditur volūtas & mouetur affectus, tùm propter narrationis iucunditatem, tum propter collationem sensibilium cum spiritualibus. Hinc sæpe parabolæ extorserunt ab homine, quod planus & apertus sermo non extorsisset, vti à Dauide parabola Nathan pœnitentiam: mulieris Thecuitis reductionem Absalonis, &c. Tertiò memoria roboratur, vt firmiùs, quod docetur, retineatur; siquidem species intelligibiles sensibilibus affixæ tenaciùs inhærent memoriæ. Quare sicut puella margaritas pretiosas, ne fortè disiunctas perdat, perforat & filo forti colligat; sic sermones suos Christus parabolis alligauit ad iuuandam Auditorum memoriam; vnde ait S. Marcus cap. 4 *Talibus multis parabolis loquebatur eis prout poterant audire.*

Tertiò sæpe loquebatur in parabolis, propter Auditorum peruersitatem, quia indigni 3.
erant ex vnâ parte veritatem apertam audire, ex alterâ parte non dignabantur ipsi Christum rogare vt nucem eis frangeret & parabolā explicaret. His ergò velanda erant mysteria, ne ea irriderent & blasphemarent, adeoque velut porci margaritas conculcarent; & quia hoc meruerant, vt non intelligerent quæ dicebantur. Hoc sensu dixit Luc. 8. *Cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant*, &c.

Q. Sextò, Cur sacra scriptura tot obscuri- G. VI. Cur S. Scriptura tam obscura.
tatibus inuoluta est? Resp. Primò, *Vt superbiam nostram frangeremus*, inquit D. Augustinus *l. 2. de doctrina Christ. c. 6.* Qui enim alia omnia scire se existimāt, fateri debent cæcutire se in Scripturis SS. Vti vel ipse Lutherus, qui cæterà arrogantissimus, quasi plus quàm omnes videret, 1.
in Scriptura se non aquilam sed talpam deprehendit. Etenim in Symposiacis c. 1. fol. 3. ait: *Volui aliquoties decalogum meditari, & quando legi prima illa verba: Ego sum Dominus Deus tuus; cœpi hæsitare in pronomine illo primo, Ego; & hoc Ego nundum rectè possum intelligere.* Hæc ille scurriliter, sed vt arbitror, verè; superbia enim ipsius glaucoma ei obduxit, vt etiam quæ clara sunt, nō intelligeret. Scriptura sacra instar fluuij est, cuius extima tantùm superficies patet, sub qua interior aquarum copia latet. *In qua & agnus* (humilis) *natet, & elephas* (superbus) *mergatur*, ait S. Gregorius *in epist. ad Leandrum.*

Secundò, *Vt Deum pro explicatione precaremur*, 2.
inquit Origenes *hom. 12. in Exod.* Nux est Scriptura, corticē foris gerens, intus nucleum continens altissimorum mysteriorū. Ergò vt paruuli pro fractione nucis ad matrem recurrunt: ita voluit Deus, vt pro explicatione Mysteriorū Scripturæ ad ipsum recurreremus. Hoc medio vtebatur D. Thomas Aquinas, qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit nisi post orationem: In difficultatibus locorum S. Scripturæ ad orationem ieiunium adhibebat.

Tertiò, *Vt eam magnifaceremus*, inquit Augu- 3.
stinus *de doct. Christ. c. 6.* Quæ enim vulgaria sunt & passim obuia, parui æstimantur: magni verò, quæ rariora sunt, & cum labore parantur. Hiacynthi florem rosæ præferimus, non quia

fra-

fragantior, sed quia rarior. Hinc quia recondita est Scriptura, studiosiùs eam scrutamur & tenaciùs memoriæ insignimus; quæ alioquin contemptibilis fieret, si ab iis intelligeretur, à quibus nec amatur, nec custoditur. Latet ergo eos, qui eam scrutari nolunt: Patet iis qui studium adhibent, maiore cum eorum fructu & delectatione, quia *quæ labore parta sunt, eò magis amantur, quæque longo tempore contingunt, constantius permanent*, ait Sanct. Basilius proœmio in Isaiam, hac ipsa de re loquens.

Quartò. Vt in eius studio fructuosè occuparemur, & hinc ob otio ac deterioribus studiis auocaremur, vt docet Clemens Alexandrinus *lib. 6 Strom.* & Basilius loco cit. qui ait: *Quemadmodum opifex noster haud qua quam inuidens nobis vitæ commoditates non passus est eodem modo nasci quo bruta, sed rerum necessariarum inopiam datâ opera addidit nobis veluti ingenij exercitamentum. Itidē in scripturis voluit esse obscuritatem ad vtilitatem mentis humanæ, primùm quidem vt his occupata à deterioribus auocetur, &c.* Horto similis est Scriptura in quo omnis generis herbæ sunt aliæ ad cibum, aliæ ad medicinam factæ: in eo nos occupari vult DEVS, vt seligat vnusquisque quod sibi conueniens est. *Si dicta vel facta Christi passim carnalibus sensibus subiicerentur, torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, &c.* inquit Petrus Chrysologus serm. 96. ideò proposuit eis parabolas.

5. Quintò, Vt eâ laudabili occupatione non solùm doctiores, sed & meliores redderemur. Vt enim molitor dum molendinum crebrò perambulat & farinam tractat, interim totus albescit: ita qui SS. Scripturas sedulò terūt, inde & instruūtur & bonis moribus imbuuntur.

6. Sextò, Ne quis de triuio præsumeret Scripturas pro libitu tractare, sed vt essent certi Doctores, quibus hoc committeretur, adeoque vt alij qu dē essent Doctores, alij verò discipuli, ne alioquin, si omnes omnia scirent, ordo rerū confunderetur & vilesceret Dei Verbum. Quocirca S. Basilius Demostheni, Coco Valentis Imp. pro Arianis garrienti dixit: *Tuum est pulmenta coquere, non euangelium exponere.* Ergo qui Scripturas non intelligunt, legant vel audiant earum interpretes; quos si audire nolint, ipsi in culpa sunt, qui eas vilipendunt.

7. Septimò, Ne infideles altissima fidei mysteria, quę non intelligunt irriderent, ex Theophylacto *Luc.* 8. D. Hieronymo *in Comment. super Naum cap.* 3. Ob id etiam Clemens Alexandrinus *l. 5. strom.* refert Ægyptios consueuisse in valuis templorum sphynges collocare, in symbolum obscuritatis, vt docerent diuina non passim vulganda, &c.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Euangelium Matthæi 20.



IN illo tempore: Dixit IESVS discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suā. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam; vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam: & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum abiit circa sextam & horam nonam, & fecit similiter. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes otiosos, & dicit illis. Quid hîc statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineā meam. Cùm serò autem factū esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa vndecimā horam venerāt, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabāt aduersus patrēfamilias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerūt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus; At ille respondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriā. Nónne ex denario diurno conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati: pauci verò electi.

CONCIONES.

I. *Incitamenta ad bene operandum.*
II. *Otium increpatur.*
III. *Quomodo excolenda sit vitis anima.*
IV. *Qua ratione omnes beati contentissimi sint suâ gloria.*
V. *Quàm temerè agant, qui ex præsumptione peccāt.*
VI. *Inuidia inquieta.*
VII. *Inuidiæ remedia tam actiua, quàm passiua.*
VIII. *Nouissimi sæpè futuri primi & contrà.*
IX. *Documenta.*
X. *Mysteria.*

CONCIO I.

Incitamenta ad bene operandum.

Ad benè operandum incitat nos.	*3. Occasiones bona.*
1. Deus toties exiens.	*4. Gratia ad hoc data.*
2. Professio nostra Christiana.	*5. Merces nobis promissa.*
	6. Pœna non operantium.

THEMA.

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

A. ANtonius de Gueuarâ, *in ep. ad Dominum de Vela* scribit Chiquitonem Regem Granatæ cùm ob dissensionem circa Æthiopissæ cuiusdam amorem regnum perdidisset & inde in terram Alpuxaram migrare (vbi habitatio illi permissa fuit) iussus esset: in discessu supra montem aliquem vertisse se ad regnum Granatæ adeoque regiam suam arcem in quâ natus & educatus erat, amissam: & lamentabiliter plorare incepisse, eum aulicis suis in genua prosterni & deplorare miseriam suam tantique regni amissionem. Quod videns mater eius quæ paululum antè sedebat, reuersa ad regem dixit, iustum ac dignum esse vti Rex & eius equites plorent vt mulieres, siquidem non pugnârint vt viri. Quam vocem tunc quidem Chiquito mœrore perfusus non rectè percipiebat, posteà tamen sæpius dixit: quod si verba illa audisset, aut mutuis vulneribus seipsos concidissent, aut ilicò reuersi fuissent ad fortiter pugnandum pro regno recuperando. Si rectè aduertimus Christiani, non dissimile infortunium omnes nos experti sumus, imò verò longè maius, quàm Chiquito Rex Granatæ. Paradisus aliquando noster erat, ibi Reges eramus & plenum in creaturas omnes dominium habebamus, ibi voluptates & delicias meras inueniebamus, mortem & miseriam nullam metuebamus. Sed enim propter amorem heu perditæ Æthiopissæ, creaturæ in quam vilissimæ, regno exuti & patria ex æde in exilium & seruitutem pulsi sumus: Vnde non immerito multoties ad Orientem, vbi paradisus erat, nos conuertere, suspirare, in genua prouolui & lamentari deberemus. Quod certè agere nos protestamur hodierno die dum in officio Ecclesiæ casum primorum nostrorum parentum & tempus deuiationis eorum recolimus ideoque cantica lætitiæ, *Te Deum laudamus, Allel.ia & Gloria in excelsis Deo,* deponimus; Contrà verò in Introitu lugubre intonamus: *Circumdederunt me gemitus mortis. dolores inferni circumdederunt me.* Verùm dum hoc agimus; occurrit nobis Mater nostra Ecclesia ad pugnam nos accendens vt pro regni nostri perditi recuperatione strenuè laboremus; dum epistolam de cursoribus ad brauium: & Euangelium de vineæ operariis hodie proponit. Ipsa enim nobis quodammodò dicit ex Epistolâ, *Sic currite vt comprehendatis;* & ex Euangelio: *quid hîc statis totâ die otiosi?* quid frustra lamentamini? Ite potius ad laborem, sumite ligones, corripite arma & laborate strenuè, quo patriam recuperetis. Sin verò hoc facitis, meritò ploratis vt mulieres quia non pugnatis vt viri. Quoniam igitur studio bonorum operum & pugnâ spirituali contra vitia totum id quod perdidimus recuperare possumus, imò verò aliquid maius; paradisum cœlestem scilicet pro terrestri & hodie ad hoc omnes instigamur: videndum quænam illa sint, quæ nos ad prædictum laborem incitare possunt.

B. 1. *Incitat Deus toties exiens.* PRIMÒ, Incitat Deus tot mediis & laboribus nos prouocando ad studium bonorum operum. Hoc enim tibi vult id, quod in hodierno Euangelio Paterfamilias quinquies exiisse dicitur ad quærendos, conducendos & in vineam mittendos operarios: Exit enim Deus, cùm aliquid extra se operatur: quærit & conducit operarios, cùm per varias vocationes, scripturas, conciones, exempla, miracula, &c. inuitat ad bene operandum. Quod si exitus isti Deo laboriosi non sunt, fuit tamen maximè laboriosus ille, quo per semetipsum in propriâ persona ad forum huius mundi descendit & per 33. annos nihil aliud fecit, quàm operarios quærere, numquam ab itineribus interquiescens, & panem etiam cum esuriret, obliuiscens. Hinc *Matth* 8. nauim cōscendit & in eâ vtique præ lassitudine obdormiuit. Hinc Ioan. 4 *fatigatus ex itinere sedit sic supra fontem*; sic nimirum, ex fatigatione: & à Samaritanâ petiit haustum aquæ frigidæ, interim tamen cibi & potûs oblitus, quia operarios quærebat. Quos omnes labores nostri causâ Deū suscepisse si consideremus, quis non animetur, imò vrgeatur ad bene operandum, quod solū à nobis petit? Cogitate quæso: si qui parentes vnū aut plures filios alerent in studiis & sæpissimè eos visum irent multo itinere, victum, vestitum, libros & omnia necessaria tametsi multo labore & sudore acpene sanguine parta abundè prouiderent, nullūque non mouerent lapidem, quò filios ad studia & probitatem incitarēt: quomodo non strenuè progrederentur in studiis filii hæc animaduertentes? Certè hinc multoties fit vt filii pauperū plus in scholis proficiant quàm diuitum: quia illi perpendunt quanti constent suos parentes, quanto sudore & amore ab eis sustententur: hi verò sciunt nullo sè parentum labore ali. Deus est, qui nos tantis impensis in Ecclesiæ scholâ sustentat, qui necessaria nobis & proficua ad Lauream cœlestem consequendam multis itineribus, multâ fatigatione, sudore, siti & fame, sanguine denique suo comparauit, qui ad nos visitandos de cœlo exiuit & exit adhuc sæpissimè per varias inspirationes & præsertim in S. Eucharistiâ: quomodo igitur possumus non respondere tanto Dei labori propter nos suscepto? Quod si post hæc omnia parentes cernerent, filios suos non modò nihil studere, sed vagari otiosos, ludere, bacchari, rixari, heluari & pessimè absumere, quæ ipsi

in

in fodare comparassent: quis eorum explicare dolorem posset? Quid facimus? dicerent; pro quibus laboramus? nos sudamus & algemus: esurimus & sitimus: filij verò nostri otiantur, luxuriantur, inebriantur & vomunt. Verè igitur dicere de otiosis & perditis filiis suis Deus poterit, quod Ecclesiastes c. 2. dixit: *Detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboraui; habiturus heredem post me, quem ignoro vtrū sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis quibus desudaui & sollicitus fui: & est quicquā tam vanum? Vnde cessaui, renuntiauitque cor meum vltra laborare sub sole. Nam cùm alius laboret in sapientiâ & doctrinâ & sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc quoque vanitas & magnum malum*, hæc Ecclesiastes; qui inprimis terrere deberet Clericos & Prælatos qui dominantur in laboribus & patrimonio Christi, interim tamen nihil boni operis faciunt.

C. II. Professio nostra Christiana. SECVNDÒ, Professio nostra Christiana. Specialiter enim obligatione tenemur bene operari & Deo bonis operibus seruire vi vocationis nostræ, quâ Christum imitari debemus, Magistrum nostrum, *qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes*, vt dicitur *Act.* 10. Hocque indicatur in Euangelio, dum operarij conducuntur, & ad vineam mittuntur: non enim conduxit paterfamilias, aulicos, nobiles, studiosos &c. qui tantùm deambularent in vineâ, luderent & vuas decerperent, sed operarios. Atqui nos in vineam illam vocatos & missos esse non dubitamus; decet igitur vt reipsâ operarij simus. Quemadmodum enim Adam in paradiso positus fuit, *vt operaretur & custodiret illum*; ita & nos in Ecclesiâ: Iam verò quid diceret paterfamilias, si videret operarios suos vocationis suæ oblitos nugari, ludere, otiari, saltare &c. num istis connivere posset? sanè operarij, quos cōducitis ad labores vestros, totum diem vobis impendunt, sibi vix vnâ alterâve horâ vacant, quibus corpus reficiant. Et nos Dei operarij dici volumus, cùm maximam vitæ nostræ partē propriis negotiis gerendis impendamus & vix in die semel de vocatione nostrâ cogitemus. An nescimus quid fecerit Dominus ficui illi, in quâ fructū quærens non inuenit, sed folia tantùm? *Marci* 11. Nonnè excommunicauit & arefecit eam dicens: *Numquā ex te fructus nascatur in sempiternum?* Quid enim commisit hæc ficus, maximè cùm non esset tempus fructuum, vt ait Marcus? Hominis Christiani typus erat; sicut enim ficus cæteris arboribus naturâ fœcundior est & sæpiùs in anno fructum affert, vt scribit Anglicus *lib.* 17. *c.* 61. Ita & Christianus præ omnibus aliis hominibus plures bonorū operū fructus gignere debet; alioqui à Deo grauiùs puniendus. Igitur ad exemplum B. Bernardi (qui postquam Monachum proficeri cœpisset, seipsum vellicando interrogabat: *Bernarde ad quid venisti?*) nos ipsos interrogemus frequenter: ad quid in vineam Ecclesiæ venisti, num vt otieris, tibi aut sæculo vaces? an vt opereris? vnde miremur quòd Ecclesia nobis præscribat ieiunia, ferias, confessionem, Missæ auditionem &c. non verò aliæ sectæ suis: quia à nobis requiritur perfectio Christiana. Neque sufficit nominetenus Christianum esse, quia & ficus illa fol a habebat, & tamen maledicta fuit. Et in hodierno Euangelio non vocantur ad mercedem verbarij: sed operarij. Neque dicas te Episcopum aut pastorem non esse, nec proinde habere quod in vineâ agas, quia habes vitem animam, quam excolas vt ferat botros meritorum ex quibus aliquando exprimas vinum gloriæ.

D. III. Occasiones bonæ. TERTIÒ, Occasio, commoditas & incitamenta varia bene operandi: sumus enim nos Christiani in vineâ Ecclesiæ, vbi optimas & frequentes habemus occasiones ac cōmoditates benè agendi. Non ita gentiles & hæretici, qui extra hanc vineam sunt. Nos enim sumus lignum illud, *quod plantatum est secus decursus aquarum* Ps. 1. quia iuxta fontes gratiarum positi, vnde plurimum haurire meritorum succum possumus. Quid enim sacramenta, pœnitentia & Eucharistia maximè, quid conciones, quid præcepta fidei nostræ, quid exempla sanctorū, libri sancti: quid Missæ, quid indulgentiæ, quid Ecclesiæ ceremoniæ: quid sacræ imagines, nisi fontes & riui, iuxta ædes nostras proximè decurrentes & perpetuò scaturientes? vnde, si modò illa frequentare velimus, facillimè & abundè trahere ad nos possumus thesaurum meritorum? Non sunt in hac vineâ nec talem gratiarum abundantiā habent Ethnici, Iudæi, Turcæ, hæretici. Vnde possunt vere dicere quàm nos: *Nemo nos conduxit*; & si aliquando Gentiles vel hæretici conuerti, audire nostras conciones, baptizari, confiteri, ieiunare velint, vel non habent occasionem, sacerdotem, prædicatorem: vel non audent benè operari propter metum suorum &c. quòd si tot fontes & riuos haberent: plurimi illorum pœnitentiam agerent, & alacriùs in vineâ Domini laborarent. Hoc enim testatur de Tyro, Sidone & Sodomâ gentibus ciuitatibus *Matth.* 11. Dominus: *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die Iudicij, quàm vobis.* Quid ergò putans sentient in die Iudicij mali Christiani, cùm cogitabunt se tot salutis riuos præterlabi permisisse & cùm tam facilè possent, nullum inde fœcum ad se traxisse? O quam stulti, inquient, fuimus! quoties enim præ foribus habuimus sacramenta, Missas, conciones, indulgentias, pauperes, &c. per quos mercari regnum cœlorum poteramus: & nihil horum curauimus.

E. IV. Gratia ad hoc data. QVARTÒ, Ergo & cætera Instrumenta ad benè agendum necessaria à Deo nobis data, vt est gratia, scientia, fides & virtutes aliæ. Ad quid enim gratia nobis in baptismo & virtutes infusæ funtsour robur Spiritus Sācti in Cōfirmatione? cur ibi rigati, hic confirmati sumus? ad quid fides & Dei voluntas nobis in concionibus explicatur, nisi vt secundùm eam viuamus? Quemadmodum enim absurdus esset & me-

merito culpandus, qui conductus in vineam ad operandum, ligone in humeris gereret atque in horto deambularet: ita nec tolerandus ille Christianus, qui gratiam & fidem, scientiam & virtutes alias ad operandum sibi datas gerit otiosas. Non audimus quid Apostolus dicat 2. *Cor. 6. exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis?* solent inungi in humero Reges, vt per vnctionem illam fortes & animosi reddantur ad pugnandum & vincendum. Christiani Reges sunt in baptismo & confirmatione inuncti;(vnde Christiani, id est, vncti dicuntur) non vtique ad otiandum & sedendum, sed ad laborandum & pugnandũ. Vnde Apostolus 1. *Cor. 15.* more principum de se scribit: *Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboraui.* Sed quam multi Athletæ gratiæ gladium gestant quidem, nunquam tamen extrahunt? Principum Camerarij auream quidem clauem in cingulo gestant, nunquam tamen eâ vtuntur, neque claudunt neque aperiunt. Ita multi clauem habent scientiæ, quâ aperire sibimetipsis scripturas & viam veritatis ostendere possent, si vellent, nihil tamen minus faciunt.

F. V. Merces promissa. QVINTÒ, Merces nobis promissa; conductis enim ad operandum iusta merces à Deo promissa est. Sed magna est diuersitas inter operarios Christi & nostros. Nos enim damus operario mercedem debitam, sed non damus ei fructum laboris præstiti: Veluti si quis tibi metat, non das ei messem, quam ille metit: nec das vinum vinitori, qui vineã tuam excoluit. Atqui hoc facit Deus. Non enim solummodò hic nos alit & remuneratur dum in vineâ eius laboramus, sed totum fructum laboris nostri nobis promittit & dat in cœlis, quia non indiget nec vult vt ipsi laboremus, sed nobis. Tibi ergo metis, tibi vindemias teste Isaia cap. 3. *Dicite iusto, quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* q. d. tantùm esto fidelis & industrius in negotiatione tuâ, quia tibi operaris. Et accuratius *cap. 25.* vbi ait: *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum vindemiæ defæcatæ, & præcipitabit mortem in sempiternum.* Vbi videtur alludere Propheta ad conuiuium vindemiale: quod solet exhiberi vindemiatoribus post vindemiam: & à quibusdã appellatur Balneum vindemiale vt scribit Maiol. *tom. 2. Canic. coll. 5.* Igitur vti tunc operarij vineæ inuitantur ad conuiuium: ita & Dominus inuitabit aliquando operarios suos ad conuiuium in cœli monte eis institutũ: sed magno inter hæc discrimine. Conuiuia enim hominum, præsertim operariorum non sunt de medullâ, id est, de præstantissimis deliciis, nec de vino defæcato, id est, mera & pura delectatione: omnibus enim mundi deliciis plurimæ admiscentur curæ, angustiæ, vanitates, &c. Denique etsi iucunda apparent, tamen non diu durant. Conuiuium verò illud cœleste erit de optimis rebus & præstantissimis bonis: Fercula recreantia visum, Sancti omnes, Angeli, Christus, Deus, cœli splendor, Symphonia mira recreans auditum: sapores gratissimi & odores amænissimi societas suauissima. Conuiuium sine curâ & tristitiâ: Cõuiuium perpetuum, vbi nemo vnquã iubetur surgere, Ibi balneum vindemiale, quia vndique deliciis & gaudiis ambietur & quodammodò in iis natabunt. Veteres olim vt refert Guid. Panciroll. *rer. memorabil.* laruam mobilem seu cranium hominis in conuiuiis inter epulas ponebant vt mortalitatis admonerentur & conuiuia sua perpetua non fore. Non aderit ibi talis larua, sed *præcipitabit Dominus mortem in sempiternum*, inquit Esaias. Rectè per denarium merces hæc expressa est. Etenim denarius numerus perfectus est & obseruationi decalogi respondet, Item rotundus, designans æternitatem: argenteus, significans gloriæ præstantiam: diurnus, designans breuitatem laboris, quo comparatur, vno scilicet die: Nam vita hæc laboriosa respectu beatæ dies vna est; cuius aurora pueritia, mane iuuentus, meridies virilis ætas, vesper senecta. Denique continet imaginem principis, id est, visionem Dei beatificam: quæ etsi in omnibus eadem est, vti & denarius idem, magis tamen & minùs à beatis participatur; sicuti & Sol à clariore oculo clarius, & à minus claro obscurius idem ipse aspicitur; quemadmodum & in hodierno Euangelio aliqui præcedunt in acceptione denarij, alij sequuntur. Superscriptio sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Quòd si res ita habet, quis nõ libenter & alacriter operetur in vineâ Domini? Quis enim operariorum non diu noctuque meteret, si sciret totam messem suam fore seque inde perpetuò ditandum? si enim pro vno denario totum laboratur diem: quid non faciendum pro cœlesti mercede?

G. VI. Pœna nõ operantium. SEXTÒ, Pœna otiosorum, qui nihil boni operis fecerint. Veniet enim aliquando paterfamiliâs, Christus, & fructũ laboris à nobis exiget. Væ otiosis cùm ibi deprehendentur vacui bonorum operum: quid enim respondebunt cùm ita increpabuntur: *Quid hic statis totâ die otiosi?* cur ita totum vitæ tempus sine fructu trãsegestis? Vbi vestri labores? Nec satis erit dicere: Domine in vineâ tua nihil nos vastauimus, nemini molesti fuimus, neminem à labore impediuimus, nihil tibi abstulimus, &c. Non, inquã, erit hoc satis, quia non dicet: quid statis hic malefici? quid vastatis vineam? quid meis molesti estis? Sed: *quid statis otiosi?* vel enim ob hoc solum condemnabimini, quia nihil boni operis fecistis. Figuram huius rei habemus *Iud. 12.* Vbi legimus seditione orta inter Ephrateos & Galaaditas, vada Iordanis, vbi Iordan transeundus erat, à Galaaditis occupata fuisse, & si quis de Ephraim fugiens Iordanem transire cuperet, interrogatum à Galaaditis fuisse, num Ephratæus esset: & si negaret, iussum esse pronuntiare *Schibboleth, quod interpretatur spica*, inquit Scriptura; Et siquidẽ is aliter pronuntiasset, dicẽdo Sibbolet, statim ab iis iugulatum esse in ipso Iordanis transitu. Figura hęc ad viuum quoad omnia nobis quadrat. Transeundus aliquando nobis omnibus est Iordanes,

ner,qui exponitur fluuius iudicij, examen inquam iudicij dubiū & periculosum : illud obsidebunt Galaaditæ, id est, angeli testimoniorum integros aceruos contra nos ferentes(Galaad autem aceruus testimonij interpretatur.) Igitur cum ad fluuium illum Iudicij venerit aliquis Ephratæus, id est, anima Christiana(Ephrata enim frugiferam significat) quærent angeli num ea Christiana sit. Et licet illa affirmet,nequaquam erunt contenti, sed requirent ab illa Schibboleth, id est, spicas bonorum operum, quas nisi promere poterit, væ illi, quia iugulabitur in ipso transitu atque in tartarum demergetur. Non esse vana hæc quæ dixi testatur ipse omnium Iudex noster Christus,qui hac de re fideliter nos admonuit Matth. 13. *Sic erit in consummatione sæculi*,inquit, *exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum & mittent eos in caminum ignis*. Et *Matth.* 25. dicitur filius hominis venturus & separaturus malos de bonis sicut pastor segregat oues ab hircis & examen institututus dicitur de bonis operibus, malis quoque dicturus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare: sitiui & non dedistis mihi potum: hospes eram & non collegistis me: nudus & non operuistis me: infirmus & in carcere,& non visitastis me.*O tremendum examen! Non dicit: pauper eram & spoliastis me, vel oppressistis vel contempsistis me &c. sed non pauistis, collegistis, visitastis, &c. Ergo Auditores.

CONCIO II.

Otium increpatur.

Ne quis in hanc Dei increpationem incidat, attendat.

1. *Quod ad laborem natus sit.*
2. *Quod omnes creatura laborent.*
3. *Quod otium egestatem adferat, labor autem ditet.*
4. *Quod otium morbos pariat.*
5. *Quod mater sit vitiorum.*
6. *Tempus perdat.*
7. *Quod sit plāgā dignum.*

THEMA.

Quid hic statis tota die otiosi? Matth. 20.

A. DVra & metuenda nobis hæc increpatio est, Auditores; *Quid hic statis totâ die otiosi?* Quos enim, rogo, increpat paterfamilias? Homines operarios, qui alioquin laboribus perpetuò insudant. Quos increpat? illos qui ad forum venerant, vt operas suas locarent omnibus,si qui eas desiderarent. Quos quæso tādem increpat? Illos qui vnicâ tantùm die steterunt otiosi. Quid dicturus illis fuisset paterfamilias si nullis vnquam laboribus addicti fuissent? si in forum non nisi otiatum descendissent? si totâ hebdomade vel integro mense in foro stetissent? Iam verò quàm multos videre est, qui ex instituto otium sectantur, nullis laboribus assuescunt & proinde non vno tantùm die,sed multis annis otiosi degunt? Nos ergò ne in similem vel grauiorem Dei increpationem incidamus,discamus vitare otium.

PRIMÒ, Vide piger ad quid natus sis. Ad id nimirum, ad quod in hodierno Euangelio mitteris, vt opereris scilicet in vineâ Domini. Nam primò Adam positus fuit in paradisum *vt operaretur & custodiret illum*, *Gen*.2. Erat Adā imperator orbis & Dominus paradisi, laborare tamen iubetur. Vnde patet verum esse,quod Alexāder Mag. dixit: *Regium est laborare, seruile est otio & luxui vacare.* Et Alphonsus Arag. Rex manibus laborans dicebat reprehendenti: *nunquid Deus & natura regibus frustra manus contulere?* Panor. *l*.2. *de gestis eius*. Deinde Adamo eiusque posteritati in pœnam peccati præcepit Deus; *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex eâ cūctis diebus vitæ tuæ.* Itē. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* *Gen*. 3. Quæ sententia nequaquam ita intelligenda est, vt sudandum sit dum editur;iuxta id: *Sudant quando vorant, frigescunt quando laborant.* Sed vt sudore cōparetur panis. Quibus accedit Iob *cap*. 5. dicens: *Homo nascitur ad laborem & auis ad volatum.* Vnde sicut alæ auibus datæ sunt ad volandum: ita manus hominibus ad laborādum. Hinc eod. cap. subdit Iob: *visitans speciem tuam, non peccabis.* Interroga manus tuas, ad quid tibi datæ sint, & respondebunt ad laborādum. Quare nisi ad eum finem iis vtatis, væ tibi in illa die. *Deus*, inquit S.Basilius in regul. fusior. reg.27. *qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditauit, is in die Iudicij parem quoque à nobis in laborando industriam reposcet.* Id enim sibi volunt verba hodierni Patrisfamilias vespere dicentis: *voca operarios & redde illis mercedem.* Operarios, ait: non otiosos. B. I. Ad laborem natus es.

SECVNDÒ, vide quid cæteræ creaturæ faciant. Nonné laborant omnes? Sol & Stellæ quantum itineris quotidie percurrunt tui causâ? Vide elementa in perpetuo motu vel actione occupata. Vide equos, asinos, camelos, boues hominum causâ iuga trahentes,onera portantes, triturantes, &c. Vide minutissima animalcula, formicas, apes, araneas quanto labore & industriâ victum sibi parent! Formicæ assiduo itinere & ad labores excursione silices atterunt, ferunt onera maiora se, & quæ ferre nequeunt, auersæ postremis pedibus moliuntur: semina arrosa condunt ne rursus in fruges exeant è terrâ: maiora ad introitum diuidunt, madefacta imbre proferunt atque siccant. Operantur & nocte,plenâ Lunâ:eædem interlunio cessant,&c. apud Plin. *l*. 11. *c*. 30. Vnde Sapiens *Prouerb*.6. ait: *Vade ad formicam ô piger & considera vias eius & disce sapientiam, quæ cùm non habeat Ducem, nec præceptorem nec principem, parat in æstate cibum sibi & congregat in messe, quod comedat.* Septuaginta Interp. in Aldinis & Vaticanis codicibus addunt & hanc sententiam: *Vade ad apem & disce quomodo operaria est, operationem quoque quam venerabilem facit.* Tam enim sunt labori addictæ apes, vt nullus illis si per cœlum licet, otio pereat dies. Aliæ enim mellificant, C. II. Omnia laborant.

aliæ ad portas excubant more præsidiariorum contra vespas mellis prædones: aliæ regi & apibus vetulis aquam deferunt; aliæ mortuas ex alueis efferunt: demum otiosas atque ignauas exturbant quin & morte puniunt: demum medijs in laboribus sæpe occidunt. Virg. *l.* 4. *Georg.* Atque hæc omnia nostri causâ faciunt; circumuolant omnia prata, vt nobis mensam apparent. Quàm ergo dignus erit aculeatis apum stimulis, qui laborum fugiens alienis vescitur laboribus! Certè in vitâ Sancti Medardi legimus furem nocturnum, qui aluearia furabatur, adeò ab illis sauciatum & eousque circumdatum, donec fur ad pedes S. Medardi veniret & peccati veniam peteret. Quid enim illi suis puncturis furi insinuare voluerunt nisi id; Vade *ad apem piger*, & disce operari potiùs quàm furari? Quin etiam Plinius scribit *l.* 11. *c.* 16 fures odio esse apibus. Et *l.* 16. *cap.* 7. apes furtiuas pessimè prouenire.

D. III. Otium depauperat.

Tertiò, Otium tibi egestatē afferet. Audi Sapientē c. præd. *Vsquequo piger dormias? quando consurges è somno tuo? Paululū dormies, Paululū dormitabis, paululum conseres manus tuas vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua & egestas longè fugiet a te.* Itaque otiosè noueris breui inexpectatum hospitem tibi aduenturum & qui eijci non poterit, egestatem scilicet, quæ erit instar militis armati, quem domi tuæ alere debebis, nolis velis: aut instar apparitoris, qui paulatim supellectilem tuam efferet & sub hastâ vendet, ac si quid emere volueris, prohibebit, quia pecunia tibi deerit. Hoc est, quod etiam denunciat Apostolus Thessalonicensibus ep. 2. cap. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Sic correctum legimus *in vitis PP. lib.* 5. *tit.* 10. Ioannem Breuem, qui dicebat fratri suo: *Vellem esse securus sicut Angeli sunt, nihil operantes, sed iugiter Deo seruientes.* Abijt ergo in eremum. Sed cùm elapsâ septimana, cœpisset esurire reuersus est ad cellam fratris, & pulsauit fores, dicens: *Ego sum Ioannes.* Cui respondit frater: *Ioannes Angelus factus est nec amplius inter homines est.* Replicat ille se Ioannem esse. Sed non auditur vsque manè. Tum aperiens frater dixit: *si homo es, opus est tibi operari, vt viuas: sin autem Angelus es, quid quæris intrare cellam?* Confusus ille: *Ignosce mihi frater*, inquit, *quia peccaui.* Ita aliqui ad instar illius Ioannis Breuis, volunt viuere velut nobiles, ab oneribus & laboribus liberi & exempti. Sed nequaquam diu statum illum nobilium ducunt, breui enim cùm putant se gestare in collo torquē auream deprehendunt saccum mendicabuli. Nemo tamen hic carpat religiosos mendicantes, quia non sunt otiosi, quippe orationibus, psalmodijs, concionibus, confessionibus audiendis alijsque pijs operibus addicti. *Va ate Deo non est otium, sed negotium negotiorum*, ait sanctus Bernardus *in floribus cap.* 57. Canis etiam ille in fabulâ bene respondit oui conquerenti, quod ipsa pastum sibi quærere deberet, canis à Domino pasceretur, cùm tamen Dominus ab oue pasceretur, non à cane; respondit inquam, canis, merito id fieri, quia ipse esset custos ouium. Tales autem sunt religiosi.

Labor ditat.

Contrà labor assiduus ditat, quod à C. Furio Cresino discere possumus, qui cùm ex paruo agello multo largiores fructus perciperet, vt scribit Plinius *l.* 18. *c.* 6. quàm vicini ex amplioribus, in inuidiam deuenit, quasi fruges alienas veneficijs pelliceret. Quare à Sp. Albino Curule in iudicium eâ de re vocatus, metuens damnationem, instrumentum rusticum omne in forum attulit & adduxit filiam validam, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos, posteà dixit: *Veneficia mea. Quirites, hæc sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes, vigilias & sudores.* Quo audito omnium sententijs absolutus est. Hac arte si vsi fuissent multi nunc egestatem non sentirent. Multi intra paucos annos locupletati in inuidiam aliorum incidunt, audiuntque: Vnde illi tantæ opes? ego nihil acquirere possum, &c. Sed si attenderentur eorum labores, industria, vigiliæ, sudores, nemo miraretur.

E. IV. Otium morbos parit.

Qvartò, Otium corpori morbos & molestias parit. Nam iuxta aureum dogma Hippocratis. 6. Epid. *Sanitatem hæc duo tuentur: cibus non satiari, & impigrum esse ad labores.* Vicissim igitur gula & otium perdunt sanitatem. Id quod inductione plurimarum rerum ostendi potest. Equi diutiùs stantes, in pedibus destruuntur. Ferrum & alia metalla citiùs corrumpuntur otio & situ, quàm vsu. Aqua quæ in continuo motu aut fluxu est, salubrior est, & salubriores pisces alit, quàm stagnās. Milites otio ignauiores fiunt. Denique experientia docet agricolas & qui laboribus exercentur, vegetiores ac minus obnoxios esse morbis, quàm sint nobiles & qui in otio degunt. Hinc Indorum Reguli quia se quotidie in cursu & iaculandi certamine exercent, vegeti perdurant ad longam vltimamque senectam, vt ex lit. annuis PP. Societatis patet. Ita Vespasianus, Masinissa Rex Numidarum, Carolus Magnus, Maximilianus I. Imp. laboribus assiduis & valetudinem conseruarunt & imperium propagarunt.

Taceo quòd sibiipsi molestus & onerosus est homo otiosus vel S. Chrysostomo teste, qui *hom.* 15. *in Gen.* ait: *Graue malum est otium facitque vt facilia omnia, videantur difficilia: sicut studio & vigilantia etiam ardua & difficilia, facilia nobis sunt.* Et quid mirum? Gerit enim otiosus cadauer in dorso; siquidem *otium viui hominis sepultura est*, vt dixit Themistocles; gerit insuper dæmonem, otij signiferum.

F. V. Otium mater vitiorum.

Qvintò, Otium animo nocet, quia mater vitiorum est. Eccl. 33. *Multam malitiam docuit otiositas. Sicut terra*, inquit Chrysost. *hom.* 7. *in* 2. *ad Corinth. non occupata semente aut consitione, quamlibet herbam producet: sic & anima quoties non habet quod agat rerum nec stantarum tum omnino cupiet aliquid agere, prauis actionibus semet tradit* Ex D. Bern. serm. de S. Andreâ: *sicut per rimam sentina*, inquit, *aqua latenter intrat & excrescit, donec nauis per nautarum incuriam demergitur: ita ex otio atque ignauiâ cogitationes prauæ & concupiscentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eis succumbens,*

in

in peccato periclitatur. Item B. Laurent. Iustin. l. de perfectione grad. cap. 9. *Sicut aqua*, ait, *qua caret decursu ac iacet in foueu putrescit, ac humano vsui aliena efficitur repleturque animalibus venenatis & noxijs: Ita & corpus otij tabe confectum concupiscentiarum carnalium parit insaniam.* Dauid quamdiu exercuit se in militiâ non insultauit illi luxuria: sed postquam otiosus in domo remansit, commisit adulterium. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi, nō sensit libidinem: Sed peracto opere cùm otio difflueret, adamauit mulieres & adorauit Deos earum. Samson quamdiu cum Philistæis pugnauit, capi ab eis non potuit: sed vbi dormiuit in sinu fœminæ, traditus & captus est. Itaque homo otiosus puluinar Diaboli est. In eo sedet & nidificat diabolus: Non ita in occupato, vti nec aues nidificant supra molendinum. Hinc fratres Domini, vt refert Eusebius *l. 5. hist. c. 15.* coram Domitiano vocati & accusati tanquam ex Dauidico sanguine prognati & nouarum rerum studiosi, cum manus ostenderent partim callis obductas, partim laceratas mechanico labore: ab omni criminum suspicione absoluti, sine vllâ molestiâ dimissi sunt.

G. VI. Otium tempus malè perdit.

SEXTÒ, Otium rem omnium pretiosissimā, tempus perdit, & pro nihilo habet. Dum enim ipse otiosus stat in foro, ecce interim alij, Dei serui in vineâ eius laborantes lucrum grande faciunt apud Deum. Quanto itinere excurrunt ad nos operarij tēpore messis, quo datur merces amplior? Quid si eis mercedem offerremus decuplo maiorem? quàm illi seipsos redarguerent, si messem neglexissent? Et quid est lucrum illud respectu istius quod facere potest homo, si in vineâ Domini hic vult operari? Semper hîc occasio lucrandi cœlum & coronas immensas. Quod si posset Epulo ascendere de inferno ad messem nostram & vineam in quâ degimus, quid non laboris subiret? *Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, ait Apostolus *ad Gal. 6.* In quem locum S. Hieronymus ait: *Breue est curriculum huius vitæ. Titus Vespasiani filius cùm quadam nocte serò recordaretur in cœna, se nihil boni illa die fecisse, dixit amicis: Hodie diem perdidi: non patamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætates, cùm otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die iudicij?* Seneca ep. 1. ad Lucilium: *Si volueris attendere*, ait, *magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Quàm vera loquitur Ethnicus homo? cui enim negotio minus operis & temporis tribuimus quàm seruitio Dei? Labuntur interim fugaces anni & nos id non æstimamus. *Tu dormis*, ait Ambrosius in Psal. 1. *& tempus tuum ambulat.*

H. VII. Otium plagis dignum.

SEPTIMÒ, Hæc si cui non sufficiunt ad otium detestandum, non video quid addi debeat, nisi forte vnguentum illud, quo terga asinorum perunguntur ab agasonibus. Certè Magistratus otia subditorum nequaquam ferre debet, vt ex dictis colligi potest. Idque olim fecere pleræque nationes. Nota lex Draconis Bithyniæ regis, quæ lapidari iussit eos, qui in otio deprehensi erant, præter pueros & senes. Apud Romanos otiosi condemnabantur ad opus publicum. Vnde M. Aurelius Imperator ad Pollionem scribit: *Me puero nemini in publicum prodire licebat Romæ, nisi insigni secum portaret opificij vel artis, quam sectabatur & quâ victum quærebat. Quòd si quis contra fecisse deprehensus esset, non solum puerorum per vias insequentium clamoribus vt fatuus infestabatur: Sed è vestigio à Censore condemnatus cum alijs ergastulis operi publico faciundo addicebatur.* Ægyptij ingentes illas pyramides erexerunt toto orbe celebres, ne plebs otiosa esset. Plin. *l. 36. c. 12.* Amasis Rex apud eosdem Ægyptios legem condidit, vt singuli singulis annis apud Prouinciarum præsides demonstrarent vnde viuerent: Et qui aut hoc non faceret, aut non demonstraret se legitimè viuere, morte afficeretur. Herod. l. 2. Eandem legem Solon Atheniensibus præscripsit, ab Ægyptijs mutuatus, Plut. in Solone. Idem obseruatum à Florentinis in Hetruria scribit Sabell. l. 6. c. 1. vt qui respondere non posset de quæstu suo nec innocentiam vitæ probare, velut sceleris conuictus plecteretur, aut tanquam pestis ciuitatis ex vrbe eiiceretor. Et quid mirum? nonné & apes fucos expellunt, quin & morte puniunt? nonné Dominus in Euangelio *Luc. 13.* iubet excindi arborem infrugiferam?

Quare *sola illa regio*, inquit M. Aurelius ep. cit. *felix meritò dicenda est, vbi proprio singuli labore fruuntur & nemo de labore ac sudore viuit alieno.* Eiusmodi regionem esse Sinensium scribit. P. Iarricus *t. 2. l. 4. c. 20.* qui neminem prorsus feriari patiuntur: cæcos enim in pistrinū mittunt, eos verò qui è pedibus laborant, manibus laborare compellunt, & ita cæterus pro cuiusque viribus & facultate occupant: omnes aut literarum studijs, aut operibus manualibus vacant; tertium genus hominum, otiosi videlicet non reperiuntur, vt eorum rempublicam apiariæ quàm simillimam dicas. Quod quidem in maximum Christianorum probrum cedit, quod à Barbaris vincantur, &c.

CONCIO III.

Quomodo excolenda sit vitis animæ.

1. *Purganda est anima à vicijs seu vitis à sentibus & folijs.*
2. *Fodienda est per mortis meditationem & examen conscientiæ.*
3. *Impinguanda pœnitētia operibus & verbi diuini auditu.*
4. *Alligāda ad præcepta & crebram Communionem.*
5. *Putanda sunt occasiones peccandi & affectus inordinati.*
6. *Pampinanda est à superfluitatibus externis & internis.*
7. *Munienda est humilitate & patientia.*

THEMA.

Ite & vos in vineam meam, Matth. 20.

A. VIdebitur forsan alicui hodiernum Euangelium non ad omnes homines, sed ad pastores

pastores tantùm animarum pertinere, quòd illorum propriè sit vineam Domini excolere. Sed non ita est. Omnes quotquot Christiani sumus per baptismum in vineam Domini ingressi sumus adeoque operari debemus. Habet enim vnusquisque vitem vnam, animam suam: quam omni studio excolere debet, vti fructum afferat: alioquin certo certius à Domino increpandus & denario cælesti priuandus. Hoc verò quâ potissimùm ratione fieri debeat, nunc discutiemus.

B. I. Purgãda à vitiis. Vitis præ cæteris arboribus magno indiget labore & industria, vnde Itali dicunt: *Vinea est tinea*. Sic etiam anima plurimis subsidiis & occupatione, quam illi adhibebat Dauid dicens Psalm. 118. *Anima mea in manibus meis semper*, q. d. semper operor circa illam. Nam primò eget terræ proscissione & inuersione, per quam à sentibus, foliis & inutilibus herbis expurgetur. Similiter anima ante omnia primo expurganda est à vitiis & peccatis, siquidem cœlestis ciuitas *aurum est mundum, nec intrabit in eam aliquod coinquinatum*, vt testatur Ioannes *Apoc.* 21. Iudæi recepto templo Ierosolymitano, ante omnia id purgarunt à spurcitus gentilium 2. *Mach* 1. & 1. *Mach* 4. & celebrârunt purificationis anniuersarium. Sic ante omnia annitendum est Christiano vt peccata extirpet ab animâ quæ & sedes Dei est, & si vel vnico peccato inquinata sit, nec Deum habere poterit inhabitatorem nec proficere in bono: non enim placent Deo opera extra statum gratiæ facta. Hoc verò vt obtineamus proscindenda atque euertenda terra cordis nostri ligone confessionis (hâc enim terram priùs abditam facit apparere & confessio reuelat arcana cordis) in quâ noxiæ radices opprimentur, si tamen ea frequens & seria fuerit. Huc pertinet quod ait Sapiens Prouerb. 24. *Diligenter exerce agrum tuum*; subditque: *Per agram hominis pigri transiui & per vineam viri stulti & ecce totum repleuerant vrtica*. Tales autem plerunque sunt, qui semel tantùm in anno confitentur.

C. II. Fodienda. I. *Mortis meditatione*. SECVNDÒ, Eget fossione circa radicem, vt imber in fossâ copiosior recipiatur & à radice vitis imbibatur. Eget fossione & anima vt humor cœlestis gratiæ in eam defluat. Fit autem fossa circum animam, primò per assiduam meditationem mortis & sepulchri. Hanc enim fossam, quæ vndique ambit & concludit hominem vtpote indeclinabilis, qui semper præ oculis habet, facilè à terrenarum rerum amore se continebit & proinde aptior fiet ad Dei gratiam recipiendam. Quis enim in rupe existēs & vndique circa se præcipitia videns lætari posset, epulari, iubilare? quis non sibi consuleret auxilium imploraret? lachrymas funderet? Quam mentem fuisse putamus Maximiliano primo Imp. cùm non procul Oeniponte iuxta Cirel pagum in præaltam rupē, non respiciens ascendit post rupicapram in specum, vnde nullum exeundi locum, sed infra se immensam voraginem videbat? Didicit ibi absque dubio mortis meditationem & per hanc cōtemptum mundi. Fecit enim sibi postea, dum Oeniponte palatium ei extrueretur, feretrum cum omni supellectile ad sepulturam necessaria, quam secum vndique vehi sibique adesse voluit, iu rei videlicet, vt dicebat sibi super omnes alias charissimæ vsum, cuius crebrâ inspectione omnem mūdi fastum menti suæ eximebat. Et hæc eadem illa fouea est, cuius consideratione Barlaam Iosaphatum à mundi deliciis abstraxit ad eius contemptum & vitæ austeritatem vt alibi vidimus. Id verò mirum est, homines pendentes super hanc foueam fragilissimo vitæ ramo, quem mures duo (dies & nox) rodunt, adhuc modico melle, quod ex arbore mūdi stillat, ita delectari vt periculi sui obliuiscantur & foueam sepulchri atque inferni non obseruent.

2. *Examine conscientiæ*. FIT etiam fossa circa animam cùm defectus & sordes eius latentes sedulò inuestigantur ab vnoquoque per conscientiæ examinationem, præsertim ante confessionem. Tunc enim fodere circa animā debemus, id est, accuratè perquirere vitia nostra vsque ad radices eorum, è quibus illa pullulant. Id quod fecit Dauid Ps. 76. dicēs: *Exercitabar & scopebā* (græcè, *fodiebam*) *spiritum meum*. Sic fieret vt horrore scelerum nostrorum territi, in nobis ipsis confunderemur, ea seriò detestaremur & vitam emendaremus: quod qui non facit, nunquam satis agnoscit peccata sua, ideò nec efficaciter pœnitet nec emendatur. Quales sanè multi sunt, dicentes cum pigro illo vssipatore: *Fodere non valeo*; & idcircò nunquam proficiunt. Sed cur non vales fodere? Icio ego: quia videlicet metuis ne scelerum tuorum horrore concutiaris, si ad illa vsque fodias. Sed cur defectus aliorum tā accuratè cernere & trutinare solemus, nostros verò nolumus? Chares in Thracia conspicatus milites in vallo excitando segniter operari & vestimentis parcere, ne videlicet in fossione luto ea aspergerent; mandauit vt vestes inuicē commutarent: quo facto, cùm nemo alienis parceret vestibus alacrius foderunt. Polyænus l. 3. & tu igitur qui metuis, ne accuratiore fossione conscientiæ tuæ, lutosum te reperias, indue quæso alienam vestem, & quam adhibes curiositatem in perquirendis & examinandis aliorum vitiis, eandem & tibi adhibe: multitudinem, grauitatem, repetitionem eorundem peccatorum tuorum bene pondera, & exprobra tibi, quasi alteri & inimico tuo.

D. III. Impinguanda. I. *Pœnitentiæ operibus*. TERTIÒ, Eget stercoratione, sine qua nihil aut modicum feret vuarum. Eget illâ & anima, quæ primò stercoratur & impinguatur pœnitentiæ operibus, (vt quæ valde fætēt mūdi sectatoribus) ieiunio, oratione, cilicio, cinere, vigiliis, lachrymis, &c. sicut cōtrariis horum, crapulâ, voluptate, somno (quæ stercora sunt Dei seruis) stercoratur corpus. Sed vita corporis, mors est animæ, & pinguedo carnis, ariditas est spiritus. Eiusmodi stercorationem adhibuit Christus synagogæ, ficui inquam illi sterili, de qua *Luc.* 13. ait: *fodiam circa illam & mittam stercora*, hoc est, annuntiabo illi scelera & peccata eius præterita eorumque turpitudinem & fætorem reuocabo illi in memoriam, vt inde confusa & perterrita fructus pœnitentiæ

tiæ dignos afferat. Stercoramus igitur animam nostram cùm post agnitionem multitudinis & fœditatis peccatorum nostrorum præteritorum nos ipsos castigamus lachrymis, ieiuniis, tusionibus pectoris, aliisque afflictionibus; his enim non tantùm reatus præteritos delemus, sed etiam à nouis culpis nos præseruamus, & carnem atterendo spiritum fortiorem reddimus maioremque à Deo gratiam obtinemus. Hâc stercoratione vsus Petrus, vsa Magdalena, cùm ille perpetuis quasi lachrymis, hæc austerissimâ solitudine & abstinentiâ priores errores correxerit, ideoque fertilissimæ vites factæ sunt. Sic stercorârunt vites suas Niniuitæ & optimum tulêre fructum. Sic Esther cernens imminens sibi & Iudæis periculum, *deposuit vestes regias & fletibus ac luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis varijs cinere & stercore impleuit caput. & corpus suũ humiliauit ieiunijs, omniaque loca in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit*, vt dicitur *Esth.* 14. Et certè quotquot Sanctorum vitas lego, quò sanctiores fuisse inuenio, eò magis impinguâsse etiam animas suas voluntatis corporis afflictionibus & castigationibus deprehendo.

2. *Crebro auditu verbi diuini.* Secundò per verbi Dei sedulum auditum, qui proprius animæ cibus est. Sed cur verbum Dei stercori & fimo comparamus? non facerem id ego, nisi persuaderent illi, quibus verbum Dei ita fœter ac si fimus esset. Nisi enim fæteret multis, quomodo ita fugeretur? *Remãsit vir vnum*, inquit Achab (hostis verbi Dei) *per quem possumus interrogare Dominum. Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum* 3. *Reg. vlt.* non vnus sed innumeri remanserunt nobis viri, per quos interrogari Deus potest, sed odio habentur eorum monita, quia arguūt reproborum mores, præcipiunt abiicere bona aliena, scorta, inimicitias, vanitates vestium & luxum. Hinc occluduntur ante illos nares quasi stercus vehat, quamobrem Apostolus 1. *Cor.* 4. ait: *tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Sed interim tamen fimus hic vitibus animarum necessarius est & vtilis, sine quo parum aut nihil frugis afferent. Quod sibi contigisse in statu peccati queritur Dauid *Psalm.* 101. dicens *percussus sum vt fœnum & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*; veritatis scilicet cælestis. Huc etiam spectat piorum librorum lectio, quæ etiam fœtet mundanis, placet verò lectio turpis & obscæna. Sed hæc spiritum exhaurit & arefacit: illa contrà impinguat; *est enim quiddam veluti condimentum vitæ hominum super terram*, ait S. Bern. in vita S. Malachiæ.

E. IV. Alliganda? QVARTÒ, Vitis eget fulcro & palo, ad quem alligetur, alioqui surculi eius in terram proprio pondere collabentur & putrescent vuæ, adeò imbecillis est. Similiter anima, in statu naturæ lapsæ præsertim, admodum imbecillis est, & si sibi relinquatur suopte pondere in terram defluet nullosque aut paucos vtiles fructus feret; propterea alligãda est. Primò ad præcepta Dei

1. *Ad præcepta.* & Ecclesiæ, quæ idcirco nobis adfixit Deus, quia nouit infirmitatem nostram: & si sequamur propriam libertatem, mox ad terrã ruere, nunquam sursum tendere. De his *Eccl.* 6. dicitur: *Vincula illius alligatura salutis.* Mallet quidem carnalis homo liber esse & sequi propriam voluntatem. An non melius esset, inquit, ieiunare ad libitum quàm ex præcepto & debito? audire missam, confiteri, feriari, &c. quando placet, quàm ex Ecclesiæ præscripto? Sed melius nouit vinitor, quid vitibus suis expediat, quàm vites. Ipsæ enim suopte pondere ad terrã propendent, sed non expedit illis vt sibi dimittantur. Si liberũ esset hominibus debita opera facere, vix vnquam ea facerent. Quis Missam in Festis audiret? quis Quadragesimam ieiunaret &c. Raræ aues sunt, quę Missam extra præceptũ audiunt, ferias agunt, ieiunant &c. Deinde putrescunt in terra botri, conseruãtur verò in sublimi. Sic opera pia ex propria voluntate facta sæpè imperfectiones habẽt, quia pro bono facientis commoditate fiunt: Opera verò ex præcepto facta multò perfectiora sunt, tum quia ex præscripto Medici nostri fiũt, qui melius nouit, quid expediat ægro quàm æger: tũ quia ex duplici virtute procedunt: ex obedientia videlicet & ex virtute illâ cuius sunt actus: vti ieiunium ex temperantiâ. Ac licet ex sola obedientia procederent, meliora tamen adhuc forent, quàm sponte suscepta, quia *melior est obedientia, quàm victima.* 1. *Reg.* 15. Verum tamẽ est obedientiam illam hilariter & sine coactione aut morositate præstandam, ad eum videlicet modum, quo vites vnâ tenui stipulâ vel filo ad palũ alligantur & post seipsas propriis surculis illigant, adeoque palum sponte amplectuntur: sic præceptum esse filum tantùm, non funis, animaque Christiana vltrò id amplecti tenacissimè deberet. Secundò alliganda est anima fragilis ad corpus Christi per S. Eucharistiæ susceptionẽ. Nam vti palus totus vestitur à vite, & licet non appareat, sustentat tamen vitem: sic Eucharistia in suscipiente occultatur, & tamen sustentat eum. Nouit Dominus hunc palum necessarium esse sustentationi nostræ, sine quo diu perseuerare in bono vix possemus; idcirco cum affixit nobis, quia Eucharistia est cibus ille in cuius fortitudine ambulatur vsque ad montẽ Dei, 3. *Reg* 19. De hoc enim ipse dixit: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Ioan. 6. sine hoc palo corruimus tandem & putrescimus. 2. *Ad crebrã communionẽ.*

F. V. Putanda. QVINTÒ, Eget putatione seu præcisione summitatum superfluarum, quę alioquin luxuriarent in surculos tantùm & folia fructumque impedirent. Similiter animę præscindenda sunt Primò vitiorum fomenta, cuiusmodi sunt occasiones peccandi proximę, inter quas principem locum obtinet feminarum euagatio In his enim latẽt ipsa vitia velut in ouo, è quo facilè calore fota prodeunt, ideoque non minus ac peccata ipsa vitanda sunt. Quemadmodum enim puer cui præcipitur, ne in aquam cadat, nequaquam satisfacit, si à lapsu tantùm sibi cauendum ex stimet, non verò à periculis labeo dis idque tum primum quando iam vacillat casui proximus, tũc enim sera nimis cura est. De- 1. *Occasiones peccandi tollendæ.*

bet

bet igitur vitare omnia pericula casus, vti iuxta ripam fluminis currere, in eo lauare, super glaciem vehi, flumina fragili præsertim scaphâ traijcere, &c. alioquin enim qui pericula ipsa non deuitat, quomodo sibi à lapsu, cùm iam labi incipit, cauebit? Sed hæc astutia est diaboli, vt persuadeat hominibus quasi pueris, lapsum tantùm eis cauendum esse, non pericula, quæ incuriæ pallio tegit, scit tamen interim lapsum facilè subsecuturum, modò pericula adeantur. Filij Israël, quia inierunt fœdus cum gentibus & *non disperdiderunt, quas dixit Dominus illis, & commixti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum & seruierunt sculptilibus eorum & factum est illis in scandalum*, vt Dauid *Psal.* 105. ait.

2. *Affectus inordinati remouendi.* Secundò inclinationes & affectus inordinati ad quamcunque creaturam. Non enim obest possessio alicuius creaturæ, pecuniarũ aut honorum, sed, amor inordinatus, quo possidentur, cùm scilicet res illæ siue magnæ siue paruæ cum amore possidentur & cum desiderio quæruntur. Multi parum habent, sed illud parum magnâ affectione tenent & maiora cupidè quærunt aut desiderant. Deseruerũt omnes Israëlitæ Ægyptum corpore, sed non omnes corde; quia multis adhuc in ore fætebant Ægypti pepones & allia. Idem patet in vxore Loth. *Affectum igitur debemus hac in re pensare potius quam sensum*, ait S. Greg. *hom.* 5. *in Euang.* Porrò is præscindendus est quia & in se malus est & malos fœtus gignit, vti inordinatam lætitiam & dilectionem, cùm quid acquirit; tristitiam cùm quid perdit; impatientiam, iram &c. iniustitiam, cùm id cupidè quærit; curas & anxietates, cùm perdere timet.

G. VI. Pampinanda. SEXTÒ, Eget pampinatione seu purgatione à folijs superfluis, cùm incipit fructus ad maturitatem perducere: vt sic vuæ liberiùs aërem purum capiant & calorem Solis. Sic anima vt liberiùs Dei gratiam accipiat & faciliùs in virtutibus proficiat, exoneranda est à grauibus oneribus externis & internis. Externa sunt,

1. *A superfluitatibus externis.* magna opum abundantia, multæ & graues negotiationes, multa & grauia munia sæcularia quæ licet ex se non mergant hominẽ, adeò tamen prægrauant, vt difficilè respirare & saluti suæ vacare possit; inde nullus in virtute profectus, & vbi consenuerit vel obierit, *nihil inuenier. in manibus suis*. De quo *Os.* 10 dicitur: *Vitis frondosa Israël, fructum adæquatum est ei.* q. d. folia protulit, folia meter. Quod agnouit Ioannes Aragonum Rex piissimus senex, qui moriens dicebat adsistentibus: *O felicem pauperum conditionem & illorum securam vitam atque beatam! qui panem comedunt cum sudore vultus sui, qui viuunt labore manuum suarum! Nam mihi misero, quid regnum quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? labores, scilicet magnos & multos, corporis & animæ pericula, nec vnquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miserum & infelicem, qui tam serò fallacem mundum cognosco, qui vitam certè vixissem multò meliorem, si non Rex, sed pauperis agri cultor fuissem.* Marinæus *l.* 18. *rer. Hispanic.* Consultum igitur est, exonerare vitem animæ à tali foliorum superfluitate saltem in senectute vt Dei gratia liberius aspiret & fructus virtutum faciliùs maturescant. Ac quemadmodum viti non omnia tolluntur folia, sed quæ ab vuis tantùm remotiora sunt; sic superflua sæculi negotia resecanda sunt & quæ longiùs hominem à virtute auocant. Audi Chrysostomum *hom.* 14 *de auaritiâ*. *Noli*, inquit, *præstitutos terminos prætergredi ne facultatibus vniuersis exuaris, sed quod superest reseca. An non vides quod agricola vitem putent, vt vim omnem in pampinis & palmitibus, sed in radice profrat? Idem & tu facito. Amputa folia omnemque studium huc intende, vt quamplurimum fructum ferat:* sic Chrysost. Alioqui si temporalia tantùmodo quæris, in quantum sunt tuæ ac tuorum vitæ & status honestè conseruando necessaria & neque in iis neque in ipsâ temporali vitâ conquiescis, sed vtraque ad Dei cultum refers, non errabis.

Secundò, interna sunt curæ & sollicitudines superfluæ, quæ & ipsæ suffocant semen tem pa- 2. *Ab internis.* trisfamilias, faciuntque vt de virtute, de præscripto rationis, de salute nostra, de Dei cultu, de tremendo iudicio, de præparato improbis Tartaro penè nihil cogitemus sed immersi totis in res sublunares id spectemus solùm vt in hac vita bene sit nobis, ac si parerga essent, quæ de futuris commemorantur, essetque animæ & corporis communis interitus.

SEPTIMÒ, Eget per hyemem tegumento & H. VII. Muniendæ. quasi tunicâ quâ foueatur à ventorum & frigoris austeritate. Sic anima quia infestatur partim à vento prosperitatis, elationis & vanæ gloriæ, partim frigore aduersitatis, eget etiam suâ tonica ne per elationẽ & impatientiã pereat. Contra ventum vanæ gloriæ, induenda est 1. *Humilitate.* anima stramineâ tunicâ humilitatis, quæ tegat opera eius bona eáque nõ ipsi sed DEO adscribat, qui dedit ipsi ferre tam eximios virtutum fructus, iuxta id Matth. 6. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Alioquin quid prodest virtutum fructus gignere; si in fine destruantur? *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, ait Dominus de illis, *qui omnia faciunt vt videantur ab hominibus.* Quamobrem Dauid vt ne sibi hoc eueniret precabatur *Ps.* 35. dicens: *non veniat mihi pes superbiæ*; id est, da vt finis operum aut vitæ meæ, non sit superbia. Contra frigus verò tribulationũ induenda 2. *Patientiâ.* tunica patientiæ; quam facilè comparabimus, si pensemus nihilo plus nobis quàm in fluxis bonis noceri à creaturis posse. Coniunctissimum est animæ corpus, sed fuere tamen qui corpus pro vase tantùm & receptaculo hominis habebant, animam solam hominem censentes. Vnde Theopompus cùm à Tyranno tunderetur in mortario: *Pellem*, aiebat, *Theopompi tundis, non Theopompum.* Quod tamen multo verius dicere Christianus potest, qui nouit corpus nil nisi animæ ergastulum esse. Externorum fortunæ bonorum iactura tantò minùs adhuc sentiri debet, vt eam S. Augustinus *in Ps.* 51. capillorum rasioni comparet. *Quid faciunt sancti mali?* inquit, *Capillos radunt, nam illi capilli superflua rerum temporalium*

lium significant. Quia enim sine sensu praeciduntur, sic qui Deo adhaerent, sic habent ista terrena tanquam capillos. Sic ille.

Hæ igitur industriæ sunt ad culturam animæ adhibendæ,& hue omnes nostræ vires adlaborare debent, quamdiu in hac Ecclesiæ vineâ sumus. Sed quàm multos reperias, qui fortè ad hoc nunquam adhuc intenderunt animum? Quàm multos etiam qui ad corporis tantùm culturam totâ vitâ attendunt, quasi ad id solùm nati sint? Proh miseri & cæci! num idcircò in hanc lucem nati sumus, vt perituro tantùm & fœtenti corpori operam locemus? Non audimus Apostolum clamantem *ad Rom. 13. Induimini Dominum Iesum Christum & carnis curam ne feceritis?* Resipiscamus igitur ab hoc intolerabili errore, & vel hodie incipiamus neglecto corpore, animam excolere. Nulla hora serior est: Venerunt alij ad vineam hora 9. alij horâ vndecimâ; Omnes præmiati sunt, quod & nobis largiatur Deus.

CONCIO IV.

Quâ ratione omnes beati contentissimi sint suâ gloriâ.

Prima ratio est hæc: Quia omnes conueniunt in essentiali beatitudine, quæ consistit in visione Dei.
2. Quia omnium beatitudo est æterna.
3. Quia omnes Dei voluntati conformes.
4. Quia omnes præmiantur vltra condignum.
5. Quia omnes communicant sua gaudia.
6. Quia videns sibi plus non deberi.

THEMA.

Accipientes murmurabant aduersus patremfamilias, Matth. 20.

A. HÆsit fortassis non nemo dubius, cùm legerem in hodierno Euangelio, aliquos operariorum murmurâsse aduersus patremfamilias, quod parem mercedem dederit ijs, qui serius cœperunt cum ipsis laborare. Quid enim, dicet aliquis, an non denarius diurnus mercedem æternam, & operarij beatos denotant? an igitur in cœlo murmur? an inuidia inter beatos & querela contra Deū? sed sciendum imprimis est, non omnia necessariò applicari debere, quæ afferuntur in parabolis. Quædam enim in illis sunt velut lineamenta circa imaginem posita ad maiorem eius ornatum, etsi non necessaria. Sic capulum in gladio non scindit, seruit tamen ad hoc vt acies gladij scindat. Ita in parabolâ istâ nō scindit murmuratio, seruit tamen vt scindat parabola per responsum murmurationi datū. Deinde murmuratio ista introducitur à Domino, vt gloriæ excellētia ostēdatur in magnis sanctis, quæ videlicet tanta sit, vt si inuidia in cœlo esse posset, & gratia Dei abesset solaque natura considerentur, murmur oriretur, quamobrem tanta illis gloria collata sit. Sic in obsidione Ierosolymæ Titus ad milites dicebat: *Qui primus murum ascenderit, inuidendum remunerationibus fiet*ro. vt refert Ioseph. *lib. 7. de bello. c. 1.* Denique propter nos hoc dictum est, quia nos cùm simus mali, facilè motibus inuidiæ pulsamur & quærimus num rationabile sit alios aliis præferre. Et quoniam in gloriæ distributione accidentalis non seruatur æqualitas, sed *sunt stellæ differt à stellâ in claritate*, vt ait Apostolus, ita beati quoque; (in cuius rei ostensionem posteriores operarij prælati sunt prioribus in hodierno Euangelio) idcircò scire mox cupiemus, cur iste Sanctus altiorem in cælo locum sortiatur, ille humiliorem. Item quâ ratione beati sunt, si videant alios supra se maiori gloriâ conspicuos. An non beatitudo est status omnium honorum aggregatione perfectus & satiare debet appetitum? at quomodò satiabit, si maior aliis insit gloria? an non ergò orietur in Sanctis liuor & emulatio? Huic igitur nostræ curiositate respondet hic Dominus. *Amice non facio tibi iniuriam.*

B. 1. Quia omnes vident Deum. PRIMÒ, Quia omnes vident Deum facie ad faciem, in quo consistit essentialis beatitudo: tametsi accidentalis non est in omnibus eadem; appetitus enim humanus etsi infinitus est, expletur sufficienter, cùm apprehendit infinitum bonum, licet non secundùm omnes modos id apprehendat. Designatur hæc vna omnium beatitudo per denarium, qui perfectum continet numerum: is autem idem omnibus operariis datus est. Ac licet in denariis sit accidentalis quædam varietas: Vnus integrior, antiquior, pulchrior, grauior, &c. nihil id curant operarij, modò valor sit idem omnium: sic etiam appetitus beatorum expletur sufficienter in omnibus per essentialem beatitudinem. Hinc etiam cælum domus, & beati vocantur domestici Prouerb. vlt. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*, id est, gloria animæ & corporis. In ciuitate non omnes possunt videre principem, sed qui in eius domo sunt. Nónne omnes oculati contenti sunt solis lumine & stellis, tametsi alius alio clariùs eas intueatur? Aliqui lyncei sunt oculis, vel per tubum vident in cœlestibus luminaribus quædam mira magnâ delectatione, vti maculas in lunâ, rimas in Mercurio; defectiones & Eclipses, nec non coniunctiones & oppositiones syderum, vti Mathematici: quæ tamē opifices & alij homines nec desiderant nec curant, quia sufficit ipsis habere lumen solis & stellarum sufficiens ad vacandum operibus suis, ad itinera conficienda, &c. quod tamen Astrologis, qui cœlorum motus curiosiùs indagant, non sufficit. Similiter in Deo, sole infinito perfectionum omnium, beatiores vident plures & maiores semper perfectiones, & creaturas possibiles: minùs beati vident pauciores, sed tamen eundem solem vident, ideoque contentissimi sunt, quia licet æternùm videant, hoc aspectu semper recreabuntur, nunquam fastidium capient. Denique nónne idem liber, v.g. sacræ scripturæ, legitur à pluribus neque eodem fructu, ne-

 quæ

que eodem gustu, sed pari sufficientiâ? legit illum puer & videt in eo pulcherrimas imagines, hisque valde delectatur, cætera non curat. Legit illum Grammaticus vel Rhetor & miratur constructiones, & eloquentiam, hocque satiatur, cætera non quærit. Legit illum historicus & miratur iucundissimas historias in libro Genesis, Exodi, Numerorum, Regum &c. & aureum dicit hunc librum, tametsi gemmas auro pretiosiores in illo nec videat nec quærat. Legit illum Theologus, & longè accuratiùs penetrat, videt enim in illo gemmas Sapientiæ Theologicæ, mirabilia Dei consilia, perfectiones & opera, & supra omnes alios recreatur hac lectione, miratur & stupescit. Denique legat illum angelos, is omnia quasi meridie clarè intuebitur, intelliget omnia mysteria, omnes obscuritates, videbit quo ordine impletæ vel implendæ sint omnes prophetiæ, quàm in toto libro splendeant Dei attributa, mirabilis præsertim Dei prouidentia & recondita iudicia, & hinc maiorem capiet delectationem quàm prædicti omnes. Ita res habet in beatitudine.

C. II. Quia omnium beatitudo æterna. SECVNDÒ, Quia omnium beatitudo est æterna, fixa & constans, quæ designatur etiam per denarij rotunditatem, in quâ finem ostendere aut initium nō est. Aliter se habet figura huius mundi, quia præterit, ait Apostolus 1. *Corint* 7. hoc est, inconstās fluxa est & mēdax, veluti si moneta rotunda per mensam currens, decidat: effluit sicut arena in clepsydrâ: sicut rota fortunæ volvitur, modò eleuat, modò deprimit: nō ita figura cœli, quæ simul tota & immota consistit nec præterit aut cadit. Vnde fertur quidam vir, cùm pluribus in dies maioribusque beneficiis afficeretur à Rege suo, interrogatus esse, quid amplius optaret? nil aliud respondisse, nisi clauum vnum, quo scilicet fortunæ rotam sisteret, ne volubilitate illius deiiceretur aliquando de summo in imum. Sed hæc est mundi miseria, vt nil subsistat, omnia prætereant. Gloria beatorum constans est nec vnquam immutatur, quid igitur beati quicunque tandem illi, desiderere amplius possunt? quomodo non omnes omnimodis cōtenti sunt, cùm sciant se possidere optimam illam partem, quæ non auferetur ab eis? Sanè reperiuntur aliqui diuites etiam villani, qui si liceret, in hoc mundo perennare vellent, nec villam meliorem sortem appetere.

D. III. Quia omnes Dei voluntati conformes. TERTIÒ, Quia omnes beati conformant se diuinæ voluntati, vt ne latum quidem vnguem ab eâ discedere possint aut velint. Tametsi igitur eā non omninò penetrant, seu, vt Theologi loquuntur, comprehendunt, cur hoc vel illud ita velit, sciunt tamen & vident esse æquissimam. In mundi creatione nulla creatura inuidere alteri nobiliori poterat nec conqueri contra Deum; *Nunquid enim dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* ait Apostolus *ad Rom.* 9. Multò minùs id fieri potest in glorificatione. Ratio est, quia tantus quisque est, quantum eum vult esse Deus, maior esse non potest, quia omne quod habet à Deo habet. Aliter contingit in Comitiis mundi, vbi longæ semper altercationes fiunt circa præeminentiam, quæ non statim sedari etiam ab Imperatore queunt; quo à suam quisque excellentiam à maioribus suis vel à propriis virtutibus vel aliunde habet. Quod si status omnes omnia sua ab Imperatore haberent, eius ordinationi omne acquiescere deberent, nec æmulationi locus foret. Ita verò res habet in cœlo. Hoc indicatur in hodierno Euangelio, cùm ait paterfamilias: *An non licet mihi facere, quod volo?*

E. IV. Quia omnes præmiantur vltra condignum. QVARTÒ, Quia omnes præmiantur vltra condignum, tantum abest vt aliquid decedat alicui. Testatur id Apostolus: *non sunt condignæ passiones*, inquit, *ad futuram gloriam*, ad Rom. 8. Licet enim merces beatorum hic vocetur tantùm denarius ex conuentione promissus, adeóque operi adæquatus, id tamen ideo factum, vt merces congrueret cum opere scilicet vnius diei. Alioquin enim vocatur thesaurus, margarita pretiosa, regnum &c. Quamquam hic denarius non est communis valoris, sed significat ipsum Christum, qui est imago patris, infinitus, & cui obediunt omnia: quæ etiam suo modo reperiútur in pecuniâ. Ipse igitur Deus est merces beatorum magna nimis, vt ipse dixit Abrahæ *Gen.* 15. Vnde considerabunt beati & comparabunt solùm magnitudinem præmij sui cum exiguitate meritorum suorum, non cum præmij aliorum. Quemadmodum si quis Rex seruis suis donet, alteri maiorē, alteri minorem ciuitatem: alteri plures, alteri pauciores pro seruitio vnius anni: nullus tunc alteri inuidet, omnes sunt contenti, quia tanta non meruerunt. Sic *Luc.* 19. Dominus pro 10. minis dat. 10. ciuitates, pro 5. dat. 5. ciuitates. Multæ egregiæ puellæ erant in gynæceo Assueri, nulla tamen inuidebat Esthæræ, aut de ipsâ conquerebatur, quòd cunctis esset prælata: quia satis erat ipsis quòd ex humili sorte euectæ ad regiam maiestatem auro & gemmis rutilarent. *Esther* 2. Quid si denique beati omnes tantam beneuolentiam, fauorem, & dilectionem sibi à Deo exhiberi cernant, vt quilibet reputare possit se esse à Deo omnium maximè remuneratum & dilectum? sanè ita se gessit in viâ Christus erga discipulos suos. Tametsi enim Petrum & filios Zebedæi ad peculiaris quædam familiarius admitteret, veluti ad mysterium transfigurationis aspiciendum: ita tamen hæc omnia in reliquis Apostolis tractandis fouendisque compensabat, vt quilibet eorum sibi in animum posset inducere, neminem sibi à Christo anteferri. Hinc enim orta est illa ab Apostolis non semel habita contentio, quis eorum videretur esse maior, vt *Luc.* 22. *Marci* 9. Non quis maior esset, sed quis maior videretur, seu quis maximè videretur sibi à Christo dilectus. Poterit ergo & in cœlo quilibet beatorum, sibi persuadere se maximè à Deo dilectum & remuneratum esse, si beneficia & dilectionis diuinæ excellentiam cum suâ te-

nuitate

nuitate comparet: quod tamen ibi sine contentione fiet, quia ob vinculum charitatis mutuæ, idem alijs quisque optat, quod sibi, vt mox dicemus.

F. V. Quia omnes communicant sua gaudia.

QVINTÒ, Quia omnes communicant sibi mutuò sua gaudia & gloriam, & ita gaudent de aliorum gloriâ ac de suâ; magis enim tunc se mutuò diligunt, quàm diligere possit mater filium aut frater fratrem, cùm sint omnes filij & hæredes Dei, vt testatur Apostolus *ad Rom.* 8. In terris quidem cadere in fratres inuidētia & liuor solet, cùm hæreditatem diuidunt: quia nimirum hæreditas diuisione minor fit, & quò plures sunt cohæredes, eò minorem quilibet obtinet hæreditatem: hinc sæpe inter eos contenditur quòd vnus plus debito sibi arroget. At non ita est in cælo, vbi infinita est hæreditas, quæ nunquam exhauritur, nec diuisione minor fit. Vnde sibi ipsis omnes cōgaudent & congratulantur de aliorum fælicitate æquè ac de suâ, quòd indicauit Dominus in parabolâ ouis & drachmæ inuētæ. Idemque figuratum fuit in septem filiis Iob, qui se mutuo ita diligebant vt quotidie per ordinem dierum hebdomadæ faceret vnusquisque fratribus conuiuium; vnde fiebat vt omnia eis essent communia, nec minus vnusquisque commodi caperet de re familiari fratris sui, quàm de propriâ. *Filij*, inquit Origenes tract. 1. in Iob, *qui septem fuerunt numero & vnam habuerunt animam: septem fuerunt personæ & vnum erat eis cor: qui dissimiles erant aspectu & facie, similes verò & vnanimes mentis concordiâ atque pietatis communione.* Ne verò hæc conficta putes, audi Augustinum in manuali c. 35. *Certè si quis alium*, inquit, *quem omninò sicut teipsum amares, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minùs gauderes pro eo, quàm pro teipso: si verò duo vel tres vel multò plures idipsum haberent, tantundem pro singulis, quantumdem pro teipso gauderis si singulos sicut teipsum amares. Ergo quid erit in illa perfectâ charitate innumerabilium beatorum angelorum & hominum, vbi nullus diliget alium minùs quàm seipsum?* Hæc August. Quis nescit matrem diuitem, auro & argento splendidam, nequaquam inuidere filio diuitem Episcopatum ac splendidum Episcopi habitum: sed potiùs inde vehementer gaudere ac si ipsius esset Episcopalis habitus, splendor & diuitiæ? sic rem in cœlis habere credito.

G. VI. Quia vident sibi plus non deberi.

SEXTÒ, Quia singuli vident sibi tantum deberi ac competere, & nū plus. Quod indicauit Dominus eùm ait: *amice non facio tibi iniuriam: tolle quod tuum est & vade.* Prout cuiusque merita requirunt, talis erit eius gloria; vnde inferior superiori inuidere aut gloriam eius appetere non poterit, quia non habet eius merita. Quemadmodum si mater habeat decem filias, quarum aliæ alias tantùm staturâ, quantùm annis superent, singulis facit suam tunicam, sed maiori maiorem, minori minorem; in maximam insumentur decem vlnæ panni, in minimam vix duæ: nihilominus tamen nulla puellarum istarum mutare cum sororibus volet talarem suam, quia sibi ista congruit, aliæ non congruunt. Sic in cœlo alij Heroës sunt qui Herculeis laboribus ingentia designârunt, stratagemata, qualis Baptista, Petrus, Paulus, &c. & his heroica debetur stola; alij infantes & quasi pumiliones sunt, quibus proinde infantilis stola competit. Rursum si in conuiuio plures sedeāt, alter altero plus vini bibit prout corpulentior vel calidior est, & tamen omnes satiantur & fortè inebriabuntur, tam qui minùs quàm qui plus biberunt. Idem fiet in cœlesti conuiuio, vnde dixit Dauid: *inebriabuntur ab vbertate domûs tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Si qua verò inter ipsos est accidentalis gloriæ inæqualitas ea ab ipsis est, quæ proinde vlteriorem appetitum in eis excitare nequit, quòd capacitas desit.. Quare qui ibi maiorem desiderat ornatum maioresque vult deliciarum haustus facere, hîc se extendat oportet, nec cum pusionibus humi repat. Id quod faciebat Paulus, qui ad *Philip.* 3. ait: *Ad ea quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.* Et in hod. Epistolâ monet vt & nos extendamus: *sic currite vt comprehendatis.*

Ex hoc iam intelligere licebit quamobrem Patres veteris testamenti conqueri nequeant se esse postpositos nouæ legis Patribus, cùm tamen portârint pondus diei & æstûs. Quia verum quidem est, quòd ipsi plus laborârunt, tum quia diutiùs viuebant, tum quia grauius iugum plurimarum legum & cæremoniarum portabant, tum quia vitam coniugalem viuebant, tum quia post mortem multis annorum centuriis denarium suum expectare debebant. His tamen non obstantibus rectè præponuntur vel æquiparantur saltem eis sancti nouæ legis, quia breuiori licet tempore plus operæ fecerunt, adeoque ex Iustitia etiam plus promeruerunt, quia scilicet partim maiora præstiterunt opera, partim maiori feruore. Quando Patriarchæ vel Prophetæ relictis omnibus totum penè orbem peragrantes integras Ethnicorum prouincias ad veri Dei cultum pertraxerunt sicut Apostoli? Quando apud illos tam copiosus martyrum exercitus pro Deo sanguinem fudit sicut apud nos? Vbi apud illos tot Chori sanctarum Virginum? tot Pastores & Doctores super gregem Dei vigilantes & contra lupos pugnantes? tot Eremitarum & Monachorum cœtus dies noctesque in Dei laudibus consumentes, quemadmodum apud nos? Quare nemo abiiciat animum, quia quocunque in statu & quacunque tandem horâ laborem inceperimus, superare adhuc alios vel æquare possumus. Nemo etiam sibi applaudat, quia etsi prior cœperit & plus laborârit, potest tamen adhuc ab aliis qui seriùs venerunt & minus laborârunt superari & præuerti.

CONCIO V.

Quam temerè agant, qui ex præsumptione peccant.

Aßignantur tria hominum genera ex præsumptione peccantium.	*2. Alij ex præsumptione longanimitatis diuinæ.*
1. Aliqui peccant ex præsumptione diuinæ misericordiæ.	*3. Alij ex præsumptione diuinæ bonitatis.*

THEMA.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth.20.

A. ACcidit quandoque in rerum naturâ, vt ea quæ in se maximè salutaria sunt, aliquibus sint noxia & mortifera. Quid magis salutare pane? & huius tamen esu moritur accipiter, vt scribit S. August. *de moribus Manich. l.2. cap.*8. Quid gratius est rosâ? & huius tamen odore enecatur scarabæus, qui ceruus volans dicitur, vt tradit Aristoteles *de admir. c.* 140. Quid suauius vnguento? huius tamen inunctione moritur vultur, vt scribit Clemens Alexandr. *pædag. l.* 2.c.8. Sed nimirum hoc ideò fit, quia vultur & accipiter cadaueribus delectantur, iisdemque inhiant: scarabæus verò fimo. Ascendendo supra naturam inueniemus nō minus mirum, quòd videlicet homines aliqui ex ipsâ Dei bonitata, misericordiâ & longanimitate, vnde alij homines vitam & omnia bona sumunt, ipsi sibi exitium & perditionem hauriant. Quid magis inauditum, & magis deplorandum? Hoc certè in hodierno Euangelio miratur ipse Dominus, & quasi fieri non posset, interrogat: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* q. d. fietne potest, vt quis ax meâ bonitate deterior reddatur? Atque vtinam hoc non sæpissimè fieret. Incipit hodie Ecclesia denuntiare nobis annum placabilem & tempus acceptabila, quo ad pœnitentiam nos inuitat, promittens Dei misericordiam liberaliter effundendā super omnes peccatores quadragesimali tempore. Hinc fortè aliqui dicent aut cogitabunt: Liceat ergo his diebus Baccho dadicatis indulgere ventri & voluptatibus, audere etiam aliquid, quod aliàs non licet; venit anim quadragesima, in quâ Deum nobis reconciliabimus, & totum animæ negotium facilà componemus. Misericors enim est Deus, qui facilà placatur vnâ cōfessione. Longanimis est Deus, qui expectat peccarorem ad opportunū tempus pœnitentiæ agendæ. Insuper etiam bonus est, qui non tantùm conniuet illi, sed etiam prospera largitur. Optimus panis Dei misericordia, optimum vnguentum Dei longanimitas, optima rosa Dei bonitas; sed videte ne vobis hæc in perniciem cedant, quæ aliis dant vitam. Ego non dubito, talibus dixisse Christum, nostrum patremfamilias: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Quam sententiam ne aliquando audiamus in die, quâ cuique nostrûm sua merces distribuenda erit, caueamus quantum possumus, ne ex præsumptione huiusmodi peccemus. Cui rei seruient, quæ dicemus.

PRIMÒ, Aliqui dicunt: Misericors est Deus, pœnitentes libenter recipit, nec multum ab illis exigit: vna sacerdotis absolutio totum negotium conficit, &c. Sed videant, ne hîc impingant. Nam primò sine gratiâ Dei præueniente & excitante nos ad pœnitentiam, conuerti nemo potest. Quis autem hāc Dei gratiā sibi polliceri audet? quis eā manibus suis clausam tenet? gratia non esset, si in potestate nostrâ esset, vel debita ac certa nobis esset. Facilè quidem pisces ingrediuntur nassam, sed per saxita nequeunt: pari modo homo cadit quidem facilè, nequit tamen per se resurgere; homo seipsum interficere potest, sed seipsum reuocare ad vitam nullo modo potest. Christus dixit: *nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum* Ioan. 6. S. Petrus quādo Christum tertiò negauit & quidem semper pertinaciùs, cum iuramento & anathemate, periisset vtique tunc, nisi eum Christus suo respectu traxisset ad pœnitentiam. *Magnum dogma*, inquit S. Chrysostomus, *à Petro discimus, quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur*, &c. Respexit ergo Dominus Petrū, & inde fleuit Petrus: quòd si Dominus Petrum nunquam respexisset, flere vtique Petrus nunquam incepisset. Cur enim non fleuit Iudas, cæteroqui pœnitentiâ ductus, nisi, quia Dominus eum non respexit: Et cur apud inferos perpetuæ sunt tanebræ & corda damnatorum in glacia obstinationis perpetuò concreta, nisi quia illorum demeritis sic exigentibus, diuinæ misericordiæ radius in eum locum nunquam defigitur, nec in omnem æternitatem vnquam defigetur? At fortè ex viuentibus pauci admodum sunt, quibus nagatur hic obtutus? Itáne verò pauci? Circumfer, quæso, oculos in totum hoc mundi amphitheatrum & inuenies propemodùm centum nationes à Christi fida alienas & diuersis sectis daditas, Paganismo, Mahumetismo, Iudaismo, hæresi, schismati, donec vnam repertas Christianam: & illas tamen omnes nónne desérit Christus & sinit in suis erroribus mori ac perire? Quotusquisque est ex tanto illo numero; quem aspectu suo dignatur & reuocat ad fidem? Deinde ax Christianis elige quamuis ciuitatem, oppidum aut pagum, & videbis maiorem partem vitiis essa addictam & in illis consenescere, mori & interire. Quid ergo tibi aliud poteris prædicere, quàm eundem te cum impiis sortiturum finem, qui eodem modo viuis. An fortè cùm tu nascere cœli exultārunt? aut iudicia Dei ad te solum obmutescant? Si Deus Angelis peccantibus non pepercit: si præuaricantes filios dilecti sibi Dauidis infelici exitu sustulit è mundo: tibi soli parcet?

Præterea qui ex tali præsumptione a. malè agunt, hoc ipso se indignos reddunt Dei misericordiâ, & gratiæ præuenienti ianuam occludunt,

B. I. *Quidam ex præsumptione misericordiæ diuinæ. Sed contrà.* 1.

dunt, quia in ipsum remissionis principium peccant, quod est Dei misericordia. Que madmodum indignus est, qui Ecclesiæ immunitate gaudeat, is qui in ipso templo sub spe immunitatis homicidium patrauit aut membro aliquem mutilauit, vti statuit Gregorius Nonus, *cap. vlt. de immunitate Ecclesiarum*: ita qui sub spe diuinæ misericordiæ, quasi asyli sui peccat, meretur eius beneficio priuari. Fugit ad hoc asylum bonus latro & immunitatem inuenit; ita est, sed is tamen non peccauerat sub spe asyli huius; alioquin absque dubio, Misericordiam Dei sperauit, sed post, non ante peccatum. Ante peccatum iustitia Dei timenda est, post peccatum misericordia speranda, vt docet S Gregorius *l.33. Moral. cap.15.* Communiter dici solet, quòd fortissimi quique malè pereant, vti natatores, pugiles, & qui in arboribus scandendis excellunt: ratio est, quia tales nimiùm de se præsumere solẽt: nulla non pericula adeunt. Sic dum Milo Crotoniates temerè manus in fissuram quercus immittens diuellere eam tentat, excusso cuneo quercus se recludens manus eius cõpressit, sicque affixum feris lacerandum se præbuit. Strabo *l.6.* Fortissimus Polydamas, dum in subterraneâ specu cum sociis ad symposium sederet, fortè fortunâ maximo cum fragore spelunca supernè dirupta est, patentibusque rimis crebrioribus, dum socij fugâ sibi consulunt, solus ipse erectis in altum brachiis tanquam molem totam sustentaturus, perstitisse fertur; sed montis ruinâ saxorumque illapsu obtritus est. Maiol. *tom.4. coll.1.* Idipsum experiri merentur, qui de misericordiâ Dei præsumunt. Quomodo enim peccatores põdus diuinæ iræ, quotidie sibi accrescens perpetuoque imminens sustinebunt? Quantò magis amplificant Dei bonitatem, in quâ confidunt; tantò magis exaggerant peccatum suum, quod in illam committunt, aggrauant Dei iustitiam, per quam aliquando repente & in irâ absorbeantur. Addo quòd eiusmodi homines Deum pro amente habent, quem ideo offendunt, quia facilè placandum putant. Sic enim stultos & pueros vexamus vel probro afficimus, quia scimus eos facilè placari & nobis reconciliari. At non est hoc iram Dei in se exacerbare? *Nolite errare: Deus non irridetur*, inquit Apostolus, *ad Gal.6.* Misericordia & iustitia Dei, duæ sorores sunt; qui peccat in misericordiam, iustitiam quoque irritat, & hæc vindex est illius. Qui de misericordiâ præsumit, Iustitiam contemnit, & quodammodo à Deo exterminat. Audi Psalmistam: *Dulcis & rectus Dominus*, inquit. *Psal.26.* *Ama quòd dulcis est, time quòd rectus est*, inquit S. Augustinus *tr.33. in Ioan.*

3. Deinde isti perinde agunt cum Deo ac si teneatur eis scelera condonare, adeoque Dei misericordiam in ius quodammodò suum trahunt, quasi eam in manibus suis haberent. Nõ ita; sed: *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*, ait Dominus Moysi: *Exod.33.* Hinc quoniam bonus latro humiliter à Christo veniam petiit, tantùm videlicet vt meminisset sui: indignum se existimans qui consortium regni eius postulare auderet; ideo eam consecutus est. Malus contrà repulsus, quia opem à Christo quodammodo extorquere quasi de iure tentauit, dicendo: *Si filius Dei es, salua te ipsum & nos.* Ecce quàm importunè & quanto cum contemptu vilissimus homo opem à Deo petit? vnde meritò respondit ei socius: *Neque tu times Deum?* q. d. nobis timenda potiùs Dei iustitia, quàm misericordia eius tam temerè postulanda.

C. II. Alij ex præsumptione longanimitatis diuinæ. Sed contrà.

SECVNDÒ, Alij dicunt, Longanimis est Deus, qui non subitò punit, sed expectat peccatorẽ, donec redeat ad se, vti filius prodigus, & alij, quos videmus, plurimi: itaque lætemur interim & desideria cordis nostri sequamur. Sed quid ad hoc ait Dominus? *Si dixerit malus seruus*, inquit Matth.24. *in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: Veniet Dominus serui illius in die quâ non sperat, & horâ quâ ignorat, & diuidet eum partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.* Hoc itaque lucrantur isti, vt Deus quasi ex insidiis eos inseparatù adoriatur, quibus aliàs aperto Marte prælium inducturus erat per præuias ægritudines vel senectutem, &c. Decipiuntur ergo, sicut qui latiorem aliquam fossam præsumunt transilire, quia minùs latam reputant, interim in saltu latiorem deprehendunt & incidunt in eam; prudens verò quærit pontem. Multi Paschale tempus terminum sibi præfigunt, alij alium, quo agere pœnitentiam velint, quasi certi sint, se breuiculum hoc spatium facilè superaturos, interim tamen sæpenumero non attingunt, sed priùs in foueam sepulchri cadunt, aut aliter impotentes fiunt ad pœnitentiam agendam. Vnde *Prouer.14.* dicitur: *Sapiens timet & declinat à malo: stultus transilit & confidit.* Huiusmodi fuit is, quem refert Stapletonus in Prompt. morali, siquando de pœnitentiâ agendâ admoneretur, dicere solitum: Hæccine mihi cura incumbat? Ego in supremo articulo vitæ tribus verbis salutẽ consequar. Qui dum hyemali tempore, equo vectus pontem lacerum transire vellet, cùm sibi cadendum & pereundum videret, tria illa verba protulit: *Capiat omnia Dæmon.* Sicque cum equo demersus periit. Transiit per mare rubrùm exercitus Hebræorum: sed non item Pharao, qui in ipsam fossam incidit & periit: tametsi & ipse sperarit se incolumem transiturũ. Itaque licet hoc succedat aliquibus, non succedit tamen omnibus. Heri quis in hac viâ inuenit marsupium, idcircone etiam te hodie inuenturum aliud speras? Volebant filij Noë ædificare turrim Babel ad celebrandum nomẽ, & sperabant omnino perficere opus suum, antequam diuiderentur in vniuersam terram: sed nequaquam attigerunt terminum suum; in ipso enim opere à Deo præuenti, confusi & diuisi sunt. Philo disertissimus Iudæorum scribit *de Bibl antiq.* 1. *Reg.4.* duos filios Heli, Ophni, & Phinees, cùm malæ vitæ essent, sibi persuasisse, Deum tollere è viuis homines, quando in meliori statu sunt:

& ita secum quoque acturum. Sed turpiter decepti sunt, nam statim in prælio occisi, vt *l. 1. Reg. cap. 4.* legimus. Deprehenderunt isti *mendacium aquarum infidelium*, vt loquitur Ieremias c. 15. quia nimirum cùm sperarent transitum, in ipso ingressu absorpti sunt. Abierant iam fatuæ Virgines ad oleum comparandum, breuî redituræ: nō tamen expectauit eas sponsus: sed *quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias & clausa est ianua.* Deinde si Deus moram facit & dissimulat peccata tua, non ideò certus es, quòd expectabit vsque dum resipiscas. Quid enim si ideò differat, vt tantò grauiùs feriat? Audi Apostolum ad Roma. 2. *Secundùm duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Propterea Deus pro signo fœderis posuit nobis arcum in cœlo, quod est instrumentum potiùs belli quàm pacis. Nimirum per hoc *dedit Deus metuentibus se significationem vt fugiant à facie arcus* Psal. 59. In quem locum S. Augustinus ait: *Videte quid fit in arcu; nonne sagitta en prorsa mittenda est, neruus autem retrò extenditur in contrarium? Et quantò plus erit extensio retrorsum, tantò maiore impetu illa currit in priora? quid est quod dixi? quantò magis differtur iudicium, tantò maiore impetu venturum est.* Sic ille, quantò altiùs eleuat manum, tantò grauiùs ferit, iuxta id: *eleuauit manum suam vt prosterneret eos.* Deut. 32. Vnde meritò sibi metuere debent qui in peccatis diu impunè degunt: hoc enim reprobis contingere solet, vt habetur 2. *Mach.* 6. vbi dicitur: *non sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt eas cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat; ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis ita demum in nos vindicet.* Signum ergo reprobationis est, diu impunè peccare; quo...odo ergo ex hac dilatione nō potiùs iram, quàm misericordiam prognosticamur? Quando olla rimosa in aquam mittitur non illicò demergitur, sed natat aliquādiu & paulatim impletur aquâ, quāprimùm verò impleta fuerit, tunc repentè absorbetur: Sic etiam impœnitentes dimittuntur multo tempore, donec impleant mensuram suam, & tunc in irâ absorbentur.

D. III. Alij ex præsumptione bonitatis diuinæ. *Sed contrà.* TERTIÒ, Alij dicūt: Bonus valdè est Deus, nec magnopere offenditur peccatis; (vti nobis occinitur) videmus enim passim quòd etiam peccatoribus prospera largitur: *Oues eorum fœtosæ, boues eorum crassæ*, &c. Sed respondeo tantò magis eis timendum esse, ne cum Epulone illo recipiant bona in vitâ suâ. Quid si enim velut parci in præsens saginentur, vt mactentur ibi & orco immolentur? Quid si instar Reorum supplicio damnandorum ad duos tresve dies commodè habeantur & opiparè tractentur, postcà suspendendi? Quomodo enim sibi, obsecro, persuadere possunt, se, cum malè viuant, bene habendos esse & in hac & illâ vitâ? An non clarè vident, se hoc non modò non meruisse, sed potiùs demeruisse? Meritò igitur illis suspecta esse debet talis prosperitas.

Animaduertunt aliqui rem sibi familiarem accrescere, tametsi malis artibus eam quæsierunt, & vetitis etiam diebus opificia sua exercuerunt, &c. Hinc contemnunt salutaria illa monita: quòd bona cum peccato parta nōn prosperentur, &c. Sed videant isti ne hæc lucra in perniciem eis cedant velut gramen cani & coturnices Hebræis, de quibus dicitur: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum & ira Dei ascendit super eos.* Audiant quod Iobi cap 20. dicitur: *Diuitias, quas deuorauit euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus.*

Denique quis, quæso, te sic argumentari docuit: Bonus valdè est Deus, qui malè etiam agentibus & inimicis suis bona multa tribuit: ego igitur malus ero, & pro bonis mala ei rependam? siccine rectè agent, qui ideò percutient matrem, quia videant ab eâ id patienter ferri & se insuper blandissimè tractari, tenerrimeque diligi? Quid diceremus de eiusmodi filijs? In vitâ S. Zenobij legimus eiusmodi matrem, quæ delicatissimè enutrierat filios suos, postea ab iisdē percussam genibus procubuisse, terram manibus pulsasse & omnes infernales furias in rabiem filiorum inuocâsse, non irrito euentu: vt vidimus alibi. Contrariâ viâ incedendum est. Quia Deus bonus est, ideo & tu quoque bonus esse debes: & quia Deus tam bonus est vt & impijs bene faciat, duplex scelus est tantam bonitatem offendere. Hinc iure tandem fit vt Deus erga tam duros & ingratos duritiam & ipse induat, quemadmodum fecit erga Epulonem, qui cùm à Deo multa bona recepisset in vitâ suâ, ingratus tamen & immisericors fuit ac durus: ideoque ad extremum Deum quoque durissimum inuenit, quando nec guttam aquæ obtinuit.

CONCIO VI.

Inuidiæ nequitia.

Constituitur hæc nequitia in his:	3. *Quòd proximum nequiter aspiciat, adeoq; offendat.*
1. *Quòd oculus inuidi lucem hominibus inuideat.*	4. *Quòd sibi noceat, non illi cui inuidet.*
2. *Quòd partus sit spiritus nequam Diaboli.*	5. *Quòd curationem fugiat & difficillimè sanetur.*

THEMA.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. 20.

QVid est, Auditores, quod narratur in hodierno Euāgelio murmurâsse operarios aliquos contra socios suos, inuidendo illis mercedem, quam vtrisque parem dari cernebant? Quis enim nescit per operarios istos denotari beatos, & per mercedem gloriam? At verò quomodo in cœlo murmur & inuidia? Ego quidem existimo voluisse docere Dominum tam commune malum esse inuidiam, vt, si possibile foret, aliquod in cœlos vitium penetrare, inuidia penetraret. Etenim licet inuenire regionem, vbi non sint venena, quemadmodum affirmant de Cretâ: at non licet inuenire rempublicam, quæ non alat inuidiam, A.

nec

nec domus est tam sancta, quæ immunis sit ab illâ. In castris militat, in iudiciis sedet, in academiis, Capitulis, Cœnobiis se insinuat. Reperta est in domo Adami, Isaac, Iacob, Moysis & ipsius Christi Collegio: & vniuersim pulcherrima quæque turpissimum hoc malum sequitur, magno reipublicæ detrimento. Tantum enim est hoc malum vt S. Chrysostomus *hom.* 41. *in Matth.* scribat tales homines (inuidos videlicet) instar rabidorum canum, lapidibus petendos & omni cruciatu torquendos: Nec iniuriâ, quia plurimas in republicâ impedit actiones bonas, quæ nisi obstaret inuidia, magno multorum bono prodirent. Hoc ergo vitium nunc lapidibus impetemus, Et quemadmodum Dauid collegit sibi 5. limpidissimos lapides, quos iaceret in Goliathum: ita ego collegi mihi 5. fortissima argumenta, quæ iaciam in inuidos. Optimè depixit Christus inuidiam cùm vocauit eam oculum nequam. Sic enim & Ecclesiasticus c. 14. dixit: *Nequam est oculus liuidi & auertens faciem suam.* Vbi vno nequitiæ vocabulo tota inuidiæ malitia comprehenditur.

B. I. Lucem hominibus inuidet. PRIMÒ, ergo nequam est oculus inuidi, quia lucem omnibus hominibus optatissimam & saluberrimam renuit intueri, imò extinctam cupit dum aliis inuidet. An non tibi videretur homo ille oppido nequam esse, qui solem extinctum vellet, ne alij viderent eiusque lumine fruerentur? Hoc autem cupit inuidus, quia Deum vellat non esse bonum, manum eius vellet esse clausam aliis hominibus, atque adeò Deo qui naturaliter propensus est ad benefaciendum & se communicandum, hostiliter se opponit. Et quemadmodum papiliones lucernam circumuolantes extinguere moliuntur: ita inuidi Dei bonitatẽ. Verùm sicuti animalcula illa, seipsa amburunt, lucernam non extinguunt: ita inuidi sibi tantùm, non aliis præripiunt radios diuinæ bonitatis.

Adhæc inuidus ex Dei bonitate occasionem malitiæ sumit; & ideò, vti notauit Christus, malus est, quia Deus bonus est, quod signum est perditissimæ nequitiæ. Cùm enim videns Dei bonitatem in creaturas suas profusam, deberet eius exemplo prouocari ad similem bonitatem vel ad laudem saltem diuinæ bonitatis: ille potiùs inde mouetur in contrarium, & cupit homini ablatum, quod vult ei Deus donatum. Ergo vti Scarabæus, qui ceruus volans dicitur ob similitudinem cornuum, fimo assuetus, rosæ odore moritur teste Aristotele *de mirab. cap.* 140. ita etiam odore imò aspectu solo diuinæ bonitatis tabescit & enecatur, imò ex eâ velut flore saluberrimo venenum sugit inuidus.

C. II. Partus Diaboli est. SECVNDÒ, Quia partus & imago est spiritus illius nequam, (sic vocatur 1. *Reg* 16. *v.* 19.) qui patẽs & auctor huius peccati fuit, & per id mortem, omniaque mala in mundum inuexit, vt testatur sapiens c. 2. *Inuidiâ Diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Cùm enim inuideret fælicitati primorum hominum & vniuersim generi humano, quod à Deo exaltatũ magisque exaltandum, ipse verò à suâ fælicitate deiectus esset, inde motus est ad seducendum hominem & fœdandum genus humanum. Vnde S. Augustinus *l.* 1. *de doctrina Christiana* ait: *Inuidia vitium diabolicum, quo solo diabolus reus est & inexpiabiliter reus. Nõ enim Diabolo dicitur, vt damnetur: adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti: sed homini stanti inuidisti.* Nec cõtentus fuit Diabolus per inuidiam deiecisse hominem, sed studuit hoc ipsum malum latiùs propagare & hominibus insinuare ad deiiciendos alios quamplurimos. Ipse enim instigauit Cainum vt inuideret fratri & inferret necem: concitauit Esau contra Iacob, filios Iacob contra fratrem Iosephum; Mariam contra Moysen fratrem, Saulem contra Dauidẽ, &c. idemque adhuc facit semper obnixissimè; & quemadmodum Christus conquisiuit sibi discipulos, quos suos agnosci voluit ex symbolo charitatis: *in hoc cognoscent omnes,* inquit Ioan. 13. *quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem:* ita è contrario diabolus conquirit sibi discipulos, qui aliis inuideant. Vti enim inuidia charitati, ita diabolus aduersatur Christo. Verissimè ergo Chrysostomus: *Inuidia*, ait, *pestiferum malum hominem in diaboli conditionem ac in Dæmonem immitissimum conuertit,* hom. 41. in Matth. Causam reddit idem auctor paulò superiùs, his verbis: *quemadmodum Dæmones nostris damnis lætantur: sic inuidi calamitate proximorum exultant.* Viderint ergo inuidi, cuius partis sint. *Imitantur illum*, ait Sapiens vbi suprà, *qui partis illius sunt;* cuius proinde partem & hæreditatem sortientur in inferno.

Et verò non ita mirum est Dæmonem inuidere homini, quàm hominem homini. *Inuidet quidem Dæmon*, inquit S. Chrysostomus, *sed hominibus: tu verò cùm sis homo, hominibus inuides, & quomodo consequeris veniam?* Habes igitur hîc aduersarios duos, Deum & Diabolum. Ille omnibus bene cupit, iste omnibus malè. Vide quem sequaris. Veterum sapientum placitum hoc fuit: *sequere* DEVM, teste S. Ambros. *l.* 1. *de Abraham cap.* 2. stultorum inuidentium placitum est: *sequere Diabolum.*

TERTIÒ, Quia proximum nequiter & sinistrè aspicit. Primò enim quem colere ob dona illi collata, amare & admirari deberet, eũ perdere quærit: vti Saul Dauidem omni virtute præditum, eoque nomine omnibus charum, Ideoque de illo bene dicitur: *non rectè ergo oculis Saul aspiciebat Dauid* 1. Reg. 18. Quem enim ob præclarè gesta extollere debebat, nitebatur è medio tollere: modò eum lanceâ impetendo, modò Philisthæorum gladio exponendo, modò ad necẽ quærendo. Denique laudatissimos quosque ferè perdidit inuidia, vti Abelẽ & ipsum Christũ, quem Iudæi Pilato ex inuidia tradiderunt *Matth.* 27. Ea est fera illa pessima, quæ deuorauit innocentem Ioseph *Gen.* 37. Ea Danielẽ tradidit leonibus. *Dan.* 14. D. III. Proximum offendit. 1.

Secundò quærit in ipso, quod calumniari possit, ad instar Sodomitarum, qui circum- 2.

euntes domum Loth, ostium quæsiuerunt, sed ab angelo cæcati parietem tantùm palpârunt, ostium non inuenerunt. Audi Gregorium l. 6. Moral. c. 16. *Percussi cacitate quasi domum circumeunt, quia inuidentes dicta factaq; perscrutantur: Sed quia eis de vita iusti, fortis vndique & laudabilis actio obuiat, errantes nihil aliud quàm parietem palpant, &c.*

3. Tertiò, sinistra tantùm in proximo intuetur, non dextra, id est, ea quæ vituperij, non quæ laudis sunt, item sinistrâ proximi fortunâ delectatur, prosperitate eius offenditur. Hinc inuidi comparari solent Vulturi, qui cadaueribus pascitur eorumque odorem sectatur, vnguenti odore offenditur & perimitur, Auctore Clem. Alex. *l. 2. pædag. cap.* 8. Paulò aliter S. Basilius *hom. 11. de Inuidiâ* ait: *Sicut vultures pratis amœnis & odoratu desertis, ad tabida & fæculenta loca feruntur, musca quoque præteritis salubribus membris, ad vlcera properant: sic inuidi neglecto vitæ splendore & rebus magnificè gestis, errata tantùm obseruant & diuulgant.* Similes præterea sunt Noctuæ, quæ caligine oblectatur, lucem autem fugit. Hominibus, qui noctu meliùs vident, quàm interdiu, quales apud Albanos reperiri scribit Aulus Gellius *l. 9. noct. Attic. cap.* 4. Quibus accenseri potest Heli, qui vt haberur 1. Reg. 3. *videre non poterat: lucerna Dei antequam extingueretur* (sic enim multi legunt) non poterat videre Heli splendentem Dei lucernam, & tamen videre potuit Annam labia mouentem, indeque coniecit esse temulentam: cuiusmodi ophtalmiâ laborant inuidi, quia virtutum splendore offenduntur, caligine malefactorum oblectantur.

4. Quartò, Sinistra, hoc est, aduersa & noxia proximo imprecatur; & cùm potest, infert: sibi verò dextra, hoc est, prospera & vtilia quærit & præripit. Huiusmodi perditam malignitatem reperire est etiam in coturnice, quæ aquam, ex quâ biberit, pertubare fertur, ne quod aliud animal inde sitim leuet, Pier. l. 24. *Hieroglyph.* Ita videmus canes comedere obiecta etiam vltro appetentiam, ne feles fiant participes. Idem faciunt inuidi.

E. IV. Nocet sibi ipsi.

QVARTÒ, Quia sibi ipsi nocet, non alteri cui inuidet. Dixit Ecclesiasticus c. 14. *Qui sibi nequam est, cui bonus erit?* Sed quis vspiam talis? Subdit idem Sapiens: *Nequam est oculus liuidi, & auertens faciem suam, & despiciens animam suã.* Cùm enim ex fælicitate & præclaris aliorum factis mel lætitiæ & Charitatis posset colligere, tristitiæ fel extrahit, quo seipsum cruciet & strangulet; & ita auertit faciem à rebus lætis & salutaribus, ad tristes & noxias. An hoc non est despicere animam suam? Alia certè vitia capiunt aliquid vel vtilitatis, vel delectationis, vel honoris; sola inuidia non metit nisi dolorem. Rursum alij affliguntur, cùm obtingit eis quidpiam mali: at inuidus etiam cruciatur, cùm euenit alijs quidpiam boni. Ob quam causam eos euagoras bis miseros esse censuit. Et hinc optauit quidam, vt inuidi oculos & aures haberent in omnibus ciuitatibus, quò nimirum de omnium successu vndique torquerentur. Denique, vt paucis dicam, inuidiam animæ serram vocabat Socrates *serm.* 63. Tineam & rubiginem S. Cyprianus *serm. de Zelo & liuore.* Viperam S. Basilius orat. contra inuidiam: *Sicut enim viperas*, inquit, *dicunt abrupto ventre matris nasci: sic inuidia concipientem se animam corrodit & tabefacit.* Idem etiam inuidum comparat homini nudo; qui in medio foro omnium gladiis expositus ab omnibus transeuntibus vulneratur: vel potiùs in omnium gladios insanus vltrò incurrit: quidquid enim cernit in aliis laude vel pretio dignum, id ei infligit vulnus. Vulneratur à melioribus, dolens quòd illis non æquetur. Vulneratur à deterioribus, timens ne sibi æquentur. Vulneratur à paribus, dolens quòd sibi æquentur. Et quis vnquam visus est comedere seipsum? Asserunt quidam Polypum piscem rodere brachia sua, quæ tamen Plinio falsa opinio est *l. 9. c.* 29. Quod ergo nulla facit bestia, id facit homo inuidus, qui non animum tantùm, sed corpus suum liuore conficit, vti ostendit sanctus Greg *l. 5. Moral. c.* 31. ex pallore vultùs, oculorum depressione, dentium stridore &c. Vt meritò dixerit Sapiens Prou. 14. *Putredo ossium inuidia.* q.d. caries seu teredo ossium, quia suum possessorem conficit.

QVINTÒ, Quia curationem fugit & difficillimè sanatur: non secus atque oculus corporalis, qui ob teneritudinem renuit attrectari; & quia reconditus est, difficulter potest curari. Ita inuidiæ morbus penè incurabilis est teste Cassiano *Coll. 18. cap.* 17. qui de illo dictum vult Ierem. 8. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Basiliscus visu necare dicitur & venenum in oculis genere: eodem modo inuidus, ideò sic dictus, quod malè videat, oculo scilicet deprauato & sinistro. Tales ergo reguli incantatione vix emendantur ob similes causas, quibus & oculi difficiliùs curantur. Primò, quia si beneficia veluti pharmaca adhibeas, magis eos exasperabis. Vnde Cassianus ibid. ait: *Vsque adeò incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur: inflatur obsequijs: muneribus irritetur, quia vt Salomon ait: Nihil sustinet Zelus. Quantò enim ampliùs alius aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit: tantò ille maioribus inuidiæ stimulis incitatur: qua non nisi ruinam aut mortem eius, cui inuidet, concupiscit.* Auarus placatur donis; iratus deprecatione; superbus submissione; inuidus his omnibus irritatur, quia ægrè videt proximum esse liberalem, mitem, humilem. Multa bona opera ostendit Christus Iudæis, nihilo tamen illi meliores facti sunt, sed magis exacerbati sustulerunt in eum lapides. Ioan. 10. Deprecabatur Ioseph fratres suos cum summâ animi angustiâ, nec tamen fuit auditus, sed in cisternam missus, & deinde venditus. *Gen.* 42. Subiecit se Dauid Sauli, *canem mortuum & pulicem vnum* se appellans, nec tamen mitiga-

F. V. Curationem refugit.

uit

nit inuidiam eius 1.Reg.24. Miratur hoc S. Basilios *hom. 11. de inuidia*, cùm ait: *Quam bestiam morum immanitate non superant? canes namque educatione mansuescunt, leones absequio tractabiles fiunt, inuidi tantùm officio agrestiores fiunt.*

a. Secundò, quia vitium hoc subtile & occultum est, in intimis lateos visceribus, nec facilè inuenitur, qui hoc vlcus proderè in confessione noo erubescat, quia vitium pusilli & abiecti animi est, nimis interim maligni: noo enim culpâ eorum, quibus inuident, sed prosperitate cruciantur inuidi. Hinc inuidere se omnes negaot: Quod si quis id eis probare conetur, mille excusationes afferunt ad huius morbi nomen obumbrandum, quasi hæc sola animi ægritudo celanda sit. Vti docet Plut. *l. de odio & inuidia discrimine.* Bene ergo S. Basilius homil. suprad. dixit: *sicut rubigo est ferri quasi venenum, sic inuidia, quos possidet, eos conficit atque consumit.* Difficile est rubiginem à ferro abstergere, ita & inuidiã abradere de corde. Sed quid ait scriptura? *Va ciuitati sanguinum olla cuius rubigo in ea est, & rubigo eius non exiuit de eâ*, Ezech. c. 24. Miles sedulus gladium suum, quam primum rubigine infectum videt, perpurgare satagit cinere & oleo: idem suadeo inuidis vt & ipsi faciant. Noo differant hoc virus expellere ab animo, ne aliquando gladius vnâ cum vaginâ, id est, anima cum corpore, eijciatur in sterquilinium. Adhibeant cinerem pœnitentiæ vel meditationem mortis: nec non oleum charitatis erga proximum.

Quæ cùm ita sint, interroget vnusquisque seipsum: *An oculus tuus nequam est? Memento quoniam malus est oculus nequam*, loquit Ecclesiasticus c. 31. Et quomodo in te oculum malum, oculum nequam sustines? *Quid enim*, inquit S. August. serm. 144. de temp. *vis mali, dic mihi, in omnibus actionibus tuis, cogitationibus, cupiditatibus? In terrâ non vis fugetem malam: non vis vtique malã sed bonam arborẽ, equũ, seruum, bonum amicũ, bonum filium, vxorem bonam. Et quid hec magna commemorem, quando non vis vestem malam habere sed bonam: caligam postremò ipsam non vis, nisi bonam? Aut da mihi aliquid, te velle, quod malum est: nec te velle, aliquid bonum. Puto villam malam non vis sed bonam. Solam animam (oculum) malam vis? Quid te offendisti? quid de te ipso tu ipse malè meruisti? Inter bona tua non vis esse malum nisi te solum.* Ergò si malum geris oculum, erue eum & proijce abs te, &c.

CONCIO VII.

Inuidiæ remedia tam actiuæ quàm Passiuæ.

Primum remedium inuidia actiua est contemnere gloriam mundi & bona temporalia &c.	4. *Cogitare omnes nos fratres esse, &*
2. *Cogitare per inuidiam nihil lucrari.*	5. *Omnes exspectare hereditatem æternam.*
3. *Cogitare Deum esse qui alijs det, tibi neget.*	6. *Quærere quæ Dei sunt, non quæ tua: quibus per ordinem subiunguntur quinque remedia. Inuidia passiua.*

THEMA.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. 20.

Boni Medici est, Auditores, non tantùm morbi vim nosse & ostendere, sed etiam depellere remedijs adhibitis. Malignus in animo morbus est inuidia, qui curam vix admittit. Quemadmodum enim oculi difficilè curantur, quia teneri sunt & reconditi, ita & inuidia, per oculos plerumque ingrediens in animam, quia & subtilis est & latens; vti aliàs vidimus. Quoniam verò aperuimus ibi vim istius mali, superest nunc, vt coram saltem pro viribus adhibeamus membro principali, oculo, inquam, malo, qui quò nequior & curatu difficilior est, eò curæ indigentior. Hoc igitur se conferat & medicinam capiat, quisquis ex oculis dolet. A.

Remedia actiuæ. Vis non inuidere? Primò contemne gloriam mundi & bona temporalia. Ita monet S. Basilius hom. de inuidiâ: *Quid nobis, inquit, faciendum, vt hanc pestem animi ab initio euitemus: aut si eâ fortasse capti sumus, à nobis longè repellamus? Primum quidem est, si nihil rerum humanarum magnum aut vehementer expetendum putemus: non potentiam, non gloriam, non diuitias, non corporis sanitatem, nec robur, nec pulchritudinem: non enim in rebus fluxis verum bonum constituendum est, sed æternorum bonorum participatio toto studio appetenda omnique conatu conse&tanda est &c.* Cùm enim paruulos tantùm occidat inuidia, teste Iob cap. 5. indue masculum animum, quo omnia terrena longè te inferiora existimes, quasi in alto monte constitutus. Quòd si vir generosus aut Princeps nõ inuidet cantori, si bene canat: Sutori si bene concinnet calceos, &c. quia hæc abiecta tanquã infima & suâ nobilitate indigna iudicat, multò magis Christianus, qui ad cœlũ natus est, lutea hæc bona, quæ Apostolus reputauit vt stercora, nemini inuidere debet: præsertim, quia licet splendeat, intùs, tamen sæpe sordent & vanitate atque afflictione suffulta sunt. Notatu dignum obser- B. I. Contemne quæ in mundo sunt.

ſeruant aliqui (Apud Anton. de Balinghem *in Zoopedia*) quòd ea animalia, in quibus aliqua inuidiæ veſtigia reperire eſt, vilia tantùm ſint & exilia, nullum generoſum aut nobile. Eiuſmodi ſunt caniculæ marinæ, ex quibus ſiqua capiatur, cæteræ id videntes circa captam aſſiliunt, ac eam, dum hamo è profundo extrahitur, ad nauem vſque inſequuntur, & in eam ſæpe inſilientes ſponte ſuâ capiuntur: idque faciunt ex inuidia, quaſi captæ illi prædam inuideant: quæ tamen ipſa potiùs præda facta eſt. Sic dum alteri honores, opes, delitias inuides, non aliud niſi hamum, quo tenetur, ei inuides; eſcam quam ſectatur vides, ſed hamum ei infixum non vides.

A. Adde fortunam eorum, quibus inuidendum putas, non fore diuturnam. Audi pſalmiſtam Pſal. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui & ecce non erat, & quæſiui eum & non eſt inuentus locus eius.* Et Pſal. 48. *Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm interierit, non ſumet omnia*, id eſt, nihil ſumet. Nemo inuidet mortuis. Quis enim Alexandri Magni inuideat proſperitati, ſi eum conſideret omnibus fortunis ſpoliatum ardere in inferno? Summus honor apud Romanos fuit triumphantium. Sed nequis eis inuideret tantum hunc honorem, currui triumphali retrò appenſum erat tintinnabulum & flagellum, quo oſtendebatur poſſe triumphantem in eam calamitatem incidere, vt verberibus mulctetur & capite plectatur. Roſin. l. 10. *antiq. Rom. c. 29.*

C. II. Cogitare nil lucrari per inuidiam.

SECVNDÒ, Cogita te nihil lucrari ex tuâ inuidentiâ, nec nocere eis, quibus inuides, ſed potiùs prodeſſe, tibi verò ipſi nocere. Sic inuidens homini Dæmon laborauit vt deijceret eum de fœlicitatis faſtigio, incitando ad peccatum. Sed quid ei nocuit? Cecidit quidem homo, ſed poſt lapſum erectus eſt ad maiorem excellentiam per Chriſtum; ipſe verò confuſus in ſuâ damnatione perſtitit. Inuidentes Ioſepho fratres vendiderunt eum Iſmaëlitis, ſed inde euectus Ioſeph factus eſt Ægypti Dominus, fratres preſſi fame ad eius pedes ſunt proſtrati. Vnde Ioſeph, id eſt, accreſcens dictus, quia creuit fratrum inuidiâ. Inuidens Saul Dauidi, necem machinabatur, ne eum regni ſucceſſorem haberet: ſed ipſe quidem regnum & vitam perdidit, Dauid verò ad eius regiam aſcendit. Inuidentes ſcribæ & Phariſæi Chriſto, quieſcere non poterant donec eum perderent: ſed nil aliud lucrati ſunt, quàm ſuam perditionem & exterminium: Chriſtus ab inferis rediens factus eſt cœli & terræ Dominus.

D. III. Cogita Deum voluiſſe aliis dare tibi negare.

TERTIÒ, Cogita Deum eſſe, qui aliis quidē dedit, tibi verò negauit opes, honores, virtutes. Et quis poteſt eum arguere: *Cur ita facis? An non licet mihi facere quod volo?* ait ipſe in perſonâ patrisfamilias. Nā tu maledices ei, cui benedixit Deus? Noëmū ſcimus noluiſſe maledicere filio ſuo Cham, licet impio illuſori ſuo, ſed potiùs maledixiſſe Chanaan eius filio, ne videlicet malediceret illi, cui benedixerat Deus, *Gen. 9.* vbi dicitur: *Benedixit Deus Noë & filijs eius.* Scimus etiam Balaamum ariolū licet impium, vocatum ad maledicendum Iſraëli, grandi propoſito præmio renuiſſe ac dixiſſe: *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? quâ ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur?* Num. 23. Scimus Iſaac dixiſſe ad filiū ſuum Eſau inuidentem fratri benedictionem præreptam: *Benedixi ei & erit benedictus.* Gen. 27. q. d. quando Deus ita voluit, vt ei potiùs quàm tibi benedictionem impertirem, tu noli hanc ei inuidere; quia Deus vult eum eſſe benedictum. Quomodo ergo tu ô homo inuidebis alteri bonum, quod contulit ei Deus? quomodo tu eum vis maledictum, quem Deus voluit eſſe benedictum?

E. IV. Cogita omnes nos fratres eſſe.

QVARTÒ, Cogita omnes nos fratres eſſe & membra vnius corporis. Membrum autem vnum alteri non inuidet, licet inferiorem locum obtinear, vt oſtēdit Apoſtolus 1. Cor. 12. *Vt qui curſu certant*, inquit Plut. *non discruciantur, cum vident coronas Athletarum, ſed ſuis oblectantur; ita te non oportet aliena fœlicitate diſcruciari, ſed tuâ gaudere ſorte.* Omnes pro coronâ currimus, vnus quidem ſic, alius autem ſic: & vbi in cœlo eam obtinuerimus, nemo alteri inuidebit: ergo nec aliis inuidere debemus, ſi videamus eos aliter currere. Currebat Ioannes Baptiſta & currebat Chriſtus: Chriſtus miracula faciebat, Ioānes nulla edebat: Chriſtus reſurgere debebat, Ioannes ad limbum deſcendere: non tamen hæc Ioannes ei inuidebat: ſed; *illum*, aiebat, *oportet creſcere, me autem oportet minui.* Ioan. 3. Ergo & tu ſi videas alium per gloriam, te verò per ignominiam tendere ad cœlum idem quoque dicito. Quare ſicut fratres ſine inuidiâ diuidunt panem, licet alteri maior pars contingat: ſic faciamus nos. Ita S. Paulus Eremita & Antonius panem ſibi à coruo allatum, arreptum altrinſecus diuiſerunt, vt pro ſorte ſuâ cuique pars remaneret, vt ſcribit S. Hieronymus in vitâ Pauli, cùm enim alter alteri honorem in diuidendo cederet, ambo ſimul diuiſerunt.

F. V. Cogita hæreditatem æternam.

QVINTÒ, *Qui liuoris peſte plenè carere deſiderat*, ait S. Gregorius l. 5. Moral. cap. 31. *illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non anguſtat; quæ & omnibus vna eſt & ſingulis tota; quæ tantò largior eſſe oſtenditur, quantò ad hanc percipiendam multitudo dilatatur.* Quare ſicut fratres, qui eandem hæreditatem exſpectant, licet ad tempus interim ſint in fortunâ impares, immeritò ſibi inuident: ita pariter & nos. Hac cogitatione pater filij prodigi ſedare conatus eſt inuidiam filij maioris, qui inuidebat fratri congratulationem de eius reditu: *Fili*, inquit, *omnia mea tua ſunt.* Luc. 15. Idem tibi dici puta; cur ergo fratri inuides, qui patrem habes in cælo, cuius omnia tua ſunt?

G. VI. Quære quæ Dei ſunt, non quæ tua.

SEXTÒ, Noli quærere quæ tua ſunt, ſed quæ Dei. Sic Moyſes cùm à Ioſue audiſſet certos quoſdā homines in caſtris nihilominus quàm ipſum prophetare; moneretùrque eos tāquam gloriæ ſuæ æmulos compeſcere & in carcerem trudere, (vt habet paraphraſis Chaldæa) reſpon-

respondit ei: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Num. 11. Sic etiam Apostolus, cùm quidam in eius odium Christum malignè annuntiarent, ait: *Quid enim? dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo*, ad Philip. 1. Si ergo Dei gloriam solummodò quæramus, nemini inuidebimus, si per alios quoquo modo Deus glorificetur.

1. *Remedia passiua.* Vis tibi nō inuideri? Primò *Esto Thersites*, ait Socrates, id est, nulla re eximius. Ita etiam Cato eos, qui fortunâ moderatè sobrieque vterentur, dicebat minimè peti inuidiâ. Non enim, inquit, *nobis, sed bonis quæ nos circumstant, inuident homines.* Hinc referunt Diogenem nulli patuisse inuidiæ, quia nihil possedit.

2. Secundò. Noli ostentare bona tua, non necessariò ostendenda. *Quemadmodum enim iter facientes*, ait Plut. *per solem, necessariò comitatur vmbra: Sic quoque incedentibus per gloriam comes est inuidia. Contrà vbi nullum lumen, ibi nulla vmbra: ita vbi nulla felicitas, ibi nulla inuidia.* Hinc Christus gloriam suam, quantum potuit occultauit, ne inuidiæ occasionem præberet inimicis suis, Sacerdotibus & Pontificibus. *Vide nemini dixeris*, inquit. Item: *nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat*, Matth. 12. *Linque honores & officia publica, desine incessu elato & superbo comitatu per ora ciuium volitare, sequestra teipsum, quantum potes, ab oculis multorum inuidorum, nec vultu, nec verbo, nec habitu, digno te notandum prabeas*, ait Franc. Petrarcha dial. de Inuid.

3. Tertiò, Facultates tuas honesto & duro labore compara. Solent enim homines iis potissimùm inuidere qui vel malis artibus, vel mero fortunæ afflatu, præter meritum & absque labore bonis cumulantur. Hinc Plutarchus ait: *Vt non inuidetur his, qui domum aut agrum magno emerunt, sed quibus gratis contigit: ita nemo his inuidet, qui gloriam magno sibi pararunt; sed quibus fortunæ fauore contigit.*

4. Quartò: Bona tua, quibus excellis, sine inuidia communica, & non habebis æmulos, sed potiùs suffragatores, qui omnibus te bonis affluere optabunt, quod ea non tibi sed & aliis possideas. Diues igitur es? iuua indigentes, donando, commodando; disperge & da pauperibus: ait enim propheta Psal. 111. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloriâ*, id est, celebrabitur ab omnibus & laudabitur. Magnus & excelsus es? humilia te ad omnes, & nemo inuidebit gloriam. Doctus & ingeniosus es? Communica sine inuidiâ tuam sapientiam, & omnes tibi applaudent, vtpote ex cuius lumine lumen & ipsi capiunt.

5. Ad extremum si inuidos euitare nequeas, contemne; præstat enim esse inuidiosum, quàm inuidum; quia signum virtutis tuæ est inuidia alterius. Imitare lunam quæ ad importunos canum latratus, numquam intermittit cursum suum; canes autem silentio eius confusi coguntur tandem fatigati rabida ora claudere.

Denique S. Gregorius Nazianzenus in distich. Iamb. ait: CHRISTO *annuente nihil prodest liuor*: CHRISTO *abnuente, nihil prod. st labor.*

CONCIO VIII.

Nouissimi sæpe futuri primi, & econtrà.

Tales primò assignantur magnates & potentes ex vna, & plebeij ex altera partibus.
2. *Superiores & subditi,*
3. *Doctores & eruditi, cum rudibus ac ignaris.*
4. *Diuites & pauperes,*
5. *Illi qui in perfectiori, & alij qui in minus perfecto statu existunt.*

THEMA.

Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, Matth. 20.

Non absque singulari mysterio scribitur tam exactè *Gen.* 38. instante partu Thamaris, apparuisse geminos in vtero eius, atque in ipsâ effusione infantium vnum protulisse manum, in quâ obstetrix ligauit coccinum, dicens: *iste egredietur prior.* Illo verò retrahente manum egressus est alter; dixitque mulier: *quare diuisa est propter te maceria?* Nomen isti Phares, alteri Zara. Ita enim communiter euenit inter homines. Gemini isti geminam significant hominum conditionem, quorum alij primi sunt apud homines, nouissimi apud Deum, alij nouissimi apud homines, primi verò apud Deum. Etenim licet in hac vitâ velut in vtero clausi lateant nec vsque adeò certum sit, quis prior sit futurus in morte (quæ Christianis altera natiuitas est) apud Deum; multi tamen proferre videntur manum & speciem maioris eminentiæ, prioritatis & probitatis præseferunt, vt homines existiment, eos futuros esse primos, ideoque purpurâ ornent & ad dignitates euehant, &c. sed decipiuntur sæpenumero. Quem enim primum fore putarunt, sæpe exiit vltimus; & quem vltimum, primus cùm per mortem velut obstetricem educentur ad vitam alteram. Id quod indicatur in hodierno Euangelio, cùm dicitur: *Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Sed murmurat obstetrix & ægrè fert præceptam esse prioritatem Zaræ à Phares: murmurant item in Euangelio operarij, qui primos se futuros sperabant: quasi iniquè secum actum esset: sed audiunt: *Amice, non facio tibi iniuriam.* Ne igitur Deus iniustitiæ accusari queat, si, qui primi hîc sunt ibi vltimi futuri sint, ostendemus id in multis meritò euenire. A.

Tales sunt PRIMÒ, Magnates, potentes, nobiles & vniuersim omnes mundi cultores. Nā cùm B. I. Magnates & nobiles.

cùm hi à mundo honorentur & diligantur, difficile est & mirum, si ipsi mundum vicissim non honorent ac diligant. Quemadmodum enim is, quem populus veneratur aperiendo caput, cùm in publico transit: nisi eâdem reuerentiâ dignetur & quodammodo soluat se honorantes, non diu honorabitur: contrà si vicissim aperiat eis caput, deinceps etiam honorabitur: ita par esse videtur iis, qui à mundo honorantur, suspiciuntur ac diliguntur, mundum vicissim honorare & amare: nisi sperni citò à mundo velint. Contrà verò plebei vel rustici, qui à nemine honorantur, nec ipsi facilè honorant alios. Primi generis sunt Magnates & nobiles: Secundi generis, plebeij & ignobiles. Illi huius mundi ciues sunt, ideoque amari & in pretio habiti, hi verò aduenæ & peregrini, qui ab omnibus toruè aspiciuntur. Sequitur ergo admodum probabili consequentiâ ab illis similiter amari mundum: ab his verò non amari, nec facilè amari posse, Iam verò, nónne Dominus ait: *Nemo potest duobus Dominis seruire? aut enim vnum odio habebit & alterum diliget: aut vnum sustinebit & alterum contemnet.* Matth. 6. Igitur à primo ad vltimum: qui à mundo diligitur & suspicitur, mundum diliget: qui mundum diligit, Deum contemnit: qui Deum contemnit, à Deo contemnetur. Et contrà, qui à mundo odio habetur, mundum odio habebit; qui mundum odio habet, Deum diligit: qui Deum diligit, à Deo diligetur: ergo tandem qui coram mundo sunt primi, coram Deo erunt vltimi: Et qui coram mundo vltimi, coram Deo erunt primi. Hoc sub velo prædixit Deus per Moysen populo Israëlitico Deut. 28. dicens: *Aduena qui tecum versatur in terrâ, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes & eris inferior.* (Hebr. habetur: *aduena ascendet super te sursum, sursum: tu autem descendes deorsum, deorsum*: id est, magnâ distantiâ) subiungitque: *Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.* Aduena in hoc mundo est, qui à mundo nescitur, spernitur & odio habetur: vti pauper, rudis, ignobilis, &c. Ciuis, qui à mũdo colitur eumque colit. Videtur his mundi ciuibus accidere, quod Falconi, aduenis verò, quod gallinæ. Falco enim dum viuit blandè tractatur, manibus nobilium gestatur, columbarum & gallinarum carnibus nutritur, balneis seu sudariis purgatur, demulcetur pennis, in cubiculis Dominorum sedulò asseruatur, cum ipso vigilatur, etsi parum vtilitatis affert, plurimi interim constat. Contrà gallina tam vtilis & ouipara, foras pellitur vt in fimeto vermes eruat & cibum sibi quærat, ac si vel semel locum quendam honoratiorem ingrediatur, magnis clamoribus eiicitur. Verum in morte vtriusque aliter res euenit. Falco enim in sterquilinium & fimum abiicitur: gallina iugulata lautè præparatur & argenteis sæpe patinis ad mensam Regis ponitur. Ita mundi ciues honorantur, lautè aluntur, custodiuntur satellitio, demulcentur caudâ vulpinâ, vt loquimur, & quasi manibus adulatorum suorum gestantur: cùm contrà eius aduenæ rideantur & explodantur, si fortè aulam vel gymnasium aut templum aliquod ingrediantur: in sudore vultus sui quærere panem suum debeant, &c. licet sæpe magis feruidi in charitate & ouipari sint virtutũ. Exemplo sunt epulo ille Euangelicus & Lazarus: quorum is in vitâ epulabatur quotidie splendidè; hic verò cupiebat saturari vel de micis & non habebat; Ille induebatur purpura, hic verò putulentis plenus erat vulneribus; Ille vestiebatur bysso & mollibus decumbebat in lectis, hic proiectus ad terram præ foribus iacebat; ille seruorum famulitio stipabatur, hic canibus vulnera lingentibus: tandem ille recipiebat bona in vitâ suâ, Lazarus verò mala. At post vtriusque mortem, Lazarus gestatur in sinum Abrahæ, diues sepelitur in inferno. Quæ mirabilis catastrophe pulchrè insinuatur in Euangelio. Initio enim historiæ priùs ponitur Epulo, posteà Lazarus describitur. In fine verò Euangelij, Vade retrò diues; priori loco enim nominatur Lazarus, posteriori diues. In huius etiam rei figuram 4. *Reg. vlt.* Principes & magni Domini in captiuitatem Babylonicam ducti sunt; pauperes verò vinitores & agricolæ in patriâ suâ relicti. Sapienter igitur & verè S. Hieronymus in vitâ S. Pauli Eremitæ ad finem ait: *Si Dominus optionem mihi daret, multò magis eligerem tunicam Pauli* (è palmæ foliis ab eo contextam) *cum meritis eius, quàm Regum purpuram cum pœnis suis.*

C. II. Superiores.

SECVNDÒ. Superiores & Magistratus primi sunt apud homines, neque immeritò: subditi verò nouissimi; sæpe tamen apud Deum illi postponentur istis. Cùm enim superiorem nõ habeant vel saltem procul à se, legibus superiores se putant, nec ita conscientiæ ducũt, eas transgredi, quià impunes manent. Adhæc potestatem superiorem, censuras & excommunicationes parum aut nihil verentur &c. Subditi verò mox vbi deliquerint, plectuntur, nihil eis cõdonatur. Sed hoc ipsum ad commodum subditorum, maximum verò detrimentum superiorum cedit. Quæro enim ex te, si in duobus vini doliis crebrò rumpantur circuli, sed in vno mox restaurentur, in altero non item: Vbi tu plus vini reliquum fore speras? aut si tandem vtrumque ex cella extrahẽdum sit, vtrum putas fore integrũ? Nónne id, cui noui subinde circuli impacti sunt? Similiter si in subdito deprehendatur aliquis excessus adeoque rumpatur aliquis legis circulus, subitò adest Victor, Iudex, eumque puniendo, nouo circulo in carcere ligat. Non ita fit Magistratibus, vnde in grauiori sunt periculo: Et si aliquando educendi sunt ex hac vitæ cellâ, rumpentur. De hoc queritur Psal. 72. David: *In labore hominum non sunt*, ait, *& cum hominibus non flagellabuntur; ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate suâ* (egò verò) *fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis*, id est, statim punior, nec differtur vel ad modicũ pœna mea. Subiungit tamen in nouissimis mutandam esse vtrorumque sortem: *Donec intelligam in nouissimis eorum*, inquit. Adhæc isti omnes admonitiones ferè eludere & ridere solent: quibus

tamen

tamen subditi facilè mouentur & emandantur. Ita enim *Ioan.* 7. Lictores credunt in Christū, non item eorum Magistratus. In cuius rei figuram, vaccæ illæ iugo alligatæ ferunt arcam fœderis rectè sine errore ad terram Israël 1. *Reg* 6. cùm filij Israël per 40. annos eā inuenire nō possent. Exemplū præbet S. Isidora Virgo Tabennesiotissa, quæ inter 30. sorores monasterij postremissima omnium ludibrium & peripsema, pro stultâ habita & neglecta, quin etiam mediastinorum obsequiis & culinæ abiectissimis operis addicta, multis contumeliis & verberibus etiam ab aliis afficiebatur. Hæc ascetæ cuidā sanctissimo, qui multis annis Deo seruiebat, ab angelo præponebatur. *Vis videre*, inquit angelus Pitiro, *feminam te multò sanctiorem? Pete cænobium virginum Tabennesiotissarum, ex quibus vnam aliquam offendes, quæ diadema gestat*, (erat id sordidus pannus caput tegens) *illa te melior est.* Abit asceta ad locum dictum & aduocat omnes ad se Virgines, signum diadematis tamen in nulla conspicit: vnam igitur abesse clamat, illam adducendam. Nulla, inquiunt illæ, deest, nisi fatua vna, in culinam detrusa. Producite, inquit, eam. Adductâ illâ, asceta ad pedes eius abiicitur, *&* *bene*, inquit, *precare mihi mater.* Et illa: *Tu mihi*, inquit, *præsta, quod à me indignâ petis, pater.* Attonitæ reliquæ virgines, *Pater*, inquiunt; *ne erres, hæc stulta est: Vos*, inquit Pitirum *stultæ estis, hæc autem & me & vobis omnibus sapientior & sanctior est.* Tum omnes consternatæ ad pedes Ascetæ prouolutæ, peccata sua in Isidoram commissa confitentur certatim, & veniam ab illa petunt. Pallad. c. 42. *de S. Pitirum.* Et in MS. Bibl. August. vbi nominatur Virgo Isidora.

D. III. Doctores & Eruditi.

TERTIÒ, Doctores & sæculari scientiâ præditi, primi sunt apud homines, rudes verò nouissimi: sæpe contrà apud DEVM. Nam primò sæpe doctissimi ab Ecclesia deficientes in grauissimos errores lapsi sunt, vt Origenes, Tertullianus & alij; quia vt Pius II. Pontifex aiebat, teste Platina in eius vitâ: *Cui plura nosse datum est, eum maiora sequuntur dubia.* Idque nō rarò fit, circa obitum illorum, vbi in fide arduorum dogmatum maximè tentantur. Exēplum refert Petrus Episcopus Patauinus l. 2. de rat. bene moriendi, de quodam doctissimo viro, qui alteri suo socio totus ardens post mortem apparuit, dicens se damnatum, quòd in articulo mortis à Diabolo victus in Arianorum hæresin declinârit apud Bellarm. *Conc.* 15. *Dom.* 1. *post Epiphan.* Deinde scientia inflat. 1. *Cor.* 8. sicut pisa comedentem: vnde prohibitum Adæ comedere de ligno scientiæ. Item docti latas sibi faciunt conscientias & multa concedunt quæ indocti sibi negant. Adhæc rudes magis moueri & assentiri concionibus corrigique quàm doctos, patet exemplo turbæ, quæ facilè & certatim credidit Christo, non item Pharisæi & legisperiti, vnde aiunt: *Nunquid credidit aliquis in eum ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem* Ioan. 7. Deinde an non videtur maior in simplicibus feruor frequentandi templa, confitendi, communicandi, verbum DEI audiendi? in huius rei figuram vasa vacua implentur oleo, non repleta aliis scilicet liquoribus ignobilioribus. 4. *Reg.* 4. Qui ergò repleti sunt mundi sapientiâ, incapaces sunt sapientiæ diuinæ. Sic enim & pastores veniunt ad præsepe Domini, non veniunt Scribæ & Sacerdotes, etsi sciebant Christum nasci in Bethlehem, idque audiebant à Magis, *Matth.* 2. Poterant autem & debebant æquè hi credere Magis, atque pastores Angelo. Hi enim tanto itinere venerunt, & ierunt ad præsepe, Angelus mox euanuit. Sed nimirum *surgunt indocti*, ait August. l. 8. Confess. c. 8. *& cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde (Ecce vbi?) voluamur in carne & sanguine.*

E. IV. Diuites.

QVARTÒ, Certum est apud homines diuites esse primos, pauperes postremos. Sed num item apud DEVM? Certè contrarium è multis patet argumentis. Nam inprimis quis non videt pauperibus omnem penè ad peccata grauiora interclusam esse viam, diuitibus verò apertam? Vbi vsura, auaritia, superbia, gula, libido, prodigalitas &c. Certe inter pauperes vel rarò vel vix hæc inueniuntur, cùm desit eis materia horum peccatorum. Et quid communius his vitiis? Sunt ergò vt plurimùm inter diuites. Vnde vita pauperis & diuitis similis mihi videtur peregrinationi alicuius pauperis & alterius nobilis Adolescentis, Romam versus. Hic enim licet equitet aut curru vehatur, nullo negotio anteuertetur à paupere pedite & tardiùs Romam veniet, licet prior discedat: sponsionem facere ausim. Cur ita? pauper, quia ære modico est instructus, nullibi moratur, ad latus non diuertit & de hospitio citò se expedit, quia gratus non est hospiti, nec apponuntur ei vina pretiosa: nec vicinas cupit videre ciuitates, quia ad palatia, ad hortos, &c. non admittetur. At nobilis nunc moras trahet ob tempestatem sibi displicentem, valetudinem vel aliam incommoditatem: nunc morabitur ad vinum Apianum seu falernum, nunc ad Maluaticum, nunc ad ostreas Venetianas vel ad Arsenale seu armarium Venetorum, nunc ad hortos Florentinos, nunc apud notos & ciues suos studiosos Bononiæ vel Senis; interim alter dudum veniet Romam & videbit Papam & lucrabitur indulgentiam ac fortè redibit antequam hic eò perueniat: Ita nimirum diuites occupant & detinent se in huius mundi deliciis, ad templa & concionem non veniunt nisi serò, aëre temperato & magnâ suâ commoditate: ieiunia non seruant nisi optima cum refectione bellariorum, peregrinatum vehi potiùs quàm ire volūt; At pauper non habet, cur diuertat aut se detineat in sæculi voluptatibus & deliciis, ideò facilè & rectà ad futura bona anhelat & festinat. Vnde Paulus *ad Hebr.* 13. ait: *Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Rectè certè, quia si haberemus hîc manentem, futuram non inquireremus.

Similiter & virtutes faciliùs & libentiùs crescere in ædibus pauperum, quàm diuitum, quis non videt? Victus eorum quasi perpetuum ieiu-

ieiunium: & interim maiores Deo gratias agunt pro iusculo & olere, quàm diuites pro lautis conuiuiis; quibus precationem vel gratiarũ actionem rarò adiungunt. Vestes eorum, diuitibus forent cilicium: lectus nihilo mitior foret humo aut scamno, vigiliæ labor continuus: ibi concordia coniugum, disciplina liberorũ, imò & Eleemosyna faciliùs tribuitur quàm in ædibus diuitum. Nõ succenseant mihi diuites, Sic enim Dominus *Matth.* 13. cor diuitis comparat agro spinis & tribulis obsito. Eiusmodi autẽ ager zizaniis & tribulis refertus, initio quidem pulcher & floridus apparet magis quàm ager boni seminis: messe tamen adueniente ex hoc multum, ex illo nihil aut parum metitur; quia in hoc nulla, in illo plurima frugũ impedimenta. Ita licet pulchrè appareant diuitiæ; cor tamen diuitis occupando, semina bona in eo suffocant. Curæ enim & solicitudines mentem à diuinis auocant & terrenis rebus immergunt. Deinde vt spinæ tangentem se vulnerant: ita opulenti correctiones non admittunt, sed rident & contemnunt suosque monitores repellunt.

F. V. Qui in perfectiore statu. QVINTÒ, Qui in perfectiore statu sunt, inter Christianos præferuntur iis, qui in minus perfecto, velut Episcopi Religiosis: hi clericis sæcularibus: isti laicis, in quibus etiam varij gradus sunt. Virginum status superat viduas: hæ coniuges. Inter hos alij maius lumen & maiorem gratiam acceperunt quàm alij. Cæterùm in altero sæculo multoties inuertuntur hi gradus, vt qui hîc in alto sedet, in imum ibi deprimatur & econtrà. Multi coniuges sunt qui ex suâ familia faciunt Monasterium: cùm vicissim non desint monachi qui ex sua religione fabricent mundum & tabernam. Multæ sunt familiæ (qualis erat S. Elzearij Comitis, B. Thomæ Mori, &c.) in quibus summo manè surgitur, signatâ primum fronte Deo gratiæ aguntur, matutinæ laudes dicuntur: vbi quotidie ad Missam itur: vbi opera manuum ad Dei gloriam peraguntur: vbi mensam præcedit benedictio, sequitur gratiarum actio: Vbi inter comestionem vel spiritualis Lectio, vel concionis fit repetitio: vbi silentium seruatur à detractione & vaniloquio: vbi vesperi post labores psalmus decantatur: vbi ante somnum conscientia examinatur & cum propitiato Deo cubitum itur. Et quot sunt Religiosi, qui isthæc non obseruant? Certè Abbas Syluanus *in vitis PP. l.* 5. *tit. de compunctione* raptus ac rediens ad se cecidit in faciem & fleuit. Causam rogatus dixit: *Ego ad iudicium raptus sum & vidi multos de habitu nostro euntes ad tormenta, & multos sæculares euntes ad regnum.*

Quæ cùm ita sint; si sapimus, Auditores, non intrudamus nos in primas huius mundi sedes & sessiones: postremas ambiamus, vt suo tempore exaltemur & è nouissimis abstracti collocemur inter primos.

CONCIO IX.

Documenta.

1. *Commonentur hæretici stãtes extra vineam Ecclesiæ otiosi.*
2. *Catholici, qui licet in vinea sint, tamen non faciunt officium suũ.*
3. *Magistratus, patresfamilias &c. vt in vinea officium suum præstent.*
4. *Serui, ne otientur.*
5. *Iusti, vt strenuè laboribus instent.*
6. *Peccatores, vt animis concidant, si in peccatu consenserint.*

THEMA.

Misit eos in vineam suam. Matth. 20.

A. INcipit hoc die S. Mater Ecclesia recitare in Officio initium libri Genesis & historiam Adami, cùm in paradisum missus est, vt operaretur & custodiret illum. Cui historiæ pulchrè respondet parabola hodierna. Quod enim ibi actum est, typicè designat id quod egit Christus quando misit operarios in vineam suam, in Ecclesiam videlicet; vt operarentur & custodirent illam. Operarij autem sunt Apostoli inprimis, pastores & Doctores: sed & omnes nos ad hoc in Ecclesiam positi, vt vitem animæ nostræ pro viribus excoleremus, & deindè Ecclesiam quoque si non verbo saltem exemplo & vitæ sanctitate. Cæterùm sicut ibi Deus sub vespertinum tempus descendit in paradisum quasi eius cultorem Adamum visitaturus & ad rationem vocaturus, dicendo? *Adam vbi es?* ita ad finẽ mundi descendet de cœlo Christus, ad rationem citaturus omnes suos operarios. Væ illis qui in vineâ hac vel omninò non fuerunt, vel non ritè laborarunt. Quorum aliquos ex hodierno Euangelio commonendos existimaui.

B. I. Discant Hæretici. PRIMÒ, Viderint Hæretici stantes extra vineam Ecclesiæ otiosi. Quid vos hîc statis extra vineam? An Christum non auditis, qui in hodierno Euangelio docet in vineâ Ecclesiæ suæ omni tempore oblegatos fuisse operarios, qui excolerent illam, Prælatos, Doctores, aliosque fideles? Iam verò Ecclesia Catholica demonstrare potest operarios illos per singula sæcula ad se missos: ita vt nullo vnquã tempore fuerit sine illis. At vos miseri quos ostenditis ad vineam vestram missos ante annos ducentos, quingentos, millenos, &c. Fateri ergo debetis vel patremfamilias Christum vestri oblitum fuisse, vel, quod est verissimum, synagogam vestram ante Lutherum & Caluinum vestrum, nullibi extitisse. Itote ergo ad vineam illam & quæ post Christum semper extitit & omni tempore habuit suos operarios.

Deinde quid hîc statis otioli & bonis operibus vacui; qui solâ & nudâ fide denarium cœli vobis promittitis? An non intelligitis ab hodierno Patrefamilias, conductos esse operarios eosque in vineam missos, vtique non ad dormiendum, sed ad operandum & denarium lu- 2.

cran-

crandum, qui præmiū non accidentale tantùm sed essentiale significat, quia idem omnibus datus fuit? Sed quàm bellè consonet Lutherus cum hoc Patrefamilias, audiamus: *Ad cœlū via arcta est*, inquit in Euangelio fer. 2. Pent. *tenuem te oportet fieri, si transire velis, qui operibus cen Iacobitæ peregrinatores cochleis circum vndique muniti sunt penetrare non possunt, ideò oportet te tenuem atque angustum fieri. Hoc fit autem, quando in te despiras: si autem aduenerit cum magno sacco operum plenus, deponere oportebit, alioqui penetrare non poteris.* Hæc Lutherus, acerbus scripturæ irrisor & pessima aranea, quæ ex optimis floribus pestilens vanenum sugit. Iuxta quem Thabira illa quæ, vt in Actis *cap. 6.* dicitur, *obijt plena bonis operibus & eleemosynis*, vtique damnata est: imò Abel, Abraham & omnes iusti, qui bonis operibus vacàrunt, exclusi sunt à cœlo; Cain verò, Sodomitæ & omnes impij sunt in cœlo; ipse etiam Lutherus cum pellice & nothis suis, cum obeso suo ventre, faciliùs multò ingredi per illam portam potuit, quàm cum suo cucullo, ieiuniis & aliis virtutibus claustralibus. Sed viderint hæretici, quid dicturus adhæc sit paterfamilias, cùm vocabit operarios reddit urus vnicuique mercedem pro labore suo.

C. II. Discant Catholici. 1. SECVNDÒ, Viderint Catholici qui in hac vineâ quidem sunt, sed non faciunt officium suum. Venerunt ad laborandum & promiserunt se laboraturos, ligonem etiam supra humeros gerunt, fidem, inquam, Catholicam, interim tamen otiantur, bonis operibus non vacant; nec viuunt vt Catholici, sed velut hæretici aut pagani. Certè Isaac filio benedicturus noluit contentus esse solâ voce dicentis: *Ego sum primogenitus tuus Esau*; sed voluit etiam palpare eius manus & ex illis indicium tulit, non ex voce; vnde ait: *Vox quidem vox Iacob: manus autem manus sunt Esau.* Gen. 27. Nihil ergò proderit dicere totam DEO: Christianus sum: nisi opera correspondeant: nil proderit dici clericum, si interim fateat vt hircus, &c. Non satisfacit operarius muneri suo, si cum ligone suo per vineam deambulet: ita nec Christiani, si cum sola fidei professione incedant. Nam & istis dicitur: *Quid hic statis otiosi?* si enim crimen est, otiosum stare in foro: multò magis in Ecclesiâ. Ad hoc enim Primò venimus in Ecclesiam, ad hoc dæmoni abrenunciauimus & Christo fidem dedimus in Baptismo: imò ad hoc nati sumus, vt videlicet DEI voluntatem per omnia faciamus, eum laudemus & colamus, velut mancipia Dominum & creaturæ creatorem suum. Quare dicat sibi vnusquisque cum Abbate Arsenio: *Arseni ad quid venisti?*

2. Secūdò, ad hoc cum Deo pacti sumus; promisit ille nobis denarium vitæ æternæ sub eâ conditione onerosâ, vt fide & bonis operibus eum mereamur; vnde expectamus eum titulo iustitiæ (nō quidem rigidæ, sed qualis est inter patrem & filium, herum & mancipium, creatorem & creaturam; quia ex merâ liberalitate promisit) si conditionem impleuerimus, ita vt S. Augustinus *serm. 16. de verbis Apostoli*, dicere

non dubitarit de Deo: *Debitorem se fecit non tantùm sibi, sed & Christo & nobis, vt illi dicere possimus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.* Quam mercedem vocat Apostolus, coronam iustitiæ 2. *Tim.* 4. & in hodierno Euangelio paterfamilias: *Quod iustum fuerit, dabo vobis.* Quod sanè mirandum est, Deum scilicet se nobis obligare voluisse & debitorem nostrum fieri, qui pro summo iure suo poterat esse exactor. Vnde exclamat Augustinus serm. 3. de verbis Domini: *O magna bonitas Dei, cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequia, vtpote seruì Domino, mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debita seruitutis obtineat.* Hinc ergò colligamus quanto & quàm arcto debito obligemur seruire Deo, præcepta eius seruare & bene operari, qui non iure tantùm seruitutis, sed ex pactu insuper ad hoc tenemur. Dicet enim aliquando nobis cœlestis Paterfamilias: *Nónne ex denario conuenisti mecum?*

TERTIÒ, Viderint præfecti operum, id est, Domini, Magistratus & patresfamilias, vt & ipsi in vineâ domini faciant officium suum. Inprimis noster paterfamilias primo manè surrexit conducere operarios. Idem faciant qui præsunt cum Dauide, qui dixit Psal. 107. *Surgam diluculo*, Hebr. *Excitabo aurorams*. Memorat Plutarchus *l. ad imperitum Principem*, memorabile institutum regis Persarum, quo vnus cubiculariorum manè regis cubiculum ingredi debebat & clamare: *Surge ô Rex, & negotia cura, quæ te Mesoromasdes, id est, Sol curare voluit.* Cogitet Christianus, hoc sibi custodem Angelum occinere. Matutinum enim tempus commodissimum est cōsiliis, studiis, precibus, curis, imò & rebus Oeconomicis teste Aristotele *l. 1. Oecon. cap. 6.* Dolebat Demostheni, vti est apud Ciceronem *l. 5. Tusc.* si quando antelucanâ fabrorum industriâ vinceretur. Nubis non dolebit si ab iisdem aliisque superemur? Viderint porrò ij, qui in multam lucem stertunt, & maximam vitæ partem somno perdunt, quasi verò in sepulchro non sat diu dormituri essent. Viderint & ij, qui noctem in diem & diem in noctem vertunt, noctu quidem pergræcando, interdiu verò stertendo, quod refert Ælius Lampridius fecisse Heliogabalum Rom. Imperij monstrum, qui interdiu claudi valvas iussit & quietem capessebat: de nocte verò salutari volebat & negotia imperij tractabat. Cuiusmodi principes pulchrè quidam vocauit, principes tenebrarum, apud Salmeron. *in hanc parab.* (D. III. Discant Domini. 1.)

2. Secundò, Pater hic familias non fraudauit operarios pactâ sibi mercede, nec eius solutionem diu distulit, sed ad finem diei præbuit. Ita faciendum præcipit Deus Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque manè.* Idem præcipit Deut. 24. *Ne clamet*, inquit, *contra te ad Dominum* &c. Tobias filio suo, *Tob. 4.* &c. Clamat autem in cœlum peccatum hoc defraudatæ mercedis, quia euidentissimam iniustitiam continet. Viderint ergo illi, qui non satisfaciunt operariis & opificibus, quorum

rum vtuntur operâ, qui pro mercede verba tantùm & sæpè mala, quandoque & verbera dant. Adhæc dent mercedem iustam & sufficientem, ne fures sibi ereent.

3. Tertiò, Bona verba dedit etiam obmurmuranti: *Amice*, inquit, *non facio tibi iniuriam*. Ita monuit Apostolus ad Eph. 6. *Et vos Domini*, inquit, *eadem facite illis*; (seruis scilicet) *remittentes minas, scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlo*. Vnde Macrobius l. 1. Saturn. c. 11. *Hinc nostri maiores*, inquit, *omnem Dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum, patremfamilias: seruos, familiares appellauerunt*. Ex eodem nomine patrisfamilias docet August. *l. 19. de Ciu. c. 16.* seruos esse tractandos quasi filios & fratres. Sanè Christus perfidum de familia suâ Iudam in ipso proditionis scelere amicum appellauit. Viderint Heri, qui seruos non nisi furciferos & nebulones sciunt appellare.

E. IV. Discant serui. Qvartò, Viderint serui, quomodo & ipsi respondeant Christo Domino visitatnro vineam suam. Primò, Vt ne otientur sed laborent Dominis suis. Si enim increpati sunt, qui in foro nondum conducti steterunt otiosi: quantò magis increpati fuissent, si in vineâ stetissent? Increpandi ergo iure serui cùm sibi Dominos non quærunt, sed malunt otiando stipem colligere, magis verò cùm conducti otio se dedunt. Ad mercedem vocati sunt operarij, non otiosi, non stertentes: itaque sicut serui mercedem suam certam habere volunt, ita ab eis domini non iniuriâ exigunt certa eorum seruitia, quæ si non præstent ipsi, ne mirentur, si obiurgantur.

2. Secundò, vt ne murmurent contra Dominos suos; audiuimus enim obiurgatos esse in hodierno Euangelio, qui murmurârunt contra patremfamilias: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Non possunt ex æquilibrio omnia administrare domini: nec mirum si interdum vni magis faueant quàm alteri. Tu si tibi tuum reddant, esto contentus.

3. Tertiò, Sint contenti sua mercede & de bonis domini plus sibi non vendicent. Audiunt enim patremfamilias operario plus exigenti, quàm conuentum erat dicentem: *Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum est & vade*. Quod tuum est, inquit, tolle, non quod meum est.

F. V. Discant Iusti. 1. Qvintò, Viderint iusti, vt in vineâ Domini strenuè laborent memores se ad laborem, non ad otium vocatos esse. Habent enim exemplum Christi, qui & ipse in hac vineâ plus omnibus laborauit, & ligonem crucis humeris suis extulit nobis in exemplum. Seuerus Imperator teste Spartiano, militibus suis hoc Symbolū dedit: *Laboremus*. Idem nobis Christus dedit cùm in hodierno Euangelio misit nos in vineam, in quam ipse prior de cœlo venit. Habent deinde pro mercede regnum cœlorum, idque iam paratum, non diu expectandum, vti erat olim Iudæis. Habent denique quod metuant, ne ab aliis multis præueniantur, qui seriùs venerunt ad laborem, vti in hoc Euangelio contigit.

Secundò, Vt honesto & iusto labori, ac si fieri potest, non periculoso vacent, veluti agriculturæ, piscaturæ, pascendis gregibus & similibus artibus, quas natura docuit & ab otio & iniuriâ proximorum longiùs remouit. Deus certè in paradiso agriculturam instituit: Hebræi inde vsque dum regem peterent, ex pecorum & agrorum culturâ victitabant. Nunc autem ferè amantur artes vel illicitæ vel periculosæ, quibus citò & præter laborem ac cum aliorum damno homines ditescant, vti mercaturæ, militia, præfecturæ vel aduocatiæ, lucra censuum & vsurarum, &c. 2.

Tertiò, Vt in suo labore ad vesperam vsque, id est, vitæ finem perdurent. Scimus enim rùm demum vocatos ad mercedem operarios *cùm serò esset factum*. Si quis ante vesperam è vineâ discessisset, mercedem non accepisset. Diabolicus ille serpens calcaneo insidiatur, vti fecit Christo, cùm ex ore Iudæorum ei occinnit: *Descende de Cruce*. Sed surdo cecinit miser. Christus in cruce laborauit, vsque dum serò factum esset. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, Matth. 24. 3.

Sextò, Viderint peccatores. Primò, vt ne animis concidant, si in peccatis consenuerunt. Scimus enim patremfamilias non solùm hora prima, tertia, sexta, & nona, sed & vndecima exiisse ad vocandos operarios eosque sua industria moram compensasse. Quare si in pueritia, velut hora prima, non cœpisti seruire Deo: incipe hora tertia iuuentutis. Si & hanc præteriisti, incipe hora sexta, ætatis scilicet virilis. Si & hæc præterit, veni ad vineam Domini hora nona senectutis. Quòd si & ista transiit, veni saltem hora vndecima circa vitæ periodum. Duodecim enim sunt horæ diei, modò ne expectes, donec sonet duodecima, quando *venit nox, vbi nemo potest operari*. Tota die expandit manus suas Dominus ad te excipiendum, ab hora prima ad duodecimam. *Isa. 65.* 6. VI. Discant Peccatores. 1.

Secundò, vt ne temerè sibi fidant & differant venire, postquam vocati sunt. Licet enim Dominus promiserit se recepturum te ad vineâ si vel hora vndecima veneris, non promisit tamē se vitam tibi eò prorogaturū. Quemadmodū ergo hodierni operarij, ea statim qua vocati sunt hora, ad vineâ perrexerunt, nullus distulit; ita & tu fac. Caueto verò inprimis ne ad vltimam illam horam differas pœnitentiam. Non enim frustrà solos illos obiurgauit paterfamilias, quos inuenit hora vndecima: *Quid hic statis totâ die otiosi?* Quid enim si eousque non viuas? quid si Deus tunc non vocet te? quid si tu vocantem non audias, impeditus aliis negotiis, quemadmodum potatores multi cùm in tabernis hæret vino sepulti vel aleis addicti, euocantes uxores nec audiunt nec sequuntur? Non existimauit Adam tam citò se à Deo requirendum & vocandum ad rationes: alioquin non ita perturbatus fuisset viso eius aduentu, non fugisset, non se abscondisset, & fortè cautiùs ei respondisset ac veniam petiisset. Idem contingit iis, quibus *occidit Sol in meridie* & mors inexpectata venit. 2.

Au-

Audiamus ergò monentem hodie Ecclesiam: *Praeoccupemus faciem Domini in confessione*: ne videlicet *subitò praeoccupati* (vti eadem canit Dominicâ primâ Quadrages.) *quaeramus spatium poenitentiae & inuenire non possimus.*

CONCIO X.

Mysteria.

1. *Exponitur sensus & scopus parabola.*	8. *Quid merces operariorum, & quid denarius.*
2. *Quis sit Paterfamilias.*	9. *Quando detur merces.*
3. *Quaenam sit vinea.*	10. *Quomodo nouissimi primò capiant mercedem &c.*
4. *Quomodo exierit paterfamilias.*	11. *Quid murmur primorum.*
5. *Quid quinque eius exitus.*	12. *Quae sit vinea procarator.*
6. *Quinam operarij.*	
7. *Cur alij mercede conducti, alij non.*	

THEMA.

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

A. PArabolae hodiernae si parabolicum quid praemittam, non malè me acturum arbitror, Auditores; Ferunt ergò agricolam quendam vitâ excessurū voluisse filios suos excitare ad laborem & sedulam agriculturam, hac excogitata stropha: *Filij mei*, inquit, *ego iam è vita discedo; Vos autem, si qua in vinea nostra a me occultata sunt quaesieritis, inuenietis omnia.* Illi igitur rati thesaurum illic defossum esse omnem vineae terram post interitum patris effoderunt: ac thesaurum quidem nullum inuenerunt; sed vinea pulchrè fossa multiplicem fructum reddidit. Christum patrem esse nostrum vel infantes norint. Discessit ille à nobis cùm in coelum abiit; sed reliquit tamen agrum seu vineā pulcherrimam, sacrum, inquam, Euangeliū & in hoc thesaurum, vitā & doctrinā suam. Quid igitur nos filij? thesaurum patris volumus? Quaeramus in Euangelio, illic eum defodit. Ac licet ibi aurum & argentum minimè inuenturi simus; reperiemus tamen doctrinas salutares, auro pretiosiores, si sedulò quaesierimus. Ergò ad ligonem: quaeramus thesaurum.

B. I. *Quis parabolae scopus.* Q. PRIMÒ, Quis parabolae hodiernę scopus? Resp. Ex praemissis colligendum. Dixerat Dominus *Matth.* 19. Apostolos, qui reliquisse se dicebant omnia, sessuros tanquam Iudices in sedibus duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Vnde nō obscurè praetulit eos Patribus veteris legis, ideò mox subiunxit: *Multi autem erunt primi nouissimi & nouissimi primi.* Vt ergò hoc clariùs ostenderet, attexuit hanc parabolam, quâ declarat operarios nouae legis tēpore quidem posteriores, meritò tamen priores illis futuros. Eò tendunt illa Christi verba: *Beati oculi, qui vident, quae vos videtis; dico enim vobis quòd multi prophetae & Reges voluerunt videre, quae vos videtis, & non viderunt &c.* Luc. 10. Et illa Apostoli: *Hi omnes* (veteres patres) *testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente &c.* Habemus ergo quod Deo gratias agamus, qui in noua potius, quàm in veteri leg: vocare nos ad vineam voluit, vbi minore & breuiore labore plus lucrari possumus quàm illic potuissemus.

C. II. *Quis paterfamilias.* Q. SECVNDÒ, Quisnam paterfamilias? Resp. Deus pater est, qui Ecclesiam suam à se creatam non tantùm vt Dominus & Rex, sed et iam vt paterfamilias singulari cura & prouidentia gubernat, nosque vt domesticos & ciues suos tractat, iuxta id Eph. 2. *Iam non estis hospites & aduenae, sed ciues sanctorum & domestici Dei.* Habet porro hic paterfamilias non vnam sed tres familias maximas, diuersissimas, & à se inuicem disiunctissimas. Prima est filiorum, secunda libertorum, tertia mancipiorum. Prima versatur in coelesti Dei palatio, secūda in inferiore eius domo, tertia in stabulo & carcere. In primâ sunt beati, in secundâ sumus nos, in tertiâ sunt damnati. Primā pascit melle & ambrosiâ potatque torrente voluptatis, secundam pascit partim melle, partim felle, suaui temperaturâ mixtis. Tertiam pascit felle amaritudinis, pane tribulationis & aquâ lachrymarum. Hae illae tres familiae sunt de quibus Apostolus *ad Philip.* 2. ait: *In nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium & infernorum.*

D. III. *Quae Vinea.* Q. TERTIÒ, Quaenam illa vinea? Resp. esse Ecclesiam Dei. Primò, quia vti vinea vitibus ordine consitis plena est: ita Ecclesia fidelibus, sicut castrorum acies ordinata. Secundò, sicut singulae vites singulis palis affixae sunt: ita animae fidelium baculo crucis seu meritis Christi adhaerent, sine quibus nihil virtū haberent, & omnes earum botri, opera, inquam, bona, in terrâ putrescerent. Tertiò, vites proferunt uvas, primò quidē actis saporis ac duras, quas tamē paulatim ad maturitatē perductas, dulci liquore implent, tandemque ex iis vinum fundunt in torculari: ita fideles quoque fructus bonorum operum gignunt vel saltem gignere debent; qui initio quidem amari sunt & duri, vtpote carni repugnantes; vsu tamen & assuetudine paulatim fiunt dulces tamque copiosi & perfecti vti suo vigore & splendore alios etiam exhilarare & roborare ad virtutē queant, adeoque vinum boni exempli propinare.

Haec est illa vinea, de qua *Isa.* 5. agitur. Eius seps est custodia SS. Angelorum, deinde lex & praecepta DEI atque Ecclesiae. Turris seu specula est dignitas Pōtificia, in quâ summus Ecclesiae vigil excubat omniaque circum speculatur & regit. Deinde sacra scriptura, ad quam in nostris dubiis & necessitatibus confugimus, indeque nobis prouidemus. Vigil in tali speculâ perspicacem habere visum debet: ita, qui Scripturas interpretatur, eruditionem. Torcular est Crux Christi & iugum eius suaue, quo dum premimur dulcissimum patientiae & aliarum virtutum liquorem fundimus; deinde altare seu altaris sacrificium, per quod exprimitur quasi continuò pretium sanguinis Christi ad emundationem nostram, dum incruento modo peragitur, (quod actum est in torculari crucis modo cruento.)

creando cœlo Deo operã præstitissent. Sciant secundò se operarios & operariorũ præfectos ac speculatores (vti sonat nomen Episcopi) esse ad laborem ab otio, non ad otium à labore vocatos. Sciant tertiò operarium esse propter vineam, non vineam propter operarium: Episcopum propter Diœcesin, non Diœcesin propter Episcopum: Abbatem propter monasterium, non monasterium propter Abbatem, &c. Quartò vineam non esse suam sed suæ curæ commendatam, vt de ea quasi locata suo tempore rationem reddant. Secundariò quiuis Christiani operarij dici possunt; tametsi enim sæculares ad Ecclesiam excolendam vocati non sunt; vocati tamen sunt ad excolendam animam suam, quæ & ipsa vinea quædam est, de qua re suprà diximus.

H. VII. Cur alij mercede conducti, alij non. 1. Q. SEPTIMÒ, Cur operariorum primi certa mercede, medij incerta, vltimi nulla mercede conducti sunt? Respondet Primò ad hoc Salmeron: *Varia esse hominũ genera & quosdam quidem tanquam paruulos non nisi sub certa mercede pacta ad operandum excitari: quales in genere fuerunt patres in lege Natura degentes. Alij verò sunt proficientes, quibus satis est in genere certò statuere, Deum esse iustum remuneratorem, apud quẽ nullum vt opus iniquum remanet impunitum; ita & nullum bonum opus absque remuneratione: de quo Paulus: Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quã ostendistis in nomine ipsius. Postremò alij sunt viri perfecti: qui nihil paciscivolẽtes, diuina tantùm bonitati & clementia confidunt: & isti digni fuerunt maius præmium accipere. Quemadmodũ in domo Principum, qui familiariter in cubiculo Principi seruiunt, nullum certum habent stipendiũ, quemadmodum muliones & coqui, sed toti pendent ex voluntate & munificentia domini: tales sunt viri Noui Testamenti, qui magnitudine charitatis Dei, & multitudine beneficiorum Christi obruti, oculum claudũt ad quodcumque præmium siue æternum, siue temporale: ita vt si demus (quod tamen fieri nequit) nullum futurum præmium, nõ propterea & maxima opera ipsi recusarent, & extrema quæque pati propter Christum haud formidarent.*

2. Respondet secundò Palacius in Matth. cap. 20. Patres antiquos, qui priùs vocati sunt, habuisse bona terræ, quæ comederent, labori suo promissa, & hac quasi illecebra ad laborẽ prouocatos esse. At Christiani, qui vltimi operarij sunt & perfectiores esse debent, operari, etiamsi nulla eis merces promitteretur, parati sunt.

I. VIII. Quæ merces & denarius. Q. OCTAVÒ, Quæ merces operariorum, & quis denarius diurnus? Resp. Mercedẽ exprimi tantùm denarium: cibum & potum nõ exprimi, vt quæ operario ex se certa sint; vt discamus nos solicitos tantùm esse de denario regni cœlestis: nam tẽporalia adijcientur nobis, nec in pactum deducuntur. Porrò denarius significat Primò Christum ipsum. Primò, quia denarius figuram principis expressam gerit: ita Christus est *splendor & figura substantiæ Patris.* Hebr. 1. superscriptio sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in eo descripti. Secundò, vt denarius rotundus est, ita Christus *nec initium dierum nec finem habet*, vt ait Apostolus *Hebr.* 7. Tertiò, Vt pecuniæ obediũt omnia: ita Christo omnia subiecta & in manus tradita sunt. Hanc mercedem promisit ipsemet Christus Joã. 14. *Qui diligit me diligetur a patre meo & ego diligã eũ & manifestabo ei meipsum.* Hanc, nõ aliã expetiuit D. Thom. Aquinas pro labore scriptionis suę. Cùm enim Christus ei diceret: *Bene de me scripsisti Thoma; quã mercedẽ postulas?* Respondit Thomas: *Domine non aliam, nisi teipsum.*

Secundò, Vitam æternam seu beatitudinem cœlestem. Primò, quia denarius numerus est perfectus claudens in se omnes numeros: beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Secundò, denarius rotundus est fine & initio carens: similiter beatitudo ęterna. Tertiò, Quia vt denarius imaginẽ regis; ita beatitudo Deum in se continet ac possidet. 2.

Porrò hic denarius *diurnus* dicitur; Primò quia pro labore vitæ cuiusque, quæ vni diei comparatur, redditur. Secundò, quia in die gratiæ pro eo laborandum. Tertiò, quia in eã felicitate nox & ignorantia nulla.

Vnus est, quia vna omnium essentialis beatitudo: quam tamen alij magis, alij minùs participant, sicut stellæ lumen solis; vel sicut diuersi lectores qui eundem librum legunt; aliter enim eum legit Rhetor, aliter Grammaticus, aliter Theologus &c.

Anticipatio mercedis diuersitatem accidentalis præmij significat.

Q. NONÒ, Quando datur illa merces? Respõdetur, in fine diei post laborem, hoc est, ilicò post mortem; id enim indicat parabola & probatur in Complem. S. Thomæ 3. *p. q.* 69. *art.* 2. ex Apostolo, qui ait, terrestri domo dissolutã habere nos in cœlo domum non manufactam 2. *Cor.* 5. Et frustra alioquin idem Apostolus cuperet dissolui & esse cum Christo, si ante extremum iudicij diem cum eo esse non potuisset, *ad Philip.* 1. Quare sicut in corporibus est grauitas & leuitas, quibus statim vnumquodque fertur in locum suum, nisi impediatur: ita in animabus est meritum vel demeritum, quibus perueniunt ad præmium, vel ad pœnam, quæ sunt finis actionum ipsarum, statim soluto vinculo carnis: nisi aliquo impediantur, quod priùs purgari oporteat. K. IX. Quando data mercede.

Q. DECIMÒ, Quomodo nouissimi primò recipiunt mercedem? Resp. Primò, quia constituti sub nouã lege minùs expectare debent, sed ab obitu statim suo præmium accipiunt: veteres patres in Limbo expectare aduentum Christi debuerunt. Qui post vnam horam accipit à te beneficium, prior vtique accipit, quàm qui post horas duodecim. L. X. Quomodo nouissimi primò recipiũt mercedem. 1.

Resp. Secundò, quia propter maiora merita ad altiorem gloriæ gradum euehentur, & ita præcedent illos. 2.

Verùm quomodo nouissimi breuiore labore plus meriti pararunt? Resp. Quia res magis arduas & difficiles tametsi breuiore tempore gesserunt. Patet in Anachoretis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus nostris: quorũ certaminibus & heroicis factis comparari veterum Patrum facta nequeunt, nisi admodum pauco-

paucorum. Status matrimonij laboriosior est statu Virginitatis, non tamen maioris meriti, sed minoris longè.

Adhæc oon considerat Deus quantùm, sed ex quanto quis operetur. Charitas eiusque feruor mensura est bonorum operum. Cursor excitatus facilè assequitur aut etiam præuertit claudum vel tardigradum viatorem, qui aliquot horis præripuit iter.

M. XI. Quid murmur operariorum. Q. VNDECIMÒ, Quid sibi vult murmur operariorum? ao in cœlo ourmur? Respondimus ad hoc suprà.

N. XII. Quis vineæ procurator. Q. DVODECIMÒ, Quis vineæ procurator? Resp. Christus, qui vnúquemque in vitæ suæ vesperâ, morte scilicet, vocat ad mercedem, ac demũ in fine mundi vocabit simul omnes, tubâ illâ Angelicâ: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Procurator hic fidelis est, quia nemioem decipiet, sapiens est, & omnia peruidet, vnde à nemine decipietur, qui sicut vnicuique reddet mercedem suam, ita nobis rogandus ac placandus est, vt reddat nobis cœlestem.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Euangelium Lucæ 8.



IN illo tempore: Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properaret ad IESVM, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud: Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ, suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam; & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nôsse mysterium regni DEI: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram, hi sunt, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitijs & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

CONCIONES.

CONCIO I.

Triplex terra sterilis.

Prima secus viam; illi nẽpe qui terrenis implicati contemnunt & mox obliuiscuntur verbum Dei.

2. Terra petrosa: quales duri & obstinati, vitio nimis adhærentes & in bono inconstantes.

3. Spinosa; qui solicitudinibus & diuitijs obruti voluptatibus mẽtem suffocant.

THEMA

Aliud cecidit secus viam & conculcatum est, &c. Lucæ 8.

A. MAgnus concionator Ieremias c. 22. nouo concionandi genere à populo deflectit & terræ verba facit: *Terra, terra, terra audi sermonem Domini.* nimirum viderat Auditores suos vel ad concionem surdos esse, vnde terræ concionatur; vel vidit eos terrenos & terræ addictos esse, vnde terram eos appellat; vel vidit esse superbos, qui nescirent se esse terram & in terram ituros. Mihi etiam videtur respexisse ad hodiernam parabolam, in quâ triplex terra est, quæ sermonem Domini non audiit, sicut debuit; nimirum terra secus viam, terra spinosa, terra petrosa. Quæ proinde illis Prophetę verbis excitanda mihi videbatur, si fortè se expanderet ad semen recipiendum.

B. I. Terra secus viam. Terra secus viam sunt, Primò quorum cor est quasi via publica omnibus trita & perpetuis tumultibus agitata: qui omnibus negotijs implicantur, omnium amici sunt, nunquam se ad

cor

cor suum recipiunt vel colligunt. In viâ publicâ alij ambulāt, alij equitant, alij vehuntur, alij dormiunt, alij clamant, alij iubilant, alij mendicant, &c. Idem fit in multorum cordibus, in quibus vtique verbum Dei nequit fructificare, quia conculcatur ab innumeris cogitationibus mentem auocantibus & ad alia distrahentibus: accedunt aues Diabolicæ, quæ modò somnum conciliant auditoribus, modò strepitum excitant, modò aliorum garritus, infantium ploratus, canum latratus: modò curas obiiciunt domesticas. Ita fit vt verbū Dei, bona proposita & omnium virtutum semenris opprimatur. Simile est horum cor hospitio publico, omnibus peruio & patulo; vbi ob perpetuos clamores, cantilenas, ludos, choreas, egressus & ingressus, vix alter alterum intelligit, & frustra ibi verba faceret qui concionari vellet. Quare sicut seduli agricolæ, agrorum fines, qua attingunt vias publicas, spinis sepiunt, ne conculcentur à transeuntibus & à via lutosa ad agrum diuertentibus: ita videat vnusquisque vt sepiat cor suum spinis, segregando & subducendo se à tumultibus sæculi, aut saltem obfirmando animum firmissimis propositis non attendendi ad ea, quæ ad ipsum non pertinent.

2. *Qui contemnunt, &c.* Secundò qui contemnunt, rident, negligūt, adeoque conculcant verbum Dei, dum sub pedibus ponunt, & pro nihilo habent; siue quia ipsum Dei verbum vtpote sibi aduersum, siue quia eius præconem oderunt. Inde cōqueruntur de sermonis prolixitate, subtilitate, siccitate & obscuritate: interpretantur sinistrè linguam, clamores, increpationes concionatorū, &c. Tales Pharisæi, qui deridebant Christum sermocinantē, *quia erant auari*, Luc. 16. Qua de re *Iob cap.* 12. dicitur: *Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.* q. d. oderunt diuites verbum Dei, sicut papilliones lucernarū lumen, quod extinguere aduolando conantur velut sibi inimicum; sed arguentur ab hoc lumine in ipso die Iudicij. Sic Ioan. 12. ait Dominus: *Qui spernit me & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum; sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Itaque quod tu abiicis, contemnis & conculcas, reseruabitur ad iudicium vt te condemnet. Ac si nemo alius foret, qui id reseruaret, Diabolus foret. Is enim velut auis colligit & deuorat semen verbi Dei neglectū, tum quia inde gaudet, roboratur & pascitur, cùm te illo destitutum videt; tum quia sedulò asseruat & conseruat in memoriā vt suo tēpore depromat ad te accusandum. Legimus certè in vitâ S. Odonis Abbatis apud Surium *tom.* 6. 18. *Nou.* Monachum quendam Gignicensis monasterij cæteroqui valde bonum & omnibus carum, morte instante sæpiùs territum à Dæmone, ostendente & obiectante ei tanquam grande piaculum sacculum plenum micis, quas Monachus ille in mensa neglexerat & in terram cadere permiserat. Quo exemplo fratres cæteri eruditi inceperūt quàm diligentissimè colligere & absumere micas panum è mensa, vt inprimis ipse S. Odo nondū Abbas, qui cùm eas aliquando abruptâ mēsâ impeditus absumere non posset, collectas in manum Abbati suo exhibuit; quæ mox in vniones versæ sunt; vt ibid. habetur. Iam verò quantò nobilius est verbum Dei pane corporali, tantò impensiùs laborandum ne id negligatur & in terram cadat; colliget enim dæmon omnes eius micas seu verba & proferet in Iudicio contra eiusmodi contemptores.

3. *Qui mox obliuiscuntur.* Tertiò, Qui auditum mox obliuiscuntur, quia seriò non apprehendunt velut rem sibi apprimè vtilem & necessariam. Qui rem aliquam cordi habet & magni æstimat, firmiter memoriæ imprimit, vel ob oculos sibi statuit certò aliquo signo, ne eius obliuiscatur. Pauci verbum Dei tam sedulò asseruant iuxta exemplum Deiparæ, quæ *conseruabat omnia verba,* (sancta) *conferens in corde suo,* Luc. 2. Plurimi id supra caput ponunt, quemadmodum ille Pharaonis pistor, qui videbatur sibi in somnio gestare supra caput panes regios, è quibus comederēt aues, pessimo auspicio, significabat enim hoc fore ipsum coruorum pabulum; sicut euētus docuit. E contrà regis pincerna, qui vitem coram se vidit, felix somnium habuit, quia pristinæ dignitati restitutus est. *Gen.* 40. Itaque qui verbum Dei videt coram se, hoc est, statuit ante faciem suam, vt id recordetur effectui mādandum, bene de se ominetur & cœlestem speret aulam. Qui verò id supra caput ponit & ab oculis mox remouet atque obliuiscitur adeoque diabolicis auibus diripiendum relinquit: caueat fieri præda coruorū infernalium. Vnde S. Iacobus c. 1. epistolæ suæ inquit: *non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.* Contrà ibid. eum qui mox obliuiscitur verbum, comparat viro, qui se intuitus est in speculo & abijt & statim oblitus est qualis fuerit: quia videlicet obiter tantùm se inspexit nec animo se expurgandi à maculis, sed ex curiositate. Simili modo, qui concionem plerique obiter & ex curiositate tantùm audiūt, hinc fit vt quæ audiuerunt, statim obliuiscantur. Lupi ceruarij dum insistunt prædæ, si respiciant, statim obliuiscuntur prædæ oblatæ & quærunt aliam, teste Solino in polyhist. c. 18. & Plinio l. 8. c. 22. Plurimi eiusmodi lupi sunt, qui sub ipsa concione, dum aliò mentem flectunt vel oculos, statim obliuiscuntur cibi spiritualis sibi oblati, vt domi suæ ne verbulum quidem recensere familiæ suæ possint, pudendâ & perniciosissimâ negligentiâ.

C. II. *Terra petrosa.* 1. *Duri & obstinati.* Terra petrosa sunt, Primò duri & obstinati, qui vel omninò nullis mouentur admonitionibus & occludunt eis aures velut aspides & reguli, *quibus non est incantatio*; vel si aliquatenus mouentur, externè tantùm & sensualiter mouentur, non internè & in corde, quod obstinatū manet; similes lapidibus qui ex pluuia quidem madescunt foris, intus tamen suam retinent duritiam & siccitatē. Videre est non paucos, qui sæpe commouentur, cùm audiunt concionatores vel alios loquentes de rebus diuinis, peccatorū grauitate, de nouissimis, &c. ingemiscunt enim & quandoque lacrymas fundunt; sed interim cor in peccatis suis obstinatum

tum retinent. Talis fuit Saul, qui semel & iterum agnoscens virtutem Dauidis & suam iniquitatem, *leauit vocem suam & fleuit dicens ei: Iustior tu es, quàm ego*; interim tamen odium in Dauidem nõ depoluit. 1. *Reg.* 24. Similiter Balaam videns Hebræorum populum Deo dilectum ab eoque benedictum, prorupit quidem in votum pietatis: *Moriatur anima mea morte iustorum & fiant nouissima mea horum similia.* Num. 23. interim tamen perstitit in suâ pertinaciâ & peruersitate. Quin etiam ipse Pharao visus est aliquoties ad Moysis increpationem commoueri & spondere obedientiam: Sed in corde minimè mutatus & sibi semper similis fuit, quia induratus & lapideus. Vnde etiam meritò descendit *in profundum sicut lapis*, vt dicitur *Exodi* 15. Quemadmodum enim grauitas & descensus ad ima naturaliter consequitur duritiem: ita etiam descensus ad infernum sequitur necessariò cordis pertinaciam.

2. *Qui vni certo vitio nimis adhæret.* Secundò, Qui cæterâ quidem molles & parati sunt accipere semen, vnicum tantùm aut alterum lapidem in corde gerunt, quem eximi sibi nolunt. Vbi enim verbum Dei ad lapidem illum venit eumque mouere incipit, resiliunt aut resistunt, veluti Herodes, qui in cæteris quidem omnibus libenter audiebat Ioannem Baptistam, *eoque audito multa faciebat*; at vbi vrgebatur ad amouendum è domo sua lapidem offensionis, vxorem fratris sui, resiliit & misit eum in carcerem, *Marc.* 6. Herodias nimirũ lapis eius fuit. Multi reges Iudæorum commendãtur in SS. literis de varijs virtutibus, sed ob vnum tantùm lapidem reprehenduntur pene omnes, quia scilicet cultum Idololatriæ in lucis non abstulerunt. Notantur enim hâc clausulâ, *Verumtamen excelsa non abstulit* 3. & 4. *Reg.* Sed non est contentus Deus corde dimidiato, totum vult possidere, totum vult sibi cedere, quia non super aliqua tantùm, sed super omnia vult diligi.

3. *Inconstantes.* Tertiò, Qui in bono inconstantes sunt; bene quidem incipiunt, sed cùm tẽtatio ingruit, deficiunt & velut in æstu exarescunt, quia carent humore terreo, qui in petrâ non inuenitur. Quamdiu res succedit bene, quamdiu non tanguntur, faciunt quæ iubentur: sed aduersa tolerare nesciunt: in his quæ sunt facilia Deo obsequuntur, in difficilibus resiliunt: in plano itinere gradiuntur, in petroso & montoso sistunt. Ratio est, quia in humore charitatis Dei fundati nõ sunt, sed in amore potius sui. Vnde fit vt cessante emolumento, cessent ab officio suo. Ita filij Israël cum iubilo & iucunditate transierunt mare rubrum, quasi per campum germinantem, vt ait Sapiens c. 19. & exponit Iansenius. At vbi cœperunt penuriâ laborare, aquæ, panis, carnium, continuò murmurarunt & regredi in Ægyptum voluerũt; Vnde de illis dicitur Psal. 77. *Filij Ephrem*, id est, Israelitæ, *intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli*. q. d. promiserunt se Deo parituros & facturos quæcunque ille mandasset: sed statim mutata volũtate cogitabant de reditu in Ægyptum & contra Deum & Moysen murmurabant; inquit ibi Card. Bellarm. Quis nõn iurasset Balaamum ad veri Dei cultum & obsequium traducendum, qui initio eius imperio tam strenuè obsecutus est, vt populum Dei summis laudibus extolleret nec vilis auri muneribus adduci posset vt contra Dei monitum populo malediceret? Et tamen ad extremum victus auaritiâ rediit ad ingenium suũ, & pessimo consilio subuertit Israelitas. Nimirum humorem charitatis diuinæ pro fundamento nõ habuit, sed timorem tantùm seruilem, ex quo à Deo seriò monitus & posteà Angeli gladio territus fuit ne malediceret Israeli. Similes Israelitis & Balaamo sunt quàmplurimi, qui in paschate abiurant peccata & cum gaudio transeunt mare pœnitentiæ; at verò paulò pòst leui verbo irritantur, leuiculâ occasione peccandi oblata terga Deo vertunt & redeunt ad peccata dimissa. Signum ergò est, eos in charitate fundatos non fuisse, sed vel ex timore vel ex amore sui fecisse quod fecerunt.

D. III. *Terra spinosa.* Terra spinosa sunt Primò qui nimiis solicitudinibus se onerant & opprimunt. Quemadmodum enim curæ nimiæ impediunt hominẽ ne crescat, dilatetur & pinguescat: Similiter &

1. *Qui solicitudinibus obruti.* plantæ seu arbusta iuxta arborem consita, impediunt eam ne in debitam magnitudinem excrescat: ita curæ & solicitudines animã impediunt ne crescat in pietate & virtutum studio; retrahunt enim eam à diuinis cogitationibus & exercitiis, distrahuntque ad extranea, vana, & inutilia, quæ feruorem charitatis minuunt & suffocant pietatem. Quo sensu possumus intelligere verba illa Iacob ad Ruben dicta Gen. 49. *Effusus es sicut aqua: non crescas*, id est, ne crescas. Qui enim ad vilia quæque curanda effundunt cor suum, velut aquam, hoc est, frustra & leuissima de causâ: non crescunt quoad spiritum. Ac propterea Martham turbatam circa plurima submonuit Dominus illa vocis geminatione: *Martha, Martha solicita es*, &c. q. d. Vide quid agas, ne dum in alia te effundis, intus à deuotione & gratiâ euacueris: laudauit contrà Magdalenã, quæ relictis illis curis verbo diuino intendit & propterea in pietate magis quàm soror creuit. Vide quò deuenerit Salomon, dum in externa negotia nimiùm se effudit ad extruenda palatia, hortos, vineas, piscinas, &c. eò videlicet vt Dei obliuisceretur ab eoque auerteretur. Bene enim S. Chrysostomus l. 6. *de sacerdotio* ait: *Solicitudines assiduæ mentis acumen hebetant: eumq; qui animo volucri & pernice sit, plumbo grauiorem reddunt.*

2. *Qui diuitiis onusti.* Secundò, qui diuitiis onusti sunt. Diuitiæ enim & prosperitas hominem à Deo auocant & amore mundi implicant: deinde in superbiam extollunt, vt aliis omnibus posthabitis mammonam tantùm colat & adoret quasi omnipotentem Deum, (quid enim nõ cedit pecuniæ?) denique mille se curis & anxietatibus inuoluunt. Hinc verbum Dei in diuitibus rarò fructum facit, quia vel contemnitur vel opprimitur. Exemplo est ille iuuenis, *Matth.* 19. qui vocatus à Christo ad culmen perfectionis Apostolicæ, pedem retulit abiitque tristis, quia nimirum

rum multas habebat possessiones. Ingratum est communiter, imò odiosum diuitibus Dei verbũ & repellitur ab iis, velut cùm ignis inuoluit spinas, quæ dum igni resistunt, magnos edunt strepitus, iuxta Ps. 117. *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Ignis est verbum Dei Ier. 23. *nunquid non verba mea quasi ignis?* &c. Spinæ sunt diuitiæ. Vnde videas plures diuites, qui calumniantur, rident & explodunt conciones, quibus ipsi taxantur, quàm qui commendant.

3. *Qui voluptatibus dediti.* Tertiò, qui voluptatibus dediti. Deliciæ enim & voluptates cùm vehementer afficiant sensum, hominem quasi absorbent, sopiunt & inebriant, vt præter voluptatem nil aliud cogitare possit, suffocant ergo sementem. Vix aliquem inuenias tam virtute præditum, qui inter voluptates nõ emolliatur & eneruetur paulatim. Ipsæ enim Sirenes sunt, quæ nautas quos cantûs suauitate attraxissent, primò in somnũ dare, deinde aquis intingere, denique deuorare solitæ traduntur. Peruerterũt certè & deuorarunt sapientissimum Salomonem, qui alioquin initio optimæ indolis & sub optimo Magistro, Nathan Propheta, optimè institutus fuerat, ita vt ab eo cognominaretur: *amabilis Domino.* 2. Reg. 12. Audiamus Salomonẽ ipsum de se loquentẽ Sap. 8 *Puer erã ingeniosus,* inquit, *& sortitus sum animam bonam.* Et tamen optimæ complexionis & institutionis adolescentem voluptates eneruarunt & transuersum egerunt.

Superest nunc vt videat vnusquisque, qualis ipse terra sit, & siquidem vna ex his sterilibus est studeat se corrigere vt fiat terra bona. Nemo nostrum agrum sterilem vult habere; vel si talem habet, laborat eum stercorare & fertilẽ reddere. Cur ergo animas nostras patiamur esse steriles? &c.

CONCIO II.

Diuitiæ cur spinæ.

Assignantur sex conuenientiæ diuitiarum cum spinis:

1. *Sicuti spinæ pungunt vt semper crucient: ita & diuitiæ, eas acquirendo, conseruando & perdendo.*
2. *Vt spinæ apprehensæ vulnerant: ita & diuitiæ.*
3. *Vti spinæ foueat animalcula venenata: ita diuitiæ multa scelera & peccata.*
4. *Veluti spinæ prætereuntes: ita diuitiæ spoliant pauperiores.*
5. *Quemadmodum spinæ fortiter retinent quæ amplectuntur: similiter & diuitiæ.*
6. *Vt spinæ abijciuntur: ita & illæ cum amatoribus suis.*

THEMA.

Aliud cecidit inter spinas & simul exortæ suffocauerunt illud. Luc. 8.

A. NOn immeritò miratur S. Gregorius Papa *in hom. super hodiernum Euangeliũ,* quòd Seruator noster parabolam hanc exponens diuitias vocat spinas. *Quis enim,* inquit, *mihi vnquam crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem? maximè cùm illæ pungant, istæ delectent? Et tamen spinæ sunt &c.* Nimirum hostis humani generis, rerum nomina & vocabula mutauit & peruertit, velut si quis Pharmacopolium clanculùm ingrediens pharmacorũ titulos mutaret, vt pyxidi quidem theriacæ, vocabulũ veneni apponeret & ecõtrà. Fecit hoc malignus ille hostis; nã diuitias & voluptates vocauit eas res, quæ spinæ & tribuli erant, auaritiam vocauit parcitatem; superbiam, honestatem; crapulam hilaritatẽ &c. Videamus ergo nunc quàm verè dixerit Dominus diuitias esse spinas.

PRIMÒ, Spinæ pungunt & ita quidem, vt semper crucient, quamdiu infixæ sunt. Idẽ faciunt diuitiæ: pungunt enim & cruciant diuitũ animos curis, & anxietatibus. Primò in acquirendo, quomodo desideratam prædam venentur, sicut Achab cùm negaretur ei vinea Naboth, venit in domum suam indignans & frendens, proiecitque se in lectulum nec voluit comedere. 3. Reg. 21. item quomodo lucrentur & non perdant: quomodo carò vendant. Metuunt ne rerum pretia minuantur &c. vt possint dicere illud Psal. 89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Quemadmodum enim aranea se euiscerat ad texenda retia & capiendas muscas: ita diuitiis inhiantes meditantur dies ac noctes, quo modo lucrentur & captent aliorum substantias. B. I. Quia pungunt & cruciant. I. In acquirendo.

Secundò, in conseruando & augendo, quomodo parta custodiant & defendant ab insidiatoribus, quemadmodum ille diues qui dicebat: *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Hoc faciam; destruam horrea mea & maiora faciam & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, &c.* Luc. 12. Anacreon Philosophus cùm à Polycrate Samiæ rege dono accepisset decem millia ducatorum, mox in tales animi curas & phantasias incidit, vt triduo insomnis esset; itaque remisit donum, dicens vt retineret sibi res suas, quando aliud præter curas & inquietudinẽ nil donare posset. Simile est quod scribit Æn. Sylu. *l. 4. de rebus gestis Alphonsi,* Sigismundũ Imperatorem, cùm ex Burgundiâ 40. aureorum millia accepisset & ad mediam vsque noctẽ cogitabundus iaceret, in quemnam vsum eas pecunias cõuerteret, tandem intempestâ nocte aulæ proceres conuocari iussisse, iisque pecuniam omnem dono dedisse, his verbis: *Ecce crudelissimi hi hostes ac carnifices somnum mihi eripuerunt: accipite & inter vos diuidite, vt mihi tranquillè dormire liceat.* Illis porrò abeuntibus addidit: *recedit iam à me tortor ille, qui me flagellauit: securiùs iam quiescam.* 2. In conseruando.

Tertiò, In perdendo & expendendo, quomodo ea bene collocent, cui eadem relinquãt &c. De hoc ait Sophar apud Iob c. 20. *Diuitias quas deuorauit; euomet & de ventre illius extrahet eas Deus.* Quis autem nescit vomitũ cũ magna difficultate & corporis concussione ac faucitũ strangulatione fieri? Et quis explicare queat quantam difficultatem sentiant diuites, cùm iam morituri relinquere opes suas debent? 3. In perdendo.

SECVNDÒ, Spinæ vulnerãt, ita quidem vt incautè C. II. Quia vulnerãt.

cautè apprehensæ simul plura infligant vulnera; similiter & diuitiæ quæ hominem ad varia peccata trahunt usque cruentant. De his enim scribit Apostolus 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionē. Radix enim omniū malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide & inseruerunt* (græcè transfixerunt) *se doloribus multis*. Quorsum autem rapiunt diuitiæ nisi in ea peccata, quæ S. Gregorius l. 31. *Moral*. c. 17. auaritiæ filias appellat: proditiones, fraudes, fallacias, periuria, inquietudinem, violentiam & contra misericordiam obdurationes cordis? Exemplo est Iudas, qui cùm auaritiæ laqueo teneretur, incidit in laqueum desperationis *& suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*. Et hoc iure ei contigit; ait enim Ecclesiasticus c. 10. *Qui amat pecuniam, animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua*. Quia enim in vita sua proiecit viscera misericordiæ erga se & alios, & pro tam vili pretio vendidit animam suam diabolo, quid mirū si in morte ená effudit viscera sua? An nō proiicit intima sua qui peierat pro obolo? Hinc sitis inexplebilis, quæ inducit hominem vt negligat rem diuinam, in orando totus distractus sit, dolos excogitet, ineat contractus vsurarios, peieret, & animam sibi potiùs quàm opes malè partas eripi sinat.

Cæterùm siquis cautè spinas tangat, vulnera euitare potest: ita siquis sine cupiditate pecunias tractet, si non violenter ad se rapiat, si non tenaciter retineat, sed cùm honestas & misericordia iubet, erogat, sine læsione eas habere & tractare poterit. Verùm *beatus diues*, ait Sapiēs, *qui inuentus est sine macula! quis est hic?* Vt enim spinæ sine læsione vix tractantur, sic etiā diuitiæ. Vnde eas Crates mersit in mare, dicens: *ego vos mergam, ne à vobis mergar*.

D. III. Quia venenata animalcula fouent. TERTIÒ, Spinæ receptant & quodammodò gignunt animalcula venenata, serpentes & similia, quæ sub iis generantur & hospitantur. Ita etiam diuitiæ communiter gignunt & alūt multa alia scelera, velut insolentiam, dissolutionem, impietatem & neglectum cultus diuini, contemptum proximi, luxum in victu & vestitu, otium, &c. Hinc enim dixit Apostolus 1. Tim. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*. In quem locum ait S. Ambrosius: *Auaritia, quia omnia mala potest admittere, ideò radix omniū malorum est*. Habet enim clauem ad omnes peccatorum ianuas aperiendas. Ephraim & Manasses duo fratres fuerunt *Gen*. 41. Ephraim incrementum vel fructificans exponitur, Manasses verò obliuio. Ita diuitiarum incrementū fratrem habet obliuionem Dei, pauperum, honestatis, legum, humilitatis, charitatis, &c. Hinc *Ose*. 8. dicitur. *Dixit Ephraim: verumtamen diues effectus sum, inueni Idolum mihi: omnes labores mei nō inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui*; id est, iudicem iniquitatis meæ, qui me scilicet audeat reprehendere; vel pœnam eis debitam, quia nimirum diuitiarum Idolū ab omnibus insidiis & miseriis potest me expedire, ideoque nemi-

nem curo. Quemadmodum igitur spinæ vmbraculum & latibulum sunt serpentum: ita diuitiæ peccatorum; quia illarū præsidio omnia scelera tegi possunt & impunè fieri. Sed quid hoc aliud, nisi domi hostem abscondere hostem suum & serpentem alere in sinu suo? quid nisi patentes habere literas eundi ad infernum?

Adhæc in ædibus diuitum hospitantur adulatores, parasiti; insidiantur eis fures, &c. *Vbi enim multa sunt opes multi & qui comedunt eas*, ait, Ecclesiasticus *cap*. 5.

QVARTÒ, Spinæ prætereuntes spoliāt: currus fœno, oues lanâ & quandoque homines pallio, denique vicinos frutices succo adeoque fructibus, quos hi alioquin ferrent. Hoc verò & diuitiæ faciunt, quia semper aliquid decerpunt de bonis pauperiorum. Qui cùm diuitibus agunt tractantque commercia, semper aliquid perdere debēt & pati iacturam aliquam. Volunt enim diuites semper vilius emere & carius sua vendere: parcunt suis rebus, tollunt bona pauperum, quemadmodum diues ille parabolicus, quem proposuit & accusauit Nathan apud Dauid. 2. *Reg*. 12. Quando diues debitorem habet pauperem, facilè eum premere potest & compellere ad soluendum: sed quando ipse debet difficilè soluit. Ad hæc spoliant egentes debitā illis eleemosynâ. Vicini eorum propè eos crescere non possunt, quia diuites totum mercantiæ succum ad se trahunt & vicinos suos suffocant. E. IV. Quia prætereuntes spoliant.

Adhæc sicut spinas manibus tractare difficile est; ita cum diuitibus agere. Superba enim & aspera verba promunt erga humiliores, vt de eis dictum videatur: *Exarserunt sicut ignis in spinis*; quia cum strepitu & indignatione fere pauperes alloquuntur, suntque ignei & cholerici in spinis diuitiarum.

QVINTÒ, Spinæ fortiter retinent ea, quæ amplectuntur & implicant se iis v. g. vestibus, vt difficilè explicentur. Idem cernere est in diuitiis. Hinc enim adolescens ille diues ad Christi sequelam vocatus, abiit tristis, quia scilicet diues erat valde *Luc*. 18. Hinc diuitiis addicti dicuntur à psalmistâ *viri diuitiarum*, quasi mancipia earum. F. V. Quia fortiter retinent.

Adhæc sicut Spinæ se inuicem complectūtur: ita etiam diuites mutuis propinquitatibus ita inter se nectuntur, vt nemini eorum quidquam facilè detrahas, quia se mutuò iuuant. Eò pertinet, quod *Nahum*. 1. dicitur: *Sicut spinæ se inuicem complectuntur: sic conuiuium eorum* (Assyriorum) *pariter potantium: consumentur quasi stipula ariditate plena*.

SEXTÒ, Flos spinarum amatur, sed ipsæ postmodum abiiciuntur in sterquilinium vel in ignem ab comburendum; siquidem nulli ædificio sunt vtiles. In vere quidem cùm florere incipiunt, ponuntur in vasa quâ plenum, pulchrum & elegās, propè mensam vel fenestram vt odorem bonum præbeant: ast vbi flos earū decidit, abiiciuntur foras aut comburuntur; ad nihil enim aliud vtiles sunt. Sic diuites in hoc sæculo bono quidē loco sunt & ab aliis coluntur ac honorātur; *diuitiæ enim addunt amicos plurimos*, G. VI. Quia abiiciuntur.

mos, inquit Sapiens *Prouerb*. 19. Ast vbi florem illum perdiderunt per mortem vel alium modum, abiiciuntur in infernum cum diuite Epulone. Audi S. Iacobum cap. 1. Diues *sicut flos foeni transibit. Exortus est enim Sol cum ardore & arefecit foenum & flos eius decidit & decor vultus eius deperijt, ita & diues in itineribus suis marcescet.*

Quare pauperes inprimis Deo agant gratias quòd ipsorũ agrũ Deus expurgarit ab eiusmodi spinis. Deinde condoleant potiùs diuitibus, quã inuideant, quòd ipsorũ agrũ spinis repletũ videant. Sanè sepiuit Christus in hodierno Euangelio hortum diuitiarum spinis anxietatum & curarũ, quas illæ gignunt, vt ab iis nos auerteret. Quod igitur adhuc in hortum hunc irrumpimus cum tanto nostro periculo?

CONCIO III.

Effectus & signa obdurationis.

1. *Obdurati carent oculis, non agnoscentes diuinas admonitiones.*
2. *Carent auribus, non audientes verbũ Dei.*
3. *Carent gustu rerum spiritualium.*
4. *Carent odoratu, quia non sentiunt peccatorum fœtorem.*
5. *Carent tactu, quia non emendantur flagellis.*
6. *Carent manibus & pedibus, quia ad pœnitentiam commoueri nequeunt.*

THEMA.

Aliud cecidit supra petram & natum aruit. Luc. 8.

A. Pythagoræ præceptum fuit inter alia: *Ne multa verbis pauca cõprehendas, sed paucis multa*. Stob. *serm*. 33. Id verò præ omnibus mundi sapientibus accuratissimè præstitit Christus in sermonibus suis. Et quidẽ in hodierno Euangelio quàm plenè, quàm appositè depinxit naturam diuitiarum, vnica voce spinæ? Naturam verbi Dei, vna voce seminis? Naturam Dæmonum, vna voce volucris? Atque vt reliqua præteream, vultin' scire Auditores, quid sit homo obstinatus? Id vnica voce petræ, expressit ibidem Dominus. Quis enim nescit petram nec videre, nec audire: nec olfacere, nec gustare, nec sentire, nec moueri? At hoc totum etiam videre est in homine obstinato: vti mox videbimus.

B. I. Obdurati carent oculis. 1. PRIMÒ, Obdurati carent oculis seu visu. De illis enim testatur in hodierno Euangelio Dominus; quòd *videntes non videant*, Primò non vident; non agnoscunt diuinas admonitiones. Sic Iudas admonitionem Christi, quã velut digito notabatur de proditione, non agnouit. Ait enim Dominus: *ecce manus tradentis me mecum est in mensâ*. Et tamen stupidus & cæcus Iudas, non vidit se notari. Ita obstinatus non sentit inspirationes Dei ob mentis stuporem & hebetudinem, per quam, dum totus inhæret rebus illicitis & creaturis, ineptus redditur ad attendendum rebus diuinis. Et si quando eiusmodi monita videt, non agnoscit tanquam à Deo profecta, sed aliis causis adscribit. Sic Pharisæi miracula Christi quæ non poterant negare Beelzebub adscripserunt. Sic Tyranni eorumque Præfecti miracula SS. Martyrum præstigiis tribuerunt.

Deinde non vident statum suum in quo versantur, nec damnationis præcipitium in quod ruunt obuelatis oculis, velut taurus saltans ad macellum, velut equus currens ad prælium. Vnde *Ier*. 8. dicitur: *Conuersi sunt ad cursum suum, sicut equus impetu vadens ad prœlium*. Ita Pharao nõ timuit ingredi mare rubrũ post Israëlitas, licet pessimè sibi conscius præsentẽ mortem ob oculos vndique versantem videret, fluctus scil. matis: ideoque submersus est, *Exodi* 14. Ita Israëlitæ contra præceptum Domini & seriam Moysis dehortationem obstinati & *contenebrati* ascenderunt in verticem montis, in quo habitabant Chananæi & Amalecitæ, manifestissimum subeuntes periculũ, ideoque ab eis percussi & concisi sunt. *Num*. 14. Prudentes Duces capiant loca edita, item ventum secundum, solem auersum & puluerem: ita etiam faciunt qui Deum timent; sed non ita obstinati, qui impetu in exitium ruunt. 2.

SECVNDÒ; Carent auribus seu auditu, vt etiam subdit Dominus: *vt audientes non intelligant*. Primò igitur non audiunt Dei verbũ sed fugiunt potiùs & occludunt aures, mentem aliò flectendo, vel conciones fugiendo &c. iuxta id Iob 21. *Dixerunt Deo: Recede à nobis & scientiam viarum tuarum nolumus*. Et Psalm. 35. *noluit intelligere vt bene ageret*. Isti sanè difficulter curantur, quia curam nõ admittunt. Hinc Dominus in sanatione surdi, *suspiciens in cœlum ingemuit Marci* 7. vt indicaret, quàm difficilis sit cura surdi spiritualis. Fures cùm primò deprehenduntur, virgis cæduntur: Si secundò redierint auribus truncantur: Si tertiò; suspenduntur. Ita qui auribus spiritualibus truncati sunt à Dæmone, proximi sunt exitio. Quamdiu Moyses annuntiabat verbum Dei Pharaoni, erat spes aliqua conuersionis eius. Sed quando demum illi Pharao dixit: *Recede à me & caue, ne vltra videas faciem meam*: tunc respondit Moyses: *Ita fiet vt locutus es, non videbo vltrà faciem tuam*. Exod. 10. Sed tunc secuta est vltima & maxima plaga, & pòst interitus Pharaonis. Sic Christus obstinatis Iudæis dixit Matth. 23. *Non me videbitis amodò* (id est, post passionem meam) *donec dicatis*: (in iudicio vltimo) *Benedictus* DEVS. C. II. Carent auribus. 1.

Secundò non audiunt seu curant Dei mandata, sed contemnunt & subsannãt. Ita Pharao iussus à Deo per Moysen dimittere populum Hebræum, dixit: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius & dimittam Israël? nescio Dominum & Israël non dimittam*. Ita plerique Hebræorum nuntios regis sui Ezechiæ monentis vt venirent ad celebrandum Phase, nec indurarent ceruices suas, irridebant & subsannabant 2. *Paral*. 30. Ita paulò ante diluuiũ *multi prædicabant*, inquit Berosus Chaldæus l. 1. *& vaticinabantur, & lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione. Sed enim illi assueti corrideb. it omnia,* 2.

cœlestium illos ira atque vltione perurgente pro impietate atque sceleribus. Recentius exemplum scribit Cæsarius l. 2. cap. 9. in hunc modum: *Ante paucos annos in VVormatia quidam Episcopus fuit nomine Leupoldus, solo quidem nomine Episcopus, opere autem Tyrannus. Hic cùm esset vanissimus, nihil in se habens maturitatis, nil religiositatis, dicebat ei quodam tempore Germanus suus, vir Nobilis: Domine Episcope multum scandali datis nobis Laicis vestro exemplo. Antequam essetis Episcopus, aliquid Deum timebatis, modò nil prorsus de illo curatis. Cui ille respondit: Frater, duo viri erant, ex quibus vnus exemplo alterius peccauit: mortui sunt simul & deducti in infernum. Cùm essent in tormentis, vnus alteri dicebat. Væ tibi quia tuo exemplo prouocatus ad peccatum merui hunc locum. Cui alter: Bone vicine si placet tibi ampliùs sedes mea, trade mihi illam & ego tibi meam. Sic dico vobis frater, quando venerimus ad inferos, si videbitur vobis sedes mea honorabilior, ascendite eam & ego recipiam vestram. Respondit ille: Mala consolatio hæc.* Videtis hîc exemplum obstinati hominis. Propter hoc merentur vicissim à Deo relinqui, contemni & subsannari, iuxta id Prouerb. 1. *Despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.*

D. III. Carent gustu seu lingua.

TERTIÒ, Carent linguâ seu gustu rerum omnium spiritualium, sanctorum, bonorum operum, orationis, piæ conuersationis, &c. Sic enim de illis *Psal.* 106. dicitur: *omnem escam abominata est anima eorum & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Et ita Israelitæ postquam in deserto nauseam ceperunt cœlestis illius mannæ & carnes petierunt, vtpote palato adhuc redolente carnes Ægyptiacas; tunc ira Dei descendit super eos, dum adhuc carnes in ore manderent & percussit atque occidit eos. *Num.* 11. simili modo obstinati quia palatum habent corruptum mundi vanitatibus & voluptatibus; ideò manna spiritualium rerum eis desipit; & cùm quid eiusmodi in mediũ affertur, vel incipiunt dormire, vel alia cogitare. Nimirum vti periculosissima ægritudo est quę à Medicis appellatur Nausea (vt in præd. psalmi loco vult Bochius) cùm quis solo cibi odore adeò offenditur, vt mori se malle asseueret, quàm ori eum admouere: ita & fastidium rerum spiritualium signum est hominis ad interitum tendentis & desperati. Qui in sentina nauis (vnde nausea dicta) sunt, nauseam acquirunt & ad vomitum prouocantur: ita qui in sentinam malorum deuenêre, nauseam acquirunt rerum spiritualium. Exemplum refert Pinellus *in l. de Missa l. 2. cap. 2.* ex summâ Prædic. de homine quodam prædiuite, qui cùm diebus festis nihili Missam & rem diuinam curans, equo conscenso summo manè prædia sua inuisere consueuisset & ob id ab vxore grauiter aliquoties reprehensus, se quid facto opus esset scire, respoderet, tandem meritas impietatis suæ pœnas persoluit. Cùm enim solenni quodam festo pro veteri consuetudine in viam se dedisset, fit ecce obuius illi Diabolus in formâ rustici, villici sui, cumque pedetentim eum ad ripam ingentis fluuij conduxisset, in eandem illum miserabiliter præcipitauit, atque ita eundem secutus, subitò euanuit.

E. IV. Carent odoratu & naribus.

QVARTÒ, Carent naribus seu odoratu, quia non sentiunt peccatorum fœtorem, turpitudinem & ignominiam. Rem fœdam ac fœtidam esse peccatum, non Christiani tantùm, sed & gentiles intellexerunt. Cicero l. 3. offic. dixit: *Nobis persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum.* Et Seneca: *Etsi scirem homines ignoraturos & Deum ignoscitùrum, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem.* Peccatum igitur cloaca est, cadauer & lepra est. Huius tamen fœtorem non percipit obstinatus, quia peccatis plenus est; sicut alij fœtorem non sentiunt, qui allio solent vesci eiusque odore oppleti sunt: nec cloacæ fœtorẽ, qui cloacis purgandis student. Vnde Sapiẽs Prouerb. 18. ait: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit; sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Hinc peccare non erubescunt, iuxta id Ier. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Etenim vt meretrices olim non tantùm cellis suis in fornice, sed & fronti inscribebant nomen suum, (vti fecit purpurata meretrix Babylon *Apoc.* 17.) ita & obstinati minimè erubescunt de peccatis suis, imò Sapiente attestante Prou. 2. *Lætantur cùm malè fecerint & exultant in rebus pessimis.* An non huius farinæ fuit Imp. Caligula, qui dicebat: se nihil magis in sua natura probare, quàm inuerecundiam? An non talis C. Fimbria qui, vt scribit Cicero pro Roscio, *Q. Scæuolam virum sanctissimum vulnerandum curauit: & vbi ferrum non altè in corpus descendisse accepisset, diem illi dixit. Admirantibus cunctis, quòd pontifex maximus optimus totius ciuitatis ciuem accusaret; crimen expectantibus dixit: se illum accusare, quòd non totum telum corpore excepisset.* Eiusmodi verò homines morti æternæ appropinquare quis non videt? *Illud* ait S. Greg. in Psal. 1. pœnit. *verum est apertæ desperationis iudicium, si verecundia non sequitur peccatum.* Et Seneca in Prouerb. ait: *Tunc est consummata infelicitas, cùm turpia non solùm delectant, sed etiam placent.*

F. V. Carent sensu tactus.

QVINTÒ, Carent sensu tactûs, quia non emendantur flagellis & minis plagarum, adeò vt ea sentire non videantur. Ita testatus Ieremias c. 5. dicens: *Percussisti eos & non doluerunt: indurauerunt facies suas supra petram.* Et Prouerb. 27. *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius.* Quot ictibus & plagis contusus fuit Pharao? nunquid tamen resipuit? nunquid emollitus est? Quot beneficiis admonitus fuit Saul? quot stimulis exagitatus? nunquid mentem mutauit? Quot ictibus pulsatus Iudas? Christus ei pedes lauit, communicatus est, corpus suum dedit, osculum amicissimum præbuit, nunquid emollitus est? Quot ictibus pulsati Iudæi ne Christum morti traderent? Viderunt se voce ab eo prosterni, aurem Malcho sanari: audiunt eius confessionem: audiunt Iudæ reuocationem & vxoris Pilati nuntium: nunquid

emen-

emendari? Ita videmus homines malè educatos & vitiis assuetos vix vnqua emendari pœnis. Qui enim primo scelere deprehensi infami loco populo ostentantur, mox redeunt ad ingenium, & tum virgis cæsi ex vrbibus pelluntur. Redeunt tertiò nihil emendati, & tunc auribus truncantur: nec finē malè agendi faciunt donec suspendantur. Equus quantumuis ferox & indomitus si vel vnu clauo in sensitiuā vngulæ parte lædatur, ferociam deponit, cùm claudicare cogitur. Sed obstinatum hominem nullus afflictionis clauus retinere potest, ne præfracto animo currat ad libidines suas & ipsum denique interitum. Vnde Isaias de talibus ait c. 5. *Vngu'a equorum eius, vt silex.* Cùm quis ob delicta sua semel iterum tertiò & semper arctiùs incarceratur à Magistratu, cum infamia notatur, cùm pecuniis mulctatur, cùm mēbro mutilatur: cùm à Deo castigatur, morbo, grandine, incendio &c. an non isti claui sunt, quibus subneruare petulantem illum equum intendit Deus? Attamē obstinatus nihil hæc facit; imò, quod stupendum, peior inde fit & durior, vti incus crebris pulsata ictibus. Audi Iob c. 41. *Cor eius*, inquit, *indurabitur quasi lapis, & quasi malleatoris incus stringetur.* Exemplo est Pharao, qui ex plagis obstinatior: & Nabal, qui ex correctione vxoris factus est vt lapis. 1. *Reg.* 25. Deinde videntur carere sensu & remorsu conscientiæ, quemadmodum ebrius cōsopitus; de quo dicitur Prou. 23. *Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me & ego nō sensi.* Ita enim qui vitiis inebriati sunt, ita demum consopiuntur, vt non sentiant ictus & vulnera à Dæmonibus sibi inflicta: nec vincula quibus ad orcū trahuntur. Vesica pisis plena, non resonat, nec auditur: sed ea solùm, quæ paucula in se grana continet. Ita peruersi, qui peccatis pleni sunt, non sentiunt remorsus & latratus conscientiæ: sed qui piè viuere constituerunt, citò ex pauculis delictis ad compunctionem excitantur.

VI. Carent manibus & pedibus. SEXTÒ, Carent manibus ac pedibus adeóque omni motu nisi quòd deorsum semper ruant, de peccato in peccatum: sursum verò ad pœnitentiam & bene agendum commoueri nequeunt. Vt enim petra suopte pondere, quaquà potest, descendit: nunquam verò nisi forti impulsu ascendit: ita & obstinati suapte peruersitate de peccatis in peccata ruunt: ad pœnitentiam verò & pietatem vix aut nunquam impelli possunt, adeò vt Ieremias de illis dicat cap. 13. *Si potest Æthiops mutare pellem suam aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere cùm didiceritis malum.* Fabulantur aliquando Æthiopem emptum esse ab aliquo, qui putabat illum non naturā, sed negligentia prioris Domini adeò denigratum. Itaque herus lauare illū cœpit & modis omnibus tingere, quò abstergeret nigrorem. Sed aliud non effecit, nisi quòd Æthiopi vexando morbum attulit. Ita ferè res habet cum obstinato. Tametsi enim ei malitia non est naturalis, abstersū tamen perquam difficilis. Multos legimus frustrà laborasse in molliendis obduratis veluti lapidibus elixandis, vti Ionathan in patre suo Saule 1. *Reg.* 20. qui sua lotione id effecit, vt à patre lancea impetitus penè occisus fuisset. Nicephorus Imp. Iconoclasta & Manichæorum patronus dum Ecclesiam grauibus premeret exactionibus, omnium ordinum suscitauit querimonias & lamenta. Monitus hac de re à Theodosio Salibarā Patricio, respondit: *si DEVS obdurauit cor meū vt Pharaonis, quid boni erit his qui sub manu mea sunt, à Nicephoro? Theodosi noli expectare præter ea quæ vidisti.* Idem contra Bulgaros mouens pacem petenti Crunno Bulgarorum Regi, dare abnuit, dicens: *Quis siue Deus siue aduersarius trahet me nolentem?* Sed quid actum? Crunnus in furorem versus, de nocte profligauit & occidit eum cum magna parte nobilitatis. Porrò eius recisum caput per dies cōplures è sublimi ligno suspendit, posteaque ipsum cute nudans & argento forinsecus vestiens bibete ex eo Sclauinorum Principes exemplo suo docuit gloriabundus. Zonaras to. 3. Vultin' aliud exemplum? Cæsarius scribit de diuite quodam in Episcopatu Vitraiectensi colono nomine Godscalco pessimo vsurario. Accidit anno Domini 1219. vt hic molam, quam tamē vesperi famulus bene adstrinxerat, noctu audiret versari. Vocauit famulum: & misit eum ad molam. Famulus illuc veniens tanto pauore concussus est, vt domum recurreret ad herum suum, dicens nullo se pretio illuc reuersurum. Surrexit herus eius, & induit pallium, cui Crux inserta erat, (susceperat enim contra Turcas crucem) & ipse perrexit ad molam, ac ibi duos nigerrimos conspexit equos, & virum vnum paris nigroris, qui iussit vt pallium deponeret, ac alterum equum ascenderet. Equitabant simul, ac venerunt ad infernum; vbi Godscalcus patrem inuenit, ac matrem aliosque notos in tormentis, ac in medio flammarum sedem vidit candentem, quam cùm vidisset, dictum est illi: *Vade domum, post triduum morieris, & illa sede sedebis in æternum.* Reductus est ab eodem illo duce ad molam suam, & ab vxore inuentus semiuiuus, ad domum reportatus, narrauit quæcunque in inferno videat. Vocatus est statim Sacerdos, qui ipsum ad preces pœnitentiamque hortabatur, dicens quæ illi videbantur opportuna: sed non mouebatur iis Godscalcus. *Quid enim*, inquit, *preces proderunt ac confessio? paratus mihi illic est locus, illuc ibo, nec orare, nec dolere possum, frustra me mones.* Atque ita post triduum, sine pœnitentia mortuus est.

Bene igitur veteres pinxêre obstinationem, formā mulieris nigris indutæ vestibus, quia is color à nullo vincitur, caput habentis plenum nubibus, quia radios solis, id est, lumen veritatis arcet: Asini caput in manu habentis, quia id animal obstinatissimum est.

Sed quid tandem fiet cum eiusmodi lapidibus? Idem quod cum Pharaone & exercitu eius, de quo canit Moyses *Exod.* 15. *Descenderunt in profundum quasi lapis*; quia *cor durum malè habebit in nouissimo* Eccl. 3. Quemadmodum tauri syluestres in Æthiopia, cornua habentes mo-

mobilia, pilum in contraria versum & tergus duritie silicis, omne vulnus respuentes, omne animal venantes, non aliter nisi foueis capiuntur teste Plinio l. 8. cap. 21. ita obdurati, quia omne vulnus respuunt ob duritiem cordis: pilos in contraria versos habent, quia peccata etiam defendunt; ideò non nisi foueâ capiuntur infernali. Audi S.Bern.l.1.*de considerat. c. 2. Nemo duri cordis*, inquit, *salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo (iuxta Prophetam) cor lapideum & dedit cor carneum. Quid ergò cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum; inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentia negligens, futura non prouidens, &c.* Denique concludit: *Ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Hæc Bern. Cæterùm licet hæc ita se habeant non est tamen omninò desperandum de obstinatis, potest enim Deus Æthiopem dealbare, potest & è lapidibus filios Abrahæ excitare, potest tollere cor lapideum & dare cor carneum, vt indicauit S. Bernardus. Ad illum igitur eundum, ad illum clamandum: Percute Domine, percute silicem cordis nostri & educ aquam lachrymarum, &c.

CONCIO IV.

Quemlibet suo statu contentum esse debere.

1. *Ob has rationes, quia Dei seruus es, ratione creationis, redemptionis & vocationis.*	3. *Quia nescis quis tibi status expediat.*
2. *Quia in quocumque statu Deo placere potes.*	4. *Quia varietas statuũ est necessaria.*
	5. *Quia inferior status superiorem æquare potest.*

THEMA.

Aliud cecidit in terram bonam & ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8.

A. QVemadmodum terra mala in quam cecidit pars seminis, triplicis generis fuit: alia mala, spinosa; alia peior, petrosa; alia pessima, quæ secus viam calcata. Ita & terra bona, in quam cecidit altera pars seminis, triplicis conditionis fuit, vt habent Matthæus & Marcus: alia bona, quæ tulit fructum Trigesimum, alia melior, quæ Sexagesimum; alia optima, quæ Centesimum. Sed relictâ nunc terra mala, de bona loquemur: cuius differentias interpretantur S. Augustinus, Hieronymus, Cyprianus, statuum diuersitatem quoad merita. Quæ quidem interpretatio meritò omnibus magnam afferre cõsolationem debet; liquidem videmus dominum sementis bene contentum fuisse, licet non omnia semina centesimum, sed alia minorem & minorẽ fructum attulerint. Hoc ipso enim nobis insinuat Christus se nobiscum contentum fore quocunque in statu simus, dummodo fructum afferamus, etsi non omnea maximum. Cuius rei figura videtur fuisse, munus purificandæ mulieris cũm in templo præsentari deberet. *Leuit. 12.* vt scilicet si suscepto semine peperisset, post quadraginta dies agnũ offerret, vel si hunc non inuenerit manus eius, par turturum, aut si nec hos, tanquam rariores habere posset, duos pullus columbarum, quos etiam pro Christo oblatos putat Maldonatus *in c. 2. Luca.* Ad eundem ergo modum pro suscepto semine verbi Dei, post vitã hanc Deo in templo eius præsentandi, munus offerre debemus; Sed quale habere potuimus, siue agnum, id est, centesimum fructum; siue turtures, id est, sexagesimum: siue columbas, id est, trigesimum. Bono igitur animo estote quicunque in humili, rigido, contempto, difficili aut periculoso statu estis: quia non requiret à vobis Deus plus quàm ferre potuistis. Sed quia multis cum statu suo malè conuenire videtur, videbimus quàm immeritò de hoc conquerantur.

B. Qui de statu suo quæritur, perinde facit ac si ager quispiam conqueri vellet, quòd ipse viliori semine, vtpote auenæ vel simili consitus sit, cùm tamen alij plerique triticeo resperfi sint. Cui proinde respondeo. PRIMÒ, Agro non fieri iniuriam, quia in potestate Domini est serere in illo quod vult, vtpote in fundo suo. Pari modo omnes nos Dei serui sumus multiplici ratione, quemadmodum Dauid *Ps. 115.* fatetur: *O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.* Seruus Primò ratione creationis, qui enim potuit te muscam aut bufonem creare, vel omnino non creare sed in abysso nihili relinquere, cur non potuisset te seruum creare, vel pauperem operarium, aut agricolam &c. *O homo tu quis es*, inquit Apostolus ad Rom. 9. *qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Atqui nos figmentum Dei sumus & de limo terræ ficti: quomodo igitur non liceat illi fingere nos quales vult? alios in mensæ, alios in culinæ vasa, qui potuit nos informes deserere, vel natos mox confringere & ad parietem allidere?

I. Non fit tibi iniuria, Dei enim seruus es.

1. Ratione creationis

Quæramus enim ex aliquo seruo, operario, bubulco, imò abiectissimo quoque homuncione: Vellésne non natus esse, vel natus mox in flumen abiectus esse vel mox etiamnum interimi? vel malléne canis aut bufo creatus esse? Quis ita foret stupidus, vt hoc assereret? Atqui hæc omnia potuit tibi facere Deus: habes igitur satis magnum beneficium, quòd creatus sis saltem homo, qualiscunque tandem ille. In Histor. Ecclesiast. Concilij Constantiensis narratur apud Maiol. *to. 4. coll. 1.* de bubulco quodam; qui cùm aliquando humi repentem bufonem conspexisset, subitò exclamare & eiulare cœpit. Cumque duo Episcopi qui tum fortè hàc iter facerent, eum interrogarent, cur ita lachrymaretur; respondit se illius bufonis con-

conſpectu ſuę erga Deum ingratitudinis commonefactum, quòd nunquam in vitâ pro beneficio Creationis Deo egiſſet gratias. *Cùm enim in poteſtate Dei fuerit*, inquiens, *me aut hominem aut tam tetrum & venenatum animal creare: maluit tamen immensâ bonitate me ad imaginem ſuam cōdere. Hac iam primum cogitans cœpi execrari meam ingratitudinem veris lachrymis & gemitibus, & in poſterum promitto maiore ſtudio, me Deo gratias acturum pro ſummo ipſius beneficio.* Quo reſponſo obſtupefacti Epiſcopi ſeſe mutuò contuentes mirati ſunt tantam bubulci ſapientiam. Nec immeritò quidem; ſi enim bubulcus qui miſerrimam penè inter homines & infimam ſortitus eſt fortunam pro tanto habuit ſe hominem à Deo qualem qualem eſſe conditum: quid dixiſſet ſi non bubulcus, ſed Epiſcopus fuiſſet? Nos verò exemplo illius diſcamus ſorte noſtrâ qualicunque contenti eſſe, imò Deo gratias agere, qui longè digniore fortunâ à Deo donati ſumus.

2. *Ratione redemptionis.* Secundò, Ratione redemptionis quâ nos in ſeruos ſibi coëmit nouoque iure aſtrinxit. Iam verò quis Chriſtianus in duriſſima Turcarum & triremium ſeruitute conſtitutus, ſi à Principe quopiam Chriſtiano pretio redimatur, non libenter ei inſeruiat in quocunque etiam viliſſimo officio? Atqui Chriſtus Dominus noſter, non à Turcarum ſed Dæmonum perpetuis triremibus nos redemit & per gratiam ſuam in libertatem ſpiritûs aſſeruit, qui corpore & animo vincti tenebamur: Cur igitur detrectemus ei deſeruire quocunque tandem in miniſterio? An neſcimus quid dixerit prodigus ille in regione famis inter porcos ſeruiens? *Pater peccaui in cælum & coram te iam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Luc. 15. D. Hieronymo *ep. 156. ad Damaſc.* Aug. Bedâ & aliis teſtibus, nos ſumus prodigi illi, qui diſſipata ſubſtantia noſtra adhæſimus dæmoniacæ ſeruituti. Cùm igitur à Chriſto redempti ſimus, an non meritò ei dicamus: non ſumus digni vocari filij tui: fac nos tantùm mercenarios tuos: quocunque in ſtatu, quocunque miniſterio gratis ſeruiemus;

3. *Ratione ſpecialis obligationis, ſeu vocationis.* Tertiò, Ratione ſpecialis obligationis, quâ in Eccleſia, Dei ancillâ militamus: quod indicauit ex ſententia S. Auguſtini Dauid cùm dixit: *& filius ancillæ tuæ.* Ex quo enim per Baptiſmum in Eccleſiam Dei intrauimus, voluntatem noſtram Chriſto, quaſi per votum obedientiæ tranſcripſimus, vt quocunque tandem in ſtatu nos habere velit, ei ſeruire debeamus. Vnde ſicut in religionibus cuicumque muneri quis addicatur, ſiue rei culinariæ ſiue viſitandis ægris, ſiue familiæ alendæ, in eo ſine cōtradictione deſeruire debet; ita ſuo modo etiam membra Eccleſiæ, quæ ſpeciali cura & diſpoſitione Chriſtus regit, tamquam corpus ſuū myſticum. Vnde 1. *Cor.* 7. iubet Apoſtolus quemlibet ambulare ſicut vocatus eſt à Deo in eoque ſtatu permanere. Conijce, quæſo, oculos in cæleſtes Hierarchias, quæ licet gradu & dignitate diſtinctæ, nullum tamen, quantumuis abiectum, detrectant officium. Nec enim maior contemnit minorem, nec minor inuidet maiori, nec alter alterius vſurpat officium, ſed omnes ſuo gradu contenti, quocunque mittantur, promptiſſimè obſequuntur. Hinc enim Raphaël, vnus licet è ſeptem præcipuis, qui aſſiſtunt ante Deum, miſſus ad inſeruiendum Tobiæ in miniſteriis quæ famulorum erant, promptiſſimè miniſtrabat. *Tobiæ* 12. Eadem animi tranquillitate alij cuſtodiunt Æthiopem aut hominem prorſus amentem, quâ alius principem: gyrant alij cælum de communiore ſententia, quod munus tamen reſpectu angelicæ naturæ ignobile videtur.

SECVNDÒ, Quia Dominus agri non tam curat quale frumentum ager ferat, quàm vt id quod fert, bonum ferat: optima enim auena gratior eſt domino quàm malum triticum. Similiter quoque Deus non tam curat qualem quiſque ſtatū gerat, quàm vt in ſuo ſtatu quiſque ſe optimè gerat; ſiquidem hic eſt omnium ſtatuum ſcopus, vt Deo placeant. Tunc verò placet ſeruus Domino ſuo, cùm facit ea quæ Domino placent. Hinc ergò Ioannes Baptiſta venientibus ad ſe Publicanis & militibus, quærentibus quid ſibi faciendum eſſet, non iuſſit vt ſe officiis ſuis licet periculoſis abdicarent, ſed vt facerent quod ſibi conſtitutum eſt, nemini; nocerent *Luc.* 3. Quæ res aptiſſima ſimilitudine declarari poteſt ex Epicteto Platonico *in Enchirid. c.* 12. quemadmodum enim in comœdia variis variæ perſonæ diſtribuuntur agendæ; alij perſona Regis; alij Pontificis: alij ruſtici; alij mendici &c. Et illis quidem dantur pulchræ veſtes; his verò laceræ & ſordidæ: quorſum verò? num quia illorū perſonæ pluris æſtimantur? minimè verò. Sed propterea vt ſuam quiſque perſonam repræſentet in habitu & aptè gerat in actione, quæcunque illa ſit. Vnde qui medicum aptè agit aut ruſticum ab omnibus laudatur: qui vero principem aut Epiſcopū frigidè, ſibilis exploditur. Ita res habet in propoſito: Comœdiā omnes agimus, ſuam quiſque perſonā habet; alius ſerui, alius Domini, alius Epiſcopi, alius coqui: & ad has agēdas, veſtes quilibet appoſitas à Deo accepit: ingeniū, vires, opes, robur, poteſtatem, dignitatē, &c. In hac ſpectaculū ſumus mūdo, angelis & hominibus, vt ait Apoſtolus: nec aliud iam quærit DEVS, quàm ſuam vt perſonam quilibet rectè agat: eos enim præmiat, qui in ſua ſe vocatione bene geſſerint, damnat verò eos, qui malè. Inſpiciamus, quæſo, Lazarum mendicum & Epulonem, mirabile par actorum. Iſtum quidem veſtiuit Deus purpura & byſſo vt perſonam diuitis rectè poſſet agere: illum verò lacero centone & vlceribus repleuit, quo perſonam mendici pulchrè repræſentaret. Ac ſiquidem diues de menſa ſurrexiſſet & Lazarum ſolatus eſſet aut ſaltem per famulos pauiſſet, partes ſuas rectè egiſſet quia verò id non fecit, reprobatus & è theatro mundi exturbatus eſt. Lazarus verò, quia mendici perſonam optimè geſſit, præ foribus diuitis patienter expectando, famen tolerando; angelorum plauſibus approbatus & manibus exceptus, in ſinum

C. II. *In quocumque ſtatu bonus eſſe & Deo placere potes.*

Abrahæ portatus est. Quòd si ipse præ foribus diuitis sedens & nihil accipiens, murmurasset, diuiti maledixisset, aut Deum blasphemasset: malus actor,& vnà cum Epulone explosus fuisset. O quàm sæpe hoc contingit! Regis mancipium, Pontificis Cocus, &c. præibunt sæpe Dominis suis in regno cœlorum quia vt ait B. Gregorius, *in examine iusti Iudicis, mutat merita ordinum qualitas actionum.* Et B. Hieronymus contrà Iouin. *Cernis*, inquit, *quod Episcopus, Presbyter & Diaconus non ideò sunt beati, quia Episcopi vel Presbyteri sunt vel Diaconi, sed si virtutes habuerint nominum suorum & officiorum. Alioqui si Diaconus sanctior Episcopo suo fuerit, non ex eo quòd inferiori gradu est, apud Christum deterior erit.* hæc illic.

D. III. Nescis quis tibi status expediat, Deus scit. TERTIÒ, Quia Dominus agri bene scit, cui fructui ferendo aptus sit ager, similiter & DEVS optimè scit quis status cuique competat: *oculi enim Domini*, inquit Ecclesiasticus cap. 23. *multò plus lucidiores sunt super solem circumspicientes vias hominum.* Si tu ad biuium venias, vides quidem initia vtriusque viæ, sed non vides media & fines. Vnde nisi ab alio dirigaris, facilè aberrabis: is verò solus rectè tibi consulere poterit, qui totas videt vias. Tu quidem vides initia statuum & placent tibi illa ac dicis, quàm bene mihi foret, si prælatus, si nobilis, si Consul, si Dominus essem? Sed nescis quò te viæ illæ ducturæ essent, si eas ambulares. *Est* (enim) *via*, inquit, Sapiens Prouerb. 16. *quæ videtur homini recta & nouissima eius ducunt ad mortem.* Nouit autem solus Deus, cuius oculi circumspiciunt vias hominum, vt ait Sapiens. Exemplo sunt Abraham & Lotb. *Gen.* 13. qui cùm ob multitudinem pecorum & familiæ simul habitare pacificè non possent, dedit Abraham potestatem Lotho eligendi regionem quam vellet. Lotb igitur elegit sibi amœniorem, vt ipsi videbatur, reuerà tamen peiorem, quia habitauit in Sodomis: quæ paulò pòst euersæ sunt. Abraham verò commisit viã suam Deo & discessit à Lotb; mox verò apparens ei Deus assignauit ei Chananæam regionẽ longè meliorem & maiorem: *Omnem terram*, inquit, *quam conspicis tibi dabo & semini tuo vsque in sempiternum.* Considerabat Loth initium viæ tantùm, non exitũ, ideò in electione suâ deceptus est & in societatem pessimam incidit. Abraham Dei directionem expectabat, ideoque securè & benè habitabat. Qui non expectat ducem viæ quam ignorat, & proprio ductu progreditur, sibiipsi relinquitur, & qui in electione status os Domini non interrogat, sed proprium ductum sequitur, meritò ab ipso deseritur & errare permittitur. Contrà verò qui Dei directionem petit & sequitur, semper securum ad Deum recursum habet & quasi de iure auxilia sib. ad illam necessaria exigere potest. Propterea cum S. Dauid sedulò orandum: *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas; Tunc non confundar*, &c.

E. IV. Varietas statuum necessaria. QVARTÒ, Quia licet omnes agri alicuius Domini melius frumentum ferre possent, mauult tamen Dominus quosdam agros viliori-bus conserere; quia omni genere frumenti ac proinde etiam vilioribus indiget. Similiter & Deus ad Ecclesiæ suæ conseruationẽ varijs indiget statibus, vilioribus, dignioribus, vt alter alteri seruiat, alter alterum foueat & iuuet, hocque requirit Ecclesiæ & totius cõmunitatis tranquillitas, vinculum & subordinatio. Vt enim robur exercitus consistit in eo vt singuli stationẽ suam seruent malintque occidi quàm eam desererent à & robur Ecclesiæ quæ Cant. 6. *terribilis vt castrorum acies ordinata* dicitur, ex statuum coordinatione & cõseruatione. Dum Moyses leuat manus & orat cũ Hur & Aarone, Iosue verò cum populo pugnat, ambo vincunt. *Exod.* 17. Inde notum illud *Tu supplex ora* (clerice) *tu protege* (miles) *tuq; labora* (agricola.) Comparatur etiam Ecclesia corpori humano ab Apostolo *ad Eph.* 4. dicente. *Obsecro vos vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis cũ omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportãtes inuicem in Charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus spiritus*, &c. In corpore humano pedes sunt serui, manus operarij, stomachus coquus, pulmo calefactor, dentes molitores, lingua procurator, oculus gubernator, sensus externi mercatores, interni milites. Igitur vt omnia corporis membra sibi. inuicem seruiunt seque inuicem conseruant, quia quodlibet eorum suo munere fungitur, licet aliud sit infimum & sordido ministerio addictum vt pedes: aliud verò supremũ & nobilissimi muneris, vt oculi (quia hoc pacto & illis & toti corpori prospicitur:) ita etiam fieri necesse in corpore Christi mystico scilicet Ecclesiã. Contrà verò vt morbi & corporis dolores oriuntur ex aliquâ membrorum disiunctione eo quòd non sint in suis locis, nec officio suo pro cuiusque exigentiâ fungantur: ita & turbatio in Ecclesia vel rep. oritur ex defectu vnionis membrorum vel quòd aliqui officium suum non faciant, vel vnum alterius officium vsurpet. Rursum oculus supra pedem non se extollit, nec pes ob muneris sui vilitatem indignatur, quia nec oculus sine pede, nec pes sine oculo multum valet. Vnde 1. *Cor.* 12. dicitur: *Si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Ita faciendum & nobis. Gaudeamus quòd corporis Christi & Ecclesiæ membra simus, etiamsi pedes & infima: quemadmodũ & Theodosius Imp. dicebat, gaudere se magis quòd sit Ecclesiæ membrum, quàm quòd sit Imperator: proinde electurus potiùs esse pes in Ecclesia quàm Imperator extra Ecclesiam. Erit aliquando tempus cùm non tantùm caput, oculi, &c. sed etiam pedes in cœlum inserentur & magis quàm sol radiabunt: quis tunc non optaret vel esse minimus pedis digitus in corpore Christi?

F. V. Inferior status superiorem æquare potest. QVINTÒ, Quia ager viliori semine consitus, vilitatem seminis bonitate & quantitate compensare potest & hoc modo perfectionem agri triticei adæquare vel etiam superare. Ita enim vsuenire etiam videmus in artificiis vt multi

multi artifices propter artis suæ excellentiam celeberrimi in mundo fiant & honorentur à principibus plusquam Nobiles aut Doctores. Tametsi enim status perfectior multum iuuat ad perfectionem maiorem consequendam, fit tamen sæpenumero vt qui in statu imperfectiori est, superet aliquem, qui in perfectiori. Ita aues aliquæ in humili loco (vti Struthio) inter frutices nidificant: *stellio contrà manibus nititur & moratur in domibus regum*, vt ait Sapiens *Prouerb.* 30. In quem locum D. Greg. *l.* 6. *moral. cap.* 5. ait: *plerumque enim aues quas ad uolatum penna subleuat in uepribus resident; & stellio qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus regia adsericum tenet: quia nimirum sæpe ingeniosi quique dum negligentia torpent, in prauis actionibus remanent; & simplices, quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis leuat.* hæc Greg. Igitur reuerà multi impluuies, vt ita dicam, altiùs repunt suumque in cœlo nidum collocant, quàm alij alati volent. Ratio est, quia regnum cœlorum non datur scientiæ vel statui vel ingenio &c. sed virtuti & innocentiæ, quæ in quouis statu à quocunque obtineri potest. Vnde *Luc.* 17. quærentibus Pharisæis de regno Dei, respondit Dominus; *regnum Dei intra vos est*, q. d. vt exponit Tertull. *l.* 4. *contra Marcion. cap.* 35. & Theoph. hic in vestrâ potestate est, & in quouis reperitur, neque longâ ad eam peregrinatione opus est: id vnū requiritur vt audiatis & faciatis Dei voluntatem, sic enim regnum cœlorum facietis vestrum. Quis autem nescit ad virtutem æqualem omnibus accessum esse? Existimabat aliquando S. Petrus Regnum Dei intra gentiles esse non posse, nec ipsos fieri Deo acceptos. Ad abolēdam hanc opinionem illius apposuit ei dormiēti Dominus in mappâ comedendum omne genus quadrupedum, serpentum & auium: qui cùm abhorrens recusaret immunda comedere, statim audiuit: *Quod Deus purificauit, tu ne immundū dixeris*, sicque misit eum ad Centurionem gentilem baptizandum tanquam virum Deo acceptum. Vnde postmodum ait Petrus: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi*, Act. 10. En igitur Cēturio inuenit intra se regnum Dei, bene operando & non tantùm non ad illud proficisci debuit, sed potiùs Apostolus ad eū missus est. Similiter intra se inuenerunt regnum Dei ex plebeio statu S. Seruulus mendicus; S. Guttmannus Sartor; S. Gualuardus Clitellarius; S. Eligius Aurifaber; S. Seuerus Textor; S. Menignus Fullo, S. Simeon VValericus, Sozon pastores; S. Zacharias Sutor. Quemadmodum & ille qui montem precibus iactauit in mare in lib Exemplorum dist. 9. ex 145. apud Dauroult. Etenim *anno Domini* CXXV. *Caliphus Rex Tartarorum conatus est extirpare Christianos de regno suo, quia Christiani mixtè habitabant inter paganos. Vnum autem de consiliariis suis consuluit Regis vt omnes vinceret ex euangelio. Nam* CHRISTVS DEVS *Christianorum locutus est: si quis Christianus non hæsitauerit & dixerit monti huic; Tollere & mittere in mare, fiet ei. Qui conuocauit omnes Christianos, quæsiuit si verbum Christi & Euangelium verum sit? Respōdentibus omnibus, quod sic, statim comminatus est eu quod nisi infra decem dies hoc factū ostenderent, omnes perirent. Tunc Episcopus & Sacerdotes conuocārunt Christianos & indicto ieiunio per triduum, & orationibus intendentes rogauerunt Dominum* IESVM CHRISTVM, *vt suis fidelibus succurreret. Et reuelatum est cuidam Episcopo deuoto quod Sutor monoculus dignus esset proferre illa verba & populum Christi de periculo eruere. Qui ex humilitate renuit, & se peccatorem esse asseruit; tamen ex obedientiâ præcepto se submisit. Et Christiani ex vnâ parte steterunt & crucem Christō secum habuerunt, & Caliphus ex aliâ parte cum suo populo, qui fuerunt parati ad occidendum Christianos. Orauit autem Sutor flexis genibus ne Christus tot Christianos necari permitteret & præcepit monti, vt se tolleret: quod & statim factum est. Quo viso Rex baptizatus est & plures cum eo & sic fides roborata est & augmentata.*

CONCIO V.

Modus audiendum verbum Dei.

Primò præparanda est anima prauitā orationē.	4. *Sedulò memoriæ commendari.*
2. *Purganda compunctione.*	5. *Diligenti consideratione expendi.*
3. *Recipi debet verbum Dei cum attentione.*	6. *Auditum cum gratiarum actione retineri.*

THEMA.

Aliud cecidit in terram bonam & ortum fecit fructum centuplum. Luca. 8.

A. Magna differentia cernitur in hod. Euāgelio circa semina in agrum iacta. Alia enim perierunt; & horum aliud, quia nec radices egit: sed cùm in viam cecidisset, statim vel à volucribus raptū, vel ab hominibus conculcatum est. Aliud radices quidem, sed non altas egit: quia in petram incidit & humore destitutum, breuī exaruit. Aliud germinare cœpit & in culmum se erigere: sed simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Triplex adhæc diuersitas apparet in semine vtiliter iacto. Aliud enim fecit fructum trigesimum: aliud sexagesimum: aliud centesimum. Vnde verò, dicat aliquis, tam diuersa seminum conditio? Non equidem à semināte, qui in omnibus idem & vnus fuit. Neque etiā à semine, quod fuit vniforme. Restat ergo vt à terrā, in quā iacta semina, varietas hæc proueniat. Quā quidem re docemur, fructum verbi Dei pendere magnā ex parte à dispositione Auditoris. Qualiscunque enim sit Prædicator, modò legitimè missus; qualiscunque sit prædicatio, modò verbo Dei consona; parum id ad fructum refert. Plurimum autem refert, qualis sit Auditor. Hinc ergo, Auditores, necessarium esse duxi, methodum audiendi verbi diuini præscribere: quam duplici metaphora discemus, seminis nimirum, in terram iacti, & refectionis corporalis.

B. I. Præuia oratione.

Primò, Ante sententem præparatur terra ad recipiendum semen, præuia aratione. Ita ante concionem præparanda anima præmissâ oratione, vt detur tam Auditori cor carneum & docile, mẽs collecta & illustrata, aures apertæ: quàm ipsi Concionatori lingua erudita & soluta, memoria prompta, inprimis autem feruor & loquendi efficacia, vt doceat vtilia, loquatur ad cor nõ ad pompam &c. Potest quidẽm Concionator à seipso verba dare & aures corporis implere: Sed non item aures cordis aperire, vt Auditor ea credat, acceptet & sibi applicet Hoc enim dare Dei solius est; vt patet *Act.* 16. in Lydia purpurariâ, cuius cor (non Paulus) sed Dominus aperuisse dicitur, vt intenderet iis, quæ dicebantur à Paulo. Hæc igitur causa est, cur concionis initio oratio præmittatur, communi omnium cõsuetudine. Nã, vt ait S. Chrysostomus *de incomprehens. Dei nat. contra Anomæos. hom.* 3. *Nihil aut parum fructus capi ex homilia potest nisi oratio adiungatur. Porrò sermoni oratio debet anteire; sic Apostoli dicunt (Act. 6.) Nos in oratione & sermonis doctrina perseuerabimus. Sic Paulus facit, cùm in exordijs suarum epistolarum orat, vt perinde, quasi lumen lucerna, lux ipsa orationis regat sermonem ac dirigat.* sic ille. Nimirũ quia volucres cœli, Dæmones, insidiantur verbo Dei; Idcircò id muniri & seruari oratione debet, ne vel ab eius auditu impediamur, vel eo percepto rursum spoliemur. Ac propterea sicut volucres spectri alicuius imagine à frugibus arcẽtur: ita nos initio sermonis crucẽ fronti inscribimus ad fugandas Tartari volucres. Præmittitur oratio Dominica, quâ panem inprimis verbi diuini postulemus. Adiungitur salutatio Angelica, vt quemadmodũ angelico nuntio mediante Christus in vtero Virginis conceptus est: ita & mediante nuntio Concionatoris (qui tunc angeli officiũ gerit) Christus generetur in cordibus Auditorum; atque ita Deiparæ interuenientibus precibus & ipsi Auditores concipiant Christum in animo, quem ipsa concepit in vtero.

Idem agere solent omnes pij fideles ante refectionem corporis, præmittendo scilicet orationem seu mensæ benedictionem.

C. II. Præuia compunctione.

Secundò, Ante sementem purgatur ager à zizaniis, tribulis & spinis, eiiciuntur lapides, comminuuntur cespites. Ita si cum fructu audiri concio debeat, compunctio cordis præeat & dolor de peccatis. Tametsi enim & peccatores audire Dei verbum possunt ac debent: multò tamen maiore fructu audient, corde priùs contrito: quemadmodum & ager priùs aratro proscissus & à sentibus purgatus longè maiorẽ segetem dabit, quàm qui spinis oppletus est. Hinc Ieremiæ cap. 4. dicitur: *Nouate vobis nouale & nolite serere super spinas.* Et Iacobi 1. *Abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ in mansuetudine suscipite insitum verbum:* Nã vti cineres madidi meliùs imbibunt aquã, quàm sicci: ita verbum Dei vtiliùs & suauiùs recipitur in corde gratiâ Dei rigato & compuncto, quàm in arido & impœnitente, quod Dei gratiæ resistit. Idem ostendi potest vulgaribus exemplis. *Quis pretiosum vnguentum,* inquit S. Chrysostomus *homil.* 3. de Saul & Dauid *in vas aliquod infundi parat, non priùs ipso emundato & à sordibus purgato?* Quis iubens sibi infundi vinum, vtrum priùs elui non iubet? Quis dolium vino impleturus id non priùs emundat? Sanè quemadmodum vinum in vitro sordido, nõ eluto, minus splendet ac sapit: ita verbum Dei cordi impuro infusum. Propterea igitur ad ingressum Concionis consuetudo habet, vti ad vocem illam Concionatoris, *Amen*, vnusquisque pectus suum tundat; quo admonetur actum contritionis elicere, quo magis fiat idoneus ad verbum Dei audiendum.

Idem ostendi potest ex more accumbẽdi ad mensam. Priùs enim solemus abluere manus, quàm ad eam consideamus. Concio autem animæ refectio & mensa spiritualis est. Atque in huius rei significationem iussi sunt Israëlitæ priùs lauare vestimenta, quàm audirent legis promulgationem, *Exodi* 19.

D. III. Media attentione.

Tertiò, Proiicitur semen in agrum, non in viam publicam, nec in cloacam, &c. Ita verbum Dei recipi in corde magna attẽtione debet; vigilet animus, sileat lingua. *Si enim cùm Regis legatur litera,* ait S. Chrysost. *hom.* 14. in Gen. *vbique est silentium, omnium aures arriguntur, vt sciant, quæ regiis literis manifestentur; & quisquis vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo est: multò magis cum magno timore & tremore adstandum & altum silentium habendum & pellenda cogitationes turbulenta, vt verba Dei intelligere possimus, quò Deus approbatâ obedientiâ nostra maioribus nos muneribus remunerare dignetur.* Sic Chrysostomus. S. Augustinus *l.* 50. *homiliar. hom.* 26. tantam requirit diligentiam in audiendo verbo Dei, quanta requiritur & adhibetur ad S. Eucharistiam, ne quid de ea in terram cadat, dicens: *Non minus reus erit qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi in terram cadere negligentiâ suâ permiserit.* tum subdit: *Vellem tamen scire, si ab illa hora, qua verbum Dei prædicare cœperit, semper pretiosissimas gemmas & inaures vel annulos aureos erogare vellemus, vtrũ stare aut accipere vellent filia vestra. Sine vlla dubitatione cum grandi ambitione, quæ illis offerrentur acciperẽt. Nos ergo quia ornamẽta corporalia offerre nec possumus nec debemus, ideo non libenter audimur. Sed non est iustũ vt spiritualia ministrantes, superflui iudicemur: qui enim verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet.* hæc Augustinus. Dilatandũ igitur cor & magno appetitu hauriendum Dei verbum, velut pretiosissimum & apprimè necessarium, quo modo ab infirmis audiuntur consilia boni & probati medici. Quãta intentione, quãto studio & silentio audiretur Medicus, qui magna fide assereret se nõ modò cõtra omnes morbos etiam incurabiles remedia habere, verùm etiam ad diuitias comparandas, hostium quorumcunque insidias pellendas aliaque infortunia declinãda? At hoc præstat animæ verbũ Dei. Agnouit hoc Magdalena, & propterea ad pedes Domini tam affixa hæsit, quia ægram se cognouit & Medicum cœlestem nacta

erat,

erat. Multi quidem sunt, qui verbum Dei libenter audiunt, sed parum aut nihil inde proficiunt, quia nō audiunt ea mente, vt illud sibi applicent, cùm agros se esse nesciant. Cōtingit his, quod Æditius, qui perpetuò adsunt Sacerdotum functionibus, Missis, Baptismis, cantui, &c. nihil tamen horum ab illis vnquam addiscunt aut exercere queunt (licet facultas eis daretur) quia his non adsunt, vt eorum aliquid discant, sed tantùm vt necessaria parent. Commune multis vitium est, vt quæ in concionibus audiūt, nō sibi, sed aliis dicta existiment. Hinc dicere consueuerunt: En quàm bellè vicinus meus tactus est, quàm ad viuū hodie depictus à Concionatore! Similes hi sunt structoribus, qui aliis edulia parant & partiuntur conuiuatibus, sibique ipsis nihil reseruant. Dicūt enim: ô si corā fuisset meus vicinus! quàm præclarè depexus fuisset! quàm hoc quadrat in nostros superiores! quàm verè tacti sunt! Cōuiuas vos esse cupio, Auditores, non structores, non coquos, aut ministros: ne audiatis illud: *Quid vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem in oculo tuo non vides?* Denique attendendum non tam ad artificium vel eloquentiam Concionatoris, quàm ad spiritum & rem ipsam. Poma carpenda sunt, folia relinquenda. Negligenda vel certè modicè tantùm delibanda sunt condimenta, quæ quandoque in gratiam Auditorum & memoriæ iuuandæ adhibentur, cibi largiter sumendi sunt. Alioquin qui condimenta potiùs, quàm solidos cibos desiderat, prodit se habere stomachum destructum.

Hæc quæ dixi, obseruamus etiam in refectione corporis. Sedemus enim ad mensam, nō stamus, nō ambulamus: (quemadmodum & ad Concionem) vt quieto corpore cibum aptiùs sumamus. Adhæc seduli sumus in colligendis & sumendis panum micis: ac si quæ in terram cadunt, ilico tollimus: & peccatum crederemus eas in terra pedibus terēdas relinquere. At nónne plus est panis animæ quàm corporis?

E. IV. Sedula memoratione. QVARTÒ, Occā adhibita sepelitur quasi in agro semen & absconditur, ne rapiatur à volucribus. Ita verbum Dei auditum memoriæ commendandum, ne alioquin mox obliuioni traditum tartareis auibus in prædam cedat. Pica, vt scribit Plinius *lib. 10. c. 33.* cùm quæri ab homine nidum suum aduertit, oua sua aliò transfert, ne prole suā fraudetur. Verbum Dei nidulus ouorum est, cui insidiatur Dæmon: sedulò igitur custodiendū & alta mente reponendum est, ne per obliuionem nobis tollatur, & ita bonorum propositorum oua nunquam excludantur. Ita sanè facere consueuit Dauid, qui *Psal. 118.* ait: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Vitrum in quo aqua distillata seruatur, sedulò obstruitur, ne aquæ vis omnis euaporet. Idem debetur verbo Dei, vt, vigorem suum exserat.

Verùm obiiciet aliquis, multa nimis pro concione dici: proinde nec fieri posse, vt quis ea omnia memoriā retineat. Cui respondeo, minimè requiri, vt quis omnia obseruet & memoriæ commendet: sufficit vnicuique seligere sibi ea, quibus ipse indiget. Quemadmodum enim in conuiuio multa & varia apponuntur fercula, nemo tamen compellitur vesci de omnibus; sed potest ea quisque, quæ sibi placent, sumere, cætera aliis relinquere: ita cùm Concionator varios habeat Auditores, varias illis apponit doctrinas: non vt vnusquisque omnes illas obseruet, sed vt puncta aliquot necessaria vel commoda sibi capiat, cætera aliis, quibus fortè alia conducunt, relinquat.

Idem discere possumus ex refectione corporali. Eā enim peractā claudit sese stomachus ad concoquendos cibos, quod sanitatis signū est; quemadmodum econtrà signum afflictæ valetudinis, cibum è stomacho reiicere. *Cibus enim mentis est sermo Dei*, inquit S. Gregorius in hom. super hod. Euangel. *& quasi acceptus cibus stomacho languente reijcitur, quando auditus sermo in mētis non retinetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profectò vita desperatur.* Sanè in hod. Euāg. illi tantùm fructum afferunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent.

QVINTÒ, Maceratur & moritur quodammodò in agro semen. Ita verbum Dei auditū diligenti consideratione expendendū est, quomodo executioni mādetur. Iudæis certè præcepit Deus vt ligarent verba legis suæ in manibus suis & meditarentur in ea, cùm in domo sederent, cùm in itinere ambularent, quin & cùm irent cubitum ac consurgerent. Item vt ea non solùm ponerent in cordibus, sed etiam inter oculos collocarent & scriberent super ianuas, *Deut. 6. & 11.* Quin & Gentiles; vt leges suas firmiùs sibi imprimerent seruarentque, cantare solebant & in cantilenas vertere; vnde Cantilenæ dictæ, teste Aristotele *sect. 10. probl. prob. 28.* Quid igitur facere decet Christianos? Thus non redolet nisi in igne positum: ita nulla sacræ scripturæ sententia vim declarat suam, nisi in mente cocta. Ad intima cordis penetralia non ad ostium tantùm admittendi sunt. Legati Dei, qui sunt verba eius. Ergo cùm audis vel vno peccato mortali decretum esse infernum: cogitare ilicò debes, num forsitan in te non vnum, sed plura sint: num forsān occulta aliqua, quæ pro nihilo habes: & an adhuc peccare pergas quàm facilè labaris: & quid si in his moriaris? quàm certū & irreuocabile tuum exitium foret: quàm teipsum in inferno exosum habiturus esses &c. Idem doceri possumus è cibo corporali, quem, vt salubriter sumamus, priùs ore manducimus & dentibus conterimus, antequam traiiciamus in stomachum: futurum alioqui noxium. Benè id expressit Sapiens *Prou. 21.* dicens: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autē stultus glutit illum.* Thesaurus est verbum Dei. Os, in quo is requiescere per considerationem solet, cor est sapientis, cuiusmodi erat sapientissima Christi mater, quæ, vt dicitur Luc. 2. *Conseruabat omnia verba hæc* (quæ de Christo dicebantur) *conferens in corde suo.* Instituebat ergò secum ipsa collationem seu repetitionem quandam spiritualem, quemadmodum facere seduli studiosi post Lectionem sibi traditam solent. F. V. Adhibita ruminatione.

Quod

Quod in primis parentes & patresfamilias cũ liberis & familiis suis facere deberent. Stultus contrà est, qui nullâ adhibitâ consideratione deglutit conciones. Nihil enim inde fructus capiet.

G. VI. Cum gratiarum actione.

SEXTÒ, Semen terræ commendatum pluuiis rigatur, solis radiis fœcundatur. Ita claudere concionem Gratiarum actio debet, quâ mereri possumus Dei benedictionem vti semini iacto incrementum dare velit.

Sic etiam post mensam gratiæ Deo aguntur; quibus quodammodo Deum nobis denuo obligamus, vel saltem admonemus, vt postero die rursum pascere nos dignetur. Idẽ facimus in fine concionis, recitando orationem publicam, vti verbum Dei in nobis ex Dei benedictione multum fructum afferat. Cuius rei exẽplum scribit S. Gregorius PP. *in homil. super hod. Euang.* de paupere paralytico sui temporis, Seruolo nomine, qui Romæ sub porticu quadam iacens mendicabat, adeò miser, vt nec ad sedendum in lecto surgere, nec stare, nec manum ad os ducere, nec in latus aliud sese vertere posset. *Huic ad seruiẽdum mater cum fratre aderat, & quidquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam literas nouerat, sed scripturæ sacræ sibimet Codices emerat & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Factumq; est, vt quantum ad mensuram propriam attinet, plenè sacram scripturam disceret: cùm, sicut dixi* (inquit Gregorius) *literas funditùs ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cùm iam tempus esset, vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cumque se iam morti proximum agnouit, peregrinos viros atque in hospitalitate susceptos admonuit vt surgerent & cum eo Psalmos pro expectatione exitus sui decantarent. Cumq; cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repentè compescuit cum terrore magni clamoris dicens: Tacete. Nunquid non auditis, quanta resonant laudes in cælo? Cumq; ad easdem laudes, quas intus audierat aurem cordis intenderet: sancta illa anima à carne soluta est. Sed exeunte illâ tanta illic fragrantia odoris aspersa est, vt omnes illi, qui aderant, inæstimabili suauitate replerentur, ita vt per hoc patenter agnoscerent, quòd eam laudes, quas audierat, in cælis suscepissent.* Hæc Grægorius, qui Monachum quendam suum huic rei interfuisse scribit. Hic igitur mendicus terra illa bona fuit, quæ semen verbi diuini auidè excepit & inde fructum in patientia attulit. Iste sine manuum & pedũ vsu sapientiam addidicit, & in schola Dei mirificè profecit. Quid si hunc aliquando opponat nobis Deus ad confusionem nostram? &c.

CONCIO VI.

Quinam malâ intentione audiant Dei verbum.

1. *Audiũt aliqui (sed malè) verbum Dei vt loquantur & iudicent, quis benè vel malè personam suã egerit.*
2. *Alij vt videant, id est, sciant tantùm, non vt faciant.*
3. *Aliqui vt tangant, sine, exprobrent, & illudant.*
4. *Multi vt gustent, qui iucunda & fabulosa audire gestiunt.*
5. *Alij vt olfaciant, qui obiter tantùm audiunt & statim obliuiscuntur.*

THEMA.

Qui habet aures audiendi audiat. Luc. 8.

A. PAradoxa videtur hæc propositio: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quis enim præter surdos aures nisi ad audiendum habet? An verò aures aliquis habet ad loquendum, videndum, palpandum, gustandum, olfaciendum? Quid igitur est quod ait Dominus: *Qui habet aures audiendi audiat?* Verùm ita res habet, sicut ait Dominus: plurimi sunt, qui non audiunt verbum Dei, vt audiant; sed vel vt loquantur & iudicent, vel vt videant & sciant, vel vt tangãt & calumnientur, vel vt gustent & oblectentur, vel denique vt olfaciant. Isti profectò aures habent, sed non audiendi. Vt enim duæ sunt corporis aures in homine, duæ item cordis humani, vt scribit Galenus *lib. 6. partium c.* 15. quæ vtrimque cordi adiacent: ita duplex est auditus, alius auriũ, alius cordis. Corporis auribus quin audierint turbæ Dominum, nullum dubiũ; sed præterea cordis auribus audiri voluit Dominus. Illud auribus percipere vocatur in Scriptura ex sentẽtia S. Hier. *in c. 1. Ioëlis*: hoc verò est audire iuxta id Esa. 1. *Audite cæli & auribus percipe terra.* q. d. cœlestes viri audiunt, terreni auribus percipiunt. Quàm verò diuersa sint inter se hæc duo, & quàm necessarium sit audire Dei verbum etiã auribus cordis, ex eo colligi potest, quòd *hæc dicens Dominus, clamabat.* Clamabat enim non ad aures corporis, sed ad aures cordis, quæ in visceribus latent & arctiùs obseratæ sunt: quia hoc primum & præcipuum est quod obseruari debet, vt scilicet corde etiã audiatur verbũ Dei. Alioqui enim omnes exhortationes frustra erunt; siquidem primus hic error in audiendo verbo Dei; causa est omniũ penè reliquorum errorum, sicut si dolium in cella rimas agat: licet tu quotidie id repleas, nunquam reperietur plenum. Dolium primò resarciendum est. Miramur sæpe cur tot clamoribus Concionatorum tam parum proficiatur; sed in causa est, quia non habent aures audiendi homines. *Cor fatui quasi vas confractum,* ait Ecclesiasticus cap. 21. *omnem sapientiam non retinebit*; quod proinde resarciendum est.

B. I. Audiunt vt loquantur.

PRIMÒ, Audiunt aliqui verbum Dei vt loquantur, censeant & iudicent, quasi veniant ad comœdiam, vt iudicent quis bene vel malè per-

personam suā egerit. Sanè si quis audiret egredientium è concione iudicia, alius diceret: Non est Tullianus; alius: non habet vocem; alius: nimis prolixus est. Sed quid de emendatione? sicut erat in principio & nunc & semper. Vocatur ad concionem populus, vt instruatur & emendetur, non vt sit Iudex aut censor. At certè plurimi sunt, qui propterea conciones audiunt, vt habeant quod carpant, quasi non sui sed prædicatoris emendandi gratia auscultent. Similes Oenopolis illis, qui omnia in foro degustant vina, non vt ipsi emant, sed vt ad alios deferant quod melius sit vinū, quod deterius. Tales erant illi *Ezech.* 33. qui dicebant: *Venite & audiamus, quis sit sermo egrediens à Domino. Et veniunt ad te*, (pergit Propheta) *quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus: & audiunt sermones tuos & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos. Et es eis quasi carmen Musicum, quod suaui dulciq; sono cantitur.* Oues Christi dicunt: Venite & audiamus sermonem Domini, &c. Alij, qui oues non sunt & velut Iudices & censores veniunt, dicunt: venite & audiamus, quis sit sermo Domini. *Et sedent coram te*, ait Ezechiel, quia vti sedere Iudicum est: ita hi se verbi Dei Iudices exhibent. Et isti *vertunt verbum in canticum oris sui*, quia vti comici & cantores profani non canunt vt pascant suas, sed aliorum aures, traducendo alios. Et est eis *quasi carmen Musicum*, quia de concione iudicant non secus ac de templi musica vel comœdia in quibus ad Cantores tantùm & actores attendunt & de iis iudicium ferunt. Sic Pharisæi audierunt Christum vt caperent in sermone. *Matth.* 22. Eòdem pertinent, qui idcircò audiunt, non vt ipsi sibi applicent, sed aliis: similes gallinæ, quæ grana inuestigata pullis dat, ipsa interim esurit. Verè enim S. Gregorius *l.* 1. *Moral.* ait: *Verba Dei tunc veraciter intelligit, cùm in eis seipsam quærit.*

C. II. Audiunt vt videant. SECVNDÒ, Audiunt alij vt videant, id est, sciant tantùm, non vt faciant: de quibus Augustinus *in Psal.* 118. ait: *Verba Dei tenendo agunt quidam ne obliuiscantur, nec agunt viuendo ne obliuiscantur.* Nonne stultus foret æger ille, qui sollicitus de bono Medico, vbi enim nactus est, sedulò discit ægritudinis suæ statū & remedia, quibus curari queat: laudat illum vehementer & remuneratur? Et tamen non curat adhibere remedia sibi ab eo præscripta? Sic Balthasar cùm vidisset Dei minas scribentis ad parietem, vocat sapientes & Danielem, sollicitè inuestigans scripturæ interpretationem. Quā cùm intellexisset sibi portendere mox interitū, nihil inde permotus est ad correctionem, nec gemitum edidit, sed admiratus solùm Danielis sapientiam eumque purpurā induit & tertium, in regno fecit, *Dan.* 5. ipse eādem nocte occisus est. Si princeps aliquis hoc belli tempore instrueret & augeret armamentarium suū, omni armorū genere; & interim de milite non cogitaret: profectò malè sibi consuleret. Nihilo sanius agit ille, qui intellectum tantùm suum spiritualibus doctrinarum armis munit, manus verò suas non adhibet ad operandum. Huius rei typus erant, pincerna & pistor Pharaonis *Genes.* 40. quorum iste somniabat, gestare se super caput tria canistra farinæ, è quibus comederent volucres: alter verò tenere se in manu calicem & porrigere Regi suo atque exprimere in illum vuas. Porrò Iosepho interprete, pistori suspendium, pincernæ absolutio denotabatur. Pistor ille typus illorum est, qui verbum Dei veluti farinam supra caput tollunt, dū intellectu solùm id apprehendere student, quod profectò deuorabunt aues illæ Diabolicæ quę in hodierno Euangelio comederunt semen secus viam iacens. Pincerna manu calicem tenens & Pharaoni propinans, eos denotat, qui Dei verbum manibus etiam terunt & exequuntur. Actio igitur auditui coniungenda est. Vt enim Verbum diuinum nunquam non producit Spiritum sanctum qui est amor, pari ratione verbum prædicatum producere debet Spiritum sanctum in cordibus nostris, non tantùm illuminare.

TERTIÒ, Audiunt alij vt tangant, id est, exprobrent, cachinnentur & illudant, quibus *Psal.* 104. dicitur: *nolite tangere Christos meos & in prophetis meis nolite malignari.* Tangunt enim Christos qui prædicatorum dicta subsannant & veluti profanis digitis sacra attingunt: malignantur; qui ea malignè & perperam vsurpāt vel exponunt. Iā si nefas est Laico tangere res sacratas, ne dicam profanare: cur non item irreuerenter tractare & vsurpare verbum Dei? Certè hi sunt, qui in hodierno Euāgelio conculcant verbum Dei pedibus, dum abiectè de eo loquuntur & cachinnantur. Iam alibi obseruauimus quod seuerè scribit S. Augustinus *in libro* 50 *homiliarum hom.* 16. *Quid vobis*, inquit, *plus esse videtur? verbum Dei, an corpus Christi? Si verum vultis respondere, hoc vtique dicere debetis, quòd non sit minus verbum Dei, quàm corpus Christi.* Et ratio in promptu est, nam propterea induit corpus humanum Deus, vt nobis loqui humaniter posset, & cœli viam commonstrare, iuxta id *Luc.* 4. & *Esa.*61. *Euāgelizare pauperibus misit me.* Iam si veneramur linguā, dentes & guttur Christi, quæ instrumenta loquelæ fuerunt, cur non ipsa eius verba, instrumentis illis fabrefacta? si malleum & similia instrumenta, quibus conficitur horologium, custodis, cur non & horologium ipsum? Certè Dominus ipse verba Dei margaritas & Sanctum vocat, vetatque canibus dari & proiici ante porcos. Matth. 7. *Nolite*, inquit, *dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis & conuersi dirumpant vos. Canibus*, inquit, Gregorius Nazian. orat. 1. *sancta proijcimus atque ad porcorum pedes margaritas mittimus, profanis auribus & animis doctrinam diuinam eiulgantes.* Sanctum dicitur verbum Dei per eminentiam quasi plenissimum sanctitate, quemadmodum & ipsemet Christus ab angelo vocatur Sanctum Luc. 1. *Margarita*, ait Hieron. l. 2. de serm. c. 31. *quæcunque spiritualia magni æstimanda sunt. Et quia in abdito latent, tanquam de profundo eruuntur & allegoriarum integumentis quasi apertis conchis inueniuntur.* Igitur vti D. III. Audiunt vt tangant.

sancta

ſancta cautè & honorificè inuolui ſolent & margaritæ conchis incluſæ in profundo maris latent: ita par eſt tractari & aſſeruari verbum Dei. Verùm vti canes monſtrantibus ſibi baculum aut lapidem oblatrāt magiſque exacerbantur: Similiter vti porci ſi pro glandibus vniones eis obiectares, oggrunnirent & infeſti fierent: Ita faciunt detractores & ſanniones. Siue enim minetur concionator baculis Scripturæ: ſiue pretioſas ſcripturarum ſententias ſuauiter exponat: ſemper inuenit qui canum inſtar illos mordeant & oblatrent: & qui porcorum inſtar ſacra conculcent, rideant & contemnant. Tales erant Principes ſacerdotum & populus. 2. Par. vlt. qui *ſubſannabant nuntios Dei & paruì pendebant ſermones eius, illudebantque prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum eius & eſſet nulla curatio. Adduxit enim ſuper eos regem Chaldæorum & interfecit iuuenes eorum in gladio in domo ſanctuarij ſui: non eſt miſertus adoleſcentis & virginis & ſenis nec decrepiti quidem, ſed omnes tradidit in manibus eius.* Et ſiquis euaſit gladium ductus eſt in Babylonem captiuus. Theopompus hiſtoricus cùm ex veteri teſtamento quædam profanæ ſuæ hiſtoriæ ridiculè conaretur inſerere, ſubitò in terram decidens inſanire cœpit. Refert Euſeb. Cæſar. *l. 8. de pra. Euang.* qui & addit, Theodorum quendam Tragicū, qui idem in tragœdia quadam attentabat, continuò cæcitate percuſſum fuiſſe. Sed mirabile eſt, quòd nunquam ita vapulet Concionator auditorum linguis, quàm cùm eorū vitia perſtringit. Diſputatiuæ & altæ ſpeculationes pro concione libenter audiuntur & laudantur; ſed cùm vitia præſertim in particulari exagitantur, tū incipiunt murmura, fulgura & tantùm non fulmina. Mirabile id quidem; ſiquidem in omni arte laudatur ſcopi & finis conſecutio. Si enim baliſtâ quis iaculatur, nihil aliud cupit, quàm ſcopum attingere, & vbi attigerit laudatur: ſi errat irridetur. Solus prædicator tunc laudatur, & approbatur, cùm à ſcopo ſuo, qui eſt morum correctio, aberrat, cùm extra propoſitū peregrina & ſublimia tractat, adeoque altè nimis iaculatur & neminem tangit.

E. IV. Audiunt vt guſtēt. QVARTÒ, Audiunt alij vt guſtent, qui ea tantùm audire geſtiunt, quæ iucunda & fabuloſa adeoque ad guſtum ipſorum ſunt, quibus loquitur Apoſtolus 2. Tim. 4. *à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Apponuntur etiam in conuiuiis vina dulcia & noua, ſed in paruâ quantitate, quia eorum copia non conducit: Ita etiam pro concione dicuntur aliqua iucunda: ſed non iis inhærendum; ſunt enim velut ſaccharum & vehiculum medicinæ. Sunt condimenta cibi tantùm ideò apposita quia delicatus eſt ſtomachus hominū huius temporis & vetera mox faſtidit, noua ſemper quærit. Iam verò qui cōdimenta ſolùm deſiderant, ſimiles ſunt Iſraëlitis illis, qui cæpe & allia (quæ condimenta potiùs ciborum, quā cibi ſunt) deſiderarunt, *Num.* 11. Similes apibus, quæ aliis præteritis, floribus tantùm inſident & inde mel decerpunt: ita enim illi pulchrè dicta tantùm obſeruant. Similes vaſi hederaceo, ex hederæ ligno confecto, quod Plinio teſte *libro 16. c. 35.* & Pierio *l. 51.* vinū defæcatū non retinet, & ſi infundatur vinum aqua mixtum, aquam retinet, vinum per poros effluere ſinit. Ita iſti ſanam doctrinam non recipiunt, dulcem & inanem quærunt. Vnde *Act.* 17. ſpernunt Paulum & ſeminiuerbiū vocant; ſed quæ interdum admiſcentur faceta, fabuloſa, curioſa, illa retinent, extollunt, commendant. Tales fuiſſe Græcos, teſtatur Apoſtolus 1. *Cor.* 1. qui ſapientiam quærebant. Et patet ex Demoſthene, qui coram Iudicibus Græcis aliquando capitis cauſam pro reo dicens, videnſque Iudices aliò conuerſos & ſermocinantes, nihil ad ea, quæ dicebantur, attendere: deſerto argumento, fabulam de vmbrâ aſini narrare cœpit, dicens: Quidam cōduxerat aſinum, quo Athenis veheretur Megaram: in itinere ardēte ſole meridie non habens aliud vmbraculū, depoſitis clitellis ſub aſino ſedens, eiūs vmbrâ ſemet obtegebat. Cæterùm id Agaſo non ſinebat hominem inde depellens, clamanſque aſinum eſſe locatum, non aſini vmbram. Alter item ex aduerſo tendebat, aſſeuerans etiā aſini vmbram conductam eſſe. A rixa ventum ad verbera, inde ad ius & tribunal. Hæc locutus Demoſthenes, repente deſcendit, & diſceſſit. Reuocatus à iudicibus vt reliquum fabulæ enarraret, ait: Itáne de aſini vmbra libet audire, viri verò de vita periclitantis cauſam audire grauamini? refert Ariſtophanes in Veſpis. Plut. in vita Demoſthenis. Atque hos ipſos Apoſtolus 2. *Cor.* 2. vocat adulterantes verbum Dei; quia ſcilicet vti adulter nō intendit generationem prolis per adulterium, ſed tantùm voluptatem libidinis: ita etiā illi in verbo Dei ſiue audiendo ſiue prædicando, ad guſtum & iucunditatem attendunt; non ad fructum & emendationem. Quæ certè non parua inſipientia eſt, qualis infantum, qui picturas tantùm literarum mirantur, literas non æſtimant. *Quid iudicij nobis foret*; ait P. Alphonſus Rodriq. p. 1. exerc. tract. 1. cap. 19. *de tali infirmo, qui veniente Chirurgo ad eximendum ſanguinem, nollet id permittere, ſed animo oculisq; tantùm defixus in inſtrumenta artis, diceret; ò quam bellum ſcalprum chirurgicum, quàm elegans nouacula! Vbi facta ſunt hæc omnia? infelix, quid hæc ad te? brachium exere, ſanitas tua quæritur, non iſthæc ſupellex. Tales ſunt & iſti, qui verborum dumtaxat folia artificiumq; dicendi, non autem ad dictorum ſuccum, neruum, ſubſtantiamque, quæ ipſis neceſſaria eſt ad profectum, attendunt. Rectè hi conferuntur cum cribro, quod granula floremque farinæ tranſmittit, ſolū retentis paleis. Narrant diuina literæ,* Eſdr. 2. *quòd Eſdra prælegente librum legis populo, tantus in eo planctus & clamor fit excitatus, vt compulſi ſint Leuitæ quietem ſilentiumque populo imperare, vt Eſdras poſſet lectionem legis proſequi. In quantam, Deus bone, hæc noſtram cedunt confuſionem & ignominiam, qui à gente illâ Iudaicâ tantum adhuc abſumus?*

F. V. Audiunt vt olfaciant. QVINTÒ, Audiunt alij vt olfaciant, qui obiter tatùm audiunt & mox obliuiſcuntur, quaſi ſufficiat audiſſe & nihil aliud ſuperſit. Sed quæro ex te: poteſne tu ſatiari ex odore ciborum?

Cume-

Comedere vis cibos, non odorari tantùm. At qui audire quidem Dei verbum, nō facere volunt, olfaciunt, non edunt. Istos S. Iacobus in *ep. can. c.* 1. comparat viro cōsideranti se in speculo. Nam mulier ideò speculum inspicit, vt deformitates emendet: vir non item. Verbum Dei speculū est repræsentans seipsum cuius. Sed multi id inspiciunt virorum instar, qui licet aliqua ex cōcione narrare sciant, ea tamen opere præstare non curant. Propterea *Exodi* 38, fecit Moyses labrum æneum de speculis mulierum ad ostium tabernaculi; quia scilicet voluit Deus, vt qui lauari à sordibus vellet, per Dei verbum id ageret, ad instar mulierū, quæ considerantes se in speculis maculas abstergūt. Eiusmodi mulier fuit matrona illa, de qua Ioan. David. *in Virid. Christ. cap.* 97. Ea requirēs à domesticis, num concio esset facta? illisque respondētibus, factam esse, eò quòd interfuissent, unò notabilia quædam ex ea proferrent: *Dicta est*, inquid, *sed necdum facta est cancio; superest eam nunc faciamus & quæ audistis opere adimpleare.* Eiusmodi erant Auditores illi, qui in festo Pentecostes concione Petri auditā dixerunt: *quid faciemus? act.* 2. Quibus respondit Petrus: *Pœnitentiam agite.* Fuerunt autē isti, qui non ita pridem in Christi necem conspirauerant. At quid nunc Christiani multi referunt ex concionibus? forsan vnum alterumve dictum elegantius, prouerbiū aut historiolam, quam quidem domi recensent, sed nequaquam sibi applicant. Quos quidem Plutarchus ait similes esse iis; qui intrantes vel transeuntes hortum floribus consitum, vnum tantùm aut alterum flosculum decerpunt, vt eum aliquamdiu naribus admoueant & odorentur: ex quibus alij, vt medici & pharmacopolæ conficere solent præstantia pharmaca. Ecce tibi aures vel Ethnico homine teste, non ad audiendum, sed ad odorandum solummodò apertas. Quid igitur restat, Auditores, nisi vt emendemus & purgemus aures nostras à tam noxiis defectibus? Maneant ergò aures intra sphæram actinitatis suæ & ita audiant verbum Dei, vt ad aures cordis perferant ad faciendum fructum trigesimum, sexagesimum, centesimum.

CONCIO VII.

Quare Christus clamauerit: qui habet aures audiendi audiat: siue de iactura verbi Dei.

1. *Clamauit Christus propter verbi Dei præstantiam.*	4. *Propter periculum imminens non habentibus aures audiendi verbum Dei.*
2. *Ob verbi & laboris dispendium.*	5. *Ad contestandam innocentiam suam.*
3. *Ob hominum peruersitatem.*	

THEMA.

Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat. Luc. 8.

NEmo sanæ mentis facilè clamat, nisi vrgentem clamandi causam habeat. Quod si homo prudens sine causâ non clamat, multò minùs Deus sapientissimus. Clamat autē Deus in hodierno Euangelio: *Qui habet aures audiendi audiat.* Maximâ igitur absque dubio & consideratione dignissimam habuit clamandi causam, Ea verò facilè ex Euangelio eruitur: clamat enim ex dolore, quòd semen verbi Dei pereat. Res profectò mira. Non clamauit enim Dominus, quando flagellabatur, coronabatur spinis, cruci figebatur; & clamat cùm verbum suum in nobis perire videt: an quia maior est hic dolor ipsi, quàm passio fuit? Et quidem verbis illis: *Qui habet aures audiendi audiat*, quinquies vsus est Dominus: Nullibi autem ea cum clamore protulit, præterquam in hoc Euangelio. An quia auditio verbi diuini res omnium maximè necessaria est & fundamentum Christianæ perfectionis ac salutis, eiusque iactura damnum omnium maximè deplorandum? Ita omninò. Sed quia hoc pauci agnoscunt, id Domino præstante ostendemus.

Clamat PRIMÒ, Propter verbi Dei præstantiam, vt homines ad illud audiendum excitet & auditores attentos reddat. Videmus in foro sæpe circūforaneos totâ die ad ravim vsque clamantes & Aquæ vitæ præstantiam iactantes, nec non plures iis auscultantes pecuniasque suas pro aquis illis expendentes. Et ad quid est illa aqua? fortè ad confortandum stomachum aut pellendum noxium aērem &c. O rem magnam, quæ tantos excitat clamores, tot attrahit auditores & emptores, quasi salus integræ orbis inde penderet! Et quid est verbum Dei? Aqua viua, saliens in vitam æternā. Christo attestante ad Samaritanam *Ioan.* 4. cùm ait: *Si scires donum Dei & quis est qui ti dicit; da mihi bibere* (similiter si auditores intelligerent aquæ illius vim, & quis loquatur in concionatore) *tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuā.* Aquam videlicet *sapientiæ salutaris*, vt vocat *Eccles. c.* 15. & intelligit Theodoretus. Hæc Aqua vitæ potata à pestilenti peccatorum aëre præseruat, hæc confortat animam contra omnes tentationes incurrentes, abluit cōscientiæ maculas, dum hominem ad contritionem & pœnitentiam instigat: fœcundat & inebriat agrum cordis nostri, vt plurimos virtutum flores & bonorum operum fructus faciat: recreat & refrigerat æstuantem hominem, quod sensit Petrus cùm dixit: *Domine quò ibimus? verba vitæ æternæ habes. Ioan.* 6. Adhæc in vitā æternā salit, id est, audientem salire facit. Quoniam igitur hæc aqua tam pretiosa est, meritò ad eam homines clamando inuitat Christus. Sic enim & *Ioan.* 7. in die festiuitatis magno, clamauit: *si quis sitit, veniat ad me & bibat.* In quæ verba S. Chrysost. *hom.* 50. ait: *Sitim intellexit verbi Dei.* Et iterum: *qui sitiunt, pocalum quam cupidissimè hauriunt & ita recreantur.* Ita etiam decet vt simili cupiditate verbum Dei sudiatur, est enim non minus necessarium animæ, quàm aqua corpori. Hinc cùm maximū minatur supplicium Deus, minatur penuriam verbi Dei, vti *Amos* 8. dicens: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famem panis, neque*

Ba I. Ob verbi diuini præstantiam.

sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab aquilone vsque ad Orientem circuibunt quærentes verbum Domini & non inuenient. Id quod euenit hæreticis, qui cùm nunquam purum Dei verbum audiant, nunquam conuertuntur dum viuunt. Quemadmodum apud Romanos grauissima erat pœna, aquæ & ignis interdictio, ex qua necessariò ciuis migrare in exilium & vrbe excedere cogebatur: ita etiam in Ecclesia Dei grauissimum est supplicium plecti penuriâ verbi Dei; sic enim paulò post è gratia Dei homines excidunt & ad Dæmonis seruitutem ac multoties in hæresin exulant. Vnde Ecclesia nemini hoc suppliciū vnquam infligit, ob eius atrocitatem. Interdicit enim aliquibus reis vsum sacramentorum, auditionem S. Missæ, conuersationem cum fidelibus, non tamen interdicit eis auditum verbi Dei; quia hoc aliud non esset, quàm infantulo subtrahere alimentum, sine quo diu vitam seruare nequit. Ne miretur igitur quisquam, quòd tam sæpè & tam ardenter concionatores clamant contra eos, qui verbum Dei non rectè vel omninò non audiunt; vident enim quanti res sit momenti, quanti pretij, quantæ necessitatis verbum Dei: vident quantùm id sitire debeant homines, licet ipsi non sitiant. Et propterea clamare eos iubet Deus per Isaiam cap. 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuā.* Propterea Apostolus tam seriò iniungit Timotheo & omnibus concionatoribus; *testificans coram Deo & Christo IESV, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentū ipsius & regnum eius: Prædica verbū, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patiētia & doctrinâ.* 2. Tim. 4. Quid quod ipse damnatus Epulo, postquam in inferno guttam aquæ pro se obtinere nō potuit clamans rogat Abrahamum vt mittat Lazarum ad 5. fratres suos ad prædicandum & testandum illis supplicium suum ne & ipsi veniant in eum locū tormentorum *Luc.* 16. Bone Deus, dānatus clamat rogās vt prædicetur viuis verbum Dei, ne damnētur: & nō clamabunt concionatores nec audientur ab hominibus? Et audeat adhuc aliquis dicere, sibi necessarias non esse conciones? Clamabunt aliquando in nos fideles, si eis non prædicauerimus, vnde Apostolus dixit: *Væ mihi est, si non euangelizauero.* 1. Cor. 9. Et clamabimus vicissim in illos, si nos audire noluerint.

C. II. Ob verbi & laboris iacturam.

SECVNDÒ, Propter seminis iacti & laboris suscepti dispendium. Quomodo enim non clamet, videns tam pretiosi seminis non nisi quartam partem cadere in terram bonam, reliquas omnes perire? Quis enim agrum illum coleret, qui non nisi quarto anno fructum afferret, vel non nisi quartam partem, & in quo semper tres perirent? Et si clamat, quòd aliqui verbum Dei sine fructu recipiunt, quomodo non clamaret in eos, qui omnino id non recipiunt? si clamet in eos, qui habent aures, sed non audiendi; quomodo non clamaret in eos, qui omninò non habent aures? sanè qui ad nuptias & cœnam suam vocauit inuitatos per seruos suos, illis venire nolentibus vehementer iratus est & partim perdidit illos ac ciuitatem eorum succendit, *Matth.* 22. partim iurauit neminem eorum gustaturum cœnam suam *Luc.* 14. Vocat DEVS homines ad cœnam & nuptias gloriæ suæ per verbi Dei præcones: illique abeunt in omnes terræ angulos & clamant vsque ad nauseam, tota quoque hebdomade cogitant, quomodo mandatum regis sui proponere aptè queant vt persuadeant inuitatis epulum nuptiale: sed interim quid fit? Idipsum quod Abderitarum Oratori, qui cùm diu multùmque apud Agidem Lacedæmoniorum Regem perorâsset, nihil aliud effecit, nec responsi accepit, quàm illud: *Quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me silentem audisse dicito.* Plut. *in Lacon. apopht.* Tantundem efficit vt plurimùm concionator: quamdiu ille locutus, tamdiu & auditus est; præterea nihil. Quæ res adeò indigna est, vt clamoribus contestanda & inculcanda fuerit. Imò præcepit Dominus discipulis suis talibus prædicandum non esse, Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus neque mittatis margaritas vestras antè porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.* Id verò facimus *prophanis auribus & animis*, vt ait Gregor. Nazianz. orat. 1. *doctrinam diuinam diuulgantes.* Quis enim neget tales esse porcos primò qui transeunt iuxta margaritas concionum, nec aspicere eas dignantur: deinde qui cùm audierint, eas derident, iudicant, vel ad profanos iocos applicant atque ita pedibus suis conculcant? denique qui audiunt quidem, sed rostro tantū suo voluunt, non tamen ad cor transmittunt? Sanè verbi Dei contemptus causa est, cur Deus ab hominibus omninò recedat. Ita enim quia Iudæi repulerunt illud, conuersi sunt Apostoli ad gentes. Et quia priore sæculo idipsum Germania in multis partibus repulit, translatum est ad nouum orbem. Quod & nobis est metuendum. S. Antonius de Paduâ, cùm homines eum audire nollent, abierat aliquando ad prædicandum piscibus, qui in flumine ad Ariminum certatim adnatarunt, quasi illum audituri; quod factum ad confusionem hominum. Nunc verò necesse aliquando foret prædicare canibus quorum interdum plures in templo sunt, quàm homines.

Accedit, quòd iactura verbi Dei non auditi nequit per pœnitentiam resarciri, quod tamen in alijs fit. Nam tametsi de negligentia audiendi verbi Dei conteraris & absoluaris; non tamen ideò recuperas doctrinam, quam neglexisti: manebis enim adhuc ignorans vincibiliter & expositus multis peccandi periculis: Sicut discipulus, qui se de diuturna absentiâ purgat apud Magistrum suum, recipietur quidem, sed manebit alijs indoctior, nec recuperabit doctrinas se absente traditas: nisi ardente studio adhibito compenset, quod neglexit.

D. III. Ob hominum peruersitatem.

TERTIÒ, Propter hominum peruersitatem, quâ verbum Dei respuunt vel sine fructu audiunt. Quod enim non omnia semina iacta, sed quartum tantùm creuerit, non fuit in causâ seminator, nec defectus solis aut pluuiæ, sed defectus

fectus agri. Vnde Chrysostomus *homil. 45. in matth* ait: *Maior pars seminis amissa est, non seminantis causa, sed suscipientis culpa terra, &c.* Aliquorum est enim ingens cæcitas, qui diligunt magis spinas diuitiarum & voluptatum, quàm rosas verbi Dei. Tametsi verò sciunt & experiuntur diuitias & voluptates spinas esse in acquirendo, retinendo, perdendo, & animum ad plurima peccata illicere ac propemodum trahere: præterea perpetuò in conscientia remorsum gignere, nec beare hominem vlla ratione posse: nihilominus quando verbum Dei auditum, cum diuitiis & voluptatibus eorum pugnat, diuitias præponunt verbo Dei quod solum potest saluare animas. Quis hoc nō cernit fieri passim his tēporibus vbi pro lucro & diuitiis, curritur, equitatur, nauigatur, non tantùm ferialibus, sed festiuis etiam diebus, neglectâ interim S. Missâ, concione & salutarium sacrorū vsu? Quid hoc est nisi spinas arripere; rosas negligere? Et quis patentum non clamat contra filium, videns eum pro pila arripere cultellum acutum, quo velut cum pilâ ludat? cultellus acutus sunt diuitiæ & voluptates, quibus plerique hominum, dum ludunt, grauissimè & sæpissimè se vulnerant.

Aliorum est supina negligentia, qui vel pedem leuare nolunt eùm proximè Ecclesiam habitent, vt verbum Dei audiāt vel vt auditū in corde seruēt, domi ruminent & in opus redigant: sed mox effluere de memoria sinunt, satis sibi esse putantes quòd concione interfuerint & aures adhibuerint. Et hi quidem iuxta viam cœli sunt, id est, prope illam, sed non in via ipsa, quod magis deplorandum & clamoribus arguendum. Quemadmodum enim sine dubio magis arguentur in Iudicio magisque in seipsos frement in inferno Christiani quòd in Ecclesia, iuxta viam salutis fuerint educati, eā agnouerint, adeò tamen vicinam & notam ingressi non sint, quàm infideles qui longè ab ea distabant: ita magis etiam obiurgandi sunt clamoribus, qui cùm plurimas occasiones habuerint indagandi viam cœli adeoque iuxta eam sederint, interim tamen non quæsierunt. Quod idem dicendum de iis, qui auditum Dei verbum & concepta bona proposita tam facilè iterum elabi sinunt, obliuiscuntur aut suffocant: sicuti miserior & reprehensibilior est, qui frustra laborat, quàm qui omnino non laborat. Clamat igitur Dominus, ne quis seipsum decipiat, putādo satis esse quomodocumque audiat verbum Dei. Quid, quæso, diceremus, si quem videremus pretiosum vinum dolio infundentem, aperto infrà epistomio vnde vinum omne iterum mox efflueret? nónne eum obiurgaremus clamoribus: Quid facis insane? quid ita vinum perdis? claude inferiùs canalem, vnde vinum effluit, quod infundis. Atqui hoc ipsissimum faciunt, qui verbū Dei non retinent, nec opere ea exercere student, sed satis sibi existimant, si audierint: similes illi Balthasari, qui audiens à Daniele interpretationem diuinæ contra se scriptæ sententię, Danielem quidem admiratus est & honorauit, interim tamen non ingemuit, non orauit, non pœnituit. *Dan. 5.* Certè pecuniam nostram in marsupio diligenter obligamus, ne effundatur: verbum autem Dei auro & topazio præstantius sinimus mox effluere; velut clepsydræ arenam.

Aliorū est indurata malitia, qui etiam verbo Dei salutifero resistunt & omnem præcludunt aditum, nolentes instrui vel ob vitia taxari. Et hi petrosum cor habent, quemadmodum Iudæi illi, qui instar aspidis continuerunt aures suas, ne audirent Stephanum prædicantem & scelera eorum arguentem *Act. 7.* Planè omnium dignissimi, qui clamoribus obiurgentur tanquam surdastri & à Deo longè remoti, quemadmodum & filius æger meritò redarguitur à matre, qui nullum admittere vult pharmacum, nullum cibum. Noui virum maniâ laborantem, qui aliquando traditus custodiæ, fores obstruxit ne quis ad eum ingredi & cibum ei afferre posset: qui & periisset nisi vi effractæ fores essent. Nihil aliud faciunt; qui verbo Dei resistunt idque admittere nolunt. Obstruunt enim Deo optimo parenti & Medico fores, ne ad se intrare, cibum illis & medicinam afferre possit: nónne igitur clamore & reprehensione digni? venit aliquando Christus (qui quacumque ibat, ægros curabat, beneficia spargebat: & vt Apostolus ait, *pertransiit benefaciendo*) ad portas Samariæ, ingressurus ciuitatem, haud dubiè vt eos doceret, curaret, saluaret, &c. at ciues non receperunt eum. Ob quam væsaniam indignati filij Tonitrui Iacobus & Ioannes tonare cæperunt contra eos & dicere. *Domine vis dicimus vt descendat ignis de cœlo & consumat illos?* Luc. 9. Iam verò quàm multi tales, qui cùm incipit concio incipiunt dormire & ad somnum se componere, vel alia impertinentia legere aut aliis cogitationibus mentem occupare aut omnino è templo egredi! An verò hoc non est Christo fores obstruere? an non clamore dignum?

QVARTÒ, Propter certissimum & grauissimum periculum, imminens iis, qui no habent aures audiendi verbum Dei. Vidit enim Christus tales illi ipsi periculo expositos esse, in quod ceciderunt semina in terram malam iacta. Vnum illorum *cecidit secus viam & conculcatum est ac* deuoratum à volucribus: *Aliud cecidit inter spinas & suffocatum est*: Aliud supra petram *& aruit, quia non habebat humorem.* Hoc totum eueniet etiam homini, qui verbum Dei non audit siue corporis siue cordis auribus. Qualis enim est virtus vegetatiua arboris, talis est & arbor: & quale est verbum Dei in homine, talis & homo. Igitur qui verbum Dei non audit, nec prout decet; in via sæculi est, omnibus peccandi periculis expositus; sicut arbor iuxta viam posita prætereuntium verberibus. Cor habet omnibus peruium erroribus imò Dæmonibus ipsis, & conculcatur quia destitutus armis spiritualibus à tentationibus quibuscunque facilè vincitur & victus calcatur, tandemque à dæmonibus deuoratur, quia in via perditionis est. Idem etiam suffocatur à

E. IV. Ob imminens eorū malum.

sæcularibus negotiis, à quibus per verbi Dei auditionem respiramus & vires animæ colligimus ne opprimamur: Idem denique arescit & omnibus bonis cogitationibus, desideriis & consiliis destitutus paulatim deficit & arescit, iuxta id Psal.101. *Aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum.* Quæ omnia vidit Christus, etsi tu fortasse non vides: propterea clamauit vt à tam grandi periculo te eriperet. Quid enim tu faceres, si videres viatores equites flumen traiicientes loco periculoso, & à vado ordinario aberrantes: quid, inquiam, diceres, si videres vnum post alterum flumen adequitantem absorberi & perire? Nónne clamares: hác, hac itote, hic vadū est: illic vortex & exitiū. Cōsimiliter fecit Christus, qui cùm videret plerosque homines aberrare à vado, & sequi vortices ac præcipitia, dum sequuntur ferè solùm diuitias, honores, voluptates: verum autem cœli tramitem, Dei videlicet verbum negligunt, à flumine absorberi & in præcipitia certatim ruere; ideò clamauit in hac parabola: *qui habet aures audiendi audiat* q. d. qui securè vult traiicere fluuium tentationū huius vitæ, sequatur vadum verbi Dei, vbi aqua clara & minimè profunda ostendit fundum & securos ad cœlum ducit.

F. V. Ad contestandā innocentiā suam.

QVINTÒ, Ad contestandam innocentiam suam, nostram verò culpam & iustissimam punitionem, si non audierimus: vt qui nihil non fecerit ad rem tam necessariam nobis persuadendam, iuxta id Psal.68. *laboraui clamans, rauca facta sunt fauces meæ.* Ita enim & Moyses ante mortem suam audientibus omnibus Israëlitis ac proinde clamore magno eos contestatus est vt obseruarent legem Dei, Deut. 31. & 32. ita incipiēs: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Igitur eo clamore Dominus lauat manus suas super nos contestans se nos seriò monuisse vt audiremus Dei verbum; & propterea minimè nos excusandos in Iudicio: iuxta id: *si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ioan. 15. Hoc ipsum etiam facere præcepit Apostolis sub alio ritu *Matth.* 10. dicens: *quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis; tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhaeorum in die iudicij quàm illi ciuitati.* Hoc enim facere præcepit in testimonium supra illos vt indicarent se innocentes omnem culpam in illos reiicere, qui audire eos noluerunt. Vnde *Luc.*10. dicitur: *Etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra extergimus in vos.* Quare in vos, ait? vt ita testentur Apostoli ipsorum culpam, suam verò innocentiam. Ad eum modū, quo quis reum supplicio plectendum hortatur ad pœnitentiam: quem vbi obstinatum videt & inflexibilem, tandem clamoribus eum aggreditur & testatur se innoxiū fore circa eius damnationem in iudicio, omnemque culpam in dorsum eis reiicere; imò coram Deo in Iudicio se accusaturum illum. Hoc est quod clamat Christus, & prædixit Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo,* &c.

CONCIO VIII.

Patientia suadetur in aduersis,

Vt aduersa patienter ferantur, cogitandum.	*interim tamen inuicti sunt.*
1. *Christianorum proprium esse pati.*	3. *Tribulationem esse breuem.*
2. *Tribulationes à Deo immitti.*	6. *Mercedem fore æternam.*
3. *Earum fructum esse maximum.*	7. *Impatientiam esse malam & ad nihil vtilem.*
4. *Cogita exempla eorum qui tribulantur;*	

THEMA.

Hi sunt qui in corde bono & optimo, audientes verbum retinent & fructum afferunt in patientiâ. Luc. 8.

MAgnum quidem bonum est, recepisse verbum Dei in corde bono & optimo; (siquidem multi homines vel id non recipiunt, vel inutiliter recipiunt, vtpote in corde saxoso vel spinoso) non idcircò tamen existimare debemus salua iam esse omnia nisi cur nostrū patientiâ munitū sit. Vt enim sat nō est, semen in agrum iactum ab eoque ceceptū esse, siquidem multæ adhuc tempestates cœlique iniuriæ sustinendæ sunt: ita sat non est, recepisse verbum Dei. Multæ enim aduersitates occurrent homini Christiano, quibus si succumbat, fructum nullum facit. Has igitur vt inuicto perferamus animo, pensanda sunt quæ dicemus. A.

Culmi segetum plura habent internodia, quibus firmantur contra tempestates ne fracti inarescant. Ita homini tribulato media adhibenda sunt, quibus consolidetur ne frangatur aduersitate. Horum aliqua afferamus; nam omnia quis posset?

B. I. Christianorum est pati.

PRIMVM, Cogita Christianorum esse proprium multa aduersa pati, iuxta id Apostoli 2. Timoth. 3. *omnes qui piè volūt viuere in* CHRISTO IESV, *persecutionē patientur,* id est tribulationes, vt intelligit S. Augustinus, qui etiam *in Psal.* 55. ait: *si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus.* Non enim ita redemit nos Christus, vt nihil aduersi pateremur, omniaque prospera haberemus, vti Iudæi sperabant de Messiâ: sed vt aduersitates per patientiam superare possemus. Ergo sicut nauta non petit vt nullæ omninò tempestates sint, sed curat vt in tempestatibus bene regat nauim; qui domum ædificat non vult vt nunquam pluat, sed curat cōtra pluuias munire domum tecto &c. ita Christianus nō debet velle vt nullæ veniāt tribulationes, sed vt eas patienter norit ferre & superare. Audiamus rursū Apost. 1. ad Thessal. 3. *Nemo moueatur in tribulationibus istis,* inquit, *ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus:* videlicet

quasi

quasi scopus sagittarij propositus. Et S. Petrus ep. 1. c. 4. *Nolite peregrinari in feruore* (Græcè: *μὴ ξενίζεσθε τῇ πυρώσει*, ne admiremini in vstione) cùm scilicet per ignem tribulationis examinamini; nolite rem hanc existimare peregrinā. *Quid enim mirū est*, inquit Salvianus *l.* 3. de prouidentiâ, *si mala cuncta perferimus, qui ad toleranda vniuersa militamus?* Certè Iulianus Apostata, cùm à suis Christiani vexarentur, conquerentibus apud se respondit: *Vestrum est ferre, cùm affligamini, hoc enim est Dei vestri mandatum.* Socrates *l.* 3. *hist. Eccl.* Malignè quidem, sed verissimè; Christus enim dixit: *In mundo pressuram habebitis* &c. Ioan. 16. Mutius Scæuola dicebat: *Fortia agere Romanum est.* Verùm Christianus dicat: *Fortia pati Christianum est.* Imò in hoc cōsistit gloria Christianorum, vti & in spe futuræ retributionis. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus*, inquit Apostolus *ad Rom.* 5.

C. II. A Deo prouenit tribulatio. SECVNDVM, Cogita à Deo, eiusque suaui & paterna prouidentia tribulationes tibi immitti adeoque Primò, nō ex odio, sed ex amore. *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit*, ad Hebr. 12. Citat Apostolus Sapiētem, & ex Hebræo aliter vertit Sapiens, ait: *Quem diligit Dominus corripit & quasi pater in filio complacet sibi.* Prouerb 3. Nimirum sicut Assuerus Rex amans Vasthi vxorem suam & in eius pulchritudine sibi complacens cogitauit eius decorem ostētare principibus & populis, volens honorare eam. *Esth.* 1. Ita Deus virtutem tuam vult hominibus notam facere & probare palam variis tentationibus. Pater non flagellat filium, sicuti solet Caroifex, vt filius moriatur, sed vt corrigatur: ita & DEVS filios suos.

2. Secundò, Certus esto, non tribulandum te vltra vires. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, inquit Apostolus 1. *Cor.* 10. Et *Psal.* 147. dicitur dare *niuem sicut lanam*, siue quia per modum & proportionem lanæ immittit frigus, vt non sit importabile; siue quia in frugum vtilitatem dat niuem, quâ velut lanâ tectæ foueantur. Pueri & studiosi optarent perpetuam serenitatem, nullas pluuias, nullum gelu, nullam niuem. Sed non ita rustici, qui nôrunt hæc conducere frugibus. Romani non committebant inter se gladiatores nisi viribus pares, & putamus commissurum Deum, qui de asinis solicitus præcepit ne bobus iungerentur in aratro (vtpote opprimendi à longè fortioribus) *Deut.* 22. vt oneretur bomo supra id quod ferre potest?

D. III. Fructus tribulationis. TERTIVM, Cogita fructum maximū, quem affert tribulatio. Quemadmodum enim via solis obliqua, qua modò accedit ad Austrum, modò ad septentrionem, causa est generationis rerum teste Aristotele: ita varietas diuinæ visitationis, quâ modò ad nos accedit, per beneficia, modò à nobis recedit per tribulationes, malos hominū mores exterminat; bonos verò plâtat. Cùm enim in æstate prosperitatis facilè & citò peruertantur homines, tū immittere incipit hyemē aduersitatis, morbi, pestis, belli, famis, &c. quibus velut scopis purgantur homines moresque reformantur & velut frigore brumali exuruntur herbæ, id est, omnis generis vitia. Et quid mirum, si Deus subinde hic puniat peccata nostra, cùm nos seruis nostris indulgere non possimus, quin delinquentes mox puniamus? Rursum sicut ventus dum agitat segetes, firmat earum radices: ita tribulatio facit hominem exercitatum & ad omne tentationum genus inuictum. *Non est arbor solida & fortis*, inquit Seneca lib. de prouidentia, *nisi in quam frequens ventus incursat; ipsa enim vexatione constringitur & radices certiùs figit: fragiles sunt, quæ in aprica valle creuerunt: sic ad ferenda aduersa fragiles sunt, qui non fuerunt exercitati vsu malorum.* Adhæc potes his quasi aureis monetis soluere innumera debita tua. Eruditus tribulatione, potes consolari alios. Per eam potes omnes tuas passiones conuertere in aurum, longè veriùs, quàm per lapidem philosophicum, quem iactarunt aliqui, sed nondum demonstrarunt. Denique *sicut apibus mel præbet thymus*, inquit Plutarchus l. 1. de animi tranquil. *acerrima & aridissima herba: ita homines cordati è rebus aduersissimis conueniens aliquid & commodum decerpunt.*

QVARTVM, Exempla cogita aliorum hominum, qui & ipsi tribulātur, interim tamē strenui & inuicti sunt. Nemo enim est, quantumuis in hoc mundo magnus qui non habeat, quod patiatur. Et si tibi quidem nihil pati videantur, inde est quia ipsi patientes & instar Aod ambidextri sunt *Iudic.* 3. ad vtramque fortunam ferendam robusti. E. IV. Exempla patientiū.

Igitur si parens es, liberos habens immorigeros, contemplare Dauidem, cui filius incestuosus, Ammon: parricida fratris & proprij regni insidiator erat Absalon. Si asperior coniunx, aspice Iobum & Tobiam, qui vxores tolerarunt sibi improperantes. Si ægritudine detentus, intuere Iobum, Lazarum, Paralyticum illum 38. annis summa cum patientia iacentem ad piscinam. Si bonis aut liberis spoliatus, vide Iobum vtrisque exutum.

Si à subditis malè tractaris, vide Imperatorem Mauritium, qui à Phoca milite suo supplicio affectus vnà cum filiis, id non solùm patienter tulit; verùm etiam Deo gratias egit, dicens: *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.* Si à seruis vexaris proprijs, vide Irenem imperatricem, quæ à seruo suo Nicephoro afflicta, patiens fuit. Si ab iniquo & ingrato Domino premeris & exagitaris, cogita Iacobum Patriarcham, qui socero suo Laban cùm fidelissimè seruiisset, ad extremum tamen præter mercedem decies mutatam, asperam obiurgationem ac penè verbera retulit, omnia tamen hæc per patientiam superauit.

QVINTVM, Cogita tribulationem non fore perpetuam, sed primò breui compensandam aliquâ secutura cōsolatione. Id inprimis videre est in Iosepho Patriarcha, qui odio habetur à fratribus: sed amatur à patre. Venditur à fratribus & deinde ab Ismaëlitis; sed inuenit gratiam apud Dominum suum Putipharem. F. V. Tribulatio breuis est.

Rursum accusatur perperã à Domina & mittitur in carcerem: sed inuenit gratiã apud custodem carceris. Obliuioni traditur à pincernâ; & inuenit gratiam apud ipsum Regem. Idipsum cernere est in Iosepho altero Christi nutritio. Consternatur & affligitur, cùm videret vterum sponsæ intumescentem: sed instruitur & confortatur ab Angelo. Excluditur à diuersorio, sed in stabulo visitur à Regibus. Quæritur ab Herode, sed Angelo Duce seruatur & mittitur in Ægyptum. S. Petrus in carcere detentus & breui ducendus seruatur ab Angelo. S. Paulus Ierosolymis mulctatus pugnis & verberibus, nocte insequente recreatur voce Christi *Act.* 16. Lystris flagellatus, nocte sequente vinculis expeditur, carcere toto illustrato *Act.* 27. Dauid post tribulationes suas regno restituitur. Iob omnia duplicia recipit. Iacob cum 2. turmis regreditur. Lazarus in sinum Abrahæ portatur. Deinde mala illa cum morte saltem finienda esse, quæ miseris optatissimum est asylum. Quare vt velles semper esse miser, non posses. *Adhuc modicum* (sustinete) ait Apostolus ad Hebr. 10. *qui venturus est veniet & non tardabit.*

G. VI. Merces æterna est.

SEXTÒ, Denique mercedem æternam compara cum tua tribulatione. Quidquid hîc perdideris, reddet tibi Deus ibi maximo cum fœnore, Audite Adolescentem illum 2. *Mach.* 7. Tyranno Antiocho loquentem; *Ecce ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.*

Videte Adolescētes Ethnicos, quid pro vana gloria pati ausi sint. Scribit enim Plutarchus in Lacon. mira de Laconum pueris. *Pueri*, inquit, *apud Lacedemonios in ara Dianæ, cui ab indeuictibili virtute cognomen Orthia, flagellis quotannis stato festo ex more totum diem cædebantur, itaque frequenter durabant ad mortem vsque hilares ac læti concertantes inter se de victoria, quis ipsorum diutissimè fortißimeq; toleraret verbera: Vnde nec gemitum nec vocem dabant, nec scapulas aut corpus contrahebant; tantùm ad hoc vt victoria horum nomen & decus obtinerent.* Quid iam faciat Christianus, cui nō inanis hominum laus & gloriæ rumusculi, sed æterna in cœlis gloria lausque ab ipso Deo, angelis & hominibus promittitur? Id enim scribit Iacobus c. 1. Epistolæ suæ, cū ait: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Beatus*, inquit; quoniam patientia non obscura quædam tessera est prædestinationis ad salutem, vt indicari videtur *Ezech.* 9. vbi ab angelo percutiente incolumes fuere viri gementes & dolentes, quorum fronti inscriptum fuit signum Tau; quod crucem & patientiam crucis ac dolorum denotat. Vt ergò nobiles olim dignoscebantur ex bulla aurea de collo suspensa, & nostro tempore ex torque aureo: ita electi cognoscuntur ex patientia. Nam vt S. Leo *serm.* 9. *de Quadr.* ait: *Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis.*

H. VII. Impatientiæ malum.

Quæ omnia nisi tibi sufficiant cogita ad extremum, quid lucreris tuâ impatientiâ; aliud sanè nihil, nisi vt ineptimis prodas tuã insipientiā; qui nihil omnino pati queas adeoque passionum tuarum seruus sis. Ita enim Spiritus sanctus per os Sapientis *Prouerb.* 14. locutus est. *Qui patiens est, multâ gubernatur sapientiâ, qui autem impatiens est, exaltat* (id est, manifestat & ostentat) *stultitiam suam.* Cùm enim impatientiâ victus incipit tonare, furere, expalescere, præsertim in re leuiusculâ: tum incipit tibi asinus de manica prospicere, quē licet tu non videas, vident tamē alij. Deinde tuo murmure & impatientiâ malum tibi conduplicas, tantum abest vt tollas. Præclarè Ieremias *Thr.* 3. ait. *Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis?* Vult dicere: (vt ex præcedentibus colligitur.) Cùm punitur homo, non excuset se accusando fatū, fortunam aut Dei voluntatem; sed accuset se, quia punitur pro peccatis suis. Non murmuret homo viuens, quia in hac vitâ citra cōdignum punitur & calicem bibit inclinatum ex hoc in hoc; seu temperatum misericordiâ: nō item in inferno, vbi damnati bibent fæcem nunquam exinaniendam. Gemant ergò inferi, murmurent damnati, non murmuret homo viuens. Rursùm nónne vniuersa vanitas omnis homo viuens? Cur ergò Deo vniuersæ veritati vniuersa obmurmurat vanitas? Seneca gentilis homo vidit hoc quod dicimus. Ait enim ep. 108. *Optimum est pati quod emendare non possis, & Deum (quo auctore cuncta proueniunt) sine murmuratione comitari. Malus miles est qui imperatorem gemens sequitur.* Et rursum l. de prouident. *Quid est boni viri? præbere se fato.* Quid iam dicant Christiani? Nónne id Dauidis; *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua & in veritate tua humiliasti me?* S. Clemens Papa tertius post Petrum narrat in libro Recognitionum se conuersum à S. Barnabâ, missum fuisse ad S. Petrum; vt ab eo in fide plenius erudiretur. Iuit ergo Barnabas & audiit à S. Petro veniret postero die ad disputationem cum Simone Mago instituēdam. Interim Magus inducias ad triduum à Petro petiit & impetrauit. Indoluit hac de re Clemens Petri audiēdi desiderio. Cui S. Petrus: *Gentiles*, inquit, *turbantur, cùm res non accidunt ex voto, vel desiderant: at nos Christiani, qui scimus Deum gubernare & moderari res omnes, in quolibet rerum euentu in pace consistimus & consolatione. Scito has inducias Dei consilio dari ad tuum bonum, vt scilicet interim te prepareris ad futuram disputationem quò eam meliùs & pleniùs capias.* Consimili modo dico ego: Scito Christiane tribulationem Dei consilio dari tibi ad bonum tuum, vt per eam præpareris ad futuram felicitatem, quam tibi ex animo precor.

CON-

CONCIO IX.

Documenta.

1. *Docetur esse audiendum attentè, vtiliter & obedienter verbum Dei, item Doctores & Concionatores legitimè missi.*
2. *Tacendum esse, cùm excusare vis culpam tuam, accusare aliā, cùm Scripturam non intelligis, & cùm bonis quid egeris.*
3. *Tolerandum esse quodvis infortunium & calamitates.*

THEMA.

Qui habet aures audiendi, audiat. Luc. 8.

INter Ismaëlis filios, speciatim tres notantur & copulantur, *Genesis* 25. Masma, Duma & Massa. Neque sine causa, Masma enim auditū significat, Duma silentium, Massa tolerantiam. Quare ea fratrum nomina Hebræi prouerbialiter enuntiant; *Masma, Duma, ve Massa*; quo significare volunt viro bono multa audienda, tacenda & ferenda esse. Huic doctrinæ, Auditores, vti nos quoque conformemus, seligemus ex hodierno Euangelio aliqua (nam potiora alibi diximus) quæ nobis audienda, alia quæ tacenda, alia quæ ferenda sunt.

B. I. Audiendum. I. Dei verbum. Audiendum est PRIMÒ, verbum Dei & quidem sicut decet, attentè, vtiliter, obedienter; Hoc enim sibi voluit Dominus, cùm clamauit: *Qui habet aures audiendi, audiat*; hoc est, non segniter, non frustra. Vt enim cerui cùm erexêre aures, acerrimi auditus sunt: cùm remisêre, surdi sunt, teste Plinio *l. 8. c. 32.* Ita multum interest, vtrum arrigas aures, an demittas: vtrū gnauiter, an segniter audias Dei verbum. Priore casu plurimum, posteriore nihil proficies. Sanè in hodiernā parabolā propterea sementis iacta fuit, vt fructum faceret; atqui hic idem finis est omnium concionum. Et tamen multi reperiuntur, qui persuadent sibi satis se superque festiuo diei fecisse, si audierint cōcionem, etiamsi nunquam cogitent quomodo operibus præstent, quæ pro concione dicta sunt; quod aliud non est, quàm sementem quidem iacere, sed messem non curare; aliud non est, quàm imperata heri percipere, sed ea nolle facere. Audiendum præterea patienter, non perturbandus concionator, tametsi aliqua in medium afferat, quæ tu non intelligis. Sic enim & discipuli licet hodiernam parabolam non intelligerent, non tamen cursum orationis Christi interruperunt, sed posteà cùm esset solitarius seu *singularis*, vti ait Marcus. *cap* 4. interrogauerunt eum, quidnam sibi vellet hæc parabola.

2. Doctores. Secundò audiendi sunt Doctores cùm quid in rebus fidei minùs intelligimus. Hoc enim fecerunt Apostoli, qui cùm non intelligerent parabolam, Christum interrogârunt; non calumniabantur, non irridebant, tametsi non intelligebant; sed expositionem quærebant. Tu ergò cùm quid saluti tuæ necessarium vel conducens non intelligis, ne erubescas interrogare tuum confessarium vel pastorē: quandoquidem ipse Christus quoque, cùm esset duodennis, audire & interrogare Doctores in templo voluit *Luc* 2. Potuisset Dominus parabolam motu proprio explanare; sed expectare maluit, donec hoc ab ipso peterent discipuli, partim vt cum merito suo, partim vt auiditia explicationem arriperent. Sed multi malunt, in tenebris errorum & ignorantiæ viuere, quàm interrogando meritum & lumen veritatis sibi parare.

Tertiò audiendus quicunque concionator legitimè missus, tametsi malæ vitę sit. Ob hanc enim causam videtur Dominus, qui semē, terram, spinas, volucres, aliaque omnia exposuit, noluisse explicare, quinam esset seminator. Qualiscūque enim ipse sit, modò legitimè vocatus, semen bonum iaceat, hoc vel vno audiē dus est, & credendum Deum esse, qui ex ipso loquitur. Noli attendere ad saccum, cùm frumentum emis; nec ad dolium cùm vinum; parum ea emptori conferunt: parum & nocent. 3. Concionatores quique legitimè missi.

Sed quid de illis dicē sum, qui verbum Dei fastidiunt & vix vnquam in corde suo recipiunt? Id nimirum Prouerb. 24. *Per agrum hominis pigri transiui & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrtica.* Vt enim iurè ab omnibus reprehenditur & puniri potest, qui pigritiā victus agrum suum negligit conserere; ita cresdargui adeòque puniri ab Ecclesia potest, qui agrum cordis sui non excolit semine verbi diuini. Ac sicut in agro inculto mox protuberant spinæ, vrticæ & herbæ inutiles: ita crescunt vitia in contemptore verbi Dei.

Silendum est PRIMÒ, cùm ingerit tibi mens quasi non tuā culpā, sed aliorum, pereat in te semen bonum. Audis enim periisse semen, non ob defectum satoris, qui vndique eminauit; nec ob defectum seminis, quod vnicè fuit, nec ob defectum solis aut pluuiarū, quorū nulla sit mentio, sed ob indispositionē terræ; hoc est, Auditoris, qui vel nimium implicatus est negotiis terrenis adeoq; in viā publicā constitutus conculcatur: vel curis, diuitiis & voluptatibus intentus & hisce spinis suffocat semen: vel longā peccandi consuetudine cor induratum gerit & ita inflexibilis euasit. Noli ergo dicere: *Nemo me conduxit*; vel, *hominem non habeo qui mittat me in piscinam*: vel, *sol intelligentia non luxit mihi*; vel, *Metu Domine vbi non seminâsti, & colligis vbi non sparsisti*. Vbique enim seminat Deus, omnes conducit in vineam suam, solem suum oriri facit super bonos & malos, adest omnibus se innocantibus. Tace ergò & tibi imputa, si perit in te semen verbi & inspirationis diuinæ. C. II. Tacendum. 1. Cùm excusare vis culpam tuam.

Secundò. Cùm suggerit tibi cogitatio, quasi stultè egerit Sator, qui in viam, spinas, petram iecit semen suum. Hoc enim in semente naturali vitium quidem esset, sed non item in semente verbi diuini: quia si quis homo eiusmodi sterilis terra est, voluntariè talis est, & potest cum Dei gratiā sese emendare fierique terra 2. Cùm accusare vis alium.

bona; quod nequit efficere terra naturalis neque eius cultor. *Potens est autem Deus de lapidibus istis suscitare filios abraha*, ait Baptista *Matth. 3.* Et quemadmodum terra promissionis per abductionem populi in captiuitatem, facta est horrida, sterilis & deserta; post reductionem verò eiusdem iterum exculta & fertilissima reddita, vti prophetauit Ezechiel c. 36. dicēs: *Terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis.* Hebr. *Vt Paradisus Eden*: ita etiam quiuis homo, qui per peccatum abductus in seruitutem Dęmonis, senticosus, saxeus & sterilis euasit, si redierit ad se per pœnitentiam, euadere terra fertilis & paradisus potest; idque contigit latroni, Magdalenæ, Paulo, &c. Neque etiam dicas, tuæ potestatis aut voluntatis hoc non esse facere, sed Dei solius; dico enim tuum hoc esse cum Dei gratiâ præstare. Ita enim scribit Apostolus 2. Timoth. 2. *In magnâ domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia* (id est, in Ecclesia sunt boni & mali) *& quadam quidem in honorem, quadam autem in contumeliam. Siquis ergo se emundauerit ab istis, erit vas in honorem, sanctificatū & vtile Domino, &c.* Potest ergò seipsum homo (Deo adiuuante) ita emūdare à peccatis & sordibus vt è vase contumeliæ fiat vas honoris, è ligneo aureum, è matulâ phiala. Expertus id in se est Paulus, qui ex vase iracundiæ spirante minas & cædes excepto semine verbi diuini commutatus est in vas electionis. Experta Magdalena, quæ vt canit Ecclesia: *Post fluxa carnis scandala, fit ex lebete phiala, in vas translata gloria de vase contumelia.* Tace ergo rursum & ne dicas per te non stare, sed per Deum tantùm, quòd sis terra sterilis, spinosa, saxea, peruia; potes enim si velis, emundare te ab istis impedimentis & euadere terra bona. *Ne dicas*, ait Ecclesiasticus c. 15. *ille* (DEVS) *me implanauit*; hoc est scabrum, asperum, saxeum, senticosum fecit ideoque sterilem; culpa tuâ, non Satoris & creatoris Dei est.

3. *Cū scripturam non intelligu.* Tertiò, Cùm legis ea verba: *Cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant & audientes non intelligant.* Tace inquam, & ne dicas personarum acceptionem esse apud Deum, qui Iudæis quidem negauerit explanationē verbi diuini, Apostolis autem tradiderit. Id enim non Christo imputandum, sed Iudæis qui exigentibus suis demeritis indigni erant claro Dei verbo, quod spernebāt vel certè maleolo animo audiebant; itaque velatum & quasi cortice inclusum tradi eis decuit: quod tamen si interrogare CHRISTVM vellent (quemadmodum Apostoli fecerunt) facilè ab eo percipere adeoque nucem frangere possent. Quare si tibi verbum Dei subtrahitur, vel si tibi parabola tātùm est, obscura, ænigmatica, cor tuum minimè excitans: sile, *non dixeris*, inquit, Ecclesiasticus c. 15. *Per Deum abest*; scilicet sapientia à me: sed tibi potiùs imputa, qui exigētibus tuis peccatis nō instrueris ita vt conuertaris: vel quia non vis intelligere nec discere quod nescis. Per te itaque, nō per Deum abest à te sapientia. Sed cur datum est Apostolis vt intelligant mysteria & non mihi? quod si Apostolis non esset datum, neque ipsi intellexissēt. Sile hîc rursum & noli cum Deo disputare, qui cùm dona sua gratis det, dat cui vult, negat cui vult; *& quis potest ei dicere: Cur sic facis? Dominus in templo sancto suo*, inquit Abacuc. c. 2. *sileat à facie eius omnis terra.* q. d. Dominus habitat in sancto sanctorum & intimo recessu cum consiliis suis, quò nemini ingredi licet. Sileant igitur omnes, nemo hiscere audeat contra eius opera; quia nemo ea intelligere vel ipsi præscribere quidquam potest. Alexander Magnus postquam suis armis & victoriis Asiam subegit, totum orbem perterrefecit; *& siluit terra in conspectu eius*, vt dicitur 1. *Mach.* 1. (nimirum sicut muresfilent coram fele, aues coram accipitre, serpentes coram Basilisco) quia eius maiestati & potentiæ nemo se opponere ausus fuit. Quidquid ipse fecit, quidquid imperauit, ratum & rectum omnibus esse debuit. Quantò æquiùs hoc dicimus de diuina maiestate?

QVARTÒ, Cùm virtutum semina in agrum cordis tui à Deo immissa videris, sile, inquam, tunc & humilitatis ac silentij cespite tege illa semina siquidem aues Diabolicæ illis insidiantur, vt si ea prodas aut emicare sinas vanæ gloriæ causa, ilicò deuorent, teque eorum merito spoliēt, imò & accusent aliquando in iudicio, qui tam pretiosa cœlestis gloriæ semina tam stolidè prodegerit. Dicito ergò in hoc casu cū Isaia cap. 24. *secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Ita fecit mulier illa apud Aruernos, quæ cum marito perpetua in virginitate vixerat, mortua denique cùm maritus secretum id aperiret, è sepulchro ad eum vociferata est: *Sile, sile vir Dei, quia non est necesse nostrum nemine interrogante aperire secretum*, vt ex Gregor. Turon. suprà retulimus. 4. *Cū quid boni ?geru* *Dom. 3. Aduent.*

D. III. *Ferendū.* 1. *Quoduis infortunium.* Ferendum denique est PRIMÒ, quoduis infortunium seu aduersitas, & cùm nobis studia nostra ex optato non succedunt, cùm labor & industria nostra finem suum non assequuntur. Audiuimus enim in hodierna parabola tres seminis partes fatori periisse, quartam demùm partē fructuosè iactam esse; nec tamen ob id indignatum agricolam aut absterritum à labore. Augetque hanc rem, quòd nullâ eius culpâ damnum hoc emersit; non enim in terram sterilem iacta esse semina, sed cecidisse ait Euangelista. Quare si concionator videat post tot labores suos vix quartam vel etiam quadragesimam Auditorum partem emendari è concionibus suis; si parentes post sudorē, curas & sollicitudines suas è pluribus filiis vix vnum alterumve euadere virum bonum, cæteros omnes degenerare: Si discipulos Magister penè omnes videat peruertis; si Episcopus oues suas plerasque abripi in hæreses; quid faciendum? ferendum & Deo committendum est; Laborem Deus remunerat, non lucrum labore partum. Discesserant aliquando ab ipso Christo multi eius discipuli, cùm de Eucharistia dissereret. Verùm nihil inde motus Dominus interrogauit etiam 12. Apostolos: *numquid & vos vultis abire?* Ioan. 6. indicans (iuxta opinionem S. Chrysostomi) se eorum etiam ministerio

ſterio minimè indigere,ſi diſcedere vellent.

2. *Incorrigibiles ad- uerſary.* Secundò, cùm in domo, familia, ſocietate, viciniâ deprehēdis hominem incorrigibilem, aduerſarium, pacis turbatorem,&c. quid enim faciendum tibi,ſi expellere eum nequeas? Ferēdum vtique ſicut agricola in agro ſuo ferre debuit petras, ſpinas viamque publicam in parabolâ hodiernâ. Tulit hoc pacto Iob vxorē improbā & inſultatricem in domo ſuâ, Chriſtus Iudam in Collegio ſuo, S. Martinus Bricium æmulum & irriſorem ſuum in monaſterio ſuo. De ſancto quodā patre narrat S.Dorotheus apud Raderum 3. *p.Virid. c.*1. fuiſſe ei fratrem,quem religioſa veſte induerat, dinſibi, ioſenſum ac conuitiatorem, quem tamen ipſe ſemper magna charitate fouit ac tolerauit, dicens ſibimet: *Hic eſt à Chriſto miſſus vt omnem animæ tuæ vanitatem & gloriam ferro adurat. Hic eſt Medicus animæ tuæ ſi aut nocent, qui beatum te & ſanctum prædicare ſolent.* Qui tamen aduerſarius tandem humanitate patris victus Patri occurrit & flens ab eo veniā vltro precatus eſt. Poteſt ergo Deus lapides iſtos mutare in terram bonam; quod ſi non contingat, erunt ſaltem Medici noſtri.Nam vt ait S. Auguſtinus in Pſ. 54. *Omnis malus aut ideò viuit vt corrigatur, aut ideò* ... *vt bonus per illum exerceatur.*

3. *Calamitates.* Tertiò, Cùm te omnis generis tribulationes & calamitates prement. Quid enim ſi paupertas,ſi fames, ſi morbus,ſi calumniæ domūtuam inuadant? Ferendum vtique; ſiquidem audimus terræ bonæ ſemina fructum quidem afferre, ſed in patientia. Quemadmodum enim ſegetē in agro plurimę cæli iniuriæ expectant, pluuiæ,niues,gelu,æſtus,pruinę,venti & quandoque grandines: quibus omnibus ſuperatis tandem matureſcunt fruges: ita fidelē quemque plurima oportet foris & intus ſuſtinere mala,quibus exhauſtis tempore ſuo fructificet. Grauida mulier non edit partum deſideratum niſi cum patientiā dolorum maximorum. Nux vt multum fructum afferat multis onerari verberibus debet. Terra ipſa niſi aratro & ligone crebrò exagitata variiſque tempeſtatibus viſitata, non fert vberes fructus, Denique S. Iacobus c.5.*Ecce agricola*,inquit, *expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, &c.* Quot enim & quantos labores ſubeunt agricolæ propter vnius anni meſſem? Arant bis ter agros, ſulcant, ſarriunt, ſtercorant,occant, ſerunt,metunt; & hæc omnia patienter ac ferè cantando faciunt.Hinc ergo viri perfecti gratulantur ſibi de tribulationibus, quibus exercentur, & in iis gloriantur,vti S. Paulus in ep. hodierna vbi gratulatur primò Corinthiis de huiuſmodi tempeſtatibus libenti & inuicto animo exceptis, tum addit ſe quoque earū eſſe participem, recenſetque laborum & perſecutionum ſuarum integrum Catalogum.Alij non expectârunt à Deo tales tempeſtates,ſed vltrò ſubierunt; vt inprimis Stylitæ illi, qui ad vltimum vitæ ſpiritum per multos annos frigus, æſtum,ventos, pluuias, famem paſſi, immoto corpore & animo ſteterunt in columnis. Nos ergo Auditores, qui tantos quidē Heroës non poſſumus imitari, imitemur ſaltem agricolas, qui pro futurâ meſſe patienter labores perferunt:imitemur agros ipſos,qui fructum ferunt in patientiâ. *Credamus* , inquit Chryſologus ſerm. 103. *quòd crux noſtri corporis ſit aratrum;ſides,ſemen;ſulcus,ſepulchrum; reſolutio,germen; expectatio,tempus: vt cùm ver Dominici aduentus arriſerit, corporum noſtrorum matura tunc viriditas vitalem reſurgat in meſſem, neſcituram iam finem.*

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Quæritur quis ſit ſeminator.*
2. *Cur ſeminauerit in terras ſteriles.*
3. *Quid denotet ſemen.*
4. *Cur Chriſtus clamauerit,* Qui habet aures, *&c.*
5. *Explicatur illud reſponſum Chriſti,* cæteris in parabolis, *&c.*
6. *Cur dæmones vocentur volucres cæli.*
7. *Quænam terra bona & fructum afferens.*

THEMA.

Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, Luc. 8.

Videtur quidem hodiernum Euangelium expoſitione non egere,quando ipſe Dominus exponere id dignatus eſt,quia tamen id diſcipulis ſuis tantùm, non omnibus expoſuit ideoque doctis ſolùm,ſapientibus pauca dixit. Quare ſi quâ ampliore explanatione indigemus ad Chriſtum accedamus cum Apoſtolis, eamque ex ore eius requiramus. A.

B. I. *Quis ſeminator.* 1. Quæſtio Prima. Quis eſt Sator? Reſp. Chriſtus.Hic enim inprimis rectè dicitur eſſe is qui ſeminat ſeu ſeminans græcè σπείρων, quia nunquā ſeminare deſinit. Seminauit ab orbe condito verbum in cordibus hominum, dum lumē illis naturale indidit,quo cognoſcere, quid ſciendum, quid faciēdum, naturaliter poſſent. Addidit & lumen ſupernaturale reuelando eis neceſſaria ad ſalutem. Seminauit per legem Moyſis & per legem nouam.Idem adhuc quotidie non ceſſat ſeminare per ſeruos ſuos prædicatores verbi Dei: per confeſſarios: per internas inſpirationes,lectionem, exempla, leges Eccleſiæ,regulas cuiuſque ſtatus, vim ſacramentorum, monita parentum & Superiorum, morbos, bella,&c. Vnde S. Vrbanus cùm vidiſſet Valerianum Sponſum S. Cæciliæ ab ea conuerſum,ſic orabat: *Domine Ieſu Chriſte ſeminator caſti conſilij, ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Cæciliâ ſeminaſti.*

2. Deinde ſeminator iſte exiit ſeminare per opus incarnationis, dum primò, humanam naturam, veluti agricola vilem & ruſticanam,veſtē indutus è domo ſuâ cœleſti in hunc mundi agrum exiit & ſemen verbi ſui ſpargere cœpit.Secundò,dum in mundo ſe ſpectabilem & mani-

manifestum exhibuit, qui priùs in cœlo suo à solis cernebatur angelis; sic enim exire dicitur Imperator cùm è conclaui suo, in quo ab aulicis tātùm videtur, in publicum prodit. Tertiò, dum vrgente vi amoris erga genus humanum, ex seipso exiens, in amatum transiit. Ita enim exiit, eùm amore nostri exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, seque impiorum manibus vexandum & illudendum tradidit, ita vt pro fatuo reputaretur Dei sapientia. An non est hoc, à se longissimè exire?

3. Tertiò, seminauit semen suū Primò, ad differentiam aliarum proprietatum diuinarum. Patri enim appropriatur potētia: Spiritui Sancto sanctificatio: Filio autem sapientia, cuius est illuminare & verbū Dei Euangelizare, seipsum, hoc est sapiētiam suam aliis communicare. Quid autem magis tuum, quàm tu? Secundò, ad differentiam Prophetarum & Apostolorum aliorumque verbi Dei prædicatorū: Hi enim omnes prædicant verbum Christi, nō suum, & seminant semen de manu Christi acceptum. Vnde dicebant illi: *Hæc dicit Dominus*; Christus autem: *Ego autem dico vobis*. illi dicebāt: *Verbum Christi habitet in vobis*. Christus autem: *si verba mea in vobis manserint*. Væ ergo illis qui seminant semen suum & propria somnia prædicant de corde suo, quemadmodum Hæretici faciunt & Rabbini Iudæorū. De his *Ezech.* 13. dicitur: *Vident vana & diuinant mēdacium dicentes ait Dominus; cùm Dominus non miserit eos*. Et mox: *Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana & diuinant mendacium*, &c. Id quod euentus ostendit; plerumque enim malè pereunt isti viri pseudoprophetæ illi 3. *Reg.* 18. Arius crepuit medius. Ioannes Hus rogo exustus: Mahomet apoplexia tactus: Lutherus strangulatus, Caluinus à pediculis corrosus: Manichæus à rege Persarum viuus excoriatus est. Viderint etiam concionatores, qui suum potiùs loquuntur verbū, quàm verbum Christi: dum non tam fructum facere quàm doctrinam & eloquentiam suam ostentare conantur, & ita verbum Christi profanā laruā tegunt. Viderint denique auditores, qui verbum Dei spernunt, quòd hic vel ille concionator illis displiceat. Scire enim debent eos prædicare verbum Dei, non suum. Idcircò, *qui vos spernit, me spernit*, ait illis Dominus. Tertiò, ad differentiam Philosophorum & sapientum huius mundi, qui partim vera dixerunt, scripserunt ac docuerunt, & ita non semināunt semen suum, sed Dei verbum & alienum, quo proinde nos etiamnum rectè vti possumus; partim falsa: & ita iecerunt semen suum, quā errorum paleis erat permistum.

C. II. Cur seminat in terras steriles. Q. SECVNDA, Cur seminauit in terras steriles, viam, petram, spinas? Quis enim prudens istud faceret? Resp. Primò. Causam esse, quia homo ager quidem voluntarius est, qui virtute iacti seminis & gratiæ diuinæ ex terrā malā & sterili mutari in bonam potestid quod in agris semen materiale præstare nequit. Ita dicitur
1. *Ezech.* 36. *Terra illa inculta facta est vt hortus voluptatis*. Non potest agricola iaciendo semen facere agrum bonum: aut ex lapide terram: *Potens est autem Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. ait Ioan. Baptista *Matth.* 3. Potest etiam homo, si velit, cum Dei gratiā. Potest, inquam, qui secus viam est, recedere à viā; & agro incorporari, id est, potest ad concionem accedere & attendere, ab hæresi vel sæculi tumultibus recedere. Potest qui saxeum habet cor, remouere saxum & induere cor carneū. Potest qui spinis oblitus est, spinas extirpare.

Resp. Secundò. Id facere deum, vt ostendat omnibus amorem suum & se quantum est in ipso, velle omnes saluos fieri, ne proinde se possint excusare homines, si ea non præstent quæ mandantur. Si quis enim publicum appararet epulum suis consanguineis; is si prudenter ageret, inuitaret omnes propinquos suos (licet aliquos sciret non venturos) vt ita amorem suum testaretur erga omnes.

Resp. Tertiò. Id factum ad instructionem concionatorum, ne cessent seminare verbum Dei etiam in cordibus illorum, à quibus fructus non speratur: & ne deijciantur, si videant frustrà se laborare: siquidē non idcirco peribit merces eorum. Reuiruit aliquando truncus aridus à Ioanne quodā, postea Abbate, ex præcepto superioris triennio rigatus, vt e[illegible]pud Cassian. *l.* 4. *c.* 24. quidni & arida corda crebrā verbi Dei irrigatione reuirescere ad meliorem frugem queant? Adhæc vel vnius animæ conuersio & salus condignū est laboris præmium. Cùm Antimachus Poëta nobilis conuocatis auditoribus legeret suum carmen, eumque legentem præter vnum Platonem omnes reliquissent, dixit: *legam nihilominus. Plato enim vnus mihi instar est omnium*. Cic. *l. de clar. orator*. Ita si vel vnum semen cadat in terram bonam, & fructum ferat, sufficit concionatori.

Q. TERTIA. Quid denotat semen? Respōdet Dominus: *Semen est verbum Dei*: Appositissima comparatio siue ipsum Dei verbum in se, siue concionatorem, siue Auditores consideres. In se spectatum, exiguum quidem est, maximæ tamen virtutis; crescit enim in herbam, culmum & spicam & multiplicat seipsum. Sic vnicum sæpè Dei verbum hominem ex profano spiritualem facit & patratorem magnorum operum, vt Augustinum, Victorinum turgidū Rhetorē, & alios. Secundò, Semen in se mortuum est, iactum verò in terram vitam exserit: Sic verbum Dei, cum tantùm legitur vel auditur, mortuum quid est; at si corde suscipiatur, ibi operatur. Tertiò, Sicut terra, nisi bono conseratur semine, ex se nihil nisi inutiles profert herbas & zizania, ob Dei maledictionem: sic mens nostra verbo Dei destituta, nil nisi noxia & vana profert. D. III. Quid semen.

2. Quod attinet ad Concionatorem: vti semen purgatum esse debet antequam feratur: ita nō nisi purum Dei verbum conuenit prædicare, purum, inquam, ab hæresibus & rebus ludicris; vnde alioqui nascuntur zizania. Rursum sicut semen vndequaque spargitur in agro: ita verbum Dei nemini non prædicandum. Adhæc vti semen manu spargitur ab agricola; ità Dei ver-

verbum prædicandum à concionatore, non ote tantùm sed & opere; ne alioquin audiat id Apostoli ad Rom. 2. *Qui prædicas non mœchandum, mœcharis?* Et illud Christi: *Medice cura teipsum.*

Quod ad Auditores attinet: Primò, sicut ager dispositus & purgatus esse debet à spinis & petrosis: sic cor auditoris ab affectibus inordinatis & vitiis vanisque sollicitudinibus liberum sit, dispositum item per pœnitentiam & attendendi voluntatem: sit tractabile & à prauis cogitationibus vacuum. Secundò semen abscondi & mori in terrâ debet: Sic verbum Dei in corde recondi & expendi per seriam meditationem. Tertiò. Non sufficit terram esse bonam & subactam, requiruntur præterea pluuiæ & alij cœli influxus: ita præter liberum arbitrium & bonam auditoris mentem, requiritur & Dei gratia quæ det incrementum semini, &c. quæ causa est vt ante & post concionem oratio fieri soleat.

E. IV. Cur ait Dominus: Qui habet aures audiendi audiat.

Q. QVARTA. Curait Dominus: Qui habet aures audiendi, audiat? Nunquid aliqui auditorum eius aures non habuerunt? aut si habuerunt, nunquid ad videndum, palpandum, &c. & non ad audiendum? Resp. Primò prouocare Christum hac voce ad audiendum Dei verbum omnes, qui auribus prædīti sunt, hoc est, qui facultatem & vires atque occasionem habent audiendi. De his enim strictiorem exiget rationem in die Iudicij, alioqui non dixisset: *Multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.* Luc. 10. Multi quidem habent aures sed ad audiendum profana; non ad audiendum verbum Dei.

2. Resp. Secundò, prouocare ad auditū cordis seu voluntatis. Tametsi enim aliqui audiunt verbum Dei, nolunt tamen intelligere seu in cor admittere. De his *Ezech. 33.* ait ad Prophetā Dominus: *Es eis quasi carmen musicum, quod suaui dulciq; sono canitur.* q. d. Audiunt te voluptatis & recreationis gratiâ, non doctrinæ, vt vitam corrigant; quasi audirent te scitè pulsantem instrumentum, cuius sonum ad aures tantùm admittunt, solo concentu delectati: quo deficiente perit etiam eius memoria, nihilque inde vtilitatis capiunt.

3. Resp. Tertiò, indicare multos habere aures sed non tam ad audiendū, quàm ad videndum; & oculos contrà non tam ad videndum quàm ad audiendum: quales sunt, qui mox credunt, quidquid de proximis dicitur, quasi id oculis suis vsurpassent; sunt etiam ita rem habere. Viciſſim autem quæ quotidie vident, tam parum animaduertunt aut cordi ducunt, ac si per famam solam cognouissent. Vident enim quotidie morientes circa se homines, amicos, propinquos, vicinos, vnumque post alterū efferri ad sepulchrum, inde tamen nihilo magis mouentur ad pœnitentiam & mortis prouidentiā, quàm si ex antiqua aliqua Chronologia legi id audissent. Similiter alij aures afferunt ad cōcionem, sed ad videndum aut loquēdum, qualis sit concionator: non ad audiendum; adeoque cum ipsi instar aurium positi sint in corpore Ecclesiæ, volunt esse oculi aut lingua: contra id Apostoli 1. Cor. 7. *Vnusquisqui in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

F. V. Qui illud: Ceteris in parabolis &c.

Q. QVINTA, Quid sibi vult illud Christi responsum: *Ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant?* Itáne Deus excæcat homines, vt in incredulitate & errore suo permaneant? Respondeo velle sibi hoc: Iudæos excæcandos esse & docendos solùm obscurè, in pœnam peccati. Est enim alia cæcitas mentis quæ est culpa, de quā *Ioan. 12.* dicitur: *Excæcauit eos malitia eorum*, dum videlicet nolunt intelligere vt bene agant. Et hanc in Iudæis pro causa affert Dominus apud Matthæum: *quia videntes non vident*, inquit, *& audientes non audiunt*. Alia cæcitas est pœna, cùm quis in pœnam peccati & contumaciæ suæ ita deseritur à Deo, vt non illumineur magno & copioso lumine, per quod efficaciter conuertatur. Sufficiens quidem lumen nemini negat Deus: vti nec Iudæis istis negauit. (nam si parabolam non intellexissent, poterant cum Apostolis rogare Dominum pro eius declaratione.) Et hanc cæcitatem pro causa affert Dominus apud Marcum & Lucam. Vtramque igitur Iudæorum cæcitatem tetigit. Et si roges eum, cur apud Lucam & Marcum dicat: *Vt videntes non videant*, &c. Respondebit apud Matthæum: *quia videntes non vident*, &c. q. d. quia laborant voluntariā mentis cæcitate & cordis duritiā, adeoque cœlesti lumini occludunt fenestras, ideò hic puniuntur, vt in hac cæcitate permaneant & obfirmentur, adeoque recedat ab eis lumen id, quod excluserunt, quoque conuertendi erant. Quando quis ex oculis laborans, lucem refugit, ideoque fenestras claudit & lumen solis excludit: tunc sol quidem necessariò excluditur. Sed cùm quis audire non vult lumen doctrinæ sanæ non necessariò excludit Deum, sed demeritoriè tantùm. Facile enim esset Deo adhuc rimas inuenire, per quas illuminare illum posset: id verò vt non faciat, merentur hominis illius peccata præterita. Vnde prima & directa causa excæcationis suæ est ipse homo. Secunda & indirecta est Deus, dum in pœnam contumaciæ subtrahit ei lumen id, quod poterat communicare. Hac ratione, qui sub concione componunt se ad somnum aut alias cogitationes ne verbum Dei audire cogantur, merentur, vt non excitentur vel vt non intelligant, cùm quid ad salutem eorum necessarium proponitur: quia fenestras lumini claudunt.

G. VI. Dæmones cur volucres.

Q. SEXTA. Cur Dæmones vocantur volucres cœli? Resp. Primò, quia maximo numero habitant in aëre licet vsque ad diem Iudicij solùm. Vnde ad Eph. 2. *Principes potestatis aëris huius* vocantur, & c. 6. *principes tenebrarum harum & spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, id est, in aëre. *Non est nobis colluctatio*, inquit, *aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Vbi in paucis verbis habes eorum naturam, quia Spiritus: speciem,

1.

ciem, quia inuisibiles: indolem, quia nequissimi, ipsæque nequitiæ: potestatem, quia mundi rectores: fraudem, quia principes tenebrarum: locum quia ex aëre nos inuadunt. Meritò ergò subdit: *Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.*

Secundò, quia velocissimè in nostram perniciem volant, & nostræ perditionis gratiâ perambulant ac circumeunt terram, vt ille *Iob* 1. Non tam citò congregantur curui ad cadauer, quàm citò conueniunt Dæmones ad nocendū homini cùm vident eum sui negligentem.

Tertiò, Quia voraces & insatiabiles, semper circumeunt quærentes quem deuorent: sicut aues semper quærunt grana quæ de agris tollant, maximè selecta vt columbæ: patula itē & quæ emicant. Curet igitur latere, qui nō vult deuorari; latere, inquam, per humilitatē, quia sola hæc euadit laqueos diaboli, vti aliquando S. Antonio dictum à Deo cùm orbem totum aspexit laqueis plenum & quæsisset: Quis euadet istos laqueos? S. Martinus videns aliquando mergulos in flumine piscari & rapacem ingluuiem assiduis vrgere capturis, ait ad discipulos suos: *Forma hæc dæmonum est, qui insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos deuorant, exsaturari non queunt deuoratis.* Sulpit. in vitâ.

4. Quartò, Quia vt volucres deuorata grana diu conseruant & circumferunt in stomacho: sic etiam dæmones conseruant in memoriâ partim verba Dei, quæ nos excidere passi sumus: partim peccata nostra vsque ad extremū diem vt ibi nos accusent. Vnde à Matthæo hîc vocatur malus: à Marco satan, id est, aduersarius: à Luca diabolus, id est, calumniator.

H. VII. *Quæ terra bona.* Q. SEPTIMA. Quæ est terra bona? Resp. Esse cor à terrenis affectibus & perturbationibus vacuum atque liberum. Qui tale cor habent. Primò, verbum audiunt in corde bono & optimo, id est, in corde meliori vel meliori, quia pro bonitate cuiusque melior & melior prodibit fructus; quò enim purius est cor audientis ab omni inordinato affectu, quò melioris voluntatis &c. eò maiore fructu audiet verbum Dei. Bonum cor mouetur ad præcepta seruanda: optimum ad consilia etiam & multa quæ non sunt præcepta. Bonum cor mouetur ad peccata relinquenda: optimum etiam ad multa bona patranda. Bonum cor mouetur timore gehennæ: optimum verò virtutis & Dei amore.

Secundò, Verbum retinent, in corde suo abscondunt & domi per hebdomadem ruminant, simque tanquam regulam proponunt imitandum. Absque hoc nihil prodesset, recepisse verbum Dei: sicut nec sumpsisse cibum, qui reuomitur. Vnde S. Greg. *hom.* 15. quæ est super hodiernum Euangelium ait: *Verba Domini quæ aure percipitis, mente retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei: Et quasi acceptus cibus stomacho languente reijcitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profectò vita desperatur. Æternæ igitur mortis periculum formidate, &c.*

3. *Fructum affert.* 1. Tertiò. Fructū afferunt & Primò ascendentem & crescentem, inquit, S. Marcus. Debet enim fructus bonorum operum Primò ascendere ad Dei gloriam, non iacere in terra vt cucumeres, hoc est, non fieri ad temporalem finem. Secundò, debet crescere, augeri & perfectior fieri. Nun vnum tantùm aut alterum vitium deponendum, sed paulatim omnia; non vna tantùm virtus, sed omnes addiscendæ.

2. Secundò, aliud tamen fert trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, hoc est, alius minorem, alius maiorem. Quemadmodum enim ij qui singulas acceperè mnas, diuersimodè negotiati sunt; alius enim lucratus est 5. alius decē mnas *Luc.* 19. sic fit cum verbo Dei. Aliqui hoc ad status applicant. August. *lib.* 1. *quæst. Euang.* centesimum martyribus, sexagesimum virginibus, trigesimum coniugatis tribuit. S. Hieronymus *l.* 1. *contra Iouian.* centesimum virginibus, sexagesimum viduis, trigesimum coniugatis. Theophylactus centesimum Anachoretis, sexagesimum cœnobitis, trigesimum coniugatis & laicis. Alij centesimum perfectis, sexagesimum proficientibus, trigesimum incipientibus.

3. Tertiò. Fructum afferunt in patientia ait Lucas. Quemadmodum enim sementis multas sustinere tempestates debet, antequam maturescat: ita & vita iusti ex semine verbi diuini prognata plurimis tentationibus obnoxia est. *Sic vua calcibus tunditur,* ait S. Gregorius super hunc locum, *& in vini saporem liquatur. Sic oliua contusionibus expressa amurcam suam deserit & in olei liquorem pinguescit. Sic per trituram area à paleis grana separantur & ad horreum purgata perueniunt. Quisquis ergò appetit plenè vitia vincere studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare, vt tantò post ad iudicem mundior veniat, quantò nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat.* Hæc Gregorius.

DOMI-

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ,

Euangelium Lucæ 18.



IN illo tempore: Assumpsit IESVS duodecim discipulos suos & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabitur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint occident eum: & tertiâ die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum istud absconditum ab eis: & non intelligebant, quæ dicebantur. Factum est autem, cùm appropinquaret Hiericho, cæcus quidem sedebat secus viam mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat, quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quòd IESVS Nazarenus transiret. Et clamauit dicens, IESV, fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei. Stans autem IESVS, iussit illum adduci ad se; Et cùm appropinquasset: interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et IESVS dixit ei: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit: & sequebatur illum, magnificans DEVM: Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem DEO.

CONCIONES.

CONCIO I.

Quâ ratione peccatores hoc tempore Christo passionem suam renouent.

1. *Aliqui Christum vendunt, pro temporalibus rebus iustitiam distrahentes.*
2. *Alij illudunt Christū, qui aleis, ebrietati &c. student.*
3. *Alij conspuunt contumelijs & blasphemijs.*
4. *Flagellant Christum qui sibi socios scelerū adiungunt.*
5. *Crucifigunt eum qui peccata peccatis addunt.*
6. *Tradunt eum Gentibus ad illudendum, qui occasionem præbent Iudæis, hæreticis &c. Christum & religionem Christianam traducendi.*

THEMA

Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur gentibus & illudetur & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum. Luc. 18.

A. NEscio sanè quonam modo aptiùs hunc incipiam sermonem, præterquam illis ipsis Domini verbis: *Ecce ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur &c.* Ecce, inquã, ascendimus ad tempus Quadragesimæ, & memoriã passionis Domini; siquidē Ecclesia iam à Dominica Septuagesimæ omisit Cantica lætitiæ, & assumpsit vestes lugubres, præparat se ad funus sponsi, deplorat lapsum Primi parentis, peccata & exilium nostrum. Et interim tamen ecce hoc tempore Christus traditur, illuditur, conspuitur, flagellatur & occiditur denuò, quodque plus est à Christianis, & ante passionis suæ memoriam, dum grauibus eorum sceleribus offenditur plusquam toto anno. Vidisti nimirum Domine, te à Christianis ante passionis tuæ tempus denuò tradendum, flagellandum &c. ideoque præsagis tuam passioné, qui es agnus occisus ab origine mundi. Quare Auditores, siquis est vestrûm qui Domini velit passionem memorari eique compati, faciat id hoc tempore; hoc enim alterum est passionis eius triduum. Sed video de multis idem dici posse, quod hodie de Domini discipulis dictum: *Ipsi nihil horum intellexerunt.* Nemo vult intelligere, nec credere, se Christum denuò tradere, illudere, conspuere, flagellare, crucifigere. Quid? inquiunt: hæccine nos facimus? quid enim dum peccamus, contra Christum molimur? Sed ostendam hæc omnia à vobis fieri, ô Bacchantes, Audite

B. I. PRIMÒ, Tradunt aliqui hoc tempore & vendunt Christum: & quidem pro modico pretio; quod testatur Origenes cùm ait: *Omnes qui pro temporalibus rebus Iustitiam distrahunt, Deum qui est Iustitia, vendunt.* Et quoties hoc cōtingit his diebus? Habet enim hoc triduo Nundinas suas Diabolus, qui omnis generis merces venales proponit traditque omnibus Christum tradentibus. Et pro tanto pretio totius mundi maximo quid emitur? Laruę, nolæ, puppæ, cre-

Qui Christū tradant seu vendant.

pundia, vanissimæ, inquam voluptates & vilissimæ. Sanè Christus datus & natus est nobis, estque tota Christianorū & vnica hæreditas, cuius pignus est gratia. Perditur hæc per peccatum, ac consequenter etiam Christus. Nam si tibi offerretur malum punicum non aliter tamen nisi pro Chirographo hæreditatis tuæ: Nónne si tu pomum arripias & comedas, censeris emisse & teneris soluere? sic Dæmon decepit protoplastas & decipit nunc mundum. Chirographum tuum sunt merita & gratia Christi: hæreditas tua Christus à quo Chirographum accepisti. Quanta fuit stultitia illius Esau vēdentis primogenituram suam pro vili lentis edulio? At maior longè est stultitia peccatoris. *Transite ad Insulas Cethim* (ait per Ieremiam cap. 2. Deus populo suo) *& videte: Et in Cedar mittite: considerate vehementer & videte, si factum est huiuscemodi: si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt Dij: populus verò meus mutauit gloriam suam* (id est Deum) *in idolum*. Dicunt ergò reprobi cum Iuda: *quid vultis mihi dare & ego eum tradam?* quia pro qualibet re vilissima & turpi voluptate parati sunt Deum offendere, & perdere: Verbi gratiâ pro vna fornicatione, adulterio, iniusto lucro, blasphemia, ebrietate voluntaria, &c. nec non omnē mouent lapidem vt occasionem inueniant eiusmodi peccata patrandi. Triginta illi argentei erāt alicuius pretij & emptus est ex ijs ager in sepulturam peregrinorum. Ea verò quæ peccatot emit, ipsi nihil prosunt, imò obsunt & sæpe etiam fortunæ & corporis extrema discrimina adducunt. Demosthenes postulatus ingens pretium à Scorto, respondit: *non emo tanti pœnitere*. Quid respondeat Christianus in hac vel simili tentatione?

C. II. Qui illudant. SECVNDÒ, Illudunt alij Christum. Et Primò, qui aleis ludūt. Vt enim illudere deriuatur

1. à ludere: ita illusio à lusu nascitur. Scimus lictores pro Domini veste aleā iecisse & quidē in contumeliam illius; non caret ergò contumeliâ Christi ludus alearū, Hac enim de causa Christiani Impp. & Magistratus sustulerunt supplicia, veteribus vsurpata, quæ Christo irrogata fuêre, vt crucifixionis & flagellationis. Deceret ergò & aleas exulare à Christianis, & haberi ab ipsis pro anathemate. Si enim filij Israël non comedebant imposterum ampliùs neruum, eò quòd Iacob pater eorum in neruo tactus & vulneratus esset in luctâ *Gen*. 32. pari modo congrueret nos ludum alearum intermittere deinceps, quia is in contumeliam & direptionem vestium Christi nostri vsurpatus fuit. Carnifices losetunt pro veste Christi inconsutili (quæ vnionem Ecclesiæ significat) ne scindi deberet: nunc autem per lusum alearum scinditur vestis Christi, vnio scilicet & concordia Christianorum. Vt enim duo canes in eodem osse non diu concordant, ita nec aleatores in officulis alearum.

2. Deinde etiam illi Christum in seipsis illudunt, qui ebrietati student. Quemadmodum enim Iudæi Christo illudētes, faciem eius velabant & fictè eum adorabant salutabantque: sic ebrij Dei imaginem, ad quam formati sunt, mentem scilicet & rationē per ebrietatem obnubunt & exterminant, vt iam non homines sed bestiæ appareant. Nota sunt Poëtis Circes veneficia, quæ socios Vlyssis carminibus suis non solùm dementasse, sed & in porcos transformasse dicitur aut fingitur potiùs: at de ebrietate id verissimè dicitur. Videre est enim his diebus huiusmodi porcorū & bestiarū fere greges. Alij enim reperiuntur in tabernis consopiti super scamnis & mensis: alij domum deportantur, fuccolantur, trahuntur; alij velut vituli ligati in curribus auehūtur: vacillant alij in equis, ansetum instar, velnt omni momento in terram ruituri: alij in plateis suo in vomitu iacent porcis fœdiores. Hoccine non est illudere Christo, qui est imago patris, ad cuius similitudinem nos quoque formati sumus?

Rursum illudunt Christo & faciem eius obligant, qui nunc adeò liberè peccant, ac si Christus hominum Iudex cæcus esset ipsósque non videret. Hanc enim ob causam milites velarunt Christi faciem, vt omnem petulantiam in eum velut cæcum liberiùs exercerent; vnde nescire se ab illo existimantes dicebant: *Prophetiza quis te percussit?* Idem verò si non verbo, saltem factō dicunt nunc quamplurimi, qui, dū aduertunt à Magistratu non inhiberi illorum insaniam, iam se coram Deo quoque impunè insanire posse existiment; vel quia Deum non vident, neque se ab ipso videri credunt, adeóque cum improbis illis dicunt: *Iam non est Propheta & nos non cognoscet ampliùs*. Psal. 37. 3.

Quin etiam laruati omnes videntur illudere Christo, dum imaginem Dei, quam etiam suo modo in facie & corpore gerūt, in seipsis obvelant & extirpant, quasi opus Dei corrigere vel prorsus delere velint: præsertim cùm contra Dei legem viri muliebres & mulieres induunt viriles vestes; quæ nō exigua leuitas est & gentium Idololatriam sapit, quā (vt scribit Card. Cusanus *Exercitationum l. 2. in serm.* Ibant Magi) *mulieres vestes viriles & arma in honorē Martis induebant: & viri muliebres in honorem Veneris*. 4.

D. III. Qui conspuant. TERTIÒ, Alij conspuunt modò Christum contumelijs & blasphemijs. Quid enim aliud sunt blasphemiæ quàm sputa fœtidissima in faciem Christi eiecta? Vnde Nicetas in [illegible] 3. *de Christi Natiuit.* ait: *Sputa & alapæ, contumeliæ illo dici possunt, quæ palam & velut in faciem infliguntur.* Ex fœtido enim pectore extrahuntur eiusmodi blasphemiæ & Deo in faciem dicū-

Blasphemia sputa. tur: sputo lōge fœtidiores & horribiliores. Alia peccata indirectè tāgunt Christum: & quodammodò præter intentionem, quia peccator nollet eum offendere: blasphemiæ autem directè in eum collimant. Sanè qui vult expuere, conuertit se in sordidissimum quemque angulum. Quid ergo aliud agit blasphemus quàm quòd Christi faciem sordidissimam æstimat, dum in eam expuit, tam fœdè blasphemando? Si casu fortè sputo commacules alterius vestem, statim petis veniam & abstergis illud industriè: In Deum sputa vltrò conijcis; nec times, nec veniam petis. Hoc est quod per

Iob c. 30. queritur Dominus dicens: *Faciem meam conspuere non verentur.* Quis hominum ita est temerarius & audax, qui Principi in faciem spuere audeat? & audebit aliquis hoc Regum Regi Deo facere?

Secundò. Vti sputum cum vehementiâ & impetu ex ore eiicitur: ita & Blasphemiæ. Cætera enim peccata committuntur ex aliquâ imbecillitate & illecebrâ voluptatis: blasphemia verò cum furiâ & indignatione. Vnde 4 *Reg.* 19. dicitur blasphemanti Sennacherib: *insanisti in me*, & *Isaia* 37 *Cùm fureres aduersum me.* Furia hæc est & insania, quia nihil prorsus prætendi potest in Deo, qui summa bonitas est, quod hominem ad blasphemiam stimulet.

Tertiò, Vti nihil homini frequentius quàm spuere, ita multis solemne est, tertio quoque verbo blasphemare: quod queritur *Isa.* 52. Dominus: *iugiter toto die nomen meum blasphematur.* Certè blasphemiæ & execrationes apud multos condimenta sermonis sunt eaque tam vsitata vt sine iis loqui nesciant; & si aliqui toties quoties blasphemant tantùm nummum dare cogerentur, credo quòd multi breui ad paupertatem redigerentur.

E. IV. Qui flagellent. QVARTÒ. Flagellant alij Christum. Quinam verò isti? Primò, secundum Augustinum, iidem blasphemi. Ait enim is tract. 10. in Ioan. *Flagellatus est Dominus flagellis Iudaeorum, flagellatur blasphemijs falsorũ Christianorum.* Sed hac de re iam diximus. Secundò ergò flagellant
1.
2. Christum, qui non satis habent, si delinquant soli, sed prætereà socios sibi scelerum, leuitatum & petulantiarum adiungunt. Hoc enim dum faciunt plures quodammodo funiculos connectunt, & ex iis quasi flagellum faciunt, vt pluribus simul flagris Christum verberent. Sic enim loquuntur *Prouerb.* 1. *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, &c.* Et mox: *sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nost ûm.* Vnde de his verissimè conqueritur per Dauidem *Psal.* 34. in oratione suâ ad patrem cùm ait: *Aduersum me lætati sunt & conuenerunt: congregata sunt super me flagella.* Hebr. habetur: *Congregati sunt super me flagellantes.* Tales ergo sunt peruersi socij, qui hoc tempore iunctis viribus simul inebriantur, scortantur, ludunt & ludẽdo decipiunt, impudicè saltant, lasciuiunt, superbiunt, insaniunt; & ita facto è multis flagris vno integro flagello, Christo plurima simul verbera, quantum in ipsis est infligunt. De eodem alijs verbis queritur per eundem Dauidem *Psal.* 128. dicens: *super dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Quemadmodum enim faber ferrum super incudem tenẽs dum primus percutit socios quoque fabros ad feriendum prouocat vt omnes simul certatim feriant: ita peruersi socij sæpe ab vno ad peccandum prouocati dum in idem crimen conspirant, multiplicatis ictibus dorsum Christi, quasi incudẽ feriunt, non quibuscunque flagellis, sed ferreis & tam grauibus, quæ malleis fabrorum comparari queant; ita vt Christi merita in seipsis annihilent adeoque ei refricent omnia accepta vulnera; quodque pessimum est, solent plerumque de hoc exultare, lætari & gloriari. Id quod magis declarat, alia illius scripturæ versio, quæ est S. Hieronymi, & sic legit. *Supra dorsum meum arauerunt arantes, prolongauerunt sulcum suum.* Quemadmodum enim aratores terram vomere aperiunt & sulcãt: ita peccatores refricant ac renouant Christo vulnera sua; vnde nouus dolor Christo irrogatur ita vt dicere deberet. Pœnitet me pro homine tanta passum esse, quia frustra expendi tantum pretiũ: Deinde sicut agricolæ dum arant, interim cãtare solent & rusticum quid accinere vt laborem fallant: ita improbi socij his præsertim diebus cùm quid turpe egerunt, cùm aliis imposuerunt, cùm insanierunt, iubilant, gloriantur, iuxta id *Prouerb.* 2. *Lætantur cum malè fecerint & exultant in rebus pessimis*; ac denique quo quis stultior & impudentior est, eò sibi pulchrior videtur. Verùm sciant isti terram, quam sic arant, sterilem sibi futuram & incudis instar, ictibus illis magis induratam. *Dorsum & non faciem*, inquit Dominus per Ieremiam c. 18. *ostendam eis in die perditionis eorum.* Faciet etiam Dominus suo tempore flagellum & eijciet eos à facie sua: denique iubebit alligari in fasciculus ad comburendum.

QVINTÒ. Occidunt alij & crucifigũt Christum, quod testatur Apostolus *ad Hebr.* 6 dicens de relapsis: *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei & ostẽtui* (hoc est ludibrio & derisui) *habentes.* Tales ergò sunt Primò, qui peccata peccatis addunt eademque dimissa olim, sæpiùs repetũt. Hi enim quot peccatis, tot quasi clauis affigunt rursum & quantum est in ipsis (dum nouam patiendi causam Christo dant; siquidem id rursum faciunt, propter quod Christus crucifixus est) crucifigunt Christum, & quidem sibimetipsis, ait Apostolus; hoc est: in suam ipsorum perniciem, dum affigunt ei manus, à quibus ipsi sanari, gratiam accipere & in cœlum tolli debent, quod aliud non est, quàm sibimet fontem obstruere, vnde bibendum; sibi segetem exurere, vnde comedendum est. Affigunt autem, quia tot peccatis suis indignos sese reddunt eius misericordiâ; vnde Apostolus loco cit. dicere non dubitauit: impossibile esse vt tales renouentur ad pœnitentiam, hoc est, difficillimum & rarissimum. Rogo enim te, quâ ratione detrahes pileum de pariete, quem tot clauis affigis? & si rursum clauis clauos adigas & bis alios superadigas, quomodo recipies pileum? nónne magis & magis peiores clauos intrudis & difficiliores ereptu facis? Tribus clauis Christum cruci affixum credimus. Vnus affixit pedes, alter brachium sinistrum: tertius brachium dextrum. (Tres hi peccatorum gradus seu gradationes sunt.) Iam si tu affigas Christo pedes, non poterit is ad te accedere; tu ad ipsum venire debebis: poterit tamen te venientem ad se amplecti. Si deinde affigas ei etiam brachium sinistrum, non poterit te amplecti, etiam ad se venientem, poterit tamen dexteram tibi adhuc porrigere. At si ad extremum affigas ei & hanc: dic, obsecro, quomodo te iam in gratiam recipiet,

F. V. Qui crucifigant. 1.

piet,nisi forsitan orando pro te *Pater ignosce illi?* Vides igitur hoc typo remissionem peccatorum eò difficiliorem semper fieri, quò magis ea tu continuas & accumulas. Primus clauus est peccati audacia, quâ Christo pedes quasi affigis, & si gratiam eius recuperare velis, ad ipsum accedere per pœnitentiam veniamque rogare debes. Alter est peccati consuetudo, quæ cùm te fætentem & sordidum reddat, affigit Christo manum & prohibet ab amplexu tuo. Tertius est peccati obstinatio, quæ prorsus afficit Christum vt ne manum tibi porrigat, quia tu tuam retrahis & liberari renuis.

Secundò. Huius farinæ sunt, qui ex præsumptione diuinæ misericordiæ peccant, qui scilicet in proxima quadragesima omnia sua scelera vna confessione abstergere & vno flagello vel ieiunio compensare possint. Hi enim ligant Christo manus, quo minùs eos in gratiam recipere queat: siquidem in ipsum remissionis principium, Dei scilicet misericordiam, peccant, dum eam Deo quodammodò eripiunt & sibi subiectam volunt. Atque ita Deum ostentui etiam habent & dirisui, dum eius bonitate abutuntur ad suam nequitiam; veluti si qui dicerent: Voluemus nos in sordibus & vndique conspurcabimus: habemus enim domi famulos, qui mox iterum nos purgare debent. Deus ergo talium seruus esse debet, de quo queritur Isaiæ c.43. dicens: *seruire me fecisti in peccatis tuis*. q. d. vos mea bonitate adeoque meipso abuli estis velut mancipio ad vestra flagitia: sed nũ hoc patietur Deus? Nequaquam; sic enim Bacchanalistis illis, vitulũ adoratoribus respõdit Exodi 33. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* hoc est (vt exponit sanctus Chrysost. Theoph. Theod. & Oecumenius *in c.9. ad Rom.*) Ego vituli adoratores, quos volo, per Leuitas, vel meipsum mactabo: aliis verò quibus volo cõdonare, miserebor & parcam. Itaque, *nolite errare*: Devs *non irridetur*; nec se patietur denuò crucifigi & ostentui haberi. Sit ergò finis Bacchanalium, sit finis irrisionis Dominicæ passionis, sit finis abusionis diuinæ misericordiæ, ne in nobis verificetur, quod dixit Ieremias c.18. *In tempore furoris tui abutere eis.*

G. VI. Qui tradunt eum gentibus ad illudendum. Sextò, & vltimò, Traditur Christvs gentibus à Christianis ad illudendum, vt habetur Matth. 20. siquidem hac Bacchanaliorum insaniâ Christum & Christianam religionẽ labe quadam aspergunt infamiæ, dum has insanias faciendo & permittendo occasionem præbent gentibus, Iudæis & hæreticis religionẽ Christianam traducendi. Hinc enim Mahometanis & Agarenis ludibrio esse cœpimus, ita vt multi illorum persuasum sibi habeant, quasi omnes Christiani semel in anno insaniant, Ecce, inquiunt Turcæ; qualis est natio Christianorum! hodie se se ingurgitant ad fauces vsque, cras ieiunio se conficient; hodie choreis, lusibus, libidini, sympoliis ad insaniam vsque indulgent: cras verò toti alij, ad aras procumbent, cinere caput aspergent & quasi iam iam morituri, mortem præ oculis habebunt. Qualis est eorum legislator, qui hæc vel docuit vel permittit? Ecce non tantum Christiana religio, sed & Christus ipse incredulis illudendus traditur à laruatis Christianis. Qua in re Christus meritò conqueri de nobis potest & dicere, quod Iacob dixit filiis suis Simeon & Leui vasis iniquitatis bellantibus, ob cædem Sichimorum. Gen. 34. *Turbastis me & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis.* Deinde redundat hoc opprobrium in Ecclesiam. Sola enim nostra Catholica religio ea est, de qua Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te;* quia nimirum sola purã habet per omnia doctrinam, bonis moribus & rationi congruam. Sed si Christianorum insaniam hoc tempore cõsidero, omnibus ferè communem, dubitare mecum incipio, an non hæc insania religioni nostræ labem impuritatis asperget. Famã certè quin minuat, nullus dubitat. Multò veriùs nos pastores & prædicatores plebi Christianorum dicere possumus, quàm plebs Hebræorũ dixerit Moysi & Aaroni Exodi 5. *Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis nomen nostrum coram Pharaone & seruis eius* (id est, insulsos & abominabiles nos fecistis Pharaoni) *& præbuistis ei gladium vt occideret nos.* De Christianorum prima natione non dubitauit Apostolus scribere, 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus*; quia nimirum bonam Christi & Christianismi famam spargebant vt gentes bene de Christo & Christianis sentirent ac loquerentur. Sed non video quomodo de nobis hoc tempore dici possit; siquidem, vt dixi, Christiani fœtere nũc faciunt odorem nostrum ita vt gentes occludant nares. Neque hoc tantùm, sed & gladium illis præbent vt ipsi in nos sæuiant, insaniant & debacchentur. Quemadmodum enim Iudæi non impunè tradiderunt Christum gentibus, sed post annos 38. traditi & ipsi gentibus sunt à Christo, occidendi, crucifigendi, illudendi, vendendi: ita & nobis timendum. Quid? an non vidimus elapso sæculo multas Catholicorum ciuitates, oppida, monasteria, pagos ab hæreticis & Turcis occupatos, expilatos, exustos, deletos? an non vidimus nuper virgam illam Dei, cometam, plurimam iam patriæ nostræ stragem attulisse? An non audiuntur vndique arma? clades? bella? Quid sibi volunt illa? Clamant nimirum ad nos Dei voce: sit finis flagitiorum, sit finis ebrietatum, sit finis libidinum, sit finis insaniæ, sit finis Bacchanaliorum. Alioqui tradam & egò vos gentibus & hæreticis. Mauult enim Deus hæreticos regnare, qui in fide errant, & gentes qui eam nesciunt, quàm malos Christianos, qui sciunt, & non faciunt, quod ipsis faciendum.

CON-

CONCIO II.

Stultitia & cæcitas ebriorum, saltatorum, aleatorum

1. Assignantur octo stultitiæ ebriosorum.	*3. Aleatorum stultitia, ac damnatorum cõpotatio, ludus & chorea exponuntur.*
2. Improbantur choreæ, earumque sectatorum cæcitas ostenditur.	

THEMA.

Domine vt videam. Luc. 18.

A. REfert Aristoteles in *Phy. c. 1.* & post eum Gregorius Nazianzenus *Orat. 4.* pulchrã quandam puellam fistulæ cantu delectari solitam, cùm calamos inflans in fontem fortè prospiceret, & vultus sui deformitatem à fistulæ inflatione prouenientem intueretur, calamos confestim fregisse & fistulæ vsum perpetuò detestatam esse. Eccur ego fabulã hac concionem meam ordior? Quia nimirum existimo hanc ad nos pertinere. Quisquis humanã præditus est naturã, pulcherrima hæc puella est ad imaginem Dei condita, & ad sectanda bona solida, grauia, æterna. Dum verò his diebus videre est innumeros, qui calamos vanitatis inflando fidicines & tibicines, ebrietatem, choreas, ludos sectando stultescunt, bacchantur, insaniunt: quis dubitat etiã istos formam & pulchritudinem suam maximoperè conspurcare? Vnde nihil magis optem, quàm vt hi similiter seipsos conspiciant; nihil dubitans fore vt calamos stultitiæ suæ frangant & detestentur in perpetuum. Quia verò mundus cæcitate percussus, hoc videre nequit, ideò ad Christũ clamare debet: *Domine vt videã.* Quod vt faciliùs fiat, adducendos eos duximus ad fontem partim verbi diuini, partim rationis, vt in eo turpitudinem suam videãt. Spectabimus ergò nunc trium stultorum schemata, Ebriorum, Saltatorum, Aleatorum.

B. 1. Ebriosi. PRIMÒ, Cæci & stulti sunt ebriosi, maximè qui volentès & ex proposito se inebriant. Nam Seneca inprimis ebrietatem dixit esse insaniam voluntariam *epist. 84.* Excæcat enim sensus & bestiam ex homine facit, vt meritò de iis dici queat id Psalmi: *Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt, pedes & non ambulãt, &c.* Ita enim S. Basilius hom. in ebrietatem ait: *Quid quæso sunt ebrij aliud, quam gentiũ Idola: oculos habent & non vident, &c.* Vnde qui

Stultitia eorum. 1. his diebus circumiret, ferè vbique cerneret simulachra gentium. Et quidem Prima ebriorum stultitia est, quòd seipsos lenta manu per funem poculorum suauiter demittant in os inferni, quemadmodum Daniel & postmodum eius inimici demissi sunt in lacum Leonum. Non enim potest esse falsum quod dixit Apostolus 1. Cor. 6. *neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et quod Iob c. 21. *ducunt in bonis dies suos & in puncto ad infernum descendunt.*

Conc. Fabri Pars Hyemalis.

Secunda quòd bibant præter naturæ appetitum; quam ob causam stultiores asinis vocantur à Chrysost hom. 71. ad pop. dum ait: *quantò melior ebriosis est asinus & canis? nam quodlibet horum animalium & omnium aliorum, si sit opus bibere, necessitatis terminũ nouit, nec vltra quod est opus progreditur: licet sint infiniti qui cogant, in immoderantiam procedere non patitur. Vos ergò brutis deteriores estis.* Nõnne enim stultitia est bibere, cùm à potu abhorreas? Similiter S. August. serm. 231. de temp. *Considerent,* inquit, *ebriosi, si non peiores animalibus iudicandi sunt. Cùm enim animalia ampliùs quàm eis opus est, bibere nolunt: illi & duplum & triplum, quàm eis expedit, potum accipiunt.* 2.

Tertia. Quòd glorientur etiam si magnos haustus facere, & compotatores omnes superare queant, potum sine damno ferre, &c. quemadmodum Darius rex, cuius sepulchro inscriptũ fuit: *Potui & multum vinum potare & hoc probè ferre.* Refert P. Io. Dauid *in Verid. c. 65.* Sed quid hoc laudis? Habet hanc virtutem & spongia, vt respondit aliquando Demosthenes in simili. Plut. in Demosth. Et Aristippus apud Laert. l. 2. cap. 8. *Quid magni narras,* inquit, *cùm idem faciat quoque mulus?* 3.

Quarta, Quòd toties redeant ad ebrietatem, quam tamen experti sunt plurima sibi incommoda afferre: stultiores asino, qui si in glacie semel lapsus concidit, non facilè ad eam reducitur. Ebriosus verò ad easdẽ tabernas, ad eandem ingurgitationem toties redit, toties ictus. Vnde sanctus Basilius *hom. 1. de ieiunio,* ait: *famulus profugit ab hero verberante, tu verò non recedis à vino, quod quotidie contundit caput tuum.* 4.

Quinta, Quòd se mutuò ad bibendum instigent & cogant, ad certum poculorũ numerum: cùm tamen id in epulis & cibo inauditum sit. Sic enim Polonus quidam redarguit se cogentem respondere magno poculo, dum vicissim ei propinauit integrum caseum à se deuorandũ. Quod si absurdum est cogi aliquẽ ad edendum vltra appetitum, cur non item, cogi quem ad bibendum? Et quæ insania est cogere quem ad respondendum, quo enim id iure, quo fine aut fructu fiat? S. Augustinus *serm. 231. de temp* ait: *Qui alterum cogit, vt se plus, quàm opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius per ebrietatem necaret.* 5.

Sexta. Quòd in aliorum sanitatem bibant, & propriam interim lædant: quæ magna sanè stultitiã. Quĩ enim tu pernicie tuã salutem alteri procurabis vel rem gratam facies? 6.

Septima. Quòd quidam flexis genibus in sanitatem aliorum potant. Quam Germanorum væsaniam derisit nuper in Hispania vir magnæ dignitatis, qui cùm interrogasset Germanum quendam, mihi bene notum, in Hispania tum degentem, quo honore ducerent Germani Regem Hispaniarum? isque respondisset: adeò magni æstimant, vt flexis genibus in eius sanitatem bibant, protulit hanc vocem, *Estis bestiæ!* sed qualis bestiæ? Cape tibi hoc potator Alemanne. 7.

Octaua. Quòd hominem ebrietas bestialibus induat moribus. Vnde Lacedæmonij vt filiis suis ebrietatem interdicerent, aliud non faciebant, quàm vt seruos suos inebriarent, quorum suillos mores dum filij inspicerent, vitarent ebrietatem & absterrerentur. Anacharsis rogatus, quomodo quis abstemius fieret? Respondit, si turpes ebriosorum mores ob oculos sibi ponat. Ambulant enim vacillando vt arbores à vento iactatæ; Vnde siquis cæcus nunc primum illuminatus prospiceret in plateas, diceret, quod cæcus ille natus, postquam à Christo illuminatus est: *Video homines ambulantes sicut arbores.* Quid verò de eorum dementia dicat Ambrosius l. de Helia & ieiunio, audite. *Hinc vana imagines ebrijs, incerti visus, instabiles gressu: Vmbras transiliunt sæpe sicut foueas, nutat his cum facie terra: subitò erigi & inclinari videtur, & quasi versatur, timentes in faciem ruunt & solū manibus apprehendunt aut concurrentibus montibus sibi videntur includi. Murmur in auribus tanquam maris fluctuantis fragor & resonantia fluctu littora. Canes si viderint Leones arbitrantur & fugiunt. Alij risu soluuntur incondito, alij inconsolabili mærore deplorant, alij cernunt irrationabiles pauores, vigilantes somniant, dormientes litigant.* hæc ille.

C. 14. Saltatores. 1. Secundò, Cæci & stulti sunt qui choreas frequentant, (quamquam id toleratur, cùm fit pro certo tempore, vt in nuptiis, modestè & moderatè, cum personis honestis.) Quid enim ineptissima illa membrorum iactatio & pedū exultatio, complosio, cursus & totius corporis frustranea defatigatio, nisi insani hominis indicia? Quòd siquis nullam vnquam saltationem vidisset vel de eâ quid audisset, postmodum incideret in chorum rusticorum saltantium: quid quæso dicturum putamus? nònne insanos diceret vel obsessos? Solus itaque vsus obstat, quo minùs tales iudicemus eos, qui saltant. Iudæos irridemus quod in Synagogis suis inconcinnè clament, exiliant, complodant &c. quo tamen ipsi ritu Deū se honorare contendunt. Similiter Turcas insanire dicimus, cùm audimus vel videmus eos in templis suis extensis brachiis & capite in dorsum retorto tamdiu se gyrare, donec vertigine, & lassitudine occupati concidant in terram, spument, sudent &c. Quid verò aliud de nobis Turcæ dicerent, si choreas nostras viderent? Vnde meritò Alphonsus rex Aragonum dixisse fertur, hoc solum esse discriminis inter saltatorem & stultum, *quòd hic perpetuò stultus sit, ille autem tamdiu, quamdiu saltat.*

a. Hinc ipsis quoque Ethnicis turpe visum est saltare. Nam Domitianus Imperator Cælium Ruffinum senatu mouit quòd saltasse diceretur, Xiphil. auctore. Tiberius Imp. Româ saltatores expulit vetuitque ne eam artē vspiam exercerent. Dion. Nicæus in Tib. Cicero Gabinio viro consulari saltandi studium vt probrum obiectauit. Idem in orat. pro Murenâ ait: *nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit.* Nullæ etiam choreæ tam impudicæ ac Germanorum. Apud Iudæos choreæ fiebant seorsim inter viros & seorsim inter mulieres *Exod.* 15. *Iud.* 11. 1. *Reg.* 18. Poloni etiā, Itali, Galli, Hispani, Vngari, longè modestiùs saltant. Deinde quia suis ipsorum ædibus flammas subiiciunt. Communiter dicitur, man soll der Laufs nit an den Brick setzen pediculos non inferendos vesti pelliceæ; sponte enim illi innascuntur. Hoc autem faciunt, qui saltant. Ibi ignis & ligna iuxta se mutuò, tantùm requiritur victima, vti dixit Isaac. *Gen.* 22. In medio est sufflatorium Diaboli, qui absque dubio data peccandi occasione sedulò vtitur. Vt enim Christus in medio eorum se esse dixit, qui in nomine eius congregati sunt: sic etiam cacodæmon in medio eorum est, qui choreas agunt, quia in nomine eius congregati sunt. Vnde Guilhelmus Lugdunensis dicit: *Chorea est circulus, cuius centrum est Diabolus, & circumferentia angeli eius.* Narrant Dæmonem aliquando terras obiisse & quæsiuisse vbi omnium commodissimè habitaret. Venit igitur Primò, ad aulam regis & aulicos, vbi quidem delectabatur vanitate, superbiâ, inuidiâ aulicorum, sed quia videbat ibi etiam vigere iustitiam & Dei cultum, sedulò audiri Missam, seruari statuta ieiunia: inde discessit & venit in Emporium celebre, vbi è mercatorum fraudibus & dolis, senatorum cambiis & auaritiâ, ciuium luxu & intemperantiā magnam quidem voluptatem capiebat, sed quia vidit ibi etiam eleemosynas frequētes & magnas, inde etiam cum indignatione abiit & ad molitorem venit, vbi de illius & seruorum eius furtis & deceptionibus mirè sibi applaudebat, sed quia vidit interim molitorem semper cum rusario perambulantem ædes suas, etiam inde se proripuit, & ad choreas venit, vbi cùm vidisset mille instrumenta ad illaqueandos homines, superbum vestitum, ostentationem, ambitionem, fidicines & tibicines & omnis generis peccatorum illecebras, nihil verò penitus, quod Dei cultum, pietatem aut virtutem saperet, exulare ieiunia, eleēmosynas, orationem: idcircò eum sibi locum imposterum habitandum delegit. Nam *vbi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi Dei timor?* inquit S. Hieronymus contra Heluidium. Meritò ergo dixit Chrysostomus hom. 49. in Matth. *Vbi saltus lasciuus, ibi Diabolus certè adest.*

Viderint ergo parentes qui liberos ad choreas ducunt. Interdicunt sanè filiis suis ne in flumine se lauent & ex alto ponte in id desiliant, &c. quantò periculosior chorea? *Omnis enim motus & saltus petulantiæ est saltus in profundum cloacæ,* ait S. Augustinus. Rursum quia ferè tempore, quod corporibus à labore recreādis datum est, festiuis nimirum diebus choreæ instituuntur & protrahuntur eousque donec aliquādo nimiùm incalescētia corpora destruantur. Quæ est autem hæc stultitia fatigare & opprimere corpus, die quo eius quies quæritur?

Denique quia saltando ad mortem eunt. Perquire historias & inuenies choreas pessimum plerumque exitum habuisse. Quemadmodum enim saltus & ludus Delphinorū in mari tempestatem præsagit, ita & turpes choreæ

reæ iram Dei prænuntiant. Saltationem Hebræorum circa vitulum conflatilẽ ingens strages secuta est 23000. hominum *Exod.* 32. Saltationem filiæ Herodiadis, decollatio Ioannis, & tristitia Herodis. Choreas quas in Vigilia natiuitatis Domini ducebant in cœmiterio Saxones in Diœcesi Magdeburgẽsi, ex imprecatione sacerdotis per totum annum continuare coacti sunt, vt refert Nauclerus & Crãzius *l.* 4. *Saxon.c.*3.& alij. Ludouicus Marchio Misnensis idemque Archiepiscopus Magdeburgensis de lunæ bacchanalium, post conuiuium choreas instituens & peragens iam senex repente exorto in camerâ incendio, cùm fugere per scalam vellet, scalæ ruina inter 300. alios solus ipse cum tribus alijs perijt annô 1376. apud Hieronymum Zieglerum, *de viris illustribus German.* c. 84. Cranzium *lib.* 10. *Metrop.cap.* 23. & *l.*10. *Saxon.c.*5. qui & hoc scribit *l.*8. *Metrop.c.*39. sub Rudolpho I. cùm Traiecti iuuenes, puellæ, viri & fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, & venerabile Christi sacramentum deferretur nec illi prosternerentur intenti vanitatibus, mox ponte decidente, ducentos propè mortales perijsse.

ID. III. Aleatores.

1. Tertiò, Cæci & stulti sunt aleatores & Lusores. Tales enim primò, perpetuò vt luna mutantur, nunc lætantur, nunc tristantur; nunc præsumptione extolluntur, nunc desperatione & pusillanimitate deijciuntur; nunc chartas dentibus lacerant, (quo modo canes morsu appetunt lapides) Deum & Sanctos blasphemant, quasi in rabiem versi sint: chartas ipsas execrantur, cùm sibi potiùs irasci deberent.

2. Secundò substantiam suam tot laboribus & difficultatibus partam fragili fortunæ credunt, & vno interdum iactu perdunt ac quandoque eò deueniunt, vt vestes ipsas exuant & aleæ committant.

3. Tertiò, Cùm possent esse quieti & sine solicitudine, curas & solicitudines quærunt. Quis enim nescit lusores perpetuò timere iacturam rerum suarum, pro quibus ludunt? Perdere enim nulla delectatio, sed potiùs amaritudo est.

4. Quartò, Dum ipsi lucro modico inhiant, interim longè plus perdunt, & spoliantur à Dæmone. Perdunt pretiosum tempus, quod ipsi, vt dictitant, fallere volunt, quasi pensè non fugiat: perdunt amicitiam & charitatem proximorum per iurgia & lites, quæ communiter inde oriuntur, &c.

Damnatorum compotatio.

Denique isti omnes cæci & stulti sunt, quia nouissima suarũ stultitiarum non præuident. Profanas enim horum compotationes, lusus & choreas, sequitur aliquãdo mirabilis compotatio, lusus & chorea in Luciferi tabernâ. Ibi enim *fel draconum vinum eorum.* Deut. 32. Item, *ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum* Ps. 10. Bibitur hîc ad fundum: sic etiam bibetur ibi; sed fundus non reperietur, *Psal.* 74. *Verumtamen fex eius non est exinanita.* Hîc coniuratur in societatem: Einer dem andern/ inquiunt. Et ibi quoque coniurabuntur, vt ne vnus quidem ab altero separari queat. *Quia sicut spinæ se inuicem complectuntur: sic conuiuium eorum pariter potantium; consumentur quasi stipula ariditate plena*, inquit Nahum. cap. 1. Hic occludi solet ianua detrectanti respondere poculis & ibi occludet ianuam Lucifer donec ebibatur æternitas pœnarum.

Secundò, Lusores ibi ludent ludum illum, qui ad infernum ducit, werden in die Hollfahren / da wirdt ein langes Hollfahren seyn/ einer nach dem andern. Imò da wirdt ein ewiges Hollfahren seyn/ quia nunquam peruenient ad terminum inferni. Ibi enim *miseris erit mors sine morte: finis, sine fine: quia ibi mors viuit & finis semper incipit*: ait S. Gregorius 9. *Moral.cap.* 48. Ibi subinde noui & diuersi proponentur eis ludi. Primò alearum ludus, quem vulgò appellant Vaschen / quia ita cædentur flagellis & scorpionibus, das es wird Vaschen. Ibi ludus chartarum, quem vocant Trumpffen / quia vermis eorum non morietur, sed perpetuò rodet eos vt semper inquieti hàc illac sese vertant: Ibi ludus latrunculorum, quem dictitant die lange Puff; siquidem ibi verberibus affatim tundentur. Et quàm diu durabunt ictus illi? quàm diu ipse Deus. O æternitas quàm longa es! *Ludi.*

Denique chorea ibi erit terribilis: *transeat* (damnatus) *ab aquis niuium, ad calorem nimium*, ait Iob c. 24. Ibi Musica erunt væ & lamenta, rugitus Leonum, latratus canum, vlulatus luporum, &c. de Herodiadis filiâ saltatrice narrat Nicephorus *l.* 1. *c.* 20. eam, cùm aliquò ire tempore brumali & glaciem transire deberet, ruptâ subitò glaciẽ in aquas incidisse capite tenus & in iisdem, vindice Deo, saltasse; caput etiam eiusdem glaciei crustis resectum in glacie simili modo saltitasse. Quid si hæc ipsa pœna expectet in inferno saltatores? Ergo saltem in puteum inferni inspiciant potatores, saltatores, lusores, & ibi se contueantur, quales aliquando futuri sint. *Vtinam saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent* ait! Moyses *Deut.* 32. Vtinam clamarent cum cæco hodierno: *Domine vt videam*; quæ ibi pœnæ expectent reprobos. Ibi enim *continuus erit*, inquit S. Cyprianus in tract. de ascens. Domini, *& superfluus illarum lachrymarum decursus, stridorem illum dentium flamma inextinguibiles agitabunt: immortales miseri viuent, incendia & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent: ardebit purpuratus diues, nec erit qui aestuanti lingua stillam aqua infundat: in proprio adipe frixa libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrociùs desperatio condemnatas affliget: non miseretur vltrà Deus: nullum ibi refrigerium, nullum remedium.* *Chorea.*

CONCIO III.

Causæ cæcitatis spiritualis quæ est inconsideratio nouissimorum.

Prima est dæmonis calliditas & indefessum studium.	4. *Præsumptio de diuina misericordia.*
2. *Incredulitas hominum.*	5. *Metus tristitia, si nouissima pre oculis haberent.*
3. *Philautia seu amor sui ipsius.*	6. *Mera salutis negligentia.*

THEMA.

Domine vt videam. Luc. 18.

A. NOn minima Ægyptiarum plaga fuère tenebræ adeò densæ vt palpari possent, & nemo videret fratrē suum; quæ quidem durârunt tres dies & noctes (vt ostendit Cornelius à Lapide *in cap.* 10. *Exodi.*) & denotabant cæcitatem mentis Pharaonis & Ægyptiorum, vt ait Origenes, qui tot plagas experti, Deo tamen credere & imminentem sibi cladem prouidere noluerunt. Non valde aberrauerim si has tenebras triduanas Bacchanalia nostra dixerim, vbi triduo vix agnoscuntur homines, partim ob vultuum transformationem, partim ob stultitiam & dissolutos mores; dū homines ita viuunt, quasi nihil prorsus scirent de morte, iudicio & inferno. Et hinc, arbitror, legit hodie Ecclesia Euangelium de cæco iuxta Ierichonam cæcus hic sedens secus viam propè Iericho quid nisi cęcum mortalium genus designat; sedens secus viam salutis iuxta fatuum hunc mundum? (Nam Iericho Lunam significat ex Gregor. hom. in hodiernum Euangelium, & stultitiam repræsentat.) Cęcitas autem ista potissimùm est, inconsiderantia nouissimorum: vt licet mortem ac iudicium certò nobis subeunda esse sciamus, ad ea tamen nos non præparemus. Item cùm infernum destinatum esse peccatoribus sciamus, eum tamen non metuamus, sed hilariter in omni vitiorum genere voluamur ac securè dormiamus. Quâ calamitate quæ potest esse maior? Et quidem si vllo aliô tempore, hoc maximè excæcantur homines: ita vt dicere liceat cum Sapiente: *Stultorum infinitus est numerus.* Quomodo enim homines nunc ita insanire, bacchari & vlulari possent, si nouissima considerarent? Vnde Moyses: *Gens absque consilio est,* inquit, *vtinam saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent!* Deut. 32. sic enim sperabat populum suum ab ineptiis & damnatâ peccandi insaniendique libidine illicò cessaturum. Ac proptereà fortè Ecclesia die Cinerum hanc hominum cæcitatem absterfura, cinere, qui mortis memoriam ingerit, conspergit eorum capita; ad exemplum videlicet Christi, qui alibi cæcum luto super oculos imposito curauit. Sed nunc causas huius miræ cæcitatis indagemus.

B. I. Dæmonis calliditas. PRIMA, Dæmonis calliditas & indefessum studium, cui nihil magis curæ est quàm ne homines memorētur nouissima sua: idcircò omnia ea ab oculis eorum remouet, quæ nouissimorū memoriam ingerere illis possunt; atque ita excæcat illos. Nouit enim maximā esse vim memoriæ illius. Refert Plinius *l.* 8. *cap.* 16. Getulum Pastorem sub Claudio Imperatore irruenti in se Leoni pallium iniecisse, eoque facto torpuisse Leonem & trepidum substitisse, eodemque spectaculo in arenam deducto deprehensum esse, vim omnem Leoni in oculis esse, quibus velatis imbellem fieri & facilè ligari. Nouit etiam Dæmon quanta sit vis in oculis humanis cùm illi nouissima considerant; idcircò laborat inprimis vt oculos hominis velet, hoc est, nouissimorum intuitum eximat; sic enim ei facilè torporem subrepturum & vincula inijci posse. Nónne Leo erat Samson, quidum oculatus erat, non modò superari non poterat, sed plurima insuper damna Philisthæis inferebat? Ast vbi ab illis exoculatus fuit, molā trahere debuit & coram illis ad ductus ludebat. *Iud.* 16. Ita qui nouissima non curat, facilè *in circuitu* vitiorum *ambulat*, quod videns nunquam faceret; tuncque ludere etiam incipit, id est, exultare in rebus pessimis, illudere salutares monitiones, cōtemnere & ridere minas, bacchari, &c. Vnde Dæmon suadet fugere & negligere cōciones, legere libros obscænos, adire profana spectacula, conuiuia frequentare; non aspicere funera nec comitari, &c. Simili astu volebat Auennir Rex compescere filiū Iosaphat, vt à fidei susceptione (quā prædictam ei sciebat) impediret & seculo educaret. Obiecit enim ei puellas & quidquid recreare animum poterat; cauit verò monstrari tristia, vt funera, decrepitos, morbidos, &c. Et quidem facilè obtinuisset quod desiderabat, nisi S. Barlaam sapientiore astu ad filiū venisset, eique nouissimorū memoriam insinuasset; quo facto mutatus in alterum virū est & fide suscepta sanctissimam vitam egit. Sic Dæmon hominibus quos sensibus maximè & præsentibus rebus duci nouit, læta ingerit & præsentes inculcat voluptates (quasi tubo dioptrico recto qui omnia repræsentat magna & vicina) tristia verò remouet & futura tāquam longissimè posita, & alterius conditionis aut velut nunquam euentura (quasi tubo inuerso, qui omnia repræsentat parua & tanquam remotissima.) Denique sicut hirundo calido suo stercore excæcauit Tobiam: sic Dæmon homines, dum ingerit eis præsentium bonorum fœdam & fluxam consolationem. At quæ tandè stultitia est pati, vt eruantur aut obuelentur tibi oculi? Certè Iosaphat, quem diximus, nequaquā patiebatur se includi, sed quādoque exire ad homines & fortunas eorū indagare voluit; hinc videns fortè decrepitum aut leprosum, sedulò inquirebat, quid sibi miseria eorum vellet, & inde veram Philosophiam edoctus est. Quod & nobis faciendum: Audiendæ conciones, legendi libri, spectanda funera & reorum supplicia, visitandi infirmi, &c.

Se-

C. II. Incredulitas hominum.

Secvnda, Incredulitas. Cùm enim videāt se flaginosè viuere, intelligantque ex præscripto doctrinæ Catholicæ, sibi, nisi peccata defleant, confiteantur & deserāt, æterna esse subeunda supplicia; nolint tamen acerba pœnitentiæ remedia subire & vitam emendare, hoc ineunt consilium compescendæ conscientiæ, vt sibi persuadeant falsam esse doctrinam Ecclesiæ, de Iudicij seueritate & gehennæ æternitate. Atque ad hoc confirmandum facilè sibi inueniunt argumentá. Quomodo enim misericordissimus Deus, inquiunt, pro vno vel paucis peccatis pœnas æternas infligat? Quomodo tam innumeros mortales, qui penè omnes peccatores sunt, perdere queat? Nil aliud igitur sunt ista, nisi concionatorum terriculamenta & nihil ad nos spectant. Commouentur quidem interdum tristi aliquo casu aut morte sociorum & exhorrescunt: sed mox subit illis pristina incredulitatis cogitatio, & timorem citò deponunt: sicut cùm sus iugulatur grunniunt aliquantisper alij, qui vociferatatem audiunt porci, & cibum præ metu deserunt: sed iugulato illo, metum ac grunnitum ponunt & ad pabulum reuertuntur.

Sed si perpenderent isti quàm grauis et periculosus morbus sit peccatum, non difficilè sibi persuaderent, deberi ei supplicia æterna, licet totus mundus eo infectus esset. Tanta est peccati grauitas, quantam animus noster complecti nequit: quod vel ex eo patet, quòd ad abolendum illud Dei filius è cœlo debuerit adduci. Cùm aliquem ita ægrotare audimus, vt iis, qui in vrbe sunt Medici, non contentus, etiam in alienas terras mittat & vndique peritissimus Archiatros ex distantissimis locis accersat, pretiosissimus etiā medicamētis, quæ in remotissimis tantùm habeantur terris, vtatur: an non iudicamus eum periculosissimè laborare? Quid igitur de peccati morbo sentiemus, ad cuius curam nullus totius mundi Medicus poterat sufficere, sed è cœlo adduci Dei filius debuit, qui & pretiosissimam medicinam ex ipso corporis sui sanguine debuit cōficere?

D. III. Philautia seu amor sui ipsius.

Tertia, Philantia longam sibi promittens vitam. Ex hac ortum vt Gentiles quidam, teste Aristotele *l. 3. Moral.* res præclarè gestas sibi attribuerent, flagitiorum verò & scelerum, quæ committebant, omnem culpam in externam quandam causam reiicerent. Itaque si bene quid egissent, præmiari volebant: si malè, pœnam luere nullam volebant. Ex eâdem radice orti quidam Christianorum scriptorum errores sunt, quos refellit S. August. *l. 12. de ciuit.* Alij enim nullas pœnas æternas Christianis Catholicis, tametsi morientibus in peccatis, luendas asserebant. Alij hæreticos etiam, qui aliquando Catholici fuissent, ab æternitate inferni eximebant. Alij neminem baptizatum siue Catholicus foret siue hereticus, perpetuò damnandum existimabant. Alij insuper dicebant post extremū iudicium omnes omnino siue fideles, siue infideles esse liberandos adeoque saluandos siue suis ipsorum meritis, siue aliorum suffragiis. Alij denique non hominibus tantùm, sed dæmonibus quoque infernum imò & cœli ianuam aperiebant. Hi errores omnes ex philautiá profecti miseros illos excæcârunt. Estque hæc Philautia quæ sequitur rationem instillādo ei nequissimas repromissiones, quæ multos perdunt, ad instar videlicet Petri, qui sequens Christū & audiēs eum de passione suâ terribilia prædicentem, dicebat: *Domine non erit tibi hoc.* Sed respondit Christus: *Vade post me Satana, non sapis ea quæ Dei sunt* Matth. 16. Ita cùm ratio cogitat: en quàm citò consenuisti? quàm citò transeunt dies tui? quàm festinas ad mortem? quam parum inde abes? quid si in hac dissolutione pergens repentinâ obruaris morte? En quàm citò ille sublatus est? an non id ipsum tibi quoque euenire potest? quid si in iuuentute, quid si hoc anno morereris? obiicit Philautia. Nequaquam morieris; *non erit tibi hoc.* Sed quid accidit illi diuiti, qui dicebat: *Anima habes multa bona reposita in annos plurimos* &c. An non audiit: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te?* Luc. 12. An non quotidie ferè cernimus multorum interitus repentinos & improuisos? De hoc arguitur Babylon. *Isa. 47.* cum dicitur: *dixisti: In sempiternum ero Domina, non posuisti hæc super cor tuū, neque recordata es nouissimi tui.* Et Isa. 28. dicunt reprobi: *Percussimus fœdus cum morte, & fecimus pactum cum inferno.* Sed *repromissio nequissima multos perdidit*, ait Sapiens *Eccl. 29.*

E. IV. Præsumptio.

Qvarta, præsumptio de diuina misericordia. Dicunt enim Latronem in vitæ periodo veniam inuenisse: pacem hominibus bonæ voluntatis esse promissam, bonam voluntatem & dolorem de peccatis facilè cōparari. Item Deū ad miserendum esse propensiorem quàm ad puniendum: cælum fecisse pro hominibus non pro anseribus, &c. Faciunt isti sicut lurcones illi, qui tametsi norunt parum sibi esse pecuniarum, splendidè nihilominus in tabernis epulantur & bibunt securè, quòd confidant hospitem pro ipsorum arbitratu & egestate rationes exacturum, eaque, quæ absumpta sunt æstimaturum, præsertim quòd dum epulantur, vident hospitem lætum, sibi blandientem, arridentem & animos addentem. Sed falluntur miseri; in discessu enim & computatione reperiunt hospitem austerum & totum à se alium, qui & carè computet & nullam solutionis moram det, sed vel pallio eos denudet, vel in vinculis retineri faciat. Ad eundem modum cæci mortales, quia vident hîc Deum diuitem in misericordiâ, tametsi sciunt nihil aut parum sibi esse bonorum operum, multum autem malorum, putant nihilominus Deum pro ipsorum arbitrio rationes exacturum & vel omnia condonaturum, vel parum pro toto accepturum. Sed falluntur & ipsi. Audi Iob, qui licet magnus Dei amicus esset, dicebat tamen; *verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* cap. 9. Quemadmodum enim Rex non modò non parcit illi, quem supra modum exaltauit, posteà tamen nihilominus rebellem habuit; sed multò ampliùs irascitur: ita etiam Deus. Quis nescit

Iose-

Iosepho Patriarchæ Herum Putipharem, postquam ad eum delatus est etsi falsò, de attētata vxore, factum esse infensissimum, ita vt non modò eum ab officio remoueret sed etiam in teterrimum carcerem includeret? *Gen.* 37. & 39. Num angelis peccantibus pepercit Deus? Imò num filio suo, qui peccati tantū laruam amore nostri induerat? Minimè verò. Vana est igitur hæc præsumptio. Nam sicut Deus infinitam suam exhibuit potentiam in mundi creatione, infinitam sapientiam in mundi gubernatione, infinitam misericordiam in mundi redemptione: ita exhibebit infinitam quoque iustitiam in mundi iudicatione.

F. V. Metus tristitiæ.

QVINTA, Metus tristitiæ & melancholiæ, si nimirum nouissima semper præ oculis haberent. Similes hi sunt Iulio Cæsari, qui interrogatus, quod genus mortis optaret: *Inopinatum*, respondit, teste Plut. *in apopht.* Idque ei contigit, quod optimum iudicabat, dum in Senatu 23. vulneribus confossus est. Assentirer Cæsari, nî post hanc vitam restaret anceps alia. Sed vir Christianus, nisi cæcus, assentiri nequit. Hoc enim est differentiæ inter mortem improuisam & præmeditatam; quòd illa hominem nihil cogitantem, quasi à tergo adoritur atque in miserias inextricabiles coniicit: hæc verò coram oculis inuadit, hominemque cautum facit ad se tuendum & inuenit præparatū minusque lædit, siquidem tela præuisa minùs feriunt, quando videlicet euitari si non omnino, saltem ex parte possunt. Vt ergo fur qui in carcere adhuc detinetur, potest vtiliter cogitare de mediis suæ liberationis; non ita verò cùm iam ad supplicium rapitur; sic prudentissimè faciunt, qui nouissima præ oculis semper habent; per hoc enim assequuntur, vt ea sint ipsis initium vitæ beatioris. Cogitatio nouissimorum tristitiam quidem affert & metum mortis ac Iudicij sed non accelerationem, quæ suum cursum tenebunt, quidquid tandem cogites, instar nauis, quæ progreditur siue dormias siue vigiles. Tristitiam item affert, sed non perpetuam nisi illis, qui mundi voluptatibus immersi sunt; cæteris enim suauem affert somnum & desiderium, quale Apostolo dicenti: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Proinde tales lætantur & canunt cum cygno morituro & Dauide: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.* Denique tristitiam quidem affert, sed salutarem; De quâ 2. *Cor.* 7. ait Apostolus: *Si contristaui vos in Epistolâ, non me pœnitet* &c. *Nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Modicam hanc & momentaneam tristitiam sequitur æternum gaudium iuxta id Domini: *Mulier cùm parit, tristitiam habet*, &c.

G. VI. Supina salutis negligentia.

SEXTA, Mera & supina quædam negligentia, quæ arguitur *Isa.* 47. cum dicitur: *non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es nouissimi tui.* q. d. noluisti minimum hunc laborem suscipere, vt quod ante oculos quotidie tibi obuersatur, poneres super cor tuum per seriam considerationem. Sic *quotidie moriuntur homines*, inquit Augustinus *l.* 50. *hom. ho.* 28. *& qui viuunt, deducunt illos, exequias celebrant & vitam sibi promittunt. Nemo dicit, corrigam me, ne cras hoc sim, quod iste, quem deduxi.* Moriuntur circum nos vndique amici & vicini nostri: quotidie pedibus terimus in templis sepulchra mortuorum, nec tamen cogitamus, breuì nos illis similes futuros. Dolendum profectò non tantum esse prouidentiæ in hominibus, quanta cernitur in ipsis bestiis. Echinus Marinus vilis & despectus pisciculus, procellam maris præsentit, ideoque ea ingruente calculum arripit validum ac velut Saburram vehit eoque velut anchorâ se firmat ne fluctibus excutiatur, vt scribit S. Ambros. *l.* 5. *hexam. c.* 9. Quo indicio nautæ signum futuræ perturbationis capessunt & sibi præcauent, ne eos imparatos turbo improuisus occupet. O improuidi mortales, cur non simili modo vltimam tribulationem in vos paratam præsentitis? cur non saltem vti nautæ ab hoc animalculo discitis? cur non illam terræ massam, quâ aliquando operiemini, per seriam cogitationem apprehenditis, vt ne fluctibus illius procellæ in gehennam excutiamini! De populo Iudaico querebatur olim Dominus Ier. 8. *Miluus in cælo cognouit tempus suum: turtur & hirūdo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Vtinam in solos Iudæos, & non etiam in nos hoc dictum esset. Nôrunt volucres illæ stata sua tempora, quibus ad nos veniant, quibus & recedant: tempore verno veniunt, blando nimirum & commodo ad nidificandum & generandum, ingruente hyeme recedunt & temperatam cœli plagā quærunt. Nos autem miseri mortales, non cognoscimus tempus istud vernum, id est, opportunitatem pœnitendi, Deum placandi, bona opera gignēdi, dū sani & validi sumus. Nec declinamus asperam illam hyemem iræ & vindictæ Dei nobis imminentem. Quàm verè igitur Moyses dixit: *Gens absque consilio est & sine prudentia; vtinam saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent!* *Vtinam saperes*, ait Bern. Epist. 292. *quæ Dei sunt; intelligeres, quæ mundi sunt; prouideres, quæ inferni sunt; profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt mundi contemneres.*

Rogemus igitur cum cæco & primò quidem pro nobis: *Domine vt videam* Rogemus & pro cæcis fratribus nostris cum Eliseo 4. Reg. 6. *Domine aperi oculos istorum vt videant.* Profectò vti latrunculi illi cùm viderent se in medio terræ hostilis esse, consternati recesserunt & nunquam deinceps eò redierunt: ita puto, si videret mundus se in medio laqueorum ingredi & in hostium medio versari, supra se Deum iratum, ante se mortem, retrò iudicium, infrà infernum: puto, inquam, non rediturum ad insaniam Bacchanaliorum.

CON-

CONCIO IV.

Bacchanalia exterminanda.

1. *Ob eorum originem, quia à gentilibus excogitata.*
2. *Ob exemplum gentilium qui ea sacra aboleuerunt.*
3. *Propter Christianam honestatem.*
4. *Quia sunt multorum malorum causa.*
5. *Quia sæpius punita. Respondetur obiectioni.*

THEMA.

Cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam. Luc. 18.

A. TAmetsi sapienter Ecclesiasticus c. 22. dixit: *Musica in luctu importuna narratio*; tamen hanc doctrinam nequaquam obseruat mundus, siquidem his diebus, quibus Ecclesia iam à septuagesimâ omisit hymnos & iucunda illa cantica, Gloria in excelsis Deo: Te Deum laudamus & Alleluia, clausit insuper altaria, & assumpsit indumenta tristitiæ totúque hoc tempus pœnitentiæ consecrauit: his, inquam, diebus tristibus & luctuosis; Mundus orditur Musicam & celebrat Bacchanalia, canit pro Alleluia prophanum illud Io, Io, & pro sacco pœnitentię induit sacců stultitię. Et hæc Bacchanaliorum importunitas in hodierno Euangelio, quasi typo aliquo præsignata fuit. Nam, *ecce ascēdimus Ierosolymam*, ait Dominus *& filius hominis tradetur*, &c. Sed in ipso itinere ad sanctam ciuitatem, statim approquinquat Iericho, vbi cæcus sedebat secus viam. Quid Iericho significet S. Gregorius in hom. super hodiernum Euangelium exposuit; Luna enim significat, & stultorū ferias (iuxta id Eccl. 27. *stultus vt Luna mutatur*) non ineptè repræsentat, vbi nō vnus sed innumeri cæci, hoc est, insani homines secus viam cœli sedēt. Dum igitur nunc Ecclesia ascendit per viam luctus & pœnitentiæ ad Ierosolymam, hoc est, ad sacrum paschale tempus adeoque ad cœlum: ecce mox occurrit Luna, id est, festum insanientium & cæcorum hominum, qui sacrum istud iter & Ecclesiæ musicam peruertunt. Nimirum inimicus homo superseminauit hæc zizania: quæ quidem eradicanda & è medio tollenda esse, multa sunt quæ suadent.

B. I. Ob eorum originem. Suadet PRIMÒ, Damnata origo Bacchanaliorum, quia à gentilibus excogitata ad Christianos transierunt. Celebrata primum ab Ægyptiis sunt, deinde Orpheo Magistro ad Gręcos transierunt, inde ad Romanos: ex Italiâ trans Alpes in Germaniam; & tandem omnem peruasēre orbem. Celebrabantur autem apud Romanos noctu à nudis tā feminis quàm viris, nisi quòd circa caput & femoralia pāpinis & uvarum racemis cingebantur, sicque tumultuario inuicē commixti cœtu, in sublime saltātes variaque gesticulatione brachia & caput mouentes carmen inconditum Baccho cantabant; nec priùs erat saltationis modus quàm defatigati & toto corpore vacillantes partim resupinarentur proximioribus inhærēťes, partim in pauimentum fanatici amentesque procūberent. Vt rectè senserit Marcus Varro talia nisi ab amentibus fieri non potuisse. Ita refert auctor antiquitatum Rom. *l. 4. c. 17.* Hæc Origo, hi progenitores sunt Bacchanaliorum nostrorum, in quæ non improbabiliter inuectus esse putatur à quibusdā Apostolus *ad Romanos c. 13.* dicens: *Abijciamus ergò opera tenebrarum & induamur arma lucis. sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in cōtentione & æmulatione; sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* q. d. festa illa tenebrarū festa sunt: ex quo autē nobis dies orta est per Saluatorem, iam non in tenebris ambulandum & cum Gentilibus bacchandum, sed velut in die honestè ambulandū est. Bacchus etiam fuit cuius festū celebrarunt & initiati sunt pessimo consilio Balaami Israëlitæ, quādo cum filiabus Moab fornicati sunt. *Num. 25.* vbi is Beelphegor nominatur, vt ibi ostēdit Cornelius à Lapide; propter quod peccatū præcepit Deus Moysi vt tolleret cunctos Principes populi & suspenderet eos contra solem in patibulis: & insuper iussione Moysis dicentis: *Occidat vnusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor*, propterea occisa sunt viginti quatuor millia hominum, quia scilicet Moabitarū profanissima sacra coluerūt. Priapus is Beelphegor erat qui nuda ostendebat mēbra: cuius Sacerdotes erant feminę, quæ idipsum faciebāt, vt ib. Cornel. Hi igitur progenitores Bacchanaliū & antecessores bacchantium sunt. Deinde an nescimus quid euenerit Israëlitis, quando vitulum conflatilem fecerunt & circa eum saltitarunt? quando *sedit populus mādůcare & bibere & surrexerunt ludere?* Exo. 32. Nónne in punitionem illius criminis Moyses ex mandato Domini mandauit: *Occidat vnusquisque fratrem & amicum proximum suum?* an nō ceciderunt illa die quasi 23. millia hominum? Et vnde tantus furor Domini in populū suum, nisi quia profana hæc sacra ab Ægyptiis, à quibus tamen eos separarat, hauserunt & imitati sunt, quia scilicet Ægyptios viderunt coluisse Apim bouis formâ? Et quid aliud nos meremur, qui & ipsi à Gentilibus excogitata fædissima Bacchanalia ad nos deriuamus & imitamur? Quid aliud Deus Bacchantium, nisi vitulus, id est, lasciuia & petulantia? Quando Achan tulit aurum, argentum & vestem ex rebus Hierichuntinis, quæ Deus anathemati subiecerat, hoc est, nefasta, scelerosa & exterminata voluit, totum perturbauit Israëlem, ita vt fugerēt & cæderentur ab hostibus (quia noluit eos Deus contaminari prophanis gentilium rebus) nec auersus est furor Domini à populo, nisi reo deprehenso & cum omni familiâ suâ exusto *Ios. 6. & 7.* Atqui nónne & nos Christiani à Gentilibus accepimus Bacchanalium prophana & scelerosa sacra? Hiericho lunam significat, et stultitiam designat (quia stultus vt luna mutatur *Eccl. 27.*) hanc nos à gentibus tulimus nobisque applicuimus.

Quid mirum si & nobis irascatur Deus, nec placari velit, donec ista exterminemus?

C. II. Obexēplū Gentilium. Suadet SECUNDÒ, Ipsorummet gentilium exemplum, nam teste Liuio l.39. & S. Aug. l.7. *de ciuit.* Romanorum Senatus ea sacra vel sacrilegia potiùs ad extremum per totã Italiam aboleuit: ita vt ne nomen quidem Bacchanalium audire voluerint ampliùs. Porrò post salutarem Christi ortum prædicato per orbem Euangelio, tum vti alia gentilium sacra, ita & Bacchanalia prorsus sunt abolita, & multa profana festa in religionem cõmutata, vti Calẽdæ Ianuarij in triduanum ieiunium: Februa in Festum Purificationis, &c. Post multos annos rursum erigere caput Bacchus cœpit & pedem in Christianismum intulit sub prætextu quadragesimæ, quasi omnino æquum videretur, carnibus valedicere & lautiùs epulari ante initium ieiunij. Quod quidem facilè persuasit sed res tũ sobriè adhuc peragebatur, vtcumque tolerabilis. At paulatim adeò solẽne factum est hoc festũ vt nullum totius anni sit celebrius. An non igitur Romanorum cõstantia nos pudefacit? An non illi in iudicio nos condemnabunt? Pessimæ notæ loco dicitur in libris Regũ de omnibus penè Regibus Israël: *Verùmtamen excelsa non abstulit*; id est, Lucum in quo colebantur Idola gentium. Timendum ne hæc eadẽ nota nobis adhæreat, Christianis præsertim principibus. Quamquam etiam cùm vetantur Bacchanalia, à subditis non omninò omittuntur: sed plerique contra murmurant: proinde & ipsi rei fient in iudicio illius Christi sententiæ: *Vos ex patre Diabolo estis & desideria patris vestri vultis facere*, Ioan. 8. Quis enim alius Bacchanaliorum Pater nisi Diabolus, de quo Dominus *Luc.* 11. ait: *Cùm immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa; quærens requiem & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mũdatam & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus?* Sic Dominus: & quomodo veriùs describere progressum Bacchanaliorũ nostrorum potuisset? Eiectus enim Bacchus ab Apostolis eorumque successoribus nullibi ferè inuenit requiẽ: rediit itaque ad populos, vnde exularat, & inuenit eos scopis mundatos, fide & virtutibus ornatos. Itaque nequiores secum assumpsit spiritus 7. videlicet vitia capitalia, quorum consilio & operâ iterum ingressus est in eos, & facta sunt nouissima peiora prioribus.

D. III. Ob Christianam honestatẽ. Suadet TERTIÒ, Honestas ipsa & grauitas Christiana, cui contraria est ista insania. Quid enim Bacchanalia nisi stultorum feriæ? Quærat quis in fastis rusticorum hoc festum; & inueniet consignatum figurâ stulti, nolis adornati. Videat quis Bacchantes in plateis: nõnne pueri cũ clamoribus velut stultos prosequuntur? Et quis quæso libenter vult haberi aut vocari stultus? Quod si pro pœnitentia tibi iniungeretur vt furentis instar, habitu stulti per vrbis cõpita deberes obambulare, vel propter Deum, quo modo Ezechiel iussus erat à Deo, ritu furiosi radere barbam & ponderare in foro: quo Ieremias velut seruus fugitiuus catenia onustus vrbem perambulare: num quæso id facere velles? Et nónne si quis bacchantium istorum primus ingrederetur in aliquam vrbem vbi nullus anteà talis visus esset, quomodo exploderetur? Ins Narrẽ-haus mit ihm/ würdes heissen. Vel si quis extra Bacchanaliũ tempus v.g. in æstate incederet laruatus, quis enim non velut stultum rideret? Nunc verò quia multi stultescunt, tam nobiles quàm ignobiles, tam literati, quàm illiterati, idcircò id pulchrũ ducitur: quasi verò stultorum copia stultitiã minuat & nõ potiùs augeat, vel quasi in vno certo anni tempore pulchrum sit stultũ esse & nõ alio. *Vsquequò paruuli diligitis infantiam?* ait Sapiens Prouerb. 1. *& stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient? & imprudentes odibunt scientiam? despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis, euenerit.*

Et certè rident & subsannant nos Mahumetani quod modò his tribus diebus penè omnes insaniamus, & post triduum quasi toti immutati & de bestiis rursum in homines transformati, frequentemus templum & cinere caput aspergamus: quasi ex instituto in luto nos volutemus & mox posteà in flumine abluamus: quod nemo sanus faceret. Neque Christianos tantùm sed idcircò etiam Christum Dominũ irrident, quòd tam fœdam leuitatem tamdiu inter suos toleret. Magna enim disparitas est inter Bacchanalia & alia Christianorum peccata. Quod enim multa nobis obiiciunt peccata quæ vigent inter nos; respondere illis possumus, ea non tolerari ab Ecclesia, sed reprehendi, prohiberi, deplorari & castigari. Sed si obiiciant nobis Bacchanalia quòd ea toleremus & quot annis celebremus, quid illis respondebimus?

QUARTÒ, Quia sunt multorum malorum causa; aperiunt enim ianuam vitiis, & concedunt quodammodo plenariam peccandi indulgentiam, propria authoritate. Idcirco faciẽ obnubunt, vt sic omni pudore exuto nihil non leuitatis & temeritatis audeant, vt meritò dici eis debeat: *Vsquequò facies peccatorum sumitis?* Psal. 81. Cur enim Deus vultuum diuersitatem in hominibus dispensauit, nisi vt mariti vxores, liberi parentes, amici amicos & inimicos, creditores suos agnoscerent debitores, sicque innumera cauerẽtur scelera, adulteria, incestus, fraudes, proditiones, cædes, omniaque maleficia, quæ alioqui impunè committerentur? Peccant igitur contra Dei ordinationem, quicunque immutant & quodammodo exterminant facies suas ansamque arripiunt plurima peccata impunè perpetrandi. Quo quid posset esse perniciosius? Quis verò recenseat peccata, quæ vt plurimùm perpetrãtur à bacchantibus? Ibi plerumque ebrietas, ibi ludus intemperantior, & in illo auaritia & iniustitia sæpè, ex illo verò lites & contentiones. Ibi choreæ & quæ inde prodeunt obscœnitates. Ibi turpia & quãdoque homicidia. Ibi ergo, *in medio laqueorum* E. IV. Obcorũ pemiciẽ.

gredierñ, quod dixit Ecclesiasticus c. 9. Et quis te excusabit aut tibi condolebit si illaqueeris?

Denique sæpe vir & mulier permutant vestes, nulla adacti necessitate, contra legem illam Deut. 22. *non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fæminea: abominabilis enim est apud Deum, qui hæc facit.*

F. V. Quia sæpius punita. QVINTÒ, Quia sæpiùs à Deo grauiter punita. Exempla duo refert Maiolus Episcopus Vulturariensis *tom.* 2. *Canic. coll.*7. Celebrabantur aliquando in aula regis Galliæ Caroli VI. cuiusdam nobilis festiuitates nuptiales. Rex animi recreandi gratiâ (erat enim mente paulisper læsus) & noui spectaculi conuiuis exhibendi studio, cum quinque aliis, ludis nocturnis, in cœnaculum prodiit, vultu in Leonini oris imaginem personato, reliquum verò corpus delibutum, multoque lino depexo, ac in villos confecto ita contexit, vt hispidi ac semiferi portenti speciem spectantibus præberent. In orbe reste datâ choreas pedibus plaudunt, fescennino carmine modulantes. Tota ex Regia fit concursus ad picatorum spectaculũ. Ludouicus Aurelianensis Regis frater, studio clariùs visendi correptam facem propiùs admouit. Ex qua scintilla fortè in Regem incidens repentinum in omnes illos effusâ flammâ cõflauit incendium. Rege vix seruato vxoris Biturigis veste caudatâ fluxaque: quâ inuolutus est, antequam ad viuum flamma, iam corpus lambens peruenisset: quatuor miserè vstulati perierunt: quintus in propinquam promi cellam ruens, aquâ vinoque se perluens, salutem tibi peperit. Æmilius *lib.* 10. Huic non absimile in Germania anno 1570. accidit, cùm comites aliquot Hohenloenses multis comitati militibus Eberhardum consanguineum suum in arce Waldenbergâ festo bacchanaliorum visitandi studio conuenissent. Hi vt nobilibus matronis & puellis nocturnum quoddam ludicrum (vt mos iste nimis frequens obtinuit) exhiberent; Faunorum personas, multâ stuppâ, lineis vestibus, pice resinaque agglutinatis, mentiti; iucundissimo spectaculo conuiuas ad ludum, proiectis in mensam tesseris, prouocant. Ex quibus vnâ fortuito casu in terram delapsâ, puer personatus dũ repetit, funalis incautiùs adhibiti flammam concipit & opem implorat astantium. Eberhardus ipse pro suâ pietate, puero periclitanti opitulaturus, eodem malo corripitur: incenduntur & reliqui. Iocus esse primò visus est. Mox rem seriò agi clamores omnium indicant. Ad labrum vicinum, quod comes in hũc euentum aquâ adimpleri iusserat, certatim accurrunt: At illud modò exaruerat. Erat qui Psycterum aqua plenum afferret, sed in ipso limine præ nimia festinatione offendens collabitur; effusâ quæ intus erat aquâ. Alterius aquam ferentis cadus ligneus fatiscens, auxilij desperatione calamitatem auget. Et vertitur lætitia in miserabilem eiulatum, dum tribus horis tres comites, in ipso ætatis flore miseris vstulati modis, periere.

Conc. Fabri Pars Hyemalis.

Impletum igitur in his videtur, quod fornicariæ synagogæ minatus est Deus Ose. 2. *Et nũc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius & vir non eruet eam de manu mea. Et cessare faciam omne gaudium eius, solemnitatem eius, &c.* Et mox: *Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum & ornabatur inauro sua*, &c. Quid enim Bacchanalia nisi dies Baalim?

Sed dices suaderi his diebus bacchanalium libertatem, quia eam communiter omnes amplectuntur. Sed respondeo maiorem partem communiter delirare & damnari. Sic *Iud.* 7. milites 9700. procubuerunt in aquas & biberunt proni flexis genibus, qui à Deo exauctorati sunt: 300. tantùm biberunt moderatè, qui proinde victoriam insignem reportarunt. Audiamus Senecam, hominem gentilem, sed verè Christianè monentem de simili festo sui temporis epist. 18. *Hu maximè diebus*, inquit, *animo temperandum est, vt tunc voluptatibus solus abstineat, cùm in illas omnis turba procubuit. Certissimum argumentum firmitatis sua capit si ad blanda & in luxuriam trahẽtia nec it, nec abducitur Hoc multò fortius est, ebrio ac vomitante populo siccum ac sobrium esse. Illud temperantius, non excerpere se, nec insigni i, nec misceri omnibus: & eadem sed non eodem modo facere. Licet enim sine luxuria agere festum diem.* Quid iam dicat, quæso, aut faciat Christianus? Esto igitur sit in his Hilaritas maior quædã hilaritas, sed intra limites modestiæ, non qualis est in vulgi insania. Biberunt etiam trecenti illi milites, de quibus diximus, sed non eodem modo vt alij nouies milleni. Nõ se proluerunt aquis, non procubuerunt, non flexerunt genua. Edendi, bibendi &, vt ait Tullius 1. Officiorum, *ludendi etiam est quidam modus retinendus, vt ne nimis omnia profundamus.* Nos ergò, Auditores, imitemur trecentos illos, non procumbamus in voluptates, sed vti è Nilo eanes raptim bibunt, ne à Crocodilis intercipiantur: ita nos in transcursu potiùs delibemus mundum, Non flectamus ante illum genua: non sit venter Deus noster, ne finis noster sit interitus.

Obiectio.

CONCIO V.

Concione funebri sepelitur Bacchus cum Bacchanalibus.

1. *Allegantur Bacchi progenitores, qui sunt diabolus, Belphegor, Priapus &c.*
2. *Vxores eius, Gentilitas & Christianitas.*
3. *Liberi eius, Assyrÿ & Ægyptÿ, Iudei & Græci, Romani, deinde Christiani.*
4. *Narrantur preclara eius facinora, ebrietas, rixa &c.*
5. *Eius opes, pudor & ignominia.*
6. *Sepultura infamis.*
7. *Canũ ur ill. exequia.*
8. *Ponitur Epitaphium.*

THEMA.

Omnis plebs vt vidit dedit laudem Deo. Luc. 18.

POst Plutarchum scribit Eusebius *l.* 5. *de præparat. c.*9. Epitherfen Echinadas Insulas præternauigantẽ audisse ex Insula quadam vo- A.

cem istam: *Magnus Pan mortuus est*; eamque gemitus & eiulatus inenarrabiles cõsecutos esse. Accidit hoc non longè post Christi passionē, qua princeps mundi Diabolus foras eiectus & quodammodo extinctus est; vnde Christiani Magnum illum Pana Luciferum crediderunt, cuius eiectionem & mortem cæteri inferorū spiritus gemitibus illis planxerint. Similem quandam vocem non ita pridem audiuimus publicè promulgatā per Boiariam vniuersam, nimirum: Magnus ille Bacchanalium præses Bacchus mortuus est; iugulatus à Serenissimo nostro Duce & Rom. Imp. Electore Maximiliano, vt de eius resuscitatione omninò desperatum sit; siquidē Bacchanalia è suo territorio proscripsit in æternum. Quam quidem vocem audiit inprimis cœlum, audierunt Angeli & laudes Deo dixerunt, quòd tandē aliquando repertus sit talis Rex in Israël, qui *abstulit excelsa*, exēplo immortali cæteris Principibus; audierunt omnes pij & virtutis amatores, quibus iure tribuimus quod in hodierno Euāgelio legimus: *Omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.* Sed quantum hinc lætati superi & pij: tantum inde contristati sunt Inferi & qui ad eos nauigant, Bacchi sectatores, qui hoc infausto nuntio toti consternati, mortem Bacchi deflere non cessant vsque hodie, ac tantùm non è sepulchro eruere conantur. Ad horum ergo solatium adornabimus parenti ipsorum funebrem cōcionem, eo ferè stylo, quo solent vti præcones Lutherani, cùm *mortuos sepeliunt mortuos suos*.

B. I. Bacchi progenitores. Celeberrimus iste Bacchus, Bacchanaliorū Præfectus & Choragus celeberrimos habuit parentes & Progenitores, Primus eius parens imò Patriarcha est Diabolus, qui in Paradiso primus induit laruam, cùm serpentem subingressus ex eiusdem ore prouocauit Euam ad aleam proposito ei pomo vetito (*fur ein Blumscheantz*) perdidítque ludum Eua, & tantum contraxit debitū, vt nos filij vsque in hodiernum luere id debeamus. Porrò Patriarcha ille genuit plures filios, Beelphegor, quem Assyrij coluerunt omni turpitudine, in forma viri nudi pellem in ore gestantis, quo significabatur libidinem & luxuriam incendi fouerique Cerere & Baccho siue cibo & potu vt vult Christoph. à Castro *in Ierem.* 48. Deinde Priapum; nec non Chamos: & ipsos impurissimos Gentium Deos: qui si non ipsemet Bacchus fuerunt, vt aliqui sentiunt, certè eius fratres aut propinqui erant: quorum Sacerdotes in fœminas, vt ait Cyrillus in Ose. 4. *mollitie mutati, muliebri vociferatione & cymbalis vtentes faceſque ferentes circumcursabant.* Hi sunt progenitores imò & Dij vestri, ô Sectatores Bacchi.

C. II. Vxores Bacchi. Habuit porrò Bacchus vxores duas & vnā prætereà pellicem. Prima honestissima Domina fuit, nomine Gētilitas, quæ nudo corpore, omni cum turpitudine Baccho seruiebat sacraque faciebat. Sed cùm ista Christi Euangelio coruscante, Apostolorum operā extincta esset & cū ea Bacchanalia quoque è fastis sublata, viduus aliquamdiu Bacchus mansit. Vbi verò Christianorum securitas & prosperitas creuit, pietas autem decreuit, tum ipse suos procos misit ad Christianitatem, connubium eius petens, honestissimo prætextu: æquum nimirum esse vt ante Quadragesimam valediceret esui carniū carnique indulgeret, posse id per Quadragesimam citò & facilè expiari &c. Atque ita persuasa Christianitas cōsensit in connubium, quod & mox conclusum sine licentia Episcoporum aut benedictione Sacerdotum: proinde illegitimè; quamobrem etiam filios non nisi spurios genuerunt. Adhæc iuxta primam vxorem habuit etiam aliquamdiu meretricem, Synagogam, quæ edocta in Ægypto, vitulum coluit in deserto; deinde adulterata à Deo suo adhæsit Deo moabitarum Beelphegor & comedit de eius sacrificijs, vti legimus *Num.* 25.

D. III. Liberi eius. Porrò si liberos quærimus, habuit is quàm plurimos & in historijs celebratissimos: Assyrios primò, & Ægyptios; deinde, vt dixi, Iudæos multos; tum Græcos ex Orpheo Genitore, pòst Romanos, denique Christianos. Ex istis maximè celebres fuēre Sardanapalus Rex Syriæ, qui hoc Epitaphium moriens condidit: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Vel vt in eius statua repertum: *Hospes ede, bibe, lude; reliqua ne hoc quidem digna sunt*, (digitorum crepitu, intellige, quem statua edere videbatur, vt refert Athenæus l. 12.) Item hoc:

Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit, &c.

De quo Tullius 5. *Tuscul.* Aristoteli consentiens: *quid aliud*, inquit, *in bouis non in Regis sepulchro inscriberes?* Post hunc Epicurus voluptatis & voluptuariorum omniū Patronus. Deinde Imperatores non pauci; Claudius Tiberius Nero, qui à militibus vocabatur: *Caldius Biberius Mero*, inquit Suetonius in eius vita: quòd vino nimiùm deditus esset, qui & noctem cōtinuumque biduum epulando potandoque consumpsit. Aulus deinde Vitellius Imp. qui cùm ab amicis conuiuia parari ipse sæpe postularet, nemo in huiusmodi epulis minus pecuniarum absumpsit, quàm nostro sæculo pecunia numerata decies mille aureorum, & quę suo sumptu agebat conuiuia longè erant profusiora: nam Platina teste, præter id, quòd sæpius die ederet, vnā cœnā suo iussu duo piscium millia & auium septem millia apposita sunt. Cuius imitatione Albinus & ipse Imperator infaustus, tantæ voracitatis fuisse memoratur à Codro, vt vnā cœnā comederit centū persicaCampana, decem pepones Hostienses, quingentas ficus passarias ac quadringenta ostrea; recensuit Platina in Pontiano 1. Exitus hæc probauit, qua insania fierent, præter id, quod Albinus breuissimo interuallo à militibus obtruncatus est. Vitellius quoque cœno fimoque tactatus, ac furca sub mentū posita, diu per vrbem tractus in scalis Gemoniis omnium ludibrio iacuit ac tandem carnificatus in Tyberim proiectus est. Platina *in Lino* 1.

Idem Vitellius epulas trifariam quadrifariam

etiam participabat; In ientacula, prandia, cœnas, & comessationes, solus omnibus sufficiebat vomitandi consuetudine. Suetonio etiam teste tam sordidæ gulæ fuit vt carnes holocaustorũ non peractis sacrificijs ante aras absumeret. Præclari etiam filij Bacchi fuerunt, Nerò Imperator, qui à meridie ad mediam noctem vsque epulas protrahere consuerat; Heliogabalus, qui nunquam minùs centum sestertiis cœnabat: Rauis. in offic. Caligula Imp. qui maximam partem thesauri à Tiberio relicti cœnis & comessationibus cũ lenonibus & scortis deuorauit. Claudius Cæsar, qui etiã sedens pro tribunali cùm olfecisset nidorem prandij, quod in proximâ Martis æde parabatur à Salijs, deserto foro conuolauit ad Salios ipsos & vnà discubuit; nec vnquam à triclinio discessit nisi vino madens. Taceo alios è vulgo innumeros, vti Philoxenum, qui optabat sibi collum Gruis in bibendo, qui & in parupsides se emungere solebat, vt abstinentibus cæteris largiùs ipse frueretur solus: Nouellum Tricongium Mediolanensem dictum à tribus vini congijs, quos vno impetu hauriebat spectante miraculi causâ Tiberio Principe apud Plin. l. 14. Phagonem illum, qui adhibitus mensæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum vno die comedit bibitque orcam vini. Agmen claudat Lutherus, qui post Epicurum egregius Bacchanalium patrocinator, auctor & actor fuit. Hos secuti innumeri alij omnis ætatis, status, conditionis, sexus; ita vt de his verissimè dicatur: *Stultorum plena sunt omnia.*

E. IV. Facinora Bacchi præclara. Sed quid de Bacchi nostri gestis & facinoribus dicamus? Ea sunt præclarissima & toto orbe decantata. Primum est ebrietas & quæ inde gignuntur sordes, vomitus, clamor, rixæ, impudentia, bestialitas, &c. de quibus Isaiæ cap. 28. dicitur: *Absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repleta sunt vomitu sordiumque ita vt non esset vltra locus.* Secundum Alea seu ludus, & quæ ex illo oriuntur, fraus & dolus, rixæ & indignationes, blasphemiæ & periuria, egestas denique. Tertium chorea & huius filiæ, turpitudo, lasciuia, impudentia, libido. Quartum insania & stultitia, & quæ hinc oritur libertas omnia audendi, furta, proditiones, homicidia, vtpote quæ sub larua tutiùs patrantur. Hæc Bacchi nostri gesta & fortia facta sunt.

F. V. Opes Bacchi. Iam si opes ab eo partas bonaque scire volumus, ea sunt Primò, Pudor & ignominia, ita vt Turcæ nos subsannent, quemadmodum alibi vidimus. Pudet ipsosmet Bacchanalistas suæ stultitiæ; siquidem non nisi laruati insanire audent, qui & puerorum sibilis passim excipiuntur. Secundum, paupertas & pecuniarum impendium maximo vxoris & liberorum vel parentum damno quod sera pœnitentia & fames sequi solet. Tertium, morbi, vomitus, nausea, vertigo & dolor capitis Quartũ, Conscientia grauata, saucia, & remurmurans, timor confitendi scelera admissa, nec non satis- faciendi. Quintum, Malus & sæpe repentinus interitus, vti ostendunt Hebræi vitulantes *Exodi* 32. vbi occisa 23000. hominũ; Et Num. 11. vbi coturnices *erant adhuc in dentibus eorum & ira Dei* (ignis conflagrationis) *descendit super eos.* Et *Num.* 25. vbi ob cultum Beelphegor occisa 24000. Ostendit Balthasar, Holofernes, Philisthæi occisi in conuiuiis vel ebrietate. Ostendunt heluones & lurcones suapte ingluuie extincti & suffocati, vti Dominus Afer, qui in cœna post nimiam ingurgitationem periit; Andebuntus Anglorum Rex, qui & ipse in cœna vino nimio hausto suffocatus est; Chilpericus Saxo, qui cùm ad ambas vsque aures se impleuisset, suffocatus in lecto repertus est; quod idem accidit Luthero post cœnam largiùs sumptam. Ostendunt alij diuinâ vindicte propter crapulam mulctati. Epulo imprimis Euangelicus, sepultus in infernum. Zeno Imperator qui ob luxum & ebrietatem coniugi Ariadnæ inuisus, ab eadem ebrius regio monumento inclusus ibique inter lamenta & clamores derelictus periit, apud Zonaram *tom.* 3. *annal.* Michaël tertius Imperator, qui ebrietati deditus multa absurda fieri imperabat, alijs nares amputari, alijs aures, alijs caput. Quamobrem cõspiratio in eum facta, ipseque ebrius tumultu audito è cubiculo prodiens ambabus manibus à coniuratorum vno truncatus, ab altero ense traiectus est. Baron. Anno. 867. Gallos luxui & intemperantiæ deditos in Siciliani illis vesperis, intra duas horas supra 8000. occisos ab incolis alibi audiuimus. Sed quis recenseat omnes talium Epicureorum infaustos & pudendos exitus? Sanè quemadmodum serui Dei, vt scribit Apostolus ad Hebr. 11. *Ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*; Ita serui Bacchi variis etiam modis sed malè perierũt: alij mortui, in lecto inuenti, alij per scalas lapsi collum fregerunt, alij ab equis decidentes tracti & contriti sunt; alij nimiâ ingurgitatione obruti & suffocati sunt: circuierunt in vestibus stultorum, in pellibus animalium, insanientes, vitulantes, qui digni non erant mundo, sed vltimo exterminio, vltra Thulen ablegandi, & cum Epulone ad inferos sepeliendi;

Superest ergò tandem, vt Bacchum sepeliamus, & quâ putatis sepulturâ, nisi eâ quæ contigit Regi Ioakim, vti describitur *Ier.* 22. his verbis: *Non plangent eum: Væ frater & væ soror, Nõ concrepabunt ei: Væ Domine & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Quia enim Bacchus cum omni suâ familiâ vixit instar asini, stolidè & luridè, turpiter & bestialiter, idcircò infamem asini meretur sepulturam, vt omnes qui transierint per eum, memoriam eius faciendo nares occludant: Nemo planget eum: omnes potiùs sibilabunt, quod proiectus sit extra ditionẽ nostram. Vel si plangere eum volumus, dicamus ei, quod Hebræi occlamârunt Achani, furi ana- G. VI. Sepultura Bacchi.

anathematis & ob furtum sepulti sub aceruo lapidum cum omni sua familia: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus.* Iof. 7. Turbauit enim nos Bacchus pessimo illo anathemate festo Bacchanalium à Gentilibus ad nos nequiter deriuato, exturbetur ergò & ipse. Rursum acclamemus, quod deuastatâ Iericho proclamauit Iosue: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Iericho.* Iof. 6. Quid enim improba Iericho, quę lunam significat, nisi stultam Bacchanalium solemnitatem repræsentat? Postquam ergo à Iosue nostro excisa est, maledictus qui eam reuocauerit.

H. VII. Exequiæ Bacchi. Sed quas ad extremum canemus illi exequias? Vtique quas Epuloni Euangelico, magno Bacchi cultori decãtatas legimus. *Luc.* 16. Vigiliæ hæ fuerunt, quia *cùm esset in tormentis, eleuans oculos suos, vidit Abraham à longè.* Vultis audire primam earum lectionem? *Pater Abraham*, inquit Epulo, *miserere mei & mitte Lazarũ vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Sed audiamus & responsorium. *Fili recordare,* respõdit Abraham, *quia recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* q. d. In vita habuisti Bacchanalia: die Fasenacht / nunc autem habes esurialia, die Fastnacht. Audiamus secundam lectionem: *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Sed quid respondet Abraham? *Habent Moysen & prophetas; audiant illos.* Nihil & hîc impetratur. Pergit igitur Epulo ad tertiam lectionem: *Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent.* At quid dicit responsorium tertium? *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Ergòne nostris exequiis nihil obtinemus? Nihil, nihil, nihil. Etenim *in his omnibus*, inquit Abraham ad inferos, *inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.*

I. VIII. Epitaphium. Esto igitur hoc & Bacchi Epitaphium: *Mortuus est & sepultus est in inferno.* Esto & illud Darij Regis: *Potui & multum vinum potare.* Esto & illud Sardanapali:

Hæc habui, quæ edi, quæq; exsatiata libido
Hausit; opes, & quæ quondam me cuncta beabant,
Non sunt, sum cinis.

Ergò Auditores, huc oculos coniiciamus, ad cinerem videlicet in quem desinunt Bacchantes, nec non in infernum, vbi sepeliuntur. Scimus ex Danielis libro c. 14. coram Bel Idolo appositas fuisse epulas, quas persuasus erat Rex ab Idolo deuoratas, cùm vorarentur à Sacrificulis, qui tandem cinere in pauimento strato, à Daniele deprehensi sunt. Quamdiu ergo Rex ad epulas aspexit, tamdiu deceptus fuit putans eas ab Idolo absumptas, adeoque Belum verè Deum esse. Sed vbi oculos conuertit in pauimentum cinere stratum; ibi deprehendit Belum nihil esse, eiusque Sacerdotes sibi imposuisse. Ergo & nos quoque nõ attendamus ad delicias & mẽsas Bacchi & Bacchantium; sed potiùs ad cinerem, infamiam, gehennam, in quam desinunt: indeque eruditi detestemur Bacchanalia; & quemadmodum in hodierno Euangelio, *omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo*: ita nos postquam vidimus abominandum Bacchi funus, demus laudem Deo, quia magnus Pan mortuus est.

CONCIO VI.

Stulti vituperandi.

Inuehitur iterum in Bacchanalium cultores, ac stultitiam reprehendit illorum;
1. *Qui laruati & personati liberiùs peccant.*
2. *Qui facilè sedaci se patiuntur.*
3. *Qui iniurias iniuriis compensant.*
4. *Qui pœnitentiam differunt.*
5. *Qui bona quidem operantur, sed inaniter.*
6. *Qui hoc tempore insaniunt & exorbitant.*

THEMA.

Non intelligebant, quæ dicebantur. Luc. 18.

INter omnia festa quæ in toto Calendario repetiuntur totoque anno paraguntur, nullum mũdo solemnius, nullum acceptius quàm Bacchanalia seu feriæ stultorum: ita vt si illæ prohibeãtur aut casu vnus tantùm dies ei subtrahatur per incidens ieiunium, omnes reclament & lamententur. Denique ita celebre est hoc festum, vt se homines non putarent, qui his diebus solitò liberiùs ludis, iocis, cibo potuique non indulgerent. Quod cùm ita sit, mirandũ est, quòd Ecclesia in suis Fastis non meminerit huius festi. Certè nos Clerici in Breuiario nostro omnia festa recolimus, de Bacchanaliis solis nihil inuenimus: Quid igitur causæ? Dicam opinionem meam, id enim fieri, puto, quia cõtra Bacchanalia reclamat & protestatur Apostolus *ad Ephe.* 5. dicens: *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Quo loco videtur mihi Apostolus in spiritu præuidisse Bacchanalia nostra. Quinam enim, quæso, dies illi mali, quibus cautè ambulandum? quodnam illud tempus captiuum, quod dicitur redimendum? S. Remigius in eum locum ait: *Sicut dicitur mala esse domus, quæ malos habitatores habet: ita dicuntur dies mali, in quibus mala fiunt à malis hominibus.* Quod si ita est; quis non videt dies Bacchanaliorum dies illos malos esse? qui enim per annum dies, quibus tanta fiunt mala, à malis vtique hominibus, atque dies isti? Hoc ipsum etiam tempus illud captiuum est, quod redimi iubet Apostolus: captiuum, inquam, hoc est, seruituti diabolicæ & vitiis mancipatum; tempus enim hoc adeò videtur luxui & vitiis addictum ac subiectum vt vix alicui liceat in illo bonum ac pium esse: & multi sibi persuadeant licere nunc omnibus omnia. Tempus dico illud, quòd à Deo nobis datũ est, vt bonis operibus A.

tri-

tribuatur, tribuitur dæmoni & quasi compedibus vinctum ipsi eiusque operibus, luxui ebrietati, lusui, choreis, libidini, rixæ, insaniæ dicatur. O miserũ tempus! ô dies malos! Quid igitur faciendum hoc tempore suadet Apostolus: *Videte quomodo cautè ambuletis* (quia scilicet tempus hoc periculosum) *non quasi insipientes, sed vt sapientes.* Nónne his verbis Bacchanalia manifestè interdicit? Denique *redimentes tempus*, siue occasionem, vt est in græco; q. d. cùm hoc tempus sit optima occasio bene merendi arripite occasionem, ne patiamini instar stultorum eam vobis elabi: *redimite tempus*, id est, *vestrum illud facite*, vt ait Remigius, v. g. *alij vendunt illud, mala operando ad malum suum: Vos redimite illud vobis talia opera faciendo pro quibus remunerationem capiatis.* Sed vereor, ne frustra clamet Apostolus & fiat illi, quemadmodum Christo in hodierno Euãgelio de passione suâ loquenti: non enim intelligebatur: *Et ipsi nihil horum intellexerunt: & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*; potiùs tũc honores appetebãt, vt est apud Matth. c. 20. Non vult enim hoc tempore mundus intelligere: quia videtur hoc ipsum etiam tempus esse de quo Apostolus 2. Tim. 3. *Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt.* Scio me si toto hoc triduo continuò clamarem & Bacchanalia dissuaderem, surdis fabulã dicturum. Igitur mihi non tam cum laruatis illis, qui discurrunt stultis, quique simulant stultitias, in præsenti lis erit: quàm cum, illis, qui absque laruis verè stulti sunt in perniciem animæ suæ & quidem plerumque hoc tempore: quorum etiam, iuxta Sapientem, infinitus est numerus: sed nos paucos tantùm videbimus.

B. I. Qui sub laruis liberiùs peccant. Tales sunt PRIMÒ, qui dum laruati & personati sunt, liberiùs peccant, vt qui non agnoscantur. Hi enim non aduertunt se insanire coram oculis Dei & angelorum, imò & cacodemonum: quos vel solos vereri deberent. Stulti & insantes si manibus tegant facies suas: putãt se à nemine videri. Et stultus ille struthiocamelus cùm altior sit equite, caput tamen sub frutice condens, totum se latere existimat teste Pierio l. 25. Plinio l. 10. c. 1. Ad hunc modum plurimi hoc tempore exterminant facies suas & ab hominibus abscondunt, ac quasi iam à Deo nesciantur, insaniũt, lasciuiunt, gesticulantur, decipiunt, oculis ad lasciuiam fræna laxant &c. interim ad oculum Dei sibi cõtinuò inuigilantem non attendunt. *Quis me videt* inquiunt, Eccl. 23. *tenebra circumdant me & parietes cooperiunt me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor & oculi hominum timentes illum. Et non cognouit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, &c.* Hoc si cogitarent illi, quomodo non confunderentur & stultitiæ se arguerent? Quidam tempore Bacchanalium insanire volens pictorem constituit, qui faciem eius pingeret, quo ignotus & personatus liberiùs nugaretur. Pictor aquis tantùm coloratis: qui colorem nullum exprimerent, eum illinebat potiùs quàm pingebat. Vnde is liberrimè vndique discurrere & bacchari cœpit putans se ignotum, cùm tamen ab omnibus nosceretur: atque ita delusus fuit. Nõ dissimile euenit iis, qui sub laruis turpia agunt: latere enim dum se putant ideoque liberiùs delinquunt, videntur à Deo & angelis, & irridentur à Dæmonibus. An non satis foret, pasquillum contra Principem affigere, Principe id vidente, licet nemo alius videret? Eiusmodi factum erat Adami & Euæ: qui postquam in Deum peccâssent, quasi ebsentem, mox personati incedebant, abscondendo se à Deo; sed ab ipso in lucem protracti sunt, *Adam vbi es?* q. d. putâsne te latere? prodi, prodi, depone laruam. Nemo hominum aderat qui peccatum eorum videre posset, quia nemo adhuc in mundo præter ipsos erat; & tamen proditi sunt, quia à DEO visi. Nõ potuit Totilæ Regis Spatharius latere sub larua comitatu & vestitu, latere S. Benedictum, quin illicò audiret: *Depone fili quod geris, nam tuum non est.* Et vos, ô insani, latere voletis Deum?

SECVNDÒ, Qui facilè seduci se patiuntur, (quod sæpe fit hoc tempore) & in grauia peccata abripi, modica proposita illecebra; quod certè non sapiẽtum, sed stultorũ est. Eiusmodi stulta auis Cepphus est teste Pierio l. 23. quæ cùm spumam marinam mirè appetat, ea sibi porrecta ad manum accedit & capitur. Nónne talis stultus Esãu fuit *Gen.* 25. qui pro pulmento lenticulæ ius primogenituræ seu hæreditatem primatiam vendidit? Et ô quot ei similes, qui pro vanissima voluptatis aut lucri exigui illecebrã animam Diabolo vendunt, vnaque DEI gratiam ac ius ad æternam hæreditatem, quod Christus sanguine suo nobis promeruit & in baptismo dedit? quid enim sunt vani honores, breues voluptates, modicum lucrum, breuis vindicta, vna inebriatio, nisi spuma maris & exigua lenticula? Vnde Ezech. 13. dicitur: *Violabant me propter pugillum hordei & fragmentum panis.* Noui stultũ qui vtrico filo stramineo passus est se ligari ad columnam & trabi quò velles, non aliter ac si fune vel catenã constrictus esset. Non dissimiliter plurimi hoc præsertim tempore leuissimã trahuntur illecebrã ad macellum Diaboli ad instar ouicularum, stultissimarum pecudum, *quæ quã timuere ingredi, vnam cornu raptam sequuntur*, vt ait Plinius l. 8. c. 49. Audi Sapientẽ Prouerb. 7. *Irretiuit eum* (iuuenem scilicet mulier) *multis sermonibus & blanditijs labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam & quasi agnus lasciuiens & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur: donec transfigat sagitta iecur eius.* Quot hoc tempore eiusmodi boues & oues ad macellum Dæmonis eunt, de quibus meritò dicit Dauid Ps. 48. *Sicut ouis in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Bene eandem rem declarat Didacus Stella in Lucæ cap. 11. *Mirandũ quidem est*, inquit, *quàm insanè & quantâ amentiâ homo ipse audeat Deum offendere cum videat se amittere & perdere ipsum Deum, qui omne bonum*

C. II. Qui facilè nimis seducuntur.

bonum & summum est, & in ipso omnia alia bona quæ intelligi & cogitari possunt. Nam si homo aliquis ab Indis ad nos veniret & statim cùm portum attigerit, omnem rem, aurum & argentum, quæ tantis laboribus sibi comparauit, ludo exponat & vnica tantum sponsione totius substantiæ iacturam fecerit, nónne hunc amentem & insanum & omni prorsus carentem intellectu diceres? Quæ igitur, obsecro, maior insania aut amentia esse potest, quàm breui quadã voluptate ad triduum peritura, omnis lucri & tantorum meritorum, quæ tot laboribus comparasti, iacturam facere? Aspice igitur si libet, ô peccator; conuincam enim te amentiorem & insaniorem esse, quàm ille qui ab Indis tractus diuitem supellectilem & omnem rem breui ludo exposuit & amisit. Nam ille in promptu remedium sibi habet paratissimum; potest enim ad Indos iterum transire & sibi maiora alia comparare. At verò peccator constitutus in mortali crimine, eò statu & miseria deuenit, vt nullum possit opus facere, quod vitâ æternâ sit dignum nec ipsâ gratiâ Dei.

D. III. Qui iniurias iniuriis compensant.

TERTIÒ, Qui iniurias remittere nesciunt, sed iniuriis repellere conantur. Hi enim insaniam curare insaniâ volunt & perinde agunt ac si asinum calcitrantem ipsi recalcitrarent vt dicit Socrates apud Sabell. l. 5. Quidã fatuus, vt refert Pontanus *in Atticis bellarijs syntagm. 1. hist. 57.* morem hunc habebat quoties cuipiam in via occurreret, vt cum scipione quem pro claua gerebat, leuiter ac citra dolorem tãgeret atque ita ridẽs præteriret. Euenit vt alius quidam de fatuorum natione eadem præditus cõsuetudine in illam vrbem adueniret. Huic vrbanus fit obuius; eũ contingit; vt solebat peregrinus, vt ipse quoque solebat, idẽ facit. Repetit tactum prior, repetit & posterior, etiã tertium & quartum & quintũ & vltra, & semper quidem validiùs, dum neuter priùs à verberatione cessandũ arbitratur. Denique plagis incutiendis ambo delassati, tuberibus pleni simul in publico pro mortuis iacẽt. Exinde obuios pulsare abstinuerunt, declinantes de via si quando in se inciderent: monebatque præsentes vterque de cauendo altero, quòd esset fatuus & feriret obuios. hactenus Pont. Quis hîc non videt horum similes esse, qui leuissimis rebus offensi ad pacem & concordiam componere se non possunt, sed iurgia vertunt in conuitia, conuitia in verbera & neuter alteri cedere volunt? Mentiris, inquit vnus; Mentiris ipse, ait alter: Tu es, nequam, infit ille; Tu trifurcifer, iste. Cædit alter, cædit & iste: & ita insani dum neuter sibi temperare potest, quia neuter sapit, mutuis se verberibus conficiunt. Hoccine non est *velle ignem ligare paleis*, vt quidam sanctus ait, quod quis nisi stultus facit? Benè *Prouerb. 26.* dicitur: *Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Sed ogganniunt plerique dedecus esse, non se defendere, non remetiri verbera verberibus; *sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum.* Matth. 15. Deinde isti sibiipsis multò maius damnum inferunt, quàm ei cui nocere volunt, incidunt enim in culpam, dum à se pœnam, quæ sibi irrogatur, volunt repellere: & perinde agunt, ac siquis luto à quopiam paululum aspersus, cloacam intraret & per medium lutum impetu incederet, quo eundem illum vicissim aspergeret; quis hoc nisi stultus faceret? Noui eiusmodi fatuum, qui in vriã quapiam affectus, si cursu reum assequi nequiuisset, ipse sibi vnguibus faciem dilacerabat. Quid aliud faciunt, qui conuitiis vel verberibus vltionem sumunt? sibi enim conscientiæ faciem miserè deformant, alteri nihil vel leuissimè nocent. Vnde *Psal. 117.* de inimicis suis ait Dauid: *circumdederunt me sicut apes*, quia vt exponit Haymon, apes postquam aculeũ alicui infixerint, aculeum perdunt aut frangunt: vnde paulò pòst moriuntur vel saltem inutiles fiunt; plaga autem inflicta modico luto curatur: ita & qui vltionem sumunt, sibi plurimum nocent & gratiæ vitam eripiunt; cùm alteri nihil aut parum noceant.

E. IV. Qui pœnitentiã differunt.

QVARTÒ, Qui pœnitentiam de die in diem differunt, vel ad certum tempus, interim verò liberaliter peccant: hencken ihr Seel dise Tag an ein Zaun / vnd lassen ein kleines Waldvögelein sorgen. Horum stultitiam delineabat angelus B. Arseniu apud Rader. a. p. Virid. c. 4. dicens: *Adesdum & ostendam tibi quomodo se habeant opera hominum. Quo exeunte de cella, ostendit ei Æthiopem ligna scindentem, quibus alligauit quidem onus non facilè ad tollendum humeris. Cùm autem conaretur tollere, non potuit propter onus. Is verò alia quoq; adijciebat & fascem suum augebat: quo adhuc grauiori & ad portandum difficiliori facto, noua ligna cædebat & ad eundem tumulum addebat, ita vt eum vix de terra paululum leuare posset. Et talis aiebat angelus est mundi stultitia. Qui enim ligna scindit & onus conficit, is est qui multis quidem grauatur peccatis, pro eo autem quòd ea deberet resecare pœnitentiâ, ostenditur alia potiùs addere* Ita Iethro Moysi volenti omnia negotia totius populi quotidie magis crescentis, soli expedire, ait: *stulto labore consumeris; supra vires tuas est negotium.* Exod. 18.

Eodẽ pertinẽt, qui in peccato mortali audẽt viuere & ire cubitũ. Dictum D. Thomæ Aquinatis erat (vt refertur in histo. Ord. S. Dom. *p. 1. l. 3. c. 37.*) non posse se capere, quomodo possibile esset, hominẽ in peccato lethali constitutũ ridere aut voluptatem quamcunque ex re vlla posse capere: & meritò sic sentiebat; quãdo talis certa fide credit, quòd si in eo moreretur, æternæ mortis & flammarum esset nutrimentum. Viderat Damocles ille fulgentem ceruicibus suis imminere gladiũ in medijs epulis è tenuissima seta pendentẽ, & ciborũ omniũ apparatũ magnificentissimũ mente contempserat: ecquid igitur de illo futurum putamus, qui ex peccato non præsentem modò, sed & futuram illam sempiternam vitam credit se amissurum? quæ quidem ex filo simili dependet. Dixerat insignis quidam Dei seruus, videri sibi, in Christiana Republica debere cuiuis duos carceres sufficere; alterum sacræ inquisitionis; stultorum alterum: nam aut credit quis, aiebat, superesse post hanc vitam infernum, improbis destinatũ, & in peccato ex hac vita decedentibus; aut nõ credit. Si non credit, deducatur

catur igitur ad inquisitionem tamquam Hæreticus:sin credit, & nihilominus è statu peccati, exire non vult; pertrahatur ergo ad carcerem stultorum; maior enim hac dementia nec esse potest, nec cogitari; quidni igitur harũ similiumque rerum meditatio, potissimum sit frænum, hominem in officio continendi? & propterea tantoperè laborat Dæmon vt hoc præsidium è manibus mortalium excutiat. Rodriquez *part. 1. Exerc. tr. 5.*

Sed proponũt ferè omnes se paulò pòst circa Pascha pœnitentiam acturos. Hi nouâ laborant stultitiâ; promittunt enim sibi dies & menses, qui nequaquam in ipsorum sed in Dei tantùm potestate sunt: Et perinde agunt ac stultus ille Thrasylaus apud Athenæum *lib. 12.* qui naues omnes in Pyræum appulsas, suas esse credens, eas & annotabat & enirtebat administrabatque. Si quæ etiã recenter appulissent, magno eas gaudio perinde ac verus earũ dominus excipiebat. Quòd verò aliquas perire cõtingeret, nullâ inde curâ afficiebatur. Hunc imitantur, quotquot sibi plures annos, menses, dies ad pœnitendum promittunt, sibi enim stultè persuadent, quasi tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate, vt ait Christus *Act. 1.* nôrint & in suâ potestate habeant, quemadmodum fecit diues ille *Luc. 12.* qui dicebat animæ suæ: *Anima habes multa bona reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed quid dixit illi Deus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* An non multoties hoc ipsum etiamnum fieri videmus? Quot enim in his feriis siue crapula siue gladio repentè pereunt? Et si mors non aduenit improuisa, aduenit tamen infirmitas vt plurimùm improuisa. Et quid tu boni facies, quomodo pœnitebis in infirmitate, vbi initio nihil de morte vis audire, morbo autem ingrauescente & te periclitante, cùm voles de anima tua disponere, non poteris præ angustiis? Vnde Ecclesiastes *cap. 7.* tempus illud vocat non tuum, dicens: *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* q. d. non poteris tunc vti tempore illo iuxta tuam voluntatem. Dei est illud tempus, quia tunc in eius vinculis es. Vnde quemadmodum reus dum tenetur in vinculis, non permittitur disponere sua sicut vult, dare eleẽmosynas, peregrinationes suscipere, audire Missam, &c. quia non est id tempus in eius potestate: proinde sicut stultè faceret, qui bona opera differret in carcerem; ita qui ad ægritudinem.

F. V. Qui bene operãtur, sed inaniter.

QVINTÒ, Qui bona quidem operantur, sed frustraneo labore, vel quia ob vanam gloriam operantur, vel quia nõ deserunt affectum peccandi, vel etiam peccata ipsa non confitentur. Horum stultitiam demonstrabat Angelus Arsenio, loco suprad. in homine, qui de lacu aquã hauriens mittebat illam in canalem perforatum. Qui enim bona agit, ieiunat, dat eleẽmosynas, orat &c. interim tamen ad vanam gloriam respicit, vel affectum peccati retinet, fructum bonorum operum perdit iuxta id Agg. 1. *Qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* De stulto quodam Achæo nomine, scribit Eustachius *Odyss.* 10. quòd cùm is ollam fictilem dormiturus capiti supposuisset puluinaris loco, & duram nimis expertus esset, plumis eam replerit, quo mollior foret culcitra. Sed quemadmodum miser iste in vanum laborauit: ita faciunt, qui cùm ob peccatorum remorsum dormire in culcitrâ cõscientiæ nequeant, plumis orationum, eleẽmosynarum, & ieiuniorum eam replere & emollire volunt: sed non fit his plumis mollior & quietior conscientia, nisi duritiem peccati contriueris per pœnitentiam, sicut nec sanari potest manus, si emplastrum pedi adhibeas. Vnde collector speculi refert exemplum de Dæmone, qui visus est in templo irridere & subsannare mulierem quandam ante altare prostratam & lachrymis indulgentem: eò quòd speraret lachrymis delere certum aliquod peccatum, quod confessione nolebat.

G. VI. Qui hoc tempore insaniunt & exorbitant.

SEXTÒ, Agmen claudant omnes illi, qui hoc tempore nesciunt esse læti, nisi insaniant & modestiæ limites enormiter excedant, ac proinde non iam homines, sed bestiæ aut prorsus insani & amentes videntur ad instar illius Pisandri amentis, qui ab anima sua destitutum se putabat, cui ne occurreret, impensè formidabat. Quidam enim adeò insaniunt vt mentem ab eis fugisse putes. Alij quasi furiosi & œstro perciti vndique discurrũt, quemadmodũ de Prœti filiabus refert Nicol. Leon. *l. 2. cap.* 8. quæ vaccas sese putantes, impleuerunt falsis mugitibus agros. Alij delicati nimis, qui cùm stultorum personas induant, vexari tamen & haberi stulti nolunt, sed modica irrisione aut verbo ridiculo tacti excandescunt, similes ijs stultis, qui teste Galeno & Auicennâ, se vasa fictilia esse credebant, & idcircò hominum attactum, ne confringerentur, sollicitè cauebant. Alij superbi & arrogantes, qui putant omnes alios sibi cedere debere & soli ipsi plateas occupare ac domos intrare volũt, similes illi stulto, qui putabat se nasum habere longissimum instar perticæ, vnde ingredientes vel paulò propiùs ad se accedentes clamoribus arcebat, monens ne in nasum ipsius impingerent. Alij denique clamant in plateis quasi à Diabolo obsessi: similes illi insano, qui gallum conspicatus priusquam caneret, alas quatientem, ipse quoque similiter brachia motitabat & galli cantum edebat. Quæ omnia à sapientibus irridentur, Deum verò non immeritò ad iracundiam prouocant. Ad extremum igitur cum Apostolo moneo ad Phil. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus enim propè est.*

CONCIO VII.

Stulti laude digni.

1. Tales sunt illi qui syncerè & candidè veritatem loquuntur.
2. Qui nesciunt irasci & vlcisci, sed iniurias tolerant.
3. Qui prompti sunt ad obediendum.
4. Qui timorata conscientia sunt.
5. Qui nesciri, imò contemni in mundo amant.
6. Qui se à communi sæcularium vita segregant.

THEMA.

Qui præibant increpabant eum. Luc. 18.

A. Fateri debeo vetustissimum omniũ festorum esse festum Bacchanalium. Ea siquidem originem suam ducunt à gentilibus Romanis, qui multò ante Christi natiuitatem Bacchanalia celebrabant, in quibus vsque ad amentiam saltitabant & furebant: & prætereà ferias stultorum hoc ipso mense Februario, vt auctor est Festus, apud Rosinum in Antiquit. Rom. vbi stulti & ignorantes Romulo sacra sua faciebant, farragines coquendo. Tales autem sunt & hæ nostræ feriæ: at qui eas nescit, in fastis rusticanis quæ̃rat & Stultum ibi depictũ reperiet. Quod si igitur tam antiquũ & receptũ est hoc Festum, quid est quod audio interdictũ esse? Ego sanè tametsi Magistratui sæculari nihil præscriptum aut præiudicatum volo; prohibere minimè possum, aut debeo ferias stultorum; Siquidem Apostolus 1. *Cor.* 3. stultitiam non modò non interdicit, sed etiam suadet ac præcipit. Quid enim ait? *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Ecce quid vltra requirimus? Prohibuit nobis ante annum (in præcedente concione) idem Apostolus stultitiam perniciosam, quemadmodum audiuimus: nunc verò nobis commendat stultitiam salutarem: & hanc ego cuicumque nõ modò his diebus sed etiam toto anno colendam, non permitto solùm, sed suadeo & consulo; *optoq; apud Deum & in modico & in magno, omnes qui audiunt hodie, fieri tales*, quemadmodũ idem Apostolus ad Agrippam dixit. *Act.* 26. Et tametsi mũdus eiusmodi stultos increpat, quemadmodum & illi qui præibant Christum, cæcum clamantem, nihil tamen moueamur, sed cum cæco tanto magis pergamus, stultitiam hanc colendo. Quinam verò huiusmodi stulti? videamus.

B. 1. Qui synceræ mentis sunt. Primò. Tales sunt, qui fallere, simulare, mentiri & veritatẽ tegere vel palliare nesciũt, sed purè, candidè & apertè agunt; qui nõ aliud in ore, aliud in corde gerunt, sed rem vt est, proponunt, monstrant, vendunt, &c. Istos à mundo pro stultis haberi, innumeris exemplis patet. Producat aliquis equum suum in foro vendendum, & aperiat vltrò defectus illius & vitia & propterea minus se pretium exigere pro eo velle dicat: an non iste actutum audiet à proximo quoque: stultus es tu, qui occulta equi tui vitia prodis, poteras enim maiori vendere pretio si ea tacuisses? Reperit quis rẽ pretiosam in via, quare curat statim id promulgari de cancellis & vndique inquiri, vt domino restituat; statim & iste audiet: Stultescis tu, qui rem istam proclamas; nam si tacuisses, ea tibi manisset. Vendidit alius equum 60. florenis, Emptor ei per errorem numerat 70. vel dedit pecunias minori pretio, quàm valeant, per ignorantiam, &c. Hoc aduertit venditor cùm domi pecuniam rursum numerat: superfluum igitur quod accepit, 10. scilicet florenos restituit emptori: & ob id statim proclamatur à mundo stultus. Sed stultitia ista, sapientia est apud Deum teste Apostolo: opposita verò illi astutia, seu mundi sapientiã, stultitia est apud Deum. 1. *Cor.* 3. Idem etiam Apostolus. 1. *Cor.* 6. ait: *quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis & fraudatis & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare.* Nam reuerà qui ita fallit proximum, eo ipso longè magis seipsum decipit: contrà qui syncerè agit, omnem deceptionem euadit, ac proinde hic verè sapiens, ille stultus appellari debet. Si quis enim glorietur se decepisse cõfessarium suum, eò quòd timanti conscientiã ambiguè responderit, & rei veritatem celauerit: nónne hic seipsum decipit potiùs quàm confessarium? nonne lethale vulnus abscondit medico? nónne idem agit, quod stultus ille viator, qui cùm in hospitio ouum fœtum ac fœtidum deuorasset, gloriabatur posteà & gaudebat, quòd cauponi imposuerit, cui pullum gallinæ à se deuoratum in ouo non soluisset? Sapiens contrà est eorum stultitia, qui nesciũt fraudem facere, hoc ipso enim se ab errore & deceptione liberãt, salutem suam in tuto collocant. Cuiusmodi exemplum refert S. Chrysostomus *homil.* 30. *ad popu.* scribens: *Erat quodam in loco thesaurus absconditus; cumque id loci Dominus nesciret, alij locum venum dedit. Emptor cùm foderet vt in agrum mutaretur, excoleretque reperit thesaurum, conuenit venditorem offerique ipsi thesaurum, locum enim se dicebat, non thesaurum emisse; possessor respuit donum, dicens: vendidi locum, nec eius in eum habeo amplius. Pium hocce erat certamen.* Sanè vterque horum nostro præsertim tempore stultus iudicaretur: sed interim vterque coram Deo sapiens erat, quia vterque malebat temporali commodo carere, quàm vel periculum tantùm spiritualis damni subire. Simile huic certamen legimus inter Abraham & Regem Ephron. *Gen. cap.* 23. Volebat Abraham ab Ephron emere speluncam in sepulturam Saræ. Noluit Ephron vendere, sed voluit donare. At excipit rursum Abraham, nec nisi pecuniã emptam acceptare vult. Audiamus aliud à S. Augustino *in l.* 50. *homiliarum ho.* 9. & *de verbis Apostoli serm.* 21. *Dicam*, inquit, *quid fecerit homo quidam pauperrimus eo tempore quo sanctus Ambrosius Mediolani erat Episcopus, vbi tunc præsens erat etiam Augustinus nondum Episcopus. Tam pauper erat ille de quo loquimur, vt proscholasticus esset Grammatici, sed planè verus & perfectus Christianus: sed melior fuit ille, qui ad velum stabat, quàm ille*

ille qui in cathedra sedebat. Pauper ergo iste inuenit sacculum ducentorum solidorum, memor tamen diuino legis proposuit pitacium publicè; Qui solidos perdidit, veniat ad illum locum, vt quærat illum hominem. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pitacio, venit ad hominem. Et ne fortè alienum quæreret, sed suum; quæsiuit signa, interrogauit sacculi qualitatem, solidorum etiam & numerum. Cùm omnia fideliter etiam ille respondisset, reddidit quod inuenerat. Ille repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit illi solidos viginti. Noluit accipere. Obtulit decem. Noluit accipere. Saltem rogauit, vt vel quinque acciperet. Noluit. Ille stomachans proiecit sacculum: Nihil perdidi, ait: si non vis à me aliquid accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus? Theatrum mundus, spectator Deus. Victus ille, quod offerebatur, accepit & continuò totum pauperibus erogauit. Vnum solidum in domum suam non misit. Considerate fratres tam gloriosum exemplum & tam admirabile factum. Huc pertinent Germani illi qui cùm Romæ reperissent marsupium nummis bene fartum, ducti conscientiâ loculos ad Panigarolam celeberrimum Ecclesiasten detulerunt. Qui acceptis loculis in cathedram ascendit & in Germanorum laudes facũdissimè digressus palam dixit: *Ecce hos loculos plenos nummis attulerunt mihi Germani, vt quæratur Dominus. Quis vestrûm simile quid vnquam fecisset? Quis inuentam hanc pecuniam sibi statim non vendicasset, tacitusq; reseruasset? Longè alia mens Germanis est, vt videtis, qui ob tam præclarè factum omni commendatione dignissimi sunt.* Vtinam hæc præstantissimi concionatoris laus non illis solis, sed omnibus Germanis verè tribui posset. Refert P. Gretserus *in posthumis rerum var.* Isti, Auditores, isti sunt stulti mundo, sapientes autem Deo.

C. II. Qui se vlcisci nesciunt. SECVNDÒ, Qui iniurias tolerant patienter & dissimulãt, qui nesciunt irasci & vlcisci, sed potiùs arrident & iniuriantibus benefaciunt. Nam si tu contumeliam vel alapam accipias, sed dissimules, ignoscas, arrideas: statim aderit alius, qui tibi in faciem dicat: stultus es, si hoc pateris. Similiter si auferẽti tibi tunicam præbeas & pallium: Si percutienti te in maxillam præbeas & alteram idipsum audies, stultitię argueris. Sed & hæc stultitia, sapientia est apud Deum; mundi verò sapientia, stultitia. Vnde Apostolus loco suprad. ait: *Quare non magis iniuriam patimini? Sed vos iniuriam facitis, &c.* Et suadet idem suo exemplo 1. *Cor.* 4. cùm ait: *Nos stulti propter Christum.* Et quare stulti vos Apostoli? quia nimirum *Maledicimur,* inquit, *& benedicimus: persecutionẽ patimur & sustinemus: blasphemamur & obsecramus.* Hanc enim mũdi stultitiam, Dei verò sapientiam docuit eos Dominus cùm dixit: *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos & orate pro persequentibus vos.* Et rursum: *Siquis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Matth. 5. Ratio est, quia qui iniuriam dimittit, gloriam sibi acquirit temporalem & æternam: qui verò vlciscitur, nihil efficit, nisi quòd seipsum vulnerat grauissimè, inimicum verò leuissimè: conuerso enim in se gladio contra inimicum currit. Eiusmodi stultitiâ claruit S. ille Pater, quem narrat Abbas Zosimus apud Rader. 3. *p. Virid.* 38 *c.* 2. soluisse aliquando vestem in foro sibi coëmptam, quã dum ad pedes interim positam fur quidam surripere conaretur, studio dissimulasse seseque erexisse & aliò conuertisse oculos, quò commodiùs alter tolleret iaceotem: quasi non sibi sed furi vestem comparasset. Sic & alius quidam senex Eremita apud Euiratũ *in prato spir. c.* 211. qui furibus ad se venientibus vt supellectilem eius omnem tollerent, marsupium interim oblitis: eos cum marsupio insecutus clamauit: *Accipite & illud, quod tollere obliti estis.* Simile exemplum refert S. Greg. *l.* 1. *dial. c.* 2. de Abbate Libertino, quem quidam raptores equo deiiciebant & equum abducebant, qui non tantùm non commotus est eâ iniuriâ, sed etiam virgam, quâ equum citiùs abigere possent, attulit abeuntibus. Non tenemur nos ista hæc imitari; debemus tamen parati esse ad omnis generis iniurias æquo animo ferendas.

TERTIÒ, Qui cæcam exercẽt obedientiam & promptitudinem ad assentiendum articulis fidei, ad obsequendum Christi. Ecclesiæ & superiorum mandatis; nec disquirunt cur hoc vel illud facere iubeantur; sufficit enim illis præceptum esse à Christo, Ecclesia vel superiore. D. III. Qui prompti ad obediendum. Isti enim stultorum instar personati incedunt, & velut cæci ductum alienum sequuntur, maximo suo merito. Et ex hoc capite Christus gentibus stultitia est, & Christiani stulti quod adorent Crucifixum. Item stulti iudicamur ab hæreticis, quòd imagines ligneas & Eucharistiam adoremus, quod ieiuniis & afflictionibus carnem maceremus, quòd variis Ecclesiæ cæremoniis Dei cultum peragamus &c. Quin etiam apud Catholicos stulti reputãtur ab aliquibus, qui Confessario detegunt omnia sua peccata, præsertim grauia, iniustitias, turpitudines & similia. Hinc enim aliqui dicũt: Müste ich wol ein Narr seyn/wann ich dem Pfaffen alles wolt sagen. Qui tamen ipsemet de ingenti stultitiâ conuincuntur, siquidem proprium sensum, qui in nobis nunquã caret suâ stultitiâ, sequi malunt, quàm Dei expressum verbum & mandatum, Ecclesiæ sanctæ ductũ, superiorum consilia, indeque dum videre se existimant, cæci fiunt & cæcorum instar grauiter labuntur. Qui verò fidei & Ecclesiæ ductum sequuntur securissimè ambulant: qualis Abraham, qui ad præceptũ Dei proprium filiũ immolare paratus fuit: & in nostrâ lege filius æmulus, Mutius, qui cũ octenni filio cœnobiũ obtinens, postmodum ab Abbate simulante se filium eius ægrè ferre, iussus filium in flumen iactare, confestim quasi à Deo id sibi præceptum esset, arripiens filium properauit ad flumen filium mersurus, quod & factum esset, nisi constituti fuissent aliqui, qui proiectum paruulum mox eriperẽt. Cassian. *l.* 4. *c.* 27. Talis Ioannes ille discipulus posteà Abbas, qui aridũ stipitem in terram depangere, & tamdiu

aquis

aquis rigare, quoad reuiresceret, ab Abbate iussus,paruit;quo facto post triennium,quo laborem perpetuauit, stipes effloruit; quo miraculo ostendit Deus, quàm grata sit ei simplex obedientia. Cassian. *ibid.cap.* 24. In quo genere virtutis etiam prophetas suos in veteri lege mirè Deus exercuit. Isaiæ præcepit, vt nudus & discalciatus incederet. *Isa.* 20. Ieremiæ, vt vincula & catenas circa collum poneret, & ita passim obambularet, *Ieremia* 27. Ezechieli, vt instar furentis barbam raderet & ponderatos capillos diuideret in tres partes, quarum vnam combureret in medio ciuitatis, alteram concideret gladio, tertiam in ventum spargeret. *Ezech.* 5. Quæ quidem ad certas clades vaticinandas populo præcepit Deus: interim tamen etiam exercere in simplici & stultâ obedientiâ seruos suos voluit.

Huiusmodi stultitia prædiros esse nos oportet,cùm Magistratus noster præcipit nobis ea, quæ non intelligimus. Credêdum enim quòd cùm Deus mûdum regat iis interpositis, assiet eos speciali lumine vt intelligant quid reipublicæ vel familiæ suæ expediat. Vnde Salomô Rex fidêter hoc donum à Deo petit quasi sibi quadantenus debitum: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit.* Nulla manifesta rationis niti videbatur Lex illa Lacedæmoniorum: *Ne Ephori barbam nutriant.* Nec illa Romanorum: *Qui donantur libertate, minutis festucis conspergantur.* Nec illa Solonis: *Honore priuetur, qui se in seditione neutri parti adiunxerit,* vt scribit Plut. *l. de serâ Numinis vindictâ*; his tamen omnibus tanquam iustis parebatur. Quid hîc filios Rechab commemorem abstinentes à vino iussu patris? *Hier.* 35. Quid Isaac sinentem se à patre ligari ad cædem? *Gen.* 22.

E. IV. Qui timoratæ conscientiæ sunt.

QVARTÒ, Qui timoratæ & teneræ sunt conscientiæ & malunt quiduis pati, quàm leue aliquod peccatum admittere. v.g. mendacium dicere, sacrum negligere, ieiunium frangere, potum immoderatiorem, vnde aliquod detrimentum timent, sibi propinatum exhaurire. Tales enim à mundo scrupulosi, religiosi & sancti per iocum vocantur & habentur stulti. Eòdem pertinent, qui leui verbo, signo, exemplo, comminatione, &c. ad pœnitentiam commouentur & vitam in meliùs commutant, à praua societate recedunt, &c. hos enim quasi formidolosos, parû cordatos & stultos vocare solet mundus. Talis S. Paulus qui cùm narraret quomodo voce diuina prostratus & ad Christianismum conuersus esset, Festus proconsul dixit: *Insanis Paule.* Act. 26. Talis Senior Theodosius Imp. qui ab Ambrosio ob cædem Thessalonicentium eius imperio patratam, à templi ingressu exclusus & obiurgatus (*secutus es errantem* (Dauidem) *sequere & pœnitentem*) ilicò se accinxit ad publicam in Ecclesia pœnitêtiam faciendam. Talis & iunior Theodosius, qui vt alio loco diximus, præter ius & ratione à Monacho sibi importuno excommunicatus, adeò hunc ictum sensit (tametsi nullarum viriuni erat, vt quiescere non posset, donec conquisitus vndique Monachus accerseretur ipsúmque anathemate solueret. Quod si iste nostro seculo fecisset, mundus eum insanisse diceret, vt qui tam brutum fulmê & tonitru expelui, vt dici solet, timuerit. Talis ille Ioannes Opanij Sabaites Antiochus dictus, qui somnians aliquâdo in seuero Dei examine debere se centum auri libras, experrectus statim intellexit quorsum eæ rationes pertinerent. Ergò seipsum allocutus: *Infælix,* inquit, *Antioche, ingenti ære alieno oppressi sumus multaque nobis nomina & debita sunt persoluenda.* Inde per triennium in cœnobio se subiecit omnibus, omniû iussis paruit, omnes iniurias tolerauit. Post trienniû, rursum somnians vidit decem tantùm auri libras de rationibus suis esse deletas. Vnde: *Miser,* inquit, *Antioche toto triennio non nisi decem libras de centum persoluisti: ecquando totum es ac debitum dissolues?* Itaque pro fatuo & amente se gessit, molestissima & abiectissima quæque onera monasterij perferendo. Et post 13. annos vidit rursû in somno totâ debiti syngrapham esse deletam. Refert Raderus 1. *par. Virid. SS.*

Huc referendi essent, si Christiani fuissent, Thraces, qui videntes Ducem suum plurimas fabricantem scalas, dicentemque se ijs ad Iunonem in cœlû ascensurum, vt eos accusaret; metu perculsi, ea quæ imperauerat, faciebant. Theat. Zwing. Item Cyaxates Medorum & Halyattes Lydiorû Reges, qui dum arma conferentes maximam viderent solis obscurationem, ambo consternati quasi Deo sibi irato, pacem fecerunt. Vtinâ & nos hac simplicitate laboraremus. Quur pauperes, quot sancti Scelis orationû suarum quotidie in cœlum ascendunt & peccatores ac persecutores suos accusant? De his enim Dominus ait: *Clamor eorum ascendit coram me.* Adhæc nônne scimus tenebras factas esse passo Domino, ita vt qui *aderant ad spectaculum istud* (ait Lucas) *percutientes pectora sua reuerterentur?* Et cur nos propterea non punimus scelera nostra, quorum causâ Christus passus est? cur non sublatâ omni hostilitate & inimicitiâ pacem inter nos sancimus?

F. V. Qui nesciri in mundo amant.

QVINTÒ, Qui nesciri, imò contemni in hoc mundo amant, vt virtutes suas tegant, pericula peccandi euadant, merita sibi acquirant & Christo se assimilent &c. Hanc stultitiam profitentur Monachi, dum Cappas gerunt, stultorum alioquin insignia, vestes itê sordidas varij coloris, laceras & squalidas. Quorum vitam æstimât mundani *insaniam & finem sine honore, Sap.* 5. Huius studij ardentissimus sectator fuit Simeon Salus, qui stultum se simulans, cùm esset prudentissimus, ab omnibus contemni se gauisus est, atque vt magis contemneretur, multa fecit ridicula. Inter alia canê mortuum pedibus suis alligatum per ciuitatem traxit; si quis ei velut sancto honorê impertiebat, eum verberibus pulsabat vel properè se subripiebat; eodem fine tabernas, cùm esuriret, ingrediebatur publicas ibique vescebatur; domicilium Scorti intrabat & formidinem in egestu simulabat, quasi scelus ibi patrallet, cùm tamen esurienti mulieri cibû tantùm attulisset. Metaphra-

taphrastes apud Surium to. 4. 1. Iulij. Huius sectator erat S. Iacoponos Tudertinus nobili genere natus, qui amentiam simulans, ad propinqui nuptias venit corpore nudo priùs perunctо & pòst in discoloribus plumis volutato atque ita instar Africanæ alicuius feræ in mediâ solennitate comparuit & ludos omnes nuptiales disturbauit. Rader. P. 2. Virid. SS. c. 3.

Quis verò nunc dubitare potest talium stultitiam, magnam esse coram Deo sapientiam, siquidem thesaurum abscondit, ne si ostendatur, eo spolientur? Quemadmodum ergò Dauid nequaquam fuit insanus sed sapientissimus quādo coram Achis Rege insanum se simulauit & ab eo velut insanus eiectus est. 1. Reg. 21. siquidem per insaniæ illius simulationē vitam suam tutatus est & periculum mortis euasit, ita & sapientissimè fecerunt sancti qui in mundo contemni velut insani quæsierunt: gratiam enim interim & virtutes suas tutati sunt.

G. VI. Qui se à mundi via segregant. SEXTÒ, Qui se à communi sæcularium vita segregant (maximè hoc tempore vbi pęne totus mundus in maligno positus) orationi & deuotioni student, confitentur, communicant & pœnitentiæ opera faciunt: hæc enim adeò aliena sunt ab hoc tempore, vt mundus insanire illos putet, qui talia agunt. Euenit quoque illis quod cęco hodierno secus viam sedenti & clamanti IESV fili Dauid, &c. quem increpabant qui præibant. Qui enim his diebus stultitiæ non vacat statim increpatur: quemadmodum & Tobias Senior, qui quòd à conuiuio inuitatorum exiret & tolleret mortuos in plateis ac sepeliret, arguebatur à proximis & irridebatur à parētibus & cognatis. Tob. 2. Quam pietatem ab ipsâ iuuentute cœpit, nam cùm omnes coætanei eius: *irent ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat, hic solus fugiebat consortia omnium & pergebat in Ierusalem ad templum Domini & ibi adorabat Dominum Deum Israel.* Ita & Iob laudatur, quod dū filij eius faciebant conuiuia in domibus suis per vices, comedebant & bibebant, ipse interim pro iis offerebat holocausta ad placandum Deum si offendissent eum filij, Iob. 1. Placeret etiam Deo si qua alia pietas & deuotio, quæ his diebus dirigeretur ad placandum Deum pro peccatis hominum, quæ hoc triduo liberrimè patrantur. Demonstrare quidam voluit, faciliùs esse hoc Baccbanaliorum tempore intrare ad cœlū, quàm in hebdomade sanctâ, eò quòd hoc triduo cœli aditus minimè sit frequens, sed desertus & quietus, siquidem nunc paucissimi ingredi contendant: in sacra verò hebdomade, omnes velle intrare, inde comprimi intrantes adeoque tunc difficiliùs ingredi. Ridicula est hæc argumentatio, non tamē prorsus vana. Quò enim rariores sunt, qui his diebus deuotioni & piis operibus student, eò cariores Deo sunt, maiorique laude digni, quòd inter reprobos boni sunt, vti Iob & Tobias inter Gentiles constituti.

Hi sunt, Auditores, hi sunt stulti illi, quos Apostolus requirit vel optat potiùs, vtpote raros in hoc mundo, quibus vtinam nos associemur, &c.

CONCIO VIII.

Documenta.

Ex hoc Euangelio discimus	*A cæco, interrogare de rebus quas nescis, capere occasionem salutis, perstare in cœpto virtutum, sequi Christum, ac Deum certo modo laudare.*
1. A Christo morti obuiare, profanam lætitiam ablegare, misericordiam erga miseros &c.	

THEMA.

Domine vt videam. Luc. 18.

LAudandus est hic cæcus, qui cùm audiret Christum se offerentem ad faciendum id, quod vellet; non petiit diuitias, non honores, non delicias, nec animas inimicorum suorum, sed lumen oculis suis: *Domine vt videam.* Verùm magis adhuc laudandus fuit Salomon; cùm optione sibi à Deo datā, vt peteret quod vellet, petiit lumen spirituale & supernaturale, sapientiam videlicet ad regendum populum suum. Quæ petitio adeò Deo placuit, vt ad lumen sapientiæ adiiceret illi opes, gloriam & honorem. 3. Reg. 3. Atque hoc est, Auditores, quod præ aliis omnibus petere nos à Christo decet, lumen scilicet intelligentiæ ad tegendum nos & alios. Sed vnde nobis hoc lumen, qui Christum iam non habemus? Atqui habemus eius Euangelium, verba & gesta Christi: de quibus scriptum est: *Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis.* Rogemus igitur Christum, vt nos suo Euangelio dignetur illustrare. A.

A Christo disce PRIMÒ, morti obuiare. Sic enim Christus Dominus, cùm præsciret se in Ierusalem ad proximum pascha morti tradendum, eò iter instituit & assumptis discipulis suis ascendit. *Præcedebat illos Iesus,* ait S. Marcus; *discipuli autem stupebant & sequentes timebant.* Nouerant enim Christo insidiari scribas & Pharisæos Ierosolymis. His verò nihil obstantibus, perrexit Christus ad passionem & mortem suam. Cæterùm sciendū Christum, quando Pontifices collegerunt concilium vt eum interficerent, nō iam in palàm ambulasse apud Iudæos, sed abiisse in regionem iuxta desertū in ciuitatem Ephrem & ibi moratū vsque ad tempus paschæ propinquum. Ex istâ ergo ciuitate perrexit Ierosolymam, vt dicitur in hodierno Euangelio. Ephrem porrò puluerem vel puluerulentum significat, & designat hominem quemlibet, qui de puluere ortus peregrinatur ad mortem suam. Ibi ergo inprimis morari & latere debemus, in mortis meditatione, quando eam nobis decretā esse scimus. E puluere egressi obuiemus morti quemadmodum instruet nos Ecclesia post triduum, cùm ab incineratione ducet nos ad mortem & resurrectionem Christi. Sed quomodo obuiabimus? Si cogitemus nos quotidie morituros, B. I. A Christo. 1.

quo-

quotidie enim ad mortem pergimus, sed nescimus quando attingemus: ergo *omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Quod si hoc cogitemus, operam etiam dabimus vt ad moriendum omni die parati simus: atque hoc est ascendere ad mortem eique obuiare. *Libro 1. Reg. cap 14.* legimus Ionathan perrecturum ad stationem Philisthinorum, dixisse: *Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro nec ascendamus ad eos. Si autē dixerint: ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* Atque ita euenit. Prouocatus ad ascensum Ionathas à Philisthæis, ascendit & percussit eos. Philisthæos interpretantur consperlos cinere; statio ergò Philisthæorum, statio mortis est, vbi omnia consistunt. Hæc si tibi dixerit in corde tuo: mane donec veniam ad te: esto securus, ede, bibe, lude, adhuc multum vitæ tibi superest: sufficiet pœnitere quādo ego venero. &c. malum istud signum vinceris enim à morte & succumbes. At si dixerit tibi. Ascende ad me, obuia mihi, para te ad moriendum omni die & horâ, faustum hoc erit signum; ascende forti & alacri animo: ita enim vinces, quemadmodùm & Christus vicit mortem postquam morti obuiauit.

2. *Profanā lætiam ablegare.* Secundò, profanam & sæcularem lætitiam à te ablegare; siquidem & Christus nunquam risisse legitur nec vnquam in re sæculari lætatus est, sed potiùs tota eius vita passio & crux fuit, quia semper eā præuidit, & quod amplius est, passionis genus, tormenta, probra, aliasque circumstantias sigillatim, quas in hodierno Euangelio commemorat plerasque, cùm ait: *Filius hominis tradetur gentibus & illudetur & flagellabitur & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum.* Quis autem ridere vnquam & cum sæculo gaudere posset, si certò sciret sibi in cruce moriendum esse, vel aquis se præfocandum, vel incendio consumēdum, similive alio lamentabili casu percundum? An non semper meminisset finis sui? Hinc reis ad mortē damnatis solet celari mors, vsque dum ad supplicium educendi sunt; ne mortis suæ præuisione acerbiùs crucientur: id quod fecit etiā Abraham immolaturus filium iuxta mandatū Dei. Cùm enim filius rogaret, vbi esset victima holocausti? pater ei respondit, non vtique sine maximo doloris sensu: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi.* Gen. 22. Noluit nimirū sauciare cor filij, victimæ expressione. Verùm Christo semper ob oculos versabatur vniuersa eius passio. Vnde toties de eā mentionem fecit, vti in partibus Cæsareę, *Matth.* 16. In mōte Thabor seu transfiguratione sua *Matth.* 17. rursum in Galilæa, eod. cap. Iterum in vltima cœna *Ioan.* 13. Alibi etiam breuiter & obscurè, vt Ioan. 2. *soluite templum hoc* Ioan. 3. *sicut Moyses exaltauit serpentem, ita, &c.* Luc. 12. *baptismo habeo baptizari, &c.* Marci 10. *potestis bibere calicem, &c.* Crucis verò suæ passim etiam meminit & ad eam nos inuitat. Itaque Christus in tota vita sua nulla vnquam habuit Hilaria seu (vt vocamus) Bacchanalia: quid mirum si etiam Christianus iisdem aliisque leuitatibus ac iocis renuntiet? scit enim vnusquisque non solùm sibi statutúm esse mori, sed etiam post hoc iudiciū. Et quid est mori? quid à Deo iudicari? Nónne ista duo terribilium omnium terribilissima? Taceo acerbissimas purgatorij pœnas, quæ plerisque iustis certæ sunt.

Tertiò, Misericordiam & liberalitatem erga miseros & egenos. Etenim Christus Primò ad interpellationem Mendici stetit, tametsi qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ita pauperum petitiones & querelæ mox & æquo animo audiendæ sunt. Potuit oratio huius mendici sistere Dei filium: quomodo clamor pauperis non moueat ac sistat hominem ad audiendas eius querelas? An non saxo durior est qui seriò ob amorem Christi rogatus cùm iuuare possit, non iuuat? Cogitet igitur diues, cùm pauperis vocem audit, audire se vocem Christi. Et si oratio Iosue solem stare fecit: quomodo vox & oratio Christi in paupere clamantis faciat stare diuitem? 3. *Misericordiam & liberalitatem.* 1.

Secūdò, iussit illum adduci ad se. Ita Christianus cùm videt aliquem indigentē non posse venire ad quærēdam eleemosynam, vel quia infirmus sit, vel quia pudore obstāte, cùm honesta sit persona, publicè non audeat petere, mittat illi eleëmosynam vel aduocet eum in domum suam vt clanculum illi tribuat. 2.

Tertiò. Interrogauit illum: Quid tibi vis faciam? Similitèr danda est eleemosyna largiter & pro indigentia quantum fieri potest, esurientibus cibus, nudis vestes, ægris medicinæ & confortamenta &c. ita nimirum vt pauperes contenti sint. Christus aperuit huic mendico totum diuitiarum suarum sinum, vt petere posset quod vellet, & dedit ei plusquā regiam eleëmosynam. Possunt Reges dare aurum & argentum, sed non possunt dare visum & sanitatem: Christus isti cæco visum dedit, præstantiorem auro & gemmis. Denique si nobis & pro nobis Christus omnia sua dedit, corpus percutientibus, genas vellentibus & conspuentibus, manus ligantibus & fodientibus. &c. quomodo non vicissim Christo in pauperibus dabimus quæ petit longè viliora? 3.

Quartò, Modestiam & humilitatem; siquidem sanitatem cæco impertitam non suæ virtuti adscripsit, sed fidei potiùs cæci, dicens; *Fides tua te saluum fecit.* Simili modo cùm alicui benefecerimus, non id nobis imputemus, sed Deo potiùs vel pauperi. Dicamus imprimis: *fecimus quod debuimus: serui inutiles sumus.* Dedimus quod superfuit nobis adeoque nostrum non fuit sed pauperum. Imò reddidimus Deo sua. 4. *Modestiā & humilitatem.* 1.

Secundò, Parum est quòd dedimus: pecuniam dedimus, lutum dedimus. Nunquid visum tibi restituimus? nunquid sanguinem pro te fudimus, vti pro nobis Christus? ita S. Ioannes Eleëmosynarius, cùm de effusâ in pauperes liberalitate commendaretur, dicere solebat: *Frater nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandauit mihi Dominus.* 2.

Tertiò, Maior est virtus tua & meritū tuum, ô pauper, quàm meum. Quis enim non malit 3.

abun-

abundare vt pauperibus tribuat; quàm egere vt accipiat? Quis non malit morbum curare, quàm sustinere? paupertatem tollere, quàm tolerare?

4 Quartò, Plus à te accipio, quàm dono. Tu enim tollis à me onus graue & spinas diuitiarum vis quoque partem oneris illius, quod in via salutis me retardat, in te suscipere. Deinde tollis à me debita peccatorum meorum, cùm tibi impendo debitum charitatis. Adhæc ego tibi nummum tu mihi donas cœlum.

Denique alia sunt iudicia Dei, alia hominum. Tibi videor munificus, Deo fortitan parcus.

C. II. A cæco. 1. Interrogare de rebus, quæ nescis.

A cæco discimus PRIMÒ, Interrogare de iis rebus præsertim spiritualibus, in quibus cæcutimus, vt ita audiamus, quæ non possumus videre. Ita enim cæcus, cùm nesciret quid sibi vellet strepitus prætereuntium *interrogauit quid hoc esset*. Audiuerat iam ante quis & quantus esset Christus medicus morborum (tanta erat fama miraculorum Christi, vt etiam cæcis in via sedentibus cognita esset) ideò eius præsentiâ intellectâ mox eum inuocare cœpit; sed nesciebat illum nunc transire. Hoc ergo auribus discere studuit, quod oculis non potuit. Mirum sanè est, siquis adhuc non videt, vbi, seu in quâ Ecclesiâ Christus sit; quòd si tamen aliquis hæresum erroribus ita excæcatus est, vt hoc non videat; imitetur cæcum istum, & interroget videntes, quos cum Christo ambulare aduertit, hoc est. piè & Christianè viuere: non cæcos simili hæreseos caligine inuolutos. Rursùm siquid occurrit in SS. literis difficile aut obscurum; nõ præsumat id auctoritate propriâ exponere, sed audiat à videntibus. Cæcus duce indiget, alioquin in foueam cadet. Et propterea plerique in hæresin abducti sunt, quia ducentem se Ecclesiam audire noluerunt: seipsos regere voluerunt. Denique siquis dubitat in rebus conscientiæ, num in hoc vel illo præcepto offendat, interroget superiorem seu confessarium suum, quid hoc vel illud sit, peccatumne an nullum: mortale an veniale? Quàm multi ex hac interrogandi negligentia offendunt per Quadragesimam, dum secum ipsi dispensant in Ecclesiæ præcepto inconsultis confessariis?

2. Captare occasionem salutis.

Secundò, Captare occasionem aucupandæ salutis per pœnitentiam & bona opera. Ita enim cæcus audiens transire magnum illum Medicum, Christũ; non neglexit semetipsum, sed ilicò exclamauit & opem ab eo petiit. Ergò quoties iuxta nos transit Christus, offerendo scilicet nobis occasionem capiandæ salutis & promerendæ gloriæ, mox eam apprehendamus. Sic milites ad pugnandum, mercatores ad lucrandum, occasionem sedulò captant, Sic apibus cùm per cœlum, licet nullus dies otio perit, vt scribit Plinius *l. 11 c. 6.* Porrò optima occasio saluandi animas nostras offeretur nobis in Quadragesima. Ibi enim occinit nobis Ecclesia *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Ibi transibit iuxta nos Saluator. Nõ negligamus ergo nos ipsos: sed apprehendamus disciplinam, pœnitentiam & corporis afflictiones.

3. Perstare in cœpto virtutum.

Tertiò, Perstare in cœptis virtutum operibus nec curare obtrectatores; quod videmus fecisse Cæcum, qui increpatus à prætereuntibus vt taceret; multò magis clamabat; flagrabat enim desiderio recuperandi visûs, ideo contempsit eos qui obstabant. Modicus ignis à vento extinguitur, magnus ad eodem accenditur: ita tepidi Christiani, cùm audiunt oblocutores à bonis propositis & cœptis facilè resiliunt: feruidi verò magis inflammantur, & cum palma ponderibus impositis obnituntur. Tales porrò his potissimùm diebus, quibus turba insaniens, & pæne totus mundus, obstat, pietatem & modestiam sectari volentibus præstare nos satagamus. Dicet enim: quid tu nunc orationi vacas? quid tibi nunc cum confessione & communione? Num tu solus sapis? an fortasse nos non sumus Christiani &c. Spernamus velut Aquilæ cornicu'as obstrepentes, ad Deum Agonothetam attendamus à quo solo brauium expectamus. Non cessauit Dauid ludere ante arcam propter vxoris irrisionem, sed alacriùs perrexit *2. Reg. 6.* Ita & nos hoc triduo non desistamus à piis exercitiis licet mundus nos irrideat, sed rideamus irrisorem. Mundus hoc tempore iubet vt cum insanientibus insanus, & cum cæcis cæcus fias, vt exutâ fronte & honestate baccheris & lasciuias. Tu verò si sapis, cum cæco nostro pete potiùs à Deo vt videas. Vt videas, inquam, quæ supra te Deum omnia intuentem & suo tempore iudicaturum: quæ infra te, mortem & ignem æternum bacchantibus paratum: quæ intra te, peccata tua & conscientiam tuam, num scateat erroribus & quomodo eos emendes: quæ extra te, mundi & Diaboli laqueos, qui hoc potissimùm tempore vndique tensi sunt pedibus insipientum.

4. Sequi Christũ.

Quartò, Sequi Christum & magnificare DEVM post accepta beneficia, quemadmodum fecit cæcus. Nemo nostrum est, qui nõ à Christo spiritualiter illuminatus sit per fidem videlicet, & præterea alia innumera acceperit beneficia. Ergò meritò etiam sequi eum debemus. Primò, iussis eius obtemperando & superioribus, quos nobis dedit. Secũdò, vitam nostram quantum fieri potest conformando vitæ eius tanquam regulæ viuendi. Quidquid agere vel loqui volumus, adhibeamus priùs regulam, quemadmodum murarij solent, cùm lapidem ponunt ad structuram: cogitemusque: quomodo hoc Christus fecit? itáne locutus est? vel quomodo hoc fecisset?

Laudandus Deus.

Deinde eius laudem omni vitâ celebremus; quod Primò, ei debemus, quia Deus est infinita maiestas omneque bonum omni laude dignum. 1. Secundò, Quia innumera beneficia cõtulit in nos & cõferr incessanter. 2. Tertiò, Quia omnes creaturæ etiam irrationales suo modo enarrant gloriam DEI hominemque ad eius laudem excitant. 3. Denique, quia hoc est perpetuum munus & officium Angelorum & bea-

quondie enim ad mortem pergimus, sed nescimus quando attingemus: ergo *omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Quod si hoc cogitemus, operam etiam dabimus vt ad moriendum omni die parati simus: atque hoc est ascendere ad mortem eique obuiare. *Libra 1. Reg. cap. 14.* legimus Ionathan perrectum ad stationem Philisthinorum, dixisse: *Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos; stemus in loco nostro nec ascendamus ad eos. Si autē dixerint, ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* Atque ita euenit. Prouocatus ad ascensum Ionathas à Philisthæis, ascendit & percussit eos. Philisthæos interpretantur conspersos cinere; statio ergò Philisthæorum, statio mortis est, vbi omnia consistunt. Hæc si tibi dixerit in corde tuo: mane donec veniam ad te; esto securus, ede, bibe, lude, adhuc multum vitæ tibi superest: sufficiet pœnitere quādo ego venero. &c. malum istud signum vincens enim à morte & succumbes. At si dixerit tibi, Ascende ad me, obuia mihi, para te ad moriendum omni die & horā, faustum hoc erit signum; ascende forti & alacri animo: ita enim vinces, quemadmodum & Christus vicit mortem postquam morti obuiauit.

2. *Profanā lætiam ablegare.* Secundò, profanam & sæcularem lætitiam à te ablegare; siquidem & Christus nunquam risisse legitur nec vnquam in re sæculari lætatus est, sed potiùs tota eius vita passio & crux fuit, quia semper eā præuidit, & quod amplius est, passionis genus, tormenta, probra, aliasque circumstantias sigillatim, quas in hodierno Euangelio commemorat plerasque, cùm ait: *Filius hominis tradetur gentibus & illudetur & flagellabitur & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum.* Quis autem videre vnquam & cum sæculo gaudere posset, si certò sciret sibi in cruce moriendum esse, vel aquis se præfocandum, vel incendio consumendum, similive alio lamentabili casu percundum? An non semper meminisset finis sui? Hinc reis ad mortē damnatis solet celari mors, vsque dum ad supplicium educendi sunt: ne mortis suæ præsumtione acerbiùs crucientur: id quod fecit etiā Abraham immolaturus filium iuxta mandatū Dei. Cùm enim filius rogaret, vbi esset victima holocausti? pater ei respondit, non vtique sine maximo doloris sensu: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi.* Gen. 22. Noluit nimirū sauciare cor filij, victimæ expressione. Verùm Christo semper ob oculos versabatur vniuersa eius passio. Vnde toties de eā mentionem fecit, vti in partibus Cæsareæ, *Matth.* 16. in mōte Thabor seu transfiguratione sua *Matth.* 17. rursum in Galilæa, eod. cap. iterum in vltima cœna *Ioan.* 13. Alibi etiam breuiter & obscurè, vt Ioan. 2. *soluite templum hoc* Ioan. 3. *sicut Moyses exaltauit serpentem, ita, &c.* Luc. 12. *baptismo habeo baptizari, &c.* Marci 10. *potestis bibere calicem, &c.* Crucis verò suæ passim etiam meminit & ad eam nos inuitat. Itaque Christus in tota vita sua nulla vnquam habuit Hilaria seu (vt vocamus) Bacchanalia: quid mirum si etiam Christianus iisdem alijsque leuitatibus ac iocis renuntiet? scit enim vnusquisque non solùm sibi statutum esse mori, sed etiam post hoc iudiciū. Et quid est mori? quid à Deo iudicari? Nónne ista duo terribilium omnium terribilissima? Taceo acerbissimas purgatorij pœnas, quæ plerisque iustis certæ sunt.

Tertiò, Misericordiam & liberalitatem erga miseros & egenos. Etenim Christus Primò ad interpellationem Mendici stetit, tametsi qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ita pauperum petitiones & querelæ mox & æquo animo audiendæ sunt. Potuit oratio huius mendici sistere Dei filium: quomodo clamor pauperis non moueat ac sistat hominem ad audiendas eius querelas? An non saxo durior est qui seriò ob amorem Christi rogatus cùm iuuare possit, non iuuat? Cogitet igitur diues, cùm pauperis vocem audit, audire se vocem Christi. Et si oratio Iosue solem stare fecit: quomodo vox & oratio Christi in paupere clamantis faciat stare diuitem? 3. *Misericordiam & liberalitatem.* 1.

Secūdò, Iussit illum adduci ad se. Ita Christianus cùm videt aliquem indigentē non posse venire ad quærēdam eleemosynam, vel quia infirmus sit, vel quia pudore obstāte, cùm honesta sit persona, publicè non audeat petere, mittat illi eleēmosynam vel aduocet eum in domum suam vt clanculum illi tribuat. 2.

Tertiò, Interrogauit illum: Quid tibi vis faciam? Similitèr danda est eleemosyna largiter & pro indigentia quantum fieri potest, esurientibus cibus, nudis vestes, ægris medicinæ & confortamenta &c. ita nimirum vt pauperes contenti sint. Christus aperuit huic mendico totum diuitiarum suarum sinum, vt petere posset quod vellet, & dedit ei plusquā regiam eleēmosynam. Possunt Reges dare aurum & argentum, sed non possunt dare visum & sanitatem; Christus isti cæco visum dedit, præstantiorem auro & gemmis. Denique si nobis & pro nobis Christus omnia sua dedit, corpus percutientibus, genas vellentibus & conspuentibus, manus ligantibus & fodientibus, &c. quomodo non vicissim Christo in pauperibus dabimus quæ petit longè viliora? 3.

Quartò, Modestiam & humilitatem; siquidem sanitatem cæco impertitam non suæ virtuti adscripsit, sed fidei potiùs cæci, dicens; *Fides tua te saluum fecit.* Simili modo cùm alicui benefecerimus, non id nobis imputemus, sed Deo potiùs vel pauperi. Dicamus imprimis: *fecimus quod debuimus: serui inutiles sumus.* Dedimus quod superfuit nobis adeoque nostrum non fuit sed pauperum. Imò reddidimus Deo sua. 4. *Modestiā & humilitatem.* 1.

Secundò, Parum est quòd dedimus: pecuniam dedimus, lutum dedimus. Nunquid visum tibi restituimus? nunquid sanguinem pro te fudimus, vti pro nobis Christus? ita S. Ioannes Eleēmosynarius, cùm de effusā in pauperes liberalitate commendaretur, dicere solebat: *Frater nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandauit mihi Dominus.* 2.

Tertiò, Maior est virtus tua & meritū tuum, ô pauper, quàm meum. Quis enim non malit abun- 3.

abundare vt pauperibus tribuat; quàm egere vt accipiat? Quis non mallt morbum curare, quàm sustinere? paupertatem tollere, quàm tolerare?

4 Quartò, Plus à te accipio, quàm dono. Tu enim tollis à me onus graue & spinas diuitiarum. vis quoque partem oneris illius, quod in via salutis me retardat, in te suscipere. Deinde tollis à me debita peccatorum meorum, cùm tibi impendo debitum charitatis. Adhæc ego tibi nummum tu mihi donas cœlum.

Denique alia sunt iudicia Dei, alia hominum. Tibi videtur munificus, Deo fortitan parcus.

C. II. A cæco. 1. *Interrogare de reb. quæ nescis.* A cæco discimus PRIMÒ, Interrogare de iis rebus præsertim spiritualibus, in quibus cæcutimus, vt ita audiamus, quæ non possumus videre. Ita enim cæcus, cùm nesciret quid sibi vellet strepitus prætereuntium *interrogauit quid hoc esset.* Audierat iam ante quis & quantus esset Christus medicus morborum (tanta erat fama miraculorum Christi, vt etiam cæcis in via sedentibus cognita esset) ideò eius præsentiâ intellectâ mox eum inuocare cœpit: sed nesciebat illum nunc transire. Hoc ergo auribus discere studuit, quod oculis non potuit. Mirum sanè est, si quis adhuc non videt, vbi, seu in quâ Ecclesiâ Christus sit; quòd si tamen aliquis hæresum erroribus ita excæcatus est, vt hoc non videat; imitetur cæcum istum, & interroget videntes, quos cum Christo ambulare aduertit, hoc est, piè & Christianè viuere: non cæcos simili hæreseos caligine inuolutos. Rursum si quid occurrit in SS. literis difficile aut obscurum; nò præsumat id auctoritate propriâ exponere, sed audiat à videntibus. Cæcus duce indiget, alioquin in foueam cadet. Et propterea plerique in hæresin abducti sunt, quia ducentem se Ecclesiam audire noluerunt: seipsos regere voluerunt. Denique si quis dubitat in rebus conscientiæ, num in hoc vel illo præcepto offendat, interroget superiorem seu confessarium suum, quid hoc vel illud fit, peccatumne an nullum: mortale an veniale? Quàm multi ex hac interrogandi negligentia offendunt per Quadragesimam, dum secum ipsi dispensant in Ecclesiæ præcepto inconsultis confessariis?

2. *Captare occasionem salutis.* Secundò, Captare occasionem aucupandæ salutis per pœnitentiam & bona opera. Ita enim cæcus audiens transire magnum illum Medicum, Christũ; non neglexit semetipsum, sed illicò exclamauit & opem ab eo petiit. Ergò quoties iuxta nos transit Christus, offerendo scilicet nobis occasionem capiandæ salutis & promerendæ gloriæ, mox eam apprehendamus Sic milites ad pugnandum, mercatores ad lucrandum, occasionem sedulò captant, Sic apibus cùm per cœlum, licet nullus dies otio perit, vt scribit Plinius *l. 11 c. 6.* Porrò optima occasio saluandi animas nostras offertur nobis in Quadragesima. Ibi enim occinit nobis Ecclesia *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Ibi transibit iuxta nos Saluator. Nõ negligamus ergo nos ipsos: sed apprehenda-

mus disciplinam, pœnitentiam & corporis afflictiones.

Tertiò, Perstare in cœptis virtutum operibus nec curare obtrectatores; quod videmus fecisse Cæcum, qui increpatus à prætereuntibus vt taceret, multò magis clamabat; flagrabat enim desiderio recuperandi visus, ideo contempsit eos qui obstabant. Modicus ignis à vento extinguitur, magnus ad eodem accenditur: ita tepidi Christiani, cùm audiunt oblocutores à bonis propositis & cœptis facilè resiliunt: feruidi verò magis inflammantur, & cum palma ponderibus impositis obnituntur. Tales porrò his potissimùm diebus, quibus turba insaniens, & pæne totus mundus, obstat, pietatem & modestiam sectari volentibus præstare nos satagamus. Dicet enim: quid tu nunc orationi vacas? quid tibi nunc cum confessione & communione? Num tu solus sapis? an fortasse nos non sumus Christiani &c. Spernamus velut Aquilæ cornicu'as obstrepentes, ad Deum Agonothetam attendamus à quo solo brauium expectamus. Non cessauit Dauid ludere ante arcam propter vxoris irrisionem, sed alacriùs perrexit 2. *Reg.* 6. Ita & nos hoc triduo non desistamus à piis exercitiis licet mundus nos irrideat, sed rideamus irrisorem. Mundus hoc tempore iubet vt cum insanientibus insanias, & cum cæcis cæcus fias, vt exutâ fronte & honestate baccheris & lasciuias. Tu verò si sapis, cum cæco nostro pete potiùs à Deo vt videas. Vt videas, inquam, quæ supra te Deum omnia intuentem & suo tempore iudicaturum: quæ infra te, mortem & ignem æternum bacchantibus paratum: quæ intra te, peccata tua & conscientiam tuam, num scateat erroribus & quomodo eos emendes: quæ extra te, mundi & Diaboli laqueos, qui hoc potissimùm tempore vndique tensi sunt pedibus insipientum. 3. *Perstare in cœpto virtutũ.*

Quartò, Sequi Christum & magnificare DEVM post accepta beneficia, quemadmodum fecit cæcus. Nemo nostrum est, qui nõ à Christo spiritualiter illuminatus sit per fidem videlicet, & præterea alia innumera acceperit beneficia. Ergò meritò etiam sequi eum debemus. Primò, iussis eius obtemperando & superioribus, quos nobis dedit. Secũdò, vitam nostram quantum fieri potest conformando vitæ eius tanquam regulæ viuendi. Quidquid agere vel loqui volumus, adhibeamus priùs regulam, quemadmodum murarij solent, cùm lapidem ponunt ad structuram: cogitemusque: quomodo hoc Christus fecit? itane locutus est? vel quomodo hoc fecisset? 4. *Sequi Christũ.*

Deinde eius laudem omni vitâ celebremus; quod Primò, ei debemus, quia Deus est infinita maiestas omneque bonum omni laude dignum. Secundò, Quia innumera beneficia cõtulit in nos & cõferr incessanter. Tertiò, Quia omnes creaturæ etiam irrationales suo modo enarrant gloriam DEI hominemque ad eius laudem excitant. Denique, quia hoc est perpetuum munus & officium Angelorum *Laudandus Deus.* 1. 2. 3.

& beatorum omnium in omnem æternitatem Deum collaudantium; quod in terris æmulantur & imitantur iusti etiam in afflictionibus suis; vti Dauid in persecutionibus, Iob in suis miseriis: tres pueri in fornace. Laudatur porrò non vnâ sed varijs rationibus. Primò voce, verbis & hymnis, vt cùm dicimus: *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Et cùm decantamus hymnum: *Te Deum laudamus, &c.*

Quomodo.

1.

2. Secundò, Vitæ innocentiâ, cùm peccata omni studio vitamus ne Deum offendamus; siquidem illa summa DEI contumelia & vituperium sunt.

3. Tertiò, Studio virtutum & rectis actionibus, offerendo eas ad Dei gloriam. Ita S. Augustinus in Psal. 34. *Suggero,* inquit, *remedium, vnde totâ die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age & laudasti Deum.*

4. Quartò, Celebratione Sanctorum nec non aliarum Dei creaturarum & effectuum, in quibus vtique laudatur ipse artifex Deus.

5. Quintò, Patientiâ persecutionum pro Dei gloria sustentarum & inprimis gratiarũ actione pro iisdem & aliis eius beneficiis. Quia tandem non solùm cæcus, sed & omnis plebs, vt vidit cæcum illuminatum, dedit laudem Deo: decet vt & nos laudem Deo demus pro beneficijs quę à Deo accepere nostri proximi. Verbi causâ, hoc tempore, cùm videmus paulatim veræ fidei luce collustrari nationes hæreticorum Aquilonares hæresimque extirpari. Dicamus ergò cum turbis illis cœlestibus Apoc. 19. *Alleluia Laus & gloria & virtus Deo nostro est, quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna* (hæresi) *quæ corrupit terram in prostitutione sua & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manu eius, &c.*

CONCIO IX.

Mysteria.

1. *Christus ascendendo Ierosolymam assumpsit 12. Apostolos, eosque præcessit.*	5. *Quomodo Apostoli nō intellexerint eum.*
2. *Quæritur cur discipulis prædixerit suam passionem.*	6. *Cur se vocet filium hominis.*
3. *Cur secretò.*	7. *Cur à cæco vocetur filius Dauid.*
4. *Cur toties passionis suæ meminerit.*	8. *Cur cæcum interroget, Quid vis &c.*
	9. *Quid mysticè notet hic cæcus.*

THEMA.

Interrogabat quid hoc esset. Luc. 18.

A. CÆcorum est, Auditores multa interrogare. Cùm enim oculorum sensu, omniũ præclarissimo destituti sint, per aures discere volunt; quod & cæcus iste fecit, qui turbam prætereuntem audiens, scire voluit quid hoc esset. Cui quidem cæco bene nos assidere possumus & vnà cum ipso nō solùm interrogare, sed & mendicare. Cæci enim sumus nos, tum quia Christum Dominum iam oculis non cernimus; tum quia in mysteriis diuinis & quę de ipso scripta sunt Euangeliis, plerique cæcutimus. Itaque interrogemus, quod nescimus: discamus auribus, quod oculis nō possumus: mendicemus à Christo Domino nostro lumen intelligētiæ, quo caremus, vt videamus & intelligamus, quæ in sacris eloquiis de ipso scripta sunt. Audimus in hodierno Euangelio prętereuntem & ascendentem in Ierusalem Christum, Apostolos, turbam, illuminari cæcum, aliaque plura. Interrogemus quid hæc sint.

B. Q. PRIMÒ, Quomodo Christus ascendit Ierosolymam ad suam passionem? Respondetur Primò assumpsisse eum duodecim Apostolos, vti scribunt Matthæus, Marcus & Lucas, quò nimirum ipsi testes essent eorum quæ in Passione Dominicâ Ierosolymis gerenda erant. Assumpsisse verò dicitur: Primò, quia timore consternati Apostoli, vt testatur Marcus, Ierosolymam aliàs ascendere ausi non fuissent, quia nôrant ibi Christo insidias parari; assumi ergò debuerunt, qui ascendere non poterant viribus suis; quo ferè modo dicimus B. Virginem ad cœlos esse assomptam, alienâ scilicet ope: Christum verò ascendisse, propriâ nimirum virtute. Secùdò, quia velut aquila assumpsit eos quasi pullos in alas suas, dum paternâ suâ prouidentiâ eos protexit & subuexit ad vltimam cœnam Ierosolymis instituendam & passionem suam spectandam; sicut pater assumit filium ad militiam vt in eâ exerceatur. Vel etiam sicut aquila euehit pullos in sublime vt solem contueantur & indolem suam ostendant: ita assumpsit Christus Discipulos & euexit Ierosolymam, in montem Oliueti & Caluariæ velut in theatra sui certaminis, vt eorum virtutem ibi comprobaret. Hac ratione *Deut. 32.* dicitur Israëlem eduxisse per desertum in terram promissionis: *Assumpsit eum atque portauit in humeris suis.* Tertiò, quia ad patiendum nemo vltrò venit, assumi debemus & adigi diuinoque auxilio roborari.

Quomodo ascendit Christus Ierosolymam.

1.

Assumit 12. Apostolos.

1.

2.

Resp. Secundò. Præcedebat illos IESVS, ait Marcus. Primò, vt ostenderet se vltro nemine cogēte, imò & alacriter pergere ad passionem suam. Velut enim fortis Athleta quæsiuit hostem suum, mortem, cum qua luctari debebat. Fugimus nos mortem, & ipsa quærit nos: at Christus eam quæsiuit & prouocauit ad certamen, quæ alioquin ipsum nec inuenire potuisset nec inuadere ausa fuisset: proinde nec ab ipso deuicta & triumphata foret. Sciebat nimirum se mortis domitorem esse iuxta Prophetiam: *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Nos quia plerumque in nobis gerimus, in quo succumbere metuimus, ideò mortis morsum timemus. Studeamus ergò innocentiæ, & poterimus cum Christo morti obuiare eamque prouocare. Secundò, vt ad sui sequelam & passionem participandam prouocaret Apostolos, qui vt ait S. Marcus, *sequentes timebant.* Ergo Magistri exemplo erigi & animari ad crucis & passionis delibationem debuerunt; quod hîc præstat optimus Dux, præcedens ad prælium milites. Id quod & olim fecit populo Hebræorum Deut. 32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos & super eos volitans,*

2. *Præcedit illos.*

1.

2.

ftrans, &c. Tertiò vt exemplum darêt Rectoribus & Pastoribus quò & ipsi bonu exemplo præirent suis subditis & ouiculis, ad aspera præsertim virtutum opera, & parati essent etiam mori. Talis erat S. Paulus, qui dolentibus & flentibus eius clientulis perrexit Ierosolymam passurus multa aduersa: *Act. 20. & 21.* Vnde aiebat: *Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Talis S. Malachias Archiepiscopus Hiberniæ, qui teste S. Bernardo in eius vita, dicere solebat suis: *Non recuso mori vt vos vita mea fruatis exemplum.* Erat enim ipse regula fratrum, legebant in vita eius quomodo conuersarentur, ait S. Bernardus. Denique *optima ouium pascua sunt exempla pastoris*, ait Sanctus Gregorius 1. p. *pastor. cap. 3.*

C. II. Cur discipulis prædixit suam passionem. Q. SECVNDÒ, Cur discipulis prædixit suam passionem? Resp. Primò. Vt intelligerent
1. mus illum sponte suâ crucem & mortem subire, vtpote quasi præuidens fugere posset si vellet. Secundò, vt scirent illius nihil eorum, quæ passurus erat, illum latuisse, adeoque scientem ac volentem omnia passum esse ex arcano di-
2. uini consilij; indeque colligeremus non solum eius sapientiam diuinam, quâ omnia accuratissimè secundum omnes circumstantias præsciret, verùm etiam maiorem erga nos immensum vt qui propter nos non mori solùm sed etiam tam atroci à se præuisa tormenta perferre non dubitaret.

3. Tertiò, ne Apostoli nimium percellerentur tristissimi spectaculi nouitate & inaudita Magistri passione adeoque ex crucis ignominia ne scandalizarentur. Tametsi verò hanc prædictionem tunc nondum intelligebant, postea tamen cùm impleri cœpit, explicatè cognouerunt.

4. Quartò, vt cùm impleta cernerent, quæ de passione prædicta erant, crederent etiam, quæ adiuncta fuit, Christi resurrectionem. Nouerat enim Dominus ad huius fidem Apostolos difficiles futuros; quare *hoc prædixit*, ait S. Chrys. hom. 66 in Matth. *vt cum tristia venisse viderint, certiore spe resurrectionem expectarent.*

D. III. Cur secretò prædixit. Q. TERTIÒ, Cur secretò hæc eis prædicit, teste Matthæo? Resp. Primò, quia Apostoli in fide ac charitate erant fundatiores nec tam facilè ac reliqui scandalizabantur.

1. 2. Secundò, quia ipsi futuri erant primi testes passionis Christi & quidem spontaneæ ac præuisæ. Doctores prius illuminat Christus, per hos postea indoctos.

3. Tertiò, quia poterat aliàs contingere vt populus Christo addictus, vndique conflueret & passionem eius impediret, si eam prius cognouisset. Et sanè si hæc tam indigna, quæ passurus erat, populo prædixisset, videri poterat populum velle permouere ad impediendam passionem suam seque defendendum, vel certè concitare contra Pontifices & Seniores, à quibus erat passurus. Noluit ergò Christus turbas ciere, noluit impedire passionem suam.

E. IV. Cur toties passionis suæ meminit. Q. QVARTÒ. Sed cur toties Dominus passionis suæ mentionem facit? Iam enim tertiò eius meminit, primò *Matth.* 6. cùm Petrum constituisset Ecclesiæ petram. Secundò *Matth.* 17. cùm post transfigurationẽ soluisset iuuenem à dæmonio. Tertiò hoc loco; & demum in vltima cœnâ, aliàs etiam obiter & obscurè sæpius.

Resp. Primò, vt res tam mira & stupenda, quæque fundamentum salutis nostræ futura erat, memoriæ nostræ fortius imprimeretur & nunquam elaberetur. Hinc notanter apud Lucam c. 9. ait: *Ponite in cordibus vestris sermones istos: filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum.* Ac propterea etiam instituit S. Eucharistiam vt esset memoriale mortis eius. 1.

Secundò, vt indicaret quanto desiderio nostræ redemptionis teneretur, adeoque contractaretur donec perficeret baptismum passionis suæ, *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, ait ipse *Matth* 12. Quod quis maximè amat de eo sæpissimè verba facit; nihil magis amauit Christus, quàm opus salutis nostræ; de hoc ergò toties sermocinatur. 2.

Tertiò, vt nos etiam passionis eius memores essemus velut rei maximi momenti, è quâ pendet salus nostra; quod sanè fecere nostri maiores, dum passim in viis publicis erexêre cruces & columnas, in quibus passio Domini repræsentatur, vt viatores transeuntes passim monerentur beneficij redemptionis ac debitæ pro eodem gratitudinis. Eodem fine statuuntur cruces ante portas vrbium; mons Oliueti ante fores Ecclesiæ &c. quæ dum abolentur hæretici, parum se memores Dominicæ passionis, parum etiam gratos ostendunt. 3.

F. V. Quomodo Apostoli non intellexerunt. Q. QVINTÒ, Quomodo Apostoli non intellexerunt verba Christi de passione, præsertim cùm ob ea cōtristati sint vehementer, apud Matthæum c.17. vbi etiam de ea locutus fuit? Resp. Credibile esse Apostolos intellexisse quidem verba Christi quoad amaram eius mortem & crucem indeque contristatos, quo modo etiā Petrus *Matth.* 16. insinuaret dicens: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, Verùm fines, causam & fructum passionis eius minimè intellexisse. Externam igitur verborum faciem solùm attenderunt, amarum corticem ederunt ad nucleum non peruenerunt.

G. VI. Quare vocat se filiū hominis. Q. SEXTÒ, Quare Christus filium hominis se vocauit? Resp. Primò, vt ostenderet se illum esse hominem, quem Prophetæ humanam naturam assumpturum prædixerant & filium hominis appellarant. Ita Epiphanius *contra Noetianos hæres.* 57. & Theodor. *in Dan. c.* 7. vbi sic appellatur Christus.

2. Secundò, vt ostenderet se verè hominem & filium Adam esse, Hebraicè enim Ben Adam se vocat, id est, filium Adam; secundum D. Nazianzenum *orat.* 4. *de Theol.* simulque humilitatem nos doceret, qui se filium hominis tantùm appellat, quod nomen abiectionis est Hebræis, quomodo nos dicimus: *Terræ filius*, idque inde confirmatur, quia Christus seipsum tantùm, neminem alium hoc nomine compellauit; nec ab aliis ipse, sed à se tantummodò sic nuncupatus est.

3. Tertiò, Vt commendaret nobis ipso nomine, quid misericorditer pro nobis esse dignatus fuerit; (Ita S. August. *l. 2. de consensu Euang. c. 1.*) vt nos ad amorem sui commemorata natura communi & fraternæ adoptionis dignatione, & ad imitationem tantæ humilitatis excitaret, *qui cùm in forma Dei esset* (nostrâ tamen causâ) *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo.* Philip. 2.

4. Quartò, Vt insinuaret se peculiari ratione esse filium hominis, non vt alij sunt & dici possunt, scilicet quia filius est vnius tantùm hominis, matris nimirum sine patre. Propterea Christus quando tribuit sibi hoc nomen tanquam propriæ personæ, semper addit articulum duplicem, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, q. d. illum filium illius hominis.

5. Quintò, Vt ostenderet se hominem factum, quo totus esset noster, iuxta id Isai. 9. *Filius datus est nobis.* Hominis enim, non suipsius gratiâ natus est. Hoc sensu dicuntur alij filij nuptiarum & sponsi, alij filij mortis, quia nuptiis, sponso, morti addicti. Videcint ergò qui non modò se diuino cultui semper, sed ne per paucas quidem horas volunt dicare, quid illi responsuri sint, qui se totum nobis tradidit & noster factus est.

H. VII. Quare à cæco vocatur filius Dauid.

Q. SEPTIMÒ, Quare cæcus vocat Christum filium Dauid? Resp. Primò, vt insinuaret ipsum esse filium illum Dauid, qui Iudæis ex domo Dauid promissus adeoque Messias erat, sessurus super solium Dauidis. Id enim ipsi Iudæi fassi sunt, Christum scilicet esse filium Dauid. Arguit ergò cæcus iste videntes Scribas & Pharisæos, qui Christum pro filio illo Dauidis seu Dauidicę stirpi promissu agnoscere noluerunt.

1.

2. Secundò, Quia Dauid supra modum misericors erat, ita vt non solùm parceret inimicis, verùm etiam eorum mortem lugeret, eos defenderet, &c. Voluit ergò Christo reuocare hoc vocabulo in memoriam misericordiam Dauid patris eius, vt eandem nunc in ipso posset experiri.

I. VIII. Cur interrogat Cæcum: Quid tibi vis faciã?

Q. OCTAVÒ, Cur interrogat Dominus cæcũ: *quid tibi vis faciã?* qui vtique sciebat visum ab eo expeti? Resp. Primò. Vt fidem eius manifestaret cæteris in exemplum. Bona enim proximorum manifestanda, mala verò occultanda sunt.

1.

2. Secundò, Vt cæcus suam cæcitatem agnoscens & contestans, agnosceret beneficium illuminationis à Christo mox accipiendum, suamque miseriam; atque ita gratior esset; alioquin vel ab iis qui aderant & audierant de ingratitudine arguendus. Nimirum sapientissimus Dominus sanationes corporum dirigere solebat ad sanitates animorum.

Tertiò, Vt Christus suam erga nos munificentiam & benefaciendi propensionem aperiret, dum quodammodo omnia offert, quidquid cæcus peteret, pro libitu eius dandum; docens simul nos, vt non quæcunque & quomodocumque pauperibus largiamur, sed ea, quibus maximè egent, & ita beneuolè ac liberaliter vt nostrâ eleemosynâ contenti esse possint.

Quartò, Vt ostenderet quàm sibi gratæ nobisque salutares sint nostræ preces, sine quibus non vult dare, saltem ordinariè, sunt enim 4.
illæ non solùm impetratoriæ, verùm etiam meritoriæ eorum bonorum, quæ petuntur & plurium aliorum, quæ non petuntur.

Quintò, Vt doceret, neminem se inuitum 5.
velle saluare, nec absoluere à peccatis suis, qui ea non agnoscit, nec cùm potest, aperit suo Confessario. Sanè leprosi in veteri lege non solùm habitu externo lepram suam ostendere, verùm insuper sordidos se clamare (voce vtique debebant. *Leu. 13.* Vnde ibi Chaldæus habet: *Clamabit: non contaminemini, neque immundi fiatis.* Ergò non satis est habitu peccatoris apparere coram Sacerdote in tribunali confessionis, sed insuper etiam voce & verbis monstrandæ ei sordes; lepra enim veteris legis eiusque emundatio typus erat peccati, & absolutionis sacerdotalis, quæ est in nouâ lege.

Sextò, Vt sciremus cæcitatem corporalem 6.
non esse tantum malum, vt semper ab homine tolli debeat; siquidem ea multis profuit & pergrata fuit. Talis S. Petrus Abbas Claraualensis, qui cùm ex vi morbi vnum oculũ perdidisset, monoculus dixit: *vnum de inimicis euasi & plus à residuo quàm à perdito formido.* S. Aquilinus Episcopus Ebroicensis cæcitatẽ à Deo petiit, quo meliùs cælestia cõtemplaretur: & impetrauit, & tamen Episcopali munere in concionando egregiè perfunctus est. Auctor vitæ 19. *Octob.* S. Audomarus Episcopus Teruani cæcus existens Atrebati sub eleuatione corporis S. Vedasti, meritis eius lumen recepit; quod ægro animo cùm ferret rursum cęcitatẽ à Deo sibi postulauit & obtinuit: dicebat enim ad salutẽ suam à Deo sibi immissam fuisse. Sigebertus in Chronico. S. Hercula Bauara, cùm adolescentula in corpore magis quàm animo ornando esset studiosior, primùm morbo, deinde cæcitate à Deo percussa ad cor rediit, à vanitate ad sanctimoniam transit. Monita deinde diuinitùs, vt orbem cereum ad S. Cyriaci M. tumulum pro altero oculorum recuperando votum mitteret; misit, recepit; tam acutè ad vltima vitæ tempora vidit, vt aquilas & lynces superaret, nec cum vlla vi lacrymarum, quas vberrimas profundebat, corrumperet, neque minutissimâ telæ acupicturâ hebetaret. Altero tamen caruit semper, ne causam vtriusque olim amissi ex animo deleret. Ita ex Chronicis refert P. Gretserus *in appendice Greg. VII.* & Raderus *in Viridar. part. 3. cap. 3.*

Cùm ergo oculorum cæcitas sæpe magis quàm lumen prosit, noluit Dominus nisi rogatus cæcitatem mendici abstergere: Innumeri sunt: quos oculi malè custoditi detrusere in infernũ, qui si cæci fuissent, forent iam in cœlo. Hinc in vitis Patrum S. Antonius reprehẽdit cæcum quemdam Didymum nomine, in S. Scriptura cæteroquî versatissimum, quòd de suâ tristaretur cæcitate: *Miror*, inquit: *prudentem virum eius rei dolere damno, quam formi-*

ca

ea & pulices habent; & non potiùs lætari illius possessione, quam soli sancti & Apostoli meruerunt, multò enim melius est spiritu videre quam carne, & illos oculos possidere in quos festuca peccati non possit incidere, quàm illos, qui solo visu per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennæ mittere. Cordatè & sapienter S. Pigmenius Romanus presbyter cæcus occurrens Iuliano Imp. Apostatæ dicenti: *Gratias ago Dijs ô Pigmeni, quòd te video;* respondit: *Gratias ago Deo meo, quòd te non video.* Tam igitur forti animo cæcitatem pertulit, quàm Tyrannum contempsit? factus deinde Martyr videre cœpit, quæ oculus non vidit.

X. IX. Quid mysticè hic cæcus. 1. Q. NONA, Quid mysticè notat hic cæcus? Respondet Primò, S. Gregorius hom. 2. designare genus humanum lapsum in Adamo; *Cæcum quippe est genus humanum quod in parente primo a paradisi gaudijs expulsum claritatem supernæ lucis ignorans damnationis suæ tenebras patitur: sed tamen per redemptoris sui præsentiam illuminatur: vt internæ lucis gaudia iam per desiderium videat: atque in via vitæ boni operis gressus ponat. Notandum verò est, quòd tùm* IESVS *Hiericho appropinquare dicitur: cæcus illuminatur. Hiericho quippe luna interpretatur: luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur: quia dum menstruis momentis decrescit: defectum nostræ mortalitatis designat. Dum igitur conditor noster appropinquat Hiericho, cæcus ad lumen redijt: quia dum diuinitas defectum nostræ carnis suscepit: humanum genus lumen quod amiserat, recepit. Vnde enim Deus humana patitur: inde homo ad diuina sublenatur. Qui videlicet cæcus rectè & iuxta viam sedere, & mendicans esse describitur. Ipsa enim veritas dicit: Ego sum via. Qui ergò æternæ lucis claritatem nescit, cæcus est. Sed si iam in redemptorem credit, iuxta viã sedet: si autem iam credit, sed ut æternam lucem recipiat rogare dissimulat, atque à precibus cessat, cæcus quidem iuxta viam sedet, sed minimè mendicat. Si verò & crediderit, & cæcitatem cordis sui cognouerit: sed vt lumen veritatis recipiat, postulat; iuxta viam cæcus sedet & mendicat.*

Ex quadam Christi parabolâ scimus hominem lapsum descendisse ab Ierusalem in Ierico & incidisse in latrones. Nũc propè vrbem Ierichuntinam inuenit Christus hominem illum in hodierno cæco & itinere conuerso à Iericho, in Ierusalem ascendit vt eodem reducat hominem lapsum per passionem suam, vnde ille exciderat.

Resp. Secundò designare quẽmuis peccatorem; nam *quodammodo cæcus est* (ait Richardus Victorinus) *qui peccare nõ timet, quia futura mala non præuidet: non erubescit prauitatem suam, nec expauescit diuinam potentiam, &c.* Cæcus, licet gladij in ipsum distringantur, tigrides & leones incurrant, non timet, quia non videt. 2.

Porrò hic Primò sedet, quia in peccatis suis hæret & conquiescit; sedet, inquam, in Cathedra pestilentiæ iuxta id Psal. 1. *in Cathedrâ pestilentiæ non sedit.* 1.

Secundò. Sedet is iuxta viã, quia in hac vita, quæ via est non terminus, sedem acquietem seu manentem sibi ciuitatem quærit; vel sedet secus viam mandatorum Dei, quæ non obseruat. 2.

Tertiò. Mendicat deinde à mundo obolos & frustella panum, hoc est, fluxa & vilissima bona, opes, honores, voluptates: quæ plerumque non nisi maximis precibus, seruitiis, obsequiis & laboribus parantur. 3.

Quartò. Audit strepitum turbæ Christum comitantis, quia videt vndique exempla piorum cum Christo ambulantium, quibus si non excitatur, non solùm cæcus, sed & surdus est atque obstinatus. 4.

Quintò. Occasionem oblatam arripit, & Christum inuocat nõn quomodocumque, sed ardenter, adhibito clamore; & perseueranter, non curans hominum minas. Quod vtinam omnis peccator faceret, lumen absque dubio animæ suæ, gratiam non difficilè impetraturus! 5.

FERIA QVARTA CINERVM.

Euangelium Matth. 6.



IN illo tempore, dixit IESVS discipulis suis: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt neque furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

CONCIONES.

CONCIO I.

De efficacia & vtilitate ieiunij & abstinentiæ.

1. Ieiunium extricat dæmonem & carnem.
2. Sanat morbos animi & corporis.
3. Sustentat victum præbendo & vitam prolongando.

THEMA

Thesaurizate vobis thesauros in cælo.
Matth. 6.

A. QVod Tobiæ iuniori contigisse legimus in suâ peregrinatione, *Tob. c. 6.* id hodiernâ die non paucis Christianis cõtingere videtur. Exierat is ad Tigrim fluuium primâ mansionis die, quò lauaret pedes, & en adest mox immanis piscis faucibus hiantibus, quasi deuoraturus iuuenem. Territus igitur hoc aspectu Tobias exclamat ad Raphaëlem, itineris Comitem: *Domine, inuadit me.* Verùm ab angelo confortatus apprehendit piscem extraxitque in terram atque exenterauit: & cor quidem, fel ac iecur seruauit in vsum medicinæ, reliquam carnem secum tulit, indeque victitauit toto illo itinere. Instituimus & nos, Auditores, peregrinationem quandã his diebus Quadragesimæ ad lætissimum illud pascha. Sed ecce primo statim die apparet horribilis quidam piscis. Asellus scilicet esurialis, quasi deuoraturus aliquos: *Domine, inuadit me,* aiũt, & deuorabit me ieiunium Quadragesimale. Sed bono animo estote (fungar enim hîc Raphaëlis munere) neminem adhuc scimus deuoratum ab hoc pisce, neminem sepeliuimus vsque in hanc diem, qui ieiunio enectus sit. Quin potiùs animosè apprehẽdite & exenterate piscem istum; habet enim magnas virtutes plurimumque vtilitatis, extricat dæmonem & carnem; sanat animum & corpus: victum præbet & vitam prorogat; quid ampliùs requirimus? nunc verò hæc ostendamus.

B Piscis ille tres tulit vtilitates. Primò valuit ad extricandum omne genus Demoniorum. Secundò. Ad sanandos oculos. Tertiò. Ad sustentationem cibus erat & commeatus in via. Similiter

1. Ieiunium extricat. 1. Dæmonē. Ieiunium extricat PRIMÒ, dæmonem. Draco videns Elephantem cibo & potu grauatum audacter eum aggreditur & facilè superat: Sic etiam dæmon hominem gulæ deditum. Vnde Christus contra dæmonis tentationes armauit se ieiunio 40. dierum, nobis in exemplum. Propterea etiam monet *Luc. 21.* vt tempore vltimæ tribulationis præparemus nos ad pugnam per ieiunium: *Attendite ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* & ratio est, quia per crapulam subministrantur arma dæmoni, quibus non difficulter prosternit hominem: per ieiunium exarmatur dæmon, qui cùm non reperit fomitem in homine, non facilè potest accendere in eo ignem. Corpus nostrum est instrumentum & quasi gladius dæmonis quo nos oppugnat. Eius acies per ieiunium hebetatur, per gulam acuitur. Per gulam enim sopitur corpus, vt nequeat se defendere contra tentatorem per considerationem grauitatis peccati, inferni, &c. Et cur manè consilia habentur? nónne quia *plenus venter non gignit sensum tenuem*, vti græci dicunt? Atqui bellum cum dæmone consilio geritur, non robore; sobrietatem ergo requirit. Vnde monet Apostolus Petrus epist. 1. cap. 5. *Fratres sobrij estote & vigilate; quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Quando corpus corpori abiiciendum est in pugnâ, corpus muniendum & armandum est. Cùm igitur non corpus, sed spiritus noster, cum spiritibus malis debeat pugnare: spiritus, non corpus, armis est firmandus: quod fit per ieiunium.

Hinc S. Ambrosius serm. 25. *Murus quidam est Christiano ieiunium inexpugnabilis Diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim vnquam Christianorum ieiunauit & raptus est? quis sobrius mansit & victus est? temulentum aggreditur Diabolus, &c.* Et rursum ibid. *Diabolus terretur pallore ieiunij, debilitatur mediâ, infirmitate prosternitur,* &c.

2. Carnem. Secundò extricat carnem, quæ est alter quidam dæmon, & quidem familiaris, quem semper nobiscum circumferimus. Vnde Ambros. l. de Ecclesia & ieiunio c. 8. ait: *Mala nomina seruitur gula, quæ semper expetit, nunquam expletur,* &c. Sed *onager clamorẽ exactoris non audit,* Iob 39. id est, abstinens non curat ventris exactoris vocem, vt ibid. Greg. exponit. Serapion Sydonius, vir sanctus, vt refert Palladius, dicebat se in trium fœneratorum manus incidisse: in desiderium pecuniarum, in desiderium voluptatum, & voracitatem ventris: Et quidem duobus primis ita se tandem satisfecisse, vt sibi deinceps nũquam ampliùs molesti fuerint; tertio verò nunquam satisfacere potuisse; *si enim*, inquit, *tres aut quatuor dies prætereant, in quibus debitum tributum ventri non soluam, statim irascitur, fremit, mortem comminatur.* In horum fœneratorum manus, omnes nos incidimus. Et quidem venter omnium importunissimus, quotidie bis tributum suum exigit prandium videlicet & cœnam, & per hoc si paulò liberiùs tractetur, vires capit ad opprimendum spiritum & in seruitutem redigendum. Dum igitur per quadragesimam tributum ventri dimidium abstrahimus, spiritum corroboramus & carnem debilitamus. Vnde S. Basilius *serm. 1. de ieiunio*, ait, *Quemadmodum*

dum in pugnâ alterius auxilium facit, vt alter vincatur: sic caro carni per saginam addita spiritum expugnat: spiritum verò qui muniit carnem in seruitutem redigit. Hæc namque inter se opposita sunt. Hoc est quod Apostolus ait: Quantum ex terior homo noster corrumpitur tantum interior renouatur de die in diem. Et rursum 2 Cor. 12. Quando infirmior, tunc fortior sum. Sic Basil. Si itaque ieiunio adiuues spiritum, superabitis carnem: si gulâ iuues carnem, superabit ea spiritum. Viperam, aiunt, sputo hominis ieiuni torpere & enecari apud Pier. *l. 14. Hierogl.* sic ieiunio enecatur caro, siquidem sine Cerere & Baccho friget Venus. Cur ægroti & debiles carnis desideriis parum aut nihil stimulantur? Quia caro languet. Cur fortes & bene valentes Venereis cogitationibus vehementiùs exæstuant? Quia floret caro. Cur postquam benè comedisti & bibisti, plus insolescit caro? Quia vires à gula accipit & quodammodo commeatum, vt fortiùs corpori obsistat ad instar obsessorum in castello, qui, cùm commeatum, arma, aliaque noua subsidia acceperunt, fortiùs resistunt, & minùs expugnantur. Itaque si extricatum & expugnatum volumus hostem animæ nostræ, carnem, ieiunio obsidere & fame debemus expellere. Narratur de quodam læsæ mentis homine, qui cum aliquando à Domino suo audisset vicinum quoddam castellum non expugnari nisi mediâ posse; ipse mox eo se contulit, & ante id castellum triduanam inediam pertulit. Deinde se delusum videns domum redit, dominumque mendacij arguit, quòd dixisset inediâ superari castellum posse, cùm ipse non potuerit; quasi ferenda & non inferenda esset inedia. Sed de carne ego verissimè pronuntiabo, eam non expugnari nisi perferendo inediam & ieiunium, dicamque cum Domino; *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.* Vti nullum castrum inediâ nõ expugnatur: ita nullum carnis vitium ieiunio non vincitur. Iam si in potestate nostra esset alimonia & commeatus hostium obsessorum, quàm facilè eos expugnaremus? Est autem in potestate nostra victum dare carni, hosti nostro, quantum volumus. Falsum igitur dicunt, qui se carnem domare non posse asserunt, cùm facillimè possint inediâ compescere; stultissimè autem faciunt, qui hosti suo vires præbent; pondus enim corporis sui ex se graue, reddunt grauius. Hoc itaque quadragesimæ tempore obsidendus est hostis iste: & quidem 40. diebus continuis, ne hostis se colligere & fortificare queat. Alioquin si sæpiùs soluatur obsidio & iterum inchoetur nihil efficietur, quia hostis respirabit & nouas vires accipiet.

C. II. Sanat. Morbos animi.

SECVNDÒ. Ieiunium sanat, & Primò morbos animi: siquidem plerique ex intemperantia nascuntur. *Si escâ & crapulâ,* inquit S. Augustinus quæst. 1. o. *homo fuerit grauatus, alt tum se sentit, quàm est. Tunc excitatur libido, accendi ur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria, &c.* Contrà verò abstinentia subtrahit nimium sanguinem, succum & spiritus, qui Venerem, iram, aliasque passiones fouent & suscitant. Nisi foret crapula, non foret zelotypia, lites, bella, carceres, patibula, latrones, pyratæ: omnia quieta forent. Compara hebdomadam sanctam cum bacchanalibus & videbis. Ex gula proueniunt omnia penè vitia capitalia, vel saltem ea fouentur, superbia, auaritia, luxuria, ira, acedia & horum filiæ. Hic enim est ille princeps Coquorum, qui destruxit muros Ierosolymæ *Ier. 52.* id est, omnibus vitiis ianuam aperit. Vnde Chrysost. *hom. 13. in epist. ad Romanos* ait. *Non tot malorum causa est mare fines supergressum, quot venter corpori animæque nostræ.* Vnde fit vt ieiunium gulæ contrarium optimum sit contra hæc antidotum. Medicus ægro curam impensurus, ante omnia ventrem euacuat à noxiis & superfluis humoribus, qui ferè omnium morborum causa sunt. Quoniam ergo vt disserit S. Leo *in hom. hed* per totum ferè annum ventri indulgemus & plurimos ex intemperantiâ vitiorum morbos contrahimus, quo aptiori remedio Ecclesia nostra optima Medicatrix, curam nostram ordiri nisi à ieiunio quadragesimali poterat? Neque enim satis est remedij morbis nostris, oratio tantùm, aut eleëmosyna, aut pœnitentia. Radices euellendæ sunt, quod per ieiunium & abstinentiam fit tantummodo, aut saltem commodissimè. *Non sanat oculum, quod calcaneo adhibetur,* inquit S. Hieron. in cap 9. Marci. *Ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis.* Angelus cum Iacob Patriarchâ luctans superare eum non poterat, nisi postquam tetigit neruum fœmoris eius: ex quo fœmur emarcuit & Iacob claudicare cœpit ac succubuit, quia è neruis ad luctandum vires sumpsit, *Gen. 32.* Ad eundem modum spiritus carnem sibi aduersantem superare non potest, nisi tangat eam in neruo fœmoris, id est, ibi, vbi robur habet suum in ventre videlicet. Quando ergo ventri subtrahit cibi & potus satietatem, tum marcescet venter & claudicabit caro: itaque facilè superabuntur eius passiones & motus concupiscentiæ, vitiaque ab illa prodeuntia. Quam industriam docet nos Apostolus, cùm ait 1. Cor. 9. *Sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Aërem verberat, qui ad gulæ & libidinis extirpationem solo orationis remedio vtitur, quâ ratione carni difficulter præualebit. Tangendus neruus carnis, castigandum corpus abstinentiâ & ieiunio. Cùm igitur hæc vitiorum nostrorum cura non tantùm saluberrima sed necessaria etiam nobis sit, idcircò hoc maximè quadragesimale ieiunium definitum est, vt in eo contracta carnis vitia extirpemus & habitum quendam acquiramus viuendi temperanter per totum reliquum anni decursum. An nescimus fabulam illam, in quâ vulpes ingenti fame confecta, quodam in tectorio frustum carnis & panis repositum videns tectorium intrauit atque tantùm comedit, quod ad ingentem tumorem ventrem distendit: & cùm ex nimiâ ven-

tris tumefactione inde egredi nequiret, tamẽs gemebat. Eius gemitum vulpes alia transiens illac, cùm audiret accedit rogatque quidnam gemeret. Deinde causam gemitûs edocta lepidè ait: Istic manendum est, dum eò tenuis efficiaris, quanta eras cùm intrasti. Nam eo pacto facilè egrediens. Ita fabula: Veritas dicit, tantum esse nunc ieiunandum, quantum antea nos cibo potuque distendimus. Hanc enim viam esse egrediendi de cauea vitiorum, non aliam.

2. *Morbos corporis.* Secundò etiam morbos corporis? cùm enim morbi ordinariè oriãtur ex nimia repletione, rarissimè ex euacuatione, patet abstinentiam optimum esse morborum remedium. Quàm multi morbi sunt, qui per inediam cauentur & fugantur? Antiphanes Medicus peritissimus, vt Clemens Alexandrinus *l. 2. pædagogi* refert, vnam esse causam morborum penè omnium asserebat, ciborum varietatem. Basilius, ieiunium bonæ valetudinis parentem appellãdam esse existimauit, serm. 1. de ieiunio. Quis enim ieiunãs vnquam succollari in domum debuit? quis ieiunans ostium domûs suæ inuenire non potuit? quis ieiunans vertigine ita actus est vt omnia gyrari putaret? Veteres sanè fortitudinem repræsentabant per Milonem illum fortissimum, pedibus colligatis, quòd à nullo stans dimoueri posset: malum manibus comprehẽdentem, quòd ei à nullo euelli, digitos porrigẽtem, quod à nullo flecti quiuerint; cum vitta in capite, quòd temperantiam quã vires conseruantur, designaret. Vt refert Pier. *l. 48. hierogl.* At si quis è regione depingere vellet intemperantiam, ægrotantem pingere deberet, qui vel minimo digito prosternatur, cui nihil non è manibus facilè eripiatur, à propria vxore colaphi infligãtur, & omnes manuum pedũque articuli quaquauersum inflectantur, cum hedera in capite. Sed quoniam multi timent ne quamprimùm in ægritudinem incidant, si ieiunium hoc persoluant, videbimus an ita sit. Cardinal. Bellarm. refert Conc. 1. huius Dom. *Audiui aliquando hominem quendam extitisse,* inquit, *qui cùm esset domi sua in delitijs enutritus, ferè semper ægrotabat & vel ipsum aërem metuebat, & nisi cibos tenerrimos & optimos habuisset, se statim moriturum arbitrabatur. Is quodam tempore per mare iter faciens incidit in piratas, & ab ijs ad triremes alligatus diu noctuque sine vlla intermissione laborabat: eius cibus erat panis isque bis coctus potus aqua, obsonium verbera. Quis non diceret: Post paucos dies ille morietur? Et tamen post paucissimos menses sanissimus, pinguissimus & robustissimus effectus est.* Similem historiam scribit Maiolus Episcopus Vulturariensis, de quodam nomine Pecchio Cisalpino, qui à quodam Domino sibi infenso clàm interceptus & in saccum iniectus, detrusus est in carcerem domûs omnibus ignotum præterquam vni, qui quotidie panis frustum & aquæ paululum dare illi debebat. Vbi cùm annos decem & nouem in pane & aquã miserrimè exegisset, tandem proditus anno Domini 1559. & in lucem productus est, qui cùm podagra laboraret immunis in carcerem, reliquo omni tempore incolumi corpore fuit, etiam postquam eo periculo exemptus est. Denique quis nescit rusticos minùs ægrotare quàm nobiles, pecora quàm homines, ob maiorem sobrietatem? Verissimè igitur dixit S. Hieronymus in ep. quadam, *Mater sanitatis est abstinentia: mater ægritudinis voluptas.*

D. III. *Sustentat.* 1. *Victum tribuen.* Tertiò, Sustentat, Primò victum tribuendo. In primis enim multos crapula & ebrietas ex diuitibus pauperes, ex dominis seruos fecit; sobrietas contrà multos ex pauperibus diuites, ex seruis dominos fecit. *Numera*, inquit Basilius, *quæ domi habes hodie, & numera postea, & nihil penitus per ieiunium minuetur: at si continuata exercere incipias nihil breui habebis. Venter enim depositum non seruat; imò verè nihil est in commercijs & contractibus venter infidelius. At verò ieiunium debiti naturam non nouit: non olet vsuras, non ieiunantis non strangulat pupillum: ieiunantis filium vsura paterna non premunt.* Sic ille. Accedit diuina promissio facta ieiunis & abstinentibus, vt in hodierna Epistola, Ioelis 2. Vbi cùm Deus dixisset: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum*, &c. Subiungit: *Ecce ego mittã vobis frumentum & vinum & oleum, & replebimini eo.* Refert Mar. Pol. *l. 1. c. 5.* extare lacum in prouincia Gorgianorum, in quo monasterium est S. Leonardi, & nullus vnquã toto anno piscis reperitur, præter tempora quadragesimalia, scilicet à die Cinerũ vsque ad vigiliam Paschatis refertissimus est piscibus sapidissimis: Paschatis aduentu omnes pisces inde aliò migrãt. Sic cõtrà punit Dominus fame & penuriã populos sæpe nimis pingues & gulæ deditos, vt vel coacti discant ieiunare, quòd vltrò nolunt.

Accedit quod optimum cibi condimẽtum est ieiunium: nemo enim ita tanto cum gustu comedit, vt is qui prius ieiunauit. Qui in crapula & ebrietate viuunt, cibos semper alios & alios quærunt: vina ordinaria licet pretiosa fastidiunt: perdices nẽ & gallinæ eis desipiunt. At homines sobrij etiam crassiores & quotidianos cibos magno appetitu comedunt. Testis Theodosius Imp. Iunior, qui vt refert Cedrenus venatum egressus clam suis omnibus ad Monachum quẽdam venit, qui panem maceratum, acetum & oleum fatigato & æstuanti apposuit: Imperator postquam comedisset: *Ego*, inquit, *sum Imperator Theodosius; Beati ac felicissimi profectò vos Monachi estis, curarum huius mũdi vacui. Verè enim tibi affirmo pater, nunquam me in meo palatio tanta cum voluptate cibum ac potum sumpsisse.* Ita ante eum Darius ab Alexãdro fugatus, Rex Persarum, cùm necessitate cõpulsus aquam turbidam & cadauerum squalore inquinatam hausisset, se vnquam iucundius bibisse negauit, nunquam enim sitiens biberat.

2. *Vitam prolongando.* Secundò vitam prolongando. Dicit enim Ecclesiasticus cap. 37. *Qui abstinens est, adijciet ad vitam.* Hinc Galenus Traiani & Antonini Imperatorum Archiater interrogatus cur ad tantam senectutem peruenerit (sunt enim qui scribant vixisse eum annos 140) hanc attulit causam: *Nunquam satur à mensa discessi, nunquam fic me essaui in cibum potumque, quin aliquid sem-*

per superfuerit edendi bibendique desiderium. Diaboli astu fit vt mali plus timeamus ea abstinẽtia, quàm ex gula: cùm tamen plures multò hæc perdiderit, & olim quantò quisque abstinentior, tantò viuacior esset. Testes primi illi homines qui ante diluuium sine carnibus & vino, diutissimè interim viuebãt. Testes Anachoretæ nostri, Paulus, Antonius, Hilarion, Macc harius, &c. qui carne, piscibus, lacticiniis, vino & cereuisia nunquam vsi, ad centesimum tamen annũ accessere. Anna 84. annorum vidua, ieiuniis & obsecrationibus Deo seruiebat die ac nocte *Luc.* 2. Adhæc ieiunia ab Ecclesia præscripta seruantibus Deum adiicere vitam dicebat Stanislaus Hosius; siquidem Deus dixit: *Honora patrem & matrem vt sis longæuus super terram,* Id quod in se expertus est. Rescius in eius vità.

Denique licet propterea incideres in morbos adeoque morereris, optimè tecum ageretur, & gratissimum Deo holocaustum offerres. Martyrio non absimile. Felix enim qui pro æternà vitã dat temporalem. Et hoc est verè diligere animam suam: sicut cùm febrienti frigidam negamus. Ita S. Franciscus noluit acquiescere medici consilio iubentis abstinere à lachrymis, si oculos vellet conseruatos: non enim tãti æstimabat lumen, quod cum muscis nobis commune est, quanti lumen illud cœleste. Et quidem S. Basilius *in ser. in Vesperâ Quadrag.* ait Angelos per singulas Ecclesias inscribere ieiunantes in Catalogo militum Christi, & cur hoc nisi vt præmientur in cœlo? Quoniã igitur omnes in libro Ecclesiæ Catholicæ inscripti sumus & præterea in libro vitę inscribi cupimus: nemo nostrũm sit quadragesimalis ieiunij expers. Oremus cum 40. illis martyribus in frigidissimo lacu pernoctãtibus: *Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item Domine, coronis donemur, ne vna quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu 40. dierum ieiunio decorasti, per quem diuina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias 40. dierum ieiunio Deum quærens, eius visionem consecutus est.* Sic illi, qui & pro vno deficiente, substitutum alium impetrãrunt. Quod si igitur & nos simul in cœlo coronari volumus Deique visionem promereri, simul nunc ieiunemus, &c.

CONCIO II.

Quomodo sit ieiunandum.

Enumerantur circũstantia verè ieiunandi, ac	3. *Bona intentione.*
1. *Ieiunandum verè, non fictè.*	4. *Munda cum conscientia.*
2. *Hilariter seu animo prompto ac lubenti.*	5. *Addenda Ieiunio alia bona opera.*

THEMA

Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ. Matth. 6.

DVm considero mirabiles effectus, quos partim in lege veteri partim in noua præstitit ieiunium, non possum non mirari, cur ieiunia nostra nihil simile efficiant. Etenim in lege veteri *Exod.* 23. Moyses post ieiunium recepit legem & familiariter cum Deo conuersatur. Saul cum exercitu ieiunium vouens & obseruans, insignem victoriam obtinet, factâ maximâ Philisthinorũ strage 1. *Reg.* 14. Iudith post ieiunium occidit Holofernẽ. Daniel post ieiunium concludit ora Leonum, ne ipsi in lacu nocere possint. Tres pueri post ieiunium canunt & ambulant in fornace sine læsione, *Dan.* 3. Niniuitæ per ieiunium reuocant Dei decretum & placant Deum iratum. *Ion.* 3. In lege verò noua quanta præstiterint viri sãcti per ieiunium, ad quantam sãctitatẽ peruenerint, quot Dæmonia expulerint, quot beneficia à Deo obtinuerint, quot miracula patrarint, quis recensere posset? Quid igitur est quod nostris temporibus nihil tale experimur præstari per ieiunia? Nõnne antiqua flagella super nos sentimus, & peiora succedere videmus? *Quare* (ergo) *ieiunauimus & non aspexisti?* aiunt quidam apud Isai. c. 58. similes nobis: *humiliauimus animas nostras & nescisti;* Sed audite responsum: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra: Ecce ad lites & contentiones ieiunatis* &c. *numquid tale est ieiunium quod elegi?* &c. Causa igitur est, quia malè ieiunamus: non est autem satis bona agere nisi bene etiam fiant; quemadmodum non satis hastam aut sclopetum gestare in bello, sed oportet eo rectè quoque vti. Itaque Christus Dominus in hodierno Euangelio vt ne frustrà ieiunemus, modum ieiunãdi docet, & vt S. Maximus *in hom. de ieiunio* ait: *Dominus sacratam dedit perfectamque regulam ieiunandi.* Quam regulam hodie in capite ieiunij nobis Ecclesia proponit. Quemadmodum & Nouitio seu Tyroni, primo statim die quo religionem intrat, regula proponitur. Audiamus igitur discipuli Magistrum nostrum.

PRIMÒ, Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ. Ecce prima regula, ieiunandum scilicet esse verè, non fictè; nam hypocrita, græcè histrio, is est qui aliud est & aliud apparet. *Vnde quisquis se vult videri quod non est; hypocrita est,* ait S. Aug. *de serm. dom.* Verum autem ieiunium est, Primò abstinere à carne: Secundò vnicâ refectione contentum esse. Tertiò serius eam sumere: ideò vesperæ leguntur ante prandium. Errant igitur, primò qui ieiunare se existimant modò carnibus abstineant; interim bis vel sæpiùs in die comedunt dicuntque: Zwaymal wol gessen ist auch gfast. Sed nequaquam Ecclesiæ præcepto satisfit per hoc ieiunium, quod non ieiunium, sed abstinentia tantùm est. Ieiunium fieri cum abstinentia carnis & vnica refectione in die debet. Nec valet quod dicũt, si enim bis malè comedunt, cur non semel melius? Et quis eis facultatem dedit, præceptum Ecclesiæ mutandi? sanè ob hanc causam non placuerunt ieiunia illorum, de quibus Isai. 58. *quia in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, ait Dominus.*

B. I. Ieiunandum verè non fictè.

Excipiuntur tamen tria hominum genera. In primo sunt impotentes, vt pueri, qui 21. annum

num nondùm compleuerunt. Senes item sexagenarij maiores, quanquam & hi conari debent & facere quantum possunt: quia Niniuitæ etiam lactantes & puerperas ieiunare præceperunt. Tertiò fœminæ grauidæ & lactantes. Quartò pauperes & mendici, si non habeant tantum, quantum pro vnâ refectione eis suffi-
2. cit. Quintò infirmi & valetudinarij. Secundum est eorum qui ieiunando impedirentur à meliori opere, vt Confessarij, Concionatores,
3. &c. Tertium eorum, qui duro labore occupantur, vt agricolæ, fabri ferrarij, lignarij, ferrarij, murarij, cereuisiarij, itinerantes, &c. Quibus tamen suadendū vt faciant quod possunt, saltem diebus sanctioribus, vt in hebdomadâ sanctâ: reliquum, si possunt, eleemosynis compensent. Item vt proprio sensui non nimiùm fidant, sed cum Medici & Parochi sui approbatione id agant. Nuper in festo Purificationis audiuimus, preceptum fuisse à Deo vt mulier purificanda agnellum offerret: si non haberet agnum, offerret duas columbas. Quâ lege indicauit Deus, etiam impotentes debere aliquid saltem facere & quantum possunt legem implere. Vnde qui nequit per totā hebdomadem ieiunare, ieiunet ter, bis vel semel: qui primis Quadragesimæ hebdomadibus abstinere à carne non valet, vltimâ saltem & sacrâ illâ abstineat. Cæterùm in hoc nemo facilè suspsius iudex sit, sed interroget suum quisque Confessarium. Ita præcipitur *Leuit.* 27. vt qui à voti solutione redimere se voluerit, det pro viribus, iuuenis plus quàm senex: vir plus quàm mulier. Denique *si pauper fuerit & æstimationem reddere non valebit, stabit coram Sacerdote & quantum ille æstimauerit & viderit eum posse reddere tantum dabit.* Ergò & à pauperibus aliquid saltem exigebatur: & quidam ex arbitrio Sacerdotis. Idem quoque faciendum in proposito.

Secundò qui in prandio vel die præcedente tam multum cibi sumunt vt posteà non esuriant facilè, quique timent ne vacuum in eorum stomacho detur. Quo modo quidam rusticus suo confessario dicebat se per annū nunquam ieiunasse, nisi hòc cinerum die, eò quòd in Bacchanalibus tantum comederet, vt hodiè non esuriret. Et isti receperunt mercedem suam: quia ieiunij fine destituuntur & Ecclesiæ mentem non attingunt, quæ ideò præcipit ieiunium vt caro mortificetur & quantum in homine est, aliquid famis sentiat. Perinde igitur agunt, ac si æger cui Medicus vinum prohibuit, maluaticum bibat. Vel si Iudex reo duarum mulctarum vnam remittat, sed alteram rigore compenset & duplicet. Et quid laudis vel meriti, ieiunare cùm non esuris? Certè etiam leo ac lupus ieiunare diebus aliquot dicuntur post ingluuiem.

Tertiò, Qui vesperi pro collatione tantum sumunt, vt noctu non frigeant & manè non esuriant: quod si rectè computetur, ferè cœnæ æquiparatur & pro refectione alicui pauperi sufficiat. Nemo seipsum fallat: hoc non est ieiunare. Nam vt Isid. ait: *Spernitur ieiunium, quod in vespere delicijs compensatur.* Nec abutendum est Ecclesiæ indulgentiâ, quæ ob impatientiam & teneritudinē nostram aliquid permisit, non primis, sed posterioribus primùm temporibus, refrigescēte nimirum charitate: ne alioqui audiamus quod Iudæi à Christo *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses libellum repudij, ab initio autem non erat sic.* Quò enim maior indulgentia, eò grauior est transgressio. Vnde *Prouerb.* 25. dicitur: *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.* Mel extremo digito gustandum; nam copiosè sumptum nocet ob nimium calorem &c. sic indulgētia Ecclesiæ non abutendum, ne grauiùs puniamur, quemadmodum Israelitæ *Num.* 11. ob. quorum impatientiam & cupiditatem concessit eis Dominus coturnices, sed quia illis abusi sunt nimia auiditate eas deuorādo, vt arbitratur Card. Bellarminus in Psal. 77. *adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Receperunt & hi mercedem suam.

C. II. Ieiunandum hilariter.

SECVNDÒ. *Nolite fieri tristes*, ait Dominus. Hilariter enim ieiunādum & animo prompto ac lubenti: quod etiam sequētia verba indicant: *cum ieiunas vnge caput tuum & faciem tuam laua*, id est, vt Basilius exponit, *exhibe signa lætitiæ, noli tristari vt alimoniæ subtractionem, sed gaude ob animæ curationem, ne pluris ventrem quàm animam facere videaris.* Ratio est. Primò, quia *hilarem datorem diligit Deus* 2. Cor. 9. Donum contrà illibenter datum, displicet accipiēti. Ergo displicet ieiunium eorum, qui inuiti & coacti ieiunant, quia scilicet dominis suis accommodare se debent, vel quia mihi vesperi apponitur. Vel qui ob ieiunij frequentiam vel asperitatem murmurant. Hi enim omnes *receperunt mercedem suam*, id est, nullam recipient, quia nullam merentur. *Deut.* 20. præcepit Deus vt è bello dimitterentur ad propria illi qui ob certos affectus erga res suas inuiti bellarēt, vt qui ædificauit domum nouam & nondum dedicauit: qui plantauit sibi vineam & nondum ex ea comedit fructum? qui despondit sibi vxorem & nondum duxit: *reuertatur in domum suam* inquit: quia præuidit hos ęgrè & inuitos bellaturos: Interim insinuans non placere sibi in Christiana militia, qui inuiti & coacti militant, & suas sequuntur concupiscentias. Hi enim martyres sunt diaboli, & mauult Deus carere his militibus quàm habere querulos & semper retrospicientes ad suas cupiditates. Sic enim *Esa.* 58. dicit. *Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester*; litium videlicet, contentionum & murmuris. Similes hi sunt Simoni Cyrenensi, qui non nisi angariatus ac proinde sine mercede crucem Domini tulit.

Secundò, Quia qui cū tristitia & impatientia ieiunat duplicat sibi onus addēdo super ieiunij laborē etiam tædium & tristitiam. Et de hoc dici potest in Prou. 20. *Abominatio est apud Deum pondus & pondus*, id est, pondus mortificationis assumptæ, & pondus tædij, tristitiæ vel impatientiæ superpositum. Contrà, qui hilariter id agit, leue sibi facileque ieiunium reddit.

dit. Vnde Ambrosius de offic. ait: *Ieiunij labor compensatur mentis placiditate, leuatur vsu, sustentatur otio, fallitur negotio*

D. III. Ieiunandum bona intentione. TERTIÒ, Cùm ieiunas vnge caput tuum: habeto bonam intentionem. Mystico enim sensu caput nostrum vngimus, cùm Christo, qui caput est nostrum, per ieiunium placere cupimus. Finis ieiunij nostri vltimatus, Dei gloria esse debet, intermedij fines sunt plures, ad remissionem peccatorum obtinendam, ad vbicem futuris peccatis ponendum, ad carnem spiritui subijciendam, ad pœnarum mitigationem, ad gratiæ augmentum & alia auxilia impetranda, vt proximum ædificemus, pauperes inde alamus, vt Ecclesiæ præcepto satisfaciamus, &c. S. Chrysost. *serm. 1. de ieiun.* ait: *Ieiuna quia peccasti, ieiuna ne pecces, ieiuna vt accipias, ieiuna vt accepta custodias.* Errant igitur hypocritæ, qui ob vanam gloriam: auari qui ob parcitatem: gulosi qui ob ingluuiem speratam ieiunant; hi omnes enim receperunt mercedem suam Nam hypocritæ, quod carni suæ detrahunt, id mundo donant: & quemadmodum histrio aliquis vel scurra qui tota die saltat, cātat, discurrit, ridet, vt spectantium oculis placeat; nocte verò sequente totus fatigatus & viribus exhaustus recumbit: ita & hypocrita qui ob vanam gloriam ieiunat: macerat enim se media vt hominibus uideatur sobrius & sanctus, sicque immolat carnem suam mundo; morte verò aduētante videbit se frustrà laborasse, & recepisse suā mercedem. Ita stulti Prophetæ Baal, lanceolis se vulnerabant & sanguinem eliciebant, mani afflictione, vt placerent Deo suo; quos meritò ridet Elias, 3. *Reg.* 18. Auari qui in gratiam marsupij sui ieiunant, non minori stultitia laborant, quia de propria pelle nummos cudunt; seu bolum ori suo detrahunt & in os Diaboli inijciunt, id est, in bursam; atque ita immolant carnem suam mammonæ & diabolo: receperunt itaque mercedem suam. Mirum verò quod his ieiunare libeat ob modicam pecuniolam: pigeat verò ob mercedem æternam.

Gulosi in gratiam ventris sui velut Dei sui ieiunant, & sic immolant carnem suam ventri seu propriæ carni. Ideò cùm aduertunt instare aliquod Dei sui Festum *ein Freßmal*; tunc dedicant ei ieiunium in Vigilia, vt posteà cupidiùs vorent. Facit hoc & vultur de quo Epiphanius *in physiol.* ait: *Vultur cunctis auibus vorator est. 40. enim diebus cibo abstinet, quem cùm inuenit, totidem sese ex illo liberius ingurgitat. Itaque quadragenariam abstinentiam quadragenaria ingluuie compensat. Tu igitur* (subdit mox) *spiritualis homo, qui in quadragesimali ieiunio Dominicam resurrectionem expectas, noli ventri fœdè indulgere ne quadragesimalis abstinentiæ meritum perdas.* Hæc ille. Ieiunant hoc modo etiam Turcæ, qui ieiunia sua diurna nocturnis compēsant comessationibus. *Receperunt* & isti *mercedem suam*, quia eam sibiipsis soluunt per subsequentem ingluuiem. Qui omnes denique non vngunt caput suum, Christum; sed seipsos: Iudæ similes, qui irascebatur quòd Magdalena effudisset vnguētum super caput Christi: maluisset enim id sibi applicare. Contrà hos Esaias eod. illo 58. cap. ait: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra & omnes debitores vestros repetitis*; repetunt enim mercedem sui ieiunij à mundo, mammona & carne. Et Zacharias c. 7. *Cùm ieiunaretis & lugeretis, numquid ieiunium ieiunastis mihi?*

E. IV. Ieiunandum mundâ cum conscientia. QVARTÒ, *Faciem tuam laua*, id est, conscientiam à peccatis emunda per contritionem, & mundatam conserua. *Facies enim interna animæ est conscientia*, ait S. Bern. *serm. 1. in cap ieiun.* Qui coram viro magnate apparere vult, faciei maculas abluit. Et qui gratum aliquod ferculum alicui vult apponere, non debet accipere patinam sordidam. Hoc est quod adeò precatur Apostolus ad Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam*, &c. Qui autem in peccato est, non exhibet corpus suum, hostiam viuentem, sed mortuam, cadauer offert, & ieiuniū suum in patinā apponit immundā. Idcircò mundanda conscientiæ patina lixiuio contritionis, quod est aqua per cinerem distillata: ideòque cinis hodie nobis inspergitur vt ad contritionem moueamur & ieiunium sanctificemus. Et hoc est magnum illud & vniuersale ieiunium, quod vocat S. August. *tract. 17. in Ioan.* scilicet abstinere ab iniquitatibus. *Quid prodest*, ait idem Aug. *vacuare corpus ab esca & animam replere peccatis? Quid prodest pallidum esse ieiunijs, si odio & inuidia liuescis? Quid prodest vinum non bibere & iracundia veneno inebriari? Quid prodest abstinere carnibus ad manducandum creatis, & malignis obtrectationibus membra fratrum lacerare? Quid prodest si abstineamus ab his quæ aliquando licent; & faciamus illa quæ nunquam licent? Ergo sic ieiunemus a cibo, vt multò magis ieiunemus à vitijs.* hæc ille. Item S. Bern. *serm. 3. in Quadr. seu de ieiun.* ait: *Si gula sola peccauit, sola quoque ieiunet, & sufficit: si verò peccauerunt & membra cætera cur nō ieiunent & ipsa? Ieiunet ergo oculus qui depradatus est animam, ieiunet auris, lingua & manus & anima ipsa. Ieiunet oculus à curiosis aspectibus & omni petulantia, vt bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa: ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcunque otiosa sunt & ad salutem minimè pertinentia ieiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis & scurrilibus verbis, interdum quoque ob grauitatem silentij & ab ipsis quæ videre poterant necessaria: ieiunet manus ab otiosis signis & ab operibus omnibus quæ non sunt imperata. Sed & multò magis anima ipsa ieiunet à vitijs & propria voluntate sua. Etenim sine ieiunio hoc cætera à Domino reprobantur.* Isaiæ 58. hæc ille. Illic enim dicitur: *nónne hoc est magis ieiunium quod elegi; Dissolue colligationes impietatis*, &c. sine hoc ieiunio parum valet illud, sicut frustra adhibetur remedium vulneri, si gladius adhuc in vulnere hæreat. Et frustra sumitur purgatio, si interim noxiis rebus stomachum replere non desinas. Vnde S. Leo Pontif. *serm. 4. de Quadrag.* ait: *Non enim fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur.* Et Ecclesia in hymno canit: *sic corpus extra conteri dona per abstinentiam, ieiunet*

vt mens sobria à labe prorsus criminum. Quibus accedat S Max. serm. de Natiu. Quale illud est, inquit, q od non vesceris carnibus & de ore tuo omni esca sordidius egreditur menda. tam? Et Itid. Qui abstinent à cibo & praue agunt, inquit, Dæmones imitantur, quibus esca non est, sed semper adest nequitia. S Basilius serm. 1. de laud. ieiun. ait Non in abstinentia solùm ciborum, ieiunij bonum circumscribas. Verùm etiam ieiunium est, malorum alienatio &c. Carnem non comedis sed comedis fratrem. Abstines vino, sed ab iniur js tibi non temperas. Vesper am expectas ad sumendum cibum, sed tufumis diem causis forensibus. Quid iuuat ieiunare corpore, anima verò innumeris malis repleri? hæc ille. Receperunt igitur & isti mercedem suam. Quod ne nobis eueniat, incipiamus hodie lauare conscientiæ nostræ faciem, saltem peractum contritionis, (dum cinerem suscipimus) & propositum confessionis breui faciendæ. ne labor ieiunij nostri frustraneus sit. Nam si nunc primùm pœnitentiam agere volumus, cùm finit Quadragesima: perinde agimus, ac si tunc primùm vas purgare velimus, cùm non est ampliùs liquor, qui infundatur.

F. V. Addenda alia bona opera. QVINTÒ, Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, q.d. addite ieiunio bona opera præsertim misericordiæ, vt fortius sit. Hoc etiam indicatur Isa. 58. cùm inter alia dicitur, quod sit verum ieiun um: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, &c. S. Greg. in hom. ait: Ieiunium Deus approbat, vt hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris, vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.

Certè qui ieiunat & nihil de hoc pauperibus tribuit, in suam bursam ieiunat, quia quod ventri detrahit, in bursâ accipit. Quemadmodum si mulier abstineat à mulgêda vaccâ suâ, parum perdit: quia inde vacca pinguior redditur, & ita mulier illa accipit in pretio vaccæ, quod demit sibi in lacte. Ergo ne videamur ieiunare bursæ nostræ & ne ieiunium sit occasio auaritiæ, ieiunemus pauperi, demus lac & escas, quas subtrahimus nobis, vel pecunias æquiualentes, pauperibus: non referuemus loculis; ne etiam sic audiamus: recepistis mercedem vestram. Audiamus S. Gregorium in pastorali: non Deo, sed sibi ieiunat, qui qua ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerêda custodit. Audiamus Hieronymum sit ieiunium nô marsupij lucrum, sed satietas animarum.

CONCIO III.

Vana gloria exploditur.

1. Quia exilis est respectu gloriæ cælestis.	6. Manca & impura.
2. Externa tantùm non implens cor.	7. Cara & magno constans.
3. Insida est & fucata.	8. Mendax & erronea.
4. Instabilis & fallax.	9. Iniqua in Deum.
5. Breuis & momentanea.	10. Noxia & damnosa.
	11. Assignantur malo huic remedia.

THEMA.

Faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Matth. 6.

QVid sibi vult, Auditores, quòd adeò solerter vitari hominum oculos iubet Dominus in hodierno Euagelio, cùm vel ieiunamus, vel (vt paulò suprà dixit) oramus, vel damus eleëmosynâ? Quid veneni residet in oculis humanis? S. Bernardus ser. 14. in Psal. Qui habitat, causam nobis exponit, dum asserit hominum oculos, qui contemplantur virtutes nostras, Basilisci oculos esse, qui solo visu, ait, hominem inficere & interficere perhibetur. Videte ne (inquit Dominus) iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. Ac si dicat: Cauete oculos Basilisci Sed (pergit idem S. Pater) cui nocere dicitur Basiliscus? Ei qui non videt Basiliscum. Alioquin si prior eum videas, iam non tibi nocet (vt aiunt) magis moritur ipse. Ita est fratres Nou videntes necat inanis gloria cæcos & negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt, & non potius ipsi aspiciunt: non attendunt, non discutiunt illam, non vident denique quàm sit friuola quàm sit caduca, quàm vana, quàm inutilis. Sequis eum intueatur hoc modo, moritur Basiliscus nec tam occidit eum gloria, sed occidit ur magis & occidit et quodammodo versa in pulverem, imò redacta in nihilum. Hæc Bern. Quando igitur vana gloria tam perniciosum animal est, demus operam, Auditores, vt priùs videamus hunc Basiliscum, quàm ab ipso videamur: Videamus vanam gloriam, quàm exilis, inanis, infida, instabilis, breuis, manca, cara, mendax, iniqua, noxia sit.

B. I. Inanis gloria est exilis. PRIMÒ, Parua & exilis est, præsertim respectu gloriæ cœlestis: Quemadmodum enim terra comparatione cœli punctum tantùm est: ita homines respectu cœlitum, culices sunt, & proinde gloria quam ab hominibus captant, quasi echo quædam est, nugæ & crepûdia. Ridemus puerum si ob plumulam galero impositam sibi vehemêter placeat, tametsi eum alij pueri propter eà mirantur & suspiciunt; multo magis ridet nos Deus, Angeli & Beati omnes, si ob scientiæ, nobilitatis vel pietatis donum aliquod immodicè nos efferamus gloriamque apud æquales, hoc est, pueri apud pueros quæramus. Audiamus sanctum Chrysostomum hom. 2. ad Titum: Nemo, inquit, ab infantibus lactentibus vnquam gloriam expetiuit: Infantium instar ad gloriam captandam, homines habendi sunt. Idem Chrysostomus hom. 28. in Ioan. ait: Nemo satellitum in huius sæculi regijs, ijs omissis, quibus coronato regi & in solio sedenti placet, graculorum voces, muscarum & culicum obuolantium stridorem prosequitur. Neque enim iji vlla ex parte potiores hominum laudes inueniuntur. Exilis & obscura vox est, quam refert repercussa à cōcauis vallium sinibus Echo: talis est vana gloria, quæ ab inanibus & depressis hominibus resultat in ambitiosum: obscura, inquam, & exigua nec hilo æstimanda. Illa potiùs vox voris omnibus exoptanda est, qua Deus ipse commendabit aliquando seruos suos.

A.

Sæ-

C. II. Externa tantùm est.

SECVNDÒ, Externa tantùm & inanis est, aures non cor implens Sicut enim vmbra corporis quocumque tandem colore corpus imbutum sit, semper nigra est, imò nihil quod subsistat: Sic & huius sæculi gloria siue nascatur ex virtute, siue ex scientia, siue ex potentiâ, inanis est, in solâ opinione consistens siue honorantis siue honorati. Vnde S.Chrysostomus *hom. 41. ad pop.* ait: *Nónne vides personas, quæ in scenâ versantes induuntur, quam sint pulchra & splendida? potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? nequaquam. Nunquid vnquam earum amore captus es? Non. Quare? quia vacuæ sunt & imitantur pulchritudinem, pulchræ tamen non sunt. Similiter & gloria inanis est & gloriam quidem imitatur, non tamen est gloria. Dic enim mihi, quid habet boni à multis circumspici? Sicut enim larua occultat veritatem hominis vsque ad vesperam, dimisso autem theatro, vnusquisque apparet, quod est: ita si post multas tuas laudes auditas domum reuertare, & solus sis, omnis gloria defluxerit. In forum processisti, prætentes in te conuertisti? quid amplius? nihil: extinctum est & euanuit tanquam fumus diffusus. Quæ vana sunt hæc quæso. Stoliditatis, quanta dementia? Ad vanum itaque spectemus, quomodo Deus nos laudet.* Bene in ambitiosos quadrat quod Oseæ 8. dicitur: *Ventum seminabunt & turbinem metent.* Ventum enim seminant, qui bona opera studio inanis gloriæ faciunt; & quid aliquando metent nisi ventatem, imò turbinem indignationis Domini qui dicit illis: *Recepistis mercedem vestram?* Inuenitur est olim quidam, Thurius Vetronius, qui principis beneuolentiam simulato commendationis beneficio vêdere solitus erat, ideóque à Seuero Imperatore fumo perire iussus est, quod fumum vendidisset. Spartian. Lamprid. Similem mercedem accipient à Deo vanæ gloriæ captatores: fumum enim metent, qui fumum seminarunt. Sola Dei gloria, interna est & solida; explens satiansque animam.

D. III. Infida & fucata.

TERTIÒ, Infida est & fucata. Sæpè qui in faciem te laudant, vt tibi adulentur, à tergo te irrident. Zeuxis pictos vuas tam ad viuum depinxisse fertur, vt ad eas capiendas aues aduolarent, quod scribit Plinius *l. 35. c. 10.* Hunc in modum opera tua, opes, scientiam, potentiam, honorem, famam tuam tam speciosè fucat & depingit tibi mundus, vt iuees ita esse quæ ipse in te prædicat. At quemadmodum aues illæ vuis aduolantes non modò non repererunt vuas, quibus famem satiarent, sed etiam impegerunt in tabulam & delusæ conciderunt: ita inanes honorum aucupes, splendoris sui fuco plerumque decipiuntur, & dum se ab aliis magnifieri æstimant, eorumdem ludibrio se exponunt, & sine honore decidunt, iuxta id *Sap. 4. Erunt post hæc decidentes sine honore, &c.*

E. IV. Instabilis & fallax.

QVARTÒ, Instabilis & fallax. Qui hodie te laudant, cras fortè vituperabunt; qui hodie tibi applaudunt, cras te subsannabunt. Hinc *Isaia 40.* gloria hominis *flos agri* appellatur: *Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quasi flos agri.* Quid autem flore fragilius? frigore arescit, calore marcescit, vento rapitur & frangitur, pedibus conculcatur, à brutis comeditur, manibus dum tractatur contabescit: ita gloria hominum leuissimâ de causâ perditur, quia ab instabili vulgo petitur. Luna est, quæ quia non propriam, sed à sole mutuatum lumen habet, varium & inconstans habet. Patuit in Aman, qui vnâ die ab Assuero fuit exaltatus super omnes aulæ principes: sequente ab eodem suspensus in altissimo patibulo. *Esther. 7.* Patuit in Moyse, quê tanti aliquando æstimarunt Israëlitæ, vt sine illo se esse non posse clamarent; paulò tamen post lapidibus obruendum iudicarunt. *Num. 14.* Patuit in S. Paulo, quem admirati Lycaones clamabant: *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos*; voluerunt quoque ei velut Deo immolare: mox aliquorum persuasione immutati eumdem lapidarunt, *Act. 14.* Patuit in eodem Paulo *Act. 28.* quem vidêtes Melitenses à viperâ impetitum, iudicarunt homicidam esse: posteà cû eū viperam ab eodem sine noxâ elisam cernerent, *conuertentes se dicebant eum esse Deum.* Vt enim clepsydra horologio singulis horis inuertitur, & pars eius vacua repletur, repleta euacuatur, infera fit supera: ita etiam vulgus eiusque opinio in dies mutatur.

F. V. Breuis & momentanea.

QVINTÒ, Breuis & momentanea est. Laudant te morituri, quibuscum morieris bus morietur & laus tua, nec comitabitur te ad æternum sæculum. Vnde *Isai 10. Vbi derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo & cum interfectis cadatis?* q. d. Cùm gloria vestra non sit descensura vobiscum ad inferos, vbi eā relinquetis? qu'd vobis proderit in illa die, ne in vinculo abducamini & pereatis? Venti globo similis est ea gloria: quemadmodū enim turbo cōuoluit pulueris globum, stramina vel sarmenta, & gyrando in altum euehit: mox tamen ibidem dissipat & relabi in terram sinit: ita gloria inanis repente euehit hominem; sed repente etiam deserit. Simili figurâ idem expressit Sophar apud Iob c. 20. dum gaudium hypocritæ (qui gloriam ab hominibus quærit) ita describit: *Velut somnium auolans, non inuenietur, transibit sicut visio nocturna.* In quæ verba S. Gregorius *l. 15. Moral. cap. 3.* hæc scribit: *Rectè somnio comparatur, quia ab hypocrita, omnis laus & gloria, quasi dum tenetur amittitur. Sæpe namque in nocturna visione nonnulli pauperes, factos se diuites admirantur, deferri sibi honores aspiciunt, diuitiarum moles obsequentium multitudinem; pulchritudinem vestium, abundantiam ciborum sibimet adesse considerant, gaudent se euasisse penuriam; quam cum gemitu tolerabant: sed repentè cùm euigilant, inueniunt quàm falsum fuerit, quod gaudebant: eosdemque euigilasse pœnitet, quia vigilantes inopia vera terret: sic hypocritarum mentes, dum aliud est quod agunt, atque aliud quod hominibus ostendunt, laudes de ipsa sanctitatis ostentatione recipiunt: in æstimatione hominum multis melioribus præferuntur. Sed cùm ab hominibus immediatè laudantur occulta vocationis hora surripit, & cum carnis oculos claudunt, mentis aperiunt, moxque vt supplicia æterna receperint, ibi vident quia virtutum æstimatione diuites in somnijs fuerant.*

G. VI. Manca & impura.

SEXTÒ, Manca & impura. Qui enim ab his laudatur, ab illis vituperatur, cùm tot hominesfint, quot fententiæ. Patuit vel in ipfo Chrifto Domino, de quo alij dicebant: *quia bonus eft, alij dicebant: Non; fed feducit turbas: & murmur multum erat in turba de eo.* Ioan. 7. Patuit in Herode Agrippâ, Herodis primi nepote, qui Romæ à Tiberio Imper. vincitur catenâ ferreâ. Mortuo Tiberio donatur à fucceffore eius Caio aureâ catenâ tanti ponderis, quanti erat prior ferrea, & conftituitur Rex Tetrarchiæ Philippi, qui paulò ante obierat. Dum verò Româ difcedens pergit ad regnum fuum, in via illuditur publico fpectaculo ab Alexandrinis eo prorfus modo, quo Chriftus fpinis redimitus illufus olim fuerat à militibus. Idem ad extremum concionem habens ad populum, audit ab eodem adulatoriè: *Dei voces & non hominis.* Quas dum is non repulit nec caftigauit, vidit mox fuprà caput fuû bubonem funi extento infidentem, portendentem ei exitium, quo eâdem horâ ab Angelo percuffus breuique extinctus eft. Poftea in defunctum conuitia iactarunt Cæfarienfes & Sebafteni, nec nõ ftatuis filiarum eius è palatio in Lupanar extractis fœdiffimè illuferunt. Refert Philo & Iofephus *l. 19. antiq. cap. vlt.* Baron. Anno 46. Quia igitur tam variam & mutilam hominum æftimationem curet, quæ dum hîc te ornat, alibi collutulat?

H. VII. Magno conftans.

SEPTIMÒ, Cara & magno cõftans eft. Quid enim nõ faciunt homines, vt vanam gloriam captent? *Exterminãt*, ait Dominus in hodierno Euangelio, hoc eft, demoliũtur, ficto & fucato pallore facies fuas: aliqui vt videantur hominibus ieiunantes: alij ieiuniis, vigiliis, difciplinis, orationibus reuera feipfos conficiunt: alij eleemofynis marfupium exhauriunt, vt vanam aucupentur gloriam. Rectiffimè ergo de his dicitur Ifai. 59. *Telas araneæ texuerunt.* Quemadmodum enim aranea vt viliffimas mufcas capiat, rete texit & texendo femetipfam euifcerat, ac multoties circumit multoque labore fila fua appendit & annectit; denique in aere è tenui filo telam fuam fufpendit, vnde leui vento deiicitur vel rumpitur: ita vanæ gloriæ aucupes feipfos laboribus exhauriunt, diu noctuque meditantes: nec tamen nifi in aere, hoc eft in ore & exiftimatione hominum vbi facilè perit venantur gloriam, futilem & inanem quæ inftar mufcæ inlulfi aliquid ftridoris illorum auribus infonat.

I. VIII. Mendax & erronea.

OCTAVÒ, Mendax & erronea. Ad inftar enim Crocodoli fugientem fequitur, fequentem fugit. Vnde S. Hieronymus in vita S. Paulæ ait: *Fugiendo gloriam, gloriam Paula merebatur, quæ virtutem quafi vmbra fequitur & appetitores fui fugiens, fequitur contemptores.* Deinde homines folent laudare fæpe eos, quos non debent, diuites, potentes, nobiles, doctos, imò fæpe fcurras moriones, hiftriones, Tyrannos & fceleratos. Denique multi *ofculantur proprias manus*, fibi ipfis applaudendo ob virtutes, quas vel non habent, vel vmbraticas tantùm & politicas, non veras & folidas habent. Sanè Babylonij illi grauiter decepti & à Daniele irrifi funt, qui Draconem magnum pro Deo venerabantur *Dan.* 14. Hunc enim mox disrupit Daniel, iniectâ in os illius mafsâ piceâ, dixitq́; pofteà: *Ecce quem colebatis?* Atquî etiam nos fæpe in aliis cultimus vel in nobis ipfis quę minimè colenda, imò abominanda & fœda funt. Quid fi dirumperemus & paterent nobis corda noftra? audiremus vtrique: *Ecce quem colebatis!*

NONÒ, Iniqua eft in Deum, cui furatur gloriam, de quâ ipfe dixit *Ifaiæ 42. gloriam meam alteri non dabo.* Fructum operum fuorum donat nobis Deus, gloriam fibi referuat. Hunc ordinem peruertit vana gloria, quæ vnâ cùm fructu rapit ei honorem. Deus agens principale operum noftrorum eft, nos inftrumenta fumus: ergò qui inftrumento opus adfcribit, artifici gloriam furatur. Mulier viro fuo comere fe debet, non alteri, alioquin adultera reputabitur: ita etiam non bene operari decet vt Deo animarum noftrarum fponfo placeamus, non alteri vel nobis: habendi alioquin pro furibus & adulteris. K. IX. Iniqua in Deum.

DECIMÒ, Noxia & damnofa. Spoliat enim nos mercede operum noftrorum; deinde fupplicis nos fubiicit atque ita bonum vertit in malum, gloriam in gehennam. Fumus eft, qui efcam alioquin gratam afflatu fuo deftruit & odibilem reddit. Ærugo eft, quæ ferrum depafcit. Fur eft qui iter facienti fe affociat velut focius & interim clanculum eum defpoliat vel fuffodit domum nobis dormientibus. Tinea eft quæ veftem ita demolitur, vt nulla ratione aduertere queas. At nónne audimus monentem Dominum in hodierno Euangelio, tibi thefaurizandum effe, *vbi neque ærugo neque tinea demolitur & vbi fures non effodiunt, nec furantur*, in cœlo nimirum? Qui manna feruarant in Sabbathum, incorruptum repererunt & vtile: qui in alios hebdomadæ & operarum dies, altero die corruptum & à vermibus exefum deprehenderunt, *Exod.* 16. Eodem modo opera, quæ facis in hoc mundo vt eidem placeas, pereunt & à vermibus vanæ gloriæ deuorantur: quæ autem facis vt referues in requiem vitæ æternæ, fana & falutaria deprehendes. Quàm noxia hæc mercatura vendere merces vbi vnum alterúmve nummum valent; & non vendere ibi, vbi ingentem auri fummam valent? Hinc fancti & fapientes viri terrore correpti funt, cùm audirent laudes fuas, vti S. Auguftinus, qui *ferm. 5. de verbis Domini*, ait: *Laudes veftræ grauant nos potius & in periculum mittunt. Toleramus illas & tremimus inter illas.* Et S. Ignatius, qui dicebat: *Vt fanus fim in his, quæ ad Deum pertinent, vehementius tamen mihi verendum eft & cauendum ab his, qui me temerè inflant: laudantes enim me flagellant.* S. Hilarion videns hominum multitudinem fe fequentem fibique ob miracula applaudentem, indoluit cum lachrymis, metuens ne in hac vita mercedem fuam reciperet ex inani populi plaufu: vt fcribit Sanctus Hieronymus in vita eius. L. X. Noxia.

Sed

M. XI. Remedia vanæ gloriæ.
Sed quod ad extremũ malo huic remedium?
Imprimis antequam aspiciaris à vanæ gloriæ
Basilisco, tu eum prior aspicito, expendendo
eius vanitatem, fragilitatem, fœditatem, dam-
1. na &c. quę hîc recensuimus. Cœcos tantùm &
improuidos inficit hæc bestia, non oculatos &
2. prudentes. Deinde quoad fieri potest, virtutes
tuas occulta & occasiones captandæ gloriæ
fuge. Ita enim suadet Dominus in hodierno
Euangelio, cùm ieiunantes iubet lauare faciẽ;
& paulò suprà, cùm orantes intrare in cubicu-
lum: ne videlicet videantur ab hominibus ie-
iunantes vel orãtes. Virgo domi clausa tutior
est ab insidiis castitatis quàm quæ foris vaga-
tur. *Vestem pretiosam cùm in publico ponimus, pluri-
mos ad insidias prouocamus si verò domi recõdamus,
in tuto seruabimus*, ait S. Chrysostomus hom. 3.
3. in Matth. Tertiò. Omnes actiones nostras ma-
nè ad Dei gloriã referamus. Ad Deum Ago-
nothetam nostrum aspiciamus, nõ ad circum-
stans vulgus: ab illo, nõ ab ipso præmium ex-
pectemus. *Non vides in equorum ludis*, inquit S.
Chrysostomus hom. 5. in Gen. *quomodo hi qui
equos agitant, non aduertunt plausum populi assiden-
tis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt, sed in vnum
Regem in medio sedentem oculos intendunt ac ad nu-
tum illius attendentes totam multitudinem despi-
ciunt? Hos & tu imiteris, non magnifaciendo homi-
num famam, sed sententiam iudicis iusti expectando
atque ad nutum eius omnia dirigendo*. Nouit Deus,
omnibus licet tacentibus, qualis vnusquisque
sit. Lysander Dux Lacedæmoniorum cuidam
iactanti, quòd ipsum & laudibus veheret &
aduersum obtrectãtes defenderet: *Duo*, inquit,
*mihi sunt boues ruri: & tacentibus ambobus, tamen
certò noui vter sit ignauus, vter ad laborem strenuus*.
Plut. in Lacon. Idem tibi dici cogita à Deo,
qui te nouit & præmiabitur, etiamsi mundus
taceat. Dic ergò inani gloriæ; serò nimis ve-
nisti, Deo iam consecraui opera mea. Vel cum
S. Bernardo: *Propter te non cœpi: propter te non de-
finam*. Vnge caput tuum, Christum: illi glo-
4. riã da. Quartò. Nosce teipsum: quia puluis es,
& in puluerem reuerteris. Cùm mare propter
Ionam intumuisset, interrogarunt eum nautæ:
Quod est opus tuum? quæ terra tua & quò vadis?
Ion. 1. Similiter cùm incipit intumescere cor
tuum, quære ex teipso: *Quod est opus tuum?* si ad
libellam diuinæ iustitiæ expendas, tuum non
est. Dei potiùs est: vel si tuum est, culpa est &
multis obnoxium defectibus. *Quid habes quod
non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi
non acceperis*: Deinde *quæ terra tua?* nónne pul-
uis & Adama seu terra rubra è qua formatus
es? Denique quò vadis? nónne in puluerem &
sepulchrum? Respondit nautis Ionas: *Hebræus
ego sum*. Et tu quid nisi Hebræus, id est, trans-
iens, velut vmbra scilicet: quid nisi peregri-
nus tendens ad mortem? Atque hoc velut prę-
sentissimum vanæ gloriæ antidotum exhibet
nobis hodie Ecclesia, dum capita nostra cine-
re aspergit, quasi dicens illud Ecclesiastici 10.
Quid superbis terra & cinis? Et illud S. Bernar-
di serm. 3. in Cant. *Tibi ô homo vnde gloria? puti-
de puluis vnde tibi?* Hoc est illud signum Thau
(vltima Hebræorum litera, proinde mortem,
vltimam rerum lineam denotans) inscriben-
dum frontibus virorum gementium *Ezech. 9.*
idque inscribit nobis Ecclesia cum fronti ci-
nerem inicit, mortis memoriale. Hoc est
quod monet Dominus: *Vnge caput tuum*; cinere 5.
videlicet, velut pretioso vnguento contra ela-
tionem. Denique *quoties difficile existimas*, inquit
S. Chrysostomus hom. 2. in Epist. ad Titum,
*contemnere gloriam, ista tecum animo versa, si hanc
despexero, Deo æqualis, id est, similis efficiar, protinus-
que subibit contemptus gloriæ ex animo*.

CONCIO IV.

Quàm verè homo sit puluis.

1. *Probatur ratione materiæ ex qua compositus est.*
2. & 3. *Quia certò & breui puluis futurus est.*
4. *Quia quotidie incineratur.*
5. *Quia pulueris habitaculum.*
6. *Quia peccatum hominem exedit & in puluerem conuertit.*

THEMA

Puluis es & in puluerem reuerteris. Gen. 3.

MVltorum literis proditum est, tã sacrorum quàm profanorum Auctorum, in terrâ Sodomorũ gigni poma ad speciem quidem pulchra, quæ tamen morsu pressuve tentata, in fauillam resoluũtur & cinerem. Itaque mẽdaci superficie homines decipiunt; & cùm extrà poma appareant virentia, intus nihil aliud sunt quàm cinis, vt inter alios scribit S. Augustinus *l. 21. de ciuit. cap. 5. & 8.* Ad quid, Auditores, ad quid fructum hunc produxit Deus, nisi vt in eo sese contempletur homo veluti in speculo? Is enim externo quidem aspectu speciosus est & virens quandoque ad miraculũ; at verò si intrinsecùs inspicere eum possemus, profectò diceremus aliud non esse nisi puluerem quemadmodum agnouit Abraham, qui nequaquam mentitus est, cùm dixit Gen. 18. *loquar ad Dominum cùm sim puluis & cinis*. Quod quidem inde patet, quia vbi mors dentes homini infigit, ilicò resoluitur in cinerem & fauillam. Id tamen quia plurimi nolunt intelligere, mater nostra Ecclesia disertis verbis occinit nobis hodie dicens: *Memento homo quia puluis es & in puluerem reuerteris*; Sed quâ ratione, dicet aliquis, vocatur homo puluis, cùm non nisi post mortem puluis sit futurus? Ad hanc quæstionem respondebimus in proposito. A.

Primò, Vocatur puluis ratione materiæ, B.
ex quâ compositus est, terræ scilicet. Vnde ho- I.
mo ab humo, Adã ab Adamâ seu terrâ rubrâ Quia ex
appellatus. Ita enim vas testaceum, terra re- puluere
ctè vocatur, quia ex terrâ formatum est; tam- compositus est.
etsi figuram alteram accepit per artificium. Hanc causam indicat Ecclesiasticus c. 17. inquiens: *Deus creauit de terrâ hominem*. Ex quo in fine capitis hoc concludit: *omnes homines terra*

& cinis. Dicite quæso, si princeps infimæ sortis puerum è stabulo vel culinâ suâ abstraheret, literis deinde ac moribus aulicis imbui curaret, denique in numero nobilium suorum nobiliter vestitum constitueret: postmodùm verò ab eodem fortè insolescente & refractario facto iniuriis appeteretur aut despiceretur; oónne verissimè & meritissimò diceret ei: quid tu vilissime cacula? quid tu stabuli mancipium? nescis forsitan quinam sis? nónne me auctore de sordibus ad aulam prodiisti, & si vestes solùm tibi detraxem, nónne idem eris, qui fuisti? Et hoc est quod rebelli Adamo insinuare voluit Deus, cùm dixit: *Quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Samson qoamdiu capillatus erat, omnium fortissimus, omnium pauor & tremor erat; at vbi rasum fuit caput eius, factus est, vt cæteri homines, debilis, & eneruis. Vide regem, principem, nobilem, diuitem; huiusmodi Samsones sunt. Sed quàm facilè tonsor radit alicui capillos, tam facilè per nouaculam mortis decaluat illos Deus & deficiunt in cinerem sicut cæteri omnes, iuxta id Psal. 103. *auferes spiritum eorum & deficient & in puluerem suum reuertentur.* Quemadmodū enim vitrea vasa si de manu in terram cadant, mox in eadem fragmenta, in eosdem pulueres, vnde confecta sunt, resoluuntur: ita etiam homo redit in suum puluerem, si vel ad momentum auertat Deus ab eo faciem suam. Qua in re par omnium conditio est: iuuenum, senum, diuitum, pauperum: Regum, subditorum; Tam enim Veneta vitra fragilia sunt, quàm vulgaria, imò magis. Isaias c. 44. ridet vesaniam gentilium, qui è trunco ligni, de cuius medietate coxerant sibi panes, sculptile effingunt & adorant illud: quasi imago Idoli lignea melioris conditionis esset, quàm eiusdem trunci medietas altera igne absumpta & in cinerem versa. Nihilo minùs rideri merentur, qui de corporis dotibus insolescunt, siquidem fratres sunt mortuorum, qui iam in cinerem redacti & eadem ex massa facti solâ imaginis humanæ formâ differunt ab illis: in reliquo per omnia mortuis simillimi, qui iacent illis stantibus. Vnde S. Basilius hanc rem eleganter tractans hom. 3. in dictum Moysis: *Attende tibi*, ait: *Qui luxu profusiore diuitiarū insolescis: qui tibi mirè places ob auita gentis claritudinem: qui immodice gaudio subsilis ob patria celebritatem, ob elegantiam decusq; corporis, denique ob honores ab omni omnium gradu tibi exhibitos: attende tibi ipsi: mortalis enim tu, quippe terra es & in terram abibis; & id cognosces, si quos præ te splendor consimilis & opum & dignitatum exornabat, hos tu mihi circumspicias diligenter, in horum sepulchra parumper deflecte oculos: nónne omnia puluis? non sunt in fabulam versa omnia? memoria vitæ istorum in quam paucis ossibus retinetur?* sic ille. Quare sicut Agathocles ille Syracusanus de figulo Princeps factus, semper adesse mensæ suæ vasa figulina voluit: Et Lescus ille Princeps crassos pannos, quibus olim indutus erat, crebrò in conspectum suum produci: Et Viligisus Moguntinus Episcopus rotam pro insignibus suis constituit, Rhedario patre genitus: ita quiuis nostrûm cinerem sibi ante oculos ponere quotidie deberet, vt suæ conditionis memor neminem contemneret, nec superbè de se sentiret.

SECVNDÒ, Ob euentus certitudinem; quomodo & Prophetæ solent futura prædicere, quasi iam præterita essent, vti Isaias *cap.* 53. de Christi Passione prophetās: *Vidimus eum & non erat aspectus. Oblatus est quia voluit,* &c. Atquî hominem redigendum esse in cinerem immutabili Dei decreto constitutum est, idque eâ verborum formâ propositum quasi eadem die, quâ peccauit Adam, cum posteris moriturus esset: *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Ad eum scilicet modum, quo rei supplicio adiudicati per sententiam Iudicis, censentur iam mortis filij, quasi iam enecti. Quo modo etiam Apostolus *ad Rom. 5.* ait mortem *vnà cum peccato in omnes homines pertransiisse*; quia mors velut Carnifex aut lictor ex Dei mandato comprehendit omnes, ducitque sensim ad necem. Hinc fit vt tales Rei qui sententiam mortis iam exceperunt, quasi semimortui sint & præ angustia mortis, quam semper ob oculos habent, sæpe nesciant quid loquantur, agant aut patiantur. Quando ergò tam certum est vt in puluerem redigendi simus, videmus, opinor, quàm rectè puluis appellemur; deinde quanto iure nos, si non iam mortuos, saltem semimortuos existimare debeamus, qui iam ad mortem abripimur latâ in nos sententiâ. Ita enim Apostolus: *Quotidie morior fratres,* inquit, *1. Corint.* 15. idemque Christianis omnibus faciendum suasit S. Antonius, vt quotidie se morituros reputarent. Et S. Ambrosius in orat. de fide resurrect. *fit quidam quotidianus vsus in nobis affectusque moriendi.* q. d. Quemadmodum ij, qui in hastiludio certaturi sunt, priùs se multoties exercent: ita sæpe moriendum antequam moriamur, si bene volumus mori. Eò pertinet, quod *Iob* 11. Sophar ait: *Defossus* (Hebr. vertunt alij: *cùm te defoderis*) *securus dormies.* q. d. si te ipsum prius sepelias per mortis considerationem, antequam sepeliaris ab aliis, securè tandem morieris. Non sine causa videtur voluisse Deus Dauidem in Regem vngi in Hebron, quæ olim vocabatur Cariatharbe; hoc est, Ciuitas quatuor scilicet magnatum, Abraham, Isaac, Iacob & Adam maximi; quia ibi sepulti fuerunt, vt habetur *Ios.* 14. & *Gen.* 24. Voluit enim per hoc Dauidem admonere vt à primo suæ vnctionis die mortis semper memor esset, ne ad instar antecessoris sui Saulis in superbiam extolleretur: vtpote certissimò moriturus & quasi iam in sepulchro degens, quemadmodum & quatuor illi præstantissimi viri mortui ibique sepulti erāt. Admonemur & nos huius rei, dum baptismi vndis immergimur (quod olim erat vsitatum) vel perfundimur (vt nunc fit) *consepulti Christo per baptismum in mortem*, vt ait Apostolus ad Rom 6. quò nimirum ab ipso nostro baptismo sepulchri memores simus & quasi sepulti deinceps viuamus. Quod si fieret, ò quàm bene & quàm

C. II. Quia certò puluis futurus.

& quàm placidè morituri demum essemus?

D. III. Quia breui puluis futurus.

TERTIÒ, Ob vitæ breuiatem; quia mox videlicet cinis est futurus. Hac loquēdi formâ vsus est Daniel de Baltasare Dan. 5. *Diuisum est regnum tuum & datum est Medis & Persis.* Nō solùm quia diuino decreto hostibus destinatum: sed etiam quia reuerà mox illi adimendum & hostibus tradendum erat, quod eadem nocte contigit; tametsi tunc, quando scriptutam legit Daniel, nondum erat traditum. Hoc sensu cùm videmus velocissimum canem cursu vel accipitrem volatu ita assecutum esse leporem, vt iam illi à tergo sit eiusque cursum interuerterit: dicere solemus, iam perisse leporem vel iam captum esse: quia mox capiendus sit. Huiusmodi autem pernicissimus canis & accipiter est mors ab ipsâ hominis natiuitate in eum immissus; qui tam veloci cursu, quàm gyrantur cœli, vel quàm ferretur auis, quæ spatio salutationis angelicæ septies vniuersum terræ orbem volatu suo ambiret, imò adhuc velociùs perpetuò eum insequitur eique semper à tergo est; cursum verò interuertit, quoties morbo aliquo, quasi in pede, nondum tamen integrè apprehensum, frangit & debilitat, vt agnouit Demonax cui crura intumuerant; qui rogatus quid hoc mali esset? *Charon*, inquit, *me momordit.* Lycost. in apoph. Sed audiamus S. Iob, qui c. 9. ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt & non viderunt bonum: pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* Nihil in terra velocius venatico cane: nihil in aquis naui pomis onusta, quæ festinare debet, ne poma putrefiant antequā væneant: nihil in aëre, aquilâ. His tamen omnibus velocius est tempus, quod mortem in tergo gerit. Nongentos quidem & triginta annos vixit Adam postquā audiuit: *puluis es & in puluerem reuerteris*; hoc tamen omne tempus coram Deo non reputabatur vnus dies; qui teste D Petro (post Dauidem Psal. 89. *mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna*) *vnus dies apud Dominū sicut mille anni, & mille anni sicut vnus dies* 2. Pet. 3. ita vt nequaquā falsò dixerit Deus Adamo: *Quacumque die comederis, morte morieris*; quia non vixit omninò mille annis. Neque hoc solùm ita reputatur apud Deum; sed etiam deprehendunt homines, vbi ætates suas transegerunt. Interroget vnusquisque seipsum, quantum id, quod vixit, tempus æstimet, nemo non fatebitur videri sibi non fuisse nisi paucos dies, & quò suauiùs vixit; eò breuiùs fuisse. Narrat Nicephorus *l. 14. c. 45.* Photius in Bibliotheca aliique, tempore Decianæ persecutionis, septem fratres declinandæ persecutionis gratiâ prope Ephesum in specum se recepisse, ibique ab irato Decio inclusos esse vt fame interirent: itaque ibidē vsque ad tempora Theodosij Imp. iunioris, annis 191. (vt habet verior computus) dormiuisse; qui tamen experrecti totum illud spatium vnicam fuisse noctem arbitrabantur, miseruntque vnum è numero suo in vrbem cibos coemptum nummis, qui ob vetustatem nemini noscebantur. Et quid aliud nobis parebit vita nostra vbi ad vitæ terminum venerimus, nisi somnus vnius noctis?

E. IV. Quia quotidie incineratur.

QVARTÒ, Ob perpetuum mortis cum vitâ conflictum in vnoquoque homine. Quamprimùm enim incipimus viuere, incipimus & mori, quandoquidem calor nati[illegible]ntinuò pabulatur humidum radicale, in quo vitæ nostræ vis posita est: quod nunquam secundùm eandem bonitatem seu æquiualentiam reparatur per cibum & potum. Hinc sensim irrepit corruptio & interitus; sicut vinum, cui sensim miscetur aqua, etsi illam in se conuertat, efficitur tamen semper minùs minusque efficax, ac nisi affundere desinas, interit omninò & vinum esse desinit. Quare sicut Phthisicus, cuius pulmonem sensim depascit tabes, non tam viuit quàm paulatim moritur: & sicut vinum aqua mistum, vocari aqua potest: & sicut domus incendio conflagrans tectè incinerari dicitur: ita & homo dum viuit, mori. Quid enim exacta infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, nisi partes vitæ nostræ demortuæ? Bene veteres Poëtæ eam colui assimularunt, cui tres præessent Parcæ. Nam quod in fuso perfectum & conuolutum est, præteritæ vitæ speciem habet; quod in digitis torquetur, momenti præsentis indicat decursum: quod nondum ex colu tractum & digitis subactum est, residuæ & consecuturæ vitæ figuram gerit. Quare sicut colus partim linum, partim stamen est; ita homo partim viuus, partim mortuus. Hinc Alexis è gentilium numero præ senio ægrè lenteque incedens, rogatus quid ageret? *Paulatim*, inquit, *morior*. Stob. *serm.* 115.

F. V. Quia pulueris habitaculum.

QVINTÒ, Ob humani corporis sordes. Hoc enim quid est aliud quàm cloaca cinetum & fœtidissimarum rerum, in quâ velut in loco immūdo, quidquid reponitur statim corrumpitur? Nulli ferè in illo meatus, per quos non omnis generis sordes egerantur, quales etiam sunt aures, nares, os, ipsique oculi: vt homo non immeritò vocari *sepulchrum dealbatum* possit. Hoc Ethnicus ille Plotinus perpendens, nunquam passus est corporis sui effigiem depingi; satis esse sibi asserens, quòd onus tam immundum totâ suâ vitâ circumferre cogeretur. Quare sicut Daniel Baltasari de Idolo Beli (quem is viuere credidit coluitque) dixit: *Ne erres Rex: ille est enim intrinsecus luteus & forinsecus æreus, neque comedit aliquando.* Dan. 14. Ita hodie dicit tibi Ecclesia. Ne erres homo, teipsum super alios extollendo: puluis enim es & luteus intrinsecus, Ne erres in amandis vel colendis aliis plusquam decet, quia licet foris ærei vel aurei appareant, intus tamen lutei sunt, puluis sunt.

G. VI. Quia peccatum puluere vilior.

SEXTÒ, Denique ob peccatum, quod hominem licet corpore sanum & speciosum, intus tamen exedit & in puluerem conuertit (quo modo vermis pomum, quod extra paret integrum, sanum & rubicundum, intus tamen corrosum & in cinerem redactum est) denigrat & commaculat pulueríque similem, instabilem, leuem & procliuem ad peccandum facit. Hinc enim *Psal.* 1. dicitur impius

tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Ventus iste mors est, quæ ita tandem abripit è vitâ impios, vt nullum eorum appareat vestigium, sed cum suis opibus, pompis, voluptatibus pereant in æternum. Hanc ob causam blasphemus Sen[illegible]ib cum exercitu suo appellatur puluis, Isaiæ 16. *Finitus est puluis: consummatus est miser: defecit, qui conculcabat terram.* Vt enim puluis leui venti flatu dissipatur: ita Sennacherib cum exercitu suo per vnū Angelum cæsus & exterminatus est vnâ nocte, ac si scopis euersus vel à vento difflatus esset, 4. *Reg.* 19. Vult ergo dicere Ecclesia: Vide ô peccator, in quàm tetrum & leuem puluerem peccando conuersus sis: noli te foris contemplari, intus intuere, in animo considera; ibi puluis factus es, ibi te vermis rodit & magis magisque leuem & pronum ad grauiora scelera reddit, tandemque nisi resipiscas abripiet te ventus mortis & proijciet à facie terræ, imò & à facie Dei in cloacam æternæ damnationis, quam à nobis auertat Deus.

CONCIO V.

Quid sibi velit cinis capiti aspersus.

1. & 2. *Cinis hic admonet nos originis & fragilitatis nostræ.*	*nitētiam & peccatorum fugam.*
3. & 4. *Hortatur ad pœ-*	5. *Ad contemptum rerum terrenarum.*

THEMA.

Puluis es & in puluerem reuerteris. Gen. 3.

A. PErquam credibile est, quod vulgò fertur & refertur ab eruditissimo S. Scripturæ interprete P. Cornelio Cornelij Societatis IESV *in cap. 1. Thren.* Turcarum Legatum aliquando apud Regem Galliæ Parisiis dimoratum circa Bacchanaliorum tempora, qui cùm ad Imperatorem suum rediisset, rogatus quid nouarum rerum spectasset apud Christianos, vidisse se, aiebat, omnes Christianos toto triduo insanos adeoque de potestate mentis deiectos per omnes vrbium plateas vndique circumcursâsse: exacto verò triduo illo, omnes modico puluere super capita eorū asperso ad se rediisse & sanam mentem recepisse. Sermōne an ioco hæc ille quidem dixerit, nesciō profectò: eum tamē à vero haud procul aberrâsse reor. Siquis enim bacchantium mores tridui peracti consideret, iuxta communem appellationem non hominum, sed stultorum & insanorum esse dicet; si deinde hodiernam Cinerum cæremoniam & Christianorum repentinam modestiam morumque compositionem aspiciat, fatebitur haud difficilè omnes sibi restitutos, pulsâque stultiâ resipuisse. Quam quidem metamorphosin non immeritò tribuimus sacris illis cineribus, qui hodierna die benedicuntur & in vertices nostros sparguntur. Hos enim si quid sibi velint, penitiùs contemplemur, sufficiunt vel soli ad stultitiā pellendam & veram sapientiam homini comparandam. Nam si illa demum vera sapientia est, quæ omnes suas actiones ad finem suum ita dirigit, vt ab eo nō dissentiant: profectò mortis memoria, cuius admonent nos cineres illi, quæque nos ad beatum vitæ finem præparat, veram continebit sapientiam. Quamobrem Plato ille Philosophiam nihil aliud quàm mortis meditationē esse voluit. Denique Ieremiam Deus cœlestem sapientiam docturus remisit ad domum figuli, Ier. 18. *Descende in domum figuli*, inquit, *& ibi audies verba mea.* Vidit ergo ibi Propheta vas è luto fieri & mox iterum dissipari, indeque intellexit conditionem generis humani, cuius parens Adam ab Adama, hoc est, terrà rubrâ, dictus & factus est, in eandem resoluendus. Hoc ergo sapientissimum est Gymnasium, vbi non dialecticis sophismatibus, sed euidentissimis demonstrationibus veram discere sapientiam possumus. Cinis, inquam, & Cœmiteriū, quò nos hodie remittit Ecclesia, dum capita fidelium cinere conspergit, vt rationis, quæ in capite residet, intelligentiā disquiramus, quid sibi hic Cinis velit, quod nunc exponemus.

PRIMÒ, Admonet nos originis nostræ ac vilitatis propriæ: quasi dicat nobis: Memēto homo qui & vnde sis: E puluere & terra. Scrutātur multi veterum Annales, vt maiores suos, Auos, Abauos, Atauos inuestigent eorumque stemmata, insignia & nobilitatem probent: perquirunt etiam arces, sepulcrorū Epigraphas, defunctorum Clypeos &c. Sed parum aut nihil inueniunt. Nam ibi maiores suos, quales olim tantùm fuerint, non quales nunc sint, deprehendunt. Annales, Genealogiæ aliaque monumenta instar speculorum concauorum sunt, quæ res obiectas inuersim repræsentant; quod supra est, infra: quod infra est, suprà ponunt. Ita enim illa progenitorum quidem gloriam, opes, dignitates, titulos, officia, quæ iam infrà terram & in puluerem conuersa sunt, iactant & ostentant, quasi adhuc superstites: cineres verò illorum, qui adhuc supersunt, infra terram ponunt, tegūt, obliuiscuntur. Sepulchra specula plana sunt, quæ rem vt est, maiores quales reuerà sunt, repræsentant. Vnde si vis videre originem stemmatis tui, aperi sepulturam: ibi enim primam materiā, ex quâ formati omnes, puluerem reperies. Persuaserant Regi Balthasar Sacerdotes Bel, Belū Deum esse, qui comederet cibos, ei apponi solitos. Sed aduertens fraudem Daniel, iussit pauimentum templi cinere conspergi. Tum de nocte, more suo, ingressi Sacerdotes deuorârunt cibos. Manè ergo facto ostendit Daniel Regi vestigia Sacerdotum dicens; *Ecce pauimentum, animaduerte cuius vestigia sint hæc.* Dan 14. Hunc in modum aliqui persuadēt proprio capiti quasi ipsi Dij quidam terrestres sint, vel nescio quid supra alios homines; quia nimirum nobiles, generosi, illustres sunt, ideoque deuorant alios se inferiores, subditos præsertim, quasi omnia eis liceret; sed deijciant, quæso, oculos ad templorum pauimenta, aspiciant sepulchra & Cineres maiorū suorum, tales paulo pòst futuri; animaduer-

B. I. Admonet nos originis nostræ.

aduertant quorum vestigia sint hæc; nónne mortuorum? nónne cinerum? Gloriosum animal pauo est, flabellum suum expandens & modò ex hac, modò ex illa parte contuens sesque in eo quasi demirans. Verùm vbi in pedes, quos atros & turpes habet, oculos dimittit, dicitur pennas suas ilicò colligere rotamque dissoluere, non sine stridore & gemitu, vt præter experientiam scribit Anglicus *l. 12. propriet. cap. 31.* quasi magis erubescat de pedum fæditate, quàm insolescat de pennarum elegantia. Itaque auis obliuiscitur suæ pulchritudinis dum cõspicit in se aliquid deforme, eccur igitur homo non potiùs attendit ad cinerem è quo constat & in quem breuì desinet, quàm ad externos alios splendores sibi agglutinatos, quibus breuì spoliabitur? Scribunt aliqui (Io. Grisch in Quadragel.) Alexādro Magno missum aliquando fuisse à viro sapiente lapidem pretiosum, cum hoc monito: ne extolleretur ob tot partas bello victorias; siquidem lapidi illi similis esset, qui talis sit naturæ, vt cæteroqui grauis valde, iniectu modici pulueris leuissimus fiat. Monitum hoc quàm verum esset, expertus saltem est, quando *decidit in lectum & cognouit quia moreretur*, vt dicitur *1. Machab. 1.* Vtinam nos tempestiuius hoc ipsum cognoscamus! Certè Ecclesia in hunc finem inicit nobis cinerem, vt vilitatis nostræ memores, fastum deponamus.

C. II. Monet nos fragilitatis nostræ. SECVNDÒ, Admonet nos fragilitatis nostræ. Quid enim cinis nisi reliquiæ incēdij? & quid vita nostra, nisi incendium quoddam, in quo calor naturalis quotidie imò omni momento depascit humidum, vt vocant, radicale, corpori insitum adeóque corpus quoque ob pugnā contrariarum qualitatum, quæ indies frangūt & paulatim corrumpunt hominem: quo modo ignis lignum aut oleum in lampade? Hinc non absurdè quidam dixit hominem esse quid compositum ex ligno & igne. Id enim confirmat Sapiens *Sap. 2.* in personâ impiorum loquens: *Fumus & flatus est in naribus nostris: & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum: quâ extinctâ cinis erit cor nostrum, &c.* Vbi fumus, ibi ignis & incendium aliquod. Vbi incendium, ibi pulsus Cāpanæ tumultuatiæ ad conuocandum populum restinguendo incendio. Atqui fumum dum spiramus, continuò efflamus ex ore & naribus nostris, incendium ergò prodit. Deinde pulsus cordis nostri, quid nisi Campana tumultuaria & sermo scintillæ lux vox incendij admonens nos periculi nostri, ne tardemus surgere & occurrere huic incendio? Verùm ex hoc impij pessimè inferunt ibi: *Venite ergo fruamur bonis: Vino pretioso & vnguentis nos impleamus: Coronemus nos rosis antequam marcescant, &c.* Vt enim stultè & peruersè ageret, qui flagrante domo suâ diceret: Venite socij instruamus conuiuium, paremus mensam, instituamus choreas, &c. antequam nos cum omni nostrâ supellectile & substantiâ depascat hoc incendium: ita omnino stultè argumentantur impij, helluandum, potādum, scortandum, ludendum esse antequam corruat in nos domus nostra ab igne iā correpta. Quin potiùs monet flatus narium, monet pulsus cordis nostri, vti animam nostram & quidquid charum habemus, subtrahamus huic incendio & in tuto reponamus, adeoque transituris bonis minimè adhæreamus; quemadmodum sanius & veriùs argumentatur Apostolus 1. Cor. 7. *Fratres, tempus breue est*, inquit, *reliquum est vt qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Quemadmodum ergo cinis leui aurâ tolliter & dissipatur: ita etiam homines sæpe vno haustu frigidiore, vel aura minùs salubri è vitâ abripiuntur: imò non est quòd aliunde gladium afferat mors ad iugulandum hominem: in ipsomet inuenit arma, contrarias qualitates, quibus eum perimat. Quare ô Mortales, non cum impijs illis, sed cum Apostolo concludite, & quemadmodum io hod. Euangelio Dominus ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, vbi ærugo & tinea demolitur & vbi fures effodiunt* Nolite corpori, quod à tinea natiui caloris perpetuò arroditur & à contrarijs qualitatibus velut furibus sensim perfoditur, commoditates & voluptates quærere; sed animæ potiùs vestræ in futurum prouidete.

TERTIÒ, Hortatur ad pœnitentiam, de quâ dixit Dominus Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis.* Idque confirmat mox parabolâ ficulneæ, quam *habuit quidam plantatam in vineâ suâ & venit quærens fructum in illa & non inuenit. Dixit autem ad Cultorem Vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quæ ens fructum in ficulneâ hac & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam & mittam stercora; & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.* D. III. Hortatur ad pœnitentiam. Ficulnea hæc Christianum denotat, qui in vineâ Ecclesiæ plantatus à Christo, fructus pœnitentiæ & bonorum operum dulces ac bonos (quales à ficulneis expectamus) ferre debet, atque idcircò multis annis sæpe expectatur & in vineâ toleratur. Verùm quid multi, si non plerique agunt? Ecce annos tres, hoc est, tres ætates sine omni fructu degunt, adolescentiam transigunt in leuitatibus, vestium luxu, ludis, choreis: iuuentutem *in cubilibus & impudicitijs, in comessationibus & ebrietatibus, in cōtentione & æmulatione*: Virilem ætatem in congerendis opibus, in quærendis dignitatibus & honoribus alijsque mundi negotijs. Vbi igitur fructus? Quid aliud expectandum nisi vt dicatur: *Succide ergo*, ficulneam, *vt quid terrā occupat?* Sed adest inter hæc Ecclesiæ cultor, Pōtifex cum vniuerso Clero sese interponens suamque diligentiam offerens, quò ficulneam reddat frugiferam. *Domine*, inquit, *dimitte illam & hoc anno: vsque dum fodiam circa illam & mittam stercora.* Duplici hac ratione iuuari solent arbores ad ferendum fructum, fossione scilicet & stercoratione. Ergo summus Ecclesiæ pastor & Cultor indicit & mādat nobis per Quadragesimam opera pœnitentiæ, ieiunium maximè & Confessionem, quibus fodit quodammodo circa nos, noxias vitiorum herbas earum-

que radices euellendo, corda nostra ad cœlestis gratiæ humorem recipiendum aptando. Deinde mittit stercora, dum hodiernâ die cinerem nobis inspergit,& per hoc memoriam mortis, quæ alioquin infrugiferas arbores exscindit & in ignē abiicit, mentibus nostris ingerit. Quid enim cineres, in quos redigēdi sumus, nisi peccatorum nostrorum reliquiæ & fæda excremēta? Quando Adamo dictum est: *Puluis es & in puluerem reuerteris*; nisi postquam is peccauit? Ergo stercora ista imponuntur capitibus & capillis nostris (capilli enim quasi radices hominis sunt, qui est arbor inuersa) vt peccatorum nostrorum fœditatem eorumque malorum, in quę peccando deiecti sumus, grauitatē expendamus, indeque pœnitentiæ operibus animas nostras impinguemus. Ita enim Iob sedens in stercore, omnia quę amiserat, recuperauit. Abraham dum se puluerem & cinerem agnoscit & fatetur, gratiam Dei inuenit. Niniuitarum Rex sedet in cinere & iram Dei mitigat atque amolitur à totâ ciuitate. Idem nos obtinebimus si eâdem ratione cinerem susceperimus. Plinio auctore *l.17.cap.9.* & *l.18.cap.17.* cinis vtilissimus est arboribus, radicibus earum aggestus; nam & noxias herbas absumit & radices fouet atque impinguat, & vermes enecat fugatque. Hinc Siciliæ agri Æthnæ adiacentes, ob crebram cinerum eiectionem feracissimi dicuntur. Idem efficiet cinis sacer in cordibus nostris, si debito modo excipiatur. Quomodo enim non absumet appetitum voluptatum, opum, honorum, quæ sunt tres peccatorum radices, si seriò attendas breui te cinerem futurum? Quomodo non elides omnes mundi, carnis, dæmonis insidias & illecebras, si te cinerem cogites, cras fortè moriturum? Quomodo non bonorum operum exercitio impinguabis animam tuam, si consideres propinquam mortem, post quam nemo poterit operari? Quomodo non detestaberis & necabis quodammodo scelera tua, quæ te mortis & perpetuę quidem reum fecerunt?

E. IV. Hortatur ad peccatorum fugam.

QVARTÒ, Hortatur ad peccatorum fugam, ne inposterum scilicet peccemus. Habet enim mors etiam cogitata nescio quid horroris ad continendum animum intra honestatis limites. Quotidiana etiam experientia docet, quòd in illis ædibus, in quibus defunctus iacet, cessant gaudia, choreæ, clamores, omnia silent & pauentibus nō sapit, somnus fugit, voluptas exulat. Vnde hoc, nisi quia mors præ oculis cernitur? Hinc *Deut.* 34. sepeliuit Deus Moysen in valle Moab contra Phogor, vbi fornicati sunt Hebræi. *Num.* 25. vt memoria mortis esset illis remedium fornicationis. Lupum ferunt quantumuis famelicum, ibi non prædari aut inuadere hominem audere, vbi puluerem tormentarium sparsum videt vel odoratur, quasi animaduertat quid & quantum damni sibi ab eo puluere immineat. Ergo & Ecclesia funestos illos cineres in capita nostra spargit, vt mortis commonefacti consideremus quanta nobis damna mors inferre queat, si præsertim in peccatis existentes deprehenderit: ac proinde de cane peius & angue peccata fugiamus. Albertus M. *in libr. de Vegetab.* scribit coruos in arbore nidificantes, si inter illius arboris corticem & lignum cinis vitri ponatur, non posse pullos excludere. Corui dæmones sunt, qui in hominibus quasi in arboribus per suggestiones suas nidificant pullosque peccatorum per cōsensum excludere volunt. Quid igitur agēdum? cinerem vitri, hoc est, memoriam mortis & fragilitatis humanæ includamus cordibus nostris. Cogitemus id, quod S. Bernardus *serm.* in illud Iob. *In sex tribulat.* scribit: *Quis ille pudor erit, ò anima mea; cùm dimissis omnibus, quorum est tibi iucunda præsentia & gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitùs regionem, occursantia tibi teterrima illa monstra videbis? quis in die tantæ necessitatis occurret? quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc nouissima nostra, ne peccemus.* Hęc Bernard. Naaman ille Syrus in Iordane à leprâ sanatus & in cognitione veri Dei instructus ab Elisæo, petiit ab eo, liceret sibi onus duorum burdonum de terrâ Israël ferre secum in Babylonem, vt in aulâ Regis & templo Idolorum constitutus, beneficio illius terræ velut sanctæ commoneretur adorandi Dei veri, non Idoli. 4. *Reg.* 5. Ingeniosa profectò religio, quam nos quoque imitabimur magno nostro fructu, si terram seu cinerem duorum temporum, præteriti & futuri, cogitatione expendamus: scilicet quidnam ante multos annos fuerimus, & quid post paucos futuri simus. Quâ duplici consideratione onerat nos hodie quodammodo Ecclesia, dum cinere conspergit dicens: *Memento homo, quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Proderit hic puluis, proderit hæc meditatio, quoties in Babylone, hoc est in aulis, in conuiuiis, in choreis, in tabernis, in spectaculis, in prauis societatibus aliisque mūdi illecebris & grauibus tentationibus constitutus fueris, vt ne adores Deum alienum: ne des manus carni, mundo, dæmoni. *Vade in pace,* dicebat Elisæus Naaman sic armato. Et tu quoque *Vade in pace*, si cinerem iugiter præ oculis habens, abire in Babylonem & periculosa loca debeas.

F. V. Hortatur ad contemptum rerū terrenarum.

QVINTÒ, Hortatur nos ad contemptum rerum terrenarum. Verè enim sanctus Hieronymus ait: *Facilè contemnit omnia qui se quotidie cogitat moriturum.* Solinus *cap.* 23. scribit, oleum quoddam incēdiarium fieri ex herbæ alicuius infectione in Ponticâ, quod inflammatum aliter extingui nisi iactu pulueris non potest. Ita prorsùs appetitus noster ex terrenarū rerum vsu & societate infectus eas tāto amoris ardore prosequitur vt nullo sępè remedio sopiri & abstrahi queat. Itaque Ecclesia puluerem nobis iniicit vt vel mortis cogitatione & horrore quasi efficacissimo remedio tandē abstracti desinamus deperire sæculum. Mirum quid referunt Plinius *l.11 cap.* 37. & Suetonius in Caligulâ *c.* 1. & 5. de Germanico viro illustrissimo, Patre Caij Caligulæ Imp. quòd cùm occultè pro-

propinato veneno à Tiberio enectus & de more corpus eius rogo impositum esset, solùm eius cor comburi nō potuerit, ob vim scilicet veneni poros vndique constringentis, vt calori aditus non esset. Ergo re intellectâ, probatissimâ theriacâ cor perlusum est, sicq; nullo negotio exustū; superatâ veneni vi. Huiusmodi cor habent plurimi mortales, adeò nimirū concupiscētiæ veneno cōstrictū, vt Dei verbo, quod est quasi ignis. *Ierem.* 23. & clamoribus Côcionatorum nullâ ratione peruium sit aut cedat. Prouidit ergo Ecclesia potentissimam theriacam, cinerem videlicet, quo venenum id expellat. Quid enim concupiscentia appetet, si consideres te crastinâ die omnia dimissurum iis, qui nullas tibi gratias referent, tu interim fortasse arsurus in inferno? Quomodo voluptates, opes, honores concupisces, si attendas te ex his in articulo mortis nihil esse messurum præter laborem & dolorem, lachrymas & conscientiæ remorsus? Quid e rebus sæculi desiderabis, si perpēdas omnia in eo relinquēda & te nudum præsentandum coram Dei tribunali? *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, inquit Sapiens Prou. 30. *ducentes: affer, affer*. Quę hęc sanguisuga nisi concupiscentia insatiabilis? Vt enim sanguisuga sanguinis appetentissima est, ita vt haustum sanguinem euomat, quo recentem au dius sugat, vt refert Isidorus l. 12. *Ethym. c.* 5. ita & concupiscentia rerum terrenarum siti æstuantissima, vt de ea exclamat S. Augustinus: *O rabies omni fine carens!* serm. 40. ad frat. in Eremo. Duæ eius filiæ sunt, appetitus concupiscibilis & irascibilis, dicentes: *affer, affer*, quia nullis opibus, nullis honoribus, nullis voluptatibus satiari possunt. Quodnā igitur remedium huiusmodi rabiei? *Parum cineris assume*, inquit Bellouacensis l. 20 *spec. nature. cap.* 155. *& pulueriza super os hirudinis statim enim se contrahit & ab appetendo cessat.* Magna haud dubiè cineris vis. Hoc ergo nunc & Ecclesia facit; dum in capita nostra cinerem spargit dicēs; *Memento quia cinis es & in cinerem reuerteris.* Si enim cinerem nos esse seriò perpendamus, contemni nō detrectabimus, siquidem paulò pòst ped bus calcandi sumus. Ventrem non saginabimus, quem nouimus paulò pòst vermium escam futurum. Opes non tam auidè per mare, per terras quæremus, cùm sciamus nos præter sindonem vnam nihil ad sepulchrum elaturos. Honores non ambiemus, cùm sciamus nostri memoriam post mortem breui deletum iri. Tali medio Rex Iosias vsus olim fuit ad auocandum Hebræorum populum à cultu Idolorum 4. *Reg.* 23. dum Lucos, Excelsa & Altaria Idolorum succendit & in puluerem redegit, eaque loca ossibus mortuorum & cineribus repleuit. Multa adhuc Idola latent in cordibus peccatorum: tot videlicet quot creaturæ amatæ supra Deum. Quæ si cinis & memoria mortis exterminate nequit ex illorum animis; quid aliud poterit? Non vult tamen Ecclesia vsum creaturarum nobis prorsus interdicere & abominabilem reddere hac cineris cęremonia; sed vsum earum inordinatum, immoderatum & illicitum. Quemadmodum enim mater videns filios comedere nimios fructus & obsonia, nō valdè salutaria; cùm ea omnino dissuadere nequeat vel auferre, suadet vt saltem panem vnà cum illis comedant, quò minùs noxia sint: ita & Ecclesia cùm impetrare nequeat vt rebus periculosis, delitiis, honoribus, diuitiis, &c. prorsus abstineamus, suadet vt saltem iis moderatè vtamur & sine peccato; hoc autem futurum sperat, si iis cinerem adderemus & mortis memoriam identidem recoleremus; id quod profectò fecit Dauid Rex, qui *Psal.* 101. ait: *Cinerem tanquam panem manducabam & potum meum cum fletu miscebam.* Quare, Auditores, submittamus capita nostra salutari huic cineri, quem si solidè & seduló inspiceremos, tum denique non modò stultitiam omnem pellere possemus, sed præterea veram sapientiam nobis comparare. Quam nobis, &c.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Matth. 4.



IN illo tempore, Ductus est IESVS in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius DEI es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore DEI. Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius DEI es, mitte te deorsum. Scriptum est enim quia Angelis suis mandauit te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi IESVS; Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum DEVM tuum. Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde, & ostēdit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei IESVS: Vade retro Sathana. Scriptum est enim: Dominū DEVM tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum Diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

CON-

CONCIONES.

CONCIO I.

Ad pugnam cum Dæmone spiritualem accenduntur Christiani.

1. *Ad hoc animat Dei præsentia & inspectio.*
2. *Dei adiutorium.*
3. *Iuramentum & fidelitas quam regi nostro debemus.*
4. *Dæmonis arrogantia & odium erga nos.*
5. *Diaboli imbecillitas.*
6. *Corona pugnantibus proposita.*
7. *Exemplum Christi præliantis ante nos.*

THEMA.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo. Matth. 4.

N.B. *Hæc materia de conflictu cum Dæmone continuatur per sequentes Dominicas in concionibus primo loco positis.*

TOta quidem hominis vita militia est super terram attestante Iobo, *cap.* 7. militia, inquam, & colluctatio. *Non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ*, vti scribit Apostolus *ad Ephes.* 6. nullo tamen anni tempore magis militandum videtur, quàm hoc Quadragesimæ, quo malignus ille hostis generis humani, potissimùm prodire solet ad auertendos homines à salute suâ, quam maiori nunc conatu quærunt & operantur. Cuius rei imaginem viuã intueri licet in spurio illo Gigante, Goliatho, qui vt legimus 1. *Reg.* 17. egressus de castris Philisthinorum maximo supercilio prouocabat Israëlitas ex aduersâ parte stantes ad certamen singulare. Procedebat verò manè & vespere & stabat quadraginta diebus, ait sacer textus. Ecce tibi typum aduersarij nostri diaboli, qui in hodierno Euangelio & initio ieiunij prodit ad certamen, vti cum Christo, ita cum Christianis omnibus ineundum: quique per 40. dies esuriales quotidie nobis insultat & insidias molitur, quò nos in bonis operibus perturbet aut ab iis reuocet, quasi clamans ad nos: Itáne vos Deo & non mihi potiùs deinceps seruietis? Itáne vos mihi resistere valebitis? Itáne per pœnitentiam, iugum meum excutietis? Itáne per ieiunium similiaque opera Deum vobis iratum placabitis, &c. Taceo superbiam, iram, robur, astus huius Goliathi. Quæ omnia fortasse non immeritò perturbare nos possent, nisi alterâ ex parte multa & magna adiumenta forent, quæ nobis animos addunt, quemadmodum & Dauidi olim addiderunt, vt cum hoste isto strenuè dimicemus. Sunt autem hæc

B. I. Animat Dei præsentia & inspectio.

PRIMÒ, Accendere nos debet Dei Agonothetæ nostri præsentia & inspectio, quemadmodum & Dauidem accendere ad prælium potuit Regis sui & totius exercitus Israëlitici spectatio & expectatio. Sic etiam Christus spectatores pugnæ suæ habuit sanctos Angelos, qui post victoriam accesserũt & ministrârunt ei. At nos spectatores habemus non solùm Angelos, sed & mundum vniuersum mũdique Dominum iuxta id 1. Corint. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus.* Magnus ille Athleta Antonius cùm aliquãdo post plurima & grauissima verbera à dæmonibus accepta, subitâ luce collustratus & diuinitus recreatus esset, diffugientibus dæmonibus, erexit se & quasi Deum præsentem cernens, dixit: *Vbi eras, bone* IESV, *vbi eras? quare non à principio adfuisti, vt sanares vulnera mea?* statimque audiuit; *Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum, &c.* Iam verò quis est qui nesciat quàm strenuè certent pugiles, cursores, cantores, aliique, cùm aduertunt spectari se à Rege & magnatibus? Augustus Cæsar moriturus quæsiuit ex amicis circumstantibus: *Satisne commodè personam nostram in theatro egimus?* Illis respondentibus: *Commodè, Valete igitur,* inquit, *& plaudite.* Sueton. 10 Aug. Quantò maius nobis solatium erit, si in mortis articulo audituri sumus, nos in hoc mũdi theatro personas nostras strenuè egisse? Quàm ibi applaudent Angeli & tota cœli curia? Audiamus B. Agatham ita de suo certamine loquentem in Breuiario Romano: *Vidisti Domine & spectasti agonem meum, quomodo pugnaui in stadio; sed quia nolui obedire mandatis Principum, iussa sum in mamillâ torqueri. Domine qui me custodisti ab infantiâ, qui abstulisti à me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam.* Hic agonis exitus cùm à Christo Domino, certaminis præside, in cœlum deducta est.

C. II. Dei adiutorium.

SECVNDÒ, Dei adiutorium. Nam, vt ait S. Augustinus serm. 105. de tempore, *adiuuat certantes, qui certamen indixit. Non te sic spectat Deus in agone certantem, vt populus solet Athletam. Clamore enim populus monet Athletam, adiuuare non potest. Coronam parare potest, qui indixit certamen, vires tamen subministrare non potest. Deus autem quando spectat certãtes suos, adiuuat eos certantes & inuocantes. Nam vox Athletæ ipsius est Psalm. 93. si dicebam: motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.* Sic August. Sanè Dauid aduersus Philisthæum venit non tam in suo robore & iaculandi peritiâ, quàm in Dei nomine & præsidio confidens. Vnde ait: *En venis ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem venio*

ad te in nomine Domini. Cùm enim nos dæmon non tam propter nos, quàm propter Deum oderit ac persequatur, fieri non potest vt nos deserat Deus in conflictu quem pro ipsius honore & causâ tuêdâ suscepimus. Itaque primo suis clientibus, quos periclitari videt, mittit Angelum suum, qui eis opem ferat, cuius exêplû refertur in Prato spirituali Ioan. Moschi *ad Sophron. cap. 66.* de Abbate Theodosio, qui priusquâ ad vitam solitariam transiisset, factus in ecstasi, aspexit virû, cuius species claritatem Solis vinceret. Hic tenens manum eius: *Veni*, ait, *quia pugnare & luctari te conuenit.* Et induxit eum in theatrum plenum viris ex vnâ parte candido amictu, ex aliâ verò nigro vestitis. Cùm ergo iniecisset eum in theatrum, aspexit Theodosius virum miræ magnitudinis Æthiopem, cuius caput turpissimum penetrabat nubes. *Cùm hoc*, ait ille iuuenis, *luctari te oportet.* At verò Theodosius adhæc tremore ac pauore plenus: *Quis hominum*, inquit, *mortali conditione & infirmitate circumdatus cum hoc luctari posset? Non ipsum vniuersum genus hominum si in vnum côstuat, huic resistere praualet.* Ait autem ad illum iuuenis ille: *Prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate & fiducia. Mox enim vt tu illum adorsus fueris ego adiutor ero, tibi, victoria coronam reponam.* Vt ergò ad certamen est ingressus luctarique cœpit, adfuit continuò iuuenis Theodosio & coronam porrexit. Æthiops porrò cum nigro suo agmine illicò disparuit: pars verò candidatorum victori congratulata est. Deinde fidelis Deus non patitur nos tentari supra id quod possumus, 1. *Cor.* 10 Si enim figulus vt ait S. Ephrem *ser. 1. de pat.* nouit, quanto tempore vasa oporteat in igne relinquere, donec vtilia efficiantur: neque longo nimis, ne adusta corrumpantur: neque paruo nimis, ne dissoluantur: quantò magis Deus nouit exercere tentationibus vasa sua, quantum illis congruit?

D. III. Iuramentum Deo præstitû. TERTIÒ, Fidelitas, quam Regi nostro Deo debemus. Huic enim in baptismo diximus Sacramentum & iurauimus nos eius partes tueri velle. Sic Dauid prouocatus fuit ad duellum, zelo honoris diuini, cui probrum inferebant Philisthæi: *Vt sciat omnis terra*, inquit, *quia est Deus in Israel.* Nos igitur quia in baptismo fidelitatê Deo spopondimus, pro eo contra Diabolum depugnare etiam vsque ad sanguinem debemus, vt ne aliquid committamus, quod eius legibus & honori sit côtrarium. Huius fidelitatis admonet nos Apostolus, ad hanc pugnam excitans, *ad Eph. 6.* cùm ait: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate*, id est, fidelitate; sic enim *Isa. 11.* de Christo etiam dicitur: *fides* (Hebr. *fidelitas*) *cinctorium renum eius.* Vt ergo cingulum militare admonet militê sacramenti dati & præstandæ fidelitatis: ita nos baptismus: cuius promde votum & iuramentû producere & meminisse deberemus, quoties à Dæmone infestamur & tentamur dicendo: nô possum tibi morem gerere, quamdiu hoc baltheo cinctus Deoque obligatus sum. Audiat pugil Christi classicum S. Chrysostomi *ser. de Martyr. tom. 3. Excite vires*, inquit, *fortiter dimica, attoctter in prælio isto concerta: Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti.*

E. IV. Dæmonis arrogantia & odium. QVARTÒ, Dæmonis superbia & odiû quod gerit erga nos. Sic Dauidem inter alia excitauit ad certamen fastus & sæuitia Goliathi, contemnentis exercitum Hebræorum & prouocantis eos ad duellum. Hæc enim illius arrogâtia quæ alios Hebræos deiiciebat, ita vt vel ad côspectum gigantis fugerent, Dauidê magis erigebat, & bilem ei mouebat. Vnde in hæc prorupit verba: *Quis est iste incircumcisus, qui ausus est exprobrare exercitui Dei viuentis?* Lôgè maior est arrogâtia & ira Dæmonis aduersus omnes nos. Hinc enim *Apoc. 8.* vocatur *mons magnus & igne ardens.* Magnus ob superbiam; dixit enim: *In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*, &c. *Isa. 14.* Ardens ob iram & inuidiam erga genus humanum. Mons ille impedire olim conatus est Zorobabelem ab ædificatione templi vastati, & postea verum Zorobabelem, Christum ab ædificatione Ecclesiæ suæ Sed humiliauit eum Christus. Vnde ad illum Zacharias c. 4. *Quis tu mons magnus*, inquit, *coram Zarobabel? in planum.* Sic enim natura comparati sumus, vt superbos & arrogâtes ægrè toleremus, adeoque inflammemur ad eosdem, si fieri queat, deprimendos & confundendos. Similiter si inimicum nostrum videamus, illicò sanguis nobis ebullit & armatur ad vindictam. Tales verò si contra fratres nostros simus, vituperio: si contra dæmonem, laude digni erimus, *Huic inimico*, ait S. Chrysost. hom. 2. ad Ephes. *semper inimicus esto, non fratribus. Sic abiectus erit & captu facilis: sanus, si nos in eum sæuierimus, non futurus: sanus contrà, si mansueti fuerimus.* In mentem igitur nobis veniat, quanto fastu dæmon côtra Deum se erexerit: quantâ nequitiâ nos paradiso spoliarit, & adhuc spoliare studeat g'oriâ cœlesti, secûque in tartara trahere: meminerimus quanto fastu, inuidiâ, impietate petierit à Christo & sui adorationem & ipsius præcipitationem.

F. V. Diaboli imbecillitas. QVINTÒ, Dæmonis imbecillitas. Contempsit non immeritò Dauid robur & arma Philisthæi, quia sciuit suis lapidibus maius robur inesse; quod paulò pòst enituit, cùm primus emissus lapis fronti hostis infixus, ad terram eum prostrauit: tam vasta, inquâ, molem lapillus vnus deiecit. Nihil fortior est Diabolus, qui ad inuocationem tantùm nominis IESV, vel situ in fronte crucê pingas repellitur Goliath Dauidi non poterat nocere nisi vicino. Dauid eum vicit etiam distantem. Ita etiam Dæmon nemini nocere potest, nisi vltrò accedenti. Vnde S. Aug. *Dom. 1. post Trin. serm. 2* ait: *Alligatus est tanquam innexus canis catenis & neminem potest mordere nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit.* Et S. Antonius: *Dæmon*, inquit, *sicut passer irretitus, tenetur & constringitur à Christo, Christiani ergo Christo nixi, dæmonem non timeãt, sed rideant.* Atque ita sanè faciebat ipse. Apparentem enim in forma Gigantum, Leonum,

num, Vrforum, &c. irridebat dicens: *si habes potestatem à Deo in me, exsere Ecce ego. Si non: quid frustra conaris me hisce monstrosis phantasmatibus terrtare, qui nihil potes?* Athan. in eius vitâ. Sanctus item Hilarion dæmonum ludibria solâ inuocatione nominis Iesu in nihilum redegit; cumque aliquando dæmon Cameli specie ferociens accolas perculleret, processit ei obuiam dicens: *Non me terres Diabole, tantâ mole corporis: & in Vulpecula & in Camelo vnum atque idem es.* Hieron. in eius vita. Idem potest ex hodierno Euãgelio, vbi à Christo petere quidem consensum potuit, extorquere non potuit. *Mitte te deorsum,* ait; non mittam te. *Persuadere enim potest,* ait Hieron. in eum locum, *præcipitare non potest.* Et S. Bern. *Videte,* inquit, *fratres, quàm debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentes.* Non ergo demus ei voluntatem, & nocere nobis non poterit. Pulchrè id explicet Abbas Achilles *in Vitis PP. l. 7. c. 25.* per apologum lignorum Libani, quæ cùm lignorum cæsori manubrium ex se dedissent, omnia excisa sunt. Ligna sunt animæ, securis diabolus, manubriũ voluntas nostra. Pro malos ergo voluntates nostras incidimur. Nega igitur dæmoni manubrium: *Vade Sathana,* & fugiet. *Solicitabat aliquando nescio quem* ait Rodriq. p. 2. exerc. tract. 4. c. 11. *sinister genius ad laqueum ac tantum non adigebat. Ergo religiosus ad quem is consilij inops confugerat, nunquid vero,* inquit, *hoc non in manu tua est? Prorsus est. Dic ergo: Nolo; Et post octo dies mihi refer, qui tecum agatur. Ita breui tentationem discussit: vt postrà gratulabundus viro Dei retulit.* Neque debilis tantùm sed & timidus est, si quis ei fortiter se opponat iuxta id S. Iacobi 4. *resistite diabolo & fugiet à vobis.* Ad instar videlicet fœminæ procacis, quæ cum viro rixans, si aduertat eum timidum & fugacem, tantò acriùs in eum insurgit & furit; contrà verò abijcit animum & cedit, cùm videt cum sibi forti & constanti animo obsistentem. Quã de causâ S. Gregorius l. 5. *Mor. c. 17.* dæmonem myrmecoleontem vocat, id est, formicam Leonem: quia fortibus est formica, timidis verò Leo; Leonibus est formica, formicis verò Leo.

G. VI. Corona proposita. SEXTÒ, Corona pugnantibus proposita, eaque non marcescibilis; è Lauro, Myrto, vel floribus, qualis dabatur olim Athletis vincentibus; Illi enim pugnant, *vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam,* ait Apost. 1. Cor. 9. Ad hanc ipse iam victor anhelans dicebat: 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Dauidem ad certamẽ prouocauit merces, quæ erat filia Regis & diuitiæ multæ. Sed quid hæc ad coronam gloriæ nobis promissam? Epaminondas Dux Thebanus, victor occumbens, audiens clypeum suum esse integrum, & hostem debellatũ, dicebat se iam nasci, dum sic occumberet. Valer. Max. Si ob gloriam & laudem corruptibilem, tam lætus hic occubuit quid faciat Christianus? Nõ itaque nos terreat hostium sæuitia, quia pro cœlo pugnamus. Dicebat Alexandro Magno Craterus: *Macte Alexander, pro regno cum Leone pugna.* Id nobis pro regno non terreno, sed cœlesti pugnantibus dici ab Angelo bono credamus. Diabolus ille Leo est, de quo S. Petrus ep. st. 1. cap. 5. scribit: *tamquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*

Non terreat hostium multitudo, quia pluribus deuictis, plures obtinebimus coronas. Agis Lacedæmoniorum Rex apud Mantinæam monitus ne confligeret, quòd hostium numerus maior esset, respondit: *Necesse est contra multos pugnet, qui multis vult imperare.* Ad hæc plures sunt nobiscum, SS. Angeli scilicet, vti vidit Elisæus 4. Reg. 6. Denique sicut Angeli, cùm debellasset hostem Christus, accesserũt & ministrarunt ei: sic facient etiam aliis, quotquot illum vicerint. O quantum erit morientibus solatium, quando videbunt ad se accedentes Angelos & victoriæ coronam sibi porrigẽtes? quando dicere poterunt cum Apostolo: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitia.*

H. VII. Exemplũ Christi. SEPTIMÒ, Exemplũ Christi prælìantis ante nos. Sic Aquila (sicuti Physiologi scribunt) vt doceat pullos suos pugnare cum Dracone, bellum cum eo pullis inspectantibus aggreditur, eiusque caput impetens ac lacerans frangit & confractum pullis tradit. Refert Hier. Bapt. de Lanuza *tract. 7. c. 7.* Contriuit in hodierno conflictu Christus caput & superbiam Dæmonis, eumque sic confractum nobis dilaniãdum tradidit. Hinc igitur post Christum tot milites prodierunt, qui cum dæmone pugnare aperto Marte non dubitarent, imò eum ad pugnã vltro prouocarent, eique insultarent, nec tantùm veterani & exerciti, vti Antonius, Hilarion, &c. sed & pueri & virgines. *Olim Miltiades Imperator Atheniensi*u*m* (vt scribit Philo in l. Quòd omnis probus est liber.) *quando Rex Persarũ tam multa millia traiecit in Europam, quasi ad primum clamorem oppressurus Græciam, connocatis in Panathenaicum conuentum socijs, pugnantes gallos ostendit gallinaceos, ratus hoc spectaculum maiorem vim habiturum ad permouendos Græcorum animos, quàm orationem. Nec eum fefellit sua opinio, spectata in brutis patientia pertinaciã, contentione, vsque ad necem pugnantibus, inuicto pectore correptis armis tam expeditionem susceperunt, contemptis mortibus & vulneribus* sic Philo. Spectemus nos Christiani non tam Gallorum bellicositatem, quàm fortium Christi militum, qui ad mortem vsque strenuè dimicarunt cum humani generis hoste, indeque animemur ad simile certamen.

Non habuit eiusmodi exemplum Dauid: nemo ante ipsum pugnauerat cum Goliatho, nedum eum expugnauerat. At nos habemus exemplum Christi & Sanctorum plurimorum. Itaque cum Dauide curramus ad pugnam ex aduerso Philistæi illius; vti monet Apostolus ad Hebr. 12. dicens: *Tantam habentes impositam nubem* (id est copiam) *testium curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.*

CON-

CONCIO II.

Bona mundi, quæ Diabolus vænalia proponit, qualia.

Merces & bona quæ offert diabolus:	*3. Fluxa & momentanea.*
1. Sunt inania & sæpe fictitia tantum.	*4. Pauca.*
2. Permixta incommodis, curis & laboribus.	*5. Promittuntur, sæpius non dantur.*
	6. Caro nimis pretio venduntur.

THEMA.

Assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum. Matth. 4.

N B. *Hæc materia continuatur per sequentes Dominicas in concionibus secundo loco positis.* A

MIramini forsan, Auditores, quid sibi velit Ecclesia, quòd hoc potissimùm tempore quadragesimali adeò nos vrget & inuitat ad bona opera paranda, ad ieiunium, orationem, eleemosynas, verbi Dei & Missæ frequẽtationem, ad pœnitentiam & communionem, ad morum honestatem vitæque cõtinentiam; sed desinite mirari. Tempus hoc nundinarum est spiritualium, in quo Christus Dominus (vti videbimus post octiduum) proponit nobis vænales regni sui diuitias in monte excelso. Idcircò nunc hortatur nos Ecclesia, vt monetam nobis paremus, quâ comparare diuitias illas possimus, & quidem in Epistola hodierna. *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis,* &c. 2. Cor. 6. Verùmenim verò, quemadmodum nullæ sunt nundinæ, vbi non conueniant aliqui etiam impostores, qui vano mercimonio homines decipiant, deprauatas illis merces pro bonis obtrudendo: ita non deest nunc veterator ille Dæmon, qui & ipse in monte alto suas explicat merces & vænales toti mundo proponit, iactat & commendat, imò eas hodie ipsi Christo offerre ausus est, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Sed attendite, Auditores, quid à quo mercemini. Quare hodie inspiciemus merces Diaboli, post octiduum merces Christi: posteà vos eligite.

B. I. Bona mundi inania sunt.

PRIMÒ, Bona quæ offert, inania sunt & sæpe fictitia tantùm; vti ostendit imaginaria illa repræsentatio regnorum mundi & gloriæ eorum. Quomodo enim Dæmon super vno mõte quantumuis excelso ostendere possit reuerà omnia mundi regna & ornatum eorumdem? Quis tam altus in orbe mons? Et si esset, quomodo corporeus oculus acie suâ perlustrare eodem momento totum mundum posset cum omni suâ gloriâ? Fuit ergo phantastica tantùm adeoque inanis ista repræsentatio, quo modo Zeuxis Heracleotes decepisse fertur aues, pingendo uvas tam absolutè vt eas tanquam veras carpturæ aduolarent: Et Zeuxen ipsum Parrhasius, pingendo linteum seu cortinam tam artificiosè, vt Zeuxes peteret eâ remotâ ostendi sibi picturam, vt putabat, subtus latentem. Plin. *l. 35. cap.* 10. Ita Dæmon, Primò, sæpe mera figmenta mõstrat ad instar lamiæ illius, quæ vt refert Philostratus *l. de vita Apollonij cap.* 5. fingens se velle nubere Melippo iuueni, plurimas diuitias & omnis generis ornatum, vnaque conuiuium splendidissimum vino & dapibus instructum ostentabat, quæ tamen omnia, cùm Apollonius diceret fictitia esse, subitò euanuerunt. Ita Dæmon olim S. Antonio obiecit in itinere discum argenteum, & auri massam, quæ tamẽ perspecta fraude, mox euanuerunt, vt in eius vitâ. Ita Radbodo repræsentauit splendidissimum palatium, quasi cœli regiam, quo eum retraheret à baptismo, quod & obtinuit, vt alibi vidimus. Deinde pingit suas merces, vt veræ ac solidæ videantur; quæ tamen in veritate *vapor* tantùm *sunt ad modicum parens,* nihil solidi boni continentes, quia nimirum viuentibus tantùm commodi aliquid adferunt, mortuis nihil prosunt, sed cum morientibus moriuntur. Carbones sunt nigerrimi, quos tamen afflatu & astu suo dæmon splendere facit instar carbunculi, gemmæ pretiosissimæ. Ideò Dominus ait Iob cap. 41. *Halitus* (id est suggestio) *eius prunas ardere facit.* Sic diuitias quas Apostolus vocat *stercora,* & Habacuc cap. 2. *densum lutum,* repræsentat velut fulgentes stellas; meretricem velut sydus; honorem velut coronam aut diadema: &c. Ita repræsentauit primis parentibus pomum vetitum velut lignum vitæ, habens aliquid diuinitatis ad aperiendos oculos, &c. *Vidit enim mulier lignum, quòd bonum esset ad vescendum & pulchrum oculis,* &c. Ecce non pulchritudinem tantùm, sed & suauitatem pomi repræsentauit oculis Euæ, cùm hæc non oculis, sed gustu tantùm percipi possit. *Gen.* 3. sic repræsentauit Dauidi pulchritudinem Bethsabeæ, multò maiorem, quàm reuerà fuerit, quasi videlicet esset pulchrior vxoribus eius & quibuscumque alijs, &c.

SECVNDÒ, Permixta sunt incommodis, curis & laboribus. Diabolus tamen ostendit regna eorumque gloriam, sed non eorumdem curas & pericula, ad instar fallacis mercatoris, qui mercium suarum defectus celat, bonitatem tantùm seu splendorem potiùs iactat. Quis autem non aduertit, quod quidam expertus, Antigonus videlicet, dixit filio; dignitatem regiam splendidam esse seruitutem? cuius & hoc celebratur: *Si quis nosset, quantis malis diadema esset refertum, ne humi quidem iacens tolleret.* Quod idem Seleucus dixit, vel ob eam tantùm molestiam, quam habent Reges in legendis & perscribendis epistolis. Cælius *l.* 8. *antiq. lect. c.* 1. Sed omni teste maior est Salomon, qui cùm omnia sibi parasset, quæ ad regium splendorem & humanam fælicitatem spectare viderentur, omnia tamen inuenit plena doloribus: quod longâ inductione prosequitur ab experientia desumptum, tandemque concludit: *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur & oblectaret se in his, quæ paraueram &c. vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Eccl. 2. Idem

C. II. Permixta incommodis.

1. Idem posteà cap. 4. testatur de alijs statibus: *Verti me ad alia & vidi calumnias, qua sub sole geruntur, & lachrymas innocentium & neminem consolatorem, &c. & laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdū natus est, nec vidit mala qua sub sole fiunt.* Magnam quidem pulchritudinem addebant Absaloni capilli, sed ij tamen interim grauabant eius caput, eoque magis, quò magis crescebāt, vt habetur 2. *Reg.* 14. ita quò magis crescunt diuitiæ & honores eò magis crescūt curæ, pericula, labores, adeò nihil est in mūdo syncerè bonum; quòd benè indicatum est à sponso, cùm hunc mundum vocauit hortum nucum, *Cant. 6. descendi in hortum nucum.* Nuces enim paucæ vel leuiter commotæ multum edunt strepitum, & si in terram cadant, tripudium facere videtur, ideoque fortè in Romanorum nuptijs spargi solitæ, vt scribit Plinius *l.* 15. *c.* 22. interim tamen triplicem amarum habent corticē, à quo exui priùs debent, quàm edantur: ita omnia mundi bona multi sunt rumoris (vt dici solet) paucæ lanæ: vil g. schrey: wenig Woll/ & inprimis triplices habent dolores ac solicitudines, in acquirendo, in conseruando, in perdendo. Versutissimus autem mercator diabolus: nuces has commouendo, strepitum edit, dulcedinem eorum extollit, sed corticum amaritudinem tegit; quod etiam fecit Hebræis in deserto, cùm carnes tantùm & pepones gustatos in Ægypto in memoriam eis refricabat, verbera verò & luti ac laterum labores ibidem exantlatos tacuit & abscondit. *Num.* 11.

D. III. Fluxa & momentanea.

Tertiò, Fluxa & momentanea sunt; ideò S. Lucas ait dæmonem ostendisse Christo regna orbis terræ *in momento temporis* (forsan eo modo, quo pueri solent bullam aqueam vno statu excitare, quæ in momento iterum perit) rectè in *momento*, quia & in momento aufert. Inde Sophar *Iob* 20. dixit: *Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram: quòd laus impiorum breuis sit & gaudium hypocrita* (septuaginta habēt, *letitia impiorum (ad instar puncti.* Et mox: *Velut somnians non inuenietur, transiet sicut visio nocturna.* Quod verissimum esse experiuntur omnes in articulo mortis; nam etiam qui diutissimè vixerunt, putant se vix paucis mēsibus vixisse; ita furtim dies suos amiserunt. Et quò dies sunt iucundiores, eò citiùs euanescunt & auolant. Hinc Iob cap. 7. *dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur.* Radius textorius velocissimè traijcitur per texturam, vt vix aduertas: sic dies nostri trāseunt. Quàm citò mensura palmi contexta est? tam citò & vna hebdomas vitę transit. Quàm citò integra tela pertexitur? tam citò vita nostra finitur. Vnde S. Gregorius in eum locum ait: *sicut tela filis* (intellige transuersus) *sic vita mortalis diebus singulis proficit: sed quò ad augmētum proficit, eò ad incisionem tendit.* Sed contingit interdum telam textori incidi à maleuolo homine, vel milite, vel ex causa ab ipso textore, cùm vix palmus vnus aut alter pertextus est: sic multis qui longam sperabant texēre vitæ telam, inciditur in iuuētute vel ætate virili, vt Ezechię Regi qui *Isa.* 38. ægrotans queritur: *præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me.* Ita imprimis illi, qui suam in his bonis quietem ponūt quærūntque, momento ea sibi eripi experiuntur. Cùm enim per belli labores, per mercaturam, per seruitia aulica opes sibi comparārūt, tunc plerumque, cùm ijs frui volunt, sentiunt inexpectatam mortem, quæ totum illis surripit. Quemadmodum enim venator prædam ostendit canibus, ad eamque consectandam eos incitat clamoribus; at vbi eam illi assecuti sunt & diuidere inter se parant, adest repente cum baculo contundit ora miseris prædamque eripit: ita prorsus dæmon, qui prædam ostendit & persequi iubet; partam verò in momento surripit. Id certè contigit Seiano Consuli sub Tiberio Imp. tantæ auctoritatis, vt Romæ absente illo ageret Imperatorem auratoque in senatum curru veheretur. Sed quid? allatæ sunt ad eum ex improuiso literæ, quibus cùm speraret dignitatem suam auctum iri tribunitiā potestate, obtulit eas senatui lætissimus. Summa autem erat, vt actutum deponeretur, in vincula coijceretur, plecteretur capite, vnco traheretur, in Tyberim ageretur præceps, propter occultam perfidiam in Imperatoriam maiestatem, quod & factum est, vt refert Dion. l. 58. Ita Amalecitæ, cùm prædam diuidere & sedētes epulari vellent, à Dauide repente oppressi sunt & cæsi. 1. *Reg.* 30. Ita diues ille, qui dicebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare;* mox tamen sequente nocte audijt: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te; qua autem parasti, cuius erunt?* Luc. 12.

Quartò, Pauca sunt quæ dat. Ita inprimis ea tantùm, quæ oculis videri poterant, Christo promisit. Deinde regna mundi tantùm; de cœlo ne palmum quidem. Liam ergo offert lippam & deformem, pulchram Rachelem negat, vt Laban Iacobo. *Gen.* 29. Quare si diues sis, forsitan tamen nobilis non es: si nobilis, fortè pauper aut infirmus aut curis oneratus; si doctus, non in omni facultate: si iuuenis & robustus, fortè tamen imprudens & imperitus, si prudens, fortè senex, & imbecillis, &c. Quod si mundi Dominus esses & in omnibus fortunatus, numquid tamen cœlum haberes? numquid immortalitatem? verùm Dæmon non tanta nobis ostendit aut promittit, quanta Christo promisit, omnia scilicet regna mundi: sed modica tantùm lucra, modicas voluptates, modicum honoris fumum, & his tamen illecebris tam vilibus & modicis facilè decipit homines. Quare sub formā meretricis describitur *Apoc.* 17. vnicum aureum poculum in manu gestare & inuitare ad bibendum, imò etiam inebriare omnes, qui inhabitant terram, *vino prostitutionis suæ:* id est, delectationis mundi. Ecce quàm exiguum potum quàm multis propinat gentibus: quid hoc inter tantos vt vnusquisque vel modicum quid accipiat? Et tamen hac sorbillatione inescantur & inebriantur homines, vt sui suæque salutis obliti guttulā delectationis emant pretio

E. IV. Pauca.

pretio animæ suæ. Lysimachus Rex cùm exercitum ob sitis impatientiam hosti tradidisset, postquam captiuus aquam oblatam bibit: *Proh*, inquit, *Deum fidem, quam exigua voluptatis gratia quantum bonum, quantum regnum perdidi meque ex Rego seruum feci?* Hoc ipsum maximo animi dolore sentient ac dicent damnati. Et certè quàm ipsis etiam Regibus parcè ministrentur mundi bona, demonstratum illo pincernæ somnio, qui videbatur sibi uvas exprimere in calicem & tradere poculum Pharaoni; quo significabatur eum pristino suo pincernatus muneri restituendum & Regi more solito poculum ministraturum *Gen.* 40. Sed quis hic non videt, quàm modicæ sint vel ipsorum Regum deliciæ, quibus tam exiguum idque fæculentum vinum, quasi per somnium ministratur? *Spes*, enim *mortalium, sunt somnia vigilantium*, ait Plato. Ita ergò contingit etiam opulentissimis, vt licet abundent omnibus bonis, iis tamen frui nequeant. Habent præstantissima vina in cellariis suis, sed nunc ea dissuadent illis Confessarii, quod officiant animæ saluti; nunc dissuadent Medici, quòd obsint sanitati; vile, commune & dilutum eis commendant ac persuadent. Et ita res habet in aliis.

F. V. Promittuntur, sæpius non dantur. QVINTÒ, Promittuntur solùm à Dæmone, & sæpius non exhibentur. *Hæc omnia tibi dabo*, ait Satan. Sed quomodo ea daret, quæ non sunt ipsius: quique nihil nisi pœnas dare potest? Quomodo ea daret, si eadem aliis possessoribus non priùs tolleret? Si autem aliis ea tolleret, à suo vtique seruitio eos repelleret, quia nemo ei gratis seu ex amore seruit. Non ergò poterat nec intendebat dare, quod promittebat. Sic promisit primis parentibus diuinitatem, quam nec poterat nec volebat dare. Vnde diuinus ille Sarcasmus: *Adam vbi es?* q.d. num in eo, qui tibi promittebatur diuinitatis & scientiæ apice? vt expendit S. Chrysost. *ser. contra Iudæos & gentiles de nuptiis tom. 3.* Idem fuit Spiritus mendax in ore omnium pseudoprophetarum, qui Achab Regi victoriam pollicebatur de habitatoribus Ramoth-Galaad. 3. *Reg.* 22. atque vt efficaciùs persuaderent pseudoprophetæ, illorum vnus Sedecias fecit sibi cornua ferrea quibus vndique discurrens dicebat Regi: *Hæc dicit Dominus: his ventilabis Syriam, donec deleas eam.* q.d. tam facilè, ac taurus fœnum cornibus suis ventilat. Sed quàm falsum istud fuerit, euentus demonstrauit. Rex enim in prælio occisus est & linxerunt canes sanguinem eius.

G. VI. Carò venduntur. SEXTÒ, Caro nimis venduntur pretio, quod exigit ab ementibus Dæmon, idque triplex.
1. Primum vt sibi ipsi comparent panes, quos desiderant. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Itaque inuitat Christum sed ad ipsiusmet Christi expensas; non adfert illi epulas, quibus statim vesci posset, sed lapides, quos vertere in panes non cuiusuis erat virtutis. Eodem modo mundi sectatoribus vænales proponit opes, voluptates, honores, sed ita vt eos ipsi multo labore vel pretio comparent.
2. Secundum, Vt mittant se deorsum, id est, vt cæci in quæuis pericula ruant adeòque neque humanam neque diuinam vindictam metuant; non curent furum patibula, latronum rotas, veneficorum rogos, parricidarum culeos, incestuosorum gladios, adulterorum infamiam, existimationis suæ imminutionem, &c. ipsam denique gehennam spernant. Quo pretio quid durius & horribilius excogitari potest?

Tertium, Vt cadentes ipsum adorent, hoc est, vt cadant à Dei amicitia & gratia in peccatum; vt excidant ab æterna felicitate, & quemadmodum ipse cecidit de cœlo in infernum; vt adorent eum, qui quauis vilissima creatura vilior est factus, omnique odio prosequendus; denique vt animas ipsi suas oppignorent, donent, consecrent, pro libitu crudelissimi Tyranni tractandas & cruciandas. Quis hæc audiens non horreat? Quàm bene dixit Ecclesiasticus *c.* 20. *Est datum quod nō est vtile: & est datum cuius retributio duplex.* Hoc enim modo & fine Dæmon dat, vt duplum seu rem longè pretiosiorem recipiat; imò septuplum, vti paulò inferiùs recolit: *Datum insipientis non erit vtile tibi; oculi enim illius septemplices sunt.* Dat tibi vel promittit modicam voluptatem, honorem aut pecuniam: sed vicissim exigit à te septem grandia mala, curas & labores, metum punitionis, discessionem à Dei amicitia, dispendium beatitudinis, gehennæ societatem, cultum & adorationem sui, ad extremum animam tuam. Sic obtulit Euæ pomum & surripuit paradisum. Obtulit Iudæ 30. argenteos, & fregit illi gulam abstulitque animam: sic hodieque ludit cum omnibus peccatoribus. 3.

Atque vt rem totam exemplo tempori huic congruo ostendamus; Proponit per Quadragesimam vænalem carnium esum contra Ecclesiæ præceptū. q.d. dic, vt pisces isti caro fiant, fac vt esu carnium tuam valetudinē cures &c. Quæso te antequā hunc bolum emas, siste parumper & considera, quid sit & quanti cōstet. Ita prudens illa mulier fecit, *considerauit agrum & emit eum.* Prou. 31. Quid est igitur vænale? Carnis cibus. Quantulum est hoc? quasi verò iste cibus adeò sit pretiosus vel homini necessarius? Vnde vixerunt homines, qui vixerunt ante diluuiū ad annos 900. & vltrà, cùm adhuc carnis cibus nō vsurparetur? Ergo diabolus hunc carbonem halitu suo splendere facit: mera illusio est apud plerosque non posse carere carnibus. Tēta paulisper cum Daniele & sociis, abstine à carnibus, comede legumina & alia quæ licent, & videbis nihil tibi detractum iri de tua valetudine.

Secundò, Si ex vna parte suaue est vesci carnibus, ex altera parte amarum est separari ab Ecclesiæ communi victu & viuēdi modo. Noluit bibere Alexander toto exercitu sitiente, quia soli potus non sapuisset. Tu abstinente totā Ecclesia, matre & fratribus tuis, solus vis comedere? Tertiò, Quàm breuis & momentanea est ea delectatio, quam percipis ex hoc cibo? quàm exigui & pauci boli, quos tamen cum stulto Esau, qui rufam vnam pultem emit iure primogenituræ, tanto pretio emis? Quartò. Aliqui eos cibos deglutire non po-

potuerunt, vel ijs suffocati sunt, vt alibi narrauimus. Sed esto, satieris. Eos Primò, tibi emere debes; adhæc timere etiam ne prodaris & puniaris à Magistratu: Vnde cum timore & furtim totum agere debes. Das ergo te præcipitem. Denique cadis in peccatum & gehennam, & rapis tecum quos scandalizas. Tu ergo vile rodis os, & Dæmon pretiosam rodit animam tuam: paucos deuoras bolos, vt in æternum esurias. *An Sacrorū solemne ignoras*, (verba sunt Dionis Chrysost. orat. 4.) *quod Persæ celebrant? Vinctorum, qui duci ad supplicium debent, aliquem in sellâ Regiâ collocant & veste regiâ ornant, faciuntque ei potestatem delicatè & molliter viuendi regijsque pellicibus per eos dies vtendi: neque illud quisquam impedit, quo minus quidquid voluerit, faciat. Deinde exutum & flagellatum suspendunt.* Quæro iam si eamdem potestatem faceret tibi Diabolus simili conditione, vt postea flagelleris & suspendaris: num tibi hæc conditio placeret? At multò es audacior; suspendium inferni eligis, vbi mori voles & non poteris. Quod dico tibi de cibo vetito, idem credito de illicitâ voluptate, idem de iniusto lucro &c. Ergo auersemur merces diabolicas, & dicamus, quod olim Demosthenes mulierculæ, pro horario vsu corporis deposcenti octona auri talenta, Corinthi respondit: *Ego tanti pœnitere non emo.*

CONCIO III.

Quantopere Dæmones metuendi ac fugiendi sint.

1. & 2. *Quia ad nocendum sunt studiosissimi & callidissimi.*
3. *Sunt robustissimi & varia possunt.*
4. & 5. *Innumeri sunt nobisque infestissimi.*
6. *Assignantur causæ odij dæmonis in homines, procedens ex odio quo prosequuntur Deum, ex inuidia & superbia, ex voluntate prorogandi diem iudicij, & ex mera nocendi libidine.*

THEMA.

Vade Sathana. Matth. 4.

A. QVæret fortè aliquis cur Ecclesia initio Quadragesimæ proponat Euangelium de Tentatore Dæmone? respondeo id facere, vt sciamus tempus hoc quadragesimale, si quod est aliud, tempus esse militiæ Christianæ, in quo contra dæmones spirituale bellum sumimus. Proponitur ergo nobis hostis noster, vt eius vires & conditionem intueamur, ne temerè nobis fidamus, sed salutarem potiùs concipiamus timorem, ne ab eo superemur. Porrò ipsemet Diabolus, cùm videt aliquem Deo velle sequire, mox contra eum in aciem prodit, & bellum ei indicit: quod facit isto tempore Christianis. Quam ob causam monuit Sapiens Eccl. c. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore & prapara ad tentationem animam tuam.* Quod vt exactiùs fiat, videbimus, quales sint hostes nostri.

Qualis & quàm metuendus sit malus Genius, ex eius nominibus conijci potest. Vocatur enim Tentator, quia indefessus & assiduus ad nocendum. Vocatur Diabolus, id est, Calumniator, quia astutissimus & callidissimus ad decipiendum. Vocatur Princeps mundi & potestas ac rector tenebrarum harum, quia fortissimus. Vocatur Beelzebub, id est, vir muscarum, quia maximum habet exercitum. Vocatur Sathanas, id est, aduersarius, quia homini infensissimus.

Itaque Dæmones Primò, sunt ad nocendum studiosissimi & assidui, vti colligi ex hodierno Euangelio potest, vbi post primum congressum irritum, adiecit secundum & tertium: denique superatus atque pulsus non recessit in perpetuum, sed ad tempus, vt ait S. Lucas. Rediit enim cùm per Iudæos, ministros suos, Christum persecutus est; vel iuxta gl. ord. cùm morienti supra brachium crucis adfuit; & latronem reprobum cæterosque ad insultandum ei permouit, quò eius patientiam tentaret. Videntur eò pertinere verba Christi Ioan. 14. *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Confirmatur exemplo cuiusdam nobilis, nomine Gualteri ex territorio Bonnensi; qui decumbens vidit præsentem Dæmonem in formâ simiæ, inter alia sibi respondentem: *Ego præsens fui, cùm Dei filius expiraret, cornua crucis occupans. Verùm nihil illic profecimus, quin potiùs turbati, exagitati atque in tartaream abyssum relegati fumus.* Cæsar. l. 12. c. 5. Hinc vocatur Tentator, ab indefesso videlicet tentandi studio & quotidiano exercitio: sicut opifices vocantur pistores, tonsores, sartores, &c. Ob eandem causam vocantur venatores Psal. 90. *Ipse liberauit me de laqueo venantium*, quia vti venatores toti sunt addicti venationi & cætera obliuiscuntur, ac licet multoties nihil capiant, tamen non desperant nec fatigantur, sed prædam cras expectant, si hodie fefellit: sic etiam Dæmones licet millies victi, non desistunt tamen à tētando, sed iterum iterumque redeunt, omnia tentantes. Eodem pertinet, quòd eiectus dæmon Luc. 11. *quærens requiem & non inueniens dicit: reuertar in domum meam.* Requiem enim non inuenit dæmon, nisi cùm occasionem nocendi acquirit; Hanc autem non habet in desertis locis, vbi vel nulli sunt homines, vel sancti tantùm Anachoretæ. Apud Cassian. *coll. 8. cap. 16.* Dæmon per annos 15. monacho cuidam struxit insidias vt eum ad lapsum impelleret. Imò à Diuo Paulo toties profligatus, non recessit. 2. *Cor.* 12. Prouenit hæc eorum praua assiduitas, partim ex naturæ conditione, quæ otium non admittit nec petit: partim ex odio in homines: partim ex imperio Principis eorum: qui tardantes & ignauos mulctat, vt in Dial. S. Greg. videre est. Partim ex temporis breuitate, quia scit vitam nostram breuem finemque eius incertum esse.

B. I. Sunt ad nocendū studiosissimi.

1 Quâ ex rē intelligimus quanto studio nobis vigilandum sit quamque in bonis operibus assidui esse debeamus, qui hostes tā vigilātes tamque infatigabiles habemus. Vnde meritò monet S. Petrus: *sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquā Leo rugiens circuit, &c.*

Se-

§. II. Sunt callidissimi. SECVNDÒ, Sunt callidissimi; Vnde diaboli vocantur & ab Apostolo *ad Eph. 6. Spiritualis nequitia in cælestibus*, id est, spiritales nequitiæ in aëre; seu vt alij vertunt, astutia. q. d. nequissimi nebulones. Versutissimi autem sunt partim ob naturæ subtilitatem, quâ præditi: partim propter longum vsum & exercitationem decipiendi. Vnde passim in Scripturâ vocantur nunc Dracones, nunc serpentes, nunc aspides; quia in omnem sese locum vertere & insinuare possunt. Aliquot Dæmonis fraudes colligi ex hodierno Euangelio possunt.

Techna Diaboli. 1. Primò, occasionem tentandi ex nobis ipsis, ex nostris videlicet propensionibus vel necessitatibus accipit. Ita cùm vidisset Christum diu ieiunasse proindeque esurire, dixit: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Deinde tanquam victorem tentat ambitione: *mitte te deorsum*: vti Heronem illum Eremitam maximę sanctitatis, suadens vt se præcipitaret in puteum: fore vt non læderetur. *Nouit*, inquit S. Leo ser. 7. de natali Domini, *cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ, nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat, omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus & ibi causas quærit nocendi vbicumque viderit studiosius occupari.* Vnde superbum non tentat libidine, sed honoribus: gulosum non honoribus, sed delicijs: sic egentibus & famis necessitate pressis suadet vt furentur, occidant, se prostituant, mentiantur, fallant. Diuitibus vt luxurientur, superbiant, epulentur, &c. Hoc est quod aliquando in Dęmone deprehendit S. Macharius in Eremo, cùm eum vidit transire iuxta cellam suam, varijs ampullis vndique onustum. Interpellatus enim à sancto respondit se eas gestare ad certum fratrum conuentum, vt pro cuiusque gustu singulis offerret singulas peccati illecebras, vt refert Palladius.

2. Secundò, Initio minora suadet & petit, quæ vix speciem mali habent, deinde ad grauiora impellit. Sic primò petit à Christo, vt ex lapide panem faciat, quod certè absque peccato fieri poterat. Deinde suadet vt se præcipitet, quod magnā præsumptionem & ambitionem continebat. Denique ad grauissimum Idololatriæ scelus prouocat. Ita primò suadet colloquia tantùm cū fęminis vel socijs malis, libros obscænos &c. Vti furi cuidam, cui fertur promisisse impunitatem ad gallinas, sed eas solas rapiendas. Fur autē cùm aliquando tot rapuisset gallinas vt portare eas nequiret, adeoque se in periculo cerneret, equum de pascuis conscendit & vnà cum gallinis abduxit. Itaque captus, cùm dęmonem aduocaret pro sui liberatione, derisus est ab eo, quòd pactum non seruasset, præter aues equum rapiens.

3. Tertiò, Pollicetur grandia & iucunda, regnum, opes, gloriam: eaque ostentat, vt in hodierno Euangelio: sed non ostendit eorum pericula, labores, curas, vermem conscientiæ, gehennam secuturam, &c. Quæ enim placent, monstrat; quæ displicent, occultat. Ostendit peccati escam, sed non hamum latentem. Atque ita alicit ad casum per dulcem harmoniæ sonum, vti Nabuchodonosor per omnis generis instrumenta populum ad statuæ adorationem. Vnde ait: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.*

4. Quartò, Adhibet testimonium Scripturæ malo & deprauato sensu: *Scriptum est enim quoniam angelis suis*, &c. Vbi non semel peccauit. Primò; psalmus ad literam pertinet ad iustos, non ad Christum. Secundò, loquitur de vijs, non de præcipitijs. Tertiò, quod sequitur: *super aspidem & basiliscum ambulabis*, &c. fraudulenter reticet, vtpote in se dictum.

5. Quintò, Loca locis permutat, de deserto ad montē, de monte ad templum ducit. Vti Rex Balac Balaamum varia in loca duxit, vt induceret ad maledicendum populo, *Num. 23.* Nouit enim vnum locum altero conuenientiorem esse ad tentandum. Vt ergò Christum de deserto in montem duxit, vbi plurima obiecta placentia videre posset: sic è claustris aliquos ad sæculū: è domibus ducit alios ad conuiuia & choreas, vbi multa sensibus placentia inueniant, quibus velut laqueis capiantur.

§. III. Sunt robustissimi. TERTIÒ, Sunt fortissimi & potentissimi. Vnde rectores mundi vocantur in SS. literis: nec non Leones & Dracones magni: item fortes armati. Et Iob 41. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* Patet etiam ex hodierno Euangelio vbi Christum assumpsit & gestauit in altum. Patet ex naturæ eius sublimitate, quā retinet etiam post lapsum. Potest autem innumeris modis homini nocere, si permittat ei Deus: corpora loco mouere & per aërem citissimè vehere, elemēta commouere, creaturas mirabili celeritate immutare, &c. Sed quod attinet ad peccatum, non potest is quemquam cogere: Potest tamen Primò, allicere per obiecta varia, proponendo ea voluntati, sicut proposuit Christo esurienti panem ex lapide faciendum, inanem gloriam, & omnia regna mūdi. Sic decepit Euam proponendo ei speciem pomi: Esau per dulcedinem edulij: Dauidem per Bethsabeam. Sed tu respondere potes: quid sunt ista respectu Dei & bonorum æternorum? Ora etiam: Et ne nos inducas in tentationem. Quid possit Dæmon. 1.

2. Secundò, Potest imaginationem commouere & immutare, sensusq́; interiores varijs imaginibus, phantasmatibus & insomnijs inquietare: vt cùm orantes vagamur mente in externis negotijs: vti sibi contigisse fatetur etiam S. Hieronymus. S. Bernardus scribit fratrem quemdam suæ familiæ istiusmodi phantasijs diabolicis, penè ad insaniam redactum esse. *ser. in Psal 90.* Contra hoc telum ora diligenter & inuoca Angelum custodem contra Angelum malum: sicut Dauid misit Chusai contra Achitophel, consiliarium bonum contra malum, qui dissipauit consilium illius, *2. Reg. 15.*

3. Tertiò, Potest humores, & proinde quæ ab illis dependent, passiones hominum mouere & alterare, adeoque modò ad iram, modò audaciam, modò ad pusillanimitatem & time-

timorem, modò ad gaudium, modò ad tristitiam commouere. Ipse subiecit flammam impudici amoris multis, vti S. Iustinæ & S. Benedicto. Ipse somnum conciliat ignauis auditoribus sub concione, &c. Contra hoc telum fortes clypei obijciendi sunt. Caro inprimis domanda, per ieiunium aliasque afflictiones. S. Benedictus in vepribus se volutauit. S. Nicetas linguam sibi morsu amputauit & in os meretricis expuit. Alij in frigidissimos lacus se immerserunt vel niues. Euagrium scribit Palladius, cùm se durè affligeret & alius ei diceret: *quiesce pater*, respondisse: *quiescant passiones, & quiescam ego.*

E. IV. Sunt innumeri. QVARTÒ, Sunt innumeri. Vnde eorum princeps vocatur Beelzebub, id est, vir seu princeps muscarum: quòd tanta eorum multitudo sit, quanta muscarum æstiuo tempore. S. Hier. in cap. 6. ad Ephes. *Hæc, inquit, omnium doctorum opinio est, quod aër ille, qui cœlum & terram medius diuidens inane vocatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus.* Cui veterum sententiæ côcordant, quæ leguntur in vita S. Antonij & aliorum Sanctorum. Et verò si in vno homine habitauit aliquando integra dæmonum legio, quæ continet 6666. vti *Luc.* 8. legimus, quantum, quæso, illorum numerum reputabimus? Quos si cerneremus, meritò exclamaremus cum Elisæi ministro, qui cùm vidisset exercitum Syrorum maximum in circuitu ciuitatis, dicebat: *Heu, heu, domine mi, quid faciemus?* Sed respondit Elisæus: *noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* 4. Reg. 6. SS. angelos intelligens.

F. V. Sunt nobis infensissimi. QVINTÒ, Sunt hominibus infensissimi: Vnde Sathanæ vocatur, id est, aduersarij. Et nónne id satis colligi vel ex eo potest, quod *Luc.* 8. petierint à Christo ne mitterentur in abyssum, sed potius in porcos? Cur enim id petierunt, nisi vt hac ratione primò corporaliter nocerent incolis, suffocando eorum porcos & in mare præcipitando: deinde etiam spiritualiter, instigando eos ne Christum ad se admitterent, vti factum? Taceo, quia porcus animal est perniciosum, siquidem eius caro aciem ingenij obtundit, lac gignit lepram, ipse agros vastat, &c. Christus itaque hoc eis permisit vt ostenderet eorum nocendi libidinem, & quid facerent hominibus, si Deus permitteret; siquidem hoc fecerunt porcis? Nimirum simili modo præcipitarent omnes non in mare, sed gehennam. Sanè in hodierno Euangelio petijt à Christo impudentissimè vt se deorsum de templo mitteret, quo apertè demonstrauit se nil magis desiderare, quàm omnium nostrûm ruinam.

G. VI. Vnde odium dæmonis in homines. Sed vnde hoc tam crudele odium Dæmonis in homines? Primò, Quia oderunt Deum, qui perpetuò eos affligit iuxta id Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Et

1. *Ex odio Dei.* quia Deo nocere nequeunt, côuertunt odium suum in eius imaginem, quæ est homo. *Pardalis animal est homini inimicissimum, adeò vt quandoque in statuas hominis oculos pra ira inuadat: qui autem fera furorem deludere quærunt, hominis imaginem ei ex charta ostendunt: illa statim furibunda eam concerpit & dilacerat, hoc argumento satis ostendens quanta sit eius aduersus hominem inimicitia. Sic item Diabolus in imagine hominem apparentem infectatur, quando Deum ipsum attingere nequit; hinc ipsi bellum tam acre contra nos.* ita S. Basilius hom. in aliquot Scripturæ loca. Vnde collige Primò, odium hoc perpetuum esse. Secundò, tantò minùs solicitantibus acquiescendum esse; quia non amore tui, sed odio Dei solicitant. Tertiò, Deum tibi contra illos manum porrecturum, quia propter ipsum te infestant.

Secundò, Ex inuidia, quia vident homines promoueri ad eas sedes, quas ipsi casu suo vacuas reliquerunt. Vnde S. Basilius in hom. Quod Deus non sit auctor malorum, ait: *non inimicus nobis à Deo constitutus est, sed ipse ex inuidia sese nobis opposuit. Animaduertens enim se ex angelorum ordinibus expulsum, non tulit terrenam creaturam ad Angelorum dignitatem per virtutis profectum exaltari.* 2. *Ex inuidia.*

Tertiò, Ex superbia, quâ desiderat coli vt Deus, cuius similitudinem initio statim appetijt. Cùm ergò videt se ab hominibus id non posse obtinere: hinc in eos odium: vti Amanis in Mardochæum; quòd videret eum sibi non assurgere. Vnde hodie etiam à Christo adorari petijt: Sed cùm id non impetraret, tunc reliquit eum & abijt. 3. *Ex superbia.*

Quartò, Vt prorogent diem Iudicij, quo se ad internum detrudendos omnes & acriùs puniendos sciunt. Idcircò ne tam citò impleatur numerus electorum, peruertere moliuntur homines. 4. *Vt prorogent diem Iudicij.*

Quintò, Ex mera nocendi libidine & voluptate, quæ prouenit ex obfirmata eorum malitia. Licet enim nihil aliud inde lucretur, quàm maiora sibi supplicia, ita tamen ardent cupiditate nocendi, vt nostris calamitatibus delectentur, nec satiari ijs queant. 5. *Ex nocendi libidine.*

Quæ cùm ita sint; quis non videt Primò, quàm stultè agant homines qui cum hostibus his truculentissimis contrahunt fœdera & amicitias? qui se illis deuouent: qui eorum opem implorant: qui cum illis colludunt: qui ob leuiculam voluptatem aut lucrum eorum iugum subeunt? *Collige hinc.* 1.

Secundò, Quantopere nobis timendum sit, qui in tot hostium acerrimorum medio versamur. Verè nobis dicitur id Eccl. 9. *In medio laqueorum ingrederis.* Et Isa. 24. *Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terra.* Ideoque dicere cum Dauide possumus: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar,* Psal. 119. q. d. cum rectoribus tenebrarum harum (Cedar enim tenebras significat.) Si lepusculus inter plurimos canes, columba inter accipitres, homo inter leones, nauis inter scopulos versaretur, quæ illis spes salutis esse posset? At nos in maiori periculo versamur, Dæmones enim fortiores, immaniores, inuisibiles sunt, excludi nequeunt: nocent etiam non irritati, ex aëre in nos pugnant. O si oculos ad hæc apertos haberemus! videremus immanes bellnas vndique circa nos fremere & paucissimos euadere. Et tunc 2.

iam

iam non videremus, luderemus & tam temerè ac sine vllo metu peccaremus.

Tertiò, Quantum nobis vigilandum sit & de armis spiritualibus prouidendum, contra tantos insidiatores. Hoc enim subiecit Apostolus *ad Eph.6* postquam insidiatores hos descripsisset, *Propterea*, inquit, *accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo.* Quæ autem, inquies, hæc armatura? Breuiter, oratio, ieiunium, verbum Dei, pœnitentia, meditatio de passione Domini, &c.

CONCIO IV.

Quadragesima tempus acceptabile.

Primò enim est tempus commodum ad ædificandum, id est, ad reparandam animæ domum.	*& merita bonorum operum.*
2. *Ad tondendos capillos, peccata scilicet concupiscentia.*	5. *Ad præliandum contra hostes inuisibiles.*
3. *Ad minuendum sanguinem, hoc est reatũ pœnæ peccatis debitum.*	6. *Ad ablactandos infantes ventri & luxui deditos, id est, ad abstinendum a carne & solitâ soporis refectione.*
4. *Ad mercandum & lucrandum gratiam*	7. & 8. *Ad spargendum semen Eleemosynæ & metendas fruges vitæ æternæ.*

THEMA.

Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis. 2.Cor.6.

A. MVlti sunt, Auditores, qui suas actiones instituunt & dirigunt iuxta Astrologorum placita, qui ex astris multa diuinant, plerumque exiguo fundamento; veluti quando sit ædificandum, quando bellandum, quando minuendus sanguis, quando attondendi capilli, quando ablactandi infantes, &c. Parum aut nihil prodest attendere ad hæc somnia & somniatores. Cuperem vos potiùs audire S. Paulum & ex eo Ecclesiam in Epistolâ hodiernâ, quæ longè maiore certitudine præscribit nobis tẽpus multis bonis actionibus admodum accommodum. Est autem tempus quadragesimale, de quo intonat hodie Ecclesia cum Apostolo: *Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Est enim Quadragesima reuerà tempus commodum ad ædificandum, ad capillos attondendos, ad sanguinem minuendum, ad mercandum, ad bellandum, ad infantes ablactandos, ad seminandum, ad fruges congregandos. Quæ omnia nunc videbimus.

B. I. Quadragesima tempus ad ædificandum. Quadragesima sit PRIMÒ, Tempus acceptabile ad ædificãdum. Prima nostra cura esse deberet de reparandâ animæ domo, quam toto anno non tam extruere, quàm destruere solemus. Sed plerique hominum solùm intenti sunt quomodo ædificet temporalia, de animâ nihil soliciti; vel certè huius structuram inmiùm prolongant. Legimus apud Aggæum *cap. 1.* Iudæos reprehendi, quòd reuersi è Babylone, domos tantùm suas solertet ædificarent, domum verò Dei negligerent. Dicebant enim: *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.* Quibus respondet Deus: *Numquid vobis tempus est, vt habitetis in domibus vestris laqueatis, & domus ista deserta?* q.d. Habetisne vos tempus ædificandi domos vestras ad luxum & splẽdorem: & non habetis tempus ædificandi templum ad necessitatem? Nunc ergò tempus est ædificandi etiam templum; *Ascendite in mõtem, parate ligna & ædificate domum & acceptabilis mihi erit.* Domus Dei est anima nostra, quæ destruitur per peccata, quæ toto anno committimus. Hæc ergo reparanda est & quidem ante omnia. Sed communis plurimorum vox est per annum. *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.* Omnes sciunt pœnitentiam agendam & volunt pœnitere; sed nõdum. Interim verò tempus habent ad sua commoda sectanda, voluptates, honores, lucra parãda: pro animæ necessariâ reparatione non habent. Ecce igitur nunc tempus acceptabile, tempus Quadragesimæ; ascendite in montem pœnitentiæ, portate ligna contritionis ad exurenda peccata vestra; nunc pacem offert Deus, nunc vocat ad pœnitentiam & offert occasionem, quam si negligamus, forsitan inposterum subtrahet nobis Deus. Exẽplo est Otto III. Imperator, qui ob cædem Crescentij cõtra datam fidem factam, imperio se abdicare & monachum agere spoponderat S. Romualdo, à quo monitus de adimplenda promissione, respondit se quidem id facturum, sed nondum; Romam sibi priùs expugnandam & puniendam. Verùm Romæ vxorem Crescentij occisi sibi iunxit seu in vxorem seu in concubinam: quæ videns recedere à se Imperatorem, chirothecas veneno infectas in amoris signum ei donauit; vnde Imperator paulò pòst perijt. Baron. anno 1001. & 1002. Ita nimirum à morte præueniuntur illi; qui cùm possent præuenire eam, noluerunt.

SECVNDÒ, Est tempus acceptabile ad tondẽdos capillos. Legimus 2.Reg.14. Absalonem semel in anno tonderi solitum, quia tandem grauabat eum cæsaries, tametsi alioqui capillis suis delectabatur. Capilli sunt peccata, quæ ex concupiscentia oriuntur, sicut capilli ex carne, matre concupiscentiæ. His delectatur quidem peccator, dum peccat, sed postea grauatur eorum pondere. Audi Dauidem psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum* (quod faciunt & capilli) *& sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Nec mirum, quia si toto anno non tondeantur, plerumque multæ sunt. Vnde idem Dauid *psalm. 39.* ait: *Comprehenderunt me iniquitates meæ & non potui vt viderem: Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Vt enim capilli nimis longi & densi defluunt ad oculos & impediunt visum; ita peccata nimiùm aucta excæcant peccatorem. Quare semel in anno saltem tondendi sunt hi capilli, quod fit per pœnitentiam, quasi per forficem. Sanè Absalon quia nimiùm excrescere passus est capillos suos, tandem ijs quercui implicatis suspensus est & perijt. Idem contingit ijs, qui

C. II. Tempus ad condendos capillos.

qui in peccatis suis inueterascunt, nec suo tempore ritè ea exonerant. Quandoque enim ad desperationem vel insaniam rediguntur, pressi pondere peccatorum suorum. Ecce igitur nunc tempus acceptabile ad tundendos hos capillos, siquidem id nunc præcipit Ecclesia materna sua auctoritate, quod alijs temporibus suadet tantùm.

D. III. Tempus ad minuendum sanguinem. TERTIÒ, Tempus acceptabile ad minuendum sanguinem. Sanguis noxiùs vel nimius corpus grauans reatum pœnæ significat, debitum peccatis. Is verò in multis tantus est, vt post dimissa etiã peccata requiem nõ habeant, donec satisfaciãt. Hinc enim exclamat Dauid ad Deum velut Medicũ suum iam à culpa absolutus: *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ*, Ps. 50. sentiebat enim se vrgeri & premi à sanguine Vriæ, quem occidi fecerat iniquè & cuius thorum violauerat. Ac licet audisset à Nathan dimissa sibi esse peccata, intellexit tamen ab eodem luendas sibi pro iisdem pœnas, quas hîc deprecatur. Sanguis enim Vriæ vindictam expetebat: quod suo etiam modo facit quæuis iniuria & iniquitas siue in Deum, siue in proximum, siue in subiectum proprium commissa. Peccatum enim occidit animam & fundit quodammodo eius sanguinem, qui vindictam à Deo postulat. Iam siquis intra annum sæpius occidit animam suam per mortalia peccata, qua ratione, obsecro, non sentiet se grauari nimio illo & noxio sanguine? Neque tibi persuadeas onus hoc deponi per tunsionem pectoris, per vnum vel alterum rosarium: cutis scindenda, sanguis vel lachrymæ eliciendæ sunt: *conuertimini ad me in toto corde vestro*, inquit Dominus Ioel. 2. *in ieiunio & fletu & in planctu, & scindite corda vestra.* Quo facto adhuc dubitat Propheta de sanitatis certitudine: *Quis scit*, inquit, *si conuertatur & ignoscat?* Qui sanguine abundat, nisi eum subinde minuat, morbum sibi conciliat. Et qui vix vnquam minuit debita sua per voluntarias corporis castigationes, quantum sibi onus pœnarum accumulabit in purgatorio luendarum? Ecce igitur nunc tempus acceptabile ad hunc sanguinem minuendum, per flagella, cilicium, humicubationes, vigilias, abstinentias, &c. Prouocamur enim nunc ad hoc ipsius Christi exemplo, qui vt liberaret nos à peccato & gehenna, heu quantum effudit sanguinis? neque tamen existimemus nos idcirco liberos à pœnis temporalibus, quas denuò post baptismum contraximus, hæ nobis exsoluendæ sunt. Prouocamur exemplo tot Christianorum, qui hoc tempore, præsertim in maiore hebdomadâ & triduo passionis varijs se castigant modis, abdicantque se voluptatibus.

E. IV. Tempus ad mercandum. QVARTÒ, Tempus acceptabile ad mercandum & lucrandum. *Leuit.* 25. constituit Deus certum tempus, quo redire vnusquisque posset non solùm ad pristinam libertatem si seipsum vendidisset, verùm etiam ad pristinas possessiones & bona sua, si ea distraxisset. Porrò hic annus erat quinquagesimus, dictus Iubilæus & remissionis. Voluit enim Deus vt familiæ in suis possessionibus & facultatibus cõseruarentur. Vult etiam vt quisque bona gratiæ, quibus nos ditauit, perpetuò cõseruemus. Verùm quid agit maior hominum pars toto penè annoẽ vendunt seipsos, gratiam & merita sua, multisque modis obligant crudelissimo Tyranno, Dæmoni, qui non ad alium finem eos emit oblatis modicis voluptatibus, quàm vt mactet & perdat. Quàm multi in hoc anno vendiderunt Dæmoni suam existimationem, suam castitatem pro breuissimâ libidine? quàm multi suam fidem datam Christo in Baptismo, dum se Dæmonis seruitio & veneficio obstrinxerunt? quàm multi priùs optimè instituti, hoc anno sunt peruersi, atque ita vendiderunt optimam suam indolem, institutionem, virtutes? quàm multi maximum meritorum cumulum sibi comparatum vno peccato prodegerunt? Porrò non vult Deus vt ab his possessionibus nostris omnino deijciamur: locus est regressui ad eas, est & tempus. Et quodnam magis aptum, magis acceptabile quàm hoc ipsum Quadragesimæ? Hoc enim potissimùm tempore offert nobis Christus pretium sanguinis sui, quo redimere nos & omnia nostra possumus à Diabolo modò ipsi velimus. Tantùm abrumpamus vincula, excutiamus iugum dæmonis & abrenunciemus ei per veram pœnitẽtiam, & redemimus nosipsos, quia pro liberatione nostrâ dedimus Christi sanguinem, qui hoc anniuersario effusionis suæ tempore maximè operatur & prostat omnibus, solâ pœnitentiâ parandus.

QVINTÒ, Tempus acceptabile ad præliandum contra hostes inuisibiles; quibus superandis commodissima, facillima & vniuersalis panoplia est oratio, quam præscribit ad *Ephes.* 6. Apostolus. Deus enim est, qui in omni tentatione dat victoriam, vnde eius adiutorium oratione impetrandum. Nouimus Moysen orando plus effecisse contra Amalecitas, quàm Iosuen pugnando *Exod.* 17. Est autem hoc sacro tempore maxima necessitas simul & commoditas orandi. Necessitas, quia nunc dæmon maximè laborat perturbare homines & à virtutum studio auertere. Commoditas, quia nunc Ecclesia auget preces in diuinis officijs adeoque præit filijs suis, proponit etiam ob oculos vtilissimam orationis & Meditationis materiam, Christi passionem; adhæc subtrahit corpori partem cibi, vt cibus animæ, qui est oratio, duplicetur: Multum enim confert ad orandum stomachus ieiunus, sicut econtrà stomachus repletus somnum potiùs quàm orationem cogitat. Sanè discipulorum Christi oculi post cœnam erant grauati in monte Oliueti, ideoque ad vigilandum in oratione indispositi. Quæ causa videtur fuisse vt Christum partim negarent, partim desererent. Tempus etiam nunc est pugnandi cõtra prauos habitus vitiorum & malas propensiones. Nemo nunc otio diffluat, omnes ad hoc incumbant. Tempus nunc euellendi vitia, & tempus plantandi virtutes. Dauid quia eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, otio indulgebat, captus F. V. Tempus ad præliandum.

ptus est à Dæmone per intuitum Bethsabeæ. 2. *Reg.11.* Caueant ibi ergo, qui hoc tempore, quo Principes tenebrarum solent ad bella prodire, non vacant orationi, sed otio & somno.

G. VI. Tempus ablactandi infantes. SEXTÒ, Tempus acceptabile ad infantes ablactandos (vulgo Kinder zuentwehnen.) Est autem hæc ablactatio abstinentia à carne & solità corporis refectione; seu ieiunium. Toto ferè anno plerique indulgent ventri, luxui & ebrietati: adhærent velut paruuli vberibus, ex quo incapaces fiunt omnis disciplinæ & sapientiæ cœlestis. Denique venter omniũ importunissimus hostis est & minimè satiabilis; (vt alibi ex Serapione audiuimus) siquidem mox fremit & indignatur, si vel triduo pabulum ei subtrahatur. Quid igitur facit Ecclesia vt ab hoc importuno exactore quadantenus saltem liberet nos? Ieiuniũ instituit, quo ventri quidem necessitas tribuatur, superfluitas verò dematur, vt ita cœlestis gratiæ, disciplinæ & sapientiæ capaces efficiamur. Hinc Isaias c.28. eùm gulam & ebrietatem Iudæorũ reprehendisset; subdit mox: *Quem docebit scientiam & quẽ intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Carnis esus & deliciæ lac sunt hominum carnalium, quibus durissimum videtur sine carnis esu viuere. Verùm aliud hoc tempore docet nos Ecclesia; cibum puerilem subtrahit, vt solidum largiatur, qui mentem satiet, non ventrem. Est autẽ hoc sacrum tempus commodum valdè ad ieiunandum: tum quia modò dies nec sunt longiores, vt in æstate: nec frigidiores, vt in hyeme: nec occupatiores, vt in autumno: tum quia euacuatio corporum circa hoc tempus prodest ex Medicorum sententiâ; tum quia Christi passi & felle potati memoria nos inuitat. Verè igitur infantes sunt, qui à carnis esu & consuetâ victitandi ratione ablactari nolunt: infantes, inquam, dierum seu adulti, cuiusmodi in Ecclesia nullos esse debere prædixit Isaias c.65. *Non erit ibi amplius,* inquit, *infans dierum.*

Ser. 4. Conger. Conc. 1.

H. VII. Tempus seminandi. SEPTIMÒ, Tempus est acceptabile ad spargendum semen, de quo Apostolus 2. Cor.9. dixit. *Qui parcè seminat parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus* (id est liberaliter) *de benedictionibus & metet.* Vt enim semen in agrum iactum multum fructum patit seminanti; sic & eleemosyna, cuius tres fructus recenset eo loco Apostolus dicens: *Panem ad manducandum præstabit* (DEVS) *& multiplicabit semen vestrum & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Panis ergo & opes & meritum vitæ æternæ messis sunt eleemosynæ. *Sicut semen,* ait S. Basilius hom. 13. de Eleemosyna, *in terram iactum fructum fert centuplum: ita & eleemosyna data pauperi. Si ergo vnus tantùm tibi sit panis & ad fores rogatur, depromeillum & tollens manus in cœlum dic: De modico do fratri & tu Domine da mihi periclitanti; nec dubita quin panis quem in hac dabis penuriâ, agricultura semen ad copiam ministrabit.* Est autem Quadragesima huic semini spargendo tempus commodissimum; tum quia melius ieiunare non possumus, quàm si cibum quem subtrahimus nobis, pauperibus largiamur; Nihil enim inde nobis deperibit de substantia nostra. Tum quia hac eleemosyna facimus nobis amicos Christi aulicos, vt faciliùs in Paschate ad eum accedere & veniam impetrare possimus. Passim autem hoc tempore obuij sunt hi aulici, præsertim morbo detenti, qui quo victum sibi parent, non habent.

I. VIII. Tempus metendi. OCTAVÒ, Tempus acceptabile ad metendas & colligendas fruges; quod fit per verbi Dei sedulam auditionem. Sic enim S. Augustinus *in capite ieiunij serm. 56. de temp.* scribit: *Sicut tempore messium vel vindemiarum, vnde caro nostra possit sustentari, colligitur: ita in diebus quadragesimæ, quasi in spiritali vindemia ũ vel messium tempore, vnde anima nostra in æternum possit viuere, congregetur. Quia sicut negligens quisque, si opportuno tempore nihil collegerit, per totum anni spatium fame torquebitur: ita qui hoc tempore spiritale triticum & cœleste mustum ieiunando, legendo, orando, in horreis animæ suæ prouidere & congregare neglexerit, in æternum durissimam sitim & crudelẽ inopiam sustinebit. Certissimè scitote fratres charissimi: quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima, quæ assiduè non pascitur verbo Dei. Et quomodo caro per famem & inopiam tenuis & sicca velut quoddam simulachrum efficitur: ita & anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida & inutilis & ad nullum opus bonum congrua inuenitur,* &c. Quare sicut formica congregat sibi in æstate annonam ex messibus, vnde possit viuere in hyeme: ita prouideat sibi vnusquisque pabulum animæ è concionibus. Est autem Quadragesima ad has verbi Dei fruges colligendas commoda valdè, siquidem in ea passim crebriores fiunt conciones, quas si surdâ vel inattentâ aure pertransierimus, *ipsa nobis medicamenta,* ait S. Aug. *serm. 55.* de tempore, *conuertentur in vulnera, & inde habebimus iudicium, vnde potuimus habere remedium.* Et timendum ne id multis, quod quibusdam Israëlitis, accidat, quibus nimia abundantia cœlestis mannæ fuit vermium materia, qui quantò maiorem illius copiam asportarunt, tantò plures vermes domi repererunt. Concionum ergo copia neglecta pariet copiam vermium, qui rodent corda improborum in iudicio & gehenna. Quare, Auditores, *hortamur vos,* inquit Apostolus in Epistola hodierna, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis,* hoc est, tempus hoc tam commodum & acceptabile ad animam ædificandam, ad tondendos capillos peccatorum, ad minuendum sanguinem pœnarum, ad redimendam gratiam & merita, ad præliandum contra hostes animæ, ad infantes ablactandos, ad spargendum semen, ad colligendas fruges, frustra & inutiliter elabi vobis sinatis.

CON-

CONCIO V.

Motiua ad amplectendum obuijs vlnis quadragesimale ieiunium.

Ad acceptandum ieiunium quadragesimale monent nos,

1. *Exemplum Christi & veterum Sanctorum.*
2. *Obseruatio huius ieiunij omnibus Christianis seculis, etiam à gentilibus continuata.*
3. *Præmium ieiunantibus, & pœna ieiunium violantibus imposita.*

THEMA.

Postquam ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus, postea esuriyt. Matth. 4.

A REm nouam, Auditores. Appulit nuper ingens nauis Asellis, halecibus & huiusmodi quadragesimalibus cibis onusta de mari Occidentali ad ostia Albis, iter ad nos diriges. Eam verò nos in hanc nostram vrbem pertrahere debemus, indeque victitare totâ Quadragesimâ. Sed quâ ratione, dicet aliquis, hanc onerariam nauim ad nos aduerso flumine deuehemus? Iungendi inprimis equi robusti, qui præcedant & nauim trahant. Deinde qui in naui sunt, remigare debent. Denique vela expandenda & ventorum adiumento vtendum. Hoc pacto nauis non difficilè aduersas vndas superabit. Atque hæc subsidia sunt, quæ ieiunij huius pondus mirum in modum subleuant. Audiamus.

B. I. Exemplú primò Christi. PRIMÒ, Præcedunt & trahunt nauem Christus & veteres Christiani. Christus primò, qui & ipse ieiunauit & quidem ante nos multoque rigidiùs, quàm nos ieiunemus. Nam primò, totis 40. diebus nihil comedit vel bibit. Secundò, ieiunauit mediâ hyeme, quando ob circumstans frigus maior est ventriculi calor & proinde cibi appetentia; statim post festum Epiphaniæ incipiendo, sexto Ianuarij. Tertiò, dies illos 40. sub dio egit in orationibus & vigilijs, citra humanam consolationem, eratque cum bestijs, vt ait S. Marcus. Nobis verò vna refectio quotidie conceditur & caro tantùm prohibetur: *nos ieiunamus tempore nobis congruo*, vt ait S. Hieronymus ad Marcellam, scilicet nec nimis calido, nec nimis frigido: nobis denique honestæ recreationes hoc tempore non prohibentur; quamquam eæ moderatæ & licitæ esse debent. Vt taceam quòd Ecclesia à ieiunio excipiat eos qui non possunt. Quis ergò sequi Ducem suum detrectabit? non dixit ille: Qui vult sequi post me, tollat crucem meam: sed *tollat crucem suam*, hoc est, suis humeris & viribus parem. Præcedit ipse pedes, cur nos in equis sedentes sequi detrectemus? Certè S. Ambrosius *serm.* 36. vult Quadragesimam à Christo constitutam. Prædictionem eius habemus Matth. 9. *Auferetur ab eis sponsus & tunc ieiunabunt*, inquit Dominus. Et tametsi is forte per semetipsum non præcepit nobis ieiunium, sed tantùm per Apostolos & Ecclesiam suam: nónne adhuc deceret saltem imitari Christum? sufficiebat Apostolis, quòd vidissent Dominum ieiunio præcessisse, non requirebant præceptum; protinus enim viderunt decere omni modo vt eum imitemur, qui nostri causâ ieiunauit. Hinc enim Dominus prædixit per Oseam c. 11. *In funiculis Adam traham eos*; id est, in funiculis hominis. Non enim vult nos trahi Dominus ad opera bona iniecto fune, sicut trahuntur bruta per pontem vel ad macellum (quia lex nostra lex amoris est, nó timoris seruilis) sed sicut homines trahuntur. Trahuntur autem homines cùm vident suum Ducem, Principem vel Dominum aliquò præcedere, quia hunc non sequi, pudori & ignominiæ sibi ducunt. Sic Dauidem Regem nudo capite ambulantem sequitur omnis populus 2. Reg. 15. Alexander Magnus Persidem interiorem ingressurus cùm iter perpetuis niuibus gelu concretis offenderet: milesque inde territus reuerti vellet; Rex castigare territos supersedit. Cæterùm ipse equo desilijt pedesque per niuem & concretam glaciem ingredi cœpit. *Erubuerunt non sequi*, ait Quintus Curtius lib. 5. de rebus gest. Alexand. *primùm amici, deinde copiarum Duces, ad vltimum milites, primusque Rex dolabrâ glaciem perfringens, iter sibi fecit. Exemplum Regis cæteri imitati sunt.* Ita Curtius. Quid putatis Christiani? an non ad Paschale, imò cœleste gaudium introducere vult nos Christus? sed per pœnitentiam, sed per ieiunium eundum est. Quid tum? ipse præiuit & prior glaciem carnis fregit nobisque iter pandit, secuti mox Apostoli, tum orbis totus. Quid nos? pudeat non sequi.

Secundò, Præcedunt & trahunt nauem ieiunij, veteres patres & viri sancti. Primò, Ieiunia Apostolorum frequentia & rigida fuisse patet ex Domini prædictione, *Marci* 2. Paulus vixit *in ieiunijs multis*. 2. Cor. 11. & alij cum ipso, *Act.* 13. & 14. S. Petrus Apostolus penè semper ieiunans, nihil aliud sumebat in cibum, nisi lupinos minuto asse væneuntes, vt scribit Gregor. Nazianz. in orat. de pauperum amore. S. Matthæus oleribus, baccis & seminibus, non autem carnibus vescebatur, teste Clemente Alexandrino *l.* 2. *pædagog. cap.* 1. S. Iacobus à carne & vino semper abstinebat, teste Eusebio *l.* 2. *hist. cap.* 22. Primi illi Christiani, qui apud Alexandriam à S. Marco instituebantur, in aquâ tantùm, pane, sale & hyssopo ieiunabant: & aliqui eorum quarto, quinto, sexto demum die corpus reficiebant vt refert ex Philone Eusebius *l.* 2. *cap.* 17. Lucianus in Philopatro testis est Christianos sic solitos seruare ieiunium Quadragesimæ, vt decem soles sine cibo transigerent. Post hos viri notæ sanctitatis, quorum aliqui totos 40. dies sine cibo transegerunt, vt Simeon Stylites in columna 36. cubitorum stans perdius & pernox, apud Theodoretum, Simeon Salus apud Leontium: Mamas apud Metaphrasten, Macharius apud Palladium: S. Gerasimus apud Cyrillum. Monachi 2. Veterum Sanctorum.

nachi deinde veteres. quorũ aliquot totis 20. diebus sine cibo vixisse scribit Greg. Nazianz. ad Hellen Alij è cœnobijs in solitudines per Quadragesimam dimittebantur vt vel herbis viuerent, vel exiguo cibo, quem secum è cœnobio tulerant, &c. Monachi Tabennesiotæ Quadragesimam transigebant, cibis igne non coctis. Inuitis PP. De laicis quibusdam testatur Irenæus & Epiphanius: quòd alij 40. horas alij 2. alij tres, alij 7. dies integros ieiunarint præcipuè sub finem Quadragesimæ. S. Hieronymus *in 7. ep. ad Latam.* de institutione filiæ, prohibens in tenella ætate onera abstinentiæ, *In quadragesima tamen*, inquit, *continentiæ vela pandenda sunt & tota auriga retinacula equis laxanda properantibus.* Accedat Imp. Iustinianus, qui in Quadragesima, per duos dies cibis abstinebat & vino; solis pauculis herbis agrestibus aceto maceratis victitans, vt refert Procopius *l. 1. de ædific. Iustin.* Carolus Magnus ieiunijs etiam cum periculo valetudinis corpus suum exercuit. Mutius l. 8. Primillaus Poloniæ Rex per Quadragesimam vino diluto admodum aut insuauiore cereuisiâ vtebatur, cilicium interim super nudo gestans. Crom. l. 9. Adhæc abstinebant veteres Christiani non solùm à carne, ouis, lacticinijs, sed etiam à vino, & multi à piscibus. vt patet ex Epiph. *in compendio* à Basilio *serm. 62. de ieiun.* Hieron. *in epist. ad Eustoch.* &c. Denique etiam maiores nostros ante hoc sæculum rigidiores fuisse in ieiunio ex eo patet, quod nostrâ primum memoriâ ante non multos annos dispensatum sit nobiscum, vt oua & lacticinia comedere possemus. Illi etiam annis adhinc 300. ante tertiam promeridianam horam rarò prandebant; nihil de collatione vespertinâ sciebant, vt patet ex S. Bernardo *serm. 3. de Quadr.* Hæc erant veterum Christianorum ieiunia, qui haud dubiè optimè sciebant, cur ita ieiunarent, Contendebat enim quilibet eorum Christi ieiunium imitari eique esse quàm proximus; & præterea sciebant, quas pareret ieiunium virtutes & vtilitates. Quorum nunc deuenimus, qui ne tantam quidem Ecclesiæ indulgentiam in ieiunando ferre possimus? Videtur mihi hic ieiunij progressus in Ecclesia aptè comparari posse cum statua Nabuchodonosoris, cuius caput erat de auro optimo, pectus & brachia argentea; venter & femora ærea, tibiæ autem ferreæ, pedum denique pars alia ferrea, alia de luto & fictilis *Dan. 2.* Ieiunium Christi capitis nostri de auro optimo, quia omnium præstantissimum: Apostolorum & primorum Christianorum de argento, quia ieiunabant seriò, imò ieiunia instituebant, & interim tamen saluti aliorum & prædicationi incumbebant. Eremitarum, Monachorum & aliorum Christianorum qui Apostolis successerunt, ex ære, quia fortissima, diuturna & planè ærea. Maiorum porrò nostrorum ferrea, suo adhuc rigore constantia, nec multùm adhuc remissa. Denique pedes sumus nos, quorum ieiunia partim adhuc ferrea & pristini vigoris, vti religiosorum & paucorum in sæculo: partim verò lutea, vti sæcularium penè omnium, qui tot dispensationibus Ecclesiæ non contenti sibi ipsis ieiunia relaxant quantum volunt, & vel prorsus non ieiunant, vel admodum dissolutè. Vnde sic vt Apostolus ait. 1. Cor. 3. *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* debetur Christo corona ex auro optima: Apostolis & coæuis Christianis ex argento: successoribus eorum ex ære: Maioribus nostris & hodiernis Monachis ex ferro: nobis verò ex luto: atque vtinam nõ illa, de qua *Esa. 22.* dicitur, *Coronans coronabit te tribulatione.*

SECVNDÒ, Remigant in naui ex vna parte Christiani, ex alterâ Gentiles. Primò Orbis Christianus, qui vniuersus omnibus Christianis sæculis ieiunium Quadragesimæ obseruauit & obseruat etiamnum. De Antiquitate loquitur S. Hieronymus in ep. ad Marcellam aduersus Montan. cùm ait. *Nos vnam quadragesimam ex traditione Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus.* At Theophilus Alexãdrinus in opere paschali: *Habemus quadragesimã* inquit, *ab Apostolis institutam & ordinatam.* Idem testantur Clemens, Epiphanius, Leo, alijque, esse videlicet Quadragesimam traditionem Apostolicam, & patet ex S. Ignatio discipulo S. Ioannis Apostoli, qui in epist. ad Philipp. ait: *Quadragesimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim cõtinet Dei conuersationis.* Sed & Canon extat Apostolorum 68. vbi clericus iubetur deponi, qui quadragesimã paschæ non ieiunauerit; Laicus verò communione priuari. Quod etiam fecerunt posteriora Concilia. Gangrense anno 324. transgressores excõmunicat can. 19. Toletanum octauum anno 670. eos communione in paschate priuat & toto anno carnis esu prohibet. De vniuersalitate illius S. Basilius serm. posteriore de ieiunio ait: *Non Insula, non terra, non ciuitas, non gens, non denique locus vllus tam desertus est, vbi prædicatio de quadragesimâ non fuerit audita: sed & exercitus & iter facientes terrâ mariq́, Mercatores quoque omnes similiter audiunt libenterque suscipiunt. Quare nemo se ex ieiunantium catalogo eximat, in quo omnia genera, omnis ætas & omnes dignitatum differentiæ recensentur,* &c. hæc Bas. S. item Bernardus *serm. 3.* de Quadrages. ait: *Hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsque ad vesperam ieiunabũt nobiscum pariter vniuersi: Reges & Principes; populus & Clerus; nobiles & ignobiles; simul in vnum diues & pauper.* Quando itaque tam antiqua & tam communis est Quadragesima, omnibus sæculis & nationibus nota & vsitata: quando orbis totus remigat in hac naui, num soli nos otiabimur? An non meritò nobis dicetur, quod Ionæ dormienti intra nauem mediâ in tempestate, dictum fuit à Gubernatore nauis: *Quid tu sopore deprimeris? surge inuoca Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis & non pereamus?* Facta erat tempestas magna in mari *& nauis periclitabatur conteri. Et timuerunt nautæ & clamauerunt viri ad Deum & miserunt vasa de naui in mare, vt alleniaretur nauis.* Solus Ionas interim dormiebat, vnde & meritò sors super illũ cecidit vt in mare mit-

C. II. Societas Primo orbis Christiani.

mitteretur. *Ion.* 1. Quis non videt tempestatem & necessitates huius temporis, iactationem Ecclesiæ Catholicæ? Et ecce orbis Catholicus totus nunc laborat, ieiunat, orat. Quis etiam non videt pericula nostra, quibus in carne iactamur? Et cur non alleuiamus nauem, quod iam omnes faciunt? quid mirum si SS. canones eijciant ab Ecclesia eos, qui soli non ieiunant, velut Ionam è naui? Deinde quâ ratione audemus Apostolicā illam Quadragesimæ traditionem abijcere, quæ ab ipso Christo per Apostolorum manus ad nos deuenit? Venetorum Dux quotannis semel despondet & subijcit sibi mare annulo magni pretij maximisque alijs impensis, nec vllâ ratione hanc ceremoniam dimittit, quia ante annos 450. circiter de manu Alexandri tertij Pontificis annulum accepit, vt eo sibi quotannis in mare iacto Oceanum subijceret & mare desponderet, atque ita omnes scirent, maris sibi dominium concessum, auctore Villamontio *l. 4. peregrin. cap.* 34. Similem gratiam accepimus à Christo per manus Apostolorum, Quadragesimam, de qua hodie Ecclesia canit; *Videte ne in vacuum gratiam Dei*, id est, Quadragesimam, *accipiatis*. Ea enim subijcimus nobis carnem seu ventrem. Vnde S. Chrysost. in ep. ad Phil. ser. 13. ait: *non tot malorum causa est mare fines supergressum, quot venter corpori animaq; nostra. Mare omnem terram, in quam se effuderit obruit; venter verò vniuersum corpus. Pone illi terminum, quod natura satis est; quemadmodum mari Deus posuit littus*: hæc ille. Certè vti Venetiæ in maris fluctibus positæ: ita anima nostra in carnis periculis & æstibus. Quod annulus ille compescat Venetis mare, non credo; quod ieiunium, maximè Quadragesimæ, à Christo sanctificatum compescat carnis petulantiam, nihil dubitandum. Teneamus ergò mordicùs hanc traditionem multò antiquiorem, multò efficaciorem, multò digniorem.

2. *Gentiliū.* Secundò etiam gentiles: non iam dicam veteres, qui olim cœnabant tantùm non prandebant, adeoque semel tantùm in die comedebant, & quomodo nos in quadragesima, ieiunabant semper; (*in vsu enim non erant prandia*, ait Isidorus l. 20. Etymol. cap. 2. Et Cassiodorus in psal. 14. *antiquus mos erat*, inquit, *semel cibum sumere*, Idque rigidè obseruauit Plato, qui in ep. ad Dionis propinquos ait: *nullo modo placuit, bis in die saturum fieri*, apud Cic. l. vlt. Tusc. qu. Qui etiam ad discipulos suos quid peregrinū recensere volens, dicebat, *vidi monstrū in Sicilia: bis in die saturum.*) sed qui etiamnum vt Brachmanes & Boncij, Indorum sacrificuli ieiunijs addicti sunt, inediam totum diem tolerant; sale & pipere abstinent; vinum non adhibent De incolis Cambaiæ vrbis in regno Mogor scribit P. Emmanuel Pinnerus in hist. relat. de magno Rege Mogor sequentia: *Quidam eorum extrahunt ieiunium in octo dies, alij in 15. 20. 30. vt nec bolum sumant: tantùm licitus est potus aqua, si sitiant. Cuidam hanc pænitentiam agenti oculus sinister è capite excidit. Res miranda est quanto in pretio apud eos sit Brachmanus (qui est quasi quidam Vicarius) neque enim negotiationes suas auspicantur, nisi illo prius manè honorificè consalutato. Ego sanè omnino pudefactus abij, cùm viderem istos plus honoris vanis Dijs, quàm me vero & æterno Deo deferre. Vnus eorum mihi dixit, si Brachmanus suus sibi imperaret, vt omnes facultates suas erogaret in pauperes, se facturū, vitam quoque daturū, si ita iuberet. Et ita communiter affecti sunt omnes.* hæc ille. Numquid isti, Auditores, nō accusabunt nos in iudicio, si verissimo Christi Vicario ieiuniū præcipienti minimè acquiescamus? Denique etiam Turcæ & Mauri crebra & rigida peragunt ieiunia, quibus non modò à vino vt aliàs semper, sed ab alijs etiam escis toto die abstinent: qui tamen interim ferè omnes bellatores sunt. Vnde meritò Christianus quidam Imperator, ad milites suos à Saracenis victos: cùm illi causam acceptæ cladis in vini inopiā cōijcerent, quòd scilicet vinum soleat hominum animos accēdere & corporis vigorē agilitatemque addere, exprobrādo dixit: *At, qui nos vicerunt, aquā potant*; quippe cùm eorum legibus vinum eis prohibitum sit. Refert Maiol. *to. 2. canic. coll.* 5. Vereor profectò ne id ipsum nobis aliquando exprobret Imperator noster cœlestis. Vinum non habent gentiles cùm ieiunant, quia gratiam Dei confortantem non habent: vinum non habent, quia mercedem ieiunij in cœlo non habent: vinum non habens, quia reipsa à vino abstinent. At verò nos cùm ieiunamus, numquid possumus dicere: vinum non habemus? Habemus gratiam excitantem, Christi & sanctorum exempla, Ecclesiæ præceptum, cohortationes, minas, internam Spiritûs sancti excitationem & vnctionem: Habemus mercedem multiplicem nobis à Deo promissam: habemus ipsum materiale vinum nequaquam nobis vetitum. Quomodo ergò vinci nos sustinemus, ab ijs qui aquam potant?

Tertiò, Ventus subsequens & nauim promouens est item duplex; alter præmium ieiunantium: alter pœna præuaricantiū. Prior Eurus suauis, præmiū est Dei, angelorum fauor & amicitia, ieiunantes sequens. Etenim S. Basilius *orat. 2. de ieiun.* ait, *Cùm Deus ieiunantes conspicit vocat omnes cœli ciues vt eos intueantur.* Colligitur id ex hoc, quòd Eliam vocauit ad spectandum ieiunium Achab. *Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius.* 3. Reg. 21. Et hinc in Euangelio diei cinerū audiuimus *Matth. 6.* Dominum dicētem: *Cùm ieiunas, vnge caput tuum, &c. & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quis autem pugil non alacriter certat, si videat se à principe eiusque aula spectari? An non Pharisæi ieiunijs se conficiebant, vt viderentur solùm hominibus ieiunantes? Et quantò gloriosius est habere spectatorem Deum? *Quid desideras?* inquit S. Chrysost. hom. 19. in Matth. *nónne habere aliquos tuorum operum spectatores? Ecce igitur habes, non angelos, atque Archangelos tantùm, sed etiam horum omnium Deum. Quòd si habere etiam homines spectatores concupiscis; nec hac quidem mercede priuaberis, sed cùm opportunum tempus aduenerit. Nam modò si*

D.
III. *Incitamentum.*
1. *Præmij promissi.*

ſpectari velis, decem, aut 20. aut 100. *tantummodò hominibus oſtentare te poteris : ſi autem nunc latere curaueris, tunc* (*in die Iudicij*) *ipſe te prædicabit Deus, toto prorſus orbe*, &c. Vnde in Græco additum eſt. Ἐν τῷ φανερῷ, in aperto, ſcilicet, reddet tibi. Nec minus te animare debet, quod tu non videas Deum; non enim certat pugil, quia, videt principem, ſed quia ſe ab illo conſpici nouit. Quoniam igitur in hoc quadrageſimali certamine *ſpectaculum facti ſumus, mundo, angelis & hominibus*, ipſique adeo Deo, cur non alacriter certemus?

Adhæc ieiunantes, ait idem Baſilius vbi ſup. ab angelis ſingulari cuſtodiri tutela & libentiùs, quod intelligi ex hodierno Euangelio poteſt, vbi poſt ieiunium *acceſſerunt* ad Chriſtum *angeli & miniſtrabant ei*. Et præterea ibidem ait: *Angeli hoc tempore per omnes Eccleſias ieiunantes deſcribunt*. Deſcribunt arbitror, ſicut parochi communicantes, vt ſciant quinam digni ſint ſacrâ ſepulturâ, qui non. Deſcribunt, ſicut notarius eos qui ad nuptias inuitati, promittunt ſe venturos, vt ſciant qui cum Chriſto ſpōſo ſeſſuri ſint ad menſam patris eius in cœlo; ſic enim ipſe prædixit *Marc* 2. tunc ieiunaturos videlicet filios nuptiarum in diebus illis, quando ablatus fuerit ab eis ſponſus id eſt, poſt paſſionem & aſcenſionem eius. Vnde qui ieiunia indicta ſeruant, oſtendunt ſe prædeſtinatos & filios nuptiarum Chriſti eſſe. Certè S. Franciſcus ſuæ prædeſtinationis certiſſimum characterem ab Angelo accipere per ieiunia commeruit, qui præter paſchalem Quadrageſimam, duplicem aliam ieiunabat, vnam ante feſtum Aſſumptionis in honorem B. Virginis, alteram poſt illud Feſtum in honorem SS. Angelorum: vnde in fine huius ieiunij, præmij loco ſacra Chriſti ſtigmata per Seraphim ſibi impreſſa accepit. Ita S. Bonauent. in eius vita. Contrà verò qui ſe perperā excuſant & varias prætendunt neceſſitates cum inuitatis illis, non guſtabunt menſam Chriſti.

2. *Pœna imminentis.* Alter ventus auſterus & Aquilo, pœna eſt quæ ieiunium frangentibus à tergo inſidiatur. *Non enim leue peccatum eſt*, ait S. Ambroſ. ſer. 25. *indictum violare ieiuniū*. Et ſer. 34. *Quiſquis Chriſtianus conſecratā ieiunando non impleuerit Quadrageſimam, prauaricationis & contumaciæ reus tenebitur*. Et ſerm. 37. *Quadrageſimam in totum non obſeruare ſacrilegum eſt ; ex parte violare peccatum eſt*. Et S. Auguſt. ſer. 62. de tempore ait: *Alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam : in Quadrageſima qui non ieiunat ſentiet pœnam*. Sanctus etiam Baſilius orat. 2. de ieiunio, ait : *Minus periculoſum eſt militi abiecto ſcuto ad aciem inimicorum fugere, quàm homini Chriſtiano extra Catalogum ieiunantium inueniri*. S. Ambroſius ſerm. 25. perpendit periculum Ionathę, quod incurrerat dum contra præceptum patris ſui, quod tamen ignorarat parum mellis guſtaſſet : ſiquidem ex patris ſententia mori debuiſſet, niſi populus adeo reclamaſſet. 1. *Reg.* 14. Adiurauerat Saul exercitum vt nequis comederet panem vſque ad veſperam donec vlciſceretur ſe de hoſtibus ſuis. Et ex toto exercitu cùm viderent mel in via iacens, nullus applicuit manum ad os ſuum, vt vel paululum id guſtaret; adeò timebant Regis præceptum : præter Ionathan, qui præceptum non audierat, ſed poſtquam id violaſſet, & audiſſet, improbavit. Vnde reus mortis à patre proclamatur. Iam verò ieiunium Quadrageſimæ præceptum nobis eſt ab Apoſtolis & primò omnium à S. Petro, vt dicitur & ſcribit Abulenſ. *Matth.* 6. q. 152. Et deinceps nobis præceptum eſt ab omnibus Pontificibus adeòque etiam à Chriſto, cuius perſonam illi repræſentant & directione reguntur. Quod ſi igitur exercitus Saulis vniuerſus abſtinuit ad eius præceptum & minas : nos nō abſtinebimus? Et *ſi ignorans Ionathas*, ait S. Ambroſ. ibid. *indictum a patre ieiunium quia reſoluerit, morti addicitur: qui ſciens indictum à Chriſto reſoluit ieiunium, quod meretur?* hæc ille. Et ſi inſuper quis præceptum hoc contemnere, vel in eius contemptum id præuaricari audeat: quid quæſo meretur ille ? Exempla ſunt plurima eorum, qui propterea grauiter puniti ſunt. Mart. Cromerus *l.* 5 *hiſt. Polon.* refert Polonos Nactum Pomeranorum arcem obſidentes dum Quadrageſimam non ieiunando nec à carnibus abſtinendo violarent, nocturnis vmbris quaſi hoſtili exercitu exagitatos & è caſtris euocatos, occaſionem dediſſe obſeſſis vt de nocte erumpentes caſtra eorum ſuccenderent & magnam ſtragem ederent : Polonique re infecta diſcedere cogerentur. Similem ſtragem paſſi ſunt Geuſij referente Tilmanno Bredenb. *l.* 7, *collat. ſacr. c.* 55. anno 1575. fer. 4. paſchæ, quando ab Hiſpanis fuſi ſunt : eò quòd Hæretici illi Geuſij per Quadrageſimam carnibus ſaturarentur contempta religione ; Hiſpani verò Quadrageſimam religioſè peragerent, prædicente illis vicino quodam parocho, ſe quidem lætum, hoſtes verò triſte paſcha habituros.

Denique à tergo flat ventus igneus è gehenna, qui aduret eos, qui numquā ieiunare & ſuæ ingluuiei nihil vnquam detrahere volunt. Dicite enim mihi, quidnam damnauit Epulonem Euangelicum vt inter flammas tartari æternam ſitim & eſuriem pati debeat? non certè ſplendor veſtium, nec apparatus conuiuij, (quis enim damnet eos omnes qui delicatè veſtiuntur & veſcuntur ?) ſed nimirum id, quia *quotidie* epulabatur ſplendidè, perpetua agebat Bacchanalia, nunquam interrupit luxum, numquam ieiunauit, nihil vnquā ori detraxit. Hoc ergo æternum ieiunium haud dubiè expectat eos, qui omnia excludunt ieiunia, ſemper in popinis ſunt: & forſan etiam temporales aliæ plagæ, qualis comprehendit Hebręos in deſerto, qui carnes deſiderarunt & obtinuerunt quidem, ſed ad ſuam perniciem & interitum.

CONCIO VI.

Quid faciendum per Quadragesimam.

Conformare opera nostra debemus operibus Christi per suam Quadrag. exercitia: ac	*3. Orare & meditari.*
1. Ieiunare.	*4. Frænare cupiditates.*
2. Vigilare.	*5. Solitudini studere.*
	6. Pugnare cum dæmone, eiusque tentationibus resistere.

THEMA.

Ductus est Iesus in desertũ à spiritu vt tentaretur à Diabolo. Matth. 4.

A CHristum Dominum lætanter & cum desiderio in desertum abijsse ad ieiunandum conijcitur ex *Matth. c. 4.* vbi dicitur: *Ductus est Iesus in desertum à Spiritu.* Ex Marco c. 1. qui scribit: *Expulit eum spiritus in desertum.* Ex Luca c. 4. vbi dicitur: *Agebatur à Spiritu in desertum.* Quis enim duceret, quis expelleret, quis ageret Christum in desertum, nisi proprius eius spiritus, qui paulò antè in Baptismo super eum requieuit & qui à Patre & Filio procedit? Summâ igitur promptitudine, summâ alacritate Christus in desertum abijt: quia vt Ambrosius *in c. 1. Luca* ait: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Vtinam verò & nos tali Spiritu acti ingressi essemus Quadragesimam! Vtinam non coacti, vtinam non tristes, quò & ipsi filij Dei appellari mereremur, iuxta id Apostoli ad Rom. 8. *quicumque filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur.* Credam igitur vos Spiritu sancto afflatos inchoasse hoc ieiunium, si per nostram Quadragesimam ea agere studueritis, quæ per suam egit Christus. Quænam verò illa? Audite.

B. I. Ieiunandum. PRIMÒ, Christus ieiunauit, non sibi ad remedium, sed nobis in exemplum, quandò enim Christus eguit ieiunio cùm nullam senserit carnis rebellionẽ: multò minùs vinci ab ea potuerit? quod igitur Magister facit discipulo, hoc nobis Christus fecit. Cytharœdus quispiam coram discipulo cythara ludens, non ludit propter se vt ipse discat, sed vt discipulum doceat. Cythara corporis Christi optimè concinnata erat: nulla ibi passionum intemperies, nulla appetitus rationalis & sensitiui, carnis & spiritus dissonantia: vnde ad omnes virtutum actus & præcepta implenda expedita erat. Non ita corpora nostra in quibus contrarietas spiritûs & carnis, per quam impedimur ne viam mandatorum Dei facilè curramus: atterenda igitur caro, ieiunijs tendendæ chordæ passionum, subijciendi sensus rationi, vt cum spiritu & Dei voluntate concordent. Hoc fine Quadragesima ab Apostolis instituta, vt per eam corporis nostri fides accommodemus, quò posteà in Paschate lætissimum Alleluia, quod est angelorum Canticum, canere possimus. S. Ambrosius *Serm. 3. in quadrag.* ait: *Scriptum est (1. Ioan. 2.) qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare, si ergo vis Christianus esse, debes, quod Christus, facere. Ille qui peccatum non habebat, quadragesimam ieiunauit: tu non vis quadragesimam ieiunare, qui peccas? Ille inquam peccatum non habebat, sed pro nostris ieiunauit peccatis: qualis ergo apud tuam conscientiam Christianus es, cùm Christo pro te esuriente tu prandes? cùm saluatore pro te ieiunante reficeris?* hęc Ambros. Rudolphus Austriacus Imperator cùm aduersus Ottocarũ Bohemiæ Regem castra mouisset, & graui commeatus, (potus præsertim) inedia laboraret, ferunt colono, qui fortè socijs messoribus siceram deferebat, fuisse ablatam & Rudolpho oblatam; quâ visâ: *reddite*, inquit, *homini vasculum, ego enim non mihi, sed exercitui sitiebam*; quo audito exercitus vnà cum Imp. suo sitim fortiter tolerauit. Æneas Syluius *l. 3. comment. in res gestas Alphonsi.* Ecce abstinentia Imperatoris totum exercitum animauit ad inediam & sitim fortiter tolerandam: quomodo igitur cum Christo Duce nostro non alacriter ieiunemus, cùm videamus eum non sibi sed nobis esurijsse?

SECVNDÒ, Vigilabat, quia nemo dormiens, dicitur ieiunare; Christus autem ieiunasse dicitur etiam 40. noctibus: Nec inuenit eum tentator dormientem, sed vigilantem. Ac quo solertius vigilaret, humi procul dubio cubabat (quomodo enim in deserto lectum inuenisset?) ac proinde sæpissimè excitabatur. Sciebat nimirum Dominus ibi maximas vigere tentatoris insidias, cùm piè volunt homines viuere. Non tentabatur in cunis, non in templo inter Doctores, non degens apud parentes, non in baptismo: sed iam tempore ieiunij & austeritatis: quia tunc maximè insidiatur dæmon homini, cùm ab eo vult homo per pœnitentiam & vitæ innouationem recedere. Ita etiam Pharao tunc maximè laboribus & flagellis atterebat Israëlem: cùm is seruitutis iugum excutere & Deo in deserto sacrificare parabat. *Exod.* 5. Ingressi sumus & nos ieiunij theatrum, & conabimur, si qui fuimus in Dæmonis seruitute, ab eadem nunc recedere per pœnitentiam. Vnde is omnem mouebit lapidem, vt hoc impediat: puluinar nobis substernet, quò in peccatis pristinis sopiti conquiescamus; sed vigilandum nobis & identidẽ expergiscendum est, peccata præterita in memoriam reuocanda, conscientiæ remorsus obseruandi & denique per confessionem tollendi. Quis enim, quæso, dormire posset, si sciret domum suam hostibus vndique obsessam esse? Accesserat sæpiùs aliquando ad lectum S. Bernardi mulier impudica pudicitiam eius tentatura. Et quid agit Bernardus? *Latrones, latrones*, clamat, quoties illa venit, eoque clamore mulierem eiecit. Vt est in eius vita. Vigila igitur & tu hoc tempore, & latrones animæ tuæ sedulò obserua: ac si quos deprehenderis, latrones, latrones clama, eosque per confessionem eijce. Proderit ad hoc si corporali etiam vigiliæ plus solito tribuatur, eaque sacræ lectioni & orationi impendatur. Et quomodo C. II. Vigilandum.

modo Duce vigilante ſtertere audent milites? Audite Vriam induſtrium militem 2. Reg. 11. *Dominus meus Ioab*, inquit, *ſuper faciem terræ manet, & ego ingrediar domum meam vt dormiam?* Maluit enim dormire & iacere ante portam Regis, licet iuberetur ab eo domum ire & in lectum ſuum concedere.

D. III. Orandū.

TERTIÒ, Orabat & meditabatur quia ducebatur à Spiritu ſancto in deſertum, locum ſcilicet orationi & meditationi aptiſſimum: pari ratione hoc tempore orationi & contemplationi inſtantius vacādum: propterea enim Eccleſia nunc preces horarias auget, vt dum corpori cibum dimidiatum ſubtrahit, animæ cibum conduplicet: vtque maturius ad preces ſurgere, & expeditius ac diutius, liberi à vaporibus & fumis cerebri, ac negotijs quæ crebrior comeſtio cauſat, purius & attentius orationi vacare poſſemus, ieiunium inſtituit. Pari modo eundum cum Chriſto in deſertum vt vtiliter oremus. Sed quodnam hoc deſertum? Templum dico ego: nam primò deſerti inſtar aptiſſimum eſt orationi. Secundò deſertum eſt hoc tempore maximè templum, id eſt horridum ob arma paſſionis Chriſti in eo paſſim expoſita, altaria lugentia, cantica triſtitiæ; quæ omnia ſingularem in nobis deuotionem & compaſſionem excitare, & meditationem adiuuare debent. Deſerta denique dici Eccleſia debet, quia prôh ſæpe nimiùm deſeritur, quod queritur dominus Agg. 1. *Domus mea deſerta*, inquit, *& vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam*. Huc huc igitur vtinam vos duceret veſter ſpiritus. Sed ô quam diuerſi ſunt multorum ſpiritus? Spiritus Chriſti bonus duxit Chriſtum ad orationem, ad ieiunium, ad vigilias: Spiritus peccatorum malus aliò eos ducit, ſpiritus vanitatis ad confabulationes: ſpiritus gulæ ad commeſſationes: ſpiritus laſciuiæ ad choreas: ſpiritus auaritiæ ad aleas & ludos. Eiuſmodi ſpiritus erant, qui ducebant & præcipitabant in mare porcos, Matth. 8. *Impetu enim abijt grex ille in mare*, vt ait Matthæus. Ita nimirum illi qui porcorum vitam degunt & ventri tantùm viuunt, tādem in mare peccatorum aguntur, & ſubmerguntur.

Deſertum etiam quoddam vult Auguſtinus *ſerm. 77. de temp.* ipſum corpus Chriſtiani eſſe, cùm non impletur cibis, non poculis irrigatur, ſed arentis inediæ ſqualore negligitur. *Deſertum* (inquit) *eſt corpus noſtrum cùm abſtinentia marceſcit caro, ſiti pallor obducitur, & contemptu rerum totius hominis ſpecies inculta ſordeſcit. Tunc Chriſtus Dominus habitat deſertum pectoris noſtri cùm noſtram terram fame ſqualidam & ſiti aridam eſſe reperit.* &c. hæc Auguſt.

E. IV. Frænādæ cupiditates.

QVARTÒ, Erat cum beſtijs, vt inquit Marcus. Sed quid cum ijs fecit? Non dubium certè quin ad Chriſtum feræ turmatim accurrerint eique demiſſo vertice homagium præſtiterint atque imperanti per omnia paruerint ad nutum, quemadmodùm primo homini in paradiſo & ſanctis multis, S. Franciſco, S. Theodoro, Patri Ouiedo in India, &c. Nec dubium quin omnes fuerint inter ſe pacificæ: & quin Chriſto eunte ierint, ſtante ſteterint, cubante procubuerint adeoque ſe ad pedes eius abiecerint. Vtinam ſimili modo verſaremur nos hoc imprimis tempore cum efferatis noſtris cupiditatibus. Beſtiæ noſtræ paſſiones ſunt, quæ ante peccatum rationi ad nutum paruerunt, quemadmodum beſtiæ Adamo: poſt peccatum verò Adami rebellare cœperunt rationi, (vti & beſtiæ eidem) & vagari in corpore noſtro ſine lege ſolent, veluti in ſyluâ feræ. Tales ſunt, amor & odium: delectatio ſeu gaudium & dolor, ſpes & deſperatio, audacia & timor. Domandæ igitur ſunt hæ beſtiæ & ad ſubiectionem reducendæ, ita vt rationē ſequantur, eâ procedente procedant, ſtante ſtent, &c. Iam ſi fortè in te Leonem habes, iram ſcilicet adverſus proximum rugientem: impera illi vt ſiſtat & parcat: ſi habes in te leporem, qui ad vocem auiculæ tremat, timorem ſcilicet pœnitentiæ, confeſſionis; impera vt ne timeat: ſi lupum rapacitatis & auaritiæ; impera vt reſtituat: ſi habes in te pantheram voracitatis & ebrietatis, Ein Igel im bauch / impera vt abſtineat: ſi vrſum ignauiæ & ſomnolentiæ; impera vt prodeat ad orationem, communionem, Miſſam. Certè S. Franciſco iubente vt cantarent auiculæ, cantârunt: vt tacerent, tacuerunt. Nec dubito quin idem & multo magis fecerint Domino: ſic ergò & nos imperemus paſſionibus noſtris: amori vt Deo inhæreat; odio, vt vitia deteſtetur: delectationi vt à noxijs rebus abſtineat: dolori vt Chriſto patienti compatiatur: Audaciæ, vt peccātes publicè reprehendat; timori, ne ob aſperitatem pœnitentiæ terreatur.

F. V. Solitudini ſtudendum.

QVINTÒ, Erat ſolus, præterquam cum Angelis. Reliquo tempore in ciuitatibus morabatur cum hominibus, nunc in deſerto cum angelis conuerſatur, quia *angeli acceſſerunt ad eum*, ait Euangeliſta: nimirum ei inſeruiebant & inter alia cibos afferebant, ſecundum Abulenſ. Ianſen. & alios ibi. Similiter & nos hoc maximè tempore ab humana conuerſatione ad angelicam, quantum fas eſt, tranſeamus. Habet homo in animâ ſuâ quid angelicum, partem ſcilicet animæ ſuperiorem, quæ res ſalutis tantùm tractat: & inferiorem, quæ temporalia curat: illa res angelicas, hæc humanas. Porrò toto fere anno inferior negotiatur, quomodo veſtiamur, epulemur, ditemur, honoremur, aſcendamus, diſcamus, &c. vix vnquam ſuperior: cui proinde nunc vacandum eſt, quomodo ſcilicet vitia deploremus & extirpemus, virtutes implantemus & merita cumulemus. Auiculæ toto tempore in aëre morantur vel arboribus, cibi tantùm causâ in terram deſcendunt; Nos animæ cibum nunc quæramus, qui totâ vitâ corpori indulgimus. Sed vbi? In deſerto & ſolitudine cordis noſtri: diſcedamus nunc ab hominum ſocietatibus, è tumultibus rerum & curarum ſecularium, componamus interiorem hominem, greſſus noſtros aſpiciamus, eleuemur in altum cum angelis & auiculis vt cordis noſtri rimas & defectus propiùs intueamur. Toto tempore

in sæculo velut in molendino sumus, vbi præ tumultu sæculi, nos ipsos & reclamantem in nobis conscientiam audire non possumus: exeamus ergò nuncad quietem animæ, & quemadmodum Daniel oraturus intrauit domum suã obstructis alijs fenestris, easque tantùm aperuit, quæ erant contra Ierusalem & templum Dan.6. ita & nos obstruamus nunc sensus, curas, & cogitationes sæculi quæ ducunt ad Babylonem, id est, mundum: & oculum illum aperiamus, qui res salutis considerat; siquidem in tumultu & foro sæculi non licet nobis Deũ prout decet colere, animæque nostræ curam gerere.

G. VI. Pugnandum cum dæmone. Is tentat. SEXTÒ, Pugnabat cum Tentatore. Tentator iste simili ferè modo tentat homines hoc tempore, quo tentauit Christum. & Primò quidem de gula, vt ieiunium frangatur, cibi vetiti comedantur, idque multis persuadet, quasi

1\. delicata eorũ complexio id exigat aut corporis imbecillitas; suadet ergò vt ex lapidibus panes faciant, vt asperitatem ieiunij in epulas

2\. mutent. Secundò de præcepto Ecclesiæ alio, quo per confessionem peccata expiare & per Eucharistiæ susceptionem expiationem illam comprobare iubemur. His suadet vt mittant se deorsum, id est, vt sine præuio examine conscientiæ, sine timore gehennæ, sine metu peccati, inconsideratè & audacter fictionem sacramento opponant, peccata sua vel non disquirant vel taceant. Tertiò de vitæ renouatione,

3\. qua peccata pristina deseri præcipiuntur: his enim ostendit diuitias & delicias sæculi, scortum, bona iniustè parta, inimicitias & odia: sicque affatur: Quid? *tune tu nos deseres*? si pellici valedicas, quomodo eius præsentiâ carebis? si bonis iniustè partis, quomodo pro statu tuo viues & filijs prospicies? si odio, quomodo nõ famæ tuæ ignominiam paris, qui non vlciscaris? Et ita in pluribus alijs. Sed pugnandum

Resistendum. est contra Tentatorem, & quibus alijs telis

1\. quàm quibus Saluator vsus est? Primò gladio verbi Dei seu lectione sacrorum librorum: & sedula concionum auditione; quomodo enim aliàs argumentaberis contra ipsum dicendo; *Scriptum est* vel dictum est in Concione: nisi legeris vel audieris verbum Dei? v. g. si de ieiunij violatione tenteris dicito, dictum est vel scriptum: *Quoniam qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Item *nõ in sola carne viuit homo*; sed in alijs etiam cibis. Si de pœnitentiæ & confessionis fictione dictum est: *Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis*. Si de fornicatione; *fornicatio & omnis immunditia ne nominetur in vobis*. Si de bonorum alienorum retentione, dictũ est ab Augustino: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Si de inimicitia & odio dictum est: *qui odit fratrem suum, occidit animam suam. &c.* Secundò exclu-

2\. sione tentationum, dicendo: *Vade Sathana*, nimirum in ignem æternum, vt exponit Hieronymus in cap.4. Matth. *Hu enim verbis*, ait Origenes in cap.16. Matth. *Dominus hostem à se repulit, nec ultam adijcere tentationem permisit*. Cæterùm alij iubent præire tentatorẽ & ipsi eum sequuntur, qui scilicet ei consentiunt, Alij ad latus eum ire iubent, qui cogitatione sola delectari cupiunt. Alij eum retrò sequi iubent, qui tentationem radicitus nõ tollunt, sed paululum ab oculis remouent, & mox ad eam sese iterum vertunt. Alij denique cum Christo longissimè à se remouent Tentatorem. Noli ergò multum cum eo verbocinari ne cum Eua decipiaris: *Vade Satana*, dic.

Hæc qui obseruauerit per instantem Quadragesimam, næ ille in virtutum studio præclarè se exercebit; habiturus tandem Angelos ad se accedentes & victoriæ palmam offerentes.

CONCIO VII.

De institutione ieiuniorum in Ecclesia, cur certis temporibus fiant.

1\. *Ieiunamus feriâ 6. ob memoriam passionis & mortis Christi eo die peractæ: item Sabbatho ratione Christi illâ die sepulti.*

2\. *In quatuor anni temporibus; vt auspicemur anni tempora à cultu diuino: Vt Deũ pro aëris temperie, frugum incremento &c. deprecemur &c.*

3\. *In vigilijs festiuitatum; vt moneamur, per multas tribulationes introeundum esse in æternam festiuitatem &c.*

4\. *In Quadrag. vt numero 40. dierum decimas diuino cultui pendamus, ob exemplum Christi ob numeri huius mysterium: & quia hic numerus pœnitentia typus est.*

5\. *Assignantur rationes cur hoc potissimùm tempore Quadragesima instituta sit.*

THEMA.

Cùm ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus, postea esuriit. Matth.4.

QValis fuerit auis, quæ in hodierno Euangelio Christum tẽtauit ea voce: *dic vt lapides isti panes fiant*, ex cantu facilè dignoscitur. A.
Eadẽ enim illa est, quæ olim Euam in paradiso simili cantu illexit *cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi*? Eademque illa est quæ etiamnum multos tentat dicendo: Cur toties ieiunatis? cur feria 6. & Sabbatho? cur 4. temporibus? cur in vigilijs? cur per Quadragesimam? Hæc enim etiamnum per hæreticos nobis occinit & quidẽ Scripturam obijcit ad Gal.4. *Dies obseruatis & menses & tempora & annos: timeo ne fortè sine causâ laborauerim in vobis*. Sed respondendum est, nos non obseruare dies Ieiuniorum ritu Iudeorũ. Dicimus enim omni tempore bonum esse ieiunare: sed cùm paucorum sit semper ieiunare, certos ab Ecclesia dies esse statutos, tribus de causis. Primò vt vnanimiter ieiunemus, & sic vnita virtus fortior sit. Secundò, vt ieiunium sit Deo gratius, qui ex temperantia simul & obedientia procedit. Tertiò, cùm Ecclesia meliùs nouerit quando expediat ieiunium, & ægro viuendum sit iuxta præscriptum Medici, magis salutare arbitramur ieiunium, quod ex præscripto Ecclesiæ peragimus. Cur verò his

his vel illis temporibus ieiunandum esse Ecclesia censuerit, videbimus.

B. I. Feria sexta. PRIMÒ, Bis abstinemus in hebdomade, Primò, feria sexta, quòd eâ Christus passus, crucifixus & mortuus sit ex S. August. *epist. 68.* Inaudijt enim Ecclesia & in corde suo reposuit quod Dominus dixit. *Matth. 9.* discipulos suos tunc ieiunaturos, *cùm ablatus fuerit ab eis sponsus.* Atqui feria sexta ablatus est à nobis sponsus animarum nostrarum. Cùm filius Dauidis adhuc infans desperatus iaceret in infirmitate, ieiunauit Dauid & iacuit seorsum in terra nec oblatos sibi à seruis cibos accipere volebat 2. *Reg. 12.* Quàto æquius est, vti nos ieiunemus eo die quo Dominus noster cum morte conflictabatur in Cruce? De cane quodam prodit Plinius l. 8. c. 40. qui Romæ ad occisi Domini sui cadauer in scalis Gemonijs proiectũ, peruigil iacebat nec quidquam cibi oblati gustare volebat quamdiu Dominum suum exanimem vidit, quin etiam panem sibi oblatum ad os Domini deferebat magna spectantium corona. Denique proiectum in Tyberim Heri cardauer prosecutus sustẽtare conabatur. Quid igitur nos facere conuenit eo die, quo Domini nostri mortem recolimus & quasi oculis spectamus? Nonné is etiam illo die oblatum sibi myrrhatum vinum gustare noluit? Nonné eo toto die ieiunauit vt ne micam quidem sumpserit? *Ieiunauit in ligno,* ait Chrysost. serm. de ieiu. *accepit quæ nõ debuit, posuit corpus pro eo quod accepisti.* Et paulo infra: *Fac martyr sis pro eo, qui pro te martyr fuit, morere pro eo, qui pro te mortuus est.* Sic ille.

Et Sabbatho. Sabbatho item meritò ieiunamus, quòd cum illo die sepultus iacuerit Redẽptor noster, rectè lugubris dies hic habeatur: quam causam adducit Innocentius ante mille ducentos annos, in epist. ad Decentium Episcopum. Nec dubium videri potest discipulos Christi & mulieres ei deuotas Sabbatho illo ieiunasse, desiderio resurrectionis illius. Decet igitur vti nos quoque Dominicum resurrectionis diem in ieiunio prætolemur & appetitum carnis cum Christo quodammodo sepeliamus. Et si Saul 1. *Reg. 14.* cibum exercitui prohibet, donec victoriã reportet, dicẽs: *Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis:* cur non etiam dicamus; Maledictus qui non ieiunauerit donec viderit Dominum suum triumphantem? Certè Euangelium, secundùm Hebræos appellatum, tradit Iacobum Alphæi iurasse se non comesturum panem à die quo libârat in cœna calicem, donec vidisset resurrexisse Dominum; ei proinde Christum peculiariter apparuisse dixisseque: *Frater mi comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Refert S. Hieronymus, de viris illustribus in Iacobo. Quanquam hoc apocryphum esse non sine causa videtur aliquibus.

Neque hoc nobis mirum esse debet; si enim Pharisæus ille ieiunabat bis in Sabbatho; id est, hebdomade: cur non & nos Christiani? Cæterùm à carne tantùm hoc biduo abstinemus, non omnino ieiunamus, quia caro, id est, humanitas Christi sola passa & mortua est. Quẽadmodum ergò filij Israël postquam Iacob in femore tactus est & neruus eius emarcuit, neruum deinceps non comederunt, vt habetur *Gen. 32.* Ita non sine ratione à carne abstinemus ijs saltem diebus, quibus Christi caro vndique vulnerata emarcuit in cruce & iacuit in sepulchro.

C. II. In quatuor anni temporibus. SECVNDÒ, In quatuor anni temporibus ieiunamus. Primò. Vt auspicemur anni tempora à cultu diuino, vt asserit S. Callixtus Papa ante 1300. annos *in epist. 1. ad Bened.* Vernum à Quadragesima: æstiuale à ieiunio Pentecostes: autumnale à ieiunio Septẽbris: hyemale à ieiunio Decembris. Et quia quodlibet anni tẽpus habet 3. menses? ideo tres singulorum dies Deo, quasi primitias damus. 1. Secundò, Vt Deum pro aëris temperie, temporum tranquillitate & frugum incremento deprecemur. 2. Primitiæ enim Deo dantur vt sequentes fructus à Deo prosperentur. Tertiò, Quia per totum annum semper purificatione indigemus, qua per ieiunium peccata nostra deleamus, vt vult S. Leo *serm. 9. de ieiunio septimi mensis.* 3. Quartò. Quia ijs temporibus Clerici ordinantur, quod vt cautè & salubriter fiat, ieiunium orationi adhibendum, vti ab Apostolis *Act. 14.* factũ esse legimus. 4. Docuit hoc Dominus dicẽs Luc. 10. *messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergò dominum messis vt mittat operarios in messem suam.* Vnde enim hæreses nostri temporis nisi ex defectu doctorum & piorum pastorum ortæ sunt?

D. III. In vigiliis festiuitatum. TERTIÒ, In Vigilijs festiuitatum Christi & Sanctorum. Primò propter mysterium vt admoneamur per multas tribulationes nobis introẽundum in æternam festiuitatẽ, sanctorum illorum exemplo, quorum festa colimus. 1. Sic enim discimus quæ sit vera ad cælum via, nimirum à tristitiâ ad lætitiam. Vnde S. Bernardus in serm. de Vig. S. Andreę. *Quid est enim,* inquit, *quod ieiunijs solemnia præuenimus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe solemni lætitia est, qui statutam vigiliæ abstinentiam non obseruat. Est autem vniuersum præsentis pœnitentiæ tempus vigilia quædam solemnitatis magni & æterni Sabbathi quod præstolamur.* hæc ille. Numquam foret nobis pascha tam iucundum & optatum, si non præcederet asperitas ieiunij Quadragesimalis: ita in cœlo non celebrabit pascha, qui hic non celebrauerit Quadragesimam. Nec habebit ibi Festum, qui non habuerit hic vigiliam.

Secundò propter rei conuenientiam, vt sic ad festiuitates celebrandas earumque gaudium & fructum percipiendum aptiores & digniores reddamur. 2. Diebus enim ieiuniorum corpus non oppletur cibis, non celebrantur conuiuia, non choreæ, &c. quæ omnia crebrò fierent & homines indispositos redderent; si ieiunium non esset in peruigilijs. Quis autem nescit corpore repleto spiritum festiuitatem suam celebrare minime posse? Caro repleta somnum adducit, libidinẽ excitat, varijs & inutilibus cogitationibus onerat, stupore quodam ce-

cerebrum sopit & offuscat atque ita ad audiendum verbum Dei, ad orationem, meditationẽ, vigiliam & attentionem ineptum reddit gratiæque diuinæ influxum arcet : quemadmodum crassi illi vapores, qui de locis humidis ascendunt, cœlum nubibus obducunt & radios solis, ne ad nos penetrent, impediunt: sic enim & carnis repletio nubes malorum desideriorum & cogitationum, vapores pigritiæ adducit radiosque diuinæ gratiæ & luminis, quos in festiuitatibus percipere possemus, impedit. Festis diebus corpore & spiritu Deum laudare eique seruire deberemus : quemadmodum Dauid faciebat dicens: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum vnum.* Ps. 83. Debent igitur cor & caro ita attemperata esse, vt caro non impediat spiritum. Vnde sicuti cytharam vel testudinem priùs attemperamus, antequam in ea ludere incipiamus: ita in vigiliâ caro nostra per ieiunium attemperanda est, vt spiritui non obsistat, sed potiùs concordet eique in festiuitate consonet. Quis autem nescit cytharam & testudinem inanem esse debere vt sonitum edat clarum & suauem ? Neque tibi persuadeas te repleto ventre, festiuum Deo carmen canere posse : sed potius te obtusum & ineptum fore magisque de somno & libidine quàm de oratione & verbo Dei cogitaturum.

E. IV. In Quadragesima.
QVARTÒ, In Quadragesima, non ob vnam causam. Primò vt hoc numero decimas annui temporis diuino cultui pendamus. Etenim anni dies sunt 365. & à Dom. I. Quadragesimæ vsque ad Pascha, demptis Dominicis (quæ abstinentiæ sunt, non ieiunij dies) 36. feriæ, decima scilicet pars dierum 360. Ita S. Gregorius hom. in Dom. 1. Quadr. *A præsenti*, inquit, *die vsque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt. Quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum sex dies dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quàm triginta & sex dies remanent. Dum verò per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, vt qui nobismetipsis per acceptum annũ viximus, auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Vnde fratres charissimi sicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum.*

1. Quia anni decima.

2. Ob exemplum Christi.
Secundò propter exemplum Christi, qui ieiunando 40. diebus sanctificauit eum numerum quodammodo, sicut aquas suo contactu in ablutionem peccatorum. Ita S. Augustinus *serm. 77. de Tempore.* Vt enim aqua transiens per mineras earum saporem imhibit & medicam virtutem acquirit : ita & ieiunium Quadragesimale propter exemplum Christi factum esse efficacius ad sanctificationem obtinendam non iniuria credimus : quomodo nec dubitamus crucem ex contactu Christi factam esse salutarem, sanctam & venerandam.

3. Ob numeri mysterium.
Tertiò, Propter huius numeri mysterium. Inprimis decem præcepta 4. modis violamus:
1. cogitatione, ore, opere, omissione: iure igitur
2. pœnitemus quaterdecies in ieiunio. Secundò, 40. diebus diluuium durauit : Nos ergo vt diluuium gehennæ effugiamus, totidem diebus
ieiunamus. Tertiò 40. annis Israël peregrina- 3.
batur in deserto : nos totidem diebus esurire
volumus, vt per hoc desertũ ad patriam emergamus. Quartò, Moyses ante legem acceptam: 4.
Elias ante euectionem suam 40. diebus ieiunarunt: Nos itidem vt Dei legem obseruemus indeque ad cœlum euchi mereamur. Hinc 40. illi Martyres sub Licinio, frigore enecti, tam ardenter precati sunt Deum vt hunc eorum numerum, propter eius sanctitatem, conseruare vellet; obtinueruntque vt vno ex eis deficiẽte, aliunde mox substitueretur alius, repente ad Christum conuersus & martyrij compos factus.

4. Quia numerus pœnitentia.
Quartò, Quia hic numerus pœnitentiæ typus est, vt ait S. Hieronymus super Ezechielẽ, & patet ex prædicatione Ionæ: *Adhuc 40. dies*, &c. rursum ex capite 4. Ezechielis, vbi Propheta iussus est 40. dierũ spatio iacere in dextro latere & orare pro tribu Iuda. Iam verò omnino congruebat, vt esset aliquod in anno publicæ pœnitentiæ tempus; siquidem ait Dominus: : *Nisi pænitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* Luc. 13. Hoc ergo tempus pœnitentiæ determinauit nobis Ecclesia: quo sublato, rarò vel numquam de pœnitentia eiusque operibus per annum cogitaremus.

F. V. Quadragesima cur hoc tempore.
Sed cur hoc potissimùm tempore Quadragesima instituta? Respondet S. Hieronymus ad Marcellam: *Nos vnam Quadragesimam ieiunamus tempore nobis congruo.*

1.
Congruum autèm est hoc primò vt expiatis ieiunio animis tẽdamus ad paschalia gaudia dignè colenda. Omnes nos desideramus in paschate diuinæ gratiæ vestem induere. Hoc autem vt fiat priùs vetusta pellis exuenda est: quæ quoniam tenaciter nbis adhæret, longâ inediâ laxanda est; quod quidem serpens docet, vt scribit S. Hieronymus Epist. ad Præsidium. *Anguis*, inquit, *quando senuerit, perdit aspectum, & si voluerit redire ad iuuẽtutem, ieiunat 40. diebus vt laxetur pellis eius & sic angustum foramẽ inquirit, vt dum nititur exire, inde pellem senectutis dimittat.* Audiamus nunc Cyrillum Ierosolymitanum catech. 3. *Quilibet serpens*, inquit, *in angustum intrans deponit senectutem & vetustatem per extrusionem exuit corporéque denuo toto renouatur: sic & tu intra per angustam portam, affligens teipsum per ieiunium, expelle tuam perditionem, exue veterem hominem cum actibus suis & dic illud, quod est in Cant. Expoliaui me tunicâ mea, quomodo induar illa:* Difficilis res & multi laboris est, pristinam inolitorum vitiorum pellem exuere; quare vt hoc cum Christo renouato & resuscitato fiat, prius diuturnum ieiunij exercitium præmittendum est.

Secundò, Quia circa hoc tempus augentur 2.
in corpore humores & membra ad malum laxantur. Si ex aliquo quæram cur potiùs in vere quàm æstate vel hyeme, purgationem faciat corporis & sanguinem minuat; respondebit opinor, quia circa hoc tempus sanguis & noxij humores in corpore magis abundant. Similiter se res habet in proposito. Ver tempus est ad

laf-

lasciuiam prouocans, vbi terra aperitur, prata ridere incipiunt, volucres ad garritum excitantur, &c. Igitur ne tunc ad inordinatos motus & lætitiam abripiamur: miscere nobis Ecclesia vinum vernale cum aquâ ieiunij voluit, ne inebriemur.

3. Tertiò, Quia hoc tempore primi nostri parentes fregere ieiunium, & propterea mortem nobis attulere. Secundus verò Adam Christus circa hoc ipsum eorum culpam luit nosque liberauit. Rectè igitur in nobis nunc punimus quod parentes nostri peccauerunt: & meritò dentes nostri nunc obstupescunt, quia parentes nostri comederunt uvam acerbam *Ierem.* 31. Iure etiam nunc Christo pro nobis patienti compatimur. Vnde S. Chrysost. Serm. de ieiunio ait: *Nosti quod crucifixus est, nosti quòd pro te mortuus est, consitere quod viuis pro viuente: fac martyr sis pro eo, qui pro te martyr fuit: morere pro eo, qui pro te mortuus est; si autem sic exposcit mortem, paruum est ieiunium.* Iudæi in Festo expiationis, quo summus Sacerdos intrabat sancta Sanctorum, ieiunabant & affligebant animas suas, *Leu.* 16. Quanto æquius ieiunamus nos per Quadragesimam antequam videamus Pontificem nostrum Christum, per proprium sanguinem introire in sancta?

CONCIO VIII.

Causæ præcipitantes in hæresin.

Triplici tentatione deijcit dæmon Christianos in hæresim:
1. Superbia; quò spectat curiositas, libido contradicendi, & arrogantia.
2. Cupiditate gloriâ & diuitiarum; quò spectat auaritia: ambitio, & vsurpatio munerum ecclesiasticorum.
3. Voluptate; quò spectat tadium seuerioris disciplinæ, luxuria, appetitus nouitatis & libertas carnis.

THEMA.

Mitte te deorsum. Matth. 4.

A. Mirum in modum dæmonem delectari præcipitijs, multæ historiæ docent. *Ipse est* (inquit S. Augustinus cōtra Epistolam Gaudentij *l. 2. cap. 19. vet. edit.*) *qui illum puerum de quo in Euangelio legimus, mittebat aliquando in aquam: & ipse illum gregem porcorum præcipitem fluctibus mersit. Ipse vt se de pinna templi præcipitaret, etiam ipsi Domino audacissima tentatione suggessit.* Rursum ipse haud dubiè est, qui sub Constantino M. Anno 332. suasit Donatistis, Donato doctore, vt se passim præcipitio necarent, & in ignem vel aquam inijcerent, tanquam Martyres hinc futuri: eodem August. *Epist.* 50. Optato & alijs testantibus. Ipse etiã est, qui anno 432. sub Theodosio & Valeriano Imp. Moysis personam, vt creditur, mentiens, persuasit Iudæis in Cretâ insulâ vt relictis omnibus suis, se sequerentur cum vxoribus & paruulis, velle enim se eos introducere in terram promissionis per mare sicco vestigio. Dicta igitur die conuenere ad promontorium: ex eo se in mare præcipitare iubet, quod cùm aliqui fecissent, nisi piscatorum qui fortè aderant auxilio seruati fuissent, planè essent suffocati. Fraude cognita veterator non est inuentus. Socrates *l. 3. cap.* 36. Ipse denique est qui quotidie suadet hominibus præcipitium in barathrum peccatorum; hæreseos in primis. Non miror ego isthęc facere dæmonem, quia cùm iam olim præcipitatus fuerit de cælo in abyssum, quid mirum si idem præcipitium optet ijs, quos cane peius & angue odit? illud verò mirum, inueniri homines, qui huic suasori obsequentes, se præcipitare audeant. Et tamen quantus eorum numerus? Et quidem in hæresin quàm multæ ciuitates, nationes & regna se miserè præcipitarunt? Meritò igitur quærat aliquis, quæ causa eos adegerit ad huiusmodi præcipitium. Triplici tentatione aggressus est dæmon Christum in deserto: & eadem deijcit in hæresin Christianos. Primo per superbiam. *Mitte te deorsum.* Et ad hanc pertinet:

B. 1. Superbia. 1. *Eò spectat Curiositas.*

PRIMÒ, Curiositas seu nimium studium indagandi ea, quæ fides non discutienda, sed credenda proponit. Cùm enim imbecillitas humana nequeat ad diuinarum & cœlestium rerum arcana penetrare; fit, vt neget esse, quod nequit intelligere, indeque fit vt velut musca dum nimis propè aduolat ad lucernam, vratur vel inuiscetur. Sic illi *Ioan.* 6. cùm mysterium Eucharistiæ capere non possent, dicebant: *Durus est hic sermo; & quis potest eum capere? & ex hoc multi abierunt retrorsum & iam non ambulabant cum* IESV. Hàc viâ Arius & plerique Hæresiarchæ præcipites ruerunt in varios errores. Cùm enim is diuinam filij generationem oculo irretorto vellet intueri, nec valeret; inde incepit eam oppugnare. Sic Lutherus cùm intelligere non posset modum ac rationem trãssubstantiationis seu conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi: docuit panem remanere etiam post consecrationem. Sic Caluinus, quia impossibilè putabat Christum qui ad dexteram Dei sedet, hic nobiscum in terris versari & quidem in tantillâ hostia totum concludi: idcircò maluit apertissimis Christi verbis repugnare, quàm ignorantiam suam fateri. Hanc consequitur pertinacia quædam, vitâ potiùs quàm sententiâ cedendi. Vnde de erroribus in errores & tandem in absurdissima labuntur dogmata. Et licet vulgus vt plurimùm ab hac causâ immunis sit, qui pro arbitrio prædicantium quæuis credere paratus est, ideoque fidem vt vestem mutat: non desunt tamen ex illo etiam, qui cum noctuis & vespertilionibus in solis radios & veneranda mystéria intendere aciem suam audeant: non aduertentes quod olim Deus populum & omnes pecudes ad montem Sinai fumantem appropinquare prohibuerit & appropinquãtes occidi iusserit, Exod. 19. At *bestia montem tangit*, ait S. Greg. l. 6. Moral. cap. 27. *cùm mens irrationabilibus desiderijs subdita ad contemplationis alta se erigit; sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens ipsis superni ponderis ictibus*

bus necatur. Hoc est quod *Prouerb. 25.* dicitur: *Qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria.* Nos itaque dilectissimi fide potiùs vtamur, quàm scientiâ, & gloriemur, quòd habeamus Deũ, qui, vt ait S. Ioannes, *Maior est corde nostro. 1. Ioan. 3.* si diuina intelligere volumus, credere debemus, quia *nisi credideritis, non intelligetis*, ait Dominus. Alibi etiam, *qui non crediderit, condemnabitur*, ait. Non dixit: qui non intellexerit.

2. *Libido contradicendi.* Secundò, Libido & cupiditas contradicendi. Hæc enim vt Philosophiam ita & religionem Christianam in varias scidit sectas. Talis erat Marcion Ponticus, qui cùm propter stuprum virgini illatum, ab Ecclesiæ communione præcisus esset, Romamque profectus, non solùm absolutionem petijsset, sed etiam præfecturam Ecclesiasticam ambiuisset, nec tamen impetrâsset, Romanis presbyteris indignabundus ait: *Ibo ergo & Ecclesiam vestram scindam.* Atque ex eo tempore hæresim suam disseminare cœpit. Tertull. *de præscript. aduers. hæret.* Epiphan. in hæresi Marcion. Eodem contradictionis spiritu agitabantur Lutherus & Caluinus, duæ furiæ nostri sæculi: vt meritò existimem, Si Romanus Pôtifex factus fuisset Lutheranus aut Caluinianus, ipsos derepente iterum futuros fuisse Pontificios. Etenim Lutherus expressè asserebat, se contrariâ iturum viâ, si Papa statueret communionem sub vtraque specie: se enim tunc vt sub vnâ tantùm aut sub nullâ fieret, effecturum, &c. tantùm ne Pontifici concordare videretur. Idem in Epistola ad Argentinenses scribit se non Christi amore, sed Papæ odio inflammatum tragœdiam illam suam excitasse. Idem in Postilla Dom. 4. Aduentus, iubet contraire Ecclesiæ & pedibus cõculcare eius præcepta de certo tempore confitendi, communicandi, ieiunandi. Idem fecit olim Aërius apud Augustinum de hæresibus. Contra hoc igitur monet Apostolus 2. Tim. 2. *Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Verbis contendere*, ait S. August. *l. 4. de doctr. Christ. cap. 28. est non curare quomodo error veritate vincatur: sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius.* Quod hæreticis communissimum est, dum non quærunt indagare veritatem, sed ostentare scientiam, velle præualere & vincere: non aduertentes, quòd eiusmodi spiritus contradictionis Chore, Dathan & Abiron detrusit ad infernum.

3. *Arrogantia.* Tertiò, Arrogantia, quâ se cæteris omnibus eruditiores & maiores reputant alijsque subesse nolunt. Hinc enim à nemine doceri vel dirigi; sed omnes docere & regere volunt. In huius rei typum *Exod. 10.* Ventus vrens leuauit locustas: quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti. Sic Lutherus *in l. aduers. regem Angliæ*, mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias præ se nihil facit. Vnde Scripturam pro suo arbitratu peruertit, auxit, minuit, causam addens: *Nolumus enim*, inquit, *papistarum esse discipuli, sed Magistri ac Iudices.* Surius *in Comment. pag. 261.* Caluinus eruditissimos Ecclesiæ Doctores, asinos vocare non dubitauit; quasi ne digni quidem sint soluere corrigiam calceamentorum eius. Eâdem vertigine inuolutus cecidit Origenes tantus ac talis, qui, vt scribit Vinc. Lirin. l. contra hæres. cap. 23. *dum gratiâ Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget sibiq, satis credit, cùm paruipendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum Magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit vt de se quoque Ecclesia Dei diceretur: si surrexerit in medio tui Propheta, &c.* Sic Hilarius Diaconus postquam fidei causa verbera carceres & exilium expertus esset; gloriâ nobilis confessionis elatus, spernens eos qui ceciderant, scismate se ab Ecclesiâ segregauit & hæresin addidit. Baron. anno 362. Denique vt testatur D. Cyprian. *ep. 55. & 69.* non aliunde obortæ sunt hæreses aut nata schismata, nisi quòd Sacerdotibus Dei vicem gerentibus (Pontificibus nimirum) ab vniuersa fraternitate non obtemperatur. Quare vt in Ecclesiæ gremio persistamus, tanquam paruuli & infantes ab eâ pasci & educari libenter velimus. Vnde S. Petrus *1. Pet. 2.* ait: *sicut modogeniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite.* Lac inquam dogmatum Christianorum sicut ea proponit & tenet Ecclesia, licet nos non perspiciamus; quemadmodum & infans lac quod sugit, non videt. Alioquin enim timendum, ne velut ablactatus ab vberibus Ecclesiæ quis reijciatur. Vnde Dauid Ps. 130. inquit: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablactatus est super matre suâ, ita retributio in animâ meâ.* Rectè ergò Sapiens monet: *Audi consilium & suscipe disciplinam vt sis sapiens in nouissimis tuis, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Meliora sunt vbera tua* (Ecclesia) *vino*; quia hoc videtur lac, quod ex vberibus sugitur, non item. Vinum est scientia, lac fides.

C. II. *Cupiditas.* SECVNDA, Tentatio erat de cupiditate gloriæ & diuitiarum, dum Dæmon ostẽdit Christo omnia regna mundi & gloriam eorum. Ad hanc ergò pertinet primò Auaritia. Hæc Simonem Magnum egit præcipitem, qui Spiritum Sanctum emere volebat (vt ait gl. in cap. 8. *Act.*) *vt alijs vendens eum, plus accipere posset*: quod cùm ei non successisset, excitauit hæresin. Similiter Lutherus, cùm videret munus publicandarum indulgentiarum, vnde lucrum & honorem sperabat, præter exspectationem non sibi, sed alteri demandatum esse, hinc contra indulgentias primùm, deinde contra Papam ac demum contra fidem & omnia eius dogmata scribere & concionari cœpit. Multos item Principes & Magistratus impulit in hæresin spes prædæ Ecclesiasticæ ex Monasteriorum occupatione, templorum ac bonorum Ecclesiasticorum direptione prodiens. Ita multi contrahunt matrimonium cum hæreticis & fidem abijciunt, quia pingue nacti sunt coniugium, conditionem, officium, prædium, &c. Quæ tamen omnia licet eis Dæmon deprocul ostendat, multoties tamen non largitur: vel mox iterum eripit. Certè ex eiusmodi bonis non di-

1. *Ex spolio auaritia.*

tatos esse Principes probat experientia; quem autem fructum inde aliquãdo percepturi sint, docebit ultima dies. Testis est ipse Lutherus in Symposiacis suis *cap. 4. pag. 59.* dicens: *Comprobat experientia eos qui Ecclesiastica bona ad se traxerunt, ob ea tandem depauperari & mendicos fieri.* Idque confirmat, Primò testimonio nobilis D. Ioannis Hund, Electoralis Consiliarij Saxoniæ, qui dicere consueuerat: *Nos nobiles cœnobiorum opes ad nostras attraximus: nunc equestres nostras opes comederunt & consumpserunt illæ cœnobiales, vt iam neque cœnobiales, neque equestres amplius habeamus.* Secundò apologo: Aquila, vt suos in nido pullos pasceret, è quodam altari in quo Ioui sacrificabatur, partẽ carnis assam abripuit eamque in nidum læta detulit: sed candens illi adhærebat carbo, qui totum cum pullis nidum confestim succendit. *Sic autem*, inquit Lutherus, *ijs qui ad se bona Ecclesiastica rapiunt euenit.*

2. *Ambitio.* Secundò, Ambitio: & hæc plerosque hæresiarchas cadere in hæresin fecit, quia nimirum Episcopi, aut Cardinales esse non potuerunt. Sic Theobutes, quod in petitione Episcopatûs repulsam passus esset, primus Ecclesiam eousque Virginem corrumpere suâ hæresi tentauit. Euseb. l. 4. *hist. cap.* 22. Valentinus simili de causâ quod alium vidisset subrogatum ad dignitatem Episcopalem, quam ipse ambiebat, ab Ecclesiâ se segregauit; Tertulliano teste in libro, quem contra eius hæresin scripsit. Sed & ipse Tertullianus talis ac tantus impulsus est tandem ad casum vel quòd Carthaginensis Episcopus esse non potuisset, vel quòd indignè tulerit Victorem Papam sibi in honore prælatum: vel quòd ab ipso non adeò, vt sibi præsumpserat haberetur in honore aut coleretur officijs. Baron. anno 201. Montanus quòd primatum quemdam, quem appetebat, non obtinuisset perniciosam hæresin excitauit. Theodoretus *l.* 3. *de fab. hæret.* Nouatianus, quòd Romanum Episcopatum, ad quem contra Cornelium legitimum Pontificem perperam subuectus à Nouato erat, obtinere non posset, tumore & ambitione correptus, ab Ecclesiâ seipsum segregans, proprios cœtus cogere & nouam quamdam hæresin, per defectionem instituere cœpit. Niceph. *l. 6. hist. c.* 3. Baron. anno 254. Aërius, quod Episcopatu frustratus esset, docuit sacerdotes pares esse Episcopis. August. *l. de hæres.* Arius quòd S. Alexandrum compresbyterum suum ad Episcopatum euectum & sibi prælatum videret, occasionem accepit discedendi ab Ecclesiâ. Theodoret. *lib. 4. de fab. hæret.* Macedonius Episcopatu Constantinopolitano ab ipsis Arianis priuatus, nouam hæresim cudit. Baron. anno 360. Nestorius postquam multos annos & colore vestium & pallore vultus & verborum cõpositorũ artificio omnisque sanctitatis simulatione, vt scribit Theodoret. *l. 4. de fab. hæret.* se in animos & beneuolentiam vulgi pro acquirendo Episcopatu Cõstantinopolitano frustrà insinuasset, in hæresim prolapsus est. Bernardus Ochinus spe Episcopatûs Florentini & Cardinalatus frustratus defecit ad Geneuenses. Quibus accenseri Lutherus potest, qui ob speratam frustrà dignitatem & munus, hostis indulgentiarum factus est; aliјque multi, qui cum alia ratione celebrare nomen suum haud possent, hæresibus inueniendis id consequi voluerunt; vt sic etiam posteri, quod de ipsis loquerentur, haberent, nebulonem illum imitati, qui vt immortalem sibi pararet famam, templum Dianæ Ephesinæ splendidissimum incendit. Agmen claudat Michaël Palæologus Imperat. Græcus, qui vt filijs regnum stabiliret, religionem innouauit. Sed quid inde consecutus est? Pro accepta gratiâ, filij demortuo sepulturæ honorem negauerunt, Gregoras *lib.* 5. Eamdem mercedem plerique Heresiarcharum etiam viuentes nacti sunt; Montanus eumdem cum proditore Iudâ, vitæ exitum sortitus est, Euseb. *l.* 5. *c.* 15. Et qui primus eius hæresim defendendam suscepit, Theodotus à diabolo in aërem sublatus ac derepente præceps deiectus perijt, ib. Arius quoque cum Iuda crepuit medius & in locis impuris effusa sunt omnia viscera eius, vt scribunt Gregorius Nazianzenus *orat. de laudibus Athan. ad Serap.* & Ambros. *de fide ad Gratian.* Vt meritò de istis etiam dictum existimetur id 1. Mach. 2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus & vermis est: hodie extollitur & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam & cogitatio eius perijt.* Quid enim omnes Hæresiarchæ, nisi infamiam cõsecuti sunt? Vbi eorũ libri, dogmata, sectatores, encomia & laudes? Quis de ipsis honorificè, imò quis non scabiosissimè loquitur? Idem fiet Luthero & Caluino tandem & reliquis nouatoribus, & quidem ab ipsismet eorum sectatoribus.

Tertiò, Munerum Ecclesiasticorum vsurpatio. Quæ inprimis proiecit in hæresin Iustinianum Imp. alioquin sapientissimum & æquissimum. Cùm enim fidei dogmatibus decidendis se immiscuisset & quę Pontificis, Concilij & Episcoporum erant, sibi arrogasset & definijsset aliquid erroneum, non consultâ sede Apostolica, inde in hęresim prolapsus est. Baron. anno 563. Sic Heraclius dum similiter dogmatibus Ecclesiasticis se immiscuit, dum cum Sergio Constantinopolitano Episcopo prętulit se vindicem Chalcedon. Concil. nouam Monothelitarum hęresin induxit. Baron. anno 631. Tanto nimirum periculo tractantur à sęcularibus res Ecclesiasticę. 3. *Vsurpatio munerũ Ecclesiasticorum.*

D. III. *Voluptas.* 1. *Eò spectat Tædium seuerioris disciplinæ.*

Tertia Tentatio erat de voluptate. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Ad quam pertinet 1. noxia illa libertas, quę seueriorem disciplinam odio habet eaque quæ carni placent, sectatur. Quemadmodum enim Loth videns omnem circa regionem Iordanis, quæ erat sicut Paradisus, elegit eam sibi & recessit ab oriente ac diuisus est ab Abraham, *Genesis* 13. Ita multi quia disciplinam oderant & libertatem quærebant, ab Ecclesiâ & verâ fide recesserunt. In quo lapide impegit olim Iouinianus Hæresiarcha, qui è monasterio egressus, quòd ferre delicatulus non posset monasticam

sticam disciplinam, quam solutè & impurè vixerat, hæresin docere cœpit, quòd status viduarum & coniugum eiusdē esset cum virginitate meriti. Baron. anno 382. Hic idem lapis nimis Luthero durus fuit, vnde in panem eum mutauit cùm monasterij repagula perrupit, & libertatem à SS. Canonibus, Ecclesiæ præceptis, operibus pœnitentiæ & satisfactionis sibi & quibuscūque aperuit. Qualis iste est paradisus: solutum esse à legibus Ecclesiasticis, Pontificum decretis, lege ieiunandi, confitendi, votis seruandis, bonis operibus cumulandis? Sed quemadmodum terra illa circa Iordanem è paradiso mutata est in infernum, dum paulo pòst igne & sulphure vastata est: Ita libertas hæreticorùm mutata est in sententiam peccatorum, vel ipsismet testibus. In mari mortuo nullus est viror, nullus piscis aut auis aquatilis, sed omnia squalida, mortua, fœtida, combusta: & ita tandem hæresis mutabitur in carcerem gehennæ & horrorem sempiternum, in mare mortuum, fætidum, sterile.

2. *Luxuria.* Secundò Libido. Hæc Lutherum, Munsterum, Pelicanum, Bucerum, Ochinum, Occolampadium, Caluinum, Bezam & similes alias humani generis pestes partim è monasterijs, partim è cœtu Catholico extraxit ad hæreseon ganeas, & extrahit vsque hodie, peruerso illorum exemplo. Hæc Angliæ Regem Henricum Octauum inuertit & in hostē sedis ac fidei Romanæ à quâ redarguebatur de illicito coniugio & legitimæ vxoris repudio, mutauit. Denique passim *malè viuentes*, ait Chrysostomus in 1. ad Timoth. *ne futurorum metu & exspectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia, quæ nostra religio continet, nempe de peccatis, resurrectione, iudicio futuro & similibus.* Sic Caluinus infernum ponit metaphoricum tantùm & phantasticum, vbi scilicet damnati solùm apprehendunt Deum quasi sibi iratum.

3. *Appetitus nouitatis.* Tertiò, appetitus nouitatis. Tametsi enim non omnis nouitas grata & iucunda est, (alioquin enim gentiles Apostolorum doctrinæ & Euangelio non tam acriter restetissent) ea tamen, quæ annexum habet aliquid, quod carni delectabile est, obuijs, vt dicitur, vlnis, communiter recipitur. Ita vinum nouum omnes bibere volunt: sed qui prudentiores sunt & vetus vinum biberunt, non statim volunt nouum; dicunt enim: *Vetus melius est*, vti dixit Dominus *Luc.* 5. Vinum nouum iure illis suspectum est, quia gignit & relinquit post se malos effectus: ita fides noua; cùm ea tam antiqua esse debeat, atque est Christus ipse, imò hoc vno nouitatis nomine debet repudiari. Quos vero nouitas delicijs & voluptatibus affluens ad hæreses impellit, illorum *Deus venter est & gloria in confusione inimici crucis Christi, quorum finis est interitus.* Audiēdus potiùs Ieremias c. 6. *State super vias vestras*, inquit, *& videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in eâ, & inuenietis refrigeriū animabus vestris.*

4. *Libertas Carnis.* Quartò, Libertas, quæ iuuentutem maximè allicit. Dicunt enim gulosi: Cur patiamur certis diebus à Romanâ Ecclesia carnis vsum nobis interdici? An non hoc verbo Dei (præsertim ei loco Matth. 15. *Non quod in os intrat, coinquinat hominem*) apertè repugnat? Nonne hoc est quod Apostolus prædixit, venturos in extremis temporibus seductores, qui præcepturi sint abstinentiam à cibis, quos creauit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione, simulque nubere prohibituri: Sed non aduertunt miseri, Ecclesiam non tam requirere abstinentiam à certo cibo, quàm obedientiam: nec tam in cibo quàm in contemptu præceptorum esse peccatum. Nos ergò postquam vidimus præcipitia Hæreticorū & Tarpeios montes: horreamus vel conspectum eorum, dicamusque: Vade Satana, &c.

CONCIO IX.

Documenta circa personam Christi.

A Christo discunt boni

1. *Post baptismum parare se ad pugnam.*
2. *Se armare.*
3. *Primis dæmonis suggestionibus se opponere.*
4. *Lapides in panem vertere, hoc est, contumelia & probra patienter tolerare.*
5. *Animæ cibum potiùs quàm corpori quærere.*
6. *Non tentare Deum.*
7. *Fugere inanem gloriam & auaritiam.*

THEMA.

Scriptum est: Non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, Matth. 4.

VIdemus in hodierno Euāgelio, quod olim quidam vidit per somnium à Deo sibi immissum, Iudic. cap. 7. *Vidi somnium*, aiebat, *& videbatur mihi quasi subcinericeum panis ex hordeo volui & in castra Madian descendere: cùmq; peruenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subuertit & terra funditùs coæquauit. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israëlitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian & omnia castra eius.* Videmus inquam, in hodierno Euangelio panem subcinericeum, qui simul etiam gladius est conterens & euertens castra Madianitarum. Quisnam verò ille? Verbum Dei. De hoc enim ait Dominus: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* q.d. Etiam verbum Dei panis quidam est, animæ videlicet. Porrò hoc eodem velut gladio pugnauit contra Sathanam, dum ex Scripturis eum conuicit: *scriptum est*: inquit, *Non in solo pane*, &c. *Rursum scriptum est: Nō tentabis Dominum Deum.* Denique: *Vade Sathana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis.* Itaque Dei verbum & panis est fidelium, quo reficiūt animas suas: & gladius est quo impugnant & expugnant castra Madian seu insultus Dæmonum. Vtrumque in hodierno Euangelio non difficilè inueniemus, vbi velut pane confortamur, & velut gladio armamur contra Dæmonem. A

Duo magni pugiles prodeunt ad certamen

hod.

hod. in Euangelio. Filius Dei & filius perditionis: in illo cernimus, quæ sint partes filiorum Dei seu iustorum: in isto quæ sint machinationes Dæmonis & ex parte etiam reproborum.

B. I. Boni post baptismū parant se ad pugnam.

PRIMÒ. Filiorum Dei est, accepto baptismo præparare se ad pugnam & cùm occasio se offert, strenuè pugnare: non otiari aut existimare, iam omnia confecta & cœlum apertum esse baptizatis. Ita enim Christus post susceptum baptismum, *confestim ascendit de aquâ*, inquit Matthæus *cap.* 3. & posteà mox ductus est in desertum ad ieiunandum & pugnandum cum aduersario. Ergò Filij Dei ascendant post baptismum de virtute in virtutem, ostendant se athletas, exserant vires suas; quibus proinde augendis institutum est Sacramentum Confirmationis. Ad hoc vnguntur Reges nec non luctatores, vt fortes se in pugnâ exhibeant. Et nos in baptismo nostro, quo alio fine vngimur, nisi vt militiam Christianam strenuè militemus? Certè Samuel postquam in memoriam reuocasset Sauli suam vnctionem, dicens: *Me misit Dominus vt vngerem te in regem*; mox subiecit Dei præceptum: *Nunc ergò audi vocem Domini: vade & percute Amalec*, &c. q. d. ad hoc enim vnctus, ad hoc armatus & Rex constitutus es. Gratia Dei, quam in baptismo accepimus & per quam filij Dei constituimur, quasi gladius est, quo spirituale bellum gerere, percutere Sathanam & demoliri omnia vitia debemus. Pignus gloriæ accepimus, sed nisi per luctamen gloriam non obtinebimus. Priùs appellari Iacob, hoc est, luctatores nos oportet, quàm vocemur Israël, hoc est, videntes Deum: quod & sancto illi Patriarchæ contigit. *Gen.* 25. & 32.

C. II. Armant se ad pugnam.

SECVNDÒ, Filiorum Dei est armare se ad pugnam. Id enim fecit Christus petendo desertum & ibidem vacando orationi, ieiunio, vigilijs & humicubationibus. Cuius exemplo imus in desertum à mundi tumultibus, si non semper, certis tamen temporibus ad animi secreta nos recipimus: item cùm ea, quæ carni aduersantur & displicent bona operamur. *Omne bonum*, inquit S. Chrysostomus hom. 5. in Matth. *est extra carnem & mundum quia non est iuxta voluntatem carnis & mundi. At tale ergò desertum omnes filij Dei exeunt.* Vel *desertum est corpus nostrum*, inquit S. Augustin. serm. 77. de tempore, *cùm abstinentia marcescit caro, fit pallor obducitur & contemptu rerum totius hominis species inculta sordescit*; Hoc armorum genus depingere nobis videtur Deus apud S. Iob. c. 39. sub typo equi militaris dicens: *Numquid præbebis equo fortitudinem? Terram vngulâ fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis.* Et mox: *Vbi audierit buccinam, dicit: Vah!* quasi d. exultat & hinnit præ alacritate. Facit sanè hoc equus præsertim generosus, cùm ad prælium descendit terram vngulis excauat, aërem hinnitibus implet ac sine pauore in hostes irruit. Sed quo fine hæc de equo Deus? num de equis ipsi cura est? Vtique propter nos hæc dicta sunt: Nos equorum instar sumus ad præliandum nati in baptismo, in Confirmatione roborati. Ergò vt armemur & animemur contra Dæmonem, terram carnis nostræ excauare nos oportet durâ illa vngulâ, ieiunij, flagelli, vigiliarum, &c. Hac enim ratione *cum infirmor, tunc fortior sum*, inquit Apostolus 2. *Cor.* 12. Ita audacter pergemus in occursum forti illi armato ipsíque insultando poterimus dicere *Vah!* Quemadmodum fecere SS. Antonius, Hilarion, Martinus alijque, qui postquā se ieiunijs alijsque mortificationis operibus probè armârunt ac penè confecerunt, tam terribiles effecti sunt Dæmonibus, vt eorum aduentu, voce, imo solo nomine audito fugere & obsessos deserere coacti sint. Imitemur hos pro modulo nostro, armemus nos contra mundum cordis solitudine, ieiunio contra carnem, oratione contra diabolum. Si enim hæc præstare potuit Dauid regijs occupatus negotijs, qui dixit: *Elongaui & mansi in solitudine*, Psalm. 54. *Genua mea infirmata sunt à ieiunio* Psal. 108. *Septies in die laudem dixi tibi*, Psal. 118. nos præstare non poterimus?

D. III. Primis Dæmonis suggestionibus se opponūt.

TERTIÒ, Filiorum Dei est primis statim Dæmonis suggestionibus occurrere & fœtum venenatum in ouo seu vtero necare. Ita enim Dominus à Sathanâ inuitatus ad conficiendos solùm & parandos panes in ieiunio, tametsi nondum edendos, nequaquam ei acquieuit, sed repulit vetratorem: *Non in solo pane*, &c. Imitatus fuit Dæmon Cancri Marini astutiam, qui vt scribit S. Basilius *hom.* 7. *in Hexam.* & S. Ambrosius *l.* 5. *Hexam. cap.* 8. ostrea obseruat, quando ad solares radios se exponunt & testas suas reserant, captatura liberum aërem; tunc enim lapillum repandis illis testis immittit, vt recludi ab ijsdem nequeant; quo facto, nisi ostrea lapillum mox repellant, cancri præda fiunt ab eoque depascuntur. Obseruauit simile aliquid Diabolus in Christo quando vidit in deserto contemplationi & ieiunio deditum, tandem esurijsse more aliorum hominum. (sic enim se aperuit quodammodò Christus, dum se hominem esse apertè demonstrauit.) Quid igitur Diabolus, retrogradus ille Cancer, qui de luce ad tenebras, de cœlo ad infernum retroactus est, quique viris pijs velut Ostreis insidiatur? Lapides esurienti obijcit: *Dic vt lapides isti panes fiant.* His enim præparatis & famescenti oblatis, facilè sperabat se, quo modo olim Euam pellexerat ad esum pomi, propositâ eius specie, Christum quoque pellecturum ad ieiunium frangendum & gulæ indulgendum. Verùm sapientissimus Dominus repulit hos lapides, & ne conficere quidem panes, nedum edere voluit ante tempus sibi decretum: vt doceret nos ne minimam quidem rimam Diabolo aperiendam esse, sed initio suggestionis eius statim obuiandum, ne aperto ostiolo subingrediatur & animam depascat. Vidit is proditorem Christi inclinatum ad auaritiam & furta: itaque lapillos 30. argenteorum iniecit in eius oculos & loculos, vt sponderet Christum tradere; quo facto in eum intrauit & animam eius absorbuit. Tales itaque lapilli statim repellendi sunt.

QVAR-

E. IV. *Lapides mutare in panes.* QVARTÒ, Filiorum Dei est lapides in panes vertere; (quod verissimè dixit Sathanas) non eo tamen modo, quem intendit Dæmon, ad satiandam carnem: sed longè vtiliore, ad impinguandam animam, quando nimirum contumelias, probra & conuitia in se iacta patienter tolerant: nec velut lapides, sed vt panes in se coniectos accipiunt. Maius homini vulnus infligit calumnia, detractio, opprobrium, quàm lapis in eum iactus. *Flagelli enim plaga liuorem facit*, inquit Ecclesiasticus cap. 28. *plaga autem linguæ comminuet ossa*. q. d. multò peius lædet. Hoc sensu acceptos lapides sæpe sæpiùs in panes mutauit Christus Dominus, quando calumnijs & opprobrijs Iudæorum rependit amorem, orationem, instructionem, remissionem. Vnde specialiter de ipso intelligendum est quod dicitur Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrijs*. q. d. ita patienter & hilariter feret, ac si lautè comederet. Quod videre etiam in Dauide est, qui lapidibus pariter & opprobrijs appetitus à Semei, adeò ijs commotus non est, vt delectari etiam & pasci videretur, seuerè suis præcipiens ne obtrectanti molesti essent aut silentium imponerent. 2. *Reg.* 16. Cui meritò annectimus sanctum illum patrem, quem narrat S. Dorotheus conuitijs lacessitum non modò se nō auertisse, sed auidè etiam attendisse ad obiecta, & gratias egisse eâ voce: *Benedictum sit frater os tuum à Domino*. Illo verò redarguente: *Ne tu improbe & voracissime senex hæc dicis, vt lauderis. Sanè*, inquit Senex, *ita planissimè, mi frater, se res habet, vt dicis*. Refert Raderus *in Virid. p. 3. cap. 2.*

F. V. *Animæ cibum potiùs quam corporis quærunt.* QVINTÒ, Filiorum Dei est, alimentum animæ potiùs, quàm corporis requirere. Id enim docuit Dominus cum dæmoni offerenti corporalem refectionem, respondet spiritualem potiùs quærendam, quæ procedit ex ore Dei, quæque non modò animam, sed quandoque etiam corpus sustentare potest, vti patuit in Moyse & Eliâ, qui solo Dei colloquio & oratione pascebantur per dies quadraginta: in Mariâ Ægyptiacâ quæ per septemdecim annos nec tres consumpsit panes: in Anachoretis, qui multos dies sine cibo agebāt: in Catharinâ Senensi quæ integras hebdomadas, nullo alio cibo nisi S. Eucharistiæ alimoniâ. Miseri mortales de pane tantùm corporali plerumque sunt soliciti, eumque durissimo labore quasi ex lapidibus conficiunt, præsentissimo vitæ periculo è fodinis eruunt, è petris exsculpunt, trans maria quærunt, & quandoque etiam operâ diaboli parant: nec nisi ad vitam corruptibilem & calamitosam aliquamdiu sustentandam. Rectiùs sapiunt filij Dei, qui dicunt: *Non in solo pane, &c.* panis animæ potiùs quærendus, qui est verbum Dei, Sacramenta, virtutes, præcepta, gratia, virtutum exempla, &c. de quibus ad literam scribit Isaias cap. 55. *Quare appenditis argentum non in panibus & laborem vestrum non in saturitate?* hoc est, in veris illis & spiritualibus panibus qui animam reficere & quidem saturare possunt? subdit: *Audite audientes me & comedite bonum*) scilicet panem illum, qui verè & solidè bonus est) *& delectabitur in crassitudine anima vestra*. Anima inquit, non corpus: animæ pabulum quærendum est. Audiat ergò diues, quantam sibi gloriam & benedictionem pepererit Abraham, qui non peregrinos recipiebat, sed diuertere ad se cogebat: quantam confusionem, cruciatum & penuriam Epulo Euangelicus, qui ne micas Lazaro dabat. Audiant nobiles & potentes gloriam Dauidis, quam sibi conciliauit dum corā arcâ saltauit & pauperū protector factus est: ignominiā Amanis, qui superbiâ inflatus, pauperum oppressor fuit. Audiant afflicti patientiā illius Iob. Vxorati pudicitiā Susannæ: pauperes miseriā Lazari mendici: Iuuenes castitatem Iosephi, &c.

SEXTÒ, Filiorum Dei est non tentare Dominum Deum: ita enim Christus: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Hoc autem fit cùm non ex iustâ causâ, sed ex impiâ dubitatione de aliquâ Dei perfectione quidpiā dicitur vel agitur experiendi causâ, vtrum ea in Deo sit necne: quo modo Regina Saba tentavit Salomonem per ænigmata, 3. *Reg. cap.* 10. Quod fit vel explicitè, vt cum tentarunt Christum Pharisæi per quæstionem de tributo Cæsari dando, *Matth.* 22. vel implicitè cùm fit aliquid quod eò tantùm spectat vt de Dei potentiâ, sapientiâ, iustitia, misericordia alijsue attributis experientia capteтur: verbi gratiâ, quando quis neglectis medijs ad finem à Deo ordinatis, finem assequi cupit, vt si viuere velit, comedere tamen nolit: sanari velit, pharmaca tamen & medicamina respuat necessaria: descendere ex alto velit, nolit tamen per gradus, sed per præcipitium, vti suasit dæmon: vincere in prælio velit, interim tamen parcens pecunijs, iustum exercitum non conscribat aut armet: Vitam conseruare velit, pestis tamen contagionem non refugiat, quemadmodum solent facere Turcæ. Secundò, quando quis miracula à Deo sine necessitate petit, vti quidam *Luc.* 11. Tertiò, cùm illius effectus, quē à Deo & medijs ab illo ordinatis expectat, impedimenta non tollit; vt si casti esse velimus, ebrietatem tamen & consortia fœminarum impudicarum non vitemus: quo sensu intelligi potest id Ecclesiastici 18. *Ante orationem prapara animam & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* G. VI. *Non tentant Deū.* 1. 2. 3.

Quartò, cùm quis Deo vel Vicarijs eius mentitur ac si probare vellet num fraudē Deus agniturus & puniturus sit, vt Ananias. *Act.* 5. 4.

SEPTIMÒ, Filiorum Dei est fugere inanem gloriam omnemque auaritiam quod item docuit Christus, cùm nihil ostentationis gratia facere voluit, quo Dei Filium se assereret; nec enim lapides in panes vertit, nec de templo se demittere angelisque suscipiendū committere voluit, nec pro mundi, regnis vel vnum genu curuare. Quā re nos docemur ab omni omnino peccato adeò abhorrere, vt quamuis maxima fame & inopiâ premeremur: quamuis vno vel leui peccato possemus lucrari totum mundum; quamuis post peccatum sciremus nos ab Angelis Dei suscipiendos id tamen nulla ratione admittere deberemus. Quamobrem H. VII. *Fugiunt inanem gloriam & auaritiam.*

D.

D. Anselmus *l. de similit. cap. 19.* dixit: *Si hinc peccati pudorem & illinc gehennæ cernerem horrorem & necessariò vni eorum deberem immergi; priùs me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem; mallem enim purus à peccato, innocens gehennam intrare, quàm sorde pollutus cœlorum regna tenere.*

CONCIO X.

Documenta circa personam tentatoris.

1. *Docetur Diabolum esse valde pauperem dum pro cibo lapides offert.*
2. *Impudentem, dum licet in primo prælio succubuerit redit tamen secundò & tertiò.*
3. *Debilem & impotentem.*
4. *Inuidum viris præsertim spiritualibus & Ecclesiasticis.*
5. *Dolosum in captandis tentandi occasionibus.*
6. *Stultum, suadendo præcipitium.*
7. *Mendacem, afferendo regna mundi esse sua.*

THEMA.

Vade Sathana, &c. Matth. 4.

A TRadunt imperitum, quemdam pictorem delineasse in vna tabula diluuium Deucalionis, in alterâ incendium Phaëtontis; indeque superbiâ tumidum quæsiuisse ex oraculo, quid pro labore meritus esset. Cui responsum est: quoniam vna de aquâ, altera de igne est; vna metetur aquam, altera verò ignem. Pinxit etiam Sathanas, pictor infelicissimus, & proposuit Christo miras quasdam imagines: Lapides imprimis in panem conuertendos: *Dic vt lapides isti panes fiant*; deinde Angelorum custodiam præcipitio quærendam: *Mitte te deorsum, scriptum est enim: Angelis suis mandauit de te.* Denique regna mundi per ruinam obtinenda: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Verùm infaustæ hæ picturæ nil aliud merentur, quàm quod præseferunt: Prima vt lapidibus obruatur. Secunda vt de alto præcipitetur. Tertia vt in profundum cadat, vnde nunquam emergat. Sanè quæ hic pictor suis suggestionibus pinxit olim & in orbem inuexit scelera, gulæ & libidinis, puniuit Deus acerbissimè, mundi diluuio & Pentapolis incendio. Nos ergo ne decipiat iste mille artifex, scrutemur eius vires, dolos, arma, &c.

Nimium quantum prodidit se miserrimus Diabolus in hodierno Euangelio; demonstrauit enim ad oculum, sese esse pauperem, impudentem, debilem, inuidum, dolosum, stultum, mendacem.

B. I. Diabolus est pauper. PRIMÒ, Pauperem se prodit, dum non cibos, non panes, sed lapides tantùm offert Christo, quos ipse si comedere velit, in panes vertat. Eccur non caponem vel perdicem aliasque escas affert, quarum odore vel aspectu solo Christum illaqueare possit? Nimirum pauper est Diabolus nec nisi ad expensas nostras solet nos inuitare. *Prædam pollicetur socijs*, inquit Iob c. 17. sed non nisi proprijs sumptibus & laboribus capiendam: iubet venatores & canes alere, retia comparare, summo manè surgere, magno labore huc illuc discurrere. Ostendit tibi populi fauorem & existimationem, sed ad hanc impetrandam iubet te tuis sumptibus splendidè vestiri, aliorum gratiam prehensare, munera largiri. Ostendit tibi scortum vel vxorem alienam: sed vt hâc fruaris, iubet te illius gratiam ambire, seruitijs & muneribus emere, noctu vigilare & cum magnâ trepidatione accessum eius quærere. Si hæc præstare velis & queas, pollicetur tibi prædam; alioquin nullo modo. Postquam etiam in huiusmodi mercimonijs tua absumpseris, tum incipies egere & nihil tibi dare poterit; quod expertus est ille prodigus, qui vbi consumpsit suam substantiam viuendo luxuriosè, tum cœpit esurire & *nemo illi dabat* vel siliquas porcorum *Luc. 15.* Quamdiu abundauit, tam diu prædam illi promisit; non ampliùs. Hunc in modum Rabsaces ille (verus Diaboli typus) *Isa. 36.* dicebat ad Hebræos. *Facite mecum benedictionem & egredimini ad me & comedite vnusquisque vineam suam & vnusquisque ficum suam & bibite vnusquisque cisternam aqua sua, donec veniam & tollam vos.* Ecce auocaturus populum à Rege & lege suâ, inuitat eum, sed ad quid? ad summet vinum, ficus & aquas eis verò, qui nec vineas nec ficus nec cisternas habent, quid promittit? nihil. Idē indicatum in Pharaone, qui præter opus diurnum iniunxit etiam Hebræis vt sibimet paleas conquirerent ad conficiendum laterum pensum. Pauperrimus ergo Diabolus est, & stultissimus proinde, qui tali Domino seruit proprijs suis expensis. Quàm bonum econtrà seruire Deo, qui præter præmium dat victum quotidianum, vires & facultates?

SECVNDÒ, Prodit se impudentem, idque non vno modo. Imprimis enim licet in primo prælio turpiter succubuisset, mox tamen secundò & tertiò rediit rursumque prouocare ad certamen Christum ausus est. Vnde appositè apud Iob c. 41. sub nomine & typo Ceti describitur habere cor lapideum: *Cor eius indurabitur tamquam lapis & constringetur quasi malleatoris incus.* Quia omnes ictus spernit & percussus fit pertinacior, reditque impudenter noua indicens bella. Ex quo sequitur nos etiam debellato hoc aduersario perpetuò nihilominùs in armis esse debere, imò magis debere fortior & cum 7. spiritibus se nequioribus redeat actutum. Hinc citato Iobi loco mox subditur: *Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli & territi purgabuntur.* hoc est, eo deuicto pauebunt adhuc viri sancti, ne ferocior redeat: ideoque salutari correpti timore expurgabunt animas suas & custodiēt à peccatis. Talis Angelus fuit S. Antonius, quem crebræ de Satanâ Victoriæ nequaquam securum faciebant, sed cautiorem & in virtutum progressu feruentiorem, quò nimirum omnes aditus veteratori illi præcluderet. Secundò. Audet impudentissimè petere: *Si cadens adoraueris me*; quod idem petit à Magis & Sagis, bestia superbissima, diuinos hono- C. II. Impudēs

honores ambiens. Quamobrem rectè vocatur Beelzebub, id est, DEVS musca. Sicuti enim muscæ impudentissimè inuolant in os, oculos & faciem hominis eisque insident: abactæ etiam mox nullo pudore redeunt: ita assolet Dæmon.

D. III. Debilis. TERTIÒ, Prodit se debilem & impotentem. Etenim statuere quidem Christum supra templi pinnaculum potuit, quia ab ipso permissus est: deijcere tamen non potuit, multò minùs eogere vt se ipse deijceret, vel ipsum adoraret, &c. Vnde non ait: Mittam te; sed: *mitte te deorsum. Persuadere potest, præcipitare non potest*, inquit S. Hieronymus. Et S. Chrysostomus *homil. 5. op. imperf. Non impulit, non tetigit, non appropinquauit, sed tantùm dixit: Mitte te deorsum: nam diabolus ad malum hortari potest, cogere non potest.* Bene hoc expressit Deus Iob. cap. 41. dicens: *Ecce Behemot, quem feci tecum: fœnum quasi bos comedet.* Et mox. *Qui fecit eum, applicabit gladium eius.* Bos *ore abrumpit herbam de campo & linguâ tanquam falce quæcumque inuenerit, secat*, inquit Origenes *hom. 13. in Num.* Pari modo Dæmon neminem vi & potentiâ, sed linguâ tantùm seu suasione & suggestione abripere à Deo & deuorare potest. Eòdem pertinet, quod subditur: *applicabit gladium eius.* Vult enim dicere: Non sinit eum sæuire in hominem pro libitu: sed applicat eius gladiũ velut instrumentum chirurgicum, vt non scindat nisi putridam carnem, & cum debito moderamine, ad salutẽ, non ad internecionem hominis. *Gladius istius Behemot*, inquit S. Gregorius *l. 33. Mor. cap. vlt. ipsa nocendi malitia est: sed ab eo, à quo bonus per naturam factus est, eius gladius applicatur, quia eius malitia diuina dispensatione restringitur, ne ferire mentes hominum, quãtum appetit, permittatur.* Fortissimus quidem est Dæmon in se spectatus & posset is suo gladio, si permitteret Deus, omnes nos perimere: Verùm eius brachium tenet & compescit Deus, (quo modo æques freno retinet & gubernat equum) vt non quantum vult & cupit, nocere ac tentare possit. Hinc bene subiecit Deus apud Iob cap. 41. *Non quasi crudelis suscitabo eum*, q. d. non quasi crudelem iudices, qui talem tibi aduersarium dedi, quia licet is in se fortis sit; per me tamen retinetur & restringitur. Patuit in S. Iob, cui in rebus fortunæ & corpore quidem nocere permissus est, verùm animam & vitam eius seruare coactus. *Animam illius serua.* Serua inquit, q. d. custodi eam ne quid mali patiatur. Et sanè si nec porcos quidem sine licentiâ à Christo obtẽta ausus est inuadere, quemadmodum *Matth.* 8. legimus, quomodo pro libitu suo nocere poterit homini ad Dei imaginem facto? vt argumentatur Beat. Gregor. loco cit. Non est ergo quòd vehementer metuamus Dæmonem; qui si in eius gladium non vltrò incurrerimus, nihil nobis nocebit.

E. IV. Inuidus. QVARTÒ, Prodit sese inuidum viris præsertim spiritualibus & Ecclesiasticis in culmine perfectionis & dignitatis constitutis. Ad quid enim duxit & statuit Christum supra templum? cur non supra turrim Herodis? Arcem Arabicam? Portam Salinariam? Domum Sion, &c. cùm ista editissima loca fuerint? Nimirum gaudet maximè dæmon cùm de pinna templi, de perfectionis & dignitatis apice deijcere potest viros templo Deique cultui addictos, quorum virtuti & dignitati inuidet: Idcircò sæpe aliquos ad suprema fastigia euehit vt eos lapsu grauiore præcipitet in barathrum luxuriæ vel in foueam auaritiæ vel ad negotia terrena & sæcularia pertractanda, spiritualibus omissis, vel ad inordinatos propinquorum affectus, &c. Peruulgata est illa Historia, quam scribit Palladius in Historia Patrum Ægyptiorum, in hunc modum: *Dicebat quidam de Thebeis senibus, quòd ipse esset filius Sacerdotis idolorum, & narrabat: cùm paruulus sederem in templo, & vidissem patrem meum frequẽter ingredi, & sacrificia offerre idolo, semel occultè post ipsum intraui, & vidi Sathanam sedentem, & omnem militiam eius astantem ei, & ecce vnus de Principibus eius, veniens adorauit eum. Cui diabolus dixit: Vnde venis tu? Et ille respõdit: In illa prouincia eram, & suscitaui illis bella, & perturbationes plurimas, & effusiones sanguinis faciens, & veni nunciare tibi. Et diabolus interrogauit: In quantum temporis hoc fecisti? Et ille respondit: triginta diebus. Et Diabolus iussit eum flagellari dicens: Tanto tempore hoc solum fecisti? Et ecce alius veniens adorauit eum, & ipse dixit: Vnde venis tu? Et respondit dæmon: in mari eram, & suscitaui cõmotiones & demersi naues, & multos homines occidens veni nunciare tibi. Et dixit ei Diabolus. Quanto tempore hoc fecisti? Et ille respondit: sunt dies viginti. Et hunc similiter iussit flagellari dicens: Quare tantis diebus hoc solum fecisti? Et tertius veniens adorabat eum. Dixit autẽ & huic: Et tu vnde venis? Et respondit: In illa ciuitate fui, & dum ibi fierent nuptiæ excitaui lites, & multas effusiones sanguinis feci, insuper & ipsum sponsum occidi, & veni nũciare tibi. Et dixit ei, quãtis diebus hoc fecisti? Et respondit: in decem. Iussit autem & hunc qui moras fecerat flagellari. Venit autem & alter adorare eum & dixit ei: Vnde venis? Et respondit: In eremo erã, & ecce xl. anni sunt quod impugno monachum quemdam, & vix nocte vna præualui, vt facerem eum fornicari. Quod diabolus audiẽs surrexit, & osculatus est eum, & tollens coronam, quã ipse habebat, posuit in capite eius, & fecit eum sibi consedere, dicens: Magnam rem & fortem egisti. Et hoc ego cùm vidissem vel audissem, dixi intra memetipsum: Valdè magnus est ordo monachorum. Et ita placuit Deo salutem donare mihi, & ingressus sum, & factus sum monachus.* Simillimam huic historiam narrat Cassianus *Collat. 8. cap. 16.* Habent ergo spirituales & qui in dignitate cõstituti sunt, cur sibi magis timeant ab insidijs dæmonum, vti etiam monet eos Ecclesiasticus cap. 9. dicens: *In medio laqueorum ingredieris & super dolentium arma ambulabis.* Quæ verba quia obscura sunt, è græco textu illustrari possunt, qui sic legit: *Super pinnacula ciuitatis ambulabis:* Quis autem nescit esse rem periculosissimam ambulare super pinnacula? Ita porrò ambulant qui in dignitatibus præsertim Ecclesiasticis constituti sunt.

QVINTÒ, Prodit se dolosum. Inprimis enim occasionem tentandi captat commodissi- F. V. Dolosus.

dissimam ab esurie Christi, indeque eum ad gulam prouocare studet. Velut enim belli Dux ciuitatē expugnaturus, lustrat prius & explorat ciuitatis situm ac muros, & qua parte infirmior est, illâ eam adoritur & oppugnat. Lustrat vndique sepem & illic eam transilit, vbi est humillima. Vnde 1. *Pet.* 5. dicitur velut Leo circuire quærens quem deuoret. Qui nauiculam ad se trahere cupit, aduertit vbinam funis de nauiculâ propendeat: inde enim apprehensam scapham facilè quo vult, trahit. Hunc in modum vidit Iudam propensum ad furta & auaritiam: hinc pertraxit eum ad proditionem; Dauidem vidit domi otiosum & delicijs aliquando deditum: hinc impulit eum in adulterium; Vidit Cainum liuore in fratris odium propendentem, inde persuasit ei parricidium Vidit Euam curiosè aspectantem lignum vetitū; inde pellexit eam ad esum. Videt alios egestate premi, vnde non difficilè persuadet illis

2. furta, periuria, scortationes, homicidia. Deinde facillima esse fingit ea, quæ à nobis petit, tametsi maximi laboris & durissimi apud Deum iudicij sunt. *Dic*, inquit, *vt lapides isti panes fiant*, supra vires naturæ est è lapidibus panes facere, & tamen is, *dic tantum*, inquit, & fiet. Grauissimum & inexcusabile scelus est sororem incestare, & tamen cùm machinaretur Amnon, nec tamen posset vel auderet facere, suggerit ei Ionadab (sufflatorium diaboli) *Quare sic attenuaris macie fili Regis per singulos dies? cuba super lectum & languorem simula, & cùm venerit pater tuus vt visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar, soror mea.* Quo facto compressit sororem. 2 *Reg.* 13. Ecce, *dic ei*, vt veniat Thamar inquit. q. d. quid tu fili regis non poteris? Hunc in modum scelera etiam grauissima repræsentat dæmon reprobis quasi leuia: Quid erit, inquit occidere vnum hominem? quid exsatiare libidinem, quo natura impellit; quid si audare vno alteroue florenō? quid inebriari semel? Facile est hæc obtinere, facile & excusare.

Tertiò à leuioribus incipit & gradatim ad
3. grauiora progreditur. Panem primò offert Christo ad pellendam famem; tum audacior factus præcipitium suadet: demum impudentissimè adorari ab eo petit. In prima tentatione hominem præsefert: in secunda Angelum, dum eum assumit in templum: in tertia Diabolum, dum Idololatriam suadet. Hæc fraus, hic astus Diaboli: persuadere initio quædam, quæ peccati speciem non habent: his obtentis leuiora suadet peccata; tum denique in omnem turpitudinem proijcit. Suadet delectationem in cogitationibus malis: ludum pro nummis: vsuram vulgò permissam, hæsitationem in vno fidei articulo; postea ad opus malum, ad ludum illicitum, ad vsuram iniquissimā, ad hæresin inducit. Quare initio statim ei obsistendum, nec in minimis assentiendum. Denique adhibet S. Scripturæ testimonium, sed fraudulenter. Tribuit enim Christo custodiam angelorum, quam Scriptura allegata tribuit Dei seruis. Deinde non citat omnia quæ in textu sunt, omittit enim illa verba. *Vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Tacet etiā, quod sequitur: *super aspidē & basiliscum ambulabis*; quia in hoc ipse notatur. Qua fraude etiam per ministros suos hæreticos circumuenit incautam plebem, Scripturam, scripturam appellant, eam tamen sinistrè intelligunt & torquent in suum sensum. *Sciunt enim satores suos*, inquit Vinc. Lirinensis 1. contra hæret. 35. *nulli ferè citò esse placituros si nudi & simplices exhalentur? atque idcircò eos cælestis alloquij velut quodā odore aspergunt &c.*

SEXTÒ, Stultum se demonstrat. Primò G. VI. Stultus.
dum præcipitium suadet: *Mitte te deorsum.* Insanis miser Diabole; quis enim sanæ mentis de 1.
summo tēpli se præcipitet, cùm per scalas descendere queat? Ostendit ergò hic præter mentem, Diabolum se esse, qui cùm de cœlo præcipitatus sit, cupiat etiam præcipitari alios. Deinde vt hoc persuadeat, stultissimè argumentatur, scriptum nimirum esse: quoniam angelis suis mandauit de te vt custodiant te. Hoc ipso enim quòd angeli Dei custodiunt iustos, præseruare eos nituntur à lapsibus & præcipitijs, quidquid in contrarium suadeat Cacodæmon. Vnde S. Petrus Chrysologus iure dixit serm. 11. *Miser cupis euntare; sed nescis.* Quare nemo se hinc excusare velit, quòd à malo Dæmone in lapsum impulsus sit eius lenocinijs; quantum enim iste suadet lapsum, tantum angeli boni dissuadent. Si te ille præcipitare ad infernum vult, hi te euehere ad cœlum volunt: si tibi ille mortem afferre, isti tibi vitam. Denique dum aues vult aucupari, baculo eas petit. Ait enim: *si cadens adoraueris me.* Hoc ipso enim vt aduertit S. Irenæus *l.* 5. *aduersus hær. cap.* 22. confitetur, ipsum adorare esse cadere in peccatum adeoque in mortem. Quis ergò nisi stultissimus sit, Diabolo obsequatur, qui ea tantùm suadet, quę per ruinam omnium periculosissimam obtineri debent; Exhibuit se aliquando veterator iste S. Iulianæ transfiguratum in angelum lucis, dicēs Christum iubere vt illa potiùs Dijs Gentilium sacrificaret, quàm in cruciatibus deficeret. Obstupuit illa tali nuncio. (quis enim non obstupesceret, rem tam stultam audiens?) mox diuinitus inspirata manu illum apprehendens, vinculis constrictum, verberibus affecit & insidiatorem in insidijs deprehensum, confusum abegit, Sur. 10. 2. Marulus *l.* 5. *cap.* 7. sinè vti Dæmones vix vnquam nisi tetrâ, Æthiopis aut simili apperent formâ, vt agnosci queāt: ita eorum tentationes plerumque stultitiam aliquam continent, ex qua deprehendi possint.

SEPTIMÒ, Mendacem se ostendit, quia H. VII. Mendax.
asserit regna mundi sua esse. *Tibi dabo*, inquit, *potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt & cui volo, do illa.* Luc. 4. Mentitur inprimis, inquit S. Irenæus, *l.* 5. *contra hær.* in eo quòd dicit omnia regna mundi sibi tradita esse, nec non potestatem gubernandi ea & donandi cui vult. Domini enim est terra & plenitudo eius. Diabolus nihil in mundo habet, quod suum appellare queat, vnde nihil alij donare potest. Mentitur rursum cùm ait, se dare gloriam regnorum, diuitias scilicet,

delicias, honores, quia non habet nisi inopiam, dolores & ignominiam. Vnde S. Cyprianus tract. de ieiun. & tent. Christi ait. *Tu impie ac mendax, quid habes, quod dare possis? Tua est scabies, languentis tua sunt vlcera; hac scalpis, hac impuros ablingis, scabiem & putredinem & vermes dedisti Iob: mortem eius filijs, deperditionem eius substantia: cacitatem, surditatem & torsiones ei, quem ingrederis? mortem & submersionem porcis, in quos tibi ingredi concessum fuit, &c.* Denique *mentitur* ait S. Chrysost. hom. 5. op. imperf. *quia nullatenus intendebat dare, quod promittebat.* Et certè vni non poterat dare omnia mundi regna, nisi alijs omnia tolleret; non videtur autem credibile, quòd pro vno lucrando, vellet omnes alios seruos suos amittere. Sed nimirum qui ab initio mendax fuit & mēdacijs decepit primos nostros parentes, idem hic quoque egit. Vnde meritò irridendi sunt & ridebuntur in die Iudicij, qui à pauperrimo & mendacissimo Diabolo, requirunt & expectant opes, honores, fauores, sanitates, delicias, &c. interuentu magicæ artis, neç non sui ipsorum deuotione. Audient enim quod Adam nimiùm credulus falsis Dæmonis promissionibus audiuit à Deo: *Adam vbi es?* q. d. Numquid ad regnum, ad scientiam, ad diuinitatem, quam Diabolus tibi promisit, peruenisti? si Deus es, cur times; si omnia scis, cur fugis? &c.

Quare Auditores, pessimi pictoris pessimas picturas, si quando nobis obijciuntur, continuò disperdamus, igni & aquâ mergamus, ne per ipsas nos mergamur.

CONCIO XI.

Mysteria.

1. *Quæritur quādo Christus iuerit in desertū.*	*ta diebus.*
2. *A quo spiritu ductus fuerit.*	10. 11. *Cur per 40. dies non esurierit, ad extremum tamen esurire voluerit.*
3. 4. 5. & 6. *Cur in desertū duci, ibiq; tentari voluerit, & hoc non initio, sed in fine ieiunij.*	12. *Cur à dæmone se gestari sit passus.*
7. 8. 9. *Quare voluerit ieiunare, idque post batismū & quadragin-*	13. *Quare ad petitionem dæmonis nullum signum fecerit.*

THEMA.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tētaretur à Diabolo, Matth. 4.

A TRes potissimùm causæ videntur, cur hodiernâ Dominicâ legatur hoc Euangelium. Prima, quia Christi tentatio contigit circa Quadragesimæ nostræ initiū, quadragesimâ nimirum die post baptismum Christi, seu 15. Februarij. Secunda, quia etiam ad initium Quadragesimæ potissimùm tentantur Christiani, alij circa ieiunium, alij circa confessionem & communionem, alij circa alia. Vnde monet Sapiens Ecclesi. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore & prapara ad tentationem animam tuam.* Vt ergò ad pugnam armemur, legitur nobis historia pugnæ & victoriæ Christi contra dæmonem. Tertia, vt initio ieiunij animemur ad suscipiendum id alacriter & prosequēdum fortiter, dum proponitur nobis exemplum Christi Ducis nostri. Vt autem milites excusare se à pugnâ nequeunt, cùm Ducem sibi præeuntem vident: ita nec Christiani sine ignominiâ declinare ieiunium queunt, dum Christi exemplum cogitant. Quoniam igitur hoc Euangelium aptissimum est huic tempori, æquum est vt ipsum accuratiùs expendamus.

Quæritur PRIMÒ. Quando Christus discessit in desertum ad ieiunandum? Respondetur. Immediatè post baptismum susceptum, vt patet *Matth. 4.* vbi post baptismi descriptionem subdit: *Tunc* IESVS *ductus est*, &c. Et Marci 1. *Et continuò expulit eum Spiritus*, &c. Vt nimirum doceret nos per baptismum vocari ad prælium, & gratiam Spiritus Sancti descendentis super baptizatum (sicut in formâ columbæ descendit super Christum) protinus exercendum esse in adulto. Non enim frustra armatur & accingitur miles, sed vt prælietur. Idem Christus *cùm esset Spiritu sancto plenus*, vt ait Lucas, ductus est in desertum: Et nos in baptismo ad hoc vngimur velut Athletæ vt pugnemus; militia est vita hominis Christiani. Imò pro beneficio & gratiâ reputat miles strenuus, cùm occasio præliandi ei offertur à Duce aut conceditur; idcircò & bonis ad pugnam anhelandum & festinandum, adeoque gaudendum cum Apostolis, si pro nomine IESV contumelias pati, vel strenuè laborare nobis datur. Vnde S. Chrysostomus *hom. 13. operis imperf.* ait: *Id circò accepisti arma, non vt otieris, sed vt pugnes.* Et hom. 5. in Matth. ait: *numquid miles signatur & oleo vngitur vt sedeat? Signati sumus in nomine* CHRISTI *oleo vncti* &c. Porrò cōtra tres hostes nostros pugnare hic monemur, contra mundum, fugiēdo eum & spernendo: contra carnē, ieiunando: contra dæmonem, resistendo. Qui in hac militia se non exercet, frustrà baptizatus est. Militum est hostes cædere & spolia reportare: Christiani est, vitia fugere, & in seipso necare, ac virtutes & merita parare.

B. I. Quando Christus iuit in desertum?

Quæritur Secundò, A quo spiritu ductus est IESVS in desertum? Respondetur, à bono. Ab illo enim ductus est, quo immediatè antè plenus dicebatur *Luc. 4.* Spiritu sancto videl. Vnde ad differentiam huius Spiritus, tentator vocatur diabolus: *Ductus est* IESVS *in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Ergò à Spiritu sancto ductus est ad ieiunium, vt Primò doceret ieiunium opus bonum esse, à Spiritu sancto suasum & præceptum. Secundò ductum Spiritus sancti sequi nos debere, non propriam voluntatem, vt in alijs actionibus, ita maximè in ieiunio. Eustachius hæresiarcha ieiunabat diebus Dominicis contra Ecclesiæ ritum: similiter Manichæi. Aërius negabat statuta Ecclesiæ ieiunia obseruanda, sed ieiunandum cùm quisque voluerit. Heretici etiam nostri nō omninò abhorrent à ieiunio, nolunt tamen ieiu-

C. II. A quo Spiritu ductus?

1.

2.

nare

nare ex præscripto Ecclesiæ, sed malunt libitu suo. Hi non ducuntur Spiritu sancto, qui Ecclesiam regit: sed suo & malo. Contrà viri boni duci se patiuntur & volunt ab Ecclesiæ spiritu cum Dauide dicente: *Vt iumentum factus sum apud te*; vt salubriùs & securiùs ac maiori cum merito operentur, *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, ait Apostolus *ad Rom.* 8. Iumenta aguntur & ducuntur ab homine: filij Dei à Spiritu sancto. Tertiò, vt nos moneret omnia cum hilaritate, alacritate & Spiritus sancti impulsu agere quæcumque agimus bona.

D. III. Cur in desertum? Q. TERTIÒ, Cur in desertum ductus est? Respondetur. Vt nos doceret longè ab hominum oculis & laude fugiendum, cùm quid boni agere, orare, ieiunare, eleemosynam dare (vt Christus *Matth.* 5. docet) volumus. Secundò, vt doceret optimum medium conseruandi gratiam acceptam in sacramento, esse solitudinem, vel saltem mundi & prauæ societatis fugam, adeoque rectè facere Monachos & Eremitas, qui Cellulis & montibus se includunt. Vt enim pictores & qui libros componunt, silentium amant; sic qui Deo accuratè seruire student. Vnde Thomas de Kempis ait: *Quoties inter homines fui, toties minor homo redij.* Nummus in arcula reclusus longè pulchrior manet, quàm qui per vulgi manus transit. Tertiò, Vt doceret desertum & locum solitarium orationi & contemplationi optimè conuenire. Quartò, Vt doceret viros spirituales & Ecclesiasticos imprimis non familiares nimis esse debere secularibus; sed in recessu se continere. Vnde Petrus Damiani Cardinalis scribit in apologetico de contemptu sæculi, cap. 26. *pictura, si procul assistas, inbiantes & cum auditate prospicitur: si iuxta sit, contempti ilis indicatur. Et spiritualis quisque carnalibus absens quidem timori, præsens autem videtur esse despectui.* Sic ille.

E. IV. Cur tentari voluit. Q. QVARTÒ, Cur tentari voluit? Respondetur. Primò: Vt nullus quantumcumque sanctus existimaret se securum & immunem à tentatione fore; proinde non indignetur aut murmuret, si tentatur; si enim ipse Dei filius tentatus est, non mirum quòd tententur homines. Secundò, Vt tanto maiorem fiduciam in ipsum haberemus tamquam adiutorem nostrum, qui & ipse tentationes degustauit. Vnde ad *Heb.* 4. ait Apostolus: *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Decet belli Duces priùs fuisse gregarios milites vt possint calamitates eorum credere, agnoscere iisque compati & opem ferre. Tertiò, Vt doceret nos tentationes vincere, adeoque tentatoris fraudes eludere ac ridere: sicut bonus Athleta vel lanista in arenam descendit & cum aduersario pugnat, vt discipulos suos doceat, quâ arte, quibus ictibus ferire hostem possint. Si hanc artem vidisset & didicisset à Christo Eua, nequaquam succubuisset; suadenti enim diabolo esum vetitæ arboris, respondisset iuxta doctrinam Christi: *non in hac solâ arbore viuit homo*, sed in omnibus alijs quæ sunt in paradiso, &c.

Quartò. Vt dæmonem hoc duello vincens confunderet, qui olim gloriabatur de potentiâ atque astutiâ, & fortissimos quosque Athletas triumphabat. *Exposuit se Christus*, inquit S. Cyprianus de operibus Cardinal. *tentandum diabolo, vt tentato is confunderetur præsumptio.* Ductus verò est à Spiritu Sancto ad hoc certamen, *vt nos videamus*, inquit Chrysostomus hom. 13. in Matth. *quia non sponte nos ipsos in tentationes oporteat insilire: sed si contracti fuerimus, viriliter repugnare.*

Q. QVINTÒ, Cur in deserto tentatus est? Resp. Primò quia *tunc diabolus maximè aliquem aggreditur*, inquit Chrysost. hom. 13. in Matth. *cùm solos viderit atque ab alijs segregatos.* Vnde infert: *maximè oportet frequenter nos alijs aggregari, vt non facilè in diaboli captionem paremur.* Ita maximè & periculosè tentantur, qui tentationes suas confessarijs non manifestant: ex quo sæpe ad laqueum adiguntur, qui si alijs aperuissent suas tentationes, liberati fuissent. Ideò dæmon Euam solam, & absente viro adortus est tentatione: non tam facilè aut fortè numquam eam victurus, si præsente viro id fecisset. *Frater enim, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, ait Sapiens *Prouerb.* 18. Hinc è monasterijs olim non dimittebantur ad Eremum, nisi perfectissimi viri; & instructissimi ad pugnam. Secundò, vt ostenderet diabolum tunc maximè homini inuidere insidiarique, quando is ad meliora tendit. Sic Holofernes ad Iudith dixit: *Ego numquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor Regi: populus autem tuus, si non contempsisset me, non leuassem lanceam meam super eum.* Iudith. 11. Idem agit dæmon quod canis, domesticos non allatrat, sed peregrinos & præsertim eos qui baculos aut arma gerunt, à quibus sibi metuit. Vnde quidam Sanctus in vitis patrum legitur vidisse in vno monasterio innumeros dæmones muscarum instar vndique cirumuolantes: in ciuitate verò vnicum eumque otiosum satis, portæ insidentem; quòd hîc eius voluntas facilè obseruaretur, non ibi. In spec. exemplo. v. dæmon.

F. V. Cur in deserto tentatus.

G. VI. Cur in fine ieiunij tentatus. Q. SEXTÒ, Cur in fine ieiunij, non initio tentari voluit? Resp. Primò, Vt doceret priùs nos per ieiunium & similia opera armari ad pugnam debere: quemadmodum & Ecclesia vult nos per præuiam quadragesimam munire contra dæmonem, superandum in pænitentiâ. Vnde Tertull. lib. ad Martyres ait: *nemo miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis & substrictis, vbi omnis duritia, imbonitas & insuauitas consistit.* Sic ille. Multò magis hoc faciendû in militia spirituali; vt nimirum caro priùs edometur & debilitetur, ne & ipsa nobis hostis fiat, hostemque nostrum dæmonem iuuet. Vnde valdè decipiuntur, qui existimant, se crapulâ, delicijs & voluptatibus victoriam de illo reportaturos. *Contra diriora dæmonia* (ait idem Tertull. l. contra psychicos de ieiunio) *ieiunijs præliandum esse docuit.* Secundò quia tunc primum Christus esurijt; diabolus ergo hinc audaciam sum-

sumpsit Christum aggrediendi. Sic etiam cùm homo in afflictione est, cùm spoliatur rebus charis, bonis, vxore, liberis, vita, tunc captat occasionem dæmon hominem tentandi acriùs, tamquam aliunde adiutus. Hinc fures, latrones, veneficę, meretrices occasione paupertatis. Item quando homo in optimo exercirio est tunc maximè infestatur, quia tunc maximam vim infert dæmoni. Vnde Chrysost. *hom.* 13. *in Matth.* ait: *Diabolus Christum non ieiunantem tentat, sed esurientem: vt scilicet discas, quàm sit bonum grande ieiunium & quia hac aduersus diabolum arma sint maxima.*

H. VII. Cur voluit ieiunare.

Q. 7. Cur voluit ieiunare? Resp. 1. S. Augustinus serm. 77. de tempore. *Hoc, inquit, fecit, causâ salutis nostra vt rem vtilem nō solùm doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret; vt eisdem vestigijs quibus ad fidem gradimur, ad abstinentiam gradiamur.* Et mox; *Bonus enim medicus poculum quod agro daturus est, ipse priùs gustat; vt peritiam artis sua antè ipse in se demonstret: vt experimentum ager accipiens securus sit de poculo, securior de salute.* Hæc ille.
2. Secūdò vt opponcre: remedium peccato primi parentis qui gula victus ieiunium fregit & per hoc è paradiso se & nos eiecit. Vnde S. Chrysostomus hom. 13. in Matth. ait: *Dominus ieiunauit, non quia hoc indigeret, sed vt nos doceret, quibus peccata ante baptismum dominatio ventris intulerat. vt enim si aliquis agrotum quem ad sanitatem reduxit, iubeat illa non facere, ex quibus morbus ille contigerat: ita etiam post ieiunium contra edacitatis vitium induxit. Nam & Adam de paradiso intemperantia ventris eiecit.* Similiter Augustin. serm. 77. de tēpore. *Hoc egit Saluator,* inquit, *vt eisdem vestigijs quibus admissa fuerant delicta, purgentur: hoc est, quia homo manducando deliquerat, corrigat abstinendo, &c.* nimirum hic optimus modus erat subijciendi nobis iterum carnem & passiones, quę per peccatum rebelles nobis factę sunt.

I. VIII. Cur ieiunare post baptismum.

Q. 8. Cur ieiunare post Baptismum voluit? Respōdet S. Chrysostomus *hom. 13.* dictâ. *Quod post baptisma non delitijs ac temulentia, non mensa epulis onusta, sed ieiunio animum debemus intendere.* Viderint itaque, quàm vanè glorientur nomine Christiano, qui ieiunia detrectant, excusationes prætendunt &c. Certè nisi Christianis necessaria forent ieiunia, nō fecisset ea præceptum Ecclesia. Nouum ergò pro illis cœlum fabricari debet, qui ieiunare renuunt.

K. IX. Cur 40. diebus.

Q. 9. Cur quadraginta diebus? Res. 1. quia hic numerus est numerus pœnitētię & afflictionis, quam partim pro nobis exsoluere, partim nos docere voluit Christus, vt ostendit Hieronym. *l. 9. comment. in Ezech.* 29. Vbi inter alia: *Pluuia quoque diluuij,* inquit, *Quadraginta diebus inferunt orbi naufragium: iustum enim erat, vt qui per quatuor elementa mundi, quibus omnia constare dicuntur, dum ea diligit & fouet Deum offenderat, in ipso numero puniretur.* Vt ergò diluuium quadraginta dierum mundum purgauit: sic Christus ieiunio 40. dierū peccata nostra puniuit & lauit. Albinus in Gen. inter. 127. *Quadragenarium,* inquit, *numerus tribulationem pœnitentia ostendit. Quod verò Noë post quadraginta dies fenestram arca aperuit, significat ieiunio cœlum reserari. Ideò Moyses, Elias & ipse Saluator quadragenario numero ieiunia confecerunt, tamquam tribus temporibus necessaria, ante legem, sub lege, sub gratia* Sic ille.
2. Secundò vt numerum huic ieiunij iam à Moyse & Elia obseruatum, sanctificaret & Christianis tamquam sanctum & saluberrimum relinqueret. Sicut enim Christus cùm Iordanis aquas in suo Baptismo tetigit, eas sanctas & salutares reddidit, eisque virtutē ad generādos Dei filios contulit: ita Quadragesimali suo ieiunio sanctificasse nostram quadragesimam censendus est. Aqua si per amygdala contrita coletur, amygdalinum saporem induit: ita Quadragesima à Christo sanctificata induit sanctitatem. 3.
Denique vt in heroico illo ieiunio memor etiam humilitatis esset; dum sequi exemplum seruorum suorum Moysis & Eliæ voluit, nec vlteriùs ieiunando progredi, cùm facilè potuisset, vt ita nos doceret non ieiunandum ad vanam gloriam, ne meritum perdamus. Docet & rationabiliter ieiunādum, ita vt accōmodemus nos consuetudini Ecclesiæ & viribus nostris, &c. quod cùm non fecisset Abbas Ioannēs, sed exhausto corpore biduo nihil comedisset; accedenti postmodùm ad refectionem, obuiam venit diabolus in forma tetri Æthiopis, atque ad eius genua prouolutus: *Indulge mihi,* inquit, *quia ego tibi hunc laborem indixi.* Refert Cassianus *collat. 1. cap. 21.*

L. X. Cur per 40. dies non esurijt?

Q. 10. An & cur per quadraginta dies non esurijt? Resp. Non esurijsse nec inde corpore debilitatum esse; quia Matthæus & Lucas asserunt post ieiunium primum esurijsse. Item quia alioquin dæmon eum citiùs tentasset. Causa est, 1. primò vt Deum simul & hominē se ostenderet: Deum quando per tot dies non esurijt: hominem quando ad extremum esurijt. 2. Secundò vt doceret ieiunij perfectionem non tā in eo consistere, vt corpus affligatur & maceretur (quamquam & hoc salutare) quàm in eo vt per id virtutem temperantiæ discamus adeoque apti fiamus ad contemplationem & cætera virtutum exercitia Deique seruitia, atque ita Angelis quodammodò similes efficiamur & S. Bernardo, qui ob amorem contemplationis & seruitij diuini adeò non afficiebatur cibo & potu, vt ad refectorium quasi ad pœnam iret. 3. Tertiò, vt formā cœlestis vitæ nobis exhiberet: in cœlo enim beati similiter neque esurient, neque sitient.

M. XI. Cur ad extremū esurijt?

Q. 11. Cur ad extremum esurire voluit? Resp. 1. vt diabolo occasionem præberet se tētandi, dum imbecillitatem humanam fami obnoxiam præsetulit, vt sic ad pugnam eum prouoliceret, & gloriosè vinceret. 2. Secundo vt moneret nos ieiunia non debère fugere ob inediam secuturam. Qui enim ex præcedenti ingluuie postero die nihil esuriunt, tametsi Ecclesiæ præceptum non transgrediuntur, nihil tamen meriti acquirūt, quia neque ex motiuo tēperantię neque cum afflictione aliqua ieiunāt.

N. XII. Cur à dæmone se gestari passus.

Q. 12. Cur Christus à diabolo se gestari passus est? Resp. Vt non scandalizemur quòd etiam crucifigi voluit: & si etiam nunc à malis

malis Sacerdotibus gestetur, offeratur; & à peccatoribus etiam in communione sumatur, à Magis item & Sagis indignè sæpè tractetur. Vnde S. Gregorius hom. 16. in Euang. ait: *Quid mirum si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit à membris illius crucifigi?* Secundò ne perturbemur, si quando à tentatione inflammamur, velut si motu iracundiæ aut carnis rebellióne vel cogitatione mala abripimur & statuimur ante res illicitas, imagines turpes, &c. modò non assentiamur per delectationem vel consensum, sed constanter resistamus; primi enim motus peccata in se non sunt. Passus est Christus duci à dæmone corpus suum, sed non seduci voluntatem: sic licet à paruis motibus corpus occupetur & feratur caro quò tu non vis: nihil damnationis tibi est, modò non assentiaris, sed fortiter repugnes. Concupiscentia fomes est; si vel vna scintilla voluntatis in eum cadat, ignis peccati exardescet. Quòd si igitur hoc vel alio tempore diabolus fortè quē abducat in tentationem gulæ & intemperantiæ, suadens ebrietatem vel ieiunij transgressionem, Dic vt piscis iste caro, Quadragesima Bacchanalia fiant: ilicò tu oppone: non in sola carne vel ebrietate viuit homo, sed etiam in pisce, temperantia & ieiunio: si suadeat vt te deorsum mittas in graue aliquod peccatum, confessionem mutiles in eaque scelus aliquod reticeas & ita communices: responde: *Non tentabis Dominum Deum.* Si suadeat vt seruitium Deo debitum & animæ opportunum his diebus ipsi impendas, ipsius voluntatem facias, &c. replica tu; *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies.* Iam si Angeli sancti viderint te sic pugnantem, tandem ad te accedent & ministrabunt tibi, solatium & auxilium ferentes, tandemque velut victorem in manibus suis gestabunt ad triumphos cœlestes.

Q. XIII. Cur ad petitionē dæmonis signum non fecit.

Q. 13. Quare Christus ad diaboli petitionem nullum facere miraculum voluit? Resp. 1. quia qualecumque fecisset, nullo modo prodesse poterat ad diaboli salutem. Tam propriè & adæquatè congruit Christo nomen IESV, id est Saluatoris, vt nihil vnquam fecerit, quod
1. non promoueret alicuius salutem. Plenariam quidem potestatem quiduis faciendi accepit à patre suo: eâ tamen nullatenus, nisi ad hominum salutem vti voluit, vt vel ex eo patet, quod fecit & dixit *Luc. 9.* cùm noluit sui gratiâ perire Samaritanos, dicens. *Nescitis cuius spiritûs estis: filius hominis nō venit perdere animas, sed saluare.* Vnde sapienter Psalm. 28. vocatur [*dilectus quemadmodum filius vnicornium*;] quia licet summa potentia præditus sit, eâ tamen non nisi salutem hominum quæsiuit, quo modo Vnicornis seu Monoceros robustissimo suo cornu venena dispellit & aquas à serpentibus infectas sanat, vt potari à bestijs queant. Christi igitur exemplo dirigamus omnia opera nostra ad salutem nostram vel alienam, nec id omne iustum æstimemus, quod possumus; dicamus cum Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Secūdò, quia diabolus per- 2.
petuus hostis est; nulla prorsus gratia dignus. *Fas non erat*, inquit S. Chrysostomus hom. 5. ex varijs in Matth. *Dominum voluntati diabolicæ obtemperare, quam profitebatur inimicam.* Eamdemque ex professo expendit *hom. 29. ad pop.* demonstrans, quòd quamuis non essent paratæ pœnæ ijs, qui diabolo obsequuntur, vel ex eo solùm deberemus ei petita negare, quod est hostis noster crudelis, perditionē nostram omnibus modis quærens. Conuenerunt aliquando (scribit Hier. Bapt. de la Nuza in Tract. Euang. tr. 8. §. 36. ex S. Chrysostomo *hom. 29. ad pop.*) aliqui sancti Monachi, inter se de rebus spiritualibus conferentes, eaque apud illos interposita est conuersatio, quodnam efficax esset remedium ad reuincendas omnes diaboli tentationes? Quidam dicebat, quòd se mortis muniebat memoria, & considerabat, quòd citò erant transitura omnia, &c. Alter, se pœnarum infernalium consideratione roborari fatebátur. Tertius, iudicij extremi metum & terrorem opponendum tentationibus inimici, tamquam remedium validum credebat. Sicque singuli quod in animo erat, exponebant. Conclusit tamen conuersationem vltimus, dicens: hoc sibi maximum remedium, cùm tentationibus vrgebatur, considerare; quisnam esset qui eum excitabat, qui cum eo loquebatur petens & suadens illicita, & hoc ipso quod expēdebat hunc dæmonem esse inimicum, impium, crudelem, vilem, perpetuæ damnationis sententiâ condemnatum, eius pellebat tētationes, dicens, Numquid ego, qui à Deo creatus sum ad gloriam possidendam, & ab ipso adoptatus in filium, huic vili mancipio, omnibus bonis priuato, omni iniquitate repleto, obsequi debeo? Ex quibus progreditur Chrysostomus, ad reprehendendam hominum nequitiam inurbanam, & inuerecundam, quod Deo loquenti, petenti, roganti aliquid à nobis fieri, non obtemperamus, qui est Rex, Dominus, Pater, Amator nostri, vt vitam pro nobis verè posuerit, & sanguinē pro nobis dederit, cui vel hoc solo nomine deberemus obtemperare; & dæmoni inimico, crudeli acerboque hosti, qui nos genusque nostrum perdidit, & perpetuò idipsū procurat, deformi, vili, & omnibus malis repleto, vel solo verbo excitāti, statim obedimus, vt vel hinc solùm nos æternâ damnatione dignos probaturus sit in Dei iudicio ipsemet inimicus: quem Cyprianus cōsiderat, tunc proclamaturum coram iudice contra nos: Ego pro istis, quos mecum vides, ô Iudex æquissime, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, sed nec regnum illis cœleste promitto, nec ad paradisum reuoco: & tamen mihi loquenti crediderunt, extitanti consenserunt, roganti morem gesserunt, &c.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Matthæi 17.



N illo tempore: Assumpsit IESVS Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & trãsfiguratus est ante illos, & resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt eis Moses & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad IESVM: Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam & timuerunt valde. Et accessit IESVS & tetigit eos, dixitque eis: Surgite & nolite timere. Leuantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum IESVM: & descendentibus illis de monte præcepit ills IESVS dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.

CONCIONES.

I. *Transfiguratio seu astutia Diaboli.*
II. *Bona cælestia, quæ Deus offert, qualia.*
III. *Quare Christus transfigurari voluerit.*
IV. *Quid tractatum sit in Comitijs habitis in monte Thabor.*
V. *Excessus Passionis Dominicæ eiusq́; causa.*
VI. *Quadruplex hominum transfiguratio.*
VII. *Fontes 5. vnde promanant gaudia beatorum.*
VIII. *Quanti æstimanda sunt Indulgentiæ.*
IX. *Documenta.*
X. *Mysteria.*

CONCIO I.

Transfignratio seu astutia diaboli.

1. *Ducit homines in montem excelsum per ambitionem & superbiam, vt elatos inde deijciat.*
2. *Faciem habet splendentem, & considerat debiliorem animæ partem quam ictibus tentationum suarum quatiat.*
3. *Vestes habet candidas dum sub ementita virtutum specie tentat bonos.*
4. *Adducit nubem lucidam, dum mala ex peccatis prodeuntia tegit.*
5. *Vocem de nube edit terrificam, dum Dei seruos difficultate perseuerantiæ, scrupulis & nefandis cogitationibus terret.*
6. *Adhibet Apostolos suos, quorum interuentu in rete suum trahantur, quos per se trahere non potest.*
7. *Producit Eliã, id est, zelum indiscretum quo incipientes potissimùm à bonis propositis auocare conatur.*
8. *Moysen refert, dum se mitem multoties tentatu exhibet.*

THEMA.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

TAm verè quàm sapienter dixit Christus Dominus in parabolâ zizaniorum *Matth.* 13. venisse inimicum hominem, hoc est diabolum, & in medio tritici superseminasse zizania. Nam vt in eam parabolam scribit S. Hieronymus: *Inter triticum & zizania, quod appellamus lolium, quamdiu herba est & nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est & in discernendo aut nulla aut perdifficilis distantia.* Ita enim satan inimicus Christi & Ecclesiæ eius, miscet fraudes suas verbo Dei, vitæ Christi & doctrinæ Christianæ ac veluti simia imitatur Christum & Christiana sacra, vt sæpe difficillimum sit, saltem primo intuitu, imposturas eius deprehẽdere & à veritate Christiana discernere. Ecce enim in hodierno Euangelio transfigurauit sese Christus coram suis Apostolis & ostẽdit specimen gloriæ suæ, vt hoc æternæ felicitatis prægustu ad amorem & desiderium eiusdem nos accenderet: & adest mox diabolus ac super isto tritico zizania sua seminat, tritico simillima. *Ipse enim Sathanas*, vt scribit his verbis Apostolus 2. Corinth. 11. *transfigurat se in Angelum lucis.* Qui proptereà etiam dicitur noctu, dum dormirent homines, id est, subdolè & callidè venisse & zizania seminâsse. Et quo alio fine, nisi vt triticum suffocet, piosque à Christi cultu ad sui sequelam abducat ac demùm vnà secum colligatos detrahat in gehennam ad cõburendum? Quare vt ab impostore isto nobis caueamus, detegemus eius fraudes & zizania prodemus, quantum dabit Dominus. A.

PRIMÒ, Ducit homines in montem excelsum. Primò per ambitionem & sanctitatis commenda B. I. Ducit in montem excelsum.

mendationem eos euehendo in supercilium superbiæ, vt elatos deijciat. Sic decepit Valentem Monachum, specie Angeli crebrò ei apparens & tandem in forma Christi cum mille Angelis lampades tenentibus, quorum vnus ei dixit: *Christus dilexit tuam viuendi libertatem & confidentiam & venit vt videat egredere ergò & adora eum.* Egressus est & pro Christo diabolum adorauit. Vnde factus est adeò emote mētis, vt Ecclesiam ingressus diceret: *Ego non opus habeo communione: Christum enim vidi hodie.* Quare à Patribus in vincula coniectus est. Pallad. cap. 31. Item Heronem Eremitam, qui à dæmone angeli specie apparente, laudatus, tanti esse meriti dicebatur, vt si ex alto rueret, lædi non posset, sed ab Angelis susciperetur. Vnde miser dementatus in puteum se præcipitauit, vbi penè extinctus, à fratribus extractus est & tamen nihilominùs in ea superstitione perstitit. Cassian. *collat.* 2. *cap.* 5. Eodem dolo, sed nō eodem successu adortus est Abrahamum, Pachomium, Ioannem, Eremitas; Simeonem stylitam; agnitus enim repulsus est. Quodque his visibili specie fecit, alijs hominibus pietate excellentibus sæpe facit inuisibiliter, ingerendo illis cogitationes superbissimas & commendando eorum virtutes ac merita, certificando eos de salute vel persuadendo eis, se non indigere admonitionibus & verbo Dei, &c. Vbi caueat vnusquisque ne in montem vanitatis & præsumptionis euehi se sinat, sed potiùs firmet se in valle humilitatis & timoris dicatque cum Dauide: *Non veniat mihi pes superbiæ & manus peccatorū non moueat me.* Secundò per locorum, statuum aut exercitiorum mutationem, in quibus homo se bene habet. Quēadmodū enim venatores & piscatores feras & pisces, quibus in latibulis suis morantibus nequeunt nocere, strepitu aut illecebris foras proliciunt, vbi productos facilè capiunt: ita etiam homines, qui in certo statu vel exercitio proficiunt & securè viuunt, prouocare nititur ad faciles, vanas & inconsideratas mutationes; vt in alio rerum statu capiat, quos in priore capere non poterat. Sic socio S. Eriardi, Secundino Diacono, in formâ Christi apparens suasit egredi ex Eremo & infirmos sanare, apud Greg. Turon. *l.* 2. *de vita Patrum, cap.* 10. Sic in vultu S. Vrsulæ cùm multarum Virginum comitatu vexillum crucis præferens, (in oppido suburbano propè Aronam) suasit cuidam Virgini in paterna domo virginitatis votum obseruanti, fugere strepitus occursantium & pericula contaminandæ pudicitiæ secumque ire ad cœnobium SS. Virginū, quò liberiùs & securiùs Deo seruire posset, &c. sed à famula Dei deprehēsus & repulsus est impostor, vt scribit Franciscus Bencius in literis annuis prouinc. Mediolan. anno 1590. dicebat enim illa, nihil se facere posse absque cōsilio sui Confessarij. Eâdem fraude alios multos, licet non apparens, solicitat, vti consueta virtutum exercitia & loca deserant, quemadmodum fecit S. Antonio, cogitationibus eius se insinuans & tanto solitudinis tædio animum eius pulsans, vt ille quid iam agere deberet, dubius ad Deum exclamaret dicens: *En ego Domine IESV, cupio hîc in loco tibi famulari & nescio quo me inuitum subinde rapit violenta mentis mea euagatio.* Hæc dicenti Angelus apparuit, monachali habitu, modò genua flectens, modò fiscellas texens, posteà Antonio dicens: *Ita & tu fac Antoni.* Sic laboris vicissitudine tentamenta vicit Antonius. Athan. in eius vitâ.

SECVNDO, Faciem habet resplendentem instar solis, qui vt dicitur Iob. 41. *Omne sublime videt.* Videt enim affectus nostros & considerat debiliorem animæ nostræ partem & ex eā illam oppugnat. *Sicut optimus Dux*, ait Cyrillus *l.* 9. *in Ioan. cap.* 16. *ciuitatem expugnaturus, prius eam considerat & circumspicit omnia mœnia, si fortè videat aliquam muri partē inclinatam aut minantem ruinam, quam vbi obseruat, versus illam omnes munitionis sua machinas dirigit; ita diabolus circuit quærens quem deuoret.* 1. Pet. 5. Obseruat quā ex parte quis infirmetur, in quam partem appetitus vel affectus inclinetur & quasi ruinam minetur, vt eam tōtantionum suarum ictibus quatiat. Sic esurienti Domino panes proposuit; cumque videret eius abstinentiam miram & heroicam, tentauit eum de superbiâ, vt deijceret se de templo, velut excipiēdus mox ab Angelis; & vbi vidit eum humilitati addictum, tentauit eum de animi deiectione, vt videlicet cadens ipsum adoraret. Itaque obseruat dæmon gressus & vias hominis, ad quas eum inclinatum videt, vt ibi laqueos ei tendat. Hoc sensu dictū vult Irenęus *l.* 5. *contra hæres. cap.* 11. dæmoni: *Tu insidiaberis calcaneo eius*, id est, affectui & inclinationi hominis, q. d. obseruabis eius vestigia, quę terit, & vias ad quas propendet. Calcaneus terræ adhæret, ideoque sensuales animæ affectus denotat, qui in sensum & voluptates proni sunt & labiles. Obseruat igitur primò humores & complexiones hominū, deinde occupationes & studia, ad quæ magis eos inclinatos videt, & sicut muribus muscipulæ in ijs statuuntur vijs, quas potissimum terere notantur: Ita dæmon *ibi decipulam ponit, vbi esse semitam mentis conspicit*, vt scribit S. Gregorius *l.* 14. *Moral. cap.* 6. sic videns Iudam tamquā parietem inclinatum ad furta & auaritiam, impegit eum ad proditionem. Videns Dauidē otiosum, surgentem de strato post meridiem & deambulantem in solario, impegit eum in adulterium. Videns Euam propè lignum vetitum, curiosè id aspicientem, impulit eam ad comestionem. Denique *nouit*, inquit S. Leo serm. 7. de Natali Domini, *cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gula ingerat, cui apponat incitamenta luxuria, cui infundat virus inuidia: nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, &c.*

C. II. Faciem habet splendentem.

TERTIÒ, Vestimenta gerit candida velut nix, quemadmodū etiam *Apoc.* 17. visa est mulier circumdata purpurâ & coccino & inaurata auro & lapide pretioso & margaritis, super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ sedens: quia diabolus bestia inulda & blasphema

D. III. Vestes habet candidas.

blasphema introducit impietatem pulchrè vestitam, virtutum fuco inauratam, non auream. Primò, dum sub ementitâ virtutis, æquitatis aut veritatis specie tentat viros potissimùm bonos & Deum timentes, quibus suadet interdum vigilias & ieiunia immoderata, quibus fractum corpus deseruire ad debita officia nequeat; quemadmodum fecit Ioanni Abbati, viro alioquin discretissimo apud Cassianum col. 1. c. 21. Cùm enim ei malignus biduanum ieiunium suasisset: vnde exhausto corpore ad alia munia inidoneus fiebat, tum apparens ei specie tetri pueri: *Ignosce mihi*, inquit, *quia ego tibi hunc laborem indixi*. Alios longis & importunis precationibus quotidianis onerat: alios sub specie piarum precum & rerum benedictarum vsu ad superstitiones trahit in ijsque fouet: alios ad peregrinationes crebras & longas euocat, vt quietem suam relinquentes, profanis rebus inescentur & curiositatibus implicentur. Vnde monet Sapiens Prouerb. 16. *Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem*, Sanè Dæmon B. Machario apparuit in Eremo specie puellæ derelictæ, volentis in Eremo Deo deseruire. Quare admissus in cellam eius, cœpit mox pulsare animum eius pessimo amore & ardore in puellam, sicque irridens eum euanuit, apud Raderum 1. *p. Viridarij SS.* Alios vt à ieiunio auertat, specie æquitatis & charitatis monet vitæ suę consulere & parcere, quo pluribus prodesse & vitá conseruare possint; quo modo meditantur aliqui Dæmonem Christo in deserto suasisse vt vitam suam vniuerso orbi vtilissimam tanto ieiunio ne conficeret, sed alijs conseruaret, &c. Sic sub titulo æquitatis, necessitatis, charitatis, &c. multis persuadet frangere ieiunium vel petere dispensationem, violare festa, &c. Alios à frequenti communione auertit sub prætextu reuerentiæ, quasi inter negotia non possint vacare tam pio operi, sicut decet, &c. cùm tamen haudquaquam indecens sit post S communionem dare se ordinariæ functioni, imò longè melius quàm sine deuotione sedere in Ecclesiâ vel circumire templa cum risu & garritu sensuumque euagatione, in quo plerique communionis diem transigunt.

2. Secundò, dum ea, quæ culpâ vacant, proponit sectanda & securè facienda, vt hinc in grauia scelera impellat. Dicit verbi gratia diuitias & lucra parare, vestibus se ornare, ad choreas & conuenticula nocturna pergere, ludo se recreare, comessationibus & compotationibus interesse, indulgere mero in ieiunij tempore, nonnè hæc concessa sunt & omni labe carent? En tibi vestem nitidam. Sed quàm difficile est ambulantem in luto vestem talem nõ collutulare, tam difficilè est inter prædictus & similes peccandi occasiones immaculatum se custodire. Petit enim Dęmon modicum tantum à sylua lignum, iuxta fabulam illam, ex quo facit manubrium, cuius ope posteà exscindit totam syluã. Quare ne fidamus niueæ eius vesti, sed sedulò eam rimemur an sub eâ lateat atra. Negemus illi etiam modicum lignum, quo cædere nos possit: negemus non modò quæ peccata sunt, sed etiam quæ propè peccata sunt. Quid enim iuuat, si hoc vel illud in se malum non est, si nobis malum est?

QVARTÒ, Adducit nubem lucidam & obumbrantem. Primò, quia peccatorum delicias monstrat, difficultates & mala inde prodeuntia tegit, guttam mellis in illis ostendit, cadum fellis absondit, sicque ea nube tegit ex illâ parte lucidâ, ex hac verò tenebrosâ. Vt enim astutus piscator hamum sub escâ condit: sic dæmon aculeum peccati sub escâ malorum voluptate. Nónne ante octiduum vidimus, quâ ratione diabolus ostenderit Christo regna mundi & gloriam eorum? sed vbi ostendit difficultates eorumdem, metus, curas, labores, discrimina, necessitatem reddendæ rationis, &c? nusquam. Secundò, Quia obscurat oculum illum, qui cælestia contemplatur: eum verò qui terrena intuetur apertum homini relinquit, quemadmodum Pharao ita occupauit & laboribus onerauit Hæbræos, vt ad opus luti tantùm intenti essent, de sacrificio & DEI sui cultu non possent cogitare. Figuratus est idem dæmon in Naas rege Amonitarum, qui eo pacto voluit ferire fædus cum Hebræis, vt omnium illorum erueret oculos dextros 1. *Reg.* 11. Naas idem est quod serpens; diabolum ergò denotat, qui hoc fædum fædus percutere vult cum hominibus, vt superna negligant, terrena tantùm cogitent, & in humanis acutum videant, in diuinis verò cæcutiant. E. IV. Adducit nubem lucidam. 1. 2.

QVINTÒ, Vocem de nube edit quasi vocem tonitrui, quâ terrere nititur DEI seruos vt præ timore in faciem cadant, quemadmodum discipuli in hodierno Euangelio ceciderunt. Nam, vt ait S. Cyprianus tract. de zelo, *cùm latenter non potest fallere, exertè atque apertè minatur, terrorem turbida persecutionis intentans, ad debellandos Dei seruos*. Primò enim terret plerumque incipientes metu & difficultato perseuerantiæ. Sic B. Ignatio Loyolæ viam salutis inchoanti dixit: *Quomodo hæc & hæc sustinebis per* 60. *annos quibus victurus es?* Osor. 4. *tom. Conc.* Sic B. Vincentio Ferrerio legenti librum de Virginitate Deiparæ & pro eodem dono eam imploranti reddita est vox: *Non omnes possumus esse Virgines; nec deinceps patiar vt tam honorato nomine gaudeas.* Quæ vox cùm percelleret virum DEI, nescientem vnde profecta esset, apparuit ei Deipara dicens: *Verba illa paulo ante ad te facta diaboli fuerunt, qui tibi proponit bonorum operum difficultatem vt territus ab incepta virtute desistas.* Vt in eius vita apud Sur. 5. *April. l.* 1. *cap.* 11. Quare ad eiusmodi vocem nemo terreatur, quia *Omnia possumus in eo, qui nos confortat.* F. V. Vocem de nube edit terrificam. 1.

Secundò, Terret scrupulis & pacem animæ turbat; quo modo scrupulus, id est, lapillus in calceum iniectus pedem vexat & retardat. Hunc lapillum inijcit dæmon ijs maximè, qui naturâ pusillanimes sunt ac pauidi. Verùm in hoc casu faciendum quod Syluester V. Scrupulus, refert tradidisse defunctum virum religiosum amico superstiti: *Consule*, 2.

ait,

ait, *virum doctum & pium, maximè Confessarium, & ei pare ac obtempera & sotutus eris.*

Tertiò, Terret nefandis cogitationibus infidelitatis, desperationis, blasphemiæ, rerum turpissimarum, &c. quibus inuoluit multos vt existiment à se tales cogitationes procedere, cùm tamen à diabolo procedant. Sed hæc quo fœdiora & animo nostro abominabiliora sunt, eò minùs curanda & in caput nequissimi reijcienda; quemadmodum & Christus execranda illâ tentatione de adorando dæmone, nihil prorsùs est infectus, sed impudentem hostem à se repulit: *Vade Sathana.* Idipsum hoc exemplo confirmat Ioannes Climachus gra. 23. *Monachus quidam studiosus cùm à dæmone perturbaretur cogitatione blasphemia ad viginti annos, carnem suam ieiunijs & vigilijs macerare non destitit. Cùm verò indè nullam vtilitatem se cepisse sentiret profectûs, conscriptam in chartâ perturbationem ac tentationem suam sancto cuidam ac probatissimo seni obtulit in faciem prostratus, nec illum intueri valens. Vt autem legit Senior subrisit, fratremque erigens, dixit: Pone, fili manum tuam super oculum meum. Quod cùm fecisset, ait Senior: super collum meum sit, frater, hoc peccatum, quotquot annis te oppugnarit, vel oppugnaturum sit. Tu autem id obserua, vt hoc iam floccipendas, & nihil æstimes. Quibus verbis ita roboratus est frater, vt non ante cellâ Senis excederet, quàm eiusmodi morbus euanesceret. Hoc autem is qui expertus est, mihi postea enarrauit, Deo gratias referens.* Sic ille.

Quartò, Terret minis interdum infestationum perpetuarum & diuturno conflictu, spectris etiam horrendis. Vnde S. Antonius apud Athan. in vitâ, ait: *cùm cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent*; quo modo terruit S. Iob nunciando ei cladem; & minatus est S. Pachomio dicens: *Quantum possum, impugnato vos non desinam.* Sed hæc omnia contemnenda sunt & fiducia in Deo ponenda, cùm sciamus nihil eum nobis nocere posse, nisi quantum ei DEVS concesserit.

G. VI. Adhibet suos Apostolos. SEXTÒ, Adhibet Apostolos suos, charissimos homines scilicet, nobis familiares & valdè charos, quorum nos interuentu conatur in rete suum trahere, quos per se non potest. Sic cùm sancto Iob omnia vastasset, vxorem tantùm ei reliquit, quo nimirum eam velut vltimum ac fortissimum arietem adhiberet ad mariti patientiam expugnandam. *Iob.* 2. sed nihil apud eum obtinuit; edoctus enim erat Iob lapsu parentis nostri Adami, qui eodem dæmonis astu per vxorem sibi charam in lapsum est impulsus, non impellendus vtique, nisi coniux interuenisset. Eodem modo per amicos alios solet loqui dæmon & impetrare multa; quomodo locutus est per serpentem & impetrauit consensum ab Eua, & per hanc ab Adamo, quæ aliàs non impetraret. Agnoscendus igitur in his est sibilus diaboli & dicendum ei, quod dixit Christus Dominus Petro in simili negotio: *Vade retrò post me Sathana; non sapis ea quæ Dei sunt.*

H. VII. Producit Eliam. SEPTIMÒ, Producit quoque Eliam, id est, zelum & feruorem indiscretum (Elias enim zelo Dei ardentissimo commendatur) quo incitat potissimùm incipientes, vt vitæ sanctæ asperitate, difficultate & tædio victi resiliant & ad pristinam vitæ licentiam redeant. In hunc finem dæmon, vt docet S. Antonius apud Athan. excitat dormientes ad orandum, vt somnum corpori necessarium eripiant. Ingerit peccata pristina indeque incitat ad indiscreta ieiunia & pœnitentias, quibus animum & corpus eneruent. Hinc quemadmodum iter longum suscipientes, si primo die nimiùm festinant, vel se vel iumentum conficiunt lassitudine, vt progredi deinde nequeant: ita huiusmodi zelotes citò delassantur imperfectionis studio.

OCTAVÒ, Moysen denique refert, hoc est, mitem se (quo nomine potissimùm Moysen commendatum legimus) & pacificum exhibet, dum multoties pacem dat tentatis: imò victum se & mortuum ad instar vulpis simulat, vt incautos & securos rursum adoriatur. *Mare si tranquillum in portu à cursu stabit & murmurauerit intra se, ventum prædicit*, ait Plinius *l.* 18. *cap.* 35. Hinc Siculus quidam, cùm ficos vehens, procellâ correptus naufragium fecisset, ac mox sedens in litore, mare tranquillum videret, vrbanè inquit ad mare: *Noui quid velis, ficos nimirum.* Bruson. *l.* 4 *cap.* 25. Sic & tu cùm post pugnam videris quiescere dæmonem noli ei fidere; nouas quippe insidias tibi machinatur. Cùm enim se tranquillum monstrat, præsertim si priùs victus est, tunc murmurat intra se & cogitat de vltione & reditu fortiore cum septē alijs spiritibus se nequioribus. Suspecta ergò debet esse Dei seruis eiusmodi insueta pax & tranquillitas. Sic legimus Iud. 18. sexcentos viros Danitas venisse in Lais ad populum quiescentem atque securum, hoc est, ob longam pacem ad bella imparatum, & percussisse eos in ore gladij & vrbem incendio tradidisse, nullo penitus ferente præsidium, eò quòd cum nullo hominum haberent quidquam societatis aut negotij. Videat ergò vnusquisque, ne otio se tradat & præsidijs se destituat. Quin potiùs vigilet super se, quemadmodum ciuitates solent hostibus vicinæ, licet hostes illos nō videant in armis. Adhæc ineat fœdus & societatem cum Angelo custode, sanctis, confessario, libris pijs, frequenti confessione & communione, &c. Ita Dauid non fidebat Sauli, sibi reconciliato & domum abeunti, sed ascendit in tutiora loca 1. *Reg.* 24. Nouerat enim inconstantem eius animum. Quando ergò zizania à tritico dignoscere didicimus adeoque inimicum hominem, seminatorem pessimum; superest, vt vigilemus & fraudes eius quam primùm detegamus; dicamusque cum hædo illo ad caprisantem lupum: *Tametsi vox caprisat; ego tamen per rimam lupum video.*

I. VIII. Moysen etiam refert.

CON-

CONCIO II.

Bona cœlestia, quæ Deus offert, qualia.

1. *Sunt vera ac solida.*	4. *Perfecta & completa.*
2. *Pura & sincera.*	5. *Reipsa exhibentur.*
3. *Secura & stabilia.*	6. *Vili emuntur pretio.*

THEMA.

Duxit illos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

A VIdimus ante octiduum mercimoniũ Diaboli, propositum vænale in monte excelso valde & examinauimus eius merces, sed eas non modò multis modis inuenimus deprauatas, verùm etiam nimium quantum caras. Hodierno die Christus suam officinam aperit & bona sua cœlestia vænalia proponit, nemini non spectanda & quidem in monte itidem excelso. Examinemus ergò nunc merces Christi, & si placuerint, emamus.

Cælestia illa bona, quæ præparauit Deus diligentibus se, depingit Isaias c.25. specie conuiuij omnibus bonis instructi. *Faciet Dominus exercituum*, inquit, *omnibus populis in monte hoc cõuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ: conuiuium pinguium medullatorum; vindemiæ defæcatæ.* Quibus verbis exponitur, qualia sint bona, quæ proponit nobis Christus emenda & possidenda.

B. I. Sunt vera ac solida. PRIMÒ, Bona cœlestia sunt bona vera ac solida, vti ostendit hodierna transfiguratio, quæ nequaquam fuit phãtastica aut somniũ (quemadmodum repræsentatio regnorum mundi Christo obiecta à Diabolo, fictitia fuit) quia non dormientes sed de somno euigilantes eam viderunt discipuli, vt ait Lucas. Adhæc viso Christi splendore & auditâ patris voce consternati, *ceciderunt in faciem suam & timuerunt valdè.* Vnde S. Petrus *ep.2.cap.1.* veritati huius visionis testimonium præbens asserit: *Non indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis,* &c. *& hanc vocẽ nos audiuimus de cœlo allatam*, &c. Quòd verò bona, quæ ibidem vidit & gustauit cum socijs Petrus, solida fuerint, colligi ex eo potest, quòd ibidem permanere semper voluit: *Domine*, inquit, *bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula,* &c. q. d. Domine ne patiaris nos hinc abire, iucundum est hîc esse. Nullum est mundi bonum, in quo constantem & solidam delectationem ac quietem inuenire possit homo. Inde nullo loco consistit, nulla re contentus est, sed quod hodie amauit, cras odit & fastidit, semperque aliud & aliud quærit. Vnde Sanct. Bernardus *serm.1. de aduentu*, homines qui omissis veris & salutaribus studijs, caduca potiùs & transitoria quærunt, ait similes esse his, qui mersi periclitantur in aquis. *Videas enim eos*, inquit, *tenentes tenere, nec vlla ratione deserere, quod primum occurrerit manibus: quidquid sit illud, licet tale sit aliquid, quod omninò prodesse non possit, vt sunt radices herbarum cæteraque similia. Sic pereunt in hoc mari magno & spatioso, sic pereunt miseri, dum peritura sectantes, amittunt solida, quibus apprehensis emergere & saluare possent animas suas.* Prorsus sicut tempore diluuij homines varia quærebant effugia, & si tecta ascendebant, inde vi aquarum pulsi in arborum cacumina se receperunt; vnde rursum abacti, ad colles & montes enatarunt; nullibi tamen persistere potuerunt. Ibi qui in altissimam turrim vel montem se receperunt, putabant initio se tutos esse, bonum esse ibi manere; sed paulò pòst adsurgente aquâ etiam ibi timere cœperunt, aliumque locum quæsierunt, nullibi tamen asylum repererunt: quia nimirum ad arcam, in quá solâ erat securitas, se non receperunt: ita nulla in mũdo soliditas, vbi pes figi securè possit: solo in cœlo & cœlestibus bonis inuenitur.

Hinc bene Isaias ea bona vocauit conuiuiũ, non vtique pictum aut fictum quale Heliogabalus Imperator fertur apposuisse suis conuiuis; sed verum, pinguium item epularum & medullatarum seu lectissimarum; non ossearum & aridarum, quas dum rodit homo, fatigatur & interim famelicus permanet, nihilque solidæ nutritionis ac gustus percipit, cuiusmodi sunt bona mundi.

SECVNDÒ, Sunt pura & sincera, nullis permixta malis, curis, periculis, laboribus. Idcircò in monte excelso voluit Dominus ostendere gloriam suam, quia montes præalti, vti Olympus, liberi sunt à tempestatibus; ita vt literæ in Olympi vertice, pulueri inscriptæ, voluente anno reperiantur integræ, teste Solino; deinde purissimum adeoque saluberrimum alunt aërem. Eiusmodi autem vitæ tranquillitas & voluptatum puritas in cœlo inuenitur, sub Lunâ nullibi est, sed vbique in mundo tempestates, vbique curæ, pericula & labores. In puro cœli aëre perpetua sanitas, voluptas, pax, abundantia, gloria & vita. C. II. Pura & sincera.

Hoc idem expressit Isaias, cùm conuiuium cœleste dixit fore vindemiæ defæcatæ, hoc est, vini clarissimi adeoque saluberrimi; constat enim vina fæculenta, vti mustum, insalubria esse. Bona terrena mustum sunt seu vinum turbidum, quod licet suaue sit, noxios tamen post se relinquit effectus. In cuius rei significationem pincerna Pharaonis videbatur sibi per somnium exprimere manu suâ uvas in craterem sui Regis; quo significabatur eum Pharaoni, vt anteà solebat, poculum ministraturum. *Gen.40.* Erat ergò vinum illud recens expressum, non nisi mustum fæculentum, & significabat ipsas etiam Regum delicias perturbatas esse mixtasque doloribus, periculis, curis & timoribus. Romani Imperatores & Consules in medijs triumphis & summis honoribus conuitia audire debebant seu insultatorias cantiones. Talis erat illa in Iulium Cæsarem triumphantem: *Vrbani seruate vxores: mœchum caluum adducimus.* Et illa in Ventidium Bassum: *Qui fricabat mulos, Consul factus est.* Adeò nullum in mundo gaudium purum.

purum. Non sunt talia bona cœlestia, sed vina defæcata: Vnde mox explicans subdit Isaias: *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati*, id est, flagella & miserias ex peccato originali in humanum genus inuectas: *& telam quam orditus est*, id est, decretum mortis, *super omnes nationes*, scilicet positum. Vnde sequitur: *præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymā ab omni facie, &c.* Ægyptii in conuiuijs cranium hominis mortui ponebant, vt se inuicem monerent moriendum sibi esse. Sed ibi Deus præcipitabit mortem & flagella omnia quibus hîc castigamur. Quod idem S. Ioannes *Apoc.* 21. edixit inquiens: *Absterget omnem lachrymā ab oculis eorum & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà.* Ecce vincula mortalium; quibus in hoc mundi carcere ligantur, in cœlo verò exuuntur.

D. III. Secura & stabilia. TERTIÒ, Sunt secura & stabilia per omnem æternitatem. Ad hoc significandum dicitur transfiguratio facta seorsùm, hoc est, in loco abdito & securo, quo nemo facilè solet accedere. Bona ergò cæli seorsùm sunt, quia repositi, loco vtique reconditissimo & securissimo, in quo solo thesaurizare iubet Dominus, quia nec fures ibi effodiunt, nec tinea demolitur.

Idem insinuauit Isaias, cùm dixit Dominū exercituum (qui nimirum omnibus imperat & omnes coërcet hostes) præparâsse electis cōuiuium medullatorum. Vt enim medulla in osse latet, vndique firmiter clausa: ita cœlestes deliciæ cœli vallo ambiuntur, vt nullum esse periculum possit, eas amittendi, quia non potest esse periculum peccandi. Et hæc est illa medulla & pars delicatissima, quam elegit Magdalena, de quâ Dominus: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Luc. 10. Eligunt sibi alij diuitias; sed quàm citò eas aufert fur, incendium aliudue infortunium? Alius eligit honores aut voluptates: sed quàm citò hæc perduntur? Alius eligit scientias, qui quidem durabiliores sunt, sed à morte falrem tolluntur. Sola & optima bona sunt cœlestia, quæ nullo infortunio, nullâ morte perdi possunt.

E. IV. Perfecta & completa. QVARTÒ, perfecta sunt & ita omnia possidentur vt nihil prætereà appetere electi possint, sed omnes contenti, omnes satiati, imò inebriati sint iuxta id Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domūs tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ.* Quemadmodum enim vini valde appetens tùm demū plenus est, cùm est ebrius; tunc enim non amplius sitit, sed in somnum resoluitur: ita & nos qui beati & saturi omnes volumus (in hac autem vita numquam esse possumus) tum demum satiabimur, cùm inebriabimur ab vbertate bonorum cœlestium; quia tunc satiato omni appetitu resoluemur in somnum quietis æternæ. Idem significat torrens voluptatis; vt enim torrens ex ingenti aquarū vi de montibus cadenre repente exurgit & omnes circum valles implet atque inundat: ita cœlestium deliciarum affluentia omnem omninò appetitum nostrum vno impetu replebit & inebriabit. Ne verò quis cogitaret delicias illas ad instar torrentis breui duraturas aut turbidas lutoque mixtas futuras, addidit Propheta: *quoniam apud te est fons vitæ*, perennis scilicet & limpidus: quasi dicat: Torrens ille nunquam siccabitur quia ex perenni vitæ fonte promanat. Hanc bonorum illorum proprietatem colligere possumus ex S. PETRO, qui præ dulcedinis satietate vel potiùs ebrietate, cibi, somni, patriæ, amicorum suique ipsius oblitus exclamauit: *Domine bonū est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*; &c. *nesciens quid diceret*, ait S. Lucas. Quemadmodum enim homines cùm vino se ingurgitant, de potestate mentis deijciuntur, vt nesciant quid loquantur, omniumque curarum ac rerum amatarum obliuiscuntur: ita contigit hîc Petro, & similiter in beatis mens à cœlesti illa dulcedine inebriata & absorpta quodāmodo deficere videtur. Et verò in præsenti apparitione ideam aliquam cœlestis beatitudinis viderat Petrus; in nube lucidâ, cæli pulchritudinem: in præsentiâ Moysis & Eliæ, sanctorum societatem: in aspectu Christi gloriosi, & auditu vocis paternæ, sensuum oblectationem: in candente Christi veste, dotes corporum gloriosorum; in radiante Christi vultu, visionem beatificam; quid si cœlestem illam dulcedinem ex ipso fonte totam gustasset? Audi Augustinum Soliloq. c. 22. *Hanc* (dulcedinem) inquit, *vt gustauit Petrus, omniū inferiorum oblitus, clamauit quasi ebrius, dicens: Domine bonū est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula: hîc moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus, sufficit nobis Domine te videre, sufficit*, inquit, *tanta dulcedine satiari. Vnam enim stillam dulcedinis ille gustauit, & omnem aliam fastidiuit dulcedinem. Quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis diuinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti timentibus te?* hæc Augustinus. Eandē rem expressit Isaias, cùm illam bonorum affluentiam vocauit conuiuium vindemiæ. Vt enim in conuiuio vindemiali nō tantùm vini est abundantia, & quæ inde communiter sequitur, conuiuarum ebrietas; verùm etiam epularum omnis generis copia, quæ potissimùm autumnali tempore haberi potest: ita omnibus delicijs affluunt & circumfluunt beatæ illæ mentes.

QVINTÒ, Reipsâ exhibentur, non promittuntur aut monstrantur solùm. Vt enim Christus, quod paulò ante promiserat discipulis: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem; donec videant filium hominis venientem in regno suo*, Matth. 16. verè id nunc exhibuit: ita & promissam nobis beatitudinem verissimè exhibebit. Viderunt discipuli gloriam Magistri sui, & plura quàm promissa erant. Viderunt enim Moysen & Eliam: viderunt nubem lucidam sese obumbrantem: audierunt vocem Dei patris: inebriati sunt dulcedine. Similiter beati multò plura in cœlo percipient bona, quàm in terris promiserit illis Christus. Tunc dicent cum reginâ Saba de Salomonis sapientia exclamante: *Vidi oculis meis & probaui, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit, maior est* F. V. Reipsa exhiben-tur.

sapientia & opera tua, quàm rumor, quem audiui. 3. Reg. 10. Apud Surium 7. Martij legimus Romanum nuper defunctum D. Thomæ Aquinati apparuisse & de cœlestium bonorum veritate interrogatum respondisse: *sicut audiuimus, sic vidimus.*

Idem ex Isaia colligimus: qui rem & locum designans ait: *faciet Dominus exercituum in monte hoc, &c.* Non ita Diabolus, cùm confusè dixit: *Hac omnia dabo tibi.* Quando, vbi, quomodo dabis miser, qui non es illarum rerum Dominus? At verò Deus est Dominus exercituum.

G. VI. Vili emuntur. SEXTÒ, Vili emuntur pretio, & adeò quidem, vt nemo sit tam pauper, qui emere ea nequeat. Vnde & Isaias dixit, faciendum illud conuiuium omnibus populis. Sed hac de re audiamus S. Augustinum in Psal. 93. *Vanale est,* ait, *vanale est, quod habeo, Dicit tibi Deus: Eme illud. Quid habes vanale? Requiem, inquit, vanalem habeo, eme illam. Dicit ei: quantum valet Pretium eius labor est. Quante labore digna est requies, quæ nō habet finem? Si verum vis comparare & verū iudicare, aterna requies aterno labore rectè emitur, Verum hoc est: sed noli timere misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborem, numquam peruenires ad æternam quietem. Ergo vt aliquando peruenias ad id quod emis, non in æternum labor andū est; non quia non valet tanti, sed vt possideatur, quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo: sed necesse est vt labore temporali ematur. Decies centena millia annorum habent finem: quod tibi dabo, dicit Dominus, non habet finem. Qualis misericordia Dei? Nec dicit decies centena millia annorum labora: non dicit vel mille annos labora: sed cùm vinis, inquit, labora in paucis annis. inde iam requies erit, & finem non habebit.* Et paulò pòst: *Ecce quantum pretiū damus: ṗhodammodò vnam siliqnām ad accipiendum thesauros sempiternos.* Sic August. Conformiter huic discursui scribit Euangelista, *post sex dies* (scilicet à facta promissione de ostendenda à Christo gloriâ suâ) factum esse transfigurationem. Sex dies paucorum annorum laborem, Sabbathum æternam significat requiē. *Sex enim diebus operaberis*, ait Dominus Exod. 23. *septimo die cessabis.* Itaque vnusquisque in vocatione suâ qua vocatus est, laboret sicut bonus miles & certò coronabitur. Sed forsan vsque in hanc horam parum aut nihil laborasti? labora saltem nunc, licet vndecima vitæ tuæ hora. Sed ais: *fodere non valeo*; laborare nequeo Audi ergo rursum Augustinum in Psal. 49. *Regnum Dei,* inquit, *tantum valet quantum habes.* Et probat exemplis Scripturæ diuinæ. *Quid tā vile, quid tam terrenum, quàm frangere panem esurienti? tanti valet regnum cœlorum: Scriptum est enim: possidete paratum vobis regnum, esuriui enim & dedistis mihi panem. Emit vidua duobus minutis. Emit Petrus relinquens retia. Emit Zachæus dando dimidium patrimonij.* Sed nec ista habeo, ais. Audi iterum Augustinum de verbis Domini serm. 64. cap. 2. *Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista te valet; tantùm valet, quantum es tu. Te da, & habebis illam.* Et mox: *Sed malus sum, inquies, & fortè me non accipit. Dando te illi, bonus eris.* Certè Lazarus mendicus nihil omnino quod daret, habebat, nisi patientiam in egestate & doloribus: & portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. Et bonus latro præter vnam vocem nihil prorsus suum & liberum habebat; dedit ergo vocem: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum*; & mercatus est paradisum: *Hodie mecum eris in paradiso.* Et pauper ille Seruulus Romanus mendicus qui numqum in lecto suo surgere vel ad sedendum valebat: numquam manum suam ad os ducere; numquam se potuit in latus aliud declinare; os tantùm solutum habebat ad gratiarum actionem & hymnos Deo canendos in dolore suo; dedit igitur os, dedit hymnos: & meruit audire moriens Angelos psallentes, & cum eorum hymnis ad cœlum euolare, vt testatur sanctus Gregor. *hom.* 15. *in Euang.* Quæ cùm ita sint, vide nunc quid agas, à quo mercatore emas. Quid tibi cum mercibus diaboli?

Ergo imitare negotiatorem illum Euangelicum, qui inuenta vna pretiosa margarita, vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Inuenimus, deprehendimus margaritam: vide tu vt emas, licet omnibus tuis venditis. Nam vt S. Augustinus ait in Manuali: *Omnia si oporteret nos quotidie tormenta perferre: si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloriâ suâ videre possemus & sanctis eius sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, vt tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Insidientur ergo dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus ieiunia, premant carnem vestimenta, labores grauent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet ille vel ille, frigus incuruet, cōscientia murmuret, calor vrat, pectus ardeat, corpus doleat, inflectur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus; deficiat in dolore vita mea & anni mei gemitibus ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat: vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.* Hoc ille; quod nobis largiatur in cælo, qui hæc bona nobis vænum exhibet in terra.

CONCIO III.

Quare Christus transfigurari voluerit.

1. *Vt fidem resurrectionis in nobis firmaret.*	5. *Vt facto ipso quis esset, ostenderet.*
2. *Vt spem nostram erigeret.*	6. *Vt doceret contemptum mundi.*
3. *Vt charitatem in nobis accenderet.*	7. *Vt corpori suo solemnitatem exhiberet, longè tamen aliam à bacchanalibus mūdi.*
4. *Vt Ecclesiam solaretur.*	

THEMA.

Et transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

QVemadmodum nihil sine magnis causis magnaque sapientia fecit Christus, ita libentissime etiam tulit vt interrogaretur, quâ ob causam hoc vel illud faceret. Idcirco enim *Ioa.* 16. culpat discipulos, quod non interrogarent eum A

eum quo iret: *Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: quò vadis?* Ne ergò hoc nobis etiam dicere possit, interrogemus eum, cur hodie præter morem tam gloriosus & decorus voluerit apparere. Cùm enim ipse sit, qui seipsum exinaniuit, vt testatur Paulus ad *Philipp.* 2. quomodo se exinaniuit seu omni gloriâ exuit, si gloriam hodie induit? Deinde nónne Christus gloriam hominum semper fugit, nónne *Ioannis* 6. ne Rex crearetur, in montem fugit? Denique si Ezechias à Domino arguitur, quod legatis Regis Babylonis, gloriam & diuitias suas ostenderit. 4. *Reg.* 20. cur ergò hodie Christus gloriam suam ostendit? Non caret hæc res mysterijs, nec absque causis gesta est vt videbimus.

B. I. Vt fidem resurrectionis in nobis firmaret.

TRANSFIGVRATVS est PRIMÒ, vt fidem in nobis confirmaret resurrectionis & promissæ gloriæ. Dixerat Dominus *Matth.* 13. rem sanè mirabilem & difficilem, nimirum: *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Et alibi similia multa. Quis hic non obstupescat? quomodo enim corpus terrenum & densum, graue & tardum, obscurum & tenebrosum, fragile & corruptibile Solis subtilitatem, pernicitatem, claritatem, & incorruptionem induere & adipisci queat? En igitur specimen huius possibilitatis; Christi enim corpus nostro per omnia simile fulget hodie vt Sol. Quis crederet, ex veteribus, lacetis & obsoletis pannis fieri candidissimam papyrum? sed si ingrediamur molendinum Papyrarij videamusque quâ ratione ibidē multis tunsionibus & modis exagitati centones tandem in papyrum formentur, tum demum fidem præbemus. Ita quoque cùm difficillimum esset credere mortale hoc induere immortalitatem posse: ideò Christus familiares suos induxit in molendinum, in montem excelsum seorsùm vbi suorum vestimentorum papyrum candidissimam eis ostendit, (alba enim erat sicut nix) faciem verò instar Solis rutilantem. Vidén ergò quomodo vilis & obsoleta Christi vestis in papyrum, facies eius in Solis splendorem versa est? Eiusmodi signo ostendit DEVS populo Hebræorum, quod eum ex Ægyptiacâ seruitute in terram bonam & spatiosam, fluentem lacte & melle educere vellet ac posset, *Exod.* 4. Cùm enim obijceret Moyses, non crediturum hoc sibi populum Hebræorum, iussit eum educere manum è sinu: quo facto leprosam inuenit Moyses: moxque repositam in sinum iterum iussit educere: paruit Moyses & inuenit mundam ac sanam instar reliquæ carnis. Manus leprosa erat gens Hebræorum, dum sub Pharaonis iugo degeret, vtpote durissimis & fordidissimis luti operibus conspurcata: mundissima verò & sanissima, vbi terram promissam tenuit. Id quod reuerà futurum hoc symbolo ei persuasum est. Simili ratione hodie Dominus Deus persuasurus nobis corporum nostrorum immutationem, de corruptione ad incorruptionem, de ignominiâ ad gloriam, ostendit nobis hodie manum suam, id est Christum, quâ ad nos de alto emisit iuxta Psal. 143. (*Emitte manum tuam de alto & eripe me*) sed alterâ specie. Priùs enim quando eam primò de sinu suo extractam ad nos misit, seruili formâ & mortali carne præditam, postea in cruce quasi leprosam ostendit. *Isa.* 53. sed hodie hanc manum è sinu iterum extraxit: & ecce gloriosam ostendit ac splendidam. Quod igitur in manu suâ Christo ostendit Deus, id in nobis se completurum insinuauit.

C. II. Vt spem nostram erigeret.

SECVNDÒ, Vt spem nostram erigeret adeóque nos ad laborandum animaret. Hanc causam præuidit Iob. *cap.* 36. dicens: *In manibus abscondit lucem & præcepit ei vt rursus adueniat;* (ad instar illius animalis apud Salmeronem *tom. de Infantia Christi*, quod in fronte gerit carbunculum, seu gemmam splendidissimam, pelle tamen seu palpebris contectam, quam detegit cùm vult: detecta noctu clarissimos emittit lucis radios) *Annuntiat de ea amico suo, quòd possessio eius sit: & ad eam possit ascendere.* Præclara huius rei figura habetur *Num.* 13. Vbi cùm diffideret populus Hebræorum de obtentione terræ promissæ iamque fatigatus regredi cogitaret in Ægyptum, misit Moyses Dei iussu exploratores in terram illam qui ad contestandum, quod terra illa optima esset fluеretque lacte & melle, absciderunt palmitem cum vuâ suâ, quem portauerunt duo viri in vecte: vt eius conspectu accederentur ad progrediendum fortiter. Consimili ratione Deus nobis aliquam supernæ patriæ speciem ostensurus, nosque vt eo alacriùs tenderemus, accensurus, attulit nobis hodie & monstrauit botrum illum, de quo *Cant.* 1. Sponsa ait: *Botrus cypri dilectus meus mihi*; siquidem hæc Christi gloria non erat de hoc mundo, sed de cœlo, per duos illos testes Moysen & Eliā nobis allata. Quòd si talis ac tantus erat hic Botrus, vt Petrus solo eius aspectu quodammodò inebriatus, exclamârit: *Bonum est nobis hic esse &c. nesciens quid diceret*, vt ait Lucas: quantæ erunt reliquæ illius terræ suauitates & diuitiæ? Et proinde quis nō resumat animum ad quæuis aspera exantlanda pro earum acquisitione: quomodo visa pulchritudine Iudith dixerunt ad Holofernem satellites eius: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt nō pro his meritò pugnare cōtra eos debeamus?* Iudith. 10. Et tamen nequaquam totam gloriam suam, sed humanitatis tantùm suæ decorem soliusque corporis ostendit Christus: quid erit videre totam eius maiestatem? Sic mater monstrat filio in manu suâ auream bullam, sed ex parte tantùm, quò persuadeat filio vt eat ad scholam & studeat, &c. Caius Marius cum Cimbris prælium initurus singulari industriâ ibi castra è regione hostium metabatur, vbi nullæ erant aquæ. Animaduertens enim plerosque indignari, quòd siti affligerentur: sublato digito eminus fluuium castra hostium præterlabentem ostendit, adijciens vt qui sitiret & sedare sitim cuperet, illuc iret adaquatum: volens per hoc eos ad pugnam animare: refert Maiol. *to.* 3. *canic. coll.* 2. Simili ratione excitaturus nos ad spiritualem pugnam Deus, monstrat

strat nobis hodie fluuium vberrimũ & suauissimum Christum: sed vbi? in monte Thabor cœli Typo. Non habemus hîc quo sitim nostram extinguamus: in cœlo solùm reperimus. Et en hodie fluuium, Christum: qui clamauit Ioan. 7. *Si quis sitit veniat ad me & bibat.* Huius aquæ suauitate quasi inebriatus Petrus cupit ibi æternùm manere tametsi eam à longè & quasi per rimulam tantùm vidit. Sed penetrandum est per hostium cuneos ad hunc fluuium & deliciarum fontem, ascendendum est in montem. Hác eadem suauitate illectus *Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis*, ait Paulus ad Heb. 11. *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: aspiciebat enim in remunerationem.*

D. III. Vt charitatem in nobis accenderet. TERTIÒ, Vt in nobis inflammaret amorem sui ac cœlestium bonorum. Non solent principes se ornare vt placeant ancillis, sed contrà gynecæum se adornat vt placeat Principi. Hic verò sponsus animarum nostrarum Christus splendidissimum se Ecclesiæ sponsæ suæ ostendit, vt eam ad amorem & connubium suum alliciat: quod indicat Dauid *Psal.* 18. cùm ait: *In sole posuit tabernaculum suum & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Non est stabile nec iucundum illud matrimonium, quo alter coniugũ timore compellitur ad nuptias. Hinc Christus, cùm posset nos pœnarum infernalium ostensione ad suas nuptias impellere; potiùs id per gloriæ suæ manifestationem facere voluit, vt per mutuum amorem stabile & acceptum fieret illud matrimonium. Et cur existimatis Deum cœlos omnes mediaque Elemẽta ignis & aëris pellucida fecisse, ita vt stellas ex octauo cœlo aspicere possimus: infernũ contrà nobis occultâsse mediâ aquæ & terræ densitate & obscuritate? Profectò vt aspectu cœli per cœlestium potiùs bonorum amorem, quàm per infernalium pœnarum timorem, ad Dei seruitium & amorem excitemur: atque adeò vt simus filij: non serui, qui terrore compelli debent. Quis autem videns Christum talem ac tantum, tam nobilem & splendidum, amore nostri tanto itinere ad nos de cœlo venisse, non amandum esse perspiciat?

E. IV. Vt Ecclesiam solaretur. QVARTÒ, Vt Ecclesiam suam solaretur, & ab opprobrijs liberaret. Nam si Christus gloriam suam numquam ostendisset, poterant infideles Ecclesiæ illudere, quod ei adhæreret, quem aliter non vidisset, nisi *despectum & nouissimum virorum.* Vt enim illi puellæ, quæ se despondisset peregrino & ignoto maleque vestito, passim diceretur: Misera quid fecisti quòd nupseris illi, cuius parentelam, cuius opes non vidisti? ecce meritò delusa es. Ita facturi fuissent infideles Ecclesiæ. Iam verò si puella illa mittat legatos aliquos, qui sponsi sui explorent opes & nobilitatem deque his per illos certificetur, maximum sentiet solatium nec audiet deinceps, quò l malum sponsum sortita sit. Habet Ecclesia tres Apostolos qui sponsi sui gloriam spectàrunt: itaque horum testimonio suum suique sponsi honorem tueri facilè potest. Quũ de re scribit Petrus Legatorũ Princeps Epist. 2. cap. 1. *Non enim indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, &c. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatã cum essemus cum ipso in monte sancto. Nos prædicamus Christum crucifixum*, ait Paulus 1. Corinth. 1. *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Sed si Christus crucifixus est in monte Caluariæ; in monte Thabor glorificatus est. Si ibi inter duos latrones visus: hîc inter Moysẽ & Eliã summos Duces. Si ibi consputus & liuidus: hic resplenduit plusquã Sol. Si ibi nudus & totus sanguine respersus: hîc vestimentis ornatus plusquam niueis. Si ibi opprobria & improperia audiuit: hîc à patre audijt filius. Si ibi aër tenebris quasi lugubri indutus habitu: hîc nubes adfuit lucida & serena. In huius rei figuram, cùm orta esset seditio & murmur à Core asseclis, *Num.* 17. cõtendentibus cum Aarone de summo Sacerdotio, fecit Deus florere virgam Aaronis, præ aliis aliorum virgis, vt intelligeret Aaroni summum Sacerdotium deberi & non alteri. Ita enim certabant & Iudæi, num Christus esset Deus & Messias: ad compescendam ergò hanc litem, admodum congruebat, vt humanitas Christi floreret & gloriam suam ostenderet.

QVINTÒ, Vt facto ipso, non verbo, quis esset ostenderet: ne si verbis se filium Dei diceret, arrogantiæ notari posset; vtque doceret factis, non verbis probandam esse virtutem. Numquam dixit Christus expresè coram populo: Ego sum Messias vel filius Dei: Sed, si qua exigebat causa, modestissimè insinuauit. Cæterùm factis & operibus se Messiam esse manifestè demonstrauit. Ideò *Luc.* 7. discipulis Ioannis interrogantibus: *Tu es qui venturus es?* Respondit: *Renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis.* Ita Ioan. 8. dicentibus Iudæis: *Si tu Christus, dic nobis palàm:* Respondit: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me:* & ita alibi sæpius. Nimirum virtus & dignitas non verbis iactanda; sed factis comprobanda est. Feminæ non recipiuntur pro testibus, sed viri: sic verba suspecta sunt, non item facta. Voluit ergò Christus diuinitatem suam cum viris probare, non cum mulieribus. Hinc fit, vt qui verbis tantùm se iactat, minùs fidem inueniat, quia feminarum testimonio nititur. Sanctus Chrysostom. *hom.* 37. *in Matth.* ait: *Testimonium quod à rebus trahitur, certius est quàm verborum & absque vllâ suspicione.* F. V. Vt facto, quis esset, ostenderet.

G. VI. Vt doceret contemptum mundi. SEXTÒ, Vt rerum caducarum abnegationem nos exemplo suo doceret, & crucem tollendam, de quibus rebus immediatè ante hanc historiam locutus scribitur ab Euangelistis Dominus. Sed quomodo, inquis, per gloriæ suæ ostensionem, docet voluntariam gloriæ abnegationem? Eodem prorsus modo, quo *Ioan.* 18. potentiæ suæ ostensionem, qua cohortem Iudæorum verbo vno prostrauit, ostendit suam passionem voluntariam, non coactam. Multi nobiles ditissimi, interim tamen humiles, qui semper tenuiter vestiti incedunt,

incedunt, exigente tamen aliquando causâ, vt in magnâ solemnitate, splendidissimas induunt vestes, vt appareat eos non necessitate aut egestate vrgente: sed voluntate talibus abstinere. Similiter fecit Christus dum hac vice induit vestem gloriæ suæ, ne gentes vel Iudæi paupertatem & passionem Christi, eius egestati & impotentiæ, atque adeo necessitati adscriberent, sed (en voluntariam eius humilitatem & abnegationem) qui semel tantum in vitâ gloriam suam & paucissimis ostendit, toto reliquo tempore humilitatem coram omnibus præsetulit, & gloriam suam abscondit: cum facilius ipsi esset, gloriam suam manifestare, quàm occultare; sicut faciliùs est Soli radios suos ostendere, quàm abscondere: cùm hoc non nisi mediante alio, nubis oppositione videlicet, facere possit. Imò cùm anima Christi semper beata esset, debebatur Christi corpori à primo conceptionis instanti semper, vt ea claritas ab anima in corpus dimanaret: Vnde miraculum potiùs dicendum erat, quòd Christi corpus non semper gloriosum esset: & in hodierna transfiguratione potiùs miraculum id desijt quàm incepit. Ecce igitur Christus debitam corpori suo gloriam repressit vi quadam & nube veluti obductâ, toto vitæ suæ tempore (præterquam in transfiguratione;) docere igitur nos exemplo suo voluit, meliùs esse gloriam in mundo abscondere, quàm patefacere. Quam ergò dissimiles Christo sunt qui etiam, quam non habent gloriam sibi affingunt & ostentare magnis viribus conantur; si quæ habetur & debetur gloria, occultanda est? sanè multo maior honor est, cùm dicitur: Ecce ista nobilissima & ditissima matrona quàm modestè & tenuiter vestita incedit? quàm si dicatur: Ecce ista mulier nobilitate & opibus multis alijs inferior quàm comptè incedit, quàm superbè & pomposè?

H. VII. *Vt corpori suo solemnitatem exhiberet.* SEPTIMÒ, Vt aliquando etiam corpori suo festû exhiberet. Totâ suâ vitâ Christus corpus fatigabat & atterebat, ieiunijs, vigilijs, itineribus, siti, frigore, lachrymis, longis & perpetuis orationibus & sermocinationibus: nunc aliquando etiam corpori quid concedit, non tam sui causâ, quàm vt nos doceret, posse ac debere interdum rigorem asperitatis, qua corpus affligitur, remitti aliquantum, vt postmodum officio suo iterum fungi possit. Celebrauit igitur Christus hic sua Liberalia, (hac voce vti liceat (quia hodie alteram induit personam, & *facta est species vultûs eius altera*, vt ait, Lucas cap. 9. Sed videte, qua ratione. Speciem

Longè tamen alia à Bacchanalibus mundi. alteram quidem induit hodie dominus, sed nõ alienâ, quia gloria ista corpori eius sêpet debebatur, assûpsit igitur hodie id, quod erat, vel certè esse debebat. Bacchantes assumunt quod

1. non debent, alienam scilicet speciem, non humanam. Secundò, decorem & gloriam induit

2. Dominus: illi induunt stultitiam & ignominiâ.

3. Tertiò, In ipsâ gloriâ suâ dominus tractat de morte & passione; quia *dicebant excessum*, inquit Lucas, *quem completurus erat in Ierusalem:* illi tempore bacchanaliorum scurrilia, prosana, obscæna tractant, mortis & inferni prorsus obliti. Quartò, Christi transfigurationi interest & cohabitat Deus pater: illi à suis transfigurationibus excludunt Deum. Quintò; Christi 4.
transfigurationi adsunt duo insignes Legislatores & Prophetæ, Moyses & Elias: illi Legislatorem nullum tunc audiunt aut agnoscunt, 5.
Sextò, In Christi trãsfiguratione Apostoli inebriantur spiritu: illi inebriantur vino. Septimò. 6.
ibi rutilat Christi facies & vestimenta candent: 7.
illi non tantùm conscientiæ faciem peccatis commaculant; sed & famam & pudicitiam exteriori conuersatione deturpant. Alia longè sunt hæc Bacchanalia: quæ si Christi festo conformia essent, non multùm litigarem cum mundi Bacchanalibus. Quod si igitur tunc non celebrauimus talia Bacchanalia, qualia Christus hodie: Incipiamus nunc, & celebremus iam Hilaria animæ per orationem & ieiunium. Hæc enim duo opera quasi transfigurant hominem & alteram ei inducunt speciem, sed speciosissimam & Deo placentem. Cuius transfigurationis aptissimum tempus est Quadragesima, quo nimirum veteri exuto homine nouus induendus, &c.

CONCIO IV.

Quid tractatum sit in comitijs Imperialibus habitis in monte Thabor.

1. *Actum de morte Christi.*
2. *Actum de gloria Christi, quæ nobis dabatur in Mediatorem & Legislatorem.*
3. *Facta sunt constitutiones imperiales. 1. per crucem veniendũ ad gloriam. 2. In omni actione præcogitandus finis. 3. In terris, non quærẽda beatitudo. 4. Passio Christi omnibus recogitanda.*

THEMA.

Et ecce apparuerunt eis Moyses & Elias, cum eo loquentes. Matth. 17.

QVando Principes Imperij ad Comitia cõueniunt, vel soli Electores cum Imperatore conuentum aliquem habent, certum est argumentum magna esse negotia ab illis pertractanda; & nemo omnium est, qui non cupiat scire, quid terum actitetur in cõuentu illo. Describit S. Matthæus in hodierno Euangelio celeberrima Comitia magnorum Septemuirorũ, in monte Thabor habita, quibus Deus ipse præfuit velut supremus Imperator. Adfuit hic Moyses, nomine veteris legis & patrum defunctorum. Adfuit Elias nomine eorum qui futuris retrò sæculis erant victuri. Adfuere tres primâtes Apostoli, nomine omnium viuentium. Petrus nomine Europæ, Ioannes nomine Asiæ, Iacobus nomine Africæ. Adfuit & Dei filius, Christus. Adfuit & Pater, voce de nube lapsâ. Adfuere omnes in gloria & maiestate: & colloquium habebant. Quis ergò non intelligit, maxima fuisse negotia, tunc illis pertractanda, ad omne hominũ genus spectantia? Iure A

re igitur inquirimus, quid ibi actitarint. Audiamus.

I. Actum de morte Christi. 1. PRIMO, Tractatum est de morte Christi, sic enim Lucas ait: *Et dicebant excessum, quē completurus erat in Ierusalem.* Grecè ἔξοδον id est, exitum, mortem scilicet. Sed quid de Christi morte locuti sunt? Existimo inprimis quæstionem instituisse: num ea necessaria sit aut modo aliquo præteriri possit. Nam paulò antè cum *Matth.* 16. cœpisset IESVS ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierusalem & multa pati atq; occidi; Petrus increpabat Christum, quasi id ei non conueniret: *Absit à te Domine*, inquit, *non erit tibi hoc*. Itaque Concilium hoc instituit Dominus, vt Petrus & alij discipuli audirent de hac re Moysen & Eliam, seu legem & Prophetas. Et ecce Moyses & Elias statim instituunt sermonem de exitu & morte Christi compléda in Ierusalem, hoc ipso affirmātes quòd Christus pati & mori deberet. Allegauit enim Moyses plurimas figuras, vt Agni Paschalis, vaccæ rufæ, iugis sacrificij &c. Elias verò plurimas prophetias mortem Christi passionemque prænuntiantes, quæ compleri debebant, vt Scriptura impleretur. Deinde affirmabant sine CHRISTI morte & passione saluari humanum genus non posse, ita vt Iustitiæ diuinæ satisfieret: siquidem id non peccata sua iustissimo Dei iudicio morti adiudicatum erat. Debuit ergo saltem caput pro membris hanc pœnam luere. Et licet alioqui caput se non exponat pro membris; si tamen membra salua esse velit se pro ijs exponere debet. Ita in Comitijs non debet Rex priuatam suam sequi vtilitatem, sed totius communitatis. Quoniam ergò Christus caput omnium constitutus erat, & quidem lubens volens: condecere asserebant vt liberaret populum suum. Dicebant igitur Christo: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Solus manebis Christe & nos omnes interibimus nisi patiaris & moriaris.

2. Deinde animâsse eos Christum puto & orasse vt in proposito suo pergeret, proponendo ei *posteriores glorias.* 1. Pet. 1. hoc est, maximas vtilitates ex passione eius prouenturas. Erhic alter exitus erat; de quo sermocinabantur, felicissimus videlicet inprimis omni hominum generi. Hinc enim primò agnoscent homines Dei charitatem erga se, & ad ipsum redamandum valde prouocabuntur. Deinde habebunt in ipso Deo exemplum humilitatis, obedientiæ, constantiæ, iustitiæ, & virtutū cæterarum in passione ostendendarum. Tertiò inducetur per hoc homini maior necessitas abstinendi à peccatis, dum cogitat se sanguine & morte eius redemptum esse. Felicissimus etiam ipsi Christo, siquidem per hoc gloriam sibi immensam & principatum cœli & terræ ac potestatem iudiciariam parturus esset. Vnde Isaias cap. 53. dixit: *si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum*, hoc est, Ecclesiam perpetuò duraturam & sanctissimis filijs refertam, Apostolis, Martyribus, Confessoribus Monachis, Virginibus, &c.

Tertiò instigasse & rogasse vt ad exitum illum properaret, idque propter Patres illos maximè, qui iam tot annis in limbo desidebant & exitum eius præstolabantur. Vnde Moyses videtur tamquam legatus illorum Patrum adfuisse: Elias verò tamquam legatus futurorum: Apostoli viuentium, qui omnes vehemēter indigebant morte Saluatoris. Et hoc facilè obtinuerunt. Inde enim dominus quasi impatiens moræ, *Luc.* 12. dixit: *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Et inde antequam veniret hora passionis, vltrò effudit sanguinem in monte Olíueti. Erant enim homines pulli huius pelicani, veneno nimium quantum infecti, ideoque sitiebant sanguinem parentis. 3.

Quartò dissuasisse vel deprecatos esse potius, ne in passione illa nimiùm excederet; satis enim fore humano generi si qualemcumque mortem pro illo sustineret. Hoc videtur indicare textus latinus, cùm ait Luc. 9. *& dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem.* Dicebant ergò fore excessum, si omnem omninò sanguinem profunderet, siquidem sufficiat vnica sanguinis gutta ad infinitos mundos redimendos. Secundò dicebant fore excessum, si mortem crucis, omnium crudelissimam & turpissimam subiret; siquidem sufficiat alia minùs dira & probrosa. Tertiò fore excessum, si iacturam omnium omninò facerer, amicorum, fortunarum, famæ, corporis. Quartò fore excessum, si omnes generis dolores & in omnibus pateretur viribus, &c. Quoad hoc igitur existimarim, cum Petro eos repetijsse illud: *Domine non erit tibi hoc*: obsecro ne saltem excedas nimium; siquidem futuri sunt homines innumeri, qui sanguinem illum tuum copiosum effundent velut aquam, adeoque conculcabunt. Sed nihil hic obtentum. *Excessum* enim *completurus erat dominus in Ierusalem*, ait S. Lucas. Non contentus circumcisione aut modica sanguinis effusione, totum effundere voluit; non contentus quauis morte crucem subire voluit; non contentus vnam bonorum suorum facere iacturam, nudus in cruce pendere voluit, destitutus amicis, saturatus opprobrijs, circumdatus vulneribus. Non vnum, sed omnis generis cruciatus subire & in omnibus torqueri viribus. 4.

Denique non dubito gratias egisse pro redemptionis beneficio & pro excessu huius amoris paulo pòst complendo.

SECVNDO, Tractatum est de Christi Domini gloria & exaltatione. Voluit enim hoc loco Deus coram legatis veteris & noui testamenti, viuorum & mortuorum declarare Christum Regem cœli & terræ, Iudicem ac Legislatorem totius mundi, propterea quòd hanc gloriam & potestatem promeriturus erat sua passione & morte. Vnde S. Petrus de hac transfiguratione ita scribit: *Accipiens enim à Deo patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, &c.* 2. Pet. 1. Congregatis igitur orbis C. II. Actum de Christi gloria.

bis Principibus, vox patris intonuit, qua filio *gloriam & honorem* dedit, id est omnimodam potestatem in cœlo & in terra: vel potiùs priùs ab ipso puncto conceptionis collatam ei per vnionem hypostaticam: hic publicauit, vt Moyses id nuntiare posset mortuis; Apostoli viuentibus, Elias verò victuris extremo iudicij die. Hæc verò solennitas declarationis & coronationis Christi in Regem Regum, vt celebrior esset, idcircò gloria & honore indutus apparuit Dominus: locus etiam ad hoc editissimus electus est: aulæa expansa, nubes videlicet lucida & obumbrans. Et qui aderant discipuli auditâ voce patris, statim *ceciderunt in faciem suam & timuerunt valdè*, inquit S. Lucas. Nimitum velut Regem suum statim venerati sunt. *Quid aliud tunc temporis*, inquit S. Ambros. 3. de Spiritu sancto cap. 12. *dixerunt illi videntes gloriā eius, nisi: Venite adoremus & procidamus ante eum?* Et Chrysost. hom. 57. in Matth. *Ceciderunt*, inquit, *trementes simul atque adorantes*. Non leguntur discipuli cecidisse in faciem ad timuisse, quando postmodum *Ioan. 12.* Venit vox de cœlo super Christum dicens: *Et clarificaui & iterum clarificabo*. Quia per hanc vocem, non dabatur Christus hominibus in Regem, & Legislatorem, sicuti per illam. Fortè cecinerunt illud Apoc. 5. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem*, &c.

Christus datus. *1.* *In Mediatorem.* Dabatur itaque tunc nobis Christus. Primò in Mediatorem omnium prædestinatorum, ita vt per illum Deo placere debeat, quicumque vult placere; per illum gratiam accipere & gloriam, quicumque vult accipere; Ipse est filius Dei naturalis, in quo solo Deus sibi complacet: sed quoniam cæteris etiam prædestinatis gratiam & gloriam meruit; inde vt filij adoptiui per illum Deo placent: atque ita totius complacentiæ fons est Christus. Itaque nunc nobis adlaborandum est, vt Christo placeamus & ipsi nos vniamus. Quemadmodum enim Iacob non esset adeptus benedictionem Patris, nisi vestibus Esau primogeniti fratris, valde bonis & odoriferis, se texisset, *Gen. 27.* Sic Deo patri non possumus placere aut benedictionem eius consequi, nisi induamus Christum, eiusque virtutes fragrantissimas & gratiam, quam nobis meruit. Hac ratione assimilari Christo debemus & fieri quodammodo Christiformes. Audi Apostolum ad Rom. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus* Quanto igitur quis Christo fit conformior in ferenda cruce, in virtutum studio & vitæ sanctitate, tanto magis Deo placet.

2. *In Legislatorem.* Secundò dabatur in Legislatorem & Magistrū, cùm dicebatur: *Ipsum audite*. Voluit hac voce Deus Pater indicare Moysi, cæterisque præsentibus se nunc impleſſe promissionem suam, qua Deut. 18. dixerat ad ipsum: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturq́; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam*. Et Moyses ad populū: *Prophetā de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies*. q. d. Ego magni illius Prophetæ Christi, typus & præcursor tantùm, En morior, ipsi lampadem trado: ipsum audietis. Neque verò quia nunc Christum ipsum audire non possumus, Doctores & Præceptores alios audire non debemus. Ipse enim ad cœlos ascensurus dixit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Euntes ergò docete omnes gentes*, &c. Matth. 28. Et rursum: *sicut misit me pater & ego mitto vos*, inquit; daturus eis potestatem absoluendi. *Ioan. 20.* Nihil igitur excusationis prætendere possunt qui Christi delegatos audire nolunt, sicuti nec, quando Imperator mittit aliquò Legatos suos, & per illos imperat.

D. *III. Factæ cōstitutiones Imperiales.* *1.* *Per crucē veniendum ad gloriam.* TERTIÒ, Factæ sunt aliquot constitutiones Imperiales, 1. Ad gloriam perueniri non posse, nisi per crucem & tribulationes multas; siquidem in hac Christi transfiguratione sermocinatio fuit de ipsius morte & cruce & quidem prius, quàm acciperet à Patre gloriam & honorem voce delapsâ in nube. Significabat hoc Christum non nisi per crucem meruisse suam exaltationem & gloriam, sicut Apostolus *ad Phil. 2.* testatur: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autē crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Et Dominus ipse Luc. vlt. *Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam?* Hoc ipsum designatur mysticè in hodierno Euangelio, dum ait Matthæus, IESVM post sex dies assumpsisse discipulos ad spectaculum gloriæ suæ. Sex dies in quibus oportet laborare, dies laborum & tribulationum denotant; septimo demum die Sabbathum est, & tempus spectandi gloriam Dei. Quod cùm Petrus non intelligeret, sed manere vellet in monte Thabor & figere tabernacula, antequam crucem vidisset, nequaquam est auditus: quia istud loquebatur. *Nesciens quid diceret*, ait. S. Lucas. Et idcircò abrupta est eius oratio à voce cœlesti; Siquidē *adhuc eo loquente*, vt inquit Matthæus, *Ecce nubes lucida & vox de nube*, &c. Refert Sextus Iulius, *l. 1. stratagem.* quod Cyrus Rex Persarum volens suos concitare contra Medos, duxerit populū ad syluam, vbi tota die occupauit eos laboribus maximis, succidēdo syluas. Postero die fecit eis conuiuium splendidum: & interrogauit, vter dies magis eis placeret. Responderunt illi: *secundus*. Et Cyrus *sicut per laborem hesternum peruenistis ad gaudium hodiernum: sic beati & felices esse non potestis, nisi priùs Medos viceritis*. Ita Dominus post sex dies & post ascensum montis excelsi monstrauit discipulis gloriam suam: eoque facto ostendit, hanc vnam esse viam perueniendi ad coronam, per laborem scilicet & sudorem. Et hanc constitutionem Apostoli vndiq; constanter prędicarunt. *Quoniā per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei*, Act. 14. Quicūque igitur crucem horrent & tribulationes auersantur, voluptates tantū sectantur, &c. absque omni dubio cōtra hanc cōstitutionē faciunt & seipsos decipiunt. Itaque certo sibi persuadeant, quicumque fugiunt, ieiunia,

templa, conciones, confessionem, tribulationes, &c: se fugere ipsum cœlum: sicut qui fugit mare, fugit & Venetias, nec vnquam eò veniet; quandoquidem alia via non est eò veniendi, nisi per mare. Sanè Christus exemplo suo labores mutauit in coronas: ita vt ipsa crux & tribulatio, gloria fit & honor. Vnde Chrysostomus pro *excessu*, legit *gloriam*: & Apostolus pas. sionem Domini vocat *posteriores glorias*. Hinc cùm Iunius Donatus præfectus duas sorores germanas, Ruffinam & Secundam ob fidei constantiam apprehendisset, & Secundam verberibus affecisset; altera Iudicem clamoribus infectata: *Cur*, inquit, *sororem meam gloriâ, me verò ignominia afficis? iube ambas verberari*. Apud Sur. 10. Iulij. En verbera & flagella, gloria sunt Ruffinæ.

2. *In omni actione præcogitandus finis.* Secunda, In omni actione cogitandum esse primò, quem exitum sit habitura præsertim cùm quis est in magna gloria, delicijs & rerum prosperitate. Hoc enim Christus fecit dum tempore gloriæ suæ sermocinatur de tristissimo vitæ suæ exitu. Referunt aut fabulantur potiùs Gesta Romanorum symbolica, Mercatorem aliquando Regi cuidam sapientiam vænalem proposuisse & mille florenis vendidisse. Erat autem illa sententia; *Quidquid agas, prudenter agas & respice finem*. Quam vt cordi haberet: præcipiebat; fore enim sibi vtilissimam. Rex itaque hanc sententiam in domo sua omnibus parietibus vndique inscribi iussit, imò & omni supellectili. Contigit paulò pòst vt Rex in odiũ suorum veniret & clanculum à quibusdam ad necem quæreretur, Subornarunt isti tonsorem Regis vt illi iugulũ nouaculâ abscinderet: Hic cùm aliquando tondens Regem facinus pararet, vidit in Regis linteo literas acupictas: *Quidquid agas*, &c. atque ilicò territus, retrocedere, pallere & tremere cœpit. Obiurgatus ob id à Rege imposturam fassus est: seque harum literarum intuitu à scelere absterritum esse. Ita demum Rex expertus est quantum sibi profuerit sapiens consilium. Vtinam & nos hanc sapientiam mercaremur & familiarem nobis faceremus? Hæc enim est, quam Ecclesiasticus cap. 11. nobis offert cùm ait: *Si annis multis vixerit homo & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum*, id est, æternitatis. Quicumque igitur lætos agunt dies & secundis rebus vtuntur, respiciant ad finem. Qui corpori suo seruiunt, blandiendo, superfluè id exornando, delicatè saginando: cogitent quale id paulò post futurum sit: vtique esca vermium. Hoc si Iezabel cogitasset, non ita subitò à canibus lacerata & equorum vngulis conculcata fuisset. 4. *Reg*. 9. Sanè hæc cogitatio perurgebat Martinum Lutherum, qui dum semel cũ suis combibonibus egregie genio indulgeret (quod ei familiare erat) cogereturque saburræ leuandæ gratia è turba discedere; auditus est solus sub dio stans secum colloqui & sejpsum compellare, aqualiculum interim pulsitans: *Martine, Martine, hic quidem sat bene agitur: sed quid post hæc futurum est?* refert Ioan. Dauid *in verid. Christ. cap.* 100. Mortis igitur, iudicij & inferni sæpius se commoneat, qui in delicijs sunt, & sic vinum deliciarum, aquâ futuræ tribulationis misceant, vt ne ipsis noceat.

3. *In terris non quærenda beatitudo.* Tertia. Non esse in terra erigendum aut statuendum beatitudinis trophæum, quod facete volebat Petrus, cum dixit: *Faciamus hic tria tabernacula*. Insaniunt qui hoc faciunt. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*. Nec decet è terra cœlum facere. Nec vera ac solida bona sunt, quæ habentur hic in terris; & sunt præterea permixta malis, quemadmodum in träsfiguratione Domini fit inter ipsam gloriam mentio mortis eius. Similes hi filijs Ruben & Gad, qui citra Iordanem terram nacti pastui idoneam, noluerunt transire per Iordanem in terram promissam: quos acriter reprehendit Moyses *Num*. 32. Nimirum *quos multa mundi implicamenta occupant*, ait sanctus Gregorius libro vigesimo septimo Moralium, cap. 10. *hi Iordanem transire nolunt: quia habitationem cœlestis patriæ non requirunt*. Sed reuera isti nesciunt quid dicant, quemadmodum Petrus in hodierno Euangelio; nam præterquam, quòd stercora gemmis & auro præferunt, etiam Dei iram in se prouocant isti, qui pretium passionis eius, imò & cœlum ipsum hominibus paratum spernũt maluntque computrescere vt iumenta in stercore suo, quàm in cœlesti aula cum Deo regnare. An nescimus, quid dixerit Dominus de illis, qui ad cœnam vocati neglexerunt & se detinuerunt in villis, agris & domibus suis? *Dico autem vobis*; inquit, *quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*. Luc. 14. nõ dicit viri adulteri, fornicarij, auari, ebriosi, &c. sed qui vocati noluerunt venire & frui cœna mea. Horum, inquit, *nemo gustabit cœnam meam*. Vbi indicat fore aliquando tempus quando desiderabunt vel gustare de micis illius cœnæ & cum epulone petent guttam aquæ: & hoc non obtenturos.

4. *Passio Christi omnibus recogitanda.* Quarta, Passionem Christi omnibus Christianis sedulò meditandam & memoriæ commendandam, ac pro ea Christo gratias agendas quotidie, præsertim verò hoc Quadragesimali tẽpore. Sic statuerunt Moyses & Elias, qui de passione Domini futura sermonem instituebant etiam dum lætissimæ intersunt festiuitati. Exigit hoc à nobis debitum gratitudinis, quod numquam satis exsoluere possumus. Assuerus Rex ope Mardochæi ereptus à morte, quam duo Eunuchi ei machinabantur, iussit id consignari in Annalibus suis. Quos cùm nocte aliqua iussisset sibi prælegi perlecto Mardochæi obsequio, & audisset nihil adhuc præmij Mardochæo pro illo collatum esse, statim magno ipsum honore affecit. Equo enim suo impositum, velut in triumphi pompa vndique circũduci & honorari iussit: inimicos item eius occidi fecit. *Esth*. 2 & 6. Quod si Rex obsequium serui sibi exhibitũ iussit referri in Annales suos sibi prælegi & adeò rependi; an non magis decet vt seruus referat in Annales suos obsequium ipsius Regis? Et quid fecit nobis Christus? A morte æterna nos eripuit, quam machinaba-

chinabatur nobis diabolus. Et quid pro hac fide honoris & præmij Christus à te consecutus est? Nihil omnino. Eccur igitur non saltem ipsi gratias agis & loco gratitudinis beneficium id rememoras? Cur non ipsum propterea laudas, prædicas & extollis? Cur non item inimicos eius, peccata videlicet, in te extinguis? Scribe igitur in Annales cordis tui istud beneficium & quotidie relege, dicque cum Dauide: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Et cùm S. Paulo I DEO *autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrũ IESVM Christum.*

CONCIO V.

Excessus passionis Dominicæ eiusque causæ.

Primus excessus fuit humilitatis; cuius assignantur duæ causæ.
2. *Charitatis, ob duas item rationes.*
3. *Liberalitatis; ob duo potissimùm.*
4. *Fuit excessus patientiæ, cuius duæ dantur causæ.*

THEMA.

Ecce apparuerunt eis Moyses & Elias cum eo loquentes. Matth. 17.

A VIdetur hæc transfigurationis historia patrocinari filijs huius sæculi. Scribit enim S. Lucas colloquiũ, quod habuere cum Christo Moyses & Elias, fuisse de eius excessu, quẽ completurus erat in Ierusalem. En vobis, mundi asseclæ, patronum sanè magnum excessuum vestrorum. Quid enim isti solent, nisi excessus facere, in vestitu, in victu, in sermone, in contractibus cæterisque actionibus? Verùm sciendum est excessum Christi Domini longè alium fuisse ab excessu reproborum; vti mox audiemus.

B. I. Fuit excessus humilitatis. Passio Christi fuit primò Excessus humilitatis; dum DEI Filius in personâ propriâ eò se demisit, vt expiaret peccata nostra. Indicat hoc Apostolus ad Hebr. 1. cùm de illo ait: *Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationẽ peccatorũ faciens,* &c. Et ad Phil. 2. *Cùm in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens,* &c. Certè nos vt caput tueamur, membra ictui obijcimus non caput ad tuenda membra. Atqui Christus cum esset Dei Filius & caput nostrum, pro membris se exposuit omnis generis ictibus & tormentis. Quod seruus se pro Domino periculis exponat, mirum adeò non est: sed quod Dominus hoc pro seruo faciat, id sanè admirandum. Quantum verò est, Dei Filium, *Qui est candor lucis æternæ & speculum sine maculâ,* Sap. 7.) facere purgationem peccatorum quasi omnium infimus seruus esset? Vt enim domesticum mancipium omnes sordes tergere debet, quas alij nec videre volunt: ita Christus tersit sordes mundi, peccata scilicet; vnde ea amplecti voluit, quæ nemo alius tangere, vti crucem omnibus exosam, latronum societatem, feralem purpuram, spinas, &c. Contemplare hodiernam Christi gloriam in transfiguratione, cum eius in monte Caluariæ ignominia. Intuere cæteras sordes, quas in se recepit, vt à nobis tolleret. Quis enim nescit, quot sputa, quot alapas, quot contumelias, quot confusiones exhauserit? Inuentus est puer Spartanus, captus ab Antigono Rege, qui sub hasta venditus, cùm natura esset ingenuus, cætera Heri iussa fecit, at matulam afferre iussus, potius se ex alto præcipitem dedit. Plutar. *in Lacon.* Nos ergo terræ vermiculi non sustinemus ad infima munia deijci: & non miramur Dei filium vsque adeò se humiliasse vt tergeret nostrorum peccatorum sordes & abominationes.

Causa. 1. Et quæ, putatis, causa est tantæ deiectionis? Prima. Vtique vt retunderet nostram superbiam, qua nimium quantum excedimus & supra nos ipsos efferimur. *Ad hoc namque* inquit S. Greg. l. 34. Moral. c. 21. *Vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc inuisibilis non solum, visibilis sed etiam despectus apparuit? ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus.*

2. Secunda. Vt maiorem in Christum fiduciam haberemus, nec dubitaremus eum facturum esse minora & faciliora, qui tanta & tam difficilia nostri gratiâ fecit. Celebrant multi, nec immeritò, Caroli V. Imp. factum, quo Vlissingæ cõmoratus, Seldio Ferdinãdi fratris Legato, sub ipsam noctem à se discedenti candelam, cum neminem ministrorum præsentem haberet, prætulit per gradus ad quietis locum; renitenti interim Seldio dicens: *Hoc tibi monumẽtum Cæsaris illius Caroli habeto Seldi, tot exercitibus & satellitibus quondam stipati, quem nunc solum & à familia etiam desertum vides & cui tu tot annis seruijsti, ille tibi seruijt & lumen prætulit.* Cythr. orat. de Carolo V. Quòd si hæc humilitas in Imperatore memorabilis & mira est: quanti nos reputabimus humilitatem Christi, qui cùm esset Deus & Rex Regũ, nobis tamen seruire Angelorum satellitio destitutus, & non doctrinæ tantùm lumen præferre, sed abiectissima quæque in gratiam nostram ferre & sufferre voluit? Non sit ergo nobis passio & mors illius perpetuum monumentum humilitatis eius, & stimulus ad fiduciam in eum semper habendam? Quid enim non dabit nobis; qui seipsum in seruum dedit?

C. II. Excessus charitatis. SECVNDÒ, Fuit excessus charitatis: siquidẽ pro peccatoribus & inimicis suis mortuus est. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suã pro amicis ponat,* teste Domino *Ioan.* 15. Atqui ipse animam suam pro inimicis posuit; nimiam ergo charitatem habuit. Audi Apostolum ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis,* inquit, *quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et ad Eph. 2. *Propter nimiã charitatem suam quã dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Nimia enim hæc charitas re-

satisfaceret, nos ad frugem reuocaret & à periculo gehennæ eriperet.

QVARTÒ, fuit excessus patientiæ, dum furori & sæuitiæ Iudæorum nimium indulsit nimiaque ab illis pertulit: veluti inprimis omnis generis cruciatus in omnibus suis membris eosque puros nullis permixtos consolationibus: quas tamen alij afflicti habent & martyres omnes habuêre; deinde rerum omnium iacturam, amicorum, fortunarum, famæ, corporis, vitæ, denique omnis generis contumelias, vincula, alapas, sputa, irrisiones, nudationem, seruilia supplicia, probra, conuitia, blasphemias, præproperam condemnationem & eiectionem quasi nulla commiseratione dignus & vermis tantùm non homo esset, iuxta prædictionē Dauidis Psalm. 21. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Sanè cum mulctatur reus, imò cùm occiditur bos aut ouis, sunt qui commiserantur; inter iniquos illos nemo fuit, qui Christo condoleret. Hocccine non est excedere in patiendo tam indigna, quæ si voluisset, vtique à se amoliri potuisset?

Causa 1. Causa autem huius excessus prima fuit, quia *Deut. 25.* scriptum est. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Peccant autem homines omnibus modis, omnibus sensibus, omnibus membris, omni ætate & statu, ita vt Isaias describens peccata populi dicat: *Omne caput languidum & omne cor mærens: à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Idcircò in omnibus suis viribus & membris, ab omni hominum genere, omnia tormentorum genera patienda sibi existimauit Dominus, vt iustitiæ diuinæ exactè satisfieret. Excedens frigus excedente calore pellendum est: excessus peccatorum, excessibus dolorum. Quanti verò passim excessus fiunt in vestitu, in cibo & potu, in voluptatibus carnis, in mercimonijs & contractibus, in vsuris, &c. Satis peccati foret, superfluè ornare corpus; sed verò nouos quotidie excogitare & inuehere vestium ornatus, id omnino excessus est. Ideò & Christus non tantùm vsitatas pertulit ignominias vinculorum & flagellorum: sed nouam insuper aliam, spineæ coronæ, à diabolo excogitatam. Satis peccati foret, egentibus non tribuere: sed verò eos opprimere, spoliare & exossare, id omnino excessus est. Ideò & Christus non tantùm vestibus nudatus & omnibus facultatibus spoliatus est, sed nec habuit, quod vulpes, vbi caput reclinaret. Satis peccati foret, fornicari & adulterari: sed verò irritare carnem ad grauiora scelera contra naturam, id sanè excessus est. Ideò & Christus nō flagellis tantùm cæsus & vndique concisus est: sed insuper spinis compunctus, clauis & lancea confixus. Satis foret iniquitatis, inebriari vsque ad os: sed verò posteà vomere vt iterum inebriari possis, an non hic excessus est? Ideò & Christus non partem tantùm cruoris, sed totum effundere voluit, vt inde sitim ardentissimam sentire cogeretur. Satis intemperantiæ foret non ieiunare in Quadragesimâ & cæteris ieiunij temporibus: at insuper carnibus non abstinere, [illegible] excessus est? Ideò & Christo in cruce [illegible] non tantùm sitis non restincta est, sed insuper fel cum aceto porrectum. Satis mali foret, Christianos non viuere Christianè: sed diabolo se transcribere & in odium Christi ei deseruire Christoque aduersari, an non hic excessus est? Ideò & Christus non tantùm voluntati Iudæorum sibi infensorum, sed etiam gentilium, militum & carnificum, imò & potestati tenebrarum tradi se passus est. Satis denique foret toto & integro anno hærere in peccati cœno: at hærere multis annis & numquam integrè confiteri ac pœnitere; quantus hic excessus est? Ideò & Christus non tantùm tribus horis in cruce, sed octodecim horis continuis varia tormentorum genera sibi succedentia pati & sentire voluit.

Secunda. Vt nos prouocaret ad patiendum vel parum, qui pati voluit nimis multum. Tota vitâ bene valere, & semel tantùm aut bis ægrotare, profectò parum est: ergo vel hoc parum æquo animo feramus: Toto anno bene comedere & quoties quis vult, solâ verò quadragesimâ & paucis vigilijs ieiunare, itâ vt saltem vnicâ refectione contenti simus, profectò parum est: sic enim decimis tantum anni ieiunio persoluimus; ergò faciamus vel hoc parum ob amorem eius, qui pro nobis fecit nimis multum. Similiter tota hebdomade comedere omnia pro libitu, duobus tantùm diebus à carne abstinere, profectò parum est; faciamus vel hoc parum. Tota hebdomade nobis vacare & corpori attendere, semel tantùm in festiuis diebus sacrum & concionem audire ad pascendam animam, profectò nimis parum est: ergo faciamus aliquid amplius, vel certè hoc exiguum. Toto anno peccare & semel tantùm confiteri, sanè nimis parum est: ergo hoc fiat sæpiùs vel certè semel accuratè & bene. Integrum peccatorum plaustrum afferre ad Confessarium, interim verò ab eo desiderare modicam pœnitentiam, quis non videt nimis esse parum? ergo rogetur Confessarius, vt imponat rigidam & seueram satisfactionem, vel talis vltro suscipiatur. Denique abundare opibus, epulari & vestiri splēdidè, interim pauperibus vix de mēsâ micas aut laceras atque attritas elargiri vestes, nónne id nimis parum est? ergo demus multum in gratiam illius, qui in gratiam nostri dedit nimium; fecit nimium, tulit nimium.

CON-

habeat tauri Æthiopici apud Plin. l. 8. cap. 21. silicis duritie, omne vulnus respuentem. Vngues ad rapiendum ea, quæ suis arrident appetitibus, plusquam aquilinos. Capillos cogitationum & curarum perpetuò fluctuantium, quibus totus in feræ modum hispidus vndique ambitur & operitur; corpus adeò omni honestate denudatum adeoque deprauatum & ad terrea ac fluxa bona depressum, vt modò superbiâ tumidum ridendum se alijs exponat: modò auaritiâ stimulante, per inediam exhauriat; modò per liuidinem gallicâ aliâve lue destruat: modò per iracundiam & inuidiam conficiat: modò per ingluuiem & ebrietatem ita eneruet vt incedere nequeat, trahi debeat, & vitã sibi præcidat morbosque concilicet: quod sanè aliud non est, quam belluæ instar quadrupedis pronum ambulare.

5. Quintò, Herbas vt bos comedebat, quod sanè facit peccator, dum verum & solidum adeoque proportionatum animæ cibum (Dei verbum, Sacramenta, virtutes earumque exēpla, &c.) fastidiens, quærit belluinum pascitque animum vanissimis & vilissimis rebus, vti vestium & auri splendore, tinnitu nummorum; fœdis colloquijs; detractionibus, fabulis & curiosis narratiunculis, vini & siceræ ingurgitatione, &c. Hi sunt illius cibi. Atque ita demum homo, qui in baptismo initiatus Deoque consecratus fuit, turpiter immutatur & degenerat in feram, ex templo fit spelunca latronum, ex domo Dei domus vanitatis, vti notauit Amos cap. 5. dicens: *Et Bethel erit inutilis*. Hebr. *Bethel erit in Auen*. q. d. ex Bethel fit Bethauen, hoc est, ex domo Dei domus vanitatis & inanitatis. Quod si non sentit modò peccator, sentiet suo tempore, cùm ea, quibus illecta Deum offendit, vertentur illi in nauseam: quod fiet in articulo mortis & inferno.

C. II. E statu peccati in statum gratiæ.

SECVNDA, Est à statu peccati in statum gratiæ, fælix & optanda. Huius typum exhibet nobis Ioseph è carcere (in quem tamen nullâ suâ culpâ coniectus fuerat) ereptus & mox ad Principis dignitatem euectus à Pharaone, *Genes.* 41. Qui enim paulò ante in obscuro carcere vinctus compedibus, squalidus, intonsus & impexus, totusque depressus sedit, repente iussu Regis eductus, attonsus & veste meliore indutus est, tumque à Rege magnis auctus honoribus. Nam induit eum stola byssina, dedit annulum in manu eius, torquem iniecit auream collo eius, imposuit eum currui suo secundo & præconis voce honorari iussit appellauitque eum *Saluatorem mundi*. Quanta hæc & quàm subita mutatio, de summa miseria ad summam in terra fœlicitatem? Talis porro mutatio cernitur in homine, cùm seriò conuertitur & resipiscit à peccatis. Qui enim priùs peccatorum vinculis constrictus, in tenebris ignorantiæ, sub potestate dæmonis squalidus & deformis peccandi consuetudine adeoque belluinus, vt suprà vidimus, effectus erat, is per pœnitentiam totus immutatur in virum alterum. Erutus enim è diaboli ergastulo ruptis peccatorum vinculis, deterso priorum vitiorum & sordium squalore, abiectis etiam sæcularium cogitationum ac desideriorum capillis, miris gratiæ beneficijs dotatur.

Primò, Vestitur stola byssina, gratiâ videlicet, quæ instar vestis nobilissimæ Dei solius manibus confectæ hominem ita exornat vndique & condecorat; vt totius naturæ splendor, quantuscumque ille sit etiam in Angelis, vilis & exiguus sit respectu illius. Nullæ stellæ cœlum, nullæ gemmæ coronam, nullum aurum, nullæ purpuræ aliæque byssinæ vestes ita condecorare Regem possunt, vti gratia animam; quam si nos hic contemplari possemus, eligeremus cum S. Catharina Senensi mille mortes, imò & cruciatus vt eius aspectu frui possemus. 1.

Secundò, Annulum aureum accipit in manibus, dum opera virtutum exercere satagit, quæ vigore gratiæ fiunt aurea & coram Deo gratiosa vitæque æternæ meritoria. Ergo qui priùs furabatur, iam sua pauperibus elargitur: qui priùs occidere parabat, iam quæuis aduersa ab inimicis cum gaudio suffert & mala bonis compensat: qui priùs in cœno turpitudinis iacuit, iam cilicio indutus humi se prosternit & flagellis tundit: qui priùs inebriari gestiebat, iam ieiunijs se castigat: qui priùs execrabatur & blasphemabat, iam orationibus Deum placat: qui priùs sese comere & superbè incedere solebat, nunc humilis & squalidus vel absque luxu saltem incedit, &c. Patet in Niniuitis, in S. Guilielmo Aquitaniæ Duce, qui priùs in sæculo inflatus, Episcoporum persecutor, postea minis & terroribus S. Bernardi conuersus, habitum induit monasticum & loricam ad nudam gestauit carnem, factus auctor Guilielmitarum. 2.

Tertiò, Torquem auream in collo accipit; quia omnia merita, quæ per peccatum priùs mortificata erant, viuificantur, eique restituuntur, quæ merita in vnum conserta velut annuli aurei pulcherrimam torquem conficiũt, animamque spe cœlestium præmiorum suauiter & sine onere grauant Angelisque admirandam proponunt. 3.

Quartò, Euehitur in currum regium, qui est pax & tranquillitas conscientiæ: suauiter animam vehens; quæ *pax exuperat omnem sensum*, vt loquitur Apostolus *ad Philipp.* 4. q. d. intelligi non potest, quale & quantum bonum sit. Certè qui hanc pacem in sese deprehendit, non commutaret eam cum sceptris & coronis regum. S. August. post conuersionem suã ita loquitur: *Quàm suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum: & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudiũ erat.* L. 9. Cõfess. c. 1. 4.

Quintò, Prædicatur omnium laudibus & acquirit non solùm famam per peccata olim perditam, verùm etiam nomen præthereà magnificum, vti patet in Magdalena quæ ex peccatrice summa Christi amatrix facta, celebratur omnium vocibus. Patet in Matthæo, Paulo, Zachæo, Pelagia, Maria Ægyptiacâ, &c. quorum vitæ prioris macula non solùm absterſa, sed & conuersa est in maximam eorum gloriã. 5.

Atque hæc est illa mutatio, de qua *Amos cap.* 5. dicitur: *Quærite Dominum conuertentem in mane tenebras.* Quid enim peccator, nisi tenebræ seu incola tenebricosi carceris? Hic tamen per pœnitentiam subitò mutatur & conuertitur in auream amœnissimamque auroram. *Quis planè non miretur opera Dei*, ait Abbas Chæremon apud Cassian. col. 12. cap. 19. *ac toto proclamet affectu: Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus: cùm vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirsutúmque perspexerit, &c?* Exemplum huius mutationis habemus in filio prodigo: qui in se & ad patrem reuersus, indutus est stolâ primâ, decoratus annulo, munitus calceamentis, exceptus conuiuio, recreatus symphoniâ, *Luc.* 15.

D. III. Ab huius seculi delicijs ad gehennam.

TERTIA, E præfectis vitæ commoditatibus ad gehennam: omnium quæ esse possunt metamorphoseon, miserrima & terribilissima. Huius typum habemus in Samsone, *Iudic.* 16 qui quamdiu Nazaræorum ritu comam nutriebat, fortissimus & inuictus terrorque hostium erat; ast vbi fraude Dalilæ rasum illi caput est, viresque simul ademptæ, tunc ingenti furiâ irruerunt in eum Philisthæi, ac

1. Primò eruerunt oculos eius, *quia* nimirum, vt ait Hieronymus in Ezechiel. cap. 28. *visu malè fuerat abusus.* Viderat enim mulieres alienigenas easque adamârat, *Iudic.* 14. *&* 16. Hinc pro breuissima illâ delectatione perpetuæ illi tenebræ ex oculorum euulsione. Atque hic est primus tartareæ metamorphoseos gradus, tenebræ inquam densissimæ, seu vt vocat Dominus, *exteriores*, in quas incidunt damnati postquam vitâ orbati & in dæmonum potestatem traditi sunt, quia hîc amârunt tenebras mentis internas & opera tenebrarum: rursum quia oculorum lumine ad praua sua desideria pessimè sunt abusi.

2. Secundò, Abduxerunt eum (Hebr. & Septuag. vertunt: *descendere fecerunt*) in Gazam, ciuitatem Philisthinorum fortem (vti sonat vocabulum Gaza) celeberrimam omniumque remotissimam, tum quia vrbs erat munitissima, tum quia Samson eam priùs magno dedecore affecerat, tollendo & asportando eius portas. Pari modo reprobati abducuntur & descendunt in dæmonum metropolim, infernum, à cœlo & Deo remotissimam, vtpote in centro terræ sitam, eamque munitissimam. Quanta enim valla, quantæ lapidum congeries, quanti montes eam cingunt? Hinc certè ad Epulonem ibidem vstulatum dixit Abraham: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, &c.* Luc. 16.

3. Tertiò, Vinxerunt eum catenis æreis vel chalybeis (vt Hebræus addit) clausum in carcere. Contingit & hoc damnatis, dum certo & angusto gehennæ loco fortissimis affiguntur vinculis, ita vt loca locis permutare nequeant, sed ergastulis suis inclusi, quò ceciderunt, ibi manere debeant: quæ inter alias acerbissima etiam pœna est.

Quartò, Clausum in carcere molere fecerunt: quo laborum genere perditi & pauperrimi quique vexabantur, qui ob flagitia vel debita in id ergastulum compacti asinorum instar circumagere molam cogebantur capillo semiraso, veste lacerâ, collo & pedibus annulatis, fronte cauteriatâ, ita vt miserrimus horum aspectus esset, qualis nunc est Christianorum, qui similibus oneribus vexantur apud Turcas. Vnde vicem eius dolens Abulensis, ante quæst. 35. exclamat: *O nimis plangende vir, imò virorum Flos, qui omnes viribus superans, solâ prudentiâ caruisti & miserabilis mulierculæ pulchritudine tractus & fallacibus lachrymis deceptus, in extremam decidisti sortem, ita vt cunctorum, quos legerim, miserior factus, turpiter ab hostibus vtroque priuatus lumine in æternum totius populi Hebræorum opprobrium, ad molam asinariā molere cogaris!* Sed nihil illud est respectu illius molæ, quam in tartaro circumagere cogũtur vincti reprobi. Quis enim ibi numeret eorum verbera & vibices? quis cauteria? quis tam peritus Arithmeticus qui numeret circuitus & circumactiones damnatæ illius mole per omnem æternitatem? sanè quoniam ira Dei in Inferos perpetuò desæuiet, rota illa maledicta æternum gyranda erit? quod expẽdens Dauid *Psal.* 76. dixit: *Vox tonitrui tui in rotâ?* q. d. perpetuò tonabit in eos, qui rotam æternitatis quasi saxum Sisyphi volvent in æternum. Illa vox tonitrui diuini scutica & flagellum erit, propellens miseros illos ad rotam æternitatis perpetuò vertendam. 4.

Quintò, Exceperunt eum ingenti plausu, summo cum eius dedecore; non enim satis habuerunt, ipsum exoculatum ducere in Gazam, vbi priùs incautè viderat & amârat mulierculas, vt ibi ei illuderent: Verùm etiam ipsius causâ instituerunt sacrificia & conuiuia. Quis hîc explicet ruborem magni illius Herois? Qui enim dum adduceretur vinctus, populi hostilis concursus? quæ congratulationes? quæ in ipsum probra? quæ in eius crimen sannæ? qui in eius amores ioci? quæ in eius gentem & Deum conuitia? Et forsan per eamdem portam, quam paulò antè conuulserat, in Gazam induxerunt, vt ei insultarent monendo, vt si vir esset, portas iterum nunc auelleret. Forsan ante meretricis ædes, quam improuidus illic viderat, cum eo prætererunt vt illi subsannabundi hæc occinerent: Et amicæ tuæ domus Samson: en pre foribus stat amica tua; tibi adornata: Vide eam, si placet. Quàm belli eius ocelli? quàm renidens facies? quàm rubicundæ genæ? Quid oculos nunc claudis? quid faciem auertis? quanto consultius auertisses, cùm oculos haberes? Nunc autem, velis nolis videre eam nequis. Hæc & his similia probra admodum credibile est in eum coniectasse Philisthæos. Porrò his simillima & longè atrociora detonare in damnatos, nullum esse dubium potest. Quanti ibi dæmonum plausus? quanti sibili? quanti cachinni? quanti insultus? maximè si quis damnatorum sanctus aliquando fuit & cladem inferis intulit? quã illis obiectabunt meretricios amores? quàm insul- 5.

tabunt

tabunt alijs sceleribus si qui olim in Ecclesia magni æstimati fuerunt? *Haccine est*, dicent cum Sophoniâ cap. 2. *Ciuitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum & extra me non est alius? quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? omnis qui transit per eam sibilabit & mouebit manum suam* q. d. obstupescet & mirabitur, ob tam infaustam metamorphosin eorum, qui quondam in mundo summi, apud Inferos facti sunt imi. Vultin exemplũ Auditores? B. Petrus Damiani Episcopus & Card. Ostiensis in Ep. ad fratres Eremi (apud Baron. Anno 1054.) narrat de Benedicto nono sui temporis Pontifice, primùm papâ, deinde Antipapâ damnato: *Vacluis quidam*, inquit, *dum iter ageret, accidit vt iuxta molendinum equo insidens pertransiret: & ecce repente monstrum immane conspexit. Quo viso, subito eum terror inuasit, & stupefactus intremuit. Videbatur autem monstrum illud in aures aselli caudamq́; desinere, cætera vrsus erat. Cumq́; mater, ad hoc portentũ territus obrigesceret, fugamq́; præcipitem formidolosus iniret: informe prodigiũ humanæ vocis verba formauit. Noli*, inquit, *ô vis expauescere; hominem me olim fuisse, sicut & ipse nunc es, procul dubio crede, sed bestialiter vixi, post finẽ vitæ, bestiæ præferre speciem merui. Porro cùm ille perquireret, quis fuisset: Ego ait, solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicæ sedis apicem indignus obtinui. Inquisitus autem quidnam retributionis haberet: Nunc*, inquit, *vsque ad diem iudicij, per dumosa atque squallentia perq́; sulphurea loca, & fœtorẽ exhalantia, atque incendijs conflagrata rapior & pertrahor. Post extremũ vero iudicium, corpus meum simul & animam irremediabilis cruciatus, & gehẽnalis barathri irreuocabilis olla deglutiet, ita vt nulla mihi recuperationis spes in posterũ restet. Post hæc vero & huiusmodi verba disparuit.* Qualis hæc transfiguratio? De Pontifice in tale monstrum?

E. IV. E miseriis huius vitæ in cœlestem gloriam.

1. QVARTA demum eaque vltima transfiguratio est, de miserijs & calamitatibus huius sæculi ad cœlestem gloriam omnium felicissima; quam mutationem exspectant soli iusti, iuxta id Apostoli 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Eius porrò typum exhibuit nobis Christus in suâ transfiguratione. In eâ primo resplenduit eius facies sicut Sol, designans visionem beatificam, quâ beati solo Dei aspectu ita recreabuntur & satiabuntur, vt hoc vno beati sint futuri & habituri omnia quæcumque desiderare possunt.
2. Secundò, vestimenta eius nitidissima plusquam niuei candoris erant: quibus animæ & corpo-
3. ris dotes in beatis denotantur. Tertiò, intonuit vox patris: *Hic est filius meus dilectus*, &c. repræsentans in beatis delectamenta sensuum,
4. aurium, oculorum, gustus, &c. Quartò, Aderant ei Moyses & Elias *visi in maiestate*; ita erit in cœlo Societas beatorum, ingens, varia, dul-
5. cissima, splendidissima, iucundissima. Quintò, aderat nubes lucida & obumbrans, repræsentans cœlum empyreum, lucidissimum, serenissimum, securissimum, ornatissimum. Itaque electi, in die resurrectionis maximè, transfigurabuntur vnà cum Christo, dum è tenebris ad conspectum lucis æternæ, Dei scilicet, transibunt; pro squalore miseri & mortalis corporis glorificatum, hoc est, splendidum, subtile, agile, immortale accipient: pro doloribus & ærumnis omnium oblectamenta sensuum percipient: de reproborum & persecutorum societate ad amabilissimum beatorũ consortium gradum facient; denique è mundi huius exilio & lachrymarum valle ad amœnissima cœlorum habitacula migrabunt; quæ omnia alibi fusiùs explicauimus. Nunc sufficiet nobis audire, quâ ratione beatam illam regionem descripserit matri S. Astionis Martyris & Monachi adhuc gentili Vigilantius (in vita Epicteti presbyteri & Astionis (*Cum enim diceret mater: Quæ dicitur regio illa, quo perrexit dulcissimus meus & vnicus Astion? Vigilantius respondit: Regio robustorum, seu fortium virorum. Et mater: sunt aliqui homines ibidem commorantes? Vigilantius respondit: Plures & valdè nobiles habentur, quorum possessio paradisus dicitur, quorũ tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, & conuersatio immortalis existit: quorum vestes sanguine sunt respersæ, & in capite corona ex auro purissimo cũ gemmis varijs fabricata habẽtur. Sed & Rex nimium potentissimus, ac metuendus est in eadem regione, cuius nomen Deus deorum, & Dominus dominantium appellatur: cuius nuntij angeli dicuntur militiæ, quorum vestis vna est omnibus, & tactus eorũ igni assimilatur vrenti. Sed & Senatus huius Imperatoris valdè clarus habetur: & media pars Prophetæ nuncupatur, alij vero Apostoli pronuntiantur.* Deinde ipsam ciuitatem ita describit: *Sed & ciuitas istius regis valde est præclara, nomẽq́; eius Christicolis pronuntiatur, cuius murus ex auro purissimo est constructus, habens portas duodecim & in ipsis singula dependẽt margaritæ, atque singuli ex senatoribus per singulas sedent indesinenter. Et prima quidem porta dicitur Petri, secũda Pauli, tertia Andreæ, quarta Ioãnis, quinta Iacobi, sexta Philippi, septima, Bartholomæi, octaua Thomæ, nona Matthæi, decima Thadæi, vndecima Simonis, duodecima Matthiæ.* Denique eius templũ & sancta sanctorum ita depingit: *Sed & templũ mirificum est in eâ, habens sancta sanctorum & altare aureum, ante cuius conspectum vir quidam astat mirificus tenens decem chordarum psalterium, ac iugiter ibi degentes ad laudem regis illius cohortatur dicens: Laudate Dominum de cælis, laudate eum omnes Angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius. Huius itaque nomen, David filius Iesse pronuntiatur. Sed & platea huius ciuitatis ex auro purissimo sunt strata: cuius fluuius vitam æternam emanat, cuius pomifera per singulos menses reddunt fructus suos, & folia eorum ad medicamẽtum procedunt animarum: cuius lumen inenarrabile est, & portæ nunquam clauduntur, eo quod nunquam ibi nox erit, nec vlla tenebra habentur: sed semper gaudium & perpetua lætitia ibidem iugiter commoratur.* Ad hanc transfigurationem perducere nos dignetur, qui hodie transfiguratus est, Christus Iesus. Amen.

CONCIO VII.

Fontes 5. vnde promanant Gaudia beatorum.

Primus est locus cœli empyrei.	aurium.
2. Societas beatorum.	4. Corporis dotes, Claritas, agilitas, subtilitas, impassibilitas.
3. Oblectamenta sensuũ, maximè oculorum &	5. Beatifica Dei visio.

THEMA.

Duxit eos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

A. PRomiserat Deus in lege veteri Iudæis terram lacte & melle manantẽ si de Ægypto exire & per deserti asperitatem ad illam peregrinari vellent. Cæterùm quia populum in deserto valde impatientem ob morã in deserto, imò & incredulum vidit, idcircò vt eum animaret ad cœptum iter prosequendum, iussit mitti ex eo viros qui explorarent terram promissam, opes & vbertatem illius. Qui exploratã terrã post quadraginta dies, attulerunt secum botrum vnum, quem portârunt in vecte duo viri: nec non de malogranatis & ficubus. Idipsum egit nobiscum Deus, qui promisit nobis cœlum si per patientiam, & pœnitentiam eò contendamus; sed ne diffideremus de factã nobis cœli promissione, assumpsit secum in montem tres primarios suos discipulos (vt in ore trium staret omne verbum) nomine omnium, & ostendit eis, obiter licet & rudibus delineamentis, gloriam suam cœlestiumque bonorum affluentiam: ex quibus tamen delineamentis ad perfectam gloriæ cœlestis cognitionem facilè ascendere poterant. Vnde S. Petrus de hac visione, testis oculatus & præsens, ait: *Nõ indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis, &c.* 2. Petr. 1. Similiter S. Ioannes item vnus ex speculatoribus illis: *Et vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Ex illorum ore acceperunt & tradiderunt nobis Euangelistæ reliqui, Matthæus, Marcus, Lucas. Attulere autem nobis botrum illum, de quo *Cantic.* 1. dicitur: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Botrum, inquam, suauissimum, fulgentem facie, nitentem vestibus. Quem gestauere quodammodo & suo testimonio approbauêre Moyses & Elias. Malogranata, id est, societatem Sanctorum, coronatam & copiosam, (nam malogranatum populositatis typus, ob multitudinem granorum) designatam per Moysen & Eliam cum Christo conuersantes. Ficus item, id est, suauitatem illam, quæ ex sensuum oblectamentis & cœli amœnitate capitur, designatam per vocem Patris auditam, & nubis luciditatem. Quæ omnia licet rudis tantùm cœlestium bonorum delineatio essent, adeò tamen inebriârunt voluptatibus Apostolos, vt Petrus quasi extra se raptus diceret: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, &c.* Nemo igitur iam dicat: Quis ostendet nobis bona? quis ascendit in cœlum? quis inde ad nos descendit & bona cœli ostendit? Habemus exploratores illius terræ Apostolos. Quid verò illa quæ viderunt, nobis designent, clariùs videamus; Sunt autem quinque fontes, è quibus in beatos emanat cœlestium bonorum dulcedo.

B. FONS PRIMVS est, Locus cœli empyrei, quem repræsentat nubes lucida, & obumbrans, quæ circumdabat Christum & qui cum eo erant; crebrò enim in sacris literis, nubes pro cœlo accipiuntur. Porro nubes illa, Primò circumdedit & texit vndique Christum, Prophetas & Apostolos, ita videlicet vt ab extra videri non possent. Ita locus beatitudinis securissimus est ab omni hostili incursu, quia ambit, claudit, protegit, imò ab omnium oculis abdit sanctos, vt nihil quod timeant, in omnem æternitatem, habeant: Ad hunc modum nubes illa quæ præcedebat Israëlitas ad mare rubrum insequente eos Pharaone retrocessit & media inter Israëlitas præcedentes & Ægyptios sequentes, illos complexa est & suo interuentu abscondit ab Æyptijs vt hi neque cernere neque accedere Hebræos possent. Iam verò si felix æstimatur illa arx, ciuitas, vel natio, quæ situ loci adeò munita est, vt nullum omnino hostem metuat: quam fœlices erunt beati, cùm ab omni hostium incursu videbuntse remotissimos atque securissimos? Quam illudẽt ibi dæmonibus cæterisque hostibus suis, à quibus in terris agitati fuêre, cùm videbunt eos sub pedibus suis iacere? Tunc implebitur id Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* Et licet dæmones & damnati plurima blasphemiarum iacula in cœlum & omnes cœlites ex inferno eiaculaturi sint: ea tamen in ipsorummet capita recident & maiorem eis afferent pœnam, cœlitibus nihil nocebunt, sed gaudium cumulabunt.

I. Locus, Cœlum Empyreum. 1.

Secũdò, Fuit nubes lucida, vt ait Matthæus. Tale etiam cœlum empyreum, clarissimum videlicet, nullis tenebris, nulli nocti obnoxium: quia Deus ipse, qui nunquam occidit, nunquam eclipsatur, Sol illius est. De hoc enim *Apoc.* 21. ait Ioannes, cui ostensum fuit: *Et ciuitas non eget Sole neque Luna vt luceant in eâ: nam claritas Dei illuminauit eam & lucerna eius est Agnus*, id est, Christus. Quemadmodum enim nubes à Sole illuminantur & lucem mutuantur, vti dubio procul etiam illa nubes in monte Tabor à Christi rutilantissimã facie resplendente Solis instar, lucem & splendorem suum accepit: ita etiam cœlum empyreum ab eâdem totum illuminatur semper & lucidissimum efficitur. 2.

Tertiò, Fuit nubes obumbrans eos, vt ait Marcus, ne videlicet à nimio splendore faciei Christi, micantis instar Solis, offenderentur intuentium oculi. Ita etiam locus beatitudinis temperatissimus est, ab omni tempestatum iniuriâ & molestiâ remotissimus: ibi nullus æstus, nullum 3.

nullum frigus, non pluuia, non turbo, non aër pestilens, non tonitrua, non fulmina, non terræ motus, nec vmbra quidem mortis, aut vllius maledictionis. Vt enim nos ab æstu locus ille cœli ciues. Et de hoc dixit Isaias, cap. 4. *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu & in securitatem & absconsionem à turbine & pluuiâ.* Id etiam indicatum in eo, quod transfigurationem suam Christus in monte excelso seorsum fieri voluit: montes enim excelsissimi (vt in Olympo compertum scribit Solinus, in cuius vertice ara est, cuius altaribus si qua inferuntur, nec difflantur ventosis spiritibus, nec pluuijs diluuntur: literæ in cinerem scriptæ toto anno permanent) non sunt obnoxij tempestatibus.

Quartò, Fuit haud dubiè nubes pulcherrima & suauissimis variegata coloribus. Si enim Sol in nube densiori sibi opposita pulcherrimam sui repræsentat imaginem, Iridem videlicet varijs depictam coloribus, de quo Ecclesiasticus, cap. 43. ait, *Vide arcum & benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo.* Quid ni etiam censebimus nubi illi pulcherrimam à facie Christi, Solis instar fulgente, impressam fuisse Iridem? Talis autem & locus beatitudinis, serenissimus, amœnissimus, pulcherrimus omnis generis delicias vndique repræsentans, quia in eum radios diuinitatis suæ mittit Deus, qui cœli verus Sol est. Vnde *Apocal.* 4. Vidit Ioannes Iridē in circuitu sedis Dei. Quare si pulchritudine alicuius palatij vel horti regij, vel augusti templi ita afficimur, vt quasi extra orbem constitutos nos opinemur: Quid erit intueri cœleste illud tabernaculum? Sed dicet mihi aliquis. Quis tibi ista dixit? Dixit sacra Scriptura, & in eâ Primo Dauid Psalm. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Secundò, Baruch. cap. 3. *O Israël quàm magna est domus Domini & ingens locus possessionis eius?* Tertiò, ipse Dominus Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Si enim regnū est, si à Deo iustis paratum, si à constitutione mundi paratum, si traditur possidendum: an non erit regnum id munitissimum, splendidissimum, pacatissimum, amœnissimum? Denique oculatus testis Ioannes Apost. *Apoc.* 21. ait: *Erat structura muri eius ex lapide Iaspide: ipsa verò ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo.* Et dixere sancti Patres, qui certatim ostendunt locum illum præfiguratum fuisse inter cætera per terrā illam promissionis lacte & melle manantem, fertilissimam, amœnissimam, inuictissimam, &c.

C. II. Societas beatorum. SECVNDVS, Est societas Sanctorum, quam repræsentare voluit nobis Dominus, cùm Moysen & Eliam optimos suos amicos coram tribus discipulis, quos secum assumpserat, vocare ad se voluit & cum illis familiariter colloqui: qui vt meliùs repræsentarent beatorum cætum, *visi sunt in maiestate*, ait Lucas. Adest igitur caput beatorum hominum & Angelorum Christus velut Imperator omnium: adest Virginum & Euangelistarum nomine S. Ioannes: Martyrum & Confessorum nomine S. Iacobus: Apostolorum & Episcoporum nomine S. Petrus: Prophetarum & Doctorum nomine S. Elias: Legislatorum & omnium coniugatorum nomine S. Moyses: nullus hominum beatorum status desideratur: ac proinde in hoc conuentu fuit quidquid in aliqua societate desiderari potest.

Primò, fuit multitudo, quia omnes beati repræsentantur in sex illis personis, vti & omnes creaturæ in 6. diebus conditæ (repræsentabant enim mortuos Moyses, viuentes Apostoli, victuros Elias, qui venturus est.) De angelorum multitudine ait Daniel cap. 7. *millia millium ministrabant ei & decies centena millia assistebāt ei.* De hominū verò S. Ioannes. Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Qui omnes se inuicem nouerunt & tam familiariter vnà cōuersantur atque 12. fratres in eâdem domo; Adhæc sunt omnes innocentes, omnes sapientes, omnes nobiles, discreti, omnibus præditi virtutibus, affabiles, formosi, hilares, sani, omnes eadem statura: Omnes lilia sine spinis, grana sine paleâ, triticum sine zizanijs, quia iam dudum in arcâ fuerunt perpurgata. Denique beati omnes Reges sunt, ideò visi in maiestate, Moyses & Elias. Iā si in terris magna delectatio est agere cum viro innocente, sapiente, literato, experto, qui longinquas vidit terras, affabili, potentē, &c. si delectabile est videre personas regias, splendidè vestitas, formâ insignes, pompâ spectabiles, & habere eas familiares ac notas: quid erit habere tot millia sanctorum multò quoad omnia præstantiorum, in perpetuā conuersatione & aspectu? Bonæ fuerunt omnes creaturæ, & bonas pronuntiauit Deus, cùm singulas spectauit: sed vbi omnes simul vidit, erant valde bonæ, *Gen.* 1. Id quòd etiam de beatorum multitudine dici potest. 1I

Secundò, adfuit varietas, Moyses, Dux, Legislator, coniugatus: Elias Propheta & prædicator: Petrus Apostolorum & Episcoporum Princeps: Iacobus Apostolus & Martyr: Ioannes Euangelista & Virgo. Ita inter cœli ciues pulcherrima est varietas, Primò sexuum; alij viri, aliæ fœminæ, alij neutri, angeli, in quibus 3. Hierarchiæ, in qualibet tres Chori. Secundò nationum ex omnibus *tribubus, linguis, nationibus, populis*, vt ait Ioannes, qui tamen omnes se mutuò intelligent, secum omnibus linguis loqui poterunt. Tertiò statuum, alij Patriarchæ, alij Prophetæ, Apostoli, Martyres, Episcopi, Prælati, Doctores, Monachi, Eremitæ, Virgines, Viduæ, Coniugati. Quartò diuersitas meritorum in quouis ordine; sicut enim stella differt à stella in claritate, & alia claritas est Solis, alia Lunæ, alia stellarum reliquarum, multis adnuc differentijs distincta: Ita & beatorum coronæ. Iam si veritas stellarum in cœlo, varietas florum in prato, varietas arborum in horto, auium in auiario, bestiarum in syluis, varietas nationum in terrâ, varietas pennarum in pauone, varietas piscium in mari, vel depicta tantùm in libris aut tabulis adeò nos recreat 2I

* Conc. Tabu Pars Hyemalis.

recreat

recreat: quid erit videre varietatem tantam beatorũ eiusum, si desiderabile est spectare integrum exercitum, qui tamen pluribus defectibus plenus est; quid erit videre choros castrorum Dei?

3. Tertiò, adfuit concordia, suauis conuersatio, colloquium & vnio animorum: vt ex eo patet, quod cùm videret Petrus Moysen & Eliam iterum discedere & Christo valedicere velle, dixerit mox? *Praceptor bonũ est nos hîc esse, & faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnũ, Moysi vnum, & Eliæ vnum*, q.d. bonum est nos hîc simul commorari, idcircò ne patiaris à nobis discedere Moysen & Eliam; vt exponit ibi Barradius, & ex Luca intelligi potest. Repræsentat igitur hæc concordia & animorum consensio vnionem electorum, quâ intimè sibi omnes iuncti sunt, omnes idem volunt & nolunt, nullus alteri contradicit: tum quia vnam & eamdem omnes habent & obseruant regulam, Dei voluntatem cui contraire non possunt ampliùs: tum quia omnium idẽ Deus creator & redemptor, communis habitatio, victus, &c. Vnde S. Augustinus in Psam. vlt. *Laudate Dominum in Sanctis eius*, ait Sanctos ipsosmet esse tubã, psalterium, cytharam, tympanum & chorum, chordas, organum & cymbala benesonantia, quibus ibi dicuntur laudare DEVM. Ipsi siquidem etsi diuersa sunt instrumenta & diuersos reddunt sonos & tonorum differentias quemadmodum in Musica: omnes tamen aptissimè consonant & hâc differentiarum consonantia Deum suauissimè laudant. De quibus etiam Dauid ait: *Lauda Ierusalem Dominum*, Ierusalem enim visio pacis exponitur.

4. Quartò, adfuit communicatio gaudij & bonorum omnium; siquidem Christus communicauit suam gloriam & gaudium reliquis qui aderant. Petrus etiam exultat non de suo tantùm, sed etiam de sociorum bono, cùm ait: *Bonum est nos hic esse*; non dixit: me: sed *nos*. Imò videtur plus fauisse & optasse illis, quàm sibiipsi; siquidẽ Christo, Moysi & Eliæ voluit ædificare tabernacula, suiipsius oblitus non curans vbi ipse habitaret. Quæ res apertè ostendit dilectionem mutuam beatorum, ex quâ fit vt omnium gaudia omnibus sint communia. DEVM enim & CHRISTVM primò multò magis diligunt, quàm seipsos, vnde de eius gloria longè plus gaudent, quàm de propria. De concitium verò gloria gaudent vt de propria, quia diligunt eos ut seipsos. Nônne si pater videret in cœlo filios suos beatos, vel etiam in terris fieri Episcopos aut Principes, maximoperè gauderet? Refert Gellius *l. 3. noct. Att.* & M. Tullius *lib. 1. Tuscul. quæst.* Diagoram Rhodium, cùm tres filios Athletas eodem die vincere & victores coronari vidisset, populusque gratulabundus flores vndique in eum iaceret, in stadio, spectante populo, in oculis & manibus filiorum animam efflasse præ lætitia. At multò maior beatorum in celo vnio, quàm patris & filiorum in terrâ: si enim dum in terris degerent, erat eis anima vna & cor vnum, quanto magis erit in cœlo?

D. III. Oblectamenta sensuum. TERTIVS Fons est, oblectatio sensuum (post resurrectionem videlicet) nec huius indicium tacetur in transfiguratione, maximè oculorum & aurium tanquam præcipuorum sensuum, qui in cœlo recreabuntur. Oculorum gaudium repræsentatur. Oculorũ.

1. Primò in eo quòd viderunt Apostoli Christum gloriosum, facie splendentem, vestibus nitentem; sic enim imprimis recreabuntur oculi in cælo, Christi gloriam aspiciendo, quæ multò maior erit, quàm in transfiguratione fuerit; & in beatos redundabit, quo modo gloria Pontificis aut Episcopi redundat in eius affines, ita vt in aula ab omnibus honorentur etiã nobilioribus. Sic enim & in aulâ Pharaonis celebri sermone vulgatum est: *Venerunt fratres Ioseph & gauisus est Pharao atque omnis familia eius*: quibus etiam promisit Rex & dedit omnia bona Ægypti vt comederent medullam terræ. *Gen. 45*. Atque ex hoc capite maximè fiet beati ab ipsis sanctis Angelis & in hoc fundatur maximè amicitia inter angelos & beatos.

2. Secundò in eo quod viderunt gloriam Moysis & Eliæ; sic enim beati videbunt gloriam matris Dei & omnium corporum beatorum: singula coronis singulis pro ratione diuersorum meritorum coronata, & iuxta S. Augustini sententiam *de ciuitat. cap. 22.* in Martyribus radiantia illa membra, quæ propter Christum hic supplicijs afflicta fuêre, singulari decore. Quod si tantus fit hominum concursus, ad locum comitiorum, tantummodo vt Imperatorem & Principes Imperij, eorum apparatus, pompas, satellitia & dignitates videant; quale erit spectaculum, omnem illam beatarum mentium innumerabilem multitudinem vnico aspectu cernere? quid erit videre in cœlo tot Reges gloriosos & in maiestate apparentes, multo ampliùs, quàm hic visi sint Moyses & Elias?

3. Tertiò in eo, quòd etiam in seipsis viderunt Christi gloriam resplendere per communicationem: sic enim & beati propriam contuendo gloriam & fulgorem glorificati corporis, mirè recreabuntur; *quia iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum* Matth. 13. O pauones, è formosuli qui toties in speculo vos contemplamini; cur non aspiratis ad illam terram vbi vos perpetuò contemplari potestis, supra solem radiantes? Denique in eo, quod viderunt nubem lucidam; sic enim beatorum oculi mirabiliter afficientur & quodammodo extra se rapientur, cùm videbunt cœli amœnitatem, quã Tobias *cap. 13.* & Ioannes *Apoc 21.* minimè satis explicare, nemo denique sanctorum hic comprehendere poterat; cùm videbunt cœlum nouum & terram nouam, quàm Scripturæ nobis promittunt. *Isaia. 56. 2. Pet. 3. Apoc. 21.*

Aurium. 2. Secundò, Aurium gaudium repræsentatur in *voce de cælo delapsa à magnifica gloria; Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.* Cùm enim hac voce acceperit Christus à Deo patre *honorem & gloriam*, vt ait S. Petrus *2. Pet. 1.* Et præterea hac voce Deus *adoptionẽ filiorũ mira-*

mirabiliter præsignârit, vt ait Ecclesia in oratione illius Festi: quomodo potuerunt Apostoli hac voce non maximoperè recreari? Quid enim suauius illis esse poterat, quàm Dominum & Magistrum suum commendari tam honorificè & tã mirabiliter ab ipso Deo patre;& per hunc sibi quoque offerri adoptionem filiorũ Dei?Licet enim hac voce auditâ timuerint Apostoli & ceciderint in faciem;non tamen erat hic timor nisi filialis & reuerentialis. Sic enim etiam 24. Seniores procidebant ante thronum Dei cùm 4. animalia darent Deo laudem *Apoc.* 4. Et regina Esther videns gloriã Domini Regis sui, corruit ante ipsum *Esth.* 15. Timebant fortè Apostoli, quòd eousque non sicut decebat Magistrum suum coluissent & suspexissent, quem tunc audiebant à Deo patre tam honorificè prædicari. Suauissimæ igitur huius vocis auditio, indicat aurium gaudium quod habituri sunt beati, cùm audient voces angelorum & omnium beatorum Deum collaudantium, Christi laudes decantantium seu canticũ Agni, & vt in Apoc. scribitur cap. 19. & *Tob.* 13. dicentium *Alleluia*: quæ laus tanto suauior & nobilior erit, quantò sunt ipsi cantores doctiores & nobiliores, & qui laudatur sublimior, & audientium cœtus intelligentior ac frequentior.

2. Secundò repræsentatur aliud aurium gaudiũ, in eo quòd audierunt Apostoli Christum, Mosen & Eliam colloquentes & dicentes excessum Christi complendum in Ierusalem. Hoc enim significat beatos sibi mutuo in cœlo narraturos excessus, id est, actiones & passiones suas, vitæ ingressum, progressum & egressum & quæcumque illis memorabilia contigere, quod haud dubiè auditu erit iucundissimũ. Si enim magnâ auiditate audimus eos, qui maria nauigando longinquas peragrarunt terras, narrantes sua pericula, nationum mores, &c. quanto iucundius erit audire sanctorum per hoc magnum mare nauigationes, naufragia, emersiones, &c? Et si iucundum est legere eorum vitas; quanto iucundius audire ab ipsis omnia?

De cæterorum sensuum gaudijs, in transfiguratione nullum habemus indicium, quemadmodum & alibi Scriptura parum aut nihil nobis de illis aperuit. Habebunt tamen & illi suas voluptates.

E. IV. Corporũ dotes. QVARTVS Est corporum glorificatio, quam repræsentat candor vestium Christi: quasi niuis; siquidem Christi vestimentum, eius carnem designat in sacris litteris, vt Isai. 63. *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Fuit hoc Christi vestimentũ rubrum in passione, quemadmodum & eius tunica materialis, quam gestare solebat, sanguinei coloris vt apparet in eius imaginibus à S. Lucâ (testante Nicephoro l. 15. *cap.* 14.) depictis; & in ipsa veste Treuiris asseruatâ; vt testatur Costerus Conc. in hac Dom. Et sicut materialis Christi vestis hodie cãdore induit, ita mystica eius in passione purpura, candorem & decorem induit in gloriâ; Nec verò Christi tantùm glorificationem repræsentauit hic candor vestium, sed omnium beatorum corporum, quia non suam tantùm gloriam ostendere voluit, sed etiam filiorum Dei adoptionem; quam in cœlo sunt habituri. Et propterea gloria corporis Christi affecit & illustrauit etiam vestes, id indicandũ quod etiam Sancti in cœlo, per & propter ipsum, fulgebunt, qui etiam mysticum illius vestimentum sunt, vt dicitur Isaiæ 49. *Omnibus his veluti ornamento vestieris.* Et Psalm 67. *Niue dealbabuntur in Selmon.* Aptè verò comparata est ea corporum gloria niui, quia vt nix fit è vapore humido & nobiliorem induit naturam: ita corpora Sanctorum in resurrectione. Adhæc quatuor corporum glorificatorum dotes niue repræsentantur. Quid enim nitidius niue? & quid fulgidius corpore beato, quod teste Domino, fulgebit vt Sol? *Matth.* 13. Quemadmodum viui hominis corpus pulchritudinis suæ decorem ab animæ mutuatur viuacitate (sine qua mortuum & deforme est) & vt vitrum laternæ illustratur à lumine incluso: ita & anima per inhabitantem in se diuinitatem glorificata corpus quoque reddit gloriosum. 1. *Claritas.* Iam si anima corporibus hominum tantam confert sæpe formam: vt homines eam deperéant: quid faciet diuinitatis radius inhabitans in beato?

Secundò. Quid leuius niue? Et quid agilius corpore beato? *Current & non laborabunt*, ait Isaias cap. 40. *ambulabunt & non deficient.* Et Sap. 3. *Tamquam scintillæ in arundineto discurrent*: quemadmodum & nix dum cadit, circumuolat in aëre. Quid autem delectabilius, quàm omnes montes, syluas, prata, vrbes, regiones, in momento, sine omni defatigatione posse percurrere? Nonnè aliquoties dicimus: O si auis essem, quàm omnia vellem peragrare, lustrare, audire, &c? Tales autem sunt beati, qui vbicumque volunt, statim esse possunt. Vnde Augustinus *l.* 22. *de Ciuit. cap.* 30. ait: *Vbicumque volet spiritus, ibi protinus erit corpus.* 2. *Agilitas*

Tertiò, Quid subtilius niue? Et quid subtilius corpore beato? potest enim clausis intrare ianuis vt in Christo patet: & Apostolo teste, *surget corpus spiritale* 1. Corinth. 15. Poterit ergo penetrare cœlos & quodcumque aliud corpus: non egebit cibo, potu, somno, & alijs corporis seruitutibus. Quanta hæc libertas? 3. *Subtilitas.*

Quartò, Nix etsi in valle citò liquescit, in altis tamen montibus durabilis est; & in Æthnâ monte prorsus inuincibilis etiam ab Æthnæ incendio, vt tradunt Strabo & Solinus apud Maiol. *Tomo* 1. *canic. collat.* 22. Et quid impatibilius corpore beato, quod sine omni doloris sensu sensibus vtetur, quod vulnerari, cruciari aut vri, ne inferni quidem ignibus potest, nedum morbis affici? In hac terræ valle liquescit quidem cito nix corporis nostri sed non ita in altissimo cœli monte, qui supra Solem est. Quorum omnium ratio est, quia sicut Ismaëli Deus benedixit propter Isaac, quia frater illius erat, licet ex ancillâ, eumque in gentem magnam fecit, vt *Genes.* 21. promittitur: ita & corpus Deus glorificat propter animã, cuius frater & in bonis operibus cooperator erat, licet 4. *Impassibilitas.*

minùs digno & seruili modo. Quatuor has glorificati corporis dotes indicauit Apostolus, *1. Corinth. 15.* cùm dixit: *Surget in gloriâ, surget in virtute, surget spirtuale, surget incorruptibile.*

P. V. Beatifica Dei visio. QVARTVS, Est beatifica Dei visio, quam repræsentat vultus Christi resplendens instar Solis. Facies enim Christi diuinitatem eius indicat quæ sola satiat omnium beatorum appetitum. Et hic Dei vultus figurabatur in illo Salomonis quem *desiderabat vniuersa terra. 3. Reg. 10.* In eius enim contemplatione consistit vera & essentialis beatitudo omnium electorum, quia per intellectum lumine gloriæ eleuatum & confortatum apprehenditur summum bonum, cuius apprehensio omnia affert bona, & acquietat desideria. Quod si Regina Saba, videns sapientiam & decorem Salomonis, præ stupore & admiratione viribus defecta est, *nec habebat vltra spiritum*; quid erit contemplari Deum? Et si illa beatos prædicauit seruos, *qui stant coram Salomone, semper & audiunt sapientiam eius*: quanto beatiores serui Dei, qui stant coram eo semper & vident eius arcana, perfectiones, attributa, &c?

Certè S. Petrus Christi vultum tantùm Solis instar radiantem contemplatus, quasi extra se raptus, & omnium mundi rerum oblitus exclamauit: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula: nesciens, quid diceret*, Quid, numquid musto plenus fuit? solo Christi vultu adeò inebriatus fuit, iuxta id Psalm. 29. *Latificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Et tamen vultus illius decor ad corporis tantùm gloriam pertinebat, diuinitatem eius reipsâ non repræsentabat. Quid si Petrus ipsam Deitatem vidisset oculo intellectus? quid dicturum fuisse putamus? Petrus ab eâ contemplatione abstrahi nolebat, sed ibi tabernacula figere & perpetuò manere: adeò rapuit eum vultus Christi; Et quid erit videre Deum, à cuius contemplatione ne vno quidem momento in omnem æternitatem abstrahi beati possunt? Qualis esset illa imago, à cuius intuitu videntes abstrahi nec minis, nec verberibus, nec vi, nec vstione possent? Talis autem est facies diuinitatis, quam dum beati vident, nihil prorsus sentirent, etiamsi in infernum proijcerentur, nec inde diuelli possent. Idcircò enim *Apoc. 7.* beati dicuntur esse *ante thronum Dei & seruire ei die ac nocte: non esurire nec sitire, &c.* Ratio est, quia cum in diuinitate lateant infinitæ perfectiones & infinita simulachra rerum omnium, tam quæ factæ fuêre quàm quæ fieri in infinitum possunt, intellectus in æternum habebit, quod in ipsa contempletur adeoque summum & infinitum bonum: cætera autem omnia finita sunt, & perinde ad si scintilla ignis in Oceanum inijciatur. Atque hi sunt fontes illi, quos sitiuit Dauid, dicens Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarû, ita desiderat anima mea ad te Deus, &c.* Et de his bibunt Sancti semper iuxta id Isai. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

Quoniam igitur cœlestium bonorum nobis promissorum delineationem vidimus: quid superest, nisi vt alacriter in virtute progradiamur, & pro illis laboremus? Vtinam nobis conueniat illa benedictio Isachar, Genes. 49. *Isachar asinus fortis, vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd esset optima: supposuit humerum ad portandum.* Alioquin nobis esset timendû, quod euenit Israëlitis, qui cùm adhuc Deo diffiderent post exploratam Palæsthinam terram, à Deo irato puniti sunt vt ex omni eorû numero non nisi duo ingrederentur terram illis promissam. Horum malo nos erudiamur & totis viribus conemur vt simul omnes mereamur ingredi terram illam: non desiderentur è nobis vel duo vel vnus, &c.

CONCIO VIII.

Quanti æstimandæ sint indulgentiæ in publicatione Iubilæi.

1. Colligitur hoc ex comparatione earum cum pœnitentia.
2. Ex comparatione cum operibus satisfactionis huius vitæ.
3. Ex comparatione cum Purgatorio.
4. Ex consideratione originis.

THEMA.

Domine bonum est nos hic esse. Matth. 17.

MAximo nostro solatio dixit Abacuc cap. 3. de Deo: *Cùm iratus fueris, misericordia recordaberis.* Id quod de facto experimur. Si enim huius temporis calamitates, armorû strepitus, bella & minantia nobis vndique pericula consideramus, magna nobis existit lamentandi causa. Hoc enim tempore verum esse videtur, id quod *Ier. 50.* scribitur: *Vox belli in terra; Aperuit Dominus thesaurum suum & protulit vasa iræ suæ.* Si tamen hodiernam Christi transfigurationem consideramus, magna nobis offertur iubilandi & exultandi causa; ibi enim aperuit nobis dominus & monstrauit thesaurum gloriæ suæ in monte Thabor, imò non suæ tantùm, sed etiam nostræ, quam in futuro expectamus. Huiusmodi etiam thesaurus est quoduis Iubilæum, & plenaria indulgentia, in quâ aperit nobis Dominus thesaurû gratiarum suarum, quibus facilè, suauiter & expeditè ad gloriam peruenire possumus. Vt meritò de eâ dicere queam, quod *Sap. 7.* dicitur: *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitia Dei, propter disciplinæ dona commendati.* Quòd si igitur hactenus contristati fuimus, ob thesaurû iræ diuinæ nobis demonstratum; habemus certè nunc quod caput erigamus & respiremus adeoque iubilemus, ob thesaurû gloriæ nobis hodie ostensum, & thesaurum gratiæ communicatum. Quia verò aliqui, thesauri huius magnitudinem capere non videntur, ea declaranda est. A

B. I. Colligitur ex comparatione eius cum pœnitentia. PRIMÒ, Huius thesauri magnitudo & excellentia patet ex ipsius cum pœnitentia comparatione: Indulgentia enim nihil aliud est, quàm dulcis quædam & delicata debiti remissio, qualis esse solet in patre respectu filiorum, quibus

quibus facilè condonat pater, etiam sine conditione onerosa. Duplex enim tribunal Christi distinguere possumus. Vnum misericordiæ, alterum Iustitiæ. Misericordiæ item duplex, vnum pœnitentiæ, in quo culpa remittitur, alterum indulgentiæ, in quo pœna. In priori agit Deus misericorditer quidem, non tamen sine processu iudiciali & pacto oneroso. In secundo merè liberaliter & indulgenter. Duplex similiter Iustitiæ tribunal in Christo, alterum damnationis, vbi culpa plectitur pœnâ æternâ; alterum satisfactionis, vbi post dimissam culpam pœna temporalis exsoluitur, siue in vitâ, siue in purgatorio. In misericordiæ tribunali, vbi culpa remittitur, iudicium aliquod exercetur, quia ibi est Iudex, reus, accusator, discussio causæ, confessio Rei, pœnæ iniũctio. Nihil simile fit in tribunali indulgentię, sed mera ibi remissio & liberalis condonatio. Ita enim Apostolus, 1. *Cor.* 11. pœnitentiæ tribunal iudicium vocat, dicens: *Probet autem seipsum homo.* Et mox: *Si nos ipsos diiudicaremus non vtique iudicaremur.* Indulgentiæ verò donationem, 2. Cor. 2. *Cui aliquid donastis, & ego*; loquens de incestuoso ad publicam pœnitentiam condemnato. Igitur culpam remittit Deus per pœnitentiam, sicut Dominus subdito debitum cum titulo oneroso & correptione aliquâ vt aliquid operæ præstet: Pœnam verò per indulgentiam, sicut pater filio purè & paternè. Hinc pœnitentia à Concil. Trident. *sess.* 14. & Patribus vocatur *laboriosus baptismus.* Sed dices quomodo non etiam Indulgentia laboriosa dicenda est, cùm non nisi certis conditionibus & interuenientibus operibus onerosis detur, vt confitentibus & communicantibus: Eleemosynam dantibus, ieiunantibus, processionem comitantibus? sed velim intelligas, hæc nihil esse respectu pœnarum tibi debitarum. Si cui mille deberes florenos, & is à te vnum tantùm exigeret pro solutione: num tu hanc solutionem vocares, nedum laboriosam? An non potiùs donum diceres? Audi quid faciat Ecclesię Antistes: Instar dispensatoris illius Euangelici. *Luc.* 16. Si tu mille debeas, dicit tibi iam: *Sede citò & scribe* 50. id est, dele omnia; siquidem numerus quinquagenarius annum Iubilæi quinquagesimum significat vt exponit ibi Salmeron. Fac solùm exiguam eleemosynam, quantam facilè potes: comitare processionem, saltem ad 40. vel 50. passus, fac vnam confessionem, ieiuna bis terúe; quæ omnia quis dicat esse onera respectu tantorum debitorum? Quemadmodum igitur antiquitus serui, cùm à dominis manumittebantur, bis terúe virgula paululum percutiebantur, vel festuca in eos iaciebatur, vt refert Alexander ab Alexandro *l.* 4. *cap.* 10. quasi per hanc leuem correptionem ab infinitis verberibus, quæ in futurum alioqui pati debuissent, si serui permansissent, liberarentur, ita vt hæc vindicta nihil censeri debeat: pari modò si operibus tam facilibus & suauibus nos per indulgentiam manumittat Christus, an nõ meritò dicemus, nos gratis manumissos donatamque nobis esse libertatem? Quid enim vnum alterumúe ieiunium? tam exigui passus? tam exilis eleemosyna? An non festucæ iactus sunt, & virgulæ ictus? Nónne plus pecuniæ sæpius ludo perdis? nónne lucri causâ sæpe plus itineris impransus & incœnatus conficis?

SECVNDÒ, Magnitudo huius thesauri patet ex comparatione eius cum operibus satisfactionis, quæ in vita facienda sunt. Nam etsi satisfactio, quam hîc exigit Deus, multò leuior & suauior est, eâ, quæ fit in purgatorio: metuenda tamen est; quod inde primùm patet, quia olim Deus peccata etiam non grauissima grauissimis plexit pœnis. Ob peccatum Idololatriæ circa vitulum, licet placatus fuisset priùs Dominus, *ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum*, vt dicitur Exod. 31. tamen nihilominus per Moysen trigima millia hominum occidi iussit. Maria soror Moysis ob murmur contra fratrem, post dimissam culpam, septem dierum leprâ punitur. *Num.* 12. Dauid ob vnum adulterium plurimis flagellis castigatur: morte infantis, incestu filiæ, cæde filij Amnonis, persecutione & cæde Absalonis. Similiter ob peccatum numerationis populi, punitur peste, qua perierunt 70000. hominum. 2. *Reg.* 24. In nouo testamento Zacharias quòd Angelo non credidisset, sermone priuatus est, *Luc.* 1.

C. II. Ex comparatione cum operibus satisfactionis huius vitæ.

1.

2. Secundò, Id ex eo patet, quòd olim pij Christiani, grauissimas de seipsis sumpserunt pœnas, quando deliquerunt: Incluserunt se ergastulis, conficiebant se fame, frigore, nuditate; macerabant se vigilijs, verberibus, cilicijs: vti Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, Thais, Anachoretæ, Stylitæ, Ascetæ, qui crudelissimis tormentis seipsos diuexabant in loco, quem carcerem pœnitentium appellabant, teste Climacho *gradu* 5. qui inter alia hæc scribit: *Cùm peruenissem, inquit, ad pœnitentium monasterium, imò verò ad religionem fugientium, vidi reuerà res & verba, quæ Deo vim inferre possũt: quosdam ex reis illis vidi noctibus totis vsque sub dio stare peruigiles, pedesque immobiles tenere, contra somnum vim naturæ inferre, nullam sibiipsis requiem indulgere, sed seipsos increpare. Alios in oratione reorum more vinctis post terga manibus humi luridas facies suas inclinantes, indignos sequi cœlum aspicere, non vociferantes, nihil petentes, sed tacitam mutamque Deo mentem offerentes confusione plenam. Nonnullos in pauimento strato cilitio & cinere sedentes, faciem genibus operientes, & frontem in terram collidentes. Alios pectora iugiter tundentes, animamque suam ac vitam suspirio ingenti reuocantes, alios lacrymantes, alios quòd id non possent, lamentantes. Vidi nonnullos veluti æneos ex mœrore effectos, & insensibiles ad omnia. Alios fixis obtutibus in terrã caput assiduè mouere, & Leonũ rugitũ edere.* Et paulò post, cùm multa eorum verba & facta verè admirabilia retulisset, subiungit, vidisse se in illis *æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alij sub ardentissimo Solis æstu seipsos cruciabant, alij acerrimo frigore se affligebant, quidam modicũ aqua gustantes, ne omnino siti arescerent, ita*

quos-

quiescebant; aliqui cùm panis exiguum quid accepissent, reliquum tamquam illo indigni proijciebant. Quem locum apud illos risus habuit? quem sermo otiosus? quem iracundia? quem furor? vbi tenuis vini cogitatio? vbi pomorum degustatio? Iugiter ad Dominum clamabant, solaque orationis vox audiebatur.

3. Tertiò, patet id ex pœnitentijs, quæ olim pœnitentibus iniungebantur non tantùm Cypriani, Athanasij, Augustini & Gregorij, sed etiam Francorum & Germanorũ Christianissimorum Principum Caroli Martelli, Pipini, Caroli M. Ludouici, Lotharij, &c. tẽporibus. In eâ verò pœnitentia ter in hebdomadâ cum pane & aqua ieiunabant, cilicio & sacco induti, nudis incedebant pedibus, non vtebantur balneis, equis, curribus, vestibus pretiosis: multoties in die prostrati orabant, neminem salutabant, humi tantùm sedebant, in stramine iacebant, à delicatis & pinguibus & omni quod inebriare potest abstinebant: Tunc septem anni pœnitentiæ iniungebantur pro homicidio; pro notabilis membri mutilatione tres anni cum dimidio: pro vnâ fornicatione quatuor quadragesimæ: si sæpius fornicatus quis est, tribus annis pœniteat: si quis adulteratur semel, quinque annis pœniteat: si sæpius, decem annis. Si quis diuinatores consulit, tribus annis pœniteat: si quis sacrilegus vel periurus extitit, septem annis pœniteat. Si quis parentis negligentiâ infans absque baptismo decedat, tribus annis pœniteat & vno anno ex his foris, & semper feria sextâ ieiunet, &c. Apud Ekium *l. 2. de pœnitentia. c. 5.*

4. Quartò, Patet idipsum ex pœnis & supplicijs, quæ lege Imperiali sontibus irrogantur etiam peractâ pœnitentiâ. Videmus enim alios ob vnicum homicidium capite plecti, vel rotâ frangi: alios ob furtum nõ magnum suspendi: ob adulterium pro foribus Ecclesiæ constitui? &c. An verò non putatis eiusmodi crimina, quæ talia mererentur supplicia, plurima latere inter homines? Et si nos tam grauium nobis conscij non sumus; forsan tamen ab ijs non longissimè absumus. Igitur si lege ciuili peccata grauiora tam grauiter puniuntur quando patefiunt: vtique non leuiùs punientur à Deo illa, quæ non patefiunt, nisi Magistratum accusare iniustitiæ velimus. Restat igitur grauem & seueram deberi Deo pro peccatis satisfactionem, siue in hac vitâ, siue in purgatorio soluatur. Quantus igitur indulgentiarum est thesaurus, qui eiusmodi supplicia tollit & condonat? quis adeò insaniet, vt à tanto debito se liberare non desideret? quis non malit misecordiam Iudicis, quam Iustitiæ rigorem? *Zach. 11.* dicitur Deus duas sibi elegisse virgas, quibus regeret populum; *Assumpsi mihi*, inquit, *duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum.* Funiculus seu flagellum est satisfactio quæ fit secundùm iustitiam, qua alius meretur suspendium, alius ignem, alius rotam, &c. ob peccata sua. Virga decoris indulgentia est, quæ hæc omnia condonat, vel si ferit, leuissimè ferit; vno scilicet alteróue ieiunio, confessione, Eleemosynâ, &c. qui leuissimi ictus sunt. Iam si tantę impensę fiunt pro vno captiuo redimendo: quid non operis & laboris promptissimè subeundum, vt indulgentiam lucremur? Quid? Volumúsne *in virga veniat ad nos* DEVS: *an in spiritu mansuetudinis?*

TERTIÒ, Magnitudo huius thesauri patet, si purgatorij pœnas consideremus, quæ nostros manent reatus, nisi hîc eos exsoluamus. Et verò si nostram ignauiam & teneritudinem ad pœnitentiæ opera considero, cogor dicere, nihil certius nobis esse quàm purgatorium; siquidem hîc penè nullam subimus pœnitentiam; antiquorum canonum rigorem non admittimus, Deus nos iam non ita castigat, vt olim in veteri lege, nec ipsi nos castigare volumus; Magistratus pauca punit: vnde nihil certius nisi purgatorium nos manet. Quia *qui timet pruinam, irruet super eum nix.* Iob. 6. Deus ergo nostræ teneritudini & infirmitati se accõmodat, & medium, quo tam pruinam mortificationis, quàm niuem purgatorij euadere possimus, in manus præbet. An non maximum id esset beneficium, si Iudex Reo sententiam supplicij porrigeret, (in qua ad ignem damnaretur) eâ liberalitate vt delere eam posset & aliam scribere, prout vellet? Atqui per indulgentiam tradit tibi sententiam Iudex Christus (quemadmodum Euangelicus ille dispensator *Luc. 16.* tradidit villico cautionẽ suam) quâ dãnatus es ad grauissimas purgatorij pœnas: quomodo igitur non mox incipis radere & sententiam delere? Quàm magnum sit hoc beneficium, *Exod.* 34. præfiguratum videtur: vbi præcepit Deus vt primogenitum asini redimeretur oue; aut saltem pretio ouis; quod si nec pretium pro eo quis vellet dare, occideretur asinus: quasi iratus Deus huic stultitiæ & ingratitudini, (non animali) iubeat occidi animal: Simili ratione animam tuã à pœnâ purgatorij luendâ redimere potes voluntariâ tui castigatione vel patientiâ tribulationum, quasi oue: quòd si hoc nolis, pretium saltem aliquod numera: Indulgentiam lucrare pro exiguo opere: quòd si nec hoc feceris, vide ne ad iracundiam prouoces Deum, vt te mactet in purgatorio grauiter vel omninò in gehenna, si tantum beneficium contempseris. Nam si liberos tuos è Turcarum seruitute eripere leui pecunia posses & non faceres, an non tu ipse vendi dignus esses? Eiusmodi in negotio grauiter aliquando offenderat Mauritius Imperator, qui, vt scribit Baronius Anno Domini 600. cũ aliquot millia Christianorum suorum, quos Chaianus Auarum Rex captiuos tenebat, & Mauritio per vnum numisma in singula capita ac minoris etiam redimenda offerebat? redimere neglexisset: irâ incensus Chaianus, omnes ad vnum trucidauit. Quam noxam grauissimè postea luere debuit, cùm optione sibi à Deo datâ, vtrùm in hoc, an in futuro sæculo puniri mallet, præsentẽ eligens pœnam; 5. filios suos mares ante se necari à Phoca vidit, & ad extremum ipse necatus est, vt habet idem Baron. Anno 602. Simili modo nos, quot pecca-

D. III. Ex comparatione cum purgatorio.

ta committimus, ad totidem pœnas animas nostras obligamus & quasi captiuamus: eas tamen omnes & singulas nunc redimere possumus, modicâ Eleemosynâ, modico ieiunio, modico itinere; quod si nolimus, sæuiet in nos Deus, si non in gehennâ, saltem in purgatorio aut præsenti sæculo. Vultis igitur tenello vestro parcere corpusculo, ne hic affligatur vel in purgatorio? iam potestis; nec semper cùm voletis, talis erit occasio.

E. IV. Ex consideratione origi-nis eius. QVARTÒ, Magnitudo huius thesauri ex eo nobis innotescere debet, si consideremus vnde nam nobis proueniat. Certè nos eum non accumulauimus: & de hoc verissimum est quod ait Dominus Ioan. 4. *Alius est qui seminat, & alius est qui metit. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Seminauit enim nobis Christus sanguine suo, & ita quidem abundè vt non possit esse tanta messis, quanta fuit sementis: quæ adæquari nequit, neque gloriâ, quatenus meritum erat: neque pretio, quatenus satisfactio erat; quia Christi sanguis tam in ratione meriti, quàm in ratione satisfactionis infinitus est, sufficiens pro infinitis hominibus si essent: & dignus infinito gloriæ præmio, si dari posset. Seminârunt deinde suo etiam licet longè inferiore modo nobis sancti Dei, qui plusquam ipsis necesse foret ad satisfaciendum, fecerũt, ac proinde excessum illum satisfactionis in ærarium Ecclesiæ contulerunt ob sanctorum communionẽ & vinculum vnitatis, quod est inter Christianos: quomodo multo balsamo super caput effuso odor eius in subiecta etiam membra defluit atque adeo in vestes ob membrorum & vestium coniunctionem. Vnde *Psalm.* 132. de hac communione bonorum Dauid locutus ait: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, seu (vt est in Hebræo) *in montes Sion, quoniam illic mandauit Dominus benedictionem.* Caput nostrum est Christus, in quem omnis plenitudo gratiarum effusa est. Barba Apostoli, Martyres, Confessores. Ora vestimenti, cæteri iusti. Mons Hermon altissimus idem Christus, montes Sion humiliores, cæteri iusti. Ecce vnde nobis proueniat hic thesaurus. Nimirum indulgentiæ sunt fragmenta illa quæ superfuerunt in conuiuio *Ioan.* 6. colligi iussa à Domino, ne perirent. Cùm enim in cœlesti conuiuio, vbi cum Domino edunt & bibunt sancti super mensam eius, plurima sint fragmenta meritorum, quæ, in quantum satisfactio erant, longè superauerunt peccata eorum: cur illa perire patiatur Dominus, & non potiùs in vnum colligat atque ex ijs ærarium Ecclesiæ constituat, quo pauperes & famelici pascantur peccatores? Hæ micæ illæ sunt, quas petijt & obtinuit *Matth.* 15. Chananæa, quas & nos catellorum instar, de mensâ illa cœlesti, vtpote superfluas, expectamus & facilè obtinemus. Sed etsi fragmenta & micæ sunt indulgẽtiæ, nequaquam tamen à nobis paruipendendæ; quin potiùs, vti reliquiæ conuiuiorum deliciæ sunt mendicorum, & offa ac micæ mensarum cupediæ catellorum: ita & indulgentiæ nobis esse deliciæ debent, magnaque auiditate expetendæ. Si Lazarus obtinuisset micas, quas expetebat de mẽsâ diuitis, quàm lautè se cœnasse existimasset? Et ô quam multi Christiani, qui Iubilæum multis votis expetunt: ne dicam de animabus purgatorij! Quid enim suauius, obsecro; quàm debita sua alieno ex ære dissoluere? Si pauper obæratus & ob æs alienum vinculis addictus, audiret ab opulento: mitte manum in thesaurum meum, & accipe quantum vis ac potes, quis non in cœlum tolleret istam libertatem? Hoc facit tibi hodie Ecclesia, dum indulgentiæ tibi thesaurũ aperit, vt inde capias pro libito & debita tua exsoluas. Porrò vti maximum hoc beneficium, Christi & sanctorum, qui thesaurum hunc fundârunt: ita maxima eorum ingratitudo, qui eo oblato frui nolunt; siquidem tanto eis labore constitit & in gratiam nostram ab eis repositus est. Quod intelligere ex bono vestro communi potestis. Dicite enim mihi, ô ciues: Vnde vobis hæc mœnia, fossæ, agri, campi, stagna piscifera, aquarum ductus, molendina, templa, hospitale, Eleemosinæ perennes, stipendia, reditus annui, granarium & ærarium commune? Num vos hæc omnia comparastis, fodistis, ædificastis, fundastis? Minimè gentium: à maioribus vestris habetis; qui in horum omnium præparatione, suam contulerunt operum, opes & industriam, sudârunt, alserunt. Hinc vobis ingentia commoda: ligna, pisces, frumentum, Eleemosinæ, stipendia, &c. Iam si communia hæc bona negligeretis, nec in vsus vestros conuerteretis, sed ab alijs diripi pateremini, nónne stultitiæ & supinæ ignauiæ à maioribus vestris argueremini, qui suo hæc sudore vobis parauerunt? Non minùs in proposito stulti & ingrati sunt, qui commune indulgentiarum ærarium, Christi & sanctorum sanguine, labore, sudore, ieiunijs, vigilijs, cilicijs, catenis sibi præparatum negligunt, & ab alijs rapi sinunt. De quibus queritur *Ezech.* 24. Dominus, dicens: *Multo labore sudatum est & non exiuit de eâ nimia rubigo eius, neque per ignem immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.* Certemus igitur & nitamur totis viribus, vt thesauri huius participes fiamus, ne alijs eum diripientibus, inopes remaneamus. Proh quantus est conatus, quantum certamen cùm in Electione Imperatoris pecunia in vulgus spargitur, cùm aurea, cùm panni, cùm bos assatus populo diripiendus traditur? Multi vulnerantur, pedibus obteruntur opprimuntur, nec tamen quod quærerant semper consequuntur: vtinam ergò vel sic quæramus indulgentiæ dona infinitis præstantiora partibus. Quod vtinam donet nobis Deus!

CONCIO IX.

Documenta.

Ex hoc Euangelio disce
1. *Quanta sit vis orationis.*
2. *Vigilantibus, non dormientibus obtingere conspectum gloria.*
3. *Vide ingenium mundi & sacularium in Petro effigiatum.*
4. *Etiam leuiora peccata esse fugienda.*
5. *Quod aliter cadat bonis, aliter malis, illi prorsum, hi retrorsum,*
6. *Secunda gloria mundana.*
7. *Typum aduentus Christi ad iudicium.*

THEMA.

Duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, Matth. 17.

A TRes magnos Prophetas eosdemque ieiunatores rigidissimos proponit nobis Ecclesia in hodierno Euangelio, Moysen, Eliam, Christū, qui omnes per 40. dies ac noctes ieiunarunt absque omni cibo. Meo quidem iudicio mittere vult nos Ecclesia ad ieiunatores istos, vt ab illis perdiscamus, quid nobis per Quadragesimam salubriter sit agendum. Quid ergò fecerunt illi? Moyses ad montem Sinai ascendit & ibi per 40. dies cum Deo collocutus est, de legibus & statutis, de sacrificijs & cæremonijs, de tabernaculo & sacris vasis. Similiter ergò & nos in nostrâ Quadragesimâ ascendemus ad montem orationis & contemplationis & loquemur ibi cum Deo, potissimùm de sacratissimâ Christi passione, alijsque ad salutem nostram pertinentibus. Elias fugiēs à minis & furore Iezabelis in solitudinem, postquam ab Angelo confortatus esset pane subcinericio, ambulauit in fortitudine illius cibi 40. diebus & noctibus vsque ad montem Dei Oreb. 3. *Reg.* 19. Ergò etiam nos in nostrâ Quadragesimâ secretum petemus & magnâ cum animi puritate ac deuotione suscipiemus panem Eucharistiæ, præuijs tamen pœnitentiæ cineribus debitè præparatum, & ita in viâ Domini fortiter pergemus fugiemúsque à ventura irâ, à peccato & peccati occasionibus. Christus & ipse in desertum abijt ibique se ad tentationem & pugnam præparauit. Igitur & cum Christo in solitudinem cordis nos recipiemus & strenuè laborabimus in Diaboli expugnatione, vitiorum nostrorū & amoris proprij, carnis & sæculi debellatione, vt ita præclaram victoriam ad pascha obtineamus. Et hoc est magnum illud & omnium saluberrimum ieiunium, quo peracto digni fiemus, qui cum Moyse & Elia ad gloriam Christi participandam aliquando admittamur. Nunc quid nobis doctrinæ offerat hodiernum Euangelium videamus.

B. I. Quanta sit vis orationis. PRIMVM, Vide quanta sit vis orationis & contemplationis; Etenim *facta est, dum oraret, species vultus eius* (Christi) *altera*, inquit Lucas. Itaque, *orans transformatus est Christus, vt discamus quod oratio transformat atque illustrat hominē, si fiat quemadmodum oportet*, ait Euthymius, *Luc.* 9. sic etiam *Exod.* 34. legimus faciem Moysi in monte Sinai ex consortio sermonis Dei cornutam factam esse, hoc est, radios splendoris instar cornuum vndique à se emisisse, ita vt filij Israël intendere in eam non possent: & proptereà Moyses faciem suam velare cogeretur. Hoc idem nobis gloriam Dei speculantibus euenire (absque tamen velamine legis) asserit Apostolus 2. Cor. 3. *Nos omnes reuelatâ facie*, inquit, *gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur.* Quo loco, vox, *speculantes*, in græco significat in speculo videre vel in speculo repræsentare. Quemadmodum ergò speculum repræsentat rem sibi oppositam: sic animus debitè orantis & contemplantis Deum sibi tanquam exemplar propositum. Quisquis enim orat & contemplatur, Deum sibi ob oculos ponit, Christi item vitam, mores, actus, gestus, &c. vt eos in se depingat, imitetur & induat. Hinc enim Primo intellectus illuminatur, videt siquidem supernorum bonorum soliditatem, & sublimitatem, terrenorum verò instabilitatem & vanitatem, sæpe, etiam haurit sapientiam, quam studio sibi parare non poterat, quemadmodum S. Thomas Aquinas, qui scientiam suam potiùs orationi, quàm studio adscribebat, & difficilium quæstionum solutiones precibus assecutum se agnouit. Vnde nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem: quotidie item sacrum faciebat, & ad aliud ministrabat. Surius *in vita 7. martij.* 1.

Secundò, accenditur voluntas ad amorem Dei & studium virtutis, iuxta id Psalm. 38. *In meditatione meâ exardescet ignis.* Quanto enim magis Deus cognoscitur, tanto magis diligitur: & si Dei ac diuinorum bonorum gloriam & dignitatem sedulò nobis ante oculos proponeremus, facilè in amorem Dei accenderemur. 2.

Tertiò, vitiosæ passiones domantur & labefactantur, sicuti per orationem Moysis quamdiu manus erigebat & feruidè orabat, Amalecitæ vincebantur *Exod.* 17. Docet etiam experientia homines orationi & contemplationi deditos fortiores reddi ad domandas suas passiones, minusque ijs obnoxios esse. 3.

Quartò, corpus etiam quandóque immutatur per orationem, vt vel præsentia non aduertat, vel in extasim, vel in sublime rapiatur, vt de S. Francisco, Dominico, Thomâ Aquinate & alijs legimus, qui orantes inter cœlum & terram visi sunt. Alij radiare & ignes ac flammas vibrare inter orandum visi sunt, vti S. Frācíscus, S. Antonius, S. Arsenius, S. Agnes, &c. Quòd si nihil tale (saltem ex tribus primis effectibus) nobis contingit, signum est, non ita nos, sicut oporteret, orare. Vt speculum repræsentet imaginem rei obiectæ, mundum esse debet & à sordibus putum: sic etiam cor nostrū in oratione ab externis affectibus libe- 4.

rum,

rum. Similiter si eidem speculo simul multa opponas obiecta, nullum integrè & exactè repræsentabit, sed omnia confusè & truncatè: sic etiam si inter orandum ad alia obiecta simul mentem aduertamus, minor erit diuinorum sensus. Adhæc sicut facies Moysis non ex breui, sed diuturno colloquio 40. dierum scilicet, adeoque *ex consortio sermonis Dei*, vt ait S. textus, induit splendorem: sic non qui semel in die vel hebdomade orat, sentiet prædictam orationis efficaciam: sed qui orationi & contemplationi sedulò addictus est.

C. II. Vigilantes vident Dei gloriam. SECVNDVM. Disce vigilantibus, non dormientibus obtingere conspectum gloriæ Dei. Etenim sicut Apostoli initium transfigurationis non viderunt, quia sopore grauati erant, ac nisi euigilassent, nec medium nec finem vidissent; Ita si plerique hominum amore & desiderio Dei ac cœlestium bonorum nō afficiuntur nec sciunt quàm suauis est Dominus & cœlestis gloria, inde est, quia veterno vitiorum consopiti iacent nec oculos attollunt ad supernorum & solidorum bonorum considerationem: hanc enim si degustarent, omnibus terræ delitijs eam anteponerent, quemadmodum S. Thomas Aquinas contemplationis suæ studium ciuitati Parisiorum antepoſuit, quòd hæc si ipsius esset, propter curam regiminis eripere illi contemplationem diuinorum & consolationem animi impediret. Dolendum profectò est, quòd homines sic dormientes priuentur cœlo & ferantur ad infernum. Quomodo enim sibi irascentur aliquando, quando serò nimis euigilabunt, quod non aperuerint oculos ad solidorum bonorum contemplationem, & terræ potiùs adhæserint quàm cœlo? De Vlyssis socijs scribit Homerus odyss. l. 9. quòd Loti, herbæ dulcedine inescati, ad naues suas redire patriamque repetere noluerint, sed cum Lotophagis potiùs remanere voluerint. Tales ad amussim plurimi mortales, qui modicâ terrenarum rerum velut Loti dulcedine sic capiuntur, vt cœlestium bonorum obliuiscantur, nec non & nauis & itineris, quibus illuc ferantur, hoc est, virtutis & obseruantiæ mandatorum. Porrò duabus maximè rebus excitati videntur à somno fuisse discipuli, colloquio scilicet Christi cum Moyse & Eliâ, quod erat de morte suâ; & deinde fulgore corporis Christi. Eadem ista sunt, quæ excitare nos à somno peccatorum deberent: colloquium scilicet de passione Domini; quod his maximè diebus vbique tractat Ecclesia: deinde beatitudo & gloria resurrectionis. Primum quidem, si recordemur propter peccata nostra innocentem alium, & quidem Dei filium occisum esse; itemque si in viridi ligno id contigit, quid futurum sit in arido: Secundum verò, si cogitemus trophæa Christi, per mortem acquisita, & nobis etiam proposita, Themistoclem ferunt stimulis virtutum ita agitatum; vt propterea noctes inquietas ageret & subinde euigilaret. Quærentibus quid ita eo tempore in publico versaretur? respondit: *Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant.* Val. l. 8. cap. 15. Nulla sunt trophæa cum beatorum dotibus comparanda. Quid enim est fulgere instar Solis? vt taceam alias dotes corporis & animæ. Quid est laudari à Deo, versari cum societate Sanctorum in cœlo lucidissimo, videre Deum & Christum? &c. quæ omnia monstrantur nobis in hodierno Euangelio. Et hæc ipsa sunt, quæ excitare nos à somno debent.

D. III. Ingeniū mundi. TERTIVM. Vide sæcularium ingenium, in Petro effigiatum. Hic enim parum ad futura attendens, quid pro nobis Christus, & ipse aliquando pati deberet, præsentia tantùm spectans, respondere cœpit (colloquentibus nimirum de morte Christi & Prophetis.) *Bonum est nos hîc esse, faciamus tria tabernacula, &c. nesciens quid diceret*, vt inquit S. Lucas. Planè nesciens & aberrans multipliciter. Nam imprimis terra, non est locus triumphi sed potiùs certaminis. Duces Romanorum alibi militabāt: sed Romæ triumphabant. Cœlum locus triumphi est, terra verò militiæ. Deinde gustus gloriæ, quæ in monte hoc monstrata est, vna tantùm gutta est de torrente voluptatis Dei; parum igitur consideratè ages Petre, si pro torrente voluptatis vnam velis acceptare guttam. Sola hic videtur claritas corporis, vbi aliæ dotes? vbi dotes animæ? vbi visio beatifica! vbi Sanctorū societas? vbi cœli amœnitas? vbi cætera bona quæ oculus non vidit, &c? Tertiò, corona non datur ante pugnam, nec merces ante laborem: quomodo coronam & mercedem loqueris antequam pugnes & labores? Adhæc si adhuc mortalis in monte hoc persistas, vnde tibi victus & amictus? Item quis pro nobis satisfacturus est, si Christus ibi manserit? Denique quid fiet de tuis condiscipulis, ad montis radicem relictis? itáne deserendi sunt & tradendi obliuioni? Quare sicut filij Zebedæi aliquando audierunt à Christo, nescitis quid petatis; ita & nunc Petrus, quid peteret nesciebat. Quam verò multos habet sui adhuc similes? Aliqui cœlo nuntium mitterent, si hîc viuere sinerentur in suis prosperitatibus. Nescitis quid dicatis: non est hic locus beatitudinis: stadium est hic locus, quod nobis percurrendum est, nequaquam verò inhabitandum; peregrina in terrâ sumus, nequaquam adhuc in patriâ. Alij pro cœlo modicum terræ acciperent, vnam domunculam, vnum agellum, vnum hortulum; alij generosiores principum fauorem, opes & dignitates. Alij magis ingenui, scientiarum inuestigationem; sed nescitis quid dicatis: omnia hæc vmbra sunt bonorum supernorum, guttæ sunt, nihil sunt. Alij sibi persuadent, certò se saluandos & qnodammodo iam figunt sibi tabernacula in cœlo. In cœlo, inquiunt, conueniemus: & quid ibi faciemus? quorsum ambulabimus? quæ per omnem æternitatem colloquia miscebimus? &c. Nescitis quid dicatis; de labore, de certamine, de medijs priùs cogitandum, quibus cœlum mereamini. Videte quomodo mandata obseruetis, quomodo Sacramenta percipiatis, quomodo multa bona opera pa-

Errat. 1.

2.

3.

reis, quomodo Ecclesiæ obediatis in ieiuniis, festis diebus colendis, &c. Forsitan necdum pugnare cœpistis & quomodo triumphum canitis? Vnde S. Chrysostomus in Epist. ad Philip. hom. 12. *Sursum posita est palma*, inquit, *vide quantum sit spatium percurrendum*, *vide quanta sit sublimitas*, *quo peruolandum est alis spiritus? Cum corpore eundum est illò &c.* Alij præsentibus immersi voluptatibus, de futuris malis nihil sibi prognosticāt. Ambitiosi honores cogitant, nihil verò somniant de futurâ cōfusione; Auari nummos iactant, nihil verò metuunt futuram paupertatem. Potatores & parasiti perpetuò in patinis & poculis versantur: nulla eis subit cogitatio, de futurâ siti & fame gehennæ. Impuri in suis sordibus securè voluntantur: nequaquam verò cogitant quomodo habitaturi sint cum ardoribus sempiternis: nec sentiunt ignem infernalem sibi accensum, plusquam fornacem illam Babylonicam. Denique multi patresfamilias egestate pressi, suass tantùm quærūnt commoditates, tabernas frequentant, aleis vacant, munera elargiuntur, parum interim soliciti quis eorum debita soluat: quid ærumnarum domi patiantur vxor & liberi. Multi etiam liberi & hæredes, gaudent bonis parentum & amicorum, parum interim soliciti, quid illi patiantur in aliquo tormentorum loco; an voluntatem testatorum exequantur. Hoccine non est nescire quid agas vel dicas?

E. IV. Etiam leuiora peccata fugienda.

QVARTVM, Disce non mortalia tantùm peccata & venialia maiora, sed etiam minora fugere & formidare, quòd etiam ista in cœlo locum nullum habeant, in quod nihil coinquinatum poterit intrare. Ecce enim discipuli antequam & ipsi à nube lucidâ cingerentur, nihil timuerunt, sed postquam in nubem intrauerunt tunc primùm timuerunt, teste Luca. Nimirum anteà extra nubem, quasi in vmbrâ constituti non viderunt næuos suos & defectus, tametsi veniales tantum: vnde nec timuerunt. Sed postquam diuinæ claritatis radijs illustrati erant, tunc demum viderunt illos, ideoque timuerūt. Qui in vmbrâ versatur, minimos illos atomos & puluisculos in aëre volitantes non videt; ad radios Solis videt. Simili ratione, qui communem degit vitam infra perfectionem, mortalia fortè agnoscit & grauiora venialia: minora tamen, quibus quotidie inquinamur, non facilè aduertit nec pro peccatis habet. At verò qui cum his discipulis in diuinæ claritatis lumine ambulant, minima quæque discernunt & velut magna deflent, scientes nihil omnino coinquinatum in ciuitatem illam ex auro mundo ædificatam ingredi posse, quod non fuerit priùs alicubi purgatum. Hinc illæ tam graues pœnitentiæ, leues ob errores ab ijs sæpè susceptæ. Theodoretus *in Philotheo cap. 4.* refert S. Eusebium, quòd sub priuatâ Euangeliorum lectione oculos & mentem in quosdam aratores coniecisset, talem sibi indixisse pœnam vt deinceps totâ vitâ oculorum aciem vltra palmum non extenderet. Nimirum alia sunt iudicia Dei, & alia hominum. S. Hieronymus refert Hilarionem adhuc adulescentem ob exiguam sub precibus distractionem adeò à Deo punitum fuisse, vt dæmon permitteretur in eius dorsum insilire & latera calcibus, ceruicem flagello verberare: *in v. ta cap. 3.* Ipsemet Hieronymus flagellatum se dicit Dei iussu scribit, quòd nimiùm addictus fuisset libris Ethnicorum; vt alibi diximus. Exempla etiam sunt, quæ ostendunt ob leuia peccata grauissimas in purgatorio pœnas dari debuisse. Itaque curemus vitare etiam minima, & patrata inuestigare atque expiare: ad quod miro modo iuuabit frequens confessio & communio: (quam idcircò dæmon varijs modis conatur impedire,) quotidianum etiam conscientiæ examen: Hinc fiet vt tanto expeditiùs ad gloriam intrare possimus, & liberari è purgante flammâ.

F. V. Aliter cadunt boni, aliter mali.

QVINTVM. Nota diuersam cadendi rationem, bonorum & malorum. Cadunt enim quandoque & boni in peccatum, sed proni & in faciem suam, vti cecidisse dicuntur discipuli in hodierno Euangelio, item Paulus *Act.* 9. Daniel. cap. 11. & alij. Mali verò retrorsum, vti Heli Sacerdos. 1. *Reg.* 4. & cohors illa militum Christum quærens comprehendere, *Ioan.* 18. Boni cadunt prorsum. Primò, quia vident quorsum & quàm grauiter ac periculosè cadant. Sic dauid, postquam abscidisset Sauli partem chlamidis & quando numerauit populum suum 2. *Reg. vlt.* statim percussit eum cor suum 1. *Reg.* 24. Secundò quia accidunt ad pedes Christi dum mox offensum Deum timent & pœnas à se exigunt vel puniri ab eo petunt: sicuti idem Dauid fecit, quando post peccatum numerationis populi mox pœnitens optione sibi datâ maluit incidere in manus Dei. Tertiò, quia citiùs se erigere manibus suis possunt ac solent: anguntur enim conscientiæ stimulis & mox quærunt occasionem confitendi, neque eunt cubitum nisi priùs percutiant cor suum, doleant, fleant, & proponant proximâ occasione confiteri & Deo satisfacere dicentes: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Vti fecit idem Dauid, qui *Psal.* 37. ait: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Huius exemplum ex præcepto S. Ambrosij secutus est Imperator Theodosius qui ob cædem Tessilonicensium à S. Ambrosio excommunicatus, nō quieuit donec ab eodem absolutus in communionem reciperetur. Quartò, quia de peccato suo erubescunt & ita faciem suam abscondunt. Contrà verò mali, qui peccatis assueti sunt retrorsum cadunt; Primò quia non vident quàm grauiter & quàm periculosè cadant, quàm sint propinqui gehennæ, &c. quandoque peccasse se non putant. Deinde puniri pro peccatis suis renuunt & malunt impunes esse atque ita cadendo retrorsum à Deo elongantur. Adhæc non adlaborant vt quò citiùs resurgant, sed quieti in peccatis viuunt. Quartò, quia non pudet eos peccasse sed quandoque etiam gloriantur. O lapsum periculosum!

Boni prorsum. 1. 2. 3. 4. Mali retrorsum. 1. 2. 3. 4.

G. VI. Schema gloriæ mundanæ.

SEXTVM, Videmus hic schema aliquod gloriæ

tiæ mundanæ. Tametsi enim in hac transfiguratione typus quidam veræ fælicitatis nobis est exhibitus; quia tamen is modicum durauit & breui ita euanuit, vt solus Iesus inuentus sit, non ampliùs gloriosus, sed seruili formâ: non obscurè cernimus, simili etiam modo transire gloriam mundi. Visebatur hic Christi facies splendida vt Sol, vestes velut nix, audiebatur vox patris miro modo suauis, iubilus Petri, ambiebat nubes lucida, aderant optimi amici, Moyses & Elias. Et en subitò hæc omnia euanuerunt & remansit solus Iesus absque omni decore. Ita fit in mundo: hodie epulamur & vestimur splendidè, souemur à suauissimis parentibus, habitamus in magnificis ædibus, salutamur & honoramur ab amicis: ibi iubilus & lætitia. Veniet subitò dies aliqua, in quâ omnia euanescent, & nudi absque omni decore efferemur ad sepulchrum. Ita finit comœdia. Nimirum nihil in mundo exhiberi potest vel ab ipso Christo quod fixum perseueret, quia mundus ipse transit. Hinc clamare iubetur Isaias: (vt nimirum toto mundo audiatur) *Omnis caro fœnū & omnis gloria eius quasi flos agri.* Isai. 40. Nam si terra arescit è quâ prodijt flos; quid mirum si & ipse cum matre simul arescat? Et si perit caro: quid mirum, si & gloria, quæ in carne subsistit? Constans igitur gloria in cœlo tantùm quærenda est. Et tamen miseri mortales figere hîc tabernacula sua volunt, & ita negotiantur atque ædificant, quasi æternùm victuri. Qui quidem æquè delirant atque ij, qui ad ripam voracis fluminis splendidas ædes extruunt. Illud nobis hîc solatij est, quòd saltem solum Iesum, tametsi non in gloriâ suâ, videre & retinere possimus. Quàm beatus, qui hunc quærit & ne perdat, tenet? Potes mundum obtinere: nihil tamen habebis nisi Iesum habeas; mundus transit, Iesus Christus *autem heri & hodie, ipse & in sæcula*, ait Apostolus *ad Hebr.* 13.

H. VII. Typus aduentus Christi ad Iudicium. SEPTIMVM. Denique hæc historia transfigurationis declarat etiam nobis gloriam aduentus Christi ad extremum diem iudicij toti mundo manifestandam, quod non obscurè indicat ipse Christus, dum immediatè anteà *Matth.* 16. dixit ad discipulos suos: *Sunt quidam de hîc stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Quo loco transfigurationem suam mox secuturam intelligit, in quâ specie exhibiturus sit futuri aduentus sui: simili nimirum gloriâ spectandus. Itaque transfiguratio Domini.

1. Primò, post sex dies facta dicitur à Matthæo & Marco: ita post sex dies, quibus mundus est creatus, seu consummatis sex mundi ætatibus veniet in gloriâ suâ Christus Iudex. Euolutis his sex diebus laborum & tribulationum, tunc aderit Dominica quietis & resurrectionis.

2. Secundò, In transfiguratione separatio discipulorum facta est: alij inferius, ad pedem montis relicti sunt, nouem scilicet: quarta verò solùm pars assumpta est ad montem, gloriam Christi visura: sic etiam in iudicio separabuntur oues ab hædis: & *Vnus quidem assumetur, alter verò relinquetur.* Luc. 17. & quidem longè maior pars infernè relinquetur, quia terram dilexerunt, minor verò pars, quæ ad cœlestia contendit, ad cœlum *rapietur obuiam Christo in aëre*; 1. Thessal. 4. rapietur, inquam, vel assumetur, per Christum eiusque merita.

Tertiò, In transfiguratione Christus alteram induit faciem & apparuit gloriosus, qui priùs apparebat despectus: sic etiam in iudicio induet aliam faciem; nam qui se nunc mitissimum præbuit nobis agnum; tunc *occurram eis*, inquit Os. 13. *quasi vrsa raptis catulis & dirumpam interiora iecoris eorum & consumā eos ibi quasi Leo.* Similiter & Iob cap. 30. *Mutatus es mihi in crudelem*, inquit. 3.

Quartò, In transfiguratione resplenduit facies Christi sicut Sol: vestimenta autem eius sicut nix: sic etiam in iudicio veniet cum splendore & maiestate, omnia videns & illuminans, omnium corda velut Sol perlustrans: nec non vestium candore, hoc est, gloriâ iustorum, qui Christo tanquam vestes adhærent, circumdabitur & ornabitur iuxta id Isaiæ 49. *Omnibus his velut ornamento vestieris & circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Vnde Gregor. lib. 32. Moral. cap. 7. ait: *In transfiguratione quid aliud, quàm resurrectionis vltima gloria nunciatur? in monte vestimenta eius sicut nix facta sunt, quia in superna claritatis culmine, sancti omnes ei luce iustitiæ fulgentes adhærebunt.* Sic Greg. 4.

Quintò, in transfiguratione apparuerunt Moyses & Elias; ille ex mortuis, hic è viuis; sic viuos & mortuos iudicabit Christus. Moyses Christum antegressus est, Apostoli comitabantur, Elias sequetur vltimis temporibus, vt scias Christi meritis saluos fore, quotquot salui erunt, qui ante ipsum, qui cum ipso, & qui vixerunt post ipsum: & hos omnes daturos Christo gloriam. 5.

Sextò, In transfiguratione, grauati erant somno discipuli: posteà euigilantes viderunt gloriam Domini: sic etiam ante iudicium omnes morituri sunt: & audient vocem illam: *Surgite mortui: venite ad iudicium. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ & maiestate.* Matth. 24. 6.

Septimò, In transfiguratione Petrus dixit: *Bonum est nos hîc esse*: Similiter in iudicio dicent etiam electi ad dexteram Christi stantes: *Bonum est nos hîc esse*, vbi gloria, pax, gaudium & perpetua securitas. 7.

Octauò, In transfiguratione apparuit nubes lucida & obumbrans. Sic etiam Christus Iudex in nubibus cœli veniet, tanquam in curru regio, sub cuius vmbrâ protegentur electi. 8.

Nonò denique in transfiguratione vox de nube facta est: *Hic est filius meus, &c. Ipsum audite.* Sic quoque in iudicio intonabit Christus velatis nubibus, & proferet sententiam, cui perpetuò standum erit. Et primò ad electos dicet, *Venite benedicti Patris mei, &c.* Posteà vero vultu horribili ad impios conuerso, ablegabit eos 9.

eos in infernum,dicens: *Discedite à me maledicti.* Et si discipuli Christi suauem illam Patris vocem audire non potuerint, quin caderent in facies suas & timerent valdè: quo animo, quo sensu,quâ fortitudine audient damnati vocem illam Christi? quàm graui lapsu ruent? Quòd si Adam in paradiso,voce Dei vocantis territus est,dicens: *Audiui vocem tuam & timui:* quomodo sustinebunt reprobi vocem repellentis? *Leo rugiet,quis non pauebit* inquit Amos.cap.3. Quare, *ô beati oculi*, inquit S.Basilius orat. de träsfig. *qui terribilem illum diem in amicabili specie videbitis!* Quod donet nobis Deus.

CONCIO X.

Mysteria.

1.& 2. *Quæritur cur ad spectaculũ suæ transfigurationis Christus assumpserit tantum tres discipulos,& cur Petrum,Ioannem & Iacobum.*	6. *Quæ de re locuti? Resp. de morte Christi.*
3. *Cur ductis in montem excelsum seorsum.*	7. *Ad quid adducta nubes.*
4. *Qualis fuerit hæc transfiguratio.*	8. *Quare taceri voluerit Christus hoc mysterium.*
5. *Cur comparuêre Moyses & Elias.*	9. *Quomodo Pater in filio sibi placeat.*
	10. *Assignatur ordo träsfigurationis.*

THEMA.

Assumpsit Iesus Petrum & Iacobũ & Ioannem fratrem eius,&c.Matth.17.

A TER in anno legitur Euangelium hodiernum. Lectum fuit in hesterno officio: legitur in hodierno: legitur in Festo Transfigurationis. Nec vna est huius rei causa. Affert enim laboris & imprimis abstinentiæ quadragesimalis dulcissimum leuamen, dum in eo videmus quâta bona Deus præparauit diligentibus se & carnis suæ domatoribus, quales erant Moyses & Elias,*visi* & ipsi cum Christo *in maiestate*, quia cum ipso etiam quadragesimam ieiunârunt. Sic filius alacrior fit ad studendum, cùm subinde Pater ostendit ei pulchrum pannum,ex quo vestem ei pollicetur. Deinde quoniam Christus gloriam suæ transfigurationis occultari voluit vsque dum resurgeret; decet vti nunc tanto magis eam publicemus, & passionis eius confusionem, hac gloriâ compensemus. Denique quia de longè venientes & mirabilia narrantes libenter & auidè audimus, præsertim de nostrâ patriâ. Sic Israelitæ in captiuitate Babylonicâ rogati vt canerent suis organis Psalm. 137. ita respondent: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* q. d. Si non imprimis memor sim meæ patriæ, exarescat dextera, quæ pulsare solet cytharam: obmutescat lingua, quæ accinere solet. Itaque Auditores, quoniam hoc Euangelium noua nobis affert de cœlesti nostrâ patriâ, studiosè indagemus & attentè audiamus omnia, quæ dicuntur.

QVÆST. PRIMA, Cur assumpsit tantùm tres discipulos ad spectaculum suæ transfigurationis? Respond. primò, quia voluit ad tempus hoc mysterium occultum esse, vti demum præcepit. Meliùs autem occultari poterat, si paucis, quàm si multis monstraretur. Quod multis reuelatur, occultari nequit. Vnde Sapiens Eccles.6 *Multi pacifici sint tibi: cõsiliarius sit tibi vnus de mille.* Multi sunt vti lacus Asphaltites in Iudeâ vbi nihil mergi potest: omnia supernatant, teste Plinio. *l.2.cap.*103. qui nimirum arcanum nullum retinere sciunt. B. I. Cur assumpti tres tantùm discipuli. 1.

Secundo,quia sufficiebat testimonium triũ, iuxta id Deut.19. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Cæteris satis, imò melius erat, his credere propter meritum fidei; nam *beati qui non viderunt & crediderunt.* Ita paucos adhibuit Christianos testes suæ resurrectionis, cæteros credere voluit. 2.

Tertiò,vt ostenderet perpaucos esse eos,qui cœlestem gloriam sunt adepturi, etiam ex illis qui putantur vulgò boni. Vulgus siquidem omnibus blanditur, & facilè alios iudicat bonos; quia & talẽ se haberi optat & sæpè asinus asinum fricat. Similiter in prouidentiâ vniuersali Deus nullum excludit: Vtitur enim & Iudâ sæpe ad prædicandum, sanandos ægrotos, &c. tamen quando venietur ad particularem prouidentiam & distributionem secundùm cuiusque merita,multi excludentur præter omnium expectationem, & multi quidem vocati sunt,pauci verò electi. 3.

Quartò, vt discamus virtutes proprias citra necessitatem non aperire: sed potiùs defectus nostros. Sic Christus Ierosolymis, loco celeberrimo & festo solenni adeoque coram grandi multitudine pati voluit: transfigurari coram paucis. 4

Quintò, vt doceret paucis datum esse frui dulcedine spirituali, in orationibus, communione, tribulationibus, &c. in hac vitâ; plerisque differri in alteram vitam, vbi propriè locus est. 5.

Q. SECVNDA, Cur Petrum,Ioannem & Iacobum? Respondetur Primò, quia Petrus erat successor Christi futurus: cur autem Pater non manifestet sua secreta filio quem successorem constituit? Ioannes erat Christi secretarius futurus & quidem intimus; Iacobus erat primus ex Apostolis calicem Domini bibiturus per martyrium. C. II. Cur Petrus, Iacobus & Ioannes. 1.

Secundò, quia hi tres maximum habebant zelum tuendæ gloriæ Christi. Petrus pro eo mori paratus fuit ideoque gladium exseruit eum defensurus. Cæteri duo Boanerges, Dominô exclusô de ciuitate Samariæ, ignem de cœlo in eam prouocare volebant, zelo honoris Domini sui. 2.

Tertiò,quia hi maiore dignitate prædíti & cæteris excellentiores erant: Petrus fide & dilectione: Ioannes virginitate; Iacobus feruore & zelo animarum: vnde & ad suscitationem filię Iairi,& ad hortũ Oliueti assumpti. Mundus 3.

dus Iudam assumpserit, hos tres ad radicem montis reliquisset.

4. Quartò vt indicarent tres conditiones meritorum, quibus gloriam promereri oportet: statum gratiæ in Ioanne; promptitudinem voluntatis in Petro, difficultatem operis in Iacobo, qui luctator exponitur.

5. Quintò ad indicandum tres aureolas, Doctorum in Petro, Virginum in Ioanne, Martyrum in Iacobo.

D. III. Cur duxit in montē excelsum seorsum. QVÆST. TERTIA. Cur duxit eos in montem excelsum seorsum? Respondetur Primò vt doceret nos vim orationis orandique modum. Oratio enim est eleuatio mentis in Deum, in quâ terrena despicimus & parua esse videmus: cœlestia verò bona, magna. Ad hanc verò ritè

1. instituendam requiritur vel saltem vtilissimus est locus solitarius vel certè mens solitaria, id est, nullis terrenis rebus intendens. Vnde inchoaturi orationem, priùs formare conceptum debemus, quasi nunc è valle sæcularium curarum ascendere velimus ad montem contemplationis cœlestium & longè ab hominibus soli cum Deo loqui.

2. Secundò vt doceret ascendendum esse ei, qui vult gloriam cœlestem, cuius typus est hic mons excelsus, consequi; regnum enim cœlorum labore comparatur. Idcircò etiam Matthæus post 6. dies ait Christum transfiguratum. Senario autem dies laborum comprehenduntur, septenarius quietis est & Sabbathi. In terrenâ negotiatione plus proficit astutia & ars, quàm labor. Ideò mercatores communiter ditiores sunt operarijs. In cœlesti verò plus valet labor quàm astutia. Vnde *Psal.* 23. dicitur: *Quis ascendet in montem Domini aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus*, id est, qui operatur non bona tantùm, sed benè: *Et mundo corde*, id est, alienus à desiderijs & cogitationibus etiam malis. *Qui non accepit in vanum animam suam*, id est, qui agit id, ad quod est creatus, laboratque sedulò. Omnes morituri aspirare se ad cœlum dicunt: interim sæpe de sufficienti confessione & alijs requisitis audire nolunt: sæpe nec vnica eleemosyna ab illis extrudi potest, quâ sibi viam ad cœlum parent; quod aliud non est, quàm velle in cœli monte esse, sed nolle interim ascendere.

3. Tertiò, Vt doceret beatitudinem veram non esse quærendam in hac mundi valle; sed in cœlesti illo monte. Ibi enim beneplacitum est Deo habitare. Multi autem sunt qui semper & solùm cogitant terrena, nec vllam de cœlo curam aut cogitationem habent: ranis quàm simillimi, quæ perpetuò in paludibus & vallibus versantur, numquam in montem conscendunt. Et licet aliquando è palude suâ in terram prosiliant: proximæ tamen paludi assident & mox in eam resiliunt. Proreptunt & illi è domibus & agris suis in templum quandoque, sed interim paludem suam cogitant, & ad eam redeunt, nullo fructu in Ecclesia percepto.

4. Denique quia præclara Dei opera & beneficia ferè in montibus semper exhibita. Lex in monte Synai Moysi tradita. Eidem in rubo apparuit Deus in monte Horeb. Similiter & Eliæ. In monte ereptus Isaac à gladio parentis. In monte pauci panibus pasti homines à Christo. In monte Dominus crucifixus: è monte ascendit in cœlum; in montem demisit Spiritum sanctum. In monte vndecim discipulis rediuiuus apparuit, &c. Nimirum vt hæc tam insignia monumenta & beneficia magni faceremus & immortali memoriæ commendaremus eaque prædicaremus super tecta & montes. Quoniam igitur in hac transfiguratione gloria Christi declaranda & ipse noui testamenti Legislator promulgandus fuit, ideò in monte instituta est.

Communis autem sententia est, montem fuisse Thabor (quod exponitur: venit lumen) vicinum Capharnao vrbi, in quam à transfiguratione mox descendit Dominus. In eo postea Christiani tria templa extruxere, teste Beda cap. 17. de locis Sanctis.

E. IV. Qualis hæc transfiguratio. QVÆST. QVARTA, Qualis fuit hæc transfiguratio? Resp. primò, fuisse assumptionem illius claritatis, quę est vna ex quatuor do-

1. tibus corporis glorificati. Et tamen ex huius vnius aspectu adeò recreati sunt Apostoli. Quid si Dominus omnes dotes corporis, quid si & animæ dotes, quid si diuinitatem suam monstrasset?

2. Resp. Secundò, affecisse totum Christi corpus, non faciem tantùm: ex corpore redundasse splendorē in vestimenta vt lucida simul & cādida apparerent: sicuti Sol illuminans nubē reddit eam candidam & lucidam. Cæterum nominatim facies Christi rutilasse instar Solis iure dicitur: quia ea in passione plurimum pati debebat & maximè deformanda ac conspuenda erat, tamquam locus esset immundissimus. Magnæ autem confusioni iustè debetur magna gloria. Hinc membra SS. Martyrum vulneribus & ignominiâ potissimùm affecta, fulgebunt in gloriâ maximopere.

Adhæc vti fulgor corporis Christi indicabat futuram eius gloriam; sic fulgor vestimentorum à corpore participatus indicabat gloriam Sanctorum qui per vestimenta Christi designantur Isai. 49. *Viuo ego dicit Dominus* (Christo videlicet) *quia omnibus his velut ornamento vestieris & circumdabis tibi eos quasi sponsa.*

Candor vestium festiuitatis & lætitiæ signum est, hanc ibi expectamus, vigiliam hic celebramus.

F. V. Cur comparuerunt Moyses & Elias. QVÆST. QVINTA, Cur apparuerunt & verè comparuerunt ibi Moyses & Elias? Resp. Primò, vt intelligerent discipuli Dominum suum non esse Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, sed Prophetarum omnium Dominum, ad cuius festiuitatem condecorandā venerunt duo illius serui maiestate circumdati. 1.

Secundò, Vt omnibus innotesceret Christum à lege & Prophetis testimonium suæ diuinitatis & doctrinæ habere, contra calumniam Iudæorum accusantium Christum quasi transgressorem legis & blasphemum, Dei gloriā sibi 2.

vsurpantem. Tametsi enim Christus multis modis testabatur suam diuinitatem & missionem à patre, dicebant tamen Iudæi: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Itaque Iudæorum Legislator Moyses adducitur & magnus ille legis zelator Elias, ad approbandum Euangelium, *quod à lege erat insinuatum, à Prophetis pronuntiatum*, vt ait August. l. 5. de hær. cap. 7. quodque si illis contrarium fuisset, non dixisset Pater de Filio: *ipsum audite.* Nesciebat igitur Petrus quid diceret, cùm petijt ædificari tria tabernacula singulis distincta, quia hæc tria vnum sunt, & vnum eorum tabernaculum, Ecclesia Dei. Habet itaque hic Iudæi signum de cœlo, quod petierunt.

3. Tertiò, Vt omnis generis testes Euangelij adduceret; ex mortuis Moysen, ex viuentibus discipulos, ex ijs qui extremo tempore viuent, Eliam. Moyses initium dedit legi veteri, Elias finem imponet nouæ, Christus inter vtramque medius, & finem dedit veteri & initium nouæ: vt ita impleatur illud Abacuc cap. 3. *In medio duorum animalium cognosceris?* Vt exponit Tertull. l. 4. contra Marcion. cap. 22. Sic Nicenum Concilium confirmari voluit Deus etiam à mortuis, vt scribit Nicephorus. l. 8. cap. 23. & Greg. Presbyter orat. de Patr. Conc. Nicen. duobus inquam Episcopis qui durante Concilio obierant, finitoque Concilio à Patribus compellati, & ipsi manu sua Concilio subscripsisse reperti sunt: postquam Acta Concilij super eorum sepulchra posita fuere.

4. Quartò, Vt ostenderet se vitæ & mortis Dominum, viuentium & mortuorum (siquidem Eliam viuum è paradiso, Moysen mortuum è limbo adduxit) & venturum aliquando maximâ cum gloriâ iudicare viuos & mortuos. Tunc vti Elias ad paradisum, Moyses ad limbum reductus est: ita electi ad cœlum euehentur, reprobi ad inferos detrudentur. Item neminē nisi per ipsum eiusque fidem saluandum.

5. Quintò, Ad instructionem discipulorum. Nam & Moyses & Elias pro lege Dei, morti se exposuerunt imperterriti. Moyses opposuit se Pharaoni, Elias Achabo. Hinc confirmari debebant discipuli vt simili fortitudine pro Euangelio se morti offerre & aspera quæque sufferre non dubitarent. Item vt Moyses charitatem, qua petierat deleri è libro vitæ vt dimitteretur noxa populo: Eliæ zelum, quo 450. pseudoprophetas deleuit, imitarentur.

6. Sextò, Quia vtrique Christus in quibusdam similis erat. Primò, In ieiunio 40. dierum: Ex quo disceremus, si cum Christo ieiunemus, cum eo nos glorificandos esse. Secundò similis erat Moysi in mansuetudine, sufferens patientissimè quascumque iniurias sibi illatas. Similis Eliæ in zelo iustitiæ & honore patris tuendo.

7. Septimò, Ad instructionem nostram, vt nos ipsos perpetuò inter Eliam & Moysen, id est, viuos & mortuos constituamus & vno quidem oculo vitam, altero mortem contemplemur. Ita monet. S. Bernardus Eugenium Pontificem ep. 237. *In omnibus operibus tuis memento te esse hominem & timor eius qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tua certissima & citissima decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nunciet tibi. Ingi proinde meditatione inter huius præsentis gloriæ blandimenta memorare nouissima tua, quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.* sic ille.

Q. Sexta, Qua de re loquebantur? Respondet. S. Lucas, dixisse *excessum eius* id est, mortem seu exitum Christi, vt habetur in Græco. Sed cur ibi de morte Christi sermo, in tanta solemnitate & gloria? Resp. Primò vt confirmaret id quod paulò ante discipulis prædixerat *Matth. 16.* quia nimirum oporteret eum ire Ierosolymam & multa pati à senioribus & scribis & occidi, &c. Docet igitur discipulos Dominus, hoc iam à Deo definitum & à Prophetis præuisum ac prædictum esse, prædicique & confirmari eorum nunc testimonio. G. VI. Qua de re locuti. De morte Christi. 1.

Secundò: Vt doceret nobis per crucem veniendum esse ad gloriam & per eius mortem aditum ad vitam aperiri. Nam si Christus ipse, sanguinis sui lytro morteque ipsâ gloriam suam comparare debuit: nemo gratis sibi dandam speret. Vnde colligimus cruces & tribulationes maximi faciendas, quia sunt monetæ, quibus emitur gloria, vnde à S. Petro. 1. Pet. 1. vocantur *possessores* Christi *gloriæ*. 2.

Tertiò, vt doceret quemadmodum nihil in mundo vsquequaque iucundum, quod non habeat annexum aliquid triste vel amarum; ita lętis rebus tria miscenda. Sicut olim triumphantibus victoribus à tergo occinebat præco: *Respice post te, hominem memento te.* Cui etiam à tergo appensi ad currum triumphalem fasces erant, quasi aliquando eò deuenire queat, vt virgis cædatur; quod certè factum Christo. Itaque *si annis multis vixerit homo & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum*, id est, æternitatis, ait Ecclesiastes cap. 11. Hoc est tingere buccellam suam in aceto, quod Booz facere iussit Ruth. *Ruth. 2.* 3.

Quaest. Septima, Ad quid adducta nubes? Resp. primo, Vt ostenderet Petro Christus *Se tabernaculo ipsius minimè opus habere. Ipse quippe erat, qui patribus in tabernaculū nubis fecerat in solitudine per 40. annos* ait S. Ephrem. serm. de Transfig. Domini. Tabernaculum itaque melius ex tempore exhibuit; vt doceret nos solicitos esse potiùs de cœlesti tabernaculo, quàm de terreno. H. VII. Ad quid adducta nubes. 1.

Secundò, Vt indicaret præsentiam ipsius Dei Patris locuturi mox ex ea tanquam præsentis, nec non maiestatem venturi ad iudicium Christi. 2.

Tertiò, Ad arcendam discipulorum curiositatem, ne viderent quomodo & quorsum abducerentur Moyses & Elias, quemadmodum & ipsis dormientibus adducti erant: Item quo- 3.

quomodo Christus splendorem suum deponeret quem iisdem nescientibus assumpserat. Ita olim dicebat Deus ad Moysen: *Veniam ad te in caligine nubis*. Exod.19. Ideò mons Sinai fumabat, dum ibi loqueretur cum Moyse Deus.

I. VIII. Cur taceri voluit Christus hoc mysterium.

QVAEST. OCTAVA. Cur præcepit Christus discipulis: *Nemini dixeritis visione, donec filius hominis à mortuis resurgat?* Resp. 1. Primò, ne rudis plebs occasionem acciperet grauioris scandali, vel certè aliorum peccatorum: si viderent eum postmodum crucifigi, de quo tam magnifica spargebantur. Quanto enim quisque magis celebratur, dum stat: tanto acriùs in eum dicitur, cùm ad casum impellitur. Multi etiam qui hanc eius gloriam cum inuidiâ audiuissent, postmodum videntes Christi depressionem, perperam plausissent. Alij Christo infensi, grauiores in eum propter hoc contumelias excogitassent in opprobrium credentium.

2. Secundò, Poterat id inuidiam aut mærorem excitare inter reliquos discipulos & contentionem, quod non omnes ad hoc spectaculum admissi essent: ideò hæc præscindere voluit.

3. Tertiò, Ad commendandam nobis humilitatem: vt ne desideremus prędicari bona nostra in hac vitâ: sed differri potiùs optemus vsque ad diem illum, qui omnia reuelabit: & *tunc erit tibi gloria*, cùm dicetur tibi: *amice ascende superiùs.*

I. IX. Quomodo Pater in filio sibi placet.

QVAEST. NONA, Quomodo Deus in Christo sibi complacet; Respondet Pater Cornelius à Lapide in cap. 1. epist. 2. S. Petri. 1. *Primò, quia eum verbo hypostaticè vnitum, vt Filium suum infinito amore diligit, in eoq́; totus complacendo conquiescit.*

Secundò, quia per eum solum placuit illi homines redimere, nouamque legem & Ecclesiam instituere. 2.

Tertiò, quia in summa eius obedientia, humilitate, sanctitate mirè sibi complacuit, per eum placatus fuit toti humano generi, ac cum eo in gratiam rediit, & innumera scelera ei condonauit: nam, vt ait Christus Ioannis 8. Quæ placita sunt ei, facio semper, ita S. Bernard. serm. 1. de Epiphan. 3.

Quartò, quia per eum omnes in eum credentes diligit, sanctificat filios & hæredes suos destinat. Nemo enim placet Deo patri nisi per Christum; & omnes qui Christo placent, placent & ipsi. 4. *Denique omnis virtus, sapientia, sanctitas, adeoque quidquid Deo placet per Christum placet.* 5.

I. X. Quis ordo transfigurationis.

QVAEST. DECIMA. Quis ordo huius transfigurationis? Respondet ibid. Corn.

Primò, Christus orans, interim discipulis ex labore cõscensi mõtis, & ex prolixitate orationis Christi somno grauatis ac dormientibus trãsfiguratus est Christus. Secundò, accesserunt Moyses & Elias loquentes cum Christo de excessu (morte crucis) quem completurus erat in Ierusalem. Tertiò, Apostoli è somno hoc fulgore & colloquio excitati viderunt gloriam Christi, eum eóque colloquentes Moysen & Eliam. Quartò finito hoc colloquio cùm signum darent abitus, S. Petrus hac voluptate quasi ebrius, dolens eos parare abitum, petijt fieri tria tabernacula, vnum Christo, secundum Moysi, tertium Eliæ. Quintò supervenit nubes subducens Moysen & Eliam, cum voce ad Christum. Hic est filius meus dilectus, &c. quibus territi S. Petrus, Iacobus & Ioannes ceciderunt in terram; sed mox à Christo confortati & erecti leuantes oculos suos solum viderunt Iesum. Interim Moyses ad limbum, Elias ad suum locum per Angelum vt adductus, ita & reductus est.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Lucæ 11.



N illo tempore, Erat IESVS eijciens dæmonium: & illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur: & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum DEI. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens, vicerit eum: vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et Cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam, & orna-

ornatam. Tunc vadit,& assumit septem alios spiritus secum, nequiores se: & ingressi habitant ibi Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier, de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit,& vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud.

CONCIONES.

I. *Panoplia seu armatura Diaboli.*
II. *Quamobrem plures homines Dæmoni potiùs seruiant quàm Deo: terrena quàm cœlestia sectentur.*
III. *Cur Deus multoties Dæmones grassari in homines permittat.*
IV. *Remedia aduersus maleficia & Dæmonum infestationes.*
V. *Dæmonis vigilantia, quâ custodit seruos suos, peccatores.*
VI. *Causa, quæ mutum faciunt confitentem.*
VII. *Confessionis Sacramentalis Conditiones.*
VIII. *Impedimenta Conuersionis quomodo superanda.*
IX. *Documenta.*
X. *Mysteria.*

CONCIO I.

Panoplia seu armatura Diaboli.

1. *Armigeri Diaboli per Goliath significati sunt obliuio, negligentia & concupiscentia.*
2. *Cossis ærea, cogitationes malæ & scrupuli.*
3. *Clypeus eius, infidelitas, occultatio & defensio peccatorum, præsumptio.*
4. *Lorica armata, consuetudo mala, obstinatio & desperatio.*
5. *Ocrea ærea, tristitia & acedia.*
6. *Gladius; peruersa lingua: qualis est lingua mēdax, blandiloqua, susurrans.*
7. *Hasta & lancea, sunt mali homines aliaq; obiecta sensuum.*

THEMA.

Cùm fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea, quæ possidet. Luc. 11.

A. ASTutus simul & armatus bellator fuit Goliath. Astutus quidem primùm, quod neminem sibi parem videns in castris Hebræorum, prouocare eos studuit ad certamen singulare, vnde tota victoria penderet, quasi haud dubiè victurus. Deinde dum suo saltu & ratâ corporis mole terrere & absterrere à certamine eos voluit, vt confusi & pauidi discederent. Denique dum obuiantem sibi Dauidem despexit & minis deuorare quodammodo voluit: *Nunquid ego canis sum*, inquit, *quod tu venis ad me cum baculo; Veni ad me & dabo carnes tuas volatilibus cæli & bestijs terræ.* 1. Reg. 17. Sed nec minùs armatus fuit. Etenim Cassis ærea super caput eius erat, & loricâ hamatâ (alij, squamata) induebatur, ocreas æreas habebat in cruribus & clypeus æreus tegebat humeros eius, hastam prætereà maximi ponderis & gladium præstantissimum habebat, denique armiger eius antecedebat eum. Verissima effigies ipsiusmet diaboli, qui an dolosus magis quàm armatus sit, nemo facilè definiet; in vtroque enim excellit: quod vel ex hodierno Euangelio facilè colligitur, vbi dolosum legimus, quando hominem possessum fecit cæcum & mutum; armatum & fortem, quando cum septem nequioribus spiritibus redijt in possessionem suam. Vidimus ante octiduum eius dolos, nunc videamus eius arma.

B. I. Armigeri Diaboli, obliuio, negligentia, concupiscentia.

PRIMÒ, *Armiger eius antecedebat eum.* Habet & diabolus non vnum, sed plures armigeros, qui ipsum antecedunt. Sunt autem hi tres potissimum: obliuio, negligentia & concupiscentia; quos vocabat quidam senex in Vitis Patrum. l. 6. libello 11. vers. 46. tres diaboli prodromos. *Etenim si obliuio venerit*, inquit, *generat negligentiam: de negligentiâ verò concupiscentia nascitur; de cōcupiscētiâ verò corruit homo.* Præmittit ergo dæmon & procurat in hominibus obliuionem Dei, verbi diuini, orationis, nouissimorum, quibus velut armis defendere se possent. Deinde per negligentiam securos eos facit, vt ne sibi inuigilent, sed fræna appetitibus suis laxent: procurat vt verbum Dei & rē sacram negligant, sub concione dormiant, peccata commissa obliuiscantur, conscientiam ante confessionem negligenter examinent, &c. Ad extremum affectus & prauas eorum inclinationes commouet & inflammat incitatque ad peccatum. Hæ sunt ancillæ dæmonis ostiariæ, quæ ostium ei aperiunt ad tentandum nos. Hi sunt funis è naui dependens, quo apprehenso facilè nauim ad se trahit. Vnde dixit Abbas Pimenius: *Dæmones nobiscum nō pugnant, quia voluntates eorum facimus: sed nostræ nobis voluntates dæmones facti sunt.* Exemplo est monachus quidam ad iracundiam pronus, in vitâ S. Euthimij apud Surium *in Ianuario*, qui occasiones iracundiæ declinaturus è monasterio (quod erat S. Euthymij) secessit in Eremum. Verùm dæmon vas, quod ille secum in solitudinem tulerat aquâ repletum deijcit totamque aquam effundit. Repletum igitur denuò vas suo loco reponit monachus, sed dæmon rursum id inuertit. Tandem cùm id sæpius fieret, irâ percitus vas arreptum terræ allidit & comminuit: serò tandem animaduertens suam passionem causam esse huius mali, ad monasterium redijt.

C. II. Cassis ærea cogitationes malæ & scrupuli.

SECVNDÒ, *Cassidem æream gerebat in capite.* Galea Diaboli sunt prauæ cogitationes, quas in phantasiâ gignit, variarum rerum species inge-

ingerendo, humores alterando, &c. ijque caput hominis grauat, & obnubit, obtunditque aciem mentis, vt apparentia bona pro veris reputentur, vera pro falsis. Ponit enim in capite & phantasiâ hominis variarum rerum etiam longè dissitarum imagines imprimitque tam fortiter, vt pulchriores & dulciores appareant, quàm reuerà sint, & sæpe magis moueant apprehensæ per imagines, quàm reipsâ possessæ, aut coràm existentes. Quemadmodum & equi, horti, domus & vrbes pictæ ordinariè pulchriores sunt quàm veræ. Res enim quantumuis pulchræ & suaues, semper admistam habent aliquam fæditatem vel amaritudinem: sed imagines artificio diaboli imaginationi oblatæ nihil fœdum, nihil insuaue, sed meram pulchritudinem ac dulcedinem præseferunt. Vt ergò Zeuxes fertur vuas ad viuum ita pinxisse, vt aues aduolarent eas direpturæ, puerum verò eas ferentem imperfectè; (si quidem eum aues timere debuerant) vt refert Plinius *l. 35. cap. 10.* ita etiam Dæmon depingit hominibus rerum imagines tam artificiosè, vt solidæ videantur, cùm sint vanissimæ: earum verò vanitatem, fæditatem & amaritiem, quæ deberet absterrere, ruditer delineat vel omninò tegit. Huiusmodi molestissimam galeam imposuit plerisque fortissimis viris, quos alijs modis vincere non poterat, vti S. Antonio, Hilarioni, Hieronymo, Benedicto, Francisco: qui tamen eam haudquaquam diu in capite suo tolerârunt, sed abiecerunt protinus. *Ille cogitationes sordidas*, ait S. Athanasius in vita S. Antonij, *conabatur inserere, & hic* (Antonius) *eas oratiu submouebat assiduo, &c.* Ergò sicut Moyses adbuc puer coronam regiam quoties ei illa à Pharaone imponebatur manu deijciebat, vt scribit Iosephus *l. 2. Antiq. c. p. 5.* & pedibus proculcabat: sic faciamus nos cùm dæmon suis phantasijs caput nostrum onerat. Alios torquet scrupulis: alios contrà decipit per laxam & erroneam conscientiam, vt multi anteà perueniant ad gehennam, quàm peccata sua cognoscere & deflere potuerint, vt ait Cardin. Bellarm. *l. 2. de gemitu columbæ cap. 12.* Nos vtrumque caueamus velut Scyllam & Charybdin.

D. III. Clypeus eius. 1. Infidelitas. TERTIÒ, *Clypeus æreus tegebat humeros eius*, inquit textus. Clypeus Diaboli, quo tuetur errores & peccata in hominibus est Primò infidelitas, cùm suadet non credenda, quæ dicuntur in Scripturis ad terrorem peccantium: vel saltem ad sua vitia defendenda, scripturarum sensum detorquendum, ijsque hac ratione velum oppandendum & clypeum. Quo clypeo se defendere solent hæretici. Verbi gratia contra ictum abstinentiæ objiciunt locum illum Christi: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem.* Contra carnis mortificationes, illum pauli: *nemo vnquam carnem suam odio habuit*, &c.

2. Occultatio peccatorum. Secundò, Occultatio peccatorum; quo armorum genere vsus erat in primis parentibus, cùm eius nimirum instinctu post peccatum nuditatem suam agnoscentes texuerunt se folijs ficus & absconderunt se à facie Dei nec non cùm excusare conati sunt peccatum suum. Item in Rachele quando ea sedens super idola abscondit ea, ne deprehensa à patre tolleretur. Rursum in Dauide, cùm is adulterium suum celare alijs peccatis adultis conatus est.

Tertiò, Defensio peccatorum. Hoc scutum porrexit Iudæis, quando iniquissimum suum iudicium contra Christum peractum defendere volentes clamârunt ad Pilatum: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* q.d. si fiat ei iniuria, veniat super nos. 3. Defensio peccatorum.

Quartò, Præsumptio de Dei misericordiâ. Hoc clypeo vtitur Diaboli instinctu, hæretici moderni, qui sola fide in Christum sibi blandientes vel in medijs peccatorum sordibus vt iumenta computrescunt, sed & alijs eamdem pollicentur securitatem. 4. Præsumptio.

Hunc clypeum objiciebat ille qui monitus vt saluti suæ consuleret, dicebat nullam se huius rei curam habere, tribus enim verbis se in mortis articulo salutem cõsecuturum. Factum autem vt in hyemali tempore equo insidens pontem lacerum transire volens cadens vndis obrueretur, & tum expers spei, tria verba protulit, sed quænam illa? non quibus salutem pararet, sed gehennam. *Capiat omnia Dæmon*; ait Staplet. *in prompt. mor.*

E. IV. Lorica hamata. 1. Consuetudo mala. QVARTÒ, *Lorica hamatâ induebatur* maximi ponderis. Diaboli lorica est Primò consuetudo mala, vnde Germanicè dicimus: Gwon ist ein Eysene Pfaid. Vt enim lorica ex innumeris ferreis annulis conserta & contexta est: sic consuetudo ex innumeris peccatis sæpissimè iteratis; vnde rete quasi ferreum texitur, quo se tentum & grauatum fuisse, aliquando testatur Augustinus *l. 8. Confess. cap. 5.* cùm ait *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersâ facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, (vnde catenam appellaui) tenebat me obstrictum dura seruitus.* sic ille.

2. Obstinatio. Secundò, Obstinatio, quæ vt lorica ferrea, impenetrabilis est. Similis animalibus illis cataphractis & loricatis quæ vulnera spernunt, & tauris Æthiopiæ cornu-mobilibus, qui tergora silicis duritiâ habent omneque vulnus respuunt, nec aliter nisi foueis capi possunt, teste Plin. l. 8. cap. 21.

3. Desperatio. Tertiò, Desperatio. Hinc lorica Goliathi fuit hamata, id est, hamis vndique instructa. Talis autem est desperatio, quæ ita retinet hominem vti piscem hamus vnco suo recuruo, ne elabi possit. Quibus sanè hamis capit non paucos dæmon; monstrans eis multitudinem peccatorum commissorum eaque exaggerans, & hoc quasi ferreo reti obruens & illaqueans. Sic venator ceruum fugientem clamore & strepitu infequens impellit in retia.

F. V. Ocreæ æreæ tristitia & acedia. QVINTÒ, *Ocreas æreas habebat in cruribus.* Binæ dæmonis ocreæ, graues & æreæ, gressum retardantes sunt tristitia & acedia quas S. Bo-

nauentura *ferm. 6. de Aduentu*, ait binas esse Diaboli catenas, quarum illa animum, hæc verò corpus ligat. His vbi ligauit hominem, facilè eum vel præcipitare in desperationem potest; vel mundanis illecebris inescare. Lictor furi in pedibus tantùm vincula inijcere solet & tum facilè eum coërcet.

G. VI. Gladius peruersa lingua. SEXTÒ, *Habebat gladium*, eumque præstantem, *cui nō erat alter similis*, vt ait Dauid 1. Reg. 21. Gladius autem dæmonum est peruersa lingua, iuxta id Psalm. 56. *Lingua eorum gladius acutus*; quem proinde velut noxium Deus in ore hominis quasi in vagina cōdidit. Talis verò est

1. Mendax. Primò, lingua mendax, quâ decepit & ferijt Euam, quando dixit: *Nequaquam moriemini*; & ferit etiamnum plurimos hæreticorum peruersis scripturarum expositionibus: nec non cum hæreticis Catholicos, venditando eis fabellas ab hæreticis cōfictas in odium Ecclesiæ, pro veritate, veluti de Papissâ Ioanne; de Papâ Benedicto quem magiæ horrendæ falsò accusant, &c. Quemadmodū olim Ariani fecerunt S. Athanasio; de quo nequiter commenti sunt quasi vim attulerit mulieri, Arsenio manum resecuisset, frumenta interuertisset, &c. Et nostro tempore sectarij Cardinali Bellarmino, viro inculpatissimo, pijssimoque.

2. Blandiloqua. Secundò, Lingua blandiloqua & adulatrix, qualis multorum inprimis hæreticorum, vti olim Arij, de quo testatur D. Epiphanius, *har. 69.* eum tam dulcis eloquij fuisse, vt breui multos presbyteros & Episcopos, 700. Virgines sacras & omnis generis homines loquendo peruerterit. Et Faustus Manichæus, cuius suauiloquentiâ multos fuisse peruersos scribit S. Augustinus *lib. 5. Confess. cap. 3.* Et superiore sæculo Lutherus paternâ linguâ eloquentissimus. Deinde lingua adulatorum, quorum oscula peiora sunt, quàm vulnera diligentium, teste Sapiente *Prou. 27.*

3. Susurrās. Tertiò, Lingua susurrans & detractoria, de quâ S. Bernard. ait: *Gladius equidem anceps imò triceps est lingua detractoris*; quia scilicet tres vulnerat vno ictu: detrahentem audientem & absentem cui detrahitur: cui non tantùm famam rodunt, sed etiam sæpe progressum in virtute obstruunt.

H. VII. Hasta. SEPTIMÒ, *Hastam gerebat* maximam & ponderosam, cuius hastile crassitie æquabat liciatorium, circa quod textores telam circumuoluunt. Hasta seu lancea diaboli sunt Primò,

1. Mali homines. mali homines quorum ministerio vtitur ad peruertendos alios; de talibus enim dicitur Num. 33. *Erunt vobis clam in oculis & lancea in lateribus.* Huiusmodi sunt mali rectores, Consiliarij, focij, amici, qui mandato, consilio, hortatu, blanditijs & importunitate suâ impellunt ad peccata. Sic. 3. *Reg.* 13. Propheram bonum seduxit per Prophetam malum vt comederet contra mandatum Dei.

2. Obiecta sensuum. Deinde lanceæ diaboli sunt, obiecta sensuum delectabilia; vt species mulierum & rerum curiosarum, quibus sauciantur improuidorum oculi, Cantus profanus, detractiones, quibus aures: Vinum & gulæ illecebræ, quibus illaqueatur gustus: odores delicati, quibus odoratus: voluptas fæda, quâ tactus. Denique obiecta appetitus rationalis, vt honor & diuitiæ. (sed de his mox copiosiùs infrà.)

Quare dicere possumus cum S. Iob c. 16. *Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terrâ viscera mea. Concidit me vulnere super vulnus: irruit in me quasi gigas.* Videmus proinde quam cautè & solicitè ambulare debeamus in hoc sæculo tot laqueis referto; quotidie etiam orare: *Et ne nos inducas in tentationem.*

CONCIO II.

Quamobrem plures homines Dæmoni potiùs seruiant quàm Deo: terrena quàm cœlestia sectentur.

Prima causa est, quia virtus ardua & difficilis.
2. *Quia sensu superna obscurè apprehenduntur.*
3. *Quia cœlestia in futuro primùm, terrena nunc exhibentur.*
4. *Quia multi non credunt virtutem remunerandam, quibus singulis causis respondetur, aliudque cogitandum suadetur.*

THEMA.

Cùm eiecisset Dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Luc. 11.

PRæteritis Dominicis proposuimus mercaturam Christi & Diaboli. Et si bene attendimus, examinauimus & licitati sumus vtriusque merces. Ac nisi cæci fuimus: vidimus Christi merces omni pretio maiores esse: merces verò dæmonis noxias & fallaces. Hodiernum Euangelium experimentum nobis præbet huius veritatis, dum obsessus à Dæmonio fit mutus, surdus, cæcus. A Christo dum liberatur, restituitur loquelæ, audit, videt. Videmus ergò quam vere dixerit Dominus Ioan. 10. *Fur non venit, nisi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeant.* Videmus furem Dæmonem non nisi furari & mactare: videmus contrà Christum non nisi vitam & salutem dare. Sed quid est, Auditores, quòd hoc non obstante, maior hominum pars ad Diabolum currat, eius merces emat, ei toto pectore seruiat: Christum verò relinquat? Quid hoc aliud est, quàm sequi carnificem, & fugere Saluatorem? currere ad infernum & fugere à cœlo? Hic hæreo, hic stupeo. Sed quò errorem deprehendamus, inuestigemus huius rei causas. A.

PRIMÒ, Quia pretium bonorum cœlestium virtus est, ardua nōnihil & paratu difficilis, ex quo nimirum homo ab originali rectitudine lapsus curuus & obliquus factus est, id est, propensus ad creata & caduca bona, pronus ad malum & auersus à bonis æternis ac virtutibus. Hinc ad cœlum & cœlestia bona via montosa & accliuis, ad terram verò & terrena via plana & decliuis facta est. Illa asperitatem, hæc voluptatem propinat: illa vna, hæc multiplex: B. 1. Quia virtus ardua & difficilis.

plex: illa paucis, hæc multis trita est vestigijs. Ergò quanto facilior est descensus, quàm ascensus: quanto faciliùs aberrare à scopo quàm tangere eumdem: quãto facilior via trita, quàm inuia: tanto facilor est via quæ ad terrena bona paranda, quàm quæ ad cœlestia ducit. Hinc boni efficimur tardè & non nisi cum labore; mali verò citissimè & sine labore, quemadmodum lapis vno momento plus cadit deorsum, quàm per mediam horam trahatur sursum. Age familiariter cum homine vitioso; & breui vitia eius indues: age cum viro sancto, non idcircò repente sanctus eris. *Parum absynthij*; ait Nazianzenus, *amaritudinem suam melli celerrimè impertit; cùm contrà mel ne duplâ quidem parte copiosius dulcedinem suam absynthio infundat. Paruo lapide summoto, flumen totum in pronum trahitur: eiusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi vix potest.* Tange picem aut sordes, ilicò inquinaberis: tange saponem vel lixiuium, non statim vice versâ mundaberis; nisi adhibitâ fricatione & sedulâ tersione. Refert Ælianus *lib. 13. hist.* Theodatam meretricem Socrati insultasse dicentem: *Ego te multum antecello, nam tu cùm neminem ex meis à me possis abalienare; ego, cùm libitum est tuos omnes ad me voco.* Cui Socrates: *Non mirum est hoc: tu siquidem ad declinem tramitem omnes rapis: ego verò ad virtutem cogo, ad quam arduus & plerisque insolitus est ascensus.* Cæterùm initio tantùm via virtutis arcta est & aspera, paulatim dilatatur & fit suauior; nihilominus hæc potissima est causa, eur plures seruire malint dæmoni quàm Deo, vitijs operam dare, quàm virtutibus; quia virtus & obsequium Dei incipit ab asperitate & cruce, adeoque necesse est carnem crucifigere cum concupiscentijs suis. Hæc amara & absynthiaca potio nauseam parit hominibus naturaliter ægris, & causa est sæpenumero vt malint ægrotare & in peccatis suis mori, quàm eo modo curari. Acquiescerem, si homo non homo, sed brutum foret, aut mente captus,
Sed cogitandum. qui solo duceretur sensu. Sed cùm ratione præditus sit, satis superque intelligit, virtutem
1. etsi amaram, perutilem tamen ac salutarem, imò necessariam esse homini propriumque eius bonum, per se appetendum, stabile & solidum. Sic aurum maximo labore, periculo & impensâ in cauernis terræ fodiunt, quia pretiosum. Pulchra res, dentes Elephantis eburnei; sed enim tardè ei nascuntur. Pier. *lib. 2. hierogl.* Si bruta, infantes, & mente capti amaras respuant, dum ægrotant, potiones, nil mirum; quia earum vtilitatem non
2. percipiunt. Sed hominem intelligentem nolle curari, insanum est. Deinde etiam intelligit, eum qui hanc viam præscripsit, vires etiam præbere ad eamdem superandam: quo modo prudens medicus attemperat potionem, vt commodè sumi possit. *Iustè instat præcepto*, ait S. Leo serm. 16. de passione Domini, *quia præcurrit auxilio.*

C. II. *Quia per sensum superna obscurè apprehendimus.*

SECVNDÒ, Quia mens humana cùm inter naturas rationales sit infima, carni proinde inserta & sensibus addicta, nihil perfectè apprehendit præter sensibilia & temporalia, vt honores, diuitias, voluptates: spiritualia verò non nisi confusè & obscurè, vti pulchritudinem virtutum & cœlestium bonorum præstantiam. Hinc quia illa fortiter, hæc verò tenuiter apprehendit, fit vt ab illis validè, ab his verò moueatur languidè, siquidem affectus sequitur apprehensionem. Ergò gustatâ aliquâ suauitate boni terreni, fingit eam multo maiorem, quàm reuerà sit. Similiter gustata nonnihil virtutis amaritudine, difficultate aut molestiâ, fingit eam longè maiorem, & resilit ab illâ.

At verò licet ita res habeat, cogitandum *Sed cogitandum.*
nobis est, Primò, nos adultos & viros esse, non paruulos. Paruuli tantùm, sensibus ducuntur & res viles vti puppas & oues, ac boues ligneos magni æstimant; quia omnia metiuntur aspectu, gustu, sensu. Viri res altiùs pensant & multa, quæ sensibus non subiacent, præstantiora esse sensibilibus intelligunt, nec facilè cum his commutant: Paruuli solent lacerare libros præstantissimos, quos viri docti magno compararent pretio: abijciunt gemmas nobilissimas, in quibus mira virtus latet, quas vir aliquis intelligens nullo auro venderet. Tales pueri sunt sensuales homines, qui quæ sunt vilissima (ea videlicet quæ sensibus percipiuntur) maximi æstimant, & quæ magni æstimanda sunt, contemnunt. Cuiusmodi pueros vetat nos esse Apostolus 1. *Corinth.* 14. dicens: *Nolite pueri effici sensibus. Pueri*, inquit Chrysostomus hom. 80. in Ioan. *magna non desiderant, vilia solent admirari. Currus, equos, aurigas, rotas luto factas; hoc aspectu delectantur. Quòd si Regem in curru aureo sedentem & mulos albos iunctos & eximium cultum viderint, ne respiciunt quidem. Præterea puellas ex cera ornant, veras autem puellas nesciunt; & in multis alijs rebus itidem afficiuntur. Tales nonnulli nunc reperiuntur: nulla his cœlestium cura, sed ad lutea tanquam pueri obstupescunt & terrenis diuitijs blandiuntur & gloriam & voluptates huius sæculi magni pendunt, quæ ita puerilia sunt vt illa. Quæ verò & vitæ & gloriæ & requiei causa sunt, non curant, sed vt pueri, his priuati deflent; illa autem ne desiderare quidem nôrunt. Ita & multi in ætate prouectâ pecunias concupiscunt, non diuitias permanentes; sed puerilet ludos, &c.* Deinde non reperiendos sub Euangelio tales pueros predictum Isai. 65. *Ecce ego creo cælos nouos & terram*; id est, regnum Christi nouum in Ecclesia. Et quale illud? *non erit ibi ampliùs infans dierum & senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur*; id est, si quis senex esset, qui moribus esset puerilibus essetque puet centum annorum, seu ætatem haberet centum annorum, sensibus verò & vitiosa vitâ esset puet, is non perseuerabit in Ecclesiâ, vt ex militante eat ad triumphantem, seb eijcietur de Ecclesia in tenebras exteriores, vt optimè exponit Corn. à Lapide, ex Hieron. & alijs ibi. Eiusmodi pueri erant Ægyptij, qui diuinum aliquid inesse putabant ouibus & bobus: vnde Apin bouis formâ pro Deo colebant aliaque plura animalia: & idcircò abominabantur pastores ouium quòd oues iugularent, quas

colebant

colebant ipsi. *Genes. 46.* Hos ergo redarguens Moyses dicebat Pharaoni: *Abominationes AEgyptiorum immolabimus Domino Deo nostro:* (hoc est, boues & oues, quæ ipsi pro Dijs colunt, ideoque mactatores eorum summè abominantur) *quod si mactauerimus ea, quæ colunt AEgyptij coram eis, lapidibus nos obruent.* Exod. 8. Itaque Iudæi viri erant, scientes nihil inesse ouibus & bobus cultu & admiratione dignum, ideoque eas mactabant quamuis posteà in deserto vnà cum Ægyptijs pueri & ipsi facti sint, quando ad eorum imitationem fecerunt & coluerunt vitulum. Quòd si ante Euangelium fuerũt homines non viri, sed pueri eiusmodi: nunc tamen viri esse debent, ita vt quæ mundus pueriliter magni æstimat, sensibilia videlicet & corruptibilia bona, ipsi magno animo spernant, mactent & occidant: contrà quę ille horret & auersatur, fidem, iustitiam, pietatem, pœnitentiam, mortificationem carnis & cupiditatum, colant & Deo sacrificent. Audi S. Gregorium libr. 10. Moral. cap. 23. *Quid hic,* inquit, *peccator, totis cogitationibus, sperat, nisi vt potestate cæteros transeat, cunctos rerum multiplicitate transcendat, aduersantes dominando subyciat, obsequentibus mirandum innotescat, iræ ad votum satisfaciat, benignũ se cùm laudatur, ostẽdat, quidquid gula appetit offerat? Bene ergo spes illorum abominatio dicitur: quia ea, quæ carnales ambiunt, spiritales quique iudicio rectitudinis auersantur, & quod illi voluptatem æstimant, hi pœnam putant: quia vt caro mollibus, sic anima duris nutritur; & sicut carnem dura sauciant, sic spiritum mollia necant. Spes itaque carnaliũ abominatio animæ dicitur: quia inde in perpetuum spiritus interit vnde ad tẽpus caro suauiter viuit.* Sic ille,

2. Secundò, Cogitanda nobis sunt exempla Christi & Sanctorum, qui tanquam perfecti & intelligentissimi viri rem hanc optimè intellexerunt; & nugis illis fluxis & luteis contẽptis, sectati sunt solida & spiritualia bona sectanturque in hodiernum; Vnde omni tempore excitauit Deus viros religiosos seueræ disciplinæ, abstinentiæ, paupertatis. Modò Eremicolas, modò Benedictinos, modò Franciscanos, modò Chartusianos, & nostro sæculo Capucinos. Adhæc vt erga bona cœlestia magis afficeremur, comparauit ea Christus in suis concionibus rebus sensibilibus, quibus maximè afficimur, veluti conuiuio, regno, thesauro, margaritæ, &c. *quatenus exemplo visibilium,* inquit S. Greg. hom. 11. in Euangelia, *se ad inuisibilia rapiat* (animus). *& per ea quæ vsu didicit, quasi confricatus incalescat: vt per hoc, quod scit notum diligere, discat & incognita amare.*

D. III. Quia cœlestia in futuro primùm, terrena nunc exhibentur.

Tertiò, Quia bona huius mundi in præsenti exhibentur, bona verò cœlestia in futuro primum sæculo sperantur. Ob hanc causam populus Israëliticus arguitur. Osę. 10. cùm dicitur: *Ephraim vitula docta diligere triturare.* Quia videlicet, vt Vatablus exponit, mauult triturare, quàm arare. Dum enim triturat, præsentem habet laboris mercedem & capere subinde fruges, quas terit, potest, semper ante os positas, iuxta id Deut. 25. *Non ligabis os bouis terẽtis in areá fruges tuas:* At verò dum arat, non item: sed expectare debet fruges, diu pòst metendas. *Debet enim in spe, qui arat, arare;* ait Apostolus. 1. *Corinth.* 9. Ita homines mundani triturare potiùs quàm arare volunt, mundo quàm DEO seruire. Talis erat Balaam, qui optabat quidem mori morte iustorum, sed nolebat viuere vitâ iustorum, quia occasione præsentis auri, quod legati Regis Balac in manibus habebant eique pro mercede iniqua diuinationis offerebant, seductus fuit, & posuit scandalum populo Dei, contra expressum Dei præceptũ. *Perrexerunt Seniores,* ait textus Num. 22. *habentes diuinationis pretium in manibus.* Hebraicè: *diuinationes,* quasi pretium ipsum fuerit incantatio ipsius Balaami, vti reuerà fuit. Eo enim victus & quodammodo incantatus fecit, quod facturum se abiurauit, dicens: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei.* Hoc ergò potentissimo incantationis genere incantantur plerique homines, vt temporalia sectentur & vitia: quia hæc paratam habent mercedem: virtus verò futuram tantùm. Huc etiam pertinent filij Ruben & Gad. *Num.* 32. qui videntes fertilitatem terræ cis Iordanem, bello iam partæ, noluerunt trans Iordanem sortiri partem suam, quia hæc primùm armis paranda erat. Putabant ergò melius esse præsens quàm futurum, **der vab ich / als de hett ich.**

Sed debemus meminisse primò, nos esse Christianos, qui in duobus potissimùm gloriamur, in futuris cœli bonis & in præsentibus tribulationibus. Illa nobis denarius, hæ labor diurnus sunt. Audi Apostolum ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Hoc ergo habemus peculiare Christiani, quod non habent gentes. Ob hanc causam dicitur Ecclesia calceata hyacintho, qui cœlestem refert colorem, Ezech. 16. *Calceaui te hyacintho,* id est pedem tuum ornaui spe cœli, &c. Et certè *si in hac vitâ tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus,* ait idem Apostolus 1. *Corinth.* 15. Frustra enim nos affligeremus ob virtutem. Absit verò vt ita decipiatur orbis Christianus. *Sed cogitandum.* 1.

Secundò, Fluxa & transitoria non esse digna quæ amentur à Christianis, qui excelsum habere animum debent, sublimiorem istis infimis. Non frustrà vidit Ioannes *Apocal.* 12. Ecclesiam formâ mulieris amictæ Sole & Lunam sub pedibus habentis. Designauit enim Ecclesiam decorari & ornari Christo Sole, eiusque radijs seu bonis solidis & constantibus, quale est Solis lumen, Lunam verò habere suò pedibus; quia contemnit omnia bona sublunaria, tanquam fluxa & inconstantia, quale est lumen Lunæ. Audi S. Gregor. l. 34. *Moral. cap.* 7. *Sancta Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi Sole vestitur: quia verò cuncta temporalia despicit, Lunam sub pedibus premit.* Eiusmodi heros fuit Abraham, cui cùm Rex Sodomorum offerret partem spoliorũ eius manu partorum; 2.

rum ; Respondit Abraham: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt ; ne dicas ego ditaui Abram.* q. d. Habeo Deum excelsum & ditissimum possessorem cœli & terræ, ad quem leuo manum. Absit igitur vt de rebus terrenis & vilibus istis cupiam aliquid. Sic Principes & diuites spernunt oblata sibi munera. Imò hæc fecêre multi Philosophi gentiles, solâ animi celsitudine : cùm nihil in cælo sperarent. Dicat ergo Christianus cum Dauide: *Quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram? defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea, &c. Psal. 72.*

Denique errant toto cœlo, qui putant virtuosos nullâ hic frui dulcedine, vti sequente Dominicâ dicemus.

E. IV. Quia non credunt aliqui virtutem remunerandam. QVARTÒ, Quia multi non credunt virtutem aliquando remunerandam, vitium puniendum, vel certè non attentè & assiduè cùm plenâ fide cogitant. Audi de his Psalmistam, psal. 4. *Multi dicunt : quis ostendit nobis bona ?* q. d. quis descendit ad nos de cœlo, vt testaretur de illis bonis ? quis ab inferis ascendit, vt testetur de eorum pœnis ? sed audi etiam respondentem : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Lumen istud ostendit nobis primò legem naturalem, quid laude vel vituperio dignum sit ; quid prosequendum, quid fugiendum: quid pulchrum, quid turpe; quid præmio, quid pœnâ dignum. Vnde propria conscientia iudicium fert in hominem ex tribunali cordis, vti Dauid cùm seipsum condemnauit: *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui hoc fecit. 2. Reg. 12.* Et Achab. *3. Reg. 10.* Prædicit ergo nobis conscientia præmium vel pœnam.

Sed cogitandum. 1. Secundò, ostendit capacitatem quandam infinitam à Deo nobis insitam, quæ non nisi summo bono potest expleri. Cùm verò Deus & natura nihil faciant frustrà; proinde nec appetitus iste rationalis frustra erit, ergo potest homo petere, vt Deus impleat illum.

Tertiò, Ostendit nobis viam securiorem ad bene beateque viuendum eligendam esse, eamque esse virtutem & pietatem, non vitia & impietatem. Clamant hoc scripturæ, clamant SS. Patrum & omnium sapientum consensus, clamat ipsa conscientia, cui vtriqui debebas credere. Dicit enim tibi : Itáne errauit Christus? itáne tot Sancti ? & errant in hodiernum tot religiosi, tot sapientes ? Num tu meliùs sapis ? Quod si tu fallaris ? Sed esto fieri posse vt decipiantur illi & ego rectè sentiam : quid nocebit mihi, si illorum, non meam opinionem fuero secutus ? At verò, si me ipse decepero, irreparabile damnum incurram. An non igitur consultius, sequi tutiorem partem, in dubio præsertim tanti momenti, ex quo pendet æterna fœlicitas & miseria ? inter duas vias, quarum vnam nosti suspectam esse de feris aut latronibus, alteram verò securam, tametsi longiorem aut difficiliorem: nónne istam eligis ? Iam verò via mundi voluptatis & vitiorum ad minimum tibi suspecta esse debet : Via verò virtutis licet sit asperior, secura tamen est ab æternâ damnatione. (Quis enim vnquam timuit damnari ob virtutem ?) Cur ergo in hoc biuio non idipsum agis ? cur non tenes certum & dimittis incertum ? Porrò si hoc dubium foret de re exiguâ, non multum interesset : sed quia est de bono aut malo summo & æterno summè ponderandum est. Hoc dilemmate conuersum nuper Politicum quemdam scribit Corn. à Lapide *in c. 5. Amos*, videlicet ; vel est numen & vindex Deus post hanc vitam, vel non est. Si non est, attamen si id credidero, non mihi nocebit, imò proderit; inducet enim me ad vitam honestam & homine dignam. Si est, & ego illud non credidero, imò negauero, quas eius iras, quæ tormenta ab eo ob hanc perfidiam & blasphemiam expectare me oportet. Rursùm, vel sunt præmia bonorum & supplicia malorum, vti ipsa ratio dictat, post hanc vitam, vel non sunt. Si non sunt, ea tamen credere, sperare & timere non oberit; imò proderit ad omnem virtutem. Si sunt, & ego ea non credens scelerate vixerim, vtique damnabor. Quantum igitur præstat ea credere quàm non credere ? Ergo aperiamus oculos, Auditores, & spretis mundi ac diaboli mercibus, comparemus merces Christi cœlestes, &c.

CONCIO III.

Cur permittit Deus multoties dæmones grassari in homines.

1. *Ad Dei gloriam : hinc enim claret Dei bonitas, sapientia, potentia & iustitia.*
2. *Ad hominum vtilitatem, nam hinc probamur, perficimur, instruimur & fides confirmatur.*
3. *Iusta Dei vindicta per hoc exercetur in contumaces, duros & immisericordes, libidinosos & iustorum oppressores, &c.*

THEMA.

Tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Luc. 11.

MIrum videri potest, vnde tanta dæmoni sit potestas, vt hominem subintret & ab eo expulsus, iterum redeat fortior quàm ante, cum septem alijs spiritibus se nequioribus, & ingressus habitet in eo, imò & cruciet eum. *In qua* enim *potestate* facit *hoc* dæmon, & *quis* ei *dedit hanc potestatem?* Eccur imprimis non alligatur suis carceribus vt egredi ad homines nequeat? vel si egredi ei datur, cur non prohibetur intrare in ipsosmet homines? Aut cur non saltem arcetur à Christianis? Quid quod etiam obsessos vehementissimè affligit & sæpe non reprobos tantùm, sed etiam bonos infestat, plurimisque illis damna infert in animâ, corpore, fortunâ, quemadmodum patet in hodierno Euangelio? sanè de hac magnâ dæmonis libertate A

conqueri possumus cum Dauide *Psam. 73.* dicente: *Leua manus tuas in superbias eorum. Quanta malignatus est inimicus in sancto?* Dicit enim Apostolus, corpora Christianorum templa esse Spiritus sancti, siquidem in baptismo initiata & Deo consecrata sunt: & multoties inuocatum est nomen Dei super illos. Quid igitur causæ est cur hoc illi à Deo permittatur vt in humanis corporibus Deo dedicatis domicilium sibi vsurpet, & multa maligna faciat? Audiamus.

B. Huius diuinæ permissionis triplex potissimùm causa est: Dei gloria, hominum vtilitas, peccati vindicta.

1. Ad Dei gloriam. 1. *Claret hinc Dei bonitas.* PRIMÒ, Dei gloria hinc augetur in nobis, quia per hoc gloriosa Dei attributa nobis manifestantur. Et Primò, Dei bonitas & clementia, tum quia cohibet dæmonē, ne quantum vult & potest, noceat: si enim quantum cupit & potest, nocere permitteretur, nemo illæsus esset, imo nemo non ab illo perimeretur. Sic maris furorem naturalem ita terminis suis inclusit, vt eos egredi & hominibus nocere non possit. Sic Nabuchodonosori circulum in naribus posuit, vt non quantum poterat & cupiebat, noceret Hebræis. Atque ita scimus nos habere capitalem hostem (quem tamen Deus coërceat) quod aliàs nesciremus. Tum quia etiam illos ad pœnitentiam recipit & gratiam, qui se pactis conuentis & data syngraphâ dæmoni mancipârunt: cuius exemplum non vnum habemus, quod profectò summam Dei ostendit clementiam & in abundanti delicto superabundantem gratiam.

2. *Dei sapientia.* Secundò, Dei sapientia, tum quia cùm Deus diabolum vti sinat naturalibus viribus suis: efficit tamen vt pater iste superborum ab imbecillis sæpe & rudibus homullis, qui quæ Dei sunt sapiunt, superetur, & ad sordidissima quæque abiectissimaque ferenda & facienda vel patienda compellatur, qui solium super Aquilonem conatus est sibi constituere. Olim siquidem ab Acolytis ordinariè expellebatur, & sæpe abiectissima quæque subire cogebatur à viris sanctis, vti culinæ seruitium infimum peragere & in sordidissimo culinæ angulo se continere à quibusdam Monachis, apud Maiol. *in canic., tom. 2. coll. de fagis.* S. Conon Isauricus tantam in dæmones potestatem habuit, vt alijs agros committeret & frugum custodes poneret, alios testis obsignatis inclusos in ædis suæ ædificandæ fundamentum defoderet, apud Raderum *in Virid. SS. p. 1.* Tum quia Deus dum hoc pacto vnius peccatum punit, alterius bonum procurat, sicut refert Cæsarius *lib. 5. cap. 26.* de puellâ quinquenni & innocente, cui pultem comedenti, pater irâ percitus dicebat: *Velim comedas diabolum*; sensit puella statim dæmonis ingressum, à quo ad maturam vsque ætatem vexata est, donec Romam Anno 1222. ad Apostolorum limina veniens, liberata est. In cuius egressu dæmon fassus est, nullū aliud huic puellæ superesse purgatoriū, quàm quod ab ipso pertulit. Adhæc alij sibi cauent, dum aliquos vident à dæmone sic tractari.

Tertiò, Dei potentia, tum quia quando permittit dæmoni maiora facere (vti *Exod. 8.* ranas producere) non permittit tamen ei minora facere, vti cyniphes; (quod nequiuerunt magi Pharaonis) quâ re ostenditur dæmonem Deo prorsus esse subiectum veluti lictorem & sine illius nutu nec culicem quidem posse efficere. Permittit itaque dæmones quandoque insolescere & in homines sæuire, vt tanto gloriosior appareat Dei virtus & sanctorum victoria, qui facilè eos compescunt. Et quemadmodum Dei potentia eluxit in Goliatho, quando is vno lapidis iactu prostratus est: sic etiam in dæmonibus, qui minutissimis rebus fugentur, vti signo crucis, aquâ lustrali, particulis reliquiarum, agno Dei, &c. tum quia per sanctos suos cogit sæpissimè eos facere, quæ nolunt. Sic S. Narcissus Augustæ dæmonem expellens, cùm is peteret ablegari in viuum aliquod animal, cà id lege concessit, vt illud enecaret; quo spondente, iussit vt ingentem aliquem Draconem alpes Iulias infestantem & vicinos habitatores inficientem enecaret; cui nolens volens debuit vitam eripere, magnopere interim queritans se propterea principi suo pœnas daturum. In vita S. Afræ apud Surium *5. Aug.* 3. *Dei potentia.*

Quartò, Iustitia, quia sic delicta hominum etiam in hac vitâ sæpè aptè puniuntur, vt videbimus; tùm quia sic diabolo non aufert libertatem arbitrij quæ naturaliter ei competit. 4. *Iustitia Dei.*

SECVNDÒ, Hominum vtilitas hinc procuratur. Primò, quia sic cuiuis palàm fit, num Deum diligat nécne. Tunc enim qui Deum non diligunt, ad vetitas artes confugiunt? qui verò Deum amant, se diuinæ voluntati & præsidio permittunt. Veri enim Dei filij in eiusmodi tribulationibus recurrūt ad Deū Israël: spurij verò ad Deum Accaron, ad ariolos & maleficos, pro remedijs impetrandis. C. II. Ad hominum vtilitatem. 1. *Hinc probamur.*

Secundò, Quia sic afflicti ad quærenda spiritualia remedia, velut ad sedulum sacramentorum vsum, ad sanctorum cultum & inuocationem, & frequentem orationem instigantur. Nec non in virtutibus perficiuntur. Nam alij ad pœnitentiam reuocantur, quemadmodum contigit Iuliano, vt cùm fraude Diaboli vtrumque parentem occidisset, hæc illi ad meliorem vitam occasio fuerit, & ipse post diuturnam pœnitentiam in sanctissimum virum euaserit. Alij ad patientiam exercentur vti sanctus Iob, qui si ab ipsomet Deo fuisset immediatè castigatus, dæmon ipsius patientiæ fidem non adhibuisset. Vt ergo lorica quæ venditur, alteri conceditur pugione vel sclopeto pertentanda: sic dæmoni datus est sanctus Iob. Alij humilitatem discunt, vt Eremita quidam apud Seuerum Sulpitium *l. 1. cap. 14.* 2. *Hinc perficimur.*

Tertiò, Quia sic homines instruuntur. Primò, vt intelligant, quid in homine spiritualiter operetur dæmon, sicque ad eius odium & fugam incitentur. Vt enim bestiam cuius venenum non nouimus, non fugimus; & morbo qui nullo indicio deprehenditur, remedium non adhibetur, ideoque infirmus perit: sic nisi dæ- 3. *Hinc instruimur.*

ſi dæmonem cognoſceremus, ab eo non fugeremus & infernum parum timeremus. Iam verò ſi dæmon obſeſſos, alios reddit lunaticos vt *Matth.* 17. alios in monumentis compellit habitare vt *Matth.* 8. & ſi in hodierno Euangelio reddidit hominem mutum, & ſecundum Matthæum, cæcum quoque & ſurdũ, inde colligi poteſt, quòd hæc damna multò magis inferat animæ, cui longè magis inſidiatur quàm corpori. Ipſe igitur reddit peccatorem Lunâ mutabiliorem: ipſe facit eum requieſcere in fœtido conſcientiæ ſuæ ſepulchro: ipſe reddit eum mutum in confeſſione: cæcum ne videat animæ ſuæ periculum, peccatorum ſuorum horrorem, inferni cruciatum: ſurdum ne audiat conciones & ſalutaria conſilia, quæ vel ſingula longè magis timenda ſunt, quàm omnia damna corporalia.

2. Secundò, vt, quibus ille modis vexat in inferno damnatos cognoſcamus, vbi is plenum habet in eos dominium & totum odium ſuum omneque virus depromit. Quis verò non vidit vel ſaltem audiuit aliquando, illum torqueat obſeſſos? Certè Lunaticum illum *Marc.* 9. crebrò elidebat in terram, volutabat ſpumantem, in ignem & aquam mittebat vt eum perderet, & multum diſcerpebat eum. Quòd ſi ergo tam dira exercet hîc in homines non ſuos, quid molietur ibi in ſuos? Etſi in viridi ligno tam crudelia facit, quid faciet in arido? In memoriam reuocare quid fecerit S. Iob, in cuius tamen animam, poteſtatem nullam habebat. Annon intra horam vnam omnes eius facultates perdidit? Nonnè quatuor nuntij prioribus adhuc loquentibus ſuperuenerunt ſingulas ei clades denunciantes? Quid igitur facient ibi per omnem æternitatem? præcipitabunt nimirum eos modò in aquas niuium, modò in calorem nimium, vt dicitur Iob c. 24.

4. *Hinc fides confirmatur.* Quartò, quia hinc fides Catholica confirmatur primò, quia dum in IESV Christi nomine eijciuntur, huius ſancti nominis ſtabilitur fides vt monet Cyprianus aduerſus Demetrian. & Lact. contra gen.

1.

2. Secundò, quia hinc conuincuntur athei & infideles, qui Spiritus & Angelos eſſe negant: conuincuntur, inquam, quia obſeſſi ſæpe varijs linguis loquuntur, quas numquam didicerunt, & multa reuelant, quæ vera eſſe deprehenduntur, & tamen ab ipſiſmet obſeſſis ſciri non poſſunt: multa etiam ſupra vires corporis perpetrant. Idcirco, quia Chriſto in terris verſante, tales erant Sadducæi, qui ſpiritus negabant, frequentior trium annorum ſpatio fit mentio de energumenis, quàm toto veteri teſtamento? & quia in Eccleſiâ primitiuâ ſimilis fuit error Peripateticorum, idcirco tam multi tunc à dæmonibus obſeſſi & erepti, vt teſtatur Tertullianus in apolog. & lib. ad Scapulam, & Cyprianus aduerſus Demetrianum. Et quia hoc tempore friget in hominibus fides & timor Dei, idcircò fortè, tanta ſagarum agmina paſſim deprehenduntur & comburuntur.

3. Tertiò, quia hinc confunduntur noſtri temporis hæretici, cùm videamus damna per magos & ſagas dæmonum fraude data, per eorum paſtores & præcones nulla prorſus arceri. Siquidem illi contra dæmones non plus poſſunt, quàm ſeptem illi Iudæi, filij Sceuæ, *Actor.* 19. qui cùm inſtar ſimiarum Paulum imitari & eijcere conarentur ſpiritus malignos: reſpondit ſpiritus nequam: *IESVM noui & Paulum ſcio; vos autem qui eſtis? Et inſiliens homo in quo erat dæmonium, in eos, & dominatus amborum inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Idque notum factum eſt omnibus Iudæis & gentibus quæ habitabant Epheſi*, vt dicitur ibi. Et nonne eodem modo dæmon Lutherum in ſummas anguſtias & alui profluuium adegit Witebergæ? teſtatur id oculatus teſtis Staphylus in abſol. reſp. contra Smidelin. qui idcirco perfidiâ Lutheri deſertâ ad Catholicos ſe recepit. Nonne ſic anno 1582. Birgellis dæmon parochum Lutheranum contempſit, quem Franciſcanus facilè eiecit? teſtatur id Tilm. Bredenbachius *lib. 7. collat. cap.* 43. Nonne paulò antè Auguſtæ Vindelicorum anno 1563. Doctor Simon Scheibenbard Paſtor Catholicus energumenam liberauit Annam nomine textoris filiam, quod fruſtrà ſuis exorciſmis & Verbo Dei plures miniſtri Auguſtanæ confeſſionis fuerant conati? teſtatur idem *ibid. cap.* 42. Nónne dæmon ex ore Laodunenſis energumenæ, Caluinianos irridens; nihil ſibi ab illis timendum clamabat cunctis audientibus (Anno 1566.) quoniã amici eſſent & fœderati? res eſt toti Picardiæ notior quàm vt negari poſſit, vt refert Delrius *in diſquiſition. mag. l.* 3. *p.* 1. *q.* 7. *ſ.* 1. ex probatis auctoribus. Sanè ad funus Lutheri dæmones in Geilâ Brabantiæ obſeſſis omnibus deſertis aduolârunt. Similiter ad Iconomachiam Gœſiorum in Belgio, tum Geilæ, tum Amſterodami obſeſſis ad tempus relictis, Gœſijs adfuerunt. Vt refert Breidenb. ex Lindano. Ipſi vicissim Caluiniani grati animi oſtendendi causâ paſſim in templis omnes exturbarunt imagines præterquam Cacodæmonum, quas ſolas reliquerunt: nec non Diaboli imaginem pro vexillo geſtauerunt: iiſdem atteſtantibus.

TERTIÒ, Iuſta Dei vindicta per hoc exercetur, quod fit ordinariè. Et quidem interdum ſic punit Deus peccata aliena, ſed rarius. Vt plurimùm autem punit per dæmonem peccata propria, & præſertim iſta: Primò. Contumaciam ex ſuperbiâ naſcentem, quâ quis obedire, quibus iure debet, renuit, vt filij parentibus recalcitrantes, cuiuſmodi exemplum ſcribit S. Auguſtinus teſtis oculatus de decem fratribus in matrem iniurijs, & à matre deuotis, tremore membrorum correptis l. 22. de ciuit. cap. 8. Et ſimile Ioan. Archipresbyter in vitâ S. Zenonis aupd Sur. Nimirum ita imprecatus eſt illis Sapiens Prouerb. 30. *Oculum qui ſubſannat patrem & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ*, id eſt, ſuſpendatur, vel anagogicè, fiat præda coruorũ & aquilarũ in-

III. Dei vindicta. *1. In contumaces.*

fernalium. Idque non iniuria; qui enim parentum non recipit disciplinam, tradi meretur disciplinæ carnificum, quales etiam dæmones. Quò refertur apostasia à fide & agnitæ veritatis impugnatio; siquidem hæc etiam sunt contra obedientiam, S. Matri Ecclesiæ debitam, quod itidem exemplis demonstrat Martinus Delrius *in disquisition*.

Item sacrorum mysteriorum irrisio, abusus quoque & contemptus sacrarum cæremoniarum, nec non templorum & sacrarum rerum direptio, de quibus alibi referentur historiæ.

2. *In duros & immisericordes.* Secundò, Duritia & immisericordia erga pauperes. Confitentur enim sagæ nihil maleficij posse illis inferri, qui eleemosynis vacant. Notatum etiam à quodam, ait Delrius, sagas (quibus à Sathanâ semper nocendi necessitas imposita est) si desint, quos vlciscantur inimici, eleemosynam mendicare: & siquis facultate præditus ad erogandum & sagas esse nescius, denegârit, hunc in magno versari periculo. Sic Pictauij Anno 1567. duo magi cōfessi sunt se quadam die squalidos egentesque stipem ante fores præ diuitis patrisfamilias postulasse; câ recusatâ, iniecisse sortem & domesticos omnes in rabiem actos obijsse furiosos. Refertur *lib. 3. dæmonoman. cap. 25.* Ratio, quia Ecclesiasticus cap. 10. ait auarum habere venalem animam suam: quasi videlicet pro pecunia eam daturus esset. Nihil mirum ergò si quandoque illius emptor sit Diabolus.

3. *In libidinosos.* Tertiò, Libido nec non coniugalis intemperantia, Idcircò Asmodæo licuit septē sponsos Saræ interficere. *Tob. 6.* Ideò Corinthius incestuosus sathanæ traditus ab Apostolo *1. Cor. 5.* Ideò apud Prosperum *l. de dimid. temp. cap. 6.* iuuencula Araba natione, ancillæ Dei habitum gestans cùm in balneo lauans simulachrum quoddam Veneris impudicè respiceret & seipsam, eique se consimilaret, statim Diabolus guttur ipsius occupans, per 70. fere dies totidemque noctes ieiunam prorsus tenuit, donec applicatione calicis consecrati ad guttur puellæ per Sacerdotem expulsus est. Nimirum mundo cordi promissa est Dei visio, impuro autem cordi dæmonis debetur aspectus & consortium. Adhæc obscænitate hominum valde delectatur dæmon & maleficæ omnes Veneris mancipia sunt, nec inter eas vlla virgo permanet. Quod ad coniugium attinet; *ostendam tibi*, inquit Raphaël ad Tobiam, Tob.6. *qui sunt, quibus præualere potest dæmonium. Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt vt Deum à se & à suâ mente excludant, vt suæ libidini vacent, sicut equus & mulus.* Quoniam ergò isti Deum à domicilio cordis sui excludunt, facilè subintrat dæmon, quia vacuum reperit. Vnde de immundo spiritu, de quo in hodierno Euangelio audiuimus; Matth. cap. 12. scribit, quòd reuertens in domum de quâ exierat: inuenerit eam vacantem & tunc assumpserit septem alios spiritus nequiores se & habitârit ibi. Vacantem inuenit domum, cùm Dei gratiâ vacuam & spurcitijs plenam.

4. *In odium proximi.* Quartò, Odium proximi & inuidia. Vt enim charitas metatrix est Dei, domicilium præparans Spiritui sancto: sic odium & inuidia charitati contraria domum instruit diabolo & in eam introducit. Odium & inuidia vitium est diabolicum; quid mirum ergò si pares cum paribus facilè congregantur?

Quintò, Iustorum virorum afflictio & cædes iniusta & crudelis. Sic Boleslaus impius 5. *In oppressores iustorum.*
Rex ob necem S. Stanislai, anathemate ictus, amens factus, à proprijs canibus est deuoratus, apud Surium in vita S. Stanislai 8. *Maij.* Sic peremptorum S. Kiliani & sociorum, alter à dæmone arreptus, igne se consumi clamabat & proprijs dentibus seipsum dilanians vitam finijt. Alter in rabiem versus gladio se petijt. Geila Ducissa, quæ sicarios martyribus immiserat & ipsa crudeliter vsta & cruciata, vt à multis vix teneri posset, miseram expuit animam; apud Surium. 8. Iulij. Item calumnia & maledictio in Sanctos effusa, vt in hist. D. Gregorij Agrigent. apud Surium mense Nouembri & in hist. S. Malachiæ apud S. Bern.

Rursum execratio seu imprecatio mala: vide exempla apud Delrium loco citato, Vnum accipe ex Cantipratensi. *Cùm tres*, inquit, *combibones in taberna mero incaluissent, orto de animæ immortalitate & pœnis inferni sermone: vnus procacior id totū pro nugis habere & commentis sacrificorum; cæteri iocanti applaudere. Intereà aduenit vnus, magna vir staturâ & vasto corpore & assidens: Qui hi, ait Sermones? quæ risus causa? Refert procax ille & addit, se quidem licitanti haud magno pretio animam venditurum, quin & pecuniam in symbolum collaturum. Tu verò, infit aduentor, quanti illam mihi indicas? nec mora, conueniunt de pretio: hic animam addicit emptori, emptor soluit: potatur strennè de præsente pecuniâ. Denique sub noctem: tempus, ait emptor, vt ad propria quisque. Sed vos iam dicite: si quis equum capistro ligatum emerit, nónne ius ei cum capistro equum abducendi? Et cùm dicto venditorem tremente in omnium oculis abripit & sursū in aere leuat & secum ad infernū trahit, visurū quod credere noluerat.* Sic ille. l. 2. c. 55. p. 3. vir fidedignissimus ex ordine S. Dominici.

Item blasphemia, propter quam Apostolus Alexandrum & Hymeneum dæmoni torquendos permisit. *1. Tim. 1.*

Sextò, Pusillanimitas & desperatio, cùm 6. *In desperatos.*
mœrore oppressi, à Deo vel non petunt auxilium, vel se malis eripiendos diffidunt: quâ de causâ multi se dęmoni vt auxiliatori subijciunt. Ad istos siquidem decipiendos facilè sibi dæmon aditum parat. Sunt enim consilij inopes & nouarum rerum studiosi, animo item perturbato, qui facilè decipitur.

Denique veniales etiam quandoque culpæ, vti apud Cassianum *coll. 2. c. 13.* D. Greg. *lib. 1. dial. cap. 4.* partim vt ex hoc pacto diluant, partim vt sanctis viris suâ liberatione famam augeant, partim vt ab omni delicto siue magno siue paruo fugiendi semper intelligamus.

Habemus itaque cur Deus non cohibeat omninò dæmones ab infestatione hominum. Itaque *omnia bene fecit.* Sufficit nobis quòd præter eius voluntatem nocere nobis nequeant,

quod

quod vel ex eo ostendit S. Augustinus *lib.* 2. *contra aduers. leg. cap. vlt.* quia nec in porcos ingredi potuerunt nisi obtenta à Christo potestate. Sufficit nobis quòd in anima contra voluntatem nostram nihil omnino possint. Hoc ergò solùm caueamus, & dicamus cum Dauide Psalm. 117. *Dominus mihi adiutor & ego despiciam inimicos meos.*

CONCIO IV.

Remedia aduersus maleficia & dæmonum infestationes.

Primum remedium est vera & viua fides.	*5. Sanctorum Reliquia*
2. Opera satisfactoria.	*6.7. Vsus Sacramentorum & sacramentalium, vt sunt aqua benedicta, Agni Dei, &c.*
3. Inuocatio nominis Iesu & Deipara.	
4. Signaculũ S. Crucis.	

THEMA.

Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei, Luc. 11.

A. TAmetsi aliæ causæ à doctis afferuntur, quam ob rem Princeps dæmoniorum, de quo in hodierno Euangelio, Beelzebub vocetur: hoc est Princeps muscarum: ego verò propterea rectissimè sic vocari arbitror, quòd dæmones, quorum Princeps Beelzebub, muscis sint simillimi. Primò quidem, quia vti muscæ in aëre volitantes perpetuò infestant pecora & homines, stantes, ambulantes, vigilantes,

Princeps Dæmonum cur Beelzebub.

1. dormientes, & quidem magno numero: sic etiam aërei dæmones perpetuò nobis insidiantur & ingenti numero, vbicumque locorum

2. simus. Secundò, quia vti muscæ admodum importunæ sunt, & abactæ statim redeunt: ita etiam dæmones: vnde quidam in hodierno Euangelio: *Reuertar in domum meam*, inquit,

3. Tertiò, quia sicut muscæ sunt animalcula impudentissima, nec tantùm in faciem hominum inuolant, sed & in os & oculos: Ita etiam dæmones, absque omni pudore turpissima & horrendissima quæque exigere ab hominibus minimè erubescunt; veluti perpetuam subiectionem, Christi & sanctorum abnegationem, imò adorationem sui, quod ab ipso Christo exegit tentator, & similia. Denique, quia vti muscæ infirmum pecus, facillimè abiguntur, flabello tenuissimo: neque ensis aut fustis necessarius: ita etiam dæmones facillimis modis à Christianis abiguntur, solo nomine Dei, ligno crucis, aquâ benedictâ, &c. Quo sensu accipere possumus illud Domini: *In digito Dei eijcio dæmonia*, hoc est, in minimâ Dei virtute. Quare vt has muscas à nobis abigamus tradere vobis flabella aliquot institui: vt videbimus.

B. I. PRIMVM, Vera & viua fides; charitate nimirum Dei & proximi suffulta. Hanc Apostolus suadet Ephesijs *cap.* 6. dicens; *In omnibus*

Fides viua.

sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Hanc discipulis suis commendat S. Antonius: *Magna*, inquit, *dilectissimi aduersus dæmonem arma sunt, vita sincera & intemerata in Deũ fides.* Sic Cypriano Mago, conanti suis veneficijs Iustinam Virginem Christianam in amorem iuuenis alicuius pellicere, respondit dæmon se Christi fide munitis nocere non posse. Nazianz. *orat. in Cypr.* Vnde hic posteà conuersus fidem suscepit & Martyr factus est. In B. Ambrosium Iustina Augusta Maleficum quendam nomine Innocentium immisit: qui posteà palam fassus est se delegasse dæmones, qui Ambrosium interficerent, sed ne ad fores quidem domus eius accedere potuisse, eò quòd ignis insuperabilis omne id ædificium communiret, à quo vel procul etiam vrerentur. Paulinus *in vitâ Ambr.* De talibus enim propriè scriptum est: *Quoniam Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus vijs tuis: in manibus portabunt te. &c. Super aspidem & Basiliscum ambulabis, &c.* sequitur causa: *Quoniã in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum*: vt patet in S. Ambrosij ædibus, flammâ velut muro cinctis, &c. vt sic impleretur id Zach. 2. *Et ero ei, dicit Dominus, murus ignis in circuitu.* Refert etiam Cassianus *collat.* 8. *cap.* 18. Philosophos duos magicis artibus dæmones immisisse in cellam D. Antonij ad eum exturbandum de monasterio, sed ne ad punctum quidem id potuisse, licet alij & alij nequiores prioribus submissi essent. *Quo experimẽto probauit & definiuit B. Antonius*, inquit Cassian. cap. 19. ibid. *nullatenus dæmonem posse mentem cuiusquam vel corpus inuadere, nec habere facultatem in cuiuslibet animam irruendi: nisi eam primò destituerit omnibus cogitationibus sanctis, ac spirituali contemplatione vacuã nudamq́; reddiderit.* Quæ sententia optimè congruit cum Dominicâ illâ in hodierno Euangelio: *Veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc dicit: reuertar in domum meam*, &c. Vacantem intellige à bonis cogitationibus & operibus.

SECVNDVM, Opera satisfactoria, oratio, ieiuniũ, eleemosyna. Quæ videtur mihi significare voluisse Raphaël per piscis cor, fel & iecur, cùm præcepit ea Tobiæ asseruanda pro remedio; cor quidem & iecur ad dæmonis effugationem: fel ad oculos illuminandos, *Tob.* 6. Cor orationem; fel ieiunium; iecur, quod cibum omnibus membris partitur, eleemosynam repræsentat. Vnde horum explicationem videtur posteà tradidisse cùm dixit: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Tob. 12. Testis expertus S. Antonius, qui discipulis dicebat: *Mihi credite, fratres, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Christum Dominum, cuius vnico sanctissimæ crucis signo delibatus aufugit.* De oratione & ieiunio testatur idem Dominus Matth. 17. *Hoc genus nõ eijcitur; nisi per orationem & ieiunium.* Quod attinet ad orationẽ, præcipua dignitas & efficacitas tribuitur orationi Dominicę & symbolo Apostolorum:

C. II. Opera satisfactoria.

lorum: deinde salutationi Angelicæ. Anno 1549. quidam post confessionem (refert Delr. *l.6.disquis.cap. 2.sect. 3.quæst. 3*) media nocte pœnitentiam sibi iniunctam persoluens, vidit repente feles, mures & similes atras bestias visuque terribiles, cubiculum totum occupare. Quâ re perterrefactus ac metuens ne à bestijs abriperetur, anxius ad imaginem Christi opem magnâ voce implorat: moxque omnes illæ species euanuere tanto cum impetu & fragore, vt domus ruere videretur. In literis è Iaponiâ scriptis anno 1596. scribit Lud. Frois nobilem quemdam in regno Fingano filiam obsessam, postquam ter Dominicam orationem & salutationem Angelicam super eam pronuntiasset, rosario verberasse ac dixisse: *Tu videre mihi dæmon aliquis: excede ex hoc corpore.* Et respondit dæmon: *Non excedam*, Pater, vt erat homo virtute præstans, rosarium inijcit in eius collum dicens: *Velis nolis, excedas.* Tum dæmon: *Tollite*, inquit, *rosarium quia abscondit mihi collum, & tunc recessero.* Respondit Pater: *Minimè tollam*; imò funes quosdam arripiens; minatus est se eum diuerberaturum, & sic dæmon excessit, &c.

D. III. Inuocatio nominis Iesv & Deip. Tertium, Inuocatio deuota nominis Iesv vel Christi, vel Mariæ Virginis, nec non imploratū auxilium Angeli custodis: & S. Michaëlis præcipuè. De primo & tertio alibi diximus. Inuocatio Deiparæ quantum in hac re possit, vel ex figura eius, arca fœderis cognosci potest. Hæc enim hostibus terrori fuit solâ suâ præsentiâ, vt patet *Iosi.6.1.Reg.4.* Vnde & Moyses, quoties in deserto ad profectionem eleuabatur arca, dicebat: *Exurge Domine & dissipentur inimici tui & fugiant qui oderunt te à facie tua* Num.10. Quanto magis hoc præstabit, vera illa & viua Christi arca Maria, cùm per deuotam inuocationem eleuatur & infertur castris nostris? Cuius veritatis passim exempla extant. Refert Thomas Morus *lib.1 dial.c.16.* apud Bredenb. *lib. 2.cap.27.* Ipsuncij Angliæ oppido, dæmones ex obsessis ductis ad Imaginem Beatæ Virginis, solâ huius præsentiâ mirè exagitatos, discessisse. Horatius Tursellinus *lib.4 hist.Lauret.cap.33.* scribit iuuenem quemdam flagitiosum, postquam multarum matrum familias pudorem expugnasset, demum vt certæ cuiusdam mulieris amore potiretur, dæmonis opem incantationibus implorasse. Spondet itaque dæmoni subiectionem, Christum abnegat, init conceptis verbis & chirographo suam illi obstringit fidem. Postmodum, vbi copia fastidium pepererit, magnitudinem sceleris sui perpendere cœpit. Itaque Deum Deique opem implorare incipiens Lauretum ire proponit ad expianda scelera. Ibi Sacerdotem idoneum nactus, ita demum ab eo intellexit spem sibi salutis fore, si precibus, ieiunijs & castigatione corporis Deum placare vellet. Iussus ergò per triduū id facere vnà cū imploratione Deiparæ, Sacerdote interim rem diuinam pro illo faciente: postea virginis sacellum intrare, & sub præsidio eius chirographum à dæmone extorquere. Ergò prostratus ante Virginem & lacrymas profundens, dum versiculos illos iterat: *Monstra te esse matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus*; subitò chirographum in manus suas delapsum conspicit. Itaque præ gaudio vix seipsum capiens, ampliùs flere, & confessario suo schedulam adferre, quæ tot tantisque in Christum & in ipsum qui scripserat, diris & execrationibus referta erat, vt facilè appareret à dirissimo humani generis hoste dictatam.

Hinc est, quòd diabolus Dei & Sanctorum nomina pronuntiare renuit vel nequit ac perinde ex ipsis sibus describit, & disparet ad audita. Ioannes Molinetus in Chro. Belgiæ anno 1490. narrat dæmones ex Energumenis Quercetensibus inter cetera conquestos; sibi à misericordiæ matre manubias animarum plurimas quotidie eripi, nec non ab illo Gigante pueri baiulo, & ab aliâ rotæ, & aliâ turris gestatrice; sic nimirum sacratis illis Mariæ, Christophori, Catharinæ & Barbaræ, nominibus abstinuisse & ad picturâ eorum allusisse. Refert Ioan. Euiratus in prato spirit. c. 199. in monasterio Raythu senem quemdam Anachoretam visitatum aliquando à diabolo Eremitæ speciem præferente, quasi consultaturo: quem cùm Anachoreta moneret; vt ante colloquium more consueto, preces funderet; hæc secum demurmurabat. *Nunc & semper & in sæcula sæculorum.* Monitus verò vt præcedentia etiam verba, nimirum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.* recitaret: mox euanuit, sacrosanctum istum nomen ne audire quidem sustinens.

Qvartvm, Signaculum S. Crucis, de quo etiam alibi dictum. Fassi fuant hoc ipsi dæmones expulsi à S. Patapio apud Metaphr. mense Nouembri, clamantes: *Verè terribilis es ô Nazarene: verè terribilis es & vbique in omnes obtines imperium. Quo ergò proficiscar? si in desertum, si in ciuitatem, si vbicumque duxeris aliquem, tu illic prauenis; sola crucis figura, solo tuo nomine nos expellens.* E. IV. Signaculum sanctæ crucis. Cùm Saraceni Hierosolymam cepissent & excitare in eâ arcē vellent, fundamenta exorsi sunt murumque: se vix à terrâ paries excitabatur, cùm mane redeuntes viderunt omnia corruisse. Operi rursus insistūt, vesperè domum redeunt, manè reuertuntur, cūcta humi prostrata vident. Cum sæpius id euenisset, resque iam passim diuulgata esset & causa inquireretur, Iudæi dixere, ideò sic accidere, quòd in aduerso colle Crux esset collocata, quam si demolirentur, futurum vt mœnia ampliùs non conciderent, sed starent. Paruêre consilio, opus repetiere, & stetit. Zonaras *to.3. in vita Constantis*, Heraclij nepotis: Nimirum vti Dagon stare coram arcâ non potuit, sed iterum iterumque corruit. *1.Reg.5.* ita gentilium machina coram crucis signo.

F. V. Sanctorū reliquiæ. Qvintvm. Sanctorum reliquiæ. Ita enim mirificauit Deus Sanctos suos & confortauit principatum eorum, etiam in terra, vt non solùm viuentes terrori essent dæmonibus, sed etiam mortui per reliquias suas. Nam *vt audaces latronum duces*, inquit S. Chrysostomus hom. de natiuit. 7. Machabæorum, *sine impij sepul-*

chra

ſtrorum eſſiſſerent, ſi fortè dum prædas agunt, aut ſpolia capiendo conquirunt, arma vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quantumlibet cupidi prædarũ, tamen ita agnitis Regis inſignibus deterrentur vt fugiant, neque comminus accedere vel attingere audeant: ita profectò dæmones, qui verè latrones & prædones & Magiſtri ſunt, vbi armatorum Martyrum corpora viderint poſita, longè illicò à conſpectu eorum fugiunt & abſiſtunt. Non enim ad naturam eorum intendunt, ſed in arcanam dignitatem & gloriam Chriſti, qui in agone certantium induta corpora ma yrum ſuorum ſicut arma portauit. ſic ille. Quòd ſi Ciſcas ille hæreticorum in Bohemiâ antiſignanus putauit pellem ſuam, quam mortuo ſibi detrahendam & tympano inducendam voluit, fore hoſtibus ſuis terrorem: quid calumniantur hæretici, ſi & ipſa ſanctorum oſſa dæmonibus eſſe terribilia dicamus, quibus ſancti viuentes terror erant? S. Hieronymus aduerſus Vigilantium reliquiarum contemptorem, ſic ſcribit: *Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpe hoc viliſſimo tortus eſt puluere, imò hodieq; torquetur, & qui in te plagas diſſimulat, in cæteris cõfitetur.* Inter innumera exempla vel vnũ id ſufficiat, quod refert Chryſoſt. *orat. contra gentiles.* Sozo. *l.* 5. *cap.* 7 Theodoretus & alij, de corpore S. Babylæ Epiſcopi Antiocheniſis & Martyris ſepulti in Daphne Apollinis templo. Hoc enim præſente oraculum Apolinis ibi obmutuit, hanc ſilentij cauſam referens: *Daphnes locus cadaueribus ſcatet, id quod oraculum arcet:* Hoc audito iuſſit Iulianus Imp. illinc aſportari corpus Martyris: quod cùm factum eſſet, ignis cœlitus demiſſus templi Daphnitici tectum, cum Apollinis ſimulacro totum exuſſit. Nimirum noluit Deus, vt locus, qui ſanctarum reliquiarum contactu ſemel erat conſecratus, rurſum profanaretur ſuperſtitionibus gentilium.

G. VI. Sacramentorum vſus. SEXTVM, Sacramentorum vſus legitimus. Habent enim iſta vim & efficaciam ex aſperſione ſanguinis Chriſti, & ſunt ſymbola quædam illius, quo nihil magis horret dæmon. Sed de his ſuis locis, vbi de ſingulorum ſacramentorum efficaciâ dicetur, maximè de confeſſione & Euchariſtia. Neque mirum hoc; per legitimum enim ſacramentorum vſum diſſoluuntur opera Diaboli, deſtruitur eius habitaculum, vallatur homo gratiâ & angelorum præſidio.

H. VII. Sacramentalia. SEPTIMVM Sunt Sacramentalia: velut aqua benedicta & ceræ quas Agnos Dei vocamus, item grana, cerei, ſal & panis benedictus, campanæ ſacratæ, Euangelium S. Ioannis & ſymbolum Apoſtolorum literis exaratum & piè geſtatum. Hæc enim arma Eccleſia nobis præbet poteſtate ſibi à Chriſto datâ. Luc. 10. *Ecce dedi vobis*, inquit ad 70. diſcipulos, *poteſtatem calcandi ſupra ſerpẽtes & ſcorpiones* (id eſt, cacodæmones, iuxta communem Patrum expoſitionem *& ſupra omnem virtutem inimici.* Adhæc ſanctificat ea Eccleſia & precatur ſponſum ſuũ Chriſtum, vt his armis vim repellẽdi dæmones & maleficia, cõferre velit. Quis verò dicat ſingulorum quidem hominum preces audiri à Deo, ipſius verò Eccleſiæ non audiri? Accedit magna indigentia eiuſmodi armorum corporalium contra tot tamque importunos hoſtes, qui non modò vigilantibus, ſed etiã dormientibus perpetuò inſidiantur, non ergò dubitandum, hæc talia præſidia à Chriſto nobis deſtinata. Denique teſtatiſſima experientia docet omnibus ſæculis Chriſtianis vſque in hodiernum, prædicta arma dæmonibus non modò terrorem incuſſiſſe, ſed & fugam imperaſſe, etſi quandoque certas ob cauſas, ſuo loco relatas, inefficacia fuere. Exempla alibi referenda. Nunc vnum aut alterum tangemus. Anno 1588. viro cuidam Treuiris mulier ruſtica neſcio quid ouorum offerebat: excipit pileo pediſſequus: mox pileum ouis expoſitis imponit capiti, & ſtatim vſque adeò vexari cœpit dolore, vt penè deſiperet. Confugit neſcius quid ageret in ædem ſacram, incenſum caput immergit in vas promptum aquæ luſtralis, conualeſcit. Maga comprehenſa in quæſtione dixit, oua ſic fuiſſe venenata; vt guſtantibus interitum, extuberationem tangentibus eſſent paritura. Delr. *lib.* 6. *diſquiſit. cap.* 2. *ſect.* 3. *quæſt.* 3. Anno 1589. mulier quædam quæ chirographo, quod proprio ſanguine conſcripſerat, ſe dæmoni deuouerat, cùm reſipiſcenti illud dæmon ſæpius oſtenderet, freta diuini agni præſidio, cuius imagine pectus munierat, cùm reddi chirographum ſibi iuſſiſſet, tandem vidit illud in cinerem & fauillam conuerſum ad pedes ſibi abijci. Idem ibid. vbi etiam pluribus videre exemplis eſt, nocuiſſe dæmonem hominibus, cùm fortè agnum Dei ſepoſuére: nocere verò non potuiſſe gerentibus.

Quæ cùm ita ſint, ſupereſt vt his armis & flabellis à Chriſto & Eccleſia approbatis & oblatis ſedulò pieque vtamur, inter tot muſcarum infernalium examina. Noſtra culpa erit, ſi tot tamque facilia remedia ad manum habentes, interim tamen negligentes, aduerſi aliquid patiamur. Laborat certè dæmon, vt his armis non vtamur, quibus nouit ſe ſuperari: ſicuti olim Philiſthæi ſedulò cauerunt ne eſſet faber ferrarius in terrâ Iſraël, qui poſſet eis fabricare arma, gladium aut lanceam. *Cumque eſſet dies prælij, non eſt inuentus enſis & lancea in manu totius populi.* 1. *Reg.* 13. Ad eumdem modum in fœdere, quod expulſis regibus populo Romano dedit Porſena, nominatim comprehenſum inuenimus, ne ferro niſi in agriculturâ vterentur, ait Plinius *lib.* 34. *cap.* 14. Hoc idem fecit hæreticis noſtris humani generis hoſtis, cùm benedictiones apud ipſos & arma hæc ſpiritualia, fabros etiam eorum, Sacerdotes, exterminauit, vt eos tanto liberiùs & ſecuriùs exagitare queat. Primum etiam quod à confœderatis ſibi requirit dæmon, eſt, vt his armis ſe diſcingant, probè ſciens, quid ſibi ab his immineat. At non committamus nos, vt tale fœdus ineamus. Multò minùs verò acceptemus ab ipſo dæmone, quæ offert arma ſtraminea ad imitationem Eccleſiaſticorum ab eo conficta, vti ſunt ſchedulæ magicæ, ligaturæ, carmi-

na, imagines. Quomodo enim credas efficacia esse arma, quæ dæmon tibi offert contra seipsum? Num tu gladium mihi ferreum & acutum dares, insidiaturo tibi, & nō potiùs coriaceum, si tamen aliquem dare velles? Igitur à matre nostrâ Ecclesiâ arma capiamus, non ab hoste nostro.

Denique videndum, ne malè his vtamur, ad perniciem nostram. Cùm enim nequit dæmon ea nobis eripere, laborat, vt perperam arrepta & tractata contra nos ipsos vertamus, veluti si quis cuspide gladij in se versâ perfodere alium capulo vellet; hic enim sibi ipsi potiùs gladium infigeret. Quod fit, cum pijs verbis aut rebus benedictis aliquid superstitiosum admiscetur; verbi gratiâ, si fideret quis certæ figuræ vel colori: tempori, numero, scripturæ: Item si effectus certò & infallibiter exspectaretur, &c. non est iste digitus Dei, sed diaboli, Nos ergo, Auditores, in virtute & digito Dei potiùs confidamus, cuius præsidio pellemus tartareas illas muscas, earumque Principem Beelzebub, &c.

CONCIO V.

Dæmonis vigilantiâ, quâ custodit seruos suos, peccatores.

1. *Adlaborat vt eos in peccatis implicet.*	5. *Volentes conuerti impedit.*
2. *Non infestat suos.*	6. *Affligit discessuros.*
3. *Blanditur illis.*	7. *Conuersis insultat.*
4. *Negotiis secularibus occupat.*	8. *Liberatis sursum insidiatur.*

THEMA.

Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Luc. 11.

A Refertur in Collectore speculi, interrogatum aliquando Dæmonem in obsesso à viro quodam sancto: quod esset illi nomen? Respōdit dæmon: *Nos sumus tres qui habitamus in isto homine, & ego vocor claudens cor; estq; officium meum, cor peccatoris claudere, ne eliciat contritionē. Si verò contritionē fortè me frustrà reluctāte reliquerit, tunc habeo sociū meum, qui vocatur claudens os, qui ad hoc laborat vt obseret illi os, ne peccata confiteatur. Quòd si istum vicerit & confessionem fecerit, habeo socium alterum, qui vocatur claudens bursam, qui magnis conatibus agit vt à restitutione bonorum alienorum, adeóq; à satisfactione retrahat confessum.* Ni fallor dæmones isti, affines valdè erant dæmonio hodierno, quod secundum Lucam, hominem mutum, secundum verò Matthæum etiam cæcum & (vt ex Græco verbo κωφὸς, quod non solùm mutum, sed etiam surdum significat, deducit Theophylactus) surdum quoque fecit. Cæcum, nec consideret peccatorum enormitatem; mutum, ne confiteatur; surdum, ne audiat confessarij monita ad faciendam restitutionem, deserenda odia, pellices; &c. Et quid sibi volunt ista dæmonum portenta? nihil profectò aliud, quàm incredibilem vigilantiam, quam adhibent ad retinendos in potestate suâ peccatores. Et hoc est, quod ait Dominus in hodierno Euangelio; *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* Munit enim se instar Tyranni postquā occupauit aliquod castellū, muris, vallis, fossis, &c. Quod cùm hoc præsertim tempore faciat, quo sibi timet seque à plurimis impugnandum adeoque eijciendum, nouit, idcircò Ecclesia modò hoc Euangelium legit, vt in eo dæmonis malitiam, artes & technas nobis detegat, nosque accendat ad eum de cordibus nostris profligandum. Pugnant in hodierno Euangelio pro animabus nostris duo Capitanei, Christus & Diabolus. Superauit Dæmonem Christus & eiecit è suo castello: quod ipsum in peccatoribus omnibus facilè efficiet, si tamen eos sibi consentientes & cooperantes habeat. Quare vt faciliùs dæmonem profligemus, inspiciamus quâ vigilantiâ mancipia sua custodiat.

Dom. 3. Quadrag. (*Mar. Dom. 3. Quadrag. Dom. 3. Quadrag.*) — *Dom. 3. Quadrag.*

B. 1. *In peccatis implicat.* PRIMÒ, Postquam dæmon aliquem redegit in suam potestatem per peccati mortalis admissionem, primò adlaborat vt eum in peccato implicet & quodammodo vinciat; ne facilè pedem referat. Dicit enim Oseas cap. 4. *ligauit eum spiritus* (id est, Diabolus) *in alis suis.* Quomodo nimirum alligauit Rex Babylon Manassen Regem, qui in oratione suâ ait: *Incuruatus sum multo vinculo ferreo vt non possim attollere caput meum.* Sic ligauit aliquando Dauidē, vnde lamentatur Psal. 118. *funes peccatorum circumplexi sunt me.* Dominus etiam Luc. 13. ait mulierem inclinatam, quam curauerat, alligatam fuisse à Diabolo decem & octo annis. Alligatur verò & implicatur peccator; dum Dæmone instigante peccata peccatis addit, donec in profundum veniens contemnat. Vrget eum dæmon vt admissum peccatum sæpiùs repetat, quousque paulatim habitum contrahat, à quo postmodum difficillimè se expedire potest. Est enim habitus peccati veluti funis crassus, qui à multis funiculis subtilioribus componitur: & licet singuli illi funiculi facilè rumpi possint, coniuncti tamen rumpi nisi ingenti vi, non possunt, vti in se agnouit & lamentatur Augustinus *l. 8. Conf. cap. 5.* Cui facilè assentietur, quicumque peccati alicuius habitum contraxit, quàm ferreum sit vinculum, quo seipsum alligauit. Deinde plura alia media adhibet Diabolus vt peccatorem implicet, alios enim prauæ societati connectit, quæ ipsum fortiter retinet; alijs alia vincula addit, vt cùm Apostatæ vxorem aut pellicem tradit, vel amplos redditus aut magnam dignitatem, quibus illaqueatus retineatur in peccati ergastulo: alijs alios obices ponit, veluti pudorem, timorem, &c. Et ita sicut aranea, quando muscam reti suo adhæsisse videt, mox eam sæpius gyratâ multis laqueis induit & ita implicatam in reti relinquit, velut certam prædam suo tempore deuorandam; sic ad vnguem facit Diabolus.

Sed non idcircò abijciendus animus. Nam vti vincula sua rupit Augustinus, ita rumpere & tu potes, cum Dei gratia: quomodo Samson funes, quibus ligabatur, velut aranearum telas rupit. Confide fortiter in DEO & eius præsidij spe munitus fac quod in te est, aderit tibi Deus. Quoties legimus & vidimus ex malis factos bonos?

C. II. Non infestat suos. I. SECVNDÒ: Nihil nocet suis, postquam eos in rete suum traxit, nec infestat eos tentationibus, sed *in pace sunt ea, quæ possidet*, ait Dominus. Causa est, primò, quia iam illos obtemperantes & in quietâ possessione habet: sic canis non allatrat nec mordet domesticos, sed extraneos. In huius rei typum Holofernes non inferebat bellum obtemperantibus sibi sed rebellibus tantùm. Venatores non cicuribus bestijs, bobus, ouibus, capris insidiantur, sed syluestribus & efferis, ceruis, apris, damis, rupicapris, &c. Ita etiam dæmon agit cum hominibus.

2. Secundò, quia iam spoliauit illos, nec habet ampliùs, quod adimat eis, Vnde Chrys. hom. 4. de verbis Isai. *Vidi Dominum*, ait, *Quemadmodum fit in nauigijs, qui vacuam habent nauem, non metuunt pyratarum insultum: non enim veniunt vt conterant nauem nihil vehentem. Caterum ij, qui nauem habent onustam, metuunt pyratas. Nam pyrata illuc properat, vbi aurum, vbi argentũ, vbi lapides pretiosi; sic & diabolus non facilè persequitur peccatorē, sed iustum potiùs, vbi multa sunt opes.* Sic ille.

Bonos & perfectos acriùs infestat & tentat. Sic in hodierno Euangelio domũ mundatam & ornatam occupare laborat. Ita beatum Iob tentauit. Quo nomine sibi tales gratulari debent; Metuere verò illi, quibus pax est à dæmone.

D. III. Blanditur illis. TERTIÒ, Blãditur præterea illis, ita vt in vtramque aurem securè dormiant in peccatis; Si enim conscientia obmurmurare incipiat, ipse eam acquietat opponendo, iuuentuti aliquid concedendum esse, longè adhuc abesse mortem, multos esse socios, magnam esse Dei misericordiam, &c. Multa etiam fictitia gaudia eis proponit, numquam obtinenda, & sæpe montes aureos pollicetur. Ita Sichem, diaboli typus, postquam rapuit & oppressit Dinam, *tristem deliniuit blanditijs*, Genes. 34. Sic serui Pharaonis benefaciebant Abrahamo, dum abstulisset illi vxorem Pharao. *Genes. 12.* Hunc in modũ decepit dæmon Radbodum Frisiæ Ducem, ostensione pulcherrimæ mansionis ipsi destinatæ, vt fingebat: atque ita iam conuersioni proximum retraxit. Vinc *in spec. hist. lib. 23. cap. 146.* Piscator captum hamo piscem, non statim extrahit, ne ille Setam abrumpat, sed lactat & sinit vnco bene indui hamoque inescari, quò securiùs capiatur, sic piscatur dæmon. Babylonij iubebant Israëlitas captiuos canere suis organis, quò obliuiscerentur patriæ suæ *Psal. 136.* Ita vult diabolus varijs blãditijs obliuionem prioris status, in quo bene & piè vixeramus, adeoque cœli, nobis ingerere: sed si sapis, cum Israelitis responde: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea, &c.* Vt enim mansio illa Radbodo ostensa subitò euanuit: ita euanescet mundi splendor & gloria.

Deinde persuadet eis longè abesse mortem, plurimum superesse vitæ, sat temporis fore ad pœnitendum. Hinc de illo ad Iobum dixit Deus cap. 41. *Oculi eius vt palpebræ diluculi.* Oculi eius consilia & cogitationes eius sunt, quas ingerit mancipijs suis: eæ autem nõ crepusculo vespertino, sed diluculo matutino similes sunt, quia nunquam ingerit eis metum appropinquantis noctis seu mortis: sed promittit semper lõgum adhuc tempus, quasi primum incipiant viuere adeoque adhuc aurora sit multúmque supersit vitæ: atque ita non difficilè retinet eos in peccatis.

QVARTÒ, Negotijs sæcularibus & mundanis tumultibus obtundit sensus eorum & intelligentiam. Sic auceps accipitri tegit oculos, ne auolet. Ita Philisthæi eruerunt Samsoni oculos & cæcatum molere fecerunt: qui etiam in eo statu ludebat ante eos, *Iud. 16.* Pari ratione dæmon eruit peccatori oculos, id est, omnem adhibet operam, vt nouissima non consideret, peccatorum suorum fœditatem non aduertat, præsentibus tantùm intendat, de futuris nihil cogitet, &c. Sedecias Rex excæcatur à Rege Babylonis in Reblatha, quæ exponitur, *Multa hæc:* Sic dæmon excæcat eos, qui contempto vno, per multa mundi negotia vagantur, vt scribit P. Damianus *l. 2. ep. ad Hildebr.* Obtundit etiam auditum, vt conciones non audiat, nec remorsum conscientiæ. Quemadmodum enim sacrificuli Moloch, dum Idolo immolarentur & cremarentur pueri; pulsabant interim tympanum ne puerorum ardentium & morientium eiulatus audiretur à parentibus; vnde locus dicebatur Tophet, à Toph, quod est tympanum: sic dæmon obtundit suis aures sæcularibus negotijs: ne attendant ad Dei minas; & clamores conscientiæ plangentis suam seruitutem & perditionem. Aufert & loquelam, præsertim in confessione, ne scelera sua prodant. In vitâ S. Francisci legimus fratrem fuisse, qui parebat eximiæ sanctitatis & tam strictè seruabat silentium, vt non verbis sed nutibus tantùm confiteretur. Sed Franciscus illuc veniens, & audiens commendari ab omnibus fratrem illum, *Sinite fratres*, inquit, *nec mihi Diabolica figmenta in eo laudate; moneatur semel aut bis in hebdomada confiteri; quòd si non fecerit, Diabolica tentatio est & deceptio fraudulenta.* Monentibus ergò de hoc eum fratribus, digitum ori suo imposuit & caput concutiens renuit se vocalem confessionem facturum. Et quid actum? non post multos dies redijt ad vomitum & flagitiosam repetens vitam, malus male periit. E. IV. Negotijs sæcularibus occupat.

Viderit ergò quisque ne sibi fucum fieri sensusque obtundi patiatur à Diabolo.

QVINTÒ, Volentibus conuerti proponit & exaggerat peccatorum grauitatem, conuersionis difficultatem, pœnitentiæ austeritatem peccatorum degustatorum dulcedinem, pudorem, &c. Quemadmodum enim tibicines plan- F. V. Volentes conuerti impedit.

plangebant filium Iairi & dicebant iam esse mortuam, cum tamen Dominus diceret: *recedite, non est mortua puella, sed dormit:* sic dæmones quandoque cùm aliter non possunt, desperationis iniectione conantur animam à conuersione retrahere, & ita canunt Requiem super illâ, velut conclamatâ & desperatâ. Quid? inquit, vellesne hoc confiteri? hoc vel illud numquam iterare? cum tantâ tuâ ignominiâ & periculo à cœpto resilire? Actum est. Ita S. Augustinus *lib.8.confessio.cap.11.* ait nugas nugarum & vanitates vanitatum, sibi conuersionem meditanti, obstrepuisse: *Dimittisne nos? & à momento isto non erimus tecum vltra in aeternum? & à momento isto non tibi licebit hoc & illud vltra in aeternum?* Ita tenuit Iudam; cui peccatum primò suadens, extenuauit: posteà turpitudinem eius exaggerauit, & ita eum in desperationem impulit.

Sed tu Dæmonibus responde: *recedite non est mortua* anima mea, sed dormit Deo, cuius gratiâ excitari potest.

Deinde proponit illis alias illecebras, & vrget dilationem conuersionis de die in diem, quemadmodum Leuitam illum *Iudic. 19.* Socer eius, cùm abituro proposuit cibum, deinde dixit: *Quaso te vt hodie hic maneas pariterque latemur;* idemque altero die fecit, donec gener seriùs dimissus, vespere deuenit ad pessimos Gabaënses, qui vxorem eius constuprârunt ad necem vsque. Dum tibi moras nectit, Dæmon insidias struit.

G. VI. Affligit discessuros. SEXTÒ, Affligit discessuros, quemadmodum Pharao Israelitas laboribus & verberibus atterebat. Amphoræ grauitas non sentitur, nisi postquã extrahitur ex aquâ: sic peccati grauitas non nisi initio conuersionis. Quàm enim difficulter confiteris? quàm difficulter animum à peccato diu præsertim amato auellis? Ostẽditur id in vitâ S.Basilij de iuuene, qui se dæmoni deuouerat, quâ ratione eum, cum conuersioni insisteret, clamoribus & terroribus infestârit apud Sur.*to. 2.* Quemadmodum catus non impugnat nec ferit murem in potestatem redactum, sed cum eo ludit: ast fugientem insequitur & vnguibus suis retrahit: sic Diabolus non affligit peccatorem, quem quietum possidet, sed cum eo ludit. Ast discessurum affligit. Experiuntur hoc quamplurimi, qui ab hæresi ad fidem, à sæculo ad religionem, à vitijs ad virtutem sese recipiunt. Ita spiritus ille immundus *Marci 9.* comminante sibi Christo exclamauit & *multùm discerpsit eum*, cùm exeundum ei esset. *Ecce*, inquit Greg.l.32. Moral.cap.36. *eum non discerpserat, cùm tenebat: exiens discerpsit, quia nimirum tunc peiùs cogitationes mentis dilaniat, cùm iam termino egressus sui diuinâ virtute compulsus appropinquat.*

Sed tu contemne insultus dæmonis, & perge in proposito, perseuera in orationibus & bonis operibus. Terrere te potest dæmon, tenere non potest, nisi velis.

H. VII. Conuersis insultat. SEPTIMÒ, Conuersis insultat per detractores & obtrectatores, quemadmodum paralytico illi fecerunt Iudæi dicentes; *Sabbathum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Ioan. 5. Sic persequebantur cæcum natum, quem sanârat Dominus, dum eiecerunt extra Synagogam & contumelijs affecerunt. *Ioan. 9.* Sic fecerunt Pharisęi Zachęo, Mattheo, & Magdalenæ post eorum conuersionem. Figura huius erat Laban persequens fugientem à se Iacob, post diuturnum famulatum sibi exhibitum, *Genes. 31.* sed nihil poterat ei nocere, quia Deus id ei prohibuerat. Sic dæmon non potest retrahere conuersos, nisi ipsi velint: Deus enim id non permittit.

OCTAVÒ, Iisdem cõuersis denuò insidiatur & laqueos tendit, assumens secum alios septem nequiores se; vt ait Dominus, & si viderit eos negligentes & suæ salutis curam deponere, à bonis operibus cessare, delicias & vanitates sectari, &c. rursum obsidet castellum amissum, & facili negotio recipit. Unde Gagneus super prædicta Euangelij verba ait: *Quamdiu solitaria, vt passer, peccata sua plangit anima, nulla illic ei* (dæmoni scilicet) *mora esse potest: si autem eam inuenerit vacantem, bonisque destitutam operibus, ornatámque ac scopis mundatam, id est, delicijs deditam; & eò cum deterioribus se septem ingressus fuerit, peius illa multò habebit quàm antea.* Sic ille. Quin etiam domum virtutibus adornatam, adoritur rursum, vti Theodoram Alexandrinam, quæ in pœnam commissi adulterij, se à marito subtraxit & in Monachorum cœtu virum induens & Theodorum se vocans pœnitentiam egit in multâ vitæ austeritate. Cæterùm diabolus ei primò adulterij crimen quasi inexpiabile exprobrauit; Deinde maritum eius mentiens, blanditijs alliciebat, monens domum vt rediret. Cùm nec sic proficeret, ferocium belluarum formis terrere & expellere eam conatus est. Etiam sic repulsus maiestatem induit, multo stipatus comitatu, & nolentem se adorare verberibus mulctauit. Denique hinc auri massam, illinc canistrum varijs dapibus refertum apparere fecit, quò eam vel in auaritiæ aut gulæ laqueum traheret. Sed illa signo crucis omnia hęc machinamenta deuicit. *Ruffin. in vitis Patrum.* I. VIII. Liberatis rursum insidiatur.

Itaque etiam post victoriam etiam semper in armis standum, perpetuæ excubiæ adhibendæ, &c.

CONCIO VI.

Causæ quæ mutum faciunt confitentem.

Prima est pudor.	4. *Amor delectationis.*
2. *Negligẽtia examinis.*	5. *Timor satisfactionis.*
3. *Ignorantia propria infirmitatis.*	6. *Desperatio emendationis.*

THEMA.

Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum, Luc. 11.

MVltos huiusmodi mutos, quibus os & loquelam obstruit malus dæmon, depre- A.

deprehendunt Confessarij, hoc imprimis sacro tempore: omnes nimirum illos, qui in Confessione scelera sua reticent. Quos bene meritoque comparauerim ciuibus Ephron, qui vt legimus 1. *Mach.* 5. cùm Iudas Machabæus iturus in terram Iudæ, peteret ab ijs transitum ciuitatis nemini nociturum, obstruxerunt portas lapidibus & noluerunt aperire. Quare oppugnauit Iudas cepitque ciuitatem, & postquam omnes peremisset mares, transiuit ciuitatem super interfectos. Iudas Confessionem, Ephron verò puluerem significat. Quærit ergo Confessio, instigante synderesi, transire per os hominis, qui nil aliud nisi puluis est: nec vult nocere illi, sed potiùs prodesse. Et quid faciunt incolæ ciuitatis? quid agunt multi peccatores? Obstruunt portas vrbis; os videlicet & loquelam, ne prodant sua peccata; iuxta id Mich. 7. *Ponent manum suam super os, aures eorū surdæ erunt.* Et hoc instinctu & operâ diaboli, qualem in hodierno Euangelio vidimus. Sed væ illis, nisi aperiant: quia aperient aliquando inuiti, quando coram toto mundo patefient eorum scelera, & cum propria confessione seipsos condemnabunt dicentes: *Ergo errauimus à viâ veritatis.* Sapient. 5.

Sed qui sunt illi lapides, quibus os obstruitur; Audiamus.

B. I. Pudor. PRIMÒ, Reperiuntur lapides, quos lux celat & prodit obscuritas, vti Chrysoprasus apud Anglicum. *lib.* 16. *c.* 27. qui de die quodammodo euanescit, de nocte solùm lucet. Huiusmodi lapis pudor est obstruens plerumque cōfitentis os. Coram Confessario prodit se hic pudor; coram alijs hominibus euanescit; quia peccare non pudet, peccatum confiteri pudet. S. Chrysostomus *homil.* 3. *de pænit.* ait: *Pudorem & verecundiam dedit Deus peccato, confessioni fiduciam: inuertit rem diabolus & peccato fiduciam præbet, confessioni pudorem & verecundiam.* Gabriel Inchino Canonicus Lateranensis in scalâ cœli, conc. de Confess. refert S. Cyrillum Episcopum in hebdomadâ sanctâ inter plurimos pœnitentes, qui confitendi opportunitatem expectabant, diabolum stantem vidisse, & ex diuinâ voluntate agnouisse, licet ficto pœnitentis habitu vestitum. Cui Sanctus: *Quid agis cruenta bestia inter pœnitētes?* Respōdit dæmon; *Pœnitentiam ago. Et quomodo,* inquit Cyrillus, *tu pœnitentiā agas, Dei & omnis boni hostis, nec non in malo pertinax?* Tum diabolus: *Reddo,* ait, *quod abstuli.* Et Episcopus. *Quid abstulisti?* *Verecundiam,* inquit, *abstuli, & verecundiam modò restituo,* q. d. feci vt non erubescerent homines ad peccandum, nunc facio vt erubescant ad pœnitendum. Ergo Augstinum audiamus: *Non te pudeat, ait, coram vno dicere, quod non te puduit forsitan corā multis & cum multis facere.* Socrates cùm Athenis adolescentem quendā, qui domum meretricis ad explendam libidinem suam ingressus fuerat, videret, se ibi fortè transeunte exire noluisse, pudore scilicet ductum ad ianuam domûs accessit, dicens: *O fili non pudeat egredi te ex hoc loco, pudeat intrasse.* Porrò qui seipsum confundere non vult corā vno Sacerdote, confundetur aliquando coram toto orbe. Testatur id Oseas cap. 13. dicens: *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum est peccatum eius, dolores parturientis venient ei.* Vbi alludit ad lubricam puellam, quæ stupro concepit, ac ne infamiâ notetur, vterum stringit & conceptū tegit, sed quousque? vsque ad tēpus partus. Tunc enim ignominia & dolores simul eā obruunt, omniumque sannis & ludibrijs prostituunt. Idem accidet peccatori, qui peccatum suum celat Medico & Patri suo spirituali. Veniet enim tempus, cùm in die Iudicij ignominia & cruciatus Gehennæ simul eum apprehendent & quidem coram orbe toto, Deo, Angelis & hominibus. Nónne Dauidi, qui adulterium suum varijs technis celare conatus erat, minatus fuit Deus: *Tu fecisti in occulto, ego autem faciam in conspectu omnis Israel & in oculis solis huius?* 2. Reg. 12. Nónne libido senum illorum, qui dicebant: *Nemo nos videt*; in lucem protracta & infami supplicio plexa est? *Dan.* 13. Verùm nihil istud est ad infamiam & confusionem illam, quæ expectat reprobos *in die agnitionis* (vt vocatur *Sap.* 4.) seu iudicij, in quo vnusquisque non modò suam, sed aliorum etiam agnoscet conscientiam.

SECVNDÒ, Inueniuntur lapides, qui continent, intra se venenata animalia, veluti serpentem; cuiusmodi saxum repertum esse tempore Martini V. Pontif. cùm medium secaretur; tradit Fulgosus l. 1. c. 6. Item bufonem; quale Augustoduni repertum scribit idem auctor. Talis lapis est conscientia, quæ nisi per examen secetur & explicetur, sana & solida apparet, diuisa verò & discussa, ostendit omnis generis reptilia venenata, serpentes & bufones. Sectio ergo necessaria est & scissio, iuxta id Ioëlis 2. *Scindite corda vestra.* Simile quid legimus Ezech. 8. vbi ait Dominus ad Prophetam: *Fili hominis fode parietem.* Qui dum foderet, apparuit ostium. Ingressus ergò Propheta vidit reptilia & fœda animalia, nec non Idola domûs Israël depicta in pariete circumquaque. Tibi hoc dicitur, peccator: *Fode,* inquam, *parietem* conscientiæ tuæ, qui deforis quidem elegans & dealbatus est, intus verò plenus Idolis & infectis, mortiferis nimirum peccatis. *Quid est parietem fodere,* inquit in eum locum S. Gregorius 2. p. pastor. cap. 10. *nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire?* Ceruus è cauernis extrahere serpentes spiritu narium scribitur à Plinio l. 28. *cap.* 9. & *l.* 8. *cap.* 32. quibus deuoratis cùm maximo inflammetur calore, currit ad fontem & extinctâ siti quodammodo renouatur. Hunc in modum & tu è conscientiæ tuæ antro reuoca scelera tua, & hinc calore contritionis accensus ad fontem pœnitentiæ curre, vt abiecto vetere nouum induas hominem. Quæso te, si audires domum tuam clanculum ingressos esse fures; num tu cubitum ires? an non sedulò eos perquireres. Et si vnum alterumque deprehendisses, nonne reliquos etiam inuestigares? Quid enim, si vel vnus remaneret; qui te supellectile & vitâ spoliaret? Fures tui peccata tua sunt, quæ animam tuam expoliant omni

C. II. Negligentia examinis.

omni merito, gratiâ & gloriâ. Hæc ergo, si sapis, omnia sedulò peruestiga. Sapiens Prou. 6. pigrum ad formicam mittit: *Vade ad formicam ô piger*, inquit. Vt enim formica omnia inuestigat & occultissima quæque deprehendit, teste Pierio, l. 8. *hiero.* Percurre & tu animam tuam & rimare omnes eius angulos. Quod si peccata non statim tibi occurrunt, persiste inquirendo. Vt enim cùm à sole in obscurum locum ingressus es, principio nihil vides: verùm si aliquamdiu ibidem hæseris, paulatim videre incipies quæcunque ibi sunt: ita si perseveres rimari conscientiam, clariùs videbis, quid in eâ lateat.

D. III. Ignorantia propriæ infirmitatis.

Tertiò, Reperiri saxum in Scotiâ Coij Prouinciâ scribit Ortelius in Scotiâ, quod à proprietate naturæ surdum vocatur. Id enim tale est, vti stans in vno eius latere sonitum, qui ex altero eius latere fit, etiam si bombarda sit, non audias. Huiusmodi est multorum peccatorum Ignorantia & stupiditas, vt remorsus scelerum suorum minimè percipiant, suntque surdastri in domo conscientiæ suæ, nec non cæci in dignoscendis suis defectibus & erratis. Cæcus ille natus *Ioan.* 9. non legitur petijsse à Christo, lumen vt reciperet, quia non agnouerat cæcitatis suæ miseriam. Tales sunt stupores aliqui, qui nihil de conscientiâ suâ dicere nôrunt, quia nihil in eâ vident: omnia salua existimant: peccata etiam grauiora spernunt, quasi nihil aut parum obsint. Hinc nulli in ijs remorsus, quia surdæ aures. Talis aliquando euasit Dauid perpetrato adulterio. Cùm enim nunciaret ei Bethsabee: *Concepi:* obsurduit Dauid nec ad sonitum istum euigilauit vt pœniteret. Ergo tonare incepit Deus per os Prophetæ Nathan & proponere ei parabolam de viro diuite, qui cùm plurimas haberet oues, rapuit cuidam pauperi è sinu ouiculam suam. Quantum istud tonitru? Sed necdum auditum seu intellectum à Dauide, nisi postquam ei expressis verbis dictum est: *Tu es ille vir.* 2. Reg. 12. Hinc etiam adeò excæcatus fuit, vt, quò tegeretur adulterium patratum, ægrè non tulerit suorum militum cædem, quorum debuit prouidere saluti: nec Israëlitici nominis dedecus, quod subierunt, dum in ipso conflictu fugerunt & Vriam deseruerunt. Ita nimirum libido consilium & mentem Dauidi expectorârat, vt hæc omnia non curaret. Non caret culpâ hæc surditas, hæc ignorantia & cæcitas. Dicit S. Paulus 1. *Tim.* 5. eum, qui suorum maximè domesticorum curam non habet; infideli deteriorem esse. Quantò igitur deterior erit, qui domûs conscientiæ suæ nullam prorsus curam habet, nec quid in eâ agatur, attendit? Siquis paterfamilias pateretur è domo furari seruos & ancillas, vxorem adulterari, liberos parentibus insultare, exteros de culinâ suâ edere & de cella bibere: nónne is periclitaretur de famâ æquè ac de bonis suis? Sanè Putiphar ille Ægyptius, quia nesciebat nec curabat, quid esset aut ageretur in domo suâ, inde adeò deceptus est vt vxorem impudicam domi retineret, castissimum verò & vtilissimum sibi Iosephum è domo eijceret: *Gen.* 39. Qui ergo in domo conscientiæ suæ adeò cæci & inertes sunt, vt nullam ei curam adhibeant: quid mirum si in confessione muti sint & hostes suos capitales, peccata, domi sua alat? *Per agrum viri pigri transiui*, inquit Sapiens Prou. 24. *& per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrtica, &c.*

E. IV. Amor delectationis.

Qvarto, E lapidum numero etiam magnes est, qui ferrum ad se trahit & retinet, & inuenti sunt magnetum montes, qui naues ferro onustas ad se rapuerunt neque dimiserunt, donec ferro exonerarêtur. Magnes talis iu proposito est amor delectationis, quæ ex peccato percipi solet. Hæc enim adeò tenaciter peccata quædam sæpe apprehendit, vt nequaquam ea dimittere velit. Hinc Iob 20. dicitur: *Cùm dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub linguâ suâ: parcet illi & non derelinquet illud & celabit in gutture suo.* Magnoperè angebatur Iacob, cùm intellexit postulatum à se Beniaminum, ducendum in Ægyptum: filium scilicet minimum charissimum: *Non descendet*, inquit: *filius meus vobiscum* Genes. 43. Sed præualuit tandem post illatio Ioseph, quia dixerat fratribus: Non videbitis faciem meam, nisi fratrē vestrum minimum adduxeritis vobiscum. *Genes.* 44. Multi ita diligunt peccatum aliquod mortiferum, vt exigenti Confessario prodere nolint. Sed nouerint isti verissimè sibi à Deo dici: *Non videbitis faciem meam nisi adduxeritis* peccatum illud *minimum* (quod tale forsan peccatori videtur) ad Confessionem. Constans enim Theologorum sententia est, omnia mortifera in Confessione explicanda esse. Porrò quemadmodum Iacob dum dimisit Beniaminum, obtinuit Iosephum suum, omnium sibi charissimum filium: ita qui seipsum vicerit & peccata omnia, etiam quibus addictissimus erit, Sacerdoti reuelârit, obtinebit gaudium, salutem & gratiam. Contrà verò, qui tam stultè amat scelus aliquot, vt prodere in Confessione nolit: prosequetur id aliquando plusquam Vatiniano odio, cùm propterea se damnatum aspiciet in gehennâ; quemadmodùm Amnon cùm ad insaniam penè deperijsset sororem: posteà à se violatam multò magis odio habuit, quàm amarit priùs. 2. Regum 13.

F. V. Timor satisfactionis.

Qvinto, Lapides alij lateritij sunt, fictiles & fragiles, qui leui ictu vel ictu rumpuntur. Et quid hi nisi timorem satisfactionis indicant? Sunt enim aliqui tam fragiles & pauidi, vt propterea in Confessione peccata grauiora reticeant; quia timent iniungendam sibi pœnitentiam, vel ne terrores sibi inijciantur, onus restituendi & odia deponendi imponatur, &c. Quibus dici debet, quod Dauid *Psalm.* 93. ait *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Quem locum ibi Liranus exponit de exploratoribus terræ sanctæ, qui terruerant populum Hebræum dicentes. *Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores, &c.* Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere Giganteo, quibus comparati quasi locustæ vide-

videbamur. Num. 13. Ita nimirum aliquibus opera pœnitentiæ, ieiunium, disciplina, cilicium, prostratio, restitutio, deprecatio & similia videntur monstra esse horribilia: tribunal Confessarij, terra, quæ deuorat habitatores suos. Sed audiant hi Iosuen & Caleb, qui detractoribus terræ sanctæ dicebant: *Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare.* Num. 14. Hoc enim de confessione dicere non dubito. Nam etsi primo quidem aspectu austera videatur, ea tamen austeritas mox vertetur in suaue gaudium, cùm quis experietur liberatum se à remorsu conscientiæ & seruitute dæmonis. Licet enim pœnitēs soluatur in lachrymas, licet sæuiat in carnem: hoc ipsum tamen illi maximam affert consolationem, quemadmodum de se testatur S. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 6. *Currebant lachrymæ*, inquit, *& bene mihi erat cum eis.* Dauid etiam lachrymas suas vocat *panem suū*, Psalm. 41. Et *potum suum.* Psalm. 79. quasi ex ijs bene & lautè viueret. Qui de procul ad Alpes oculos conijciunt, impossibile existimant eas conscendere & superare. At si propè ad eas accesserint, deprehendunt facilem esse per ambages ascensum, minimè præcipitem: ita pœnitentia præcogitata inexpertis videtur continere nimiam asperitatem: at vbi eam delibare & amplecti incipiunt, vident eam planam & facilem, nihilque iam morantur.

G. VI. Desperatio emendationis. SEXTÒ, Obstruunt etiam silices quandoque portam ciuitatis seu os cōfitentis. Et hi desperationem emendationis denotant. Vti enim silices in aggerem aut cumulum comportati, naturali lubricitate à se mutuo dilabūtur, adeò vt silicibus frustrà ædificetur: ita persuadent sibi aliqui, se, licet crebriùs confiteantur, cancrum rectè ingredi docere aut silices construere, eò quòd experiantur ilicò se relabi. Sed dic tu mihi quæso: Si in aliquod vasculum frequenter haurias aquam, licet mox effundas, an non vasculū illud mundius euadet, quàm si nihil vnquam infudisses? Post comestionem breuī iterum esuris: num propterea vesci desines? An tu instar fatui lintea rursum vsu sordidanda lauare noles. Debita tua non solues, quia experiris te quotidie noua contrahere? Quòd si propositum emendationis habeas, licet probabiliter timeas te in idem peccatum relapsurum, valet tamen pœnitentia & paulatim te disponet, vt habitum peccandi abiures S. Chrysostomus & Theophylactus in Ioan. afferunt paralyticum illum, *Ioan.* 5. qui 38. annis infirmabatur, singulis illis 38. annis cùm moueretur aqua, piscinæ assedisse, licet toties vidisset se præuentum à potentioribus vel robustioribus operam perdidisse. Sed qui tamdiu sanitatē frustrà expectauit, tandem aliquando inuenit; quia à Christo accepit, quod à piscinâ habere non potuit. Quā in re haud dubiè animauit Christus eos, quibus animæ remedia sæpe nihil prosunt, vti nec illa spernant negligantque; quia quod non obtinetur hodie, cras forsan obtinebitur, fortè post annū: fortè in extrema periodo.

Quando igitur, Auditores, videmus, quænam sint repagula, quibus os pœnitentis obstruitur à dæmone, demus operam vt quamprimum ea amoliamur. Admoueamus arietes fortis & virilis animi, ac perrumpamus ostium oris nostri, eoque perfracto mactemus hostes nostros, (peccata nostra) & transeamus super eorum cadaueribus ad S. Communionem, indeque ad cœlestem patriam.

CONCIO VII.

Confessionis sacramentalis conditiones.

1. *Bona Confessio præuium habeat examen conscientiæ.* 2. *Sit contritione instructa.*	3.4.5. *Sit integra, fidelis & obediens.* 6.7.8. *Clara & distincta, syncera & postremò propria.*

THEMA.

Si fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet. Luc. 11.

GEnesis 14. cap. legimus bonum illum Lothum captum & abductum fuisse cum omni suâ substantiâ à Rege Chodorlahomor & sociis regibus. Quod vbi intellexit Abraham Lothi patruus per nuncium, qui euaserat, *numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decē & octo: & diuisis socijs irruit super eos nocte, percussitque eos: reduxit quoque Loth & omnia quæ illius erant.* Quo redeunte, egressus est obuiam ei *Melchisedech*, *proferens panem & vinum* ac *benedixit illi.* Videtur hæc historia rationem expugnandi Dæmonem per confessionis Sacramentum pulchrè delineare. Chodorlahomor generatio seruitutis exponitur & exercitūm tenebrarum perpetuæ seruituti mancipatum adumbrat. Hic abducit Lothum, cùm in seruitutem suam redigit peccatoris animam. Quid igitur faciat peccator vt animam sibi coniunctissimam redimat à Tyranno? *Si fortior eo superueniens vicerit eum*, inquit Dominus in hodierno Euangelio; *vniuersa arma eius auferet & diuidet spolia.* Sed quis fortior erit forti illo armato? Qui exercitum conscripserit & in hostem illum duxerit. Exercitus porrò ille totus è vernaculis, totus è peccatis tuis constat. Vernaculi seruorum domesticorum filij sunt, qui hero domi suæ nascuntur, quorum plurimi erant Abrahamo, gens vt plurimùm malè morata. Et hi sunt peccata tua, pessima genimina, domi tuæ nata. Hæc ergo si numeraueris in conscientiæ tuæ examine & adduxeris per Confessionem ad aures Sacerdotis; debellabis aëreas potestates & liberabis animam tuam, occurretque tibi verus Melchisedech Christus in S. Cōmunione cum pane Eucharistico & cœlesti benedictione. Verū quia multùm interest, qualis quisque habeat milites & quomodo instructos: videndum nunc vt rectè instruatur Confessionis nostræ exercitus. Solent hoc A

lent hoc tempore Reges ad bella procedere: procedamus etiam nos ad pugnam spiritualem.

B. I. Præuium habeat examen conscientiæ.

PRIMÒ, Conscribuntur milites & ad tympani sonitum per omnes vrbium plateas vndique conquiruntur. Ita haud dubiè Abraham conuocauit suos vernaculos: alios è pascuis, alios è pistrino, alios ex agris, alios è caulis, horreis vel hortis, vt sibi præsto adessent. Prima est hæc conditio bonæ Confessionis: præuium examen conscientiæ. Excitanda memoria, vestigandi omnes sensus, loca, tempora, personæ quibuscum aliquando fuisti: quid hic vel ibi egeris; deinde conquisita peccata sedulò adnotanda, vt ne tibi excidant, cùm erit confitendum, quomodo inscribuntur milites ne Duci elabantur. Possumus hoc discere è duabus illis similitudinibus; quas proposuit Christus *Luc.* 14. Vna est de eo, qui volens ædificare turrim *sedens priùs computat sumptus, qui necessarij sunt.* Altera de Rege, qui iturus ad bellum *sedens priùs cogitat, si possit cum decē millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Quisquis per pœnitentiam liberari à peccatis & gratiam Dei recuperare cupit, turrim quâ in cœlum scandat, ædificare quærit, & cum aduersario Dæmone pugnare debebit. Nónne igitur oportet vt sedens priùs computet sumptus, sua scilicet peccata, quorum confessione hanc turrim extruere velit? Nónne priùs sedens cogitare debet, quomodo cum decem verbi gratiâ peccatis Confessario pādendis velit occurrere Dæmoni? qui forte cum viginti aut pluribus veniet, de quibus eum accusare & reum agere poterit? Profectò si is tibi longè plura obijcere queat scelera, quàm tu confitearis, cùm possis plura vel omnia: nónne tu succumbes? Sedulò is numerat & meminit peccata, vide vt tu quoque memineris. Sede ergo priùs (non in confessione primum) & velut in re maximè seriâ, recogita peccata tua, vt confiteri possis omnia quantum fieri potest.

C. II. Sit contritione instructa.

SECVNDÒ, Armis accinguntur & instruuntur milites ad pugnam idoneis. Ita Abraham *expediuit instructos vernaculos suos* (vt dicitur in Hebræo) armis scilicet bene cōmunitos. Quid efficiet sine armis miles? idem quod sclopetum sine glande ferreâ. Porrò Confessio peccatorum contritione vel saltem attritione carens, miles est fine armis, bombarda sine globo. Huiusmodi confessio sonitum quidem edit, sed non lædit hostem, quia globo contritionis caret, qui ex cordis penetralibus cum impetu & doloris sensu erumpat. Ediderant sanè aliquem Confessionis sonitum Pharao *Exod.* 9. Saul. 1. *Regum* 15. Iudas proditor *Matth.* 27. Antiochus 1. *Mach.* 6. dicendo se peccasse: verùm nihil effecerunt; quia sine dolore, quasi sine glande, Confessionem eiaculati sunt. Qui murum ciuitatis reparabant, *Nehemie* 4. vnâ manu ædificabant, alterâ tenebant gladium, quo hosti impedimenta molienti obsisterent. Ita se gerat, qui per pœnitentiam extruere murum gratiæ vult: vnâ manu enumeret peccata suo Confessario, altera gerat gladium syncerae contritionis, quâ de ijsdem doleat. Insidiatur enim dæmon homini in ipsâ confessione, ne rectè ab eo fiat.

D. III. Integra sit.

TERTIÒ, Fit delectus & recensio militum: leguntur enim & recognoscuntur, deinde in ordinem statuuntur. Ita dicitur Abraham numerasse 318. milites suos. Tertia hæc conditio bonæ confessionis est, integritas videlicet, vt omnia tua peccata mortalia scilicet, & quæ talia esse putas vel probabiliter times, Confessario recenseas; interim terminis generalibus, conditionatis, alijsque narratiunculis impertinentibus abstineas: eaque è tuâ acie velut inutiles milites excludas. Figuram huius rei alteram præbuit Iudas Machabæus, cùm 1. *Machab.* 5. exercitum ducens contra Timothæum, constituit Notarios ad torrentem, qui omnium omninò militum nomina conscriberent, ne quis subterfugeret. *Neminem reliqueritis*, ait, *sed veniant omnes in prælium*; atque ita hostem fugauit. Iudæ vocabulum Confessionem sonat. Hæc ergo omnia peccata grauia ad tribunal Christi adducere debet, si victoriam reportare de diabolo velit. Ita enim Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. ait: *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiā habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm aduersus duo vltima Decalogi præcepta commissa quæ nonnumquam animam grauiùs sauciāt, & periculosiora sūt ijs, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus à gratiâ Dei nō excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè & vtiliter citraq; omnem præsumptionē in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat: taceri tamē citra culpam, multisq; alijs remedijs expiari possunt. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciē peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa neq; à pœnitētibus integrè exponātur, nec iudicibus innotescāt.*

E. IV. Sit Fidelis.

QVARTÒ, Milites Sacramentum præstant & fidelitatem iurant, ad suum quisque vexillum, &c. Quarta hæc conditio est, fidelitas nimirum, vt ne falsò te accuses. Paris enim culpæ est, nolle se accusare & falsò se accusare. Scimus quàm punitus sit Ananias & post illum vxor eius Saphira, cùm mendacium obtruderet Petro *Actor.* 5. cui ipse dixit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Confessarius Dei vices gerit & Christum repræsentat. Non enim inquit: Christus te absoluat; sed: *Ego te absoluo.* Quisquis ergo ipsi imponit, Deo se imponere sciat ita tamen vt nequaquam Deum fallat: sed seipsum potiùs. Caue ergo dicere te omnium peccatorum reum esse, vel omnia præcepta transgressum esse: caue eandem semper peccatorum cantilenam occinere; quia non est credibile te omnium reum esse, vel semper eodem modo peccasse.

F. V. Sit obediens.

QVINTÒ, Milites sequi Ducem & Doctorem suum debent, quod adeò sanctum erat Romanis, vt qui obedire & sequi quocunque Ductor vellet, detrectasset, ab ipso indictâ causâ occidi posset; vt testatur auctor Antiq. Rom. *lib.* 10. *cap.* 3. Ita etiam par est, vt pœnitens

paratus

paratus sit obedire salutatibus Confessarij sui monitis, & quæ ab illo iniungentur, exequi. Oberrabat aliquando in solitudine Agar ancilla Saræ? cui apparuit Angelus Domini, dixitque: *Agar ancilla Saræ, vnde venis & quò vadis?* Quæ respondit: *A facie Saræ Dominæ meæ ego fugio.* Dixitque ei angelus Domini: *Reuertere ad Dominam tuam & humiliare sub manu illius;* Gen. 16. Fugit à Deo peccator & oberrat in peccatis. Vnde venis ô miser, & quò vadis? E cœlo fugisti, & ad inferos tendis. Ergo reuertere ad Dominam tuam Ecclesiam eiusque sacerdotem, & humiliare sub manu illius; patere te ab illo dirigi & moneri. Certè milites cùm à suis Ducibus & Decurionibus fustibus tundũtur, nõ audent eis resistere, vel etiam contra hiscere. Cur non æquiore animo acceptet quis à Confessario salutarem correctionem, quæ ei sanitatem mentis impertit, estque instar linguæ caninæ, quæ delingens vlcera, sanat, teste S. Gregorio hom. 40. in Euangelia? *Canum etenim lingua*, inquit, *vulnus dum lingit, curat; quia & Doctores sancti, dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt.* Sanè Lazarus ille vlcerosus non legitur repulisse canes, qui ad lingẽda eius vulnera veniebant. *Luc.* 16. Idẽ tu ne facito, sed age potiùs gratias, cùm te arguit Confessarius, qui non solùm Medicus sed & Iudex tuus est.

G. VI. Sit clara & distincta. SEXTÒ, Acies instruitur & diuiduntur milites in turmas. Ita Abraham diuisis socijs irruisse in hostem dicitur. Debet ergo Confessio præterea diuisa, hoc est, digesta & distincta esse, ita vt exprimantur clarè non solùm ipsa peccata, sed eorum etiam species & circumstantiæ, maximè quæ variant speciem peccati vel aggrauant valde peccatum. Audimus in hodierno Euangelio, regnum in se diuisum stare non posse. Diuidemus autem satanæ regnum, si peccatorum nostrorum turmam, quæ regnum & sedes est Diaboli, partiamur in suas species, numeros & alias circumstantias; omnia sine dolo & clarè exprimendo, quoties, quo loco, & tempore, contra quem, quomodo deliquerimus. Consultum etiam foret seruare in recensendo ordinem, pro memoriæ beneficio, veluti per decem præcepta, septem vitia capitalia, præcepta Ecclesiæ; percurrere deinde cogitationes, verba, opera & omissiones. Nec obesset meo iudicio præmittere mox grauiora, ne pudore victus ad finem ea tegas, quod accidit mulieri cuidam (in decantatissima historiâ, quam scribit Ioannes Iunior in scalâ cœli) quæ certum aliquod peccatum diu celauerat & tandem confiteri statuit. Inter confitendum, quoties enunciabat aliquod peccatum, toties buso ex eius ore, deinde è templo saltibus egredi videbatur cuidam religioso. Sed cùm ad extremum enumeratis iam alijs, venisset ad id quod promere erubesceret, pudore victa suppressit. Itaque omnes eiecti busones cum alio quodam grandiore visi sunt repente regredi per templum & in os mulieris.

H. VII. Sit sincera. SEPTIMÒ, Milites prohibentur stationem suam deserere, retrocedere aut subterfugere. Sic enim apud Diodorum, *lib.* 12. seuera antiquæ militiæ lex habetur, ne quis à loco sibi assignato recedere attentaret. Similiter confessio accusatoria esse debet, non excusatoria. Is verò à statione quodammodo suâ recedit aut subtersugit, qui peccata sua excusare nititur. Multi autem sunt qui cùm accuratius in scelera sua inquiri cernunt, tergiuersantur & refugiunt, quod hæreditario quodam morbo à primis nostris parentibus in homines deriuatum asserit Greg. *lib. 4. Moral. cap.* 23. Adam enim in Euam, Eua in serpentem, suam reiecit culpam. Sed audiamos eundem S. Patrem lib. 22. Moral. cap. 13. *Mortuo Lazaro*, inquit, *qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur: reuiuisce, sed veni foras, vt nimirum homo in peccato suo mortuus, qui intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à seipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim veni foras dicitur, vt ab excusatione & occultatione peccati ad accusationẽ suam ore proprio exire prouocetur, &c.* Huiusmodi vitio plena fuit Saulis confessio. Cùm enim increparetur à Samuele, quòd pepercisset melioribus Amalec contra expressum Dei præceptũ; respondit propterea se reseruasse aliqua vt Domino immolaret: reprobato hoc prætextu fatetur se peccasse, sed necdum sine effugio: *Peccaui*, inquit, *timẽs populum & obediens voci eorum*. 1. Reg. 15. quasi verò Regem deceat obedire populo, & non potiùs econtrà. Certè si se humiliter accusasset, & non potiùs excusasset, non video cur vox, *Peccaui*, minùs ei profutura esset, quam profuit Dauidi, qui ob idipsum vnicum verbum, nudè & sine excusatione prolatum, statim iustificatus fuit 2. *Reg.* 12. Vnde S. Gregorius vbi suprà cap. 14. non dubitauit scribere: *Deus non maledixit hominem cùm peccauit, sed cùm se excusauit. Si primi parentes statim se accusarent, statim illis peccatum dimitteretur.* Quod idem tenent August. *serm. 3. de annunciat.* Bern. *libr. de præcepto & dispens.* Atque hæc sunt illorum perizomata de folijs ficus, id est, inanes & futiles peccatorum excusationes, vt scribit S. Ambrosius *lib. de paradiso cap.* 13.

OCTAVÒ, Militum quisque suam in prælijs repræsentare personam debet, non alium I. VIII. Sit propria.
sustinere. Ita propria sit confessio, & sua non aliena monstret vulnera. Multi reperiuntur, qui alienos humeros suo premũt onere: vxores accusant maritos, & mariti vxores: alij inimicos suos. Audi primam hominis confessionem: *Mulier*, ait: *dedit mihi de ligno & comedi.* Ecce ne solus reus prodeat, complicem sibi adiungit, se ait comedisse, mulierem dedisse. Non ita sanctus Dauid; sed; *Confitebor aduersum me*, inquit Psalm. 31. *iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quem & nos imitemur, vt ne nos & alios dum sanitatem quærimus, grauiùs sauciemus.

Ad extremum miram historiam audiamus ex litteris Peruanis anni 1590. quam recenset Martinus Delrius lib. 2. Disquis. Mag. qu. 26. sect. 5. *Accidit in missione (illa Itatinâ) P. Samanego res admirabilis & consideratione digna, cuique eo in genere vix contigit similis: quæ etiam eius-*

dem vrbis incolis, in quâ euenit, ita innotuit, tôtque testimonijs confirmatur, vt nullus dubitandi locus relinquatur, quæ ab ijs personis accepta est, qui oculis & auribus hauserunt: qui casus euentu infelix ideò permissus est (quemadmodum etiam de similibus quæ in confessione contigerunt credi potest) vt hic nouus populus discat; quâ fide & integritate vti debeat pœnitentiæ Sacramento, in quo non paruam sentit difficultatem. Quare etiam Iuda, quæ in omnium oculis legem integræ cōfessionis violabat, videntibus eisdem punita est & castigata; vt vnius animæ ruinâ multarū salus procuraretur. Res igitur quæ accidit, est eiusmodi. Agebat in domo præcipua cuiusdā dominæ huius loci adolescētula decem & sex circiter annorum, quæ bello capta ac baptismo tincta, Catharina vocabatur. In eâ cum ætate crescebant libertas & mores dissoluti e iamsi nō rarò ab herâ reprehensa castigaretur; q a eò peruenit malitia, vt cum peditis quibusdam clam consuesceret, nec tamen propterea à cōfessione abstineret: sed hoc peccatum labris premeret, ne meretricula aut perditis moribus haberetur. Hæc igitur Calend. Aug. 1590. morbo depressa Sacerdotem euocauit, cui animi noxas aperiret; sed id fecit non integrè, vt & in eadē ægritudine nouem alijs vicibus recedēto Sacerdote, præsentibus alijs famulis contēptim ridebat, hac fermè oratione: Aliud quod agerem, non erat; quàm vt peccata faterer: adiectis etiam turpibus & inhonestis verbis, quibus offensa cetera singula ad heram referebant, quæ meritò Catharinā increpans, tandem vultu & voce mutatis amicè rogauit; quænam illa essent, quæ patri aperire non vellet? narrauit illa non difficulter, adiunxitq́; quoties patrem in morbo vocasset vt se purgaret confessione; stetisse ad lauam quendam Æthiopi similem, qui moneret ne fateretur, quòd ea peccata leuissima essent, & nullius momenti, & ex illorum confessione à patre dissolutior haberi posset. A dextra verò manu apparuisse S. Mariam Magdalenam exhortātem, vt quidquid esset liberè euomeret; accersitum itáque rursum patrem Domina de omni eo quod acciderat instruxit, qui modis omnibus tentauit, vt ad integram animæ expiationem induceret, sed frustra: quò enim exhortabatur magis, eò reddebatur obstinatior; ita vt nec nomen Iesu enuntiare vellet. Alio etiam tempore cùm illi sacram crucifixi imaginem offerrent, vt in eum intueretur, & animo reuolueret Christum, pro nobis cruci affixum & in cruce mortuum, summa cum indignatione & animi commotione respōdit: Iam scio, sed quid vultis faciam? Ad quam hera, vt ad Christum se conuertat, qui admissa crimina remittat, si fatendo recognoscat. Cui Catharina; obsecro vt mihi desinatis esse molesta; cumque hera abscessisset, cœpit amores suos & turpitudinem decantare; duratque ad dies plures hæc agendi & dicēdi ratio; donec quadam nocte accersitâ cum ancillis herâ, hæc in verba prorupit: Torqueor & animo angor plurimùm ob violatam confessionem; & ab eâ horâ vsque ad mediam noctem toto corpore obriguit, vt crederetur mortua, & de humatione & sepulturâ esset cogitatio: sed ad se reuersa accitóque Sacerdote, nihil de antiqua fatēdi consuetudine remisit. Tres post horas, paulò antè quàm expiraret, exhortata à seruis, vt apprehensa manu cruce, & cereo sacro nomen Iesu inuocaret, respondit: Quis est ille Iesus? eum non noui, ac in vltimam partem lecti reflexa, sedensque audiebatur cum alio quodam, qui tamen oculos fugiebat, colloqui. Ac alia serua, quæ eodem in loco ægra decumbebat, vehementer Dominam rogauit, vt in distinctum cubiculum transferretur, quod, vt aiebat, laruas quasdam atras videret, quibus admodum terrebatur. Nocte eâ, quâ Catharina extincta est, domus totâ tam fœdido, ac putri odore perfusa est, necessarium vt fuerit, cadauer locu patente & aperto exponere: Dominæ etiam frater è cubili brachio extractus est. Ancilla quædam in humeris veluti calce percossa est, pertulítque aliquot dies eius læsionis signa. Equus mansuetissimus alioquin, actus in murum calcibus huc & illuc discurrens tota nocte insaniuit. Idem fecerunt & canes multâ discursione & latratu. Humato iam corpore, cùm ex ancillis quædam locum intrasset, in quo Catharina decubuerat: nemine conspecto, sensit in se vas quoddam quod tabulatis impositum erat, iaci. Maior præterea pars huius vrbis vidit multo crepitu & sonitu huc & illuc plurimos lateres & tegulas, etiam ad duo millia passuum proijci; non quod in palatio vllus sit later vel tegula; cùm, vt pleraque huius vrbis ædificia omnia, palma tegatur, Ancilla alia spectantibus multis pede protracta fuit longissimè, etiamsi qua traheret non videretur. Septimo Octobris cùm quædam serua vestiarium esset ingressa, vt inde vestem aliquam sibi sumeret; vidit Catharinam erigentem sese in pedes, vt vas quoddam arriperet; fugiente illâ tanto impetu vas in murum impulit, vt in mille partes frangeretur. Die insequenti vestiario annexa fuit crucis imago chartacea, quæ vno impetu à muro auulsa in conspectu omnium tres in partes distracta est. Eodem die cum in horto Domina cœnaret, medius later lanci iniectus totam cœnam euertit; cum filius annorum quatuor, eo ipso tempore clamare cœpit Matercula, Matercula, Catharina me præfocat; appensisq́; ad collum sanctorū exuuijs ab eâ pœnâ liberatus fuit. Hæc Dominā coëgerunt vt ædes mutaret & in consobrinæ domum se reciperet, relictis ancillis quibusdā ædium custodibus. Decimo dicti mensis, cùm ex ancillis aliqua in officinam dispensatoris iuisset, sensit se ter à Catharina vocari: quam timore nimio dilapsam exhortatæ sunt ceteræ; vt inuocato Domini nostri auxilio, cereoq́; sacro accēso regrederetur: assumptis duabus, quæ ceteris animosiores videbantur securè rediJt, quam defuncta monuit, vt demissis alijs, cereo abiecto quòd pœnā inferret, sola persisteret. Emittebat Catharina ex omnibus corporis īuncturis flāmas, incredibili cum fœtore. Caput cum pedibus ardebat, cincta erat veluti ignita fascia octo aut decem digitos lata, quæ in terram protendebatur, videbaturq́; libidinis & admissæ turpitudinis pœna & castigatio quædā. Viso hoc spectro tremere & exalbescere cœpit serua; ad quam infelix defuncta, accede huc. Quoties ego te euocaui? Respondit serua penè exanimis: Bone Iesu, quis non horreat te visa! quæ cùm diceret, in eundem locum descendit formosissimus puer albis vestibus, qui seruā hortatus est, vt posito timore forti esset animo, notaretq́; diligēter quæ à Catharina acciperet, vt in alios euulgaret, ac simul atque ab hoc loco abscessisset, confessione maculas omnes expiaret. Tum hæc in verba Catharina: scias inferno me mancipatam & grauissimis subiectā pœnis; quòd cùm Sacerdoti aduolueret vt peccata faterer; leuissima tantū referrē, cuiusmodi sunt, quòd garrula essem & loquax; in iram proclinis

& id

id genus alia: silentio verò inuoluerem libidines, & consuetos cum adolescentibus congressus. Tu igitur disce bene confiteri & nullum crimen tacere. Horumque vos commoneo, quòd ita mihi imperatum sit, togarq; aliorum in exemplum hæc verba aperire. Iam pulsus ad salutandam Deiparam Virginem audiebatur: defuncta mox in angulum quendam secedit & euanescit. Angelus verò (Angelum enim fuisse, quem viderat puerü, credebat famula) abire ad suos famulam iubet quod & fecit. Nos ergo, Auditores, quia in bonum nostrũ damnata hæc apparuit, malo eius docti, meliùs instituamus nostram Confessionem, expediamus vernaculos nostros, recenseamus omnia peccata nostra, vt à Diaboli laqueis expediamus ac recuperemus animas nostras, &c.

CONCIO VIII.

Impedimenta conuersionis quomodo superanda.

Primum est consuetudo peccandi.	*5. Horror pœnitentiæ.*
2. Delectatio peccati.	*6 Dæmonis insidiæ.*
3. Societas & propinquitas.	*7. Mundi obtrectatio & scandala, quibus singulis correspondent remedia contraria.*
4. Mundi negotia.	

THEMA.

Erat Iesus eijciens dæmonium. Luc. 11.

A. Viderunt quidẽ Israëlitæ luculenta indicia præstantiæ terræ promissæ, botrum, malogranata, ficus: Audierunt etiam ab exploratoribus ad eam missis terram illam manare lacte & melle; vt meritò quis existimare posset, iam tunc omnem sublatũ iri difficultatem & murmurationem, quo minùs alacriter pergerent incœpto ad eam itinere. Sed aliter euenit. Cùm enim narrassent plerique exploratores, terram alioquin optimam, esse penè inexpugnabilem, imò deuorare habitatores suos, obstare multos hostes eosque Gigantes, vrbes eorum grandes & muratas vsque ad cœlum, tum omnes consternati vociferari & flere inceperunt & denuò in Ægyptum regredi voluerunt. Iosue tamen & Caleb, contrà asserebant, non difficilè occupari terram illam posse, & obsistentes hostes omnes debellari: *Quia sicut panem, ita eos possumus deuorare*, inquiunt. Sed cùm his non mouerentur, iratus, eis Deus iurauit se neminem ex ijs qui erant supra viginti annos, adeoque qui murmurârant, introducturum in terram illam, præter Iosuen & Caleb. Quod & factum. Vidimus & nos ante octiduum, in Transfiguratione Domini, non obscura quædã indicia promissæ nobis patriæ & cœlestis gloriæ. Vidimus enim Christi faciem rutilantem instar Solis, vestes eius instar niuis albas, cum ipso Moysen & Eliam, visos in maiestate: Vocem cœlestis Patriæ desuper intonantis & Filium commendantis; & hoc totum in nube lucidà & vmbrosâ. Quis vltrà requirat aliquid, quo gloriæ nobis promissæ certitudo ampliùs firmetur; Si enim hìc in terra & exilio tam gloriosus apparuit Dominus, & suam quoque gloriam Moysi & Eliæ communicauit: si ex solâ hac visione Petrus inebriatus fuit, nesciens quid diceret: Quid erit in patriâ & cœlo? An non igitur omnes illuc alacriter pergemus? Estne vnus ex omnibus qui in peccato sistere, nec ad gratiã contendere velit, quæ pignus illius est gloriæ? Sed videor mihi audire multos obmurmurantes & dicentes: Terra quidem nobis descripta reuerà fluit lacte & melle, vt ex transfiguratione Domini colligi potest: sed cultores habet fortissimos; ibi multi sunt Gigantes, qui armati nobis occurrent nosque ab ingressu terræ impedient: consuetudo peccati, delectatio, amici, negotia mundi, pœnitentia, dæmon, mundus. Sed *nolite rebelles esse contra Dominum*, dicebat Iosue; & nunc ego quoque dico, *neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem ita eos possumus deuorare. Recessit ab eis omne præsidium: Dominus vobiscum est, nolite timere.* Ad hoc enim monet nos Ecclesia per hodiernum Euangelium, vt scilicet dæmonem nobis in viâ Dei obsistentem eijciamus, digito & virtute Dei. Septem Reges fuerunt, qui impedire conati sunt Israëlem ab ingressu terræ promissæ: frustra tamen obstiterunt: sicut & septem spiritus nequiores in hodierno Euangelio.

PRIMVS, Erat Pharao, *Exod.* 14 qui primò dimittere noluit Hebræos ad sacrificandum & in terram Chanaan ituros. Secundò discedentes insecutus est & retrahere in Ægyptum voluit ad pristinam seruitutem. Sed primò Angelo mediante prohibitus: deinde in mari rubro suffocatus est; per quem designatur consuetudo peccandi, quæ instar Pharaonis indurata & in alteram mutata naturam non vult demittere peccatorem, vt conuertatur: sed abeuntem insequitur & ad priorem vitiorum seruitutem reducere conatur. Id quod, non figuratè tantùm, sed reipsâ etiam experti sunt Hebræi, siquidem adeò assueti erant Ægyptiacæ seruituti, vt eam ægrè desererent & sæpius iterum desiderarent, ac dulcissimo manna spreto vilissima cæpe & allia Ægypti in desiderio illis essent. Ita etiam fit per assuetudinem, vt iter spirituale pœnitentiæ & conuersionis desipiat peccatoribus, sapiant verò solæ voluptates, fœda colloquia, impuri libri, ebrietas, impudicitia: eaque non tantùm ægrè vitentur, sed subinde etiam iterum recurrant, iuxta id: *Naturam expellas furcâ, tamen vsque recurret.* Imò per consuetudinem fit vt homo non timeat intrare mare, id est, præsentissima mortis, pœnarum & gehennæ pericula. Sed quã ratione superabimus Pharaonem? Fugiamus à malâ consuetudine, cessando aliquamdiu à malo opere. Verbi gratiâ ebrietate, iuramento, fornicatione, lectione libri impuri, &c. semper passim & passim faciendo contrariorum actuum vel saltem omissionis malorum. Verbi gratiâ

B. I. Consuetudo peccandi.

Remedium.

gratiâ propone hodie abstinere ab ebrietate: postea totâ septimanâ, posteà toto mense, &c. Ita S. Bernardus, vt est in eius vitâ, cùm in Frãciæ finibus agens nobilem offendisset, turpitudinis vitio tam addictum, vt eo sese quolibet die fœdè inquinaret; cum seuerâ oratione, at nihil proficiente, admonuit. Qui dum se abstinere nullo modo posse assereret; *Quaso*, aiebat S. Bernardus, *saltem aliquales cum Deo inducias facito vt minùs ad triduum.* Annuit ille & ecce triduo expleto: *Nunc in honorem Deiparæ*, inquit, *tantundẽ præsta*; paret. Tũ tertiò Bernardus; *semel adhuc has inducias posco in honorem omnium sanctorum*: & ille rursus eas paciscitur, donec sponte Bernardo se insinuans dicteret: *Nolim ampliùs diurnas sed perennes cum Deo inire inducias.*

2. Quod si hoc negotium tibi fortè tam fæliciter non succedit; pone inter nouam & veterem vitam tuam pœnam aliquam monitricem quemadmodum inter Hebræos fugientes & Ægyptios insequentes posuit se columna ignis, seu Angelus in eâ. Si enim pueri à prauis habitibus & consuetudinibus reuocantur timore virgæ, & alij quicunque peccatis assueti, vt ebriosi, fornicarij, timore carceris vel alterius mulctæ: non difficilè hoc idem obtinebis, si aliquam tibi imponas pœnam relabenti: quemadmodum suadet S. Chrysost. in consuetudine iurandi, verbi gratiâ percute pectus quoties iuraueris, &c. vel fac eleemosynam aut certam orationem. Et tametsi hoc rideatur à multis, ipsi tamen ridendi vel potiùs miserandi sunt; quia *si nos ipsos diiudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur.* 1. Cor. 11.

3. Denique si induratum te sentias ex consuetudine, propera ad mare rubrum & per illud transi; id est frequenta Sacramenta Confessionis & Communionis, in his enim accipies abundantem Dei gratiam, & tandem Pharaonem seu consuetudinem tuam prauam submerges. Certè in confessione, si eadem peccata semper repetas, moneberis sæpè à confessario de relapsu vitando, doceberis remedium, &c. imò teipsum monebis & cauebis relapsus.

4. Quòd si nihil horum te mouet, scio, quia *cor durum malè habebit in nouißimo*, descendet enim cum Pharaone in profundum quasi lapis

C. II. Delectatio peccati. SECVNDVS, Fuit Rex Amalec. *Exod.* 17. qui primus occurrit manu armatâ Israëlitis; sed fugatus in ore gladij, Iosue pugnãte, Moyse verò orante, & ab eo tempore bellum ei æternum à Moyse indictum. Per hunc designari videtur delectatio & voluptas, quam in peccatis sentit peccator, & posteà addubitat cùm eius recordatur (Amalec enim *populum lambens* exponitur.) Quis autem nescit oues ob eo loco difficulter recedere & mox ad eundem recurrere, in quo priùs aliquid dulce inuenerunt & lamberunt? Postquam ergo sæpiùs quis gustauit peccati dulcedinem, iam difficulter inde auertitur; & auersus mox recurrit; atque ita amor & affectus peccati inordinatus, peccandique illecebra degustata primus est hostis, vt disserit Rupertus eo loco, & Gregorius *in lib. 2. Reg. cap. 2.* qui homini ad Deum egressuro occurrit & bellum infert ac pugnat in Raphidim, id est, reclinatorijs seu stramentis, pristinæ videlicet delectationis & dulcedinis. Hic etiam reipsâ occurrit Israëlitis, cùm in mentem eis venerunt dulces illi pepones ac cucumeres: & propterea redire in Ægyptum voluerunt. Hic occurrit Augustino cùm deserendo fæminarum commercio & castitate amplectendâ cogitaret. *Retinebant me nugæ nugarum*, ait ipse lib. 8. Confess. cap. 11. *& vanitates vanitatum antiqua amicæ meæ & succutiebant vestem meam carneã & submurmurabant: dimittisne nos? & à momento isto, non erimus tecum vltra in æternum? & à momento isto non tibi licebit hoc & illud vltrà in æternum?* Denique impugnat Amalec gulosos, fornicarios, vsurarios, & bonorum alienorum vsurpatores, & quicunque in peccatis delectationem habuere; tantoque magis præualet, quantò homo per eiusmodi illecebras languidior & infirmior factus est. Quemadmodum enim Amalec, Hebræos in itinere adhuc nouitios & *extremos agminis eius, qui lassi residebant*, cæciderat, vt dicitur Deut. 25. ita & præterita delectationis memoria, quia hominem adhuc incepto conuersionis itinere reperit nouitium & viribus animi destitutum, (manet enim in eo intellectus adhuc obscuratus, iudicium deprauatum, voluntas hebetata, sensus ad malum proni: adeoque animus penè horologij rotæ languentes) inde efficitur, vt facilè eum expugnet, vel saltem stragem aliquam faciat. Sed pugnandum est contra hunc hostem, & Primò cum Iosue in ore gladij, id est, in timore iudicij & gladij illius bis acuti, qui procedet de ore iudicis, Apocal. 1. Siquidem voluptas peccati ad extremum degenerabit in amaritudinem. *Cùm enim dulce fuerit*, inquit Iob cap. 20. *in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua: parcet illi & non derelinquet illud & celabit in gutture suo.* (sed audi) *panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* Remediũ. 1.

Experimento hoc didicit etiam in vitâ, pessimus ille Amnon, qui initio sororem suam Thamarem adeò deperibat, vt propter amorem eius ægrotaret: posteaquam verò eam oppresserat, *exosam habuit odio magno nimis, ita vt maius esset odiũ quo oderat eam, amore quo ante dilexerat*, vt dicitur 2. Reg. 13. ideo mox præcepit eam eijci à se & excludi. Cogitet ergo qui conuertere se vult, hoc idem sibi euenturum & quidem in vitâ nonnumquam, sed multò magis in morte: vbi panis prauæ voluptatis omnis vertetur in fel aspidum, cùm videbit se propterea damnandum. Cogitet se in inferno maledictorum & cane peius & angue auersaturum creaturas, quas hic perperam amauit. Quis autem adeò stultus foret, qui panem de saccaro licet & melle confectum eligeret, si sciret eum vertendum in fel aut absynthium? Quia verò hæc sola cogitatio fortè non sufficit; & caro infirma est, etsi oculatus intellectus & voluntas prompta: adiunge orationem, & pugna cum Moyse leuãdo indesinẽter ad Deũ manus, petẽndo robur vt talibus illecebris non mouearis non inseceris ampliùs. Id quod 2.

sedulò

sedulò fecit in confessione suâ Augustinus, & ita victor euasit.

D. III. Societas & propinquitas. TERTIVS, Fuit Edom Rex. Num. 20. qui requisitus ab Israële tanquam frater (siquidem Israëlitæ Iacobi, Edomitæ verò Esau fratris Iacobi, posteri erant) vt trāsitum ei concederet per eius ditionem, pollicente Israële omnium rerum incolumitatem & securitatem, adeò vt nec aquas de puteis eius bibiturum se cum suis diceret & viâ regiâ iturum: noluit, dicēs: *Non transibis per me, alioquin armatus occurrā tibi.* Statimque egressus est cum infinitâ multitudine & manu forti. Quā ob rem diuertit ab eo Israël, & circuiuit Idumeam. Quis est hic Edom frater Israëlis tam hostilis? Societas amicorum & propinquorum. Vbi enim quis à pristinâ peccandi cōsuetudine vult recedere, commercia periculosa dimittere, comessationibus & ebrietati valedicere, vindictæ appetitum deponere, moriturus iniusta bona restituere; eleemosynam pauperibus vel Ecclesiæ legare, & peccata sua redimere, &c. mox adsunt fratres & consortes eius, propinqui, socij mali, &c. qui ei ingeminant: Non licet tibi hoc per nos: num tu solus sapies? vnus omnibus nobis renuntiabis, &c? Et licet quis viâ tritâ & omnibus concessâ, virtutis scilicet, & sine omnium damno progressum se dicat; adhuc tamē hostes & infensos habet socios: ac sæpe ipsosmet fratres, liberos, propinquos, iuxta id Saluatoris: *Inimici hominis, domestici eius.*

Remedii. Quid igitur remedij? noli adire societatem malam, nec pugnare quidem cum eâ tenta, quia periculosa est talis pugna & timendum ne sociorum illecebris illectus à viâ Dei retraharis, vt patet exemplo Alipij, vt narrat Augustinus l.6. *Confess. cap.* 8. quòd ab amicis vocatus ad ludos, quos tamen oderat, consenserit accedere firmato priùs proposito, (*Adero* dicebat, *absens, & sic & vos & illa superabo*) vt oculos clauderet; quod cùm faceret, magnum audiuit populi clamorē occasione alicuius, quod fiebat; itaque aperuit oculos & mox spectaculi amore captus spectauit deinceps totum, & sæpius, imò & alios posteà adduxit. Diuerte igitur à malis socijs, circumi etiam cum tuo incommodo, *obliuiscere domum patris tui.* Ps. 44. Hoc fecerunt Israëlitæ & didicerunt à progenitore suo Iacob; qui sciens fratris sui Esau peruersitatem, ab eodem de domo paternâ fugit in Mesopotamiam, & ibidem seruire maluit *Gen.* 27. Et rursum à fratre inuitatus in Idumæam, eius terram, non venit: sed transiuit, (declinando Idumæam) in Salem quæ pax exponitur. Timebat enim ne si ad fratrem iret, eo mero præsertim incalescente vel pristinum renouaretur odium, vel ipse cum peruerso peruerteretur. Bonum consilium, inquies; sed difficilè vitantur diu amati propinqui & socij difficiliùs perduntur. Sed tu num mauis perdere socios & amicos quàm perire & ab ijsdem perdi? an nescis, quò te ducant: nónne ad pericula, ad præcipitia, ad infernum? si te in domum infectam, si ad commercia leprosorum, si ad conuentum dæmonum & sagarum ducere socius vellet, haud dubiè non acquiesceres: Et cur sequeris præeuntem ad infernum? Putasne saluabunt te in illâ die socij & propinqui tui? Vel, quid iuuabit te, si cum multis pereas? nónne magis inde cruciaberis? si enim socius socio, propinquus propinquo, frater fratri, non augeret, sed mitigaret damnationem, damnatus ille Epulo nequaquam petijsset mitti ad fratres suos, vt resipiscerent, ne in eandem damnationem venirent *Luc.* 16.

E. IV. Mundi negotia. QVARTVS, Chananæus Rex Arad. Num 21. Pugnauit hic contra Israëlem & primò victor existens prædam ex eo duxit. Sed Israël postquam vouisset se deleturum vrbes eius, si vinceret, interfecit eū submersis vrbibus eius, & vocauit nomen loci eius *Horma*. id est, anathema. Chananæus, mercator seu negociator exponitur, & designat mundi sollicitudines ac negotia sæcularia, quæ vehementer impediunt hominem ad conuersionem tendentem, & plerumque vincunt ac prædantur, dum omnes illius cogitationes, locutiones & actiones ad se trahunt: tempus denique omne, quod animæ saluti impendendum esset, sibi impendi faciunt, nec spatium relinquunt de Deo cogitandi & animæ salute. Nónne magna est hæc præda, quâ pretiosum tempus omnes nostræ cogitationes & actiones Deo & animæ abstrahuntur, & diabolo ac mundo transcribuntur? Et hunc hostem *Exod.* 16. experti sunt Israelitę in Ægypto, cùm *propter angustiam spiritus & opus durissimum non acquieuerunt* Moysi euocanti eos ad sacrificandum DEO in deserto, sed hinc inde dispersi soliciti potiùs erant de paleis colligendis, quàm de sacrificio peragendo. Sic dum te à domesticis curis & sæcularibus negotijs nunquam subtrahis, Ecclesiam non frequentas, & ibidem cubiculum cordis non ingrederis, nec teipsum colligis, sed perpetuò extrà vagaris, quid mirum si pœnitentia tua, confessio & communio, sine fructu fiat, & tot spinæ sementem suffocent? Quid igitur faciendum? destrue vrbes Chananæi, negotia & desideria noxia & inutilia, quæ te à curâ animæ tuæ & gloriâ æternâ abstrahunt. Tales enim vrbes erant negotiationes illæ, villa, iuga boum, vxor quæ abstrahebant inuitatos à nuptijs & cœnâ DEI. Remedium. Vrbes Chananęi sunt: cogitationes & desideria illa, quibus detineris & perpetuò meditaris, quomodo opes, honores, delitias acquiras, quomodo conserues, expendas, domum nouam ædifices, prædia amplies, carò vendas, filiam elloces, pecuniam malam distrahas, meliorem cariùs expendas, ab equis & bobus tuis lucra quæras, &c. Vrbes Chananæi erant, horrea & epulæ illius viri diuitis qui dicebat: *Destruam horrea mea & maiora faciā & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare* Luc. 12. Hæ, inquam, vrbes Chananæi sunt; sed omninò destruendæ & euertendæ sunt. Primò, quia vt plurimùm in aëre eas tibi ædificas, & sæpe non consequeris quod diu meditaris & quæris. Deinde licet consequeris, alijs laboras

 caf-

easque citò relinquies & fortasse hodie audies, quod diues ille: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: qua autem parasti, cuius erunt?* Quæ verò insania, cum tot curis, alijs laborare? Denique dum in his vrbibus immoraris & desides, interim ab ingressu terræ promissæ, seu beatitudinis præpediris & tuam ipsius animam pondere cogitationum illarum oppressam mergis. Qui enim talibus occupantur; *Incidunt in desideria multa inutilia & nociua*, ait Apostolus 1. Tim. 6. *qua mergunt homines in interitum.* Ad eum scilicet modum, quo ante paucos annos vidimus milites aliquos Danubio vectos, natatu ad littora & pagos permeasse & cùm se anseribus & gallinis, passim abreptis onerassent; dum ad nauem iterum conabantur adnatare, pondere anserū prægrauatos in vndis perijsse. Quæ autem est insania, tam inanibus rebus mergere animam in interitum? Obstringe igitur te voto & propone firmiter, quòd præ omnibus quærere & procurare negotium animæ velis, & excludere quidquid inde te reuocat. Fuge id tanquam Horma, id est Anathema.

F. V. Horror pœnitentiæ.

QVINTVS, Sehon Rex Amorrhæorum, *Num.* 21. qui pro transitu requisitus, promissâ assecuratione indemnitatis & securitatis, noluit eum concedere; sed cum omni populo suo venit obuiam Israëli & pugnauit cum eo: Victus tamen & ad internecionem cæsus. *Non fuit vicus & ciuitas, quæ effugeret manus eius*, vt dicitur *Deut.* 2 Sehon eradicatio exponitur: Amorrhęi verò amari. Talis verò est pœnitentia, maximè, quæ eradicat è corde peccata, quamquam ipsa amara est & horror ijs, qui pænitentiæ assueti non sunt. Et tametsi eis ratio dictet, nihil damni inferre pœnitentiam, nemini nocere, nec bonis obesse aut corpori: nihilominùs tamen amaritudo pœnitentiæ, quæ verissima est scelerum eradicatio, obsistit, & conuersionem peccatoris impedire conatur. Pugnandum ergò contra Sehon & inanem hunc horrorem: eradicanda sunt de corde peccata & quidquid animam torquet, bona iniusta, odia, rancores, proposita mala, &c. non sit vicus, non sit peccatum, quod non deleatur per confessionem & contritionem. Sed amarum est hoc, inquies, recensere Sacerdoti scelera sua, ea detestari & deflere, rebus cupitis & diu amatis nuntium mittere, veterem pellem exuere & nouam induere, opera satisfactoria peragere, &c. Vt vt sit, si amarum est necessarium tamen est, & vsu ipso suaue fiet, in fine verò suauissimum erit. Dic enim quæso, si spinam pedi intriueris, an non lubens pateris eam tibi ab altero euelli, & rogas insuper licet nôris sine dolore non euellendam;? Sanè ex decantatâ illâ historiâ de Androdo Daco, scimus Leonem pede saucium, cui spinam infixerat, supplicem & quasi opem petentem ad Androdum in Africæ deserto venisse pedem libenter porrexisse, ad spinam euellendam, & postmodum gratitudinis loco, prædâ suâ diutiùs aluisse; Romæ denique ad bestias damnatum, cùm & ipse ille Leo interim captus eò delatus esset, adhuc Medicum suum agnouisse & seruasse;

Remediū.

vt vidisse se scribit Appion. Polyhistor, & ex eo refert Gellius *noct. Attic. lib.* 5. *cap.* 14. & alij. Iam si tam efferum animal adeò libenter se obtulit medelæ, & tanta gratitudine compensauit beneficium: quid est quod homo metuat præbere se spirituali Medico vt eruantur ab eius animâ peccatorum spinæ, quibus plurimis torquetur in conscientiâ, & nisi eruantur, torquebitur in æternum? Quid enim peccata nisi spinæ quæ assiduò mentem lacerant? Audi Dauidem: *Cōuersus sum in ærumna meâ, dum configitur spina*; id est: huc illuc me versabam præ dolore, seu (vt S. Hieronymus ex Hebræo vertit) versatus sum in miseriâ meâ, dum configitur mihi spina, id est, dum assiduo pungit me stimulus conscientiæ, vt explicat & intelligit S. Hieronymus. Sed renuitne porrigere pedem ad eruendam spinam? Minimè; sequitur enim statim: *Delictum meum cognitum tibi feci & iniustitiam meam non abscondi, Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quis igitur nunc horreat aut fugiat pœnitentiam, eiusque horrore à conuersione resiliat, cùm audit eam esse tam salutarem & necessariam eique tam promptè & liberaliter à Deo impetiri remissionem? audit etiam à Rege tam promptè susceptam?

G. VI. Dæmonis Insidiæ.

SEXTVS, Og Rex Basan *Num.* 21. qui erat Gigas (de stirpe Gigantum superstes, cuius lectus ferreus 9. cubitis longus, & quatuor latus erat, *Deut.* 2.) & occurrit Israëli cum omni populo suo, vt pugnaret contra eum. Et videtur hunc primò propter magnitudinem timuisse Moyses, Deus enim dixit illi ne timeret illum, quia in manus eius traditus esset cum omni populô suo ac terrâ. Itaque percussit eum Moyses vsque ad internecionem. Og iste Diaboli typus est, iuxta Iob 26. *Gigantes*, (id est, dæmones) *gemunt sub aquis*; scilicet inferni. Gigas ratione superbiæ ob quam è cœlo detrusus est, Gigas ratione virium, de eo enim dicit Iob. cap. 41. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret. Omne sublime videt: ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.* Eius lectus ferreus & longissimus, æterna est damnatio cui est alligatus. Et mirum ergo sit, si quem terreat & à conuersione retrahat iste Gigas? Incredibilem eius vigilantiā & indefessum nocendi studium in hodierno Euangelio perspeximus, ipse enim est fortis armatus, qui custodit atrium suum nec facilè dimittit, præsertim si præscripsit, & si pellatur, inde postliminio reuertitur cum septem alijs se nequioribus. Modò ingerit vt confessionem differas ad mortem, vel donec lites tuas cum aduersario transegeris. Modò vt odium non deponas, nisi cùm periculum mortis adest: Modò vt aliena non restituas, nisi postquam opibus abundaueris. Modò vt peccatū aliquod reticeas, ob respectum Confessarij, &c. donec aliò loci peregrinatum eas, &c. Sed non timendus est hic Og, quia traditus est in manus nostras, siquidem eius potestatem ita contriuit & certæ mensuræ alligauit Christus, vt nemini nisi

Remediū.

volenti.

volenti queat nocere. Optat is quidem omnes nos conterere & quasi aues in areâ reti tegere & mactare: sed à Deo varijs impeditur modis,& inde magis torquetur quod non possit nocere quantum optat. Lepidè fabulantur Iudæi Og regem fuisse staturæ ingentis, & lectum illum 9. cubitorum fuisse tantùm eius cunas. Illum ergo aduentantibus Iudæis montem duarum Leucarum eradicasse & in caput suum imposuisse, vt Hebræos omnes vno montis huius iactu obrueret: Deum autem misisse formicas, quæ montem perforantes eum descendere fecerunt vsque ad humeros Og: mox crescentibus eius dentibus ad decem cubitos, non potuisse montem à se proijcere. Quod videns Moyses qui altus erat decem cubitos, accepit securim decem cubitorum atque in Og insilijt ad decem cubitos, pertigitque ad iuncturam tibiæ eius cum pede, ibique eum percussit & occidit, monte simul in eum cadente. Referunt Liranus & Abulensis *quæst.* 27. Congruit huic fabulæ nomen Og, quod est subsannatio, vel Syriacè, impeditus; Basan verò, in dente, significat. Impeditus ergo fuit in dente. Vanissimum hoc Iudæorum figmentum non ineptè repræsentat Diabolum. Is enim adeò nocendi humano generi cupidus est, vt si Deus permitteret, vno monte totum id obrueret, & vno bolo omnes deuoraret. Id quod machinatur sæpe & quodammodo minatur, idque ex ingenti in eos inuidiâ, sed non patitur Deus, vt noceat pro libito: quin potiùs innumeros mittit angelos qui molitiones eius dissipent & euertant: vnde totus ille furor in homines conceptus in ipsummet recidit & maius ei tormentum affert, quòd nimirum montem illum furoris sui proijcere à se in homines non possit.

Ita ergo ligato & impedito dæmone facillimum est homini, eundem sternere & superare: ideò in hodierno Euangelio Dominus dixit, se in digito Dei eijcere dæmonia; innuens non esse necessarium Dei brachium ad expellendum dæmonem, sufficere vnum digitum. Cæterùm si tibi in viâ Dei obsistat Og, diabolus, fac & tu quod fecisse Moysen fingunt Thalmudistæ, accipe securim & prosterne illum. Securim certè illam Elisæi 4. *Reg.* 6. Crucis typum fuisse scribit S. Augustinus *serm.* 101. *de tempore.* Per Crucem igitur sterne dæmonem eiusque insidias: hoc pacto obijcit is tibi vsitatam peccandi consuetudinem; Oppone ei Crucem & dic: Dei filium nequaquam priùs assuetum fuisse pendere in cruce & obedire vsque ad mortem crucis, id tamen nihilominus fecisse & didicisse *ex his quæ passus est, obedientiam*, vt dicitur *Hebr.* 5. Obijcit priorem peccatorũ dulcedinem? Oppone crucem & dic: Dei Filium in cruce iam cum morte luctantem & acerrimis doloribus vndique occupatum, interim tamen animæ suæ negotium gessisse, cùm magnâ voce clamans, eam in patris manus commendauit & simul expirauit: præterea etiam salutem nostram operatum esse, pro nobis orasse, &c. Obijcit tibi pœnitentiæ horrorem: Oppone Crucem perquam sanè horridam & dic Dei Filium eam non horruisse, nec in eâ fel & acetum imò & mortem. Obijcit fortè tibi difficultatem reconciliationis cum inimico? Oppone Crucem & cogita Dei Filium in eâ pro crucifixoribus suis orasse. Obijcit tibi pudorem confessionis & suadet vt peccatum turpe tegas? Oppone Crucem & ostende ei pendentè Dei Filium nudum prorsus & exutum coram ingenti populo. Obijcit tibi difficultatem perseuerantiæ & experientiam relapsus? Oppone ei Crucem & dic: Dei Filium, licet sannis Iudæorum atrociter prouocatum vt descenderet de cruce, non tamen descendisse, sed in eâ perstitisse; & hoc ipsum etiam te cum gratiâ Dei posse. Obijcit denique, maiorem esse iniquitatem tuam quàm vt veniam merearis? Oppone ei crucem & dicito Dei filium in cruce latroni veniam dedisse & paradisum aperuisse, nec non propterea tam copiosam obtulisse patri satisfactionem, sanguinem omnem effudisse, mortem turpissimam subijsse, vt de veniâ obtinendâ nemo desperaret.

SEPTIMVS, demum fuit Rex Balac *Num.* 22. *& seq.* qui non tam armis, quàm astu conatus est impedire Israëlem à progressu in terram Chanaan. Adduxit enim primò ariolum Balaam, Diaboli prophetam, qui male diceret Israëli & magicis artibus vires adimeret. Sed cum hoc nihil profecisset, ex consilio illius posuit scandala coram Israële, puellas scilicet selectissimas, quæ eas primò ad stuprum, deinde ad Idolorum suorum cultum pertraherent; vnde futurum sperabat, vt Israël diuino præsidio ob peccata commissa destitutus præualere sibi & progredi non posset. Quod consilium longè pessimum fuit, plurimi enim Israelitarum hac arte decepti fuere, sed postquam illi à Moyse occisi, deleti postea & hostes sunt. Balac inuoluens, vel destruens exponitur, & malignum designat mundum, qui partim suis obtrectationibus, partim scandalis & innumeris peccandi occasionibus propositis impedire conatur homines ne conuertantur ad Deum: atque ita inuoluit & destruit. Ita per Pharisæos obtrectabat Zachæo & Matthæo, quod ipsi peccatores cùm essent, à Christo reciperentur. Ita retinebat eos, qui metu Judæorum non audebant sequi Christum, diligentes *gloriam hominum magis quàm gloriam Dei*, vt ait Joannes, cap. 12. Quemadmodum enim porci simul omnes gruniunt, cùm vnus eorum capitur vel tenetur: sic faciunt mundani, cùm quis de illis conuerti incipit. Ponit deinde idem mundus varia scandala & peccandi occasiones. Quemadmodum Auennir Indiæ Rex Josaphat filio nuper à Barlaam conuerso, cui retrahendo misit filiam Regis Persiæ, quam habebat captiuam; vt illi suaderet coniugium, spondens se quoque Christianam futuram ac totam Persidem cum ipsa. Sed Iosaphat ab eâ auersus, procidit in genua, & Dei opem ac perseuerantiam petijt, quam & mox obtinuit. Damascen. in histor.

H. VII. Mundi obtrectatio & scandala.

Barl.

Barl.& Iosaph. Sic Theodora Thomæ Aquinati filio, vt eum à proposito religionis impediret, scortum submisit, quod is titione fugauit, & mox sensit lumbos sibi constringi, nec deinceps ampliùs tentatus est. Denique Iosephum tetinere conata est Domina: sed ille fugit *Gen.*30. Hos igitur imitare: fuge, fuga, ora. Et ita demum venies in Chanaan, id est, cælum, Amen.

CONCIO IX.

Documenta ex Euangelio.

Ex hoc Euãgelio discimus
1. *Pellere dæmones.*
2. *Quomodo instituenda sit confessio.*
3. *Quomodo audiendum verbum Dei.*
4. *Discimus ieiunare.*
5. *Esse communicandum & quomodo.*
6. *Inimicitias esse deponendas.*

THEMA.

Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Luc. 11.

A NVsquam ab imperio Christi tuti erant dæmones; vndique pellebantur, vbicumque deprehendebantur: nec latere poterant. Eodem modo, Auditores, quia se passim vndique dæmones inter nos occultát, retrò suggestum, retrò sedem Confessarij, retrò altare, in culinis, in priuatis ædibus; vndique pellendi sunt. Et si in digito Dei, id est, facilè & expeditè nostra admonitione eijci possunt, profectò peruenit in vos regnum Dei. Ergo adoriamur hostes istos: Vos verò audite.

B. I. Quomodo pellendi Dæmones. PRIMÒ, Discimus eijcere dæmonem è cordibus nostris, nimirum in digito Dei: *Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Quid autem sit iste digitus Dei, Matthæus exponit, qui sic scribit: *Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia.* Ergo quando Spiritus sanctus per gratiam suam in nobis inhabitare incipit, tunc eo ipso & immediatè eijcitur diabolus, velut cùm canis expellit è foueâ vulpem: illius enim introitus est huius exitus & expulsio. Sic cùm *Exod.* 8. Magi Pharaonis nihil ampliùs præstigiarum exhibere possent, dicebant Pharaoni: *Digitus Dei est hic.* Sed quâ ratione comparari gratia Dei potest? si addamus digitum nostrû, id est, si disponamus nos ad illam per bona opera, orationem, ieiunium, Eleemosynam, contritionem, propositum emendationis, confessionem, &c. Per hæc enim dispositiuè acquiritur gratia & expellitur dæmon, veluti vulpes ex antro per fossionem, fumum, vel clamorem. De hoc bonę operationis digito dixit Dominus, Scribas & Pharisæos notans: *Alligant onera grauia, &c. digito autem suo nolunt ea mouere*, Matth. 23. Porrò quò peiorem vel quò plures quisque dæmones, & quò diutiùs in corde suo fouit, eo fortiori digito opus habet, eoq; diutiùs & impensiùs se ad eorum expulsionem disponere per opera bona debet. Est enim, teste Domino, aliquod genus dæmoniorum, quod non eijcitur nisi in oratione & ieiunio. Et si quis adiuc deteriorem habeat dæmonem, quod facilè contingit, manum totam adhibeat omnesque intendat neruos; quoque efficaciùs laboret, contrarijs illi pharmacis vtatur: Mammonam expellat eleemosynâ: Asmodæum flagello & cilicio: Behemot ieiunio & abstinentia: Luciferum oratione & alijs humilitatis operibus: Beelzebub vigiliâ, labore, &c.

At verò asperiora sunt hæc media, inquis. Sed quid si tibi alium adhuc monstrem digitum, qui te adhæc compellat eaque leuia tibi faciat? Quid sibi vult index digitus, quando eo comminatur Dominus seruo, Magister discipulo, pater filio? an non minatur verbera & virgas? attolle oculos tuos ad digitum illum Dei comminantem tibi gehennam, nisi per opera bona & pœnitentiam eijceris dæmonium. Sustulit oculos suos Balthasar in mensâ epulans, & vidit digitos DEI scribentes sibi peccata sua & iudicium: *Mane. Thecel, Phares:* Vnde *cõmutata est facies eius, & cogitationes eius, conturbabant eum, & compages renum eius soluebãtur, & genua eius ad inuicem collidebantur.* Dan. 5. Sustulit in inferno oculos suos epulo, & videns Lazarum in sinu Abrahæ, dixit; *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam quia crucior in hac flammâ.* Luc. 16. Quid tibi miser vis cum extremo digiti? Dicere mihi videtur: O si haberem vel vnum minimum opus bonum ex operibus Lazari! ô si vel vno digito porrexissem illi micas in eleemosynam de mensâ meâ! ô si vel vno digito, refrænassem linguam & gulam meam! haberem vtique refrigerium aliquod in tantis cruciatibus. Illam ergo flammam cogita eique vel vnum digitum cogitatione tuâ immerge, & fortè non difficulter digitum admouebis ad bene operandum & dolendum de peccatis. Fecit hoc Eremita quidam in vitis Patrum cùm tentaretur à diabolo, ob mulierem quandam ex commiseratione receptam in tugurium: applicuit enim aliquantisper digitum ad ignem, considerans inferni pœnas, sicque vicit tentationem & eiecit dæmonem.

SECVNDÒ, Discimus instituere confessionem, verrendo nimirum domum conscientiæ nostræ scopis accurati scrutinij, prout in hodierno Euangelio legimus scopis mundatam fuisse domum, quam intrauit dæmon. Itaque Primò ante confessionem, per omnes angulos verrenda & disquirenda est conscientia, cogitâdumq; vbi & quibuscum fuerimus, quid locuti, quid meditati, quid operati simus, atque ita sordes in memoriæ angulum aliquem colligendæ sunt. Id faciebat Dauid *Psal.* 76. dicês: *Meditatus sum nocte cum corde meo & exercitabar & scopebam spiritum meum.* Qui interdiu fortè ad hoc peragendum, tempus non habet, faciat id noctu, cùm insomnis in lecto cubat, vti fecit & Dauid, si interdiu ob regni negotia non potuit. C. II. Quomodo instituenda Confessio.

Se-

2. Secundò, Adspergenda est aqua contritionis & lachrymarum, vti faciunt prudentes & sedulæ famulæ. Nam vt absque aspersione, puluis non eijcitur, sed de terrâ in altum solummodò pellitur rursumque deinde subsidit: ita non sufficit sordes peccatorum per examen conscientiæ commouere, conquirere & expendere: sed præterea oportet aquâ lachrymarum deprimere & coërcere. Eiusmodi sedula famula erat Magdalena, quæ non solùm ad pedes Domini recogitauit sua peccata, sed & imbre lachrymarum aspersit.

3. Tertiò, Nō sufficiunt semper scopæ, sed multorū cordibus ferreum adhiberi rastrum debet; siquidem ait Dominus in hodierno Euāgelio: Scopis mundatâ domo, adhuc dæmonem in eam reuersum; quia nimirum graues & inueterati peccatores, si obiter tantùm se excutiant & quidquid in mentem venit raptim confiteantur, nequaquam satisfaciunt aut mundant domum suam. Qui domum habet paucis tritam, & sæpe eam verrit, non indiget nisi scopis. Sed qui domum habet instar tabernæ quibuscumque sordibus apertam, eamque in anno semel aut bis tantùm purgat, rastro etiam indiget. Ita qui octauo quoque die confitetur, facilè negotium id conficiet: Non ita qui mundi occupationibus immersus semel aut bis in anno. Huic igitur longum adhibendum tempus præparationis, considerandæ peccatorum circumstantiæ, numerus, species, grauitas, radices, consuetudines, occasiones, scandala inde orta. Longiori discussioni maior adhibenda contritio, firmius propositum, fortiora remedia, &c. Vbi hæc non fiunt vel dæmon non expellitur; vel facilis ei reditus patet in eiusmodi hominem.

4. Quartò, Denique collectæ sordes per oris ianuam eijciendæ sunt in sedem Confessarij, non occultandæ prout à pigris famulabus fit in aliquo cordis angulo. Hoc enim esset includere dæmonem, ne exire posset. Sed heu quàm multis in linguâ sedet dęmon iamiam exiturus, qui tamen illū in se retrahunt, pudore absterriti? Nec minùs attendendum, vt eiecto dæmone, domum tuam custodias, ne cum pluribus & nequioribus ad eam reuertatur.

ID. III. Quomodo audiendum Dei verbum. TERTIÒ, Discimus audire Dei verbum, cùm dicitur: *Quin imò: Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Hoc enim verbo Christus docet multò beatius esse, concipere Christum mēte per decentē verbi Dei auditionem, quàm vtero solùm, adeoque nec matrem quidem ipsius futuram fuisse beatam, nisi eum, quem in ventre conceperat, concepisset & in mente. Vnde patet neminem dici beatum aut pium posse, qui fastidit Dei verbum: sed potiùs si quis Christo coniunctissimus esset, & verbum Dei non audiret, nequaquam beatum aut bonum fore. Audiendum itaque Dei verbum, & frequentiùs hoc tempore quadragesimali, quo plures vndique conciones habentur, & quotidie peculiare legitur Euangelium. Nec iubetur legi, sed audiri verbum Dei, quia auditum longè viuacius & efficacius est perlecto.

Secundò, Custodiendum etiam, hoc est; mente seruandum & opere (id enim significat vox græca φυλάσσειν) Audi sanctū Bernard. serm. 5. de Aduentu: *Sic serua sermonem Dei,* inquit, *quo modo melius seruare potes cibum corporis tui. Nam & ille panis viuus est & cibus mentis. Panis terrenus dum in arcâ est, potest à fure tolli, potest à mure corrodi, potest vetustate corrumpi. Vbi verò comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei. Beati qui custodiunt illud. Ergò traijciatur in viscera quadam animæ tuæ: transeat in affectiones tuas & in mores tuos.* Hæc ille. Coquatur ergo primò in memoriâ, deinde diuidatur in vires animæ & affectus, nec non in membra corporis. Sed quemadmodum Christus in hodierno Euāgelio quadruplices habuit Auditores vel spectatores, alij admirati sunt; quidam autem blasphemantes dixerunt: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia,* alij tentātes signum de cœlo quærebant ab eo; demum vnica pia mulier salubriter commota est, & exclamauit de turbâ: *Beatus venter qui te portauit:* ita fit etiamnum. Alij admirantur, sed sine fructu: alij calumniantur & cachinnantur: alij ex curiositate audiunt: & hi omnes non custodiunt verbum Dei, prout decet. Minima tandem pars est, quæ custodiat. An non hîc videmus, quod alibi docuit in parabola Dominus, tria semina perijsse & vix quartum cecidisse in terram bonam? Atque vtinam vel quarta hominum pars cum fructu audiat Dei verbum! Fieri tamen potest vt tandem fructuosè audiant, qui priùs frustrà audierunt; vti patet exemplo S. Augustini, qui conciones S. Ambrosij initiò minùs libenter audijt, paulatim tamen is inescatus est. *l. 5. confess. c. 13. & 14.*

E. IV. Ieiunandum esse. QVARTÒ, Discimus ieiunare. Legimus enim diabolum locis aridis & inaquosis ambulantem, non inuenisse requiem seu locum habitādi. Ipse enim, vt ait Dominus Iob cap. 40. *Dormit in locis humentibus,* id est, in delitijs, conuiuijs & Bacchi festis. In eiusmodi palustribus locis securus latet, nec facilè expugnari potest; nam vel ipso dormiente & vacante crescunt in epulonibus & bibonibus omnis generis vitia, quasi insecta venenosa. At verò in desertis & arenosis locis, vbi aquarum & delitiarum inopia, vbi ieiunium viget, vbi Anachoretæ, Antonij, Macharij, Pauli, &c. degunt: ibi inquietatur, ibi vires perdit, ibi expugnatur. Pulchrè hoc designat piscis ille grandis, *Tob. 6.* qui dum in flumine erat, propè sedentem Tobiam & lauantem pedes aperto ore deglutire parabat: sed extractus in siccum, vires perdidit & palpitare cœpit ante pedes eius. Venerabilis Beda sentit diabolum eo pisce repræsentatum. Nec immeritò; nam in aquis delitiarum & Bacchanalium deprehendens hominem deglutire potest: sed in sicco vires perdit, palpitat & superatur, Christus contrà *Habitat desertū pectoris nostri,* ait Ambros. serm. 37. de quadrages. *cùm nostram terram fame squalidam ac siti aridam esse reperit, secundum quod ait Propheta, Psalm. 62. In terra desertâ & inuiâ & ina-*

in aquosâ: sic in sancto apparui tibi. Aliter enim sicut in sancto vt appareret non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis delitijs, immo diabolicis concupiscentijs, & inaquosa libidinosis illecebris. Sic ille. Quoniam igitur nos breuî sicut in sancto voluimus apparere Deo, videat quisque, aridámne an humentem, & aquosam incolat terram, neque se decipiat. Si enim vesperi nunc non cœnas quidem, tantum verò panis & bellariorum sumas, quantum sufficere comestioni posset, iam ibi requiescit dæmon. Rursum si ieiunium quidem serues, potu tamen nimio te obruas: iam & ibi in humente loco est. Denique non dubito diabolum tempore quadragesimæ perambulare vestras culinas; & siquidem vacuas reperit à carnibus, ibi requiem non inuenit, sed palpitat & fugit. At vbi ollas carnium deprehendit, ibi absque dubio habitat magnâ suâ quiete, & plausu. Væ tibi qui inde vesceris, quia *mors in ollâ*: diabolus in buccellâ intrat in os tuum, quemadmodum in Iudam. Væ vobis patres & matres familias, qui ex hac ollâ occiditis familias vestrâs, liberos, seruos & ancillas, non tantùm venenato cibo, sed & malo exemplo. Ibi saltat, ibi fidibus canit ad mensam vestrâ dæmon, O si hoc videretis!

F. V. Communicandum in pascha te.

QVINTÒ, Discimus communicare. Ait enim Dominus: *Qui non est mecum, contra me est.* Quid enim hoc aliud sibi vult, quàm non solùm illos homines Christi inimicos esse, qui palam ei contradicunt & aduersantur, verùm etiam illos, qui ab illius partibus non stant, eius præsentiâ in S. Communione non delectantur, nec ostendunt dictis & factis se Christianos esse? Itaque qui Christi est, faciat hoc tempore, quod est Christiani. Neque enim sufficit non spernere religionem Catholicam, non esse hæreticum, non contemnere communionem & confessionem: Catholicum se ostendat: quæ sunt Catholici, faciat. Itaque sicut olim Moyses, postquam populus eius vitulum coluerat, clamabat: *si quis est Domini, iungatur mihi.* Atque ita iunctis sibi Leuitis in vituli cultores gladio deseuijt, *Exodi 32.* ita nunc clamat Ecclesia, cui nos omnes, si filij eius sumus, iungere non debemus & pugnare in rebelles. Quin & hoc sibi vult hoc verbum: *Qui non est cùm* Christo, id est, qui nô incorporatur ei in Eucharistia, non est membrum eius, sed Diaboli.

Communicandum autem mundo corde: siquidem ad illum accedimus, qui vidit in hodierno Euangelio cogitationes Iudæorû. Optimus ille paterfamilias Iacob, ascensurus in Bethel iuxta præceptum Domini & oblaturus sacrificium, conuocauit priùs totam domum suam & ait: *Abijcite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini ac mutate vestimenta vestra: surgite & ascendamus in Bethel & faciamus ibi altare Deo.* Gen. 35. q. d. Non iam imus ad terrenum Dominum, sed ad Deum: idcircò mundas induite vestes & abijcite, si qua clanculum gestatis aut tegitis, Idola. Oblata igitur Iacob accepit & defodit subter Terebinthum. Ad hunc modum ego postremissimus licet, rogo vos & postulant à vobis vestri Confessarij, vt proferatis Idola peccatorum vestrorum, ijsque offeratis, defodienda subter crucem. Potuit quidem Rachel occultare ea Idola patri suo *Gen. 31.* potestis & vos in confessione decipere confessarium, sed non item Deum. Mundas igitur induite vestes, syncerit atis & innocentiæ, vt ita coram Deum scrutatores cordium mûdi appareatis, eûque mûdo excipiatis corde.

G. VI. Inimici- tiæ deponendæ.

SEXTÒ, Discimus colligari mutuo amoris vinculo & alter alteri reconciliari. Ait enim Dominus in hodierno Euangelio: *Qui non colligit mecum, dispergit*, q. d. meum officium est, vnire mihi & sibi inuicem omnes fideles, vt in me sint vnum. Qui in hoc opere me non iuuat, & proximis suis reconciliari detrectat, ille non me, sed diabolum, patrem discordiarum & auctorem dispersionis, imitatur: ac bona quidem cœlestia perdit, gehennam verò meretur. Quàm cupiat nos Christus colligere in vnum vel ex solâ Eucharistiæ institutione patet, per quam nos vni eidemque corpori suo, adeoque nobis inuicem cõglutinare voluit. Vnde Apostolus *1. Cor. 10.* ait: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Hinc Eucharistia dicta est communio à SS. Patribus, quia realiter omnes vnit corpori Christi, quasi communis vnio fidelium. Rursum *synaxis*, id est, congregatio. Denique à Concilio Trid. *sess. 13. cap. 8.* dicitur *signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis & concordiæ symbolum:* Quoniam igitur ad eam breuî nobis omnibus accedendum est, deponamus omnem rancorem, odium, inuidiam, lites & contentiones. Certè olim Christiani ante communionê, pacis osculum sibi mutuò imprimebant in signum vnionis. Idem nos faciamus intra hanc quadragesimam; nisi malimus audire: si vos in vosmetipsos diuisi estis, quomodo stabit regnum vestrum; siquidem *omne regnum in seipsum diuisum desolabitur?* Sanè alicubi locorû in principio quadragesimæ primarijs aliquot viris demandatur munus publicâ autoritate, pacificandi dissidentes in ciuitate, eorumque nomina è suggestu publicantur: vt scribit Carolus Regius *in Christ. Oratore. l. 10. cap. 23.* Hoc vtinam vndique fieret!

Deinde moueat nos sanguis Christi Domini, fortissimum amoris gluten, quo vnà omnes redempti & conglutinati sumus, quo & breui abluendi. Franciscus Petrarcha scribit veterem fuisse morem Coloniæ Agrippinæ, vt in die S. Ioannis Baptistæ mulieres ingenti numero confluerent ad Rheni ripam; vbi nudata brachia flumini immergebant & herbis odoriferis perfricabant, sicque omnes suas aduersitates & afflictiones Rheno transmittebant: Lætiora in posterum expectantes. Vt istæ suas aduersitates, sic nos non aduersitates tantû, sed & lites & discordias in sanguine Christi mergamus. Nónne Herodes & Pilatus, cùm priùs inimici essent, sibi reconciliati sunt, postquam in sanguine Christi lauerunt manus suas? Itaque si vnquam aliàs, hoc potissimùm tempore exire nos conuenit ad flumen illud roseum, & omnes nostras afflictiones, ad-

aduersitates, inimicitias in id proijcere: sic enim absque dubio succedent lætiora, lætum pascha, læta resurrectio, Amen.

CONCIO X.

Mysteria.

1. *Quæritur vnde hic homo fuerit mutus.*
2. *Cur Deus sinat homines vexari à Dæmone.*
3. 4. *Quare dicant: In* Beelzebub *&c. & quis ille & vnde Beelzebub.*
5. *Quomodo probet Christus se non vti operâ dæmonis.*
6. *Quisnam Dei digitus.*
7. *Cur dæmon fortis armatus.*
8. *Quomodo in locis aridis requiē nō inuenit.*
9. *Quinam illi septem spiritus nequiores.*
10. *Cur reciduntur nouissima peiora prioribus.*

THEMA.

Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Lucæ 11.

A SCIMVS quidem ex SS. literis regium illum Dauidem corrogasse ingentem thesaurum & reliquisse filio suo, nihilominus tamen fateri debemus eum suas illas opes nihili æstimasse & omnem suam hæreditatem totumque patrimonium, non in illis opibus, sed alibi habuisse. Ita enim ipse *Psalm.* 118. dixit: *Portio mea Domine: dixi custodire legem tuam.* q. d. Hæ sunt opes meæ, hic thesaurus, hoc patrimonium, in quo omnes meas res & spes pono, custodia legis tuæ. Hæc sola me æternùm beare & super omnes Reges extollere potest. Ita est, ô Dauid. Audimus enim in hodierno Euangelio Dominum dicentem, maius bonum esse audire Dei verbum & custodire illud, quàm fieri Dei matrem (si hanc dignitatem præcisè intelligamus absque verbi diuini custodiâ) indeque Christi mater multò beatior fuit, quòd verbo diuino addicta, quàm quòd Christi mater esset. Quando ergo, Auditores, tanti pretij res & tam nobilis portio est audire & custodire Dei verbum, vt non solùm regias opes Dauidis, verùm etiam celsitudinem matris diuinæ vincat & exuperet: quis non omnibus votis hanc sibi portionem eligat? quis nisi emotæ mentis sit, odisse vel negligere Dei verbum poterit? Quare si beati esse cupimus, audiamus Dei verbum inprimis, deinde custodiamus.

B. I. Vnde hic homo mutus. QVAEST. PRIMA, Vnde hic homo mutus fuit? Respondetur probabile esse talem à dæmone obsidente effectum esse, vt vult S. Chrysostomus, Euthymius & alij: probabilius tamen videri, ex alio aliquo casu priùs iam fuisse mutum, non ex Dæmonis obsessu; vti sentit S. Hieronymus, qui tria simul miracula vult in homine hoc patrata esse, muto loquelam, cæco visum, obsesso libertatem redditam. Hæc sententia magis attollit miraculum: quod alioquin simplex tantùm fuisset, eiecti nimirum dæmonis: quo pulso homo per semet videre & loqui cœpisset.

C. II. Cur sinit Deus vexari homines à Dæmone. QVAEST. SECVNDA, Cur sinit Deus homines à dæmone vexari & arripi? Respond. ob tres potissimum causas. Primò, ad fidem confirmandam. Cùm enim obsessi talia sæpe loquantur, quæ ab ipsis sciri nequeant, scimus ea ab obsidente spiritu deprom ac proinde vera esse, quæ de spiritibus dicuntur in Scripturis. 1. Rursum cùm in nomine IESV Christi dæmones expellantur, stabilitur etiam fides huius sancti nominis. Secundò, Vt inde colligamus, quibus ille modis vexet damnatos 2. in inferno. Si enim ita cruciat homines in regno alieno, quomodo cruciabit in suo? Si ita tractat alienos, nondum sibi traditos, quomodo tractabit sibi adiudicatos? Tertiò, Vt 3. ex ijs quæ corporibus infert damna, intelligamus etiam quæ infert animis. Si enim verum est, quod Chrysostomus sentit, à dæmone factum esse, vt hic homo, cæcus, mutus & (vt videtur) etiam surdus esset: facilè hinc patet, quid in peccatoris animo operetur. Breuiter: aufert illi omnem sensum rerum spiritualium, omnem motum ad superna & cœlestia bona.

QVAEST. TERTIA, Quare dicunt: *in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia?* Resp. D. III. Cur aiunt in Beelzebub eijci à Christo Dæmonia. Pharisæos ex inuidiâ hoc dixisse, quia viderāt admiratas esse turbas Christi potentiam; &, vt Matthæus ait, audierant dicentes: *Numquid hic est filius Dauid?* Hinc ergò vt ab hac persuasione plebem auerterent, dæmoni adscribunt eius opera; vt ita verificent id, quod posteà à Christo audierunt: *væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui clauditis regnum cælorum ante alios, &c. Matth.* 23.

Principi verò dæmoniorum adscribunt eius miraculum, quòd inferiores dæmones à superioribus coërceri posse non vanè existimabant. Cùm ergò plura dæmonia à Christo eijci & quidem summâ cum potestate, minis & imperio viderent, principi dæmoniorum adscribendum id putârunt.

QVAEST. QVARTA. Quis & vnde Beelzebub? E. IV. Quis & vnde Beelzebub. Resp. fuisse Deum seu Idolum Acaronitarum, aut potiùs dæmonem in Idolo hospitantem. Significat autem Habentem muscam, vel Virum muscam. Sic dictus secundùm aliquos, quòd in eius sacrificijs magna conuolarent muscarum agmina, ad cruorem animalium depascendum. Secundùm alios, quia in muscæ similitudinem effigiatus erat. Neque hoc mirum? siquidem & talpis & vespertilionibus diuinos à Gentilibus honores exhibitos legimus apud Isaiam *cap.* 2. Secundùm alios, quia muscas auertere solebat: quod idem munus tribuebant Ethnici Ioui, cui idcircò ἀπομυῖος; id est, muscarum auersor, vt auctor est Pausanias, appellatus fuit. Quæ postrema sententia si vera est, vt videtur Sanctio *in l.* 4. *Reg. cap.* 1. Salmeroni & Vatablo, habemus etiam cur Princeps dæmoniorum dicatur, quia nimirum Iupiter primus Deorum omnium habitus fuit. Dæmones autem rectè appellantur muscæ, ob multitudinem, impudentiam, vexandi libidinem, &c.

F. V. Quomodo probat Christus. Q. QVINTA, Quâ ratione demonstrat Christus se non vti operâ dæmonum? Resp. quatuor argumentis, quorum primum est: *Omne*

stus se nō vti operâ Dæmonū. *regnum in seipsum diuisum desolabitur & domus supra domum cadet; si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* q. d. Nul-
1. lum imperium diu stare potest, vbi subditi inter se diffident seque mutuò impugnant & expugnant; quare si Satanas Satanam eijcit, discordia inter ipsos erit & ruet mox eorum regnum, quod tamen minimè apparet nec credibile est futurum, cùm ea dæmonum maxima cura sit vt in hominum perniciem conspirent & stabiliant regnum suum. Cùm enim Satanæ regnum aliud non sit, quàm potestas tentandi & vexandi homines, maximè sibi subditos, à Deo ipsi permissa; si in illo factiones essent & discordiæ, minimè stare posset. Potest quidem fortior dæmon pellere & coërcere debiliorem: sed si hoc in magnâ multitudine passim, vi quasi armatâ & diu fieret, quomodo Christus passim omnes, quandoque simul plurimos reclamantes & gementes expulit; tunc profectò sine ruinâ regni eorum, fieri non posset: præsertim si non solùm inferiores sed etiam superiores priuarentur potestate nocendi hominibus. Potest etiam Dæmon simulare sese cogi ad egrediendum; sed ex Christi sanctitate cœlestique modo coërcendi Dæmones, nec non ex studio salutis humanæ satis vnicuique patuit nihil simulationis subesse in Dæmonibus.

2. Secundum: *Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia: filij vestri in quo eijciunt?* Hoc argumentum plerique veteres de Apostolis intelligunt, quasi dicat Christus: Apostoli mei sunt filij vestri, & tamen ipsos non culpatis, cùm eijciunt dæmonia: cur ergò me culpatis? ideò in iudicio ipsi vos iudicabunt. Vel sic: Non potest idem Beelzebub in me simul & in Apostolis meis esse. Si ergò in me operatur Beelzebub, quis operatur in Apostolis meis, dum & ipsi eijciunt dæmonia? Sed rectiùs hoc argumentum videtur exponendum, non de Apostolis, qui tunc probabiliter nondum eijciebant dæmonia, nondum ad prædicandum missi, sed de alijs Hebræorū filijs. Scimus enim ex Iosepho *l. 8. antiq. cap. 2.* & Origene *ho. 35. in Matth.* Epiphan. *in hæresi Ebion.* fuisse etiam olim Exorcistas inter Hebræos, institutos à Salomone, quo tempore adhuc Deo adhærebat; quales fuerunt septem illi filij Sceuæ Sacerdotis: *Act.* 19. Iam si isti Dæmones expulerunt & quidem vi diuinâ, vt putabant ipsi Hebræi: quare non idem de Christo quoque senserunt? Idcircò id quod egerunt illi, condemnabit aliquando Iudæos: sicque ipsi erunt illorum Iudices, &c.

3. Tertium: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet.* q. d. Vel hinc cognoscite me cum Dæmone non colludere, quia ipsum spolio suo imperio, dum eius vasa, homines, quotidie diripio, ipsum terreo, vincio, expugno, religo. Fateri ergò debetis me ipso fortiorem esse. Porrò sciendum potestatem seu regnum Diaboli per Christum non quidem omninò destructum (quod in fine temporum fiet) magnoperè tamen imminutum esse, dum passim, frequenter & tam multos dæmones è corporibus deturbauit, quod priùs factum non erat, de Christo autem prædictum erat.

Quartum: *Qui non est mecum, contra me est,* &c. q. d. Et hinc etiam discere potestis, me nihil facere operâ Diaboli, quia admodum dissimilia sunt meis operibus opera Diaboli. Ille dispergit, ego congrego: ille ad variorum Idolorum cultum homines abducit, ego verò adduco ad vnius & veri Dei cultum. 4.

QVAEST. SEXTA, Quisnam Dei digitus, in quo se eijcere dæmonia Christus dixit? Resp. Primò esse potentiam Dei, quemadmodum *Exod.* 8. dixerunt Malefici: *Digitus Dei est hic;* hoc est, Dei virtus & potentia, quæ assistit Moysi, nos autem coërcet ne ciniphes producere possimus. Ratio est, quia digiti sunt actionis instrumenta. Et licet in Deo sit vna virtus operatiua, eadem tamen multiformis est ratione multorum effectuum. Vnde cœli *Psal.* 8. vocantur *opera digitorum* eius. Respond. secundò, esse Spiritum sanctum secundum Augustinum, Cyrillum, D. Thomam, & alios, quia apud Matthæum ait Dominus: *Si in Spiritu Dei eijcio dæmonia.* Quanquā Spiritus Dei idem significare potest, quod virtutem & potentiam Dei. Vnde sensus iste mysticus potiùs videtur esse. Bene autem Spiritus sanctus comparatur digito, primò *ob partitionem donorum. In nullis enim membris magis apparet partitio quàm in digitis,* inquit S. Augustinus *l. 2. quæst. Euang. cap.* 17. Varius tibiæ vel alterius instrumenti sonus à variâ digitorum applicatione prouenit: ita *alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autē sermo scientiæ,* &c. 1. Corinth. 12. Secundò, Sicut ex brachio procedit manus & inde digiti: ita ex Patre Filius, & ex vtroque Spiritus sanctus. Respond. Tertiò, trop. significare summam Dei virtutem, quâ facillimè & nullo prorsus negotio dæmonem coërcere, non brachio vel manu, seu vi adhibitâ, sed vno digito quasi potest, velut si nos digito muscam abigimus vel conterimus; quasi velit dicere Dominus: Ego illum Beelzebub, siue Deum muscam vno digito eijcio, solo nutu, solo imperio, nullis adhibitis precibus, ieiunijs, &c. Quam eandem virtutem communicauit Christus aliquot Sanctis, veluti S. Antonio, Hilarioni, Machario, Gregorio Thaumaturgo, qui aliquando solo signo Crucis dæmones ex quodam Gentilium templo, vbi responsa dare solerent eiecit, iterumque vt redirent, misso scripto iussit, quo hæc tria tantummodò verba continebantur: *Gregorius Sathanæ: Ingredere;* idque vt tanto miraculo Christi potentiam Æedituo templi patefaceret; quem ad fidem conuertit & diaconum ordinauit. Gregorius Nyssenus *in eius vitâ.*

G. VI. Quis Dei digitus. 1. 2. 3.

QVAEST. SEPTIMA, Cur dæmon fortis armatus dicitur; Resp. fortem dici, quia vires angelicæ naturæ debitas, quibus longè præstat omnium hominum viribus adhuc possidet. Armatus verò dicitur, quia plurimis modis & dolis nocere nobis conatur. Arma eius sunt species bonorum huius sæculi, vel etiam malorum apparentium; deinde creaturæ ipsæ

H. VII. Cur Dæmon fortis armatus.

ipsæ seu abusus potiùs earum: prauæ affectiones nostræ: vires animæ & membra corporis nostri: quinque sensus, &c. Vt enim Dauid Goliathum proprio eius gladio peremit: ita ferè nostris ipsorum armis, affectibus & sensibus vulnerat nos dæmon.

I. VIII. Quomodo in locis aridis requiem non inuenit. QVÆST. OCTAVA, Quomodo dæmon in locis aridis requiem non inuenit? Resp. primò ad literam, loca arida & inaquosa esse deserta & solitudines, ad quæ ordinariè eijciebantur & relegabantur dæmones, vt ibi hominibus & cicuribus animalibus nulla inferre damna possent, vt patet in illo dæmone, quem Raphaël in deserto superioris Ægypti relegâsse dicitur *Tob.* 8. Et hinc non semel conquestos legimus de Eremitis, quòd etiam in solitudinibus ab eis pellerentur, vt qui vndique vexillum crucis erigerent. Ibi verò requiem non inueniunt, quia non habent vnde homines tentent ac vexent. Quemadmodum enim inuidus tormentum habet, cùm prosperis alterius rebus inuidet, requiem verò cùm non habet cur inuideat: ita dæmon habet tormentum, cùm nocere homini nequit, quod omnibus votis exoptat: requiem verò cùm nocere potest. Quoniam igitur in desertis locis nocendi occasionem non habet, hinc requiem ibi non inuenit: & proinde reuerti conatur ad terras ab hominibus inhabitatas. Porrò per loca inaquosa intelliguntur Gentiles, qui baptismi aquis irrigati non sunt, vt vult S. Hilarius, S. Hieronymus & Abulensis. Pulsus enim à Iudæis dæmon per legem & Prophetas, abijt ad Gentiles; verùm vbi ab his etiam per Apostolorum prædicationem pulsus est, redijt ad Iudæos in sua incredulitate persistentes vsque in hodiernum. Inuênit enim vacantes, fide Christi & bonis operibus destitutos, templum eorum à Deo & Angelis desertū ob admissum in Christo scelus: ideóque cum alijs septem nequioribus spiritibus reuersus est ad ipsos reddiditque prorsus cæcos, perfidos, iniquos, obstinatos: factáque sunt nouissima eorum peiora prioribus, dum absque Deo, Messiâ, fide, Rege, regno, templo, sacrificio, Sacerdotio in tenebris densissimis degunt.

2. Respond. Secundò, mysticè loca arida esse viros religiosæ & austeræ vitæ, in quibus requiem non inuenit dæmon, quia videt eos virtutum præsidio & seuerâ disciplinâ vndique munitos. Abit ergò ad illos, in quibus prauas ad peccatum dispositiones reperit, veluti otium, delicias, conuiuia choreas, tædium ieiuniorum & precum, murmur & impatientiam, nec difficilè ad hos ingreditur, vtpote ostio iam aperto. Vnde Gagnæus in hunc locum ait: *Bene dicitur quòd in desertis pœnitentiæ locis, id est, pœnitudine tactis animis, vbi mollities nihil est, sed aspera prorsus vita, requiem dæmon non inuenit: quamdiu enim solitaria, vt passer, peccata sua plang t anima, nulla illic ei mora esse potest si autem inuenerit eam vacantem bonisque destitutam operibus ornatamque ac scopis mundatam, id est, delicijs dedi tam; & eò cum deterioribus se septem ingressus fuerit, peius illa multo habebit quàm antea.*

Conc. Fabri Pars Hyemalis.

K. IX. Quinam illi 7. Spiritus nequiores. QVAEST. NONA, Qui sunt illi septem spiritus diabolo nequiores? Resp. primò septenarium poni pro multiplici numero. q. d. redibit cum integra dæmonum cateruâ; hoc enim septenarius significat in SS. literis. Ita Dionys. Carthus. hic 1. Secūdò Mysticè designat septem vitia capitalia, quę sunt nequiora dæmone, quia longè grauiùs nocent homini, quàm nocere queat dæmon. 2. Hic enim dempto peccato parum aut nihil ei obesse potest: certè salutem auferre nullo modo potest. Sciens itaque istud dæmon omnibus modis laborat vt ad peccandum homines alliciat. Hinc vir quidam eruditus hanc de adulterino dæmonis cōiugio parabolā proposuit. *Quodam tempore diabolo in mentem venit, inquit, vt vxorem duceret; idque dum animo volueret, incredibili amore prosecutus est impietatem, adeo, vt ipsam, haud diutiùs ambiendo sibi deuinxerit, ex quâ etiam facundo existente matrimonio septem puellas progenuit. Posteaquam autem maturæ videbantur & nubiles esse, cogitauit pater eas elocare hominibus: quia volebat hoc pacto illorum amicitiā sibi conciliare. Proinde natu maximā, arrogantiam, potentibus in mundo, diuitijsque affluentibus, & qui nobilitate generis, aut illustri quodam munere vel authoritate reliquis antecellerent, copulauit. Iuniorem autem, Auaritiā mercatoribus, atq; circa rerum solemniores commutationes occupatis adiunxit. Tertiā inde fallaciam, plebeijs passimq; diffusis in principum ditionibus rusticis, operarijs & mercenarijs adiudicauit. Quartam verò Inuidiam, opificibus & gregarias artes exercentibus exposuit. Quintam omnium optimè moratam Hypocrisin, & egregiè insinuantem sese meretriculam, Sacerdotibus, & qui sanctitatis nomine vulgò conspicui essent, elocauit. Sextamq; superbiam appellatam muliebri sexui adiudicauit. De septima autem, quæ scortatio dicebatur, hoc consilium cepit, velle seipsam, nulli quidem propriam, omnibus verò communem in familia sua retinere; vt si quando libeat illam conuenire, cogatur eam apud se quærere: quâ ratione consultum esse putabat, quamplurimos amicitiam istam haudquaquam repudiaturos esse; sed imò incredibilem accessum nouorum sodalium fore. Et certè non caruit euentu diaboli institutum, vtq; experientiâ liquet, maxima pars hominum eiusmodi coniugijs irretita ad inferos descendit.*

L. X. Cur recidiuorum nouissima peiora prioribus. Q. DECIMA. Cur nouissima recidiuorum, peiora fiunt prioribus? Resp. Primò propter ingratitudinem erga Deum cuius misericordiâ priora eis peccata remissa fuerunt. 1. *Seruo peior est*, inquit S. Chrysost. hom. de lapsu primi hominis, *qui patronum post datam libertatem offendit: beneficijs ingratus est, qui datorem tumoris arrogantiâ despicit.* Et paulò suprà: *sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est, vulnerat: nec mūdari meretur, qui semetipsū post gratiā sordidat.*

2. Secundò, Propter Dæmonis tyrannidem, qui tales aliquando in suam potestatem receptos diligentius custodit & pluribus vinculis alligat, ne rursum ei elabantur.

3. Tertiò, Ob peccati consuetudinem, quæ ex crebriore lapsu oritur hominemque eò deuoluit vt tandem peccare contemnat. Quemadmodum enim, qui iuxta fabros ferrarios habitant, longo tempore ictibus malleo-

 rum

rum assuefacti, nihil molestiæ percipiunt: sic peccatores post diuturnam consuetudinē nullo malorum, quæ in peccato sunt, sensu cōmouentur. Hinc sæpissimè relapsi tristi & repentino fine extincti sunt. Ita Balaam ille eùm post feria proposita rediit ad ingenium & scādalum Hebræis opposuit, inter gentiles in prælio periit. Idem expertus est Pharao, Saul, Achab. Recentius exemplum scribit S. Bonauentura in vitâ S. Francisci c. 11. quod est huiusmodi: Canonicus quidam post hanc vitam diuturno tempore turpiter & libidinosè actam in grauem ægritudinem prolapsus fuerat. Eum S. Franciscus lecto affixum adiit, & postquam salutari crucis signo consignasset, pristinæ valetudini restituit, hominemque sedulò commonuit, vt deinceps à fædâ illa viuendi consuetudine abstineret, nec ad vomitum aliquando rediret. At ille piæ admonitionis oblitus, ad veteres impudicitiæ sordes rediit, & cùm in ædibus cuiusdam canonici fortè cœnasset, tota ædium structura subitò ruente, solus repentina morte, cæteris conuiuis illæsis, extinctus est.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Ioannis 6.



IN illo tempore, Abiit Iesus trans mare Galileæ, quod est Tyberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum pascha dies festus Iudæorum. Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum. Ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus, quantum volebant. Vt autem impleti sunt, dicit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus, quæ superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines, cùm vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

CONCIONES.

I. *Laquei Dæmonis qui potissimùm fugiendi.*
II. *Seruorum Dei seu Iustorum prærogatiua in hoc sæculo.*
III. *Fructus Confessionis.*
IV. *Fructus & commoda frequentis Confessionis.*
V. *Panis hodierni Euangelij typus Eucharistiæ.*
VI. *Manna Eucharistiæ typus.*
VII. *Cur esus carnium magnoperè cauendus tempore interdicto.*
VIII. *Circumstantiæ Eleëmosynæ.*
IX. *Documenta.*
X. *Mysteria.*

CONCIO I.

Laquei dæmonis qui potissimùm fugiendi.

Primus laqueus est honor. 2. *Pecunia & diuitiæ.* 3. *Cibus & potus.* 4. *Voluptas carnis & cogitationes obscœnæ.* 5. *Mala societas.* 6. *Heresis.* 7. *Contentio & ira proximi. Quæ omnes vt fugiamus, varia proponuntur consilia.*

THEMA.

IESVS ergò cùm cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum & facerent eum Regem fugit. Ioan. 6.

SVPERIORIBVS concionibus vidimus, Cacodæmonem armis suis instructum: nunc tempus est, vt nos ad pugnam egrediamur. Porrò sicut dæmon duplicibus telis pugnat, dolis videlicet & armis: ita etiam à nobis dupliciter impugnandus est, fugiendo & cædendo. Illud fraudis erit, istud fortitudinis. Neque verò minoris artis & laudis est vincere fugiendo, quàm cædendo. Nouimus strenuum Hebræorum Ducem, Iosuen vrbem Hai expugnaturum, primò fugam simulasse, posteà in hostem prouocatum arma vertisse, maximaque laude vicisse. *Ios.* 8. Porrò duplex hoc cum dæmone præliandi genus perquam necessarium est, vt docet Climachus *cap.* 26. Cassianus *collat.* 19. *cap.* 16. D. Bonauent. *de reform. mentis cap.* 3.

Cùm

Cùm enim quædam vitia suapte naturâ molestiam fastidiumque pariant, vt inuidia, odium, vindictæ appetitus, impatientia, tristitia, pertinacia, &c. quædam verò delectationem, vt edere, bibere aliáque peccata carnis & sensuum aliarumque potentiarum blandimenta, quæ quò diutiùs mente versamus, eo fortiùs nos accendunt & captiuant: idcircò hæc fugiendo, eorum laqueos & occasiones declinando, mentem ac sensus aliò declinando, vincere oportet: cum prioribus verò vitijs pes cominùs conferendus, vis inferenda, maligna eorum natura consideranda, &c. Quando igitur in hodierno Euangelio docet nos Saluator alterum præliandi genus, fugiendi scilicet Dæmonis laqueos, è quibus ille vnum, honorem scilicet & dignitatem regiam, fugit, pugnabimus hodie more Parthorum, qui iaculis emissis fugam arripiunt: nec non cum Iosue illo hodie fugiemus, post octiduum verò reuersi arma in hostem conuertemus.

B. I. Laqueus primus Honor. *Consilium.* Laqueus primus est honor, quo captus omnium primus fuit ipse diabolus, & ad inferos detractus, *rudentibus inferni*, vt ait S. Petrus *Epist. 2. cap. 2.* Hunc fugere nos docet Christus in hodierno Euangelio. Ratio est, quia status honoris est status periculosus & quoddam præcipitium, in quo labi procliue est, ambulare difficillimum; tùm quia tales vertigine facilè corripiuntur vt leges præuaricentur, omnes spernant: tum quia neminem monitorem, qui vacillantibus manum porrigat, habent: tùm quia aliorum potiùs quàm sui sunt, aliorumque prauis consilijs & adulationibus facillimè peruertuntur. Hinc sapientes illæ arbores, vitis, ficus, oliua, ad regiam dignitatem inuitatæ, nequaquam acquieuerunt, sed sua priuata commoda ei præposuerunt, *Iudic. 9.* Quod idem fecêre viri omnes prudentes & cordati. S. Malachias, vt scribit S. Bernardus in eius vitâ, nisi Episcopi congregati anathema ei comminati fuissent, numquam suscepisset Episcopatum. *Omnem enim locum sublimem*, ait S. Bernard. *velut præcipitium reformidabat.* S. Augustinus cognitâ Episcopi sui morte, fugit ab vrbe: vnde Serm. 1. de communi vitâ Cleric. ait: *In quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem, cauebam: & hoc agebam quantum poteram, vt in loco humili saluarer, ne in alto periclitarer.* S. Ambrosius postulatus in Episcopum Mediolanensium, noctè ab vrbe aufugit. Ita S. Gregorius Papa & alij. Memorabile est illud Pij V. Pontificis dicentis: *Ego quamdiu fui religiosus, bene speraui de salute meâ; factus Cardinalis cœpi timere: iam creatus Pontifex penè de eâ despero.* Hoc verè pius & tantâ dignitate dignissimus Pontifex. Adrianus Papa Secundus nullum maius supplicium de hoste poscebat, quàm vt Papa fieret, refert Cornel. à Lapide in *Apocal. cap. 3.* & *in Num. cap. 11.* Ex quibus testimonijs iudicium fieri potest de inferioribus honoribus. Non ergo frustrà Apostolus 1. *Tim. 3.* iubet ad Episcopatum assumi virum exercitatum, *nō Neophytum ne in opprobrium incidat & in laqueum diaboli.* Et vniuersim Ecclesiasticus *cap. 11.* ait: *Sicut perdix inducitur in caueam & vt caprea in laqueum: sic & cor superborum.* Quare non nisi insipientes currunt in hunc laqueum & de eo litigant cum competitoribus quis eorum prior incidat in illum: quo modo solus rubus (lignum inutile, noxium, vile) inuentus est, qui in dignitatem regiam sibi oblatam rueret, vt diximus *Iudic. 9.*

C. II. Pecunia. SECVNDVS, Est pecunia & diuitiæ, quia fomentum sunt auaritiæ: hæc autem est radix omnium malorum, vt scribit Apostolus 1. *Tim. 6.* dicens: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Laquei igitur sunt, qui inuoluunt & constringunt hominem multis noxijs desiderijs vt sua per fas & nefas augeat, alienis inhiet, aliena non restituat, sua indigentibus non communicet, & ægrè tandem in morte relinquat, vt Dei obliuiscatur & bona cœlestia ac pietatem negligat, vt quærat in terrâ magnus fieri; gloriam, pompam, apparatum sectetur, &c. Horum enim omnium radix est auaritia, quæ ex diuitijs gignitur ordinariè. Nam *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Ac sicut radix nutrit totam arborem, ramos, folia, fructus & qui inde pascuntur: ita auaritia nutrit omnis generis vitia, præsertim vanam ostentationem, animi fastum & elationem, fiduciam inanem cum quadam diuinorum vel obliuione vel contemptu, adeoque Idololatriam quandam, vti scribit Apostolus ad *Ephes. 5. Coloss. 3.* Hinc ex auro prodijt Idolum aurei vituli. *Exod. 32.* quia scilicet aurum materia est Idoli & fomes Idololatriæ. Quam ob causam meritò laudes Babytacen oppidum Persidis, in quo, vt scribit Solinus, *cap. 56. Mortales vniuersi odio auri coëmunt genus metalli & in terrarum profunda abijciunt, ne polluti vsu eius aequitatem corrumpant.* Quin & natura proptereà profundè id recōdit, ne in laqueū istum passim inciderent homines. Quid igitur faciēdum? Docet id cit. loco Apostolus cùm subdit: *Tu autem ò homo Dei hæc fuge.* Primò *noli laborare vt diteris, Prou. 23.* Sed cum Salomone pete à Deo mediocritatem: *Diuitias ne dederis mihi, ne fortè satiatus illiciar ad negandum & dicam: Quis est Dominus?* Prouerb. 30. *Homo Dei es*, fuge Idolum. Deinde ne quæras talia munia, quæ tractant semper pecunias, seu publica seu priuata. Vt enim qui numerat & tractat assiduò pecunias, necessariò inquinat & denigrat manus suas: ita & pecuniæ multæ vix tractari sine peccatis, ijsque frequentibus possunt. Vnde *Eccles. 11.* dicitur: *Si fueris diues, non eris immunis à peccato.* Et *c. 31. Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia thesauris. Quis est hic & laudabimus eum?* Consilium.

Sed *heu, quàm paucos inueniemus*, ait S. Bernardus serm. 3. *in Ps. Qui habitat, qui ab hoc liberati laqueo exultent? quàm multos, qui doleant, quòd parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt, ipsi se inuoluere & intricare laborant?*

D. III. Cibus & Potus. TERTIVS, Est cibus & potus sapidior & copiosior,

piosior, quibus capitur gula & præcipitatur homo in crapulam & ebrietatem ; vnde facili negotio transitur ad alia peccata ; iuxta id *Psal. 68. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*; qualis facta est Iudæis quando sederunt *edere & bibere & surrexerunt ludere. Exod. 32.* Nam *qui corporis sui carnem delicatè nutrit*, ait S. Ephrem tra. de timore Dei, *concupiscentias malas pascit*. Hinc prodeunt, libido, contentiones, rixæ, bestialitas & cæca ad omnia vitia pronitas. Quemadmodum enim pecus iniecto laqueo, & homo effossis oculis facilè ducitur, quò libet : ita ebriùs à dæmone. Draco non difficilè vincit Elephantem cibo & potu obrutum, quem aliàs non vinceret. Et anguillæ capiuntur in aquâ turbida, quæ aliàs difficulter capiuntur in pellucidâ. Ita homo cibo potuque oppressus præda dæmonum fit certissima. Vnde S. Bern. *l. de modo bene viuendi cap. 25.* ait : *Multi per vinum à Dæmonibus capti sunt.* Denique gula & ebrietas auferunt nauarcho clauum : quò fit vt nauis in mari iactetur maximè periculo prædonum, allisionis & naufragij, vti dixit Sapiens *Prouerb. 23. Et eris*, inquit, *sicut dormiens in medio mari & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Intelligens hoc Saluator, in Euangelio hodierno frugale conuiuium apparauit è panibus & piscibus, nec apposuit potum.

Consilium. Quare nihil consultius, quàm fugere occasiones gulæ atque ebrietatis, vti vitare conuiuia, quod fecit S. Ambrosius & Augustinus inter alia tria alibi recensita. Et suadet Sapiens dicto *cap. 23.* dicens : *Noli esse in conuiuijs potatorum nec in commessationibus eorum, &c.* Nimis periculosum est cum hoc hoste comminùs pugnare. Licet enim compotatores promittant se neminem coacturos ad bibendum : suis tamen blanditijs tàdem inescant & sensim illaqueant. Vnde Absalon præcipit seruis suis iugulare Amnon fratrem, postquam temulentus esset; præuidit enim talem in conuiuio absque dubio futurum *2. Reg. 13.*

Verùm adeò stulti sunt mortalium plerique vt non expectent Venatores, qui laqueum inijciant, sed ipsi præueniant Diabolum Venatorem & in laqueum eius currant eumque libentissimè, quasi torquem aureum sibi induant.

E. IV. Voluptas carnis. QVARTVS, Est voluptas carnis, siue sensibus exterioribus siue imaginatione solâ apprehensa. Ad primum genus pertinet species & forma elegantior seu virorum seu fæminarum ; neque enim minus vxor Putipharis capta est specie Iosephi, quàm Dauid specie Betsabeæ, vel senes specie Susannæ. Sanè *Eccles. 7.* mulier vocatur laqueus Venatorum : *Laqueus Venatorum est*, inquit, *& sagena cor eius: vincula sunt manus illius : qui placet Deo, effugiet illam ; qui autem peccator est, capietur ab illâ.* Mulier instar Dalilæ ligat hominem & tradit Philisthæis, id est dæmonibus. Hinc etiam *3. Reg. 11.* dicitur de mulieribus: *Certissimè conuertent corda vestra, &c.* Non igitur pugnando, sed fugiendo vincenda est mulier, prout monet Apostolus. *1. Corinth. 6.* inquiens: *Fugite fornicationem.* Ratio

Consilium.

est, quam dat senior quidam apud Ioannem Moschum in prato spir. *cap. 119. Sal ex aquâ est, & si appropinquauerit aquæ, continuò soluitur & deficit : & Monachus (vir) similiter ex muliere est. Itaque si appropinquauerit mulieri, solutur & ipse, &c.* Docuit hanc pugnandi rationem contra mulieres Ioseph adolescês, *Gen. c. 39.* fugit enim Dominam relicto in manibus eius pallio. Et S. Martianus apud Surium grauiter & crebrò tentatus à mulieribus, vt eas effugeret, toto orbe factus est profugus: cuius hic iugis erat stimulus : *Fuge Martiniane.* Optimè ergò S. Augustinus *ser. 250. de temp.* ait : *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* Et tamen miseri mortales hunc laqueum communiter non modò nihil fugiunt, sed quærunt diligenter & sæpe etiam multis pecunijs emunt.

Nihilo minùs periculosus est alter laqueus cogitationum obscœnarum, quæ etiam viris sanctis grauissimum sæpè fecere negotium. Proinde fugâ etiam eludendus est, & quamprimùm mens aliò conuertenda & occupanda bonis alijs cogitationibus, vti docuit B. Iuniperus socius S. Francisci, qui conferens cum Fratribus de ratione vincendi tentationes carnis, dicentque Fr. Simone Assisio: *Ego indignitatem & fœditatem peccati considero.* Fratre verò Ruffino : *Ego humi prostratus multis lachrymis auxilium Dei & Deiparæ imploro:* Subiecit sententiam suam Iuniperus : *Ast ego*, inquit, *statim fores cordis occludo & multas variasque meditationes & sancta desideria ceu custodias fidissimas oppono, ac pulsantibus foris cogitationibus, intus ego respondeo: Auferte vos hinc, iam locus occupatus est, nec alios capit. Ita pestilentem turbam abigo.* His auditis dixit Fr. Ægidius: *In tuam Iunipere, sententiam eo, profectò enim fuga contra hoc vitiû securissima pugnandi est ratio.* Annal. Francisan. 1. p. l. 6. cap. 58. Causa porrò in promptu est ; nam si turpi tentationi te opponas, cogitando magis commoues imaginationem eius indeque concupiscentiam & carnem magis accendis. *Cogitationes obscœnæ. Consilium.*

QVINTVS, Est mala societas, quæ & ipsa blandè se insinuat, nec meliùs vinci quàm fugâ potest. Nam si iunxeris te socijs malis, facilè ab ijsdem abripieris ; & paucissimi tam fortes & constantes sunt, vt tot prauis exemplis, sermonibus, inuitationibus, irrisionibus, minis, &c. impiorum, resistere possint ne ad eorum se mores inflectant. Prauos enim socios aut imitari aut insectari necesse est. Vtrumque periculosum. Atque vt carbones igniti carbonem accendunt frigidum ; ita socij mali bonum peruertunt. Vnde *Eccl. 13.* dicitur: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ ; & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Experti sunt Hebræi, de quibus *Psal. 105.* dicitur: *Commixti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum*, vt patet ex *lib. Iudicum cap. 2.* & alijs. Expertus est suo malo Petrus, qui quia fugere noluit, sed malis se coniunxit, abnegauit: meliùs adolescens qui & ipse secutus Christum, cùm apprehenderetur, aufugit, ne & ipse abnegaret. Ita sapuit Tobias adhuc puer, *F. V. Mala societas.*

qui

Consilium. qui cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Ierusalem ad templum Domini. Tob. 1. Denique hanc fugam reproborum inculcant SS. literæ Num. 16. Recedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Prou. 4. Ne delecteris in semitis impiorum nec tibi placeat malorum via, fuge ab eâ nec transeas per illam, &c. & Act. 2. Saluamini à generatione istâ prauâ. Qui non vult aspergi farinâ, fugiat molendinum; qui non vult atrorem vestibus induere, fugiat fabrorum officinas.

G. VI. Hæresis. SEXTVS, Est hæresis, cuius etiam fraudibus & blanditijs difficile est resistere, ideoque consultissimum est fugere. Audi S. Leonem serm. 5. de ieiunio: humiliter irrepunt, inquit, (Hæretici) blande capiunt, molliter ligant, occultè occidunt. Periculosa valdè est illorum blandiloquentia, & affabilitas magis quàm meretricum. Ouium vocem præseferunt, reipsâ lupi sunt, ideoque fugiendi quoad fieri potest, exemplo agni, qui (vt est in fabulis) reclusus domi & iussus à matre, quæ pastum iuerat, nemini aperire nisi sibi, lupo pulsanti fores & matris vocem imitanti dixit: Non aperio, nam etsi vox consonat, per rimulas tamen lupum video.

Consilii. Hunc certè dæmonis laqueum, vitandum etiam præcepit Apostolus ad Titum cap. 3. inquiens: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita. Et S. Ioannes Epist. 2. iubet ne hæretici in domum recipiantur aut Aue eis dicatur; idque ipso facto præstitit, cùm ingressus balneum, visensque ibi Cerinthum, inde se proripuit dicens: Fugiamus ocyus, ne balneum in quo est Cerinthus veritatis aduersarius, extemplò corruat. vti refert Irenæus. lib. 3. cap. 3. additque S. Hieronymus dial. contra Lucif. post abitum Ioannis corruisse balneum & Cerinthum oppressisse. Similiter S. Ignatius S. Ioannis discipulus in ep. ad Trallianos ait: Fugite impias & Deum abnegantes hæreses; Diaboli enim sunt adinuentiones, serpentis malorum auctoris, qui per mulierem seduxit Adam. Sermo ergò & doctrina illorum venenum sunt, quod sensim occupat totum hominem; & vt ait Apostolus 2. Tim. 2. sermo eorum (infusus auditoribus) vt cancer serpit.

Quando potissimùm fugiendum hæreticorum consortium. Cæterùm tribus in casibus fugiendi sunt, non humano tantùm sed etiam diuino iure. Primò cùm est periculum, ne tu vel tui ab eis peruertantur. Secundò cùm scandalum alijs creas, vt putent te hæreticorum patronum & fautorem esse. Tertiò cùm in eorum susceptione videris eorum hæresi fauere aut communicare.

H. VII. Contentio. SEPTIMVS, Est contentio & ira proximi, quam fugâ & cessione vincendam, non verbis aut verberibus, docent SS. literæ; vti Sapiens Prouerb. 20. Honor est homini, qui separat se à contentionibus. Et Apostolus ad Rom. 12. Nō vosmet-

Consiliū. ipsos defendentes, Charissimi, sed date locum iræ, id est fugite, tacete, cedite irato, vt exponit S. Ambrosius. Et S. Basilius: Da, inquit, locum iræ, quasi torrenti, qui obuia quaque impetu suo rapidissimo deuoluit. Obijcit sæpe Dæmon hunc laqueum pedibus nostris, vti obiecit Dauidi, cùm bis instigauit eum per seruos vt occideret Saulem inimicum suum deprehensum clanculum. Dicebant enim illi: Ecce dies de quâ locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. 1. Reg. 24. & 26. nec multum abfuit quin hoc laqueo captus vltionem quæsisset Dauid. Ait enim: Cogitaui vt occiderem te. Verùm maluit fugere Dauid inimicum suum, quàm occidere. Secessit igitur ex oculis & ditione Saulis & habitauit cum Rege Geth. 1. Reg. 27. Dicebat enim: Aliquando incidam in manus Saulis; (vbi scilicet debebo vel occidere, vel occidi) nónne melius est vt fugiam? fugiam ergò manus eius. Idem docuit Christus, quando adhuc infans fugit iram Herodis. Vt ergò ceruа docet hinnulum suum fugere insidias Venatorum cursu eum exercendo & ad saltus veloci fugâ ducendo; sic docuit nos Christus fugere insidias Dæmonis. Fuge igitur dilecte mi assimilare capreæ hinnuloque ceruorum, &c.

CONCIO II.

Seruorum Dei seu iustorum prærogatiuæ in hoc sæculo.

Prima est lux interna.
2. Protectio diuina.
3. Sustentatio corporis commoda.
4. Precum exauditio.
5. Sanitas animæ.
6. Odor bonæ famæ & auctoritas.
7. Spes futurorum bonorum.
8. Lætus ex hâc vitâ transitus quæ omnia non reperiuntur in impijs.

THEMA.

Discubuerunt ergò viri numero quasi quinque millia. Ioan. 6.

INTER alias causas, quas superiore Dominica enumerauimus, cur plures seruiant mũdo & vitijs, Deo & virtutibus neglectis, non est minima illa: Error quidam generalis, in quo degunt homines, pertinaciter persuasi, quasi omne virtutis & seruitij diuini præmium differatur in futurum, nullum prorsùs exhibeatur in hoc sæculo. Iter ergò virtutis sterile & omni destitutum bono ac solatio præsenti existimant. Sic Beato Iob insultabant Reges: & Tobiæ parentes ac cognati eius irridebant vitam eius dicentes: vbi est spes tua, pro quâ eleemosynas & sepulturas faciebas? Tob. 2. Sic impij dicebant apud Malachiam cap. 3. Vanus est, qui seruit Deo (Chald. nihil lucratur qui seruit coram Domino:) & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius? Verùm perniciosum hunc errorem redarguit inprimis Ecclesia in hac Dominicâ, dum iubet Dei seruos medio in ieiunio lætos esse atque hilares: Lætare Ierusalem (incipit hod. missam) & conuentum facite omnes qui diligitis eam, gaudete cum lætitiâ, &c. Redarguit historia hodierni Euangelij, in quo Christus pauit seruos & auscultatores suos in sterili deserto. A.

Redarguit historia exitus Israëlitici de Ægypto per desertū ad terram promissionis; quam historiam hodie incipit legere Ecclesia. In eo autem itinere aspero quidem & diuturno, plurima beneficia, emolumenta & beneuolentiæ signa exhibuit Deus populo suo, quibus mirè recreatus & confortatus præferre debebat peregrinationem & solitudinem suam Ægyptiacæ seruituti. Porrò sicut illa Hebræorum peregrinatio repræsentauit iter virtutis, quod agunt omnes iusti, qui de mundo eiusque seruitute exierunt: ita beneficia quæ Hebræis in itinere illo exhibuit Deus, ad viuum repræsentant commoda & bona illa quæ præbet Deus seruis suis in præsenti vitæ peregrinatione, vti nunc videbimus.

R. I. Lux interna.

PRIMÒ, Columna ignis duxit eos per desertum inuium ita vt moneret eos, quando progrediendum, quando sistendum esset; præcedebat enim columna quando erat eundum: stabat, quando standum. Nec ducebat eos per viam terræ Philistijm, ne hostium multitudine & sæuitiâ territi reuerterentur in Ægyptum, *Exod.* 13. Porrò Angelus mouebat & impellebat columnam illam. Ita serui Dei habent inprimis internam lucem, quâ acutum vident, quæ videre debent; vti primo Deum eiusque attributa, beneficia & prouidentiam in mundi gubernatione, bonorum vel malorum immissione. Secundò, nôrunt seipsos, suos defectus, suam imbecillitatem, vnde & sibi cauent. Tertiò, res ad salutem necessarias quæ credenda quæque facienda sint. Quartò, peccatorum grauitatem, eorumque laqueos, pericula, tentationes. Quintò, quæ ad statum & munus suum pertinent. Sextò, præuident nouissima, sibique antequam veniant, maturè prospiciunt. Denique nôrunt mederi in tempore suis defectibus & lapsibus. Vnde repræsentantur *Apoc.* 4. per sancta illa animalia, plena oculis antè & retrò. *Circumspecta est vita Sanctorum*, ait S. Greg. *ho.* 7. *in Ezech. ne sic sit libera vt superba sit: ne sic sit humilis, vt formidolosa: ne sic sit parca, vt tenax sit: ne sic sit misericors, vt effusa sit.* De iisdem ait Sapiens *Prou.* 1. *Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum. Pennati isti*: inquit in eum locum scribens Salonius, *sunt sancti & electi viri, qui habent pennas fidei, spei & charitatis cæterarumq. virtutum, quibus ad cælestia contemplanda volant; habent & spiritales oculos, quibus & insidias hosti antiqui prævident & peccata præcauent. Frustra ergo iacitur rete ante oculos pennatorum, id est, laqueus insidiarum diaboli obijcitur sanctis & electis viris, quia facilè superare possunt insidias diaboli qui suam conuersationem habent in cœlis.* Non enim aspiciunt isti faciem peccatorum, sed tergum, id est; non attendunt ad voluptatem aut commodum, quod propinant, sed ad damna quæ consequuntur, dolorem, ignominiam, pœnam, vermem conscientiæ, iudicium, infernum. Adhæc angelus custos tales illuminare & dirigere in actibus suis solet, vti experta inprimis est. S. Francisca Romana, quæ eo velut Magistro vtebatur in omnibus negotijs.

Non sic serui diaboli, de quibus dicitur *Isa.* 5. *palpauimus sicut cæci parietem & quasi absque oculis attrectauimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Velut enim cæci ruūt in quæuis scelera. Quæ enim maior cæcitas esse potest, quàm vendere æterna bona pro tēporali & modico lucro vel voluptate? mortem toties videre oculis & non præcauere? non timere infernum? sub peccati iugo gemere, nec illud tamen abijcere? vulneribus suis cruciari, nec tamen illis mederi velle? Sanè vti in terra Gessen sentiebāt Ægyptij tenebras palpabiles, vt nemo suo moueri loco auderet; vbi tamen habitabant Hebræi, lux fuit: ita in hoc mundo lucem habent iusti, tenebras iniqui. Hoc verò quantum est malum? quantum illud bonum? *Non reperitur in impijs.*

C. II. Protectio diuina.

SECVNDÒ, Per columnam nubis protexit eos partim ab hostibus, vti cùm clausit agmen Hebræorum sustinuitque impetum Ægyptiorum insequentium: dispescuit Hebræos ab Ægyptijs, hos obtenebrando, illos illuminando, & cùm Deus per eam prospiciens interfecit exercitum Ægyptiorum *Exod.* 14. partim ab æstu solis qui in deserto illo maximus esse solet. Nam *castra obumbrabat nubes*, ait Sapiens *c.* 19. *Sap.* Et Moyses *Deut.* 32. Deum instar aquilæ super eos volitasse, & expandisse alas suas, assumpsisse & portasse in humeris suis. Hunc in modum protegit seruos suos & instar aquilæ super eos volitat; vtque aquila subinde oculos ad nidum & pullos suos reflectit: ita *oculi Domini super iustos*. Hinc iusti semper læti & securi sunt, quia sub vmbrâ Dei sese constitutos intelligunt. Hoc etiam notatum eodem *Exod. cap.* 14. cùm dicitur Pharaonem insecutum esse Hebræos, cum curribus & equitibus suis omnibus: at *illi* (Hebræi) *egressi erant in manu excelsâ.* Quæ verba Chaldæus vertit: *egrediebantur capite discooperto.* Ita nimirum iusti capite intecto versantur in hoc mundo & medijs etiam in periculis: quia non egent vmbrâ pilei, cùm sciant se versari sub vmbrâ alarum DEI. Ita S. Martinus cùm incidisset in latrones mortem sibi intentantes, dicebat se numquam minùs timuisse, quòd sciret Deum adesse suis maximè in tribulationibus, Vt est in eius vitâ. Ac licet non ita suos protegat Deus, vt nihil pati velit; protegit tamen eâ ratione, vt tribuat eis robur, quo sustinere tribulationes & quidem alacri animo possint. Cuius rei exempla plurima occurrent legenti SS. literas, velut de tribus pueris, de Daniele, Susanna, Iob, Tobiâ, Abrahamo, Isaac, Iacob Iosepho, Dauide, Ionâ, &c. Imò habent iusti in seipsis præsens & paratum subsidium plurimorum militum in omnibus angustijs. Quemadmodum enim ad cor, cùm affligitur, omnis vndique concurrit sanguis velut auxilium laturus: ita cùm anima iusti premitur, confestim omnes ad eam concurrunt virtutes, vt modis omnibus opitulentur. Nunc excitat Fides, Spes, Charitas; nunc obedientia, nunc patientia, &c. fides docet eas à Deo immitti in animarum medicinam; spes ostendit breuî te liberandum & præmiandum; charitas monstrat

ſtrat te Chriſto ſimilem fieri, obedientia ſubijcit voluntati diuinæ, patientia confortat, &c.

Non reperiuntur in impijs.

Mali contrà deſtituti ſunt hoc bono, quia carent Dei præſidio, vnde expoſiti ſunt hoſtibus & æſtibus tentationum. Sic de impijs Chananæis aiunt Ioſue & Caleb, *Num.* 14. *Ne timeatis populum terræ huius, quia ſicut panem ita eos poſſumus deuorare; receßit ab eis omne præſidium.* (Hebr. habetur: *receßit ab eis vmbra eorum*) *Dominus nobiſcum eſt.* Sunt ergò ſicut grex ſine paſtore, nauis ſine gubernatore, exercitus ſine Duce. Ad hæc non habent in ſeipſis præſidium virtutum, ſed inueniuntur inermes ab ingruentibus tentationibus & tribulationibus. Vnde facillimè vincuntur & per impatientiam duplicant cruces ſuas. Rurſum à diabolo velut panis deuorantur.

D. III. Suſtentatio corporis commoda.

Tertiò, Quæ ad corporis ſuſtentationem erant neceſſaria, ſuppeditauit, vti manna de cœlo, aquam de petrâ: veſtes eorum & calceamenta non ſunt attrita, vt patet *Deut.* 8. & 29. Ita etiam iuſtis neceſſaria corporis non ſinit Deus deeſſe, ac licet abundantiam ordinariè non tribuat, vtpote periculoſam, ſufficientiam tamen exhibet; quemadmodum & Iſraëlitis eâ lege dedit manna vt non plus colligerent quàm edere poterant, nec ſeruarent in poſterum diem (mox enim altero die incipiebat ſcatere vermibus) *Exod.* 16. Docet hoc plutibus locis ſacra ſcriptura. *Tob.* 4. ait parens filio; *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum & receſſerimus ab omni peccato & fecerimus bene.* Idem multis confirmat Dauid *Pſalm.* 33. *Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum; Diuites* (Hebr. Leones ſeu leunculi) *eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Et *Pſalm.* 36. *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas, quoniam brachia peccatorum conterentur.* q.d. illi confidunt in Deo, & ideò ſatis habent, nec ſunt auari nec prodigi, ideoque nec egeni vel ære alieno obſtricti, neque otioſas retinent opes, quibus abutantur; hi verò qui in ſuis fraudibus, induſtrijs & mendacijs confidunt deficient. Adiicit & hoc: *Non confundentur in tempore malo,* vt ſcilicet mendicare cogantur, *& in diebus famis ſaturabuntur.* Et paulò pòſt: *Iunior fui, etenim ſenui & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Vîn plura? Apoſtolus 1. *Tim.* 4. ait: *Pietas ad omnia vtilis eſt, promißionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Habemus ergò differentiam inter bonos & malos, quoad neceſſaria vitæ. Quòd ſi dicas: ſæpe aliter fieri, mendicare & egere bonos, abundare malos. Reſpondeo primò, quod attinet ad mendicitatem, loqui Dauidem de filijs eorum, qui aliorum miſerabantur dando eleëmoſynas; quod verò ad ſuſtentationem qualemcumque attinet, iuſtos eâ non priuandos. Sed multi cum extremâ famis neceſſitate conflictantur, ais. Sed quid ſi iuſti non ſint? ſanè peccatoribus non promiſit neceſſaria Deus ſed bonis. *Matth.* 6. *Quærite primùm regnū Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Plurimi mendici diuinis numquam interſunt, quia ea non curant, quid mirum ſi non adiiciantur eis terrena? Quòd ſi iuſti ſint, ſaltem patientes erunt, adeoque ſuâ paupertate contenti, quemadmodum fuit Lazarus; hoc autem maius bonum eſt, quod illis cumulabitur in cœleſti gloriâ.

Non reperiuntur eodem modo in impijs.

Impiorum egeſtatem inter alia plurima teſtatur obſidio Samariæ ſub Achab Rege impio: obſidio Ieroſolymæ perditiſſimæ ſub Tito & Veſpaſiano. Sed quid longè abimus? exempla quotidiana ſunt.

E. IV. Precum exauditio.

Qvartò, Exaudiuit Deus preces eorum, quoties aliquid petiuerunt; imò ad deſideria & murmura eorum fecit, quæ volebant; amaras aquas dulces fecit, dedit panem de cœlo & carnes, dedit aquam de petrâ, ſanauit ignitos ſerpentum morſus. Denique tam facilis fuit ad eorum poſtulata, vt Moyſes dixerit *Deut.* 4. *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Eumdem in modum adeſt iuſtis omnibus, ita vt liberum & ſecurum habeant acceſſum ad eum quiduis impetrandi. Habent enim expreſſam Chriſti promiſſionem *Ioan.* 15. *Si manſeritis in me & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis & fiet vobis.* Hoc verò quantum bonum eſt? *Quid enim hoc eſt aliud,* ait Card. Bellarm. ſuper *Pſalm. Conc.* 9. *quàm conſtituere hominem iuſtum Dominum orbis & claues ei concedere cæleſtium diuitiarum & ad quemdam modum omnipotentem illum facere? Quanti quæſo faciunt homines, quòd aliquis apud Regem eâ gratiâ polleat vt poßit de eo & eius regno facere quidquid velit? At ſi hæc ita ſe habent, quanti eandem fieri debet, quòd eâ gratiâ valeant homines iuſti apud Regem Regum, &c.* Idem oſtendit ex *Pſalm.* 33. vbi ex eo probat Dauid iuſtū habere vitam & dies bonos, quòd *oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* Si enim præuideant mala ventura, clamant ad Deum, & inueniunt aures eius apertas. Si non præuideant, vigilat ſuper ipſos Deus & vel monet vt clament, vel aliàs auertit mala. Probatque hoc exemplis Dauid ſubijciēs: *Clamauerunt iuſti & Dominus exaudiuit eos.* Ioſue ſolem ſtare fecit, Ezechias eumdem retrocedere, Elias aquas in nubibus ſuſpendit; & cùm voluit laxauit, alij alia mira impetrârunt, quemadmodum & ſancti legis nouæ Gregorius Thaumaturgus, Martinus, Antonius, Hilarion alijque innumeri. Nónne S. Dominicus, cùm diceret amico numquam non à Deo ſeſe exauditum, moxque ab eo moneretur, impetrare ſuis precibus, vt Magiſter Reginaldus vir eius æui excellens ſed de religionis habitu nihil cogitans, ſuſciperet eius ordinem: orauit, effecit; & cùm manè fratres canerent: *Iam lucis orto ſydere,* venit Reginaldus & petijt eius habitum. Idem cum ſocio peregrinæ linguæ ambulans, precibus obtinuit vt alter alterum intelligeret. Vt in eius vitâ.

Non reperitur in impijs.

Sed cur ego, inquis & alij multi hoc bonum non experimur? Dico ſecutè, quia iuſti

non

non estis : ideò nihil ad vos istæ promissiones. *Cùm extenderitis, ait Dominus, manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestra sanguine plena sunt. Isa. 1.* Quod si essetis iusti, daret Deus quæ petitis, vel melius quidpiam. Vnde ibid. subdit : *Lauamini, mundi estote, &c. Et venite & arguite me.*

F. V. Sanitas animæ.

QVINTÒ, Conseruauit eos semper sanos & viribus integris fortes toto itinere, vt patet *Psalm.* 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Et *Num.* 1. dicuntur omnes fuisse viri fortes. Indiguerunt illi hoc beneficio propter itineris labores. Cæterùm in iustis sæpe non reperitur, quia non requiritur, compensatur tamen affatim meliore sanitate, quæ est conscientiæ securitas & tranquillitas animi per quam contemnunt, imò dulces faciunt omnes molestias, spernunt pericula, rident fluctus mundi; nullo concutiuntur metu. *Sicut n*, ait S. Chrysostomus *hom. 22. in Genes. qui supra excelsam petram extat fluctus ridet, quos videt magno impetu ad littus rumpi & protinus in spumam solui: ita & sanctus virtuti vacans, in securo constitutus loco, nihil infuauè fert à rebus turbulentis, sed tranquillus animo & quietus sedet.* Siue enim pestis, siue bellum, siue tempestas, siue morbus, siue mors ipsa immineat, ipsi venientia inconcusso vident animo, iuxta id *Prou. 12. Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.*

Non repeturitur in impijs.

E contrà verò reprobi quia malè sibi conscij, animo consternantur quoties morbus aut pestis ingruit, quoties iter periculosum conficiunt, quoties equo aut nauigio flumen aliquod traiiciunt, quoties tonat aut fulgurat, quoties mortuum vident, aut nouissima cogitant vel exaggerari audiunt, vti Felix ille qui tremefactus est audiens S. Paulum de iudicio disputantem, *Act. 14.* Atque ita perpetuis perturbationum agitantur fluctibus.

Ex hoc bono resultat pax cordis & libertas animi, quam non habent impij, qui perpetuò secum ipsi litigant, & seruiunt cupiditatibus suis, vt quasi captiui ab ijs teneantur: quod exprobrabat Alexandro M. Diogenes; se, dicens, seruire dominis, ipsum verò cupiditatibus, peiori longè seruitute. Iustus nihil ita amat, vt non paratus sit perdere: nihil ita horret, vt non paratus sit amplecti.

G. VI. Odor famæ bonæ & auctoritas.

SEXTÒ, Conciliauit eis famam & existimationem coram omnibus populis, nec non auctoritatem & terrorem apud gentes *Deut. 2. Iosf. 2. & 9. & 11.* ita vt Balam qui vocatus erat ad maledicendum eis, non posset nisi benedicere, *Num. 24.* Inter alia dicebat : *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob & tentoria tua Israël!* Vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, & tabernacula quæ fixit Dominus, vt cedri propè aquas!

Pari modo Deus seruis suis conciliat si non repentè, saltem paulatim bonam existimationem & famæ bonæ odorem, imò & timorem etiam apud reprobos, vt eos nolint velint reuereri & magnificare cogantur. Iusti enim sunt, vt dicebat Balam, *velut cedri propè aquas,* semper virentes & decorem foliorum, id est, bonæ famæ conseruantes: vti etiam dixit Dauid *Psalm. 1. Erit* (iustus) *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius nō defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Adhęc timentur à reprobis, vti Moyses à Pharaone, quia nimirum, fuit vir magnus valdè in terrâ Ægypti coram seruis Pharaonis & omni populo, vt dicitur *Exod. 11.* (hinc enim ei nocere non est ausus Pharao) Ioannes Baptista ab Herode, *Marc. 6.* Iacob à Chananæis, *Genes. 35.* Ita nimirum qui timet Deum, facit eos Deus omnibus terribiles, vt notat ibi Chrysostomus. *Non sic impij, non sic,* ait Dauid *Psalm. 1. sed tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ.* q. d. non sic conseruant impij decorem foliorum, id est, famam honorificam, sed tandem proditi per vitia sua fiunt fabula ac ludibrium hominum, audiunt ebriosi, adulteri, vsurarij, comptuli, fastuosi, &c. & ita ventus mali rumoris abripit eis honorem & dispergit folia in terram, ac si puluis forent. Rapitur quidem à vento puluis in aërem & volat aliquamdiu, sed mox decidit & fit lutum calcaturque pedibus : sic *gloria peccatoris stercus & vermis est : hodie extollitur & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam 1. Mach. 2.*

Non repetitur in impijs.

H. VII. Spes futurorum bonorum.

SEPTIMÒ, Corroborauit eos spe promissæ terræ illius optimæ; nam cùm haud procul abessent, ostendit eis fruges tèrræ illius, ex quibus eius bonitatem poterant cognoscere, vti inprimis ex botro illo maximo. Ita animantur & gaudent iusti spe, per quam veluti per arrham aut typum æstimant ac vident bona sibi promissa in cœlo. Vnde in omnibus necessitatibus eâ se tuentur, solantur ac firmant velut anchorâ nauem, quemadmodum docet Apostolus *ad Hebr. 6.* dum ait : *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Vt enim anchora nauim inter fluctus firmat & conseruat illæsam : ita spes firmat animam inter sæculi huius agitationes. Solum istud interest, quòd anchora in imo pelago, spes in summo cœlo figatur. Ostendit etiam Deus electis suis multoties signa aliqua prædestinationis suæ, quibus recreentur & ad progressum virtutum stimulentur. Quandoque illis præbet gustum æternæ fælicitatis. Denique hanc spem non darent iusti, pro totius mundi opibus. Vnde Iob de eâ exultans ait : *reposita est spes mea in sinu meo. c. p. 19.*

Non repetitur in malis.

Non habent hanc anchoram reprobi, sed naues sunt absque anchoris, quæ ad palum se alligant fragilem bonorum terrenorum : *spes impij,* inquit Sapiens cap. 5. Sap. *tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procellâ dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est.*

I. VIII. Lætus ex hac vitâ transitus.

OCTAVÒ, Impertiuit eis ingressum in Palæstinam fælicissimum & lætissimum, dum per medium Iordanis alueum sicco vestigio eos traduxit, tam læto spectaculo, vt Dauid canat *Psal. 113.* Montes tunc exultasse *sicut arietes*

arietes & colles sicut agni ouium. Vnde quasi irridebant mare & Iordanem, montes, & colles. Subdit enim: *Quid est tibi mare quòd fugisti & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? montes exultastis sicut arietes & colles sicut agni ouium?* Ita prorsus iusti lætissimum ex hac vitâ sortiuntur transitum; iuxta id *Ecclesiast. 15. Timenti Dominum bene erit in extremum & in die defunctionis benedicetur*; securi enim intrant Iordanis illius vadum, qui fluuius Iudicij exponitur: nihil eos moratur in hac vitâ, nihil terret in alterâ: imò irrident mortē eiusque morsum cum Apostolo 1. *Cor. 15. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Ita scribit de fratre suo Gerardo S. Bernardus *ser. 26. in Cant.* qui animam agens in illam psaltis eruperat vocem: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.* *Accitus sum ego*, inquit, *ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, insultantem morti: Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo & moriendo cantat.* Ita S. Franciscus, cùm in summis doloribus diuinas laudes caneret & propterea obiurgaretur ab Helia dicente, tempus illud extremū dandum pœnitentiæ, non gaudio: respondit, non licere sibi aliud facere, cùm sciret se breui cum Deo fore. Qui etiam in illis psalmi verbis: *me expectant iusti, donec retribuas mihi*, spiritum in Deo reddidit. S. Hilarion animam suam, à morte nonnihil abhorrentem obiurgabat dicens: *Egredere anima mea, quid times?* B. Reginaldus è primis S. Dominici socijs moriens dicebat: *Ego hanc luctam minimè reformido, quin potiùs latus expecto.* Sic S. Martinus cacodæmoni illusit: *Quid hic adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies: sinus Abraha me recipiet.* Sed quid multis? Audiamus illorum voces. Alij dicebant: *Mors Christianis ludus est.* Alij: *vita mihi in tadio, mors in desiderio.* Alij: *nunc mori desino, & viuere incipio.* Alij: *vita mihi non eripitur, sed in melius commutatur.* Alius; *Latrones non timeo, quia mori paratus sum.*

Non reperitur in impijs. Sed quis explicare queat, quàm luctentur reprobi in hoc Iordanis transitu? Audi Antiochum illum impium: *Recessit somnus ab oculis meis, concidi & corrui corde pra solicitudine, & dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni & in quos fluctus tristitia, in quâ nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate meâ? nunc reminiscor malorum qua feci,* &c. *Et ecce pereo tristitiâ magnâ in terrâ alienâ* 1. *Mach. 6.* Ergò Auditores *conuertimini & videbitis* (ait Malachias *cap. 3.* respondens impiorum obiectioni supra allatæ) *& videbitis quid sit inter impium & iustum: & inter seruientem Deo & non seruientem ei.* Ingredimini virtutis iter & sentietis, quæ dixi, bona: gustate & videte. Certè hodierni Christi sectatores vbi gustârunt eius panem, voluerunt eum rapere & Regem suum facere. Ergò fidamus Christo & sequamur eum, nec alium nobis Regem constituamus nisi Christum, qui non solùm in futuro promittit nobis bona incomparabilia, sed & præsenti exhibet nobis talia, quæ superent mundi regna. Eamus ergò & rapiamus eum vt sit noster Rex.

CONCIO III.

Fructus confessionis.

Comparatur Confessio naui per quā pro primo Fructus adfertur nobis	3. *Dentes Elephantorum; arma scilicet spiritualia contra dæmonum tentationes.*
1. *Aurum, id est gratia sanctificans.*	4. *Afferuntur simia, quibus designatur tranquillitas conscientia.*
2. *Argentum, id est scientia & cognitio rerum diuinarum.*	5. *Pauones, id est virtutes varia.*

THEMA.

Abiit IESVS trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis: & sequebatur eum multitudo magna. Luc. 6.

A. QVemadmodum nihil in mundo est frustraneum aut casu à Deo factum: sic nulla etiam Christi actio, quæ non sit nostra instructio. Nequaquam ergò casu factum est, vt in hodiernâ refectione potus deesset: quia per hoc monita esse videtur Ecclesia, vt si sacram communionem simili modo administraret, nimirum in specie panis tantùm, non item calicis, minimè erraret. Neque etiam casu factum, vt tempore Paschali iamiam aduentante celebraretur hoc conuiuium: quia monita est Ecclesia, vt eodem tempore solennem toti orbi præciperet communionem. Neque Christus gratis fecit, quòd populum refecturus, duxerit in montem; quia monuit fideles, vt si participes velint esse cœnæ Dominicæ, cor ad Deum eleuent, cibi huius præstantiam considerent, à mundo nonnihil se subtrahant. Non item casu fecit, quòd priùs vnà cùm turbâ per mare transfretauit: quia nobis insinuauit, vt priùs nauigaremus per mare pœnitentiæ. Conscendimus autem nauem, quando ad tribunal Confessarij flectimus genua & ipsi tanquam remigi nos committimus. Nisi hæc nauis esset secunda post naufragium tabula, non dubiè periremus. Sed fortè horrebit aliquis, nauem hanc intrare. Depone metum fili; ad magna tibi commoda parata est hæc nauis. Audi

Legimus 3. *Reg. cap.* 10. Salomonem Regem singulis tribus annis misisse classem in Tharsis ad deferendum inde aurum & argentum, dentes Elephantum, simias & pauos. Quoniam ergò confessionem naui comparauimus, possumus hæc eadem quæ Salomon aduexit, nos quoque spiritualiter a[d]uehere è Tharsis, id est, è cœlo (Tharsis enim contemplationem gaudij interpretantur) naue confessionis.

B. I. PRIMÒ, Itaque per Confessionem adfertur nobis aurum, id est, gratia iustificans, quæ omnia peccata delet, hominem è seruitute diaboli vindicat & Dei filium constituit, simulque bona opera præteritis peccatis mortificata, reuiuiscere facit. Quemadmodum oraculum *Gratia iustificans.*

culum in templo Salomonis, & domus ante oraculum vestiebantur auro purissimo, affixis nimirum ad parietes laminis aureis, ita vt nullus omninò lapis appareret. 3. *Reg.* 6. ita & anima ritè confessa vestitur & ornatur gratiâ iustificante, ita vt nihil omninò supersit, quod oculos Dei offendat, sed omnia sint aurea. Idipsum S. Chrysostomus hom. 45. in Ioan. pulchrá ostendit similitudine: *Quemadmodum*, inquit, *si quis liquefacto auro manum vel linguam iniciat, quamprimùm deauratur: ita anima immersa sanguine Christi aurea redditur.* Certum autem est, quòd in confessione immergamur manu confessarij, in balneum sanguinis Christi, & *in saugine uva*, vti prædixit *Gen.* 49. lauemus *pallium nostrum.*

Reditus operum extinctorum.

Adhæc opera bona in gratiâ patrata & per peccatum sequens extincta resuscitantur. Peccatum vermis quidam noxius est, radicem arboris exedens, vnde rami & fructus eius mox arescunt & dispereunt; cuiusmodi vermis fuit, qui hederam illam Ionæ rodens statim arefecit. *Iona* 4. At confessio damnum istud reparat, & verme enecto, vitam arbori restituit simulque etiam ramis eius & fructibus. Ita Ioël, *cap.* 2. postquam dixisset Dominus per Prophetam: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra & non vestimenta vestra, &c.* Subiungit demum: *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus & rubigo & eruca.* Vbi ad literam promittit pœnitentibus annum fertilem in compensationem prioris sterilitatis: sed spirituali sensu, suscitationem bonorum operum peccato extinctorum. Possumus hoc idem declarare exemplo Pelicani. Ait enim S. Augustinus super id Psalmi 101. *Similis factus sum Pelicano solitudinis. Dicuntur*, inquit, *hæ aues tanquam colaphis rostrorum occidere paruulos filios suos, eosdémque inde occisos à se lugere per triduum; postremò dicunt matrem seipsam grauiter vulnerare & sanguinem super filios fundere, quo illi superfusi reuiuiscunt.* Sic ille. Idem habet S. Gregorius M. *super Psalm.* 7. Vinc. *hist. nat. lib.* 16. *cap.* 126. Alb. M. *lib.* 23. *de anim. lit.* P. Pelicanus ergo homo est, qui bona sua opera colapho peccati occidit. Quòd si ergò super hoc pœniteat, & sanguinem peccatorum suorum (ita enim ea Dauid vocat *Psalm.* 50. *Libera me de sanguinibus*) è pectore conscientiæ suæ eliciat rostro confessionis: inde emanans sanguis ea viuificabit. Hem quanta vis confessionis!

C. II. *Scientia & cognitio rerum diuinarũ.*

SECVNDÒ, Affertur argentum, id est, scientia & cognitio rerum diuinarum & pertinentium ad salutem: quæ scientia secundas habet post gratiam & charitatem, sicut argentum post aurum. Vnde post Seraphim, primum Angelorum chorum, ab amore dictum, secundus est Cherubim à scientiâ nomen habens. S. Ioannes *Apocal.* 3. exprobrat Episcopo Laodiceæ cæcitatem in rebus spiritualibus, adijcitque medicinam: *Collyrio*, inquit, *inunge oculos tuos, vt videas.* Sed quod istud collyrium? Explicare id videtur cùm subdit: *Æmulare ergò & pœnitentiam age.* Vt enim collyrium per effusionem lachrymarum oculos clarificat; sic pœnitentia intellectum. Collyrium quoddam fecit Christus, quando expuens in terram fecit lutum eoque liniuit atque illuminauit oculos cæci nati, quod scripsit Ioannes *cap.* 9. Euangelij sui, idque non obscurè confessionem peccatorum indicat; per eam siquidem expuimus fætida peccatorum phlegmata & quæ priùs absque horrore gestauimus in pectore, tunc incipimus horrere velut sordes & lutum; (quis enim persuaderi posset, vt sputum id resorberet, quod paulò ante in ore habuit?) maximè cùm ponitur nobis hoc lutum super oculos à confessario vel à nobis ipsis: cùm nimirum expenditur à nobis fæditas & grauitas peccatorum nostrorũ; sicque illuminamur, quia quæ priùs pro exiguis aut nullis habuimus peccatis, ea posteà grauia esse cognoscimus & horrere incipimus. Audimus enim à confessario multos ardere in inferno, qui tam grauiter non peccárunt, &c. Docetur item pœnitens vt grauiora peccata horreat, leuiora non spernat: ob leuissima se non cruciet; ac propterea in dubijs casibus confessarium consulere debemus. Deinde proponuntur ibi remedia ad vitanda deinceps peccata, monstrantur nobis laquei & astus dæmonis: docetur ratio illos euadendi & datur quodammodo filum pœnitenti, sicut ab Ariadne Theseo, seu ratio explicandi se è mundi huius Labyrintho. Hinc qui crebrò confitentur, illuminatos habent oculos ad cernendum ea; quæ ad salutem pertinent: contrà verò stupidissimi sunt, qui raro. Multi à natiuitate cæci sunt, velut diuites & nobiles qui à cunabulis sibi persuadent, omnia sibi licere: at verò in confessione aliter docentur. Multi etiam adeò rudes sunt & stupidi, vt, nisi in confessione, toto anno non aperiant oculos ad considerandũ hominem suum interiorem: velut asinus, cui à palmis nomen damus, qui die tantùm palmarum in lucem producitur, toto reliquo tempore in tenebras recluditur & negligitur.

Hoc ipsum indicauit, ni fallor, Dominus, cùm cæcum prædictum misit ad natatoriam Siloë, vt, se ibi lauans, visum reciperet. Siloë, *missum* significat, vt testatur ibi Ioannes, & Christum repræsentat. Huius verò aquæ fluunt *in silentio*, teste Isaiâ. *cap.* 8. Vnde non immeritò per natatoriam illam, confessionem intelligimus, quæ peragitur secretò & manet in silentio, hoc est, sub sigillo secreti. Quòd si has silentes aquas fugimus, incurremus aliquando strepentes, quando toti orbi patebunt nostra scelera. Vt minatur apud Isaiam dicto loco Dominus: *Pro eo*, inquit, *quòd abiecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio. & assumpsit magis Rasin & filium Romeliæ: propter hoc ecce dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, Regem Assyriorum.* Ad literam minatur populo Hebræo Regem Assyriorum, quòd abiecerit Regem suum legitimum. Spiritualiter verò minatur peccatoribus confusionem coram toto mundo, qui cõfundi nolunt coram vno confessario, & horribilem Iudicis increpationem

pationem (quam Ioannes Apoc. 1. ait fore *vocem aquarum multarum*) ijs qui suauem increpationem Confessarij contempserunt.

D. III. Tentationum debellatio.

TERTIÒ, Afferuntur dentes Elephantorum, id est, arma spiritualia contra dæmonem. Etenim Elephanti dentibus suis eburneis (quæ cornua vocat Herodotus) vtuntur ad præliandum, ideoque ad arborem ea exacuunt, & alteri semper parcunt. Plin. *l. 8. cap. 3. & l. 18. cap. 1.* Quando ergò peccata nostra syncerè confitemur, dentes quodammodò acuimus & exerimus contra dæmonem: nec non sæpenumero à tentationibus liberamur. Astion martyr per confessionem liberatus fuit à turpi cogitatione, & diabolus ab eo in specie nigri pueri cum ignea faculâ recessit, dicens: *Confessio tua, ô Astion, magnas meas vires contriuit & inermem me reddidit.* S. Abbas Serapion cùm adhuc puer esset apud Theonam Abbatem manens, asserit apud Cassian. *collat. 2. cap. 11.* quotidie se paximatium clanculum de mensa furari & vesperi comedere solitum fuisse; cumque propterea conscientiæ stimulis vehementer angeretur, nec tamen auderet seni confiteri peccatum suum: tandem eius dissertatione de gulæ vitio habitâ, quasi in se dicta esset, compunctus protulit è sinu panem, & seni cum lachrymis confessus est. Tunc Senex: *Confide ô puer,* inquit, *absoluet te à captiuitate, etiam me tacente, confessio tua. Victorem namque aduersarium tuum hodie triumphasti, validiùs eum tuâ confessione elidens, quàm ipse fueras ab eo tua taciturnitate deiectus.* Et idcircò addit: *iam te post hanc publicationem tuam nequissimus spiritus iste nullatenùs inquietabit vlteriùs. Necdum senex hac verba compleuerat,* ait Serapion, *& ecce lampas accensa de meo sinu procedens, tanto cellam repleuit odore sulphureo, vt vehementiâ fœtoris ipsius vix in ea residere possemus.* Subijcit deinde se impòsterum, tali tentatione numquam ampliùs infestatum. Nihil enim minùs fert malignus & superbissimus dæmon quàm si prodatur, & technæ atque insidiæ eius detegantur. Vnde Ven. Beda *in cap. 8. Lucæ,* asserit experientiâ sui temporis constare, quòd energumeni aliter non curentur, *nisi in quantum sapere possunt, omne, quod ab immundis spiritibus visu, auditu, gustu, & tactu & alio quolibet corporis vel animi sensu vigilantes dormientésque pertulerint, confitendo patenter exponant.* Quòd verò non tentationes tantùm, sed infestationes etiam dæmonum corporales confessio repellat, vide exempla in Delr. *l. 6 disquisit. cap. 2. sect. 3. q. 3.* & *Catech. hist.* Dauroltij. Ex illo vnum alterumve notabimus. Circa annum 1591. in Austriâ vir nobilis insano amore æstuans, cùm in febrim incidisset & lecto affixus hæreret, visus est sibi cernere ante se rhedam igneam, cum igneo equo & horribili Rhedario monente, vt currum sibi paratum & promeritum ocyùs conscenderet. Horrere igitur supra modum nobilis & gladio arrepto resistere ingentique clamore domesticos adeoque vicinos aliquot è nocturno somno ciere. Accurritur, & cùm nihil ab alijs videretur, nobilis monetur, vt deponat me-

Necnon infestationum.

· *Conc. Fabri Pars Hyemalis.*

tum, impositum sibi tantùm esse. Sed ille, adhuc præsto esse monstrum, clamat: Vocantur interim Patres Societatis, qui tantisper timorem leniunt aqua lustrali, signo crucis, agno Dei, dum affirmaret æger dæmonem abscessisse in præsens minaci tamen vultu. Detectis deinde peccatis vnaque deposito turpi amore, liber deinceps à terrore fuit. Eodem tempore in Bauaria mulier ærumnosa cùm dæmoni se deuouisset, verberibus ab illo tundebatur & terroribus agitabatur, ita vt ab ingressu templi, virgarum quas sola videbat, intentu arceretur. Adducta ergò ad confessarium patrem Societatis, animum expiauit, & omni molestia liberata est.

QVARTÒ, Afferuntur simiæ, id est, gaudium internum, quies & recreatio conscientiæ. Curauit enim Salomon afferri sibi simias, ad recreationem animi & tristitiam pellendam, quòd animal sit facetum & histrionicum. Iam verò certum est, quod ait Sapiens *Ecclesiast. 2. Cor nequam grauabitur doloribus.* Et S. August. cùm ait: *Domine iussisti, & verè ita est, vt omnis inordinatus affectus sibimet sit pœna.* Hinc magni peccatores, teste experientiâ, in tantis anxietatibus degunt, vt alij desperēt, quemadmodum Cain: alij violentas sibi manus inferant, vt Iudas, alij imaginentur sibi stare contra se peccata sua & vindictam postulare, sicuti Dauid, qui sanguinem Vriæ, quem occidi iusserat, velut militem armatum contra se stantem vidēs, clamauit ad Deum: *Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ. Psal. 50.* Ac sicuti nemo potest quietus esse, quamdiu spinam corpori infixam gerit: ita nec peccator. Vnde idem Dauid *Psal. 31. Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina.* Atquì confessio syncera spinam istam extrahit, animoque quietem restituit; liberat enim hominem ab onere grauissimo estque illi nuntius bonus de terrâ longinquâ, asserens pœnam æternam ei condonatam & mutatam esse in temporalem. Hunc nuntium audire desiderabat Dauid, quando dixit: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam & exultabunt ossa humiliata.* Ossa nimirum illa quæ olim iucundè saltabant ante arcam & cytharâ ludebant, nunc autem ob peccatum facta sunt humiliata & conturbata. Et quidem postquam cōfessus est peccatum suum Prophetæ Nathan, tunc audiuit nuntium illum: *Dominus transtulit peccatum tuum. 2. Reg. 12.* Hoc gaudium experiuntur quicumque ritè confessi sunt, vt ipsi testes sunt. Idē testantur SS. Patres: Audi Chrysost. in id Genes. 42. *meritò hæc patimur: Sicut ebrius,* inquit, *quando multum vini ingurgitat, nullum sentit à vino damnū: posteà autem sentit, quantum sit damnum. Ita peccatum donec consummetur, obtenebrat mentem, deinde verò conscientiam exurit, & quouis accusatore grauiùs arrodit monstrans absurditatem facti.* Sic ille. Quid igitur nos liberabit ab hac vstione & arrosione? *Vomitus.* Confessio euomens peccata admissa (ita enim appellatur 2. Petr. 2.) *Vome & refrigerabit te,* ait Ecclesiasticus *cap. 31.* Sed magnæ molestiæ est

E. IV. Tranquilitas conscientiæ.

vomitus? esto: breuis tamen est molestia & breuissimo medicinæ compendio adducens sanitatem. Talis & confessio, quæ etsi molesta, breuis tamen est & mox affert mentis tranquillitatem. Audi Origenem hom. 2. in Psal. 37. *Sicut hi qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis, stomacho grauiter & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur: ita & hi qui peccauerunt, si quid occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul euomit & delictum atque omnem morbi digerit causam.* Sic ille. His accedit S. Laurentius Iustinianus de discipl. & perfect. monast. cap. 19. *Confessionis Sacramentum velut sinus pacatissimus est, in quo hominum conscientia religatur, ne à procellis absorbeantur.* Denique Tertullianus de pœnit. cap. 9. ait: *Tantum releuat confessio delictum, quantum dissimulatio aggrauat.*

F. V. Virtutes variæ. QVINTÒ, Afferuntur & pauones, id est, variæ & pulcherrimæ virtutes, quæ parantur in confessione. Per confessionem enim disponitur homo ad virtutum exercitium. Idcircò filio prodigo reuerso per pœnitentiam, dedit pater non modò stolam primam, gratiam scilicet iustificantem; sed etiam annulum in manibus, & calceamenta in pedibus, hoc est, vires inclinationum & stimulos ad bene operandum. Ibi enim inprimis discitur humilitas, quando etiam superior inferiori sæpe se subiicere, tamquam reus Iudici debet coramque eo se confundere. Vnde Tertull. *lib. de pœnitentiâ*, exomologesin appellat *prosternendi & humilificandi disciplinam*. Deinde ad alias etiam virtutes stimuli adduntur. Cùm enim peccatorum fœditatem cognoscimus, eamque detestamur, & firmiter proponimus emendationem, audimus etiam Confessariorum hortamenta & instructionem, denique adhibemus remedia & peragimus opera satisfactoria, quæ multorum peccatorum optima sunt antidota: quomodo fieri potest, vt non incipiamus fieri meliores? Qui in balneo lauat, sudat, fricatur, tergitur: quomodo non mundior egreditur & deinceps permanet, quàm qui numquam balneat? Hinc certè vbi viget studium frequentis confessionis, ibi virtutes, ibi bona opera, ibi rara vitia. In confessione vrgentur restitutiones, animorum reconciliationes, obedientia Magistratui præstanda, obligationes omnium statuum, executiones bonorum propositorum: extinguuntur praua molimina: iubentur ali pauperes, coli parentes, suum cuique tribui, quieta vita agi, &c.

Contrà verò vbi nullus aut exiguus confessionis vsus: ibi omnis generis immunditiæ & vitia regnare debent: vti apud hæreticos claret. Nec mirum; quomodo enim ager bonas fruges ferat, nisi priùs expurgetur à spinis? Quomodo terra germinet dum niue, glacie aut aquâ tecta est? *Congregentur* (priùs) *aqua, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida*, dixit Deus: & tunc primùm subdidit: *Germinet terra herbam virentem, &c. Genes. 1.* Similiter congregentur priùs sordes cordis nostri in locum vnum, præuio conscientiæ examine, & deinde eiiciantur per confessionem: tunc radius gratiæ Dei affulgebit & proferet terra nostra virtutum flores & fructus bonorum operum.

Quæ cùm ita sint, magno & alacri animo conscendamus in hanc nauim, quæ tanta aduehit bona. Neque ternis annis semel, quemadmodum fecit Salomon, classem hanc emittamus; sed potiùs ter in anno, imò multò crebriùs. Nam solida nobis bona aduehit confessio, non fluxa & transitoria, quemadmodum classis Salomonis: sæpius igitur emittenda. Deinde non est opus vt longinquum iter conficiamus, & nauigemus vsque Tharsis. *Regnum Dei intra nos est*, ait Dominus, omni tempore, omni loco comparare hæc bona possumus. Quid quod tandem cœlum aduehit nobis confessio? Ibi aurum Deus: argentum Christi humanitas: ibi Nazaræi candidiores ebore, deliciæ omnis generis: quas nobis ibi largiri dignetur Deus.

CONCIO IV.

Fructus & vtilitates frequentis Confessionis.

Frequens confessio	*reddit confessionem.*
1. *Diaboli machinationes destruit.*	5. *Sanitatem mentis conseruat.*
2. *Magnam lucē affert.*	6. *Ad beatam mortem disponit.*
3. *Pœnarum reatum delet.*	
4. *Suauem & facilem*	

THEMA.

Fugit iterum in montem ipse solus. Ioan. 6.

VIdetur Christus Dominus delectatus esse montibus, adeò in ijs frequens erat. A Christus delectatur montibus. Etenim in Nazareth, super montem sitâ (vt habetur *Luc.* 4.) conceptus est, in monte transfiguratus, in monte & tentatus, in montibus orare & quandoque docere consueuit, ad montes se recepit quasi ad asylum, vt in hodierno Euangelio, in monte vitam finiit, è monte ad cœlum ascendit. Vnde rectè Salomon de eo dicere potuit: *Ecce iste venit saliens in montibus, Cantic. 2.* At verò cùm omnis Christi actio nostra sit instructio, quomodo nos in hoc imitari eum possumus, vt montes frequentemus? Possumus, Auditores, nec admodum difficulter, si nimirum frequentemus pœnitentiæ Sacramentum, seu Confessionem. Ibi enim asylum reperiemus & securè abscondemur ab insidijs diaboli, vt non immeritò in hunc sensum intelligere possimus, quod Angeli dixerunt Loth de Sodomis erepto: *In monte saluum te fac. Gen. 19.* Et quod *Matth. 24.* Christus de excidio Ierosolymitano dixit: *Tunc qui in Iudeâ sunt, fugiant ad montes.* Quoniam ergò Christus tam frequens fuit in montibus, & in hodierno Euangelio iteratò ad montem fugit, audiamus quæ vtilitates consequantur eos, qui crebræ confessioni student.

PRIMÒ

B. I. Diaboli machinationes destruit.

PRIMÒ, In montibus maior est securitas. Vnde Castella & munitissimas arces ferè in montibus prælaltis cernere est. Quis enim nescit facilius esse ex edito loco pugnare in depressum, quàm ex humili in altum? Hinc aduersæ acies montium culmina aliaque editiora loca præoccupare student. Mons igitur Confessio est, ex quâ, si tamen frequens sit, hostes animæ tuæ non difficile debellabis & quasi tot lapidibus obrues, quot confessiones peregeris. Acerrimus Israëlitarum hostis fuit Rex Syriæ & sæpe eis insidias struxit, sed quamdiu Elisæus detexit Regi Israël occultas Syri machinationes, tamdiu Syriæ Rex nihil contra Israëlem potuit. Cùm enim Syrus certo in loco statuisset insidiari Israëli, statim hoc Elisæus indicauit Regi Israël, qui prior occupauit locum illum. Vnde indignatus Syrus dicebat ad suos: *Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israël?* Cumque vnus responderet Elisæum esse, qui ex occultâ scientiâ omnia narraret Regi: vertit se Rex contra Elisæum, vt caperet eum; tandemque desijt infestus esse Hebræis 4. *Reg.* 6. Quis iste Syriæ Rex, nisi hostis noster Satanas? quot enim ille nobis insidias & cuniculos numquam non machinatur? At si nos Regi Israel, Confessario, inquam, nostro, qui reuerà Rex animarum & actionum nostrarum est & esse debet, clancularias Dæmonis insidias, quas subinde nobis molitur, tentationes, deceptiones, victorias item quas de nobis reportare solet crebrò aperiamus, omnes eius molitiones recident in nihilum. Etenim Confessarius noster præoccupabit loca illa, in quibus dæmon laqueos nobis tendit: monebit quomodo præuenire & contra eum nos armare possimus; sicque efficiet vt victus & pudefactus recedat. Superbus ille veterator non fert arcana sua detegi: ac proinde odit etiã & extinctam cupit crebram Confessionem, quâ produntur eius fraudes. Vnde *Ecclesiast.* 17. dicitur: *Qui denudat arcana, amici fidem perdit.* Non facilè araneus texit sua retia in diuitum cubiculis, quia nouit ea statim scopis deturbari, sibique imminere periculum, ne cum telâ suâ deiectus pedibus proteratur. Pari modo diabolus cùm videt alicuius conscientiam Scopis Confessionis crebrò perpurgari, non facilè ibi nidificat aut laqueos suos tendit, metuens sui internecionem & turpem deiectionem; profectò si Dux militiæ talem habere posset hominem, qui omnia hostium machinamenta, pontes, aggeres, tormenta, valla, castra, vno signo crucis (quo modo olim Archimedes in Syracusanâ obsidione Marcelli, speculo versus solem suspenso radiosque in nauigia dirigens effecit vt ingens flamma rectà in classem hostium illata, totam concremârit, apud Zonoram *to.* 2.) euertere & in nihilum redigere posset: quanti eum æstimaret? quomodo eius operâ non frequenter vteretur? Atquî hoc reuerà potest Confessarius, qui vno crucis signo & duobus verbis: *Absoluo te,* omnes dæmonum insidias in te excogitatas disijcere & subruere potest. Confessio tua speculum est, in quo non solùm te contemplari, sed quo etiam classem tartaream incendere potes, mediante absolutione, quâ velut cœlesti radio in confessionem incidente, exuruntur peccata tua, Dæmonum nauigia, quibus alioquin peccatores ad inferos deducunt pessimi Charontes.

C. II. Magnam lucem affert.

SECVNDÒ, In montibus maior luminis copia: in vallibus vmbræ & obscuritates sunt. Crebra quoque confessio magnam homini lucem affert, ad seipsum & defectus suos probè agnoscendos, vt quæ toties hominem monstrat sibiipsi & vndique rimatur. Solis radij efficiunt, vt in aëre videamus atomos & minimos puluisculos. Huiusmodi verò lumen, sed spirituale, comparatur frequenti Confessione, in quâ partim à Confessario, partim à nobisipsis edocemur nosse etiam minores defectus eosque non contemnere, sed magni æstimare: edocemur varias industrias præseruandi nos à peccatis, præliandi contra dæmonem. In panno mundo & loto facilè conspicimus maculas etiam leues: ita in conscientiâ per confessionem sæpiùs repurgatâ apparent etiam leuissimi defectus, quos alij non æstimant indeque se paulatim fœdissimè commaculant onerantque maximis debitis Deo persoluendis. Pauimentum marmore stratum, raro tersum, nitorem suum haud ostenditita etiam homo, qui rarò expurgat animam scopis confessionis, exiguam sui notitiam habet, indeque fit vt multa etiam grauia in Confessione suâ omittat, siquidem à toto vel medio anno omnia meminisse difficillimum est. Multum verò interest vt agnoscamus defectus nostros, non grauiores tantùm, sed etiam minores & quotidianos, quia nisi eos obseruemus nos, obseruabit certè diabolus, vt suo tempore nobis obtrudat & pœnas à nobis exigat. Scimus enim ex parabolâ seminis iacti diabolicam illam auem colligere & deuorare semina, quæ secus viam ceciderunt; quia scilicet obseruat & diligenter memoriæ commendat quidquid nos neglexerimus vel ex culpâ obliti fuerimus, necessarium saluti nostræ. Neque in eo furti reum agere possumus diabolum, vt aduertit Sanctus Chrysostomus *homil.* 31. *operis imperfecti*, quia non perforat domum, non despoliat quemquam, sed colligit tantùm ea, quæ nos contemnimus & negligimus. Scribit Bartholomæus Faius Consiliarius regius *in lib. de Energum. & Alexio* apud Bredembachium *lib.* 7. *Collat. sac. cap.* 25. Dæmonem è visceribus cuiusdam Matronæ, Nicolæ (quem Episcopus Laudunensis exorcismis perurgebat) adstantium nomina edidisse & consilia publicasse, non sine risu, vitiaque exprobrasse, nominatim alicuius Mangonis, indicato latente sui equi vitio: qui Laudunum à S. Quintini Vrbe aduenerat: qui inito itinere strenuè incederet, sed eo aliquantulùm emenso valdè claudicaret. Interim tamen nemini audebat peccatum aliquod obijcere, quod quis per sacramentalem

talem confessionem eluisset. Turbæ tamen cōfluentis quam plurima nomina & prænomina edixit, addens cuius sectæ & sortis essent. Quemdam astantium dicebat, magnâ exclamans voce, trigesimum interfuisse Concioni (Caluinisticæ) quæ paulò antè Crespij Laudunensium fuerat habita. Ita ferè Faius; ex quo colligimus quanti intersit nosse peccata sua & crebrò expiare, quando ea dæmon tam solerter adnotat. Verùm dicet aliquis, se non habere vel saltem non inuenire, quot toties confiteatur. Respondeo, lignum id esse, eum in suam conscientiam non satis introspicere nec nisi grandia peccata agnoscere; nam leuiora numquam desunt; quæ etsi confiteri necessarium non est, vtile tamen valde est & præter eorum remissionem nouam parit gratiam. Quis autem non libenter eò vadat, vbi scit non solùm remittenda sibi debita, sed insuper munus aliquod in sinum adijciendum? Rursum dicet quis, se ferè cum ijsdem semper peccatis ad cōfessionem recursurum, nec sine pudore idem toties recantare posse, seque in eadem mox recidere. Respondeo, licet manus sæpe commacules, non ideò tamen cessas in die sæpiùs eas abluere. Et claudus licet eâ parte, quâ claudus est, togam semper cullutulet, non cessat tamen sordes quotidie defricare.

D. III. Pœnarum reatus delet. Tertiò, in montibus aër est purior, crassior in vallibus. Pari modo crebra Confessio purificat & absoluit animam à multis reatibus, vel in hoc vel in altero sæculo luendis. Complectitur enim Confessio actum contritionis vel attritionis saltem, deinde pudorem & erubescentiam in peccatorum manifestatione, denique satisfactionem Sacramentalem, quæ cùm ex vi Sacramenti operetur, plus virium habet ad diluendas pœnas, quàm alia voluntariè assumpta. Vnde S. Ambrosius *libr. de Ioseph. cap. 36.* ait: *Plurimum suffragatur verecunda confessio ad pœnam, quam defensione vitare non possumus, pudore confessionis extinguimus.* Magnum foret beneficium, si caupo aliquis diceret, se mediam debitorum contractorum partem tibi semper remissurum, si mensibus singulis venturus esses ad rationes cum eo ponendas. Nec dubito quin tu hanc gratiam acceptares eumque finito mense sedulò accederes. At hoc tibi dicit Deus. Num ergò mauis expectare donec adeò crescant debita tua, vt væ numdari debeas cum omnibus tuis & luere in purgatorio?

E. IV. Suauem & facilem reddit confessionem. Qvartò, In montibus habitatio iucundior est. Ita etiam frequens confessio longè suauior est quàm rara; quia minoris laboris, minoris erubescentiæ, minorem quoque debet satisfactionem. Rusticus aut bubulcus qui toto anno numquam pectit crines suos, tandem pectere se iussus, non sine dolore & capillorum euulsione id faciet: at verò aulicus quispiam, qui quotidie concinnat comam, nullo id negotio facit. Par ratio in confessione. Scimus Dauidem armis insuetum incedere non potuisse cùm loricâ Saulis indutus esset, quia vsum non habebat, *1. Reg. 17.* ita etiam difficulter aggrediuntur confessionem & cum labore peragunt adeoque vt plurimum parum exactè, qui sibi eam familiarem non faciunt, sed differunt in longum, ad pascha vel lethalem morbum. Similes militi ignauo, qui gladium suum numquam aut rarissimè exserit è vaginâ; vnde fit vt rubigine contractâ vagine adhærescat, & cùm euaginari debet, nequeat; itaque cum vaginâ in sterquilinium eijciendus sit. Ita enim peccator, qui confessionem nimiùm differt, tandem à morte preuentus, confiteri sæpe & animam suam ostendere Sacerdoti nequit; vnde sine Sacramentorum præsidio & solatio hinc discedit & moritur velut brutum atque, vt timendum, eijcitur in infernum. Dictum huic videtur quod *Ezechiel cap. 24.* legitur: *Væ ciuitati sanguinum, cuius rubigo est in ea.* Sedulus & industrius miles crebro exserit gladium suum; & quamprimum videt eum contrahere rubiginem, ilicò expolire satagit; quod est boni Christiani, qui suam conscientiam crebrò expiare solet, præsertim vbi aduertit, rubigine aliqua infici.

F. V. Sanitatem conseruat. Qvintò, In montibus aër est salubrior, indeque sanitas incolarum diuturnior. Eamdem sanitatem præstat frequens confessio; quia statas suas ventilationes & purgationes habent. Scimus scarificationes menstruas vel hebdomadarias plurimum conducere ad conseruandam corporis sanitatem. Mirum non est, nitidum esse hypocaustum, quod vel hebdomadatim vel quotidie euertitur. Stamina quo sæpius tinguntur, eo candidiora fiunt: semel tantùm aut iterum tincta, parum candoris induunt. Naaman ille Syrus adeò detersit lepram vt carnem infantili teneritudini & puritati similem acquisierit, quia scilicet non semel sed septies in Iordane lotus est. *4. Reg. 5.* Propterea sanctus Antonius dicebat magnam esse ad virtutem viam, si quis vniuersas mentis cogitationes fratribus referret, apud Athã. in vita. Quod si patri spirituali fiat, maiori adhuc fructu fiet, quod experta est S. Birgitta, quæ hebdomadariæ confessionis adiumento magnam obtinuit sanctitatem teste Lud. Blosio *in Monil. Spir. cap. 5.* Eiusdem fructum eximium obseruarunt Birgerus S. Birgittæ pater, eiusdemque frater, apud Sur. *to. 4. 23. Iul. cap. 13.*

G. VI. Ad beatam mortem disponit. Econtrà vbi rara est confessio, ibi multas esse sordes oportet. Coma, quæ rarò aut numquam pectitur, vermes gignit & nutrit: Lintea & indusia, quæ diu non lauantur, fætorem contrahunt & sua vetustate dissoluuntur.

Sextò, In montibus longè maior & patentior quàm in vallibus est prospectus. Et qui crebræ confessioni addictus est, mortem à longè prospicit, nec improuisam sentiet, quia per vsum exomologesis semper ad eam se componit. Lupus prior hominem videns fertur ei loquelam adimere: non item prior ab homine visus, vt refert Plinius *lib. 8. cap. 22.* Quis hic lupus, nisi mors? quæ si hominem imparatum & peccatorum sordibus oppletum ex improuiso adoriatur, adimit ei vires ad rectè confi-

confitendum; quod indicat parabola *Matth. 22.* vbi quidam deprehensus sine veste nuptiali & interrogatus: *Amice, quomodo huc intrasti? obmutuit.* Vnde de his intelligi potest quod *Ierem. 15.* dicitur: *Lupus ad vesperam* (mors sub finem vitæ) *vastabit eos, quia*, vt subditur, *multiplicatæ sunt prævaricationes eorum.* Fur qui lictorem post se currentem videt, quamprimum abijcit furtum: qui verò lictorem non videt, furtum retinet in malum & suspendium suum. Qui post peccatum mox ad Confessarium currunt & expediunt se ab iniquitate sua, mortem sibi insidiantem conspicere & fugere dignoscuntur; non item qui peccatis suis indormiunt. Ad illos referendus Dauid, qui postquàm à Nathan reprehensus est de peccato suo, statim confessus est: *Peccaui Domino, 2. Reg. 12* Ad hos verò eius filius Salomon, qui ab ipso Deo irato redargutus, non tamen est confessus nec indoluit. Nimirùm Dauid in peccati statu semper inquietus fuit: *non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum*, *Psalm. 37.* Ideò eius peccatum bene à Nathan Propheta comparatur peregrino, qui ad virum diuitem diuertit, in parabola illa inuectiua, vt expendit S. Augustinus *l. 2. de doctr. Christ. cap. 21.* dicens: *In Dauide immoderata libidinis non permansio sed transitus fuit: propterea et iam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est. At in Salomone non quasi hospes transitum habuit, sed regnum libidinis possedit.* Sic ille. Proptereà Deus Salomonem redarguens dixit: *Quia habuisti hoc apud te & non custodisti pactum meum & præcepta me, quæ mandaui tibi disrumpens scindam regnum tuum. 3. Reg. 11.* Vbi Abulensis *q. 17.* verbis illis: *Quia habuisti hoc apud te.* vult indicari Salomonem tunc peccatis suis iam diu inhæsisse factumque fuisse obstinatum. Qua ex re discere possumus, quàm periculosum sit diu differre pœnitentiam: quando sapientissimus Salomon vbi assueuit suis sceleribus, nec ipsa Dei increpatione emolliri ad pœnitentiam & confessionem potuit. idcircò Dauid confitens absolutionem mox obtinuit à Nathan dicente: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; Sed non item Salomon, quia necdum confiteri voluit. Quare Auditores, si forsitan, quod absit tamen, ad vos diuerterit labes aliqua grauior, curate saltem, vt eam non nisi velut hospitem mox eijciendum, domi toleretis; nolite illi dare ius municipatus aut hospitij diuturni; imò cum tali hospite nolite cubitum ire; quis enim cum serpente vel vna nocte dormire possit? Currite quàm primùm ad vestros Confessarios, vt qui potestatem habent expellendi tales hospites: fugite iterum iterumque admontem & asylum Confessionis, vt ibi salui sitis & nos vobiscum, Amen.

CONCIO V.

Panes hodierni Euangelij quomodo typus Eucharistiæ sint.

1. 2. *Quoad ritum & modum conficiendi.*	*vnius speciei.*
3. *Quoad integritatem Christi in Sacramento.*	5. *Quoad dispositionem.*
4. *Quoad sufficientiam*	6. *Quoad effectum.*
	7. *Quoad vniuersitatem sumentium.*

THEMA.

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioannis 6.

CVR hodierna die Ecclesia legat hoc Euangelium de quinque panibus, ratio est præcipua, quòd per huius Euangelij documenta instruere nos cupiat & disponere ad sacrum pascha seu Eucharistiæ susceptionem; siquidem typum continet S. Communionis, & ad eam ritè peragendam vberem præbet instructionem. Didicit hoc Ecclesia ab ipso Christo, qui de Eucharistiæ institutione facienda populum docturus, in capite *Ioan. 6.* per hoc miraculum viam sibi parauit, vt facilius illis persuaderet tam miram institutionem, quid circa illam credere, & quomodo ad eam se quisque disponere deberet. Nimirum ad mysterium fidei difficile faciliùs capiendum & credendum voluit Dominus pro more suo populum manuducere, præmittendo specimen aliquod futuri mysterij. Sic etiam vt faciliùs persuaderet hominibus Deum in carne venturum, passurum, moriturum, resurrecturum, in cœlos ascensurum, in Eucharistia remansurum, in terris & ab hominibus sumendum esse: ideò in veteri lege hæc mysteria multis figuris adumbrauit & rudi quadam Minerua instar pictoris delineauit. A

Vt igitur Christi & Ecclesiæ consilium sequamur, videbimus & nos quâ ratione hodierna historia typus fuerit Eucharistiæ.

PRIMÒ, quoad ritum conficiendi: nam acceptis quinque panibus *aspiciens in cœlum, gratias egit, benedixit & fregit, & dedit discipulis, discipuli autem turbis*, vt ait partim Ioannes, partim Matthæus in hodierna historia *cap. 14.* In vltima verò Cœna *accepit Iesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis*: ait idem *cap. 26.* Idem ergò ritus conficiendi, tametsi non eadem efficacia sed diuersa. Et hoc eodem ritu vtuntur Sacerdotes in confectione Eucharistiæ. B. I. Quoad ritum conficiendi.

Primò itaque accepit panes in manus suas, vt se authorem miraculi ostenderet per suam virtutem: non vt impetraret precibus à Deo, vt Elisæus & alij sancti. Ita & Sacerdos accipit panem in manus consecraturus in persona Christi; non impetraturus precibus, sed potestate sibi à Christo suo Vicario eius collata. 1.

Secundò, aspexit in cœlum Christus in panum multiplicatione, propter circumstantes: (quod etiam fecisse in institutione Eucharistiæ sentit Ecclesia in Canone:) vt ostenderet à Deo bonorum omnium fonte cibum homi- 2.

hominum emanare, iuxta id *Psal.* 144. *Oculi omnium te sperant Domine & tu das escam illorum.* Secundò quòd è cœlo hanc habeat potestatem seu à Patre. Sacerdos consecraturus elevat similiter oculos in cælum, vt ostendat, non esse hunc, quem consecrat panem, terrenum, sed cœlestem seu panem de cœlo descendentem, vti dixit Christus. Quando manna deciderat primò, dicebant Hebræi: *Man hu*, quid est hoc? Quibus respondit Moyses: *hic est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* Sed nos respondemus de Eucharistiâ *Hic est panis de cœlo descendens, qui dat vitam mundo.*

3. Tertiò, gratias egit, videlicet pro hominibus manducaturis, quorum bonum reputabat suum. Iisdem verbis vtitur Sacerdos consecrans, quibus in personâ tutius populi (nam & huius personam sustinet, velut Legatus eius) gratias agit Deo pro institutione Eucharistiæ, quæ gratiarum actionum sonat.

4. Quartò, benedixit panes, multiplicationem videlicet eis imprecando. Benedicit etiam Sacerdos panem mox consecrandum signo crucis, non quòd eâ benedictione panis consecretur, sed quòd hæc potestas consecrandi à crucifixo proueniat eiusque principali operatione. Vnde Chrysost. *hom.* 60. *ad pop.* ait: *Cùm Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.*

5. Quintò, fregit & in eâ fractione panes in manibus suis multiplicauit. Sic in institutione Eucharistiæ fregit panem ante consecrationem. Ad consecrationem sumitur panis iam fractus, hoc est, diuisus in particulas seu hostias minutas: propter periculum. Potest tamen hostia etiam consecrata frangi, & nihil inde minuetur Sacramentum.

6. Sextò, Dedit discipulis, vt ipsi distribuerent turbæ. Non dedit vlli ex populo, nec vlli mulieri: sed discipulis suis, vt ostenderet, se potestatem consecrandi non omnibus, sed Sacerdotibus tantùm collaturum esse in cœnâ: contra Lutherum, qui non laicis tantùm, sed & fœminis, imò diabolo ac matri eius concedit potestatem conficiendi hoc Sacramentum. Adfuissent sanè multi alij fortiores Apostolis, qui plures gestare potuissent panes, vel citiùs currere ad singulas mensas. Sed noluit eorum operâ vti Dominus, quia noluit eis potestatem hanc concedere.

C. II. Quoad modum conficiendi. SECVNDÒ, Quoad modum conficiendi, Nam vnde in hodierno Euangelio ex paucis panibus & pisciculis, tanta vtrorumque abundantia? Alterutrum dicendum, vel per creationem ex nihilo fuisse multiplicatos, vel per conuersionem aliorum corporum, vt aëris, vaporum vel terræ in panes & pisces. Si secundum dicatur, habemus contra hæreticos nostros possibilem esse conuersionem panis in corpus Christi, & ita confecit in cœnâ Christus ex pane carnem suam, conficitque per manus Sacerdotum semper. Si primum, tunc si potuit facere Christus quod difficilius est, creationem scilicet noui panis de nihilo; cur non possit id quod facilius est, conuersionem vnius corporis in aliud? Nam, vt ait Ambros. *lib.* 4. *de Sacrament. cap.* 4. *Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non sunt? non enim minus est, nouas rebus dare, quàm mutare naturas.* Sic ille.

D. III. Quoad integritatem Christi in Sacramento. TERTIÒ, Quoad integritatem quâ Christus in Eucharistiâ semper integer perseuerat & *sumptus non consumitur.* Hæc enim indicatur in quinque istis panibus dum reuerâ multitudinem incredibilem satiârunt, interim verò nihil ex eis deperditum videbatur; siquidem plures superfuerunt, quàm aderant initio. Ita ergò Christum in Eucharistiâ *Sumit vnus, sumunt mille: quantum isti, tantum ille; nec sumptus consumitur.* S. Andræas dicebat Ægeæ Proconsuli: *Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari: cuius carnem postea quam omnis populus credentium manducauerit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus.* Vt habetur in eius vitâ.

E. IV. Quoad sufficientiam vnius speciei. QVARTÒ, Quoad sufficientiam vnius speciei. Vt enim hodie Christus turbis potum dedisse non legitur, quòd videlicet cibus ille virtute Christi confectus vim etiam extinguendi sitim habuerit, vt sentit Chartus. *Ioan.* 6. ita per hoc indicare voluit, sufficere, imò consultius esse, vnam tantùm panis adhibere speciem in Eucharistiæ sumptione. Habet enim Eucharistiæ sub vnâ specie eamdem virtutem & efficaciam, quam habet sub vtraque; & Christus neutrum præcepit, sed modò de vnâ tantùm specie loquitur in hoc ipso capite. *Ioan.* 6. vbi inter alia etiam dicitur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* modò de vtraque olim propter Manichæorum hæresin, qui verum corpus Christum habuisse negabant & ideò non sumebant Eucharistiam sub specie vini, ne viderentur verum sanguinem fateri; præceptum fuit vt Catholici communicarent sub vtraque specie, vt patet ex D. Leone *serm.* 4. *in Quadrag.* quod confirmauit Gelasius Papa in *ep. ad Maioricum & Ioan.* quæ clarè indicat fuisse priùs in Ecclesia morem communicandi sub vnâ specie. Potuisset Dominus æque facilè vinum ex aquâ vel è petra educere, vt refectio hæc perfecta esset; id tamen minimè fecit, quia necesse non erat.

F. V. Quoad dispositionem. 1. QVINTÒ, Quoad dispositionem suscipienti necessariam. Nam primo antequam his panibus populum cibaret, priùs languidos curauit, qui erant in turbâ, vt habet Matthæus *cap.* 14. Vt ostenderet priùs sanandos esse peccatores per pœnitentiam, antequam adeant mensam Domini; siquidem Sacramentum hoc viuorum & sanorum est, non mortuorum aut languentium. Et sicut languido non sapit cibus, ac si fortior sit, ei nocet: Sic Eucharistia gustum aut fructum non affert frigidis & peccatoribus, imò quia est cibus fortis, plurimum damni affert. *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres,* ait Dominus: *alioquin rumpet vinum nouum vtres & ipsum effundetur*

tur, & vtres peribunt. Luc. 5. Eucharistia vinum nouum est & *sanguis noui testamenti*, vt ait Dominus; non est ergò mittendū in vtres veteres, id est, in corpora subdita peccatis, ne disrumpat illa, quemadmodum Iudæ fecit, qui post dignam communionem *suspensus crepuit medius & effusa sunt omnia viscera eius, Act. 1.* De talibus etiam Apostolus 1. *Cor. 11.* ait: *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi*; (qui videlicet iudicium sibi manducant & bibunt.) Et vnde spiritualiter multi, adhuc tam infirmi & imbecilles post communionem, nisi quia languidi accedunt; vel etiam sine dolore peccatorum & proposito emendationis?

2. Secundò montem subijt Dominus: sic ante Eucharistiæ sumptionem ascendendum ad montem contemplationis, vt priùs meditemur quid facturi & quò ituri simus, & cum S. Francisco cogitemus: *Deus meus & omnia: quis es tu & quis sum ego?* Item vt mentem sursum erigamus & in cœlo defixam geramus. Ideircò ante consecrationem canit Sacerdos: *Sursum corda.* Cùm ad principem virum ituri sumus, priùs sedulò cogitamus, quomodo coram eo apparituri, quid locuturi vel petituri simus, &c. Cur non idem faciendum & multò diligentius, cùm accedimus ad mensam Dei? Vnde Sapiens *Prouerb. 23.* ait: *Cùm sederis ad mensam principis, statue cultrum in gutture tuo*; id est sedulò perpende cum quo cibum sumas, quid loquaris, quomodo comedas, &c.

3. Tertiò in locum desertum iuit. Sic ante communionem vitandi tumultus & distractiones, colloquia & commercia sæcularia. Certè manna olim Israëlitis in deserto tantùm pluit: nec priùs quàm farina Ægyptiaca defecerat. *Exod. 16.* Sic quia desertus fuit locus; vbi populus hodiernus non potuit cibos emere, ideò Dominus illi prouidit. Itaque sensus & cogitationes abstrahendæ à regionibus mundi, id est, rebus sæculi priùs desideratis, si cum gustu velis communicare & fructu.

4. Quartò populus discubuit super fœnum. Ita sedendum Primò super sensum & sensualem intelligentiam, nec inquirendum curiosè, vnde & quomodo pascendi simus. Nec disputandum cum Andreâ & Philippo, id est, sensu & ratione de sufficientia: quia & *si sensus deficit, ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit.*

Secundò super fœnum rerum caducarum, eas contemnendo siquidem tunc ad Deum imus, solum verum bonum. Fœnum pabulum est iumentorum: sic voluptates, opes, honores, & negotia sæcularia pabula sunt mundanorum, quæ S. Eucharistiæ & negotio communionis postponenda.

5. Quintò post perfectam refectionem, voluerunt rapere Christum vt facerent eum Regem suum. Sic postquam introduximus Christum in cor nostrum, debemus eum constituere Regem nostrum vt *dirigere & sanctificare, regere & gubernare dignetur Rex cœli & terræ, corda & corpora nostra, sensus, sermones & actus nostros in lege sua & in operibus mandatorum suorum*, quemadmodum orat Ecclesia. Vt ita dicere possimus cum Apostolo: *Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Christus* ad Gal. 2.

G. VI. Quoad effectum. 1. SEXTÒ, Quoad effectum. Nam vt illi qui hodiernæ refectioni interfuerunt, posteà cognouerunt Dominum & glorificauerunt eum dicentes: *Hic est verè Propheta*: sic qui dignè frequentant hoc sacramentum, plurimùm in cognitione rerum diuinarum proficiunt. In cognitione, inquam, non Theologicâ aut Philosophicâ, &c. quia hæ non sunt necessariæ, sed eâ quæ ad salutem promouet: quâ ratione nimirum vitijs obuiare, virtutes venari & colere, tribulationes supportare debeamus: quomodo dæmonum insidias eludere & superare, &c. quæ omnium saluberrima est scientia.

2. Secundò, Saturati sunt. Ita Eucharistia sistit appetitum, quantum in terris fieri potest, quia tribuit nobis pignus æternæ fælicitatis. Contentus est operarius diurno, tametsi plumbeo denario, quia si eum in fine hebdomadis exhibeat patrisfamilias, argenteum pro eo recipiet. Non afficit quidem gustum hic Eucharistiæ susceptio, nec confert gaudium illud & satietatem mirificam, quâ perfruuntur in cœlo Beati: quia non est hîc locus istius dulcedinis: sed pignus tamen illius capimus, quod si ad mortem vsque retinemus & Deo exhibemus, ibi demum dulcedinem nobis asseret.

H. VII. Quoad vniuersitatem. SEPTIMÒ, Quoad vniuersitatem sumentium; siquidem *manducauerunt omnes*, inquiunt Euangelistæ. Nemo fuit ex Christi sectatoribus & auditoribus, qui ab hac refectione se excusaret. Ita nemo esse debet, qui paschali saltem tempore à mensâ Domini se subducat. Talis enim meretur à Deo repudiari, ita vt vltrà ad mensam hanc admitti non deberet, quemadmodum Vasthi Regina repudiata est ab Assuero, nec vltrà ad eum intrare permissa, sed de regno deposita; quòd vocata ad splendidissimum conuiuium Regis, quod instituerat Rex cunctis regni sui proceribus, comparere detractâsset. Hac enim suâ peruicaciâ non tantùm offendit Regem, sed etiam subditos, quia malum exemplum dederat alijs mulieribus, vt virorum imperia contemnerent, *Esth. 1.* Similiter qui præceptum communionis in paschate negligunt, & Deum contemnunt, qui tantis impensis conuiuium hoc nobis parauit: & alijs malo sunt exemplo proindeque digni qui postea hac priuentur mensâ in articulo mortis. Non ita nos, Auditores, non ita desipiamus; sed potiùs omnibus alijs neglectis ardente desiderio inhiemus mensæ Domini, quæ æternùm nos saturare potest. Ægyptium illum Putipharem legimus, *Gen. 39.* totius familiæ curam & administrationem Iosepho tradidisse; nec aliud nouisse, nisi panem quo vescebatur; hoc est nullius rei curam gessisse, nisi vt accumberet mensæ, & frueretur ijs, quæ parasset Ioseph. Hunc in modum pro omnibus

alijs curis, hæc nostra sit, si non sola, saltem primaria, vt ad mensam Domini accumbamus fruamurque bonis eius. Cætera omnia postponamus & alijs committamus. Hæc sit cura nostra, hæc vnica notitia: nosse & comedere panem illum, qui dat vitam mundo, &c.

CONCIO VI.

Manna Eucharistiæ typus.

1. *Quantum ad Eucharistiam secundùm se.*	3. *Quantum ad suscipientes.*
2. *Quantum ad eius effectum.*	4. *Quantum ad ministrum.*

THEMA.

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioan. 6.

A PRæludium huius miraculi fuit manna illud Hebræis in deserto datum è cœlo desuper. Vnde illi qui huic refectioni interfuerunt, paulò post mentionem faciunt illius mannæ, hoc eodem sexto Ioannis capite. Vtrumque verò miraculum figura fuit Eucharistiæ, vt hæc, quæ miraculum miraculorum est, stabiliretur his miraculis. Ostendimus hoc de hodierno miraculo; ostendamus idem quoque de manna. Quia enim paulatim appropinquamus ad nostrum pascha & cœnam illam magnam: decet nos in itinere sæpius de eâ loqui, vt maiori fructu & animæ gustu eam degustemus.

B. I. Quantum ad Eucharistiam secundum se. PRIMÒ, Quantum ad ipsam Eucharistiam secundum se. Primò, Manna ab admiratione nomen habuit: dicebant enim eo viso Hebræi: *Manhu*, id est, quid est hoc? Inde Man seu manna vocatum. At multo mirabilior Eucharistia, quæ plurima continet miracula; 1. veluti Christum integrum in exiguâ panis figurâ, eundemque in plurimis locis: accidentia panis absque subiecto persistentia, &c. Hebræi manna videbant, tangebant, gustabant, & tamen nesciebant quidnam propriè esset: similiter nos Eucharistiam videmus, tangimus, gustamus, & tamen non intelligimus mirabilia, quæ in eâ continentur.

2. Secundò, species mannæ erat exigua & albicans. Erat enim minutum & quasi pilo tusum, *Exod.* 16. bdellij colorem habens, *Num.* 11: hoc est colorem gummi seu lachrymæ pellucidæ, vel, vt 70. vertunt, crystalli. Talis autem est & Eucharistiæ species, exiguæ quantitatis & albi coloris. Christus in eâ contentus, pilo crucis contusus & pelle mortalitatis exutus fuit.

3. Tertiò, Manna panis cœli & panis Angelorum, id est, panis præstantissimus dictus est. Eucharistiæ panis verè cœlestis, quia Christum de cœlo ad nos defert: panis nobilissimus & Angelicus, quem solum Angeli desiderarent & comederent, si cibo egerent.

4. Quartò, Dulcedo in Manna fuit abscondita; nemo in tam vilibus granulis tantum & tam varium quæsiuisset saporem ac dulcedinem. Ita Eucharistia manna est absconditum, *Apocal.* 2. iuxta communem expositionem. In eâ enim Christus fidelibus occulto modo per communionem datur, qui posteà victoribus in cœlo clarè communicabitur. Nemo sub tam abiectis speciebus panis & vini tantum & tam suauem Dominum quærere poterat, nisi Dominus ipsemet id affirmasset & effectus demonstraret.

Quintò, Manna fuit panis absque semine, absque aratione, absque sudore & labore præstitus; comedi enim poterat sicut in terram lapsus in eaque inuentus erat. Vnde *Sapient.* 16. dicitur: *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore.* Similiter Christi corpus ex solâ Virgine & spiritûs sancti irroratione prognatum est; ipsaque Eucharistia sine labore, paucis Sacerdotum Verbis conficitur & nobis in Ecclesia exhibetur, nullo pretio, nullo labore requisito, nisi qui ad præparandam animam adhibendus est. 5.

SEXTÒ, Manna referebat eorum ciborum sapores quos vnusquisque appetebat, tametsi in eorum ciborum substantiam non mutaretur adeoque accidentales eorum proprietates continebat absque illorum proprijs substantijs; saporem carnis sine carne, &c. Ita in Eucharistiâ sunt accidentia, color, sapor, odor panis & vini, sine substantia panis & vini. 6.

C. II. Quantum ad effectus eius. SECVNDÒ, Quantum ad effectus eius. Primò Mannæ sapor erat similis cum melle, *Exod.* 16. Hic erat ordinarius & congenitus mannæ sapor, nisi quis alium desiderasset. Suauitatem eius describit sapiens *cap.* 16. cùm ait: *Panem de cœlo præstitisti illis sine labore; omne delectamentum in se habentem & omnis saporis suauitatem.* Mellea item & suauissima dulcedo Eucharistiæ, siue Christum in eâ contentum spectemus, qui est fons omnis dulcedinis; (vnde S. Thomas *opusc.* 57. dixit: *Suauitatem huius sacramenti nullus dignè exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte degustatur*;) siue amorem cum quo exhibetur, qui quantus fuit in passione cùm se pro nobis in cruce & mortem obtulit Christus, tantus est & in hoc sacramento, in quo se manducandum nobis dat, hic enim priorem illum nobis in memoriam reducit siue finem ob quem exhibetur, qui est beatitudo cœlestis, cuius pignus nobis datur in Eucharistiâ.

Secundò, Manna sapiebat id, quod quisque appetebat; de eo enim dicitur *Sap.* 16 *deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Sic Eucharistia omnium saporum suauitatem eminenter continet & pro cuiusque deuotione ac dispositione sapit accipientibus & prodest. Sicut etiam manna Hebræis carnalibus, carnem appetentibus ideò non sapuit, quia ad internam dulcedinis varietatem non attendebant, sed externam tantùm varietatem ciborum in formâ, odore, &c. desiderabant, quam manna non habebat; (vnde aiunt: *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Num. 11. (ita etiam nauseam Eucharistiæ

stiæ capiunt homines mundo & sensibus addicti, qui internam & spiritualem eius dulcedinem non curant, sed sensuales tantùm delectationes quærunt.

3. Tertiò, Post manna datum & gustatum Hebræi cum Amalec pugnârunt, cùm paulò antè solus pro eis pugnasset Deus cōtra Ægyptios, pugnârunt, inquam, & vicerunt. Sic Eucharistia roborat Christi milites vt strenuè pugnare contra hostes suos præsertim inuisibiles, aliaque vitæ cœlestis impedimenta & tentationes superare queant, quæ cùm non nisi adultis obiiciantur, idcircò etiam Eucharistia non datur infantibus, sed adultis tantùm.

4. Quartò, Mediante & sustentante mannâ per 40. annos in deserto, peruenerunt tandem Hebræi in terram promissionis, vbi cùm de optimis terræ illius frugibus edere cœpissent, defecit manna. Ita in hac vitæ nostræ peregrinatione & mundi huius deserto sustentat nos Eucharistia & facit perseuerare in viâ & vitæ huius difficultatibus, donec perueniamus ad patriam cœlestem nobis promissam, vbi cùm cœperimus frui Christo, non iam opus erit cibo Euchatistico, nec iam sub speciebus sacramentalibus, sed facie ad faciem illum intuebimur. Idem in eo expressum est, quòd manna alijs omnibus diebus, præterquam sabbato, plueri.

D. III. Quantum ad suscipientes. 1. TERTIÒ, Quantum ad suscipientes. Primò manna non est datum Hebræis nisi in deserto & post relictas ollas Ægypti consumptamque farinam, quam inde secum tulerant: Ita Eucharistia dignè & cum fructu non percipitur, nisi prius homo deserat voluptates carnales mundique illecebras. Quamdiu enim hæc illi sapiunt, tamdiu desipit & inutilis, si non & noxia, est Eucharistia. Adhæc è suis tabernaculis egredi debuit populus ad colligendum manna; sic enim dicitur *Exod. 16. Egrediatur populus & colligat quæ sufficiunt per singulos dies. Et nobis*, inquit Rupertus in eum locum, *spiritualiter egrediendum est vt colligamus verum manna. Sed vnde egrediemur? De pristinâ conuersatione & de vetustate vitæ. Nondum enim deposito vetere homine, non est nobis hoc manna colligere, non est nobis hunc panem Dominicum manducare.*

2. Secundò, Non est illis datum nisi post transitum maris rubri. Similiter Eucharistia non est accipienda nisi post transitum mare pœnitentiæ & confessionis, quod sanguine Christi rubricatum & sanctificatum est ad peccata abluenda. Cæterùm post admissum peccatum mortale necessariò præcedere S. Communionem debet confessio sacramentalis, vti declarauit Concilium Trident.

3. Tertiò, Vnà cum manna descendebat ros quidam concretus, ita vt ros præcederet & terram veluti mappa candida mensam insterneret, quò nimirum manna puro loco reciperetur & purum atque immune à sordibus colligeretur. Colligitur hoc ex *Num. 11.* vbi dicitur: *Cumq; descendere tros super castra descendebat pariter & Man*; pro quo est in Hebræo *Descendebat super eum manna.* Ita Hebræi, Lyranus & Abulensis, qui rorem illum vocant pruinam. Quòd si igitur manna non nisi purificatâ & intratâ recipi voluit terrâ, quanto magis decet vt Eucharistiam nemo excipiat nisi corde sanctificato & varijs virtutum actibus exornato?

Quartò, Manna de nocte tantùm cecidit inuisibiliter, vt patet *Nu. 11.* nec nisi circa castra Hebræorum, vt habetur *Exod. 16. & Nu. 11.* Ita Sacramentum hoc fide credi, non intellectu comprehendi debet. Proinde etiam non nisi fidelibus datur in Ecclesiâ, in qua etiam solâ veri & legitimi sunt Sacerdotes. Idem in eo significatum, quòd manna ad Solem liquefieret, cùm tamen ab igne nil pateretur, vt habetur ibid. Etenim Eucharistia Solem curiositatis & sapientiæ carnalis ferre non potest. Vnde legimus non semel euanuisse Eucharistiam iis, qui de eius Veritate dubitabant. Cæterùm amoris ignem & rationes ac contemplationes à fide profectas optimè sustinet. 4.

Quintò, Manna vltra mensuram debitam & constitutam collectum postero die putrefiebat & vermibus scatebat (præterquam in Sabbatho) *Exod. 16.* Ita Eucharistia indignè sumentibus vertitur in vermem & iudicium, Apostolo teste. 5.

Sextò, Æqualem Mannæ mensuram, seu vnum Gomor, omnes colligebant, nemo abundauit, nemo defectum habuit, siue plus collegissent, siue minus; omnes enim post collectionem suum reperiebant Gomor, nemo plus, nemo minus, eratque illud Gomor omnibus sufficiens; vt habetur *Exod. 16.* Ita in sumptione Eucharistiæ sumit vnus, sumunt mille: tantum isti; quantum ille; ait S. Thomas in hymno Ecclesiæ. Vnde bene manna semini coriandri simile dicitur ibidem. Nam Philo *lib. 2. Allegor. vet. leg.* docet ex rei rusticæ peritis, coriandri semen etiamsi minutissimè concidatur, singulas tamen particulas & micas germinare, non secus ac coriandrum integrum. Sic in Eucharistiâ tantundem virtutis continent singulæ particulæ diuisæ hostiæ, quantum hostia integra. 6.

Denique manè colligendum erat, quia ad Solis ortum mox liquefiebat, *Sap. 16.* Ita S. Eucharistia manè & à ieiunis sumenda, nisi necessitas aliud postulet.

QVARTÒ, Quantum ad ministrum. Manna enim vocatur esca Angelorum *Sapient. 16. Angelorum escâ nutriuisti populum tuum.* Et panis Angelorum. Psalm. 77. *Pluit illis manna ad manducandum, panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Sic verò appellatur, quia Angelorum ministerio & manibus conficiebatur in superiore aëre indeque populo deiiciebatur. Rectè etiam Eucharistia panis Angelorum dicitur, quia manibus Sacerdotum conficitur, qui Malachiæ 2. *Angeli* vocantur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, quia Angelus Domini exercituum est.* Angeli conficiebant quidem manna, sed non est illis datum conficere Euchari- E IV. Quantum ad Ministrum. 1.

stiam,

ſtiam. Adoratores eius ſunt, non effectores. Vnde quoad hoc maior eſt Sacerdotum dignitas quàm Angelorum. S. Nilus D. Chryſoſtomi diſcipulus ad Anaſtaſium Epiſcopum, ſcribit, vidiſſe ipſum Chryſoſtomum ſæpius ſub miſsâ plurimos de cœlo labi Angelos & vultu demiſſo altare circumſiſtere, & Sacerdotibus aſſiſtere ipſoſque celebrantes adiuuare & roborare. Quod ſi Angeli & Angelis potiores ſunt hac in re Sacerdotes, videndum illis eſt, vt Angelos imitentur moribus, quantum fieri poteſt. Quid verò agit Angelus? diu noctuque ſemper aſſiſtit coram Deo eumque laudibus celebrat. Ergò & Sacerdos aſſiduus ſit in Dei laude & horarijs precibus, ſtatis horis perſoluendis. Miſſaque crebrò peragendâ. Angelus Dei honorem zelat, promouet & tuetur: faciat hoc & Sacerdos, ardeat zelo honoris diuini. Angelus Dei nuncius eſt ad homines, voluntatem ijs diuinam annuncians: idem munus eſt Sacerdotis, è cuius ore legem Dei requirere cæteri homines debent. *Malach.* 2. Angelus totis viribus animarum ſalutem quærit: hoc eſt quod requiritur etiam à Sacerdote. Angelus cuſtodit commiſſam ſibi animam: cuſtodiat & Sacerdos commiſſas ſibi ouiculas. Angelus in Dei gratiâ ſemper perſeuerat, nec vnquam fatigatur in ſeruitio diuino: curet & Sacerdos vt ſemper in ſtatu gratiæ ſit & in vitæ ſanctæ propoſito & feruore perſeueret.

2. Deinde Angeli demittebant ex aëre manna ad modum pluuiæ; vnde dicitur: *Pluam vobis panes de cœlo*, Exod. 16. & Pſal. 77. *pluit illis manna.* Hunc in modum Sacramenta à Sacerdotibus ad inſtar pluuiæ diſpenſanda ſunt, ex æquo videlicet omnibus, non minùs egenis, quàm diuitibus: ſicut pluuiæ beneficium omnibus commune eſt.

3. Denique Angeli conficiebant manna in cœlo, id eſt, in ſublimi aëre: ita Sacerdotes dum conficiunt Sacramenta, præſertim Euchariſtiam, attollant mentem à terra & cum Deo in cœlo conuerſentur, quaſi cum Deo & inter cœlites agant, vt poſſunt dicere cum Apoſtolo: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt* ad Phil. 3.

Vidimus manna Hebræorum plurimas ob cauſas noſtræ Euchariſtiæ typum fuiſſe. Nollem tamen Hebræos typum eſſe Chriſtianorum. Illi enim tam mirifici & præſtantis cibi nauſeam ceperunt eique ollas Ægyptias, carnes, cæpe & allia ſtultè prætulerunt ad ſuam ipſorum perniciem. Nos ergò in hoc Iudæos nequaquam imitemur, ſed potiùs plebem illam, quæ in hodierno Euangelio poſt refectionem rapere Chriſtum voluit & Regem ſibi conſtituere. &c.

CONCIO VII.

Cur eſus carnium magnopere cauendus tempore interdicto.

1. 2. *Quia ab Eccleſia prohibitus ſub mortali.*
3. *Quia præuaricatores huius præcepti incurrunt cenſuram Eccleſiaſticam, & ſæpe vltionem diuinam.*
4. *Quia eſus carnium tempore interdicto eſt ſcandaloſus.*
5. *Quia ſuadetur à Diabolo & hæreſi.*

THEMA.

Diſtribuit diſcumbentibus ſimiliter & de piſcibus quantum volebant. Ioan. 6.

QVAMVIS Hebræi in deſerto perpetuum & optimum haberent manna, quod gratiſſimum quemque pro cuiuſque guſtu habebat ſaporem, nihilominus tamen eo non contenti deſiderârunt carnes & clamauerunt contra Moyſen. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* Num. 11. A Quam querelam Moyſes cùm ad Dominum detuliſſet, reſpondit Dominus: *Cras comedetis carnes: ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis eſcas carnium? bene nobis erat in Ægypto. Vt det vobis Dominus carnes & comedatis non vno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, ſed vſque ad menſem dierum: donec exeat per nares veſtras & vertatur in nauſeam, eò quòd repuleritis dominum.* Quod & factum eſt. Sed *adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plagâ magnâ nimis; vocatuſq; eſt ille locus: ſepulchra concupiſcentiæ.* Plaga autem illa erat ignis, qui conſumpſit murmuratores & cupediarios illos. Quæ hiſtoria ſufficere nobis deberet, vt ne hoc tempore carnes expetamus vel edamus. Si enim illi à Deo puniti ſunt, qui carnes alioqui ſibi non vetitas, importuniùs petierunt & intemperantiùs deuorârunt: quomodo impunes erunt qui ieiunij tempore vetitas ſibi carnes appetunt & vorant? Et hæc cauſa mihi videtur, cur hodie nobis proponatur ab Eccleſiâ Euangelium de quinque panibus; ſiquidem in eo, vti & *Marc.* 8. magnum quidem inſtituit Chriſtus conuiuium, vbi panes appoſuit & piſces, nullibi tamen legitur appoſuiſſe carnes: imò nec ipſe comediſſe carnes vnquam, præterquam agnum paſchalem. Nemo etiam fuit ex toto diſcumbentium numero in hodierno Euangelio qui carnes appetierit: ſed panibus & piſcibus omnes contentiſſimi fuerunt. quia igitur medium itineris noſtri, per Quadrageſimæ deſertum iam confecimus; ne animis concidamus & ob ieiunij prolongationem murmuremus, monet nos per hodiernum Euangelium Eccleſia, vt ne Hebræos imitemur, carnem expetendo vel ob defectum murmurando: ſed potiùs hodiernos Chriſti auditores & conuiuas. At quia plurimi ſunt puerorum inſtar & infantum, qui cùm pomum aliquod viderint, ſtatim id omnibus votis & ploratibus expetunt, nec facilè perſuaderi poſſunt, vt eo velut noxio relicto ſalubrius quid accipiant, ideoq; deſcribi illis pomū debet, quaſi amarum & venenatum, idcircò etiam

etiam rationibus agendum duxi, vt ostenderem, noxias esse carnes ijs, quibus ieiunij tempore interdictæ sunt.

Arborem vetitam quinque de causis relinquere intactam debuissent primi nostri parentes: & ob easdem nos relinquere debemus carnes tempore ieiunij.

B. I. Quia prohibitus. PRIMÒ, Quia ipsis à Deo vetita erat, quod sufficere eis debebat, ad hoc vt abstinerent. Nobis etiam à carne abstinendum, quia Ecclesia certis diebus prohibuit. Boni enim & laudabilis filij est, obedire voci patris simpliciter, non disquirendo causas. Et sicut Deus non aperuit Adæ causam, cur prohiberit ei lignum scientiæ boni & mali: quò nimirum exerceret eius obedientiam; ita necesse non est, vt sciamus vel multum inquiramus, quamobrem hoc vel illud prohibeat nobis Ecclesia; si enim non licet subditis disquirere cur eorum Princeps sæcularis hoc vel illud præcipiat. v. g. cur hoc anno Bacchanalia vetet, victualia efferri, &c. quomodo nobis licebit iudicium Ecclesiæ trutinare? Quare sicut solus serpens ausus fuit quærere: *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno?* Ita maligni & serpentini animi est curiosè disquirere, cur hoc vel illud præceptum sit. Contrà verò ideò laudantur *Ierem.* 35. filij Ionadab, quòd cùm illis propinarentur scyphi & calices vino pleni, responderint: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum.* Quamobrem meruerunt à Domino audire: *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Si igitur commendantur isti filij, quod patris ad præceptum vino abstinuerint; cur non item qui ad Ecclesiæ præceptum carnibus abstinent? Placuisse sibi etiam in Ecclesiâ hanc simplicem in abstinentiâ carnis obedientiam, non semel declarauit Deus. Scribitur in Chron. Carthusian. de quodam eius Ordinis fratre, qui nisi carnem ederet, à Medicis desperatus erat. Prior inter votum abstinentiæ & infirmi necessitatem constrictus tandem pullum assari iubet ac infirmo afferri. Tunc ille: *Domine tu nôsti, quia cibum hunc ego sponte meâ non requiro, proinde si maiestati tuæ non placet hac in ordine nostro nouitas & infirmorum scandalum, obsecro vt pullus ille auolet.* Et statim perinde ac si vixisset auolauit. Scribit etiam de S. Honorato adhuc puero S. Gregorius. *lib.*1. *Dial cap.*1. quòd cùm is à teneris carne abstineret & in magno aliquando conuiuio parentes ob id indignati eique insultantes dicerent: *Et vnde tibi in his montibus pisces? nostro & omnium cibo vtere.* Sed ille patienter sustinuit. Et ecce dum famulus ex puteo haurit aquam, piscem educit: qui coram conuiuis allatus, Honoratum ab irrisione seruauit & pauit. Si ergò voluntaria hæc abstinentia Deo placuit, cur non ea, quæ fit ex obedientia? Verùm ne quis existimet Ecclesiam inani aut superstitiosô fine hoc præcepisse: sciendum id fecisse præcipuè, vt per carnis abstinentiam carnem mortificaremus; tum quia carnis esus magis ab homine appetitur, & sic homo seipsum vinceret atque frenaret ab eo quod maximè appetit; & quandoquidem non ab omnibus possumus abstinere ad exemplum Christi, saltem in aliquo & maximè delectabili abstineremus; tum quia carnalium cogitationum & concupiscentiarum seminarium quoddam est, magis quàm alij cibi. Cùm verò ieiuniorum & hoc maximè Quadragesimæ tempore ad festa ventura præparari debeamus & mundare vasa corporum nostrorum vt digna fiant ad recipiendum panem Eucharistiæ, meritò Ecclesia carnem præ alijs vetuit cibis. Tum denique vt per hoc probaret atque exerceret nos in obedientiâ & Dei amore; vt qui non ab iis, quæ gustui ingrata sunt, abstinemus: sed ab iis quæ gratissima, ac proinde purè propter Deum. Quam ob causam etiam S. Basilius (*hom.* 9. *quòd Deus malorum causa non sit*) vult Deum vetuisse Adamo arborem, quæ gratos & delectabiles fructus ferebat, vt Adam inde abstinens non sectaretur proprium appetitum, sed Dei voluntatem. Sed scripturam requirunt hæretici. Damus etiam illam. Nónne scriptum est *Matth.*18. *Qui Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus?* Quòd si dicant Ecclesiam nil debere aut posse præcipere, nisi quod scriptum est: dicant, vbi hoc ipsum quod asserunt, scriptum sit. Refert Corozetus apud Beyerlinck *in apopht.* Caluinistam quemdam Regis Angliæ curatorem Doctori cuidam Theologo in conuiuio, die ieiunij assidentem dixisse: *Quam scripturam adfers Domine Doctor, contra hunc cibum hodie comedendum?* Confestim ille Apostoli verba 1. *Cor.*11. protulit: *Nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Quo dicto obstupuit alter & obmutuit. Nam si Apostolus rectè fecit consuetudinem prætexendo, cur mulieres velatæ incedere debeant, non viri; cur non & nos hæreticis, consuetudinem simul & præceptum allegando? Quod si præceptum Ecclesiæ circa hoc non esset, nónne sufficeret consuetudo? eam autem in Ecclesiâ semper fuisse, imò & præceptum patet ex *dist.* 4. *c. statuimus*, quo Telesphorus Papa sextus à beato Petro, quique vixit Ioanne Euangelista adhuc superstite, præcipit per Quadragesimam à carnis esu abstineri. Ex Concil. Gerunden. *can.* 3. ex Concil. Tolet. 4. & 8. Item Origenes ille antiquissimus *in l. Iob. l.* 3. *pag.* 494. ait. *Quando ieiunamus ô viri, abstinemus nos vt non gustemus carnes neque vinum, neque superfluas escas.* S. Chrysost. *hom.*1. *in Gen. cap.*1. ait. *Nusquam hodie* (de Quadragesima loquitur) *tumultus vel clamor vel carnium concisiones vel coquorum discursus, sed omnia illa abierunt*, &c. Tandem si Apostolorum tempore hoc nondum præceptum erat, saltem consuetudo erat.

SECVNDÒ, Quia mortifera erat animæ in primis, non quidem secundùm suam naturam (secundùm hanc enim bona, bonum & suauem habebat fructum) sed ex prohibitione Dei, secundùm quam gustata afferebat gustanti C. II. Quia mortifero sub peccato vetitus.

ti mortem animæ; quia dictum erat Adæ: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Morte videlicet inprimis animæ, quæ est peccatum. Mortifera etiam est caro, interdictis ab Ecclesià diebus; non item secundùm suam naturam, vti dicere nos calumniantur hæretici (alijs enim temporibus comedimus, imò & infirmi intra Quadragesimam: non immundam dicimus vt Encratitæ, &c. sed ex prohibitione Ecclesiæ quæ præcepto suo in conscientia nos obligat, vt abstineamus, ita vt si comedamus, mortem animæ incurramus seu peccatum mortiferum. Quod autem ita obliget consentiunt Doctores, & patet ex eo quòd Ecclesia tam rigidè id obseruari additis censuris præcepit. In Concilio Toletano 8. *cap.* 9. statuitur vt quisquis sine ineuitabili necessitate atque fragilitate & euidenti languore seu etiam impossibilitate ætatis diebus Quadragesimæ carnis esum præsumpserit attentare, tanquam reus Dominicæ Resurrectionis & sacra communione priuetur in Pascha, & per integrum annum à carnibus abstinere cogatur. Patet ex *lib. 3. decretal. de obseruat. ieiun. cap. consilium nostrum*, vbi Bracharensis Archiepiscopus consuluit Innocentium Tertium Papam, vtrùm non etiam puniendi essent, qui egestate & qui imbecillitate vrgente carnes vetitis diebus comederent: Et responsum est, non puniendos quidem; tamen pro & cum illis preces fundendas, ne ipsis aliquatenùs imputetur. Ecce infirmis vix condonabatur: quid factum esset valentibus? Patet ex Theophilo Alexandrino qui *lib. 3. paschali* dicit semper in Ecclesia fuisse legem abstinendi à carnibus in Quadragesimâ & criminis reos esse qui carnibus clàm vescuntur. Patet ex S. Chrysostomo, qui *homil. 6. ad populum Antiochenum* ait: *Adueniente ieiunio etsi millies quis exhortetur & infinita trucient & cogant vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum.* Id quòd accuratè præstiterunt Constantinopolitani, primò quidem ante Chrysostomi ætatem, temporibus Iuliani Apostatæ, qui tempore quadragesimali Idolothyta sola vænum proponi iussit & vetitos Christianis cibos; quos illi nequaquam emere, sed potiùs famem pati voluerunt, quousque à S. Theodoro Martyre Constantinopolitano instruerentur, quo cibi genere vti deberent. Refert Nectarius *orat. de S. Theodoro.* Secundò, post eius ætatem, temporibus Iustiniani Imp. cùm ob rerum necessariarum inopiam secundâ statim quadragesimæ hebdomade Imp. carnes in foro vænum proponendas statuisset: populus qui pietatem sectabatur, neque eas emebat, neque edebat, mortem præeligens, quàm vt quidquam de patrijs moribus & traditionibus immutaret. Refert Niceph. *lib.* 17. *cap.* 32. Quod etiam apertiùs scribit idem Chrysostomus *hom. 2. in Genes.* vbi dicit quadragesimam inflectere omnium cõscientiam, etiam Regum & Imperatorum ad obedientiam. Quæ omnia clarè ostendunt graue peccatum esse, carnibus vesci die vetito, adeóque mortiferam esse carnem taliter comedenti. Terribile est quod Ioannes scribit in Iudam *cap.* 13. post buccellam videlicet, quam in cœnâ sumpserat, diabolum introiuisse. Sed hoc idem accidit ei, qui carnem vetitam deuorat: quia *qui facit peccatum, seruus est peccati,* ait Dominus *Ioan.* 8. Et si dæmon super lactucam non benedictam sedens, intrauit in monialem illam, vt est apud S. Gregor. *lib. 1. dial. cap.* 4. quantò certiùs id fiet spiritualiter quidem, sed perniciosiùs cum cibo vetito? Quare sicut 4. *Reg.* 4. filij Prophetarum, cum amaras in olla deprehendissent & gustassent herbas, exclamarunt ad Elisæum: *Mors in ollâ vir Dei*; ita dico tibi syncerè: *Mors in ollâ*, si comederis: seu vt Adamo Deus dixit: *Quocumque die comederis, morte morieris.* Quæ autem est illa stultitia, pro exiguâ buccellà mortem sibi emere & cum eà deglutire? An non æquè magna, imò maior est atque illa Esau qui pro modico pulmento primogenituram vendidit? Atque illa Ionathæ, qui pro modico mellis degustato reum mortis se constituit? Atque illa protoplasti, qui pro vnâ ficu vel pomo mortem emit & cum eâ deglutiuit? Atque illa Cleopatræ, quæ vno vnionis bolo deuorauit pretium multorum millium aureorum?

Neque statim excusatum & à peccato liberum se existimet, qui quomodocunque dispensationem impetrat: nisi enim vrgentem & rationabilem habuerit causam, vana erit illa dispensatio, quæ absque eiusmodi causà fieri nec debet, nec potest. Igitur qui insufficientes & illegitimas afferunt causas vel etiam falsas prætexunt, sibi dictum putent, quod Albertus Magnus dixisse fertur cuidam clerico qui sine vrgente causâ, per dispensationem plura impetrauit beneficia: nimirum: *Iuisti prius ad infernum sine licentiâ: nunc ibis cum licentiâ.*

TERTIÒ, Quia arbor vetita, exitiosa etiam & mortifera erat corpori: vt enim esus ligni vitæ conseruasset, Adamo vitam, ita arbor vetita eandem illi abstulit & mortalitatem cum plurimis alijs miserijs attulit. Similiter etiam vetitus carnis esus peius angue fugiendus, quia constituit hominem reum non tantùm pœnæ æternæ, sed etiam temporalis & censuræ Ecclesiasticæ, necnon aliquoties vindictæ diuinæ: præsertim quando in contemptum Ecclesiæ eiusque præcepti fit. D. III. Quia censuram Ecclesiæ incurrit.

Si enim tam citò puniti fuerunt Hebræi ob importunum carnis desiderium & murmur contra Moysen propterea excitatum, cùm *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum & ira Dei ascendit super eos.* si deinde *Deut.* 17. præcipit Deus: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis, morietur homo ille & auferes malum de Israël*; quid aliud à Deo expectare potest is, qui edit cibos ab Ecclesiâ sibi vetitos? Et ratio est, quia tales suâ temeritate prouocant Deum ad sui vltionem. In literis annuis Patrum Societ. sub prouinc. Austriac. anno 1592 scribitur, rusticum quendam hæreticum, *Et sæpe vltionem diuinam.*

die

die quodam ieiunij, Catholico rustico insultasse quòd cum ipso edere carnes nollet; nec non arreptam carnem in os oculosque eius intrudere conatum esse, ac demum ori suo in ludibrium illius, manu sublatâ ingerere voluisse: sed nondum erat esca in ore ipsius & ira Dei ascendit super eum. Hæsit enim aperto & hiante ore, nec vllo conatu côiungere maxillas poterat, quas vtiq; Deus disiunxerat. Perductus Vradislauiam, dum chirurgis & Medicis commendatur magno populi concursu, ipse interim aperto semper ore ieiunium prædicabat, non loquendo, quod non poterat, sed hiando. Refert etiam Tilmannus Bredenbach. *belli Livonici pag.* 17. & ex eo Mart. Delrio *lib. 2. disquisit. p. 2. quæst. 3. sect. 17.* paucis ante annis postquam Torpatenses in Lutheranam doctrinam concesserant, die Veneris sancto finita concione ciuibus è templo D. Virginis reuertentibus quidam alium conciuem & familiarem inuitauit ad prandium, habere se egregiè paratum petasonem Westphalicum: alter, sibi esse gallum opiparè elixum, quem cupiat in symbolum afferre. Dum ad mensam accumbitur, alter os quoddam galli ambedere volens, imprudens penè ipsum degluti:quod cùm neque transmittere neque eximere valeret, eo ipso die suffocatur: alter postridie paschæ malo spiritu correptus, paulò post furore exagitatur & vnà cum dæmone exhalat animam. Et licet hæc talia irrideant hæretici, ea tamen cùm in publicis extent scriptis, nusquam refellunt. Tametsi verò non omnes statim præuaricatores ita puniuntur, num ideò insolescere possunt alij? an nesciunt hanc vitam non esse locum retributionis ordinarium, sed extraordinarium tantùm? & si qui hic diuinitus puniantur, puniri solùm in cautelam aliorum? *Ne dixeris peccaui*, inquit, Ecclesiast. cap. 5. *& quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Altissimus, inquit vt insinuaret, eum sicut altissimus & ad puniendum tardissimus, ita ad extremum fore seuerissimum. Quêadmodum enim lapis quò altiùs cadit; eo tardius quidem ferit, sed tamen eò fortiùs: sic vindicta diuina quia est altissima, ideo tardè punit vt plurimùm, sed quò tardiùs eò seueriùs.

Verum tamen est non decere vt Christianus ob timorem pœnæ legem obseruet (quamuis nec ille timor reijciendus sit) Christiana enim libertas, exigit, vt amore potiùs recti & timore peccati, quàm pœnæ, leges obseruemus: quo sensu libenter acceptamus; quod hæretici nobis objiciunt & ab Apostolo 1. *Tim.* 1. scriptum est: *Iusto Lex non posita.* Hoc enim sensu etiam Philosophus ille respondit Tyranno interroganti, quid præ cæteris mortalibus eximium haberent Philosophi, nimirum hoc; *vt etiamsi omnes Leges aboleantur, tamen æquabiliter victuri sint.* Quia verò hoc iustorum tantùm adeoque paucorum est, Idcircò rectè posita est Lex coërcens & pœnam intentans, vt cæteri vel hoc ductu discât benefacere & à malo abstinere. Sic enim & Deus præcepto de arbore vetitâ nô tangendâ, pœnę addidit cõminationem.

QVARTÒ, Quia arbor illa exitiosa etiam erat posteris Adami, non ipsi soli; nam sciebat se per peccatum suum præcipitatutûm secum in mortem omnes posteros suos, quod ex pœnâ mortis sibi intentatâ facilè potuit colligere. Iam verò carnium esus tempore interdicto, vt plurimùm saltem exitiosus etiam est alijs ratione scandali. Raro enim fit, vt quis eas carnes deuoret nemine omnino conscio: alij enim coquunt, alij afferunt, alij vident; qui si te infirmum non vident, egentem non vident; quomodo possunt te comedente cibum vetitum, non scandalizari? Mox enim ita argumentantur alij: si huic licet, cur non & mihi & alijs? Si huic conniuetur, cur non mihi & alijs? Et licet alter dicat, se habere edendi licentiam, quamdiu non apparet æger aut egenus, tamdiu scandalum præbet; dicunt enim alij: si tibi cùm sis robustus & extra egestatem, conceditur, cur non mihi & alijs? Experientia etiam testis est, nihil penè tam citò tamque vehementer alios offendere, quàm si videant quem talem, extra necessitatem vesci carnibus tempore prohibito. Cuius ratio videtur, quia cùm carnis esus præ alijs cibis maximè ab hominibus appetatur, & non nisi ex constitutione Ecclesiæ, certis temporibus sit prohibitus eo ipso quòd vident homines aliquem carnibus vesci contra præceptum, & non ilicò puniri; putant vel præceptum Ecclesiæ non obligare in conscientiâ, vel Ecclesiam tacitè consentire & legê relaxare dum non statim punit, vel in Ecclesiâ esse personarû acceptionem, quæ vnum obliget, alterum eximat, &c. Non ita statim scandalizantur, cùm quem vident peccare contra legem diuinam; quia eùm illius peccati punitio expectetur vt plurimùm à Deo tantùm: non possunt inde arguere, peccatum id fore inultum, vel Deum relaxare pœnam aut accipere personam, &c. quia sciunt Deum puniturum omnia suo tempore. Sumus enim sicut pueri in scholis, qui videntes aliquem peccare impunè nec statim à Magistrò corripi, mox illum imitantur idque licitum esse putant. Vnde Dominus eos quibus scandalum præbetur, pusillos vocat: *qui scandalizauerit vnum de pusillis istis.* Quoniam igitur vetito carnium esu tam facilè tamque acriter offenduntur proximi & cum comedente in præcipitium trahuntur, an non magnoperè fugiendus est? Quid enim est scandalum præbere, nisi secum in gehennam trahere eos, pro quibus Christus mortuus est? Audi Apostolum ad Rom 14. *Noli cibo tuo illû perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et iterû: *Noli propter escâ destruere opus Dei.* ibid. Exemplum insigne præbuit Eleazarus 2. *Machab.* 6. qui cùm ex mandato Antiochi aperto ore hians compelleretur carnem porcinam manducare contra patrios mores & leges, mortem potiùs elegit & nec fingere quidem talem comestionem (cùm ei amici quidam carnem aliam licitam substituere vellent) voluit, ne quem suæ gentis hominem scandalizaret. Laudatur etiam 1. *Mach.* 2. Mathathias, quòd Iudæum quendam qui ad impe-

E. IV. Quia scandalosus.

rium Antiochi Regis sacrificabat Idolis in omnium oculis, trucidarit super aram, vnáque illum qui ex mandato Antiochi compellebat ad hoc Iudæos. Tanta nimirum est scandali pernicies & ruina. Id quod aduertere etiam debent ij qui ob causas rationabiles licentiam acceperunt carnes comedendi. Hos enim ita alloquitur Apostolus 1. Cor. 8. *Videte ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in Idolio recumbentem: nónne conscientia eius cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum Idolothyta? Et peribit infirmus in tuâ scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Hæc Apostolus.

Quid verò de illis dicam, qui alios etiam prouocant vt cum ipsis Idolothyta talia comedant? Hi sunt bonis illis volentibus ieiunare, id quod olim Chananæi Idololatræ erant Iudæis secum habitantibus, *claui* scilicet *in oculis & lancea in lateribus*, vt *Num.* 33. prædictum eis fuit. Illis dij Chananæorum erant in ruinã, vt dicitur *Iud.* 2. & bonis Christianis sunt cibi talium seductorum. Alliciunt enim oculos escâ delectabili, & pungunt suo exemplo vel etiam adhortatorijs verbis, atque ita velut boues ducunt ad macellum. Quibus minatur S. Iudas Thadæus in suâ epistola, dicens: *Væ illis qui in viâ Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* Qui enim in viâ Cain abeunt, nisi qui proximis suis inuident opera virtutum quæ exercent, & ideò seducendo eos quoad animam occidunt, iuxta id Mich. 7. *Vir fratrem suum ad mortẽ venatur?* Qui doctrinam Balaam docent, nisi qui scandala coram proximis ponunt? Qui sequuntur Core, nisi illi qui contra Ecclesiæ præceptũ rebellant & rebelles sibi adiungunt? *Deut.* 13. vocantur tales seductores & rebellium Duces, filij Belial, id est, filij diaboli, qui est primus Belial, seu Apostata: iuxta 70. παράνομοι seu exleges.

F. V. Quia suadetur à Diabolo & hæresi.

QVINTÒ, Ideò debebant ieiunare, quia serpens illis suasit, vt fructum vetitum gustarent; & fortè eis porrexit. Atque idcirco etiam Christianus debet abstinere à carnibus hoc tempore, quia eius comestionem præcipuè suadet hæresis. Quemadmodum enim illi ante serpentis suggestionem & curiosam inquisitionem: *Cur præcepit vobis Deus, &c.* nullam habuere tentationem circa arborem vetitam, sed postea primùm: ita ante hæreticorum obtrectationes & calumnias nequaquam tentabantur Catholici, saltem tam vehementer, circa carnis comestionem, atque hoc ipso tempore. At postquam Lutherus obijcere nobis cœpit: Cur præcepit vobis Ecclesia ne comederetis de omni cibo; idque per suos sectatores etiamnum obijcere pergit, exinde multi infirmiores grauiter tentantur & sæpe decipiuntur. Atque hinc fit, vt qui carnes edunt tempore illicito, mox putentur id facere ad imitationem hæreticorum, adeoque cum illis clanculùm sentire, saltem in aliquibus, & ipsismet etiam hæreticis applaudentibus, transiisse ad eorum sectam. Iam verò bonus & syncerus Catholicus adeò vitare debet omnia hæreticorum dogmata & mores, quæ Ecclesiæ aduersantur, vt ne ad speciem quidem communicet cum illis. Propterea Melchiades Papa vetuit ieiunare in diebus Dominicis & ferijs quintis, in odiũ gentilium & hæreticorum, qui id ex suâ superstitione faciebant. Leo Papa Dominicis diebus & Natali Domini in odium Priscillianistarum hæreticorum. Propterea Catholici olim qui vescentes vel dormientes ab Arianis rebaptizati erant, impolita linteamina conscinderunt & in latrinas proiecerunt. Valens & Valentinianus Imperatores Iuliani Apostatæ congiarium respuerunt. Valentinianus idem eundem Iulianum ad Idolorum quidem fanum comitatus est, sed cùm Idololatra sacrificus roscidis quibusdam frondibus eum aspersisset, illum alapâ percussit, & vestis partem aquâ aspersam abscidit. Quin etiam milites in odium aduersæ partis contrarias gerunt vestes, vexilla, colores, &c. ne cum ijs in aliquo communicent in præiudicium Principis vel religionis suę. Cùm per ludibrium gestant hæretici milites pileos sacerdotales, nostri gerunt cappas prædicanticas: illis in vexillo gerentibus depictum calicem, nos gerimus sacram hostiam. Ita in Franciâ Hugnottis vocantibus maximum tormentum suum bellicum, Cacciamesse id est pelle missam: nostri suum vocârunt Cacciapresse, id est, pelle prædicam. Sic denique hæretici in odium ieiunij nostri, carnes vorant die Veneris sancto, & malunt abstinere in paschate: Veneris potiùs quàm Dominicâ die. Atqui dicit Apostolus ad Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malũ.* Quare qui Germanus Catholicę Ecclesię filius vult haberi, ab omni eo abstinere debet, quod communionem aliquam cum hæreticis sapit.

Et licet aliquis hoc non intendat nec ad imitationem hæreticorum carnes comedat, alijs tamen eiusmodi suspicionem ingenerat, & præterea saltem à piorum se fidelium communi viuendi more & rigore segregat magno suo damno & dedecore. Similis illi militi de 40. militibus martyribus, qui frigoris impatiens à socijs desciuit & secessit in proximum tepefactum balneum, cuius solius corona deesse & ab angelis omissa visa est. Cæterùm sicut illius defectionem suppleuit Deus per alium, qui spectaculo aderat, ianitorem; qui eâ visione ad fidem conuersus in lacum martyrum insilijt: ita dum nos Veterani Catholici tepemus in ieiunijs & desilimus ad luxum sæculi atque hæreseos, excitat interim Deus alibi nouos Christianos, qui rigidè ieiunent. Vnum alterumve exemplum de Iaponensibus audiamus ex P. Petro Gomez in relatione rer. Iap. Adolescens quidam in patriam quæ Gentilis erat reuersus, cùm Sabbatho quodam fortè comedisset carnes, oblitus esse diem Sabbathi, se ipse

ipse triduanâ à carnibus abstinentiâ mulctauit. Idem cuidam seni accidit; nam cùm cædendis in syluâ lignis operâ daret, per incuriam manducârat carnes. Deprehenso errore (erat enim dies Veneris) sic indoluit, vt omisso labore domum repetierit, flagroque asperrimo vltus sit Ipsum, atque etiam insequente mox Sabbatho labore manuum nullum quæstum facere voluerit. Surgent hi in Iudicio, &c.

CONCIO VIII.

Circumstantiæ eleemosynæ.

Danda est eleemosyna egentibus & esurientibus; inter ques præferendi pauperes honesti, boni, Religiosi: non tamen negligendi improbi.	3. *Iuxta cuiusque facultatem, & liberaliter.*
2. *Vltrò & citò, dum sanus es.*	4. *Danda est hilariter & cùm commiseratione.*
	5. *Propter Deum; sine conditione onerosâ.*
	6. *De iustè partis, de optimo.*

THEMA.

Vnde ememus panes vt manducent hi? Ioan. 6.

A Mirum alicui videri potest, cur hodie in mediâ quadragesimâ legatur Euangelium de quinque panibus adeoque de magnifico illo conuiuio, quod exhibuit Christus; siquidem nunc tempus ieiunij est & abstinentiæ: In illo autem conuiuio apponebat Christus, quantum volebant, & omnes saturati sunt. Nunquid Ecclesia nobis per hoc concedere vult, vt dimisso ieiunio celebremus Lætare in conuiuijs & saturitate? Non sanè, sed meâ sententiâ videtur nos Ecclesia per hoc monere velle vt ad exemplum Christi, hoc præsertim tempore, Eleemosynæ recordemur & proinde pauperibus Lætare aliquod faciamus; vt ita cum ieiunio & oratione iungamus eleemosynam. Petrus etiam de Palude in Serm. super hâc Dominicam, vult Dominum idcircò subleuasse oculos in hodierno Euangelio super Esurientes turbas ad se venientes, vt monerentur ditiores leuare oculos ad pauperum considerandam & subleuan lam inopiam. Plerique toto anno ad sua tantùm attendunt, ad liberos, propinquos, domesticos, amicos, &c. pauperes non curant. Sed quid ad hæc Tobias? *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini.* Tob. 4. q. d. si vis vt non auertatur à te facies Domini, ne auertas faciem à paupere. Quod etsi semper faciendum est, quoties occasio est & facultas suppetit: quadragesimali tamen tempore præcipuè conuenit. Sic enim *Isai.* 58. mandat Deus: *Nónne hoc est magis ieiunium quod elegi? frange esurienti panem tuum & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum.* In quæ verba S. Gregor. hom. 16. in Euangelia ait: *Hoc quod tibi subtrahis, alteri largire, vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.* Quare cùm tempus præsens per seipsum satis prædicet & inculcet Eleemosinam, nunc id superest dicendum, quomodo vtiliter fiat, quod non nullius artis est: cùm Psalm. 40. non frustrà dicatur: *Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem*; cui videlicet, quando, quantum, quomodo, quare dare conueniat. Quod accuratè docet Christus in hodierno Euangelio.

PRIMÒ, Quæras, cui dandum? Egentibus & Esurientibus, vti Christus dedit. Cùm enim inter quinque millia hominum non inuenirentur plures quàm 5. panes, & locus desertus esset, vt dicunt alij Euangelistæ: quis dubitet omnes illos verè egentes & esurientes fuisse? Idcircò enim Dominus videns eos, *misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem.* vt habet Marcus. Præferendi verò primò, qui honestis orti parentibus, non audent mendicare; hi enim ampliùs egent quia honestate prohibentur petere. Vnde Atticus Constantinopolitanus Episcopus in pauperes munificus ad Calliopium scribit: *Istos trecentos aureos à me accipe, eosque in pauperes vti volueris impende. Velis autem in eos conferre, non qui ventris causâ quasi mercaturam per totum vitæ tempus mendicando exercent, sed qui mendicare erubescunt*, apud Baron. Anno 425. Ratio est, quia maior infelicitas est fuisse aliquando felicem; & maior paupertas, fuisse diuitem; & maxima miseria, cùm indigeas, non audere opem implorare. Hoc aduertit Ethnicus ille Arcesilaus, qui audiens Appellem Chium ægrotare & indigere, nec id alijs significare audere, hominem inuisit & 10. drachmas afferens eique assidens, ait: *Non cubas satis commodè*; simulque mouens illius ceruical, clanculum pecuniam subiecit; quá posteà deprehensa risit Apelles & ait: *Arcesilai hoc factum est.* Plutar. *de discr. amici & adulat.* Dignum homine etiam Christiano factum. Sed multo illustrius est S. Nicolai, qui pauperis familiæ tres filias ob inopiam iamiam prostituendas, pecuniâ ter clanculum iniectâ seruauit. O si perpenderemus, quantum solatij & gaudij percipiant eiusmodi miseræ personæ, quæ tali charitate iuuantur, nos ipsi gaudium illorum nostrû reputaremus & gratularemur nobis, quòd ipsos adeò recreare possimus. Ideò S. Iobo non sapiebat cibus, quem pupilli non gustâssent. *Si comedi buccellam meam solus & non comedit pupillus ex eâ!* Et mox: *Si non de velleribus ouium mearum calefactus est!* &c.

Præferendi etiam alijs pauperes voluntarij, vti religiosi; tum quia Christum in se magis repræsentant, qui & ipse voluntariam amplexus est paupertatem & horum seruorum peculiarem curam agit, tanquam aulicorum suorum: tùm quia licet voluntariè sint pauperes Christo tamen se spoliante pauperes facti sunt, cuius vocatione omnia deseruerunt: vt alibi audiuimus ex Serapione, qui cùm nudus esset, Codice Euangeliorum prolato, ab eo se spoliatum dicebat. Quis autem dicat tri-

R. I. Cui dandum.

Præferendi. 1. *Honesti pauperes.*

2. *Religiosi.*

tribuendum esse ijs qui à furibus spoliati sunt, & non ijs qui à Christo? Denique si illi mundo sua cesserunt & resignàrunt, tam quæ habebant, quàm quæ habere poterant; cur non det illis mundus aliquam pensionem?

3. *Boni pauperes.* Præferendi etiam boni reprobis: quia illi sunt qui apud Deum plurimùm valent & habent in cœlo extructa sibi tabernacula, in quæ aliquando recipere possunt diuites, *Luc.* 16. Vnde duplici titulo debetur eis Eleemosyna, quia boni, & quia egeni. Et sicut Deus quærentibus primò regnum cœlorum specialiter se obligauit de temporali prouisione, ita specialiter etiam voluit nobis commẽdatos esse iustos pauperes. Habentibus testimonium bonum libentiùs impertimur, quàm non habentibus. Cur non etiam præferamus bonos, qui habent testimonium bonæ famæ?

Non negligendi tamen mali. Non tamen ideò negligendus, si grauiter egeat improbus, quia etiam Deus *pluit super malos, & bonos & solem suum oriri facit super iustos & iniustos.* Et si non habet is in cœlo locũ, quo te recipiat, habet Christus qui pro illo se tibi obligauit. Vnde *Luc.* 6. ait *Omni petenti te, tribue.* subiungitque: *Et eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.* Quis autem non libenter det mutuum etiam pauperrimo, si princeps pro illo spondeat? Denique aliud est dare impio vt impio, aliud vt proximo. Vnde Aristoteles increpanti cuidam quòd homini malo aliquid erogâsset: *Non mores*, inquit, *sed hominem commiseratus sum.* Laërt. *l.b.* 5. *cap.* 1.

C. II. Quando dandum. *Vltrò & citò.* SECVNDÒ, Quando dandum? Primò vltrò & citò, vt docet hodie Christus. Cùm enim vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Motu scilicet proprio *misertus est super eos*, vt ait Marcus. Vltrò igitur & non rogatus pascit esurientes Dominus. Ad huius exemplum S. Richardus Episcopus Cicestrensis, pauperum preces pręuenire solebat; dicebat enim scriptum esse: *prævenisti eum in benedictionibus.* Et illud: *Carè satis emitur, quod precibus obtinetur.* Sur. to. 2. in eius vitâ. Quæ postrema verba ex S. Augustino hausisse videtur, qui *in Psal.* 40. ait: *nihil cariùs emitur, quàm quod precibus emitur.* Non sunt omnes qui petere audeant & clamores excitare instar mendicorum vagabundorum: sed plurimi pudici, qui ne tibi molestiã creent, vel se & suos pudefaciant, petere non possunt sine aliquâ famæ suæ iacturâ. Quis autem nescit famã bonam fortunæ bonis præstare? Meminerimus quęso, quod Dominus in Iudicio nõ dicturus sit: Esuriens petij à vobis cibum, nudus mendicaui vestẽ, &c. sed tantùm: *Esuriui, & nõ dedistis.* &c. quia satis est, si tu videris egentem & non iuueris. Multò adhuc crudeliores sunt, qui etiam petentes differunt, hoc ipso enim produnt suam auaritiam, teste S. Basilio in illud Lucæ: *destruã horrea*, &c dicente: *promittis non vt des postea, sed vt in præsens propulses.* Et quid si interim ille moriatur, vel graue damnum patiatur? *Si non pauisti: occidisti*, ait S. Ambrosius, prout refertur *dist.* 86. *c. pasce.*

2. *Dum sanus es.* Secundò, Dum sanus es & vegetus. Tametsi enim bona est Eleemosyna, quam moriens post obitum tuum legas pauperibus: multò tamen melior est, quæ fit ante mortem; quia longè facilius est dare quæ deserenda, quàm quibus vti possis: hæc sola tua sunt, illa potiùs aliena. Poma, quæ à vento vel vncino ab arbore excutiuntur, non sunt tam accepta gustui, quàm quæ vltrò suapte maturitate decidunt. Sic neque tua Eleemosyna tam grata erit Deo, quam mors à te excutiet, atque illa, quæ vltrò datur. Veniet aliquando mors cum vncino suo & abstrahet tibi quidquid habes; quemadmodum Amos Propheta c. 8. dixit *Vncinum pomorum video*; id est, mortem quæ omnia bona diripit siue matura, siue immatura, vt exponit Ribera. Quare si vis Deo gratam esse Eleemosynam tuam, fac eam dum sanus viuis, sicut suasit S. Lucia matri suæ, dicens: *da dum sana es, ne si moriens dederis, inuita dedisse dicaris.* Surius to. 6. in vitâ eius. Lumen quod eunti in tenebris præfertur, longè plus illuminat dirigitque gressus, quàm quod à tergo gestatur. Eleemosyna lumen est, quia teste Tobiâ cap. 4. *non patietur animam ire in tenebras.* De eâdem Esa. 58. dicitur: *Frange esurienti panem tuum & egenos vagosq́, induc in domum tuam: cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum & sanitas tua citiùs orietur & anteibit faciem tuam iustitia tua & gloria Domini colliget te.* q. d. sicut Lucifer præit & annunciat venientem solem: sic tua Eleemosyna pręcedet te ad alterum sæculum monstrabitque viam; præsertim verò si velut Lucifer mortem tuam præcesserit.

D. III. Quantum dandum. 1. *Pro facultate.* TERTIÒ, Quantum? Primò, iuxta cuiusque facultatem. Tob. 4. *Quomodo potueris esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Sic Dominus non habens in promptu nisi quinque panes, distribuit tamen omnes. Potest certe in hac re pauper æquare diuitem, & tantum dare, quantum ille; & minori dato, æquale meritum obtinere: tantum vno obolo, quantum ille floreno. Vnde S. Leo in serm. 1. de collectis, ait: *In hac distributione omnium fidelium pares animi esse possunt, etiam inter impares facultates.* Quis autem pauperum non libenter & crebrò emeret carnes in macello, si sciret se pro vno obolo tantum emere posse, quantum diues pro floreno? Hinc est quod Apostolus *ad Hebr.* 13. præcipit eleemosynam Iudæis licet iam expoliatis & summâ inopiâ laborantibus, vt aduertit ibi Theophyl. *Beneficentia autem & communionis*, inquit, *nolite obliuisci.* S. August. tract. de conuersat. tom. 9. ait: *Qui habet aurum; det aurum; qui argentum, argentum. Qui verò non habet pecuniam, cum bono animo det pauperibus buccellam, & si non habet integram, ex eo quod habet, frangat & partem egeno tribuat.* Et in Psalm. 103. *Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat: non habeo; Charitas de sacculo non erogatur.* Sic Augustinus.

2. *Liberaliter.* Secundò, Liberaliter; sic enim in hodier-

no Euangelio Dominus distribuit *quantum volebant*, vt ait noster Euangelista, & omnes saturati sunt imò & superfuit. Nolite timere, ne nimiùm dederis; hoc enim esse auaritiæ signum, ait S. Adelhardus Abbas apud Surium in vitâ S. Chrysost. hom. 53. ad pop. ait: *Quo plura dederis Deo, eò plus te diligit: quibus maiora debet, plus tribuit & gratia. Cùm enim videt cui nihil debet, eum fugit & auersatur. Cùm verò intuetur eum cui aliquid debet, continuò ad eum accurrit. Omnia ergo tibi facienda sunt vt Deum habeas debitorem.* Hæc ille, *Eâdem* quippe *mensurâ quâ mensi fueritis remetietur vobis* Deus, teste Domino nostro Luc. 6. Et *qui parcè seminat, parcè & metet.* 2. Cor. 9. &c. An non huius rei exemplum clarissimum præbet Epulo ille, *Luc.* 16. Quia enim Lazaro petenti negauit micas, quæ cadebant de mensâ eius, ideò in inferno non obtinuit aquæ guttam quam petiuit. Adde & hoc: S. Ioannes Eleemosynarius Alexandrinus Episcopus nobili cuidam viro, sed ad extremam redacto inopiam dari iussit 15. libras auri: famuli autem non nisi quinque largiti sunt. Quid contigit? Non ita multò pòst ditissima fœmina obtulit eidem Antistiti 500. in syngraphâ libras, se scripsisse putans 1500. quo fortuito errore posteà deprehenso erubuit & apud virum sanctum se excusauit. Is autem occulto id adscribens Dei iudicio, & suspicatus quod erat, inuestigauit, quot libræ illi nobili numeratæ essent à famulis, cumque tantùm quinque audisset, dixit illis: *Ecce fructum auaritia vestra, inobedientia & diffidentia, quâ factum est ne à Domino per interpositam hanc mulierem mille acciperemus duplò superantes quingentas quibus nos donauit, sicut decem quas inique retinuistis ad quinque dupla sunt.* Leontius in vitâ. Bene ergo S. Chrysostomus *serm.* 57. *ad pop. Antioch.* ait eos qui audiri volunt, cùm Deo dicunt: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, debere etiam misereri pauperum secundùm magnam Eleemosynam suam.* Et rursùm; *non dare, sed copiosè dare eleemosyna est.*

E. IV. Quomodo dandum. 1. Hilariter.

QVARTÒ, Quomodo? Cum affectu charitatis vt hodie Christus; dedit enim primò hilariter, quia daturus panes priùs gratias egit, cùm potiùs accipientis sit gratias agere quam dantis. Insinuauit ergo Christus dantem Eleemosynam multò plus accipere quàm dare, ac proinde cum gratiarum actione & hilariter largiri debere, iuxta id Apostoli 2. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Dominus.* Et Eccles. 35. *In omni dato tuo hilarem fac vultum tuum.* Quis enim non hilariter det simplum pro centuplo? Nónne rustici etiam cum arant & serunt, cantant **das Ackerliedle**? & tamen ibi non modò nihil accipiunt, sed etiam semina sua perdunt, Audi Chrysostomum hom. 42. in Genes. *Agricola terra concredens semina*, inquit, *non hoc tristi facit vultu, sed gaudens & quasi iam spe manipulos videns, in terrâ seminat*, &c. Cogita igitur & tu, te centuplum recepturum, & hilari vultu dabis. Non obest quidem agricolæ, si tristi vultu seminet, nec prodest, si hilari & læto; At facienti Eleemosynam plurimùm prodest, si hilariter faciat; obest, si cum tædio. Ideò Seneca l. 2. de benef. c. 6. ait: *Sicut in telis eadem vis ferri est, sed in infinitum refert vtrum excusso lacerto torqueantur, an remissâ manu effluant. Idē est quod datur, sed interest quomodo detur.* Hæc ille. Extende igitur manum hilariter, vt ad cœlum vsque iaculari Eleemosynam tuam possis. Audi S. Chrysost. hom. 13. ad pop. *Vera eleemosyna est*, inquit, *sic dare vt gaudeas te dare, putans te accipere magis quàm dare. Non enim tam pauperibus quam nobis prosumus; plura accipientes quàm dantes.* Sic ille.

2. Cum commiseratione.

Secundò, Cum commiseratione & suauitate. Sic Dominus *Misertus est super eos*, inquit Marcus cap. 6. *quia erant sicut oues non habentes pastorem.* Itaque iubet eos discumbere & proprijs manibus distribuit panes. Ita etiam præcipitur Eccles. 18. *Fili, in bonis non des querelam & in omni dato non des tristitiam verbi mali.* Tali suauitate vsus est Booz erga Ruth colligentem in agro illius spicas. Cùm enim cerneret eam præ verecundiâ non satis audere colligere, præcepit famulis vt de industriâ proijcerent manipulos, quos illa colligere sine rubore posset, velut neglectos ac sibi debitos: nec non humanissimè eam alloquebatur adeoque animabat ad colligēdum. Simili suauitate vsus est S. Ioannes Eleemosynarius erga iuuenem quēdam nobilium & diuitum parentum aliàs filium, qui in paupertatem inciderat: ne enim is eleemosynam accipere erubesceret, iussit quendam eius famulum in antiquâ aliquâ chartâ recognitionem quandam scribere, quâ constaret ipsum Patriarcham à multis annis debere ipsius iuuenis parenti magnam auri summam: eamque chartam eidem iuueni offerre, suaderéque vt creditum illud parentis à Patriarchâ exigeret. Quod cùm iuuenis fecisset, sine vllâ difficultate aut morâ recepit specie crediti honoratissimam Eleemosynam prodeuntem ex pectore illo magis anxio ad dandum quàm sint omnes huius mundi auari ad accipiendum, vt in eius vitâ. Quàm dissimiles his sunt illi, qui pauperes calumniantur, inquisitionibus vexant, beneficia illis exprobrant! siquidem hi non tantum dare, quantum auferre censendi sunt, famam scilicet, & honorem.

F. V. Quare dandum. 1. Propter Deum.

QVINTÒ, Quare? propter Christum; idcircò dominus hodie distributurus panes *respexit in cœlum*, vt aiunt Lucas & Matthæus; quò sciremus Primò propter Deum faciendam esse Eleemosynam, non propter inanem & terrenam gloriam, nisi velimus perdere mercedem nostram. S. Chrysostom. hom. 13. operis imperf. ait: *Ecce facis epistolam vt aliquem salutes amicum: quamdiu scribis, semper in corde tuo vides illius personam amici, propter quem scribis epistolam. Sic & qui propter Deum Eleemosynam facit, neminem videt in corde suo, nisi personam Dei tantummodò, propter quem facit.* Hæc ille. Hoc est quod dixit Ecclesiasticus c. 29. *Cōclude Eleemosynā in corde pauperis.* Conclude, inquit; propter metum vanæ gloriæ, ne illa resciat opus tuum & destruat. Vt enim pauo fœmina ponit oua in loco abscondito ne mas, qui solet ea con-

fringere, inueniat? Ita tu Eleemosynam tuam in absconditο repone, ne vana gloria destruat illam. Quid enim pauo mas tot speculis ornatus & caudam suam ostentans nisi gloria inanis? & quid pauo fœmina nullius pulchritudinis nisi humilitas? Appositè igitur Christus Matth. 6. *te faciente Eleemosynam, nesciat sinistra tua*, id est, intentio vana, vt exponit S. Augustinus tr. 6. in epist. Ioan. *quid faciat dextera tua*, id est, intentio bona & humilis.

2. *Sine conditione onerosa.* Secundò, Ex merâ libertate, sine conditione onerosâ & compensatione. Vnde Dominus in hodierno Euangelio in cœlum respexit, docens à Deo solo expectandam mercedem. Idem cùm cognouisset venturas turbas, vt raperent eum & facerent Regem, fugit in montem; docens ne exigamus vel etiam expectemus compensationem aut retributionem aliquam ab ijs, quibus benefecimus. Propterea Dominus *Luc.* 14. monet non inuitandos ad conuiuium qui habent retribuere, sed contrà eos, qui non possunt retribuere: *ne fortè*, inquit, *& ipsi reinuitent & fiat tibi retributio.* Ecce quantùm soliciti sunt homines vt pecuniam suam mutuent illis, qui possunt soluere; tantùm vult nos esse solicitos vt demus ijs, qui nequeunt soluere. *Retribuetur enim tibi*, ait, *in resurrectione iustorum.* Si quis à te mutuos petijsset centum nummos, homo alioqui ditissimus; eâ lege vt nisi intra annum tibi restituerit, post elapsum annum teneatur tibi pro 100. nummis, centum Ducatos; rogo te quid hîc faceres? Nónne omnibus votis optares vt debitor solutionem differret vsque dum præterijsset annus? Sanè optares. Atqui ita res habet in proposito: Obligauit enim se tibi Deus vt nisi mercedem temporaneam hîc recipere malis, post hanc vitam, æternam recipias. Caue igitur, si sapis, des illis Eleēmosynam, qui possunt retribuere tibi. Neque est quòd eos obliges ad preces pro te ad Deum fundendas; licet enim illi non orent, *ipsa pro te* eleemosyna *orabit*. Eccli. 29.

G. VI. De quo dandum. 1. *De iusti partis.* Sexta, De quo? De iustè partis prouerb. 3. *Honora Deum de tuâ substantiâ.* Vnde S. Chrys. *hom.* 50 Cyrill. Theophylact. dicunt hos 5. panes discipulorum fuisse. Bona est eleemosyna quæ de proprio fit peculio: optima quæ de proprio labore, vt S. Seruuli apud D. Gregor. Contrà: *Qui offert sacrificium ex substantiâ pauperis, quasi qui immolat filium in conspectu patris*, ait Ecclesiast. cap. 34. Aqua munda purgat, immunda coinquinat: Sic eleemosyna. Hostias suas voluit Deus esse sine maculâ. De alieno offerre Deo vel pauperi, perinde esset ac si vnum pauperem spoliares vt alterum vestires, secundum Chrysost. *hom.* 87.

2. De optimo. Secundò, de optimo, sicut Abel de adipe gregis: & Abraham vitulum tenerrimum, *Gen.* 18. Quidam vt scribit Cicero *lib. 2. de inuent.* cùm somniasset se dormire super ouum, & alius somnium interpretans indicasset ei thesaurum absconditum in eius domo in quo intra massam argenteam aurea contineretur: inuentor non nisi argenti particulam misit interpreti. Expostulauit ergo iste, &: *nihilne de vitello?* inquit. Quantò magis queritur de nobis Deus, si vilia tantùm ei demus, quibus tamen optima quæque non indicauit, sed dedit.

CONCIO IX.

Documenta.

Ex hoc Euangelio discimus.

1. *Feruorem in audiendo Euangelio.*
2. *Varios esse verbi Dei auditores.*
3. *Custodire oculos.*
4. *Ante & post mensam orare.*
5. *Habere curam pauperum.*
6. *Prouidentiam Dei in sustentandis hominibus.*
7. *Priùs animæ quàm corpori prouidendum.*
8. 9. *Quadragesimam præmittendam esse Paschati, temperantiamq; sectandam.*
10. *Ornatum esse seruandum in Ecclesia.*
11. *Superflua pauperibus danda.*
12. *Contemnere honores & fauores hominum.*

THEMA.

Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. Ioan. 6.

E Præclaro illo conuiuio hodierni Euangelij comedimus iam potiora in superioribus concionibus, si tamen ijs interfuimus. Supersunt nunc reliquię seu fragmenta doctrinarum & quidem in tanta copiâ, vt ijs non difficilè duodecim implere cophinos possemus. Ne verò, Auditores, tanto onere vos grauem, & ne interim in Euangelium peccem, si reliquias has neglexero, duodecim fragmenta solùm pro duodecim illis cophinis vobis exhibebo, & si aures vestræ cophinorum instar apertæ sint, in eas nunc inijciam. A.

B. I. Feruor in audiendo Euangelio. Fragmentvm Primvm. Discite feruorem & zelum audiendi Euangelium à turbâ huius Euangelij. Etenim primò, *venerunt pedestres*, inquit S. Marcus cap. 6. *de omnibus ciuitatibus vt audirent eum.* Secundò, venerunt à longè eumque secuti sunt vsque in desertum; vt videre est apud eundem Marcum. Tertiò, venerunt magno numero ad quinque millia virorum, non computatis paruulis & mulieribus. Quartò, Concurrerunt & præuenerunt Christum atque Apostolos, vt ait idem Marcus. Quintò, venerunt vltrò, nô vocati, multò minùs coacti. Sextò, Cibi & potûs obliti, (alioquin enim Christus panem non procurasset per miraculum, quia sine causâ miracula numquam fecit) nihil secum tulerunt, vnde se reficerent. Septimò, adduxerunt etiam paruulos suos vt colligitur ex Matthæo, *cap.* 14. Quid hîc dicemus Christiani? Vbi nunc qui tanto itinere & pedestres veniant ad Dei verbum? Vbi tantus eorum numerus? vbi concursus & præuentio? vbi cibi & potûs obliuio? vbi filij & filiæ Verbo Dei audiendo iam idoneæ? De ægrotantium

tantium ſanitate recuperandâ ſoliciti ſunt parentes: quomodo verò Liberi ad Catecheſin & rem diuinam veniant atque attendant, nihil penſi habent. Ad nundinas & emporia curritur vndique turmatim feſtiuis maximè diebus: res interim diuina negligitur ob lucellum vnũ, vt veriſſimè de his dictũ videatur id Ezechielis 13. *Violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis.*

C. II. Varij verbi Dei Auditores.

FRAGMENTVM SECVNDVM. Diſcite varios eſſe Verbi Dei auditores. Quemadmodum enim Chriſtus Dominus aliquando ad mare acceſſit, non tamen ingreſſus eſt, vt *Matth.* 4. aliquando inſcendit nauem, mox tamen ad terram reuerſus eſt, vti *Luca* 5. quandoque demum omnino abijt trans mare, vt in hodierno Euangelio: ita ſolet contingere verbi diuini auditoribus. Horum enim alij adeunt Conciones, verùm ingredi nolunt mare pœnitẽtiæ ac ſeſe emendare; alij ingrediuntur & proponunt valedicere affectibus terrenis, pellici vſuræ, inimicitiæ, ebrietati, &c. Verùm illecti priſtinæ conuerſationis quaſi patriȩ dulcedine, eandem viam relegunt redeuntque cò vnde digreſſi ſunt: ſimiles ranis de palude ſuâ quandoque prorepentibus, mox tamen vbi ſtrepitum audierint, in eandem reſilientibus. Alij ingrediuntur pœnitentiam & traijciunt cum Chriſto: & hi demum digni fiunt, qui in conuiuio cœleſti à Chriſto ſatientur. Qui palatium vult extruere, nequaquam ſatis habet poſuiſſe fundamentum, neque erexiſſe parietes, ſed illud machinatur, vti vltimam manum ædificio imponat; fieri alioquin poteſt, vt fabrica cœpta & imperfecta ex aulà fiat caula, & *quicunque eam viderint, incipiant ei illudere dicentes; Hic homo cœpit ædificare & non potuit conſummare.* Idem eueniet ijs, qui pœnitentiam quidem inchoant, minimè tamen perficiunt.

D. III. Cuſtodiendi oculi.

FRAGMENTVM TERTIVM. Diſcite cuſtodire oculos. Auditis enim Chriſtum ſubleuaſſe oculos ad contuendam turbam ad ſe venientem; quo ſanè indicatur non ſine magnâ causâ attollere conſueuiſſe oculos, ſed eos modeſtè ſemper vel ad terram deflexiſſe vel intra limites ſuos continuiſſe; non quòd metueret oculis ſuis, ne præda aut prædones fierent, ſed vt nos doceret coërcere viſum. Scimus enim, quantum nocuerint oculi Euæ in arborem vetitam coniecti, *Gen.* 2. Dinæ in Sichimitas, *Gen.* 34. Vxori Putipharis in Ioſephum, *Gen.* 39. Dauidi in Bethſabeam 2. *Reg.* 11. ſenibus duobus in Suſannam *Dan.* 13. De Naphtâ ſulphureo bitumine ſcribit Plinius l.2.cap.105. *Huic magna cognatio ignium, tranſiliuntque protinus in eam vndecunque viſam.* Huiuſmodi igniculi ſunt oculi, qui in formas & pulchritudines elegantiores ilicò inſiliunt vndecunque viſas; adeò magna eis cum oculis cognatio eſt. Non tenemur quidem oculos vel claudere vel ad terram ſemper deijcere; tenemur tamen eos, Primò curioſè non circumferre vndique, quia hoc leuitatis eſt. Secundò auertere ab obiectis illis, quæ periculum peccati aut diſtractionis nobis ingerunt. Tertiò continere ſedulò dum oramus vel interſumus rei diuinȩ. Viciſſim etiam decet ſuo tempore eos attollere ad exemplum Chriſti, Primò ad conſiderandam & ſubleuandam pauperum inopiam, quod in hodierno Euangelio fecit Dominus. Secundò ad agendas Deo gratias, vt etiam hìc fecit, Marco teſte, panes iam multiplicaturus. Tertiò ad Deum deprecandum, vti fecit *Ioan.* 17. deprecaturus patrem. Quartò ad inſtruendos & dirigendos ſubditos, vti fecit *Luc.* 6. docturus diſcipulos. Quintò ad Dei gloriam in omnibus operibus quærendam vti fecit Ioan. 11. ſuſcitaturus Lazarum.

E. IV. Ante & poſt menſam orandum.

FRAGMENTVM QVARTVM, Diſcite benedictionem menſæ præmittere & ſubiungere gratiarum actionem. Etenim Dominus antequam diſtribueret panes *gratias egit*, atque vt S. Lucas ait, *ſuſpexit in cœlũ & benedixit eis.* Habemus huius rei præceptum Deut. 8. vbi dicitur: *Cùm comederis & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* Habemus exemplum veterum Hebræorum 1. Reg. 9. vbi populus de victimis nihil comedit donec Samuel eis benediceret. Recentiorum item, qui, (vt eſt in eorũ rituali) in conuiuijs longâ vtuntur benedictione, imò quoties noui & lauti affertur aliquid, peculiarem adhibent benedictionem dicentes: *Benedictus ſis Domine Deus noſter creator, qui bonus es & benefacis omnibus, qui creaſti hoc ſapidum vinum, hæc aromata, hos fructus,* &c. Habemus etiam exemplum veterum Chriſtianorum de quibus Tertullianus (qui circa annum Domini 203. vixit) *in Apol. c.* 39. ait: *Non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægoſtetur. Æquè oratio conuiuium dirimit.* Horum exemplo & nos ante comeſtionem ſuſcipiamus in cœlum, ad datorem omnium bonorum, indeque petamus cibum. Non ſimus inſtar equorum, qui in pabulum conciti mordent. Nec minori curâ poſt menſam gratias agamus, vt nouam in futurum mereamur refectionem.

F. V. Cura habenda pauperũ.

FRAGMENTVM QVINTVM, Diſcite liberalitatem & curam habere pauperum. Nam primò Dominus ſubleuauit oculos ad videndam multitudinem cibis deſtitutam. Idem & vos facite: aſpicite miſerias pauperum, nolite auertere oculos; nec conſiderate eorum infima, quòd miſeri, egeni, deſpecti ſunt: ſed eorum ſumma, quod in ijs Chriſtus eſt; iſtud eſt ſubleuare oculos ad eos contuendos. Deinde dedit liberaliter ita vt ſatiarentur, etiam ſine difficultate, non rogatus: Sic tribuite & vos. Dedit Chriſtus Apoſtolis panes, vt apponerent eos turbæ, dat etiam diuitibus opes Deus, non vt ipſi omnes deuorent, ſed vt egentibus communicent, *Fecit Deus diuitem,* inquit D. Auguſt. in Pſ. 123. *vt probet illum de paupere;* num videlicet fidelis diſpenſator bonorum DEI ſit? Nemo inueniatur, qui diffidat cum Philippo, dicens: Quis omnibus ſatis facere & dare? quis tot pauperes ſatiare poſſit? Tentat enim vos Deus, vtrum charitatem veſtram erga pauperes & affectum oſtendatis, vultque vt ſaltem pro viribus, & libenter

impendatis, quidquid tandem id sit.

G. VI. Prouidentia Dei in sustentandis hominibus. FRAGMENTVM SEXTVM, Discite Dei prouidentiam in sustentandis hominibus præsertim seruis suis. Magno miraculo pauit Christus plusquam quinque millia hominum paucis panibus & piscibus; sed si aduertere vellemus, non minori miraculo pascit adhuc mundum. Fridericus III. Imp. cùm ad Coloniensia Comitia repente ingens vis mortalium conuenisset, hospitum & ciuium censu instituto, panum quoque qui eo die in vrbe reliqui, ad cœnam seruabantur, numerum iniit: sic vt in 4. vel 5. capita singuli panes obolares vix responderent. Postero die equinam è tanto numero in tantâ panis paucitate esuriuissent, quæstione habitâ: diuinæ benedictionis memorabili exemplo, omnes affatim satiatos fuisse deprehendit, Refert Ioan. Agricola *in Adag. German.* Speciatim vero Deus prouidet seruis suis, quemadmodum in hodierno Euangelio, vbi accedenti ad se turbæ causâ verbi diuini, ipse interim cogitat, quomodo eam reficiat; tractatque de hoc cum Apostolis. Ita Danieli in lacu Leonum clauso & ab omnibus deserto, mittit Habacucum, qui deferat ei cibum, quem alijs parauerat. *Dan.* 14. Eliæ mittit coruum 3. *Reg.* 17. Filijs Israël manna. *Exod.* 16 In nouâ lege Paulo Eremitæ coruum, Ægidio ceruam, &c.

H. VII. Prius animæ quam corpori prouidendum. FRAGMENTVM SEPTIMVM, Discite primùm quærere regnum cœlorum & prouidere animæ quàm corpori; siquidem Christus priùs mentem quàm ventrem Auditorum suorum satiauit: *Loquendo illis de regno Dei,* vt ait Lucas, & *docendo multa*, vt ait Marcus. Itaque in diebus maximè festiuis priùs reficienda est anima verbo Dei & sacrificio Missæ; deinde primùm corpus. In ægritudine constituti priùs soliciti simus de animæ, postea de corporis sanitate parandâ, & vniuersim spiritualia præferantur corporalibus. Quem ordinem, quia plerumque peruertimus, ideò etiam nobis pleraque præposterè eueniunt. Audiamus S. Chrysostomum hom. 79. ad pop. *Propterea*, inquit, *multa tam in communibus quàm in priuatis rebus, præter sententiam nobis eueniunt, quoniam non circa spiritualia primùm, cùm verò circa secularia curam exhibemus*, &c.

I. VIII. Quadragesima præmittenda paschati. FRAGMENTVM OCTAVVM, Discite ieiunium quadragesimæ præmittere Paschali gaudio. Legitis enim in hoc Euangelio proximum fuisse Pascha, cùm daretur istud Epulum. Quos verò ibi cibos, quas cupedias apposuit Dominus? num carnem & butyrum? num lacticinia & oua? nequaquam; sed esuriales cibos, pisces cum panibus. Videtur ergo Dominus respexisse in hoc conuiuio ad nostram Quadragesimam; nec immeritò. Sciuit enim morem Hebræorum, quo ad vicinum pascha se disponere per ieiunium aliaque opera solebant. Ita legimus Ioan. 11. *Proximum erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi de regione ante pascha, vt sanctificarent seipsos*; haud dubiè ieiunijs alijsque pijs operibus. Quadraginta autem dies decreuit Ecclesia huic ieiunio, quia in totidem diebus formatur in vtero matris fœtus masculus, quadragesimo die animatur, ex receptâ Philosophorum sententiâ. Volens ergo Ecclesia in paschate nos animare & viuificare Dei gratiâ; idcircò 40. diebus format & sanctificat nos per ieiunium aliaque pœnitentiæ opera.

K. IX. Temperantia sectanda. FRAGMENTVM NONVM, discite temperantiam; quando Dominus nequaquam delicatas epulas veluti perdices, Capones, phasianos, ostrea, ferinas carnes aliaque gulæ irritamenta procurauit, cùm æquè facilè posset, sed panes eosque hordeaceos tantùm cum piscibus. Voluit enim necessitati hominum consulere, non cupiditati. Illa facilis Domina est, hæc verò difficilis & Tyrannus; illi pane & aquâ satisfit: huic neque mari neque tellure. Sufficiens cibus Hebræis erat manna in deserto; sed quia præterea carnes desiderârunt ad satiendam cupiditatem, ideò ira Dei *ascendit super eos & percussit eos plagâ magnâ*. Vnde locus ille *sepulchra concupiscentiæ* appellatus, *Num.* 11. Fuit autem ea plaga ignis, qui & ipse insatiabili ingluuie omnia depascit. Vidit aliquando S. Antoninus ambulans pauperculæ domui, in quâ vidua cum tribus filiabus lanæ & lini opificio victum sibi parabat, Angelos insidentes. Misertus ergo illarum iussit eis donari, quantum sufficeret ad commodam sustentationem. Sed posthac eodem aliquando reuersus, vidit insidentem domui diabolum: quod mulierculæ nonnihil ditatæ per eleemosynam illam, luxui se & otio dedissent. Vinc. Maynardus in eius vitâ apud Surium 2. Maij. Sufficit ergo pauperibus tenuis sustentatio: nocent divitiæ. Et certè iustis pauperibus meliùs sapiunt viles & obuij cibi, quàm diuitibus malis pretiosi & delicati. Patet in Eliâ qui pane subcinericio & aquâ refectus adeò bene epulatus est, vt inde obdormiret & posteà ambularet diebus 40. 3. *Reg.* 19. Patet in Daniele & socijs, qui leguminibus & aquâ victitâtes robustiores & speciosiores euaserunt, quàm alij honorarij pueri regijs enutricibis. *Dan.* 1.

L. X. Ordo seruandus in Ecclesia. FRAGMENTVM DECIMVM, Discite bonos mores à Conuiuis hodiernis. Nam primò iussi sedere humi, consident eo quo iussi ordine, *per contubernia, centeni & quinquageni*, vt scribit Marcus. Deinde patienter expectant, donec sibi afferantur panes: non ipsi inuolant, in cophinos Apostolorum. Denique non putabant licere sibi discedere in vicos ad emendos panes, nisi à Christo dimitterentur? Vnde dicût Apostoli: *Dimitte turbas, vt euntes in castella inueniant escas*, teste Lucâ. Discite hinc Christiani ordinem decentem seruare maximè in templo ad sedendum, standum, flectendum, accedendum in confessione, communione, oblatione, & deinde patienter expectare non initium modò rei diuinæ, sed & finem. Nemo se è templo subducat ante finem, quia talis & alios perturbat & præcepto Ecclesiæ non satisfacit, si Missæ notabilem partem negligat.

M. XI. Superflua pauperibus danda. FRAGMENTVM VNDECIMVM, Discite dona Dei non negligere, sed quod superest vobis,

bis, vtiliter insumere in vsus pauperum. Propterea enim non iussit Dominus colligi Fragmenta: ne perirent; sed vt egentibus afferrentur. Nemo tunc amplius in turbâ reperiebatur esuriens, non ideò tamen abiectæ sunt reliquiæ (vt fieri solet in mensis diuitum) sed eò asportari iussæ vbi pauperes occurrerent. Videant hic illi, qui malunt superflua sua tineis & blattis, canibus & luronibus depabulanda dare, quàm pauperibus: Item qui ea, quæ paulò pòst peritura sunt domi suæ malunt interire, quàm pati vt à domesticis erogentur in vsum pauperum. Fuit aliquando B. Bertulphus adhuc in sæculo degens (posteà Abbas S. Petri apud Gandauenses circa annum Domini 1070.) in seruitio Wamberti Comitis, è cuius bonis, maximè verò de ciborum reliquijs, largas eleemosynas pauperibus donabat, augebantur interim non minuebantur facultates Domini. Verùm inuidentes illi cæteri famuli detulerunt eum ad Dominum, quasi rei domesticæ dissipatorem, nuntiantque ei vespertino quodam tempore egredi Bertulphum cum huiusmodi furtiuis epulis & vino ad pauperem. Reuocatur ad Comitem Bertulphus & quid gerat interrogatur. Cui ille: *In vase hoc sitis aquam habeo, quam ad ignem calefactus sum.* Gustauit Comes & aquam deprehendit: quæ tamen vbi ad pauperem delata fuit, vini naturam recepit. Apud Surium in vitâ. 5. Februar. Voluit hoc miraculo Deus erudire Dominos, vt non facilè prohibeant domesticis suis, superflua interitura bene dispensare, ne pereant.

N. XII. Contemnere honores. FRAGMENTVM DVODECIMVM, Discite contemnere honores & fauores hominum; quod docuit Christus Dominus cùm aduertens populi studium fugit in montem, quò regiam dignitatem sibi offerendam declinaret; hominesque erudiret, quanta sint incommoda & pericula eorum, qui in summis dignitatibus constituti sunt. Huiusmodi sunt, sibi vix vnquam vacare posse, ad subditorum tantùm vitam, pacē & conseruationem attendere. Vnde Claudianus ad Honorium dixit:

Tu ciuem patremq́; geras: tu consule cunctis

Non tibi: nec tua te moueant, sed publica damna.

Deinde suo exemplo malo omnes alios peruertere, ita vt non liceat ei soli malum esse, nec magis, quàm Soli latere. Rursum seruorum suorū ita indigere operâ, vt sine ijs vix quidquam agere, vix viuere queat, atque vt eos obsequiosos habeat, vicissim eis seruire debeat. Nisi enim eos affabilitate, munerum largitione, errorum multorum dissimulatione sibi deuinciat, vix vnquam fideles ac beneuolos habebit. Hinc quidam Rex dixisse fertur se esse Regem Regum Dominumque dominantium, hoc est, eorum, qui ipsimet regunt & obtemperant cùm ipsis placet, adeoque dominantur arbitratu suo, apud Serar. in c. 1. Iosu. Ad hæc de singulis sibi cōmissis capitibus dare rationem Deo: de singulis tributis, exactionibus, nummis, honoribus, de toto principatûs fine & medijs, quibus acquisitus, administratus, &c. quodque pessimum est, non habere facile, qui delinquentem audeat corrigere. Viderunt hæc & similia non pauci ex ipsis Gentilibus cæteroqui ambitiosissimis, qui vel oblata imperia respuerunt, vel etiam deposuerunt. Hoc postremum facere non semel cogitauit Augustus: Fecit Diocletianus.

Superest nunc vt nos Auditores fragmenta hæc colligamus, quia, in bonum nostrum à Christo reseruata sunt. Videat vnusquisque ex quo potissimùm cophino frustum suum depromat, quod sibi maximè expediat, vt ita simul omnes satiati mente, non ventre, vno ore honorificemus Deum & Christum Regem nostrum

CONCIO X.

Mysteria.

1. *Quaritur cur abierit Christus trans mare.*
2. *Cur Christi miracula omnia ad miserias pellendas facta.*
3. *Quare subierit in montem.*
4. *Cur ad Philippum ait Vnde, &c.*
5. 6. *Cur ex panibus præexistentibus pauerit turbas, ac tamdiu distulerit.*
7. *Cur viri tantùm computentur.*
8. *Quid sibi velint caremonia omnes, quas Christus hic adhibuit.*
9. *Cur voluerit superesse 12. cophinos.*
10. 11. *Quare turba voluerit eum regem facere, & cur fugerit.*

THEMA.

Abijt IESVS trans mare Galilea. Ioan. 6.

TAntum est hodiernum Christi miraculū, vt etiā inter Ethnicos à Sibilla prædictū fuerit, sicut refert Lactantius. l. 4. c. 14. *In panibus simul quinque & piscibus duobus Hominum millia in deserto quinque satiabit, & reliquias tollens post fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in spem multorum.* Eiusdem miraculi præludium præcessit in Elisæo Prophetâ apud Iudæos, quando 20. panes hordeaceos iussit apponi centum viris, quibus adeò satiati sunt, vt etiam superfuerit. 4. *Reg.* 4. Sed quemadmodum vmbra à corpore, sic miraculum Elisæi, à miraculo Christi vincitur. Ille enim 20. panibus centum viros pauit, vt aliquid superesset: hic verò quinque panibus quinque virorum millia absque mulieribus & paruulis ita satiauit; vt duodecim cophini fragmentorum superessent: quodque est potissimum, ille id alienâ, hic propriâ virtute fecit hoc miraculum; quod, quia mysterijs refertissimum, attentè considerandum est. A.

B. I. Cur abijt Christus trans mare, &c. Q. PRIMA, Cur abijt Christus trans mare in desertum? Respondetur Primò ex Hieronymo *in Matth.* 24. & Bedâ, Vt sæuitiæ Herodis cederet, qui paulò antè occiderat Ioannem, adeo-

adeoque necem etiam Christo machinari poterat. Vnde *Luc.* 13. dicunt ei Pharisæi: *Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Vbi etiam discis quàm facilè potuerit quandocunque voluit effugere manus persecutorum, etiam modis naturalibus, non erat necesse vt se inuisibilem faceret, &c. nouerat modos faciliores & humanos: qui nouerat omnium consilia.

2. Secundò ne Herodis curiositati satisfaceret, qui quærebat eum videre *Luc.* 8. num videlicet esset Ioannes à se occisus, quem putabat resurrexisse. Vel vt signum aliquod ab eo, videret. *Luc.* 23. Sed IESVS amabat tantùm videri ad salutem, non ad curiositatem.

3. Tertiò, Quòd discipuli eius legatione functi & bene defatigati redierant, & ob id quiete indigerent. *Luc.* 6. & *Marci* 6. vbi ait illis: *Venite seorsum in desertum locum & requiescite pusillùm.* Pusillùm ergo quiescere conceditur à Christo. Verùm vti à turbis ad quietem spiritûs & orationis se recepit Christus: ita & nos à curâ proximorum ad propriam animæ curam subinde nos recipere debemus. Etenim terra maiorem habet vim ad producendas fruges, si quiescat interdum, nec semper iactâ semente exerceatur.

4. Quartò, Vt dolorem solaretur ex nece Ioannis conceptum. Homo enim cùm esset, humanos affectus demonstrabat, vti & in Lazari morte.

5. Quintò, Mysticè, vt doceret, Primò quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei: vbi panis gloriæ proponitur edendus. Qui hanc viam non tenent, ad cœlum Epicuri venient. Nemo miratur, si in mari fluctuet: ita ne mireris, si in mundo pressuras experiaris.

Secundò, Ad communionem perueniri mediante pœnitentiâ debere. Sicut priùs peruenerunt Israëlitæ ad aquas amaras *Exod.* 15. quâ plueret eis manna *Exod.* 16. Tametsi multi instar Hebræorum conqueruntur de aquæ huius amaritudine. Sed *dulcia non meruit, qui non gustauit amara.* Ita per quadragesimale ieiunium & pœnitentiam ad Pascha peruenimus: licet etiam multis non sapiat Quadragesima. DEVS ostendit Moysi lignum, quo dulcoratæ sunt aquæ illæ. Cogita tu lignum Crucis, quantos pro peccatis tuis sustulerit dolores DEI filius: & videbis dulces esse labores pœnitentiæ.

C. II. Cur Christi miracula omnia ad miserias pellendas facta. QVAEST. SECVNDA, Cur Christus omnia sua miracula curandis hominum corporibus & pellendis eorum miserijs impendit? Respondetur primò, vt per hoc animas etiam lucraretur, & hoc quasi vehiculo beneficij corporalis homines ad fidem suam suauiùs & faciliùs adduceret. Pendet enim fides non solùm ex intellectu, sed etiam ex voluntate bene affectâ; vnde multùm iuuat ad persuadendũ, beneuolos sibi reddere animos aliquo beneficio.

1.

2. Secundò, Vt indicaret causam, quæ de cœlo in terram eum traxit: Miseria videlicet nostra, & ipsius misericordia. Venit enim tanquam Medicus animarum morbos depulsurus, solâ motus misericordiâ super nostris vulneribus & miserijs, vti in Samaritani illius parabolâ ostendit ipse, & alibi edixit: *Ego veni vt vitam habeant.* Item: *Filius hominis non venit perdere homines, sed saluare* (quando incitabatur ad perdendos Samaritanos igne de cœlo misso.)

Tertiò; Ne cui foret occasio opinandi, miracula eius ad ostentationem tantùm aut ope dæmonum fieri. Quomodo enim benefacere, ret hominibus operâ dæmonum, qui non veniunt nisi vt mactent & perdant homines? Et quomodo ad ostentationem faceret miracula quæ omnia impendit miseris? nullum fecit inutile, nullum vel vni noxium; nullum nisi visâ priùs hominum miseriâ, vti in hodierno etiam miraculo asserit Marcus. 3.

QVAEST. TERTIA, Cur subijt IESVS in môtem cum discipulis? Respôdetur Primò ad literam, vt discipuli ex itinere priùs fatigati quiescerent à turbâ, vel vt ipse cum discipulis subinde à tumultu populi se subduceret & orationi vacaret. D. III. Cur subijt in montem Christus. 1.

Secundò. Alleg. quia ipse erat mons ille descriptus Isa. 2. *in vertice montium, eleuatus super omnes colles*, id est, sanctos, idque partim ob suppositi diuini eminentiam, partim ob vitæ & doctrinæ præstantiam. De illo monte ait Isaias: *Et fluent ad eũ omnes gentes & ibunt populi multi.* De isto ait Ioannes: *Et sequebatur eum multitudo magna.* De monte descendunt pluuiæ in valles: ita de Christo gratiarum imbres ad populum inferiùs expectantem. 2.

Tertiò, Tropol. quia decet discipulos, id est, religiosos & clericos altiùs ascendere cũ Christo, quàm vulgus, ad perfectionis montem videlicet. Vnde Arsenio Eremitæ, cùm descendisset aliquando de eremo ad flumen, & tactus ab Æthiopissâ per meloten, increpasset eam, respondit puella: *Si monachus es, vade in montem.* Quo ille verbo compunctus, crebrò se compellabat: *Arseni, si Monachus es, vade in montem.* 3.

E. IV. Cur ad Philippũ ait: Vnde ememus panes. QVAEST. QVARTA. Cur ad Philippum dixit? *Vnde ememus panes?* Respondetur Primò vt Philippum tentaret. Sciendum autem Deum tentare ad bonum, obijciendo aliquod obiectum virtutis exercendæ, eo fine vt virtus in homine latens ostendatur, acuatur, perficiatur & tandem coronetur. Diabolus verò tentat ad malum, obijciendo illecebras, hoc fine vt pertrahat hominem in peccata & gehennam: cuiusmodi malorum *intentator est Deus* Iac. 1. Ita ergo nunc Christus tentauit Philippum, vt fidem eius (num videlicet paucis panibus posset satiare tot homines) exerceret & patefaceret. Latuisset Abrahæ obedientia, castitas Iosephi, mansuetudo Dauidis, patientia Iob, fortitudo Tobiæ, constantia Chananeæ, &c. nisi tentata fuisset. Ita tentat nos Deus per quadragesimam ieiunij præcepto, an ipsum plusquam nos: Ecclesiam plusquam mundum aut ventrem, an animam plusquam corpus diligamus.

1.

Secundò. Vt hac propositione Philippus & omnis turba clarius aduerteret defectum sub- 2.

subsidij humani, adeoque miraculum manifestius fieret. Hinc solet differre Deus opitulationem suam in rebus nostris aduersis eousque, donec aduertamus nostram desolationem & impotentiam, sicque Dei succurrentis beneficium magis agnoscamus & glorificemus.

3. Tertiò. Vt ostenderet quantâ potestate & facilitate faceret miracula: quasi per ludum videlicet iuxta id: *Ludens in orbe terrarum.* Sciebat quid esset facturus, interrogat tamen discipulum de modo pascendi tantum populum, quasi id difficillimum aut impossibile esset. Quâ in re ostendit se superiorem prophetis & alijs, qui miracula faciebant, sed vt ministri, non vt Domini: precibus, non imperio.

F. V. Cur ex panibus præexistentibus pauit turbas.

QVÆST. QVINTA. Cur ex panibus & piscibus non de nouo creatis, sed præexistentibus pauit turbas? Resp. Primò vt virtus miraculi euidentiùs constaret. Multiplicatio paucorum panum magis erat perceptibilis, quàm creatio nouorum. Rursum si non panes inter præsentes reperti, sed aliunde allati fuissent ad
1. multiplicationem adhibiti, potuissent aliqui dicere, multiplicationem ope dæmonum aut occultâ panum illorum virtute factam. Adeo enixè studuit optimus Magister noster veritatem cordibus nostris imprimere, & errorum vias præcludere.

2. Secundò, Mysticè, vt ostenderet, se legem veterem in 5. illis panibus significatam, non velle soluere, sed adimplere. Vnde lex noua non vocatur noua, quòd à veteri prorsus diuersa sit & alia: sed quòd renouata & reformata seu perfecta. Vetus enim per nouam explicatur ac perficitur.

3. Tertiò. Quia vult nos sibi cooperari, & quãtum in nobis est, nostra ei offerre: sic ab eo fient plura & meliora. Fac & da Deo quod in te est, Deus addet reliqua, & reddet tibi cum fœnore.

G. VI. Cur tamdiu beneficium distulit.

QVÆST. SEXTA. Cur tamdiu beneficium distulit, tot ambagibus vsus, antequam famescentem turbam pasceret? Respondetur. Primò vt maioris æstimarent beneficium, maiorique gratitudine acceptarent. Quando de leui mor-
1. bo curamur à Medico, minùs æstimamus beneficium, minùs agnoscimus & prædicamus eius peritiam, minùs ei grati sumus: sed multò maximè, cùm de lethali & conclamato. Sic cùm in paruâ egestate copiosas fruges dat Deus, minùs æstimamus, quàm cùm in maximâ.

2. Secundò, Vt doceret nos in ipsum rebus desperatis, maximè sperare. Vbi enim deficiunt humana subsidia, ibi suppetunt diuina. Dauid in angustum redactus à Saule & in modum coronæ vndique cinctus, orauit ad Dominum *Psal.* 53. & repentè liberatus est 1. *Reg.* 23. Ita Sarepthanæ cùm non haberet nisi pugillum farinæ, multiplicata est farina per Eliam 3. *Reg.* 17. Ita viduæ alteri, cùm non haberet plus olei, quàm quo vngi posset, & creditores peterent eius filium ad seruitutem, multiplicatum est beneficio Elisæi 4. *Reg.* 4. Ita Susanna, cùm iam ad supplicium damnata duceretur, liberata est per Danielem. *Dan.* 13. Ita Fælix Nolanus presbyter, ab insequentibus se satellitibus, beneficio telæ aranearum saluatus est inter duos parietes, &c.

H. VII. Cur viri tantùm, non fœminæ computantur.

QVÆST. SEPTIMA. Cur viri tantùm, non item fœminæ & pueri ponuntur in numero confidentium; ait enim Matthæus: *Exceptis mulieribus & paruulis?* Respondetur id ex more S. Scripturæ factum. Primò, quia fœminæ & paruuli ad viros spectãt ijsque subiecti sunt. Ita
1. in Conuentu Principum aut nobilium numerantur Domini tantùm, non item coniuges, liberi & serui eorum. Ideò nec genealogias fœminarum texit scriptura. Vult ergo per hoc Scriptura insinuare mulieribus, quod subditæ sint viris, & viri earum capita: paruulis similiter se non sui iuris sed parentum esse.

2. Secundò, quia fœminæ in SS. literis significant homines molles, voluptuarios, delicatos, inconstantes; pueri verò imperfectos & insipientes. Vt ergo indicetur tales excludi à conuiuio cœlesti, quod per hoc terrestre repræsentabatur; non nominantur fœminæ & pueri. *Regnum* enim *cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud,* ait Dominus. Qui ergo puerorum instar timidi, vel fœminarum instar inconstantes aut nimis delicati sunt, non obtinebunt regnum cœlorum. Origenes *homil.* 1. *in Num.* ait: *Donec inest alicui nostrum vel puerilis vel lubricus sensus, vel fœminea & resoluta segnities, haberi apud Deum in sancto & consecrato numero non meremur.*

I. VIII. Quid illæ cæremoniæ.

QVÆST. OCTAVA. Quid sibi volunt illæ cærimoniæ? Nam primò accepit Christus quinque panes in manus, deinde gratias egit; rursum secundùm Marcum, intuens in cœlum, benedixit & fregit panes & dedit discipulis suis vt ponerẽt ante eos. Respõdetur primò, ac-

1. *Accepit panes in manus.*

cepisse in manus, vt se miraculi authorem declararet; nec impetrasse panes precibus, vti Elisæus & alij sancti obtinuerunt: sed virtute pro-
2. priâ & tactu manuũ suarum multiplicasse. Secundò, vt sciremus de liberalitate manuum Dei pasci omne viuens, iuxta id Psalmi 144. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis manum tuam & imples omne animal benedictione.* De illius manibus fruges nobis crescunt & fœtus animaliũ gignuntur & multiplicantur quotidie. Nemo suæ industriæ victum suum adscribat.

2. *Aspexit in cœlũ.*

Secundò, in cœlum suspexisse. Primò, vt
1. ostenderet se de cœlo esse, & de Patre suo cœlesti hanc potestatem habere: nec Deo repugnare, vt calumniabantur Iudæi. Secundò, vt
2. doceret omne datum optimum & omne donum perfectum *de sursum esse descendens à patre luminum,* vt Iacobus ait; proinde & nos ad cœlum subinde, dum bonis Dei fruimur, oculos leuare, velut anseres dum bibunt; non cibum solummodo & terram aspectare quemadmodum porci faciunt glandibus intendentes, ad quercum verò nunquam suspicientes. Tertiò,
3. vt doceret nos omnia, præsertim bona opera, eleemosynas, &c. dirigere ad Deum, vt ei soli placeamus, non ad vanam gloriam, &c.

3. *Gratias egit.*

1. Tertiò, Gratias egisse, Primò, quia beneficium

cium hominibus conferendum, suum reputa-
bat. Et sicut caput pro membrorum refectio-
ne, sic Christus pro nobis agit gratias Deo, pręser-
2. sertim quia nos sæpe non agimus. Secundò. Vt
doceret nos gratias agere, quoties occasionem
nanciscimur benefaciendi proximis. Hoc enim
si rectè expendatur, maius est beneficium,
quàm quod alteri impendimus; quoniam
Dominus dixit: *Beatius est magis dare, quàm acci-
pere*, ait S. Paulus *Actor.* 20. Pro beneficio &
gratiâ reputatur, si recipiat ab aliquo Princeps
ad censum annuum magnam pecuniæ sum-
mam. Atqui *fœneratur Domino, qui miseretur pau-
peris*, ait Sapiens *Prouerb.* 19.

4. Benedixit. Quartò. Benedixisse, Primò, vt hac bene-
dictione panibus & piscibus multiplicationem
1. impertiret. Secundò, vt doceret nos ante com-
2. estionem mensæ benedicere. Primò ne cibus
Ante mensam orandum. à dæmone eiusque potestate inficiatur, san-
ctificatur enim per verbum Dei & orationem,
ait Apostolus. 1. *Timoth.* 1. Secundò, ne instar
1. pecorum aut infidelium in cibos irruamus, sine
2. vllâ piâ cogitatione. Certè Esseni Iudęi, ante
& post cibi sumptionem fundebant orationem
Ioseph. *lib.* 2. *bell.* *cap.* 7. Imò & Turcas præ-
mittere mensæ solitas orationes testantur Le-
3. gati Christianorum. Tertiò, ne cibus obsit
corpori & animo per intemperantiam, &c.
Quis enim est, inquit S. Augustinus lib. 10. con-
fess. cap. 31. *qui non rapiatur aliquantulùm extra
4. metas necessitatis?* Quartò; vt moneamur refe-
ctionem nostram facere, non ad voluptatem,
sed ad Dei honorem & obsequium. Non pos-
sumus nos per benedictionem nostram cibos
multiplicare, possumus tamen sufficientiam in-
deficientem obtinere. *Mensa*, inquit S. Chryso-
stomus hom. 79. ad pop. *ab oratione sumens ini-
tium & in oratione desinens nunquam deficiet, sed
fortè largiùs omnia nobis afferet bona.*

5. Fregit. Quintò. Fregisse. Primò, vt commodiùs
turbæ distribuerentur: docens interim Docto-
1. res Ecclesiæ frangere paruulis panem, & ad ca-
ptum eorum accommodare conciones, vt eas
cum fructu audire queant.

2. Secundò. Vt vnitatem & concordiam nobis
commendaret, quos de eodem pane participa-
re voluit, velut domesticos suos ex eadem pa-
nis massâ.

6. Dedit discipulis distribuendos. Sextò, Dedisse discipulis distribuendos. Pri-
mò, vt ne obliuiscerentur miraculi, sed memo-
res eius essent, cogitantes quot panes in manus
sumpserint, vt ait Theophyl. *in Luc.* 9.

1. 2. Secundò. Vt doceret Apostolos fore mini-
stros suos in verbi Dei & Sacramentorum dis-
pensatione, eaque ab ipsis non aliter quàm à
Christo suscipienda.

K. IX. Cur superfuerunt 12. Cophini. QVAEST. NONA. Cur voluit superesse
fragmentorum 12. cophinos? Res. Primò. Vt
apparet turbam verè de panibus comedisse &
saturatam esse: non phantasticè, quomodo Sa-
1. gæ cibantur sæpe à Dæmone muribus, gliribus,
bufonibus, sordibus, lignis, &c. speciem opti-
marum epularum repræsentantibus.

Secundò. Vt discipuli haberent monumen- 2.
tum fiduciæ in Christo ponendæ. Hinc enim
paulò pòst cùm abeuntes trans fretum soliciti
essent, quòd non accepissent secum panes, mo-
nentur à Christo horum cophinorum: *Non in-
telligitis*, inquit, *neque recordamini quinque panum
in 5. millia hominum: & quot cophinos sumpsistis?*
Matt. 16. Similiter vt & nos Deo confidamus
in nostris necessitatibus; siquidem adeò libera-
liter cibũ suppeditauit Christus, vt superesset.
Ita Elisæus diffidẽti ministro & dicẽti; *Quan-
tum est hoc, vt appenam coram centũ viris?* respon-
dit: *Da populo vt comedat. Hæc enim dicit Dominus:
Comedẽt & supererit.* Atq; ita factum est 4. *Reg.* 4.
Ostendit ergo hîc Dominus diuitias bonitatis
suæ, quia nimirum potens & paratus est dare
pluribus & plus quàm petatur aut opus sit.

Tertiò. Vt commendaret eleemosynę virtu- 3.
tem, quæ semper plus à Deo recipit, quàm ex-
ponat. Testis vidua Sarepthana quę pro pugillo
farinæ & olei recepit ab Elia hydriâ plenam.
Testis Salomon Prouerb. 3. *Honora*, inquit, *Do-
minum de tuâ substantia, & de primitijs omnium
frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur hor-
rea tua saturitate & vino torcularia tua redunda-
bunt.* Idem indicauit Dominus in parabolâ 10.
minarum, Luc. 19. quando dixit: *Omni habenti
dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet, &
quod habet auferetur ab eo.* Quis est qui habet? qui
pauperi quidpiam poscenti respondet; Habeo.
Quis est, qui habens non habet? qui cùm ha-
beat, pauperi dicit: Non habeo. Habet enim
perinde quasi non habeat, quia non vtitur, nec
audet vti, seu dare ad mensam pauperum, cum
fœnore recipiendum.

Quartò. Duodecim cophinos, vt quiuis A- 4.
postolus haberet gestandum corbem, vel in
mulctam diffidentiæ vel in signum Euangelij
ab eis prædicandi per orbem.

QVAEST. DECIMA. Cur turba voluit eum L. X.
Regem facere? Resp. quia cùm carnali sensu Cur turba voluit
expectâsset Messiam Regem, qui eos omnibus cum Regem facere.
bonis, & diuitijs imprimis, abundare faceret;
Christum hunc fore credebant. Vnde in Gręco
textu dicunt: *Hic est verè ille Propheta*: nempe
Messias noster tamdiu expectatus.

QVAEST. VNDECIMA. Cur fugit à turbâ M. XI.
Christus? Resp. Primò, quia non venit in mun- Cur fugit Christus.
dum, vt hîc regnaret, sed vt per tribulationes
viam sibi ad regnum cæleste sterneret. 1.

Secundò, Quia ipsius est dare regnum, non 2.
accipere ab hominibus.

Tertiò. Quia noluit seditioni causam præ- 3.
bere, quæ haud dubiè orta fuisset, si in regem
electus fuisset. Quid enim Romani dixissent?

Quartò. Vt doceret nos honores & dignita- 4.
tes non ambire sed fugere potiùs; præsertim
quando electores vel non sobrij vel beneficijs
deliniti sunt, vt erant isti.

DOMINICA PASSIONIS.

Euangelium Ioannis 8.



N illo tempore: Dicebat IESVS turbis Iudæorum & principibus sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit IESVS: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam: Est qui quærat & iudicet. Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est; & Prophetæ mortui sunt? Quem teipsum facis? Respondit IESVS: Si ego glorifico meipsum gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est: & non cognouistis eum. Ego autem noui eum. Et si dixero quia non scio eum: ero similis vobis mendax: sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum: & vidit: & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis IESVS: Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum, IESVS autem abscondit se, & exiuit de templo.

CONCIONES.

CONCIO I.

Ratio expugnandi & vincendi Dæmones.

1. *Vincuntur dæmones per diffidentiam sui & confidentiam in Deo.*
2.3.4. *Per fidem, orationem & ieiunium.*
5. *Per Dominicæ paßionis meditationẽ, imitationem, applicationem, inuocationem & venerationem.*
6. *Per retorsionem suggestionis.*

THEMA.

Tulerũt ergo lapides vt iacerent in eũ, Ioa. 8.

A. VIdimus superioribus Dominicis armaturam dæmonis, & fugere didicimus, sed nondum militare. Prodit igitur hodie dæmon maiore cum audaciâ, & qui initio Quadragesimæ Christo monstrauit tantùm lapides, hodie eos tollit manibus Iudæorum, vt iaciat in eum. Tempus igitur est, vt etiam nos ad præliũ accingamur; & quibus alijs armis, nisi quibus vicit Dauid? Ergo lapidemus dæmonem, qui hodie per Iudæos lapidare voluit Christum.

PRIMÒ, Dauid in suis vestibus & pastoralibus tantùm armis, baculo & fundâ aggressus est Goliatum, respuitque arma Saulis ferrea & militaria, galeam, loricam, gladium. Confidebat enim Dauid nõ in armis suis, sed in Dei præsidio, Vnde ait Goliatho: *Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo: ego autẽ venio ad te in nomine Domini. Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hastâ saluat Dominus: ipsius enim est bellum.* Primum igitur armorum genus contra dæmonem est diffidere sibiipsi & confidere in Deo, iuxta id Psalm. 90. *Quoniam in me sperauit liberabo eum.* Vis rationem? statim eam subdit B. Propheta: *Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum;* non qualicunque cognitione, sed quomodo ouis agnoscit pastorem, filius parentem ad quem habet recursum suum; ac denique proteget eum, qui cognouit nomen Domini turrim esse fortissimam, vti ait Sapiens Prouerb. 18. *Turris fortißima nomẽ Domini, ad ipsam currit iustus & exaltabitur.* Hac ratione qui cognouit nomen Dei, meretur ab eo protegi. Vnde ad prædicta Psalmi verba subdit S. Bern. ser. 15. in Psalm.

I. Per diffidentiam sui & confidentiam in Deo.

Psalm. 90. *Si tamen cognouerit nomen meũ, ut sibi tribuat, quod liberatus est, sed nomini meo det gloriã.* Cùm enim hoc prælũ sit Dei prælium, pro Dei honore susceptum; vult Deus vt in ipsius nomine id suscipiamus & victoriam nõ nobis, sed ipsi adscribamus. Hac de causâ voluit Deus vt Gedeon contra 135000. Madianitarũ pugnaturus, de suis militibus, qui erant 32000. nõ plures retineret quã trecentos, reliquos omnes dimitteret; *ne glorietur contra me Israël,* inquit, *& dicat: Meis viribus liberatus sum.* Iud. 7. (Hebr. *ne seipsum iactet Israël contra me dicendo: Manus mea saluauit me.*) Huc pertinet illud oraculum Dei celeberrimũ S. Antonio datũ, qui cùm videret in Spiritu totum mundũ plenũ laqueis, illachrymans exclamauit: *Heu Domine, quis effugiet tot laqueos?* mox audijt: *Humilitas.* Paruulum igitur & imbecillum te agnosce, & robur tuum in Deo quære: sic euades & liberaberis, quo modo paruuli pisces omnia euadunt retia. Vnde Psalm. 146. dicitur: *Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sum & liberauit me.*

C. II. Per fidê. SECVNDÒ. Tulit baculum, quem semper habebat in manibus. Baculus noster fides est; in hoc enim baculo transiuimus Iordanem, *Genes.* 32. (Baptismũ) & hũc in manibus nostris semper gerere eoque niti debemus, ac canes tartareos abigere, iuxta id 1. Petr. 5. *Aduersarius vester diabolus tanquã Leo rugiẽs circuit quærens quẽ deuoret: cui resistite fortes in fide.* Quod fiet si ingruente tentatione apprehendamus fidei nostræ dogmata & monita dicendo sathanæ: Tu quidem hoc vel illud suades: verùm fides, cui nomen dedi, istud prohibet & fugiendũ docet, veluti rẽ noxiam & ducentẽ ad perditionẽ: docet peccatoribus paratam esse gehennam, bene viuentibus vitam æternã, &c. In hanc fidẽ ego iuraui in Baptismo: hęc baculus est firmissimus quo securè nitor, qui cadere me non sinet, &c. Ferunt mustelam serpenti inimicam, quando eam aggredi parat, rutã edere & hoc quasi clypeo tectam fidenter eum inuadere. Plin. *l.* 20. *cap.* 13. Ruta nostra fides est, quia vt ruta cruda sumpta visum acuit: ita fides mentis oculos illuminat. Hinc Apostolus ad *Ephes.* 6. fidem appellat *Scutum*; quia vt scutum tuetur hominem & omnes ictus retundit: ita fides animam contra inflictus dæmonum. Testem addamus S. Antonium fortissimum Athletam in hoc præliandi genere, qui inter alia: *Magna,* inquit, *dilectissimi aduersum dæmones arma sunt, vita syncera & intemerata ad Deum fides.* Athanasius in vitâ.

D. III. Per orationem. TERTIÒ. Fundam manu tulit. Funda nostra oratio est, quâ ad cœlũ eiaculamur desideria & vota nostra. Et hæc optimum præsidium est contra dæmonis tentationes iuxta id Matth. 17. *Hoc genus* (dæmoniorum) *non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Et Matth. 26. *Vigilate & orate vt non intretis in tentationẽ.* Id quod exemplo etiam suo docuit, dum nocte passionem præcedente per prolixam orationem ad certamen se muniuit, non quòd ipse eâ egeret, sed vt nos instrueret. Figuratè hoc expressum est, quando Moyses in deserto eleuauit manus orans, & orando cædens Amalec magis quàm Iosue gladio, *Exod.* 17. Vincebatur enim Amalec quãdiu leuauit Moyses manus. *Nobis etiam pugna est,* inquit Origenes hom. 11. super Exod. *aduersus Amalec, hoc est, aduersus principes & potestates & rectores tenebrarum harum, eleua & tu manus ad Deum, &c.* Nam oratio, inquit S. Aug. *oranti est præsidiũ, Deo sacrificium, Dæmoni flagellum.* Itaque eiaculare ad Deũ crebras precatiunculas, quibus opẽ eius implores, qualis est illa S. Aug. *Si me non protegis, quia pullus sum, miluus me rapiet: quare sub vmbra alarũ tuarum protege me.*

E. IV. Per ieiunium. QVARTÒ. Peram pastoralem habebat secum. Pera nostra ieiunium est & venter inanis; quẽadmodum & pera Dauidis panibus vacua & lapidibus solis impleta fuit. Hoc armorum genus subministrauit nobis Christus, non tantum verbo, vt suprà vidimus, sed etiam exemplo; siquidem & ipse hanc peram corpori suo aptauit, quando per ieiunium 40. dierum ad pugnam tentationum contra dæmonem se armauit, vbi inanem ventris peram (vt sic loquamur) non panibus implere voluit, sed lapidibus potiùs, quia noluit è lapidibus panes sibi facere. Hoc autem fecit Dominus ad nostram instructionem. Audi S. Ambrosium epist. ad Eccles. Vercellensem. *Dominus Iesus,* inquit, *volens nos aduersus diaboli tentamenta fortiores reddere certaturis ieiunauit, vt sciremus quia aliter illecebras non possemus vincere.* Eãdem perã accinctus prodijt ad certamen Apostolus, qui 1. *Cor.* 9. scripsit: *Sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo.* Per ieiunium intellige: vt volunt S. Ambrosius, Gregorius, Chrysostomus. Vt enim per gulam Dæmonem roboramus; sociando & confæderando ei carnem nostram, vt iam duobus hostibus vnus resistere non possit: ita per ieiunium eiusdem vires frangimus & carnem humiliamus, eique subtrahimus, ex quâ alioquin cibis distenta veluti ex vallo periculosè nos oppugnat. Gula est quæ virtutum muros destruit & inde animæ nostræ ciuitatem dæmoni occupandam tradit quemadmodum legimus 4. *Reg. vlt.* Nabuzardan Principem coquorum destruxisse muros Ierusalem & vrbem occupasse, de quâ re S. Greg. l. 30. mor. c. 26. *Muros Ierusalem,* inquit, *coquorum princeps destruit, quia virtutes animæ dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quod Paulus contra Ierusalem mænia decertantis vires coquorum principi (ventri) subtrahebat, cùm diceret: Castigo corpus meum & seruituti subijcio. Vnde præmiserat: sic pugno non quasi aërem verberans, quia cùm carnem restringimus, ipsis abstinentia nostra ictibus, non aërem sed immundos spiritus verberamus; & cùm hoc, quod est intra nos, subijcimus, extrà positis aduersarys pugnos damus.* Sic Greg. Similiter S. Bern. ait: *Ieiunantibus nobis Diabolus esurit.*

F. V. Per Dominicæ passionis. QVINTÒ. Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente & misit eos in peram. Vnde nobis lapides isti? E torrente Passionis Dominicæ. Primus est ipsa meditatio passionis, quâ dæmonem in fronte percutimus,

1. Meditatio. cùm eâ intellectum nostrum armamus, iuxta monitum S. Petri *ep.* 1. *cap.* 4. dicentis: *Christo*

in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini Nouimus immunes fuisse domos ab Angelo percutiente, quarum superliminare sanguine agni paschalis inunctum erat. *Exod.* 12. Inungitur autem superliminare domus nostræ sanguine Christi, cùm intellectus noster occupatur in meditatione passionis eius, vti docent ibi Rabanus & Lipomanus. Quæ quidem meditatio quomodo non fugabit angelũ percutientem (dæmonem) eiusque tentationes & illecebras, si cogitemus Deum tanta passum vt à seruitute dæmonis & peccatis nos liberaret? Fecit hoc S. Edmundus Episcopus Cantuar. qui, vt est in eius vitâ cap. 3. apud Sur. in Nouemb. cùm adhuc iuuenis à Christo edoctus esset, titulum Christi Crucifixi quotidie inscribere fronti suæ in memoriam passionis eius, idque semel facere noctu omisisset, collegit se & signare frontem voluit, sed tentus à diabolo fuit, ne manũ fronti applicare posset. Christi igitur opē dum implorat, decidit Diabolus inter lectum & murũ: quem collo premens Edmundus adiurauit per passionem & sanguinē Christi vt sibi aperiret, quo potissimùm armorum genere arceri & debellari queat. Respondit dæmon: *Illud ipsum, quod iam nominasti.*

2. *Eiusdem imitationem.* Secundus. Eiusdem passionis imitatio, per mortificationem carnis & sensuum; si enim cogitemus nos cum Christo crucifixos esse, vti vult S. Petrus loco cit. & Paulus *ad Rom.* 6. dicens: *Vetus homo noster simul crucifixus est*; facilè prosternemus aduersarium nostrum. Nam primò crucifixus non potest pro suo libitu ma-
1. nus & mēbra mouere, quia ligno affixa habet: sic cogita te affixum legi Dei & Christi, vt non possis ad libitum facere quæ placent, sed quæ decent & legi sunt conformia. Cùm ergo prouocat dæmon ad descensum de hac cruce: dic tu cum Apostolo: *Christo confixus sum Cruci*, ad Gal. 2. Secundò Crucifixus
2. omnes mundi illecebras spernit nec attendit ad prætereuntes vel ad stantes, nec solicitus est de crastino: sed ea tantùm cogitat, ad quæ paulò pòst se migraturum esse nouit: ita cogita & tu, omnia terrena breui relinquenda, ad futuram æternitatem mentem esse conuertendam. *Pudeat ergò sub spinoso capite membra esse delicata*, inquit S. Bernardus. Si Christus in horto captus est; ergo mundi amœnitates nobis despiciendæ sunt. Si laqueis & catenis amore nostri vinctus: ipsius in honorem nostri etiam sensus & membra constringenda sunt. Si alapis & verberibus dirissimè laceratus: nostrum etiam corpus meritò edomandum. Si causâ nostrâ crucifixus est: caro etiam nostra cum vitijs & concupiscentijs crucifigenda.

3. *Eiusdem applicationem.* Tertius Eiusdem passionis applicatio, quæ fit per Sacramenta, maximè pœnitentię & Eucharistiæ. Per pœnitentiam percutimus diabolum in fronte, quæ sedes est pudoris, cùm in confessione humanum illum & noxium pudorem vincimus, totamque conscientiam sacerdoti aperimus, & præsertim, quando etiam occultas Dæmonis tentationes ei reuelamus. Nouimus enim Regem Syriæ nihil potuisse contra Hebræos, quamdiu eius consilia detexit Elisæus Regi Israël. 4. *Reg.* 6. ita nihil poterit contra nos diabolus, si eius suggestiones manifestemus Confessario. Quod confirmat Cassianus *collat.* 2. *c.* 11. exemplo Serapionis Abbatis, qui cùm tentationem gulæ aperuisset Abbati suo: lampas è sinu eius egressa est, sulphurei odoris, in testimonium pulsæ tentationis, vt superiore Dominicâ vidimus.

Quartus, Eiusdem passionis inuocatio seu refugium ad illam, veluti cùm signum cru- 4. *Eiusdem inuocationem.* cis deuotè fronti imprimimus, aut in vulnera eius nos abscondimus, appellando ad eius merita, vbi deficiunt vires nostræ. Ita August. in id Ps. 60. *factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici: Angitur cor meum*, inquit, *laboro inter tentationes & scandala, is* (Christus passus) *est mihi turris fortitudinis, quò cùm fugero, non solùm vitabo tela inimici, sed etiam in illum qua voluero, ipse iaculabor. Caues, ne feriaris à Diabolo? fuge ad turrim, &c.* Et in Manual, c. 2. *Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm me premit caro mea, recordatione vulnerũ Domini mei resurgo. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordia Domini mei & recedit à me; in omnibus aduersitatibus non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi, &c.* Hunc in modũ B. Brigitta ludens cum puellis vidit Diabolũ tanquam centimanum aut centipedem, horridâ specie deformem. Perterrita igitur cucurrit ad lectulum, vbi crucifixum adorare solebat, Christo se commendans: Vbi rursus ei teter ille spiritus apparens: *Nihil possum*, inquit, *nisi permittat Crucifixus*. Sur. in vita. c. 5. S. Elzearius Comes Arriani, omnes animi motus hoc medio compescuit. *Quoties*, inquit, *aliquam animi commotionē ad iram vel impatientiã sentio, cogito de Christi passione & patientiâ nec ab eâ cogitandâ & ruminandâ cesso, donec per eam detumescat & subsidat omnis animi æstus & commotio.* Vt in eius vitâ. Quare cùm tentatio vrget, inuocemus Christum per passionem eius, per flagella, per vulnera, per crucem & mortem, vt arcere à nobis velit hostem crucis.

Quintus, Eiusdem veneratio, cùm singulari 5. *Eiusdem venerationem.* deuotione afficimur erga eam, cùm Crucifixo caput reuerenter aperimus, genua flectimus, alijsque modis passionem Domini honoramus. Nihil enim minùs ferre dæmon potest quàm cultum & venerationem eius instrumenti, quo ipse deuictus & potestate suâ exutus est. Testis Abbas Christophorus *in prato spirit. c.* 105. qui vidit fratrem Anachoretã impediri à Dæmonibus specie coruorum eius oculos impetentium, ne intraret templum Ierosolymis ad crucem adorandam.

Sextò, Gladio Goliathi in terram deiecti G. VI. *Per retorsionem suggestionis.* præcidit caput eius. Gladius Goliathi est ipsa Dæmonis suggestio, quam si mox in caput eius retorqueamus, capite præciso totum enecabimus. Eò pertinet, quod dixit Deus ad serpentem Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuũ & tu insidiaberis calcaneo eius*; (mulieris) vt docet Augusti-

nus in Psal. 103. *Si Diabolus*, inquit, *tuum calcaneum obseruat, tu caput illius obserua. Caput illius est initium malæ suggestionis: quando incipit mala suggerere tunc repelle, antequam surgat delectatio & sequatur consensus.* Hoc autem optimè faciemus ipsummet eius gladium in eum retorquendo. V.G. Si ex superbiæ & vanæ gloriæ titillatione concipiamus profundiorem humilitatem: ex gulæ suggestione, seuerioris abstinentiæ propositum: ex impudicâ specie maiorem eius vitij detestationem; & ad hoc ipsum Deum feruentiùs imploremus. Fuit hoc aliquando ostensum diuinitùs Ioanni de Aluerniâ Franciscano (vt est in Chronico Franciscanor. *p. 2. l. 7. c. 8.*) Vidit enim innumeros dæmones plurimas sagittas continenter in Dei famulos iaculantes, quarum aliæ in auctores ipsos magnâ vi resiliebant, vnde horrendum vlulantes in rabiem ac tandem fugam agebantur. Aliæ casso iactu religiosos vix attingebant, moxque in terram nullo relicto vulnere decidebant. Aliæ ad viuũ vsque penetrabant. Aliæ demum latera tota hauriebant. Docebatur autem hoc viso Monachus, optimum tentationibus resistendi primum modum esse, si videlicet eadem tela, quæ dæmon in nos intorquet, in ipsum retorqueamus; easdemque tentationes, quibus pestem nobis molitur, ad nostram vtilitatem adducamus.

Pugnemus ergo, Charissimi, strenuè vti Dauid, quò cum ipso triumphemus. Illi occurrerunt mulieres ex vniuersis vrbibus epinicia accinentes. Obtentâ ergo victoriâ, obuiabit & nobis chorus sanctorum de cœlo, victoriale carmen accinens, *&c.*

CONCIO II.

Defectus pœnitentiæ.

Assignantur tres regulæ:	*nanda conscientia, percurrendo decem præcepta Decalogi, & quomodo circa singula peccetur.*
1. *Contritionis, quæ ad mensuram examinanda est.*	
2. *Confessionis; quæ ad numerum expendenda: quomodo exami-*	**3.** *Satisfactionis regula in pondere facienda.*

THEMA.

Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes? Ioan. 8.

A. Difficilè sanè thesin proponit hodie Christus ante passionem suam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Voluit enim innocentissimus agnus priusquam immolaretur, hoc examine probare se absq; maculâ esse (id quod præcipitur de Agno Leuit. 22.) ne postea dici vel existimari posset, propter scelus aliquod passũ esse. Sed voluit præterea thesin hãc proponere, vt nos quoque animaret, ad eandem defendendam: defendendã, in quam, non tantùm in mortis articulo, sed & in accessu ad SS. Eucharistiam. Hoc enim est, quod inquit S. Paulus. 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat. Ecclesiastica autem consuetudo declarat*, inquit, Concilium Trident. de Sacr. Euchar. *eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissâ Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiã accedere debeat.* Sacramentalis itaque confessio regula est & Lydius lapis, ad quem probari quisque debet, num sine peccato sit & *sic de pane illo edat.* Verùm, quia confessio illa comparies duas requirit: contritionem & satisfactionem, quæ sunt tres pœnitentiæ partes: singulis singulæ assignari possunt regulæ: & videntur assignatæ à Sapiente *Sap. cap. 11.* qui vbi dixisset potuisse Deum reprobos facillimè occidere Spiritu virtutis suæ, subiungit: *Sed omnia in mensura & numero & pondere disposuisti.* Quibus verbis, ordine quo posita sunt, tres pœnitentiæ partes apte significantur, contritio per mensuram; confessio per numerũ; per pondus satisfactio. Qui ergo dignè vult accedere ad sacram communionẽ, triplex hoc examen (si tamen priùs peccauit) necessariò subibit; vt dicere & ipse possit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Deúsne, an homo, an propria conscientia? Hæc illa pedum lotio est, quam sacræ communioni præmisit in cœnâ Dominus. Sed quemadmodum ibi, licet omnes loti sint, non omnes tamen mundati sunt: ita vereor & hic, ne reperiantur aliqui Iudæ similes, loti, sed non abluti, quibus dici possit: *Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes?* Videamus proinde & applicemus has mensuras, subeamus examen.

Quemadmodum in commercijs facilè contingit, vt qui mensurâ, pondere, vlnâ alioqui iustâ vtitur, iniustè tamen vtatur & vsu ipso fraudet: ita fit & in spiritualibus. Contritio, confessio, satisfactio, iustissimæ sunt regulæ, si rectè his vtaris ad acquirendam gratiam. Sin minùs, mirũ sanè non est, si dum fraudem facis, fraudem patiaris & deterior abscedas quàm ad Sacramentum accesseris. Eiusmodi erant Samaritani, qui propterea ignobiles & abiecti erant, quòd Semi-Iudæi essent, hoc est, legem quidem Iudaicam obseruarent, sed non rectè, vt vult Euthymius & alij: seu quòd eam adulterarent, vt Origenes. Quare sicut Iudæi Christum appellabant Samaritanum, quòd Sabbathum violare & manibus illotis manducare similiaque contra legis rigorem facere ipsis videretur; sic possem & ego (sed verè) appellare eos, qui præceptum huius temporis de Sacramentali confessione obseruant quidem, sed non rectè. B.

Contritio Ad mensuram examinanda est. Primò, vt pro mole peccatorum tuorum metiaris contritionem tuam. Impleuisti congium tuis iniquitatibus? tantundẽ lachrymarum funde, si non ex oculis, saltem ex corde tuo. Impleuisti amphoram? cura vt tantùm fleas quantum amphoræ replendæ sufficeret. Ita enim de Synagogâ peccatrice ait I. Contritionis regula.

Isaias

Isaias cap. 27. *In mensura contra mensuram iudicabis eam.* Synagogã intelligit pro ratione delicti puniendã. Accedit S. Cyprianus *in sermone de Lapsis*, qui in persecutione metu tormentorum Christum ore negarunt, sic scribens: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit. Putas tu Dominũ cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti: cui patrimonium præponere maluisti: cuius templum sacrilegâ contagione violasti? Putas facilè eum misereri tui, quẽ tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs & rogare, diẽ luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus, &c.* Hæc Cyprianus. Quàm multi verò sunt, qui longè grauiora nunc admittant scelera, quàm fuerit illorũ Christianorum negatio, ore non corde facta? At vbi in illis quæso similis contritio? Vbi lachrymæ? vbi gemitus & singultus? Et licet hæc externa sint necessaria, debet tamẽ animus in confessione ita esse compositus, vt serium præferat dolorem. Sane D. Gregorius Nazianzen. *orat. 3. de Bapt.* dixit: *Recipio pœnitentes, si lachrymis rigatos videro.* At si tu ante Confessionem rideas, fabuleris, circumspicias, genua non flectas, mentem non componas, sed vrgeas accessum: in ipsâ confessione recites peccata tua quasi fabulam aut historiam narres, sine omni cordis suspirio, festines ad discessum quasi futuri absolutionem & statim aufugere velis: peractâ denique confessione mox è templo te proripias: *Nõnne bene dico, quia tu Samaritanus es, & Dæmonium adhuc habes?*

2\. Secundò, Vt vas cordis tui impleas lachrymis, & si fieri potest, vsque ad summum; quo modo illi ministri iussi haurire aquam, impleuerunt hydrias vsque ad summum in nuptijs Canæ, Ioan. 2. Doleat aliqui de peccatis, quia ignominiâ vel aliud temporale damnum peccando incurrerunt; & hi in terrâ repunt & quasi nihil infundũt. Dolent alij, quia gehennæ addici & cœlo excludi metuunt; & hi accedente Confessione mensurâ attingunt, sed non infundunt vsque ad summum; quia magis amore sui quàm amore Dei offensi dolent de peccatis. Illi denique vsque ad summum implent vasculum cordis sui, quorũ dolor & lachrymæ ascendunt vsque ad Deum, quia scilicet eum tanquam super omnia diligendum & colendum, peccatis suis offenderunt. At verò iam si tu de illis peccatis doleas, quæ tibi ignominiam vel mulctam pecuniariam aut grauiorem pœnam attulerunt vel afferre possunt, eaque imposterum sedulò caueas, de alijs verò non doleas, neque ea valdè cures: *nõnne bene dico quia Samaritanus es*, & naturalem tantum dolorem habes ex proprio amore natum? si quæ proximum solùm lædunt; peccata defleas & vites; non quæ Deum lædunt: *nõnne bene dico, quia Samaritanus es?* Si extra constitutum tempus nunquam confitearis, nisi fortè in periculo mortis, *nõnne bene dico, quia Samaritanus es?* & gehennæ metu, non amore Dei offensi vocas Confessarium, non tam pœnitens quam *pœnitentia ductus*, vti Iudas, sicut ait Matthæus *cap. 27.*

Tertiò, Vt non vino aut alio liquore qui saporem vasi communicet, sed aquis & lachrymis compenses tua peccata, iuxta id Thren. 2. *Effunde sicut aquam cor tuum*; q. d. effunde in peccata tua lachrymas, quæ sint aqua non oleum, non vinum, ita vt odor & affectus peccati admissi non remaneat in corde. At verò si quis post Confessionem redit mox ad priora peccata: *nõnne bene dico, quia Samaritanus est* & propositum non habuit se emendandi? 3.

Confessio ad numerum expendenda est. Audimus enim Iob *cap. 14.* dicentem: *Tu quidẽ gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* q. d. Sicut pecunia in sacculo reposita solet obsignari sigillo, nequid inde dematur: ita tu in memoriâ tuâ numerasti & obsignasti peccata mea, vt ne vnum quidem obliuiscaris. Et quia nonnisi per confessionem hæc deleri debita possunt (quam Deus pro solutione acceptat) si non enumeres omnia, saltem quæ enumerare potes adhibitâ diligentiâ, nequaquam te liberabis; quia non reddis quod debes. Ioseph audiens à 10. fratribus suis, superesse vndecimũ fratrem, noluit acquiescere, donec & ipsum sisterent: *alioquin*, inquit, *per salutem Pharaonis exploratores estis.* Gen. 42. Similiter & Deus, quia numerum peccatorum tuorum signatum & perspectum habet, vult vt nihil ei abscondas in Confessione (saltem quod graue peccatum & tuo iudicio mortale sit) sed omnia recenseas, habiturus alioquin te pro sycophantâ & impostore, qui decipere Deum velis. C II. Confessionis regula.

Itaque primò ante confessionem, diligenter examina conscientiam tuam, percurrendo decem præcepta, vel priora tantum octo, ad quæ omnia peccata reduci possunt; id quod tibi nunc monstrabo. 1.

Circa primum præceptũ delinquitur. Primò contrà fidem, Idololatriâ, hæresi, dubitate in rebus fidei, curiosâ disquisitione earundem, ignorantiâ rerum scitu & creditu necessariarum, librorum vetitorum retentione aut lectione, fidei abnegatione vel omissione confessionis eius cùm est opus: Superstitionibus, diuinationibus, pacto cum dæmone; Somniorum obseruatione vel astrorum. *Examen Conscientiæ generale. Circa primum præceptum peccatur.* 1.

Secundò Contra spem desperatione de salute vel remissione peccatorum. Præsumptione de vtraque dilatione pœnitentiæ culpabili, diffidentiâ de Dei prouidentiâ vel auxilio in necessitatibus vel exauditione orationum; murmuratione contra Deum eiusque ordinationes, tempestates, &c. confidendo magis in creaturis vel medijs superstitiosis. Item tentando Deum. 2.

Tertiò, Contra charitatem, nimio affectu erga creaturas, nimiâ distractione ad sæcularia, obliuione Dei, seruitio Dei seruili, mercenario vel tædioso, diuturna orationis omissione. 3.

4. Quartò, Contra humilitatem, si quis sibi adscribat, quæ Deo debet; si vanè glorietur de donis Dei, si gratias non agat, si arroget sibi, quod non habet. Item superbiâ animi, vestium; ambitione contemptu proximi, iactantiâ, contemptu correctionis, disciplinæ vel instructionis, defensione suorum errorum, elatione ob prosperitatem, &c. gloriatione de peccatis.

Circa secundum. Circa secundum præceptum. Primò peccatur iuramento temerario, non necessario vel
1. irreuerenti, periurio: promissione rei malæ, aut sine intentione adimplendi promissum, aut promissa bona non seruando.

2. Secundò, Blasphemiâ in Deum aut sanctos, tribuendo eis quæ non decent; beneficia Dei, passionem, vulnera, sacramenta execrando.

Tertiò, Votorum fractione; vel petendo sine causâ dispensationem: vel dolendo quòd bonum aliquod vouerit, vel abiurando bona opera.

4. Quartò, Abusu sacræ scripturæ ad iocos, res profanas, vel defensionem suorum peccatorum: Concionum explosione, vel sinistrâ, interpretatione.

Circa tertium. Circa tertium præceptum. Peccatur primò festorum violatione, cùm quis per se, vel suos
1. operatur seruiliter, vel res prohibitas ab Ecclesiâ vt Iudicia vel mercantias exercet; vel consumit festa actionibus prauis, lusu, compotatione, garrulitate, &c.

2. Secundò, Non audiendo Missam integram, vel cum voluntariâ distractione sine reuerentiâ. &c, detinendo alios à Missâ. Negligendo diu concionem, non confitendo & communicando in paschate, vel graui ægritudine, aut vrgente necessitate: Vel non debitè hæc & alia sacramenta suscipiendo: Negligenti omissione Confirmationis, extremæ vnctionis, &c.

3. Tertiò, Ieiuniorum violatione & abstinentiarum: præsertim coram hæreticis, vel familiam & liberos vetitis cibis alendo.

4. Quartò, Violatione & profanatione rerum sacrarum, templi, cœmiterij, reliquiarum, &c. Cæremoniarum irrisione. Item personarum, vti clerici percussione, vel contemptu, &c. Vel exactione tributorum, aut vectigalium, contemptu sacramentorum vel censurarum, &c.

Circa quartum. Circa quartum præceptum, Peccatur primò contra parentes carnales per irreuerentiam;
1. si obloquaris aut absentibus detrahas: malè imprecer is, fureris, verbera infligas, &c. Per inobedientiam; si in debitis rebus non pareas, vel illibenter; aut resistas reprehendentibus.

Per odium aut neglectum, si mortem eorum optes, si non alas, cùm potes, non consoleris afflictos, mortuos non iuues, aut eorum voluntati & testamento non satisfacias: si ames contra Deum: vel eorum te pudeat.

2. Secundò, Contra superiores & parentes spirituales obloquendo, detrahendo, præcepta eorum contemnendo, debita eis non reddendo, vt tributa, vectigalia, decimas. De confessarijs suis male loquendo.

Tertiò, Contra liberos & subditos à parentibus & superioribus; si nimis blandè liberos, 3. vel nimis asperè subditos tractent, non instruant, non corrigant, non iuuent in necessitatibus: si scandalo eis sint: si eorum operâ ad malum vtantur: si eos ad loca hæretica mittant, vel despondeant: vel nolentes ad certum statum cogant.

Quartò; Contra personas veneratione dignas, vti senes, vel presbyteros, vel in religione aut dignitate constitutas, vel benefactores: 4. si erga eos irreuerentia aut ingratitudo committatur: item erga tutores, præceptores.

Contra quintum præceptum, peccatur. Primò homicidio, mutilatione, percussione iniustâ, abortus vel sterilitatis procuratione, infantum suffocatione, bello iniusto, vindictæ sumptione, rixis, litibus, iniquâ accusatione, vel condemnatione, vel neglectione infirmi aut aliter periclitantis. *Circa quintum.* 1.

Secundò. Odio & iracundiâ atque inuidiâ. 2. Huc pertinet non remittere iniuriam deprecanti, non deprecari offensam, verbis iniuriosis agere: detrahere, imprecari mala, irridere, contemnere, malè agnominare, pudefacere, temerè iudicare, obiurgare, gaudere de aliorum malo, tristari de bono, defectus exprobrare.

Tertiò, scandalo, mandato, Consilio alteri nocere vel causare nocumenta, vel approbare peccata: vel non impedire; vel non iuuare operibus misericordiæ indigentes cùm possis ac debeas. 3.

Quartò, Odio sui ipsius. Eò refer vitam propriam adimere velle vel abbreuiare: gulâ & ebrietate sibi obesse, vitam periculis obijcere temerè, propriam famam denigrare, vel negligere, cùm in aliorum scandalum vergit. Impatientem esse & nihil pati velle: mortem sibi imprecari. 4.

Contra sextum præceptum peccatur. Primò, Cogitatione, concupiscentiâ & desiderio libidinis, cogitatione morosâ, carnis prauâ excitatione, & repressionis omissione, occasionum malarum aditu. *Circa sextum.* 1.

Secundò, Verbo & quinque sensuum vsu malo. Vti turpibus colloquijs, cantilenis, solicitatione, internuntijs, literis amatorijs: aspectu earum rerum, quæ alliciunt: auditu turpium: gustu, cùm eduntur aut bibuntur prouocantia libidinem ex intentione: tactu sui vel aliorum libidinoso, osculis, ornatu, &c. in ordine scilicet ad libidinem. 2.

Tertiò, Opere ipso, in varijs speciebus, fornicatione simplici, stupro, adulterio, incestu, sacrilegio, sodomiâ, bestialitate; mollitie vel pollutione. 3.

Quartò, In coniugio non reddendo debitum, prauo vsu circa modum & circumstantias, locum, tempus; prouocatione pollutionis: inordinato amore inter se, vel odiu, pugnâ, &c. 4.

Circa septimum præceptum peccatur, Primo, inordinatâ habendi cupiditate, solicitudine, tenacitate & amore pecuniæ. Huc pertinet *Circa septimum.* 1.

aliena

aliena quærere, sua non largiri vel mutuo dare constitutis in necessitate cùm possis.

Secundò, Verbis, mendacijs in iudicio & extra ad damnum proximi; in contractibus quibuscunque: Infamatione sui vel aliorum: Mendacio quocunque, sed maximè perniciosa.

3. Tertiò, Opere, furto, fraude, vsuris, simonià, sacrilegio, decimarum abstractione: inuentorum retentione cùm Dominus sciri potest: mercedis operariorum detentione: laboris pro mercede defraudatione: restitutionis debitorum negligenti omissione: fraudulento lusu: mendicatione extra necessitatem: vsu monetæ adulterinæ, participatione cum furtis.

4 Quartò. Prodigalitate in conuiuijs, vestibus, lusibus; alijsque expensis inutilibus, maximè si fiant aliorum bonis mutuatis, vel malè quæsitis. Item prodigalitate temporis.

Circa 8. Bonum. Circa octauum præceptum peccatur. Primò qui temerè alios iudicat, vel malè de ijs
1. suspicatur absque sufficienti causâ, res eorum malè interpretando.

2. Secundò. Verbo, qui falsum contra proximum dicit testimonium, patrocinatur falsitati, supprimit veritatem.

3. Tertiò. Dolis & fictionibus, quæ tendunt ad decipiendum proximum, hypocrisi, adulatione, &c.

II. Secundò. Post sedulam discussionem diligenter ea notanda sunt, in quibus deliquisti, & memoriæ commendanda vt integrè confitearis.

III. Tertiò. Addendæ etiam circumstantiæ, maximè quæ peccati speciem mutant, vel id valdè aggrauant. Eæ verò sunt

Primò, Persona peccans, clericus an laicus, solutus an liber, prælatus an subditus.

Secundò, Item persona offensa, non tamen nomen exprimendum.

Tertiò, Quantitas damni illati.

Quartò, Qualitas seu modus quoad intensionem, vehementiam, &c. in rebus odij.

Quintò, Tẽpus, an in die solẽni vel ieiunij.

Sextò, Duratio quamdiu in peccato perseuerarit.

Septimò, Locus sacer, ne an profanus: eoram venerabili Sacramento, sub sacrõne, &c.

Octauò, Numerus, quoties factum sit.

Nono, Finis seu intentio, an in ordine ad detrahendum vel nocendum, &c.

Decimò, Scandalum concurrens.

Postquam ergo vidisti, quibus & quot modis delinquere homo possit, si tu è tantò peccatorũ catalogo non inuenias materiam teipsum accusandi, *nõnne bene dico*, quia vel sanctus es, *vel Samaritanus* es, & subdolè tegis peccata tua? Nam si in sæculo degas quomodo intra annum vel semestre, aut etiam intra mensem non colligis sordes aliquas? Fierine potest vt qui Caminos purgant, nigredinis nihil contrahant? Aut miles qui pluribus interest prælijs vulnus nullum accipiat? At quàm multi sunt, qui sæculo addicti omnes nundinas, omnes tabernas, omnia conuiuia, ludos, choreas, vno verbo omnes caminos perrepunt? & hos tamen culpâ vacare credemus? *nõnne bene dicimus quia Samaritam sum*, & decipiunt se ac confessarium? Communis multorum responsio est: Nescio me in aliquo deliquisse. Sed ita etiam respondit Cainâ Deo interrogatus, vbi esset Abel frater eius. Addit Iosephus *lib.* 1. *Antiq. cap.* 2. addidisse eum, se quoque demirari, qui factum sit, quòd frater nusquam compareat; cùm tamen occisum fratrem abdidisset, rem clam fore existimans. Cainum ergo imitantur qui velo ignorantiæ contegunt aut obliuione sepeliunt peccata sua, dum ea pro nihilo habent, ideoque post tergum suum reijciunt, vel dum non perquirunt adhibito examine, sed mox absque omni præuiâ discussione ad Confessarium currunt. Crassâ vel affectata, adeoque voluntaria est hæc ignorantia; *nõnne ergo bene dicimus, quia Samaritanus es*, &c.

Satisfactio in pondere facienda est; idque docemur Ezech. 5. vbi præcipit Deus Prophetæ, vti sumat acutum gladium seu nouaculam & abradat pilos capitis sui, sumatque stateră ponderis (ad ponderandos scilicet capillos & in tres æquales partes diuidendos, vt explicat Hugo Card.) tùm ait: *Tertiam partem igne combures in medio ciuitatis: tertiam partem concides gladio: tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos.* Quibus verbis ad literam prædicit Ierosolymitanis cladem per Chaldæos inferendam, quâ de ciuitate exterminandi sint velut pili de capite rasi; eorum tertiam partem peste & fame, tertiam gladio hostili absumendã, tertiam dispergendam per fugam, quam tamẽ gladio Nabuchodonosoris persecuturus sit. Mysticò verò sensu pili sũt peccata, quia vt illi de capite, ita hęc de corde exeunt, Domino teste *Matth.* 15. Radũtur verò in confessione per absolutionem Sacerdotis quasi per acutam nouaculam. Porrò abrasa ponderanda sunt staterâ satisfactionis, vt pro grauitate delictorum acceptetur & persoluatur pœnalis aliqua compensatio præteritorum delictorum, *vt vnusquisque tantò maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam*, inquit S. Gregorius *homil.* 20. *in Euang.* Pars itaque pilorum seu peccatorum exurenda est, igne orationis: pars verò concidenda gladio ieiunij, flagelli & aliarũ mortificationum: pars alia dispergenda in pauperes per eleemosynam; quæ sunt tria satisfactionis opera, peccatis proportionata. Quia enim alia in Deũ, alia in nosipsos, alia in proximos committimus, par etiam est vt omnibus reddamus quod debemus, humilitatem Deo per orationem; disciplinam & castigationem nobis ipsis per ieiunium, misericordiam proximo per eleemosynam. Et quia offendimus Deum animâ, corpore, bonis externis: satis faciamus eidem oratione, ieiunio, eleemosynâ, velut de bonis animæ, corporis & fortunæ. Ad extremum gladius post peccata nudan-

D. III. Satisfactionis regula.

dus, quo modo Deus per Angelum *expulit* (ita habet vox Hebræa Genes. 3.) è paradiso Adamum & Euam flammeo gladio, ne ad eum aliquando redirent. Eijcienda, inquam, peccata maximo conamine & medijs adhibitis, vt imposterum ea non admittas in cor tuum. Neque enim satisfactio solùm compensare debet debita contracta, sed præterea etiam inolitas vitiorum radices euellere & à futuris lapsibus hominem præseruare, veluti diæta conualescenti præscripta vt reliquias morbi tollat & relapsum arceat.

Iam verò quomodo plerique satisfaciunt pro peccatis? Fugiunt aliqui eos Confessarios qui seueriores esse dicuntur in pœnitentijs iniungendis; plerique amant leues subire pœnas; quod cùm sciant Confessarij, rara imperant ieiunia, rara cilicia & flagella, raras eleemosynas: oratione pleraque expedire coguntur. Sed videat vnusquisque an talis satisfactio peccatis suis commensurata sit: mittat hæc in vnam & illam in alteram lancem ac ponderet vtraque, comparetque inter se. Itáne vnũ *Miserere* vel vnum rosarium adæquabit pondus decem vel plurium lethalium peccatorum? vnum ieiunium tot ebrietates? vna eaque exigua eleemosyna tot rapinas & vsuras? vna disciplina tot libidines? Videat deinde an opera satisfactionis proportionata sint delictis, adeoque congrua pharmaca ad curandas plagas & tollendas morbi radices. Videat an peccandi occasiones fugiat, aliaque adhibeat media ne facilè in peccata recidat. Et quàm multis dici posset: *Nónne bene dicimus, quia Samaritanus es:* nimis, inquam, delicatus, nimis impatiens, & maiorem debitorum partem insolutam relinquis ac differs in purgatorium? Nónne bene dicimus; te non ex integro sanatum esse, qui tam citò relaberis? Si verè pœnituisti, remoue illos lapides, in quibus impegisti: fuge choreas & tabernas: eijce è domo pellicem; abijce leuiculum vestium nouarum luxum: restitue lucra illicita: tolle inimicitias & reconciliare fratri tuo. Hoc est quod dicebat Deus populo Hebræorum, sibi post Idololatriam iam penè reconciliato: *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.* Ornatum intelligit illum, quo populus lætabundus erat indutus, quoque exornatus vitulum aureum adorauerat & profanum festum egerat; vt eo nudatus quasi ad plagas excipiendas se aptaret, vt exponit Hier. ab Oleast. *Exod.* 32. Hoc, quod S. Remigius Archiepiscopus Remensis dicebat Clodouæo Francorum Regi conuerso & iam ad baptismum se inclinanti: *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti: incende quod adorasti.* Hoc est, Christum adora, cuius Ecclesias paganus incendisti: incende Idola, quæ tũc adorasti. Io. Trithem. *l. 1. Comp. Anual.* Hoc quod S. Hieronymus præscripsit Susannæ Virgini lapsæ ep. a 2. *Imprimis*, inquit, *omnis vita tua intermittenda est tibi, & quasi mortuam te existima, sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, & mẽbra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui luxuriæ occasionẽ præstiterunt. Defluant oculis lachrymæ, qui masculũ non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondã erubuit impudicè; totum denique corpus iniurijs & ieiunijs maceretur, cinere aspersum, & cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens tanquam cera, in ieiunijs inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malum gessit imperium. Talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseuerans, audebit hic sperare, si non gloriam, certè pœnæ euacuationem.*

Atque hæc est ratio, Auditores, pœnitentiam agendi: quæ nisi obseruetur, non video quo modo defendere possimus thesin illam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* imò verò grauiter metuendum nobis, ne audiamus non Iudæos, sed Iudæorum Regẽ dicentem nobis: *Nónne bene dico ego, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes?* quod ne audiamus ibi, agamus hic pœnitentiam, qualem à nobis requirit ipse, qui verè pœnitentibus dat in hoc sæculo gratiam & in illo gloriam.

CONCIO III.

Motiua contritionis ex parte eorum, qui peccato offenduntur.

1. *Offenditur & arguit peccatorem Deus.*	3. *Proximus.*
2. *Christus.*	4. *Omnes creaturæ.*

THEMA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8.

GEn. 44. legimus Iosephum, postquam fratribus suis (à quibus nõdum agnoscebatur) saccos frumento impleuisset, præcepisse dispensatori domus suæ vt scyphum suum argenteum in saccum Beniamini clanculùm imponeret, postmodùm verò abeuntes insequeretur & argueret quasi Domino suo scyphum furati essent. Fit vt imperatum. Assequitur discedentes Oeconomus & ablati scyphi arguit. Qui omnes indignabundi innocentiam suam iactant, ideoque mox saccos suos de iumentis soluunt & singuli aperiunt. Repertus igitur in sacco Beniamini scyphus, moxque consternati fratres omnes sciderunt vestimenta sua & oneratis rursum asinis reuersi sunt ad Iosephum. Quis hic sensus illis, & quantus timor fuerit, quis non facilè diuinabit? Sed dum coram Iosepho culpam agnoscunt suam licet innocentes, humanissimè accepti & fratres ab eo salutati sunt. Videtur mihi hoc ipsũ facere in præsenti tempore verus noster Ioseph & saluator Christus, non quia nobis fictũ impingat furtum, sed quia optimè norit, nos reuerà in saccis conscientiarum nostrarũ gestare furta peccatorum quæ culpâ nostrâ contraximus. Quoniã igitur ipse nos hoc præsertim tẽpore ad se reuocare & in amicitiam suam recipere A.

contendit, mittit dispensatores Ecclesiæ suæ, confessarios videlicet, vt singulorũ saccos perlustrent & conscientias rimentur. Quis autem nostrum dicere potest se in sacco suo nullum habere furtum? Quis cum Christo audet dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quam primum enim nos arguet Ioannes qui in 1. epist. c. 1. ait *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Reliquum est igitur, vti nos quoque scindamus cum fratribus illis non quidẽ vestimenta nostra, sed corda; quemadmodũ Ioël c. 2. ait. *scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Scindamus, inquam, per veram contritionem & cordis compunctionem, & cum hac contritione reuertamur ad saluatorẽ nostrum per oris confessionem, quâ & ipsi mereamus ab eo recipi in optatam amicitiam. Sed quoniam plerique ad instar fratrum illorum culpas suas non agnoscunt, ideoque nullos queunt elicere contritionis motus, arguam eos & statuam, Deo adiuuante, contra faciem illorum, vt sic intelligant, quàm grauis & deploranda res sit peccatum.

B. I. Arguit peccatorẽ Deus.

PRIMÒ, Arguit te Deus, in quem principaliter peccasti, cui gloriam & coronam regni quodammodo abstulisti, ac proinde iniuriam omnium maximam intulisti. Quæris quomodo hoc feceris? Audi. Nónne tu quando contra Dei expressam voluntatem & præceptum creaturæ adhæsisti, eam super omnia coluisti, Deo præposuisti & in eius solio collocasti, nónne hoc ipso Deum legitimũ Regem tuum de solio suo exturbasti, dum ei rebellasti & voluntati eius è diametro cõtraxisti? Primò enim *nũquid non ipse est pater tuus, qui possedit & fecit & creauit te?* inquit Moyses Deut 32. Quid verùm tu sentires, si inscius patrem occidisses, & postea id verum esse comperires? Memini me vidisse Oeniponti in templo Franciscanorum inter alias statuas arte celeberrimas æneam vnam alicuius Dynastę, vultu subtristi, hastæ suæ innitentis, qui, vt habet traditio illius cœnobij, dum vnà cum patre suo aciem duxisset in hostem, casu & inscius in prælio occidit patrem, quem hostem existmârat, vtpote armis tectum. Re itaque sibi nuntiatâ ad cadauer patris, quem occidisse dicebatur, adduci voluit vt videret, num ita res haberet. Adductus itaque & patrẽ conspicatus, præ nimio animi mœrore stans ante parentis corpus & hastæ suæ innixus spiritum exhalauit. O si apertos haberemus oculos vt videre possemus quis ille sit, in quẽ peccauimus! Bonus ille filius nullâ suâ culpâ per errorem cecidit patrẽ. At nos scientes volentes, ex malitiâ Deum Patrem nostrum offendimus. Sed accedit præterea quòd Deus, quem offendimus sit summus benefactor noster. Vnde enim quæso habemus, quod *sumus, viuimus & mouemur*, nisi ab ipso? Nónne terra quâ sustentamur, aër quo spiramus, panis & aqua, quibus viuimus, sol quo illuminamur, cœlum quo protegimur, ignis quo calefimus, &c, mera atque continua Dei beneficia sunt? Et si parua sunt ista: adijciam tibi multò maiora, vt dicebat Nathan ad Dauidem. 2. *Reg.* 12. Et nihilne te pœniteat, offendisse tantum benefactorem? erubesce miser & vade ad leones. Narrat enim Ioan. Osorius *tom.* 4. *Conc.* 1. *de renouat. mentis.* in Hispaniá accidisse, vt Leo qui altorem suum valde diligebat atque adeò ad se intrantem securè & amanter admittebat: tandem cum aliquando fortè nouâ indutum veste ad se ingredientem videret, alienũ ratus, inuaserit & discerpserit: quem posteà magis magisque intuens cum custodem & nutricium suum agnouisset, adeò miserandum in modum irrugijt, vt sustineri vix potuerit. Quid igitur ad hæc dicemus? Cognoscit Leo altorem suum & dolet offendisse: Homo non dolebit offendisse conseruatorem suum? ô miseri & cæci, si non agnouistis, cùm peccaretis: videte nunc, contemplamini illum: Nónne ipse est, qui vos alit, vestit, ditat, creaturis omnibus dominari facit, per angelum custodit? cuius vos iugum fregistis, vincula rupistis, gloriá abstulistis & Mammonæ, Veneri, Baccho imposuistis? *Scito* (ergo) *& vide, quia amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum*, inquit Ieremias cap. 2. Amarius vtique, quàm relictum esse à Deo, (si tamen amas Deum.) Quis enim dubitat amarius esse amanti, offendisse amatum, quàm offensum esse ab illo? Paulus certè paratum se dicabat anathema fieri à Christo pro fratribus, id est, separari, & deseri velut membrum putridum: nunquam tamen paratus erat deserere Christum aut ab ipso diligendo cessare. Quin potiùs ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* &c. *quia neque mors neque vita, neque angeli*, &c. *Rom.* 8.

C. II. Arguit Christus.

SECVNDÒ. Arguit te Christus? nam & illius scyphum abstulisti, ô peccator, meritum, inquam, passionis eius, quam ipse non semel calicem appellauit. Durè accepit Christus, quod in eius comprehensione conaretur Petrus gladio exserto passionis calicem ab eo amoliri. *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Ioan. 18. Sed multò duriùs accipiet, si postquam illum ebibit in Cruce, frustra effundatur: Sicut maior est iniuria si rem alicui eripias iam coëmptâ, quàm si coëmendá nondum dato pretio. Numera quæso peccator, quid pro te & me expenderit Christus, quid fecerit & passus sit; & vide an non meritò vesaniam & prodigalitatẽ tuã deplorare debeas. Nónne ipse nostri causa de cœlo ad nos descendit? nónne carnis nostræ fragilitatẽ induit? tot itineribus salutem nostram quæsiuit? quotidie prædicauit & viam cœli nobis ostendit? omnis generis tormenta, crucem & mortem denique ipsam sustinuit? Et tu igitur hæc omnia quæ tanto constiterunt Dei Filium, contemnis, prodigis, conculcas & insaniam tuam non deploras? Dicito, quæso, si qui fratres in durissima Turcarum seruitute eâ lege tenerentur vincti, vt nisi intra certum tempus magnâ auri quantitate redimerentur, omnes crudelissimè necandi essent: parens verò eorum hoc intelligens, vndiq; per multas vrbis

partes

partes Eleemosynam conquireret & mendicaret, non sine ingenti suâ molestiâ, fatigatione, confusione, iniurijs, & tandè collectam illam auri summam ad filios deferret, vt eâ se redimere & ad patriam redire possent; si tunc captiui illi inciperent se inebriare & per ebrietatem pecuniam dilapidare cum hostibus suis Turcis; lusu, meretricibus & compotationibus absumere, vt nihil iam reliquum esset ad sui redemptionem: Quæso te quàm indignum facinus hoc esset: quanta in patrem ingratitudo & iniuria? quanta filiorum vesania? Et si ipsi pòst, vbi crapulam edormissent, cum prodigo illo filio consumptà omni substantiâ in se reuerterentur & constitutum mortis terminum appropinquantem cernerent: nónne iure meritissimo suam stultitiam, prodigalitatem & ingratitudinem continuis fletibus deplorarent? Atqui Christus quid per 33. annos aliud fecit, quàm quod pretium redemptionis nostræ comportauit? quot calumnias, iniuras, molestias, tormenta denique nostri causâ pertulit? Et quid faciunt peccatores? inebriantur mundi voluptatibus & in illa ebrietate totû redemptionis suæ pretium prodigunt, imò à se repellunt, iuxta id Psalm. 49. *Pretium meum cogit auertunt repellere, cucurri in siti.* Pretiû redemptionis exponunt S. Basilius & Ambrosius. *Redite* ergo *prævaricatores ad cor* & cogitate quid ac quantum perdideritis, qualem patrem offenderitis. Dicite ad vos ipsos: Ergóne frustrà baptizatus sum? frustrà confirmatus? frustrà toties confessus? nihilne mihi iam prosunt, omnia quæ pro me fecit, dixit, & passus est Christus? ergoné adhuc in captiuitate dæmonis fœdeo & ad gehennâ rapior? Proh miserum me, quid feci? Sed hoc satis non est quamplurimis peccatoribus. De nouo enim Christum persequuntur & peccatis suis vulnerant iuxta Psalm. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, dum in multis directè in Christum pugnant, Sacramenta eius contemnendo, verbis contumeliosis proscindendo, sacrum eius nomen blasphemando, leges verbo aut facto improbando, Sacramenta & ipsam S. Eucharistiâ fictè & cum peccatis suscipiendo. O ingratitudinem inauditam! Quid enim hi aliud agunt, quàm quòd Filium Dei *conculcant* vt loquitur Apostolus ad Hebr 10. *& sanguinem testamenti pollutum ducunt?* & ad Hebr. 6. *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei & ostentui habentes?* Quid faciunt insani isti, nisi quod milites illi, qui in môte Caluariæ Christo detraxerunt chlamydem vulneribus adhuc crudis adglutinatam, & per hoc omni eius vulnera renouarunt? Gentilis fuit Alexander M. qui postquam in furiosâ ebrietate seruatorem suum Clytum, qui Rhosaceris manum capiti Regis imminentem gladio amputauerat, hastâ transfixisset? Postmodum ebrietate discussâ cadauer Clyti aspiciens in tantum doluit vt seipsum interimere eâdem lanceâ pararet. Verùm impeditus humi se prostrauit, os vnguibus laniauit, cadauere occisi inspecto cum lacrymis se increpuit, triduoque inclusus iacuit sine cibo, quasi inediâ se confecturus. Refert Q. Curtius lib. 8. Infinities plus debemus Christo, qui imminentem capitibus nostris Dei irati gladium retinuit & meritis suis in vaginâ recondidit. Quid igitur sentiat peccator, qui iam serò meminit, se suum seruatorem tantâ cum insaniâ denuò afflixisse, & quantum in ipso est, occidisse?

Tertiò. Arguit te proximus tuus, quê varijs iniurijs affecisti, & ita suo modo illi quoque scyphum abstulisti. Primò, sæpe corporalia damna inferendo. Interroga conscientiam tuam & dicet tibi: Alios fortè egenos in bonis defraudaui, & vi vel fraude quod mihi nô debebant ab illis extorsi: alijs egentibus & opem meâ implorantibus non modò nihil tribui, cùm possem, sed insuper afflictionem addidi probris & calumnijs, per iram meam nocui & si modò potuissem, omnia mala libenter intulissem: alijs famam & existimationem quantum potui, minuere studui, eosque exosos reddere & Deo ac hominibus inuisos. Secundò in bonis animæ, quoties heu sceleribus meis alios ad peccandû prouocaui? Quoties alijs lapis offensionis fui & petra scandali, cùm tamen Domino testante, melius mihi fuisset, suspensô ad collum lapide molari demergi in profundum maris? Quoties fortè vel parentes, vel liberi, vel fratres, vel vicini mei propter peccata mea puniti fuêre; siquidem ob vnius peccatum sæpe puniuntur multi? Et quod omnium maximum est, forsitan nunc de facto aliqui in inferno sunt, & in æternum erunt, quibus vel causa damnationis fui, vel saltem ansam aut aliquod adiumentum præbui, vt faciliùs damnarentur? quoties aliquem quasi flumine raptum vidi ad infernû descendere, quem cum eripere meâ correctione & consilio potuissem, non eripui, sed cum risu & delectatione in peccatis submergi passus sum? Et quis mihi foret animus, si modò intelligerem, quod vnicus tantùm homo in inferno ardeat, quem ego vel illuc promoui, vel iuui, vel saltem abripi permisi? Num hoc peccatum facilè expiare possem? Iudas certe Christo tradito, videns quia condemnatus esset, *pœnitentiâ ductus retulit 30. argenteos & abiens laqueo se suspendit:* adeò magnum reputauit peccatum suum. Et qualis fuit illa condemnatio? Ad mortem temporalem tantùm, ad mortem, quam Christus obuijs vlnis libens amplectebatur: Et tamen illius traditor ob facinus desperauit. Quid dicis tu, qui malis tuis exemplis, doctrinis, blanditijs, fraudibus, aut vi fortè non vnum, sed plures ad æternam mortem tradidisti? Ergóne aliquis propter tuâ culpam æternùm punietur, & in Gehennæ flammâ ardebit & in æternû ardebit? Ergóne tale damnum dedisti quod in æternum numquam resarciri potest? Ergóne tu ad cœlum ibis, qui alium ad infernum detrusisti? Quod si in hoc casu culpâ vacas, meritò tamen times ne fortè nô vni sed multis causa fueris, cur diutiùs saltem in purgatorio torqueri debeant. Heu quot parentes ex igne illo irrugiunt & indignantur

Arguit proximus.

tur

tur suis filijs, quorum culpâ ibi retinentur? quot liberi parentibus? quot socij commilitonibus? Et nónne hoc lachrymis dignissimum, quòd vel ad tempus aliqui tuâ culpâ ardeant? De Harpyxa refert Rob. Holcot. *in lib. sapientiæ lect.* 141. eam si quando occidit hominem, & fortè tunc in aquis vultum suum humano similem esse conspicit, tantoperè dolere ob patratum facinus; vt quandoque moriatur. Quid ergo cogitet homo, si recordetur se fratrem suum, naturâ, vultu Deique imagine sibi per omnia similem, se occidisse, siue corporaliter, vitâ naturali aut ciuili bonæ famæ spoliando, siue spiritualiter pertrahendo ad peccatum & in eo descrendo? Vide miser an non tu seruus ille nequam sis, qui nolens misereri conserui sui, tenens suffocabat eum: dum videlicet fratrem tuum siue bonis spoliasti & ad inopiam redegisti, siue vltione & odio persecutus es, siue ad peccatum pertraxisti in eoque suffocasti & ad infernum misisti? Sensit hunc aculeum Berengarius, priùs quidem hæreticus & multorum seductor, postmodum verò resipiscens, qui in die Epiphaniæ eum morte luctans dixit: *Hodie mihi apparebit dominus meus* IESVS CHRISTVS, *vel ad gloriam sicut spero propter pœnitentiam meam: Vel ad damnationē, sicut formido propter aliorum corruptionem, quos ad viam veritatis reducere non potui.* Refert Gerson, serm. in cœna Domini de pœnitentia.

F. IV. Arguunt omnes creaturæ. QVARTÒ, Arguunt te vniuersim & simul omnes creaturæ, quibus etiam suo modo scyphum argenteum aufers, hoc est, ordinem illum & inclinationem naturalem, quam habent ad seruiendum Creatori suo, vero vtique domino (*quoniam omnia seruiunt tibi*, ait Dauid Psal. 118.) dum eas à Creatore suo abstrahis & tibi rebelli seruire & subesse cogis, atque ita tyrannicè vsurpas contra voluntatem legitimi earum Domini: veluti ingenium tuum, robur, formam, opes, dignitates, membra, elementa, mixta, sydera, creaturas omnes. Vinum tibi & dapes ad gulam inseruire, vnguenta ad libidinem, arma ad duella & homicidia, ingenium ad technas & fraudes debent. Atque hoc est quod Apostolus scripsit ad Rom. 8. *Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsq; adhuc.* Ingemiscūt ergo & dolore anguntur creaturæ, quòd subiectæ sint, non volentes, peccatori: Cur non potiùs ingemiscat peccator, qui tantam eladem affert innocuis creaturis? suâ in Deum rebellione causat sibi & alijs grandines, segetum internecciones, pestes hominum & pecorum, ventorum procellas, siccitates, incendia domorum? Nónne hæ omnes clades; si superuenerint multis lachrymis deplorantur? Et cur non magis peccata, quæ eas intulerunt. Miseri & insani homines instar canum in lapides morsum conuertunt qui in eos proijciuntur, & non in ipsa peccata, à quibus illi iaciuntur: tribulationibus irascuntur, peccatis earum parentibus non irascuntur. Aperiamus ergo, aperiamus quæso saccos conscientiarum nostrarum, & intueamur flebilibus oculis furta nostra, iniurias videlicet, quas Deo, Christo, proximo & creaturis alijs intulimus, vt corda nostra scindere & conterere possimus. Aperuit saccum suum Dauid, & lauit *per singulas noctes lectum suum & lachrymis stratum suum rigauit.* Aperuit Publicanus, & *percutiebat pectus suum nec audebat ad cœlum oculos leuare.* Aperuit Magdalena, & *lachrymis rigauit pedes Christi & capillis suis tersit.* Aperuit Petrus, & *exiens fleuit amarè.* Aperuit Theodosius Imp. & publicam in Ecclesiâ cum lachrymis prostratus subijt pœnitentiam, &c. Atque ita demum fiet, vt post agnitum errorem nostrum à cælesti Iosepho, Christo, ad suauissimum admittamur osculum.

CONCIO IV.

Christus quomodo in passione vitulus.

Assignatâ causâ immolationis Christi, explicantur ad litterā, allegoricè & tropologicè duodecim caremonia in immolatione hostia pro peccato, qua debebat esse vituli, adhiberi solita, eaque Christo adaptantur.

THEMA.

Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta. Hebr. 9.

A. Christus animal illud Ezechielis quadriforme. RECtè quidē S. Hieronymus, per quatuor illa animalia ostensa Ezechieli (quæ erant homo, vitulus, Leo, aquila) quatuor Euangelistas intelligit, quemadmodum alibi diximus. Sed non minùs rectè alij per eadem intelligunt Christum Dominum. Nam illa quatuor animalia, quæ describit c. 1. repetens eandem visionem c. 10. vocat vnum animal. Ergo vnum animal erat, sed quatuor habebat facies, quod ostensum Ezechieli, idque significabat quatuor principalia mysteria & status vitæ Christi, qui faciem hominis habuit in incarnatione, quia verus homo erat, & propterea communiter filium hominis se vocabat: faciem vituli in passione, quia per vitulum illum, qui pro peccato populi immolari iussus est *Leuit.* 4. designabatur: faciem Leonis in resurrectione: faciem aquilæ in ascensione. Ita S. Gregorius. *hom.* 4. *in Ezech.* & alij. Hominis faciem in Christo incarnato, luce clariùs agnoscimus. Leonis in resurrectione; aquilæ in ascensione infrà ostendemus. Nunc quâ ratione vitulus, & quidem is qui *Leuit.* 4. immolandus erat, fuerit in passione, non difficile ostendemus.

B. Leuit. 4. ita loquitur Deus: *Quod si omnis turba Israël ignorauerit & per imperitiā fecerit, quod cōtra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum,* &c. Causa immolationis Christi. Ecce tibi. Primò causam, ob quam noster ille vitulus, Christus, fuit immolatus. Quia enim totum

totum humanum genus peccauit in Adamo, tametsi ignoranter, contra mandatum Domini (id enim postea primum intelleximus, cùm in illis parentibus aperti sunt oculi nostri & nudos nos esse cognouimus) idcircò æquum & iustum fuit, vt hoc commune peccatum iusto modo expiaretur. Verùm sicuti in lege illâ veteri pro totius populi delicto vitulum mactari voluit Deus, quo viuere possent homines: ita pro totius humani generis peccatis voluit filium suum esse victimam, quo viuere possent homines. Perspicuè hoc docuit Isaias c.53. *Omnes nos*, inquit, *quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit; & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm.*

C. I. Hostia debebat esse vitulus. *Ad literam. Alleg.* PRIMÒ ergo hostia pro peccato populi debebat esse vitulus, ad literam quidem, quòd is tenerior esset & delicatior (Deo enim offerenda sunt meliora, non deteriora) Allegoricè verò quòd repræsentare debebat Christum, qui in flore iuuentutis immolandus erat. Quod vtique factum, vt ei mors acerbior & ex hoc satisfactio esset copiosior; siquidem iuuenes ægriùs & plerumque difficiliùs seu violentiùs mori solent, ac velut poma nondum matura auelluntur vi ab arbore. Hoc videtur ipse nobis considerandum dare, per Ieremiam cap. 12. cùm ait: *Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius.* Pueri adhuc nesciunt diligere aut æstimare vitam suam: senes desinunt diligere: iuuenes maximè diligunt. Dolemus cùm poma immatura siue à vento excuti, siue à pueris abripi cernimus ex arbore, quòd ante tempus tollantur. Et quis non doleat Christum tantum Corporum & Animarum Medicum abripi ex hac vitâ in ipso iuuentutis flore? Dolebat certè Isaias, cùm de eo scripsit in cap.35. vbi passionem eius, quasi Euangelista quidam describit: *De angustiâ*, inquit, *& de iudicio*, id est, à turbâ premente & iudicibus, *sublatus est: generationem* (Hebr. Dor, id est, ætatem) *eius quis enarrabit? quia abscissus est de terrâ viuentium.* q.d. vi abreptus è vitâ in mediâ ætate. Sensit etiam Christus hunc aculeum; vnde Lucas ait *euulsum* esse à discipulis, cùm passurus eos relinqueret, in monte oliuarum: *Luc.22.*

Tropol. Tropologicè denique vt sciremus Deo gratissimum esse seruitium iuuentutis, tum quia ibi pugna est acrior & insidiæ maiores, proinde & victoria gloriosior; tum quia ibi vires & facultas est ad agendum malè, proinde & virtus maior: senes non tam deserunt peccata, quàm deseruntur à peccatis; tum quia iuuentus bona bonam parit senectutem. Hinc maximi quique sancti cœperunt à iuuentute Dei cultui se tradere.

D. II. Ducenda erat ad ostium tabernaculi. SECVNDÒ. Ducenda erat hostia ad ostium tabernaculi testimonij, id est, ad introitum atrij Sacerdotum: ibi enim illi eam excipiebant, ducebantque ad altare holocaustorum, vbi eam immolabant; nec enim ad hoc altare vel atrium Sacerdotum ingredi poterant Laici: vt declarat Corn. à Lapide *Leuit.1.* Ita Christus velut vitulus ad victimam deputatus, funibus constrictus ductus est. Primò, ad Sacerdotes Annã & Caipham cæterosque qui ad hunc conuenerunt, vbi eum excipiebant, licet iniquissimè, falsis testimonijs, alapis, ludibrijs, clamoribus & mortis sententiâ. Præuidit hoc in Spiritu Patriarcha Iacob, ideò moriens dixit de Simeon & Leui, Gen. 49. *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia; in consilium eorum non veniat anima mea, &c. quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate suâ suffoderunt murum.* (70. interpretes legunt: *subneruauerunt taurum.*) Vidit hic Iacob Christum occidendum à Scribis & Pharisæis, qui ex tribu Simeon: rursum à Pontificibus & Sacerdotibus, qui ex tribu Leui erant, vt notat eo loco S. Ambrosius. *Ipsi enim*, inquit, *consilium cogitauerunt aduersus Dominum IESVM, vt occiderent eum. Ipsi subneruauerunt taurum illum, cornua producentem & vngulas.* Hi ergo duxerunt Christum ad altare holocausti, quando adduxerunt in prætorium & tradiderunt Pilato vt ab eo condemnaretur.

TERTIÒ. Ponebant Seniores populi manus super caput hostiæ. Ad literam, vt hac cæremoniâ significarent offerentes, se peccata sua imprecari & quasi imponere victimæ immolandæ eamque pro se offerre. Rursum manus imponere super caput alicuius apud Iudæos erat ferre contra eum testimonium, quòd nimirum ipse reus esset, cæteri verò immunes, vt *Leuit.24. Deut.17. Dan.13.* Allegoricè fecerunt hoc Christo Seniores Iudæorum, quando contra eum dixerunt falsum testimonium, & mortis reum dixerunt Christum. Et imprimis Caiphas, cùm de eo dixit Propheticè: *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Item alij, cùm dixerunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum:* Et hæc quidem illi iniquissimè: sed altiori Dei consilio hoc actum est, quia quod impiæ & sanguine peccatorum plenæ manus hominum deliquerunt hoc positum est in caput Christi exsoluendum, iuxta id Isai.53. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm.* E. III. Super eius caput imponebant manus. *Ad lit. Alleg.*

Tropologicè monetur peccator per manuũ impiarum impositionem vt simul mactet sua peccata, quorum typus sunt manus eius. Moriatur peccata, quiesce agere peruersè; & quemadmodum victima immolanda viuere desinit, ita desine tu peccare. *Tropol.*

QVARTÒ. Immolabatur vitulus in conspectu Domini. Iugulabatur autem expansus, diuaricatis videlicet cruribus, vt notat Vilalpandus. *lib.3. de templo. c.37.* quia sic expanso & erecto corpore, colloque demisso, commodiùs effundebatur sanguis. Allegor. Christum Iudæi immolârunt & expanderunt, quando eum ad mortem crucis condemnarunt & clamarunt: *Crucifige.* Linguæ eorum cultri fuerunt, quibus hostiam hanc mactârunt. Hinc August. in Psalm. 63. ait Iudæis: *Vnde occidistis? gladio linguâ: acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis: Crucifige, crucifige?* Hoc indicauit Marcus cap. 15. cùm dixit: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* F. IV. Immolabatur in conspectu Domini. *Ad lit. Alleg.*

Iudæi

Iudæi scilicet, cùm Pilatū coëgerunt, vt Christum crucifigeret.

Tropologicè, debet hâc ratione Deo se offerre homo, vt nimirum totum se expandat & effundat coram Deo. Nec enim frustrà dicitur in Leuitico immolanda hostia in conspectu Domini, quia Deus aspicit, quomodo immoletur; quomodo peccator confiteatur, quomodo conscientiam examinat, quomodo conteratur, &c.

F. V. De sanguine eius infer. batur in tabernaculum. Ad lit. Alleg.

QVINTÒ, Sacerdos, qui vnctus est, id est, Pontifex (vt ex Græco & Chald. patet) inferebat & de sanguine vituli in tabernaculum testimonij, id est, sanctum sanctorum. Debebat hoc facere summus Sacerdos, quia peccatum totius populi reputabatur admodum graue, ideo ministerio Pontificis erat expiandum. Allegor. verò designabat hæc cæremonia, peccatum totius generis humani à solo Pontifice Christo expiandum. Ipse enim & hostia erat & Sacerdos. Intulit verò de sanguine in sanctuarium; siue quia partem sanguinis effudit in Ierusalem ciuitate sancta, reliquum fudit ad basin crucis, siue quia sanguinem suum repræsentauit patri cœlesti, & reuerà intulit in cœlum, quando in id ascendit, siue etiam, quia partem effusi sanguinis collegit & resumpsit Christus resurgens, adeoque intulit in tabernaculum sancti & gloriosi corporis sui: partem reliquam effudit, hoc est, non resumpsit: quia glorioso corpori sufficit minor sanguinis copia; neque enim indiget illo, qui ad nutritionem est necessarius, neque illo, qui fabricandis viralibus & sensitiuis spiritibus, inseruit. Confirmant hoc ipsum Syluest. *in Rosâ aureâ tr. 3. q. 22.* & Ioan. Maior *in 3. d. 26. q. 4.* insigni miraculo, quod aiunt accidere annis singulis in S. Maximino propè Massiliam, vbi spectante vniuerso populo in die parasceues perlectâ Christi Passione efferuescit, in ampullâ sanguis Christi, quem terrâ permixtum collegit Magdalena ad pedem Crucis, & secum Massiliam detulit.

G. VI. Eius sanguine aspersum sanctuarij velum. Ad lit. Alleg.

SEXTÒ, Pontifex tincto septies digito in sanguine vituli aspersit contra sanctuarij velum; ad significandam videlicet perfectâ expiationem, quæ septenario numero continetur. Fecit hoc Christus, cùm in suâ passione septies effudit sanguinem, diuersis è membris à carnificibus elicitum: Primò è toto corpore, cùm flagellaretur. Secundò è capite, cùm spinis coronaretur; deinde è manibus ac pedibus, cùm in crucifixione quator acciperet vulnera; denique è latere, cùm lanceâ configeretur. Atque ita septem aperuit fontes sanguinis ad expianda septem peccata capitalia totius mundi; qui significant septem sacramenta.

H. VII. De eius sanguine positum in cornibus Altaris. Alleg.

Rursum septies, id est, sine intermissione spargit hunc sanguinem Christus contra velum sanctuarij, id est, coram oculis patris sui cœlestis ad expianda hominum peccata.

SEPTIMÒ, Ponebat de eo sanguine Pontifex in cornibus altaris. Quod etiā fecit Christus, quando in cruce expansus cornua illius sanguine suo tinxit, de quibus cornibus dixit Habacuc c. 3. *Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.* Illa enim tinctura acuit Christus gladium suæ crucis, vt eo dæmonem interimeret. Fuerunt autem cornua in manibus Christi, non manus in cornibus, quia crux in eius fuit potestate.

I. VIII. Reliquum sanguinis ad basim altaris fusus. Alleg. Tropol.

OCTAVÒ, Reliquum sanguinem fundebat circa basim altaris holocaustorum, ita Christus sanguinem, qui non effusus erat in prætorio, nec adhæsit cruci, &c. effudit ad basim crucis, quia pro totius mundi redemptione patiebatur.

Tropologicè vult Deus vt effundamus coram illo corda nostra iuxta illud Thren. 2. *Effunde sicut aquam cor tuum.* Item vt effundamus sanguinem, id est, peccata eorumque affectum, ita vt ea resumere nequeamus, quomodo aqua in terram effusa nequit recolligi. Sic fecere viri illi, qui ad præceptum Samuelis abiecerant idola, & in symbolum pœnitentiæ, *hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Domini.* 1. Reg. 7. hoc facto indicantes se ex animo effudisse impietatem pristinam, quomodo nunc effundebant aquam in terram.

K. IX. Adeps eius in altari crematus. Alleg.

NONÒ, Omnem eius adipem tollebat & adolebat super altare. Quod nimis in Christo verificatum, quando in cruce omnis ei decor, omnis substantia, omnis honor ademptus est, & ab ipso combustus in odorē suauitatis Deo. Nudus ibi pependit in maximis cruciatibus, in maximâ ignominiâ ita vt non remaneret ei quidquā virium; honoris, substantiæ, libertatis, consolationis. Vnde in Ps. 21. quem recitare cœpit Christus in cruce, (vtpote de se patiente scriptum ita incipit; *Deus meus Deus meus respice in me; quare me dereliquisti?* Erat enim tunc omnibus bonis destitutus, etiam illâ supernâ consolatione, quam inferior animæ pars participare consueuerat ex animæ beatitudine. Et clarius paulò infra, idipsum exprimit dicens: *Aruit tanquā testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerē mortis deduxisti me*, q. d. Robur meum & pinguedo mea tota exaruit, omni virore ac vigore exhausto, dum ita me tractari & spoliari passus sum, quasi impotens essem ad resistendum aut lædendum etiam linguâ meâ. Cæterùm hic in seipso Christus combussit & adoleuit Deo in odorem suauitatis, omnē etiam mundi adipem, honores, diuitias, voluptates; & quæ priùs magnifaciebat mundus, ea nunc vilia, & contemptibilia reddidit.

L. X. Rogabat Sacerdos pro populo. Alleg.

DECIMÒ, Rogabat pro populo Sacerdos, & propitius erat ei Deus. Fecit & hoc Christus, quando in cruce orauit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quasi enim oblitus sui, & nesciens quo loco & cum quibus esset, *pro transgressoribus rogauit*, inquit Isaias, in cap. 53. Nec inaniter, impetrauit enim latroni & Centurioni conuersionem, gratiam, gloriam: cæteris verò qui aderant, vt percussi salutari timore & pœnitentiâ percutientes pectora sua reuerterentur.

M. XI.

VNDECIMÒ. Vituli caro efferebatur extra castra

castra, ad literam, vt significaretur abominatio peccati, quod meretur remoueri longè ab oculis, imò extra mundum efferri in infernum & ibi concremari. Alleg. hoc in Christo verificatum testatur Apostolus ad Hebr. 13. qui *extra portam passus est. Nec intra septa ciuitatis*, ait S. Leo Serm. 9. de passione, *ob meritum sui sceleris diruenda, sed foris, & extra castra crucifixus est Christus, vt veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari, & crux Christi non templi esset a ; sed mundi.* Adhæc quia peccatis hominum elementa & ipsum quodammodo cœlum erat contaminatum, sub cælo pati debuit, vt omnia expiaret & purificaret.

Hostiæ caro efferebatur extra castra. *Ad lit. Alleg.*

Tropol. Tropologicè docemur exire extra castra tumultuum & negotiorum sæcularium, pompæ, luxus, voluptatum, cùm Deo sacrificare, ad Christum & S. Eucharistiam accedere volumus.

N. XII. Incendebatur super struē lignorum. DVODECIMÒ. Incendebatur super struem lignorum & comburebatur; siue vt significaretur summum Dei dominium in res omnes, quas suo nutu tractare, & in cinerem, ipsumque nihilum redigere possit, si velit; siue vt ignis infernalis peccatis debitus repræsentaretur. Sed quâ ratione caro Christi incensa & combusta est super struem lignorum? Quando super crucis lignum amoris igne incensa & morte consumpta est. Nisi enim hic ignis Christum inflammasset, nihil ei nocere potuisset, quidquid tandem machinarentur Iudæi.

Hunc in modum suam quisque carnem docetur immolare. *Habes & tu vitulum, quem offerre debeas*, inquit Origenes hom. 1. in Leuit. *Vitulus est, & quidem valde superbus caro, quam si vis munus Domino offerre, vt eam castam pudicamq; custodias, adduc eam ad ostium tabernaculi, id est, vbi diuinorum librorum suscipere possit auditum. Masculinum sit munus tuum, fœminam nesciat, concupiscentiam respuat, fragilitatem refugiat, nihil dissolutum requirat aut molle; impone etiam manum tuam super hostiam tuam, vt sit accepta Domino, & iugula illam contra Dominum, hoc est, impone ei continentia frænum, & manum disciplina ne auferas ab eâ, sicut imposuit manum carni sua ille qui dicebat: Macero corpus meum & seruituti subijcio, ne fortè cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar, &c.*

CONCIO V.

Quàm conueniens fuerit Christum pati.

1. *Respectu Dei, cuius iustitia congruè satisferi non poterat, nisi per passionem filij.*
2. *Respectu Christi, vt condignum pretium offerret pro gratiâ & gloriâ tam suâ quàm nostrâ.*
3. *Respectu Adami.*
4. *Respectu Diaboli qui meliori modo vinci non poterat.*
5. *Respectu hominum quorumcumque.*

THEMA.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu. Ioan. 8.

BEne dicitis ô Iudæi, tametsi nō bono animo, Christum esse Samaritanum, siquidem hoc ipse minimè negauit. Samaritanus ergo fuit Dominus noster, sed qualē ipse descripsit *Luc.* 10. qui conspecto illo homine, à latronibus confecto & vulneribus conciso appropiauit & alligauit vulnera eius, tulitque eum in iumentum suū & duxit in stabulum. Fecit enim hoc Christus, quando ipse motus misericordiâ, vulneratus est propter scelera nostra, quæ inflixerant nobis dæmones; & quando ipse *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, vt ait D. Petrus. 1. Petr. 2. *Verè enim languores nostros ipse tulit*, inquit Isai. cap. 53. *& dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum.* Existimabant Iudæi ipsum propter peccata sua à Deo sic punitum; cùm tamen, vt mox sequitur, *Vulneratus sit propter iniquitates nostras & attritus propter scelera nostra.* Verùm hic interrogare licet, quā ob rem Christus Dominus talis fieri Samaritanus, talisque leprosus: & tales in se cruciatus ipsamque adeò mortem suscipere voluerit; præsertim cùm alijs operibus minoris laboris sanare nos potuerit? Huic quæstioni respōdendum videtur in Dominicâ præsente, quæ passionis dicitur, quia memoriam eius inchoat. A.

PRIMÒ. Respectu Dei, cuius iustitiæ congruè satisfieri non poterat, nisi per passionem filij & sanguinis eius effusionem. Primò, quia peccata cùm sint summū malum faciunt hominēs dignos morte & sanguinis effusione; (anima enim, id est, vita consistit in sanguine, non formaliter, sed causaliter & cōcomitanter, quia causatur & sustentatur per sanguinem, iuxta id Leuit. 17. *Anima omnis carnis in sanguine est.*) hinc in veteri lege offerētes victimam pro peccatis suis, mactabant eā & fundebant sanguinē eius circū altare, vice scilicet sanguinis sui, quē ipsi fundere deberent pro peccatis suis; quæ in victimam transferebant manuum impositione, quasi protestatione; (*Leuit.* 1.) quod ipsum etiā designauit fundendum aliquando sanguinem Christi pro peccatis hominum. Hinc est quod Apostolus ad Hebr. 9. ait: *Sine sanguinis effusione* B. I. Respectu Dei.

ne non sit remissio. Tantùm enim malum est peccatum vt sanguine & vitâ, id est, pretiosissimo hominis bono redimi debuerit. Quemadmodum ergo mare non cessauit furere vsque dum Ionas in id immitteretur, *Ion.* 1. ita & ira Dei noluit acquiescere donec Christus manibus impiorum (quorum *cor velut mare feruens*, Isai. 57.) traderetur, & procellis passionis obrueretur. Hinc diuinâ dispensatione permissum est, vt Iudæi simili furore & implacabili rabie sitirent Christi sanguinem & mortem, quando nullis Pilati dehortationibus acquiescere voluerunt, sed importunis vocibus acclamarunt: *secundũ legem debet mori.* Et: *Sanguis eius super nos.* Hoc idẽ enim in iudicio Dei clamauit iustitia eius, cui satisfieri non poterat, nisi sanguinis effusione & morte noxiorum, vel saltem alicuius innoxij, qui illorum pœnam in se suscipere vellet ac posset. Quia ergo non decebat, vt iustitia diuina maneret semper læsa per peccatum, nullâ factâ reparatione idoneâ tantæ iniuriæ ideo sanguine placanda, sanguine sedanda fuit: Dedecus peccati per decorem iustitiæ abolendum fuit.

2. Secundò. Quia hac ratione coërceri debebant homines à nimiâ peccandi libidine & libertate, in quam prolapsi essent, nisi hoc feueritatis exemplum statutum fuisset in peccata; siquidẽ Iustitia vult puniri reos, vt à peccando coërceantur reliqui. Mirandum quoddam facinus, efficax tamen ad intentum finem, designauit Rex Moab. 4. *Reg.* 3. quãdo obsidione pressus immolauit filium suum super murum in conspectu hostium, vt hoc miserabili spectaculo placaret hostium animos & commoueret eos ad soluendam obsidionem; vti exponit Abulẽsis quæst. 23. Nec fefellit illum hæc cogitatio; nam vbi Regem hostes eò redactum viderunt, vt de filio suo tam seuerè decerneret, sibijpsis irati, quòd patrem miserum coegissent in sua penè viscera ferrũ adigere & ex tragico sacrificio cruentas referre manus, statuerunt condendum esse gladium in vaginam & saluo Rege ab vlteriore cæde in patriam redeundum. Simillimum huic spectaculum edidit Deus in filio suo, quem in conspectu hominum acerbissimâ plexit morte; vt hinc territi peccatores, cessarent suis sceleribus ipsum impugnare, qui ob peccati odiũ in proprium sæuire filium coactus fit, vtique non parsurus alijs, qui pergerent delinquere. Quod si etiamnum, post exhibitum hoc spectaculum in innocentissimo Dei filio, tanta hominum libertas & pronitas ad peccandum est, quid quæso fieret, si tam seuero iudicio peccatum mulctatum non fuisset?

C. II. Respectu Christi. SECVNDÒ. Respectu ipsius Christi; vt condignum pretium offerret pro gratiâ & gloriâ, tam suâ quàm nostrâ. Christus per passionem suâ non tantùm satisfacere debuit pro peccatis nostris, sed insuper sibi & nobis mereri gratiam & gloriam, eamque in cœlo immensam; adhæc fontem quemdam perennem & inexhaustum, quo peccata, quotiescunque homines in ea inciderent, deleri possent, constituere, vt sic futuris etiam hominum lapsibus consuleretur. At verò hęc talia & tanta comparari sine labore maximo, adeoque sine passione & morte non poterant, saltem congruenter. *Non enim coronabitur*, (multò minùs alijs coronas parabit) *nisi qui legitimè certauit*, inquit Apostolus 2. Tim. 2. Iason ille non accepit aureũ vellus, nisi postquam multa per terræ marisque pericula, id quæ situm in Colchidem Argo naui profectus est. Non fuit Dauidi data in sponsam filia Regis, diuitiæ & immunitas à tributo, nisi postquam strenuè prœliatus, præsentissimo vitæ discrimine vicit Goliathũ. 1. *Reg.* 17. Eodem modo *nónne hæc oportuit pati Christũ & ita intrare in gloriã suam?* ipsiusmet testimonio *Luc.* 24. Itaque cœlestis pater constituit non dare gloriam humanitati filij sui, nisi eam sibi promeruisset maximis laboribus. Augustus Cæsar (sub quo Christus natus) filios suos numquam populo commendauit, nisi cum hac appendice: *si merebuntur*; teste Suetonio. Idem fecit Deus filio suo, quà homini. Non contulit ei potestatem iudiciariam, nisi postquam is iniquè iudicatus & condemnatus est. Non dedit ei sedere ad dextrã suam nisi postquam ille sedit & pepẽdit inter latrones. Non dedit ei gentes in hæreditatem & semen longæuum, gloriã & vitã æternã cumulandum, nisi postquam is pro eo dedit vitam suam, iuxta id Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*; id est, *quidquid circa homines in vitam æternam supernaturaliter perducendos fieri constituit Deus, meritis Christi executioni mandabitur*, inquit Lud. Molina 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 2. Noluit ei fontem perpetuæ remissionis & iustificationis pro lapsuris hominibus construere, nisi ipsemet filius velut statua quædam fontanæ fieret vndiq; perforata & è membris suis sanguinem destillans in ablutionem & salutem hominum; vnde mox subijcit dicto loco Isaias: *Pro eo quòd laborauit anima eius videbit & saturabitur*, (*videbit Ecclesiam in toto orbe consurgere & earum saturabitur fide*, inquit Hieronymus in eum locum) vel saturabitur in membris suis, qui de fontibus eius hausturi sunt remissionem peccatorum, gratiam & gloriam; vti sequitur: *In scientiâ suâ iustificabit ipse iustus seruus meus multos.* Petra non dedit aquam populo Hebræorum, nisi percussa, *Exod.* 17. Similiter *hæc petra* (Christus) *nisi fuerit percussa, aquas nõ dabit, percussa verò fontes producit. Nisi ille fuisset percussus & exijsset de latere eius aqua, omnes sitim verbi Dei pateremur.* inquit Origenes & Augustinus.

D. III. Respectu Adami. TERTIÒ. Respectu Adami, primi hominis, vt ipsius peccatum, quia fons & origo fuit cæterorum peccatorum, in Christo plecteretur debitâ proportione & conuenientiâ. Videmus id communiter fieri in processibus criminalibus; blasphemo linguã exscindi; periuro binos digitos, quibus præstari iuramentũ solet, amputari; exoculari eum, qui oculis suis pisces quæsiuit alienis in viuarijs, &c. vt in eo puniantur, in quo peccauerunt, sicque agno-

ſcant culpæ ſuæ amarum fructum. Viſum igitur & Deo ſimili proportione plectere in Chriſto culpam primi hominis. Quam rem appoſitè explicat Euſebius Emiſſenus in quadam homilia de paſchate, vbi in perſona Saluatoris ita loquitur: *Extendit homo inobediens præſumptuoſas manus ſuas ad arborem vetitam: extendi ego manus meas innocentes ad arborem Crucis. Per lignũ commiſſum eſt peccatum, per aliud lignũ eſt ablatum. Peccauit homo guſtans ſuauitatem arboris prohibitæ, ſatisfactum eſt pro illo peccato felle & aceto, quod propter illud ebibi. Homo condemnatus eſt propter ſuperbiam affectans Dei ſimilitudinem, humiliata eſt mea diuinitas propter culpam illius ſuperbiæ & oblata eſt maieſtas pro delicto in ipſam maieſtatem commiſſo. Præter hæc omnia homo debitor erat mortis & oportuit illud debitum exſolui: ideò mortalem naturã aſſumpſi & mortem meã pro morte illa obtuli.* Hæc ille. Et quia peccatum Adami fons & Origo omnium aliorũ peccatorum fuit & in omnes homines pertranſijt, illique in omnibus ſuis viribus & mẽbris peccare ſolent; idcircò Chriſtus, vti pro omnibus, ita & ab omni hominum genere paſſus eſt à viris, fœminis: iuuenibus, ſenibus: principibus, priuatis: Sacerdoribus, laicis: liberis, ſeruis: Iudæis, paganis: amicis, inimicis. Paſſus eſt in omnibus bonis, in matre, in diſcipulis, in veſtibus, in famã, in animo, in corpore in omnibus membris, partibus, viribus, ſenſibus. Paſſus eſt penè omnia, quæ quis pati poteſt. Agnoſcimus ergo ex his amariſſimũ illum peccati fructum, quem tulit arbor vetita.

E. IV. Reſpectu Diaboli. QVARTÒ. Reſpectu Diaboli: qui meliore modo, quàm per Chriſti paſſionem, vinci ac confundi non poterat. Deſcendit aliquando in certamẽ pictoriæ artis Paraſius cum Zeuxide, vt ſcribit Plinius. l. 35. c. 10. *Et cùm ille detuliſſet vuas pictas tantò ſucceſſu, vt in ſcenam aues aduolarent; ipſe detuliſſet linteum pictum, ita veritate repræſentatã, vt Zeuxis alitum iudicio tumens flagitaret tandem remoto linteo oſtendi picturam, atque intellecto errore cõcederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipſe volucres feſelliſſet, Paraſius autẽ ſe artificem.* Simili ratione depinxit Diabolus arborem vetitam tam ſpecioſè, vt eius ſpecies, quaſi arbor vitæ & diuinitatis eſſet, deciperet primos parentes ad eam aduolantes & inde non vitam & ſcientiam, quam ſperabant, ſed mortem & ſtultitiam carpentes. Verùm Chriſtus attulit linteum humanitatis ſuæ tam affabrè pictum, vt nihil differre ab alijs hominibus Dæmonis ſeruituti ſubiectis videretur; cùm tamẽ innocens eſſet adeoque immune ab imperio dæmonis. Quare cùm Dæmon inſtigaſſet Iudæos vti manus mitterent in hoc linteũ idque è medio tollerent clamando: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige*; vidit & expertus eſt linteum hoc ab alijs longè diuerſum, nec è filis peccatorũ contextum aut ſordidum, ſed mundum, impollutum & ab omni culpa liberum eſſe; itaque deceptus eſt ipſemet mille artifex & hominum ſtultorum auceps, perdiditque imperium ſuum, dum inuaſit alienum. *Sic non potentia virtute, ſed iuſtitia dominatu ſuo imperio exutus eſt, victus ab illa natura, quam vicerat, & admittens omnium ſeruitutem, dum nihil ſibi debentis perſequutur libertatem*, inquit S. Leo Papa Ser. 2. de Natiuit. Permiſit Deus homini, vt comederet de omnibus arboribus paradiſi, vnâ tantum exceptâ; Similiter permiſit Dæmoni omnes homines in peccato conſtitutos ſecum in ſuum regnum abripere. Quâ licentiâ datâ exceptus erat, quicunque peccato obnoxius non erat. Dæmon autem videns Chriſtum, vt alios homines, calamitatibus, pœnis & morti, quæ peccatum ſequebantur obnoxium; exiſtimauit etiam illum ſimilem alijs hominem eſſe peccatorem, Itaque ei mortem inflixit, homini ſibi non ſubiecto: vnde iuſtè promeritus eſt, vt omne id quod poſſidebat, amitteret; ſicque homo titulo quodam iuſtitiæ ab eius imperio & captiuitate liberatus eſt. Hoc myſterium aperuit olim Deus Iobo dicens: *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* quomodo ſcilicet ego extraxi. Iob 40. Leuiathan, piſcis mole maxima, Diabolum deſignat, qui à Deo captus eſt hamo incarnati filij Dei; in quo eſca erat, eius humanitas, miſerijs huius vitæ ſubdita; vncus verò ſub eâ latens, eiuſdem fuit diuinitas. Videns ergo hunc hamum dæmon, cæteris mortalibus ſimilem, credidit & reum eſſe, ideoque per membra ſua (Iudæos) morti obiecit eaque mediante quodammodo deglutiuit. At verò ab eius innocentiâ & latente diuinitate captus Leuiathan omnem ſuum dominatum, quem habebat in homines, perdidit: & ita dolo victus eſt, qui dolo vicerat. Hinc per Oſeam c. 13. ei dicitur: *Ero morſus tuus inferne.* Morſus ſcilicet exitialis. Adhæc quemadmodum Goliath proprio gladio decollatus eſt à Dauide; ſic Diabolus à Chriſto ſuis armis victus eſt. Inuexerat is in mundum ſuâ ſuggeſtione mortem & cæteras miſerias; hanc mortem in ſe ſuſcepit Chriſtus, vnaque Diabolum proſtrauit & mortem. Draco dum Elephantem inuoluens ſanguinem eius ebibit, à concidente Elephante opprimitur & commoritur, vt refert Plinius *l. 8. c. 12.* ita etiam diabolus dum inuaſit Chriſtum & ſanguinem eius ebibit, à moriente oppreſſus eſt.

QVINTÒ. Reſpectu hominum quorumcumque, quos efficacius ad virtutis ſtudium incitare & ad ſalutem ſuam perducere non poterat, quàm pro eis patiendo & moriendo. F. V. Reſpectu hominũ. Imprimis enim ſi ad ſpem voluit eos erigere, quo meliore modo potuit id facere. Quis enim deſperet, cùm Deũ tanta & tam difficilia pro ſe feciſſe videt; nec quidquam ampliùs ardui ad ſalutem ſuam ipſi patrandum reſtare? nec enim rurſum pro illis pati debet; neque cogitare poſſunt velle eum pretium ſanguinis ſui inane & labores irritos. Si ad charitatem accendere; quomodo non redamabunt eum, qui ſic amauit eos? Si enim parum videtur hominibus, quod à Deo creati ſunt, quia ſcilicet nullo eius labore, ſed vnico verbo facti ſunt; certè tamẽ parum videri non poteſt, quòd ab eo tantis laboribus reparati, tanto pretio empti. Si ad amorem & ſtudium virtutum

præsertim paupertatis, mansuetudinis, patientiæ, obedientiæ, humilitatis, mortificationis, &c. inflammare; quo efficaciore modo potuit hoc facere, quàm easdem virtutes in semetipso ad viuum exprimendo? quis enim tantùm Ducem in his sequi erubescat? imò quis non erubescat, sequi si detrectet? Quomodo enim nostra superbia meliùs poterat deprimi, quàm illius humilitate? nostra auaritia curari, quàm eius paupertate? nostra libido edomari, quàm eius doloribus? nostra ira frænari, quàm eius patientiâ? nostra gula coërceri, quàm eius siti & felle? nostrum odium vinci, quàm eius amore? nostra maleficia, quàm eius beneficijs, &c. si ad odium peccati permouere; quomodo potuisset melius, quàm ad id abolendum extrema patiendo? si enim non enorme, exerandum & omnibus modis fugiendum esset peccatum, nequaquam id crucifixisset Deus in Filio suo; tametsi ex alieno dorso in dorsum eius translatum esset. Si ita punitus fuit, qui gladium homicidæ nullâ sua culpâ apud se gestauit; quomodo punietur is, qui ad homicidium patrandum gladio illo vtitur? Si ad patientiam in ægritudine, paupertate, contemptu, iniurijs, animare; vbi maior consolatio tristium, vbi efficacius remedium, reperitur, quàm in Crucifixo? Hinc robur accepere martyres, hinc solatium capiunt ægri, hinc remedium sumunt tentati, hic refugium inueniunt pœnitentes. Si ad vitam Christianam rectè instituendam dirigere; nulla ad hanc certior & planior est via quàm Crux; siquidē vita Christiana, si rectè expendatur, aliud non est, quàm Crux (qualem vixere Apostoli, Martyres, Confessores, Anachoretæ & omnes pij qui tanquam purgamenta huius mundi erant, omnium peripsema; non qualem nunc plerique Christiani viuunt) & mors totius hominis, vt post mortem istam transformari possit quodammodo in Deum. Quemadmodum enim auis non defertur ad mensam Regis, nisi priùs mactata, deplumata & assata (quâ similitudine pro concione auditâ Consaluus Mederius Lusitanus, repente immutatus, relicto sæculo, Societati IESV nomen dedit, vt in hist. eiusdem t. 1. lib. 1. nu. 104.) ita anima fidelis non defertur ad mensam Christi cœlestem, nisi priùs hîc moriatur suis cupiditatibus, deplumetur & assetur varijs tribulationibus & suiipsius mortificationibus. Iam verò ad hanc crucem quâ ratione meliùs duci poterant homines, quàm per crucem Christi? Nónne crucem intuens, vides ibi auem nobilem, mactatam, deplumatam, assatam, igne diuini amoris? Vade ergò & fac similiter. Seria & seuera est sententia S. Leonis Papæ *serm. 9. de Quadrag.* quam legimus in hodierno officio Lect. 5. *Sicut totius est corporis (Ecclesiæ) piè viuere, ita totius est temporis crucem ferre: quæ meritò ferri vnicuique suadetur, quia proprijs modis atque mensuris ab vnoquoque toleratur.* Ergo, Auditores, supponamus humeros, vnusquisque cruci suæ. Si enim Samaritanus noster tulit nos in iumentum suū, quando ipse peccata nostra *pertulit in corpore suo super lignum;* quid moramur nos tollere sarcinam non alienam, sed propriam, nequaquam tam ponderosam, quàm fuit illa Christi?

CONCIO VI.

Cur Ecclesia toties nobis refricet memoriam passionis Dominicæ.

Multis modis ingerit nobis Ecclesia memoriā Passionis Dominicæ:
1. Vt excitemur ad gratitudinem: nam per Christi passionem redempti, & nobilitati sumus, idque per immensos dolores.
2. 3. Vt admoneamur applicare nobis passionem & à peccatis absterreamur.
4. Vt instigemur ad eam meditandam: cuius fructus plures adferuntur.

THEMA.

Vos dicitis quia Deus vester est & non cognouistis eum. Ioan. 8.

Multis ac varijs modis, passim & vbique, nullo non tempore memoriam Dominicæ Passionis ingerit nobis Ecclesia. Quid enim imprimis Missa, nisi memoria & repræsentatio totius passionis? Nónne in eâ sub speciebus panis & vini separatis, offertur & repræsentatur separatio corporis & sanguinis Domini adeoque mors ipsius? nónne ibi eleuatio clarissima est significatio crucifixionis Domini? nónne reliquæ cæremoniæ historiā passionis proponūt? Deinde quid vestes Sacerdotales ad Missæ operationem factæ? Quid significat amictus seu superhumerale collum operiens nisi velum quo facies Domini operta fuit, cùm à militibus illuderetur? Quid alba toga, nisi vestem albam in quâ illusus fuit ab Herode? Quid cingulum, manipulus, stola nisi funes & catenas, quibus ligatus fuit? Quid casula, nisi purpuream Christi vestem? Quid corona in capite Sacerdotis, nisi coronam spineam? Quid pileus quadratus desuper crucis formam exprimens, nisi crucem Christi? Tertiò quid sunt preces horariæ; nisi perpetuus quidam planctus Dominicæ passionis? Quid significat Matutinum, nisi nocturnum tempus captiuitatis Domini? quid Prima, nisi deductionem eius ad Iudices? quid Tertia, nisi cōdemnationē? quid Sexta nisi crucifixionem? quid Nona, nisi expirationem? quid Vesperæ nisi depositionem de cruce? quid Completorium nisi sepulturam? Quartò, quid sibi volunt tot vndique cruces non in fronte tantùm pingi solitæ, sed etiam in templis vndique, in domibus, in agris, in vijs publicis sculptæ ac collocatæ & morientibus propositæ, nisi vt passionis Domini perpetuò nos admoneāt? Denique quid certa quædam tempora passionis memoriæ dedicata? Ad quid feriæ sextæ ieiunium & pulsus, vt vocamus, tenebrarum nisi ad venerationem passionis? ad quid in

A *Memoriale passionis Primò est Missa.*

2. *Vestes etiam sacerdotales.*

3. *Horæ quoque Canonicæ.*

4. *Cruces vndique conspicuæ.*

5. *Cæremoniæ aliæ plures.*

in sero feriæ quintæ pulsus angustiæ domini, nisi ad memoriam agonæ Domini in horto? Quid hebdomada sancta & hodierna Dominica passionis, vbi vexilla Regis prodeunt & instrumenta Dominicæ passionis omnibus ostenduntur? quid reliquæ ceremoniæ per has 2. septimanas vsitatæ nisi memoria passionis? Quæ omnia imprimis mendacissimum hæreticorum os obtundunt, qui non verentur dicere, nos passionem Domini offuscare, eneruare, opprimere. Deinde contrarium ostendunt, nos videlicet passionem Domini venerari, cordi habere, amare, & extollere; ipsos verò hæreticos nostros qui prædicta monumenta omnia extirparunt, eraserunt, sepelierunt, hostes esse verissimos Dominicæ passionis. Sed nunc quærat aliquis: Ad quem finem nobis Ecclesia memoriam huius passionis tot modis inculcat? Breuiter responderi potest: Idcirco id facit Ecclesia, ne nobis obijci possit, quod hodie obiecit Dominus impijs Iudæis, cùm dixit: *Vos dicitis, quia* (pater meus) *Deus vester est, & non cognouistis eum.* Si enim nos Christiani confiteamur Christū Deū nostrum esse, pro nobis passum & mortuum esse; interim verò memoriam passionis & mortis eius non recolamus, dici etiam nobis poterit: *Vos dicitis, quia Christus Deus vester est, & non cognouistis eum.* Sed videamus accuratiùs, cur Ecclesia Catholica tam sæpe nos admoneat Dominicæ passionis.

B. I. Vt excitemur ad gratitudinem.

PRIMÒ, Id facit Ecclesia, vt nos ad animi gratitudinem excitet. Cùm enim pauper aliquis ingens beneficiū à principe accepit: Verbi gratiâ, redemptionē, tum sæpiùs hoc enarrat liberis suis, quo videlicet meminerint, à quo etiam ipsi euecti sint ad hanc gratiam, ne principi sint ingrati. Ad hunc modū Ecclesia liberos suos admonet beneficiorum à Christo sibi præstitorū, & quodammodo clamat id Ps. 65. *Venite, audite & narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Primò quia redemit nos suâ passione de diaboli seruitute. Monet nos Ecclesiasticus c. 29. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam.*

1. *Quia per Christi passionem redempti sumus.*

Cuius rei exemplū de Damone & Pythiā narrat Valerius Maximus l. 4. c. 2. quòd cùm alter à Dionysio Tyranno vinctus teneretur breui occidendus & priùs ab eo peteret potestatem abeundi in patriam ad sua disponenda, obsidem pro illo se dedit alter moriturus pro amico, nisi is ad destinatum diem rediret. Iam aderat Iudicij dies & obses iam ducebatur: tum ecce aduenit reus vadem suum liberans. Quæ amicitia istorum adeò placuit Tyranno, vt non modò vtrumque liberum demitteret, sed insuper rogaret, vt se quoque in amicitiam suam reciperent. Sed quid hoc cum illo, quod exhibuit nobis Christus? nónne cùm nos ducendi essemus, ipse pro nobis & vadem se exhibuit & ipsam adeò mortem subijt? Quid ergo tanto non debemus amico? fieríne debet aut potest, vt huius amicitiæ & tanti fideiussoris aliquando obliuiscamur.

Secundò, quia suâ nos passione Christus nobilitauit, filios Dei & angelis pares, imò modo aliquo superiores fecit: *nusquam enim angelos apprehendit*, inquit Apostolus ad Heb. 2. Audiamus S. Virginem & Martyrem Agnetem, quod præfecti filio quærenti amorem eius responderit inter alia de Christo loquens: *Annulo suo subarrauit me, dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me: posuit signum in faciem meam vt nullum præter eum amatorē assumam: sanguis eius ornauit genas meas.* Hæc autem ornamenta nobis omnibus Christi passio contulit: Subarrauit enim nos annulo fidei, manus nostras ornauit virtutibus, induit nos aureâ gratiæ veste, posuit signum amoris immensum in cor nostrum vt alium amatorem præter ipsum admittere non debeamus: sanguine suo ornauit nos, dum eo nos redemit, pretio tam caro. Vnde Bern. *Serm. 3. de circumcis.* ait: *Quid nobis gloriosius quam quod tanti æstimauit nos Deus?* Et hæc talia sunt quæ nunquam obliuioni tradenda. *Nunquid enim*, inquit Dominus Ier. 2. *Obliuiscetur Virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* Passio Christi ornamentum nostrum est, siquidem per eam quæsiuit amorem nostrum adeoque nos sibi despondit filius Dei: quomodo ergo possumus huius ornamenti obliuisci?

2. *Quia per eam nobilitati.*

Tertiò, Quia vt hæc beneficia in nos conferret, plurimum sustinuit laborum & dolorum. Senior Tobias filio suo præ omnibus mandauit vt matrem honoraret, dicens: *Honorē habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Tob. 3. Multo æquiori iure monet nos Ecclesia vt Christum honoremus & memori mente recolamus, quæ & quāta pericula passus sit pro nobis, cùm in cruce nos, quasi pariens, in lucem gratiæ edidit & filios Dei effecit, inexplicabili suo dolore. Multa quidem maxima bona contulit nobis Deus extra passionem. Creauit enim nos ad imaginē suam, conseruauit, dedit victum & vestitum, aliaque innumera. Sed hæc facilia erant Deo, quia cùm inexhaustas possideat bonorum omnium diuitias, nihil ei decedit, quantumcumque largiatur, nec aliqua interuenit resistentia. Sed quòd Deus pro hominibus patiatur, hoc vnum tale est, quod omnia Dei dona superat, quia in passione magna est resistentia voluntatis. Si ditissimus aliquis Rex te captiuum apud Turcam pretio liberaret, magnum quidem id foret beneficium; sed si pretiū nollet acceptare Turca, & obsidem pro te peteret, atque idcirco Rex clam ad te veniret, vestes tecum mutaret, teque emittens, ipse pro te in durissimâ seruitute remaneret: quid nî istud beneficium innumeris parasangis superaret illud prius? Et hoc est quod fecit pro te Christus, idque tibi toties Ecclesia mater replicat.

3. *Quia cum immensis doloribus.*

C. II. Vt admoneamur applicare nobis passionem.

SECVNDÒ, Id facit vt nos admoneat, partium nostrarum, quantum est applicare sibi passionem Domini. Est enim passio Christi causa vniuersalis redemptionis & salutis nostræ, quæ per aliam particularem applicari ad effectū debet:

bet: quemadmodum fons aquarum, hauriri, & bibi, vel ad lotionẽ applicari debet vt effectus suos exerat. De passione Domini prophetauit Zacharias cap. 13. *In die illâ erit fons patens domus Dauid & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris.* Fons iste inexhaustus est & omnibus sufficiens, hauriri tamen debet, sibi & applicari, quod fit per fidem viuam & sacramentorum susceptionem. Quare nequis seipsum decipiat, satis esse existimans, si Christus pro nobis passus sit, nec aliud superesse nobis faciendum: idcirco Ecclesia tot modis, locis & temporibus proponit nobis Christi passionẽ; vt adimpleamus in nobis *ea quæ desunt passionũ Christi*, vt loquitur Apostolus ad Col. c. 1. id est, vt eas nobis applicemus. Non est satis aquã in templo benedictam esse, & ibidem asseruari: Sed si volumus eam nobis salutarem esse, necesse habemus eâ nos aspergere. Et sicut paterfamilias iubet in domo suâ ad omnes ianuas appendi vasculum aquæ lustralis, vt egredientes moneantur eâ se munire: ita Ecclesia passim proponit nobis cruces aliaque monumenta passionis, vt ea venerando nobis applicemus. Videtur huc respexisse sponsus animarum nostrarum Christus, cùm ad sponsam dixit Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuũ, vt signaculum super brachium tuum.* Vt enim sigillum vel signaculũ non exprimit in cerâ sui similitudinem, nisi ceræ impressum aliquo impetu; sic non potest in nobis efformari Christus eiusque meritum fieri nostrum, nisi aliquo adhibito voluntatis & operum conatu; & idcirco iubet hoc sigillũ poni super cor & super brachium. Vnde Ambros. lib. de Isaac & anima c. 8. ait: *Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio: In fronte vt semper confiteamur; in corde vt semper diligamus; in brachio, vt semper operemur.* Sic ille.

D. III. Vt à peccatis absterreamur. TERTIÒ, Vt nos à peccatis & peccandi occasionibus adeundis auocet & absterreat, ad eum ferè modum, quo mater aliqua ostendit filijs vestem sanguinolentã patris interfecti, vt à consortio & societate parricidarum eos abhorrere faciat. Quid enim aliud hodie facit, cùm vexillum Crucis promit aliaque passionis instrumenta? *Gen.* 37. legimus filios Iacob, postquam vendidissent fratrem suũ Iosephum, tunicam fratris, intinctam sanguine hœdi misisse ad patrem & nuntiasse: *Vide vtrum tunica filij tui sit, an non.* Quam cùm agnouisset pater, ait: *Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph; Scissisq; vestibus indutus est cilicio lugens filium suum multo tempore.* Ostendit etiam nunc Ecclesia nobis tunicam filij Dei Domini nostri; quam si agnoscamus quomodo non vehementer detestabimur peccatum, quod solum occidit illum & ita miserè confecit? quomodo non scindemus corda nostra per contritionem? O verè fera pessima peccatum! si diceret pater filijs in vicinâ syluâ bestiam grassari, quæ obuios quosque perimat, & non ita pridem armatum & fortissimum quendam virum peremerit: quis filiorum, non sibi caueret? quis eam ingredi syluam vellet?

Talis bestia peccatum est, quæ armatissimum & fortissimum Heroëm, Christum, inquam, innocentissimum, interemit vti nobis hodie insinuat Ecclesia. Quis ergo id non metuat & fugiat? Quando per agros & prata ingredi impunè non licet, tunc lignum aliquod ponitur, quã vetitum est iter: Verbi gratiâ, pertica erecta cum appenso straminis fasce. *Nos limitem habemus Crucem Domini*, inquit Clemens Alexandrinus l. 3. pædagog. c. 12. *cui crucifigimur & a peccatis prioribus reprimimur.* Limes ergo peccandi crux est, quia certissimè demonstrat nullum omnino peccatum fore impunitum; siquidem in Christo aliena etiam scelera acriter sunt punita. Hoc igitur vt agnoscant & cordi suo imprimant mundi amatores, qui dicunt: *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*, Sap. 2. idcirco non in templis modò, sed etiam in vijs publicis erigitur signũ Crucis, velut peccandi limes. Duplici igitur pœnâ digni sunt, qui limitem hunc transcendunt & quasi inane quoddam terriculamentum contemnunt. Non habuerunt hoc memoriale gentiles & Iudæi qui Christum præcesserunt: & qui necdum in Christum credunt, limitem hunc non vident, ideoque veniâ aliquâ digni sunt, sed non Christiani, qui eum & vident & agnoscunt.

E. IV. Vt instigemur ad meditandam passionem. QVARTÒ, Vt nos instiget ad sedulam passionis Dominicæ meditationem. Artemisia Regina Cariæ, vt refert Valer. Max. l. 4. c. 6. Mausoli, charissimi sibi mariti mortem adeò doluit, vt sepulchrum illi extruxerit vsque ad septem miracula prouectum: Præmia etiam oratoribus proposuerit, qui viri laudes ornatissimè dixissent: imo ipsa Mausuli viuum ac spirans sepulchrum fieri concupierit, dum illius cineres potioni aspersos bibit. Idem nos obsequium exhibere morti Christi possumus, & verò etiam debemus, per assiduam meditationem passionis eius; siquidem per eam Christi spirans quasi sepulchrum reddimur, eumque in nobis viuere facimus: per eam celebramus eius virtutes & beneficia: per eam erigimus illi Mausolеum acceptissimum. Quanquam non tam ipsi quàm nobis in bonũ cedit talis Meditatio. Nam Primò debellat insultus carnis & cacodæmonum, sicut quamdiu Iosue tenuit eleuatum in sublimi clypeum (quod præceperat ille Dominus) tamdiu hostes eius corruebant & interficiebantur, *Iof.* 8. Vbi glossa mor. ait: *Clypeus iste est memoria passionis dominicæ*, iuxta id 1. Petri 4 *Christo in carne passo, vos eâdem cogitatione armamini. Si vero clypeus iste constanter teneatur in manu bonæ operationis, debellabitur insultus carnis vel fomitis.* *Fructus meditationis passionis Dominicæ.*

Secundò, sanat morbos animi, quemadmodum aspectus serpentis ænei (qui erat figura crucifixi) sanauit morsum serpentum. *Num.* 21. Quomodo enim non sanabit morsum superbiæ, si consideres coronam Christi spineam? Quomodo non auaritiæ, si consideres Christi nuditatem & in sanguinis effusione liberalitatem? Quomodo non luxuriæ, si consideres totum saucium, sanguine cruentatum & do-

in fero feriæ quintæ pulsus angustiæ domini, nisi ad memoriam agoniæ Domini in horto? Quid hebdomada sancta & hodierna Dominica passionis, vbi vexilla Regis prodeunt & instrumenta Dominicæ passionis omnibus ostenduntur? quid reliquæ ceremoniæ per has 2. septimanas vsitatæ nisi memoria passionis? Quæ omnia imprimis mendacissimum hæreticorum os obtundunt, qui non verentur dicere, nos passionem Domini offuscare, eneruare, opprimere. Deinde contrarium ostendunt, nos videlicet passionem Domini venerari, cordi habere, amare, & extollere; ipsos verò hæreticos nostros qui prædicta monumenta omnia extirparunt, eraserunt, sepelierunt, hostes esse verissimos Dominicæ passionis. Sed nunc quærat aliquis: Ad quem finem nobis Ecclesia memoriam huius passionis tot modis inculcat? Breuiter responderi potest: Idcirco id facit Ecclesia, ne nobis obijci possit, quod hodie obiecit Dominus impijs Iudæis, cùm dixit: *Vos dicitis, quia* (pater meus) *Deus vester est, & non cognouistis eum.* Si enim nos Christiani confiteamur Christū Deū nostrum esse, pro nobis passum & mortuum esse; interim verò memoriam passionis & mortis eius non recolamus, dici etiam nobis poterit: *Vos dicitis, quia* Christus *Deus vester est, & non cognouistis eum.* Sed videamus accuratiùs, cur Ecclesia Catholica tam sæpe nos admoneat Dominicæ passionis.

B. 1. Vt excitemur ad gratitudinem. PRIMÒ, Id facit Ecclesia, vt nos ad animi gratitudinem excitet. Cùm enim pauper aliquis ingens beneficiū à principe accepit: Verbi gratiâ, redemptionē, tum sæpiùs hoc enarrat liberis suis, quo videlicet meminerint, à quo etiam ipsi euecti sint ad hanc gratiam, ne principi sint ingrati. Ad hunc modū Ecclesia liberos suos admonet beneficiorum à Christo sibi præstitorū, & quodammodo clamat id Ps. 65. *Venite, audite & narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Primò quia redemit nos suâ passione de diaboli seruitute. Monet nos Ecclesiasticus c. 29. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam.*

1. *Quia per Christi passionem redempti sumus.* Cuius rei exemplū de Damone & Pythia narrat Valerius Maximus *l. 4. c. 2.* quòd cùm alter à Dionysio Tyranno vinctus teneretur breuî occidendus & priùs ab eo peteret potestatem abeundi in patriam ad sua disponenda, obsidem pro illo se dedit alter moriturus pro amico, nisi is ad destinatum diem rediret. Iam aderat Iudicij dies & obses iam ducebatur: tum ecce aduenit reus vadem suum liberans. Quæ amicitia istorum adeò placuit Tyranno, vt nō modò vtrumque liberum demitteret, sed insuper rogaret, vt se quoque in amicitiam suam reciperent. Sed quid hoc cum illo, quod exhibuit nobis Christus? nónne cùm nos ducendi essemus, ipse pro nobis & vadem se exhibuit & ipsam adeò mortem subijt? Quid ergo tanto non debemus amico? fieríne debet aut potest, vt huius amicitiæ & tanti fideiussoris aliquando obliuiscamur.

Secundò, quia suâ nos passione Christus nobilitauit, filios Dei & angelis pares, imò modo aliquo superiores fecit: *nusquam enim angelos apprehendit*, inquit Apostolus ad Heb. 2. Audiamus S. Virginem & Martyrem Agnetem, quod præfecti filio quærenti amorem eius respondent inter alia de Christo loquens: *Annulo suo subarrauit me, dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me: posuit signum in faciem meam vt nullum præter eum amatorē assumam: sanguis eius ornauit genas meas.* 2. *Quia per eam nobilitauit.* Hæc autem ornamenta nobis omnibus Christi passio contulit: Subarrauit enim nos annulo fidei, manus nostras ornauit virtutibus, induit nos aureâ gratiæ veste, posuit signum amoris immensum in cor nostrum vt alium amatorem præter ipsum admittere non debeamus: sanguine suo ornauit nos, dum eo nos redemit, pretio tam caro. Vnde Bern. *Serm. 3. de circumcis.* ait: *Quid nobis gloriosius quàm quod tanti æstimauit nos Deus?* Et hæc talia sunt quæ nunquam obliuioni tradenda. *Nunquid enim*, inquit Dominus Ier. 2. *Obliuiscetur Virgo ornamēti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* Talio Christi ornamentum nostrum est, si quidem per eam quæsiuit amorem nostrum adeoque nos sibi despondit filius Dei: quomodo ergo possumus huius ornamenti obliuisci?

3. *Quia eius immensis doloribus,* Tertiò, Quia vt hæc beneficia in nos conferret, plurimum sustinuit laborum & dolorum. Senior Tobias filio suo præ omnibus mandauit vt matrem honoraret, dicens: *Honorē habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Tob. 3. Multo æquiori iure monet nos Ecclesia vt Christum honoremus & memori mente recolamus, quæ & quāta pericula passus sit pro nobis, cùm in cruce nos, quasi pariens, in lucem gratiæ edidit & filios Dei effecit, inexplicabili suo dolore. Multa quidem maxima bona contulit nobis Deus extra passionem. Creauit enim nos ad imaginē suam, conseruauit, dedit victum & vestitum, aliaque innumera. Sed hæc facilia erant Deo, quia cùm inexhaustas possideat bonorum omnium diuitias, nihil ei decedit, quantumcumque largiatur, nec aliqua interuenit resistentia. Sed quòd Deus pro hominibus patiatur, hoc vnum tale est, quod omnia Dei dona superat, quia in passione magna est resistentia voluntatis. Si ditissimus aliquis Rex te captiuum apud Turcam pretio liberaret, magnum quidem id foret beneficium; sed si pretiū nollet acceptare Turca, & obsidem pro te peteret, atque idcirco Rex clam ad te veniret, vestes tecum mutaret, teque emittens, ipse pro te in durissimâ seruitute remaneret: quid ni istud beneficium innumeris parasangis superaret illud prius? Et hoc est quod fecit pro te Christus, idque tibi toties Ecclesia mater replicat.

C. II. Vt admoneamur applicare nobis passionem. SECVNDÒ, Id facit vt nos admoneat, partium nostrarum, quarum est applicare sibi passionem Domini. Est enim passio Christi causa vniuersalis redemptionis & salutis nostræ, quę per alium particularem applicari ad effectū debet:

bet: quemadmodum fons aquarum, hauriri, & bibi, vel ad lotionẽ applicari debet vt effectus suos exerat. De passione Domini prophetauit Zacharias cap. 13. *In die illâ erit fons patens domus Dauid & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris.* Fons iste mexhaustus est & omnibus sufficiens, hauriri tamen debet, bibi & applicari, quod fit per fidem viuam & sacramentorum susceptionem. Quare nequis seipsum decipiat, satis esse existimans, si Christus pro nobis passus sit, nec aliud superesse nobis faciendum: idcirco Ecclesia tot modis, locis & temporibus proponit nobis Christi passionẽ; vt adimpleamus in nobis *ea quæ desunt passioni Christi,* vt loquitur Apostolus ad Col. c. 1. id est, vt eas nobis applicemus. Non est satis aquã in templo benedictam esse, & ibidem asseruari: Sed si volumus eam nobis salutarem esse, necesse habemus eã nos aspergere. Et sicut paterfamilias iubet in domo suâ ad omnes ianuas appendi vasculum aquæ lustralis, vt egredientes moneantur eâ se munire: ita Ecclesia passim proponit nobis cruces aliaque monumenta passionis, vt ea venerando nobis applicemus. Videtur hoc respexisse sponsus animarum nostrarum Christus, cùm ad sponsam dixit Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuũ, vt signaculum super brachium tuum.* Vt enim sigillum vel signaculũ non exprimit in cerâ sui similitudinem, nisi ceræ impressum aliquo impetu; sic non potest in nobis efformari Christus eiusque meritum fieri nostrum, nisi aliquo adhibito voluntatis & operum conatu; & idcirco iubet hoc sigillũ poni super cor & super brachium. Vnde Ambros. lib. de Isaac & anima c. 8. ait: *Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio: In fronte vt semper confiteamur; in corde vt semper diligamus; in brachio, vt semper operemur.* Sic ille.

D. III. Vt à peccatis ab sterreamur.

TERTIÒ, Vt nos à peccatis & peccandi occasionibus adeundis auocet & absterreat, ad eum ferè modum, quo mater aliqua ostendit filijs vestem sanguinolentã patris interfecti, vt à consortio & societate parricidarum eos abhorrere faciat. Quid enim aliud hodie facit, cùm vexillum Crucis promit aliaque passionis instrumenta? *Gen.* 37. legimus filios Iacob, postquam vendidissent fratrem suũ Iosephum, tunicam fratris, intinctam sanguine hœdi misisse ad patrem & nuntiasse: *Vide vtrum tunica fily tui sit an non.* Quam cùm agnouisset pater, ait: *Tunica fily mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph; Scissaq́, vestibus indutus est cilicio lugens filium suum multo tempore.* Ostendit etiam nunc Ecclesia nobis tunicam filij Dei Domini nostri; quam si agnoscamus, quomodo non vehementer detestabimur peccatum, quod solum occidit illum & ita miserè confecit? quomodo non scindemus corda nostra per contritionem? O verè fera pessima peccatum! si diceret pater filijs in vicinâ syluâ bestiam grassari, quæ obuios quosque perimat, & non ita pridem armatum & fortissimum quendam virum peremerit: quis filiorum, non sibi caueret? quis eam ingredi syluam vellet? Talis bestia peccatum est, quæ armatissimum & fortissimum Heroëm, Christum, inquam, innocentissimum, interemit vti nobis hodie insinuat Ecclesia. Quis ergo id non metuat & fugiat? Quando per agros & prata ingredi impunè non licet, tunc lignum aliquod ponitur, quâ vetitum est iter. Verò gratiâ, pertica erecta cum appenso straminis fasce. *Nos limitem habemus Crucem Domini,* inquit Clemens Alexandrinus l. 3. pædagog. c. 12. *cui crucifigimur & a peccatis prioribus reprimimur.* Limes ergo peccandi crux est, quia certissimè demonstrat nullum omnino peccatum fore impunitum; siquidem in Christo aliena etiam scelera adeò sunt punita. Hoc igitur vt agnoscant & cordi suo imprimant mundi amatores, qui dicunt: *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra,* Sap. 2. idcirco non in templis modò, sed etiam in vijs publicis erigitur signũ Crucis, velut peccandi limes. Duplici igitur pœnâ digni sunt, qui limitem hunc transcendunt & quasi inane quoddam terriculamentum contemnunt. Non habuerunt hoc memoriale gentiles & Iudæi qui Christum præcesserunt: & qui necdum in Christum credunt, limitem hunc non vident, ideoque veniâ aliquâ digni sunt, sed non Christiani, qui eum & vident & agnoscunt.

E. IV. Vt instiget ad meditandam passionem.

QVARTÒ, Vt nos instiget ad sedulam passionis Dominicæ meditationem. Artemisia Regina Cariæ, vt refert Valer. Max. l. 4. c. 6. Mausoli, charissimi sibi mariti mortem adeò doluit, vt sepulchrum illi extruxerit vsque ad septem miracula prouectum: Præmia etiam oratoribus proposuerit, qui viri laudes ornatissimè dixissent: imo ipsa Mausoli viuum ac spirans sepulchrum fieri concupierit, dum illius cineres potioni aspersos bibit. Idem nos obsequium exhibere morti Christi possumus, & verò etiam debemus, per assiduam meditationem passionis eius; siquidem per eam Christi spirans quasi sepulchrum reddimur, eumque in nobis viuere facimus: per eam celebramus eius virtutes & beneficia: per eam erigimus illi Mausoleum acceptissimum. Quanquam non tam ipsi quàm nobis in bonũ cedit talis Meditatio. Nam Primò debellat insultus carnis & cacodæmonum, sicut quamdiu Iosue tenuit eleuatum in sublimi clypeum (quod præceperat ille Dominus) tamdiu hostes eius corruebant & interficiebantur, *Ios.* 8. Vbi glossa mor. ait: *Clypeus iste est memoria passionis dominicæ,* iuxta id 1. Petri 4 *Christo in carne passo, vos eâdem cogitatione armamini. Si vero clypeus iste constanter teneatur in manu bona operationis, debellabitur insultus carnis vel fomitis.*

Fructus meditationis passionis Dominicæ.

Secundò, sanat morbos animi, quemadmodum aspectus serpentis ænei (qui erat figura crucifixi) sanauit morsum serpentum. *Num.* 21. Quomodo enim non sanabit morsum superbiæ, si consideres coronam Christi spineam? Quomodo non auaritiæ, si consideres Christi nuditatem & in sanguinis effusione liberalitatem? Quomodo non luxuriæ, si consideres totum saucium, sanguine cruentatum & doloribus

loribus confectum? quomodo non inuidiæ, si consideres Christum latroni paradisum impertientem & pro hostibus orantem? Quomodo non continebit à vindictâ manus tuas si videas Christi manus cruci affixas, & multis licet prouocationibus minimè solutas ad feriendum illusorem populum? Quomodo non superabit gulam, si cogites fel & acetum? Quomodo non sanabit acediã, si Christũ tribus horis videas in Cruce patientissimè perseuerantẽ summis in doloribus? S. Hieronymus in Epist. ait: *Si ingressi fuerint ad te latrunculi per oculos; per aspectum crucis perime eos.* Idem dico de aliis sensibus. *Certum est*, ait Origenes, *quia vbi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis mentis oculis inspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia, sed continuè, ad eius præsentiam, totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.*

3. Tertiò, Tribulationes dulces facit? Quemadmodum enim aquæ amaræ versæ sunt in dulcedinem, postquam Moyses certum ligni, quod ostendit illi Dominus, in eas misit, *Exod.* 15. sic cùm lignũ Crucis, per seriam contemplationem mittitur in aquas tribulationum facit eas dulces. Quomodo enim non dulcis tibi fiet tua tribulatio, si consideras Christum Dei Filium, innocentem, tuâ causâ, longè acerbiora pertulisse? Itaque quicunque tribularis; *Intinge buccellam tuam in aceto*, vt dicebat Booz ad Ruth. cap. 2. In aceto, inquam, passionis Christi: & inuenies eam dulcem, vti experimento didicit religiosus ille Cisterciensis apud Cãtipratanum *lib. 2. cap.* 27. *p.* 26. qui cùm panem monasterii fastidiret, ideoque fugam moliretur: Christus ei apparens buccellam hordeaceam degustandam porrexit, quam cùm ille fastidiret, Christus eandem vulneri lateris sui intinctam obtulit: ita licet ægrè gustatam, deprehendit dulcissimam, sicque tentationem suam vicit. Et tu igitur quisquis es, qui ieiunium fastidis, confessionem horres, satisfactionem times, &c. Intinge has buccellas in aceto passionis Christi & videbis dulces esse. Ipse tibi fodit maximo labore puteum salutis, tu haurire tantùm habes & bibere: vtrum horum facilius?

4. Quartò, Accendit ad fortiter agendum & militandum Christi militiam. Hostes Iudæorum. 1. *Mach.* 6. prælio decertantes, ostenderũt Elephantibus sanguinem vuæ & mori ad acuendos eos in prælium. Ostendit nobis Ecclesia his præsertim diebus, sanguinem Christi Domini, vt eius contemplatione animemur ad fortiter pugnandum contra dæmonem: ad expugnanda vitia per pœnitentiam. Apostolũ audiamus ad Hebr. 10. *Curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in auctorẽ fidei & consummatorẽ IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet. Recogitate enim eũ qui talẽ sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsũ contradictionem: vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes, &c.*

Itaque si crux nobis videtur esse confessio, contritio, satisfactio, communio; tristitia huius temporis, &c. proponamus nobis gaudium, quod pœnitentiam & opera pœnitentialia subsequitur, quemadmodum & Christus proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Si confusio nos terret, quæ est in confessione, proponamus nobis gloriam, quæ sequitur absolutum à peccatis, sicut & Christus confusione contemptâ proposuit sibi gloriam, quam ad dexteram Dei, paratam sibi vidit. Si aliqua est in animo tuo contradictio, quæ suadet occultare in confessione peccatum: recogita eum, qui longè maiorem sustinuit contradictionem.

Quando ergo ab hodierno die incipit Ecclesia proponere nobis purpuream Christi Domini vestem, crucem & passionem; incipiamus ab hoc die strenuè pugnare cœlumque expugnare. Ab hodierno enim die *regnum cœlorum vim patitur*: stat iam supra muros cœli Signifer & Dux noster Christus, vexillũ suum ventilans, sequamur nos milites, &c.

CONCIO VII.

Christi passio cum dolore cur memoranda.

1. *Quia passio & mors communis nostri parentis.*
2. *Quia innocens passus & mortuus.*
3. *Quia nos causa passionis eius fuimus.*
4. *Quia passio omnium luctuosissima.*
5. *Quia exigit hoc gratitudo.*
6. 7. *Quia decet vt Deipara & Apostolis nos accommodemus, si contegnare velimus.*

THEMA.

Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Ioan. 8.

Diuus Ambrosius lib. 1. de Abrahamo. ca. 8. nec non D. Chrysost. *homil.* 54. *in Ioan.* diem Christi, quem cum gaudio vidit Abraham, diem passionis esse volunt. Hunc enim in figurâ cognouit Abraham, quando filium immolaturus, sed à Deo impeditus, *arietẽ cornibus hærentem inter vepres*, (seu *detentum ex cornibus in arbore*, vt habent 70. Interp.) *Genes.* 22. pro filio immolauit. Erat enim aries ille figura Christi crucifixi spineâ cum coronâ. Sed si hoc ita est, quomodo exultasse dicitur Abraham & gauisum esse in aspectu huius diei tam mœsti, tam procellosi? spectaculi tam tristis? Nunquid exultauit de die illo, quem luxerunt elementa & lugent in hodiernum omnes pij Christiani & Ecclesia vniuersa? Hæc enim hodierno die lugubri vestitu induit sacras ędes & instrumenta passionis Dominicæ solertiùs nobis monstrat, nõ sanè vt exultemus, sed cõtrà vt ad fletum & compassionẽ prouocemur. Adhæc refert Galatinus *lib.* 8. *c.* 10. veteres Iudæo- A.

dæorũ Doctores horruisse videre diem istum quòd ibi dolores vt parientis essent in Christo futuri, ideoque dixisse: *Veniat Messias, sed ego nõ videam eum.* Causam interrogati, cur videre eum nollent, respondebant ideò, quia prædictum erat ab Iere. cap. 30. dolores Christi patientis fore instar parientis, acerbissimos nimirum. Et forsitan propterea sanctus ille Simeon, cùm Deiparæ prædixisset passionem filij in ipsam redundaturã, mori optauit, ne videret illam. Quid est igitur hoc, quod Abraham exultat? Respondeo tripliciter considerari passionem Christi posse: Primo, Vt est causa salutis nostræ, & sic absque dubio, materiam gaudij subministrat. Secundò, vt est in se, plena videlicet doloribus; & ita lachrymas prouocat. Tertiò, vt est effectus peccatorum nostrorum, & sic iterum dolorẽ & lachrymas vbertim emanare facit. Posterioribus duobus modis consideratur vt præsens oculis obiecta, & sic *mulier dum parit, tristitiã habet.* Primâ verò acceptione consideratur vt præterita, & sic mulier *post partum nõ meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum.* Sanctus ille Abraham vidit diem Christi, primo sensu. Alij secundo & tertio: quâ etiam ratione proponit nobis hodierno die diem illum Ecclesia, veluti præsentem, vt Christo patienti compatiamur. Ad hoc verò plura sunt quæ nos incitant.

Passio Christi tripliciter consideratur.

B. I. Quia Passio & mors cõmunis nostri parentis.

PRIMVM, Quia mors CHRISTI fuit mors communis nostri & optimi Patris summique benefactoris. Ipse enim est qui creauit & redemit nos: ipse aluit, ipse viã Dei in veritate docuit, ipse mortuos suscitauit & morbos omnes deterſit. Non lugebimus talem patrem? Infantes qui non commouentur, cùm dulcissimum patrem vident efferri ad sepulchrũ, idcircò reprehendi non merentur, quia nesciunt quid agatur. At nobis, qui adulti sumus, meritò exprobraret Christus: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit.* Psalm 68. Tigranes Armeniorum Rex in venatione collapsus cùm humi iaceret præsentesque duo eius filij essent, maiorem natu, quia is non succurrit nec condoluit patri, sed potiùs diadema eius capiti suo imposuit: vbi à lapsu se erexit, interimi iussit, regnumque filio natu minori tradidit, quia & patri condoluit & operam adhibuit. Bap. Fulgos. lib. 5. Iuri igitur & nobis vitio vertetur, si communi & optimo parenti in tristi illâ venatione, hinc inde agitato inter Iudæos & gentiles quasi inter venaticos canes, tandemque collabenti nihil condolemus. Mortem quidem Saul Regis, filiabus Israël deflendam his proponit verbis David: *Filiæ Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delitijs: qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* 2. Reg. 1. Et quid sunt ista munera cum illis comparata, quæ contulit nobis Christus? Vestijt ille nos purpureo sanguine suo, abluit à peccatis, & gratiæ ac virtutũ pretiosissimis induit vestibus, vt taceã quòd vestierit etiã imagine suâ omnibusque alijs bonis tanquam creator noster. Insuper hic est qui vestijt terram floribus, cœlum stellis, arbores folijs, volucres pennis, pisces squamis, quadrupedia pellibus, &c. Vt meritò omnia elementa luxerint eius mortem. Et hinc est procul dubio, quòd S. Birgitta testatur in suis reuelationibus, tempore passionis, omnes, qui in orbe erant, homines interno dolore ac pauore tactos fuisse, tametsi nescirent, vnde is prouenerit. Quia nimirum communis omnium paterfamilias & caput patiebatur: ideo & domesticos & membra per sympathiam quandam commoueri decuit: præsertim cùm elementa etiam dolorem hunc testata sint.

C. II. Quia innocens passus & mortuus.

SECVNDVM, Quia innocens mortuus est pro culpis alienis, per summum etiam iniuriam falsò accusatus & iniquè condemnatus est ab ijs qui ipsimet erant nequissimi. Nemo autem nescit maiori dignum esse miseratione, qui perimitur innocens, quàm qui nocens. Vnde Isaias cap. 57. inter alias excidij Ierosolymitani causas refert illam: *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo.* Quis est iste iustus? vtique is, quem Pilatus & vxor eius, nec non traditor Iudas & Centurio talem sunt confessi: ideò excisi sunt Iudæi quòd non recogitarint iustum hunc perijsse. Nullius vnquam Regis mors adeò plangebatur sicut Iosiæ in pugnâ occisi. Etenim cantores & cantatrices indesinente planctu lamentationes super eum replicabant & *hoc quasi lex obtinuit in Israël*, vt dicitur 2. Paral. 36. Ratio esse videtur, quia Iosias præ omnibus Iudæorum Regibus innocentissimus fuit, vt patet 4. *Reg.* 23. Eiusmodi verò planctum similem planctui Iosiæ, fore planctum super Christum, prædixit Zacharias c. 12. ita vt plangant familiæ & familiæ seorsum & mulieres eorum seorsum; quod fit in Ecclesiâ, dum in omnium ordinum familijs monachorum & monialium totoque clero Christi passio decantatur septem horarijs precibus & Missæ sacrificiis. Legimus etiam filiæ Iephte, quæ præter omnem culpam, ex voto tantum patris immolata & occisa fuit, posteà à filiabus Israël certo loco cõuenientibus, anniuersario planctu fuisse parentatum vtique non aliam ob causam, nisi quia innocens periit. *Iud.* 11. Cur ergo non & nos multoque magis quotannis certo tempore conueniamus & plangamus Christi mortem absque vllà culpâ suâ à patre immolati?

D. III. Quia fuimus nos causa passionis eius.

TERTIVM, Quia nos fuimus causa passionis eius, *Vulneratus est propter iniquitates nostras & attritus est propter scelera nostra*, ait Isaias cap. 53. Nisi enim peccata nostra fuissent, nullum vinculum tam forte fuisset, quod ligare eum potuisset, nulla spina tam dira, quæ caput eius perforare; nullus clauus tam acutus, qui manus & pedes terebrare; nulla potestas tam grãdis, quæ condemnare eum potuisset. Iam si scires patrem tuum propter aliquod scelus tuũ, morte fuisse condemnatum, & interim non doleres: an tu nõ hoc ipso dignus morte fores? Quãdo Nathan sub parabolâ exprobrauit Dauidi, quod pauperi Vriæ ouem vnicam abstulerit & mactârit 2. *Reg.* 12. Vxorem videlicet, dicens: *Tu es ille vir*, &c. Commota sunt

viscera

viscera Dauidis & incepit deplorare peccatum suum. Quod si nos ipsos in iudicium vocemus & inquiramus, quis vnicam illam & innocentissimam ouem Deo patri abstulerit & in macellum dederit, audiet etiam vnusquisque nostrûm: *Tu es ille vir*. Et quî fieri potest, vt propterea non doleamus? Pœnitentiâ ductus est Iudas, quòd videret Dominum se traditore condemnatum, quem fortè non intendit tradere ad mortem. At nos quoque eum tradidimus, tametsi non eâ intentione vt occideretur? Scimus enim ipsum propter scelera nostra damnatum esse; quare si propterea nihil doleamus? an non ipso Iudâ stupidiores erimus? Quando propter Ionæ inobedientiam ingens orta fuit tempestas, *& nauis periclitabatur conteri timueruntque nautæ & clamauerunt ad Deũ suum*, solus interim Ionas in naui dormiebat; gubernator illum excitans: *Quid tu*, inquit, *sopore deprimeris?* Ionas ergo sciens propter se exortam esse tempestatem: *Tollite me*, inquit, *& mittite me in mare: Scio enim quoniam propter me tempestas est grandis super nos*. Ioan. 1. Vide quæso Christiane quàm sit grandis illa tempestas, quæ venit super nauiculã humanitatis Christi. Quid est in illâ naui, quod non patiatur, non obruatur fluctibus dolorum? Vide quot impulsus facit ad scopulos, vide quomodo conteratur in cruce! Et propter quem tandem orta est hæc tempestas & venit super Christum? propter me & te: nos ab inferis eam euocauimus. Ergóne adhuc sopore deprimemur, & soli nos commotione istâ nihil commouebimur? Nónne quæ quis fecit hæc & pati dignus est? Qui incendium excitauit, incendium patiatur & in illud inijciatur? Itaque patiamur nos in maris huius procellas eijci, vt vnà cum Christo saltem sentiamus, quam ipsi excitauimus tempestatem.

E. IV. Quia passio omniũ luctuosissima.

QVARTVM, Quia nulla vnquam passio fuit aut erit tam luctuosa omni ex parte, sicut fuit passio Christi: nec vnquam satis percipere possumus, aut penetrare dolores omnes, quos exantlauit Christus, ita vt iure merito, quamdiu mundus steterit, tamdiu debeant homines passionem eius sentire. Hinc ipse in Ps. 68. de passione suâ ad literam scripto, soli Deo notum esse asserit, quid pertulerit, quia nimirum homines id comprehendere non possunt: *Tu scis improperium meum*, inquit ad Deum patrem, *& confusionem meam & reuerentiam*; id est, verecundiam meam. Quantũ enim est hoc, necari Dei filium & quidem à creaturis suis? Quantum hoc, necari post tot præstita beneficia, qualia nemo vnquam præstare illis potuit? Quantũ hoc, torqueri in omnibus membris, omnibus sensibus, puniri in omnibus bonis ab omni hominum genere? Quantum hoc, necari cum tantâ confusione virũ tam honoratum in populosissimâ ciuitate, solennissimo conuentu hominũ, turpissima nece, cum grandibus nebulonibus? Quantum hoc, necari cum tantâ rabie & furore, cum tot improperijs & sannis, absque morâ & omni commiseratione? Hæc & multò plura talia in nullius vnquam supplicio visa sunt, nec vnquam à nobis satis perspiciuntur. Propter hoc ipsa carentia sensu elementa passionis huius acerbitatem testari debuerunt. Decet igitur vt hæc memori mente semper recolamus. Quando sub Tiberio Imp. militabat exercitus Rom. in Pannoniâ, videbatque Lunam eclipsari, putans quòd illa pateretur aliquid in conflictu & certamine, strepitu armorum & tubis vocem in altum ciebat, vt sic eam quasi animaret, consolaretur, & roboraret, vt scribit Corn. Tacit. *l. 1. Annal. cap. 7.* Agnouisse etiam elementa videntur passionis Christi acerbitatẽ, quando in ipso *mors & vita duello confixere mirando*: & idcircò vocem, quo poterant modo, extulerunt, dum terra mota est, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, sol obscuratus est: quasi hoc pacto animum addere afflicto suo creatori vellent, aut succumbenti opem ferre. Hinc enim Dionysius adhuc gentilis Eclipsin illam insuetatam videns, verissime collegit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur*. Non enim existimauit, aliâ de causâ talem Eclipsin fieri potuisse, nisi propter interitum ipsius Dei, aut omnium simul creaturarum.

F. V. Quia id exigit gratitudo.

QVINTVM, Quia exigit hoc à nobis debitum gratitudinis. Exigit enim hæc virtus vt beneficium acceptum non sepeliamus obliuione, sed multoties recolamus; præsertim si grande & perpetuum est. Tale est autem beneficium redemptionis; quod si tanquam præsens in memoriam reuocemus, quomodo fieri potest vt non tabescat anima nostra præ doloris sensu? Hinc cùm Dominus petijsset per Ieremiã *Thren.* 3. ab animâ Christianâ, memoriam passionis suæ, dicens: *Recordare paupertatis & transgreßionis* (seu vt habent 70. *persecutionis*) *mea, absinthij & fellis*: mox anima respondet: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea*. Quare si hoc pacto passionem recolamus & in nobis etiam pro modulo nostro sentiamus, gratam vtique rem Christo faciemus: & quod fecerunt canes Lazaro, vulnera eius lingemus. Si in terrâ sanctâ essemus, vtique Christi vestigia studiosè inquireremus, deosculaaremur & lachrymis rigaremus. Hoc ergo nunc per deuotam facere meditationem & compassionem possumus, quemadmodum ostensum esse cuidam Eremitæ scribit Ludolph. de Saxon. *in vitâ Christi c. 58.* Cùm enim instanter peteret à Domino, quod ipsi seruitiũ magis acceptũ esset: vidit mox Christũ, cruce oneratum & dicentem sibi: *rogasti me, vt tibi ostenderẽ quod mihi gratius inter cætera obsequium præstares: nunc dico tibi quòd hoc; cùm quis nimirũ me portare crucem iuuat & vulnera in corde suo.* Idẽ D. Francisco diuino omine ostensum narrat D. Bonauentura vitæ illius c. 13. & D. Antonin. 1. *p. sum. histor. tit.* 24. §. 7. his verbis; *Immissum est eius menti per diuinum oraculum, quòd in apertione libri Euangelici aperiretur ei à Christo quod Deo in ipso, & de ipso maximè foret acceptũ. Oratione itaque cũ multâ deuotione præmissâ, sacrum Euangeliorum librum de altari sumptum, in*

Sancta Trinitatis *nomine apertum fecit per socium, virum vtique* Deo *deuotum & sanctum. Sanè cùm in trinâ librî apertione semper passio* Domini *occurreret, intellexit vir* Deo *plenus quod sicut* Christum *fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic cõformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus Passionis; antequam ex hoc mundo transiret, &c.* Aquilæ factum celebrat Plinius *l.* 10. *cap.* 5. quæ apud Seston vrbem à virgine educata, venatum altrici aggerebat, postremò in defunctæ rogum se inicit & simul conflagrauit. *Eamus & nos & moriamur cum illo*, ait Thomas: id quod fiet, si contrito & condolente corde passionem Domini recolamus, vtpote Conseruatoris nostri, qui omnia sua merita nobis accumulauit.

G. VI. Quia decet vt Deiparæ & apostolis nos accommodemus. Sextum. Quia decet vt B. Virgini potiùs & discipulis Christi nos accommodemus, quàm Iudæis, qui in passione Domini exultabant, illis contrà lugentibus. Cum Maria etiam matre Iesv, multæ fæminæ lugebant; nec ob id à Domino reprehenduntur: sed monentur ne imprudenter lugeant, quasi ipsi mors præcipuè vel soli, vel vt alijs hominibus fit nocitura.

H. VII. Quia si compassi fuerimus & conregnabimus. Septimvm, Quia *si commortui fuerimus, & conuiuemus: si sustinebimus & conregnabimus*, ait Apostolus 2. *Tim.* 2. Vnde S. Leo *serm.* 9. de Quadrag. ait: *Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ Passionis.* Qui vult ergo salubriter gaudere cum Christo in paschate, doleat cum ipso nunc in passione.

Quare vtinam faciamus Christo, quod vel sancto Iob faciebant amici, qui auditâ eius calamitate, *condixerunt vt pariter venientes visitarent eum & consolarentur. Cùmque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum; & exclamantes plorauerunt scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terrâ septem diebus & septem noctibus & nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem.* Iob 2. Similiter ergo & nos pariter condicamus & aspiciamus à longè Christum velut adhuc Ierosolymis in cruce pendentem, & videbimus eum heu nimiùm sibi dissimilem, nec habentem speciem. Ploremus item & scindamus non vestimenta, sed corda nostra; spargamus puluerem super capita, considerando peccata nostra causam fuisse passionis eius, & sedeamus cum eo 14. bis diebus, non tam verbis quàm cogitationibus dolores eius recogitantes; vt ita demum cum eo sedere mereamur in gloriâ.

CONCIO VIII.

Lapidibus obruuntur blasphemi.

1.2. *A Deo & Sanctis, nominatim Deipara, S. Antonio & SS. Angelis.*	*nalibus & Dæmonibus.*
3.4. *A lege Canonicâ & Ciuili.*	7. *Ab ipsis blasphemis.*
5.6. *A creaturis irratio-*	8. *Lapidantur, hoc est, reprehenduntur à nobis.*

THEMA.

Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Ioan. 8.

A Ecclesiasticus ca. 27. dicit: *Qui in altum mittit lapidem super caput eius cadet.* Quam sententiam S. Chrysostomus homil. 3. de incomprehensibili Dei naturâ, de blasphemis propriè dictam esse vult, & ait: *Quemadmodum qui lapidem illo iaculatur, corpus cœleste non attingere, ne dum lacerare potest, plagā at tectu sub capite excipit, cùm lapis eodem, vnde iaculatus est, redeat: ita qui beatam illam blasphemat substantiam, vt nunquam eam offendere potest; cùm longè potior atque excelsior sit, quam vt aliquo affici possit detrimento: sic ferit aduersum animā suam acuit ac parat, cùm se ingratū Domino bene merēti exhibet.* Verissimè hæc Chrysostomus. Tulerunt in hodierno Euangelio Iudæi lapides vt iacerent in Dei Filium; Lapides, inquam, blasphemiæ; imprimis cùm dixerunt *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmoniū habes?* deinde materiales etiam sustulerunt lapides. Sed frustrà: quia abscondit se. Lapides autem illi in euersione Ierosolymæ: vbi dicere inceperunt montibus: *Cadite super nos, & collibus: operite nos*; in capita eorū reciderunt eosque oppresserunt; id quod eis Dauid prædixerat Psalm. 63. *Exacuerunt vt gladiū linguas suas: intenderunt arcum rem amaram, &c.* Sed quid effecerunt? *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Et quemadmodum milites Caij Cæsaris quondam ex indignatione erga Deos suos, sagittas in cœlum ciaculati, ab ijsdem recidētibus vulnerati sunt; vt refert Seneca lib. 1. de irâ, & Sueton. in vitâ cap. 12. ita Iudæi hodie Christo quidem nihil, sibi autem plurimùm nocuerunt. Hoc idem euenit blasphemis. Cùm enim blasphemus tollit lapidem vt iaciat in Deum: omnes creaturæ armantur, & suos quoque tollunt lapides, vt iaciant in eum. Ideo *Leuit.* 24. præcepit Deus blasphemum lapidari ab omni populo; quia nimirum tam enorme fit hoc peccatū, vt omnium manibus plecti debeat non secus ac canis rabidus qui totâ ciuitate quæritur ad necem.

Ergo lapidant blasphemum Deus, Sancti, Leges, creaturæ irrationales, dæmones, ipsi denique blasphemi vt videbimus

Primò. Deus, qui in veteri lege *Leuit.* 24. præcepit vt iuuenis quidam, cuius mater vocabatur Dalumith, blasphemus educeretur extra B. I. Lapidatur à Deo.

tra castra, & ponerent omnes qui audierunt manus suas super caput eius & lapidaret eum vniuersus populus: quod supplicium omnibus deinceps blasphemis statuit, siue ciues illi essent, siue peregrini, idque iteratò repetit: *qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur*; ne quis hoc tam seuerum iudicium Deo excidisse vel non seriò prolatum putet. Educi eum præcepit extra castra, ne cum ipso vel propter ipsum puniretur communitas. Manus omnium testium ei imponi, partim vt indicaretur, huiusmodi cædem esse quoddam sacrificij genus Deo acceptum; (victimis enim cædendis manus imponebantur *Leuit. 1.*) partim vt hac cæremonia testes à culpâ se vindicarent & omnem culpam in blasphemũ transferrent (sicut faciebat, qui pro peccato suo hostiam piacularem offerebat; eâ impositione culpam suam in hostiam reijciendo) quemadmodum vult Oleaster; quia blasphemiæ suæ enormitate videtur inficere totam communitatem & diuinæ vindictæ reddere oboxiam, nisi ea quam primum vindicetur. Denique lapidibus obrui; vt lapides blasphemiæ quos ipse prius coniecerat in Deum, in caput eius reciderent Hinc appositè mater eius appellata scribitur *Dalumith*, id est, *retributio*: filia Dabri, id est, *loquelæ*: quia impiæ filij loquelæ facta est retributio. Lapidari verò iubebatur non ab aliquibus, sed ab omni populo, vt eâ ratione omnes contestentur se hostes esse blasphemiarum & vindices. Mater verò eius nominatur, in eius confusionem, & cautelam parentum, qui filios suos meliùs educare deberent. Aliud exemplum editum in Pharaone, quem blasphemè locutum: *Non noui Dominum*; operuit vndis maris rubri. Aliud in Syrijs, qui dicebant de Deo vero: *Deus montium est Dominus, & non Deus vallium*; ideò à paruo exercitu Israëlis cæsa sunt de ipsis centũ millia peditũ: & 27000. qui confugerant ad ciuitatem, muro super eos cadente obruti sunt, atque ita demùm sub lapidibus sepulti 3. *Reg.* 20.

C. II. A sanctis. A Deipara. SECVNDÒ. Sancti Dei in cœlo, Imprimis Virgo Deipara. Refert enim I. Lipsius de diuâ Virgine Hallensi c. 7. Oliuerio Tempelio oppidum Hallas propè Bruxellam, expugnare cogitante, Ioannẽ Zwikium de militibus eius, hominẽ improbum & hæreticum, dictitasse: *Ego huic manibus Hallensi mulierculæ* (statuam eius miraculis illustrem innuebat) *nasum abscindam*. Audit virgo, & mox vbi hostes muro vrbis appropinquabant, eâ procurante blasphemo illi plumbeâ glande ex oppido missâ nasus est ademptus. Ob id etiam commilitonibus suis perpetuũ fuit ludibrium, qui hominem ad nasum suum recipiendum, Hallas identidem mittebant. Alteri blasphemo in eâdem expeditione dicenti se statuam illam igne subiectò crematuram; tormenti ictus os, mentum & mentem abstulit. ib. Refert etiam Cornelius à Lapide *in Leuit. cap.* 24. quendam ex Hollandis cùm venisset ad Sacellum Virginis Sichemiensis, irridendo dixisse: *Si Maria hic miracula facit, illuminet meum equum*; moxque equo visum redditum, blasphemum verò, equitem excæcatum. Wilhelmus Lindanus narrat ad annum Domini 1567. in oppido Hollandiæ Aspera, mulierem Anabaptisticam in summa partus difficultate Deiparam appellasse schropham; diuinitus autem punitam, nigellas aliquot edidisse succulas, emortuas tamen. In prato spirituali Sophronij c. 47. ita scribitur: *In hac* (Heliopoli Phœniciæ) *mimus quidam erat, Gaianus nomine, qui in theatro sanctam Dei genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiæ præbebat. Apparuit autem ei S. Dei genitrix monens: Noli quæso, noli ita lædere animã tuam. Ille verò rursus deterius illam blasphemabat. Vnde ipsa tertiò ei apparens, eadem repetebat. Cum autem ille se nõ corrigeret sed plus quoque blasphemijs adijceret: meridie dormienti sibi apparens, nihil dicens, digito signauit eius manus & pedes. Euigilans autem inuenit se truncatũ manibus & pedibus. Atque ita infœlix, vt truncus inutilis iacens confitebatur omnibus; cuius rei gratia, & quomodo hoc passus esset, vtque propter blasphemias clementer cruciatus fuisset.* Tim. Bredenbacchius *lib.* 3. *collat. cap.* 17. scribit, cum Geusij in Belgio tumultuarentur & monasterium Franciscanorum propè Embricam demolirentur & statuas sanctorum exurerent, vnum militum statuam S. Antonij mirè exagitasse & dixisse: *Si quam ille vim aut virtutem habet, eam declaret*: statimque blasphemum igne sacro, quem vocant S. Antonij, correptum & toto corpore vlcilatum tandemque omnino extinctum esse. Quod ipsum pluribus alibi accidisse refert cap. 29. & 30. A S. Antonio. Eiusdem sancti statuam cùm Syluæducis alius ad ignem raperet, dicens: *Antoni, Antoni tu quidem soles in mortale genus igne desæuire, eosq; miserè vstulare, at vbi nunc vires illæ?* mox sensit sceleratam linguam peste infectam sicque vnâ cum totâ extinctus est familiâ. Refert ex ore Episcopi eius vrbis Franc. Costerus *conc. in Dom.* 3. *Quadrag.*

Accedunt Sancti Angeli, qui quàm indignè ferant Deum suum blasphemari, vel ex eâ solâ decantatissimâ historiâ patet. 4. *Reg.* 19. vbi angelus Domini in vnâ nocte octoginta quinque millia Assyriorum percussit, quòd eorum Rex Sennacherib Deum blasphemasset, dicens ad Ezechiam: *Non te seducat Deus tuus in quo habes fiduciam*, &c. quasi eum de manibus suis liberare non posset. Ipse verò Sennacherib cum ignominiâ reuersus per viam, quũ veneraret, cùm adoraret in templo Deum suũ, à proprijs filijs occisus est. Quo exemplo monentur milites eorumque Duces, ne blasphemeri aur blasphemantes tolerent. Quâ enim ratione victoriam ab eo sperabunt quem execrantur? *Non enim in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.* 1. Mach. 3. Si ergo à Domino est victoria: quomodo eam obtinebunt, qui tot blasphemijs in eum pugnant & acuunt linguas suas sicut serpentis? A SS. Angelis.

TERTIÒ, Proijcit etiam lapides suos in blasphemos lex Canonica. Et Primò anathema seu excommunicationem, in c. *si quis per capillũ* ca. 22. q. 1. Deinde in c. *statuimus*, de maledicis D. III. A lege Canonicâ.

ledicis statuitur, blasphemum, per Episcopum suum ita mulctandum vt 7. diebus dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto, dum aguntur missarum solemnia, existens vltimo illorum die pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigiâ circa collum, septemque præcedentibus sextis ferijs in pane & aquâ ieiunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Et quolibet prædictorum dierum tres, si poterit: alioquin duos reficiet pauperes, siue vnum. Quam pœnam qui subire noluerit, Ecclesiasticâ sepulturâ priuetur. Quo ex canone patet quantum distemus à priorum sæculorum Christianis; si enim nunc omnes blasphemos Ecclesia anathemate feriret & ingressu Ecclesiæ prohibitos præ foribus statueret, quàm vacua esset Ecclesia? si sepulturâ sacrâ eos arceret, quàm vacuum foret cœmiterium? si iuxta legẽ veterem omnes lapidaret vix nobis sufficerent lapides. Vnde si nunc Ecclesia tanto rigore non vtitur contra blasphemos, inde solummodò est, quia adeò increuerunt vt iam omnes puniri nequeant, nedum exterminari. Sed hoc ipsum maximæ indignationis Dei erga homines signũ est: cùm enim per leges & pœnas temporales non punit ampliùs, ostendit se puniendos reseruare in ignem æternum. Hoc enim insinuauit cùm seruis volentibus eradicare zizania de agro suo, dixit: *finite vtraque crescere vsque ad messem & in tempore messis dicam messoribus: colligite primùm zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Matth. 13.

E. IV. A lege Ciuili. QVARTÒ, Lex ciuilis. Iustinianus Imperator *in Authent. collat. 6. constit. 77. vt non blasphem.* ait: *Præcipimus tales vltimis subdere supplicijs.* Similiter & in Recessibus Imperij anno 1495. 1500. 1530. 1548. 1577. variæ illis pœnæ ab Imperatoribus statutæ. Vnde patet quantum ipsimet Imperatores nostri laborarint vt hoc tam grande malum exterminarent. Philippus Valesius Francorum Rex blasphemos primùm ad torquem seu numellas publicè adiudicari voluit aliquot horarum spatio per mensem: datâ omnibus licentiâ sordes in eos quasuis proiiciendi: relapsos ad easdem retrahi & in die nundinarum coram frequenti populo candenti ferro suprema eis labia diffindi, vt dentes eorũ apparerent: tertiâ vice abscindi eis labium inferiùs: quartâ vtraque; quintâ linguam denique. Quod idem sanciuerunt posteà paucis immutatis Carolus Septimus, Franciscus Primus, Henricus Secundus. S. Ludouicus eorum frontes cauterio notabat, & cùm nonnulli de hoc quasi de nimio rigore quererentur, dixit, se paratum esse id in se pati, si vel hoc modo posset omnes è regno blasphemias proscribere, vt refert Paulus Æmilius *lib. 7. hist.* & Petr. Primandaias *in Acad. Gal.* Lex Siciliæ talibus abscindi linguam iubet. Philippus Imperator huius nominis Secundus, decreuit blasphemum mergi in fluuium aut paludem (etiamsi miles esset) citra tamen mortem. Vincent. *in spec. lib. 30. cap. 2.* O malum diabolicum, quod tot tantique medici tantis medicinis curare non potuerunt! Nónne merito in hos dici potest, quod Sophonias *cap. 3.* dixit in Ierusalem: *Væ prouocatrix & redempta ciuitas, columba non audiuit vocem & non suscepit disciplinam?* Quis enim magis prouocat Deum ad iram & indignationem, quàm blasphemus, dum nomen Christi habet & crucem eius in fronte gestat, interim tamen Dei nomen blasphemat? *Væ prouocatrix & redempta ciuitas!* nam licet etiam infideles prouocent Deum ad iram, multò tamen magis blasphemi Christiani, iuxta id *Ps. 54. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq; & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimus, dux meus & notus meus.* Et quid sequitur? *Veniat mors super illos & descendant in infernum viuentes;* nimirum veluti blasphemi illi Datan & Abiron. Columba erat olim Ecclesia, quæ gemitibus vacabat & vno ore honorificabat Deum, *Roman. 15.* nunc in aliquibus membris suis facta est coruus crocitans, lupus in cœlum vlulans & dans contra Deum voces.

QVINTÒ, Creaturæ irrationales, & inprimis terra aperuit os suum & deuorauit blasphemos illos, Core, Datan & Abiron, eò quòd Sacerdotium Aaronis non Dei ordinationi & electioni, sed fauori & affectioni Moysis erga fratrem adscripserint, *Num. 16.* Quia enim blasphemus omnium creaturarum communem execratur Dominum & Creatorem: ideò ipsi omnium elementorum vsu priuati sunt. Vnde S. Ambrosius *Epist. 82.* de illis ait: *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundo sinus, abripiuntur noxij & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aërem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Et fortasse hæc est causa, quòd audientes aliquem dirè blasphemantem dicere soleamus, mirum esse quod terra non absorbeat illum; indignum enim iudicamus qui elementorum vsu fruatur.

F. V. A creaturis irrationabilibus. Ductor exercitus Demetrij regis Nicanor cùm Iudæos Sabbatho pararet inuadere, monitus in honorem Dei omnia conspicientis sacro die abstineret, arroganter respondit: *Est nè potens aliquis in cælo, qui imperauit agi diem Sabbathorum?* Cui cùm diceretur: *Est Dominus viuus ipse in cælo, potens, qui iussit agi diem septimam.* Subiecit: *Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma & negotia Regis impleri.* Quam ob causam commisso prælio etsi maximum & omni genere armorum instructissimũ haberet exercitum, à paucis cæsus est & cecidit ipse primus in prælio, *1. Mach. 7.* eiusque lingua blasphema excisa & auibus particulatim data ad deuorandum est. *2. Mach. 15.* Æquissima etiam erat istius punitio, vt scilicet eius lingua exscinderetur, quæ Dominum contempserat: & auibus deuoranda daretur, quæ cantu & vocibus suis numquam non laudant creatorem suum, quem lingua illa blasphemârat.

Antiochus Epiphanes, vt refert Iosephus *libr. 3. hist. Iud. c. 12.* dixit: *Accelerate currus & equites*

equites ac militares copias vt vadã contra Ierusalem & exequar voluntatem meam. Quis peterit stare contra faciem meã? Nõnne mare & arida in potestate meã sunt, vt pro arbitrio meo commouere creaturas eorum? Terram mare in terram, & terram in mare. Contigit autem vt cùm desijt loqui & veheretur, vt currus eius transiret contra elephantem quemdam, & elephas vociferari inciperet atque ex rugitu eius equi terrerentur, calcitrarent & subuerterent currum, caderetque Antiochus de curru & confringerentur ossa eius; siquidem erat homo grauis, crassus & corpulentus, & addidit dominus plagam super plagam vt inciperet totum corpus eius fætere instar cadaueris proiecti tempore æstatis super faciem campi. Additur 2. *Machab.* 9. corpus eius vermibus scaturiisse eiusque fætore exercitum grauatum vt nemo eum propter intolerantiam fætoris posset portare. An non ista etiam apertissima blasphemiæ vindicta fuit? Cùm enim Antiochus execrabili suâ blasphemiâ & rugitu cælum & elementa omnia terruerit, & fætore linguæ suæ maledictæ aërem infecerit; quis non videt iustissimè à DEO factum vt eiusdem equi à rugitu Elephantis territi currum euerterent Antiochi, & ipse demum fætore suo inficeret exercitum? Huic accenseri possent blasphemi illi hæretici Olympius, qui blasphemus in SS. Trinitatem tricipiti fulmine extinctus est: Nestorius, qui MARIAM Virginem non Deiparam sed Christiparam tantùm appellabat, cuius lingua à vermibus exesa. Caluinus, qui & ipse blasphemando moriens, à vermibus & pediculis consumptus est. Nimirum commeruerant vt superciliosi & fœdissimi homines, à minutissimis & fœdissimis occiderentur bestiolis.

G. VI. A dæmonibus.

SEXTÒ, Ipsi dæmones; illis enim Apostolus Paulus tradidit blasphemos duos. 1. *Tim.* 1. vt videlicet ab Ecclesia eiecti eiusque suffragiis priuati à Sathanâ agitari & torqueri possent. Notissima etiam illa historia de puero quinquenni, quem, quia conniuentibus parentibus blasphemare Deum solebat, diaboli sub Æthiopum specie de parentis gremio infirmum raptare contendebant: qui etiam cùm eos sibi appropinquare clamaret, rursum blasphemans infelicem spiritum reddidit *l.* 4. *Dial. S. Greg. cap.* 18. Nec miremur, quod vel Apostolus blasphemos Sathanæ tradiderit, vel ipsi dæmones blasphemum puerum raptare conati sint, quia ad ipsos pertinebant, qui dæmonum linguâ loquebantur. Si quem expeditè loqui Gallicè audimus vel Hispanicè, Gallum eum vel Hispanum iudicamus. Lingua autem dæmonum & inferni, blasphemia est, sicut lingua beatorum est Alleluia & laus Dei, vt patet ex Apoc. Hanc addiscunt hîc electi, illam verò reprobi: & illos quidem vendicant sibi cælites, istos verò maligni spiritus, velut ciues suos. Quid mirum ergò, si Apostolus Sathanæ tradidit eos, qui iam expeditè blasphemabant? & dæmones raptârunt puerum, blasphemiis iam assuetum? Itaque non est vana coniectura pertinere ad infernum eum, qui consueuit blasphemare, pertinere verò ad cœlum, qui libenter Dei laudem & loquitur & audit. Sic enim apertè colligitur ex hodierno Euangelio, vbi Dominus ostendit se nihil habere negotij cum dæmonio, ex eo quòd honorem Dei quæreret & per omnia procuraret ac loqueretur. Vnde paulò suprà ait: *Quare loquelam meam non agnoscitis?* Ipsos verò Iudæos ad dæmones potiùs pertinere, qui Dei filiũ blasphemarent. Vide igitur quisquis es blaspheme, ad quam regionem spectes; verè enim tu ex dæmonibus es; *nam loquela tua manifestum te facit.*

H. VII. Ab ipsismet blasphemis.

SEPTIMÒ, Ipsimet blasphemi. Quemadmodum enim crocodilus, vt refert Pierius l. 29. *hieregl.* prædæ spe frustratus in seipsum conuertit morsum: ita faciunt, qui cùm linguis suis serpentinis cœlum attingere se non posse Deoque nocere vident: inde cruciantur & in seipsos conuertunt rabiem, si non semper in vitâ, certè in inferno. Ait enim S. Ioannes Apoc. 16. *Commanducauerunt linguas suas præ dolore & blasphemauerunt Deum cœli, præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* Omnia enim blasphemiarum iacula, quæ tunc in cœlum, Deos & Sanctos eiaculabuntur; in ipsorum capita recident, & ita linguas suas, dum exerunt in Deum, ipsimet interim vorare cogentur: Et sicut scorpio in vitro super ignem tentus præ doloris impatientia seipsum crebris ictibus ferit, donec interficiat: sic damnati; quamquam se occidere non possunt, quod vellent. O quanta calamitas, perpetuò agitari ad nocendum, & interim nemini nocere nisi sibi? Exemplar illorum fuit impius Iulianus Apostata, qui cùm esset infensissimus Christi hostis, ab eo denique se in acie, manu inuisibili inter costas lethaliter vulneratum sentiens, sanguinem de vulnere in manus acceptum, versus cœlum eiaculabatur & dicebat: *Exple nam tuam Galilæe; vicisti fateor, vicisti.* Atque ita paulò pòst extinctus est. Referunt Sozomenus, Ruffinus Eutropius. O infelicem & maledictam linguam, quæ non nisi sibiipsi spiculum infixit? O infelicem cruorem, qui frustra in cœlum iactus, in proprium caput recidit! Hocciné non est seipsum morsibus conficere, & linguam suam manducare? Hoc autem si non vt Iulianus in vitâ, saltem inferno cum illo facient blasphemi, idque in iustissimam linguæ suæ vltionem. Vnde verissimè dictum *Psal.* 56. *Gladium euaginauerunt peccatores*; gladium scilicet linguæ, quia *lingua eorum gladius acutus. Ps.* 56. Sed quid efficiunt? *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, subdit Psalmista.

I. VIII. Lapidandi etiam à nob.

SVPEREST nunc vt nos quoque ad extremum blasphemos lapidemus, hoc est, detestemur, reprehendamus & si officij nostri ratio exigat, corripiamus. Requirit hoc à nobis primò debitũ amoris nostri erga Deum: si enim verè Deum diligimus, vt patrem, vel vt Dominum honoramus, quomodo sustinere vel audire possumus, eum maledici, rideri, iniu-

iniuriari? Quando impius Semei mittebat lapides contra Dauidem, eique maledicebat, statim prosilijt seruus Dauid Abisai, zelo honoris Domini sui & dixit: *Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo Regi? Vadã & amputabo caput eius. 2. Reg. 16.* Hoc idem fauore debemus, si verè Domini Dei nostri honorem amaremus; blasphemos scilicet vt canes rabidos communi manu persequi, & quod Iudaei consueuerant, lapidibus obruere.

2. Requirit id à nobis debitum amoris erga nosipsos; si enim peccato blasphemi nolumus inuolui, contra eum insurgere debemus; blasphemia enim eiusmodi peccatum est, vt propter ipsam tota aliqua communitas interdum puniatur, si in ipsa toleretur: quemadmodum totus exercitus Syriorum propter blasphemiam Regis eorum, & omnes vxores, liberi, famuli, & famulae cum Core, Datan & Abiron blasphemis (*Num. 16.*) morte plexi sunt: Idcircò Iudaei blasphemiam audientes vestem discindebant & aures occludebant, *vt Actor. 7.* & blasphemum ipsimet mox ad Moysen deferebant *Leuit. 24.* ne vllo modo sceleris illius participes se facerent. Itaque si teipsum amas noli auscultare aut conniuere, multò minùs arridere blasphemanti.

3. Requirit debitum amoris erga proximum & ipsummet blasphemantem, vt eum velut asinum errantem, iuxta praeceptum Dei *Exod. 23.* reducamus & praesentissimi periculi sui admoneamus. Hoc enim in socio suo considerans bonus latro, tametsi in cruce magnis ipse teneretur doloribus, sui quasi oblitus, corripuit blasphemantem, quò nimirum à tam immani peccato absterreret. Qualem enim oporteret esse illius calamitatem, cui succurrere laborat is, qui ipsemet mergi incipit & inter fluctus cum morte dimicat? sed nimirum videbat bonus latro, se quidem mergi ad mortem temporalem, socium verò ad aeternam; propterea nitebatur etiam in maximis suis angustiis socium liberare.

4. Requirit à Magistratu officij ratio & obligatio. Debet enim ipse tum maximè exercere gladium in sontes, quando Dei honor offenditur. Hinc Ioakim Regi praedicitur à Deo per Ieremiam, neminem posterorum eius sessurum in throno eius: ipsius etiam cadauer proijciendum insepultum, eò quòd non sciderit vestimenta sua, cùm vidit coram se comburi librum Propheticum; *Ierem. 36.* Surget aliquando Nabuchodonosor Rex Babylonis & accusabit eiusmodi Magistratum, quia ipse postquam tres pueros à Deo suo in fornace ignis conseruatos esse vidit, eiusmodi decretum fecit, *vt omnis populus, tribus & lingua quaecunque locuta fuerit blasphemiam cōtra Deum Sidrach, Misac & Abdenago, disperear & domus eius vastetur.* Dan. 3. Non iussit talem blasphemum includi ergastulo, vinciri pedibus, vel mulctari pecunia: sed occidi & vastari eius domum. Quid ergò facere conuenit hac in re Magistratui Christiano? Vtinam cordi suo imprimeret quod S. Chrysostomus dicebat

Conc. Fabri Pars Hyemalis.

In iniuriis propriis patientem esse laudabile est: iniurias autē Dei patienter sustinere, nimis est impium. Hoc etiā est aequissimum, parum tamen visitatum. Cùm nos formicae maledicimus, vel aliquo probro aliquo impetimur, omnia volumus inuertere & totam substantiam nostram in vltionem maledici ponere. At cùm Deus noster maledicitur, nemo est qui se moueat. Non ita Dominus noster, qui in hodierno Euangelio, cùm vocaretur Samaritanus, & daemoniacus: ad prius nihil respondit, quia personam eius tangebat: sed ad posterius, quia infamabat doctrinam eius diabolicam esse, quod vergebat in Dei iniuriam, vt aduertit S. Chrysost. *homil. 45. in Ioan.* sic Moyses in propriis iniuriis ferendis mitissimus erat, *Num. 12.* in Dei iniurias seuerissimus. Semel 3000. *Exod. 32.* semel 24. millia hominum *Num. 25.* ob Dei iniuriam occidit.

Quod si igitur totus mundus conspirat & armatur contra blasphemos, quid miramur & conquerimur, cur nostrâ hac aetate tot mala nos apprehendant, & tot calamitates è coelo in capita nostra decidant? Nosipsi proijcimus quotidie innumeros ad coelum horrendarum blasphemiarum lapides, & quid mirum si ijdem in nos recidant & omnes contra nos creaturae pugnent? Verissimum enim est illud Sapientiae 5. *pugnabit cum illo* (DEO) *orbis terrarum contra insensatos.* Et similiter illud Apostoli ad Gal. 6. *Nolite errare: Deus non irridetur. Quae enim seminauerit homo, haec & metet.* Nos perpetuò seminamus blasphemiarum lapides, & iugiter totâ die blasphematur inter nos Dei nomen: Quid mirum si metamus lapides, famis, belli, spoliationum, &c? Certè in *Authent. tit. Vt non luxurientur coll. 6.* ait Iustinianus Imp. ob blasphemias mitti fames, pestilentias & terrae motus. Cur mordemus instar canum lapides in nos proiectos & non potiùs linguas nostras, quae illos in nos proijciunt?

CONCIO IX.

Documenta Euangelica.

Ex hodierno Euangelio discimus.

1. *Fugere peccata.*
2. *Contemnere mundi obtrectationes.*
3. *Non captare vanam gloriam.*
4. *Seruare sermonē Dei.*
5. *Vitare mendaciū & quinam mendaces Iudaeos imitentur.*
6. *Exultare ad videndum redemptionis nostrae diem.*
7. *Neminem appetere contumelijs aut conuitijs.*

THEMA.

Siquis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in aeternum. Ioannis 8.

SOlent ferè hoc tempore prodire ad labores suos apes & passim circumuolare hortos ac colligere mel è floribus ad conficiendum fauum. Harum exemplo nos, A1

nos, qui speramus nos breui comesturos paschalem illum fauum, quem post suam resurrectionem comedit Christus cum discipulis suis, nil aliud significantem, quàm dulcedinem & lætitiam resurrectionis nostræ: si hunc fauum gustare volumus, priùs eum conspicere & comparare nobis debemus. Quare cum apiculis illis ad laborem nos accingemus & inprimis in hodierno Euangelij hortulo nonnihil circumuolabimus; atque ex eius sententiarum floribus, competentem nobis doctrinæ succum extrahemus.

Apes noxios flores fugiunt, salutares amant & delibant. Pari modo in hodierno Euangelio discimus alia fugere, alia verò prosequi.

B. I. Peccata fugienda. PRIMÒ, Discimus odisse peccata, fugere & abiicere; siquidem Christus, qui cæteras humanæ naturæ miserias in se suscepit, famem, sitim, frigus, æstum, tristitiam, defatigationem, paupertatem, contemptum, dolores, opprobria, mortem: solum peccatum noluit suscipere; quia nimirum abominabile est coram Deo, & summo bono repugnans. Insipientes ergò sunt homines, qui vt mala pœnæ, paupertatem, contemptum, pudorem, laborem fugiant, eligunt mala culpæ vel admittere, vel admissa in dorso gerere: ac veluti amentes ad fugiendum modicum malum, in puteos insiliunt, aquis se præfocant aut laqueo gulam frangunt: cùm contrà Christus maluerit in manus hostium suorum acerbissimorum deuenire & grauissimum Crucis onus in se tollere, quàm seruituti peccati se subiicere, eiusque iugo dorsum suum grauare. Martes fera exigua de genere mustelarum vsque eò abhorret à sordibus, vt si rediens ad antrũ suum, inquinatum illud videat, refugiat intrare & potiùs capi se patiatur à venatoribus, qui proinde hâc arte eam intercipiunt. Ita sapiebat Susanna illa, quæ ad peccatum solicitata dicebat: *Melius est mihi absque opere* (peccato) *incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan. 13. Quin & Democles gentilis puer in balneo vt stuprum Demetrij Regis euaderet in aquam feruentem insiliit adeòque mori quàm pollui maluit. Plut. in vita Demetrij. Quocirca fugienda & abiicienda sunt peccata plusquam omnia mala, & si omnia alia in nobis toleremus, solum peccatum exterminemus, & idcircò sedulò ac sæpiùs euerramus domum conscientiæ nostræ: perlustremus omnes eius angulos, interrogemus omnes sensus & vires nostras ac dicamus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sic Deus omnia & singula opera sua, ad trutinam reuocabat & quodammodò examinabat, vt ea bona esse comprobaret & ab omni peccati labe assereret. *Vidit Deus quòd esset bonum,* &c. In primis verò hoc examen instituendum priusquam ad Christi communionem accedimus. Proposuit Christus innocentiæ suæ contestationem, antequam ad passionem pergeret, vt mundo comprobaret se hostiam esse sine macula qualis à Deo requirebatur in lege veteri, pro humano genere immolandam: ita nos ad mensam Christi accessuri, priùs ipsi nos probemus tam nobis quàm proximis nostris per pœnitentiam & confessionem factam in Ecclesia, vt videant omnes, quantum fieri potest, nos iam emundatos ab omni peccati labe accedere ad Christum. Si enim Ioseph è carcere eductus, non priùs admissus fuit ad Pharaonem, quàm attonsis capillis & exutis squalidis vestibus, honestè indueretur. *Gen.* 41. quanto magis decet sine peccati squalore apparere coram summo Deo?

SECVNDÒ, Discimus contemnere & nihili facere mundi obtrectationes, conuitia & ludibria, quando bene nobis conscij rebus honestis, & piis operam damus; Siquidem Christus à Iudæis per conuitium vocatus Samaritanus & dæmoniacus: Primum surdâ aure pertransijt, alterum non regessit in calumniatores, cùm iure posset: denique à cœpto pietatis sermone nequaquam destitit propter obtrectatores, sed perrexit dare salutis monita. C. II. Contemnendæ mundi obtrectationes. Quâ inre si vnquam aliàs, hoc maximè sacro tempore Christum imitari decet. Nunc enim quia luctus noster publicus est & ob publicam causam institutus est; pœnitentiæ, lachrymis, vigiliis, ieiunijs, alijsque piis operibus fræna sunt laxanda nec quidquam curandum, quid mundus ogganniat; quia nunc de salute & redemptione nostrâ nec non de morte Filij Dei & Domini nostri agitur. Prodiderunt nunc affectum & pietatem suam sanctæ illæ mulieres, quæ occultè priùs crediderant in Christum, posteà exeunti ad montem Caluariæ occurrebant publicè & non attento Iudæorũ furore *plangebant & lamentabantur eum.* Luc. 23. Prodiit tunc Ioseph ab Arimathæa, priùs occultus Iesu discipulus ob metum Iudæorũ & *accessit ad Pilatũ & petijt corpus Iesu.* Ioan. 19. Marci 15. Similiter & Nicodemus qui noctu venerat ad Iesum, nunc palam & interdiu iuuat condire & sepelire Iesum *Ioan.* 19. Exseruit se tunc bonus latro, qui tametsi ipse in supplicio constitutus, non potuit non contestari Christi innocentiam eique condolere, obtrectatores verò & persecutores eius arguere, nihil veritus Iudæos, quos hoc facto offendebat. Imò nec muta quidem elementa se tunc continuerunt, quin publicè ostenderet suam compassionem erga communem creatorẽ, indignationem verò erga eius interfectores. Atque hæc causa est cur nunc passim Christiani suam pietatẽ varijs operibus publicè ostendant. Pontifex, Episcopi & nonnullis in locis Reges pauperibus abluunt pedes, tergunt & osculantur. Alij in processionibus publicis, induti saccis gestant ponderosas cruces; aut flagellis se corripiunt. Alij ad memoriam fellis Christi, itidem fel degustant. Alij hospitalia adeunt & ægrotis ministrant. Alij pauperes ad mensam suam inuitant, ijsque sedulò inseruiunt. Alij passim in plateis ante Christi passi imagines se prosternunt & preces fundunt. Alij à tempore mortis Christi omni cibo & potu abstinent vsque ad tempus resurre-

ctionis

ctionis. Alij totum id tempus precibus & templo dant.

D. III. Non captanda vana gloria. TERTIÒ, Discimus ex operibus nostris bonis non quærere vel captare gloriam humanam; si quidem ait Christus: *Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat.* Et paulò pòst: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est pater meus, qui glorificat me.* Quare hoc sacro tempore sic lucere lux nostra debet coram hominibus, vt videant opera nostra bona, interim tamen eo fine & intentione vt non nos glorificent sed patrem nostrum qui in cœlis est.

1. Nam primò si quæramus gloriam nostram apud homines, gloria nostra *nihil est*, ait Dominus. Primò, quia nihil solidi est, ficta & phantastica est: sæpè à tergo irridetur, qui in faciè laudatur. Secundò, quia mox euanescit & sæpe desinit in contemptum. Tertiò, quia ostendit hominem inanem & vacuum virtutibus. Quartò, quia inanem facit, & spoliat virtutibus ac meritis. Quintò, quia gloria hominum mendax; sæpe enim laudatur quod vituperio potiùs dignum est.

2. Secundò, Si non quæramus gloriam nostram, est qui quærat, pater scilicet noster in cœlo, qui nos glorificabit in illa die & coram angelis suis. Quis autem malit acceptare gloriam ab infantibus & paruulis, quàm à principibus personis? Quis afficitur laude ab infantibus data? & quis non maximoperè afficitur, cùm vel ab vno terreno principe laudatur? Quid ergò tandem erit laudari ab ipso Deo coram toto mundo & in cœlo? Hanc tu commutabis cum laude paruulorum?

3. Tertiò, Si nõ quæramus gloriam nostram, Deo similes erimus, qui vti non eget gloriâ hominum, ita nec eam quærit. Cæterùm vti nihilominus gloria resultat in Deum ex operibus eius: ita & homini bene operanti, non quærenti gloriam suam, hoc ipso accedit gloria. Quare ne in vacuum laboremus his diebus, adeoque nostras mercedes mittamus in sacculum pertusum, vt Aggæus *cap.* 1. dixit caueamus vanam gloriam.

E. IV. Sermo Christi seruandus; Quod sit. QVARTÒ, Discimus seruare sermonem Dei, quia Dominus ait: *Amen, Amen dico vobis: siquis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Seruatur autẽ sermo Christi, Primò cùm non solùm aure auditur, sed etiam mente retinetur. Si enim instar perfluæ papyri simus, in quâ mox diffluit atramentum: vel instar vasis confracti, quod non retinet balsamum (iuxta id Ecclesiastici 21. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnẽ sapientiam non tenebit*) non euademus mortem illam, de qua hic loquitur Christus. Multa bona audiemus his diebus à Confessariis & concionatoribus, multa bona videbimus: sed si ea post pascha statim obliuiscamur, quid iuuabit? Et quàm multi his diebus incalescunt bonis desideriis & propositis, qui posteà mox refrigescent, non aliter ac qui è balneo egressi sunt?

2. Secundò, cùm non solùm auditur & creditur, sed opere etiam impletur, quo modo pharmacum à medico scriptum non in sacco circumferri debet, sed assumi & diæta obseruari. Confessarij sunt animarum Medici, quorum præscripta & consilia nisi obseruent ægri, non mirentur, si mortem incurrant æternam. Totum hoc cõmendat etiam nobis Apostolus ad Hebr. 2. cùm ait: *Abundantiùs oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, ne fortè perfluamus* (modo scilicet suprà dicto vti charta perflua, aut vas fractum) *si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus: & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* i. d. Si præuaricatores legis veteris, per Angelos tantùm datæ, adeò puniti sunt, vt cùm adorârunt vitulum *Exod.* 32. cùm fornicati sunt cum filiabus Moab, *Num.* 25. cùm Sabbathũ violarunt, *Num.* 15. &c. quantò grauiùs puniemur nos Christiani, si negligamus salutem, quam non Angeli, sed Christus ipse nobis annuntiauit?

F. V. Vitandum mendacium. QVINTÒ, Discimus vitare mendacium præsertim in rebus spiritualibus, siquidem id in Iudæis taxat Christus, & non vult nos quidquam habere commune cum mendacio. Iudæi mentiebãtur de Christo, quòd esset Samaritanus & dæmonium haberet: mentiebantur de Deo suo, quia dicebant esse patrem suum, quẽ tamen non nouerant. Hos imitantur etiam in ipsâ confessione Primò, qui cum Adamo sua peccata excusare & culpam Deo impingere nituntur, quasi Deus impossibilia nobis præceperit, vel gratiâ efficientẽ aliaq; necessaria negârit: vt qui dicunt se non posse abstinere à iuramẽtis, execrationibus, ebrietate, &c. Mendaces Iudaei imitatur. 1.

Secundò, Qui asserunt se peccatis carere, adeoque dicunt aut putant se habere Deum Patrem, cùm tamen non nôrint illum. Ait enim sanctus Ioannes *Epist.* 1. *cap.* 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et mox: *Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum & verbum eius non est in nobis.* Ipsi autem nos seducimus, quia occultamus hostem nostrum, qui nos tandem iugulabit. 2.

Tertiò, Qui asserunt se dolere de peccatis, cùm interim de dolore nihil cogitent. 3.

Quartò, qui promittunt confessariis emendationem, seriam tamen sibi non proponunt; sed post confessionem mox redeunt in antiquam syluam. 4.

Quintò, Qui accusant se de iis, quæ non fecerunt, vt qui per omnia præcepta & vitia capitalia, quasi ex tabellâ recitant semper eodem modo peccata sua. 5.

Sextò, Qui negant ea quæ fecerunt. 6.

Isti bene perpendant quid euenerit Ananiæ & Saphiræ, *Actor.* 5. non enim mentiuntur hominibus, sed Deo: & sicut Petrus habuit claues ad claudendum & aperiendum illis cœlum, ita habere confessarios suos.

G. VI. Dies redemptionis nostræ optatus. SEXTÒ, Discimus exultare ad videndum redemptionis nostræ diem sicut & Abraham exultauit ad videndum illum. Abraham gauisus est, quando prò filio iamiam immolando, arietem virgultò adhærentem immolauit;

lauit; & tunc simul agnouit pro humano genere immolandum esse Dei Filium cruci adhærentem. Ita & nos cum gaudio diem illum
1. expectemus. Primò, quia in eo pro nobis Christus immolatus est.
2. Secundò, quia in eo submergemus Ægyptios in mari rubro, id est, peccata nostra in sanguine Christi, & cum Moyse canemus: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.*
3. Tertiò, quia tunc intrabimus ad Regem gloriæ, imò in domum nostram eum deducemus & cum eo dulciter conuersabimur.

Deinde exultemus, id est, à terrâ & terrenis negotiis ac curis mentem nostram erigamus ad videndum & considerandum passionis Christi spectaculum. Videbimus ibi primò verum Isaac, id est, vnicum & dilectum Dei filium duci ad immolandum à Patre suo cœlesti. Videbimus ibi ligna holocausti de dorso asini transferri in dorsum Isaac, id est, peccata generis humani de dorso nostro in dorsum filij Dei. Videbimus ibi Isaac onustum fasce lignorum, id est, Christum crucem sibi baiulantem, ad summamet sacrificium. Videbimus ibi in manu patris ignem & gladium, id est, amorem erga genus humanum iuxta id: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*; & iustitiam, quâ nostra peccata in filio puniet. Videbimus ibi à patre alligari filium, id est, tradi ligandum & cruciandum ac derelinqui in cruciatibus vociferantem: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Videbimus ibi filium poni super struem lignorum compositam à patre, id est, iactari super crucem & affigi illi. Videbimus ibi seruatum quidem à gladio Isaac, eius tamen loco arietem cornibus hærentem inter vepres immolatum; id est, Christi diuinitatem quidem saluam esse & incolumem; humanitatem tamen eius sub spineâ coronâ cornibus crucis hærentem, mactari & immolari. Videbimus ibi die tertio Abrahamum cum filio viuo & incolumi ad propria redeuntem, id est, Patrem cœlestem restituentem nobis die tertio filium rediuiuum. Hæc sunt quæ videre & meditari hoc tempore conuenit. Certè S. Gregorius Nyssenus *in Concilio Niceno* 2. citatus, testatur se sine lachrymis transire non potuisse imaginem, quæ Isaaci immolationem ad viuum repræsentabat. Quanto magis nos lachrymari & optimis cogitationibus tangi oportet, cùm non pictam & figuratam, sed veram & viuam Christi immolationem cernimus, quam hodie repræsentare nobis incipit Ecclesia canens: Vexilla regis prodeunt, &c?

H. VII. Nemo appetendus linguâ maledicta.

SEPTIMÒ, Discimus neminem appetere contumeliis aut conuitijs, vel etiam detractionibus. Audimus enim Dominum dicentem: *Est qui quærat & iudicet*; quærat scilicet honorem meum, quem per contumeliam mihi abstulistis. Improbus erat Malchus, & tamen aurem ei abscissam quæsiuit & restituit Dominus; quanto magis requiret honorem seruorum suorum à detractoribus & restituet iisdem? Quid enim lingua maledica nisi gladius acutus, qui truncat aurem, id est, famam & honorem proximo? Cæterùm, est qui requirat honorem innocentum, Deus. His enim ait *Luc.* 21. *Morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meū & capillus de capite vestro non peribit.* q.d. Siquis vel vnum capillum de capite vestro sustulerit, ego eum requiram de manu eius, & vobis restituam. Quare tametsi læsus non quærat honorem suum, est qui quærat & iudicet Deus.

Atque hi sunt flores, è quibus si spiritualem succum extraxerimus & in cor nostrum intulerimus, poterimus non difficilè conficere fauū illum, qui impleat nos melle lætitiæ spiritualis, hic per gratiam & ibi per gloriam.

CONCIO X.

Mysteria.

THEMA.

Qui ex Deo est verba Dei audit. Ioan. 8.

SVmmus Hebræorum sacerdos duo ista nomina, *Vrim & Tummim*, id est, illuminationem & integritatem (quæ noster interpres vertit, *doctrinam & veritatem*, ad sensum magis quàm ad verba attendens, vt docet Corn. à Lapide *Exod.* 28.) in pectore suo gerebat, Rationali inserta. Summum autem Sacerdotem typum fuisse Christi Domini, nemo est qui nesciat. Hic ergò in hodierno Euangelio ostendit nobis in pectore duas illas voces, Vrim & Tummim, illuminationem & integritatem. Integritatem vitæ cùm ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Illuminationem verò doctrinæ, cùm subdit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Duo enim hæc requiri in Doctore possunt, vt vitæ inculpatæ sit, & vt vera doceat; quibus positis sequitur non Doctorum, sed Auditorum peruersitatem in causâ esse, si non audiant Doctorem. Vtrumque in se demōstrat Christus; (neque enim veraciter horum aliquid in ipso carpere poterant Iudæi) ac proinde rectè concludit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, hoc est, DEI filij, cultores & amici non estis. Hoc fulmen, Auditores ne etiam in vos detonet, satagite vt verba Christi sedulò audiatis, quia Doctoris integerrimi simulque veracissimi sunt. A

QVÆR. PRIMÒ, Cur hanc thesin proponit Domi- B. I.

Cur eam hanc proponit Christus: Quis ex vobis,&c. Dominus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Respondeo Primò. Vt ostendat Christus non habere Iudæos, cur ipsius doctrinam reprobent, vt quem vel varius peccati nequeant redarguere.

2. Secundò, Vt ostendat toti mundo se non ob proprium aliquod scelus, sed innocenter & pro alienâ culpâ passurum & crucifigendum esse. Maximi intererat sciri hoc à mundo, qui in ipsum credere debebat velut redemptorem suum. Quam etiam ob causam redarguere voluit seruum Pontificis,cùm ob responsum datum ab eo cæsus esset: *Si male locutus sum testimonium perhibe de malo*, &c. *Ioan.* 18. In huius rei figuram agnus olim in paschate immolandus, debebat esse absque maculâ, *Exod.* 12.

3. Tertiò, Ad instructionem Concionatorum & sacerdotum vt studeant præ aliis immunes esse à peccatis, audiant illud: *Medice cura teipsum*: Et illud: *Verba tua sunt verba Dei, sed facta tua sunt facta Diaboli.* S. Ægidius audiens aliquando Dominum vineæ operarios suos obiurgantem Italicâ linguâ: *Fate fate & non parlate. Audite*, inquit, *Concionatores, quid iste vir dicat: facessant verba & manus operi admouete. Concionamini opere potiùs quàm verbo. Si enim totam terram possideres, nec tamen eam coleres, quid fructus ex eâ perciperes? Certè nihil. Sic pariter scientia legis diuinæ & cuiuslibet rei, licet eximia, nihil tibi conferet, si eam per opera non excolas.*

C. II. An potuerit peccare Christus. Non. 1. QVÆR SECVNDÒ, Potuitné saltem peccare Christus? Respondeo non potuisse triplici ex causa. Prima est, quia natura eius humana personæ diuinæ vnita & ab eâ sustentata, quodque inde etiam sequitur, necessariò directa fuit, tanquam inferior potentia à superiore vt ne labi posset. Cùm enim peccare non sit naturæ, sed personæ: in Christo autem persona tantùm diuina, non humana fuerit, necessariò dicendum est, non potuisse eum peccare: nisi dicere velimus, peccare posse DEVM, quod insanissimum est. Natura quidem humana ex se peccato obnoxia est, sed assumpta à persona diuinâ peccato subiacere non potuit; quod declarans Origenes præclarâ similitudine 2. Periar. cap. 6. ait: *Ferri metallũ naturâ suâ capax est caloris & frigoris, si tamen semper intra fornacē ignis contineatur, dici potest incapax frigoris: Sic beatissima Christi anima nec conuertibilis nec mutabilis dici potest, qua inconuertibilitatem ex Dei verbi virtute indesinenter ignita possedit.*

2. Secunda, Quia Christi anima semper Deum vidit adeoque semper beata fuit ab ipsâ suâ conceptione, vt docet. S. August. *l. 4. de Consensu Euang. c.* 10. Alcuinus *l. 2. de Trinit. c.* 11. & Theologi omnes. Beati verò peccare nequeunt, quia voluntas videntis Deum à diuinâ regulâ clarè perspectâ subtrahere se non potest: proinde nec velle aliquid quod non est secundum Deum.

3. Tertia, Quia anima Christi supernaturalibus gratiæ auxiliis & intimâ spiritus S. assistentia contra omnia machinamenta Dæmonis erat communita, vt labi nō posset, quemadmodum & ij qui in gratiâ confirmati sunt. Nos si modo aliquo Christum in hoc imitari volumus, vt saltem sine peccatis viuamus. Primò adhæreamus DEO firmiter, innitamur super dilectum nostrum; nam *qui adhæret Domino, vnus spiritus est*, ait Apostolus 1. *Cor.* 6. Adhærebimus autem, si nil aliud velimus, quàm quòd ipse vult. Deinde si versemur continuò ante Deum, quasi eum oculis cernamus, inspicientem omnes actus nostros. Denique si virtutum præsidiis contra omnes tentationum incursus nos munire studeamus.

QVÆR. TERTIÒ. Cur dicunt eum Samaritanum esse & Dæmonium habere? Respond. Samaritanum vocant, quòd non videretur ipsis exactè legem seruare (quod erat Samaritanorum) neque traditiones seniorum, quòd præcepta legalia pro adiaphoris siue indifferentibus haberet, quòd Sabbati violationem floccipenderet, vt ipsis videbatur. Ita Euthymius hic & Eliās Cretensis *oratione* 4. D. III. Cur aiunt Dominũ Samaritanum & dæmoniacum.

Dæmoniacum verò dicunt, secundum eosdem, quòd Dei honorem in seipsum deriuaret adeoque Deo gloriam raperet (quod erat Dæmonum molimen) vti ipsi existimabant. Secundùm Origenem, quòd putarent admiranda eius opera non nisi ope Dæmonum ab ipso patrari.

Cæterum hæc Iudæi non simpliciter asserunt, sed cum pertinaciâ & defensione erroris, *Nonne benedicimus nos*, &c. q. d. Nónne verum est quod sæpius tibi obiecimus te legem violare & dæmonium habere? Ergò clauum prauæ affectionis suæ nouo ictu intrudunt dum peccatum suum defendunt, quod extremæ malitiæ signum est. Quâ de re S. Augustinus in comment. super *Ps.* 68. ait: *Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius & respondérit: peccaui; fateor: non clausit super eum puteus os suum. Si autem dixerit: quid enim mali feci? clausit super eum puteus os suum; quâ eruatur, non habet*, &c. Oremus ergò cum Dauide: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Ps.* 68.

QVÆR. QVARTÒ, Cur secundum tantùm, non primum refellit Dominus? Respon. Primò quia in eo, quòd Samaritanus diceretur, diuina gloria non lædebatur: in altero verò quod Dæmonium haberet, maximè lædebatur; quando Dei opera (Christi miracula) Dæmoni adscribebantur. E. IV. Cur secundum non primum refellit Christus. 1.

Secundò, Quia prior contumelia leuior, posterior erat grauior. Nolebat autem Dominus in leuibus contumeliis refellendis immorari, vt doceret tales etiam à nobis contemnendas esse, nec oleum flammæ adiiciendum, vt incendium fiat; nisi aliud Dei gloria & proximi correctio postulet. 2.

Tertiò, Mysticè; secundùm Origenem, Augustinum, Gregorium, Bedam, quia Samaritanus significat custodem: Christus autem reuerà erat Custos hominum & Samaritanus ille, qui homini à latronibus vulnerato succurrit & medelam adhibuit. *Luc.* 10. 3.

F. V. Quomodo propria Christi gloria nihil est.
QVÆR. QVINTÒ, Quomodo gloriam suam propriam nihil esse ait Christus: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est?* Respondeo Christum dicere velle, gloriam suam nihil esse, si inaniter se iactet vt vanam gloriam aucupetur, quod sentiebant cæci Iudæi. Gloria enim inanis nihil est. Rursum nihil esse, id est, illegitimam & inualidam opinione hominum, qui fidem non habent iactanti seipsum aut testanti de seipso. Hoc sensu dixit *Ioan.5. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Hoc est, legitimum & validum apud vos.

G. VI. Quomodo Iudæi non cognouerunt Deum.
QVÆR. SEXTÒ. Quomodo Iudæi dicuntur non cognouisse DEVM? Resp. Primò, eò quòd illum numquam viderunt: Christus autem vidit eum, non modò secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm animam suam. Secundò, non cognouisse practicè, quia legem eius non obseruarant. Sic dicuntur filij Heli *nescientes Dominum* 1.*Reg.*2. Tertiò, non cognouisse, quia non intellexerunt eius maiestatem, sublimitatem, bonitatem, iustitiam, præmia, supplicia. Quartò, non cognouisse, quia non crediderunt eius testimonio, quod de filio tulerat: *Hic est Filius meus dilectus*; quod à Ioanne Baptista discere poterant.

1. 2. 3. 4.

H. VII. Quinam ille dies Christi, quem desiderauit Abraham.
QVÆR. SEPTIMÒ, Quinam ille dies, quem videre gestiit Abraham & quo viso gauisus est? Resp. hoc incertum esse. Verisimilius est diem illum esse tempus aduentus Christi. Hoc enim dum in spiritu præuidit, exultauit præ gaudio, maximoperè desiderans. Reipsâ etiam vidit, positus in limbo; tametsi oculis mentis tantùm, non corporis, indeque gauisus est. Speciatim verò dies ab Abrahamo desiderata & in spiritu præuisa, est secundùm aliquos, dies Incarnationis Christi: præuisa Abrahamo siue cùm ei filius, in cuius semine (Christo) benedicendæ essent omnes gentes, *Gen.* 22. promissus & de eo semen sicut stellæ cæli, secundùm D. Irenæum *l.* 4. *c.* 15. siue quando seruum iurantem sibi per Deum cæli, sub femore suo manum ponere præcepit, vt vult D. Bern. *Ser.*6. *in Vig. Natiu.* siue quando tres viros vidit & vnum adorauit, ex quo mysterium Trinitatis & filij incarnationem cognouit, vt existimat D. Gregorius *hom.* 18. & alij.

1.

2. Secundùm alios est dies passionis Domini, quam præcognouit cùm filium immolare parauit, & pro eo arietem immolauit. Ita D. Chrysostomus *hom.* 54. D. Ambr. *l.* 1. *de Abraham.c.*8. D. Prosper. *l.* 1. *prædict. c.* 17. pulchrè id illustrat. *Diem*, inquit, *passionis filij Dei vidit Abraham in suo filio figuratum, quod vnico filio non pepercit, quòd veluti ad aram crucis triduo cum insonti victimâ conuolauit; quòd patiens ac sine voce similis agno coram tondente se filius patri, vt percuteret pia colla prabuit, quòd aries cornibus in vepre detentus, spinis coronatum Christum ostendens, pro Isaac immolandus apparuit; quòd ideò Isaac immolatus non est, quia resurrectio filio Dei reseruata est. Hac omnia credens Abraham videre meruit per figuram.* Hæc Prosper. Iuxta quam sententiam Abraham gauisus est, non ob dolores & mortem Christi vt sic: sed ob fructum passionis & mortis eius, qui est mundi redemptio.

3. Secundùm alios est dies resurrectionis Christi, vt vult Turrianus *l.* 8. *Constit. Clem. c.* 12. Hæc verò ostensa Abrahæ, cùm Isaac morti iam deputatus, repente mutato decreto viuus permansit & ita quodammodo è morte surrexit.

I. VIII. Cur ait Christus: Antequàm Abraham fieret, &c.
QVAER. OCTAVÒ, Cur ait Dominus: *Antequam Abraham fieret, ego sum?* Respondeo vt indicaret Abrahamum creaturam Dei, se verò Deum Creatorem esse. Dei enim nomen est: *Ego sum*, Exo. 3. quia Deus semper idē esse habet; nihilque ei præteritum aut futurum est, sed omnia sunt præsentia. Poterant ergo Iudæi ex hac solâ voce animaduertere Christum esse Deum, nisi malitiâ cæcati fuissent.

K. IX. Cur lapidare voluêre Christum.
QVAER. NONÒ, Cur lapidare Christum Iudæi voluerunt? Resp. quia existimabant eum blasphemasse, cùm dixit: *Antequam Abrahā fieret, ego sum*; quasi his verbis sibi vendicaret æternitatem adeoque diuinitatem. Lapidari verò iussit Deus blasphemos *Leuit.* 24. quod & ipsi suis blasphemiis quasi lapidibus Deum impetant.

1.

2. Mystico sensu, rectè ad lapides currunt *tanquam sui similes*, inquit S. Augustinus *tract.* 43. *in Ioan.* quia lapidem cor gerebant. Multum ac diu disputauit Dominus cum Iudæis in toto illo capite Ioannis octauo, verùm sicut pluuia lapides non emollit: ita Christi verbum minimè penetrare vel emollire potuit Iudæos; qui inde etiam duriores & peiores facti sunt, vt ex eo patet, quòd concionanti Christo: *Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*; respondent: *Nunc cognouimus quia Dæmonium habes. Sicut enim bonis*, inquit D. Gregorius *hom.* 18. in Euang. *Necesse est vt meliores etiam per contumelias existant: ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt, nā acceptâ prædicatione iterum dicunt: Nunc cognouimus, quia Dæmonium habes*, &c.

L. X. Quomodo se abscondit Christus.
QVAER. DECIMÒ, Quomodo Christus se abscondit? Resp. humano & naturali modo, siue fugiendo, vt indicant Augustinus & Chrysostomus, siue abscondendo se in aliquo templi recessu. Sciuit enim Dominus varios & plurimos euadendi modos, quo modo Herodem olim fugit; tametsi nullum faceret miraculum. Vnde minùs probabile est quod volunt Theophylactus, Euthymius & Caietanus, fecisse eum se inuisibilem. Hoc enim non est propriè se abscondere: nec voluit Dominus miracula suæ defensionis gratiâ facere; neque occasionem Iudæis dare, vt videretur eis Magus esse.

Sed cur abscondit se, qui poterat eos coërcere & vno verbo prosternere, vt cohortem in Oliueto, vel eiicere de templo, vt aliquando ementes & vēdentes? Resp. ad supplicium Iudæorum, qui ob suam pertinaciam digni non erant salutari correctione: merebantur Christo omninò destitui. Idcircò ab eis se abscondit Christus & exit de templo: quomodo

Ludi-

Ludimoderator cùm aduertit ſe in diſcipulorum informatione operam ludere, non caſtigat eos ampliùs, ſed exit de ſcholâ & deſerit eos. Exiuit à Iudæis Christus & tranſijt ad gentes. Nos ergò, auditores, attendamus nobis ne ob ſimilia peccata noſtra deſerat nos Chriſtus & migret ad orbem alium, adeoque Sol cæleſtis auferat à nobis lumen fidei, & relinquat nobis tenebras hæreſum & ignorantiæ; quod à nobis ipſe clementer auertat.

DOMINICA PALMARVM.

Euangelium Matthæi 21.



IN illo tempore: Cùm appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis & veniſſet Bethphage ad montem oliueti, tunc miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea: ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem, Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit illis Ieſus. Et adduxerunt aſinam & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimẽta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: O ſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, O ſanna in excelſis.

CONCIONES.

I. *Quæ victoria obtinenda ſint ante S. Communionem.*
II. *Anima fidelis quomodo aſinus eſſe debeat præſertim in S. Communione.*
III. *Pia Chriſtianorum exercitia per hebdomadem ſanctam.*
IV. *Præparatio proxima ad S. Communionem.*
V. *Quid ſibi velint Palmæ.*
VI. *Pompa Chriſti triumphalis.*
VII. *Cauſa triumphantis Chriſti ingreſſus.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Quæ victoriæ obtinendæ ſint ante Communionem.

1. *Obtinẽda eſt victoria de negotiis ſæcularibus.*
2. *De hoſte obſidente examen conſcientiæ, ne ritè fiat.*
3. *De obſidente contritionis actum.*
4. *De pudore reuelandi peccata in confeſſione.*
5. *De obſtaculis dignæ Communionis.*

THEMA.

Cædebant ramos de arboribus & ſternebant in via. Matthæi 21.

A SVperioribus Quadrageſimæ Dominicis vidimus arma dæmonis & armauimus nos contra illum; ſed nunc tempus eſt pugnandi, quia tempus peccata confitendi & communionem percipiendi. Quare ſicut Dauid 1. *Reg.* 21. fugiẽs à Saule, reſumpſit gladiũ Goliath oblatum ſibi ab Achimelech Sacerdote, gladium, inquam, DEO dicatum & ſacro loco aſſeruatum: ita nos hodierno die accipimus in Eccleſia à Sacerdote palmæ ramum, qui gladij figuram habet, quo videlicet moneamur fortiter pugnare & vincere difficultates, quæ velut armatæ acies circumſtant S. Euchariſtiam, non ſecùs ac lignum vitæ cuſtoditum voluit DEVS per Cherubim & flammeum gladium. Has ergò acies conemur nunc penetrare, vt vitæ ligno frui poſſimus.

Prima acies penetranda, ſunt negotia ſæcularia. Quemadmodum enim Pharao tunc maximè occupauit & oppreſſit operibus luti Hebræos, ita vt ipſimet vndique paleas conquirere deberent, cùm ex Ægypto diſcedere in deſertum vellent ad ſacrificandum Deo, *Exod.* 5. Sic *quotidianis diſcimus experimentis*, ait S. Bern. de conuerſ. ad Cleric. *c.* 18. *eos qui conuerti deliberant, tentari acriùs à concupiſcentiâ carnis; & vrgeri grauiùs in operibus luti, qui Pharaonis imperium effugere moliuntur.* Sic ille. Et Caſſianus *collat.* 21. *cap.* 28. ait: *Idcircò ſacris Quadrageſimæ diebus maximè impugnatur omne Monachorum genus, eo quod ſecundum illam ſimilitudinẽ, quâ tunc Ægypti filios Iſraël violenter affligebant, nunc quoque verum Iſraël, id eſt, monachorum plebem intellectuales Ægypti duris ac luculentis operibus incuruare conentur, ne per amicam Deo quietem terram Ægyptiam deſerentes ad eremum virtutum ſalubriter tranſeamus, ita vt aduerſum nos Pharao infremens dicat: Opprimantur laboribus* B. I. De negotiis ſæcularibus.

&

& felicit sint in aperibus suis, &c. Tales sunt ferè tardigradi illi & lucifugæ, qui ad vltimas horas & postumum tempus differunt confessionem suam, eamque ex abrupto & per transennam tantùm faciunt. Sed audiant isti Ecclesiasticum *cap. 30.* dicentem: *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine & congrega cor tuum in sanctitate eius.* Nimirum totum annum impendis corpori & corporalibus negotiis; animam verò derelinquis: *Miserere* vel semel in anno *animæ tuæ, & contine & congrega dispersum cor tuum in sanctitate*, vt placeas Deo. Si vocaret te ad mensam magnus aliquis princeps, non dubium quin sepositis tuis negotiis, quantumuis seriis, ad illum accederes. Atqui nunc Dominus dominantium vocat te ad gratiam & communionem sui corporis: quid ergò tibi nunc cum negotiis aliis? Abraham certè iuxta præceptum Domini immolaturus filium, duxit quidem secum aliquamdiu famulos & asinum, sed vbi ad locum immolationi destinatum, montem scilicet Moria, appropinquauit, vt iam eum videret, dixit illis: *Expectate hic cum asino, ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Gen. 22.* Quoniam ergò & nos vocati nunc sumus à Deo vt immolemus ei cor nostrum: dicamus sensibus nostris: *Expectate hic cum asino* curarum & negotiorum carnalium. Certè etiam Dominus, asino vectus Ierusalem, vbi ad templum venit de asino descendit, & ingressus est in templum pedes, ad doctrinam nostram, vt in præsenti negotio eum imitemur.

C. II. De examine conscientiæ.

SECVNDA, Acies hostilis obsidet examen conscientiæ, ne ritè fiat ante confessionem: vti sunt cæcitas mentis, obliuiscentia, ignauia & incuria, temporis defectus, tædium, &c. Hinc multi imparati & muti in confessione, quia raptim & tumultuariè se examinârunt. Sed væ tibi, nisi deprehendas peccatorum tuorum nidum, cùm possis. Si scires in ædibus tuis nidificare rapacem aliquam auem, vel Martem, qui deuoret tibi gallinas & columbas: nónne tu sedulò inquireres? nónne lumine accenso totam ædem perlustrares? fac hoc igitur in corde tuo: multæ ibi bestiæ quæ deuorant pulchritudinem domûs tuæ. Itaque primò accende lumen, pete illustrationem à Deo, *patre luminum*, vti vocatur à Iacobo *cap. 1.* Deinde immorare inquisitioni. Vt enim qui in cellam vel locum tenebricosum intrat, paulatim incipit meliùs & meliùs res inibi positas intueri: ita si immoreris examini conscientiæ. Tum perquire omnes angulos & vias in quibus detinuisti te, per hebdomades, per dies: perambula 10 præcepta: 5. præcepta Ecclesiæ: 7. vitia capitalia: 5. sensus: cogitationes, verba, opera, omissiones: vt quod in vno loco non deprehendis, deprehendas in alio; velut si feras in venatione quæras; quas enim non capis retibus, fortè capies canibus positis in insidiis aut balistâ sternes. Dissipator ille villicus, cùm audisset Domini sententiam de se amouendo: conuocauit omnes domini sui debitores, & è singulis quæsiuit: *quantum debes Domino tuo?* Fac id & tu: sedulò inquire omnia peccata & quære quantum debeant, id est, quàm multa & grauia sint. Tunc tu ipse sede & si nôsti, scribe ea in chartam vt confiteri absque obliuione possis. Laudatus est idcircò villicus à Domino, quòd prudenter egisset. Laudaberis & tu à tuo confessario, si sedulò te pararis. Docet hoc etiam Dominus in hodierno Euangelio. Nam de monte oliuarum ingrediens Ierusalem, priùs transijt vallem Iosaphat interiacentem. Deduc igitur animam tuam in vallem Iosaphat, id est, Iudicij proprii, (siquidem in eâ valle iudicium extremum fiet) antequam ingrediaris templum & eiicias vendentes & ementes per confessionem. Modò ea vallis est vallis misericordiæ, ad radicem montis oliuarum posita, & salutare eius iudicium. Quòd si hoc detrectes, rapieris aliquando vi ad eam, cùm erit vallis iustitiæ, nec amplius inuenies ibi oliuas misericordiæ, vtpote iam exterminatas in vniuersali mundi excidio. Vide Apostolus 1. *Cor. 11. Si nos ipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur.*

D. III. De Contritione.

TERTIA acies obsidet contritionis actum, id est, dolorem de peccatis, eorumque detestationem ac propositum emendationis. Ea verò est amor & complacentia peccati, consuetudo peccandi, duritia cordis, desperatio emendationis, &c. Hoc agmine persequitur cacodæmon fugientem à se hominem, sicut Pharao fugientem Israëlem. Hinc tam siccæ pleræque sunt confessiones, sine singultibus, sine dolore, sine proposito firmo emendationis. Hinc confessitij lateres sæpe lauant, dum confitentes abluunt. Sed perrumpenda est hæc acies & milites militibus opponendi.

1. Agnosce inprimis bene peccata tua & pone ca in trutinam. Quid diceres si te quis ita offendisset, vti tu Deum & proximum? quid diceres?

2. Secundò, indue tuis sceleribus alium, quemadmodum Nathan fecit Dauidi, proponendo ei peccata sua, quasi alius ea fecisset, & vide num ea in illo probares.

3. Tertiò, Cogita dulcedinem peccati, quæ te retinet, desituram aliquando in amaritudinem, & fore tempus, quo peccata tua intueri non audebis, sed cane peiùs & angue detestaberis; quemadmodum citò expertus est Amnon, qui post expletum incestum cum sorore, vehementiùs eam odisse cœpit, quàm priùs vnquam amârit.

4. Quartò, Quantam simul pœnam sustineas per remorsum conscientiæ, timorem iudicii & gehennæ: adeoque peccati delectationem esse dulce quoddam venenum.

5. Quintò, Si necdum emolliri sentias cor, incipe dolere vel hoc ipsum, quòd dolere de peccatis nequeas, quòd tam durus sis ad pœnitentiam, tam facilis ad peccandum. Dic cum Dauide: *Quis dabit capiti meo aquam & plorabo die ac nocte?* percute cor tuum pugno, vt Moyses petram virgâ: quis scit, si prodeant inde lachrymæ? Ex lege quidem iubebatur mulier pluri-

purificanda offerre Sacerdoti agnum & turturem pro peccato: quòd si tamen non inuenisset manus eius, nec potuisset offerre agnũ, debebat offerre saltem duos turtures vel pullos columbarum *Leuit.* 12. Turtur vel columba gemitum significant: quòd si igitur veram contritionem in te excitare & Deo immolare nequeas, excita attritionem in confessione & geme ac dole, quòd tam durus sis ad compunctionem. Etenim *ante oculos Dei nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bonâ voluntate,* inquit S.Gregor. *hom.* 5. *in Euang.* Ostende etiam hanc tuam duritiem confessario: vt ab illo iuueris ad verum dolorem concipiendum.

E. IV. De Confessione. 1. QVARTA Acies obsidet confessionem, estque pudor reuelandi peccata, & timor correctionis vel satisfactionis, &c. Obiicit hæc acies Primò, conseruandum esse bonum nomen; siquidem *melius est quàm diuitiæ multa,* *Prouerb.* 22. & licet confessarius ipse secretum seruare teneatur; magni tamen facienda est iactura bonæ opinionis apud illum, præcipuè si sit vir grauis. Sed respondetur, exiguam hanc confusionem, liberare nos ab æternâ illa confusione, quâ in extremo iudicio afficeremur, si nunc peccata tegeremus. Pereat ergò temporalis honor, modò seruetur æternus; si enim venenum haustum euomere erubesceres coram alijs, quamuis absque tormento & confusione non posses: nónne stultus fores? quanto maior stultitia, nolle peccati venenum euomere ad vitam animæ conseruandam? Nam *cùm tu ipse* (vt ait Origenes) *teipsum accusas & confiteris: simul euomis delictum atque omnem morbi tui digeris ac reuiis causam & mox sanus & quietus euadis.*

Deinde confitendo peccata, gloriam tibi maiorem paris quàm confusionem. Si qua enim confusio est confiteri, coram confessario tantùm est, qui solus confessionem excipit. Atquî apud eumdem maiorem confitendo paris tibi gloriam, quàm sit illa confusio; nam dum apertè & synceré confiteris, agnoscit & deprehendit te fieri vel factum esse filium Dei, qui priùs eras filius diaboli: & illud certiùs nouit, quàm istud. Quòd enim fueris aliquando seruus diaboli, id ex auditu tantùm & relatione tuâ credendo tenet: quòd verò nunc sis vel fias filius Dei, id coràm intuetur; videt enim & audit pœnitentiam & humilitatem tuam. Iam verò à natura insitum est homini, vt auditis parum, visis verò multùm moueatur. Etenim si audiamus in prælio plurimos cecidisse, parum id curamus: sed si vel vnus coram nobis occidatur, plurimùm commouemur. Certior itaque confessarius est de confitentis pœnitentiâ & gratiâ, quàm de malâ eius vitâ. Sed demus parem esse vtriusque rationem, quid obest tibi si te sciam fuisse aliquando peccatorem, modò autem esse iustum & cœli hæredem, Angelorum ciuem? Quid obest Magdalenæ, quod sciamus eam fuisse aliquando peccatricem? Matthæo, fuisse publicanum? Nihil prorsus. Verissimè igitur Ecclesiasticus *cap.* 14. ait: *Pro animâ tua non confundaris dicere verum; Est enim confusio adducens peccatum & est confusio adducens gloriam.* Talis autem est confusio confessionis.

Obiicit secundò, non esse præbendum malum exemplum aut scandalum confessario. 2.
Quemadmodũ enim Martha, quamuis vitam fratris Lazari desideraret, quando tamẽ Christus iussit tolli lapidem sepulchri, in quo ille iacebat, vt eum resuscitaret: illa conata est impedire dicendo; *Domine iam fœtet, quatriduanus est enim.* Sic caro nostra resistere conatur manifestationi peccatorum, sub prætextu fœtoris, id est, mali exempli, quo offendi posset confessarius. Verùm quemadmodum Christus nihil motus est hac obiectione, sed detegi Lazarum voluit, quia sciebat fœtorem illum citò abscessurum: ita non est timendum ne malo exemplo confitentis offendatur confessarius; citò enim tolletur malignus ille odor. Nullum mortuum Dominus suscitauit absens: similiter absolutio non habet vim in absentes; præsentia requiritur, vt suâ confusione pœnitens sanetur.

Hinc eadem illa acies suadet mutare confessarium, & omisso prudente, serio & noto, accedere ad ignotum & simplicem. Sed hi inprimis malè sibi consulunt. Quis enim in suâ ægritudine non malit vti medico, cui perspecta est eius complexio & ratio morbi, quàm alieno, qui nondum ista nouit? Deinde magnus hypocrita videtur esse, qui in eâ te, quæ ad humanam superbiam destruendam instituta est, honorem quærit & existimationem. Hoc autem facit, qui grauia peccata ignoto confitetur; vult enim apud notum suam conseruare existimationem. Cæterùm non negandum in quibusdam casibus expedire, confessarium mutare; sed si ob dictam causam tantùm fiat, obest.

QVINTA Acies sunt obstacula, quæ impediunt, ne sancta communio ritè & cum fructu fiat. In eâ acie stant primo, Peccatum mortale cum primis amouendũ. Quemadmodũ enim Israëlitæ non acceperunt manna, donec ex Ægypto discederent rubrumque mare traijcerent, in quo ita omnes eorum hostes submersi sunt vt nec vnus quidem superfuerit ex eis: ita diuinus hic cibus non priùs peccatoribus datur, quàm malum suum statum deserant omnesque iniquitates in pœnitentiæ mari demergant. F. V. De obstaculis dignæ communionis. 1.

Secundò, Peccata venialia etiam & affectus inordinati erga creaturas. Hi enim solent impedire gustum & suauitatem illius mannæ. 2.
Atque vt manna antiquum non fuit datum Hebræis statim ac mare rubrum transierunt, sed postquam tota farina, quam ex Ægypto secum attulerant, erat consumpta: ita qui affectus inordinatos erga peccata secum adhuc fert post peractam pœnitentiam, non mirum, si huius mannæ (Eucharistiæ) gustum non experiatur, vtpote aliarum rerum gustu iam præoccupatus.

Tertiò

3. Tertiò, Distractiones cordis & mentis euagationes, quæ & ipsæ impediunt gustum communionis. De his intellige, quod scribit Sapiens. *Prouerb.* 13. *Quando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam & statue cultrum in gutture tuo:* q.d. attende tibi, cogita cum quo sedeas, quid sumas: diuide id cultro meditationis & mortificationis distractionum tuarum, &c. Denique sede, cum quiete videlicet corporis & animæ, cum decentiâ & reuerentiâ, &c.

4. Quartò, Mundus seu pompæ & vanitates eius, quæ tempore communionis præsertim amouendæ. Humilis enim Christus in Eucharistiâ cum humilibus vult conuersari; & coram ipso nemo magnus est, nisi qui magis humilis.

5. Quintò, Caro, quæ & ipsa refrænanda, Primò, quoad gulam, vt omninò ieiunus ab omni cibo & potu accedas. Decet enim vt cibus animæ præcedat cibum corporis. Secundò, quoad immunditiam, ita vt à præcedente nocte nulla præcesserit culpa, quæ corpus & animam maculet. Imò suadent Sancti abstinere à communione, quando aliquid eiusmodi etiam sine culpâ præcessit.

6. Sextò, Dæmon eiusque tentationes non solùm circa fidem huius Sacramenti, sed etiam circa intentionem communicandi. Noli quærere vanam gloriam, neque etiam propriam delectationem, sed Dei gloriam & vnionem cum eodem & proximis tuis: peccatorum tuorum veniam, tentationum victoriam, præseruationem à lapsu, augmentum in virtutibus & perseuerantiam in gratiâ.

CONCIO II.

Anima fidelis quomodo asinus esse debeat præsertim in communione.

Primò quantum ad fidem.	*professionem.*
2. *Quantum ad modestiam.*	4. *Quantum ad venerationе S. Eucharistiæ.*
3. *Quantum ad crucis*	5. *Quoad mansuetudinem & patientiam.*

THEMA.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum. Matth. 21.

A MYsterio non caret asinus hodiernus, in quo sedit Christus; designat enim animã fidelem, quam per suos discipulos solui iubet Christus in Sacramento pœnitentiæ; nec impedire id potest dæmon, *quia Magister dicit.* Ea porro adducitur Christo cùm pergit ad Sacram communionem; sternitur vestimentis, dum virtutibus adornatur huic actui competentibus; in ipsâ demum communione suscipit in se Christum veluti sessorem. Ergo, Auditores, anima fidelis, in S. communione asellus Christi est. Neque hoc absurdum existimate; quando Dauid, magnus ille Rex dicere non erubuit *Psal.* 72. *Vt iumentum factus sum apud te.* Et. S. Hieronymus in *Ps.* 75. exclamare non dubitauit: *O si nos essemus equi Dei, & super nos dignaretur Deus ascendere!* Scimus etiam ex eodem Hieronymo, S. Hilarionem suam carnem appellasse asinum. Et in Vitis Patrum. *l.* 5. *c.* 15. legimus Abbatem Nesteronem quando intrauit monasterium, sibimet dixisse: *Tu & asinus vnum estote.* Quod ipsum etiam nos, cùm accedimus inprimis ad S. Communionem, iure nobis dicimus; vti mox audiemus.

Primò, Asinus est animal simplex & rude, B. I. Quantum ad fidem.
si quod vllum; vnde stolidos & rudes vocare solemus asinos. Quod si probrum est apud homines, non tamen apud Deum, cùm id credendum est; quod intelligere non possumus. Quoniam ergò in mysteriò Eucharistiæ vires humanæ intelligentiæ superante, fides inprimis exercenda est, rectissimè faciemus, si nos asinos, id est, rudes & ineptos ad tantam rem intelligendam fateamur, solique Dei omnipotentiæ innitamur; vti faciebat Dauid in rebus difficilibus, qui *Ps.* 70. ait; *Quoniam non cognoui literaturam* (alij legunt, *numeratione*) *introibo in potentias Domini.* q.d. quia non intelligo literas & numeros, adhærebo omnipotentiæ Dei, in eam introibo quasi in arcem munitissimam, in eâ conficiam & abscondar. Dicamus & nos in proposito: Quoniam sum asinus nec noui res diuinas legere aut numerare, idcircò introibo ad altare Dei, confisus eius omnipotentiæ. Ferunt coruum asino infestum pugnare contra eum & morsu impetere oculos eius. Sed asinum iuuat inprimis oculorum profunditas, deinde aures longiores, quibus se defendit. Geminianus ex Aristot. & Auicen. *de rerum similitud. l.* 4. *c.* 61. Ita prorsus stygius coruus homini infensus, oculos eius spirituales impetit; fidem scilicet, quâ homo intuetur ea, quæ supra se sunt & rationẽ, quâ videt ea, quæ infra se sunt. Sed iuuat hominem inprimis oculorum profunditas, id est, humilis & profundè fundatus intellectus, deinde auditus fidei. Si nimirum dæmon obiiciat tibi visum quasi testificantem non esse ibi corpus Christi: obiice tu auditum, qui docet hoc certissimâ reuelatione credendum Si dicat ratione ista non posse inuestigare aut comprehendere: dic tu fidẽ debere & ea credere.

Secundò, Est animal humile, simplici incedens gressu, capite & oculis in terram demissis, non erectis & circumspicientibus, vt C. II. Quantum ad modestiam.
solent equi ingredi: nec phaleris adornatur, nec vt equi terso & nitido prodit corpore. Ita anima Christiana humiliter incedat, maximè ad communionem oculis in terram deiectis, vtpote memor adhuc peccatorum suorum tametsi dimissorum: quemadmodum publicanus ille; & sicut faceret adultera, cùm recepta in gratiam mariti, prodiret in eius conspectum. Summa: communicaturus cogitet se asinum & nihil esse coram Deo. Deinde cultum externum ita moderetur, vt nõ nisi ad honorem Sacramenti aliquem adhibeat; & si is non suppetat, ne solicitè quærat. *Omnis enim decor filiæ Regis ab intus,* ait Dauid loquens de sponsâ Christi *Psal.* 44. Humilis Rex noster humi-

humiles quærit sponsas : Vestium superbia fætet coram eo; quemadmodum de Vespasiano Imp. scribit Suetonius, dixisse eum iuueni cum vnguento fragrantia ad se accedenti; *Maluissem allium oluisses*. Idem ostendit angelus ille qui transiens iuuenem comptum sella aurea equitantem nares occlusit : transiens verò cadauer fœtidum minimè occlusit dicens, hominem superbum magis fœtere coram Deo quàm quoduis cadauer coram hominibus. Antonin. *p.* 4. *Summa*. *t.* 14. *c.* 6. §. 1. Reprehendit hunc cultum DEVS in filiabus Sion per Isaiam. *c.* 3. *pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion*, ait, *& ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorū ibant & plaudebant* (vestium strepitu scilicet) *ambulabant pedibus suis & composito gradu incedebant : decaluabit Dominus verticem filiarū Sion*, &c. Hinc à Zacharia *c.* 9. & Matthæo. *c.* 21. opponitur eis exemplum Christi in humili ingredientis asino: *Dicite filiæ Sion*, ait Matthæus; *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*. q. d. quàm dissimilis tibi.

D. III. Quantum ad crucis professionem. TERTIÒ, Crucem in dorso gestat nigrā expressam lineā. Sic decet Christianum ferre semper in corpore suo crucē velut characterem Christi, per quem agnoscātur esse seruus eius. Gerunt hanc in coronā Imperatores, in tiarā Episcopi, in pileo quadrato clerici:
1. eandem in fronte suā crebrò depingunt Laici.

2. Secundò, Vt non confundamur, sed parati simus semper pro & cum Christo pati quæuis aduersa, quod monet Apostolus ad Hebr. *c.* 13. *Exeamus ad eum*, inquit, *extra castra, improperium eius portantes*.

3. Tertiò, Vt ad exemplum & imitationem Christi, corpus nostrum mortificemus; prout etiam monet Apostolus 2. *Cor.* 4. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes*. Quemadmodum enim Iosue calcauit & crucifixit 5. Reges, qui ingressum eius in terram promissam impedire conati sunt, *Ios.* 10. ita etiam 5. Sensus nostri, qui suis illecebris circumsident & oppugnant nos impediuntque à conuersione & dignā communione, calcandi, mortificandi & crucifigendi sunt, vt exponit ibi Origenes *hom.* 11.

4. Quartò, In corde per iugem memoriam passionis Domini, quod præsertim faciendum in sumptione Eucharistiæ, quæ in memoriam passionis eius instituta est, iuxta id Domini: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quod explicans Apostolus 1. *Cor.* 11. ait *Quotiescūq; manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (Syrus vertit; *in memoriam reuocabitis*.) Decet enim nos tunc meminisse testamenti Christi & redemptionis nostræ, quæ per eius mortem consummata sunt. Adhæc sicut tradit se nobis Christus in escam per Sacramentum, ita tradidit se pro nobis morti in escam : Vt eā inescatam velut hamo caperet. Hinc absque dubio vt in ipsā communione memores essent fideles Crucis & passionis Domini, olim manibus in Crucis figuram compositis suscipiebant corpus Christi, vt habetur in Synodo Trullanā, *c.* 101. Nunc verò Sacerdos porrigens Eucharistiā, cum eā crucem efformat & communicanti benedicit inquiens: *Corpus Domini nostri Iesu Christi*, &c.

QVARTÒ, Visum est hoc animal non semel venerari S. Eucharistiam. Primò in vitā S. Antonij de Paduā legitur mulus ad imperium viri sancti genibus flexis adorāsse Eucharistiam ad conuincendos & confundendos hæreticos, qui honorem ei detrahebant; vt alibi recensui. Aliud exemplum narrabant pro concione primi Societatis Iesu Patres, anno 1537. scilicet paulò ante in pago agri Taruisini, cui Salzanum nomen, Laurentium quemdam Sacerdotem cùm cælestem Eucharistiæ panem ad ægrotum sine pompā comitatuque deferret, asellos quosdam extra oppidum offendisse; qui cùm presbytero occurrissent, veluti sentirent, quod ille deferret, ex vtroque viæ latere repente discreti procubuerunt in genua. Sacerdotem vero ipsum vno puero comitatum, rei nouitate attonitum, medium inter mites ambulasse quadrupedes, eas verò quasi pompam ducerent præeuntem fuisse securas, & presbytero in ædes ingresso, cōstitisse pro foribus; nec inde priùs abiisse, quàm is ab ægro reuersus, eas ad sua pascua cum benedictione dimitteret. Id multis testibus diligenter interrogatis, in publicas relatum est tabulas, & inde ortam in honorem tanti mysterij sodalitatem ferunt. Ita Histor. Soc. Iesu. *to.* 1. *l.* 2. *n.* 17. Docuit per hos asellos Deus quantā reuerentiā, quo cultu & deuotione suscipere & comitari debeamus S. Eucharistiam; quemadmodum olim per os asinæ docuit Balaamum. E. IV. Quantum ad venerationem S. Eucharistiæ. *Vide in P. Trinit.*

QVINTÒ, Est animal mite & patiens verberum, oneris, inediæ. Et talis esse debet anima Christiana; portet primò Dominum suum, vti monet Apostolus 1. *Corinth.* 6. *Glorificate* [illegible] *Deum in corpore vestro*. In quē locum [illegible] Thomas : *Debet corpus vestrum portare Deum, sicut equus vel aliud animal portat dominū suum*. Patitur enim se regi à Domino, onerari, premi, cædi. Ita Christianus præsertim in communione dicat cum Dauide. *Vt iumentum factus sum apud te*; Et cum D. Thoma. *Dominus meus & Deus meus*. Rege me inposterum pro tuo beneplacito, onera legibus tuis, preme oneribus, cæde flagellis. Audi Bernardum in *Psal*. Qui habitat. *serm.* 7. *Glorificate dilectissimi*, inquit, *& portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suaue pondus, sarcinam salutarem, etiamsi premere aliquando fortè videtur, etiamsi interdum latera tundit & flagellat recalcitrantē, etiamsi aliquādo in chamo & freno maxillas cōstringit & coërcet omnino faliciter, esto vt iumentum*. Et mox: *Quis enim nō illi iumento plurimū inuideret, cuius in humili tergo ad commendationē ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Saluator: si cū illius tā pretiosi oneris gestatione intelligentiā quoq; tam singularis habuisset honoris? Vt iumentū igitur esto, minimè tamē iumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens. Sapienter & delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quàm propriam vtilitatē*. F. V. Quantum ad mansuetudinē & patientiam.

Neque solùm patienter gestandum, sed & glorificandum Dominum vult Apostolus. Glorificamus autem eum cùm cautè ambulamus *non quasi insipientes, sed vt sapientes*, vt idem alibi monet. Non aspergenous Dominus fœdarum cogitationum, verborum, actuum sordibus: nec cum tanto Domino in lutum pristinæ conuersationis intrandum; (nam enim ob causam in hodierno Euangelio vestimenta prosternebant in viâ, vt Dominus super ea inuectus, non fœdaretur sordibus,) non excutiendus mortifero peccato, nec post ipsum admittendus in tergum nostrum hostis eius. De S. Ioanne Papâ Primo scribit S. Gregorius *lib. 3. dial. cap. 2.* Cùm ei nobilis vir ad Corinthum equum, quo eius vxor mansueto vtebatur, itineris causâ commodasset; factum esse vt Domino posteà remissus equus ita ferox euaderet, vt fremitu & totius corporis agitatione semper deinceps Dominam expulerit: tanquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo IESV Christi Vicarius. Quamobrem illi equum Pontifici donauerunt. Romæ etiam asello, qui aliquando gestauit Venerabile Sacramentum, (vt solet fieri in perigrinatione Pontificis) nemo deinceps hominum insidet. Hunc in modum & nos postquam in nos suscepimus Christum, Christo adhæreamus, nec admittamus ampliùs siue carnem, siue dæmonem nobis imperantem. *Tanquam Leones*, ait S. Chrysost. homil. 61. ad pop. Antioch. *ignē spirantes ab illâ mensâ recedamus, facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes.* Et homil. 4. *ad Baptiz. Qua*, inquit, *venia nobis dabitur, imò verò qua supplicia non perpetiemur; quando linguam nostram, quâ Dominicam carnē degustauimus, linguam efficimus diaboli?* Idem dic de toto corpore, cum Apostolo videlicet: *Tollens membra Christi, faciam membra meretricis? absit.* 1. Cor. 6. Ine... Antiochi Centaretrus Galata cùm Re[gem] in prælio occidisset, conscendit; quo facto, visus est equus sentire tergo suo domini hostem insidere. Itaque dentibus apprehenso fræno, ita vt nullâ iam ratione habenis regi posset, ad altissimum saxum citato cursu contendit, atque ab eo se, insidentemque simul hostem præcipitauit, suâ domini sui mortem vltus, Refert Bapt. Fulgos. *l. 5.* Hunc in modum tu qui equus & iumentum Christi factus es, noli in te recipere hostem eius: excute eum, quàm primùm in te inscendere voluerit. Proiice te in Christum eiusque implora opem: præcipitem te da in abyssum inferorum per gehennæ meditationem, &c. Hæc si obseruemus, fiet vt asinus cum sessore, id est, nos cum Domino nostro ingrediamur summo honore & sanctorum congratulatione in cœlestem Ierosolymam.

CONCIO III.

I. Pia Christianorum exercitia per hebdomadem sanctam.

1. *Seuerius ieiunare his diebus decet Christianos,*
2. *Abstinere à profanis delectationibus.*
3. *Expiare peccata.*
4. *Seponere nonnihil opera seruilia.*

THEMA.

Omnis anima, quæ afflicta non fuerit in die hac peribit de populis suis. Leuit. 23.

Solenne Iudæorum festum erat, Festum expiationis, cui apud nos Christianos respondet Dies Veneris Sanctus, imò tota sancta hebdomas, quam hodie ordimur. Huius enim typus & delineatio fuit Vetus illa expiatio; in quâ primò offerebat summus sacerdos ante ingressum in Sanctuariū, vitulum vnum. Deinde seniores populi offerebant Sacerdoti duos hircos pro peccato, quorum vnus (dictus Emissarius) liber emittebatur in solitudinem, alter mactabatur: missa priùs super eos sorte, vter emittendus, vter occidendus esset. Adnæc illo die expianda erant Iudæis totius anni peccata, lacrymis, ieiunio aliisque operibus. Ita enim *Leuit. 16.* dicitur: *In hac die expiatio erit vestri atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini: Sabbatum enim requietionis est & affligetis animas vestras religione perpetuâ.* Et Leuit. 23. *Omnis anima quæ afflicta non fuerit in die hac, peribit de populis suis.* Nôstis verò Auditores, hac sacra septimana obtulisse Christum Dominum summum Sacerdotem vitulum humanitatis suæ antequam ingrederetur in sanctuarium cæleste. Nôstis & à senioribus populi oblatos duos hircos pro peccato, Barabbam pro proprio, Christum pro alieno, & quidem sorte super eos missâ, Barabbam dimissum esse, Christum verò occisum. Nôstis & in Christo hircum diuinitatis nihil esse passum adeoque neque mortuum: Solum humanitatis hircum mortem pertulisse. Nôstis denique hanc hebdomadem institutam esse ab Ecclesiâ ad expianda totius anni peccata. Quid igitur nunc superest, nisi vt dies istos sacros piis transigamus exercitiis & affligamus nostras animas; Id verò quâ ratione faciendum, nunc videamus.

B. I. *Acta Iudæorum in Festo Expiationis.*

Quatuor potissimùm studia erant Iudæorum in die Expiationis. Primò ieiunare vsque ad vesperā soliti erant, vt tradit Iosephus, *l. 3. Antiq. c. 10.* Secundò omnis delectatio vetita illis erat, vt colligit Abulensis in *Leuit. 23. q. 22.* ex eo quod iuberentur à lege affligere animas suas. Vnde abstinebant à potu, vxoribus & balneis; vt Hebræi tradunt & seruare dicuntur adhuc. Tertiò, calceos exuebant & absque iis incedebant, vt iidē tradunt. Deniq; ab omni opere cessabant, vti in Sabbatho. Vocatur enim *Sabbatum requietionis, Leuit. 23.* Eadem si nos, fed Christiano more, obseruemus, ritè & fructuosè dies istos peragemus.

Primò,

I. *Ieiunium rigidius.* Primò, seueriùs ieiunare decet nos his diebus, aliisque mortificationibus carnem affligere, tum vt Christo passo conformes aliquo modo fiamus & in nobis vel leuiter sentiamus, quod ipse in se sensit; tum vt per hæc Deum nobis meritò iratum placemus, peccataque expiemus. Fecerunt sanè istud antiqui Christiani, vt testatur S. Chrysostomus *hom. 30. in Gen.* Vbi ait: *Nunc fideles & ieiunium intendũt, & Vigilias & pernoctationes sacras & eleemosynas faciunt, vt hebdomada huic honorẽ habeãt.* Rursum *hom. in Hebdom, sanct. to. 5. Græca edit.* scribit. *Quapropter in eâ multi studia intendunt. Alij ieiunia maiora faciunt; alij sacras vigilationes: nonnulli eleemosynas largiores exercent. Alij bonorum operum studio, maiorequè viuendi pietate, beneficentia diuinæ magnitudinem, quasi contestatã faciunt. Quemadmodum enim, cùm Lazarum excitauerat IESVS, omnes, qui in Hierusalem erant, illi occurrerunt, multitudinequè testati sunt, mortuũ ab eo ad vitam reuocatum, officiositasque ipsa occurrentium, quasi assertio miraculi fuit, ita vestra quoque studiosa sedulitas in hac hebdomadã magnã, quasi testis est, quàm magna ipsa & quàm multa bona in eâ Christus fecerit; non enim hodie ex vnâ ciuitate egredimur occurrentes Christo; neque ex Hierosolymis solùm, sed ex vniuerso orbe innumerabiles vndique Ecclesiæ prodeunt; vt occurrant IESV, nõ cum ramis palmarum, vt eos in viâ substernant, sed cum eleemosynâ, humanitate, virtute, ieiunio precibus, peruigiliis; ac omni denique pietate, vt ea Domino offerant.* Et S. Epiphanius hæresi 75. *In diebus,* inquit, *paschatis quando apud nos fiunt humicubationes, castitates, afflictiones, siccorũ esus, preces, Vigiliæ, ieiunia & omnes animarũ salutes per sanctas afflictiones.* Et in fine eiusdem libri: *Sex dies,* inquit, *qui pascha antecedũt in Xerophagia,* hoc est, aridorum esu, *consumũt omnes, vtentes pane, sale, & aquâ sub vesperam. Sunt qui biduum, triduum, quatriduum, imò & totam hebdomadẽ vsque ad galli cantum illucescentis Dominicæ paschalis ieiunent.* Idem testatur Dionysius Alexandrinus apud Baron. anno 34. Vixit autem Epiphanius & Chrysostomus quarto sæculo: ille circa annum Domini 370. hic circa annum 398. Dionysius Alexandr. tertio sæculo circa annum 250. Speciatim verò dies Veneris & Sabbati huius hebdomadis rigidiore ieiunio colebantur. De die Veneris ait Canon septimus Concilij Toletani 4. *Quicumque in die passionis Domini ieiuniũ, præter paruulos, senes & languidos, ante peractas indulgentiæ preces soluerit, à paschali gaudio depellatur, nec in eo Sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis eius non honorauit;* vt vel ipse Hospinianus Caluinista citat, apud Gretſ. *l. 1. de Festis c. 24.* De die Sabbati Sancti extat Canon 89. Trullanæ synodi, præcipientis ieiunium illius diei non soluendum ante mediam noctem. Tametsi verò hi Canones exoleuerunt, decet tamen nos pro viribus antiquorum Christianorum pietatem imitari; id quod multi etiamnum faciunt, qui biduo vel triduo ieiunant, à tempore mortis Christi vsque ad tempus resurrectionis. Certè eos qui ob legitimas causas carnium esu per Quadragesimam gauisi sunt, hac septimanâ cessare decet, nisi grauis admodum obstet necessitas; idque vsu receptum est.

C. II. *Abstinentia à profanis delectationibus.* Secundò, Abstinere conuenit à sæcularibus & profanis delectationibus, pompis, ludis, compotationibus; symphoniis profanis, aliisque rebus ludicris, ob memoriam passionis Domini cuius mortem lugent nunc iure merito omnes fideles. Obseruauit hoc inprimis Carolus Magnus qui eo tempore ita cauere sibi à voluptate & omni exterâ solicitudine consuerat, vt Weckkindus Saxonum Princeps miraretur, quid tam potentem Imperatorem adeo posset contristare. Deflebat enim peccata sua velut passionis Christi causam, & lachrymis fundebat compassionis, condolens tam grauibus Dei ac Domini nostri tormentis. Crantzius *in metrop. l. 1. cap. 9.* S. Elisabetha Regis filia & Thuringiæ Princeps die parasceues imperabat ancillis domesticis, vt neglectis omnibus munditiis vrbanis, nullum sibi honoris aut venerationis cultum exhiberent, nulla genu poneret, nulla quasi Dominam agnosceret, quòd illis diebus supremus mundi regnator Deus omnibus modis abiectus infami cruce occubuisset. Raderus *in Bau. Sanct. to. 1.* S. Bernardus *ser. 4. hebdomadæ pœnosæ: Vniuersi,* inquit, *Christiani hac septimanâ aut præ solito, aut præter solitum pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt grauitatem; vt Christo patienti quodammodo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus vt non compungatur? quis tam insolens vt non humilietur? quis tam iracundus vt nõ indulgeat? quis tam delitiosus, vt non abstineat? quis tam maliciosus vt non pœniteat his diebus?* Certè in more habent magni Principes, præter morem, hac hebdomade se demittere ad lauandos pauperum pedes, ad epulas iisdem ministrandas, vti inprimis Summi Pontifices, Reges Galliæ, & passim Episcopi ac Prælati. Multorum etiam laudabilis consuetudo est, vt die Veneris sacro degustent fellis amarorem, ad memoriam fellis Christo oblati. Alij crucibus se onerant, alij flagelli se concidunt, alij in crucifixi formam brachia expandunt, &c. denique communiter omnes solitis mundi solatiis & carnis illecebris se interdicunt.

D. III. *Peccata expianda.* Tertiò, Exuendi calcei, more Christano; peccata scilicet, per pœnitentiam. Scimus Moysen à Deo ex Rubo ignis vocatum ad montem Horeb hac voce: *Moyses, Moyses;* Et cùm is subitò appropinquare ad Rubum vellet; ab eodem audiuisse: *Ne appropies hic; solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est. Exod. 3.* Vocamur & nos hoc tempore à Christo, per Ecclesiam velut eius vocem, vt spectemus ignem in Rubo, hoc est, Christum spinis redimitum in Cruce: Vocamur vt spectemus eumdem in Eucharistiâ velut in amoris Rubo, imò vt cũ ipso epulemur in sancta communione. Verùm ad hoc necesse est, vt exuamus calceos operum mortuorum & carnalium affectuum, quibus velut calceis terram contingimus. Hoc autem fit per pœni-

pœnitentiam;quod etiam indicauit Dominus dum ante institutionem & distributionem Eucharistiæ lauit pedes discipulorum; vt câ re indicaret, communicaturis purificandos esse affectus animi, nec non sæculares curas ac cupiditates abiiciendas.

Præterea calcei exuendi, hoc est, rationes humanæ & proprius ac carnalis sensus circa mysterium S. Eucharistiæ eiusque perceptionem. Prohibitus est Moyses accedere ad rubum, quia curiosè & parum religiosè ad scrutandum mysterium ignis in rubo voluit pergere, iussus proinde est ponere calceos, vt reuerentiam exhiberet diuinæ maiestati, vtque magnâ animi demissione audiret diuinum oraculum; quo fine etiam Iosue idem facere iussus est, *Iof.* 5. Ergò accedens ad sanctam Eucharistiam exuat ratiunculas & argumenta à sensibus nostris ducta, quibus cœlestia metiri & quandoque calcare volumus. Adeat cum humilitate,ex obedientiâ erga Ecclesiam, quæ hoc potissimùm tempore præcipit communionem. Nudis pedibus incedere olim seruorum erat: tales nos appareamus in conspectu Christi, vt serui inquam, non vt domini. Adeamus cum veneratione, remouentes à nobis, quidquid lutosum & oculis Dei indignum est.

E. IV. Seponenda nonnihil opera seruilia.

QVARTÒ, Vacandum ab operibus seruilibus, saltem in tantum, vt vacare vnusquisque deuotioni nunc requisitæ possit, ita nimirum vt non solùm patres & matres familias, sed eorum etiam familiares seu domestici ab hoc non impediantur. Sanè ob eam causam olim tota sancta hebdomas, nec non quæ sequitur Paschatis, solennis & festiua fuit; vt habetur in Constit. S. Clementis *lib.* 8. *cap.* 33. vbi SS. Petro & Paulo ea constitutio adscribitur: *Magnâ hebdomade totâ & ea quæ hanc sequitur ferientur.* Adhæc Iure Canonico *c. Conquestus Extrau. de Feriis* præcipitur vt dictis 14. diebus *Omnis iudicialis strepitus conquiescat, nisi necessitas vrgeat vel pietas suadeat.* Idemq; in iure Ciuili & Codice Theodosij confirmatur. Hinc S. Chrysostomus homil. in magnam hebdom. cit. ait: *Non nos solùm hanc hebdomadem veneramur, sed & imperatores nostri orbis. Neque id leniter, & perfunctoriè, sed vacationem ciuitatum Magistratibus concedunt, vt liberi ijs curis, omnes istos dies in spirituali cultu absumant, ideò & tribunalium ianuas occluserunt: cesset, inquiunt, omnis controuersia, & contentions, & pœna species, ferientur aliquantisper carnificum manus, in communene ad omnes pertinent bona, quæ Dominus fecit; fiat & aliquid boni à nobis seruis. Neque hoc solùm honore eam venerati sunt, sed & alio nequaquam hoc inferiore. Imperatoriæ literæ emittuntur, quibus edicitur, vt incolæ carceris catenis exsoluantur, vt quemadmodum Dominus noster, cùm apud inferos esset, omnes detentos à morte liberauit, ita & serui pro viribus, quod possunt, conferentes, quò imitatores sint misericordiæ Dominicæ, eximant detentos è vinculis sensibilibus, cùm spiritualibus nequeant.*

Grauiter igitur errant & à maiorum auitâ pietate deuiant, qui sacratissimam hanc hebdomadem in nouis vestibus parandis, in domo & supellectile mundandâ, in coëmendis & apparandis carnibus consumunt. Conscientia mundanda, virtutum vestes parandæ, pascha nostrum Christus immolandus, meditandus & comedendus est. Magna ista sunt, totum requirunt hominem. Certè Mater nostra Ecclesia totam se his diebus conuertit ad memorandam & plangendam nobisque inculcandam Domini nostri passionem. Quod etiam de eâ prædixit Zacharias *cap.* 12. dicens *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon.* Planctus iste erat super Iosiam, Regem optimum, cæsum à Pharaone in campo Mageddo. Ita ergò Ecclesia plangit mortem Christi, eique varis cæremoniis iusta quasi persoluit & parentat, simul etiam monens propter peccata nostra Christum crucifixum. Reipsâ enim cum Ieremia (qui in Spiritu præuidit Christum à Iudæis occidendum, & propterea eum planxit ad finem suarum lamentationum) dicit illud Thren. 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Est autem Christus spiritus oris nostri. Primò, quia vt à spiritu viuificatur homo corporaliter: ita spiritualiter à Christi gratiâ. Secundò, quia sicut sidus Lunæ est quasi spiritus rerum sublunarium, dum ad eius incrementum ac decrementum, & ipsæ crescunt ac decrescunt, vti conchylia, sanguis in homine, frondes ac pabula, vt testatur Plinius *lib.* 2. *cap.* 99. ita vita & salus nostra à Christo pendet. Propterea nigris paramentis vestit & obuelat crucem & altaria: Sacerdotes in officio passionis Diaconorum tantùm vestes assumunt, quemadmodum & in Festo Expiationis olim Summus Sacerdos communibus minorum Sacerdotum vestibus vtebatur *Leuit.* 16. vt habitum lugentis & pœnitentis exprimeret. Ab officio feriæ quintæ ad officium Sabbati campanæ non pulsantur, vt suo silentio & ipsæ luctum edant, quo modo etiam astra luxerunt Christi mortem, dum lucem orbi subtraxerunt. Et propterea matutina triduana celebrat in tenebris, in quibus fragorem excitat ad designandũ cœli & elementorum commotionem factam in passione Domini: extinguuntur in iisdem plures paulatim candelæ ad demonstrandam Apostolorum fugam & Christi desertionem, quem vnica superstes repræsentat. Denudantur & altaria, vt recordemur Christum nudatum vestibusque spoliatum in crucem esse actum. Omnia ista clamant illud Ieremiæ: *Recordare paupertatis & transgressionis* (*Chald. amaritudinis*) *meæ, absinthij & fellis. Thren.* 3. Omnia hæc nobis vestigia passionis Dominicæ imprimere deberent. Memorabile exemplum scribit Thomas Cantiprat. *lib.* 2. *Apum c.* 35. de Martyre quodam qui captus à Gentili Tyranno, semper incessit gemebundus. Causam igitur tristitiæ cùm rogasset Tyrannus, respondit ille: *Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continuè in corde meo passionis eius stigmata*

Christus spiritus oris nostri.

stigmata porto. Quam vocem vt insanam, indignè ferens Tyrannus iussit ei cor euelli ac discindi: in eoque reperit imaginem Christi crucifixi. Vnde abiuratâ perfidiâ credidit in Christum. Gestum hoc credibile fit tum ex fide probati auctoris, tum ex aliis similibus, vti ex stigmatibus S. Francisci, ex imagine Crucifixi repertâ in corde S. Claræ de Montefalco, vti narrat oculatus testis Thomas Bozius *l.15. de sign. Eccl. c.3. to.2.*

Ergò Auditores, ne degeneres simus à maioribus nostris. Resumamus annuum luctum, & quasi anniuersaria communis nostri parentis parentalia celebremus. *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit in hac die, peribit de populo;* quia se prolem non ostendit optimi illius Parentis, &c.

CONCIO IV.

Præparatio proxima ad S. Communionem.

Docent turbæ hodiernæ quâ ratione & honore debeamus excipere Christū in Eucharistia venientem:
1. *In munditia cordis.*
2. *Cum fame & desiderio spirituali.*
3.4.5. *Cum reuerentia, humilitate, & gratiarum actione.*

THEMA.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Matthæi 21.

A. QVando intueor pompam Christi triumphalem in hodierno Euangelio, videre mihi videor eumdem Christum Dominum venire ad nos de cœlo in S. Eucharistia. Vtrobique enim video summam humilitatem summæ gloriæ coniunctam. Summa Christi humilitas claret, dum è monte Oliueti descendit Ierosolymam sedens super asinam: Summa interim gloria, dum obuiat ei turba, sternens viam vestibus & palmarum ramis, ingeminans *O sanna* &c. Quis vnquam Imperator triumphauit super asinam? & quis tanto honore interim exceptus est? Nunc videamus Christum venientem in Eucharistiâ. Nonnè ibi de cælo descendit ad nos in terram in exiguis sacramenti speciebus latens, nullo externo splendore conspicuus? Et interim tamen ante ipsum in Eucharistiâ existentem prosternuntur Reges & Pontifices cum Ecclesia vniuersâ. Propterea rectissimè dum consecratur & eleuatur S. Eucharistia canitur in Ecclesia idem ille hymnus, quem occinuit illi turba in priore illo triumpho: *Benedictus qui venit in nomine Domini O sanna in excelsis.* porrò quoniā hoc tempore ingreditur in corda nostra triumphator iste per S. Cōmunionē: Superest vt videamus quâ ratione, quo honore eū excipiamus. Id verò nos docebunt turbæ hodiernæ.

B. 1. Munditia cordis. PRIMÒ, Exuerunt vestes suas strauerunt que in viâ, quâ iturus erat Dominus, vtique ne sordibus & luto aspergeretur. Et quid sibi hoc vult aliud nisi vt cor nostrum, quo recepturi sumus Dominum, expurgemus ab omni inquinamento, non mortalium tantùm peccatorum (quod omnino necessarium) sed quantum fieri potest, etiam venialium, nec non affectuum inordinatorum ad pristina peccata: sensualium desideriorum; secularium cogitationum, & cuiuscumque terrenæ labis; vt ita non solùm cœlesti illi hospiti debitum exhibeamus honorem, sed & nos mereamur accipere ab eo cælestem hospitij mercedem. Cùm enim is puritatis amantissimus sit, quo fuerimus puriores, eo erimus digniores tanti hospitis præsentiâ & quam secum adfert, gratiâ. Audiamus S. Augustinum *Ser. 252. de tempore*: *Rogo vos fratres*, inquit, *numquid est aliquis, qui in arcâ sordibus plenâ velit mittere vestem suam? Et si in arcâ sordibus plenâ vestis non mittitur pretiosa, quâ fronte in animam, quæ peccatoris sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur?* Tanta est hæc res, vt etiam in vetere lege non vno modo præsignata fuerit. Quid enim sibi voluit, quod præcepit Deus *Leuit. 24.* vt panes propositionis coquerentur de similâ seu farinâ candidissimâ? ponerentur super mensam purissimam? imponeretur eis thus lucidissimum? Nónne quia panes illi typus erant Eucharistiæ, vt exponit S. Hieronymus *in c.1. Malach.* Cyril. *Catech. 4. mystag.* Damascenus *l.4. c.14.* & alij? Quid quod etiam ibidem lucernæ quæ lucebant coram mensâ propositionis, (iuxta id *Exodi 26. Pones contra mensam candelabrum;*) de oleo purissimo iubentur præparari & imponi candelabro mundissimo? Nónne vt sciremus purissimum esse debere omnisque expertem labis, qui panem illum cœlestem cordi suo vult imponere? Quid sibi vult quod manna non nisi super terram rore matutino veluti mappâ candidâ instratam decidit de cœlo, vt habemus *Exod. 16.* præsertim in Hebr. textu? Nimirum purus esse debet, qui purissimo virginis filio intimè vult coniungi; quo modo lignum, quod conglutinari debet alteri ligno, priùs radendum est & à sordibus purgandum. Animaduerti Christum Dominum, postquam instituit Eucharistiam, delegisse suo corpori munda receptacula. *Cœnaculum* inprimis *grande stratum*, ad institutionem Eucharistiæ *Marci* 14. Deinde sindonem mundam, quâ inuolueretur corpus de ponendum in sepulchro. Sepulchrū denique nouū, in lapide excisum vbi nemo adhuc positus fuerat. Et quid hoc mysterii habet? Nimirum insinuauit Christus se deinceps ab eo tempore diuersari apud amicos fideles suos velle, qui honorificè eum tractent & mundo corde suscipiant. Satis nobis sit, quòd immaculatus ille agnus in stabulo est natus, quòd in vili ædiculâ enutritus, quòd paupere cymbâ vectus, quòd dura sæpe humo reclinatus, quòd in carcerem retrusus, quòd in fætido Caluariæ monte crucifixus: iam nūc tempus est, vt nitidiore loco eū excipiamus, talis autem est anima ab omni peccati contagione libera & pura. Nemo ergò sit, qui non exuat vestem suam, veterem inquam hominem & carnis desideria: remoueamus omne lutum, ne parum dignè & sine fructu recipiamus Christum Dominum.

C. II. Fames spiritualis. SECVNDÒ, Iuerunt obuiam Christo. Solent autem obuiam ire aduenturo amico, qui ardenter eius præsentiam desiderant. Hoc ergò faciemus si magno desiderio & spirituali fame ad Christi cœnam accedamus; quo pacto, amorem nostrum erga ipsum demonstrabimus & maiore gustu ac fructu cœnabimus cum ipso. At quomodo in nobis excitabimus hanc famem, hoc desiderium? Vtique si expendamus, quis & quantus sit, qui venit ad nos Christus, quamque nos egeamus eius operâ & præsentiâ. Mulier illa Samaritana, vbi cognouit Christum & gustauit aliquantulum de aquâ ipsius viuâ, relictâ hydriâ concurrit ad ciuitatem & concitauit ciues vt exirent ad videndum eum. *Ioan.* 4. Atqui in Eucharistiâ venit ad nos idē iste Dominus, afferens secum aquam viuam salientem in vitam æternam. *O si scires donum Dei* frater, *& quis est qui* ad nos venit! curreres profectò ad ciuitatem cordis tui & excitares omnes vires tuas ad occurrendum Domino tuo. Quanto desiderio paupercula & desolata sponsa expectaret sponsum diuitē ab exterâ natione redeuntem secumque afferentem merces pretiosas? Porrò anima tua huiusmodi sponsa est, misera & deserta, vbi Christo destituta. Non igitur exultabit, cùm intelliget aduenire sponsum suum? Nonné exclamabit ad omnes suas vires: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei!* Bene hoc expendit Laurentius Medices ex prosapiâ Ducum Hetruriæ, qui dum fatali lecto decumberet & S. Eucharistia ad eum multoties expetita deferretur, è lectulo quasi exsiliens: *Procul à me absit,* inquit, *vt patiar Iesum meū, qui me finxit, qui me redemit, ad me venire; tollite hinc obsecro me vt Domino occurrā.* Ang. Polit. *in Ep.* Tantò cum Heroë contemplemur & infantes. *Nonné videtis,* inquit D. Chrysostomus hom. 83. in Matth. *quantâ promptitudine paruuli, papillas capiunt & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque charitate ad mensam & ad vbera poculi spiritualis, quin imò cum longè maiore trahamus tanquam infantes lactentes spiritus gratiam & vnus sit nobis dolor hac escâ priuari.* Scimus profectò Christum summo desiderio mensam Eucharistiæ nobis præparasse: *Desiderio desideraui,* inquit, *hoc pascha manducare vobiscum, Luc.* 22. Non simus nos legniores ad accipiendum, quàm ipse fuit ad dandum. Consideremus vnà ex parte morbos & miserias nostrarum animarum: ex alterâ verò præstantiam & efficaciam medicinæ, quam exhibet nobis Christus in S. Communione. Nosocomium quoddam est S. Eucharistia, in quo curari & abstergi possunt omnes animi ægritudines: surdi audient, Epheta; claudi, ambula, cæci, respice; leprosi, mundare; mortui, surge; si tamen crebrò & debito modo ad illud accedamus. Id verò maximis expensis, sanguine scilicet suo, exerxit nobis Dominus. Quomodo igitur non ægrè feret; si tam malè licet affecti non frequentemus hoc Nosocomium vel inuiti accedamus?

D. III. Reuerentia. TERTIÒ, *Cædebant ramos de arboribus & sternebant in via;* venerationis nimirum gratiâ, ne super nuda humo incederet, sed virore frondium stratâ & ornatâ. Hoc etiam nos faciemus, si cum timore & reuerentiâ ad sanctam communionem accesserimus. Ea verò consistit Primò, in modestiâ corporis compositione 1. ad venerationem Christi ordinatâ: si in genua coram eo procidamus, si manus erigamus, si leuiculum vestium luxum remoueamus, si oculos ad terram deprimamus; si detecto capite totoque corpore ad seueritatem & pietatem composito Dominum nostrum excipiamus. Sic enim ramos arborum, id est superbi hominis supercilia quodammodò cædemus & Christo substernemus; sic terram corporis nostri frondibus ornabimus; quo modo S. Elisabetha Regina dum rei diuinæ interesset, coronam capiti suo detrahere solebat; indignum dicens videri, vt dum Christus vepribus redimitus in arâ crucis litaretur, ipsa regio cultu assisteret; apud Raderum *in Bauar. sanctâ & piâ. p.* 1. Nota est etiam historia illa Rudolphi Austriaci tum Comitis Habspurgensis, pòst Imperatoris, qui Sacerdotem cum viatico salutari ad ægrum properare videns: *Me vehi,* inquit, *& te, qui Saluatorem meū portas, pedibus incedere? indecorū vel impium sit; conscende & equum hunc cape.* Ipse pedester subsecutus est. Placuit hic descensus Deo adeò vt eum postmodum ad Imperij culmen euexerit. Lipsius *in Monit. polit. lib.* 1. *c.* 4. Et quid mirum, terræ Principes prosterni ante Regem cœli & terræ? Infimus cœli Angelus longè nobilior est omnibus terræ Regibus. Et quid legimus Isaiæ *cap.* 6. Ibi vnus Seraphinorum (de supremo Angelorum ordine) calculo seu carbone ignito, desumpto de altari, purificaturus os Prophetæ, forcipe eū tulit, non nudâ manu tetigit. Non propterea sanè, quòd manus eius adurere posset (caro tantùm vri potest, non spiritus) sed quia calculus ille typus Eucharistiæ erat, vt docet S. Iustinus *in resp. ad quæst.* 4. & S. Damascenus *lib.* 4. *de fide. cap.* 14. vbi ait: *Carbo non simplex lignum est, sed vnitum igni: sic panis communionis, non panis simplex est, sed vnitus diuinitati.* Quod si igitur supremus quidam Angelus typum & vmbram Eucharistiæ tantâ reuerentiâ tractauit, cogitate nunc quid ipsi Eucharistiæ honoris exhibendum sit. Audiuimus etiam alibi ex Horatio Tursellino arbores syluestres sese incuruasse versus ædiculam S. Virginis (in quâ ipsa Christum Dominum conceperat & nutrierat) cum Angelorum manibus deferretur vltra mare Adriaticum in Picenum agrum. Si hoc arbores; si domunculæ Saluatoris; Quid nos homines ipsi Saluatori?

Secundò, consistit in timore reuerentiali, 2. quo nos occupari decet, ne quid in nobis forsitan reperiatur, quod oculos diuinæ maiestatis offendat. Scimus enim Ozam subita morte plexum esse, quod arcam irreuerenter attigerit, 1. *Reg.* 6. tametsi bona eius intentio foret, retinendi scilicet arcam à bobus declinatam.

Scimus

Scimus in Betſamitis maximam ſtragem editam, quòd eandem arcam curiosè inſpexiſſent. 1. *Reg.*6. Scimus illum Amanem, quia cum odio Reginæ, ad menſam eius acceſſit, Regis & Reginæ indignationem incurriſſe & è medio abreptum in patibulo ſuſpenſum eſſe *Eſth.* 7. Summus præterea Sacerdos gemens afflictóque corde ingredi ſancta ſanctorum ſolebat, timens ne fortè ob peccatum aliquod occultum à Deo occideretur, vt ſcribit Abulenſis *in Exod. c.* 39. Eodemque modo noſtri Sacerdotes ingreſſuri ad altare precantur: *Aufer à nobis, quæſumus Domine cunctas iniquitates noſtras, vt ad ſancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire.* Quæ omnia oſtendunt quanto cum timore & reuerentiâ prodire nos oporteat in conſpectum Chriſti Domini noſtri.

E. IV. Humilitas.

QVARTÒ, *Commota eſt vniuerſa ciuitas* ad ingreſſum Chriſti dicens: *Quis eſt hic?* Fiet hoc in nobis ſi expendamus maieſtatem aduenientis Domini, & abiectionis noſtræ. Quis enim eſt hic, qui venit? Hic eſt *ante quem columnæ cæli tremunt,* Iob. 18. *quem laudant aſtra matutina, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* Iob. 15. *Ante quem orbis eſt velut momentũ ſtateræ & gutta roris antelucani* ſap. 12. Et qui ſumus nos? ſumus, vmbra, puluis, nihil. Nonnè igitur exclamabimus cum humili Franciſco: *Deus meus & omnia: quis es tu, & quis ſum ego?* Et cum humili Baptiſta, tametſi alioquin inter natos mulierum maximo: *Tu venis ad me?* ego ad te habeo venire. *Matth.* 3. Et cum humili Miphiboſeth, qui cùm audiſſet à Dauide: *Tu comedes panem in menſâ meâ ſemper;* reſpondit: *Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuũ ſimilem mei?* 2. Reg. 9. Et quanto maior Dominus noſter Dauide ſeruo ſuo? quanto pretioſior eius menſa? Imitemur S. Hieronymum, qui extremùm communicaturus de lectulo ſe deponi in terram iuſſit & ſacco operiri: demum conſpectâ Euchariſtiâ proſtrauit ſe in terrâ pronus, tum in genua erectus, pluries percuſſit pectus ſuũ dicens: *Tu es Dominus meus & Deus meus,* vt ſcribit Euſebius Cremonenſis de eius vitâ & tranſitu. Quid quòd etiam Henricus Octauus Angliæ Rex, licet ab Apoſtolicâ ſede deſciuiſſet aliaque plurima mala patraſſet, affectionem tamen & reuerentiam erga S. Euchariſtiam minimè depoſuiſſe fertur, ſiquidem paulò ante mortem ſub vnâ ſpecie communicaturus, cùm è ſella aſſurgeret Chriſti corpus adoraturus, & Zwingliani, poſſe Regem illâ inualetudine ſedentem, Euchariſtiam percipere dicerent; *Si me,* aiebat, *non modò vſque ad terram deiicerem, ſed & ſub ipſam terram ſubmitterem: ne ſic quidem ſatis honoris ſanctiſſimo huic Sacramento viderer delaturus* Refert Nic. Sanderus *l.* 1. *de Schiſm. Angl.*

F. V. Gratiarũ actio.

QVINTÒ, Accinebant laudes Chriſto & clamabant: *O ſanna* q. d. Viuat Rex. Item: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hunc in modũ poſt communionem agendæ ſunt Deo gratiæ pro cœleſti beneficio. Diximus ſuprà Hebræorum Pontificem non ſine pauore ſolitum fuiſſe ingredi in ſanctuarium (quod ſemel tantùm in anno fiebat) is ergò poſt egreſſum inſtruebat amicis conuiuium in gratiarum actionem, quod ſaluo & incolumi egredi datum eſſet, vt ſcribit Abulenſis *Exod.* 24. *q.* 15. Huiuſmodi conuiuium, ſed ſpiritale inſtituamus etiã nos, peractâ communione, & inuitemus vires animæ & corporis ad agendas Deo gratias, quo modo S. Monica ſub communione in aërem eleuata dicere ſolebat: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Ac Primò 1. inuitemus intellectum, agnoſcendo & penſando beneficium acceptum dicendoque cum Iſraëlitis: *Man hu?* quid eſt hoc? quale manna? qualis panis? vnde ad nos miſſus? quorum manibus confectus? quanti ſaporis & dignitatis? Vel cũ Daniele: *Recordatus es mei Deus;* qui videlicet pauiſti me in lacu mirabili pulmento. Vel cum Paulo Eremita: *En Dominus prandium nobis miſit, verè pius, verè miſericors!* Quas enim gratias ageremus, ſi de cœlo, ſi ab angelo, ſi à coruo (vt illi) panẽ caperemus? At panis Euchariſticus de cœlo & à Deo eſt, imò ipſe Deus eſt. Inuitemus deinde memoriam: ſimus 2. memores huius beneficij; recondamus illius mannæ Gomor ſeu menſuram in arcam cordis noſtri, reponamus memori mente, inſcribamus animæ noſtræ (quemadmodum caupones ſolent ea Conclauia, in quibus aliquando diuertit Imperator, inſcribere Imperatori) *habitatio ſummi Dei,* inacceſſa mundo, carni & Diabolo. Inuitemus voluntatem, offerendo 3. nos & omnia noſtra Dei voluntati & directioni, vt in poſterum nobis ipſe dominetur (quomodo ſolent ciues aduentanti ad ſe principi ſuo offerre claues vrbis) vt pro libitu omnia noſtra velit adminiſtrare, claudere & aperire. Inuitemus vires corporis & ſenſus 4. noſtros, vt omnes Chriſto inſeruiant (quomodo imperamus ſeruis, cùm magnus aliquis amicus nos inuiſum venit, vt omnes ei miniſtrent) & cum cor dulciter conuerſentur orando, meditando, legendo, ſilendo, &c, nihil denique in cor admittant, quod moleſtiam creare hoſpiti noſtro poſſit. Quid enim diceres tu, ſi amicus tuus, quem fortè longo itinere iuiſti ſalutatum, te reciperet quidem hoſpitio, verùm mox relicto te exiret per poſticum ad alia negotia vel rurſum te expelleret. Fecerunt ſanè hoc Ieroſolymitæ qui manè cum applauſu & concurſu exceperunt Chriſtum, veſperè omnes deſeruerunt & poſt quinque dies omninò expulerunt. Et quid profuit illis cum iubilo & pompâ induxiſſe eum in vrbem, ſi poſtea eundem eiecerunt ad Caluariæ montem? Quid profuit cæcidiſſe ramos de arboribus eique ſubſtrauiſſe ſi poſtea collegerunt ſpinas & arundinem, quibus eum illuderent & cæderent? Quid profuit dixiſſe: *quis eſt hic?* ſi poſtea clamauerunt: *reus eſt mortis?* Quid profuit clamaſſe: *O ſanna, benedictus,* &c. ſi poſtea clamauerunt: *Tolle, tolle.* Non plus vtique quàm Iudæ accepiſſe à Chriſto buccellam & mox admiſiſſe in cor Diabolum. Ergò Auditores, per amorem pauperis illius Regis, qui ad vos in humili ſpecie panis Eucha-

ristici diebus his venturus est, rogo vos & obtestor vt ne Iudam imitemini, nec versatiles Iudæos: sed potiùs Christi discipulos & innocentes pueros, &c.

CONCIO V.

Quid sibi velint palmæ.

Palma potissimùm debetur & conuenit 1. 2. Christo & B. Virgini. 3. 4. Item Ecclesia & Iusto cuilibet.

THEMA.

Alij cædebant ramos de arboribus & sternebant in via.
Matth. 21.

A. PAlmarum ramos fuisse, quos præferebat & in viâ sternebat turba, indicat Ioannes & agnoscit Ecclesia, dum huic diei à palmis nomen tribuit. Nec sine magno mysterio; neminem enim opinor latet, palmã apud veteres omnes victoriæ typum fuisse. Idcircò SS. Martyribus appictæ in manus palmæ, iuxta id *Apoc.* 7. *Palmæ in manibus eorũ.* Idcircò apud Romanos coronabantur victores palmis auctore Pierio *l.* 50. *hierogl.* prætereà palma in medio stadij loco eminentiore in mensâ proponebatur, vti ex S. Chrysost. & aliis docet Petrus Faber *l.* 2. *Agonist. c.* 25. Causã dat Plut. in Sympos. q. 4. *In certaminibus*, inquit, *placuit palmam signum esse victoriæ, quoniam eius indoles est, vt vrgentibus opprimentibusq; nõ cedat, sed fortiùs assurgat.* Atque hæc etiam causa videtur esse cur hodiernâ die palmam benedicat Ecclesia & nobis gestandam præbeat, nimirum vt in eâ contemplemur Christi victoriam; nec non vt filios suos excitet ad strenuè pugnandum contra hostes animæ, præsertim hac hebdomade. Videamus ergò quibus potissimùm palma hæc debeatur & conueniat.

B. I. Palma typus Christi. Debetur inprimis Christo Domino mortis domitori, qui proptereà triumphat ante certamen in hodierno Euangelio, quia mortem morte suâ certissimè superaturus erat. Solus ipse verissimè ac propriissimè dicere poterat id *Cant.* 7. *Ascendam in palmã & apprehendam fructus eius* (quod de ipso exponunt plerique). Palma enim typus crucis est, quia ardua & aspera ac quodammodo spinosa ideoque ascensu perdifficilis, interim tamen fructum dulcissimum attulit Christo & nobis omnibus. Debetur ergò palma Christo, quia palmam hanc conscendit. Cæterùm sponsa etiam comam Christi sponsi sui comparauit palmæ seu ipsius foliis: *Coma capitis eius*, inquit, *sicut elatæ palmarum, Cant.* 5. Elatas palmarum vocat ramulos foliorum crispantes & quasi cincinnatos, vt exponit Vegas *in Apoc.* Capilli verò in SS. literis cogitationes hominum denotant. Vult ergo dicere sponsa minimas etiam Christi cogitationes inuictas & victoriosas esse; idque in hod. Christi triumphantis historiâ possumus videre. Inprimis cùm decreuisset vti vectore asino ad ingrediendam Ierosolymam, vno verbo; imò voluntatis imperio asinum sibi procurat. *Soluite*, inquit, *& adducite* (eum) *mihi; & si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus hu opus habet & confestim dimittet eos.* Quanta Christi potentia? quanta victoria? suâ voluntate statim sibi subiecit alterius voluntatem; idque nullis pollicitationibus, nullis effecit minis. Quis hoc mortalium potest? Deinde appropinquans Ieresolymæ exciuit ad se plurimam turbam, cuius laudibus exciperetur, humillimo licet aspectu, sedens super asinam. Magna fuit Samsonis victoria, cùm mandibulâ asini peremit mille viros. *Iud.* 16. Sed maior multo est ista quâ super asinam vectus commouit totam Ierosolymam & ad sui spectaculum euocauit plurimam turbam: quodque maximum est, mirâ & occultâ voluntatis suæ operatione. Demum ingressus vrbem & templum eiecit inde vendentes & ementes, euertit quoque mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas. Quàm præclara est hæc victoria? Vnus & inermis homo tot alios è templo pellit: nemo ei resistere audet, quia nemo potest. Potuit ergo Christus inflectere animos hominum, potuit ad se allicere, potuit terrere & expellere nullis adhibitis machinis aut molitionibus, saltem externis, solo voluntatis suæ nutu: iure igitur capilli eius palmæ folia dicuntur: iure ei palma debetur. Ac licet improbi Iudæi palmam hanc exsciderint; ea tamen post excisionem suapte vi refloruit. Cuiusmodi miraculum reperiri in Chora scribit Plinius *l.* 13. *c.* 4. vbi vnica tantùm sit palma quæ ad instar phænicis auis (vnde etiam palma græcè phœnix appellata videtur) emoritur ac renascitur ex seipsa.

SECVNDÒ, Debetur palma sanctissimæ Christi matri. De ipsa enim intelligit Ecclesia verba illa *Cant.* 7. *statura tua assimilata est palmæ.* Et illa Eccles. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Palma igitur fuit primò quia inuicta, nullis cessit tribulationibus; siquidem & sub ipsa filij cruce stetit magnanimiter; quo inprimis pertinere illa verba existimo *statura tua assimilata est palmæ.* Quantum pondus arbori huic impositum fuisse existimemus, cùm filius de cruce ei valedixit & pro se Ioannem tradidit, pro filio cognatum, Discipulum pro Magistro, hominem pro Deo? Nequaquam tamen ipsa euertit sub hoc pondere mæstissimæ commutationis. Deinde quia vti palma nullo vnquam tempore pulchritudinem & folia sua (quæ omnia in cacumine habet) perdit, teste Plinio *l. cit.* & ib. c. 20. ita & Deipara nullo vnquam tempore gratiæ splendorem ac pulchritudinem amisit: Omnes etiam suas cogitationes non in terrâ aut terrenarum rerum contagione inquinatas, sed in cælo & diuinarum rerum contemplatione occupatas habuit; quamobrem *Cant.* 7. regiæ purpuræ comparantur: *Coma* C. II. Typus B. Virginis.

capitis tui sicut purpura Regis; quia scilicet aurea & regiâ charitate Deique contemplatione insignes. Tertiò quia sicut palma infernè angustum stipitem, supernè verò crassum habet: infernè etiam scabra est, supernè verò pulchritudinem suam explicat: ita Deipata, si quæ humana & terrena sunt in ipsâ consideremus, humilis & abiecta erat: angusta ei domuncula, angusta & curta supellex: Sponsus pauper opifex, parentes itidem plebeij, victus ac vestitus tenuis totaque vita aspera. At si superna & cælestia ipsius dona inspiciamus, videbimus eam longè pulchriorem ac nobiliorem omnibus hominibus. Stirps illi regia fuit, si antiquos eius parentes numeremus, è Dauidis familiâ. Virtutes eius omnes excellentissimæ fuerunt. Priuilegia à filio collata mira & stupenda. Verba omnia sapientissima, &c. Ac quemadmodum folia palmæ gladij figuram referunt: Ita omnia Deiparæ verba gladij sunt & arma ad debellanda vitia. Quando enim dixit: *Quomodo fiet istud?* inertiam nostram resecuit, vt qui sæpe facili labore discere cùm possemus, quæ discenda sunt, nolumus ob pigritiam. Dum subdidit: *quoniam virum non cognosco*; libidinem nostram comprimit. Cùm ait: *Ecce ancilla Domini*; Superbiam nostram retundit. Cùm addidit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*; proteruiam & inobedientiam castigat. Cùm ad filium dixit: *Fili quid fecisti nobis sic?* iracundiam exterminat voce mansuetudinis. Cùm adiungit: *Pater tuus & ego*; ambitionem iugulat. Cùm adiecit: *Dolentes quærebamus te*; ineptam mundi lætitiam redarguit. Cùm in nuptiis dixit: *Vinum non habent*; inuidiam proscribit & immisericordiam, dilectione proximi & commiseratione. Quando in ea prorupit verba: *Magnificat anima mea Dominum*; ingratitudinem reprehendit. Quartò, quia vt palma fructus gignit dulces, verùm in sublimi tantùm, ita vt manibus attingi nequeant, ascésque opus sit: ita & Deipara protulit nobis Christum benedictum vtique & dulcissimum fructum; qui tamen in cruce sublimis pendet, ita vt ad eum ascendere debeamus per opera bona, sacramentorum vsum & mandatorum obseruationem, si gaudere illo velimus. Quoniam igitur Virgo Deipara palmæ similis fuit, congruenter actum est, quod scribit Metaphrastes *Orat. de Assumptione Virginis*, videlicet palmam ipsi è vitâ iamiam migraturæ à cælesti nuncio porrectam fuisse veluti victrici.

3.

4.

D. III. Typus Ecclesiæ. TERTIÒ, Debetur Ecclesiæ Christi; quæ & ipsa comparatur palmæ locis paulo ante citatis *Cantic.* 7. & *Eccles.* 24. qui de Ecclesiâ ad literam videntur intelligendi. Palma igitur est Ecclesia. Primò, quia inuicta, nullis cedit persecutionibus, sed pressa magis erigit se ac perficit, quemadmodum palma, vt diximus, oneribus non deprimitur, sed in modum fornicis contra pondus incuruatur sursum. Scribit in Ep. ad Paulinum S. Hieronymus. Gentiles vt religionem Christianorum Christique cultum abolerent, passim loca sacra profanasse: collocasse in loco resurrectionis Dominicæ simulachrum Iouis idque stetisse ab Adriani temporibus vsque ad Constantinum Magnum per annos 180. In loco crucifixionis statuam Veneris marmoream; In Bethlehem ad præsepelucum Bathamuco vocatum, id est, Adonidis: in ipsâ specu Christi Natalitiâ Veneris Amasium planxisse. Sed nihil effecerunt; Cultus enim Christi nihil inde imminutus, verùm auctus potiùs fuit. Refert Card. Baronius anno Domini 301. Gentiles in Circo præsente Maximiano Imp. duodecies exclamasse; *Christiani tollantur*. Et iterum: *Augustæ Christiani non sint*; acclamasse decies. Quis non credidisset tunc Ecclesiam Christi iamiam exscindendam esse? Verùm paulo post, nempe anno 324. Constantino Imp. declamante pro Christianorum religione vicissim Christiani clamârunt: *Qui Christum negat, malè pereat. Vnus Deus Christianorum. Templa claudantur & Ecclesiæ pateant. Qui Christum non colunt, inimici Augustorum sunt. Qui Augustum saluauit, ipse est Deus. Qui Christum colit, semper viuat. Sacerdotes templorum vrbe pellantur. Iubete vt hodie vrbe pellantur.* Quis recenseat onera, quibus à Gentilibus pressi olim Christiani? quis gladios, ignes, eculeos, metalla, triremes, prostibula, exilia, vexationes, exactiones, dolos? sed tantum abest vt his fracti aut oppressi sint, vt inde vegetiores, plures & fortiores assurgerent. Deinde palma rectè vocatur, quia sicut palma folia & virorem suum perpetuò conseruat, ita vt eadem folia semper retineat, teste S. Basilio *in Hexam. hom.* 7. Isidor. *lib.* 17. *cap.* 7. ita Ecclesia dogmata sua, quæ semel amplexa credidit, nunquam mutat aut credere desinit. Multoties quidem Hæretici conati sunt huic palmæ decerpere suos ramos, Sacerdotium, sacrificium, aliquot Sacramenta, cæremonias, Sanctorum & imaginum cultum, vota, bona opera, &c. Sed frustra laborârunt & imposterum laborabunt, quotquot sperant Ecclesiam aliquid remissurum de antiquissimis suis dogmatibus vt in vnum coëat cum hæreticis. Tertiò, quia palmæ statura rectissima est, nullam in partem incuruata: *sic statura Ecclesiæ rectitudo est* (inquit Venerab. Beda in Comment. Cant.) *bone operationis, quæ ad terrenam concupiscentiam incuruari despiciens, totam se ad cælestia promerenda sustollit.* Non enim seruit Deo Ecclesia propter terrena bona, sed ob cœlestia. Denique quia palma in inferioribus aspera videtur, in summo autem pulchritudinem & fructûs suauitatem ostendit: sic Ecclesia asperos in terrâ portat pro Domino labores, sed mercedem à Deo accipere sperat in cœlo: *seminat nunc cum lachrymis, tunc verò cum exultatione metet.*

1.

2.

3.

4.

QVARTÒ, Debetur & congruit Iusto cuilibet, siquidem *Psalm.* 91. scriptum legimus: *Iustus vt palma florebit.* Primò, quia iustus instar palmæ aduersitatis pondere non flectitur, sed contrà audentior it, viretque tam hyeme aduersitatis, quàm æstate prosperitatis. Sic enim *ad Rom.* 8. ait Apostolus: *Mortificamur totâ die, æstimati* E. IV. Typus Iusti. 1.

æstimati sumus sicut oues occisionis; sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Græcè habetur: *plusquam superamus*. q. d. non tantùm vincimus, sed patiendo fortiores & animosiores euadimus: siue vt ait S. Chrysost. *hom.* 25. in Matth. *Oppugnatione meliores.* Videant ergò qui breui pœnitentiæ labori tam facilè succumbunt; quia palmæ non sunt, proinde nec palmâ digni.

2. Secundò, Sicut palma corticem gerit asperum, gaudet terrâ sabulosâ & salsuginosâ, odit fimum & terræ pinguedinem, vt testatur Plinius loco cit. ita iustus vitam gerit asperam, contentus est veste vili & cibo tenui, macerat se ciliciis & ieiuniis; aspernatur mundi delicias & carnis voluptates, diuitiarumque stercora, &c. Huiusmodi palma erat S. Paulus primus Eremita, qui *in vestibulo, quod patulis diffusa ramis vetus palma contexerat*, vt scribit S. Hieronymus in eius vitâ, habitauit annos sexaginta: cibum & vestitum de eadem palmâ cepit: dactylos comedit, è foliis eius tunicam in sportarum modum contexuit, atque ita palma fuit ei quasi tectum & domus, fuit cibus, fuit vestitus. Viderint ergò Christiani qui vitæ asperitatem exosam habent & delicias tantùm sectantur, quàm dissimiles Paulo & palmæ sint.

3. Tertiò, Palma fructus habet pari cum foliis æquilibrio, vt scribit Pierius *lib.* 50. *hierogl.* Ita Christianorum verba cum operibus consentire debent. Quod promittunt verbo, opere præstare: quales se professione iactant, tales se vitæ conuersatione exhibere: quod alios docent, ipsi etiam facere studeant. Hac de re commendatur Origenes (ante lapsum) ab Eusebio *lib.* 6. *hist. cap.* 3. *Quod qualis eius erat sermo tales & mores; & quales mores, talis sermo.* Et S. Basilius, de quo S. Gregorius Nazianzenus in eius laudibus scribit: *Oratio Basilij erat tonitru, quia vita eius erat fulgur.*

4. Quartò, Palmam à similitudine manus concauæ, quam vocamus palmam, dictam esse volunt, ideoque eius fructus dactyli, id est, digiti vocantur, quòd eorum similitudinem exprimant. Ergò palma palmæ datur & debetur, quando scilicet per virtutum studium ascendimus in palmam & apprehendimus eius fructum. Manus aperiendæ pauperibus, extendendæ ad bona opera, conserendæ ad pugnam, vt palmam triumphalem capere mereamur. *Non enim coronabitur nisi qui legitimè certauerit*, inquit Apostolus. 2. *Tim.* 2. Et propterea Ecclesia distribuit hodie palmas & dat in manus nostras, vt materialium ramorum consideratione excitemur ad parandam nobis veram victoriæ palmam; ideoque in earum benedictione canit: *Palmarum rami de mortis principe triumphos expectant.* Non sanè lignei illi, sed nos vtique, si vicerimus. Nobis enim in cœli parietibus palmas cælatas vidit Ezechiel *cap.* 41. quia victores nos expectant victoriæ trophæa; quorum symbola nobis monstrat hodie Ecclesia & proponit luctatoribus, qui diebus istis victoriam retulerint, de mundo, carne, diabolo & peccatis suis.

Ergò Auditores, de terrenâ palmâ ad cœlestem contendamus. Non simus velut infantes, qui literarum picturas solùm admirantur, intellectum non penetrant: sed velut eruditi, qui neglecto externo symbolo, reconditam quærunt sapientiam: nec contenti palmis istis, ad illas potiùs consequendas, nosmet extendamus quanto possumus conatu, quæ æternùm nos beabunt & dulcissimum gloriæ fructum sine fine germinabunt.

CONCIO VI.

Pompa Christi triumphalis.

Applicantur triumpho Christi caremonia olim in triumpho Imperatorum adhibita: ac Romanorum.
1. *Christum præcedunt tubicines, Discipuli & turbæ.*
2. *Ducuntur boues:*
3. *Gestantur spolia & manubia.*
4. *Feruntur tituli victarum gentium.*
5. *Ducuntur captiui.*
6. *Triumphator curru sublimis incedit.*
7. *Tintinnabulum & flagellum appensum.*
8. *Consistit populus accinens carmen.*
9. *Pergit ad Capitolium oraturus.*
10. *Datum in capitolio epulum.*

THEMA.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Matth. 21.

IN more habuerunt Romani, cùm quis Imperator triumphans vrbem ingrediebatur, confluere ad hoc spectaculum ex vniuersa vrbe; idemque faciebant alij Italiæ populi: vndique concurrebant omnes velut in publica eaque lætissima festiuitate cum aggratulatione & applausu, induti vestitu mundo & vt plurimum albo, pompam spectantes; vt scribit auctor Antiq. Rom. *l.* 10. *c.* 29. Hodie, Auditores, Imperator & Seruator noster Christus, mortis & inferni domitor vrbem Ierosolymam triumphali quadam pompâ, mirâ & nouâ ingreditur. Ergò accurramus vndique ad spectaculum istud: induamus etiam candidum & festiuum habitum, puræ conscientiæ, abiecta veteri & sordida peccatorum lacerna, quam spero, si nondum omnes, multi saltem hodie exuistis; accurramus inquam & videamus hoc spectaculum. A

B. I. *Præcedunt tubicines.* PRIMÒ, Præcedebant olim in triumphis tubicines canentes modos triumphales, vel classicum. Christum præcedunt discipuli & turbæ clamantes: *O sanna filio Dauid: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini pax in cælo & gloria in excelsis.* Congruè verò hoc carmen accinunt Christo, quia vox O sanna seu O sianna significat, O salua obsecro, q. d. O Domine saluum fac Regem istum, da ei robur & prosperitatem; vel, viuat Rex; vti 1. *Reg.* 10. & 3. *Reg.* 1.

Reg. 1. acclamatum Regi legimus. Quia enim Dominus difficillimum certamen cum Diabolo & morte breui initurus erat, iamque ad certaminis locum venerat, apposité precantur ei salutem, robur & victoriam; diuino inspiratu; (tametsi hoc sensu turbæ ea verba non intellexerunt.) Quin & pueri idipsum Christo acclamabant; vt testatur infrà Matthæus. Rudes ergò turbæ, & his rudiores pueri diuinos canunt modulos Christo, quis hoc non miretur? Nec verò mirari solùm sed & imitari decet nos hoc carmen. Descendit enim & nunc præsertim illo tempore in certamen Christus electurus è peccatorum animis Diabolum, quod maxima sæpenumerò difficultate fit. Ergò precemur vt tam in nobis quàm in aliis vincat Christus: vti ipse sit rex noster; vt nobis pacem conscientiæ restituere dignetur.

C. II. Ducuntur boues. SECVNDÒ, *Post hos ducebãtur boues mactandi in sacrificiis, vittis sertisq; redimiti & aliquando auratis cornibus*, inquit auctor suprad. Boues sunt Apostoli & discipuli Christi, qui gaudentes laudabant Deũ voce magna, vt scribit Lucas. Boues inquam illi qui mare æneum, hoc est, baptismum gestaturi erant per vniuersum mundum. 3. *Reg.* 7. Boues illi qui segetem Domini trituraturi, quod testatur Apostolus 1. *Cor.* 9. Boues & tauri illi, de quibus ait Dominus *Matth.* 22. *Tauri mei & altilia mea occisa sunt.* Mugiebant quando nunc laudabant Deum voce magna, & postea sua prædicatione, ita vt in omnem terram exiret sonus eorum. Sertis redimiti erant, quando nunc gaudio impleti, futuri etiam postea Martyrij corona insignes: Auratis cornibus armati, quia virtute diuina eiiciendi spiritus & patrandi miracula præditi. Deniq; post Christi passionẽ & ipsi immolandi erant varia per Martyria adeoq; suo sanguine Christi gloriam testaturi. Mirandi profectò boues. Quis vnquã Imperatorũ tales in triũpho duxit vel ducere potuit?

D. III. Gestantur spolia & manubiæ. TERTIÒ, *Illis succedebat speciosa ostentatio spoliorum & manubiarũ, quæ singulari arte composita partim plaustris vehebantur, partim gestabantur ab adolescentibus ornatis*; subdit idem Auctor. Quæ verò istæc spolia, in triumpho Christi, nisi vestimenta quibus semetipsos vltrò spoliarunt plurimæ turbæ & quà iturus erat Dominus, vias instrauerunt? quæ manubiæ nisi rami virides, quos manibus decusserunt ex arboribus & partim ei substrauerunt, partim manibus gestantes prætulerunt? significabat verò istud plurimos fideles Christi Euangelio expoliandos iis rebus, quas diligere solet mundus quasque ipsi priùs dilexerant: abiecturos vestes splendidas & mutaturos cum centonibus mendicorum, vti fecit Antonius, Serapion, Franciscus, Ignatius Loyola aliique infiniti penè qui pro amore Christi suas opes & ditissima patrimonia reliquerunt pedibusque Christi, pauperibus inquam, substrauerunt: rursum decisuros à suo corpore ramos seu virorem splendidi ornatûs, formæ elegantioris, ventris obesi, &c. turpaturos faciem & maceraturos corpus ieiunio, cilicio, flagellis, vili cibo & vestitu: è collo abrepturos splendida colliaria, è capite corollas, inaures & armillas ab auribus & manibus, aureos torques & monilia: eaque in lutum abiecturos & velut stercora calcaturos. Quæ omnia effecit Christus nullâ adhibita violentiâ. Quis vnquam Imperatorum talia obtinuit spolia?

QVARTÒ, *Ferebantur & tituli victarũ gentium cum imaginibus deuictarum vrbium: ac fuerunt spoliis interdũ mixta animalia antea non visa*, inquit cit. Auctor. Non desunt etiam ista in triumpho Christi. Ibi enim ducunt Apostoli in triumpho modò asinam, modò pullum eius; (per vices enim alteri insedisse putatur Christus.) Asina porrò iugo assueta typus & imago erat deuictæ, hoc est, certissimò vincendæ & Christo subiugandæ Synagogæ, iugo veteris legis priùs alligatæ; pullus autem iugi expers imago gentilitatis indomitæ & exlegis, Christi iugum suscepturæ. Quis vnquam vidit asinos in triumphum duci? Et quis tales asinos, Gentiles & Iudæos adeoque totum orbem? Alij victores de certis quibusdam populis à se deuictis nomen sibi affinxerant, velut Africani, Asiatici, Germanici, &c. at nemo orbis totius domitorem se asserere ausus est. Solus Christus dicere potuit: *Ego vici mundum*, *Ioan.* 16. Quodque mirabilius est, verbo non ferro vicit. Vt enim asellos istos solui per Apostolos iussit, ac si quis id prohiberet, responderi. *Quia Dominus his opus habet*; & statim obtinuit; nemo reluctari potuit: ita suo Euangelio per Apostolos prædicato mundum superauit & à laqueis Dæmonum solutum sibi seruire fecit: nemo id Tyrãnorũ, nullus Nero, nullus Diocletianus, nullus Iulianus, potuit impedire tot licet machinis & dolis suis. E. IV. Feruntur tituli victarum gentium.

QVINTÒ, *Succedebant inde, qui ab hostibus capti erant, Duces vincti catenis, & post illos ante currum Imperatoris portabantur coronæ aureæ, si quæ ipsi ab vrbibus & prouinciis summi honoris causâ, quod sæpe accidit per legationes exhibitæ*; subiicit Auctor ille. Sed vbi in hoc triumpho vincti? Vbi coronæ? Vinctos dico inprimis illos, qui amore & fama Christi acciti ex vrbe processerunt obuiam Christo. Quis enim extraxit foras ciues, qui in ipsa vrbe spectare & expectare ingredientem Christum poterant, nisi aureum amoris (aureis enim catenis olim Duces capti inducebantur) vinculum? Prætereà vinctos assero Pharisæos & Principes Sacerdotum, quibus pompa hæc displicuit, interim tamen ab eis tolerari debuit, nolentibus volentibus, quia nimirum à Triumphatore nostro vincti tenebantur. Iam dudum illi concluserant *vt si quis cognouerit, vbi sit, indicet, vt apprehendant eum. Ioan.* 11. At iã apparet coram omnibus, quodque amplius est, cum regali pompa ingreditur vrbem & Rex proclamatur. Quid agitis Pharisæi? Dicitis qui? etiam *Magister increpa discipulos tuos*. Sed cur vos non increpatis? Cur non Magistrum ipsum? Quid agitis vos Herodiani? Quid vos officiales Cæsaris? Regem nuncupari hunc auditis: quare F. V. Ducuntur captiui.

non

non inhibetis? quare nõ in vincula abducitis? nimirũ ora & corda vestra Rex iste in sua manu habet: vincti ipsius estis, paulò pòst iugulandi.

G. VI. *Triumphator curru sublimis incedit.*

SEXTÒ, *Tum demum ipse Imperator curru sublimi magnifice exornato vehebatur, fulgẽs veste triumphali & redimitus coronâ laurea ramumq́, lauri manu gestans,* addit sæpe dict. Auctor. Non desunt etiam ista nostro Triumphatori. Currum desideratis seu Quadrigam? Quadrupes iumentum est, mite & humile quidem, sed huic Regi competens. Quod enim per splendorem quærit mundus, hoc sibi per contemptum acquisiuit Christus. Nec per quadrigas & currus Pharaonis subiugare mundum venit: sed per asinum; quia *placuit Deo per stultitiã prædicationis saluos facere credentes,* ait Apostolus 1. *Corinth.* 1. Ornatum quadrigæ vultis? vestimenta discipulorum sunt, quibus instrauerunt asinum, omni purpurâ digniora: nam & catenæ & semicinctia & vmbræ eorum salutaria ægris fuere. Sed vbi triumphalis Christi vestis? Ea olim picta palmis, & hinc palmata dicta erat ab imagine palmæ ei impressâ, vt scribit Thomas Dempsterus *in Addit. ad Antiq. Rom. lib.* 10. *cap.* 29. Hæc itaque in Christo sunt ij qui cum palmarum ramis eum comitati sunt; quod scribit S. Ioannes. Omnes qui adhærent Christo, Christi vestis & ornamentum sunt, teste Isaia. *cap.* 49. Quid igitur palmæ in manibus turbæ, nisi palmata Christi vestis, qua præsignare voluit victoriam, quam de idololatriâ, mũdo, peccato, inferno reportaturus erat? Corona laurea quid nisi regius titulus, quem illi turba tribuit? nec vulgaris ille, sed Dauidici regni nunquã interituri, quẽadmodum & laurus fulmine non icitur. Ramus lauri in manibus Christi Prophetiæ Zachariæ est, quam citant & attribuunt ei Euangelistæ: nimirũ: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. sedens super asinam & pullũ.* Quid enim hæc Prophetia aliud quàm luculentum Dei testimoniũ, & quodãmodò sceptrũ regiæ Christi dignitatis & auctoritatis ad regendos omnes populos?

H. VII. *Tintinnabulum & flagellum appensum.*

SEPTIMÒ, Currui tintinnabulum & flagellum appensum erat; à tergo etiam occinebat ei publicus minister: *Respice post te, hominem memento te*; admonens eum volubilis fortunæ, quâ nouercante in eam redigi possit calamitatem, vt flagris cædatur & capite damnetur; vt scribit ex Tertulliano & aliis idem Auctor. Habuit etiam in triumpho suo monitorem istum Dominus, vrbem Ierosolymam, quam videns coram se quidem, reprobatam tamen & post tergum abiectam, defleuit, præuidens quanta post paucos dies ab eâ passurus esset, qui nunc tanto honore exciperetur. Vidit itaque Ierosolymis Christus flagellum sibi paratum: vidit tintinnabulum sibi velut malefico appendendum, quando à militibus educendus esset ad Caluariæ montem: agnouit sese hominem & propterea vinũ huius lætitiæ miscuit suis lachrymis, non tam ob suã mortẽ quàm ob Iudæorum perditionem plorans.

I. VIII. *Confluit populus accinens carmen.*

OCTAVÒ, Confluebat vndique populus triumphale carmen accinens; cui etiam licebat iocos miscere & conuitia in Triumphatorem dicere, vt docet ib. Auctor Antiq. & Dempsterus *in addit.* Nõ desunt etiã ista in triumpho Christi. Ingrediente enim in vrbem Domino *commota est vniuersa ciuitas dicẽs: Quis est hic?* Quibus responsũ est: *Hic est* IESVS *Propheta à Nazareth Galilea.* Alij etiam, vt Principes Sacerdotum & Scribæ propterea indignati sunt, dicentes Domino: *Audis quid isti dicunt?* teste Matthæo. Pharisæi item qui dicebãt: *Videtis quia nihil proficimus? Ecce mũdus totus post eũ abyt,* Significabat verò hoc vniuersũ mundum audito Christi aduẽtu commouendũ eiusque Euangelio instruendum esse ad fidem. Alios verò superbos & inflatos Euãgelio restituros, vti Tyrannos & Hæreticos; sed frustra tamẽ.

K. IX. *Pergit ad Capitolium oraturus.*

NONÒ, Perrexit ad Capitolium precaturus & acturus Ioui gratias nec non coronam ei suam & manubias dicaturus: vbi etiam hostes abduci iussit in carcerem vel plecti. Idem fecit Dominus in triumpho suo: rectà ad templum perrexit & inde eiecit ementes ac vendentes, mensas quoque nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit; vti subiicit S. Matthæus. Capitolium Curia Imperatoris erat. Templum domus Christi erat. Porrò suum triumphum ad templum direxit & ibidem finiit, Primò vt indicaret se in eo non suam priuatam, sed Patris gloriam quæsiuisse. Itaque hoc suo in templum ingressu omnem sui triumphi gloriam, spolia & coronam dicauit patri suo. Deinde regnum suum non fore temporale, quale expectabant Judæi terrenis opibus ac pompis conspicuum: sed spirituale & æternum: consistere in Dei cultu: in templo, non in foro, &c. Denique vt doceret nos omnem nostram prosperitatem tam corporalem quàm spiritualem Deo acceptam ferre & ad ipsius gloriam, non ad nostram dirigere debere. Eiecit verò è templo Nundinatores, vt exhiberet Judæis actum aliquem regiæ suæ auctoritatis, quam ei tunc tribuerant: nec in rebus politicis, sed in spiritualibus, vt intelligerent regnum eius spirituale esse, non ciuile. Triumphatori in die triumphi summa in vrbe potestas erat, tametsi alioquin ipse Jmperator non foret: ita Christus pro suâ auctoritate purgauit hodie templum Patris & eiecit inde hostes ac latrones. Quare etiam insinuare voluit, puniturum & eiecturum se ex Ecclesia eos qui suis sceleribus eam contaminarent: inprimis verò sacerdotes, qui cùm templa Christi esse deberent, sæpenumero è templis fiunt speluncæ.

L. X. *Datum in Capitolio epulum.*

DECIMÒ, *Datũ in ipso Capitolio epulum sumptibus publicis & aliquantum pecuniæ viritim plebi distributum,* inquit Auctor Antiq. cit. Factum & hoc in fine triumphi Christi. *Accesserunt* enim *ad eũ cæci & claudi in templo & sanauit eos,* ait S. Matthæus. Fuit hæc misericordia & medela miseris exhibita plusquam epulum aut pecuniæ dispersæ. Voluit autem Dominus hoc curationis beneficio triumphũ suũ claudere. Primò vt ostenderet se verum Messiam esse, vt qui Regiam suam auctoritatem non solùm eiectione nundinatorum, sed etiam miraculis & curatione ægrorum comprobaret.

Secundò,

Secundò, Vt doceret quem in finem descenderit de monte Oliueti in Ierusalem, id est, de cœlo in terram, vt nimirum quæreret quod perierat & sanaret quod afflictum erat, peccatorem scilicet. Gentiles cæci erant, quia verum Deum ignorabant: Iudæi claudi erant quia verùm quidem Deum nouerant, sed in eius lege non rectè ambularant. Ambos curaturus de cœlo venit Medicus. Sed Gentiles cæci priùs accesserunt; scribit enim Ioannes c. 12. dum hæc in templo agerentur, accessisse Gentiles ad Philippum dicentes: *Domine volumus Iesum videre.* Sequentur Iudæi ad finem mundi primùm, vt ita verificetur quod toties inculcauit Dominus Iudæis: *Primi erunt nouissimi & nouissimi primi.* Denique vt doceret templum esse quoddam Nosocomium, in quo cæci illuminari possunt verbo DEI: claudi, & qui non rectè ambulant, erigi ad gressum salutari vsu sacramentorum, maximè pœnitentiæ & Eucharistiæ. Ibi datur epulum publicis Christi sumptibus cùm S. Communio administratur. Ibi distribuitur pecunia cum datur absolutio pœnitentibus.

Ergo Auditores, postquam spectauimus Christi triumphum, non negligamus eius epulum & aurum quod distribuit. Pœnitentia & Eucharistia duo sacramenta sunt hoc paschali tempore omnibus ex præcepto suscipienda: Illa aurum præbet, quo debita nostra exsoluimus: hæc epulum, quo vires animæ debilitatas restauramus. Quòd si ad pecunias colligendas, ad conuiuia quoque impigrè accedimus: cur non multò magis ad hæc, &c.

CONCIO VII.

Causæ triumphantis Christi ingressus.

Prima est, quod breui certissimè victurus erat.	*suam fore gloriosam.*
2. *Quia Christus erat in paschate immolandus.*	6. *Vt exhiberet Iudæis speciem sui Messiæ.*
3. *Vt suum patiendi desiderium monstraret.*	7. *Vt hinc augeretur passionis eius ignominia.*
4. *Vt mortem quodammodo in se prouocaret.*	8. 9. *Vt mundi pompam damnaret, eiusq́; fallacem gloriam ostenderet.*
5. *Vt ostenderet mortem*	

THEMA.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21.

A HOnor triũphi apud Romanos olim fuit illud summum, iucundissimum ac magnificentissimũ præmium, quo præcellentium Imperatorum, qui res in bello præclarè & fœliciter gesserant, virtus & fortuna consueuerat ornari. Quamobrem hic honor non cuiuis passim Victori concedebatur, sed qui ad minimum quinque millia hostium vnâ acie cæcidisset, vt testatur Auctor qui describit Antiquitates Romanorum. *l. 10. c. 29.* Quo prælibatò insurgit non spernẽda Quæstio: quamobrem Christus Dominus hodie ad modum triumphalis pompæ, ingressum suum in Ierusalem voluerit instituere. Ipse enim neque adhuc pugnarat adeoque necdum vicerat hostes. Et vbi quinque millia cæcidit? Adhæc honores mundi fugere potiùs quàm quærere solitus erat Dominus. Quæ ergo huius triumphi causæ & rationes? Audiamus.

B. I. *Quia breui certissimè erat victurus.* PRIMA, Quia tametsi nondum aperto Marte cum hostibus pugnarat, post quatriduum tamen pugnaturus & certissimè victurus erat, & quidem hostes quinque validissimos; qui non quinque millibus sed plurimis hostiũ agminibus æquiualerent: Mundũ, peccatum, Diabolũ, Mortem, Infernũ: (vti suo loco explicabimus.) Hos ergo quia nouerat infallibiliter à se debellãdos, idcirco ante pugnam, palmã sis præripit. Nôrat vires suæ diuinitatis Dominus, quas non nôrant hostes. Nôrat victoriæ suæ trophæa, id est, passionis suæ merita iam dudum antiquis patribus anticipatâ solutione communicata fuisse. Nôrat rationem præliandi & vincendi priùs insuitatam, omnibus incognitam: nimirum ipse si occumberet. Facili negotio debellârunt superiore sæculo Indos & noui orbis Incolas Lusitani, quia beneficio pulueris tormentarij, qui illis adhuc ignotus erat, strauerunt etiam procul existentes balistis suis, quas mirati Barbari persuadere sibi non poterant tali sclopeto, quod fustis longitudinem non excederet, de procul aliquem sterni posse. Consimili modo Diabolus minimè intellexit se posse superari ab eo quem ipse in Crucem mitteret, intellexit verò Christus. Codro Atheniensiũ Regi, cum magno hostium agmine premeretur, oraculum Delphici Apollinis interroganti, quo modo bellum id sedari posset, responsum est: bello finem imponendum si ipse hostili manu occidisset. Ergo rem confectam habebat: induit se vulgari militis habitu & intrauit castra hostiũ, vbi & occisus est suaque illâ morte salutem patriæ tulit. Valer. l. 5. c. 6. Sciuit etiam Christus diuino oraculo constitutum fuisse, vt si ipse *posuisset pro peccato* hominum, *animam suam, videret semen longæuũ* & triumpharet; (*Isa.* 53.) non sciuit hoc Diabolus. Ergo quia certam sibi victoriam præuiderat iam Dominus nouo & insueto more triumphat ante victoriam.

C. II. *Quia agnus paschalis.* SECVNDA, Quia Christus erat in paschate immolandus, figuratus in agno paschali. Porrò is die decimo comparari & induci in vrbem debebat ex lege *Exod.* 12. tum vt agni integritas (debebat enim esse sine maculâ) interim constaret; tum vt eius crebro balatu excitarentur Hebræi ad recolendum Dei beneficiũ redemptionis è seruitute Ægyptiacâ. Cõgruebat ergo vt Christus hodie, id est, quintâ die ante immolationem suam in vrbem induceretur cum solẽnitate; tum vt intermedio tẽpore (quo continuò ferè in tẽplo docebat) cõ-

ſtaret eius innocentia; tum vt eius crebris ſermonibus excitarentur homines ad intelligendum redemptionis beneficium. Propterea illis diebus multas propſuit eò tendentes parabolas: de vineâ & eius improbis agricolis, qui filium Domini ſui ad ſe miſſum occiderunt: de lapide angulari reprobato: de nuptijs filij Regis. Acriùs etiā tunc redarguit vitia Phariſæorum: Prædixit vrbis excidiū, &c. Sed ſurdaſtri illi vocem balantis Agni minimè agnouerunt.

D. III. Vt ſuum patiendi deſideriū monſtraret.

TERTIA. Vt lætitiam cordis ſui, quâ ad paſſionem venit & deſiderium patiendi oſtenderet. Duo enim erant in paſſione Chriſti, acerbitas dolorum, & fructus inde promanans. Ratione primi, peractâ vltimâ cœnâ exiuit ad paſſionē triſtis & mœſtus: ratione ſecundi ingreditur hodie vrbem cum iubilo & triumpho. Cæterùm lætitiâ ſuam publicā, triſtitiam verò priuatam eſſe: illam præmittere, hanc poſtponere voluit, vt indicaret flammas gloriæ diuinæ & amorem ſalutis noſtræ plus in eo potuiſſe, quàm timorem mortis & cruciatuum? (iuxta id Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*; id eſt, nullæ iniuriæ, calumniæ & perſecutiones Chriſti ſufficient ad reſtinguendum eius amorem) adeoque mœſtitiam & horrorem mortis ſolùm in parte animæ inferiore & ſenſitiuā fuiſſe; non in ſuperiore & rationali, quæ mortem conſtanter optabat. Ergo nunc poſthabitis doloribus & ignominiâ Crucis cum iubilo & ſolemnitate progreditur ad paſſionem, quaſi ad nuptias vel conuiuium: quia præ amoris dulcedine ad animas tantùm deſponſandas ſibi attendit, non ad dotē ſanguinis pro iiſdem dandam: ad epulas aſpexit, ſibi vniendas per amorem, non ad pretium mortis pro ijs exſoluendum. Exemplum hoc ſecuti martyres ad martyria volârunt: carbones pro gemmis, craticulas pro lecto florido, cruciatus pro epulis habuerunt, Magdalena illa Iaponica medio in rogo ſertū ſibi carbonibus fecit & capiti impoſuit apud P. Trigaut. *in Triumphis Iap.*

E. IV. Vt mortem in ſe prouocaret.

QVARTA, Vt hac ratione *mortem quodammodo in ſe prouocaret*, vt ait Auctor Imperfecti, quo modo ſcilicet S. Ignatius martyr ad beſtias damnatus dicebat ſe eas prouocaturum ad ſui deuoratione, quòd hoc ſibi immenſum gloriæ pondus in cœlo parturum eſſet. Sciebat Chriſtus ſuo hoc ingreſſu offendendos ſacerdotes indeque anſam capturos ad mortem ſibi accelerandam. Verùm vti Dauid non deſijt ludere ante arcam & ſaltare, tametſi vxori Michol diſplicêre hoc agnouerat, ſed potiùs inde ad ludendum magis excitatus fuit: *& ludam*, inquit, *coram Domino & vilior fiam pluſquā factus ſum* 2. Reg. 6. ita etiam Chriſtus humilem iſtam pompam ac lætitiam noluit intermittere, tametſi eam nouerat diſpliciturum improbis.

F. V. Vt oſtenderet mortem ſuam fore glorioſam.

QVINTA. Vt oſtenderet paſſionem ſuam, licet Iudæis ignominia videretur & ſcandalum foret, apud alios tamen rectè ſentientes fore ſibi glorioſam & victorioſam. Nuſquam enim tot tantiſque modis Chriſti gloria patefacta eſt atque in paſſione, vbi vno verbo integram cohortem proſtrauit, vti olim Sampſon mille viros aſini maxillâ; volens oſtēdere vno hoc ictu, quàm eos ſternere, calcare, diſſecare, conterere & perdere poſſet ſi vellet. Iudas ſua pœnitentiâ, Petrus ſuis lachrymis; Pilatus & vxor eius, latro & Centurio, turbæ denique percutientes pectora ſua, Elementa quoque & cœlum, mortui denique reſuſcitati eius innocentiam & maieſtatem pluſquam humanam conteſtati ſunt; Taceo vigiles ſepulchri & quæ Chriſti reſurrectionem conſecuta ſunt teſtimonia. Quambbrem S. Petrus *ep. 1. c. 1.* vocat eas *poſteriores* Chriſti *glorias*.

G. VI. Vt exhiberet Iudæis ſpeciem ſui Meſſiæ.

SEXTA, Vt haberent Iudæi ſpeciem aliquam Meſſiæ ſui, quem expectârant Salomonis inſtar cum ſplendore & pompâ ad ſe venturum. Interim tamen hanc pompam ita humilitate miſcuit vt oſtenderet eis regnum ſuum non temporale ſed æternum, non terrenum ſed cæleſte, non corporeum ſed ſpirituale eſſe, iuxta prædictionem Zachariæ c. 9. ex quâ diſcere poſſent, venturum Meſſiam pauperem ſuper aſinam & pullum: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi*; q. d. diu deſideraſtis Regem veſtrum Meſſiam regio apparatu. Ecce vobis Regem veſtrum. Veruntamen manſuetum & ſedentem ſuper aſinam, quia non armis, ſed manſuetudine orbem ſuperabo.

H. VII. Vt hinc augeretur paſſionis eius ignominia.

SEPTIMA, Vt hinc augeretur eius abiectio & ignominia in paſſione iuxta Bern. in Ser. 2. Dom. hod. Quantò enim quis glorioſior aliquando fuit, tantò maior eſt eius ignominia, cùm deprimitur. Quoniā igitur Dominus extrema quæque pati voluit, adeoque exceſſum paſſionis facere, ideò hanc ſibi priùs gloriam exhiberi paſſus eſt, vt in altum euectus profundiùs ad tēpus caderet. Quàm diſſimilis mundo Dominus? Mundi & honorum ſectatores priùs ſe humiliant, vt per fictam demiſſionem ad honorum culmina aſcendant. Chriſtus ſe exaltari patitur, vt turpiùs deijciatur; quia ad cæleſtem gloriam per humilitatem aſcendendum nouerat: & quò maior eſt iuſti depreſſio, eò fore maiorem eius exaltationem.

I. VIII. Vt mundi pompam damnaret.

OCTAVA, Vt mundi pompam turgidam, hac ſuâ humili damnaret. Terreni Imperatores cum faſtu & arrogantiâ inſtituebant ſuos triumphos, ſplendidiſſimo vehebantur curru, cui alij iunxerunt Leones vt M. Antonius teſte Plinio *l. 8. c. 16.* alij Elephantes vt Pompeius *ibid. l. 8. c. 2.* & Caius Cæſar Gallico in triumpho, cuius currum 40. Elephantes traxerunt apud Sueton. c. 37. alij Ceruos vt Aurelianus Imper. apud Fl. Vopiſcum in Aureliano; alij Trigides vt Antoninus Heliogabalus, teſte Æl. Lampridio *in Heliog.* alij equas Hermaphroditas vt Nero, auctore Plin. lib. 11. *cap. 49.* alij Reges à ſe deuictos vt Suſacus Ægypti Princeps, apud Ioſeph. *lib. 8. Antiq. c. 10.* nec tamen his tam operoſis conatibus eam ſibi parârunt gloriam, quam hodie obtinuit Chriſtus; nemo eis ſubſtrauit veſtes, nemo acclamauit *Oſanna*: ſed conuitia potiùs in eos iactata ſunt: Iulium Cæſarem mœchum caluum,

uum, Ventidium Bassum mulionem clamabant. Hunc in modum & ipsi Christi serui suo mundi contemptu plus gloriæ consecuti sunt (vti humilis Antonius, Bernardus, Franciscus, &c.) quàm omnes mundi Imperatores suis exercitibus & pompis.

K. IX. Vt fallacem mundi gloriã ostenderet. NONA, At qualis & quàm fallax esset mundi gloria, ostenderet. Hodie obedierunt ei discipuli & imposuerunt eum iumento, post quatriduum eum deseruerunt, vnus negauit, alius etiam tradidit. Hodie obuiam ei processit è ciuitate turba, pòst eiecit eum de vrbe velut malefactorem. Hodie substrauerunt ei vestes suas, posteà spoliârunt eum proprijs. Hodie ramos ei prætulerunt: posteà spinis eum coronârunt. Hodie ramos substrauerunt, postea virgis & arundine percusserunt. Hodie eius laudes cecinerunt, pòst eum illuserunt & blasphemârunt. Hodie Regem suum vocârunt, posteà abiecerunt, clamantes: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Itaque id, quod dicitur 1. Machab. 1. *Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius;* poterat etiam hîc de Christo dici. Hoc igitur exemplo edocti, Auditores, ne fidamus mundo, cùm blanditur nobis & offert gaudia sua. Si enim Domino & factori suo stropham istam texere ausus est, vt subitò demergeret, quem paulò ante exexerat: quantò magis faciet hoc seruis & mancipijs suis?

Quando igitur vidimus iure meritissimo instituisse Christum triumphalem pompam: superest vt nos eundem excipiamus debito cum honore, iunctique discipulorum turbæ, clamemus: *Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domine.*

CONCIO VIII.

Documenta Euangelica.

1. *A Christo discimus Diuinitatis eius attributa, sapientiam, potentiam, &c. Regnorum mundi miserias, boni regis & Dominorũ conditiones.*	2. *A Discipulis, seruorũ & subditorum dotes.* 3. *A turbis, deponere vitia, facere bona, Deo omnia accepta ferre.* 4. *Ab asinâ peccatorum conuersionem.*

THEMA.

Alij autem cædebant ramos de arboribus & sternebant in viâ. Matth. 21.

A. DIuus Bernardus *serm. 1. in hanc Dom.* prælatos & Pastores esse ait qui de arboribus ramos cædunt & pedibus Christi substernunt: dum videlicet è Sanctorum gestis præclara virtutum exempla decerpunt, vti obedientiã Abrahæ, castitatem Iosephi, mansuetudinem Moysis, &c. & Christi pedibus ac iumẽto, hoc est, pauperibus & humilibus proponunt: quomodo scimus Iacob Patriarcham obiecisse ouibus bibentibus virgas decorticatas varij coloris, vt earum conspectu & imagine sibi impressa varias oues gignerent, non irrito affectu, *Genes. 30.* S. Gregorius *in Ezech.* Concionatores esse asserit, qui de arboribus ramos cædunt, cum ex libris Patrum decerpunt sententias. Ergo, Auditores, quando Pastorum & Concionatorum functio est cædere ramos de arboribus: aggrediar & ego hodiernum Euangelium indeque velut è syluulâ decerpam aliquot sententias. Et quia in eo plures reperio insignes arbores, decerpam ab ijs quoque virtutum aliquot ramos. Vos estote velut ouiculæ & contemplamini eos, qua vobis cæduntur, vobis proponuntur.

ARBOR Prima & primaria Christus est, de quo insignes aliquot ramos possumus decerpere. Primò enim monstrat nobis diuinitatis suæ attributa, sapientiam, potentiam, bonitatem, iustitiam. Sapientiam dum vidit, absens licet, in castello asinam & pullum alligatos, monstrauitque discipulis: *statim inuenietis,* inquit. Vidit asinã, vidit pullum, vidit alligatos, vidit Dominos primò obstituros, posteà cessuros. Quis hominum tales oculos habuit? Deus ergo se ostendit, de quo Apostolus ad Hebr. 4. scribit: *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* (Græcè sita, dissecta vel exenterata. q. d. etiam intestina hominis ipsi aperta sunt.) Vidit ergo Dominus asinam, & non videbit peccatorem? vidit asinæ pullum, & non videbit opera peccatoris mala? Vidit asinæ vinculum & non videbit laqueos, quibus alligatus est peccator? B. I. A Christo discimus. Primo Diuinitatis eius attributa. Sapientiam.

Potentiam, dum inflexit corda Dominorum vt mox dimitterent asinos, ad vnicum illud verbum, *Quia Dominus his opus habet.* Quemadmodum enim Exodi cap. 12. posuit Deus virtutem in verbis Hebræorum, vt vasa aurea & argentea, quæ peterent mutua ab Ægyptiacis, statim obtinerent, sicque Ægyptum spoliarent: ita dedit etiam virtutẽ verbis illis, vt facilè obtinerent, quod petebant. Bonitatem, dum ad vrbem passioni suæ decretam vltrò & cum festiuâ solemnitate velut agnus ad victimam accessit. Iustitiam dum ingressus in templum vendentes & ementes eiecit, quod subijcit huic Euangelio Matthæus. Potentiam. Bonitatem. Iustitiam.

Secundò, Monstrat regnorum mundi miserias & splendidã seruitutẽ. Nam Primò, Dominum se appellat quidem Christus, interim tamen indigum ostendit operæ alienæ: *Dominus his opus habet,* inquit. Ita reges Domini quidem sunt, sed indigent tamen longè magis quàm vlli mortales operâ aliorum. Indigent satellitio, alioquin tuti non sunt; Indigent censu & vectigalibus subditorum: indigent officialium plurimorum nec non consiliorum operâ ita vt sine ipsis nihil quidquam possint: indigent exercitibus ad tutandum regnum, &c. Deinde in sublimi quidem vehuntur, alijs in humili constitutis, verùm interim omnium oculis patent, ita vt omnes etiam minimi eorum defectus obseruentur & vulgi fabula fiant. 2. Regnorũ mundi miserias. 1. 2.

3. Tertiò, Sedent in throno vel equitant alijs stan-

ſtantibus vel incedentibus; Sed interim parum quietè degunt. Vt enim Christus Dominus nequaquam commodè vectus est in asino: (ſellâ enim caruit: veſtes parum adjumenti dederunt; adhæc in deſcenſu montis, quò alij ſolent ab equis deſcendere, aſinum aſcendit) ita reges quoque parum quietis, plurimùm verò curarum & moleſtiarum habent. Triumphalis Christi gloria breuis fuit, quemadmodum & illorum, qui Romæ olim triumphabant (vnico enim triumphi die imperium penes ipſos erat) ita etiam *omnis potentatûs breuis vita*, Eccleſ. 10. Vnde bene cum ramis & frondibus Christo obuiârunt, frondes enim, quia radicibus carent, ideóque breuì exareſcunt, typus ſunt mundanæ fœlicitatis & gloriæ. Denique honor ille, quem hodie Christo exhibuerunt Iudæi breuì mutatus eſt in ſummam crucis ignominiam: ita gloria mundi deſinit ſæpe in ſtercus & lutum. Verè ergo dixit Antigonus Rex, regnum eſſe *ſplendidam ſeruitutē*. Senſit & Hadrianus VI. Pontifex Caroli V. præceptor, cuius ſepulchro inciſum fuit hoc Elogiū: *Hadrianus VI. hic ſitus eſt, qui nihil ſibi in vitâ infœlicius duxit, quàm imperare.* Paul. Iou. in eius vita.

3. *Boni Regis & Dominorum conditiones.* Tertiò, Monſtrar boni Regis & ſuo modo etiam aliorum Dominorum dotes & cōditiones. Nam in primis Christus Domini appellationem tribui ſibi voluit: *Dicite quia Dominus his opus habet*; vnde & aſino vectus inceſſit,

1. dum alij pedibus. Ita ergo Rex tueri auctoritatem ſuam debet; ſiquidem per eam continentur in officio ſubditi; viciſſim *dū nimia ſeruatur humilitas, regendi frangitur auctoritas*, in-

2. quit S. Auguſtinus *c quando diſt.* 86. Secundò, Miti in iumēto ſedit; Vnde vocatur Rex māſuetus. Ita decet Reges clementia & manſuetudo. Ad horum inſtructionē Regi apum natura negauit aculeum, vel ſaltem non conceſſit eius vſum, vt ſcribit Plinius. *l.* 11. *c.* 17. Saul ex manſuetudine Dauidis colligit eum fore Regem ſibi ſucceſſurum 1. Reg. 24. *Nunc ſcio quia certiſſimè regnaturus ſis*, q. d. quia mihi vitam cùm eripere poſſes conſeruaſti & donaſti. *Muliebre eſt furere: ira non decet regem*, inquit,

3. Seneca *lib.* 1. *de Clem. cap.* 5. Tertiò. In medio turbæ inceſſit: aliæ turbæ præcedebant, aliæ ſequebantur. Sit igitur & Princeps in medio populi ſui; ita vt æqualiter omnibus ius dicat, attendat, prouideat, ſuccurrat, ac ſi fieri queat in medio ſuorum habitet: quo faciliùs ab omnibus adiri & audiri poſſit. Hanc ob cauſam filij Iſraël dederunt Ioſue Principi ſuo ciuitatē in medio ſui, *Ioſ.* 19. quo modo ſcilicet cor in medio eſt hominis. Regnum enim quo magis Regi ſuo vnitum eſt, eo firmius & validius eſt. Repræſentauit hoc Alexandro Magno, Calanus Philoſophus in corio ſicco, cui dum in limitibus inſiſteret, aſſiliebat: dum verò in medio ſtans id calcabat, quieſcebat vndique. Plut. in Alexandro. Quartò, Non ingreſſus

4. eſt Ieroſolymam ſui causâ, vt ibi rerum potiretur, dominaretur, aliorum opes ad ſe traheret, aut ad ſui ſeruitium ſubditos compelleret, cuiuſmodi ius regis deſcribitur 1. *Reg.* 8. Sed propter Ieroſolymitas & mortales omnes, vt eos redimeret & ditaret meritis ſuis. Vnde dicitur in Euangelio ex Prophetiâ Zachariæ: *Ecce Rex tuus venit tibi.* Debet enim Rex publicā imprimis vtilitatem, non ſuam priuatam quærere, hancque primam & antiquiſſimam curam habere, vt ijs quibus præeſt, bene ſit: ſuas verò commoditates, amœnitates & delitias in poſtremis habere; quomodo & *Ioſue.* 12. tribubus commodiſſimas, ſibi ipſi omnium viliſſimam elegit ſedem, *Ioſ.* 19. Quintò, Ingreſſum & pompam ſuam rectā ad templum inſtituit: 5. ita reges ſæculi pietati addicti eſſe omnemque ſuam gloriam Deo dicare deberent, quomodo *Apocal.* 4. procidebant 24. ſeniores ante ſedentem in throno & mittebant coronas ſuas ante thronū. Atque ex hoc fonte tanti ac tales euaſerunt Conſtantinus Magnus & Carolus Magnus (quorum vterque ſignum Crucis in acie deferebat) Theodoſius vterque, Rudolphus, Carolus, aliique Imperatores ac Reges. Vt enim corpora ſublunaria magnâ ex parte reguntur à cœli ſyderibus quæ à Deo gubernantur & Angelis: ita ſubditi libenter parent Principibus, Deo & diuino cultui addictis, pietatiſque radijs micantibus. Hinc Theodoſius moriens nihil aliud filijs mandauit quàm vt verā pietatem colerent, per quam aſſeuerauit eos pacem habituros, bella ſopituros & victoriam conſecuturos. Niceph. *lib.* 12. *cap.* 1.

Sextò, in templo curauit Christus langui- 6. dos: ita decet Principes eſſe miſericordes & liberales, iuxta id Iſai. 30. *Princeps ea, quæ digna ſunt Principe, cogitabit.* (Hebr. *Liberalis liberalia conſultat.* Græcè, ſit εὐεργέτης, benefactor) Titus Imp. reputabat diem ſibi periiſſe, ſi quo beneficium alteri non contuliſſet. Seuerus Imper. etiam ad immeritos dicebat: *Quid eſt, quod nihil à me petis? An tu me vis, tibi fieri debitorem?*

Denique ſicut Christus non ipſe per ſe aſcendit aſinum, ſed à diſcipulis ei impoſitus eſt: 7. ita Reges & Rectores non ipſi inuolare in dignitates, ſed ab alijs euehi & quodammodo cogi deberent.

SECVNDÒ, Arbores tales ſunt Diſcipuli C. Christi, typus ſeruorum & ſubditorum. Nam II. primò miſſi bini ad ſoluendam & adducendā *A diſcipulis ſeruorum & ſubditorū dotes.* aſinam *euntes fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus & adduxerunt aſinam & pullum.* Itaque præceptum Domini exactè & ad nutum eius executi ſunt, nec erubuerūt tam vile munus obire, neque etiam mandati cauſam curioſè perſcrutari vel mirati ſunt cur nunc præter morē iumento vehi vellet; ſed ſimpliciter obedierūt, quod item facere ſerui debent; Dominorum, inquam, voluntatem pro regulâ habere eique ſe accommodare, non proprio ſenſui; deinde non detrectare vilia opera; quò enim viliora fuerint, eò plus merentur. Certè Saul iam idoneus regno miſſus à Cis Patre ad quærendas aſinas, minimè recuſauit aut erubuit: Vnde ibidem vnctus eſt in Regem, priuſquam domum rediſſet, 1. *Reg.* 9. & 10. Eâdē dignitate poſteà per inobedientiā excidit. Denique nō diſquirere Dominorū iuſſa, cur hoc vel illud præcipiant.

Secundò,

Secundò, Imposuerunt super eos vestimenta sua, quo commodiùs sederet Dominus. Hunc in modum serui procurare Dominorum suorum commoda debent & laborare vt ipsis bene sit, ipsorum quietem & prosperitatem quærere & promouere. Ita Iacob Socero suo Laban seruijt, si quid enim è grege captū à bestiâ foret, non ostendit ille damnum ne ei, ne molestiam ei pareret, sed omne damnū de suo resarciebat; adhæc diu noctuque æstu vrgebatur & gelu, fugiebatque somnus ab oculis eius, quo Dominus domi suæ sine curâ suauiter dormire posset *Gen.* 3.

Tertiò, Sustulerunt eum in iumentum. Ita par est seruos & ancillas non detrahere Heris, sed eos potiùs laudibus extollere, eorum famam tueri, ac si possunt celebres & magnos facere.

D. III. A turbis Christiani omnes.

TERTIÒ, Arbores etiam commendandæ turbæ sunt, quæ Christum exceperunt, docentque hominem Christianum, quæ sint eius partes, nimirum declinare à malo & facere bonum, Deumque in omnibus laudare.

1. *Deponere vitia.*

Imprimis enim exuerunt vestimenta sua & strauerunt in viâ. Vestes à Christiano exuendæ sunt vitia & vitiosi habitus. Non licebat aulam Regis assueri sacco indutum intrare, *Esth.* 4. ita neque cælum ingredi, neque ad S. Eucharistiæ cœnam accedere cuiquā licet sordidâ & pollutâ peccatis animâ. Ergo quisquis talem habitum gerit, hoc saltem tempore exuat & Christi pedibus substernat, neque elapso paschate resumat; quod tamen fecisse videntur Iudæi illi qui post quinque dies resorbuerunt vomitum suum, & quem hodie Benedictum cecinerūt, postea velut maledictū pendentē in ligno blasphemarunt: rectè à Ioanne Baptistâ genimina viperarum appellati. Vt enim vipera murenæ marinæ se mistura deponit venenum, sed postea resumit: ita fecerunt illi; atque vtinam non aliqui eos imitarentur, qui hoc tempore perrecturi ad communionem sacram nuncium aliquamdiu consuetis suis sceleribus mittunt, sed paulò pòst ijsdem rursum se coinquinant. Non ita sponsa illa, quæ ait: *Expoliaui me tunica meâ quo modo induar illâ?* Cant. 5.

2. *Facere bona.*

Secundò, Ramos virides seu frondes partim prætulerunt, vt indicat Ioannes, partim substrauerunt Christo; ramos, inquam, palmarum, vt habet idem Ioannes, & sine dubio, oliuarum etiam passim obuiarum in monte Oliueti. Qui verò sunt hi rami, nisi opera bona gratiæ virore prædita? Palmarum rami opera sunt, quibus tentationes vincimus: Oliuarum rami misericordiæ opera sunt. Porrò ea partim Christo præferre, partim substernere oportet. Præferenda & publicè ad exemplum aliorum peragenda sunt communiter quæ ex præcepto fiunt: sternenda verò & tegenda, quę ex consilio, ne videamur inanem captare gloriam velle.

3. *Deo omnia accepta ferre.*

TERTIÒ, *Clamabant dicentes: Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Pari ratione Christianus in suis operibus bonis Deū laudet, eaque non sibi sed Deo accepta ferat, iuxta id Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis*; scilicet velut causa primaria per gratiam præuenientē excitans nos ad operandū: & per comitantē adiuuans in operando. Dicamus ergo *Osanna* nō nobis: sed *filio Dauid*, Christo. Laudemus Christum, qui per passionem suam acquisiuit nobis merita operum bonorum, nec non sacramenta, quibus ablui à sceleribus, & gratiâ condecorari possumus. Accinamus illi cum hod. turba carmen victoriale, quale præ templi foribus canit hodie Ecclesia: *Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe redēptor, cui puerile decus prompsit Osanna pium*, &c. Quem hymnum composuit in carcere ex falsâ suspicione inclusus à Ludouico Imp. Theodulphus Abbas Floriacensis Anno Domini 835. cumque obseruato tempore, cum hodiernâ die Ludouicus inde transiret è fenestrâ carceris cecinit. Qui cùm eidem Imperatori mirificè placuisset, è carcere eum educi iussit, & pòst etiam Aurelianensium Episcopum creandum curauit. Baron. Anno 835. Placebit etiam Christo Dominò, si hodierno die qualem qualem laudem ei accinamus.

E. IV. Ab Asina peccatorum conuersionés

QVARTÒ: Arbor etiam suis ramis prædita dici potest Asina; siquidem ea præclarum nobis typum conuertendi peccatoris exhibet. Quid enim peccator nisi Asinus, stolidus & insipiēs? Ita enim Psal. 48. dicitur: *Comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Ligatus porro est & *constringitur funibus peccatorum suorum*, Prou. 5. ita vt seipsum soluere non possit, nisi Deus ipsum præueniat gratiâ suâ. His vinculis irretitus nō difficulter à Dæmone abducitur in plura alia scelera, & demum in gehennam. Stabulatur autem in Castello, *quod est contra vos*, hoc est, in mūdo & mundi sordibus fœtidisque voluptatibus, iuxta id Ioëlis 1. *Computruerunt iumenta (* Hebr. *mulæ) in stercore suo.* Mundus porrò Castellum contra Apostolos & sanctos est, quia odit & persequitur illos, qui ad soluenda iumenta hæc mittuntur. Ibi statim adsunt, qui reclament; obsistunt improbi socij, Domini, propinqui: remoras nectit Diabolus: caro remurmurat: *Dimittisne nos*, &c. Cæterùm fortior est Dei gratia si eius ductum sequi velit peccator. Soluunt Discipuli asinum, cùm Confessarij absoluunt à peccatis pœnitentem. Adducunt Asinum ad Christum, cùm disponunt pœnitentem ad S. Communionem. Imponunt ei vestes suas cum ei imponunt salutarem pœnitentiam & opera satisfactionis cum præscribunt remedia ad vitanda peccata & emendandam vitam. Sedere in eodem Christum faciunt, cùm sacram ei Eucharistiam porrigunt. Desuper autem sedere faciunt, cùm instruunt communicantē vt dignè & fructuosè communicet, ita nimirum vt Christus in eorum corde superiorem, non inferiorem locum teneat: ipse sit eques & director, homo sit iumentum eius suaueque eius iugum patienter & cum gaudio ferat. Atque hi sunt rami, hæ frondes, Auditores, quibus obuiam ire Christo decet Christianos, quo pacto non dubitandum fore vt cum Christo & Asini & turbæ

turbæ ingrediantur in cœlestem Ierosolymam maximâ cum gloriâ & cœlitum applausu, iuxta id Ps. 35. *Homines & iumenta saluabis Domine.*

CONCIO IX.

Mysteria.

1. *Quæritur cur duo Discipuli missi sint ad soluendam asinam.*	*vestes.*
2.3 *Cur asina vehi Christus voluerit, & iumentis illis opus habuerit.*	6. *Quare prælati ei rami palmarum.*
4. *Cur asinæ imposita vestimenta.*	7. *Quid turba precedentes & sequentes.*
5. *Cur substrata Christo*	8.9. *Cur voluit Ierosolymis pati, & hoc tempore paschali.*
	10. *Quid sibi velit Osanna.*

THEMA.

Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant dicentes: Osanna filio David. Matth. 21.

A CVm insignes hostium Victores triumphabant apud Romanos, suumque in vrbem triumphali apparatu ingressum peragebant, Arcus triumphales triumphatoribus erigebantur, quibus trophæa & spolia hostiũ & triumphi pompa insculpebantur ad perpetuam rei memoriam; vt scribit Auctor Antiq. Rom. *l.* 10. *c.* 29. cuiusmodi arcus iisque incisæ icones adhuc visuntur Romæ vt Arcus Titi erectus redeunti ab excidio Ierosolymæ (in quo Candelabrum septifidum aliaque Hebræorũ spolia adhuc visuntur marmori incisa) Arcus Constantini M. & aliorum. Nos ergo, Auditores, quoniam hodierno die summus cæli & terræ Imperator mundi, mortis & inferni Victor triumphali pompâ ingreditur Ierosolymam, erigamus & ipsi in mente nostrâ memoriale quoddam huius magni triumphi: incidamus memoriæ, quod hîc gestum videbimus.

B. I. Cur duo discipuli missi ad solu. ndã asinam. QVÆST. PRIMA. Cur duos è discipulis misit Christus ad soluendã asinam? Resp. Primò, vt asinæ Domino faciliùs persuaderent, Dominum eius operam desiderare. Duobus enim faciliùs creditur quàm vni, nec voluit Dominus violentia vti, quando suauiore modo obtineri aliquid poterat.

2. Secundò. Ad commendandam charitatem mutuam, quam huiusmodi combinationibus plantare inter suos discipulos voluit.

3. Tertiò. Ad commendandum bonum societatis posteris seculis, maximè verò religiosis, vt alter alteri testis & inspector, alter alteri adiumento, alter alteri stimulus ad bene agendum sit.

C. II. Cur asinã vehi Christus voluit. QVÆRIT. SECVNDÒ. Cur sedere super asinam voluit? Resp. Primò. Quia id prædictum erat *Zach.* 9. ab ipso igitur implendum fuit.

2. Secundò. Ad commendandam nobis humilitatem & mansuetudinem, vt qui non cum pompâ & splendore ingredi in mundum velut Rex terrenus voluit (quia tale regnum nõ quæsiuit;) sed contrariâ incedere viâ & amplecti paupertatem, humilitatem, mansuetudinem, contemptum, quia hæc viam sternunt ad cæleste regnum.

Tertiò. Alleg. quia asina subiugalis significabat synagogam iugo legis Iudaicæ alligatam: Pullus verò super quem nullus sedit, adeoque liber incedens, populum gentilem, qui nulli legi colla submiserat, adeoque indomitum & exlegem. Quia ergo vtrumque populum Iudaicum & gentilem ad se & Ecclesiam adducturus, demumque in cælestem Ierusalem introducturus erat, idcircò vtriusque animalis vti operâ, atque vt credibile est, successiuè insidere voluit. 3.

Quartò. Tropol. quia Christus non in superbis & phaleratis equis, id est, in inflatis & superciliosis hominibus, sed in humilibus & mansuetis sedem suam quærit. Illi eius iugum excutiunt, hi admittunt. 4.

QVÆRIT. TERTIÒ. Quomodo iumentis illis opus habuit? Resp. Primò. Videtur Dominus ex itinere fessus fuisse, ideoque humano more vehiculo indiguisse. D. III. Quomodo iumentis opus habuit.

Secundò, Ostendere vult se non ambitione, sed necessitate motum vt iumento vteretur. 1.

Tertiò quia iumenta illa Iudæos & gentiles repræsentabant, voluit indicare se hominibus indigere, in quibus sanandis & sanctificandis ostendere posset charitatem, misericordiam; potentiam, sapientiam suam; quo modo præstans Medicus indiget ægro desperato ad comprobandam artem suam. 2. 3.

QVÆRIT. QVARTÒ. Cur discipuli super asinos imposuerunt vestimenta sua? Resp. Primò, Vt Christus Dominus commodiùs sederet, tametsi & hoc subsidium exile est nec omnem incommoditatem tollit. Fecerunt ergo discipuli quod poterant; docentes interim nos, vt Christo in nobis habitanti commodam instruamus sedem, nec molestiam ei creemus admittendo nimis facilè peccata venialia: quæ etsi non excutiunt Dominum, molestant tamen & offendunt. E. IV. Cur asinæ imposita vestimenta. 1.

Secundò. Ad doctrinam nostram, vt Ecclesias & sacra vasa, nec non pauperes, in quibus requiescit Dominus, studeamus ornare & operire vestibus & subsidiis nostris. Vt enim non improbauit neque detrectauit obsequium Apostolorum; ita nequaquam iniquè feret, sed remunerabit potiùs, si nuditatem templorum & pauperum texerimus nostris eleemosynis. 2.

Tertiò. Quia anima in quâ Christus sedem suam quærit, non debet esse nuda, sed ornata fide, spe, charitate, aliisque virtutibus & moribus Apostolorum, vt docet S. Bern. *Serm.* 27. *in Cant.* 3.

QVÆRIT. QVINTÒ. Quare turba substrauit ei vestes & ramos? Respõdeo primò, causâ honoris & reuerentiæ, quasi non deceret vt tantus Dominus super nudâ humo incederet. Est autẽ dubio procul honor magnus, subster- F. V. Cur substratæ Christo vestes.

nere

nere alterius pedibus, quod sibi ornamento & honori est, vti vestimentum. Fecerunt hoc Iudæi Iehu in regem electo, adornando ei tribunal è suis vestibus, 4. Reg. 9. Imò & Gentiles Catoni Vticensi à se discedenti, apud Plut. in eius vitâ.

2. Secundò, Mysticè ad instructionem nostram, vt sciamus nobis exuendos vitiorū habitus, Christoque in pœnitentiâ substernendos, si velimus eum ad nos ingredi. Idem volunt rami de arboribus cæsi & substrati Christo, significant enim mundi delitias & carnis illecebras, quas præscindere oportet & abijcere in lutum, à Christo conculcandas, vt Magdalena fecit, quæ oculos olim impudicos, capillos olim luxuriantes abiecit ad Christi pedes. Hinc *Ezech.* 8. reprehenduntur qui in templo existentes *applicant ramum ad nares*, hoc est, qui vanitate & lasciuiâ sensus suos oblectant.

G. VI. Quare prælati ei sunt palmarum? QVÆRIT. SEXTÒ, Quare prætulerunt ei ramos eosque palmarum, vt scribit Ioannes? Resp. Primò fecisse hoc ad lætitiam indicandam, quod fecerunt postea Iudæi etiam Agrippæ Regi teste Iosepho in legat. ad Caium, frondibus & floribus eum aspergendo. Porrò

1. cùm rami seu potiùs folia palmarum omnia in culmine palmę sint, adeoque non nisi difficili ascensu decidi possent: (Palma enim vnicus erectus stipes est, nullos in ramos secta, vti aliæ arbores) inde colligi populi feruor ad honorandum Christum potest.

2. Secundò, quia palma typus est victoriæ, vti aliàs exposui, cùm ponderi non cedat sed resistat. Christus autem ad victoriam reportandam de mundo, peccato & Diabolo ingressus est Ierosolymam; quâ de re iam diximus alibi.

H. VII. Quid turbæ præcedentes & sequentes. QVÆR. SEPTIMÒ, Quid sibi volunt turbæ præcedentes & sequentes? Resp. significare vniuersum fidelium cœtum: quorum alij præcesserunt Christum vt Hebræi: alij sequuntur, vti Christiani. Ex his aliqui Christū in iumentum tulerunt, vt Apostoli & eorum Successores, Pontifices, Doctores, Concionatores, qui Christi fidem intulerunt orbi, nationibus, prouincijs & priuatis quibusque hominibus; qui priùs asini erant sine iugo; postea Christi iugū in se susceperunt. Alij palmas præferunt & hi sunt SS. Martyres, qui pro Martyrij palmâ obtinendâ sanguinem fuderunt: alij ramis viridibus viam instrauerunt, & hi sunt omnes, qui virore castitatis mundissimam Christo viā in se præpararunt: alij vestes exuerunt eique substrauerunt, & hi sunt religiosi, qui Christi amore exuerunt mundi amorem & cum eo omnia sua terrena bona & commoda. Alij clamabant: *Osanna*, &c. Et hi sunt SS. Confessores, qui voce & vitâ Christi gloriam testati sunt, &c.

I. VIII. Cur voluit Ierosolymis pati. QVÆR. OCTAVÒ, Quare voluit Ierosolymis pati? Resp. Ob plures causas. Prima est, quia ibi tantùm immolabantur hostiæ, quæ erant figuræ passionis Domini: præsertim Agnus paschalis, qui non nisi Ierosolymis immolabatur

1. & comedebatur. Ididem etiam Abraham in monte Moria parauerat immolare filium; in quo Christi immolatio perspicuè repræsentatur.

2. Secunda, Quia passio Christi in bonum totius mundi decreta erat, ergo decebat vt in medio orbis perageretur; Ierosolyma autem in medio orbis tunc habitati sita erat, confinis Asiæ, Africæ, Europę. Vt ergo toti mundo faciliùs innotesceret præcipuum fidei mysterium, passio, inquam, Christi congruentissimè facta est Ierosolymis, vnde imprimis Asiæ, deinde per mare mediterraneum Africæ & Europæ citò insinuari poterat.

3. Tertia, Quia voluit in passione vti summos dolores, ita summam quoque sustinere ignominiam, quæ sine ex eo mirum in modum aucta est, quòd in loco celeberrimo crucifixus est. Transfigurationi suæ elegit Dominus montis recessum, locum nemini conspicuum: crucifixioni verò suæ locum patentissimum. Ita nos præclara nostra tegere, humilia nostra pandere decet.

4. Quarta, Quia voluit afflictissimę & deploratissimæ vrbi præsentissimo mederi Pharmacu sanguinis sui. Corruptissimam fuisse Ierosolymam patet non difficilè, quia celeberrimæ & opulentissimæ vrbes communiter sunt perditissimæ. Confirmatur ex ore Christi, qui *Luc.* 13. dixit: *Non capit prophetam perire extra Ierusalem.* q. d. adeò confluxit in hanc vrbem colluuies malorum, vt grauissima quęque scelera & cædes prophetarum nullibi ferè nisi in hac fiant. Quoniam ergo Ierosolyma tam desperatè laborabat, voluit ei Deus præsens ipse mederi pretioso suo sanguine, quantum in ipso erat. Quòd si hoc nihil proficeret, pateret toti orbi eam proprio demeritu euersam esse velut incurabilem.

5. Quinta, Quia Ierusalem visio pacis exponitur. Ad hoc autem Christus passus est; vt DEO reconciliaremur, & pacem demumque Deum in cœlesti Ierosolyma videremus.

K. IX. Cur tempore paschali. Q. NONÒ, Cur tempore paschali. Resp. Primò, quia eodē tempore agnus paschalis immolabatur qui Christi immolandi typus erat. Secundò, Quia eo tempore plurimi ex omni Iudæorum terrâ confluebant Ierosolymam. Voluit autem Dominus coram tantâ multitudine pati, quia vti communis erat passionis fructus, ita ignominiam suam voluit esse maximam, suamque crucifixionem plurimis conspicuam.

L. X. Quid sibi vult Osanna. Q. DECIMÒ. Quid sibi vult *Osanna*. ex Hebręo idiomate non translatū? Resp. Primò. Indicat vocem hanc gratulatoriam Iudæis vsitatam & solemnem, adeoque ab omni turbâ expressè & vno ore acclamatam fuisse: quomodò nos electo Regi accinimus: *Viuat Rex*: Proinde etiam pulchrum esse in Ecclesiâ quando omnes vno ore Deum honorificant.

Secundò Ostendit opus non esse, vt in maternâ & notâ linguâ Deum semper laudemus; posse etiam in peregrinâ laudes ei canere, quod faciunt Moniales, &c. Etenim pueri quoque Hebræorum vocem Osanna acclamârunt; non tamen intellexerunt: imò nec turbæ, si intelli-

telligatur vox de Regno Christi æterno & spirituali. Hinc ergo vt vniformior & grauior esset Dei laus, Ecclesia à diuino officio exclusit maternam linguam. Possunt autem & Idiotæ cum sacerdote latinè orante mente suam coniungere ac petere vt DEVS concedat id, quod Sacerdos omnium nomine postulat; quia licet eius orationem non intelligant, habent tamen fructum deuotionis erga Deum & reuerentiæ erga preces sacras. Hinc S. Iordanes rogatus an placerent Deo Monialium preces, quas non intelligunt, respondit: *sicut gemma in manu rustici, qui non nouit pretium eius, tantum valet quantum in manu aurificis & gemmarij, qui pretium nouit; sic & preces tantum valent in ore indocti, qui eas non intelligit, quantū in ore docti, qui intelligit*; perinde ac libellus supplex qui à rustico & Idiota Regi porrigitur, tantundem à Rege impetrat, quantum alius, qui à viro docto exhibetur. Idipsum alio simili demonstrat in vitis Patrum Abbas Pastor cùm quidam ei conquerendo diceret: *Ecce oro, & non est compunctio in corde meo: quia nescio virtutem* (significationem) *verbi*. Respondit: *Et tu tamen orare perge; quoniam sicut incantator licet virtutem verborum, quæ dicit, nesciat, serpens tamen audit & intelligit ea, usque subijcitur incantanti, & humiliatur: sic & nos, quamuis ignoremus virtutem eorum quæ loquimur, dæmones tamen audientes ea intelligunt, terrentur atque discedunt.*

FERIA QVINTA IN COENA DOMINI.

Euangelium Ioannis 13.



Nte diem festum Paschæ, sciens IESVS quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœnâ factâ, cùm Diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Scariothis, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœnâ, & ponit vestimenta sua. Et cùm accepisset linteum præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorū, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonē Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respōdit IESVS & dicit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autē postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei IESVS: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes, sed & manus & caput. Dicit ei IESVS: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed nō omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterum dixit eis: scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, it & vos faciatis.

CONCIONES.

CONCIO I.

Lotio pedum quid doceat, mandet, suadeat.

In lotione pedum Apostolicorum, dedit Dominus

1. *Exemplum Dominis, seruis & patribus.*
2. *Documentum omnibus, vt intelligamus quomodo redempti simus.*
3. *Preceptum peragendæ pœnitentiæ omnibus ad mensam Eucharistiæ accessuris.*

THEMA.

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodū ego feci, ita & vos faciatis. Ioan. 13.

NOn exemplum tantùm, verum & documentum, & præterea præceptum dedit nobis

nobis Dominus in lotione pedum Apostolicorum. Exemplum, dum præiuit nobis in opere humilitatis, nullis retro sæculis audito. Documentum, dum instruxit nos eâ cæremoniâ quid nostræ salutis causâ fecerit, vti nos redimeret. Præceptum, dum eo facto tacitè præscribit legem pœnitentiæ & dispositionem necessariam ad S. Communionem. Igitur hæc tria accuratiùs expendamus.

B. I. Est exemplum. 1. Dominis. Primò. Dedit exemplum Dominis, seruis, patibus. Dominis vt sciant prudenter sese gerere erga suos subditos. Primò memores sint humilitatis, nec despiciant pauperes & subditos suos, sed condescendant illis. Ecce enim Dei filius; cui cœlestis patet omnia in manus tradidit, incipit seruire seruis suis, genua coram eis submittit & lauat eorum pedes. Quis tale vnquam spectaculum vidit? *Quid superbis terra & cinis*, videns Deum tuum adeò se demittere? Hoc ergo tam stupendo exemplo excitati quamplurimi terræ Domini, idem imitari magnâ æmulatione studuerunt. Imprimis Romani Pontifices, qui hodierno die pauperum pedes lauant; quemadmodum ipse vidi. Deinde Reges & Principes, vti Theodosij senioris & Maximi, Imperatorum Coniuges in Hist. Eccl. l. 2. c. 2. hodieque Galliæ Reges qui duodecim mendicis hoc die pedes abluunt & lautum epulum præbent. Postea Episcopi & Prælati. S. Thomas Cantuariensis Episcopus honori sibi duxit pauperes tredecim quotidie conuocare; flexis genibus pedes eorum lauare & cœnantibus ministrare, vt refert Heribertus de Hosean in eius vitâ apud Sur. *to.* 6. Idem fecit S. Carolus Borromæus cum proceribus ciuitatis Mediolanensis in Iubilæo habito Mediolani anno 1575. sicque Romæ à Cardinalibus, Episcopis, alijsque vrbis optimatibus quouis Iubilæo magna contentione, & vt ita dicam, piâ ambitione. Elapsi anni 1600. Iubilæo Clemens Papa VIII. ipsemet obiens Hospitalia, peregrinorum pedes lauit & necessaria eis prouidit teste Bellarmino in Chronologiâ suâ. S. Martinus eodem Christi exemplo edoctus seruijt vicissim famulo suo, calceos ei detrahendo, cœnanti ministrando, Sulpit. in eius vitâ.

2. Secundò, Memores paternæ solicitudinis, vt prospiciant iisdē subditis & pauperibus de rebus necessarijs, adsint in aduersis atque ita velut lauacro labores eorū leniant quemadmodū & Christus sordes discipulorū abstergere nō erubuit. Imitata est hoc exemplū inter alios S. Fabiola nobilissima Romæ matrona, de qua S. Hier. in eius Epitaphio scribit: *Quoties morbo regio & pedore confectos humeris suis ipsa portauit? quoties lauit purulentā vulnerū saniem, quam alius aspicere non valebat? præbebat cibos propriâ manu & spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat.* Pari modo S. Elisabetha regis filia & Thuringiæ Princeps non erubuit mendicorū afflictorum vulnera tergere, ctinem pectere, caput lauare, plagas velo capitis sui circumligare, leprosis ministrare, apud Marul. l. 1. c. 5. Viderint porro ij, qui subditos suos egentes & fortè animam agentes, veluti canes essent, deserunt, quàm longè recedant à Christi exemplo.

3. Tertiò. Memores sint debitæ correctionis cùm indigebunt subditi, ita nimirū vt eorum errores primò suaui admonitione velut aquâ abluant; deinde linteo moderatæ punitionis, si opus fuerit, abstergant: non abradant cutem.

2. Serui. Secundò, Seruis vt industriè & solerter seruitia sua obeant, quem a modum & Christus hodie ministrauit suis discipulis. Vnde ait Lucæ 22 *Ego autē in medio vestrûm sum sicut qui ministrat.* Iam quâ ratione ministrauit Christus? 1. Primò. Surrexit à Cœnâ, vt peragetet lotionis ministeriū; ita ergo & serui nihil non libenter deserant, vt exequantur iussa, atque vt res Dominorum curent, etiam cœnam suam abrumpant. 2. Secundò. Posuit vestimenta sua: pari modo seruus, quod agit, grauiter & seriò agat tanquam redditurus aliquādo rationem, & hero suo & Deo. Qui strenuè laborare volunt, vestibus se exspoliant: pigri autē serui minimè id faciunt. 3. Tertiò. Præcinxit se linteo: facient hoc & serui, si candidè & syncerè, non fictè & ad oculum seruiant. 4. Quartò. Misit aquā in peluim, ita etiam serui decorè & industriè omnia sua peragant, rē Domini cordi habeant & promoueāt ac si esset propria: nihil in heri dānum effundant aut abijciāt; quod vsui esse potest. 5. Quintò. Lauit pedes discipulorūm; ergo etiam subditi non detrectent obire munia licet vilia & sordida. 6. Sextò. Extersit linteo; quod etiam facient serui, si Dominorum famam, honorem, opes, aliaque pro viribus defenderint; tametsi propterea ipsi pati aliquid debeant.

3. Paribus. Tertiò, Paribus, vt mutuæ charitatis officia altet alteri exhibeat. Ait enim Dominus: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Quemadmodū ergo Christus dum pedes discipulorum lauit & abstersit, eorum sordes in se transtulit: ita & nos defectus & peccata proximorum quodammodò abstergemus, si compassi ipsis fuerimus: Si in spiritu lenitatis eos instruxerimus: Si fraternam correctionem adhibuerimus: Si pro ipsis orauerimus: Si eorum peccata voluntarijs ieiunijs, eleemosynis vel flagellis expianda in nos susceperimus. Huc respexit Apost. cùm *ad Gal. 6.* dixit: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi?* Legem, inquam, illam, quam & ipsâ lotione insinuauit, & mox postea apertè tradidit, scilicet: *Hoc est præceptum meū, vt diligatis inuicem.* Onera verò quid sunt nisi peccata? *Hoc onus*, inquit S. Basilius in Regul. Breuior, Reg. 178. *inter nos vicissim alij ab alijs tollimus, quoties operam damus, vt hi, qui peccauerunt & lapsi sunt, resipiscant.* Porrò quemadmodum Christus non discipulis tātùm, sed etiam proditori suo pedes lauit & abstersit: ita non amicorum solùm, sed etiam inimicorum peccata supportare, tegere & tergere decet Christianos.

C. II. Documentum, quomodo redempti simus. Secundò. Documentum omnibus & singulis, vt intelligeremus, quid & quantum fecerit nostræ redemptionis gratiâ. Hac enim lotione materiali adumbrauit aliam, mysticam longè nobiliorē, quâ *lauit nos à peccatis nostris in* san-

1. *anguine suo*, vt ait Ioannes *Apoc.* 1. & exponit S. Augustinus *tract.* 55. *in Ioan.* Primò enim surrexit à cœnâ, cùm è sinu Patris & gloriæ cælestis prodijt offerens se in redemptorem generis humani.
2. Secundò Posuit vestimenta sua, cùm gloriam & maiestatem diuinitatis suæ tegens, *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo.*
3. Tertiò, Linteo se præcinxit, cùm se carne mortali vestijt, contextâ quidē illâ artificio spiritus S. ex purissimo Virginis sanguine quasi ex filis tenuissimis.
4. Quartò, misit aquam in peluim, cùm in circumcisione, agonia, flagellatione, coronatione, crucifixione sanguinem suum pro nobis adeò copiosè & promptè effudit ac si fuisset aqua tantùm, iuxta id Psalm. 21. de passione scripti: *Sicut aqua effusus sum.* Peluis terram sterilem, vel Sacramenta notat: hæc quoties suscipimus, toties Christi sanguine abluimur.
5. Quintò, Lauit pedes nostros, siue quando se obtulit tortoribus; siue quando prætiū nostræ redemptionis, pretiosissimū scilicet sanguinem suum pro peccatis nostris Deo Patri obtulit; siue quando Sacramenta instituit.
6. Sextò, Extersit linteo suo, quando omnes peccatorum nostrorum sordes in se transtulit & in Cruce expiauit, quasi essent ipsius propriæ, iuxta Prophetiam Isaiæ c. 53. *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit.* Et mox, *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Hinc ergo nos mundati quidem & Deo reconciliati sumus, ipse verò in Cruce totus deformatus & à patre derelictus fuit. Vnde Isaias ibid. ait: *Putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo.* Quis verò eum impulit in hanc calamitatem? Amor, quo, vt ait Ioannes, *in finem dilexit nos*; adeò nimirum, vt magis diligere non posset. vt exponit Rupertus. Qui nimium incaluit, vestes exuit. Incaluerat Dei filius hominum amore, idcirco propter eos exuit se vestimentis suis, lauitque scelera nostra tanto suo sudore. Nimirum si non lauisset, perijssemus nos, nec vel minimam partem potuissemus cum ipso habere. Quare quisquis esse vult particeps regni Christi, fit particeps & lotionis, in susceptione Sacramentorum. *Nisi enim lauero te*, inquit, *non habebis partem mecum.*

D. III. Præceptum peragendæ pœnitentiæ. Tertiò, Præceptum peragendæ pœnitentiæ dedit omnibus accessuris ad mensam Eucharistiæ; si quidem lotionem hanc peregit ante institutionem Eucharistiæ: ideoque statim explicans, quid sibi vellet ea lotio, subiecit. *Quod ego facio nescis modò, scies autē postea.* Mox enim instituit examen conscientiæ inter discipulos dicens: *Vnus vestrûm me traditurus est.* Vnde cœperunt singuli sciscitare, *Nunquid ego?* &c. Quod quidem luculenter postea expressit Paulus, cùm historiam cœnæ Domini recensuit dicens: *Probet autem seipsum homo*, &c. 1. *Cor.* 11. Esse autem præceptum colligitur ex eo: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum*, id est, non participabis de mensâ meâ. Declarauit etiam Concilium Tridentinum pœnitentiam & confessionem post admissum lethale peccatum, præmittendam ex præcepto S. communioni. Mos erat veteris legis sat frequens lauare ante comestionem pedes. ita Abraham attulit aquam, quâ lauarentur pedes hospitum *Gen.* 18. Ita frater Ioseph, allatam aquam eo cōmedant, allatâ ad eos aquâ iubentur lauare pedes, *Gen.* 43. Ad quid verò pedes & non os, aut manus? Pedes secundum Augustin. *tract.* 56. *in Ioan.* affectus humanos denotant, quia sicut à pedibus rapitur, quò tendit corpus: ità ab affectibus internis animus ad externa opera. Iræ affectus hominē ad vindictam rapit, amor turpis in libidinem, auaritia in rapinas, inuidia in detractionem. Eiusmodi pedes erant Iudæ: Sinister erga Dominum affectus, & voluntas tradendi. Quid igitur? Lauandi sunt in confessione pedes isti manu sacerdotis, capiti pœnitentis impositâ & dicentis; *Absoluo te.* Affectum ponderat Deus, non effectum, & iuxta affectum pœnitentis valet hæc ablutio. Non lauat os Confessarius, quo ais te pœnitere & emendare velle, quia mentiri potes. Non lauat tibi manus, quibus externo habitu te monstras pœnitentem, quia hypocrita esse potes. Pedes lauat, iuxta affectum tuum absoluit te, si nimirum verè & syncerè doleas & confitearis.

Sed quod, ais, est istud Examen? quæ ablutio? Ponderemus acta Domini. Is primò surgit à Cœna. Surge & tu peccator à peccatorum conuiuio. Cum quo enim cœnas? Cum Iudâ, cum Diabolo; nam, *vnus ex vobis Diabolus est*, ait Dominus. Sed hoc non vides, quia cœnas, quia in delitijs versaris. Quis tibi foret animus si scires te cœnare cum latronibus, qui te adoriri, & occidere quærunt? Nónne statim fugeres & fugam molireris? Certè Dominus ob præsentiam Iudæ *turbatus est spiritu & protestatus est, quia vnus ex vobis tradet me.* Ioan. 13. Cur non turbaris tu & quasi de vi illatâ tibi protestaris, cùm te mundus, caro, Dæmon laqueis suis retinet? 1.

Secundò, Ponit vestimenta sua. Depone tu peccata tua in aurem Confessarij, denuda coram illo tuam conscientiam; & si quos habes prauos habitus tibi adhærentes, exue saltem quoad effectum, vt in ijs tibi non placeas, sed displicias potiùs studeasque eos deponere. 2.

Tertiò, Linteo se præcinxit. Fac tu hoc peccator proponendo firmiter vitæ emendationem eoque sancto ac candido proposito temetipsum stringe & constringe, vt quodammodo impotens ad peccandum fias. 3.

Quartò, Misit aquam in peluim. Adhibe & tu lachrymas contritionis vel dolorem saltem de peccatis tuis. Quod si lachrymæ non fluant, dole quod non fluant & dic cum Ieremiâ c. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte.* 4.

Quintò, Lauit discipulorum pedes. Facit hoc Sacerdos qui te abluit, cùm absoluit. Facis etiam tu, cùm te sacerdoti abluendum præbes. Porrò noli pedes tuos retrahere cum Petro & infra scamnum abdere: noli excusare, palliare aut celare peccata tua; dic potiùs cum eodē Petro meliùs sentiente: *Domine non tan-*

tantùm pedes, sed & manus & caput. Nisi enim laueris per synceram confessionem, non habebis partem in regno Dei.

Sextò, Extersit pedes linteo. Tertiò hæc satisfactio est pars vltima pœnitentiæ, quæ reatum pœnæ tollit, si non prorsus, saltem ex parte; præterea hominem sanat (si congrua sit) & tergit ne tam facilè rursum sordes contrahat (madidi enim pedes magis attrahunt sordes, quàm tersi) iuxta id Cant. 5. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Huiusmodi linteum & tersorium est oratio, ieiunium & eleemosyna, aliaque pietatis opera post peractam pœnitentiam adhibenda & S. Communioni præmittenda. Neque enim decet vt madidis adhuc pedibus seu mente indispositâ mox à confessione ad mensam illam curramus. Tergendi priùs inordinati affectus, mens in Deum eleuanda: meditanda diuina beneficia à Christo partim percepta, partim percipienda: quod indicat illa exhortatione, post lotionem factam, Christus: *Scitis quid fecerim vobis?* Ergo, Auditores, imitemur Ducis nostri exemplum, audiamus Doctoris nostri documentum, impleamus Legislatoris nostri præceptum, &c.

CONCIO II.

Institutionis Eucharistiæ causæ seu fines tres.

Instituta est Eucharistia ob tres rationes potissimum:

1. *Vt esset memoriale Saluatoris; amoris, vita ac passionis eius.*
2. *Vt esset sacrificium altaris Deo offerendū.*
3. *Vt esset cibus nutrimentum nostrum, contra venenum pomi illius pestiferi, nam cæcitatem mentis illuminat, concupiscentiam sanat & mortem eliminat.*

THEMA.

Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Ioan. 13.

A. Scitis, Auditores, quanta mala intulerit primis nostris parentibus totique generi humano arbor illa vetita, & contra Dei mandatum degustata. Toxicum enim & venenum fuit omnibus hominibus. Sed hodierno die Christus præsentissimum antidotum & theriacam huic veneno præparauit, S. Eucharistiam, quam hodie instituit & horto Ecclesiæ suæ inseruit velut arborem vitæ contra arborem mortis. Itaque rectè dicimus cum Euangelistâ: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Dilexit sanè nos etiam in paradiso, quando paternè monuit ne arborem vetitam attingeremus, vtpote mortiferam. Sed in finem & extremè dilexit nos, cùm etiam præuaricatores morti addictos iterum sanauit præclarâ illâ theriacâ Corporis & sanguinis sui. Hoc verò vt dignè æstimemus, videamus fines, quorum gratia instituit tantum mysterium.

B. D. Thomas *opusc.* 58. c. 1. tres assignat fines: memoriam saluatoris: Sacrificium altaris: Cibum hominis; contra tria videlicet mala, quæ ex primo illo peccato contraximus, quæ sunt; Obliuio Dei: Furtum, cui obnoxij eramus: & virus, quo ob esum pomi infecti. Primum malum indicat Ecclesiasticus c. 10. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius.* Nimirū per obliuionem. Dæmonem enim primi parentes dum audierunt, hoc ipso Dei mandatum quasi obliti postliabuerunt. Alterum malum indicatur Gen. 3. cùm dicitur: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis aspectuq́, delectabile: & tulit de fructu illius & comedit deditq́, viro suo.* Ecce furtum, quo se obstrinxerunt. Tertium indicatur Gen. 2. à Deo dicente: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* En mortiferum venenum.

His itaque malis tollendis instituta Eucharistia & PRIMÒ vt esset memoriale Saluatoris, contra obliuionem Dei. *Hoc*, inquit Dominus, *facite in meam commemorationē.* Sed quæ illa commemoratio? Primò amoris Domini; qua, vt testatur Ioannes, *in finem dilexit suos,* hoc est adeò vehementer, vt non posset magis, vt exponit Rupertus. Qui ergo scire vult, quantus fuerit erga nos amor DEI in hoc diuinum sacramentum oculos coniiciat. Verus amor & vehemens optat vnionem & facere se vnum & idem cum amato. Hinc enim qui amat, omnes suas actiones, sensus & cogitationes transfert in rem amatā, ita vt actu non in amante sed in amato inueniantur. Hoc fecit in Eucharistiâ Christus dum à nobis sumi adeoque nos sibi incorporari & intimè vniri voluit. Verus amor solet benefacere amato, eumque facere participem omnium bonorum suorum. Fecit & hoc Christus, dum in Eucharistiâ seipsum nobis præbuit cum carne & sanguine omnibusque meritis & thesauris suis, quos per sacrificium carnis & sanguinis sui acquisiuit. Quemadmodum enim Elias amorem suum erga discipulum Elisæum demonstraturus; cùm tolleretur curru igneo, reliquit ei pallium & duplicem spiritū suum, vt ita partim in paradiso sursum, partim in Elisæo deorsū degeret: ita Christus Dominus in cœlum ascensurus, Ecclesiæ suæ in amoris signum reliquit pretiosissimā vestem carnis suæ, vt partim in cœlo inter beatos, partim in terrâ inter viatores versaretur & per hoc in nos spiritū suū transfunderet eumq; duplicē ad amādum DEVM, & proximum, ad faciendū bonum & vitandum malum: ad faciendum & docendum: ad agendum & contemplandum, &c. Veri amoris est quærere amorem reciprocum, & sæpe amor tam est vehemens, vt hunc per philtra & pocula amatoria nitatur obtinere: adhæc quandoque se transformat, &, vt ita dicam, transuestit in formam alteram vt amati præsentiâ frui possit. Vsq; etiā huc peruenit amor Christi, qui vt amore suo reciproco nos accenderet, buccellam nobis talē temperauit, quæ sacris verbis consecratur: transformauit etiā se in speciē panis, vt intimè nobis iungi posset. Verus & tener amor solet da-

1. Vt sit memoriale Saluatoris.

1. Amoris eius.

re amato placita & iucunda, quemadmodum patres filiolis emūt ensiculos, aliaque crepundia. Idem fecit Dominus qui sub specie panis & vini sacramentum hoc instituit & speciem suam occultauit, vt præberet nobis dulcedinē & refectionem spiritualem absque nostro horrore. Veri amoris est, desiderare præsentiam amati eique semper adesse. At Christus hoc sacramentum ita instituit, vt semper in eo nobis adesset, quandiu species sacramenti perseuerant, atque adeò vt inter nos semper habitaret, si nos velimus: non obstante eo, quòd in cœlum ascendit & sedet ad dexterā patris. Denique verè amans pergit etiam amare, quādo subinde ab amato malè excipitur, nec absterretur statim eius ingratitudine. Christus se communicat in hoc sacramento multis etiam ingratis, qui malè & indignè eum accipiunt; quodque obstupescendum est, quærit amorem hominum, à quibus ipse non pendet, sed qui ab ipso tanti quanti sunt dependent, ideoque ipsius amorem omnibus ambire modis deberent. Taceo quod instituerit hoc sacramentum quando sciebat sibi parari à Iudæis crucem & necem. An non igitur hoc sacramentum memoriale est amoris diuini?

2. *Vitæ & passionis eius.* Secundò. Vitæ & passionis Domini. Est enim Eucharistia Primò memoriale vitæ Domini. Quâ ratione? Primò pronunciatis Deiparæ verbis: *Ecce ancilla Domini:* mox Verbum

1. *Vitæ.* caro factum est & habitauit in nobis: similiter

1. post verbi consecrationis statim adest in Eu-

2. charistiā Christus & habitat inter nos. Secundò, Christum in lucem editum venerati sunt pastores & Magi: ita Christum à consecratio-

3. ne statim adorant Sacerdotes & populus. Tertiò, Christus quadragesimo à natiuitate die templum est ingressus, idem in S. Hostiā paulò post consecrationem ingreditur ad communicantem quasi in templum suum. Quartò Chri-

4. stus Herodem fugit & patriam suam deseruit, tenerâ adhuc in ætate; idem non multò post communionē recedit à communicante, quando scilicet corrumpuntur species: sed ab im-

5. probis & in peccata relabentibus fugit. Quintò Christus aquam in vinum vertit: & hic pa-

6. nem & vinum mutat in corpus suum. Sextò in mortali vitā degens modico pane maximā hominum multitudinem pauit: in S. Eucharistiā pascit modicā hostiā Christianos omnes.

7. Septimò inter homines viuens morbos depulit, dæmones expulit, leprosos sanauit, mortuos excitauit, eosdem effectus exhibet spiritualiter dignè communicantibus.

2. *Passionis.* Secundò, Memoriale passionis Domini. Nam in sacrificio Missæ objicitur nobis velut mortuus & exsanguis, dum sub specie panis & vini separatim exhibetur, quarum alterā seorsim repræsentatur caro, alterā verò sanguis: præsertim cùm sub vnā specie sumitur, mors Domini clarè exprimitur. Quoties ergo sacrificio huic interfumus, quoties inde participamus, toties nobis Christum velut pro nobis mortuum ante oculos ponamus. Non tradamus obliuioni tantæ rei memoriale, quod per Iob c. 16. monuisse videtur Christus: *terra ne operias sanguinem meum,* id est, noli terrenarum rerum amore obruere & obliuione sepelire beneficium passionis meæ, vt exponit Philippus presbyter.

Secundò, Vt esset sacrificium altaris Deo offerendum, in compensationem furti in eum olim patrati. Hoc etiam indicauit Dominus, cùm in Eucharistiæ institutione dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* q. d. Sic conficite & offerte Eucharistiam in mei memoriam qui me obtuli pro vobis Patri in cruce figendum modo veri & cruenti sacrificij, huiusque oblationis memoriam posteris repræsentate. Hinc ergo *Christiani*, inquit S. August. l. 20. contra Faustum c. 18. *iam peracti sacrificij in cruce memoriā celebrant sacrosanctā oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.* Optimè verò & sapientissimè hoc Christus egit. C. II. *Vt sit sacrificium altaris.*

Primò, vt cruenta illius oblatio perfectè nobis repræsentaretur, nosque ad gratiarum actionem excitaret. Hinc Eusebius Emissenus: *Quia corpus, inquit, assumptum Dominus oblaturus erat ab oculis nostris & sideribus illaturus, necessarium erat vt nobis sacramentū corporis & sanguinis sui consecraret vt coleretur iugiter per mysteriū, quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana & indefessa curreret pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio & perennis illa victima viueret in memoriā.* 1.

Secundò, Vt religio Christiana suum haberet suaque sublimitate dignum sacrificium. 2. Quotidie offendimus diuinam maiestatē & interim continuò beneficia ab eā capimus; quotidianis ergò sacrificijs eā nos placare & gratias ei referre debemus. Nulla fuit gens tam barbara quæ non haberet sacrificium, quo Deum vel Deos suos placaret. Scimus sacrificium Melchisedech, in pane & vino positum sacrificium Iudæorum in agno, similā, & alijs peractum; Sacrificia gentilium in thure, croco, farre, frugibus, pecoribus, &c. Hæc inania & superstitiosa fuére: Vetera verò illa fidelium, figura tantùm partim cruenti Christi sacrificij, partim incruenti nostri fuére. Cùm ergo figuratum excedere debeat figuram, quemadmodum corpus excedit vmbram & res ipsa ac veritas picturam; sit vt oblatio Christianorum tantum excedat oblationes aliorum, quantum Christus excedit Melchisedechū vel Aaronē.

Tertiò, vt huius oblationis iteratione applicaretur nobis fructus cruenti illius sacrificij; 3. tametsi is nobis applicari etiam modis alijs queat. Habet sane sacrificium Christi cruentum vim æternam & infinitam, ita vt non sit opus alio crucis sacrificio, seu vt alius Christus moriatur pro nobis, aut vt idem Christus sæpius moriatur: non tamen ita, vt nullo prorsus opere vel labore opus sit ex parte nostrā, (alioquin enim & baptismus & sacramēta alia, vetera denique sacrificia frustranea & superflua fuissent.) Quid igitur adhuc requiritur? Memoria tanti beneficij & applicatio vt fructum eius participemus. Vtrumque fit per fidem, sacramenta, aliaque instrumenta à Deo ad hoc ordinata,

ordinata. Vt ergo non sequitur: Confecta est theriaca, ergo nullum iam venenum mihi nocere potest. Vel: Arbor vitæ in medio paradisi posita fuit, ergo non potuit mori Adam. Vel herbæ & arbores habent in semetipsis semen suum: ergo non est opus plantatione, terræ proscissione, seminatione, &c. Ita non sequitur, sacrificium crucis habet infinitam vim, ergo superflua sunt sacramenta & sacrificia nouæ legis. Vtendum est theriacâ, vt venenum pellas: Sæpius delibanda erat arbor vitæ, vt mortem arceret: Proscindenda est terra & semine inspergenda vt producat plantas. Dicet aliquis: Quid opus applicare fructum crucis per sacrificium Missæ, cùm sufficienter applicari possit per fidem, baptismum & Eucharistiam? Respondeo, quid opus est applicare per baptismum & Eucharistiam, cùm sufficienter applicari possit per fidem & sacrificium Missæ? O homo tu quis es, vt dicas Deo; quare ordinasti sic? Plures ad eundem terminum viæ sunt: plures etiam modi participandi Christi merita.

D. III. Vt sit cibus & nutrimentum nostrum. Tertiò. Vt esset cibus & nutrimentum animarum nostrarum, contra venenum pomi illius pestiferi. Indiguit enim anima etiam nostra cibo suo, eoque præstanti & salutari. Quē verò præstantiorem & salubriorem dare nobis potuit Dominus, quàm seipsum? Voluit enim vt ex ipso & per ipsum & in ipso viuamus sicut palmites in vite, vnde succum trahunt, velut etiam mater lacte suo pascere nos voluit. Porrò vetitæ arboris pomo tria potissimùm mala in orbem, inuecta sunt, scilicet mentis cæcitas, morbidi corporis languor & rebellio, quam concupiscentiam vocamus, & mors. Eucharistia cæcitatem mentis corrigit, quia vt aulici mensæ regis assidentes vel assistentes plura & altiora intelligunt & discunt, quàm rustici aut ciues: ita in spiritualibus longè oculatiores & eruditiores sunt qui frequentāt Eucharistiam, quàm qui non frequentant. Quemadmodum enim oculi Ionathæ illuminati fuere ex gustatione mellis. 1. Reg. 14. ita cognouerunt Dominum duo illi discipuli ex fractione panis. *Luc. 24.* & illuminantur alij fideles.

1. *Illuminat.*

2. *Concupiscentiam sanat.* Concupiscentiam corrigit, quia hominem immutat, & quidem modo aliquo in ipsum Christum, vt iam non quæ carnis, sed quæ Christi sunt, sectetur & diligat. Quemadmodum enim cibus & is, qui cibum comedit, vnum fiunt; sic etiam Christus & is qui eum in hoc Sacramento sumit, commiscentur & vnum efficiuntur, iuxta id: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Cæterùm in hac comestione non in hominem Christus, sed homo paulatim mutatur in Christum, vt vnus spiritus fiat cum illo, idem cor & animam habeat; siquidem potentius trahit ad se id, quod est impotentius vertitque in sui naturam. Hinc ergo desinit in homine concupiscentia illa perdere vires suas. Vnde S. Cyrillus Alexandrinus *l. 4. in Ioan. c. 17.* scripsit; *Sedat, cum in nobis manicat* (in Eucharistia) *Christus sæuientem membrorum nostrorum legem*, &c. Et quemadmodum massa ficorum sanauit vlcus Ezechiæ regis vlceri admota. 4. *Reg. 20.* ita vlcus carnis nostræ, concupiscentiam, sanat massa Eucharistiæ, quæ multorum bonorum admirandam continet dulcedinem & saporis suauitatem. Præstat etiam medicinam contra quotidianas infirmitates, tandemque hominem ex carnali facit spiritualem: quod in Arcâ fœderis typicè insinuatum, cùm ea Iordanem transiens, conuertit eum retrorsum & inhibuit fluxum eius fluxum. Idem enim præstat Eucharistia crebrò & dignè sumpta adeoque transiens per hominem. Reprimit enim inordinatos appetitus, mutat vitæ eius conuersationem, sistit peccandi libidinem & ad superna quærenda conuertit.

3. *Mortem eliminat.* Mortem eliminat & vitam æternam tribuit, vt expressè Dominus ait Ioan. 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Omnia verò hæc comprehendisse videtur illo verbo consecrationis: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* q.d. Ecce vobis theriacam & antidotum arboris vetitæ. Siquidem corpus meum nec tenebris est inuolutum, nec concupiscentiæ subiectum, nec corruptioni obnoxium: Sed tertio die resuscitandum & vitâ æternâ beandum. Hanc ergo theriacam, Auditores, si debitè acceperitis, easdem dotes imbibetis. Conseruat etiam nobis vitam nostram spiritualem, quia facit nos crescere in spiritu & confortat ne labamur, donec perueniamus ad montem Dei, &c.

CONCIO III.

Cur sub panis & vini speciebus instituerit Christus Eucharistiam.

1. 2. *Assignantur rationes cur sub duabus speciebus, panis scilicet & vini instituta sit Eucharistia.*
3. *Cur inuisibiliter, sub speciebus tamen visibilibus.*

THEMA.

In finem dilexit eos. Ioan. 13.

A. Legimus 1. *Reg. 21.* Dauidem insidias Regis Saul fugientem deuenisse ad Achis Regem Philisthinorum: vbi cùm Regi proderetur velut occultus hostis, extimuit Dauid *& immutauit os coram Achis & collabebatur inter manus eorum & impingebat in ostia portæ, defluebantq; saliuæ eius in barbam.* Quamobrem pro insano habitus, & vt habet titulus Psalmi. 33. iuxta Hebr. expulsus est ab Achis. Quo loco S. Augustinus vult signatam fuisse institutionem S. Eucharistiæ, si quidem in eâ Christus mutauit vultum & habitum suum, quando sub panis & vini speciebus sese occultauit. Deinde, quia vbi dicitur: *collabebatur inter manus eorum*; ibi S. August. iuxta expositionem 70. Interpretum legit: ferebatur *Dauid in manibus suis*; quod soli Christo conuenit, qui dum in vltimâ cœnâ discipulis Eucharistiam præbuit, vtique tunc ferebatur in

in manibus suis. Denique in hac suâ immutatione adeò se demisit Dominus, vt impingat quodammodo instar cœci, hoc est, mansuetissimè toleret in hoc Sacramento iniurias, opprobria, contemptus, & inciviles hominum mores, quasi non videret vel audiret, omnia dissimulans: nec fugit hominum salivas, quibus in ore mixtus traiicitur in stomachum. Quamobrem hæc immutatio in Eucharistiâ, insania videtur esse Caluinistis: qui proinde Christum in eâ nequaquam agnoscunt, sed expellunt, vti Dauidem Achis. Sed si oculos aperire vellent, viderent vtique hanc vultus immutationem nequaquam Christo indignam esse, quemadmodum nec Dauide indigna fuit illa metamorphosis. Dauidem ad suam adegit propriæ vitæ amor vt eam conseruaret: Christum ad suam adegit amor erga Ecclesiam, pro quâ vitam suam posuit. Quòd si indignum eo non fuit, & mori pro Ecclesiâ, cur indignū putetur, transformare vultum etiam in species creaturarum humilium? Vidit hoc oculatissima illa Aquila, quæ in hodierno Euangelio causam hanc indicauit, cùm dixit: *In finem dilexit eos*, id est, sine modo. Excessus enim amoris, huius institutionis causa fuit. Sed videamus clariùs, cur sub duabus Panis & vini speciebus inuisibiliter voluerit remanere in Eucharistiâ Christus.

B. I. Cur sub duabus speciebus. QVÆRITVR PRIMÒ, Cur sub duabus speciebus, panis scilicet & vini? *Resp.* Primò; id voluisse Christum, vt nobis indicaret se perfectum nobis instituisse conuiuium; non quasi sit sub vtraque specie necessariò sumendum sit

1\. ab omnibus, sed quòd habeat perfectam vim explendi famem & sitim hominum, id est, omne desiderium. Quia enim Eucharistiam nobis reliquit, vt esset nobis pignus gloriæ & quasi prægustus quidam cœlestis illius mannæ, quod omnem omnino satiat appetitum: idcircò ea perfectam debuit significare refectionem, non præbere tantùm. Potest autem sub vnâ etiam specie præbere perfectam refectionem, (non minùs, quàm panes à Christo multiplicati, famem sedare & sitim) quamuis non significare, quod sufficienter facit in sacrificio Missæ.

2\. Secundò, Vt significaretur Christi mors, & quidem talis, in quâ totus eius sanguis separatus sit à corpore, effusus in pretium redemptionis nostræ. Cùm enim necessarium esset relinqui nobis aliquod memoriale passionis & mortis Christi tanquam vnicæ salutis nostræ causæ: conuenientissimum hoc fuit, quia per id tam passio quàm mors ipsa repræsentatur; separato enim sanguine à corpore mors subsequitur, nec qualiscumque, sed per vim illata: nec non per modum sacrificij, cuiusmodi erat Christi immolatio ad reconciliandum DEVM. In omni autem sacrificio sanguis separabatur à corpore.

C. II. Cur sub speciebus panis & vini. QVÆRIT. SECVNDÒ, Cur sub speciebus panis & vini potiùs, quàm aliarum rerum? *Resp.*

1\. Primò ad significandam Eucharistiæ necessitatem id factum esse. Vt enim ad vitæ sustentationem nil magnis necessarium & homini conueniens, quàm panis & vinum; primum etiam viaticum, quod sumit secum viator, panis est & vinum: ita & Eucharistia ad sustentationem vitæ spiritualis & robur animæ conseruandum in hoc laborioso itinere vitæ nostræ destinata, panis & vini speciem habere debuit. Et quemadmodum nihil ita appetit homo, ac cibum & potum, quando esurit & sitit; (quia hæc vitam eius conseruant) ita voluit Christus indicare, se à nobis maximè super omnia appetendum & desiderandum tanquam vnicum & necessarium animæ fomentum.

Secundò, Vt nobis significaret, se per hoc Sacramentum ea in nobis efficere, quæ panis & vinum solent. Nutrit enim & conseruat vitam dans gratiam ad perseuerandum: dat incrementum gratiæ: dat robur: dat lætitiam & delectationem; præterquam quòd non conuertitur in hominem, sed ipsum conuertit in se, cum appetitu, frequenter ac dignè sumptus. 2.

Tertiò, Vt haberemus typum & memoriale Incarnationis & passionis Domini. Incarnationis, quemadmodum enim Deus in incarnatione suâ dignatus est descendere & demittere se in vterum Virginis: sic voluit etiam in Eucharistiâ descendere in ventrem cuiusuis hominis, & in eo aliquantulum permanere licèt impassibilis. Quòd si manna asseruari præcepit Deus in futura sæcula, propterea quòd de cœlo à Deo demissum esset, Exod. 16. quantò magis decuit nos habere perpetuum memoriale Dominicæ incarnationis, in quâ verus ille panis descendit in vterum castissimæ Virginis? Huius autem beneficij optimum memoriale est Eucharistia, sub speciebus panis & vini demitti in ventrem solita. Manna de aëre tantùm descendit, confectum manibus angelorum: Christus est panis de cœlo descendens, confectus operâ Spiritus Sancti. 3.

Passionis verò, quia nos feræ pessimæ quodammodo Christum comedimus, & velut inferuus viuentem deglutiuimus, quando peccatis nostris eum morti tradidimus, id quod animo contrito expendere deberemus, quoties Christum sumimus.

Quartò, Ad amorem suum erga nos demonstrandum, vt nobis coniungeretur reipsâ & intimè etiam quà homo: non tantùm adoraretur & videretur, velut in gemmâ vel auro, &c. Sed etiam sumeretur, quò maiore fructu nobiscum esset; & nobis applicaretur velut medicina spiritualis, sicque ei insereremur, velut rami trunco, & succum ab eo traheremus. Atque in hoc ostendit amorem suum erga nos, qui quærit vnire amantem cum amato. Hinc Nathan describere volens amorem, qui intercedebat inter Vriam & vxorem eius, ait hanc fuisse illi vt oviculam, quæ de pane eius comedebat & de calice eius bibebat, & in sinu eius dormiebat 2. *Reg.* 12. Hinc etiam natura voluit vt infantes de substantiâ & lacte matris nutrirentur, quò nimirum amor eorum in parentes & parentum in illos foueretur, & quasi cum lacte sugeretur. 4.

Quin-

5. Quintò, Vt finem huius institutionis nobis ante oculos poneret, qui est, vnio & concordia membrorum, id est, Christianorũ omnium inter se & cum capite Christo. *Ex multis, namque granis*, inquit S. Aug. tract. 26. in Ioan. *vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit.* Apostolus quoque 1. Cor. 10. hoc indicat, cùm ait: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Vnde & cõmunio vocatur, & nunc olim Christiani ante communionem osculum pacis sibi mutuò dabãt. Hoc denique est, quod Christus orauit, vt nimirum fideles omnes sint vnum in charitate sicut ipse & pater in essentiâ vnum sunt. Solent in conuiuiis vniri & conciliari animi: sic fieri decet & in hoc conuiuio. Præcipuus autem finis ille est, vt per hanc communionem mutemur in virum alterum, id est, in Christũ: & vt nouam inchoemus vitam. Quando arboris fructus immutare vult hortulanus, tunc radici eius includit grana frugum aliarũ, Verbi Gratia, peponum, & tunc dicuntur fructus horum saporem & colorem aliquo modo acquirere. Infans ab vberibus nobilissimæ & sanissimæ fœminæ, nobilem ac sanam imbibit & acquirit complexionem. Quis neget igitur ex frequenti & dignâ sumptione Eucharistiæ hominem fieri posse Christi-formẽ, vt ita dicam?

6. Sextò; Vt hoc medio contineret in timore, vel ad illum saltem reuocaret carnem nostram, & sciremus vas nostrum possidere in sanctificatione, nec ita facilè in corpus nostrum delinqueremus, quod Dominus ipse toties in personâ propriâ inhabitatum venit. Vt enim mundior seruatur illa Domus, in quam Princeps sæpiùs diuertit, ob illius reuerentiam; ita etiam decet seruari corpora nostra ab omni immunditiâ, in quibus Deus noster habitationem sibi elegit. Tale medium petiisse videtur Dauid *Psal.* 118. cùm ait *Confige timore tuo carnes meas.* Communio quidam clauus est, configens timore carnem nostram, vt ne tam facilè audeat turpia committere. Quid enim ait Apostolus 1. Cor. 6. *Nescitis*, inquit, *quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.*

D. III. Cur inuisibiliter sub speciebus visibilibus.

Tertiò, cur inuisibiliter sub speciebus tamen [illegible]ilibus? Respondeo Primò, vt sic accedere ad eum, & sumere eum auderemus: alioquin enim quis hoc auderet, si in gloriâ suâ visibilis appareret? Refert Io. Carthagena Ord. S. Francisci. *l. de August. Euch. Sacr. hom.* 9.

1. inuentum cuiusdam Medici Hispani, qui sanare cupiens ægrotum tabe confectum, quoniam ille ab esu testudinum, quarum carnibus erat sanandus, abhorrebat; præcepit pullos, quos ægrotus libenter edebat testudineis carnibus aliisque ad vescendum dari: quo artificio illusus ægrotus sanitatem recoperauit. Pari modo, quia Christum Dominum in suâ specie visibiliter apparentem sumere non poteramus, idcirco sub specie panis & vini sese occultare voluit, vt non tam ipsum quàm panem & vinum sumi sensus indicarent, adeoque non abhorrerent.

2. Secundò, Vt meritum fidei haberemus, dum exercemus heroicum actum illius, abnegando sensus nostros & ratiocinationes, quas intellectus noster inde conficeret. Voluit enim Christus in hoc mysterio exercere & probare fidem nostram. Idque meritò; in correctionem videlicet illius peccati, quo primi nostri parentes credere maluerunt serpenti, quàm Deo.

3. Tertiò, Vt præberet nobis etiamnum speciem humilitatis illius, quâ in mundo conuersatus, sub alienâ sordidaque humanitatis veste delituit. Vt enim ibi gloriam maiestatis suæ vili & abiecto serui habitu abscondit: ita & nunc tegumento panis & vini. Vnde quemadmodum in præsepio, non verbo, sed opere clamabat: *Discedite à me, quia mitis sum & humilis corde*: ita clamat etiamnum in hoc Sacramento ad omnes Christianos, cùm communicant præsertim, vt discant seipsos occultare & optare non agnosci, humili denique & decenti habitu vti. Deinde quemadmodum vsque hodie patienter & mansuetè tolerat iniurias, quæ ipsi inferuntur; (nam licet vltimo loco ponatur, licet indecentiore & immundiore loco asseruetur, licet à prætereuntibus nullo honore vel reuerentiâ afficiatur, non conqueritur tamen nec vlciscitur, sed omnia dissimulat) ita clamat etiam ad nos, vt si velimus eius esse discipuli, idem faciamus. Denique sicut non reputauit immensâ suâ maiestate indignum, quòd se demitteret ad crucem intèr medios latrones subeundam, ob redemptionem hominum, ita non dedignatur formam cibi assumere & interiora nostra penetrare, vt suis donis nos repleat, eoque ipso clamat, vti nos similiter nihil nõ faciamus & patiamur ob amorem proximi quo lucremur eũ. Ad has voces si obturemus aures, est certè cur erubescamus, pudeatque nos superbiæ nostræ in tam humilis Domini præsentiâ. Id enim nobis occinit Ezechiel c. 43. dicens: *Fili hominis ostende domui Israël templum & confundatur ab iniquitatibus suis & metiantur fabricam & erubescant ex omnibus quæ fecerunt.* Vult dicere: describe eis gloriam & magnificentiam templi Salomonici, vt erubescant videntes propter eorum scelera templum Id euersum esse. At nos scimus templum humanitatis Christi propter nostra imprimis scelera deuastatum & deformatum esse in cruce, vt non esset ei species nec decor; deinde scimus idem nostri amoris causâ sub vilissimis tegumentis panis & vini in Eucharistiâ occultari ad exemplum nostrum, vt imitari Christum non dubitaremus. Quare pudeat nos vitam agere tam ab eius vitâ alienam, discamusque nosipsos humiliare in præsentiâ extremæ humilitatis Domini nostri, &c.

CONCIO IV.

Circumſtantiæ reliquæ inſtitutionis Euchariſtiæ.

1. *Quæritur quando ſit Euchariſtia inſtituta, Reſp. Pridie quàm pateretur Dominus, præmiſſâ pedum lotione poſt agni comeſtionem, tempore nocturno, in cœna.*
2. *Vbi inſtituta? Reſp. in domo ciuis Ieroſolymitani, in cœnaculo, quod fuit typus Eccleſiæ & animæ Chriſtianæ.*
3. *Quo modo & quo ritu?*
4. *Quâ verborum formulâ.*

THEMA.

Cœnâ factâ, &c. Ioan. 13.

A NOn mirandum, Auditores, quòd de vltimâ cœnâ, & S. Euchariſtiæ inſtitutione nihil ſcripſerit Ioannes Euangeliſta præterquam vnicum id. Cœnam factam eſſe. Scripſit enim Euangelium ſuum poſt alios Euangeliſtas & ferè ea tantùm, quæ alij omiſerant. Quia igitur reliqui Matthæus, Marcus, Lucas de cœnâ illa Euchariſtica iam ſatis multa ſcripſerant, ſuperſedere ipſe voluit. Quare ſi quas audire volumus inſtitutionis illius circumſtantias, reliquos adire Euangeliſtas debemus; quas & nunc excutiemus.

B. I. *Quando inſtituta Euchariſtia.* Quærat aliquis PRIMÒ, Quando inſtituta ſit Euchariſtia? Reſp. Primò, Pridie quàm pateretur Dominus; neque hoc ob vnam cauſam. 1. *Pridie quàm pateretur.* 1. Prima eſt vt hoc eius velut teſtamentum arctiùs cuſtodiremus & recentiorem ac teneriorem eius memoriam haberemus. Solent enim filij diligenter obſeruare, quæ à morientibus parentibus in mandatis acceperunt: poſtrema quoque eorum munera diligenter aſſeruare.

2. Secunda, vt oſtenderet nobis deſiderium ſuum, manendi ſemper nobiſcum, etiam quâ homo. Proptèrea antequam per mortem recederet à diſcipulis ſuis, adinuenit & inſtituit rationem, quâ etiam abſens eum ipſis maneret.

3. Tertia, Vt monſtraret nobis charitatem ſuam, quâ tantum nobis theſaurum parabat, eoque ipſo tempore, quo Iudæi ipſi parabant flagella, ſpinas, crucem; adeoque in id toti incumbebant, vt eum crudeliſſimè interficerent. Aquæ iſtæ multæ tantorum cruciatuum minimè potuerūt extinguere charitatem eius. Cogitabant tunc Iudæi de Chriſto: Nos tibi fel & acetum propinabimus: reſpondebat Chriſtus: Ego vobis manna de cœlo dabo. Cogitabant illi: Nos tibi mortem eamque turpiſſimam afferemus; reſpondebat Chriſtus: Ego vobis vitam dabo. Cogitabant illi: Nos è medio te tollemus, vt ne ampliùs te videamus: reſpondebat Chriſtus: Ego volo vobiſcū manere vſque ad conſummationem ſæculi. Hoc nimirum eſt præclarum illud Chriſtianæ vindictæ genus: Charitatem odio rependere. Hoc eſt, carbones ignitos ſuper caput inimici congerere. Hinc enim genus humanum incaluit in amorem Chriſti, quando eius odium tanto amore victum eſt.

SECVNDÒ, Præmiſſâ pedum Apoſtolicorum lotione. Primò, Ob receptam apud Iudæos conſuetudinem, quâ inuitatis abluì ſolebant pedes, in ſignū Charitatis & humilitatis. Vtebantur autem Hebræi ſoleis & corrigiis tantùm, vnde in pedibus facilè cōtrahebant ſordes proinde etiam lotione pedum crebriore indigebant. Quæ cauſa nos non vrget vt eâ cæremoniâ vtamur. Myſtico tamen ſenſu, quorum pedes, id eſt, affectus vitiorum ſordibus infectos cernimus: abluere ne grauemur. 2. *Præmiſſa pedum lotione.* 1.

2. Secundò, Vt doceret nos abluere ſordes animi, etiam leuiores, antequam accedamus ad S. Communionem puriſſimi Virginis filij. Porrò niſi à lethalibus ſaltem peccatis fuerimus abluti, non habebimus partem cum Chriſto: non percipiemus ſacramenti gratiam & virtutem, ſed incurremus Dei indignationem & iudicium. Niſi à leuioribus etiam ſimus immunes, minore fructu communicabimus. Ergo non tantùm pedes, ſed & manus & caput omneſque animæ & corporis vires lauandæ, dicendumque: *Ampliùs laua me Domine.*

TERTIÒ, Poſt Agni paſchalis comeſtionem. Primò, Quia agnus ille typus erat Chriſti in paſchate immolandi. Comedebatur agnus à Iudæis in memoriam liberationis ab Ægyptiacâ ſeruitute & præſeruationis ab Angelo percutiente, *Exod.* 12. Inſtituta eſt Euchariſtia in memoriam redemptionis noſtræ à ſeruitute peccati & præſeruationis à morte æternâ. Rectè ergo figura rei, vmbra corpori præmiſſa eſt. 3. *Poſt agni comeſtionem.* 1.

2. Secundò, Quia ritus comedendi agnum illum docet nos diſpoſitiones requiſitas ad dignam Chriſti ſumptionem. Præceptum erat Iudæis vt māducaturi paſcha accingerent renes ſuos, calceamenta haberent in pedibus, baculos geſtarent manibus, comederent feſtinanter, adderent panes azymos & lactucas agreſtes, comederent aſſatum, non crudum, nec elixum. Quid autem ſibi hæc volunt, niſi vt nos verum & immaculatum agnum pro nobis occiſum comedamus præcin[illegible]ſtitate & ſenſuum mortificatione: calceati ſeu mundati à peccatorum ſordibus: inſtructi baculo & memoriâ Crucis ac paſſionis Domini: comedamus cum ſpirituali fame & ardente deſiderio: adhibita animæ puritate & præuia pœnitentiæ amaritudine, nec non conſcientiæ probatione, & digna tanti cibi præmeditatione, ne iudicium manducemus? ſed hæc ſuo loco fuſiùs expoſita.

QVARTÒ, Nocturno tempore. Primò, vt oſtenderet magnum eſſe ſecretum huius Sacramenti, magno Dei conſilio inſtituti. Dici autem ſolet: *De nocte conſilium.* Secundò, quia myſterium hoc fide magnâ credendum erat. Fides autem quaſi lucerna eſt in nocte, vbi ex parte videmus, ex parte adhuc cæcutimus. 4. *Tempore nocturno.* 1. 2.

QVINTÒ, In cœna. Primò, Quia vti cœna vltima 5. *In cœna.* 1.

vltima hominis refectio est: ita Eucharistia vltimam homini perfectionem confert & perseuerantiam in bono, si dignè & crebrò percipiatur.

2\. Secundò. Quia vt cœna satiat hominem, vt nil iam præter somnum expetat: ita S. Eucharistia dignè percepta sedat appetitum rerum terrenarum, vt nihil earum valdè concupiscamus, solam in Domino quietem optemus, dicentes cum Dauide Psal. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

C. II. *Vbi instituta.* 1. *In domo ano, Ierosolymitani.* 1.

Quærat SECVNDÒ. Vbi instituta? Resp. Primò. In domo alicuius Ierosolymitani anonymi, in cuius ædes quidā lagenam aquæ baiulabat, vt habent Marcus & Lucas. Voluit ad hunc diuertere Christus. Primò: vt ostenderet discipulis, ne soliciti essent de victu quotidiano; adfore suo tempore aliquos etiam ignotos, qui necessaria eis subministrent; quemadmodum hic paterfamilias fortè aliis paratum habebat cœnaculum, Christo tamen aduentanti mox concessit. Ita Habacuc ille cibum messoribus suis ferebat, in viâ tamen interceptus ad Danielem ferre iussus est. *Dan.* 14.

2\. Secundò, vt doceret eum, quo cùm cœnare vult in S. Communione; baptismi aquâ & lacrymis contritionis ablutum esse debere à peccatis. Nisi quis aquas istas inferat in domum cordis sui, non diuertet ibi Dominus cum gratiâ & virtute sacramenti sui.

3\. Tertiò; vt moneret non attenderé se ad personam hominis vtrum ille diues an pauper, nobilis an plebeius, doctus an indoctus sit, qui ipsum hospitio excepturus est, modò fidelis & contritus ac bonæ voluntatis sit, propterea nomen & conditio patrisfamilias minimè exprimitur à Christo & Euangelistis: quasi nihil id referret.

2\. *In cœnaculo.* 1. *Typus Ecclesiæ.*

Secundò in cœnaculo grandi strato, vti docent Marcus & Lucas. Fuit autem cœnaculum illud primò typus Ecclesiæ, quæ grandis & toto orbe diffusa est. Deinde strata & donis Spiritus Sancti miraculis & virtutibus exornata.

2\. *Typus animæ.*

Secundò, Animæ Christianæ, quæ cœnaculum Christi (Græcè ἀνώγεον superior pars domus) à terrenis rebus eleuatum & supernis intentum, deinde magnum & spatiosum ad quoscunque recipiendos non amicos tantùm sed inimicos etiam & Iudam: denique stratum & ornatum virtutibus esse debet, ijs præsertim quæ in S. Communione requiruntur, fide, humilitate, reuerentiâ, charitate, &c.

D. III. *Quo modo & ritu instituta.*

QVÆRAT aliquis tertiò. Quo modo & quo ritu instituta sit Eucharistia. Resp. Primò. Christus accepit panem azymum, scilicet quali vescebantur Iudæi in paschate. Primò, vt veteri se legi accommodaret. Secundò, quia ex immaculato virginis conceptu purissimum nulloque inquinatum peccato corpus sumpsit. Tertiò, vt doceret eos, qui hoc mysterium tractant & sumunt puros ab omni fermento nequitiæ & hypocrisis esse debere.

1\. *Accepit panem azymum.* 1. 2. 3.

2\. *Accepit panem in manus.* 1.

Secundò. Accepit panem in manus suas. Primò in signum omnipotentiæ suæ, quâ *omnia dedit ei pater in manus.* Ioan. 13. quoque vnum in aliud mutare suoque libitu omnia administrare potest. Vnde hic effecit, vt ipsemet seipsum in propriis gestaret manibus integrum & inconsumptū, tametsi se discipulis traderet sumendum, quod nunquam à sæculo auditum. Itaque cùm audis mutari in hoc Sacramento substantias, nouum subsistendi modum dari accidentibus, Corpus Christi non magis ibi occupare locum quam purum spiritum, &c. Noli hæsitare, sed credito, *quia pater omnia dedit ei in manus.* Secundò in signum liberalitatis suæ, quâ fideles suos pascit pane Eucharistico, 2. velut pastor oues, quo modo & vniuersim velut Deus aperit manus suas & implet omne animal benedictione seu pane naturali. Tertiò ad designandos labores, quibus hunc panem nobis lucratus est & quasi manibus suis pinsuit in sudore vultus sui.

3\. *Gratias egit.* 1. 2. 3.

Tertiò. Gratias egit. Primò pro refectione corporali iam perceptâ. Secundò pro spirituali iamiam percipiendâ in Eucharistiâ. Tertiò vt hac gratiarum actione & benedictione discipulorum animos disponeret ad mysterium, quod præ manibus habebat, intelligendum dignaque veneratione sumendum. Non enim hic tunc mensæ, sed pani peculiari ratione benedixit, indicans se magnum aliquid & mirum esse patraturum.

4\. *Benedixit panem.* 1. 2.

Quartò. Benedixit panem. Primò, vt eum sanctificaret tantoque mysterio præpararet. Secundò, vt discipulos & nos doceret sanctificandum esse priùs corpus & animum de hoc mysterio participaturum; ita nimirum vt omni labe & immunditie tanto Sacramento contraria careant.

5\. *Fregit.* 1.

Quintò, Fregit. Primò ad indicādam mortem suam, quâ corpus ab animâ eius paulò pòst diuidendum erat. Pythagoras dicebat: *Panem ne frangito,* hoc est, amicitiam ne dissoluito. Verùm, quia summa illa amicitia, quæ erat inter corpus & animam Christi, dissoluenda per mortem erat, ideo panem frangere voluit. Secundò, vt ostenderet sub vnâ consecratæ hostiæ particulâ æquè sumi totum Christi corpus atque sub hostiâ integrâ, & tantùm esse sub fragmento, quantum toto tegitur. 2. Tertiò, vt insinuaret panem Eucharisticum non integrum seu inconsideratò, sed comminutum & accuratè expensum, esse accipiendum. 3. Veteres acturi fœdus hostiam mactabant & in duas diuidebant partes atque inter eas transibant, vt scribit Liuius l. 1. & legimus etiam *Ier.* 34. quasi is qui fœdus violasset, non secus ac hostia illa medius scindendus esset. Iam verò nos cur ad Christi communionem accedimus? Nónne vt intimè cum eo vniamur? nónne velut amici ad amicū Deum ire nos profitemur? Viderit ergo qui occultam in pectore gerit simultatem, peccatum, inquam, quo velut gladio Deum vellit perimere. Sanè Iudas si, vt volunt aliqui, sumpsit Eucharistiam, indignè sumpsit, ideoque non mirum, si suspensus crepuit medius.

6\. *Dedit discipulis.*

Sexto. Dedit discipulis dicēs: *Accipite & comedite,*

edite, &c. Primò quia discipuli diuino lumine illustrati non fuissent ausi panem hunc accipere vel etiam attrectare, nisi à Christo oblatus & porrectus fuisset. Secundò. Vt ostenderet Dominus, quantâ charitate seipsum nobis donet; siquidem inuitat nos & hortatur ad manducandum, porrigitque semetipsum.

E. IV. Quâ verborum formulâ. *Forma consecrationis panis. Discooperi de.* QVAERAT aliquis quartò quâ verborum formulâ instituta sit. Resp. Primò, Panem consecrasse & mutasse in corpus suum his verbis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* vt refert S. Lucas, seu vt S. Paulus 1. Cor. 11. *quod pro vobis tradetur.* Habemus hic primò veritatem Corporis Christi in Eucharistiâ. Ait enim Dominus claris verbis, hoc esse corpus, esse corpus suum, esse illud ipsum corpus, quod pro humano genere passurum sit. Noctuæ igitur sunt Sacramentarij, qui soli ad hanc lucem cæcutiunt & impingunt, figuram tantùm & vmbrâ corporis Domini pro veritate eius cernentes. Habemus secundò ex vi horum verborum constitui tantùm corpus Christi sub speciebus panis, (similiter ex vi verborum: *Hic est sanguis meus*, sanguinem tantùm sub speciebus vini, ad designandam eius mortem, in qua corpus à sanguine separatum fuit) non sanguinem nec animam. Per concomitantiam tamen, quia Christus iam non moritur, constitui sub iisdem etiam sanguinem animam & diuinitatem Christi. Ceterùm si in triduo mortis Domini Apostoli consecrassent panem & vinum, sub pane solum Christi corpus, sub vino solum eius sanguinem habuissent. Habemus tertiò institutam & datam nobis Eucharistiam in memoriam Passionis Domini; Siquidem addidit: *quod pro vobis datur*, siue *tradetur*, quo nimirum mortem Domini annunciemus & memoremus, quoties eum sumpserimus.

Forma consecrationis vini. Sanguis dicitur noui testamenti. Respondeo secundò, Vinum consecrasse his verbis: *Hic est sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur:* siue vt referunt Lucas & Paulus: *Hic est calix, nouum testamentum in meo sanguine.* Vocatur autē calix seu sanguis Christi (continens pro contento) nouum testamentum. Primò, quia nouum pactum cum hominibus, & conferenda illis æternâ hæreditate per Christi sanguinem, confirmauit. In veteri testamento sanguis vitulorum typicus hoc prænunciauit, quando Moyses dimidiâ parte sanguinis victimarum perfudit altare, quasi ipsum Deum reliquâ parte aspersit populum dicens: *Hic est sanguis fœderis sui testamenti quod pepigit Dominus vobiscum.* &c. Exod. 24. Ad hunc alludit Christus, figuræ rem subijciens. Secundò quia est legatum nouum & admirabele (continens enim sumitur pro contento, testamentum pro legato, quod præbet nobis ius ad æternam hæreditatem. Cōfirmatum est hoc legatum & testamentum Christi, morte eiusdem interueniente. Dicitur effundendus pro multis. Primò pro omnibus hominibus (quia etiam omnes sunt multi) quoad sufficientiā, vt omnes possint eum sibi applicare ad salutem suam, si velint. Secūdò non pro omnibus, sed pro multis quoad efficaciam, videlicet pro iis, qui sibi eum applicabunt, quales sunt electi tantùm.

Superest igitur vt visis institutionis huius circumstantiis, debitè nos paremus ad huius tanti legati dignam perceptionem, atque ita è numero multorum siue electorum esse mereamur.

CONCIO V.

Attributa Dei in S. Eucharistiâ resplendentia.

1. 2. *Resplendet in Eucharistiâ mira Dei potentia & sapientia.*	*& charitas.*
3. 4. *Mira Dei bonitas*	5. *Dei magnificentia.*
	6. *Feruentissimus Christi zelus.*

THEMA.

Cùm dilexisset suos in finem dilexit eos. Ioan. 13.

HOdiernâ die peractum est, Auditores quod scribit Dauid Psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suarum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*; quando scilicet instituta est à Christo S. Eucharistia post cœnam agni typicam. Est enim Eucharistia memoriale & compendium omnium mirabilium Dei operum. In aliis suis operibus ostendit Deus vnam vel alteram proprietatem suam, nunc misericordiam, nunc iustitiā, nunc sapientiam, nunc potentiam. At in isto opere ostendit simul multas & quodammodo effudit arcana diuinitatis suæ, sapientiam, potentiam, bonitatem, charitatem, zelum, magnificentiam. Pulchrè hoc expressit idem Dauid Psal. 67. cùm ait Deum in veteri lege distillasse beneficia sua, in nouâ verò depluisse. *Deus*, inquit, *cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est, etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai*; (mâna videlicet) *à facie Dei Israël.* Sed quid in nouâ lege? *Pluuiā voluntariā* (subdit) *segregabis Deus hæreditati tuæ* q. d. Antiquis patribus dedisti in deserto manna de cælo; sed per modum distillationis, quia panem corporalem tantùm: ostēdisti non nisi vnum vel alterum attributum tuæ diuinitatis, bonitatem & potentiam, nec modo prorsus excellentissimo. At in nouâ lege segregabis tuis fidelibus pluuiam beneficiorum, maximorum, plurimorum, eamque voluntariam, hoc est, ex merâ liberalitate tuâ præter omne meritum ipsorum. Quando autem magis quæso pluit Deus beneficia, quādo magis, quando plura ostendit attributa sua, quam cùm dedit nobis manna nouū, manna absconditum, corpus & sanguinem suum? Spectemus ergo pluuiam istam nec spectemus solùm, sed eādem quoque aspersi & rigati exclamemus cum Hebræis: *Manhu?* quid est hoc? A

B. I. Dei potentia. Resplendet PRIMÒ in Eucharistiâ mira Dei potentia: ac Primò in eo dum ibidem accidētia

tis panis & vini conseruat sine subiecto, seu absque substantia panis & vini. Magnam quidem ostendit Deus potentiam in opere incarnationis, vbi duas naturas, diuinam & humanam coniunxit in vna persona diuina, adeoque naturam humanam sine sua hypostasi sustentauit. Verùm ibi hypostasis diuina sustentauit naturam humanam. At hic licet corpus Christi succedat substantiæ panis & vini, non tamen sustentat vt subiectum accidentia eorum. Itaque ea sine omni subiecto mirabili potentia conseruat prebens eis vim existendi per se quasi essent substantiæ.

2. Secundò. In eo dum verbis consecrationis prolatis mutat rerum naturas, panem & vinum in corpus suum.

3. Tertiò. Dum Christus Dominus totus secundum omnem corporis sui dimensionem existit in exigua hostia, imò in quauis eius particula etiam minima; ita vt non pars eius respondeat parti hostiæ, sed totus sit in quauis hostiæ parte, præbens corpori suo modum existendi, qualem habent Spiritus, definitiuum, non circumscriptiuum.

4. Quartò. Vnus & idem Christus simul existit in pluribus locis per vniuersum orbem, in omnibus scilicet consecratis hostiis & calicibus.

5. Quintò, Fracta hostia sacrata non frangitur Christi corpus: sed in quauis fracturæ particula integrum existit sine læsione.

6. Sextò. Per hoc corpus suum sustentat, alit & sanctificat Christus spiritum nostrum; quod non minùs mirum: à carne scilicet secundum se alioquin fragili & corruptibili roborari, ali & sanctificari spiritum, secundum se nobiliorem & incorruptibilem. Præstans quidem & nobilis cibus erat manna; sed nequaquam in eo reluxit tanta Dei potentia. Illud enim ab angelis confectum est: S. Eucharistia angelorum vires superat, solius Dei potentia fieri potuit. Manna corpus quidem refecit, spiritum reficere non potuit. Porrò vt hæc tam mira non difficile crederemus, dixit S. Ioannes in hodierno Euangelio: *Sciens, quia omnia dedit ei pater in manus*. q.d. faciendi quidquid vellet iuxta omnipotentiam suam.

C. II. Dei sapientia. 1. SECVNDÒ. Mira Dei sapientia, ac primò in eo dum suauissimam & mirandam adinuenit rationem vniendi se hominibus singulis, vt ipse in illis & illi in ipso manerent & ex ipso viuerent sicut palmites è vitis trunco, dum scilicet panis & vini speciem induit, vt esca & potus illorum fieret. Magnam demonstrarat sapientiam, dum in hominis corpusculum se contraxit. Sed quemadmodum Zeuxes subtilissimam Prothogenis lineam, altera adhuc subtiliore diuisit: ita Christus Dominus, qui per incarnationem maximoperè se exinanierat, per institutionem Eucharistæ magis adhuc exinaniit dum ad exiguam panis figuram se constrinxit in eaque ad nos venire imò nos subingredi voluit.

2. Secundò. In eo, quòd fulgorem maiestatis suæ velo accidentium panis & vini texit, vt ne absterreremur ab eius sumptione ob humanam eiusdem speciem eamque gloriosam & sole splendidiorem; quo modo olim Moyses descendens de monte Sinai & cornutam gerens splendidamque faciem, ita vt filij Israël non possent in eum intendere, posuit velamen super eam, vt cum Hebræis loqui & conuersari posset. Exod. 34. Quis coram Christo stare nedum eum manducare posset, si in sua appareret maiestate, sole rutilantior? Idcircò velum sibi obducit, panis & vini speciem, vt nobiscum agere queat.

3. Tertiò. Dum hoc modo reuocare nos ad vitam voluit, quo olim in paradiso mortem incurreramus. Per esum ligni vetiti perdidit nos Adam: per esum ligni vitæ, S. Eucharistiæ, viuificat nos Christus. Nimis facilè credidit Eua serpenti mentienti diuinitatem inesse arbori: æquum igitur erat, vt prudenter nos crederemus veraci Dei Filio, asserenti in Eucharistiâ reuerà esse panem vitæ, corpus suum cum diuinitate suâ, si credidimus ibi mendaci, credamus hic veraci.

TERTIÒ. Mira Dei bonitas. Primò, dum miro & liberalissimo modo se nobis communicauit, dando præstantissimum, quod habet, seipsum scilicet cum omnibus bonis & donis suis; quo modo is qui pretiosum alteri scrinium donat, donat etiam gemmas & cymelia, quæ in eo continentur. D. III. Dei bonitas. 1.

2. Secundò. Dum non eo fine se communicauit nobis, vt eum domi nostræ hospitem habere vel instar gemmæ in annulo gestare, vel in altari repositum cernere, adorare, alloqui vel exosculari possemus, sed vt manducaremur nobisque intimè vnire & inde in ipsum quoad fieri potest, mutari. Parthorum reges in more habebant, vt si amicos fortè ad cœnam inuitarent, tractarent velut mancipia. Non enim mensæ particeps erat conuiua; verùm humi sedens, Rege in sublimi lecto recumbente, quod ab ipso proiiciebatur, canis instar comedebat ac sæpe ob leuem causam virgis cædebatur & cruore respersus tanquam beneficio accepto gratias agebat & Regem pronus venerabatur. Nicol. Caussin, *parab. hist.* 5. *c.* 59. Non ita Rex noster Christus. Secum nos assidere facit, secum ex eâdem lance edere: imò se in cibum porrigit. Quæ mater hoc vnquam filio fecit? Repertæ quidem matres sunt, quæ vt vitam suam tuerentur, filios coxerunt & coctos comederunt, fame perurgente. Nulla adhuc reperta est, quæ se filio comedendam daret. Atqui Christus istud fecit; tametsi hæc comestio nihil ei adimit.

Tertiò. Dum nô solùm hominibus in genere vti in incarnatione sed in specie singulis se communicat & sumendum præbet. Vnde S. Chrysostomus Eucharistiæ sacramentum vocat Incarnationis extensionem, quia Christus qui in incarnatione vni determinatæ naturæ humanæ se vniuit, in Eucharistia se vnit omnibus & singulis eam sumentibus. Per incarnationem Christus cœpit esse frater nos: per Eucharistiam cœpit esse in nobis. Per incarnationem factus est vnus ex nobis: per Eucharistiam 3.

ſtiam factus eſt quodammodo idem cum ſingulis nobis quotquot eum ſumimus.

E. IV. Dei Charitas. QVARTÒ, Mira Dei Charitas. Primò. Dum à nobis neceſſariò licet receſſurus, manere tamen interim nobiſcum voluit. Duo in Christo amores inter ſe pugnabant.
1. Vnus eum vrgebat vt ad paſſionem pergeret, redempturus nos: deinde ad cœlum aſcenderet, aſſumpturus nos. Alter contendebat, vt nobiſcum in terrâ maneret. Vt ergo vtrique ſatisfaceret abijt ad mortem & in cœlum paraturus nobis locum, & remanſit interim nobiſcum in Euchariſtiâ.

2. Secundò. Dum intimè nobis vniri & in nobis viuere voluit. Solemus nos, quia in amicis viuere, vel amicos in nobis volumus, morientium ſpiritum haurire. Celebratur quoque à Gentilibus Artemiſiæ Cariæ Reginæ amor erga Maritum Mauſolum defunctum. Hæc enim vt dilectiſſimum ſibi Maritum à mortuis quaſi ſuſcitaret & viuere in ſe faceret, defuncti viri cineres vino dilutos bibit. Val. Max. l. 4. c. 6. Quando ergo Chriſtus Dominus modum excogitauit, quo in nobis viueret, quis non inde colligit immenſum eius amorem?

3. Tertiò, Dum à nobis comedi & quodammodo morſu appeti voluit. Delirium videtur eſſe amantis, mordere velle quem amat: quaſi tentaret eum comedere. Idipſum tamen, vt S. Chryſoſtomus ſcribit, ingentis amoris indicium eſt. Quos enim amamus, etiam morſu petimus, vt videamur eos velle comedere. Ideo vt S. Iob ſuorum erga ſe domeſticorum amorem oſtenderet, ait conſueuiſſe illos dicere: *Quis det de carnibus eius vt ſaturemur? Dixerunt viri tabernaculi mei*, inquit, *Quis det de carnibus eius*, &c. Iob 31. Quod ergo Iob non fecit, hoc noſter paterfamilias, dulcis noſter Ieſus fecit, dans nobis ipſammet carnem ſuam in cibum, vt illâ ſaturemur in ſignum immenſi ſui erga nos amoris, nec non reciproci, quem deſiderat à nobis, vt optemus eius carne ſaturari, quo diuino eius ſpiritui iungamur. Primò Regum 18. dicitur anima Ionathæ conglutinata fuiſſe cum Dauide, ita vt eum Ionathas diligeret quaſi animam ſuam; quare in ſignum huius amoris expoliauit ſe Ionathas tunicâ ſuâ & dedit eam Dauidi, vti & reliqua veſtimenta vſque ad baltheum, quod erat cingulũ militare & gloria militum (eo enim diſcincti exauctorabantur.) Atqui longè adhuc magis debuit nos amaſſe Chriſtus, qui non veſtem ſuam pretioſiſſimam, ſed carnem adeò ſuam & quidquid ei coniunctum eſt, nobis dedit.

F. V. Dei magnificentia. QVINTÒ, Mira Dei magnificentia. Aſſuerus Rex vt oſtenderet gloriam, magnificentiam, regni amplitudinem & diuitias ſuas, per integrum ſemeſtre nobiliſſimum conuiuium omnibus ſibi ſubiectis principibus exhibuit; in quo laudat ſcriptura. S. inſigne vinum appoſitum, vt quod deceret regiam maieſtatem. *Vinum quoque*, inquit, *vt magnificentiâ regiâ dignum erat abundans & præcipuum ponebatur*. Eſth. 1. Multa alia magnificentiæ ſuæ ſymbola edidit Deus, vt cùm cœlũ & terram creauit, cùm filium in carnem miſit. Sed in hoc potiſſimum videtur oſtendiſſe ſummam magnificentiam, quòd eundem nobis dedit edendum & bibendum, adeòque panem & vinum diuinâ magnificentiâ dignum. Certabat etiam cum Antonio Cleopatra Ægypti Reginarum nouiſſima de conuiuij ſplendore & magnificentia, cumque ei magnificam appoſuiſſet cœnam (quam tamen irridebat Antonius) vnionem ſeu margaritam, pretij ſexcenties ſeſtertiũm ſeu ducentorum quinquaginta millium aureorum, ab aure detraxit & aceto maceratâ abſorbuit, teſte Plinio lib. 9. cap. 35. Verùm & hoc nihil eſt, reſpectu illius conuiuij, quod exhibet nobis Chriſtus, in quo carnem ſuam diuinitati vnitam & omnibus ſpiritus ſancti donis & beatitudinis dotibus decoratam (panis tamen & vini ſpeciebus tectam & quodammodo maceratam, vt comedi poſſit) nobis apponit. Nero Imperator circa funus Poppeæ amaſiæ ſuæ plus incendit thuris, quàm ferat vno anno tota Arabia, auctore Plinio lib. 12. cap. 18. Eiuſdem iumentis delicatioribus aureas induit ſoleas, apud eundem lib. 33. cap. 11. Sed vilia & puerilia ſunt hæc reſpectu illius, quod dedit nobis Dominus; quis ergo hinc non arguit quantoperè nos amarit? quanta eius ſit magnificentia & diuitiæ? Videtur eius typum demonſtraſſe nobis Iſaac, cùm benedicens filio ſuo Iacob ait: *Frumẽto & vino ſtabiliui eũ, & poſt hæc fili mi, vltra quid faciam?* Promiſit autem Deus per Iſaiam cap. 58. Eccleſiæ: *Cibabo te hæreditate Iacob*. Quænam verò illa hæreditas, niſi frumentum & vinum? allegoricè corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpecie panis & vini? Hoc verò tantum donum, tantum patrimonium eſt, vt nil vltra addi queat, adeoque huic legato ſuo inſcribere potuiſſet Dominus illud Herculis ſymbolum *Non plus vltra*.

SEXTÒ, Mirus & feruentiſſimus Chriſti zelus, quem habuit erga ſalutem noſtram: dum hoc medium inuenit, quo ipſemet paſſionis ſuæ fructum nobis applicaret; vt ita propriè, non metaphoricè ſolùm dicere poſſit: *Zelus domus tuæ comedit me*. Pſal. 68. Non enim comedit ſolùm & abſumpſit eius honorem, facultates, vitam, dum impulit in mortem; verùm etiam reuera comeſtibilem effecit, dum in cibum commutauit, vt ſalutem & vitam conſequerentur ij, qui in Dei domo ſunt. *Matres multæ ſunt*, inquit S. Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. *quæ poſt partus dolores filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit & per omnia ſibi coagmentat*. Si non ſitiret ſalutem noſtram, non dediſſet nobis tale pignus futuræ gloriæ, quod ipsâ gloriâ maius eſt. Debet enim pignus pretioſius eſſe re, pro quâ datur. Huius pignoris præſtantiâ cùm optimè nouiſſet S. Ludouicus Galliæ Rex ideoque maxima veneratione id ſemper & adoraſſet & ſuſcepiſſet, motus inde gentilis Dynaſta, Sultanus de Soriâ, qui Ludouicum, terræ ſanctæ recuperandæ gratiâ in Palæſtinam profectum, attinebat captiuum, G. VI. Dei zelus.

eiuſque

eiusque deuotionem sæpius spectarat, dimissurus domum Ludouicum, nullos alios obsides inter cætera pacti fœdera requisiuit, nullum aliud pignus poposcit, quàm Hostiam cõsecratam. Censens eam pluris esse, quàm quæcunque regna, vtpote à Ludouico tanto honore cultam. Refert Greg. Mastrillus *tom. 2. Conc. ser. 64.* Videte, quale pignus dedit nobis Deus? Quando ergo, Auditores, vidimus Dei attributa in hoc sacramento, non iam distillata, sed simul vno quasi impetu velut pluuiam effusa; potentiam, sapientiam, bonitatem, charitatem, magnificentiam & zelum: quis hinc non irrigabitur ad ferendos vberes bonorum operum fructus? quis adhuc aridus manebit in redamando Deo?

CONCIO VI.

Agni Paschalis esus, typus Eucharistiæ sumptæ à Christianis.

1. *Comesturi agnum paschalem assumebant vicinos.*
2. 3. 4. *Immolabat eum vniuersa multitudo, vespere, in plenilunio.*
5. *Sanguine tingebant postes.*
6. 7. 8. *Edebant carnes nocte illa, & quidem assatas, cum panibus azymis & lactucis.*
9. 10. *Caput cum pedibus & intestinis vorabant, ita vt nihil remaneret.*
11. *Residuum igne comburebant.*
12. *In vnâ domo comedebant.*
13. *Non confringebant ossa illius.*
14. *Renes suos accingebant &c. Quæ omnia adaptantur Eucharistiæ sumptæ à Christianis.*

THEMA.

Et cœnâ factâ, &c. Ioan. 13.

A PIctores antequam imaginem viuis illustrent coloribus, priùs rudibus & vmbratilis quibusdam lineamentis describunt. Propositurus nobis Deus in terrâ imaginem filij sui, priùs eam veteri in lege quasi vmbris quibusdam delineauit, postea ad viuum expressurus in nouâ. Inter alias eiusmodi vmbras non vulgaris fuit illa cœna Agni paschalis, quam Christus hodiernâ die priùs Discipulis exhibuit: postea vmbræ corpus, figuræ rem, rudibus lineamentis viuum subiecit colorem, cùm seipsum velut Agnum iamiam immolandum, præbuit comedendum in Eucharistiâ, atque ita cœnæ vmbraticæ cœnam addidit veram. Quando igitur Agni paschalis esus clarissimus & irrefragabilis S. Eucharistiæ typus fuit: videamus quàm congruenter cœna illa prima repræsentârit hanc secundam.

B. I. Assumebant vicinos. PRIMO, Assumere debebat vnusquisque vicinos suos, si familia aliqua non sufficeret ad comedendum Agnum; nihil enim de agno superesse debebat, totum absumi voluit Deus. *Propterea hoc præcepit Deus*, inquit Theodoretus, *vt fraternum amorem atque erga pauperes misericordiam illos doceret.* Allegoricè impletum hoc in Christo, cui per mortem assumendo quasi non sufficerent Iudæi, assumpserunt Pilatum & hic Herodem; *& facti sunt ipsâ die amici Herodes & Pilatus.* Nos verò eundem in Eucharistiâ comedimus vniti, quia in eâ vnusquisque reconciliatur proximo suo, dum de eodem pane participamus omnes in mutuæ charitatis indicium. Vnde olim Christiani accessuri ad communionem priùs osculum pacis sibi mutuò imprimebant. Adhæc assumimus vicinum nostrum, cùm orationi, quæ sola non sufficit ad penetrandum Eucharistiæ mysterium, adiungimus fidem, vt exponit Rupertus. Denique cùm alter alterum instigamus verbo & exemplo, vt vnusquisque huius mensæ participem se faciat.

C. II. Immolabat agnũ vniuersa multitudo. SECVNDO, Immolabat eum vniuersa multitudo filiorum Israël: Alleg. impletum hoc in Christo, quando *surgens omnis multitudo seniorum, principum, Sacerdotum & scribarũ, duxerunt eum ad Pilatum*, vt ait S. Lucas c. 23. omnes præterea coram prætorio præsentes petierunt eum à Pilato crucifigi. In nobis hoc verificatur, dum paschali tempore omnes & singuli communicamus. Hac enim communione non solùm edimus agnum illum, sed & immolamus, dum eum Deo patri pro peccatis nostris offerimus, præsertim in Altari per manus sacerdotis, qui totius populi velut legatus omnes repræsentat; vnde in Missâ offerens calicem, non ait; offero, sed, *Offerimus tibi Domine calicem salutaris*, &c. Nemo ergo Christianorum sit, qui paschali tempore non immolet hunc agnum. *Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud*, dicitur *Exod. 12.* Omnis ergo Christianorum cœtus manducabit suum pascha. Capitale erat Iudæis pascha suo tempore intermittere. Dicitur enim *Num. 9.* de tali: *Exterminabitur anima illa de populis suis. Et peccatũ suum portabit.* Capitale etiam peccatum est Christiano negligere cõmunionẽ in paschate.

D. III. Immolabant vespere. TERTIO, Immolabant eum vespere. A vesperâ enim incipiebat solennitas Paschæ, & aliorum Festorum apud Iudæos. Allegor. Christus vespere immolatus est, qui imprimis incruento modo se immolauit hod. die in cœnâ instituens Eucharistiã; die verò sequente, modo cruento, cùm circa horam diei nonam, adeoque vespere emisit spiritum. Nos comedimus eundem in Eucharistiâ vespere, dum in nouissimâ mundi horâ, *Vespera enim diei finem mundi indicat. Circa vndecimam horam venient nouissimi, qui primi denarium vitæ æternæ accipient*, inquit S. Hieronymus *in cap. 14. Marci.*

E. IV. In plenilunio. QVARTO, Immolabant eum in plenilunio, seu Luna 14. quia post hanc diem egredi cœperunt ex Ægypto. Allego. Christus immolatus est in plenilunio, quia in medio ætatis, iuuentute scilicet florentissimâ. Rursum in plenilunio, quia *in plenitudine temporum*, ait Apostolus *ad Gal. 4.* Item quia Christus moriens toti illuxit orbi. Nos eundem spiritualiter in plenilunio manducamus, cùm ab operibus tenebrarum per pœnitentiam præcedentem vndique

vndique expiati, virtutumque splendore coruscantes ad eius communionē accedimus. Hebræi à die mensis 10. seruare debebant agnum vsque ad 14. *Seruabitis eum, &c.* Ita quoque milites qui Christum crucifixerant, *sedentes seruabant eum,* inquit Matthæus cap. 17. Nos seruamus Agnum istum in communione cùm eius beneficium memori mente custodimus & gratiam in eâ perceptā sedulò conseruamus.

F. V. Sanguine tingebant postes.

QUINTÒ. Sumebant de sanguine eius & ponebant super vtrumque postem & in superliminaribus domorum. Quod ideo fecerunt, vt Angelus Domini, qui ea nocte percussurus erat primogenita Ægypti, viso agni sanguine in domibus Hæbræorum eas pertransiret, & immunes à primogenitorum cæde seruaret. Alleg. hoc in Christo impletū, quādo vterque postis, id est, vtrumque Crucis brachium, nec non superliminare, id est suppedaneum, Christi sanguine è clauorum fixuris promanante imbutum est. Mysticè hoc fit quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur; Domus superliminare est ipsa intentio, quæ præeminet actioni. *Qui ergo intentionē cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ Passionis dirigit in superliminari domus agni sanguinem ponit,* ait S.Greg. *ho.* 22. *in Euang.* Vel super vtrūque postem sanguinem agni ponit, qui sacramentum Eucharistiæ & intellectu firmiter credit & memoriâ passionem eius recolit: superliminari imponit qui cordi & voluntati suæ beneficium Eucharistiæ inscribit & in amorem Christi tantique sacramenti exardescit.

G. VI. Edebant carnes nocte illa.

SEXTÒ, Edebāt carnes Agni nocte illâ; præcedente scilicet diem decimamquintam, quâ exitus de Ægypto parabatur, Allegor. Christus in nocte comestus est, quia eo patiente in Cruce *tenebræ factæ sunt super vniuersam terrā,* ita vt dies videri posset in noctem versa. Mysticè, nos dum communicamus, *in nocte agnum comedimus, quia in sacramento modo dominicum corpus accipimus: quando adhuc ad inuicem nostras conscientias non videmus,* inquit S. Greg. *hom. cit.* Rursum in nocte comedimus, quia per fidem Christum in sacramento creditum sumimus, quem oculis non cernimus.

H. VII. Assatas edebant.

SEPTIMÒ. Carnes Agni assatas igni comedebant, non crudas nec elixas; tum quia egressus de Ægypto accelerandus erat (citiùs autem assatur, quàm elixatur caro) tum vt esset sacrificium; tum quia modus ille coquendi erat simplicissimus, nullo alterius saporis pigmento, nulloque ferè impēdio cōstans, ideoque etiam antiquissimus. Alleg. Christus in cruce assatus est, tum quia ab eodem humor omnis defluxit aruitque caro eius; tum quia in veru crucis expansus (sic enim & agnus assabatur: rectus paxillus ab imo vsque ad caput trajiciebatur, alter verò transuersus armos agni assandi distendebat, vt ait S.Iustinus contra Tryphonem) perurgente feruentissimi amoris igne passus est, tum quia in cruce sacrificatus. Quibus accedit ratio Gregorij loco cit. *Quæ tamē carnes, inquit, igni assandæ sunt, quia nimirum dissoluit ignis carnes, quas aqua tenerit: quas verò ignis sine aquâ excoquit, roborat. Carnes itaque Agni nostri ignis excoxit, quia eum ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentiorem reddidit atque ad incorruptionem robo auit.* Mysticè nos assatum edimus in communione, dum igneam charitatem, quâ pro nobis Christus in Cruce tostus est, contemplamur & amplectimur. Crudum comedunt, qui non diiudicant corpus Domini, nec expendunt eius excellentiam. Item qui crudè & carnaliter ad instar alterius carnis Christum manducari existimant, vti illi Capharnaitæ, *Ioan.* 6. Elixum comedunt, qui huius mysterij altitudinem humanis rationibus discutere volunt.

I. VIII. Cum panibus azymis & lactucis.

OCTAVÒ. Cum agno edebāt panes azymos & lactucas agrestes; (Hebr. *cum amaris*) vt horum insipidorum & amarorum esu recordarentur acerbitatis & amaroris Ægyptiacæ seruitutis, indeque intelligerent quanto beneficio à quanto malo liberati essent, vt docet Theodoretus & alij omnes. Alleg. hoc in Christo impletum, quando eo patiente tristitiâ impleti sunt discipuli; alijque eius noti & fideles, imò, vt S. Brigittæ reuelatum, vniuersi per orbem homines, qui tunc interno pauore & dolore concutiebantur, etsi causam nesciebant. Mysticè nos in S. communione istud facimus, cùm absque fermento malitiæ & peccati in azymis synceritatis & puritatis S. Eucharistiam sumimus, præuiâ pœnitentiæ amaritudine: comitante passionis Dominicæ memoriâ. *Carnes ergo agni,* inquit S.Greg. ho. cit. *cum lactucis agrestibus sunt edēda, vt cum corpus redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho peruersa humorem vitæ.*

K. IX. Caput cū pedibus & intestinis vorabant.

NONÒ. Caput cum pedibus & intestinis vorare debebāt. Præcepit hoc Iudæis Deus, quia voluit agnum assari integrum, nullamq; eius elixari partem; (solent autem alioquin caput, pedes, & intestina elixari non assari) quia noluit agnum secari in partes, assari integrum voluit. Alleg. hoc in Christo verificatum, quia Christus integer nullo truncatus membro, cruci affixus est, vbi eius viscera compassione & amore nostri dirâ denique lanceâ vulnerata adeòque maximè assata sunt: Mysticè *caput agni vorare,* inquit S. Gregorius loc. cit. *est diuinitatem illius fide percipere. Pedes verò agni vorare, est vestigia humanitatis eius amando & imitando perquirere. Quid verò sunt intestina nisi verborum eius occulta & mystica mandata?*

Qui ergo plenâ & syncerâ fide sumit Eucharistiam quemadmodum ei proponitur ab Ecclesiâ, credens se reuerâ sumere Christi caput, id est, diuinitatem: pedes, id est, corpus: intestina, hoc est animam: nullaque in re dubitatis totum agnum comedit. Agnum vorat, qui magnâ auiditate & spirituali fame eum sumit, vt exponit Greg.

L. X. Nihil ex eo remanere debebat.

DECIMÒ. Non debebat ex eo remanere aliquid vsque manè: tum ne reliquis postea vel adsumendis vel conuasandis occuparentur, manè iter acceleraturi: tum ne residuæ partes fortè neglectæ, vel putrescerent vel à cani-

bus

bus aut prophanis vocarentur. Alleg. hoc impletum, cùm eodem die corpus Christi depositum fuit de cruce, quo impositum, nec remansit in ea vsque manè. Mysticè debemus in S. communione sedulò aduertere, ne qua Eucharistiæ vel minima particula negligatur aut excidat nobis, quia etiam in minimâ continetur totus Christus. Maximè verò attendere debent Sacerdotes, ne S. Eucharistiæ particulæ vel in terram cadant vel in sacrario à vermibus aut putredine absumantur, vel alio modo inhonorentur.

M. XI. Residuum igne comburebant.

VNDECIMÒ, Siquid residuū erat igne comburebant; ad honorem scilicet Dei velut sacrificium aliquod: & quia ignis velocissimè consumit res. Alleg. Residuum passionis Christi (quod scilicet Christi gloriæ promerendæ supererat) charitati Christianorum reseruatum est, qui & inde nutriuntur velut ex immenso meritorum pabulo. Mysticè iuxtà S. Gregorium hom. dicta: *Quod ex agno remanet, igne comburimus: quando hoc, quod de mysterio incarnationis eius intelligere & penetrare non possumus, potestati S. Spiritus humiliter reseruamus: vt non superbè quis audeat vel contemnere vel denunciare quod non intelligit, sed hoc igni tradit, cum Spiritui sancto reseruat.* Si quid ergo circa hoc sacramentum difficile nobis occurrit; veluti: nū possit Deus tanta facere mira in transubstantiatione, panē ac vinū à suis accidentibus pellere & in sui substantiam mutare; cogitemus Christum esse Deum, adeoq́ue ignem consumentē. Rursum an æquū sit vt Christus in Eucharistiâ ab impiis etiam sumatur, tractetur, polluatur: cogitemus eum ignem esse charitate æstuantem, & omnes illas iniurias facilè deuorantem.

N. XII. In vnâ domo cōedebant.

DVODECIMÒ. In vnâ domo comedebant eum, nec poterant efferre de carnibus eius foras; quia præceptum erat vt vnusquisque tot assumeret quot sufficerent ad esum agni: Allegor. Christus in vnâ eâque præcipuâ ciuitate, Ierosolymâ, à Iudęis est occisus. *Porro secundum spiritum*, inquit Rupertus l. 2. in Exod. *Vnitas S. Ecclesiæ commendatur attentiùs, scil. vt manducaturi mensam Dominicam simus domus vna, id est, idipsum dicamus omnes & non sint hæreses in nobis & schismata. Tūc enim non vnâ in domo comeditur agnus, sed foras carnes eius efferuntur, quando indiscretè tribuitur scindentibus vnitatem fidei cùm in scissurâ mentium Deus non sit.*

O. XIII. Non confringebant ossa illius.

DECIMOTERTIÒ, Non confringebant ossa illius; quia scilicet festinanter comedere debebant, vt proinde non vacaret eis ossa agni frangere. Allegor. hoc in Christo impletum testatur S. Ioannes *cap.* 19. cuius solius crurâ non sunt in cruce fracta. Mysticè hoc agimus in communione, cùm de Christi potentiâ, ad faciendam transsubstantiationem minimè dubitamus, nec ei vires omnipotentiæ adimimus cum hæreticis. Rursum cùm susceptum in communione Dominum non offendimus grauiore aliquo peccato, adeoq́ue robur & efficaciam sacramenti non confringimus.

P. XIV. Renes suos accingebāt, calceati, tenebant baculos, comedebant festinantes.

DECIMOQVARTÒ, Renes suos accingebant esuri agnum; Calceamenta habebant in pedibus: tenebant baculos in manibus & comedebant festinanter; quasi viatores scilicet ad iter longum & laboriosum iamiam ineundum accincti & parati. Alleg. hæc in Christo impleta, quādo eius mortem & præproperam consumptionem vrserunt & accelerarūt Iudæi, ita vt nocte comprehensum, manè condemnatum, meridie crucifixerint. Adhæc renes suos accinxerunt, dum viscera & synderesin suam temerè constrinxerunt ne agnoscerent Christi innocentiam & diuinitatē. Calceis vestierunt pedes suos dum iniquissimum suum iudicium & apertissimum odium palliârunt prætextu iustitiæ & zeli honoris diuini, dicētes: *Blasphemauit*; Et; *omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari*; Item: *Nos legem habemus. &c.* Baculos tenebant, dum vnà cum Pilato arrogarunt sibi potestatem eum iudicandi & condemnandi, in quem ius nullum habebant. Commederunt festinanter, quia occiderūt præcipitanter. Mysticè nos in S. Communione accingimus renes nostros, dum carnis petulantiam arctissimè restringimus, animum & corpus ab omni obscœnitate custodimus. *Quid in renibus nisi delectatio carnis accipitur?* inquit S. Gregorius hom. cit. Casti ad castissimum Virginis filium ire debemus. *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus*; (inquit Achimelech Sacerdos ad Dauidem) possunt scilicet edere panes propositionis 1. *Reg.* 21. Audiamus B. Algerū l. 1. de Sacramēto altaris c. 22. *Lex dedit in Calceamentis cautelā ne à vitijs fallamur: in Baculo disciplinā, quâ perpetrata corrigamus: in Lactucis compunctionem: in festinatione desiderij ardorem, quo ad cælestia suspiremus: in accinctis renibus continentiam & castitatem; quia Christo agno immaculato & Virginis filio crucifixo eiusque vnitioni nihil ita aduersatur vt voluptas & fornicaria societatis vnitas.* Calceamenta in pedibus habemus, cùm etiam affectus nostros munimus, mortis præsertim meditatione; ne terrenæ labis aliquid ijs adhæreat. Non sapiet nobis cœleste manna, si adhuc os nostrū fœteat ex alliis Ægypti. Baculos in manibus tenebimus, si diuinæ bonitati & meritis crucis Christi innixi cum fiduciâ accedamus ad manducandum phase nostrū: attendētes nō ex nostris meritis, sed ex Dei dignatione participes nos fieri diuinæ huius mensæ. Rursum si in graui vitæ periculo salutari hoc viatico nos muniamus. Comedemus festinanter quando cum flagrante amoris desiderio. *Notate Charissimi fratres, notate quòd dicitur, festinātes*, inquit S. Greg. ho. cit. *Mandata Dei, mysteria redemptoris, cælestis patriæ gaudia, cum festinatione cognoscite, & præcepta vitæ cū festinatione implere curate. Quia enim adhuc hodie licèt bene agere, scimus: vtrum cras liceat, ignoramus. Festinantes ergo pascha comedite, id est ad solennitatem patriæ cælestis anhelate. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patriâ locum perdat. Nemo moras ad appetenda studia innectat, sed cœpta perficiat, ne nimimè liceat implere quod inchoat. Si ad amorē Dei pigri nos sumus, adiuuat ipse quem amamus Iesus Christus dominus noster: qui viuit & regnat, cum patre in vnitate Spiritus S. Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

CON-

CONCIO VII.

Iudæ salutantis osculum quinam imitentur.

1. *Tales sunt ficti amici.*	4. *Qui indignè communicant.*
2. *Sectarij & hæresium Magistri.*	5. *Hypocritæ.*
3. *Qui fictè confitentur.*	6. *Mundus.*

THEMA.

Cùm Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas. Ioan. 13.

A HOrrendum & execrandum facinus perpetrauit Iudas cùm tradidit filium Dei, Dominum & Magistrum suum in manus Iudæorum. Tantum enim est hoc scelus vt propterea in ipsum triginta maledictiones congestæ sint in Psalm. 108. tot nimirum quot argenteis Christum venditurus erat: & inter alias illa quâ nomen eius (in orbe Christiano) delendum prædicitur: *In generatione vnâ deleatur nomen eius.* Quod profectò factum est; vix enim reperire est aliquem inter Christianos, qui hoc nomine, quod aliquando ob Iudam Patriarcham & Iudam Machabæum magno in honore fuit, appelletur, non aliâ de causâ, nisi ob detestationem huius proditoris. Fuit etiam alijs populis, ita exosum proditionis crimen; vt nomina proditorum eraderent. Hinc vt auctor est Plut. in Theseo, Pellenæi, Lei proditoris nomen; Romani antiqui patritiorum quorundam malè de rep. meritorum prænomina vetabant aliis indi, in odium proditionis. Id quod ante paucos annos de cognomine sicarij illius, qui Henricum octauum Galliæ regem per immane facinus interemit, in Galliâ factitatum testatur Lorinus ad Psal. 54. Hinc etiam illud venit, quod Euangelistæ, quoties eum nominât, toties proditoris ei nomen affigunt, vt ouem scabiosam hac infami notâ à cæteris discipulis segregent. Denique hæc causa videtur, cur eum Christus in cœnâ noluerit manifestare; saltem apertè, cæteris præter Ioannem discipulis: quia vt S. Chrysostomus, Theophylactus & D. Thomas in Io. 13. volunt, fortè discerpsissent eum Petrus & reliqui, si ipsis patuisset. Et tamen, cùm adeo nobis exosum sit hoc nomen, à facinore tamen eius multi non abhorrent, sed & hunc Magistrum præterea imitantur. Et qui sunt isti, qui hoc audeant? nos digito notabimus.

B. I. Ficti amici. PRIMÒ. Tales sunt falsi amici seu potiùs familiares inimici, qui ad speciem quidem amiciticiam præseferunt, & osculum blandissimorum insignunt verborum, in corde tamen venenum ad perdendum gerunt, iuxta id Psal. 27. *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Iudas appropinquauit Christo, osculū infixit & blanda verba dedit: interim hostibus eum prodidit. Sicut Ioab cū seorsim duxit Abner, vt loqueretur ei in dolo, & interim percussit eū in inguine 2. Re. 3. Sic etiam illi in familiaritatem aliorum se insinuant, amicitiæ signa exhibent, moresque eorum imitantur, vocant eos Dominos suos gratiosos, loquuntur eis dulcia & placentia: interim vel substantiam eorum deuorant, vel famam eorum denigrant, vel arcana eorum produnt, vel denique in laqueos peccatorum ac postremùm dæmonis eos inducunt. Vnde vulgò dicimus: **Das seind die Katzen so vornen lecken vnd hinden kratzen. Mit dem Mund sagen sie Gott grüsse dich/ Mit dem Hertzen aber der Teuffel hole dich.** Huiusmodi ergo sunt Primò, qui in faciem bene loquuntur alijs, absentibus verò detrahunt & illudunt; coram omnia eorum facta & dicta probant; clam verò postea improbant & cauillantur.

1. Secundò, Parasiti, qui dū moribus se aliorū accommodant; substantiam eorum deuorant & quæ apud eos audiunt & vident, passim diuulgant. Hos Imperator Constantinus vocabat *tineas & sorices palatij*, ait Nicephorus *l. 8. cap.* 14. sicut muscæ ad mel, ita isti ad delitias aulæ aduolant: interim omnia inquinant. 2.

Tertiò, Assentatores, qui dum aliis placentia loquuntur, inducunt eos in peccata & firmât in illis; sicuti serui Pharaonis qui vxorem Abrahæ, laudauerunt apud regem suum & de pulchritudine commendarunt; vnde Rex inductus est, vt tolleret eam in domum suam; sed mox flagellauit eum omnemque domum eius Deus plagis maximis *Gen.* 12. Vnde Sigismūdus Imp. quendam, qui eum similem Dijs dixerat, alapâ cæcidit; dicentiq; illi: *Cur me cædis Imperator?* respondit; *Cur me mordes adulator?* Æn. Syl. *l. 2. de rebus gestis Alphon.* Talia enim blandimenta non tam oscula, quàm morsus quidam venenati sunt. De his ait Sapiens Proverb. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Nam vulnera diligentis tendunt ad correctionem, quo modo Medicus scindit, vt sanat: oscula verò odientis ad deceptionem & perniciem, quo modo porcus leniter fricatur, vt mactetur. 3.

SECVNDÒ, Tales sunt sectarij & hæresium magistri, qui sub prætextu Euangelij & verbi Dei, venena spargunt & Christum Ecclesiamque eius produnt. Vt enim Iudas Christum non colapho sed osculo, non probro, sed dulci Magistri verbo adortus est; ita & hæretici Dei verbū iactitant vt traditiones Apostolicas euertant: fidem miro modo prædicant, vt opera annihilent: Christum vnicè exaltant & honorificant, vt sanctos eius deprimant. Hinc pro hymno Salue regina, canunt: Salue Rex Christe. Ex SS. litteris loca illa seligunt, quæ carni fauere videntur: ea verò negligunt, quæ aduersantur. Ea amplectuntur, quæ misericordiam Dei promittunt: illa verò recitant, quæ iustitiam comminantur; ea quæ fidem commendant, proferunt: illa verò quæ & opera requirunt, susque deque habent. Itaque aucupum instar escam proponunt, rete tegunt: cantu alliciunt, captos necant. Aliqui etiam exter- C. II. Sectarij.

nè

nè præferunt sanctitatem, initus verò pleni sunt spurcitiâ; quamobrem Apoc. 9. describit eos Ioannes locustarum specie, quæ faciem quidem humanam & capillos habeant muliebres, caudas verò Scorpionum aculeatas. Sic Anabaptistæ humilitatem & mansuetudinem moresque sedatos præseferunt: Lutherani ferè toti sunt in commendanda bonâ conscientiâ, dicentes nimirùm: pax pax, cùm non sit pax. Caluinistæ in Imperio Rom. dum libertatem & salutem atque incolumitatem Imperatoris quærere se iactabant, nihil magis moliebantur quàm vt Imperatorem & vnà Imperium tollerent.

Contra istorum oscula monet nos Dominus Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et S. Ioannes in 2. epist. talibus nec Aue dicendum præcipit Paulus cum huiusmodi nec cibum sumere. 1. Cor. 15.

D. III. Qui fictè confiten- tur. TERTIÒ. Tales sunt, qui fictè confitentur peccata sua, veniam ac Christo sed non ex animo postulantes, nec suam ei fidem vicissim obstringentes. Etenim per confessionem peccatorum nostrorum, Deo nobis irato & arma in nos paranti, legationem mittimus & rogamus ea quæ pacis sunt, vti suasit Dominus Luc. 14. Quando verò petimus & accipimus absolutionem ex ore Sacerdotis, tunc osculum Christo præbemus & accipimus in reconciliationis signum. Ibi pater filij prodigi cadit super collum revertentis & osculatur eum, vt habetur *Luc.* 15. Et præbet quidem Christus se deosculandum dum eius nomine sacerdos pœnitentem absoluit; sed viderit is, qui fictè petit & accipit absolutionem, adhuc auersum à Deo animum gerens. Aliqui enim sunt instar Legatorum illorum Gabaonitarum, qui pacem à Iosue & vitam postulantes, simulabant se longè dissitos esse: ideoque comparuerunt vestibus obsoletis & attritis, sicque pacem obtinuerunt. *Ios.* 9. afferunt enim se à peccatis longissimè distare, nec vllam habere cum Deo inimicitiam, &c. Induunt se habitu obtrito, dolorem de peccatis & humilitatem præseferentes: cùm nihil horum sit.

Alij veniunt instar Ananiæ & Saphiræ, non totam pecuniæ summam ad pedes Apostolorum, sed partem tantùm quandam afferentium, & mentientium se totam attulisse: qui idcirco repentè mortui sunt. *Actor.* 5. Hoc enim agunt, qui partem peccatorum suorum in domo cordis sui occultant, & partem tantùm afferunt. Quibus iure dicere confessarius potest, idem quod S. Petrus Ananiæ dixit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quod si ob illorum punitionem factus est timor magnus in vniuersâ Ecclesiâ, vt habetur ibid. meritò etiam timere deberet vnusquisque ne si simili fraude agat cum Deo in confessione, similem accipiat absolutionem.

Alij non deponunt inimicitiam cum Deo, sed retinent affectum peccandi; ore quidem Deo promittunt pacem & obedientiam; corde autem abnegant, instar Pharaonis, qui cùm vrgeretur à plagis, promisit se dimissurum Hebræos è regno suo, sed fictè & inefficaciter, quomodo enim alioqui toties fefellisset fidem? sic aliqui confitentes dum vrgentur à confessario ad renuntiandum suis impudicitiis, odiis, rapinis & deceptionibus, si velint liberari à reatibus suis, promittunt quidem multa, sed absque serio proposito, ideoque relabuntur mox in eadem peccata.

Omnes isti Sacramentum pœnitentiæ indignè suscipiunt, non absque sacrilegio, & Christo infigunt osculum Iudaico illi simillimum.

E. IV. Qui indignè communicant. QVARTÒ. Qui indignè Christum in Eucharistiâ suscipiunt. Vt enim Iudas sub specie amicitiæ, Christum ore suo polluto tetigit & Magistrum vocauit: sic faciût & illi qui cum conscientiâ peccati mortalis accedunt ad cômunionem, cum alijs interim Christianis bonis humilitatem & pietatem præseferentes. Vocât eum Dominum suum, cum aiunt: *Domine non sum dignus,* & vt Deum adorant: interim tamê adhuc Diaboli mancipia sunt. Quanta autem est hæc temeritas? quantum facinus? Persarum regem Tigranem salutare, capitale erat; vnde prouerbium natum: *Tigranem salutare.* Cic. *lib.* 2. *ad Atticum.* Quid fuisset osculari? quid hostiliter aggredi? Et vt tantus fuerit rex Tigranes: nónne maior Deus? Vnde S. Chrysost. *ho.* 6. *ad pop. Antioch.* ait: *Quomodo Christi assistes tribunali, scelestis manibus & labijs ipsius corpus impetens? Et fatente quidê ore regem osculari non eligeres, regem verò cæli fatente animâ deosculatis?* Et S. Hieronymus: *Quomodo eisdê labijs,* inquit *deoscularis filium Virginis, quibus deosculatus es filiam meretricis? O Iuda osculo filium hominis tradis?* Sic ille. Et videre volumus quantam Christo irreuerentiâ faciant isti, quàm ad indignationem eum prouocent? Cogita quid esset, si quis in mensâ colocaretur ad latus hostis sibi infensissimi? an non magna hæc pœna foret? Legimus Assuerum, quando intellexit Aman hostem & inimicum suum (vtpote cuius crudelitas redundabat in ipsum Assuerum) assidere sibi in mensâ, iratum surrexisse & de loco conuiuij abijsse. *Esth.* 7. Quantam ergo Christo inferet iniuriam, qui hostili animo ad mensam eius venit? Certè Christus in vltimâ cœnâ, ob præsentiam proditoris Iudæ *turbatus est spiritu & protestatus est: Amen Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Ioan. 13. & Luc. 22. postquam distribuisset Eucharistiâ discipulis, immediatè subiungit: *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensâ. Et quidem filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: veruntamen væ homini illi per quem tradetur.* Hoc idem væ timere debent, quicunque indignè communicant; quia teste Apostolo iudicium sibi manducant.

F. V. Hypocritæ. QVINTÒ. Tales sunt hypocritæ, qui amicitiâ quidem & pacem cum Deo simulant, interim tamen malis suis operibus eum offendunt; in ore nomen Dei, piaque verba gerunt, in corde vero venenum: velut sepulchra dealbata, quæ foris parent pulchra: intus plena sunt ossibus mortuorum. Incipiunt à

cruce & finiunt cum Sathana & Barabbâ, quemadmodum incantatrices. Benè & doctè de pijs rebus loquuntur, sed opera eorum verbis non respondent, saltem constanter. Fingunt se osculari Deum, interim sæpè mordent, dum Deo deferre videntur gloriam, reverà autem rapiunt, & sibi attribuunt, vt meritò interrogari debeant? *Amice ad quid venisti?* Ad osculum: an ad morsum?

Et quam isti mercedem accipient? Quâ mensurâ mensi Deo fuerint, eâdem quoque remetietur illis Deus; quemadmodum peregrinus quidam dicitur soluisse hospitem suum sonitu pecuniæ, qui ab eodem pastus erat odore tantùm ciborum.

G. VI. Mundus. Sextò, Talis est mundus, qui & ipse dum blanditur suis amatoribus adeoque osculum præbet, interim eos tradit hostibus & laqueis quamplurimis ac sæpè ipsis dæmonibus ad æternam mortem. Idem fecisse legimus Ioab Ducem, quando salutauit Amasam: *Salue mi frater:* & tenuit manu dextrâ mentum eius, quasi osculans eum: alterâ verò gladio, quem Amasa non obseruauit, percussit eum in latere & occidit. 2. *Reg.* 20. Simili modo mundus repræsentat homini delectationem, sed non gladium, curas, labores, pericula, scrupulos conscientiæ & potissimum gehennam. Superbis monstrat & offert dignitatem eminentiæ: sed non curas & inuidiam, quæ illam consequuntur; auaro, præstantiam auri & fortunarum rosam, sed non spinas solicitudinum, quæ illam cingunt. Abscondit insuper aculeum conscientiæ mortis & iudicij. Quisquis igitur sapit, mundi osculum caueat, ne fiat gaudium inimicis suis & præda hostibus tartareis, &c.

CONCIO VIII.

Documenta,

Ex hoc Euangelio discimus	4. *Quanta sapientia.*
1 *Quid sit Christi Passio.*	5. *Quanta eius potestas.*
2 *Quid sit eius mors.*	6. *Quanta humilitas.*
3. *Quanta sit Christi charitas.*	7. *Quid doceat nos S. Petrus.*

THEMA.

Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Ioan. 13.

A Magna & seria esse debēt, quę in hodierno Euāgelio docet nos Saluator, siquidem ad hanc eius doctrinam audiendam vocauit nos iam dudum, ante Christum natum propheta Isaias, cap. 2. cùm dixit: *Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem.* Conueniunt autē doctores, cœnaculum, in quo Christus primò miro opere, (pedum lotione) deinde longo & præclaro sermone docuit discipulos fuisse in mōte Siō situm. Itaque, Auditores, venite, ascēdamus ad montē istum, audiamus vias, quas ibi nos docebit Dominus per hodiernum Euangelium.

B. I. Quid sit Christi passio. Docemur Primò, quid sit passio Christi, hora scilicet quasi partus. Ità enim Ioannes scribit: *Sciens Iesus, quia venit hora eius:* quâ nimirum pati deberet. Hanc autem horam, iisdem verbis describit paulò pòst Dominus in sermone post cœnam habito. *Mulier cùm parit,* inquit, *tristitiam habet, quia venit hora eius, cùm autem peperit puerum; iam non meminit pressuræ propter gaudium,* &c. Quâ similitudine intendit quidem explicare dolorem discipulorum de sua passione, bellè tamē eâdem depingit suam passionem, quæ fuit hora Iudæorum & potestas tenebrarum ad exserendum virus suum in agnum immaculatum. Fuit deinde hora Christi, quia etsi passio Christi durauit ad bis nouem horas, à tertia videlicet noctis vsque ad duodecimam & inde ad nonam diei: eam tamen ob amorem & desiderium salutis nostræ non reputabat nisi vnam horam quo modo Iacobo Patriarchæ bis septē anni quibus seruiebat pro Rachele *videbantur esse dies pauci præ amoris magnitudine.* Gen. 29. Fuit denique hora quasi partus eius, acerbissima quidem & tristissima, breuî tamen in maximū commutata gaudium, quando rediuiuus vidit genus humanum, vitâ gratiæ donatū & Ecclesiam, suam exsurgentem. Quare tunc non meminit pressuræ, quia omnium iniuriarum paulò antè acceptarum quasi oblitus, nec vlciscitur de Iudæis, nec exprobrat discipulis fugam, desertionem, negationem, imò nec meminit passionis suæ, vnde discipulis duobus in Emautico itinere eam commemorantibus, ipse quasi inscius & peregrinus nescisset quid actū esset secū Ierosolymis, respondit, *Quæ?* Luc. vlt. Huius igitur exemplo nos *omne gaudium existimemus, cùm in varias tentationes inciderimus,* scientes, quia quæuis tribulatio hora tantùm est respectu æternitatis: hora est respectu præmij cælestis quod nobis parit.

C. II. Quid sit eius mors. Docemur Secundò, Quid sit eius mors; trāsitus nimirum & quidem ex hoc mundo ad patrem. Præsignatus fuit hic eius transitus per transitum Iudæorum, quo de Egyptiaca seruitute in terram promissionis transierunt, de quo immediatè antè mentionem fecerat Ioannes: *Ante diem Paschæ.* Pascha autem festum erat transitus ex Ægypto. Transijt autē Christus per mortem suam de labore ad quietem, de mortali ad immortalem vitam. Præsignatus & in transitu Iordanis, qui in eodem itinere ipsoque in terram sanctam ingressu contigit. *Ios.* 3. Ibi enim Sacerdotes populum præcesserunt & intulerunt arcam in Iordanis vadum: & hic Sacerdotes maximè Christum impulerunt in mortem: populus post ipsos, vtpote eorum iussa, concilia & exempla sequens. Ibi aquæ Iordanis tempore messis ripas aluei sui impleuerant: hic dolores Christi supra modum aucti omnes eius sensus & vires occupauerunt. Ibi aquæ superiores steterunt

runt detentæ ne ad ima defluerent, inferiores descenderunt in mare mortuum: hic in parte animæ superiore, quæ intuebatur Deum, stetit omne gaudium omnisque consolatio ne deflueret in partem animæ inferiorem & sensitiuam, quæ plena erat mortis doloribus. Ibi stetit in Iordanis alueo Arca & continuit aquas, donec Hebræi omnes transirent. Hic stans in Cruce Dominus continuit iram Dei & redemit omnes suo tempore per baptismum transituros ad promissam beatitudinem. Hic ergo est Christi transitus, sed & nostra mors transitus quidam est, non absimilis illi, de quo diximus. Ibi enim Iordanis aquæ inundauerunt: hic tentationum fluctus auget Sathan, qui vltimo vitæ tempore maximè insidiatur; taceo horrorem mortis, morborumque acerbitatem. Ibi ex colliquefactis Libani aliorumque montium niuibus Iordanis aquæ creuerunt; hic è voluptatum, honorum, opum iamiam deserendarum metu, varij vastique curarum & mœstitiarum existunt gurgites. Ibi supernæ, quæ à dextris erant aquæ intumescebant ad instar montis & transeuntibus imminebant, inferiores verò, quæ à sinistris, defluebant in mare mortuum: hic plurimum molestiæ & terroris afferunt morientibus ea, quæ ipsis dextra & prospera erant: iuxta id Ecclesiastici 41. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis viro quieto & cuius via directa sunt in omnibus*, &c. Aquæ inferiores & sinistræ sponte quasi suâ cedunt faciuntque vt homo libenter hinc emigret, prout ibidem sequitur: *O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti & qui minoratur viribus, defecto ætate*. Et quis hic Dux noster, nisi noster Iosue, seu IESVS, qui per fluctus medios sicco nos vestigio deducat?

D. III. Quanta sit Christi charitas. Docemur TERTIÒ, quanta sit eius charitas. Hanc enim vigilante verbo notauit Ioannes cùm dixit: *In finem dilexit eos*. Quis verò nunc exponit quid sit, in finem diligere? Sanè Apostolus Paulus scribit ad Eph. 3. flectere se genua sua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt possimus scire *supereminentem scientiæ charitatem Christi*. Quæ autem sit ea supereminens charitas, videtur exponere verbis immediatè præcedentibus dicens; *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum*; quasi explicans quid sit diligere in finem, nimirum in omnem dimensionem. Ergo dilexit Christus in finem suos quoad latitudinem, quia dilexit non angelos solùm sed & homines: non viuentes solùm sed & patres in limbo: non amicos solùm sed & inimicos: non Iudæos solùm sed & Gentiles; quibus parauit epulum Eucharisticum, dum illi pararent ei Crucem. Inter illos Iudam admisit ad suam cœnam & pedum ablutionem: quem etiam vsque in finem non destitit vocare ad se & retrahere à scelere. Dilexit vsque in finem, quoad longitudinem, quia perseueranter vsque ad finem vitæ suæ, imò & post mortē semper. Sic enim testatur Ier. 31. *Charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans tui*. Parentum amor erga filios solet paulatim imminui & refrigescere ac sæpe omnino extingui. Non te... amor Christi erga discipulos, tametsi illorum amor reciprocus ingruente tentatione non parum imminutus fuit. Dilexit vsque in finem, quoad sublimitatem, quia sanctè in ordine ad beatitudinem, quæ est finis hominis supernaturalis; ad quem vt nos perduceret, mortē acerbissimam pertulit scalamque nobis in cœlum erexit, qualem olim in somno vidit Iacob, crucem scilicet, per quam non difficilè, si velimus, ascendere ad cœlum possumus. Dilexit vsque in finē, quoad profunditatem, quia intensissimè, vsque ad mortem & sepulchrum, ita pro nobis mori non dubitaret, imò vt seipsum nobis in cibum & potum daret. Quæ scientia, quis intellectus comprehendere... hunc amorem potest?

E. IV. Quanta eius sapientia. Docemur QVARTÒ, Quanta sit eius sapientia & scientia. Audimus enim in hodierno Euangelio nouisse eum quæ in cœlo & arcano Dei consilio, nouisse quæ circa ipsum, nouisse quæ circa proximum fiunt. Primum indicat Ioannes cùm ait: *Sciens: quia omnia dedit ei pater in manus*. Vidit ergo se cōstitutum esse Regem cœli & terræ, seu vt loquitur Apostolus ad Hebr. 1. Hæredem vniuersorum. Alterum cùm ait: *Sciens, quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad patrem*. Et rursum: *Quia à Deo exiuit & ad Deum vadit*. Tertiū, cùm inquit: *Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum*. Nos in omnibus his si non cæci, cæcutientes saltem sumus. Nescimus enim imprimis quid statuerit de nobis Deus: nec certò nobis constat, vbi parauerit nobis locum, in cœlo an apud inferos; & si in cœlo, vt speramus, nescimus quæ & quanta sit nostra hæreditas; quia hæc non in manu nostrâ, sed in manu Dei sunt, teste sapiente Ecclesiaste cap. 9. *Sunt iusti, atque sapientes & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta*. Deinde vt ibidem subdit Sapiens: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo*. Nos ergo nescimus tempus, locum & genus mortis nostræ: sed sicut pisces repentè incidimus in nassam, retia vel hamum mortis. Nescimus plerique quò vadamus, cùm hinc emigramus, ad Deúmne an ad Diabolum. Vnde Aristoteles moriens: *nescio quò vado*, fertur dixisse. Denique nescimus qualis sit proximus noster, mundus an immūdus, amicus an inimicus noster, fidus an perfidus. Sæpè quē Ioannem existimamus & in sinu nostro fouemus, Iudā experimur & èconira.

F. V. Quanta eius potestas. Docemur QVINTÒ, Quanta sit eius potestas & imperium, siquidem ait Ioannes: *Omnia dedit ei Pater in manus*; quasi dicat: totum mundum (quod indicat sphæra seu globus mundi in Christi dexterâ pingi solitus.) Quā ratione? inquis, Dico eâ ratione, quâ legimus Ios. 6. traditam esse Iosue ciuitatem Iericho à Deo dicente: *Ecce dedi in manu tuâ Iericho & regem eius omnesque fortes viros*. Itaque Dei iussu septem diebus

diebus circuiuit vrbem cum sacerdotibus arcam gestantibus & tubas inflantibus; sicque vltro corruentibus vrbis muris: *Hierichuntem*, ait S. Chrysostomus hom. 23. in Ep. ad Ephes. *Israëlitæ choreas agentium more potiùs quàm bellantium euerterunt.* Iericho, vt sæpius alibi notauimus, quia Luna exponitur, mundum instabilem & vitijs plenum repræsentat. Hunc ergo Deus Pater dedit filio in manus cum Rege & fortibus eius, quia dedit euertendum quoad idololatriam & ad fidem conuertendum, miro pugnandi genere buccinis videlicet Apostolicis. Dum enim Apostoli velut cornua arietina (tales enim erant buccinæ illæ *Ios. 6.*) pauperes, simplices, rudes, mundum circumeuntes insonuerunt Euangelium, factum breui tempore, vt corrueret idololatria; & Imperator Romanorum principesque huius sæculi subderent colla Christo. Adhæc ita Deus Pater dedit mundum filio in manus, vt eum extremo tempore totum subruere, & in voce tubæ nouissimæ congregare omnes mundi incolas ac iudicare posset. Tunc ergo noster Iosue seu IESVS prosternet vrbem Iericho, cùm mundum igne exuret, cùm reprobos varijs signis è cœlo & Elementis conterrefaciet, cumque solam domum Rahab, Ecclesiam videlicet (quæ fidem Apostolicam per fidem & obedientiam suscepit & in superiore domus parte locauit, hoc est, terrenis rebus præposuit) saluabit & cum domo Israël, Angelis, inquam, suis sociabit: reliquos verò omnes, vtpote reprobatos & anathemate percussos perdet in gehennam. Quanta hæc potestas? quantum Christi imperium?

G. VI. Quanta eius humilitas.

Docemur SEXTÒ. Quanta sit eius humilitas & demissio, à summo nimirum vsque ad infimum locum, à cœlesti throno vsque ad piscatorum sordidos pedes. Nouerat Dominus se Dei filium sibique omnia à patre tradita esse: nouerat se à Deo exisse & ad patrem vadere, vti rectè aduertit Ioannes: *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus*, &c. hac tamen suâ maiestate posthabitâ, demisit se ad seruulorum suorum pedes abluendos, stupendo humilitatis exemplo. Quæ causa est, cur aliqui nolint se humiliare, subijcere, cedere, tacere, contumelias & iniurias perferre? quia sciunt & considerant suam excellentiam, dignitatem, nobilitatem, doctrinam, opulentiam, &c. in his se speculantur velut pauo in flabello suo; inde inflammantur, irascuntur, indignantur, contemnunt alios, &c. At non ita Christus, qui non ignarus supremæ suæ excellentiæ, ad infima se abiecit. *Non magnum est*, inquit, S. Bernardus hom 4. super Missus est, *in abiectione esse humilem. Magna prorsus & rara virtus est humilitas honorata.*

Vidimus vias Domini Magistri & Legislatoris nostri, superest vt videamus, quomodo in his ambulârit Petrus, primarius eius discipulus.

H. VII. Documenta à Petro.

Ergo Petrus Primò perspecta Domini humilitate & ipse se in terram abijcit, tantamque humilitatem admiratur, dicens: *Domine tu mihi lauas pedes? Tu summa maiestas & Dominus meus? Mihi piscatori & seruo tuo lauas proprijs manibus, quod est vilium vernarumque pedes fœtentes, sordidos, abiectos?* Iure S. Augustinus, vel quisquis auctor est *serm. 28. ad frat. in Eremo*, existimat Petrum à lotione refugientem per cœnaculum discurrisse velut insensatum & exclamasse: *Tu mihi lauas pedes? non lauabis mihi pedes in æternum. Tu mihi lauas pedes?* Hoc nos, Auditores, imitari deberemus, cùm ad nos diuertit summa illa maiestas in S. Cõmunione.

Secundò perspecta Christi potestate & maiestate, exhibet ei reuerentiam, adijciendo hoc: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Hæc enim verba protulit ex reuerentiâ & veneratione Christi, vt docet Cyrillus, quasi indignissimum ratus, ideoque non patiendum in æternum vt tanta maiestas tam vile obsequium sibi præstaret. *Asseuerabat autem*, inquit Euthymius *honorans illum ac venerans.* Et B. Laurentius Iustinianus *de triumph. Christi agone c. 5.* in ea Petri verba exclamat: *O diuinam Petri reuerentiam Deique venerationem! ab amantissimo enim obseruantissimoque Domini sui, non ab inobedienti pectore profecta sunt hæc Petri verba. Quis non horresceret prostratum coram se videns Dominum? quis pedes proferre auderet prouolutum coram se cernens Seraphinorum summum Regem?* 2.

Tertiò perspectâ summâ eius sapientiâ, cessit & obediuit, iuxta nomen suum, (Simon enim obediens exponitur) quod sapienter & apposite attribuit hîc Petro Ioannes, inquiens: *Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantùm pedes*, &c. q. d. Iustè vocatus est Simon, quia non voce tantùm, sed opere Simonem se exhibuit. Fuit autem ea obedientia præclara triplici ex capite, quia celeris, quia cæca, quia abundans; quæ sunt tres eximiæ notæ sanctæ obedientiæ. Celerem præstitit; quia cognitâ Christi voluntate nihil est cunctatus, *in auditu auris obediuit* Christo *Psal. 17.* Cæcam deinde exhibuit, quia horribilis præcepti causam ignorauit, iuxta id: *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autẽ posteà. Vera* (autem) *obedientia*, inquit S. Greg. l. 1. Reg. 3. *neque præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit*, &c. Abundantem denique & cumulatam, quia plus quàm petebatur, obtulit: *Domine non tantùm pedes, sed & manus & caput. At perfecta obedientia*, (ait S. Bernard. in tract. de præcept. & disp.) *legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis & id omne quod iniungitur, spontanea, vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans in infinitam libertatem extenditur.* 3.

Quartò perspectâ eius charitate reciprocam rependit, dum audiens comminationem separationis à Christo, horrore perculsus, non tantùm pedes, sed se totum obtulit ad lotionem, cupiens potiùs immergi totus adeoque suffocari in aquâ, quàm à Christo separari. Nullum tonitru, nullum fulmẽ ita terruit aliquem, vti hæc vox Petrum: *Non habebis partem mecum.* Quin & si gehennam Petro comminatus fuisset Dominus, sine dubio non tam acriter 4.

ter eum percuſiſſet. Hinc enim eſt ſanctorum horror, à Chriſto ſeparari; cui per amorem arctiſſimè adhærent; magis quàm dens ori, quàm anima corpori, quàm medulla oſſi. Vnde exclamat Paulus ad Rom. 8. *Quis me ſeparabit à Charitate Chriſti.*

Poſtquam ergo Auditores vidimus Magiſtri & Domini noſtri vias, nec non diſcipuli ſequelam; ſupereſt vt nos quoque ambulemus in eius ſemitis, &c.

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Quæritur quâ die ſit cœna peracta.*
2. *Quando & quomodo tranſit ad Patrem Chriſtus.*
3. 4. *Quinam ſui quos dilexit, & quid diligere in finem.*
5. 6. *Cur Ioannes meminerit proditoris, & cur eum vocet Iſcariotem.*
7. *Cur per proditionem venditus Chriſtus.*
8. 6. 10. *Cur lauerit Dominus diſcipulorum pedes; à quo diſcipulo lotionem inceperit, & cur eam renuerit Petrus.*
11. *Cur tam ſeuerè minatus Petro Dominus.*
12. *Quomodo lotus non egeat niſi pedum lotione.*

THEMA.

Scitis quid fecerim vobis? Ioan. 13.

A. PRopheta regius quamuis illuminatiſſimus in ſcripturis ſacris, creberrimè tamē alijs aliſque verbis orat: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ.* Hebr. *Deuolue ab oculis meis* (velamen caliginis ſcilicet) *& clarè intuebor mirabilia legis tuæ.* In quæ verba S. Hieronymus ep. ad Paulinum ait: *Si tantus propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos putas paruulos & penè lactentes inſcitiæ nocte circūdari? Hoc autem velamen non ſolùm in facie Moſis, ſed & in Euāgeliſtis & Apoſtolis poſitum eſt, & niſi aperta fuerint vniuerſa, quæ ſcripta ſunt, ab eo, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, nullo alio reſerante pandentur.* Patet etiam ex hodierno Euangelio, non omnia Chriſti geſta, tametſi oculis ſpectata, à diſcipulis intellecta fuiſſe. Audimus enim Petro Dominum dicentem: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.* Sed nec poſtea quidem intellexiſſet, quid ſibi vellet lotio pedū, niſi ei tenebras Magiſter abſterſiſſet & myſterium aperuiſſet dicens: *Scitis quid fecerim vobis.* &c. Nos ergo Auditores fateamur à potiori, nos eſſe paruulos & lactentes, tenebris circūdatos, & proinde cum Dauide oremus: *Reuela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua.*

B. I. Quâ die cœna peracta. Q. PRIMA. Quâ die Chriſtus cœnam agni paſchalis peregit; ſiquidem Ioannes hic ait, ante diem feſtum paſchæ, reliqui verò tres Euangeliſtæ primò die azymorum, qui tamen dies cum paſchate à cœnâ agni inchoabant, factam eſſe cœnam. Reſpondetur Iudæos inchoaſſe dies feſtos vti & Sabbatha ſua à veſperis præcedentis diei, finiiſſe in veſperis ſequentis, adeoque duas quodāmodo veſperas tribuiſſe illis diebus, primas & ſecundas; quēadmodum fit in feſtis Eccleſiæ, & hic erat dies Iudæorū legalis. Cæteras autem gentes inchoaſſe diem ab exortu lucis & finiiſſe in occaſu: & hic erat dies artificialis. Cùm ergo primus azymorum dies feſtiuus eſſet, incipiebat à veſpera feriæ quintæ quæ erat Luna 14. in quâ iuxta legem Leuit. 23. Dominus more cæterorum Iudæorū comedit agnum paſchalem. Quare ſi loquamur de die legali Iudæorum, comedit Chriſtus agnum primo die azymorum ſeu paſchatis, qui ritu Iudaico incipiebat tunc à veſperâ feriæ quintæ: & hoc dicunt tres priores Euāgeliſtæ. Sed ſi loquamur de die artificiali, qui ritu gentium à luce inchoabat, tunc comedit Chriſtus agnum ante diem feſtum paſchæ ſeu azymorum, vtpote qui nondum illuxerat, loquendo de ſolis ortu. Iuxta priorem diei acceptionem, dici debet comediſſe agnum die 15. iuxta poſteriorem die decima quarta quæ tamen vna & eadem dies erat. Præceptum autem erat. *Leuit.* 23. primò; *Menſe primo* (Niſan, qui partim Martio, partim Aprili noſtro reſpondet, prout nouilunium in vnum vel alterū incidebat) *quartadecima die menſis ad veſperā phaſe Domini eſt.* Dies autem illa decimaquarta non erat feſta, niſi in veſperâ primùm, in qua phaſe immolabatur, tam à Chriſto, quàm à Iudæis alijs. Deinde præcipitur: *Et quintadecima menſis huius ſolennitas azymorum Domini eſt.* Dies illa feſta erat, & incipiebat à veſperā præcedētis diei, in quâ phaſe comedebatur. Quod ſi Ioannes infrà c. 18. ait Iudæos feriâ ſexta adeoque decimaquinta die menſis ingredi noluiſſe prætorium ne contaminarentur, & vt comederent paſcha: non intelligendum eſt per paſcha, agnus paſchalis qui pridie iam, die ſcilicet decimaquarta comedi ex lege debuit; ſed de paſchalibus alijs cibis vti azymis & alijs quos item legali cum munditie comedere debebant. Niſi quis dicere malit, Principes Iudæorum in Chriſti comprehenſione & condemnatione occupatos, ſecum diſpenſaſſe, vt poſtero, primùm die ſuum phaſe deuorarent; quaſi non ſapuerit illis agnus legalis, niſi priùs deuoraſſent Agnum illum Dei, verum & immaculatum, qui tollit peccata mundi.

C. II. Quando & quomodo tranſijt ad Patrem Chriſtus. Q. SECVNDA, Quando & quâ ratione Chriſtus tranſijt ad Patrem? Reſpondetur, cùm ad mortem perrexit, tunc inchoauit iter ad patrem, finijt cùm in cœlum aſcendit. Tunc enim nouo modo ad patrem iuit, quando ſuâ humanitate cæleſte eius palatium intrauit, & ſedit ad eius dexteram. Tempus intermedium à morte vſque ad aſcenſionem, quaſi via fuit & tranſitus, cuius typus erat Iudæorum phaſe, quod tranſitū ſignificat, quia eo comeſto trāſierunt ex Ægypto ad terram promiſſionis; quo modo poſt ſuum phaſe Chriſtus tranſijt de mundo ad patrem. Tranſitus ille legalis, hic Euāgelicus fuit. *Vterque,* ait Beda in Ioannem, *ſanguine conſecratus eſt: ille agni paſchalis, iſte eius de quo dicit Apoſtolus: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

D. III. Quinam sui, quos dilexit. Q. TERTIA. Quinam illi sui, quos dilexisse dicitur Christus? Respondetur, esse Apostolos, quos peculiari ratione veluti suos, intimos scilicet & amicos diligebat. Habuit quidem & alios suos, Iudæos scilicet, de quibus Ioan. 1. *Et sui eum non receperunt*: sed titulo cognationis tantùm & creationis: non titulo amicitiæ seu amoris. Suos porrò, *qui in mundo erant*, adiecit Euangelista, quia in mundo relinquendi erant. Vel secundùm Chrysostomum, quia habuit etiam alios amicos suos in limbo, Abraham, Isaac, Iacob, &c.

E. IV. Quid in finem diligere. Q. QVARTA. Quid est: *In finē dilexit eos?* Respondetur, Primò, dilexit ardentissimè & maximo amoris signo exhibito, velut lotione pedum, Eucharistiâ, & sermone præter morem prolixiore & amantissimo. Itaque in finem, hoc est, vsque in finem, seu adeò dilexit,
1. vt non posset magis. Quid enim ampliùs facere poterat, postquam se Apostolis etiam in ci-
2. bum dedit? Secundò dilexit constanter, in finem, hoc est vsq; ad finē vitæ seu mortem, (tametsi etiam post mortē suam dilexit) quæ terminus censetur actionum humanarum. Tertiò
3. mysticè, dilexit ordinatè, vt in finē, hoc est, in ipsum Christum transirent ex hoc mundo, vt
4. exponit Augustinus. Quartò, dilexit in ordine ad beatitudinem consequendam, vt explicat Dion. Carthusianus. Omnia hęc ostēdunt, quomodo debeat diligi proximus: nimirum ardēter, constanter, ordinatè & post Deum, denique etiam sanctè, ad salutem ei parandam.

F. V. Cur Ioānes meminit proditoris. Q. QVINTA, Cur Ioannes meminit hîc proditoris Iudæ? Respondetur. Primò, quia postea etiam de illo aget cùm passionem Domini
1. describet. Secundò, ex sententiâ D. Augustini & Chrysostomi, ob stuporem & terrorem quasi inauditam rem narraturus, quòd filius
2. Dei proditori suo, quem agnouerat, pedes lauare dignatus fuerit. Miserat Diabolus sagittas auaritiæ & impietatis suæ in cor Iudæ, velut in scopum. In idem etiam Christus misit sagittas amoris sui. En certamen duorum sagittariorum in eundem scopum. Christus et cœnam apposuit, pedes lauit, osculum & amici appellationem impertiit. Quantæ hæ sagittæ? Sed cor tamen eius tangere & vulnerare non valuit, quia id iam priùs vulnerauerat Diabolus, Christo durum & obstinatum, Diabolo verò molle præbuit cor Iudas.

G. VI. Cur agnominat Iscariotē. Q. SEXTA. Cur agnominat Iscariotem? Respondetur, vt ab altero eoque sancto Iuda Thaddæo illum separet, velut scabiosam ouem à sanâ, ne huic affricetur illius languor. Iscariotes autem dictus videtur ab oppido Iscarioth, quod erat in tribu Ephraim auctore S. Hieronymo in cap. 28. Isaiæ.

H. VII. Cur per proditionem venditus Christus. Q. SEPTIMA, Cur per proditionem vendi se permisit Dominus? Respondetur, ob plures
1. causas. Prima est, vt satisfaceret pro iniuriâ quam Deo nos intulimus, dum pro vno pomo vendidimus nos ipsos Dæmoni in paradiso. Voluit ergo Dominus, qui per omnia tentatus est, huius etiam grauissimæ iniuriæ expers non esse, & pro vili pretio vendi, siquidem pro viliori longè nos vēdidimus Deum & nos. Fuit autem hæc iniuria grauissima. Primò, quia qui vēditur, Dei filius est, Vendi solent pecora & per abusum mancipia: non autem liberi homines. Quid igitur vendere Deum? Secundò, quia venditor, non hostis, sed discipulus Christi fuit, vnus ex duodecim ipsi familiarissimis: commensalis eius, &c. Tertiò, quia causa venditionis leuissima, motus auaritiæ. Quartò, quia instigator fuit Diabolus, qui eiusmodi motum misit in cor Iudæ. Quintò, quia emptores erant hostes, Christo infensissimi: non amici, non propinqui, non barbari, sed Lupi, Leones, Vrsi, ad laniandum parati. Sextò, quia pretium vilissimum & indignissimum, 30. argentei: quod à Zacharia prophetâ c. 11. vocatur *decorum pretium*, per ironiam, hoc est, vilissimum & indignissimum. Accedit quòd Iudas in potestate principum ponit pretium: *Quid vultis mihi dare?* quasi accepturus, quidquid illi offerrent: Quia ergo tam indignè venditus est Christus, meruit nos emere.

Secunda, vt præberet nobis exemplum raræ humilitatis, velut qui amore nostri seruorū instar vēdi voluit. Quis autem nos ita despicit & vilipendit vt non pluris æstimet 30. argenteis? S. Ambrosius l. 5. *super Lucā* ait: *Voluit Dominus deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi: vt cū sis desertus à socio, proditus ab ipso, moderate feras tuū errasse iudicium, perysse beneficiū.* 2.

Tertia, vt doceret nos cautelam, ne in homine confideremus, aut cuiuis nos crederemus, tametsi sint domestici & familiares. Hinc enim monet Ecclesiasticus c. 6. *Ab inimicis tuis separare ab amicis tuis attende.* Et Ieremias c. 9. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat & in omni fratre suo nō habeat fiduciam*, &c. Similiter Michæas c. 7. *Vir fratrem suum ad mortem venatur.* Et mox: *Nolite credere amico.* Et paucis interiectis: *Et inimici hominis domestici eius.* 3.

Q. OCTAVA. Cur lauare voluit Dominus discipulorum pedes? Respon. Primò, vt exemplum eis præberet humilitatis & mutuæ charitatis. Hanc causam ipse tradidit: *Si ego laui pedes vestros Dominus & Magister vester, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis.* &c. Idem obsequium commendat Apostolus 1. Tim. 5. in vidua: *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit.* Commendat & sanctus Augustinus tract. 58. I. VIII. Cur lauit Dominus discipulorū pedes. 1.

Secundò, vt indicaret se abluturum nos per sanguinem suum, iuxta id Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*; quasi adumbrare volens hodie, quod sequente die facturus erat. Tunc enim antequam in crucem tolleretur, vestimenta sua posuit, cùm nudatus est: præcinxit se linteo honestatis causâ: misit ex cruce aquam in peluim, id est, sanguinem in sacramenta, quo mundamur. 2.

Tertiò, vt doceret rationem præparādi nos ad dignam Eucharistiæ susceptionem, per pœnitentiam videlicet, quâ abluimus pedes, id est, gressus & actus nostros, dum eos Sacerdoti denudamus & tergendos porrigimus, quemadmodum alibi diximus. 3.

Q. NONA,

K. IX. A quo discipulo cœpit lotionem.

Q. Nona. A quo discipulo cœpit lotionem Christus? Respondetur, id non constare certò. Origenes, Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus sentiunt à Iuda cœpisse; tum quod illi priùs mederi deberet Medicus, qui grauiùs ægrotabat: tum vt illum hoc amoris obsequio à flagitio patrando auerteret: tum vt & nos doceret benefacere inimicis.

Sanctus verò Augustinus, Beda, Rupertus alij probabiliùs existimant à Petro inchoasse; siquidem credibile est alios omnes discipulos, si quis illorum prior lotus fuisset, idem dicturos fuisse, quod dixit Petrus, & simili modo compulsos; quod si vidisset Petrus non fuisset ausus postea reluctari. Itaque docere voluit à Capite incipiendam esse morum reformationem; siquidem Petrus designatus erat Caput & Rector Ecclesiæ.

L. X. Cur renuit lauari Petrus.

Q. Decima. Cur renuit lauari Petrus? Respondetur. Primò, præ stupore & admiratione
1. tantæ in Christo humilitatis, quòd ipse Dei filius cum tantâ suâ abiectione, tantoperè vellet honorare discipulum, piscatorem, pauperem, &c. Vnde quemadmodum olim post capturam piscium Christi diuinitate perspectâ, stupor circumdederat eum, dicentem: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Luc. 5. ita nunc attonitus fit ob exinanitam & ad suos pedes abiectam Dei maiestatem. Quemadmodum enim qui de altissimâ rupe in profundissimam abyssum & præcipitium despicit, mox præ horrore resilit & vertigine inuoluitur: ita Petrus considerans Magistri celsitudinem, suamque ex altera parte humilitatem, horrore correptus retraxit pedes à lauacro, & in ea
2. verba prorupit: *Tu mihi lauas pedes?* Secundò. Ob reuerentiam & amorem erga Dominum. Voluit enim dicere minimè decere vt tanta maiestas ad tam sordidum vernarum ministerium se demitteret, nec se cernere aut pati posse, vt tam dilectus sibi Magister tam vili obsequio se manciparet. Eadem reuerentiâ permoti Ioannes Baptista & Centurio: ille quidem renuens baptizare Dominum: *Tu venis ad me?* inquit, *ego à te habeo baptizari:* iste verò domum ei occludens: *Domine non sum dignus,* ait, *vt intres sub tectum meum.* Et sanè *quis non horresceret prostratum coram se videns Dominum? quis pedes proferre auderet, prouolutum coram se ce nens Seraphinorum summum Regem?* inquit Laurentius Iustinianus *de triumphali Christi agone c.* 3.

M. XI. Cur tam seuerè minatus Petro Dominus.

Q. Vndecima, Cur Dominus tam seuerè comminatur Petro, *Nisi lauero te: Non habebis partem mecum?* Respondetur. Primò, quia me-
1. morabile humilitatis exemplum Christus mundo relinquere voluit. Secundò, quia ma-
2. ximum docere mysterium cumprimis necessarium, scilicet quod in sanguine eius omnes abluendi: & quod accessuri ad S. Synaxin priùs per lauacrum pœnitentiæ mundandi sint. Quæ licet Petro non explicuerit (quia fortè his rationibus non acquieuisset) debuit tamen Domino & Magistro suo, vtpote sapientissimo, & qui nihil sine magnâ prudentiâ egit, acquiescere post comminationem, & quidem sub mortifero peccato: non habiturus cum Christo partem, id est, societatem in eius Collegio, vel communionem in S. mensâ, vel denique hæreditatem in regno cœlorum. Triplici igitur hac comminatione, quasi trisido Iouis fulmine territus Petrus ilicò cedit, & non pedes tantùm, sed & manus & caput offert, & quantum priùs fugit, tantum nunc accurrit.

N. XII. Quomodo lotus non eget nisi pedes lotione.

Q. Duodecima, Quomodo qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet? Respon. variè hoc exponi posse. Primò, Etsi vos loti estis à
1. peccatis per gratiam; oportet tamen pro re-
2. ceptâ consuetudine lauare nihilominus pedes antequam accumbamus ad secundam mensam, tametsi fortè pedes vestri non indigent lotione. Secundò, tametsi loti & mundati estis à grauioribus peccatis, forsitan tamen adhærent vobis culpæ veniales, quemadmodum egredientium è balneo pedes facilè rursum sordes contrahunt, saltem leuiores, *Lotus est,* inquit S. Bern. serm. de cœna Domini, *qui gratia peccata non habet, cuius caput, id est, intentio, & manus, id est, operatio munda est: Sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto esse mundi non possunt.* Tertiò, qui lotus est per baptismum, non potest eum reiterare, debet ergo lauari per pœnitentiam, vt exponit Cyprianus tract. de lotione pedum: Quartò loti estis vos, sed non omnes: pedes enim vestri, Iudas scilicet, qui leuabit contra me calcaneum, minimè lotus est. Vnde subdit: *Et vos mundi estis, sed non omnes.*

IN DIE PARASCEVES

Paſsio Domini noſtri IESV CHRISTI.

CONCIONES.

CONCIO I.

Duodecim faſciculi cruciatuum Paſſionis Dominicæ.

1. *Pro primo Chriſti tormento aßignatur, vltimum illud vale dictum Matri.*
2. *Venditio; vbi conſiderantur; ipſa venditio in ſe, pretium, perſona vendita, venditor & emptores.*
3. *Mœſtitia in horto cuius acerbitatem expreßit confeßione triſtitia pauore ac auulſione à diſcipulis, Angeli confortatione, & ſudore ſanguineo: cuius ſudoris aßignantur cauſa.*
4. *Deſertio omnimoda à Diſcipulis tam ab omnibus; quàm à negante Petro & Iudâ ſuſpenſo: item à Deo, & à ſeipſo.*
5. *Crudelitas Iudaorum & Gentium, irrogando ei ſupplicia ex propria libidine, &c.*
6. *Comparatio Chriſti cum Barraba, ob varias rationes.*

THEMA.

O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus! Thren. 1.

A NOn abſque myſticâ præſignatione factū, vt Moyſes tabulas legis in monte Sinai acceptas, ad eundem montem alliſerit & confregerit, *Exod.* 32. Præſignabat enim hoc meo Iudicio, populum Iudæorum legem ſibi traditam in eo ipſo confracturum & laceraturum à quo acceperunt, qui eſt Chriſtus Dominus, ex quo legem Dei nobis pro mulgatam audiuimus vt teſtatur Iſaias c. 1. *Erit in nouiſsimis diebus praparatus mons domus Domini in vertice mōtium, & eleuabitur ſuper colles. & fluent ad eum omnes gentes*, ex ſententia Hieron. ibid. Sed furioſi Iudæi hodie ſimul rumpũt iugum, totam legem violant & confringunt, & quidem in ipſo legiſlatore Deo. Nam qui præceperat Hebræis: *Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies*: is hodie ab ijſdem negatur, illuditur, irriſoriè adoratur. Qui præcepit: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, hodie vaniſſimè nominatur malefactor, ſeductor, reus mortis & blaſphemijs oneratur. Qui præcepit: *memento vt diem ſabbathi*, atque adeò ſolemniſſimum Paſchæ, *ſanctifices*: ille idem primo & ſolemniſſimo paſchæ die iudicatur & in crucem agitur. Qui præcepit: *honora patrem & matrem tuam*, hodie ab ijs, quos creauit, nutriuit & informauit, in honoratur, ſpernitur, conſpuitur, & ſubſannatur. Qui præcepit: *non occides*, hodie condemnatur, & morte crudeliſſima occiditur, Qui præcepit *non mœchaberis*; hodie repudiatus & è ciuitate eiectus eſt à mœcha ſuâ vxore ſynagogâ clamante: *Non habemus regem, niſi Caſarem.* Qui præcepit: *Non furtum facies*: hodie per iniquiſſimum ſcelus veſtibus, honore, ſanguine & vitâ ſpoliatus eſt. Qui præcepit: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimoniū*; hodie à falſis accuſatur teſtibus. Denique qui præcepit: *Non cōcupiſces*; eius hodie anima quæritur & ſanguis concupiſcitur, dicentibus Iudæis: *ſanguis eius ſuper nos.* Ideo hæc dicit Dominus: (Ier. 18.) *Interrogate gentes: Quis audiuit talia horribilia, qua fecit nimis virgo Iſraël?* Quæ vt clariùs videatis Auditores, clariùs iam proponenda ſunt. Itaque in decē faſciculus cruciatus Chriſti colligabimus.

Faſciculus PRIMVS. Primum Chriſti tormētum exiſtimo fuiſſe vltimum illud vale, quod Chriſtus Matri dixit ad mortis iter ſe accingens. Nam etſi de hoc nihil ſcribunt Euangeliſtæ, non dubitandum tamen quin id factum ſit: quomodo enim rem tantam celaſſet matrem, cùm Deus ipſe aſſerat celare ſe non poſſe Abrahamū, quæ facturus erat: *Gen.* 18. quomodo inſciâ eâ aggreſſus eſſet, quæ ob effuſionem ſanguinis, quam filio communicauerat, merito proteſtari potuiſſet? Iam verò quis explicet, quàm amara fuerit illa ſeparatio, quàm flebilis valedictio? Conijcere id aliquo modo poſſunt parentes, quibus filij fortè in extremâ ſuâ infirmitate valedixerũt: quãtus ibi dolor, quanti vtrimque ſingultus? ſolet tamen ibi maior eſſe dolor parentum, quàm filiorum, quia amor deſcendit, non aſcendit, id eſt, non ita amantur à filijs parentes, vt filij à parentibus. Sed aliter res habuit in Chriſto: etſi enim Mater tenerrimè eum dilexerat, atque adeò ſuper omnia: eā tamē filius longè magis, quia prior, & quia non tantùm eam omnibus bonis dotauerat, ſed pro eâ etiā, vti pro omnibus hominibus, mori venerat. Non poſſunt ita ſe mutuò dili- B. I. Vale dictum matri.

diligere parentes & liberi, quia non agnoscũt eorum pro se exantlatos labores, agnouit autem optimè Christus. Quanta igitur vnio tunc separabatur? filius nobilissimus & elegantissimus à nobilissimâ & elegantissimâ matre: vnicus, ab vnicâ parente. Flos iuuentutis è gremio matris ad mortem rapitur. Quomodo fieri hæc separatio poterat? Quod si in horto Christus, cùm ad orationem, solùm quantum iactus est lapidis, à discipulis secederet, auulsus esse ab eis dicitur *Luc.* 22. quasi vi abreptus, quomodo non magis à matre, cùm vna quodammodo caro & vna anima essent? cùm per ipsam mortem separandum se ab eâ sciret? Speculantur hîc Doctores aliqui, quasi hæc vel his similia collocuti sint. Christus quidem: Nosti mater quo in loco res sint meæ, quòd è cœlo per te in terras venerim ad redemptionem generis humani, quæ sine morte & sanguinis effusione fieri nequit, perficiendam: quoniam verò horâ est iter illud aggredi arduum & difficile, nolui nec potui rem tantam te celare, rogas te obnixè vti ne mei causâ nimium angaris aut affligaris (cùm sciamus hanc patris mei esse voluntatem) sed potiùs patri me commendes & benedictionem mihi impertiaris. Ad hæc Mater: Noui equidem fili & heu dolens noui! eam esse tuam ac Patris tui voluntatem, cui refragari nec possum nec volo: cæterum noram accelerare audiens mortis & passionis tuæ, non possum non totis artubus contremiscere. Quare obsecro te, vti, priùs crastinâ die pro more legis nostræ (quo filij cum parentibus, amici cum amicis solent comedere pascha, ac propterea à remotis etiam aduenire locis) pascha nobiscum facias. Tum filius: ne dubita, mater, quemadmodum tuæ petitioni nunquam non subscripsi, ita & nunc subscribo: Cras enim in mensâ crucis certissimò comedemus pascha, extra ciuitatem in amplissimo Caluariæ montis cœnaculo. Ibi inseruient nobis non sexaginta tantùm fortes, sed milleni aliquot, omnes tenentes gladios. Ibi dabo tibi poculum ex vino condito, felle & aceto. Ibi apponentur flores spinarum, odores sputorum fœtidorum: Ibi reclinatoriũ nostrum aureum, mensa erit Crucis. Quæ omnia vera esse crastina nos docebit dies. Quid adhæc putatis sensisse matrem benedictam: quibus dolorum fluctibus obrutam æstuasse? Non dubito procidisse eam in faciem suam, & quo modo postea filius Patrem, semel iterum tertiò orasse: Fili, fili, si possibile est, transeat à te calix iste, Dixisse id Dauidis: *Fili mi* IESV, IESV *fili mi, quis mihi hoc tribuat vt ego moriar pro te.* Quis hic sensus esse filio debuit? Vndique angustiæ, si enim annueret petitioni matris, matrem non redimeret nec humanum genus, si minus, gladio doloris eius animam transuerberaret. Puto sanè tantam hanc fuisse luctam vt mortem vtrique afferre potuisset, nisi voluntatem Dei agnouissent.

C. II. Venditio. SECVNDVS, Venditio: vbi 5. consideranda, quæ supplicium hoc grauissimum fecerunt.

I. *Ipsa in se.* PRIMÒ, Venditio ipsa, quæ feris tantùm & rebus inanimatis competit: homini verò qui naturâ liber & rerum omnium creatarum Imperator à Deo factus est, nequaquam. Quis enim libertatem suam non pluris æstimat quàm omnia sua fortunæ bona. Vnde *Isai.* 13. dicitur: *Pretiosior erit vir auro & homo mundo obrizo.* Et Deut. 24. interfici iubetur, qui proximũ suum vendiderit. Seruus etiam ille Matth. 18. non nisi propter ingens debitum, decem millium talentorum vendi iussus est. Hominem ergo vendere, est quodammodo eum bouem facere & bestiam. Sed mirum est, cur emere Christũ voluerint Iudæi & per traditionem obtinere: cùm eum sine emptione habere quotidie & capere possent: nunquid enim Dominus in cauernis latebat instar latronis aut furis? an non (quemadmodum ad eos in Oliueto dixit) quotidie apud eos erat, palam docens in templo? cur igitur eum non tenuerunt? cur noctu cum facibus & laternis veluti latronem comprehenderunt? Nimirum: decretum erat Iudæis omni quo poterant modo, Christum iniuriari atque adeò libertate etiam exuere, vt mancipium fieret, vtque eò impuniùs & liberiùs in eum ferocire possent, vtpote quem non vi propriâ, sed titulo emptionis in suam potestatem & seruitutem redegissent, quo modo Turcis licet tractare seruos, suos coëmptos pro libitu per eorum leges. Væ tibi Christe; quia iam iure agere videbuntur sibi Iudæi, si te omni modo immanissimè tractent. Nulla tibi spes clementiæ superest aut gratiæ apud istos.

2. *Pretium.* Secundò. Pretium, pro quo venditur, triginta scilicet argentei, seu dimidij sicli (siclus autem continet quatuor denarios seu decem paccos) adeoque floreni decem. Proh quantus est hic despectus? Nònne Exodi 21. pro occiso seruo exiguntur triginta sicli adeoque duplo plus? An non bouem aut æquum ô Iuda, cariùs in foro venderes? Sed si vel illos triginta argenteos stipulatus esset, crederem adhuc quod Magistrum suum aliquo duceret loco. Iam verò, vt aduertit S. Hieron. *in c.* 26. *Matth.* in ementium posuit potestate, quantum vellent illi dare: quasi paratus esset pro quouis etiam vilissimo pretio, imò nullo eum tradere. Igitur non pluris æstimatur à Iuda & Iudæis dominus, quã tes vilissima, vt fungi, Canes, Erinacei, passerculi, &c. qui ob vilitatem suam, nullo definiũtur, sed pro quouis vili offeruntur pretio. Vnde *Zach.* 11. vocat Dominus hoc suum pretium 30. argenteorum, *decorum pretium* (ironicè) iubetque ideò proiici illud ad statuarium. *Exodi* 21. pro seruo à boue occiso iubentur solui 30. argentei, & bos lapidibus obrui. En seruus à boue iam occisus non minoris æstimatur quàm Christus viuens. O Iuda impijssimè & stultissimè quare tam vilem hanc & primam pactionem 30. scilicet argenteorum, tam facilè acceptas? Cur saltem non reclamas? Non possum adeò vili vendere, quia homo hic non vnam nouit artem sed innumeras & præstantissimas. Hic enim est Medicus tam peritus, qui omnes etiam incurabiles sanat morbos. Hic miles & Dux strenuissimus,

mus, cui etiam Dæmones subijciuntur. Hic Nauarchus peritissimus, qui mare pedibus calcare & fluctibus imperare nouit. Hic mirabilis paterfamilias, qui innumerabiles homines modicissimo pane reficere & saturare potest. Hic mortis Domitor, qui iam fœtentes & sepultos è tumulis extrahere & viuificare, &c. Cur non potiùs dicis: *si dederitis mihi domum plenam auri & argenti, non possum* eum vendere? sed heu cœca hominum corda pretium Dei non agnoscunt. Vtinam non & nos tam vili sæpe æstimaremus Deum, atque etiam non vilioris! dum enim pro vilissimâ voluptate vel lucro, iustitiam perdimus & gratiam an non Deum ita vendimus?

3. *Persona vendita.* Tertiò; Persona quę venditur. Est enim Dei filius. Fierine potest, vt ab homine Deus væneat? factum certè ab Iuda. O audacissimum caput, quæ tibi potestas in Deum? si Dominus seruum, Pater filium in extremâ necessitate vendat: capi res hæc potest & mirum non videri: sed vendi patrem à filio, à seruo Dominum, Deum ab homine, quis hoc capiat? Hinc iam mirari desinamus, si legimus in Gen. *cap.* 37. Ioseph, qui figura Christi erat, minori pretio, nimirùm 20. tantùm argenteis venditum esse à fratribus. Ioseph enim homo erat Christus Deus. Ioseph puer, Christus vir: Ioseph vt in vitâ seruaretur, Christus ad mortem venditus est. Quòd si totum mundum appendissent Iudæ ad pretium Christi, nihil fecissent: quasi enim arena maris grauior esset Christus, cuius singula merita infinitum habent valorem ad infinitos redimendos mundos.

4. *Venditor.* Quartò. Venditor discipulus ad summum honoris (Apostolatûs videlicet) apicē à Christo euectus, & innumeris beneficijs affectus: id quod amantissimum Christi pectus maximoperè concussit: quando vidit se tot admonitionibus, precibus, minis nihil in eo profecisse, tot suis amicissimis verbis & beneficijs nil aliud sibi quàm hostem parasse, cui secreta sua (vt videbatur) ideo reuelabat; vt ab eo prodi posset: à quo denique nihil hostile expectabat. De Iulio Cæsare refert Suetonius Tranquillus, quòd cùm inter coniuratos & insidiatores stricto se gladio in senatu inuadentes, M. Brutum quoque, quem plurimis beneficijs affecerat & amicissimum sibi putabat, conspexisset, dolore tactus dixerit: *Et tu quoque Marce fili?* Hoc idem insinuasse videtur Iudæ Dominus, cùm ad illum ait; *Amice ad quid venisti?* q. d. non recordaris veteris nostræ amicitiæ, quomodo *mecum* priùs *dulces capiebas cibos?* qui *in domo Dei ambulauimus cum consensu?* vt Psal. 54. dicitur. O quanto doloris sensu, quantâ violentiâ hanc vocem protulit; *Amice?* Nam Inimice, debebat dicere.

5. *Emptores.* Quintò, Emptores, quibus venditur; sunt enim Infensissimi Christi hostes, scribæ scilicet & Pharisæi, qui toties ei insidiabantur, toties capere eum conabantur. Mercantur illi Christum non vt seruum, sed vt hostem, cui pro libitu suo illudant: mercantur vt Philisthæi Sampsonem, qui plurima eis damna intulerat, vt sanguine eius saturentur. Cogitate iam quidnam esset, si integer exercitus ciuitatem nostram obsideret, & aliud nihil peteret, quàm vt tu quem maximè oderunt, eis tradaris? quis tibi tunc foret animus, si Magistratus te hostibus in prædam daret? Sanè tantum hoc est, vt propterea Saul, metuens ne in hostium suorum Philisthinorum manus incideret, petierit ab armigero suo interfici; *percute me*, ait, *ne fortè veniant incircumcisi isti & interficiant me illudentes mihi.* 1. Reg. vlt. Aspice iam Christum velut agnum inter lupos. Cogita te etiam inimicis Christi, gentibus, Iudæis & hęreticis tradere Christum, cùm ita scandalosè viuis? vt illi propterea incipiant vituperare Christum & religionem Christianam. Et, si Iudas luit pœnas inferni, vide quid tibi debeatur.

D. III. *Mœstitia in horto.* Tertivs, Mœstitia & angustia eius in horto: quæ Passionis eius prodromus, imò passio ipsa tota & in vnū quasi cumulum agglomerata fuit, vel inde acerbior, quod in viribus animæ potiùs quàm in membris fuit. Quia verò hæc passio tota intus erat nec innotescere nobis poterat, idcircò Christus signis aliquot externis acerbitatem eius expressit. Primum erat confessio illa tristitiæ, cùm dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, id est, tanta quanta vel in morientibus, vel quæ mortem mihi afferre possit. Sed cùm strenui duces & viri perfecti moderari possint suas tristitias & occultare, nec facilè fateri; quid est quod vir virorum Christus & Dux [illegible]enuissimus animum non modò despondet, verùm etiam despōdere se fatetur? O charissimi, significat hæc confectio extremam Christi angustiam, omni solatio destitutam. Quemadmodum enim Dux in vrbe obsessus quamdiu auxilium aliquod, arma & commeatum per viam aliquam inferre potest, fortissimum se esse iactat, ne dum vt manus hosti det. At vbi videt vndique se clausum, omnemque sibi præclusum aditum vt nec militem nec commeatum, nec puluerem tormentarium habere possit, ibi fateri incipit se animum despōdere, nec obsidionem ampliùs sustinere posse: ibi cum hoste pacisci. Ita euenerat quondam Regi Gilimero, qui vt est apud Baron. Anno 534. & alios, à Belisario in Numidiæ monte per tres menses vndique clausus, vt nullus iam euadendi locus esset: misit tandem ad Belisarium, vt sibi tria hæc mitteret: Lyram ad animum tristissimum parumper refocillandum: sudarium ad lachrymas tergendas: panem quòd multo iam tēpore nullum vidisset, & fame cruciaretur. Pari imò acerbiori modo Christus Dominus ab hoc tristitiæ suæ tempore vsque ad mortē omni cruciatuum & miseriarum genere vndique obsessus erat, vt iā eius afflictioni nulla prorsu consolatio permixta esset, quemadmodum testatur S. Thomas 3. *p. q.* 46. *art.* 6. & alij cum ipso. Ita enim in Gręco textu habetur, περίλυπος id est. *circumtristis est anima mea* quasi obsessa vndique tristitiâ; quocumque enim se vertebat vndique audiebat voces illas: *Tolle, tolle.* Si ad discipulos, vidit eos somno & mœrore plenos: si ad

Eius signum.

1. *Confessio tristitiæ.*

si ad Iudæos, vidit eos cum Iudâ de nece suâ tractâtes: si ad sinum Abrahæ, vidit ibi ardentissimum mortis suæ desiderium: si ad infernum, vidit dæmones mortis suæ instrumenta cudentes: si ad Deum, vidit eum stricto super se gladio, nec sperandam aliam hostiam præter se. Obijcies forsan, Animam Christi beatam fuisse, ac proinde gaudium beatificum tristitiæ eius mixtum fuisse. Respondetur ex communi PP. sententiâ, gaudium illud ab eo tempore ita suspensum & prohibitum fuisse, vt in superiore tantùm animæ parte (quâ ad Deum vt finem attendit) operaretur, ad inferiorem verò (quo circa media & temporalia versatur) non fluxisse. Tunc enim velut nubes aliqua obducta erat inter vtramque partem, vt neutra alteram impediret, neutra alteri quidquam communicaret: ad eum ferè modum: quo cœlo obducto nubibus, inferiùs turbo, imber, fulgura, fulmina, tonitrua fiunt maximo nostro terrore: supra nubem verò cœlum serenissimum est, quæ tamen serenitas tunc nihil nobis solatij vel gaudij affert. Vnde si quis caput supra nubem illam irrigere posset, supra experiretur calorem, infrà verò frigus, &c. Aliâ idipsum similitudine declaremus. An non aliquando euenit vt æger quis collo intumescat, ita vt nihil prorsus refectionis ad stomachum deferre possit? Talis igitur cibū cum voluptate in os ingerit, mallicat & terit: sed quia deglutire nequit ob faucium occlusionem, stomachus interim & reliqua mēbra vehementissimè affliguntur, quia cibum attrahere cupiunt, nec possunt: interim lingua & palatus gustu afficiuntur: sed quia illum cibum stomacho communicare nequeunt, inde acerbissimus dolor & mors denique miserrima. Ita res habuit in Christo: vnde fit vt gaudium beatitudinis quod in superiore animæ parte continebatur, dolorem potiùs & anxietatem Christo in inferiori eius parte excitârit, quod inferior nihil gaudij à superiori parte reciperet. Quod igitur Tantalo euenire finxit in inferno Virgilius: vt fame & siti æstuans cibum & aquam supra & circa se videat habeatque; apprehendere tamen nequaquam possit, vtpote fugitiua: hoc Christo euenisse in passione facilè iam conspicimus, nisi quòd maius erat gaudium quo ipse priuabatur, quàm esset cibi & potûs voluptas.

2. *Pauor & auulsio ac reuersio.* Secundum Signum, Christi pauor, auulsio à discipulis & toties iterata ad eos reuersio. Quid enim hæc nisi ingentem tristitiam & dolorem indicât? Quæso, Domine mi, nónne tu multis noctibus solus in oratione pernoctasti, in montibus & deserto? nónne quandoque discipulorum etiam consortium fugisti? nónne diutissimè inter feras syluæ atque adeò cum Dæmone in deserto sine vllo pauore, sine vllo societatis desiderio fuisti? Quid igitur est, quod nunc paues & quasi spectra videas? quòd vi quadam & abstractione violentâ à discipulis auellaris nec vlterius quàm ad iactum lapidis? quod discipulos tuos rogas ne te solùm derelinquant, dicens: *Sustinete hic & vigilate mecum?* quod toties ad eos reuerteris quasi vndique consolationem quærens & nullibi inueniens? Videtur hic euenisse Christo, etsi aliâ de causâ, quod Constanti Imperatori, qui post cædem fratris Theodosij Diaconi, quem occiderat, crebrò per quietem fratrem conspicatus habitu Diaconi & manu poculum sanguine plenum sibi porrigentem ac dicentem: *Bibe frater*. Vnde Constans nullibi quietus de cubiculo in cubiculum ambulans loca locis permutauit: fratre semper maioribus clamoribus insequente, teste Baro. Anno 659. Non fecit quidem vllum parricidium Christus, sed luit tamen parricidiæ illius Adami, qui omnes fratres suos vno morsu enecuit, pœnas. Hinc factum vt consimili modo angelus appareret Christo in horto, poculum sanguine plenum ei propinans & iubens exhaurire quas nos commeruerimus pœnas: Videtis igitur iam quid sibi velit ille pauor & crebra locorum permutatio? horrorem calicis indicat, quem angelus sanguine plenum ei propinabat.

Tertium, Lamentabilis eius oratio. Nā imprimis ponere genua volens in faciem corruit, quasi viribus prorsus defectus. Secundò maximo affectu orat, dicendo; *Abba Pater?* hoc est, Pater, pater. Item: *pater mi*. Denique ter eandem orationem repetit, ac prolixiùs orat. Quid hæc omnia indicant nisi extremā Christi necessitatem & angustiam? Fingite animo Leonem forte è caueâ elapsum vagari per plateas, eo conspecto fugere filium quempiam ad domum patris; & videre clausas fores: quanto hic impetu pulsabit? quàm frequenter & serò? quòd si auertat etiam patrem aperire nolle, sed velle vt à proximo iam Leone occidatur filius; quis sensus foret tūc filio? quæ angustia & desolatio? Hoc est, quod coëgit Christum toties ad patrem tantoque conatu recurrere; Leo nimirum Iudas, cum mox inuasurus. Verè enim dicere poterat Christus id Prouerb. 22. *Leo est foris: in medio platearum occidendus sum.* Vnde clamat in persona Christi Ecclesia tempore passionis ad patrem: *De ore Leonis, libera me Domine.* 3. *Lamentabilis oratio.*

Quartum, Angeli confortatio: quid enim audio? seruus dominum, angelus DEVM confortat? An non Christus fortitudo angelorum? Quomodo Heros iste retrò puerū fugit & ab eo protegi cupit; Quid hoc significat nisi Christum ad extremas redactum angustias & partem eius inferiorē fortitudine suâ destitutā esse? Etenim grauiter afflicti apud omnes, etiam inferiores, quærere solatium solent. En fortissimus ille Dux Sisara fugit ad tabernaculum mulieris Iud. 4. vtpote conterritus in acie. En Sampson ille à puero ducitur & regitur. Iud. 16. vtpote fortitudine suâ destitutus. Sed audiamus quomodo confortetur. Pingitur angelus Christo apparuisse cum calice passionis & Cruce: Idque non iniuriâ: certum enim, mortis sententiam ei denuntiasse, ac quemadmodum olim dixit angelus ad Eliam fugientem à minis Iezabel: *Surge, &c. grandis enim tibi restat via*: ita videtur hic Christo dicere: 4. *Angeli confortatio.*

dicere: grandis tibi via restat, flagella, alapæ, spinæ, crux, mors, &c. Proh qualis hæc confortatio? an non potius cõsternatio? Si dixisset angelus: constituit pater supplicia aliqua remittere, & solam tibi crucis mortem inferre: vel simili modo eum solaretur, intelligerem quid esset confortare. Nunc verò quoniam à concepto rigore & destinatis suppliciis nihil prorsus remittendum nunciabatur: quid sentire debuit ante confortationem: si ipsa confortatio nil suauius est, quàm ad mortem decretam exhortatio?

5. *Sudor sanguineus.* Quintum. Denique sudor ille sanguineus, quem extremæ angustiæ testem esse quis non videt? Quid enim vllo sæculo tam nouum, tam portentosum accidit? Scribit quidem Episcopus Conimbricensis *tract.* 225. *in Luc.* fœminam quandam in Lusitaniæ regno mariti mortem vsque ad sanguineas fleuisse lachrymas. Quin & Maldonatus *in c.* 26. *Matth.* refert Lutetiæ Parisiorum quendam auditâ in se mortis sententiâ sanguineum emisisse sudorem; quæ si vera sunt, satis indicant non nisi extremi angoris esse sanguinem sudare. Cæterum quo modo Christus sanguinem sudauit, nullo vnquam sæculo auditum? Quid enim putatis? hominem tam valentem, sibi optimè conscium, liberum adhuc necdum captum, minus condemnatum, ita luctari cum mortis imagine vt toto corpore, atque adeò ex fronte & vultu per vestes decurrentem vsque in terram sanguinem effunderet, quis animo comprehendat?

Sed miraci saltem aliqua ex parte desinemus, si quemadmodum effectus & iudicia huius conflictus videmus, ita causas videamus efficientes: quæ Christum interiùs ante crucifigebant, flagellabant, coronabant, quàm reipsa crucifigeretur, &c. Prima causa viua & præsentissima delineatio omnium tormentorum, contemptuum, iniuriarum & mortis, quæ intra paucas horas sibi toleranda esse sciebat eaque exactissimè, nec quidquam sibi remittendum. Quanti possit hæc imago vel vnò illo exemplo colligi potest: Didaci Osorij Hispalensis qui à rege Catholico in carcerem coniectus, præ nimiâ animi mœstitiâ cogitationibus mentem exagitantibus, cùm adhuc admodum iuuenis esset, vnâ nocte totus incanuit: teste Petro Hispan. Syl. *p.* 2. *c.* 7. Non erat cur hic timeret supplicia Christi, quæ D. Thoma teste alia omnia supplicia præsentis vitæ longè excedebant 3. *p. q.* 46. *ar.* 6. Mirari igitur desino, si calicem tuum, ô Christe, quem ad fæces vsque exhauriendum tibi sciebas, cum aliorum hominum calicibus confero. Quid enim non doloris, quid non iniuriarum, quid non ignominiarum congestum erat in hunc calicem? Ibi flagella, ibi spinæ: ibi sputa, ibi pugni. ibi claui, fel & acetum; omnis generis tartarea instrumenta, ibi denique mors in olla: parum igitur est si tædere & nauseare cœpisti super hoc calice, miror te non ilicò extinctum. Monstratum & appositum fuit Petro eiusmodi conuiuium, *Actor.* 10. in quo varia quadrupedia, serpentia & volatilia erant dictumque Petro: *occide & manduca*. Sed ille: *absit Domine*, inquit. Nihil sunt ô Petre, hæ tuæ opes, si cum Christi dapibus conferas, quas deuorare debuit. In cuius rei monumentum, arbor in loco sudoris Dominici, si credimus Egesippo Apostolorum discipulo apud Bosquier. in theatro, creuit, in cuius folijs legebantur verba illa: *O mors, quam amara est memoria tua?* Quod si hoc potuit sola mortis memoria & imaginatio: quid debuit fuisse ipsa eius passio.

Causa huius sudoris.

1. *Viua delineatio omnium tormentorum.*

Secunda. Peccatorum omnium totius mundi clara cognitio, fortissima apprehensio & vniuersalis contritio. Quia enim peccata nostra in se transtulit, eaque absque contritione deleri nequeunt; ideirco contritionem eis debitam, quam omnes peccatores excitare in se debebant, ipse vnus in se loco omnium excitauit, & vt Isaias c. 53. ait *attritus est propter scelera nostra*. Itaque peccata nostra fuerunt, quæ Christum in oratione onere grauissimo ad terram depresserunt, quæque instar torcularis sudorem illum sanguineum è corpore eius expresserunt. Verum quidem est hanc considerationem in nobis rarò prouocare lachrymas aut serium dolorem, nedum sanguinem: verum id propterea fit quod peccati execrabilitatem non satis penetramus: quia enim peccata ferè semper cum dulcedine aliquâ & voluptate iuncta sunt, ea taliter etiam apprehendimus, saccaro videlicet obducta non prout sunt fœda & nuda: deinde, quia nô ardemus illo zelo & amore erga Deum, quem non videmus, quo erga res creatas & oculis obiectas. Atqui Christus imprimis peccata prout sunt in se nuda & horribilia atque in cœlum clamantia secundum omnes eorum circumstantias, numerum, grauitatem, &c. vtpote nullâ vnquam peccati illecebrâ affectus aut illectus, ante se conspexit: deinde ardentissimo zelo & amore flagrabat erga Deum, ita vt mille mortes appetere paratus esset, ne vel vnico peccato Deus offenderetur. Iam si mos Hebræorum erat, audita execranda aliquâ blasphemiâ, vestes scindere: quid mirû si visis tot blasphemiis & grauioribus etiam peccatis Christus non vestem, sed corpus adeò suum discidit vt sanguinê stillaret? cogita hic si multitudo peccatorum tuorum sudare sanguinem fecit: quomodo tu tã durus es vt peccata tua nô defleas.

2. *Peccatorũ omnium clara cognitio.*

Tertia Ingratitudo hominũ, quorum pauci admodum passionis huius fructum sibi oblatum accepturi erant, imò eum conculcaturi & ad gehennam properaturi, quos omnes vidit ibi Christus, Iudæos imprimis, suæ gentis homines, deinde tot Christianos. Quod si ita durè sentiunt parentes obitum vnius filij, quem multâ industriâ educârunt, vt sæpe ipsi mori malint, quàm mortem filij cernere: quid putamus sensisse Christum ob innumerorum Christianorum æternam mortem? si adeò dolent parentes, cùm filius, cuius gratiâ tanta fecerunt, fit degener, ingratus & peruersus: quantum doluit Christus tot myriadum

3. *Ingratitudo hominum.*

per-

peruersionem: *Detestatus sum omnem industriam meam*, inquit Salomon Eccl. 2. *quâ sub sole studiosissimè laboraui, habiturus haeredem post me quē ignoro vtrum sapiens an stultus futurus sit?* Poterat Christus multo meliùs hoc dicere, qui corrogato tanto thesauro sciuit se tot filios prodigos habiturum: præsertim Iudæos, qui substantiam sanguinis eius erant conculcaturi & paulò pòst ad extremam miseriam redigendi, vastandi & exterminandi à Romanis, denique damnandi.

4. *Scelus Iudæorũ.* Quarta, Scelus Iudæorum, quo mediante passionem suam perficiendam intellexit: Vnde S. Hieronymus ita intelligit orationem Christi, quasi petat transire calicem illum à se, eo quòd optaret alio modo & medio pati, ne cum tanto Iudæorum scelere fieret. Tantum erat hoc motiuum vt in ipsis Crucis acutissimis doloribus suiipsius quodammodò oblitus huc imprimis respiceret, vt pro Crucifixoribus suis oraret. Primum enim verbum suum dirigebat ad Crucifixores suos, secundum ad amicos, tertium ad consanguineos: postremum ad seipsũ. En quomodo prima cura erat Christo pro inimicis, vltima pro seipso. Volebat enim Christus succurrere filijs infirmioribus priùs quàm alijs: Crufixores verò & Iudæi, dum in Christum sæuierant, interim in seipsos multò grauius sæuiebant, quia scelere pessimo seipsos contaminabant. Hanc doloris vehementiam videtur indicasse voluntarius ille sudor, nemine vulnerante fusus, quasi Christus hîc se offerat coram cœlesti patre ad sponte fundendum sanguinē, & dicere velit: quandoquidem sine sanguinis effusione non fit remissio, aperite vos venæ & stillate vltrò sanguinem per omnia membra: ne cum aliorum scelere fundi debeat. Vnde *Cant.* 5. ait sponsus iste, digitos suos plenos esse myrrhâ probatissimâ, id est, myrrhâ (passionis) primâ quæ sponte ex arbore profluit, nec incisione eget. Vult ergo dicere. En pater omnia membra mea instar digitorum promptissima & expeditissima sunt ad sanguinem vltrò fundendum: ne cum scelere aliorum fundatur.

5. *Compassio & gladius matris.* Quinta, Gladius ille acutus, quem nouerat ob suam passionem in matrem acuendum esse. Si enim Tobias ille iunior in peregrino solo constitutus, etsi bono loco, quietem tamen non habebat, nec vllâ ratione detineri volebat, sed domum contendebat, eò quòd nosset parentes suos *computare dies & cruciari spiritum eorum in ipsis*, vt dicitur *Tob.* 10. ob eius absentiam: quomodo non magis, hoc persensit Christus? Diligebat matrem summo post Deũ amore: ipse inter hostes & pessimo loco erat, nec ad matrem se reuersurum sed ad mortem abducendum sciebat. Tace igitur ô Tobia, ne solicitus sis, quia bono loco es, mox ad matrem rediturus, saluus & ditandus. Tu verò Christe nihil simile tibi vel matri polliceri potes: sed contraria & aduersa omnia.

Hæc igitur quinq; illa interna animæ Christi vulnera sunt, quæ tam copiosum effuderunt sanguinem, vt iam mirari desinam, quare rubrum sit indumentum Christi nemine vulnerante. Cogitabo etiam præterea vnum tantùm fuisse propter Christum, reliqua omnia propter nos. O lapidea ergo & ingrata corda, quæ vident Christum propter nos adeò dolere & ipsi interim & pro seipsis nihil dolent?

Fasciculus QVARTVS, Desertio & desolatio omnimoda, quâ tum à proprijs discipulis, tum à Deo, tum etiam à seipso deserebatur. Nam si conuertebat oculos ad discipulos. Primò vidit Iudam arma in se conuertere: Petrum à se deficere & negare; reliquos animum despondere & diffugere, omnes denique obdormiscere neminem esse qui vel vigilare secum ad horam vellet. Quanquam ipse non tam doluit se ab illis deseri, quàm illos pastore destitui & propterea partim exerrare, partim perire. An non maximè affligeretur mater, si ingrediens domum videret latronem grassari in filios, & alium quidem iam iugulasse, alium lethali vulnere iam saucium & prostratum suffocare, cæteros verò metu consternatos dispergere? Quid si accederet adhæc alter latro qui matrem etiam teneret, vt ipsa quidem cædem filiorum aspicere, impedire verò nequaquam posset, mox & ipsa trucidanda? Venerunt hæc omnia super Christum; vidit enim Iudam à Dæmone iam iugulatum, Petrum suffocari incipientem, ita vt præclusis quodammodo faucibus loqui & fateri Christum non posset, alios vero dispersos: Et (quod omnium acerbissimum erat Christo) se præterea ligatum, quo minùs familiæ suæ succurreret. E. IV. *Desertio omnimoda. Primò à discipulis.* I. *Ab omnibus.*

Vehementer afflictum esse Christum ob fugam & infidelitatem discipulorum quis dubitat? Quid enim erat videre eos, quos tāto labore genuerat, educauerat, salutaribus doctrinis munierat, corpore suo cibârat & tenerrimè diligebat, vnicâ tentatione frangi & se solum in acie relinquere? An non doleat belli Dux, qui multo tempore milites suos ad pugnam exercuit, aluit, docuit, muniuit: postmodum, cùm pugnandū esset, omnes primo congressu statim fractos & fugâ turpiter dilabentes videt? Ob similem enim causam Dux Israëlitarum Iosue scidit vestimenta sua & pronus cecidit in terram coram arcâ dixitque: *Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israëlem hostibus suis terga vertentem?* Iof. 7. Poterat certè hoc ipsum dicere de discipulis suis Dominus; & maiori quidem dolore. Magno doloris sensu dixerat aliquando illis, videns multos discipulorum à se recedere Ioã. 6. *Nunquid & vos vultis abire?* Quid adhæc vos discipuli? Nónne dixistis ex ore Petri: *Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Circūspicit hodie Dominus, iam nemo ex vobis cum eo ambulat, quia omnes relicto eo fugistis. Cæterum parum fuisset pedibus fugere, nisi & animo fugissent; fidem enim quam tot miraculis in se plantatam & corroboratam viderant, nunc aut perdiderunt, aut densissimâ fluctuationis & dubietatis obduxerunt nebulâ. Deinde si ad Petrum gradum faciamus, maiorem adhuc ille dolorem Christo attulit, dum is qui Petra & firma- 2. *A negante Petro.*

mentum aliorum constitutus erat & præ cæteris maiore in honore habitus, turpiùs errat: & qui ad carcerem & mortem se offerebat, nunc nō modò fugit cum alijs discipulis, sed præterea inter aduersarios Christi stat, quasi consors eorum: compellatus etiam negat tam pertinacker Magistrum, & dedignatur eius esse discipulus, eoque ipso fidē & vitam Christi improbat maximo aliorum scandalo: quis enim tunc non diffideret Christo, videns charissimum eius discipulum & fortissimam columnam ibi tremuisse, imò cecidisse? Sanè Petrus crudeliorem hic plagam inflixit Christo, quàm ij, qui eum colaphizabant, conspuebant, percutiebant arundine, &c. quia illi membra tantùm, Petrus verò cor Christi petijt, dum fidem & amicitiam ei renunciauit, & per hoc infirmioribus petra offensionis fuit. O Petre, quid dicis? Non nosti hominem, qui te vocauit & ad Apostolatum euexit? qui tibi claues regni cœlorum promisit? qui te super mare ambulare fecit? qui suam tibi gloriam in monte sancto ostendit? Inter maxima tormenta sua commemorat & illud Iob cap. 19. *Quem maximè diligebam, auersatus est me.* Vide Petre, an non tu iste sis Magistro tuo.

3. *A suspendio Iudæ.* Denique suspendium Iudæ, suprà quàm dici potest, pectus Domini concussit: quia, vt ait sanctus Hieronymus Ps. 108. *magis ex hoc Iudas offendit Dominum, quia se suspendit, quàm quod Dominum prodidit.* Facilè tulisset Christus se deseri, negari, prodi: dummodo neminem ex suis omninò perdidisset. Quemadmodum enim pater videns conflagrare domum suam, præ omnibus currit ad liberos vt eos extrahat, etiamsi propterea ipse aduratur & opes omnes deserere debeat: dummodo enim liberos extractos videat, iam reliqua facilè tolerat. Ast si vnum in flammis videat, cui iam succurrere nequeat, tum verò magis dolet, quàm ob reliqua damna omnia. Arsit hodie domus, corpus & familia Christi, quare Dominus se neglecto de discipulis solicitus erat, vt incolumes seruaret, vt Petrum aspectu suo, Iudam osculo & amicabili verbo (dum enim dicit, *amice*, dicere videtur, id quod Ioseph ad fratres suos dixit: *Non videatur vobis durum, quòd me vendidistis: pro salute enim vestrâ misit me Deus.* Gen. 45.) reduceret.

2. *A Deo.* Secundò, Desertus etiam à Deo atque adeò à seipso etiam quatenus DEVS erat, dum protectio illa diuina, quam aliàs habebat (vti testatur Ioan. 8. *qui me misit, mecum est & non reliquit me solum*) & adhuc facilè habere poterat à Deo, atque adeò *plusquam duodecim legiones angelorum*, vt inquit ipse *Matth.* 26. quaque aut impassibilem se facere, aut passionem suam impedire poterat; ad tempus, & vt vocat Dominus Luc. 22. per *horam* passionis, ex dispositione diuini consilij (vt sic locum haberet oblatio cruenti sacrificij & rigorosa satisfactio cōmuni decreto peccato iniuncta) eum deseruit: Vnde factum vt humana eius caro sibi ipsi relicta sit & acerbissimos dolores pateretur ac si instar nostrûm infirmus & homo tantùm esset: id quod indicabat alligatio illa Isaac, quem ligauerat pater ponendum in altare super struem lignorum *Gen.* 22. ne videlicet se defendere & ictui resistere posset: indicabat destitutio illa subita virium in Sampsone *Iud.* 16. O quantum doloris sensit fortissimus ille Heros, videns se prædam inimicis suis factum, & à Deo ligatum, quo liberiùs ei insultarent? Certè doloris huius sensum explicat in Cruce Dominus, cùm à patre se derelictum queritur. Quàm enim foret acerbum illud supplicium, si fortissimus alioqui miles ligaretur & vilissimis ac pessimis pueris mactandus traderetur, quo modo S. Cassianus Martyr vinctis post terga manibus pueris, quos erudierat stylis ferreis confodiendus & excarnificandus traditus est? Sic enim Christus vinctus pro nunc à Deo, Iudæis, quos erudierat, & alioqui velut pueros omnes vno ictu trucidare potuisset, traditus est. O Heroū fortissime Christe, nónne tu es, qui in Martyrum supplicijs victricem tuam ostendisti manum; cùm alibi brachia ferientibus, alibi sententiā scribentibus manus obriguerunt? alibi Iudices excæcati fuére: palatia corruére: alibi terræmotus facti: alibi calamus sententiæ scribendæ atramentum dare noluit: alibi feræ ad pedes Martyrū prostratæ, &c. Cur modò nihil simile in propriâ causâ facis? Sed magis mirandum hîc est, virtutem & robur diuinum, quod defuit Christo ad defensionem, non defuisse ad passionem; quomodo enim, obsecro, tamdiu viuere in tam extremis doloribus potuisset, nisi ad patiendum à Deo confortatus fuisset? Post tristitiam ad mortem, post sanguineum sudorem, post acerbissimam flagellationem, quam ita ei inferebant, ne dimitti posset adeoque ne viueret, post grauissimæ crucis baiulationem, quomodo viuere potuisset, nisi ad hoc à DEO seruatus esset? seruatus, inquam, non vt aheneus & insensibilis fieret aut onere leuaretur: sed vt maioribus supplicijs & doloribus gradatim enecaretur. O iram Numinis inauditam in charissimum sibi filium! imò erga peccatum potius nostrum!

3. *A seipso.* Tertiò, Desertus etiam à seipso quà homo, sed beatus & comprehensor erat. Poterat enim tunc eius anima, vtique beata transmittere imprimis ad corpus donum impassibilitatis: Deinde pars animæ superior poterat ad inferiorem eius partem transmittere omnis generis consolationes & gaudia (qualia in Martyribus vt plurimùm erant) quibus dolores eius mitigarentur & quodammodò obliuioni traderentur, sed nec istud in passione Christi factum: imò diuinâ dispensatione decretum erat, vt pro tunc ne fieret, sed potiùs pars inferior omni consolatione destitueretur, & pœnis subiecta maneret. Tunc enim nubes quodammodo abducta inter vtramque partem vt suprà dictum. Quod si causam petas harum desolationum: ea est quòd non nisi hoc pacto fieri satis potuerit Iustitiæ diuinæ, quæ communi decreto statuit nullum peccatum impunitum relinquere.

Fasci-

F. V. Crudelitas Iudæorum & Gentilium. Fasciculus QVINTVS. Crudelitas & insania Iudæorum & Gentilium, imò Dæmonum, cui permissus Dominus fuit eâ nocte & horâ tenebrarum. Non enim omnia supplicia ex sententiâ Iudicis ei decreta & irrogata sunt: sed multa insuper ex merâ vilissimorum libidine ministrorum & Dæmonis instigatione.
1. Ex propriâ libidine. Certè non iussit Pilatus: vt eum toties conspuerent, colaphizarent, blasphemarent, subsannarent, velarent, arundine percuterent, genuflexo adorarent, modò albâ, modò rubeâ veste induerent, huc illuc traherent, falsò accusarent, &c. Ipsi Iudæi eorumque ministri harum petulantiarum auctores erant. Quænam verò illa?

Prima Comprehensio. Primò, Comprehenderunt & vinxerunt velut latronem aut malefactorem: & quidem fortiter ligandum suasit eis Iudas eùm dixit: *ducite eum cautè*. Catenam collo eius iniectam fuisse, testatur catena illa quæ à S. Ludouico Parisios illata, vt refert Corozettus *de Antiq. Parif. c. 13.* Quid insanitis adeò Ministri? An non satis fit, si iuratus vobiscum eat? quid opus est vincire? An nescitis viros ingenuos sine vinculis ire ad tribunal? Nimirum ad maiorem Christi ignominiam, imò ad præiudicium mortis Christum ligauerunt, vt ita non pro ingenuo, sed pro latrone & nebulone reputaretur à populo & citiùs condemnaretur.

2. Tractio ad tribunalia. Secundò, Trahunt de tribunali ad tribunal, etiam ad quæ non debebant. Quid enim erat necesse ducere Primò ad Annam, cùm non esset Pontifex illius anni? Nimirũ partim honoris causâ id fecerunt, quia Annas erat socer Caiphæ tunc Pontificis: partim gratulationis causâ, vt sic optatam diu prædam omnibus ostentarent, quo modo lupi, agricolarum hostes, vbi capti aliqui fuerint, per vicos & pagos cum gaudio & gratulatione circumferuntur: partim ignominiæ augendæ. Quid enim erat obsecro videre tantæ existimationis virum, qui cum tantâ laude & maiestate eis prædicauerat tamque mira patrarat; cuius pedibus reguli, Centuriones & Archisynagogi aduoluebantur, quem paulò ante ramis exceperant & regem salutabant, modò per publicas plateas, per tot palatia, satellitibus circumdatum, manibus ligatum, non vt eum decebat, modestè incedere, sed rapi, trahi, currere & festinare velut hostem reip. publicum cum impiâ turbâ cogi?

3. Commentum accusationum. Tertiò, Accusationes falsas comminiscuntur & afferunt. Audiamus. *Hic dixit possum destruere templum Dei & post triduum readificare illud.* Falsum est, non ita dixit: sed hoc: *soluite templum hoc*, Ioan. 2. Pergunt: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram.* Falsissimum; an non erexit languidos? liberauit obsessos? resuscitauit mortuos? pauit famelicos? Euangelizauit pauperes? Item: *prohibentem tributa dari Cæsari*; contrarium dixit, non hoc. Item: *regem se facientem*; falsissimum & hoc: an non fugit? cùm volebatis eum rapere & regem facere? Quo animo hæc audiuit Dominus? non excanduit? non se propugnauit, cùm tam facilè posset & contrarium docere? Ne verbo quidem: dolorem pressit, ne redemptionem nostrâ impediret. Quantus dolor audire tantas calumnias & interim tacere? An non experimur nos, si vel vnico verbo iniurioso tangimur, subito sanguinem ebullire? oculos inflammari? faciem inflari? nares fumigare; membra omnia ad vindictam acui? Næ ego fortiorem illum dicam qui talia sufferre & surdâ pertransire aure potest, quàm Mutium illum Scæuolam, qui manum sponte exussit.

Quartò, eius Faciem velant, colaphizant, depalmant, conspuunt, illudunt dicendo: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* & hæc omnia in vna Caiphæ domo. Quæ imprimis grauissimæ ratione contemptus erant iniuriæ, vti alapæ & sputa præsertim apud Iudæos; si enim confusio magna erat filio eùm pater in faciem eius expuit: confusio non erit spuere vilissimos scurras in faciem Dei? Græcum verbum apud Matth. ἐῤῥάπισαν indicat, quasi etiam crepidis eum percusserint. Quis vidit vnquam tale spectaculum? Ecce ludum illum puerilem cum filio Dei ludunt; quo velatus quis percutitur vt percussorem indicet; quid hoc aliud quàm pro stulto Christum habere? En cum cæco Sampsone ludunt Philistæi. Sed expectate parumper donec recuperet suas vires, & videbitis cum quo luseritis. Et ô quàm multi ita cum Deo ludunt, quasi cæcus esset & peccata eorum non videret? 4. Velatio faciei, colaphi palma, sputa.

Secundò, quòd hæc maximè facerent in gratiam & fauorem Caiphæ, quem viderant Christum contemnere, superbè vestem suam scindere, adeoque ansam sibi præbere & præire ad illudendum Christum. Et quanta hæc iniuria? insultare Christo eos, quos nullâ vnquam ratione offenderat, & idcirco tantùm vt superbo & odio pleno Pontifici gratificarentur? Quid enim audio? in gratiam vnius inflati & perditi hominis vexatur & tribulatur Deus? Quis non fremat? quis non indignetur? Quis vnquam audiuit talia fieri reis ante sententiam Iudicis: imò etiam condemnatis & impunè quidem? Diaboli inuenta sunt ista, qui hoc pacto voluit partim furori suo satisfacere, partim Christum ad impatientiam perducere vti S. Iobum. Secundò in gratiã Caiphæ.

Tertiò, quod hæc omnia propriâ authoritate, imò libidine, ante sententiam Iudicis facerent: imò sententiam damnationis in eum ferrent dicentes: *reus est mortis*, quasi dicerent: siue purget se, siue non, debet mori: Nunquam enim quærunt ex Domino, vtrum se purgare velit: sed satis eis est audisse accusatorem, quidquid dicat reus. O quantum se diuina maiestas humiliauit, quæ dæmonum potestati propter nos permittere se non recusauit! Tertiò Ante sententiam Iudicis.

G. VI. Comparatio Christi cum Barabba. Maximi doloris & contemptus. Fasciculus SEXTVS. Comparatio Christi cum Barabbâ: Quæ maximum afferre Christo contemptum & dolorem debuit. Primò ratione personæ, cui erat comparatus, imò postpositus. Erat enim seditiosus & homicida, isque *insignis*, vt Matthæus ait, & Latro secundum Ioannem,

doloris & contemptus. nem; & quidē famosus, vt ait Chrysostomus. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* Auctor vitæ Dominus: Auctor mortis Barabbas. Turbator ciuium Barabbas: Conciliator Christus, Terror vrbis Barabbas: Gaudium & solatiū Christus, ad quem consolationis gratiâ passim accedere solebant Iudæi & dicere, cùm fortè angustiarentur: *Eamus ad videndum filium Mariæ, vt consolari possimus*, vt testatur in reuelatio. S. Birgitta l. 9. c. 1. *Erat enim*, vt ibid. ait Sancta illa, *tantâ pulchritudine præditus, vt quicunque eum inspiceret, consolaretur à dolore cordis quem habebat.* Quæro nunc ô Iudæi nunquid simili aliquando fine accessistis ad Barabbam? an non potiùs conspectum eius horruistis? *Cui* (igitur) *assimilastis me & adæquastis?* ait Dominus Isa. 40. *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fustibus comprehendere me*, & nunc verè & manifestè latronem me reputatis. Sed parum erat, assimilari & latronis instar tractari: nunc etiam insigni latrone deterior, reip. magis noxius, minus vitâ dignus iudicatur, qui tot ægris sanitatem, tot claudis gressum, tot surdis auditum, tot cæcis visum, tot mortuis vitam, tot obsessis quietem & liberationem attulit, quem omnes in omni tribulatione velut patrem patriæ appellabant. Quis hæc verbis explicet? *Obstupescite cœli*, Deus exclamat Hier. c. 2. *& portæ eius desolamini vehementer, quia duo mala fecit populus meus? Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas.* Fons viuus Christus; Cisterna dissipata Barabbas.

1. Ratione personæ Barabbæ.

2. Ratione eligentium.

Secundò, Ratione eligentium, quia communi suffragio Barabbas eligitur. Audiamus ergo vota populi. Quid vos principes & Pharisæi? inquit Pilatus, vt reor, qui optimè perspicitis vtriusque conditionem & statum, date gloriam Deo, in re tanti momenti, in causâ sanguinis, præstate iuramentum, quòd non secundùm affectum sed secundùm personarum dignitatem iudicare velitis: quid dicitis? quem vultis vobis dimitti, Barabbam an IESVM? *Clamauerunt omnes*, ait Ioannes: *Non hunc, sed Barabbam.* Conuertamur ad simplicem turbam, quæ solet esse mitior quàm Magistratus, nec causam habet sinistri erga Christum affectûs: quid vos dicitis? *Clamauerūt omnes*, &c. vt & Lucas ait, *vniuersa turba: Non hunc, sed Barabbam.* Quid hoc rei? quis fascinauit hunc populum? Sed tentabo aliam partem, quæ non potest petere Barabbam: Quid dicitis vos parentes, vxor, liberi, fratres, sorores, amici eius, quem occidit per iniuriam Barabbas iste à vobis accusatus? Quem vultis dimitti vobis? *Clamauerunt omnes: Non hunc sed Barabbam!* O furor! ô insania! Sed video nihil nos in sinistrâ parte proficere, vbi Christus vel odio habetur, vel non noscitur. Vertamur ad dextram partem, amicorum & clientum? qui Christum familiariter nôrant & plurima ab eo beneficia acceperant. Quid igitur vos tot cæci, surdi, claudi, dæmoniaci, ægri, qui à Christo curati estis? quid vos nouem millia hominum, qui à Christo mirabiliter pasti fuistis & regem eum facere voluistis? quid vos tot innumeri ægrorum curatorum amici & propinqui? quid dicitis? *Clamauerunt omnes: Non hunc sed Barabbam.* Quòd si aliqui non id clamauerunt: saltē tacuerunt. Ecce quàm verum, quod per Dauidem prædixit Dominus Psalm. 141. *Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me.* Nimirū tantus erat furor Pontificum & seniorum in Christum vt licet è plebe plurimi essent, qui Christo suffragarentur, non audebant tamen hiscere nedum eum defendere. Certè Nicodemus ipse etsi senator, ob metū nihil audet dicere. Nemo est qui audeat Leonibus ouem eripere. O verè *maledictus furor* scribarum & sacerdotum, qui *in furore suo occiderunt virum & in voluntate* (id est libidine) *suâ subneruauerunt taurum*, vt vertunt 70. *Gen.* 49. Certè tanta erat hæc contumelia & in Christum furia, vt propterea Pilatus ipse turbaretur & quasi mentis inops fieret dicens: *Quid igitur faciam de Iesu?*

3. Ratione fraudis.

Tertiò, Ratione fraudis, cum quâ postponebatur; persuaserunt enim Princeps Sacerdotum & seniores populo, haud dubiè plurimis commentis contra Christum excogitatis, ne Christum peterent. *O Principes infideles socij furum*, si pupillo iudicare non vultis, quare saltem populum iure suo agere, & liberè sentire non permittitis? ô gens Peccatrix cur in causâ sanguinis de sensu & iudicio vestro interrogati, contra ius fasque simultatis & coniurationis rei fitis, dum non vestram mentē, sed alienarum vanissimarum persuasionum ductum sequimini?

4. Ratione aliorum captiuorum.

Quartò, Ratione aliorum captiuorum, vti reor. Quia enim propter festum aliquis mortis reus erat dimittendus, Christus intellegebat propter se factum esse, vt indignissimus & omnium, qui tunc capti tenebantur, pessimus liberatur: cùm aliàs haud dubiè alius quidam minus reus: & fortè ex illis vnus, qui cum eo crucifixi sunt, à Pilato eligendus esset. Hic enim ideo Barabbam nequissimum in sortem liberationis venire voluit, quia certò sperabat tam nequam hominem, Barabbam, nequaquam vitâ donandum aut præponendum. Sed aliter res euenit. Inde enim factum vt propter speratam Christi liberationem ille liberaretur, qui indignissimus erat, & alijs captiuis, quorum vnus liberandus erat, spem omnem vitamque præcideret. Quam rem non dubito durè accepisse Christum, quòd ipsius causâ digniori vita adimeretur & indigniori donaretur.

5. Ratione contemptus.

Quintò, Ratione contemptus. Quid enim sibi volunt ea verba de Christo dicta: *Non hunc?* Contemptum significant, quasi Christum ne agnoscerent quidem, aut nomen eius scirent, vel eo dignarentur. Sic enim & Moysi faciebant Duci suo tam benigno & benefico, cùm dicerent Exodi c. 32. *Surge fac nobis Deus: Moysi enim huic viro, qui eduxit nos de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit.* O stulti & tardi corde: nūcne non agnoscitis? Hic est, qui innumeros ægros sanauit: qui paulò ante Lazarum, familiarem

rem vobis suscitauit: quem ante triduum regem Benedictum, filium Dauid dixistis. Itáne ergo cæci estis, vt hunc non agnoscatis? Audite Isaiam vestrum cap. 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit & populus meus non intellexit.* Sed quid sequitur? *Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, semini nequã, filijs sceleratis.*

Porrò non desunt etiamnum, qui Christum Barabbæ anteponunt, quod fit in peccato. Miramur quòd tam facilè persuasus sit populus, & tam stultum errorem commiserit, latronem auctori vitæ præponendo: sed quid si nos idipsum sæpe faceremus? Certè quoties peccas Barabbam, id est? creaturam noxiam Christo præeligis. O stultum mundum! quis credat ei imposterum, qui hodie tam turpiter errauit? ô stultum peccatorem, qui eundem imitari audet!

SECVNDA PARS.

Prosequitur in assignandis Christi tormentis.

7. *Flagellatio continens insignem iniuriam & ignominiam, pudorem maximum, & dolorē acutissimum.*

8. *Coronatio, continens diabolicam inuentionem, insanam ministrorum libidinem, &c.*

9. *Baiulatio crucis, continens graue pondus, mortis horrore, &c.*

10. *Crucifixio in qua diuersos cruciatus pertulit.*

11. *Insultatio Crucifixo facta, et illudendo fel & acetum offerendo &c.*

12. *Præsentia matris ad crucem.*

THEMA.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem. Ad Hebr. 12.

A Bene Apostolus Paulus *ad Hebr.* 12. passionē Christi Domini vno verbo depinxit, cùm appellauit *Contradictionem*. Quid enim in passione illâ, quocumque oculos vertas, nisi contradictio? Contradictio est in Deo, quia constringitur funibus qui constringit mundum vinculis: coronatur spinis qui coronat solē radijs: spoliatur vestibus qui vestit prata floribus: pendet in tribus clauis qui appendit molem mundi tribus digitis: fons aquæ viuæ petit hodie bibere: pascitur felle qui pascit animalia: qui pluit aquam è nubibus, pluit sanguinem è venis: Altitudo humiliatur; maiestas minoratur: gloria vilipenditur: lux offuscatur: Verbum mutescit: Æternitas abbreuiatur: Infinitas mensuratur: bonitas accusatur: Sapientia traditur: Omnipotentia offenditur: Innocentia patitur: Vita moritur. Contradictio in Christo; iustè enim moritur ob decretum Patris, iniustè ob decretum Pilati. Passio eius amara & dulcis: fructuosa fidelibus, sterilis infidelibus. Desiderat pati & timet; deprecatur calicem & libenter bibit. Contradictio in Iuda; tradit & mox pœnitet: pœnitet & se suspendit. Cōtradictio in Petro, qui iurat se moriturum cum eo, & ter eum iuramento negat eum. Contradictio in discipulis alijs, qui agnoscunt eum pro Messiâ, & posteà deserunt. Contradictio in Pilato, qui declarat innocentem & condemnat interim ad mortem. Contradictio in Cayphâ qui vult ipsum loqui, & loquente eo vestem scindit. Contradictio in Herode, qui gaudet eius præsentiâ, & mox spernit cum cohorte. Contradictio in testibus, qui inter se discordant. Contradictio in latronibus, quia vnus maledicit, alter credit & supplicat. Cōtradictio in Centurione, qui consentit morti & post adorat ac confitetur. Contradictio in Iudæis: qui eum in crucem agunt; & post reuertuntur percutientes pectora sua. Quare iure merito cum Propheta Abacuc *cap.* 1. exclamare possumus: *Aspicite in gentibus & videte & admiramini & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.* Porrò nunc pergamus colligere fasciculos dolorum Christi Domini nostri, qui adhuc supersunt.

SEPTIMVS Fasciculus est Christi flagellatio: quæ imprimis continet insignem iniuriam, quia non ob aliam causam quàm vt furori Iudæorum satisfieret, ei inflicta est, ex communi PP. Cyrilli, August. Bedæ & aliorum sententiâ, quam insinuat Pilatus, cùm dixit: *quid enim mali fecit? Corripiam ergo illum & dimittã.* O Pilate si teipso teste nihil mali fecit, quare corripis ergo Christum? Vt hac correptione, ais, mitigetur furor populi, & Christum persequi cesset. Sed quo tu iure hoc agis, vt innoxium castiges, quo nocentium odio & furori obtemperes? An nescis, non esse facienda mala vt eueniant bona? & præstare vt mille nocentes pereant, quàm vt vnus innocens? & illud: *Fiat iustitia & pereat mundus?* Dic mihi quæso, Pilate, si familia quædam seruorum contra legitimum Herum concepto in eum odio immeritò consurgeret: & nollet conquiescere nisi traderes eis Herum pro libidine eorum tractandum: Num tu ita iniquus & stultus esses, vt hoc faceres? An non potiùs caculas illos peruersissimos corripere & plecti præciperes? Ita facere debebas cum Christo patre patriæ innocēte, teipso teste. O quàm dolere debuit Christo Domino, se non ob aliam causam ad sanguinem vsque cædi, quàm vt populus, cuius ipse legitimus hæres & rex erat, sanguine eius mitigetur? O infernalē furiam quæ non nisi innocētis sedari sanguine potest! Crudele spectaculum fuit balneum Constantini Imp. qui infantium sanguine lepram suam curare incipiebat: sed nónne longè erit crudelius, si sanguine regio vilissimorum mancipiorū mania & furia curetur? Si serui sanguine curādus sit filius Regis, capere hoc possunt: Si verò filius regis occidatur vt eius sanguine seruus inutilis sanetur, quomodo hoc capiã? vt caput abscindatur pro vno pedis digito.

Secundò Ingentem ignominiam, hoc enim genus supplicij seruorum tantum & nebulonum

H. VII. Flagellatio Christi. Continēs. 1. Insignem iniuriam.

2. Ingentem ignominiam.

mum' illiffimorumque hominum erat, liberorum verò & ciuium Romanorū nequaquam. Vnde Terentius *in Adelph.* interrogatiuè dicit: *loris liber?* Et Cicero inuehitur (orat. in Verrem) contra Siculum præsidem, quòd ciuem Romanum virgis cæciderat; clamante eo subinde: *Ciuis Romanus sum:* quali maximum crimen perpetrasset. Quis magis liber & ingenuus Christo? quis magis ciuis non Romanus tantùm, sed totius mundi imò Dominus quàm Christus, qui in propria venit? Et iste hodie libertate, priuilegio & famâ exauctoratur, spoliatur, ad seruitutem & infamiam redigitur? O Domine iam actum est de te! siue enim hic moriaris, infamis morieris; siue superuiuas & dimittaris, infamis semper viues: quia iam semel es carnifici traditus & supplicio infami notatus. Nullus ampliùs tecum loquetur, bibet, habitabit: salutantem te nemo resalutabit: Eris odio hominibus, vermis & non homo, *opprobrium & abiectio plebis.* An non mori præstat, quàm ita superuiuere?

3. Pudorem maximū. Tertiò, Pudorem magnum, partim dum eum lictores spoliant vestibus magnâ vi & festinatione detractis, & quas mox exuere non poterant; scindunt & lacerant; partim dum eum arctissimè ad columnā ligant, ne doloris vehementiâ exasperatus funem exuat. Quantum hæc afferunt homini ingenuo & liberali dolorem! Absconderat se Adam, vbi nudum se esse vidit: Sed nullus hic Christo absconsionis locus. O Domine iam vides quid assumpseris! eam scilicet naturam, quæ nisi tecta apparere erubescit. Nulla est creatura quæ de nuditate erubescat, præterquam homo qui seipsum horret cùm est nudus. Hactenus nondum plenè expertus erat Christus, quid esset fieri hominem: nunc id experitur, nimirum fieri abominabilem & fœdum, cuius aspectus horrorem verecundis, inuerecundis verò risum & cachinnos excitat. Qui sanctarum Barbaræ & Agnetis Martyrum nudata à persecutoribus corpora cœlesti lumine contegere voluit, hoc sibi beneficium non præstitit.

4. Dolorem acutissimum. Quartò, Dolorem maximum. Cùm enim Pilatus ideo iusserit Dominū flagellari vt hoc supplicio Iudæorum furori satisfaceret, ita vt hæc flagellatio esset tota pœna, quis dubitat acerrimè atque ad necem propemodum flagellatum fuisse Dominum: præsertim cùm Iudæi optarent vt in eo prorsus interiret, quia audiebant dimittendum? Testatur hoc Scriptura, cùm ait Ps. 72. *fui flagellatus tota die*, id est, tam acriter vt viderer totâ flagellatus die. Item Ps. 34. *congregata sunt super me flagella.* Et Ps. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Vbi Hieronymus transfert: *arauerūt peccatores:* quasi profundos sulcos velut aratro fecerint in carne Christi. Certā legem habebant Iudæi, vt ne vltra 40. verbera infligerent: ac ne legem illam fortè transcenderent, aut ex commiseratione, vltimum eorum ictum remittebant & condonabant, quomodo se flagellatū testatur S. Paulus 2. *Cor.* 11. At Christus à gentilibus flagellatus est, qui numerum non obseruabant, nec facilè commiseratione mouebantur, sed multoties ad miserorum interitum vsque sæuiebant. Quanquam testatur S. Birgitta, fuisse ex illis vnu qui commiseratione motus dixerit ad alios: *Nunquid interficietis sic immudicatum?* qui & statim secuit vincula eius, *lib.* 1. *reuelat. cap.* 10. Testatur denique columna illa, cui alligatus cruore aspersit Christus, (cuius ipse partem vidi ad S. Praxedem Romæ) acerbissimam fuisse hanc flagellationem. Sed nónne gratiam facit Pilatus Christo, quod tam durè flagellari eum faciat, siquidem hoc facit vt eum liberet & vitâ donet? Intendebat certè hoc Pilatus, sed qualis est hæc gratia; quæ plurium suppliciorum causa est? nónne adhuc manet Iudæorum sitis? nónne adhuc clamant: *Crucifige, Crucifige eum?* ô Pilate, desine quæso Christum corripere, quia quantumuis tu corripias, Iudæi non dimittent: gratia tua ad maximam Christi cedit ingratiam. Itáne infelix homo visus est aliquando, cui etiam gratiæ cedunt in supplicia? Hoc factum Christo: Gratia erat, quod cum latrone in sortem liberationis veniret, sed ea cessit ei in maiorem contemptum, quia liberatus non modò non est; sed nequissimo etiam homini postpositus. Gratia erat, quòd iam acerrimè flagellari iuberetur: sed ea cessit ei in pœnam, quia & liberatus non est & nihilominus durissimè cæsus, alioquin mitiùs cædendus. Meritò igitur Apostolus dixit ad Heb. 12. *Recogitate eum, qui talem à peccatoribus aduersum semetipsum sustinuit contradictionem.* Nunquid enim hæc non est contradictio: *Corripiam eum & dimittam*; Et *tradidit eum vt crucifigeretur?*

Fasciculus OCTAVVS. Coronam continet Primò Diabolicam & inauditam inuentionem. Quis enim audiuit vnquam tale supplicium? Quomodo in mentem hominum venire potuit? furor excogitauit: Diabolus inuenit ad famam Christi extinguendam quasi tantorum & inauditorum scelerum reus esset, vt vetera tormenta ad ea expianda non sufficerent, sed noua & inusitata adhiberi deberent. Cuius enormi crimini ex lege Impp. suum deputatum est supplicium; nisi cùm inauditorū scelerum rei plectuntur, quibus noua inferri aliquando supplicia solent. Sed quod est illud nouum & inauditum facinus Christi, ob quod tale illi supplicium comminiscimini? Regem se fecit, inquiunt. Sed Rogo imprimis, an hoc inauditum? An non plures ex vestris patribus regnum affectârunt & inuaserunt, quibus nihil tale actum est? Deinde, an non apertè dixit, regnum suum non esse de hoc mundo? Denique cui vnquam præiudicare vel nocere vel insidiari studuit? An non potiùs Christus commiseratione dignus erat, quòd cùm regem se diceret, interim tam pauper, humilis, mansuetus esset, sedens super asinam & pullum? Quem quæso exturbabit è regno suo nouus hic rex super asinâ ingrediens sine sellâ, fræno, calcari, armis, militibus? — VIII. Corona. 1. Continet Primo Diabolicam inuentionem.

Secundò, Libidinem insanam ministrorum, qui non ex vllius vi legis, non ex sententiâ — 2. Insanam ministrorum libidinem.

tiâ Iudicis aut populi, sed propriâ auctoritate hoc eum supplicio affecerunt. Nam vt Tertullianus de coronâ militis ait: *Illam impietatis contumeliosæ coronam populus non consciuit; Romanorum militum commentum fuit, ex vsu rei secularis.* Et Chrysostomus apud aureã D. Thomæ catenam. *Non hoc Pilatus iußit, sed milites Iudæis pecuniarum gratia gratificantes omnia audebant*; ô quàm contraria omnia Christo eueniunt? Cæteris hominibus cùm supplicijs afficiuntur nemo non commiseretur; multi pecunias offerunt vt pœnæ eorum vel condonentur vel mitigentur, hic contrâ pessimi Iudæi pecunias dant lictoribus vt Christum grauiùs torqueant. Nescio sanè vtrorum maior sit Iudæorum an lictorum sæuitia: sed hi pecuniam tantùm, illi sanguinem sitiebant.

3. *Dolorem inæstimabilem.* Tertiò. Dolorem inæstimabilem. Nam imprimis spinæ illæ erant ex Rhamno, qui spinas habens longitudine ferè digiti minoris, & vt Hieronymus in cap. 2. Agg. scribit, *tenet quidquid attigerit & retentum vulnerat & vulneratorum sanguine delectatur.* Iam dolorem spinæ superare dolorem vulnerum nemo est qui nesciat; siquidem spina, quamdiu carni inhæret nunquam quiescere finit. Legimus certè ob spinam pedi infixam Leones mansuefactos auxilium ab hominibus quæsiuisse vti ab Androdo Romano. Quid non doloris excitabunt in capite, dolorum impatientissimo, tot tamque acerbæ? Deinde si quis alteri digitum cui spina inhæret, paululum premat: nónne is mox præ dolore reclamat? Quid ergo erat sentire tot ictus in capite spinis obsito?

4. *Contemptum inauditum.* Quartò, Contemptum & ludibrium inauditum, dum irrisoriè Christum regem instituunt. Conuocant enim totam cohortem, quæ continet 555. eleuant deinde Christum in altum more regum, teste Clemente Alexandrino *l. 2. ped. c.* 8. pro purpurâ induunt eum chlamyde coccineâ, vtique obsoletâ & lacerâ, quemadmodùm & Zacharias pontifex, *Zach.* 3. indutus erat vestibus sordidis. Sceptrum arundo. Reuerentia regi exhibita, sunt iocosæ genuflectiones & salutationes ridiculæ, sputa, alapæ, verbera arundine inflicta.

Denique Rex iste inauguratus promulgatur & ad conspectum populi producitur (non vt recipiatur, sed vt exturbetur) ab omnibus conspiciendus & illudendus, qui ante quatuor dies tam honorificè fuerat exceptus. Quanta ibi erat hominum multitudo, in die solemnissimo paschæ? quis te agnoscat ô Domine, qui adeo tui es dissimilis? Non miror certè si Iudæis non placeas; cui enim, quæso, placeres sic affectus? Et sanè si tunc te conspecto dixisset Petrus: *quia non noui hominem*, nihil falsi dixisset. Quid enim aliud sibi volunt illa Pilati verba: *Ecce homo*: quam vt iudicent ita affectum Christum vt iam pro homine vix agnosci possit? Picturæ imperitè factæ ex epigraphe tantùm cognosci solent. Adeò ergo fœdè depictus fuit Dominus manibus lictorum, vt non nisi ex Pilati voce agnosci homo posset. Quid igitur? hæc eius deformatio nondum satisfaciet furori Iudæorum vt ampliùs nil requirant? Minimè gentium: *Sanguis eius super nos*, inquiunt. Et quod amplius est, Cæsarem regem sibi eligunt, ne Christum regem agnoscere videantur.

Fasciculus NONVS, Baiulatio crucis quæ continet primò: Graue pondus & molestum; quod nisi viribus Christi grauius fuisset, id ab eius humeris in Simonis dorsum non transtulissent; quam enim, quæso, gratiam Christo vnquam exhibuerunt? idcirco igitur à Christi humeris crucem abstulerunt, ne pondere eius oppressus in itinere expiráret. Crux ipsa de quercu erat, ligno grauissimo, longitudine pedum 15. Christus totus exsanguis & prioribus supplicijs exhaustus fuit: humeri eius vndique vulnerati; corona spinea crucis crebrâ illisione profundiùs capiti imprimebatur; quomodo igitur non grauissima & molestissima Christo crux? Certè si nos vel modicum vlcus vexet, nullum ibi onus admittere possumus. Christum ter cum cruce in terram prolapsum scribit Andrichomius *in descript. Ierosol. n.* 118. Sed parum fuisset hoc onus Christo, nisi & nos super illud saltassemus: peccatorum enim nostrorum multitudine & nostrâ ingratitudine, quâ inutilem nobis facimus & inanem passionem eius, multò magis eum grauauimus. K. IX. Baiulatio Crucis Continés. 1. *Graue pondus.*

Secundò, Horrorem mortis ante oculos semper obseruantis, qui pondus illud multò grauius fecit. Non ita onerosus erat fasciculus ille lignorũ, quem gestabat in dorso Isaac, *Gen.* 22. qui nesciebat se super eum occidendũ & sacrificandum: quod si is sciuisset, ô quàm grauis ei factus fuisset? Nullo pondere etiam gestauit literas mortis suæ Vrias in sinu suo 2. *Reg.* 11. quæ si ei perspectæ fuissent, omni pondere grauiores fuissent. Iam verò Christus Dominus sciebat quid gestaret, lignum scilicet in quo mox immolandus esset, & literas mortis suæ certissimas. Quantò igitur putatis animi mœrore crucem illam à Christo aspectam fuisse? Dicat ille, qui ad furcam educitur quid sentiat eâ conspectâ: O lignum triste, ô lignum amarum! cogitabit, quàm funestus & amarus est mihi aspectus tuus? Videbant primi nostri parentes lignum vetitum, *quòd bonum esset & pulchrum oculis aspectuq́, delectabile.* Gen. 3. *& tulerunt de fructu eius & comederunt.* Sed ô quàm diuersus est ligni illius fructus & inde prognatus ramus, crux videlicet ista? quàm malum, quàm deforme & horribile aspectu est hoc lignum? Cæteris vltimo supplicio plectendis, quantumuis reis, vel occuli velantur vel instrumenta carnificinæ absconduntur; ne eorum aspectu tristiores reddantur & animum despondeant. Non ita fit Christo Domino, sed quidquid ad maiorem eius dolorem facere potest, adhibetur: vnde Crux ob oculos imò in humeros eius ponitur à Iudæis, vt sic in animo priùs crucifigatur quam in corpore. 2. *Horrorem mortis.*

Tertiò, Multam contumeliam; siquidem more latronis educitur. Primò, Dum crucem suam baiulare cogitur, quasi nemo alius etiam 3. *Multam contumeliam.*

lictor aut Carnifex, lignum tam contumeliosum attingere vel gestare audeat, Iudæi certè si pretorium vitabant quantò magis crucis
2. maledictum? Secundò, Dum in via stimulis præacutis agitur & pungitur instar iumenti (pro more Romanorum, teste Plaut. *in Mostell.*) vt iter acceleret. Tertiò, Dum tintinnabulo sibi appenso, vt scribit Petrus Faber lib.
3. 2. Semestr. c. 8. aut certè prælato, monet ne sibi homines appropinquent suique contactu polluantur. Quid hîc dicam Deus bone? Itáne verò ad eum accedere non licet, ad cuius adductum dæmones fugere? cúmne tangere non licet, quem olim *omnis turba quærebat tangere, & à quo virtus exibat & sanabat omnes?* Quartò,
4. Dum voce præconis præeuntis causa mortis proclamatur quam speciosè fieri poterat, quasi Iudæorum clamor nón satis superque in omnium sonuisset auribus. Quintò, quia cũ duo-
5. bus latronibus educitur. Lucas hac de re durè loquitur cùm ait: *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo.* Quid dicis ô Luca? Si alij duo nequam ergo & Christus talis? vel si non talis Christus, quomodo ducuntur cùm eo alij duo nequam? Nimirum dicere voluit Lucas, adeò contumeliosè tractatum Christum, vt passim nequam reputaretur, quia nihilo melius tractabatur.

4. *Multam confusionem.* Quartò, Multam confusionem, dum per tot hominum myriadas educitur, quorum alij peregrini eum contemplabantur, alij ob notitiam & familiaritatem comitabantur, alij ob beneficia ab eo accepta aut propinquitatem deplorabant, vbi & matrem eius cum Magdalena & reliquis deuotis mulieribus ac discipulis fuisse quis ambigat? Si enim filiæ illæ Ierusalem flebant quanto magis istæ? Hinc verò ingenti dolore affectum Christũ, partim quia vidit eos scandalum in se pati, partim ob naturalem ergà eos affectum & commiserationem quis dubitet? Quo sensu putamus fuisse Christum, cùm vel vnum ex discipulis & notis, vel fœminis ei ministrare solitis ac præcipuè matrẽ in transitu aspexit? ô Mater! ô Discipuli! ô Mulieres, si adhuc semel & vltimò videre cupitis filiũ & Magistrũ vestrum: Currite, festinate, egredimini filiæ Sion & videte regem vestrum. O Maria curre, vidẽ nunç extremum filium illum tuum, quem peperisti, lactasti, toties amplexata, toties osculata es: vide num hæc sit tunica filij tui. O Magdalena curre ecce sponsus & amator tuus paulò pòst accubet in mensâ Crucis: ecce Magister tuus transit. O Mater filiorum Zebedæi, quæ petebas dexteram & sinistram Christi pro filijs tuis, ecce iam obtinere potes, quia iam alius à dextris & alius à sinistris eius crucifigetur. O Christiani omnes *exeamus ad eum* (& cũ eo) extra castra, improperium eius portantes *Hebr.* 13. Sed quàm pauci sunt, qui Christum comitantur & crucem eius subleuant? Multi certè mortuam eius crucem adorant, viuam verò id est, tribulationes & persecutiones, ignominiam & paupertatem ferre non possunt: sed mox à se reijciunt. Hi nimirum instar Pharisæorum sunt, qui viuos prophetas occiderunt, mortuis verò tumulos erexerunt, quemadmodum testatur Dominus *Matth.* 23.

Fasciculus DECIMVS, Crucifixio, cuius primus flos est ipse crucifigendi actus in quo spoliatur iterùm vestibus suis magnâ vi & festinatione dominus à crudelissimis carnificibus: Heû quoties exuitur Dominus? Primò ante flagellationem, iterum ante coronationem, denique ante crucifixionem. Quid vultis ô insani cum toties repetitâ nudatione? Nimirum quia non poterant Christo vtpote pauperrimo aliud quid detrahere, quod optabant; ideò eandem illi vestem sæpius detrahunt, quem pluribus & pretiosioribus rebus spoliare optabant. Et verò non modò vestem, sed cum veste cutem & carnem ex parte detraxisse illos putant viri sancti, vti S. Bonavent. quod vndique vulnerato corpori vestis fortiter adhæsisset. Secundò in terram prosternitur & cruci affigitur, brachijs ac pedibus magna vi distractus. Prôh quàm ingentem pertulit tunc cruciatum dominus, cùm claui illi carnem, neruos, ossa & medullas eius, vbi maximus est doloris sensus, penetrauerunt! De Ioseph dicit Psalmus 104. *ferrum pertransijt animam eius*: sed non erat propriè is Ioseph, cui hoc accidit; quia ferrum vinciebat eum tantum, Christus est, cuius animam pertransiuit ferrum. Tertiò Crux erigitur & magno impetu in foueam decidit, vbi totum eius corpus contremiscit, vulnera omnia laxantur. O Christiani, si membra Christi essemus per charitatem ei vnita, hos ictus & concussiones vtique & ipsi sentiremus: quale enim est membrum quod non condolet capiti.

L. X. Crucifixio. Eius flos. Primus Crucifigendi actus.
1. *Exuitur.*
2. *Prosternitur.*
3. *Crux erigitur.*

Secundus ignominia.
1. Secundus Flos ignominia, quæ ex eo Primò patet, quòd nemo liber etiam nocens, sed serui tantùm nocentes in eam agebantur. Vide seruile supplicium dictum à Tacito *l.* 4. *hist.* Videtur hoc insinuare velle Pilatus dicens: *regem eorum crucifigam?* Vbi tandem manifestè apparet, Christum assumpsisse formam serui: hæc enim forma prius in eo non ita apparebat. Secundò, quòd suspendiosos & crucifixos
2. lugere nefas erat. *l. librorum ff. de his qui notantur infamiâ.* Tertiò quòd olim Crucem ali-
3. cui imprecari omnium dirissima imprecatio erat. Ita Gracchus in orat. contra Publ Popil. Quartò, quòd Romani quotannis semel Canem in Crucem actum per vrbem circumdu-
4. xerint, volentes per hoc canes durissimo afficere supplicio, quod custodiam non obseruarint, noctè quâ Galli Capitolium conscenderunt: apud Plut. *l. de fort. Rom.* Quintò, quòd
5. ijdem Romani ad coërcendos homines, ne seipsos interimerent, talium interfectorum cadauera Crucibus affigenda edixerint, quasi hæc ignominia sufficientissima & aptissima foret ad scelus illud vitandum, teste Cassio Emina apud Seruium. Sextò. Quod dicitur in
6. scriptura *contemptibile lignum.* Sap. 10. & *mors turpissima* Sap. 2. apud Romanos *lignum infelix, infame, damnatum*, apud Gretſ. l. 1. de Cruce. Et à Cicerone l. 5. in Verrem, *crudelissimum*

&

& teterrimū supplicii. Denique S. Paulus Christi humilitatem & exinanitionem explicans, vlteriùs descendere non potuit, quàm ad Crucem: *humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis*. O Christiani mei, quomodo non erubescimus, qui adeo superbimus, tam splendidè vestimur, honores consectamur & gloriam ab inuicem quærimus, dum Christū in Cruce aspicimus? Considerabat hoc sancta illa regina Elizabetha, quæ regio semel ornatu ante Crucifixi imaginem in templo orans & disparitatem sui cum Crucifixo perpendens, tantum concepit dolorem, vt pene exanimis viribus defecta corruerit, & ab ancillis aquâ lustrali refocillari debuerit: refert Raderus *in Bauariâ sanctâ p.* 1.

Tertius Cruciatus ingens. Tertius Flos, Cruciatus ingens, qui primò vel ex ipsa Crucis voce intelligi potest; volentes enim acerrimum Cruciatum exprimere,
1. Crucem appellamus. Secundò, quia fixio fit in
2. partibus vbi sensus est acutissimus. Tertiò,
3. quia corpus ipsum suópte pondere deorsum grauidans dolorem perpetuò auget, vulneraque dilatat. Quartò quia mors Crucis est lenta &
4. prolixa; siquidem nullum in eâ lethale vulnus, omnia remotissima sunt à corde, vnde solâ
5. doloris vehementiâ mors affertur. Quintò, quia per tres horas in Cruciatu illo vixit. Leua nunc oculos tuos, si saxeus non es, & vide qualiter dominus instar Vermis in cruce se ob doloris vehementiam inflectit & contorquet, quemadmodum testatur S. Birgitta, *l.* 7. *reuelat. cap.* 15. dicens: *Aliquando conabatur ipse extensiones facere in Cruce præ amaritudine nimiâ, quam sentiebat, intensi doloris acutissimi*. O quàm verè dicere de eo potuit Psalmista psal. 40. *Vniuersum stratū eius versasti in infirmitate eius!* Vide interim tu quàm arcta sit mortis cœliq; ianua, cùm Christus ipse adeò se vrgeat & coarctet, vertat, reuertat, flectat, inflectat, donec per eam transmeet. Et nos sæpe tam facilè cælum nobis pollicemur & pœnitentiam ad mortem vsque differimus, vbi cum morte luctandum.

Quartus Societas latronū. Quartus Flos, societas latronum, quorum medius Dominus crucifixus est. Medius, inquam, ille, qui in cœlo erat medius inter angelos; inter duos maximos prophetas in mon-
Ei decreta. te Thabor. Sed cur hoc? Primò, quia audie-
1. rant in oliueto Dominum durè accepisse, quòd ad ipsum velut ad latronem exijssent cum gladijs & fustibus: itaque quò eum acerbiùs affligerent & infamarent, non tantùm vt latronem eum crucifixerunt, sed vt latronum Ducem & Antesignanum in medio latronum.
2. Secundò, quia per hoc volebant Christi nomen & memoriam in animis hominum odiosum reddere & prorsus extinguere: quemadmodum Iosias rex ossibus mortuorum lucos & altaria Idololatrica profanauit, vt populum ab Idolorum cultu, horrore ossium reuocaret 4. *Reg.* 23. Vnde licet multi fortè libenter accessissent ad pedes & Crucem Christi & suum erga illum amorem, fidem & affectum demonstrassent; prohibebantur tamen ob aliorum latronum societatem: alij libenter in eum fortè credidissent ob incredibilē eius patientiam, ob signa visa, &c. quorum multos à eo fuisse absterritos crediderim. Hinc enim factū vt amici etiam eius à longè starent. Quam diabolicam technam tantò acerbiùs sensit Christus, quantò pluris æstimabit pretium redemptionis suæ, ipsis passionis doloribus: si enim non pluris æstimasset redemptionem hominum, quàm dolorum suorum magnitudinem, non tam caro pretio homines emisset. Hoc igitur est, de quo conqueritur per Psalmistam Dominus Ps. 61. *Pretium meum cogitauerunt repellere: cucurri in siti*; septuaginta transferunt: *Cucurrerunt in siti*. S. Ambrosius vtramque lectionem recipit, quia sicut Iudæi cucurrerunt sitibundi vt pretium Christi repellerent & euacuarent: ita cucurrit Christus vt id obtineret & retineret. Igitur nihil proficis ô cæca inuidia & sæua crudelitas: Anteuertit enim vos longè cursu suo Christus; volat & in alto triumphat crucis vexillum, iacent sine honore patibula latronum: quin imò Crux Christi cruci conuersi latronis quantumuis infami contumeliam abstulit & honorem communicauit, vt & ipsa non propter se sed propter Christi crucem honoretur.

Fasciculus VNDECIMVS. Insultatio Crucifixo facta. Nam etsi Iudæorum & hostium Christi furia iam prorsus exsatiata videri poterat, dum in vltimo penderet supplicio, dum affixus esset vt iam insidiatorem regni timere non possent: dum iam exsanguem & exhaustū mortique proximum viderent: dum immensis eum doloribus & quasi pelago dolorum circumdatum: dum iam non tam homo, quàm canis abiectissimus iamiam moriturus videri poterat: dum nihil iam cruciatuum, quos ipse non pertulisset, superesse videbatur: dum omnes etiam inimicissimi ad commiserationem mouendi essent: Tunc primum incipiunt contra eum furiæ infernales crudeliùs insanire. Nam imprimis illudunt & irrident eum Principes, milites item & multi ex turbâ prætereuntes, facetias in eum iactant & excogitant, quasi sic iusta ei persoluete & (Diabolicas) exequias cantare velint: quin etiam latronum alter suarum oblitus pœnarum, quasi alij parum facerent, Christo insultare incipit. O homines feris crudeliores! conqueritur *Ierem.* 12. Dominus: *Facta est mihi hæreditas mea quasi Leo in sylua dedit contra me vocem*. Sed dummodo vel Leo esset; hic enim parcit, cùm prostratum hostem videt; & vt Ouidius ait: *pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet*. Hi verò nec Christo in crucem acto parcunt, sed in prostratum sæuiunt & afflictionē afflicto addunt. Vtinam non id ipsum ageremus & nos, qui dum peccata peccatis addimus, quid aliud facimus, quàm quod Christo afflictionem addimus?

M. XI. Insultatio Crucifixo facta.

I. Illudunt.

Secundò, Christo ob omnimodam exsiccationem sitienti & potum petenti quid offerunt? felle mixtum acetum. O inferno feuiorem crudelitatem! Nouimus enim Epulonem guttam aquæ in inferno petijsse, quam etsi non obtinuit, fel tamen ei pro aquâ oblatum non

Secundo Fel offerūt & Acetū acerbum.

non est. Paratus erat Christus aquam bibere, dummodo obtulissent: quòd si hanc dare noluerunt, cur non simpliciter negârunt? cur fel & acetum dederunt? Secundò, aliâ ex parte acerbissimus erat hic potus, quia cùm deuotæ mulieres Ierosolymitanæ vinum optimùm & myrrhatum præstantissimum Christo obtulissent, milites id felle & aceto malitiosè peruerterunt, vel vt scribit Liranus *Matth.* 27. Vinum illud sibi acceperunt, & pro eo fel & acetum Christo propinarunt, quâ amaritudine quæ maior excogitari potest? Tertiò, ex hoc quòd ex sententiâ Cardin. Baron. *tom.* 1. *Annal.* aceto illo sanguinē Christo sistere & mortis dolores prolongare voluerunt, vt sic quodammodo moriens mori non posset, aut diu moreretur: quod si ita factum est, id omnem omnino superat crudelitatem.

Tertiò. Vestes diuidunt. Tertiò. Vestium eius diuisionem faciunt & pro illis sortes mittunt. Vestes igitur illæ per quæ miracula fiebant & ægri curabantur, nunc carnificibus cedunt & quasi res vilissima alearum lusui subijciuntur. Quæ iniuria & contumelia tanta est, vt nullus Euangelista eam tacuerit. Pauperrimus erat Christus, nec aliud habebat præterquam vestes. Nihilominus tam extremæ paupertatis spolia à cupiditate & auaritiâ libera esse non possunt, sed ante oculos Christi diuiduntur & aleæ subijciuntur; atque adeò Christo nondum mortuo, hæreditas eius tenuissima inuaditur ab Infernalibus Harpyis. Quem ludum, quem triumphum non excitabunt dæmones, cùm in morte auari spolia distribuent, si tanta Christi paupertas à prædâ non est immunis? O Christe iam tibi necessariò moriendum est & mundus deserendus, quia is ianuam post te clausit vt regredi non possis: si enim superuiueres non haberes ampliùs quo vestireris.

Quartò. Mortem afferunt acerbam. Quartò igitur Mortem adferunt Christo Domino, eheu quàm acerbam! Primò enim
1. mori cogitur Dominus in flore iuuentutis, & sicut pomum immaturum vi auellitur ab arbore. Secundò, moritur viuis & integris sensibus:
2. vnde optimè sensit amaritudinem passionis & mortis suæ, quod alijs hominibus ob emortuos sensus & turbatam imaginationem accidere non solet. Tertiò, heu quàm præcipitanter! Aliorum reorum neces saltem in tertium
3. differuntur diem: Dominus noctu comprehenditur, manè offertur Iudici, horâ tertiâ diei damnatur, ad meridiem crucifigitur, horâ nonâ expirat: quasi eius vita sit omnium perniciés & mors. Intra viginti horas hæc omnia euenerunt. Denique quàm amarè! Tanta enim
4. erat animæ & corporis Christi vnio & amor, vt nullâ vnquam in re dissenserint. Non difficilè separantur vir & vxor cum malè conueniunt: sed optimam & fidelem vxorem vir ægerrimè videt mori. Talis erat conuentio corporis & animæ in Christo. Ecce igitur quàm grauis erat morbus noster; siquidē tam multis & acerbissimis remedijs ac phlebotomijs curari non potuit; sed necesse fuit vt filius Dei prorsus occideretur. Antequam Chirurgi pedem aut manum abscindant, prius omnia tentant: nec nisi re omni desperatâ cultrum expediunt. Quid non tentatum est vt morbus noster curaretur? quot venarum sectiones tulit Christus? sed ecce nil profecerunt: abscindendum erat ipsum caput corporis nostri, occidendus Christus, vt viuere possemus.

Fasciculus DVODECIMVS, Præsentia matris ad crucem, quæ non tam corpus quàm animum Christi cruciabat. Exod. 23. præcipitur: *Non coques hædum in lacte matris suæ:* ne scilicet fiat illi ad perniciem quod ad eius vtilitatem & oblectationem facere debebat. Sed hic id minimè obseruatur: coquitur enim hîc Christus, hœdus pro peccatis nostris factus, in lacte matris suæ: nam cuius præsentia gaudium filio parere deberet, nunc maximum dolorem creat. Ecce duo luminaria, maius & minus sibi opposita & se mutuo contenebrantia, sibique mutuo vocem adimentia, & consolationis lucem. O Eclipsin tristem! *N. XII. Præsentia matris.*

Iam verò si ad extremum introspicere velimus, quis Christum tot cruciatibus affecerit & confecerit, non alium inueniemus, quàm nos ipsos. Itane verò, dices? Imò verò. Dic enim nobis Christe, quis est qui te percussit & adeò confecit? Respondebit pro te Pater tuus inquiens: *propter scelus populi mei percussi eum.* Morbus enim noster merâ nostrâ libidine cōtractus, adeò erat incurabilis, vt nisi sanguine filij Dei curari debitè non posset. Igitur nisi nos primò arma contra Deum Christum sumpsissemus, milites numquam sumpsissent. Rogo enim te si tu in flumen incidisses iamiam mergendus & vndique circumspiciens neminem videres adiutorem, nisi vnum tantùm hominem: si ille sortem tuam miseratus detractis à collo vestibus flumini se crederet & ad te, pernataret vt inde te extraheret: interim verò dum te ad littus trahit, ipse debilitetur & tuo pondere, dum fortiter eum apprehendis, ipsummet demergas, tu verò emergas: nónne fateri debebis, te ipsum submersisse & tuam liberationem causam esse mortis eius? præterea non dolebis summoperè quod liberatorem tuum demerseris? Ita res habet in proposito. Ob peccata nostra cecidimus in profundum, deferendi mox ab abyssum inferni. Vidit hoc filius Dei, qui solus iuuare potuit: expoliauit igitur se & exinaniuit, solâ nostri commiseratione & amore tractus, & natauit vsque ad nos; sed tantum erat pondus peccatorum nostrorū, vt ipsummet liberatorem demergeret & mori cogeret: nos interim liberati sumus. Quid tibi nunc videtur? Non occidisti Christū tu; Quare ô bone IESV, si nos sumus qui te in has angustias adduximus & in crucem istam egimus: quid querso tibi debemus liberatori nostro? Imò quid non debemus? Nil aliud à nobis petit, quàm vt vitam hanc nostrā conseruemus, quam tanto labore nobis peperit. Nil aliud ergo vult quàm salutē tuam: hoc si feceris, videbitur sibi Christus satis recreatus & nil aliud à te petet. Nónne igi- *Epilogus.*

tur

tur rem tam iustam, tam tibi salutarem facies? At si hoc non velis, audi quid dicat Christus: *Si in viridi ligno hæc fiunt: quid fiet in arido?* Si filius Dei, innocens, sanctus, virtutum omnium floribus exornatus, ob alienum peccatum ita tractatur à patre: quid fiet ligno arido, homini ingrato, inutili, peccatori ob propria peccata? Audiuimus Christi supplicia & cruciatus: quid erit gehenna? Et si hæc acerbior Christi passione non esset: adde solam æternitatem, quid erit illa pœna? Tres horas in cruce pependit Christus & propterea nos omnes meritò obstupescimus, meritò terremur: quid erit in inferno pendere non tres horas, non tres annos, non ter centum, non ter mille, sed sine fine? Neque verò tibi persuadeas, Deum esse mitem & clementem: Quàm enim sit mitis & clemens, veni accede & palpa; vide in cruce eius filium; qui enim filio nō pepercit ob aliena scelera, tibi parcet habenti propria? Mitigemus igitur, mitigemus passionem Christi nostrâ pœnitentiâ, ne æternùm patiamur.

CONCIO II.

Fontes dolorum Christi externorum & internorum.

Doloris externi fōs primus est.	4. *Duratio passionis & continuatio variorum tormentorum, quorū præcipua sunt, ligatio, flagellatio, coronatio, crucis baiulatio & Crucifixio.*
1. *Charitas Christi erga Deum & homines.*	
2. *Puritas dolorum.*	
3. *Corporis Christi complexio.*	

THEMA.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Marci 10.

A. DVplici nomine Christus suam appellauit passionem, baptismi nimirum & calicis. Baptismum eam vocauit *Luc. 12.* cùm dixit: *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor donec perficiatur?* Calicem verò Matth. 26. cùm orauit ad patrem: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Vtrumque verò simul expressit Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Vtraque figura pulcherrimè nobis describit Christi passionem. Baptismus erat, quia Christum vndique sanguine aspersit, vti baptismus aspergit aquâ. Calix erat, quia amara potio. Baptismus erat, quia scelerum nostrorum sordes, quas sustulerat in se Christus, abluit. Calix erat, quia velut medica potio salutem humano generi, quod in Christo capite continebatur, ægrotanti attulit. Baptismus erat, quia tam promptè & libenter Christus ad passionem iuit, ac si ad balneum iret. Calix erat, quia etiam hilariter & cum appetitu dolores mortis amplexatus est. Sed aliud adhuc mysterium expressit his vocibus Christus. Nouimus baptismum externè corpus afficere, calicem verò internè, & in ipsa viscera ingredi. Itaque baptismum appellauit Christus suam passionem, vt hac voce exprimeret dolores suos externos qui corpus cruciaturi erant; Calicem verò vt internos, qui animam torturi. Vtrâque ex parte adeò patiebatur Christus, vt difficile sit iudicare, vtrâ magis passus sit. Id quod clariùs intuebimur, vbi causas vtriusque passionis exposuerimus. *Gen. 2.* legimus quatuor flumina irrigasse totum Paradisum, Phison, Gehon, Tigrim, Euphratem. Simili modo quatuor flumina irrigauerunt paradisum Christi duplicem, corpus scilicet & animam ad eam fœcundandam ita vt gloriam sibi & nobis pareret: sunt autem quatuor fontes dolorum.

Doloris externi fons PRIMVS est Charitas Christi immensa, quæ ipsum impellebat ad patiendum. Et Primò Charitas erga Deum, cuius honorem maximè zelabat, ideoque eo offenso non sufficienter tantùm sed copiosissimè satisfacere cupiebat ac studebat, ita vt nihil ampliùs satisfactionis faciendæ superesse aut exigere à nobis diuina Iustitia posset, nullaque deinceps inimicitiæ inter nos & Deum causa remaneret. Adhæc sciebat Christus nihil esse sub cœlo Deo gratius & magis honorificum quàm pro eius amore extrema quæque pati; siquidem finis totius vitæ Christianæ & seruitij diuini est charitas: hæc autem ostenditur in passionibus, quando quis pro Dei gloriâ pati gaudet. Hinc igitur ardentissimè cupiebat amori suo erga Deum immenso satisfacere, eumque tormentorum omnium perpessione demonstrare. Charitati suæ proportionatam habebat potentiam ad patiendū; immensam charitatem; immensam & potentiam. Vnde, quia sciebat humerorum suorum firmitatem quantum oneris ferre possent, idcircò eos onerari voluit, quantum onerari ab hominibus crudelissimis, & dæmonibus omnibus poterant. Hinc ille flagellorum excessus suprà præscriptum in lege numerum, qui erat 40. Hinc illud Diaboli inuentū, corona videlicet spinea priùs inaudita. Imo hinc Christus his non contentus, ipse sibi dolores addidit, vti agoniam & sudorem illum sanguineum vi vltronei doloris expressum tamquam myrrham primam, antequam traderetur. Fuit quidem in sanctis multis maxima & immensa charitas & patiendi cupido: sed non fuit par potentia: ideo non est passus Deus tentari eos suprà id, quod poterant. Aliter res habet in Christo vt diximus. Vnde optimè in Christū quadrat allegoricè benedictio illa Issachar, Genes. 49. (prout exponitur à S. Ambrosio) *Issachar asinus fortis* (Hebraicè, *asinus osseus*) *supposuit humerum suum ad portandum.* Asino osseo comparatur ergo Christus ob præcellentem fortitudinem, & hic *subiecit humerum suum*, inquit Ambrosius, *ad laborandum, subijciens se cruci vt nostra peccata portaret.*

B. I. Extemorum dolorum fons Christi charitas. 1. Erga Deum.

Deinde Charitas erga homines, quorum salutem maximè sitiebat, ideoq; non sufficiens 2. Erga homines.

tantùm

tantùm pretiùm pro illis redimendis, sed superabundans etiam quantum millenis & amplius mundis satis esset, exsoluere cupiebat. Intendit Christus Dominus per suam passionẽ homines bonos, sanctos & virtutum amantes suique similes efficere. Vidit etiam quanta esset necessitas & vtilitas præeundi nobis in militiâ spirituali ad edomandum Tyrannum illum nostrum, Carnem scilicet & amorem suiipsius inordinatum. Vidit quàm iniquè dominaretur orbi Diabolus, & quòd commodiùs ac gloriosiùs vinci non posset nisi per passionem. Vidit denique ingentem fructum, innumerabilium sanctorum cumulum ac segetem quæ ex semente passionis eius prouentura esset. Hæc, inquam, omnia Christi ardentem amoris fornacem inflammârunt, vt hinc facilè colligere possimus, quid dolorum & tormentorum experiri voluerit. Si enim sancti viri pro lucrandis proximis tanta pati voluerunt, Paulinus vendi Barbaris ad redimendũ viduæ filiũ, S. Franciscus non semel ad Barbaros nauigauit vt per martyrij coronam eos lucrifaceret, &c. quid non fecisse cogitamus Christum pro lucrando mundo? Hanc ob causam dixit Dauid *Psalm*. 109. de Christo, quòd velut viator *de torrente in viâ* bibiturus esset. Scimus enim viatorem non bibere de flumine aut torrente, nisi magno æstu calentem maximéque sitientem. Sic ergo Christus in terrâ ambulans adeò nostram sitiebat redemptionem vt cùm primùm in torrentem passionis incideret, non posset sibi temperare, quin auidissimè biberet labores & dolores velut aquam sapidissimam appetens, ad restinguendam ingentem sitim suam: quæ tanta in eo fuit, nec obrui quidem fluminibus posset: ideoque fonte aut puteo non contenta, torrentem quodammodo ipsum absorbere conaretur.

C. II. Puritas dolorum. SECVNDVS. Puritas dolorum, quòd nimirũ patiebatur absque consolatione. Hoc præsignatum est in eo, quod Leuit. 2. vetatur quicquam mellis adoleri in sacrificio: quia in sacrificio crucis omnis suauitas defutura erat. Quod enim contigit Ciuitati Bethuliæ, cùm omnes fontes circumiacentes munirentur custodibus iussu Holofernis, ita vt incolæ ne guttam quidem aquæ deferre ad ciuitatẽ possent, adeoque in extremas redigerentur angustias; quod contigit Ierosolymæ cùm iussu Titi, vndique muro cincta est, vt nullâ ex parte quidquam subsidij in eam inferri, nec vllus inde elabi posset: hoc accidit Christo patienti. Omnes enim portæ per quas aliquid solatij potuerat recipere, tunc ei præclusæ erant. Quantus fons consolationis erat Christo mater eius? Sed hic ei nunc præclusus erat; siquidem ab eius præsentiâ sub Cruce non modò nil refrigerij, sed plus potius doloris cepit. Quantus fons, dilecti eius discipuli? Sed hi tunc à longè steterunt & eo relicto fugerunt. Quantus fons beatitudo sanctissimæ eius animæ? Sed hic adeo tunc occlusus erat, vt ne gutta quidem dulcedinis in partem eius inferiorem descenderet. Quantus gaudiorum fons, cœlestis pater? Sed ab hoc derelictum se conquestus est. Et hinc eius querelæ per prophetas editæ *Factus sum sicut homo sine adiutorio*, Psal. 87. *Infixus sum in limo profundi & non est substantia*, id est, basis, cui innitar. Psal. 68. *Circumdederunt me dolores mortis*, Psal. 17. q. d. quocunque aspicio, nihil nisi dolores meros & acutissimos video. *Torcular calcaui solus & de gentibus non est vir mecum: circumspexi & non erat auxiliator, quæsiui & non fuit qui adiuuaret*. Isa. 63. Hoc idem significabat sacrificium duorum hircorum pro peccato *Leuit*. 16. quorum alter viuus & liber dimittebatur in solitudinem, alter verò retentus mactabatur. Hic humanam, ille diuinam Christi significabat naturam, teste Cyrillo *lib. 9. contra Iulian*. Theodoreto, &c. Passionis ergo tempore, diuina Christi natura libera euasit, quia pati non potuit, humanam verò reliquit solam in macello, non quoad nexum vnionis, nec quoad præsentiam vel beneuolentiam, sed quoad subsidij & consolationis exhibitionem. Cogita nunc quæ tibi foret afflictio, si comitatibus te amicis tuis, optimis, suauissimis, tandem fortè in latrones incidens, ab omnibus desereris, donec necareris? Hoc euenit Christo, Deo sic ordinante, ipsoque Christo rato habente. Hinc illud discrimen inter Martyres & Christum, quando ad passionẽ ibant. Legimus enim passim illos quidem hilares & lætos fuisse, quandoque cecinisse & Tyrannis insultasse cùm ad martyrium ducerentur & in ipso cruciarentur: Christum verò scimus cùm ad passionem pergeret, cœpisse pauere & contristari, in ipsâ etiam cruce cum lachrymis orasse & conquestum esse se à Patre derelictum. Ratio enim est, quia miscuit illis Dominus calicem passionis, melle consolationis & suauitatis. Dominus autem purum putum exhaurire voluit & huiusmodi temperamentum non admisit: quia nimirum propriâ voluntate hunc calicem sibi infudit, quod non fecerunt martyres. Quòd si consolationẽ ei admiscuisset, ex hac parte pati voluisset, ex illâ noluisset, quod est absurdum; vt argumentatur Granatensis l. 3. Introd. ad symb. Qui enim pati quærit, consolationem quomodo quæreit?

D. III. Corporis Christi cõplexio. TERTIVS; Tenerrima corporis Christi complexio. Constat enim imprimis nobiles homines & quicunque sunt delicati, longè viuacioribus esse sensibus, vehementiùs apprehendere & acriùs sentire dolores ac tormenta. Detur nobili indusium alicuius rustici, e rudilino textum; quàm ægrè id gestabit? Rusticus sustinere potest frigora, quæ tenerum adolescentem enecarent, &c. Atqui corpus Christi, operâ Spiritus Sancti è purissimo Virginis sanguine mirabiliter confectum, optimæ & delicatissimæ complexionis fuit: solent enim opera quæ immediatè à Deo fiunt, esse in suo genere perfectissima; & inde venit vt nullam vnquam ægritudinem Christus sit expertus. Patet etiam præstantiori animæ præstantiores esse vires ac sensus: vnde insectæ exiguus est sensus cùm patiuntur: bruta etiam omnia tormenta non apprehendunt: in hominibus etiam

qui

qui minùs intellectu vigent, minùs apprehendunt supplicia sibi decreta, minùs etiam percutiũtur infamiá, iniurijs, &c. Quoniam igitur Christi anima nobilissima fuit, hinc vires etiã & sensus habuit viuacissimos, indeque mortem & parata sibi supplicia longè vehementiùs apprehendit & sensit illata, quàm vllus mortalium apprehendere & sentire potuisset. Ob hanc causam nun immeritò de Christo accipimus, quod ad litteram dicitur de Dauid qui Christi typus erat. 2. *Reg.* 23. *Dauid sedẽs in Cathedra, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Teredo mollissimus vermis est, durissimum tamen lignum perforat & comminuit in puluerem minutissimum: vnde nihil eâ mollius, cùm tangitur, nihil duriùs cum tangit. Christus igitur in cathedrâ crucis sedens eiusmodi vermiculus mollissimus & interim durissimus fuit. Mollissimus ob complexionis teneritudinem ac bonitatem, vt diximus. Cogitet nunc aliquis, quomodo hic vermiculus in cruce confixus sese præ doloribus nunc in hanc nunc in aliam partem contorserit. Durissimus verò non tantùm ratione fortitudinis, quâ tunc vno impetu contriuit aëreas potestates & comminuit iugum ceruicibus nostris impositum: sed etiam quia vires suas integras & robur ad patiendum conseruare voluit vsque ad finem vitæ. Homines alij per ægritudinis præcedentis vim paulatim viribus deficiunt vocemque amittunt, ac proinde sensibus hebetatis morborum vim minùs paulatim sentiunt: sæpe etiam qui supplicijs afficiuntur, ita à sensibus abalienantur, vt penè insensibiles videantur, (præ metu & consternatione scilicet) seu, vt dicere solemus, semimortui: sed non ita Christus, qui vsque ad exitum animæ de corpore retinuit tantum robur, vt ipse etiam dolor integrè sentiretur à principio passionis vsque ad finem. Colligimus id ex eo quòd prægrandem suam crucem proprijs extulit humeris. Idem testatur clamor ille magnus, quo edito expirauit. Sic enim S. Lucas ait; *clamans voce magnâ.* Et Marcus: *emissa voce magna expirauit*: Non solent moribundi, qui paulatim viribus destituuntur, exclamare: sed illi tantùm, qui repentè & violenter sano adhuc corpore necantur. Et ita mortuus est Christus; quæ causa fuit vt Centurio, videns quia sic clamans (præter naturam) expirâsset, hinc agnouerit esse filium DEI.

E. IV. Duratio passionis. QVARTVS, Duratio passionis & continuatio variorum suppliciorum ac tormentorum. Non enim repente peracta est aut modicùm durauit, quomodo aliorum supplicia: neque ab ipsâ crucifixione in monte Caluariæ cœpit, sed à sudore sanguineo in horto Getsemani, & durauit vsque ad horam nonam sequentis diei adeoque per horas 18. ab horâ tertiâ noctis vsque ad nonam sequentis diei. Neque vnius tantum tormenti aut supplicij fuit ea duratio, sed diuersorum & plurimorum; nulla enim Christo requies data, sed de vno tormento trahebatur ad aliud. Decretum enim erat dæmoni, omnibus eum armis & viribus suis inuadere, vt quem astu & blanditiis superare & vel ad leuissimum peccatum trahere non poterat, tormentis quateret. Scimus quomodo olim dæmon potestate à Deo acceptâ sæuierit in S. Iob, vt vel vnicum impatientiæ vel maledictionis verbum ab eo exprimeret. Multò sæuioribus machinis adortus est Christum, vtpote in cuius animam etiam seu vitam potestatem acceperat: vt vel vnum gry iræ, impatientiæ, vanæ gloriæ aut similium eliceret. Idem enim dæmon, qui immisit in cor Iudæ, teste Euangelistâ *Ioan.* 13. vt Christum traderet, immisit etiam in cor Iudæorum vt eum constanter & grauissimè accusarent: in cor Iudicum, vt eum iniquissimè & morte pessimâ condemnarent: in cor carnificum, vt immanissimè torquerent. Quemadmodum enim Zeuxis Pictor teste Plinio *lib.* 35. *cap.* 9. facturus imaginem Iunonis in celebri eius templo statuendam, quinque elegit virgines sibique proposuit, vt quod in quáque laudatissimum esset, penicillo suo in Iunonis effigiem transfunderet: sic etiam dæmon quidquid suppliciorum, iniuriarum & dolorum in Sanctis alijs vidit, id totum in Christum congessisse videtur: irrisionem ex Noë, crucis gestationem & immolationem ex Isaac, venditionem ex Ioseph, totius corporis laniationem ex Iob, oculorum velationem ex Tobiâ, flagellationem ex Hebræis sub Pharaone, &c. Vt meritò Christus *vir dolorum* vocetur *Isa.* 53. Atque vt videamus Christi passionem non fuisse supplicium aut cruciatum vnum, sed potiùs amarissimam quamdam compositionem plurimorum imò innumerabilium cruciatuum, idcircò in præsentiarum potissimos tantùm & grauissimos cruciatus compendio (nam alibi fusiùs eos exposui) audiemus ex P. Leon. Lessio, qui eos solidè & neruosè more suo expendit *lib.* 12. *de perfectionibus diuinis cap.* 17.

Ergo dolor corporis in Christo prouenit ex læsione ipsius, quæ extrinsecus multis modis inferebatur. Dolores præcipui.
Primò, ipsa ligatione & vinculorum constrictione. 1. Ligatio.
Captum enim sæuissimè funibus constrinxerunt, ne posset effugere; experti enim erant ipsius potentiam, neque facile esse ipsum vi retinere; & Iudas monuerat vt eum tenerent & ducerent cautè. Deinde odiũ & rabies animi quæ in Dominum ferebantur, eos impellebat, vt statim ab initio comprehensionis, tantum mali quantum licebat illis inferrent. Itaque validis funibus, & etiã catenis (vt valde credibile est.) eum arctissimè vinxerunt, brachijs post tergum colligatis, collo similiter & medio corpore acriter constricto. Quantum autem ea res dolorem adferat, testantur aliquãdo rei extremo supplicio afficiendi; qui interdũ tantũ afflictionis ex ipsis vinculis, quantùm ex ipso genere mortis, ad quod damnati sunt, sentiunt. Accedebat raptatio, impulsio protrusio, dũ huc illuc magno furore per vias impellitur; dum ex horto ad Annam, ab Anna ad Caiphan, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode rursus ad Pilatum, ab hoc ad crucem rapitur. Hæc enim arctè vincto supra modum dolores exasperabant.

2. *Flagellatio.* *Secundò. Flagellatione. Fuit enim Dominus longè saeuiùs flagellatus, quam solent crucifigendi. Iusserat id Pilatus, partim vt gratificaretur Iudaeorum primoribus, quos sciebat summâ ipsius inuidiâ flagrare, ac proinde hoc illis fore longè gratissimum: partim vt tam crudele spectaculum ipsorum odia exsatiaret, & furorem poscentium illum ad mortem compesceret. Itaque immanissimam & quae instar mortis censeri posset, quáve maior saluâ vitâ vix posset sustineri, censuit flagellationem adhibendam: sicq; dum vnam mortem nititur à Domino auertere geminam ei irrogat; & illa aliqualis beneuolentiae Iudicis species, versa est ei in augmentum supplicij.*

Quantam autem doloris acerbitatem Dominus ex illa flagellatione sustinuerit, quis aestimet? Sanè dubitandum non est, quin longè grauiorem dolorem senserit, quàm quiuis alius mortalium ex huiusmodi supplicio perciperet. Quò enim temperamentum corporis est nobilius, & maior sensuum vigor, eò quoq; dolor ex illato supplicio est acerbior. Hinc videmus nonnullos, quibus tangendi sensus est acrior, ex attactu rei calida, vel ictu flagelli, intolerabilem percipere dolorem: alios, in quibus iste sensus est stupidior, ex ijsdem rebus exiguum vel poenè nullum. Quare cùm ille sensus in Domino ob summam perfectionem temperamenti & spirituum fuerit exactissimus, necesse est dolorem quoque fuisse maximum, qui homini tali genere supplicij posset irrogari. Vnde valdè credibile est fuisse maiorem & acriorem, quàm vnquam aliquis Martyrum pertulerit. Etsi enim supplicium ignis videatur immanius quàm flagellorum, tamen potest in aliquo tanta esse sensuum acrimonia, vt ipsi sint acerbiora flagella, quàm alijs ignis incendia. Accedit, quòd doloris acerbitas ex flagellis vel igne in alijs, si continuetur, obstupefaciat sensum, ita vt post breue tempus nõ tantopere percipiatur; idq; partim euanescentibus spiritibus in parte quae affligitur, partim concurrentibus ad cerebrum humoribus & principia neruorum occupantibus, vt spiritus sine quibus nõ est sensio, diffundi nequeant. Quam ob causam apoplectici & comate affecti nihil sentiunt. At in Domino neutrum horum fuit: perstitit enim ille sensuum vigor ab initio vsque ad extremum: ipsâ animâ suâ potentiâ vel Diuinitate corpus illud ita regente, & interiùs conseruante, vt plura pati posset: cuius signum est, quòd clamans expirauit. Non ergò sensim ita extremè debilitatus est tormentis, vt alij solent; sed retinuit vires aliquas supra naturae conditionem, easq; dum tempus fuit, simul effluere cum animâ permisit. Quod etiam significat Dominus cùm ait: Nemo tollit eam (animam) a me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Vires ergo retinuit & vigorem sensuum vsque ad mortem, sicq; nonminùs supplicia in progressu & in fine quàm in principio sensit; sed toto tempore passionis summos & acerrimos dolores ex tormentis illatis percepit: Vnde meritò Isaias: Vidimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & Psal. 37. Quoniam ego in flagella paratus sum & dolor meus in conspectu meo semper.

3. *Coronatio.* *Tertiò, Coronatione. Domino enim flagellis immanissimè toto corpore conciso, & sanguine manante, ne vel caput doloribus liberum relinqueretur, coronam ex spinis acutis & robustis contextam (paliurum quidam fuisse putant, alij spinam marinam; horrendis vtraque aculeis) imponunt, & magnâ vi in caput adigunt, vt firmiter adhaerescat; quâ in re & acerrimi fuere dolores, & summa ignominia. Dolores, quia cutis capitis, tectumq; pericranium in orbem cum suprema frontis parte spiculis coronae confixa fuere & perforata. In istis autem locis sensus est acerrimus, vt experientia constat, cùm vel leuiter punguntur. Quanti igitur dolores ex tot & tantis puncturis in capite tam sano, tam nobili temperamento, tanto sensuum vigore praedito? Accedebant percussiones sacri capitis, quibus aculei illi magis magisq; adigebantur & infigebantur: percutiebant enim arundine caput eius. Iam de ignominia quid dicam? nulla enim animo maior comprehendi potest, quam quae Domino hic irrogata. Coronatur Rex coeli & terrae ad publicam infamiam, tanquam iniquus & ambitiosus regni temporalis aucupator: coronatur spinis ad dolorem, quasi nullâ alia corona dignus: induitur veste coccinea veteri ac sordida, veluti regali amictu: & inseritur manui arundo in speciem sceptri, ad augmentum dedecoris. Denique tamquam regio habitu pulchrè instructus, per summum ludibrium adoratur genu flexo cum amara salutatione, Aue Rex Iudaeorum: & mox ad extremum contemptum & vilipensionem, conspuitur in facie, percutitur arundine in caput, caeditur alapis, protruditur pedibus, illuditur, blasphematur, & infinitis sannis, irrisionibus, sarcasmis, cachinnis cum ingenti strepitu & insolentia exagitatur, tamquam omnium mortalium scelerosissimus, ambitiosissimus & vilissimus. Et quidem videntur haec omnia milites suo arbitratu, Iudaeorum instinctu, absque Iudicis sententia fecisse: nimirum tam vilis tamque nihili aestimabatur, vt contra morem omnium tribunalium, libidini & licentiae militari relinqueretur; quasi crimen ipsius tam grande esset, vt nihil atrocitatis vel ignominiae posset in eum à quoquam effundi, quod nõ mereretur magnitudine sceleris omnem supplicij & dedecoris modum excedente. Quàm verè de se per Prophetam dixit: Ego vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis? Quis enim hominum post homines natos ita fuit aliquando tractatus? Quis ita arbitrio carnificum concessus? quis vnquam reus in ipsa suppliciorum acerbitate tam inhumaniter illusus, irrisus, exagitatus? omnes enim tunc miserari potius & compati, quàm illudere solent. Sed voluit Dominus, vt nobis praeberet exemplum patientiae omne tormentum pati; & vt ostenderet nobis immensitatem nostrarum offensionum, supra omnem mensuram repraesentare satisfactionem.*

Quartò, Crucis baiulatione. Haec fuit imposita & ad ignominiam & ad tormentum. Ad ignominiam: quid enim potest esse ignominiosius, quam damnatum ad infame genus mortis, cogi etiam ipsum supplicij instrumentum suis humeris deferre, nulla poenarum praecedentium habita ratione? quasi ipse indignus sit, qui vel à iumentis in ea re iuuetur, aut instrumentum destinatione supplicij & contagio personae adeò maledictum & contaminatum, vt nemini praeter sontem conueniret illud attingere. Vnde etiam cùm Dominus sub pondere fatisceret, nullus Iudaeorum admouit manum, tamquam metuens pollui ab infami ligno; sed quemdam gentilem Simonem Cyrenaeum coëgerunt post Dominum deferre. Et apud Romanos non nisi sceleratissimis seruis imponebant, quasi nemo tanti dedecoris notâ esset afficiendus, nisi in quo 4. *Crucis baiulatio.*

summa

summa conditionis vilitas cum summis sceleribus coniuncta foret. Idem ipsi voluerunt hâc ratione significare in Domino. Summum itaque contemptum, summum dedecus continebat hæc baiulatio.

Ad tormentum ingens enim tormentum est, corpore toto flagellis secto, sanguine defecto, & capite tot spinarum aculeis confixo, tanto pondere aspera trabis onerari, cogiq́; tam longo itinere eam suis humeris deferre, neque lento passu incedere licebat, aut quietem subinde respirandi causa capere; sed vel fustibus vel stimulis (vt apud Romanos serui cùm ad crucem adigebantur) impellebatur, vel funibus raptabatur, vel pedibus calcibusq́; protrudebatur ad properandum & sequendũ comitatum. Ibat igitur mansuetus ille agnus sudore & sanguine madens, dehiscentibus præ labore & corporis contentione vulneribus: ibat tacitus & anhelus, mole crucis incuruus, & in terram depressus, in saxa & aspera offensans, & interdum sub pondere concidens, toto corpore grauiter colliso. Ibat inimicis cinctus, sicut ouis lupis; ipsis plaudentibus & insultantibus, crudelitate militari Dominum impellente, protrudente, raptante, & pugnis ac fustibus male mulctante. Denique tanta fuit hæc afflictio, vt cùm vlteriùs procedere non posset, alium ei substituere sint coacti, non misericordia affectu, non aliquo humanitatis sensu: sed ne viribus planè exhaustis, crucis supplicium sustinere non posset: nimirũ vt hac breui relaxatione ad productius & maius supplicium seruaretur, quo rabies illa immensa, quæ in ipsum ferebantur, posset exsatiari.

Quinto, in ipsa crucifixione. In hac quoque & summum probrum, & summum tormentum, vt merito censeri possit omnium suppliciorum maximum. Quod enim ad probrum attinet, nullum supplicium magis infame, aut magis abominandum: nam & apud Iudæos maledictus, id est, detestandus & execrabilis erat Deo omnis qui pendet in ligno: & apud Romanos nouissi infima sortis hominibus, id est, seruis, iisq́; extremè sceleratis irrogari solet. Vnde & supplicium seruile vocatum est. Tormento quoque & sensu doloris cetera superat: etsi enim pœna igni videatur acrior, crucis tamen longè est diuturnior; vt hâc ratione etiam multis ignibus æquari possit. Hinc veteres hoc supplicium peculiariter vocarunt summum & supplicium supremum (quasi maius illo reperiri nequeat) & ignis supplicio prætulerũt. Dominus igitur noster, qui omnium probra & culpas in se transtulerat, vt copiosum exhiberet Lytron, elegit supplicia & ad contumeliam probrosissima, & ad sensum doloris asperrima. Vestibus igitur in rupe Caluariæ publico suppliciorum loco, coram infinita hominum multitudine rursus exuitur, nudus cruci imponitur, coaptatur, extenditur, manus clauis validis vi malleorum transfiguntur, rumpuntur nerui, venæ, arteriæ & vna cum carne in foramina crucis adiguntur; fit magna sanguinis effusio, & brachiorum violenta ex neruorum punctione conuulsio. Hinc ventum ad pedes: trahuntur iniecto fune magna vi ad foramen paratum, fit corporis totius valida extensio; apparent costæ & ossa corporis diuulsa, dissiliũt secta cutis & carnis vulnera, rursus sanguinis copia effunditur; tandẽ malleorũ ictibus sacri pedũ tori clauis transuerberantur cruciq́; affiguntur abruptis vnà cum carne neruis, venis, & arterijs, quorum ibi præcipuus concursus. Denique in altum erigitur, & solo non sine ingenti concussione depangitur; sicq́; tres horas colluctans extremis illis tormentis viuus persistit. Quis æstimet doloris, quem Dominus hic sustinuit, immensitatem? nam præterquam quòd in manibus & pedibus maximè sensus, ob neruorum coitionem, vigeat; hæ non tam fuere incisæ, quàm vi disrupta & diuulsa & simul arctissimè compressa & affixa. Multo autem maior est dolor in diruptione & compressione, quàm in incisione. Deinde hic dolor, põdere corporis assiduè deorsum trahẽte, factus est sensim etiam auctior. Quo enim quis diutiùs pendet, etsi non perfossus clauisq́; affixus, sed solùm ex brachio ligatus, hoc maiores sentit dolores, adeò vt tandem fiant intolerabiles, vt ex tortura reorum constat: sic enim malefici torqueri solent, vt crimen vel socios fateantur. Quantus ergo dolor erit manibus pedibusq́; confixis, diruptis, affixis, & appressæ immiti ligno, præsertim in tam sano corpore, in tam nobili corporis temperamento, tantaq́; sensuum perfectione & vigore? Accedit vulnerum totius corporis cõcisi diuulsio, apertio, & renouatio: accedunt spinea corona ad crucem offensiones, quibus aculei impulsi latiores & profundiores fecere puncturas. Denique totius corporis instar cordæ in arcum valida extensio, ita vt omnia ossa, testimonio Prophetæ, dinumerari potuerint; quæ extensio vel sola ad summum tormentum sufficit, vt equulei testantur. Hos omnes dolores simul sustinuit, & quidem pro inimicis & ipsis qui illos irrogabant, non vt ab illis aliquid commodi perciperet, sed vt debitum eorum, quod illi soluere non poterant, dependeret; & chirographũ, quo morti & inferno obstringebantur, deleret, vt ab exitio æterno, cui tam pridẽ addicti erant, eximeret, & vitã, salutem ac gloriam sempiternam conciliaret. Quid ad tantam benignitatem, ad tam inauditam & ineffabilem misericordiam addi potest, per quam non solùm infinita mala à nobis depulsa, & infinita bona procurata, sed etiam tam miris tamq́; difficilibus modis, cum tantâ Diuinitatis exinanitione, & vt ita dixerim, incommodo; cum tantis laboribus, doloribus, ac diuinorum bonorum expensis; exhausto in id pretio immenso, vitâ nimirum & sanguine filij Dei; idque pro ingratis & inimicis?

SECVNDA PARS.

Vidimus dolorum externorum fontes: videamus nunc fontes etiam internorum.

Primus fons doloris interni est præuisio passionis.
2. Peccatorum omnium clara cognitio.
3. Scelus Iudæorum.
4. Ingratitudo hominum,

DOLORIS ergò interni, fons Primus præuisio passionis & omnium cruciatuum euidentissima & clarissima, eaque durans toto vitæ eius tempore. Dici quidem solet: *Iacula præuisa minùs feriunt*; sed hoc verum est solummodò de iaculis, quæ auerti aut vitari, si non omninò, saltèm ex parte possunt: non autem de illis, quæ nullà ratione impediri possunt, qualia sunt fulmina. Nam si quis inopinato feriatur fulmine, minorem ac longè breuiorem sentiet dolorem, quàm qui à multo tempore sciuit se fulminandum; hic enim sem- F. I. Fons præuisio passionis.

per maximo cum horrore & timore fulmen vndique expectat, quemadmodum de Æschylo Poëta refert Plinius *l. 10. cap. 3.* cùm satis intellexisset seruinâ opprimendum, sedulò cauisse ne quod tectum subintroiret, ideoque in aprico, ambulantem testudinis illapsu, quam aquila deiecerat, interiisse. Hinc est, quod Christus Dominus passionis & mortis suæ toties mentionem fecerit antequam pateretur, veluti apud Matth. *cap. 20. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et rursum: *Ecce ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur,* &c. Et *cap. 10. Qui non accipit crucem suam & sequitur me.* Et cap. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam.* Apud Lucam, cap. 12. *Baptismo habeo baptizari,* &c. Et cap. 14. *Qui non baiulat crucem suam,* &c. Abraham immolaturus filium suum, nequaquam ei aperuit, quid facturus illi esset, licèt filius interrogasset: *Pater, ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti?* respondit enim: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi*; ne videlicet eum horrore impleret, si rem aperiret. At non ita cum Christo actum, qui præscriuit omnia sibi euentura. *Nos quidem malorum huiusmodi impendentium,* inquit Lessius de perfect. diu. l. 12. cap. 17. *apprehensione interdum parum commouemur; quia rudi modo & tanquam adhuc procul posita illa concipimus: Verùm Dominus ab initio conceptionis non minùs efficaciter & viuaciter ea concipiebat, animoq; proposita habebat, quàm si præsentia oculis corporis intuitus fuisset; vnde non minùs illorum consideratione moueri & affligi poterat, quàm si mox ea sibi subeunda vidisset. Quantam autem prædictorum malorum consideratio vim in animo, & quando ipse voluit permittere, etiam in corpore Domini nostri habuerit, colligi potest ex iis, quæ in horto, dum patrem oraret, & calicem illum amarißimũ deprecaretur, perpessus est, vbi tantas ex hac apprehensione angustias, tantam natura luctam sustinuit, vt sanguineum sudorem copiosißimè effuderit. Cùm enim natura tantam suppliciorum acerbitatem, & tantum peccatorum nostrorum pondus sibi imponendum summè refugeret, & econtrariò charitas Christi & obedientia paterna eam efficacißimè ad illa acceptanda & perpetienda propelleret, factum est vt ex hac agonia & veluti colluctatione, natura impetus victus sanguineum sudorem emiserit. Sanguis enim introrsum refugiens, mox summo impetu extrorsum ad superficiem repulsus, simul cum sudore per poros corporis foras largiter est effusus; Ex quo patet & quantopere natura supplicia illa refugerit, & quanta vi spiritus naturam vicerit, eamq; ad illa amplectenda impulerit, & quantum in vtroq; natura illa innocentißima sit perpessa.*

Quando itaque Domini nostri tota vita crux fuit, & perpetua meditatio de salute nostrâ: Quomodo fieri potest, vt tanto sæpe tempore obliuiscamur passionis Christi & salutis nostræ?

C. II. Peccatorũ omnium clara cognitio.

SECVNDVS, Peccatorum totius mundi omnium & singulorum clara cognitio & repræsentatio, nec non de ijs vniuersalis contritio, ob honorem patris tam grauiter offensum. Hæc enim offensa patris magis eum afflixit quàm tormenta externa. Nam si filius aliquis occidisset patrem; & posteà à Magistratu comprehensus morti adiudicaretur: à fratre verò ingenti pecuniæ summâ liberaretur: certè non tam dolebit hic frater ob pecuniæ datæ iacturam, quàm ob patris necem: eius enim vitam multò cariùs emeret, si posset. Sic in proposito multò magis doluit Christus iniuriam diuinæ maiestati per peccatum irrogatam quàm tormenta sua. *Cernebat ille perspicuè* (ita discurrit Lessius de perfect. loco cit.) *& in particulari peccata omnia, & quanta singulis infinita illi bonitati & maiestati fieret iniuria, quanta contumelia, quantus contemptus. Cernebat etiam quantum malum sit æterna damnatio, quam totum genus nostrum sibi per peccatum accersiuerat. Hinc dolor excitabatur acerrimus. Magnitudo enim doloris seu tristitiæ sequitur magnitudinem mali & perfectionem cognitionis, quâ malum illud apprehenditur: atqui malum hic erat maximum, tum in ratione culpæ (erat enim pelagus quoddam peccatorum, & abyssus malitiæ contra diuinum Numen) tum in ratione pœnæ. Quæ enim maior calamitas & afflictio fingi potest, quàm sit æterna damnatio? Apprehensio etiam perfectißima. Multò enim exactius & clariùs singula considerabat & ponderabat; quàm vlla creatura posset. Itaque oportuit & ipsum dolorem maximum esse, vt qui magnitudini mali & perfectioni apprehensionis responderit. Vnde non dubitauerim affirmare, hunc dolorem sufficientißimum fuisse ad vitam Domino millies eripiendam, si vim suam in corpus exercere permissus fuisset. Quod enim magnitudo doloris animi seu mœstitia vitam intercipere & hominem occidere poßit, multis exemplis constat. Legimus enim quosdam vehementia contritionis subitò extinctos, & Heli dolore capta arca retrorsum cecidit & expirauit. Similiter & nurus eius dolore eiusdem cladis extincta est. Ita enim cor concluditur, refluente ad ipsum sanguine cum spiritu, vt impedita naturali diastole & systole, multa fuligine collecta suffocetur. Sicut econtrariò in maxima lætitia ita subinde dilatatur, vt spiritu effuso & dißipato vita simul euanescat. At dolor quo Dominus noster de peccatis nostris doluit, longè maior fuit & intensione & æstimatione, quam vllus dolor qui in hominem cadere poßit. Sed dispensatoriè factum est, ne vis eius in corpus se proferret, nisi quando & quantum Domino videretur. Habebat enim plenißimum omnium affectuum, appetitus inferioris, & commotionis spirituum & sanguinis dominium. Fuit hic dolor continuus ab initio conceptionis vsque ad finem vitæ, sicut & apprehensio peccatorum quamuis non semper æquè in appetitum inferiorẽ & corpus permissus sit redundare; sed interdum plus, interdum minùs, prout occasiones exteriores, & tempus & locus postulabant. Maximè autem et laxata habena in horto, quãdo sudorem sanguineum expreßit, & reliquo paßionis tempore, nimirum vt pars inferior non solùm extrinsecus flagellis, spinis, cruce; sed etiam intrinsecus tristitiâ spontaneâ affligeretur: sicq; cum externâ satisfactione per paßionem carnis, exhiberet simul internam per dolorem spiritûs.*

H. III. Scelus Iudæorum.

TERTIVS, Scelus Iudæorum, quo mediante passurus erat. Si enim alibi obstinatio & impœnitentia Ierosolymæ lachrymas illi

excus-

excussit; quid mirum si nunc grauissimum eorum peccatum sanguineum eis sudorem exprimat? Quis nescit scelera filiorum grauiùs longè affligere parentes, quàm aliorum? *Nausimeus Atheniensis vxor*, inquit Valerius Max. *l. 1. c. 8. cùm filij ac filiæ suæ stupro interueniisset, inopinati monstri perculsa conspectu & in præsens tempus ad indignandum & in posterum ad loquendum obmutuit.* Quid mirum ergo si Dominus populi sui electi horrendum Dei & parricidij scelus coràm intuens adeò perculsus & contristatus est, vt pro aqueo sudore sanguineum emitteret? Porrò præter illud scelus vidit etiam imminentem eis cladem, vrbis excidium & gehennam denique. Vidit iam quâ ratione à Romanis circumdandi, constringendi, capiendi, discindendi, crucifigendi, fame premendi essent: Vidit matres aliquas filiorum carnibus saturandas: alios solius conspectu panis præ gaudio exanimandos, &c. Quæ omnia vt olim lachrymas, ita nunc expresserunt ei sanguinem.

I. IV. Ingratitudo hominum. Quartus, Ingratitudo hominum, quorum innumeri passionis fructum non modò non accepturi, sed & pedibus proculcaturi erant. Et huc videtur mihi respexisse Dominus quando ex decem illis leprosis à se sanatis, non nisi vno reuertente cum gratitudine, cæteris autem ingratitudinis labe se grauiùs polluentibus, dixit: *Nonne decem mundati sunt & nouem vbi sunt?* Itane vix decima pars saluatur, tùm pro omnibus abundè satisfecerim? scimus ex parabola illa *Matth.* 22. Regem qui maximis impensis parauerat nuptias filio suo, cùm audisset inuitatos omnes negligere & aliò abire, iratum esse & perdidisse illos. Quid doloris ergò sensit Dominus cùm vidit tanto impendio, sui nimirum ipsius mactatione, parasse se conuiuium hominibus, id tamen à plerisque negligi & sperni? Ex his opinor videmus, quàm verè Dominus passionem suam, & baptismum appellârit & calicem, vt qui non minùs intus in animo quàm foris in corpore grauissima passus sit; quamque proinde meritò dicat in *Psal.* 87. (qui totus passionem eius describit) *In me transierunt iræ tuæ & terrores tui conturbauerunt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.* Vndique enim dolores, vndique angustiæ, & in ipsum transierunt & foris eum ambierunt, vti tam interna quàm externa nostra peccata puniret & dilueret. Hi namque fontes, hæ radices sunt vtrorumque cruciatuum, quos ne Seruatori nostro quodammodò renouemus, caueamus totis viribus offendere eumdem siue internis siue externis operibus, &c.

CONCIO III.

Caussæ Passionis Dominicæ.

1. *Diabolus instigãs Iudã ex odio & libidine tentandi, ad perdendum Christum.*	*sed hæ causæ instrumentariæ tantum.*
2. *Iudas proditor, ex auaritia.*	5. *Primaria causa fuit decretum Dei.*
3. *Iudæi ex inuidia & odio.*	6. *Filij Dei obedientia erga patrem eiusq; honoris zelus, &c.*
4. *Pilatus ex timore:*	7. *Peccatum.*

THEMA.

Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. 2. Reg. 12.

DIo *sub finem libri* 44. scribit M. Antonium cùm de cæde Caij Cæsaris præsente occisi corpore & ad spectandum proposito, ad populum peroràsset & ad vltimum ostensâ Caij veste sanguine madente dixisset: *Heu mihi canos tuos sanguine fœdatos, heu vestem tuam laniatam: quam, vt videtur in hoc solum acceperas, vt in eâ confodereris!* Adeò commouisse populum vniuersum primò commiseratione, ira deinde ac tandem furore, vt percussores Cæsaris quæsitum ad necem irent. Christiani Auditores, proponit hodie vobis Ecclesia mater vestra vestem seu imaginem Domini & Imperatoris vestri Christi, sanguine madentem & vulneribus concisam, simulque flebili voce canit: *Ecce lignũ crucis, in quo salus mundi pependit; Venite adoremus.* Hæc cũ cernitis & auditis dilectissimi per immane scilicet facinus tot vulneribus confossum esse Dominum & Regem imò DEVM vestrum, fierine potest vt non commoueamini, primò ad commiserandum Domino vestro, dulcissimo & innocentissimo: deinde ad indignandum tanti sceleris patratori? fierine potest, vt Deicidam istum ad necem non quæratis? ad supplicium non rapiatis? Quid quæso dixit Dauid, æquissimus ille Rex, cùm audijt pauperi viro ablatam à diuite vnicam ouiculam & mactatam? *Viuit Dominus*, ait, *quoniã filius mortis est vir, qui fecit hoc.* At quanto grauius est occidere vnicum Dei filium, quàm ouiculam vnam? Itaq; si amamus Christum communẽ nostrum Dominum, inquiramus necis eius machinatores, & de ijs condignam sumamus vltionem. Scribit P. Simon Saba. Soc. Iesu (*in noua relat. Hist. Indiæ Orient. in litt. annuis P. Pimẽtæ* 1598. *fol.* 115. Regulum quemdam gentilem, Obonem nomine, cùm audisset crucem, & eius indignâ morte mulctatum Dei filium, irâ accensum dixisse: *Ecquis tam immane facinus perpetrare ausus est? quæ gens, quæ natio? quibus in terris habitat? quo nomine vocatur?* & quasi illicò pœnam exacturus, quæsiuit, an esset adhuc in terris aliqua vena superstes, vel reliquiæ illius gentis, quæ Christum occiderat. Vnde placari debuit homo dicendo, Deum vltrò se morti obtulisse. Sed contra ille: *Esto*, inquit, *an verò illi Deum vera prædicantem occidere debuerunt?* Itaque nunc quæramus, quis hoc malum fecerit. In-

B. I. Prima causa Diabolus.

Inprimis negari non potest Diabolum instigasse Iudam & Iudæos ad perdendum Christum. Iudam quidem; siquidem *Ioan.* 13. dicitur misisse in cor Iudæ vt traderet Dominum; & *Luc.* 22. intrasse in Iudam. Iudæos verò, quia incredibile est. Iudæos tot supplicia & tormenta insuitata ex se potuisse inuenire adeoque in Christum insanire, nisi à Diabolo docti & stimulati fuissent. Quisquis verò consilium dat, quisquis instigat ad necem alterius, causa necis est. Sed cur id fecit Dæmon, non certè ob aliquam Christi culpam; siquidem Dominus ait. *Ioan.* 14. serm. in cœnaculo habito: *Venit princeps huius mundi* (nimirum per suos satellites, Iudam & Iudæos me comprehendere, &c. *Et in me non habet quidquam: sed* (en causam) *vt cognoscat mundus quia diligo patrem.* Non habet Diabolus imperium nisi in peccatores vt eos accuset, sub iugum mittat, affligat, &c. Christus autem peccatum non fecit nec facere potuit; quia Deus erat.

1. *Ex odio.* Cur ergò eius necem procurauit Dæmon? Respondetur id fecisse Primò ex odio, quo eum persequebatur, quod videret non solùm vinci à se & in peccatum præcipitari non posse, sed etiam alios innumeros homines per ipsum à peccati seruitute ab[illegible]. Quemadmodum enim olim Henricus Angliæ Rex dicebat, se cum vno tantùm Sacerdote (Thoma scilicet Episcopo Cantuariensi, qui impijs eius decretis & iniquis legibus constanter resistebat) pacem habere in regno suo non posse: (Quo verbo veluti face impij eius ministri, accensi sunt ad persequendum & necandum sanctum virum) ita omninò Diabolus quia in regno suo cum vno Christo pacem habere non poterat, quòd videret illum resistere impio suo dominatui, & plurimos à se abstrahere; inde accendit seruos suos ad Christum è medio tollendum.

2. *Ex libidine tentandi.* Secundò vt hoc pacto per extremam calamitatem & afflictionem Christum ad peccatum aliquod impatientiæ vel murmurationis, vel vanæ gloriæ aut superbiæ, &c. permoueret. Quemadmodùm enim egit cum S. Iob: ita ferè cum Christo. Videbat se in Iob operam ludere suis tentationibus: idcircò tentauit vltimum medium, tormenta videlicet. Vnde ait Deo: *Alioquin mitte manum tuam & tange os eius & carnem, & tunc videbis, quod in faciem tuam benedicat tibi*, Iob 2. Traditus ergo est Iob potestati dæmonis & ab eo percussus vlcere pessimo; illusus quoque ab vxore; *sed in omnibus his non peccauit Iob labijs suis.* Similiter cùm vidisset dæmon se nullis artibus inducere Christum ad peccatum potuisse: tentauit extrema, & noua tormentorum genera excogitauit ad torquendum illum: quodque acrius telum erat, sannis & miris acerrimisque ludibrijs interim vexauit, varijsque artibus inuitauit, vt vel miraculum aliquod ex vanâ gloriâ vel doloris impatientiâ aut vindictæ appetitu faceret, vel de cruce descenderet: vel saltem aliquod murmurationis, impatientiæ, aut maledictionis verbum contrà Deum aut Iudæos promeret. Sed frustrà laborauit. Tamen sic se obfirmauit Christus in humilitate, mansuetudine & patientiâ, vt videri posset omni sensu carere, nisi dolores suos contestatus esset illâ voce: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

C. II. Iudas proditor.

SECVNDA Causa Iudas fuit, quia Christum Iudæis tradidit. Tametsi enim credibile est non existimasse Iudam, occidendum esse Christum; (siquidem videns eum condemnatum, præ tristitiâ laqueo se suspendit) nihilominùs quia Christum hostibus suis, quos sciebat Iudas crudelissimos, eique infensissimos, tradidit, ad necem tradidisse censetur: quia qui dat causam, dat effectum. Hàc ratione qui se inebriat, peccat mortaliter & occidit animam suam, quia exponit se periculo rixæ, libidinis & multorum peccatorum, dum opprimit rationem. Sed quid mouit Iudam ad tradendum Magistrum? nihil certè in ipso reprehensione dignum viderat: Sed Magistrum & exemplar omnis perfectionis sciuerat; vnde ipsemet confessus est: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Quid ergò eum mouit? Furtum & auaritia: cùm enim fur esset & de loculis Christi suæ dispensationi creditis furari consueuisset, vidissetque in domo Simonis pretiosum vnguentum effundi à Magdalenâ super Christi caput, inde murmurabat, optans id vænumdari & in loculos suos pretium reponi, ex quo furari posset. Cùm ergò spe huius prædæ fraudatus esset, decreuit vendere Magistrum, quo pretium id recuperaret: iuxta communem PP. sententiam, quæ colligitur ex cap. 26. *Matth.* vbi murmuratio Iudæ immediatè præmittitur eius traditioni. Sed quis mortalium non videt, quàm hæc friuola & iniqua causa sit, tradendi iustum & optimum Magistrum? *Ex auaritia.*

D. III. Iudæi.

TERTIA, Sunt Judæi, Christum falsò accusantes, & importunis clamoribus præter ius & fas ad necem postulantes, adeoque Pilatum compellentes ad Christum condemnandum. Vnde Augustinus *super Psal.* 63. ait: *Non dicant Iudæi: Non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt Iudici Pilato, vt quasi ipsi à morte eius viderentur immunes*, Et post pauca: *Ille dixit in eum sententiam & iussit eum crucifigi. & quasi ipse occidit, & vos ô Iudæi occidistis. Vnde occidistis? gladio linguæ; acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis nisi quando clamastis: Crucifige, crucifige?* Multo tẽpore meritò suspicabantur visis eius miraculis, ipsum esse Christum; Vnde conscientiâ vrgente dicebant: *si tu es Christus, dic nobis palam.* Interrogârunt ergò eumdem demum in iudicio, & iteratò quidem. Asseruit Christus secundò: *Vos dicitis quia ego sum.* Sed quid ad hoc Judæi? *Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius* inquiunt. Verùm vtique dicebant; sed tantum abest vt dicenti crederent vt hanc ipsam confessionem in causam mortis traherent. Nimirùm Christus illis è medio tollendus erat, seu iure,

1. *Ex inuidia.* iure, seu iniuriâ. Quæ huius rei causa? Inuidia inprimis, quòd opere & verbo ostenderet se filium Dei: & hanc in titulo crucis scribi voluerunt. Hinc vti fratres Iosephi audientes eius somnia, quibus denuntiabatur futurus eorum dominus, inde causam odij & inuidiæ sumpserunt ad perdendum eum, dicentes: *Nunquid Rex noster eris, aut subijciemur ditioni tuæ? Gen.* 37. Ita fecerunt & Iudæi Christo.

2. *Ex odio.* Secunda odium; quòd in eorum vitia acriùs inuectus fuerit eaque ad oculum eis demonstrârit. Hinc clamant: *Tolle, tolle.* q. d. grauis est etiam nobis ad videndum. Odit enim pectinem, quisquis est scabioso capite. Sed verissimè ait Dominus: *Quia odio habuerunt me gratis.*

E. IV. *Pilatus.* QVARTA, Pilatus iniquissimo Iudicio contra propriam scientiam Christum condemnans. Etenim innocentiam Christi & vidit & testatus est non semel: condemnauit tamen, quia importunis Iudæorum clamoribus obruebatur, minitantibus ei indignationem Cæsaris, quòd videlicet aliquem, qui se Regem diceret, toleraret eò loci, vbi alius Rex præter Cæsarem non agnoscebatur. Sed præterquam quòd Pilatus ipse vidit, causam hanc friuolam & nullam esse, manifestè patebat; & Christus ipse præsidi respondebat, regnum eius de hoc mundo non esse, siquidem nullam pompam, nullum satellitium haberet aut habuisset vnquam. Pilatus igitur vano *Ex timore.* correptus timore cùm tanquam Iudex absque vllo respectu aut timore procedere secundùm ius deberet: ne perderet amicitiam Cæsaris, turpissimum commisit errorem, & incurrit inimicitiam Dei, iusque violauit, innocentem morte condemnans. *Sed in comparatione illorum* (Iudæorum) inquit Augustinus vbi suprà *multo ipse innocentior. Instituit enim quantum potuit, vt illum ex eorum manibus liberaret.* Quæ cùm ita sint, satis opinor, videmus, quanto iure odisse nos conueniat Deicidas istos.

Causæ hæ instrumentariæ, non principales. Sed verò causæ istæ, quas diximus, solùm instrumentales sunt & veluti mallæi ac claui ad configendum Christum: qui sanè, nisi ab aliquo principali agente & motore eleuati fuissent ad feriendum Christum, nihil omninò efficere contra illum potuissent. Quid enim potuisset Satanas, quem vno verbo abigere & ex corporibus humanis eiicere poterat ac consuerat? Quid Iudas, cuius proditionem auertere, quem mille modis perdere in momento potuisset? Quid Iudæi, è quorum manibus toties elapsus est & elabi adhuc facillimè, quosque non minùs omnes perdere & mittere in gehennam potuisset, quàm eosdem verbo prostrauit in Oliueto, vel flagello eiecit è templo? Quid Pilatus, qui non habuisset in eum potestatem vllam, nisi desuper ei data esset? imò nisi quam ipsemet ei dedit? Nullæ igitur seu terræ seu orci vires Christum tenere potuissent, nisi aliud quoddam maius vinculum & primaria causa fuisset. Et quæ tandem illa?

F. V. *Decretum Dei.* PRIMA, licet secundaria, Decretum & Iustitia Dei Patris. Ipse enim ait *Isa.* 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Sed quamobrem percussit Deus filium ob scelus alienum? Respondeo alterutrum decuisse fieri, aut vt filius mactaretur morte temporali, aut vt genus humanum mactaretur morte æterna: elegisse igitur Deum mortem filij sui. Sed quæres Primò quare non potiùs genus humanum quàm filium, cùm ipse innocens esset, illud verò nocens? vel cur debitum generi humano non liberè remisit? vel cur non aliquam modicam satisfactionem ab eo exegit? vel cur non alicui angelo aut homini gratiam capitis concessit, qui pro omnibus satisfaceret? Respondeo decere vt Deus mundi gubernator, attributa sua ita mundo ostendat & impertiat, vt vnum ab altero non offendatur. v. g. ita sit misericors, vt iustitiam non offendat & contrà. Sic enim decet principem neque nimis seuerum esse, ne dicatur Tyrannus: neque nimis conniuentem, ne dicatur stolidus & iniquus. Itaque non conueniebat. Primò vt Deus (tametsi *Eius ratio.* per absolutam suam potentiam id facere poterat) omninò gratis, remitteret hominibus 1. grauissimas & infinitas pondere & numero iniurias, hominemque reciperet in amicitiam suam absque vllâ compensatione factâ. Primò quia fuisset quidem hæc ingens misericordia, sed absque iustitiâ. In bono autem regimine ita exerceri misericordia debet, vt simul fiat iustitia & grauissima ac frequentissima scelera non remaneant impunita: alioquin & princeps facilè contemneretur & alij parùm cauti redderentur. Potest quidem Princeps reo capitis omninò condonare supplicium, ita vt nemini iniuriam faciat: sæpe tamen id non expedit neque conuenit vt omnibus aut pluribus id faciat, præsertim cùm non putantur rei inde meliores, sed peiores futuri. Non conueniebat igitur vt omnibus hominibus omninò gratis remitterentur infinitâ mole & numero peccata. Præsertim quia talis remissio vel insinuanda erat hominibus in vitâ, & tunc liberius peccassent, videntes quòd nihili constitisset Deum hæc remissio; vel in morte, & tunc homines semper perplexi vixissent, incerti num Deum iratum aut placatum sibi haberent & inde in plura mala ruissent. Deinde non decebat vt Iustitia Dei maneret semper læsâ & violata per peccatum.

Secundò, Durum etiam videbatur extremum alterum vt videlicet totum mundum 2. pro meritis castigaret, & perderet in gehennam sicut merebatur; sic enim non fuisset relictus locus misericordiæ, vt se exsereret & patefaceret super omnia Dei opera; siquidem *omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Non fecisset quidem vlli Deus iniuriam, si, quemadmodum angelos præuaricatores, omnes pro merito mulctasset æterno supplicio, quia sic voluimus, dum ex deprauatâ nostrâ volun-

tate in omnis generis vitia prolapsi sumus; quia tamen in ratione delicti differentia est inter homines & angelos, & illi magis veniâ digni quàm hi: quia etiam longè maior gloria resultat Deo ex misericordiâ, quàm ex iustitiâ; siquidem in damnatis perit memoria & laus Dei: qui verò ex misericordia Dei salui facti sunt, perpetuò laudant DEVM, & annuntiant alijs gloriam & bonitatem Dei: Vnde Psal. 6. ait Dauid: *Saluum me fac propter misericordiam tuam: quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Et *Psal. 29. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* hinc durum nimis videtur fuisse misericordiæ diuinæ, si Deus pro merito castigâsset humanum genus tartareo illo igne in omnem æternitatem. Sed cur innocens pro nocente, cùm non minùs Deo displiceat pati innocentem, quàm impunem esse sontem? Respondeo Deo innocentis pœnam non esse gratam, sed eius charitatem & misericordiam, cùm se pro reo ad satisfaciendum offert; veluti cùm inter homines pro debitore in carcerem detruso, promittit aliquis soluere illius debita. Damonis & Pythiæ amor mutuus, quo alter pro altero vadem se dederat in carcerem vsque ad certum diem, & pro reo (qui tamen ipso die redierat vadem liberaturus) mori iam paratus erat, ita placuit Dionysio Tyranno, vt vtrumque liberum dimiserit & in societatem suam receperit. Valer. Max. l. 4. cur non item placeat patri similis filij charitas, quâ hominum delicta suscipere in se vult?

3. Tertiò, Non conueniebat etiam vt loco omnium puniret aliquos, quemadmodum in castris sæpe fieri solet. Hoc enim non decuit, quia non est personarum acceptor Deus. In castris, si id fit, propterea fit, quia ibi Duces indigent militibus; quòd si ergò integras copias pro merito semper punirent, vnde illis milites forent? Alia ratio apud Deum, qui non indiget hominibus.

4. Quartò, Neque expediebat, vt aliqualem tantùm & modicam satisfactionem à singulis exeteret: licet enim hæc fuisset magna misericordia: non tamen competens Iustitia, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Potest homo committere peccatum infinitæ malitiæ, quia hæc desumitur à personâ offensâ: sed non opus infinitæ bonitatis, quia hæc desumitur à personâ operante. Adhæc non potuisset inde hominibus innotescere grauitas peccati: Vnde susque deque habuissent committere peccata, quæ facili expiarentur remedio.

5. Quintò, Poterat quidem Deus vni hominum gratiam capitis conferre vel etiam alicui angelo, qui pro hominibus omnibus satisfaceret; sed & hoc nihilo conuenientius erat quàm priora: quia purus homo non poterat ex rigore Iustitiæ satisfacere; angelus non debebat, quia alterius naturæ, quæ non peccârat: nec etiam poterat, quia virtus eius finita etiam & certis limitibus circumscripta est. Adhæc debebat vterque à Deo priùs mutuare gratiam: sine quâ nulla opera possunt esse Deo accepta. Vnde bene *Apoc. 5.* dicitur non esse inuentum neque in cœlo neque in terrâ neque subtus terram, qui aperiret librum præter agnum, qui occisus est. Denique quia maxima gloria & infinitum beneficium est, redemptio generis humani, non decebat Deum gloriam hanc alteri dare, quàm sibi. Cùm enim ipse dator sit omnis boni, voluit nos sibi omnia debere atque in omnibus gratias agere. Quare qui noster creator fuit, noster quoque redemptor vt esset decebat: iuxta id *Isai. 46. Ego feci, ego feram*; Et id Anselmi: *ne inter creatorem & redemptorem tuum diuideres amorem, idem Dominus creator & redemptor esse voluit.*

Quoniam igitur Deus omnia semper modo conuenientissimo agit, media autem prædicta satis conuenientia non erant: adinuenit Deus rationem, quâ duas illas sorores Misericordiam & Iustitiam perpetuas diuinorum operum comites, ita in hoc etiam opere coniungeret, vt onus satisfactionis & Iustitiæ filio suo imponeret, misericordiam autem seruo, generi videlicet humano conferret. Misericordiam ostendit, dum reos liberos abire fecit: iustitiam, dum eorumdem obsidem, filium suum acerrimè plexit. Misericordiam, dum acceptare voluit satisfactionem ab eo, qui non deliquerat: iustitiam verò dum sufficientem & abundantem accepit ab homine saltem, & tali, cui promiserat acceptationem: *Isa. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, &c. Et hoc denique est quod Dauid dixit: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculata sunt. Psal. 58.* Litigabant hæ virtutes inter se coram cœlesti Salomone, (vti in figurâ duæ illæ mulieres 3. *Reg. 3.*) quarum qualibet infantem, id est, hominem petebat. Iustitia allegabat vniuersale Dei decretum, quo omnes præuaricatores sunt puniendi: item decretum Dei: *quacumque hora comederis, morte morieris.* Misericordia contrà dicebat: Ad quid ergo me genuisti pater, citiùs morituram? nulla est enim tua misericordia si non aliquando miserearis. Iustitia dicebat misericordiæ: Quid tu præuaricatori potiùs, quàm sorori iudicas esse parcendum? Respondet misericordia: At tu neutri parcis: sed tantâ indignatione sæuis in præuaricatorem, vt inuoluas pariter & sororem. Igitur diuinus Salomon præcepit diuidi infantem & partem dari iustitiæ; partem misericordiæ. Sic ferè Bernardus *ferm. 1. de annuntiatione.* Sed quam ob causam onus satisfaciendi filio innocenti impositum? vel quis filium cogere potuit vt hoc onus in se susciperet? Dico ergò:

SECVNDA Causa est filij Dei obedientia erga patrem, zelus honoris diuini & amor erga hominem. Obedientia quidem, quia videns Patris, imò totius SS. Trinitatis consilium, decernens redemptionem generis G. VI. Filij Dei obedientia erga patrem.

ris humani eamque talem per quam misericordiæ simul & iustitiæ diuinæ fieret satis. proinde ab aliquâ diuinarum personarum faciendum: ilicò filius sese obtulit Patris imperium promptissimè facturus: vti præfiguratum videtur in Isaia cap. 6. Vbi cùm Propheta mysterium SS. Trinitatis vidisset, & vocem Domini audisset dicentem: *Quem mittam & quis ibit nobis?* Respondet Isaias: *Ecce ego mitte me.* Sic enim Dei filius vltro se obtulit ad exequendum patris decretum, imò suum etiam. Ita Psal. 39. in personâ Christi ait Dauid: *Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio.* q.d. Ex quo decreuisti, ô Pater, noluisse admittere sacrificia veteris legis pro expiatione peccatorum, tunc dixi: *Ecce ego venio*, vt per sacrificium corporis & sanguinis mei reconciliatio impleatur. Cæterùm Christus, in quantum Deus, in seipsum decreuit sententiam mortis; in quantum verò homo acceptauit, tanquam præceptum patris, ex obedientia. Voluit autem ex obedientia pati & mori. Primò, vt *sicut per inobedientiam*
1. *vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituerentur multi* ad Rom. 5. Secundò vt acceptiùs in
2. Deo offerret sacrificium: *melior* est enim *obedientia quàm victima* 1. Reg. 15. Denique vt
3. omnibus hominibus obedientiæ exemplum præberet. Sed heu quantò constitit illi hæc obedientia! Optimè id expressum est *Gen. 37.* in figurâ Iosephi, cui dicebat pater: *Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni mittam te ad eos.* Quo respondente; *Præsto sum*; ait ei: *Vade & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos & pecora & renuntia mihi quid agatur.* Sed quid actum? Eo viso colloquiebantur fratres: *Ecce somniator venit! venite occidamus eum*, &c. *Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita, miseruntq́, eum in cisternam veterem.* Mysticè secundum Ambrosium, Augustinum & alios: Missus est Christus ad eos, qui dorsum Christo ostenderunt; (nam Sichem, dorsum exponitur) illi verò exuerunt eum tunicâ, non illâ solùm inconsutili, sed etiam tunicâ carnis suæ, & miserunt eum in lacum, id est, mortem & sepulchrum. Præsciebat hoc totum Christus (Iosephi autem nesciebat quid in se molituri essent fratres) nihilominus imperio Patris, quo ad nos ablegatus erat, promptissimè obediuit.

Zelus honoris paterni. Deinde Zelus honoris Paterni: Vnde ipse Patri dixit: *Zelus domûs tuæ comedit me.* q.d. tanquam ignis vehemens corripuit & consumpsit me. *Ioan.* 2. Cùm enim infinito amore prosequeretur filius Dei patrem: quomodo tam grauiter læsam diuinam maiestatem æquis intueri oculis poterat?

Voluit igitur paternam illam iniuriam ex rigore iustitiæ compensare adeoque abolêre. Sed quâ ratione? Suaptè morte & sanguine. Sed cur non potiùs vltionem sumpsit de reis ad instar Eliæ, qui Zelo honoris diuini occidit 50. Prophetas? Respondetur Primò, licèt totum humanum genus extinxisset & in infernum detrusisset, non fecisset æqualem iniuriæ infinitæ compẽsationem. Deinde obstitit alter Zelus animarum lucrandarum. Quas perdere nolebat. Pugnabant in corde filij duo isti Zeli, honoris paterni tuendi, & salutis humanæ procurandæ; idcircò sicut mater videns filium stricto ense inuadi ab offenso patre medium se interponit, quia in eâ certat mariti & filij amor: ita & Dei filius, cùm patris sui honorem summè imprimis amaret, homines item seruare cuperet: vrgente vtrimque amore, medium se constituit inter iram patris & homines, dum & læsæ diuinæ maiestati per semetipsum facere satis & genus humanum seruare voluit. Vnde in cruce arbitror mori sublimem voluisse, vt intelligeremus ipsum inter cœlum & terram, Deum & hominem mediatorem esse, qui alas super nos extendens protegere nos à fulminibus Patris velit eaque in se suscipere. Quantum vrgeretur Christus hoc vtroq; Zelo, ostendit ipse in suscitatione Lazari *Ioan.* 11. vbi primò *infremuit spiritu & turbauit semetipsum*, ad ostendendum Zelum honoris diuini: deinde lachrymatus est, ad ostendendum amorem erga peccatores quorum typus erat Lazarus.

Amor denique & misericordia erga homines. Nisi enim hic fuisset, supplicium illis debitum in se non suscepisset, sed processum suum iustitiæ diuinæ in reos permisisset. Nihil autem in homine erat, quo mereretur tantum beneficium, vel inde filio Dei aliquid emolumenti posset accedere. Merus & gratuitus amor fuit; qui persuasit illi, vt pro debitoribus qui soluendo non erant, vadem se offerret. Vnde tamquam à fideiussore exegit Deus debitum. *Amor & misericordia erga homines.* Alterutrum sanè faciendum erat, vt Iustitiæ diuinæ satisfieret: aut vt peccatores æternâ morte plecterentur, aut vt DEI filius rigori iustitiæ satisfaceret. Quid faceret hic Dei filius? Peccatores infiniti erant: pœna illis decreta æterna & horrenda erat. Contrà si ipse pro iis pœnam subiret, homines per ipsum exaltandi & saluandi erant. Vicit igitur amor: & *vidit* Dei filius *requiem cœli quòd esset bona, & terram quòd esset optima, & supposuit humerum suum ad portandum* (crucem) *& factus est tributis seruiens Gen.* 49. Quæ res aliquatenus saltem adumbrari exemplo potest. Scribunt Historici gentiles Agrippinam Domitij Neronis matrem, dum ambitiosè nimis imperium illi astrueret, Chaldæos sciscitatam, an imperaturus esset filius; imperaturum audiuisse; verùm ita, vt matre interficeret. Tristi hoc responso nihilo flexa mulier: *Occidat me*, inquit, *modo imperator fiat.* At hunc ferè modum Dei filius tanto desiderio cupiebat eruere nos è potestate tenebrarum, atque à morte æternâ transferre in lucem & cœlestem beatitudinem vt tametsi nôrat aliter id fieri commodè non posse, nisi ipse innumeris se iniurijs, irrisionibus, verberibus & morti exponeret, hæc omnia perferre non dubitârit. Quis autem spiritus non deficit hic in tanta-

tantarum rerum consideratione: Deum velle vendi vt serui eius improbi redimantur? Deum velle ligari, vt serui liberi fiant? Deum velle percuti & mori, vt serui incolumes sint & viuant?

Sed nónne vita filij Dei dignior & præstantior erat, quàm salus totius generis humani? Ad quid ergò pretiosius pro viliore dedit? Respondeo Christum non tam attendisse ad mortem suam, quàm ad perpetuam hominum damnationem. Licèt ergò vita eius præstaret toti humano generi, sciebat tamen Dominus mortem suam & passionem breui duraturam: hominum verò damnationem fore æternam. Vnde passio eius *torrens* vocatur in SS. litteris, infernus autē *aqua intolerabiles* seu *sine fundo*; vt vertunt 70. *in Psal.* 123. Quod si Dauid mori optabat pro filio suo Absolone, morte temporali; quia nimirum satis patebat, filium mortuum esse non tantùm corporaliter sed & spiritualiter, adeoque in æternum, facilè intelligimus voluisse etiam Christum mortem subire temporaneam, ne æternùm nos moreremur.

H. VII. Peccatum. TERTIA, Eaque primaria & vltima causa, in quâ cæteræ omnes fundantur, sunt peccata nostra. Hæc enim nisi fuissent, neque Dei filius morti se obtulisset, neque Deus Pater mortem filio decreuisset, neque Iudas tradere, neque Iudæi ei nocere, neque Pilatus eum condemnare potuissent. Quis enim tantæ potentiæ fuit vnquam vt posset filium Dei altissimi supplicio & morti subijcere? Quid potuisset Iudas? Quid Iudæi? Quid Pilatus? Quid Rom. Imperator? An non sæpius ostendit Christus, quid posset, si moliri aliquid vellet contra homines? Quid Iustitia diuina, quid potestas tenebrarum, quę nihil in eo pœna aut morte dignum inuenerunt? Nullę spinę quantumuis acutæ, nulli claui quantumuis duri, nulla flagella quantumuis aculeata vulnerare aut penetrare potuissent carnem illam: nisi peccata nostra fuissent. Hæc illum vendiderunt, ligârunt, captiuârunt, conspuerunt, verberârunt, crucifixerunt. Necdum intelligis quâ ratione? Pone filium aliquem optimorum & honestissimorum parentum contumacem & rebellem eò malorum abire, vt furti reus à lictoribus deprehendatur & capiatur, breuî suspendendus. Quid agant optimi parentes? filiúmne suspendi patiantur & videant? At quàm hoc graue vulnus cordibus illorum infliget? Filium ergo redimant? sed pecunia ingens petitur, & tantæ non suppetunt opes, nisi omnibus venditis ad extremam redigi pauperiem velint. Quàm durum & hoc telum? Quis hic non lamentabundus dicet filio illi: *Heu te hominem perditum, in quantam calamitatem conieciſti parentes tuos!* Eligitur itaque paupertas & filius redimitur. Quis hanc calamitatem fecit? filiúsne an parentes? An non filij improbitas? Eadem prorsus ratio cum peccatis nostris. Ipsa enim sunt, quæ Dei filium ad extremam redegere pauperiem & calamitates illas omnes quas perpessus est: alioquî expectabat nos patibulum tartareum æternum.

Quandò igitur inuenimus reum tam immanis sceleris: Primò, Commisereamur Christo qui pro alieno debito tam indignè periit. Deinde cogitemus quantoperè indignari peccatis, imò nobis ipsis debeamus. Recolite memoria, quid dixerit olim Dauid, cùm audiit à Nathan, diuitem quemdem abstulisse pauperi ouiculam, quam habebat vnicam in sinu suo requiescētem; &c. quid enim dixit? *Viuit Dominus, quia filius mortis est, qui fecit rem hanc.* Sed postea à Nathan audiit: *Tu es ille vir,* &c. Quis, quęso, abstulit Deo patri vnicum eius filium, & quis occidit? Tu es ille vir. Quis est qui innocentem sanguinem fudit? Tu es ille vir. Quare si nunc omnis generis mala eruces & tribulationes in caput tuum veniant, digna factis recipis. Et mirum profectò est, si non omnes creaturæ pariter in te conſurgunt & iaculantur lapides (quemadmodum Dauidi exulanti fecit ille Semei) vnáque tibi occinunt: *Egredere, egredere vir sanguinum & vir Belial: Et ecce premit te mala tua: quoniam vir sanguinum es.* 2. *Reg.* 16. Verùm quia peccatum, vt vidimus, est, quod hanc noxam propriè dedit & peccatorem dementauit, irascamur ad extremum omnes & singuli peccatis, eaque detestemur cane peius & angue. Dicamus eis cum Patriarcha Iacob: O te *feram pessimam*, peccatum, quæ deuorâsti filium Dei! ô te *bestiam agri*, ô beluam immanem, quæ comedisti eum! Deuorent te *corui de torrentibus, comedant te filij Aquilæ. Pereat dies, in quâ ortum es, & nox in quâ conceptum es. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis: occupet eum caligo & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat,* &c.

CONCIO IV.

De circumstantijs passionis Dominicæ.

1. *Quis patiatur; Deus scilicet, innocens & iustus, summus benefactor.*
2. *Pro quibus: nempe pro vermiculis terræ, pro perditis & inimicis.*
3. *Quare patiatur? Resp. ob meram bonitatem, misericordiā & charitatem suam.*

THEMA.

O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte. Threnorum 1.

HORRENDVM & inauditum facinus hodie perpetrauit mundus, quando filium Dei extremo affecit supplicio, cuius spectaculi imaginem proponit nobis hodie Ecclesia, crucem scilicet. Videtur enim de hac cruce alloqui nos Christus: A

O vos

O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte. Videte, inquam, quis ego crucifixus, quare, quid passus, à quibus & quomodo. Nam inprimis spectaculum hoc non vulgare est, sed mirum & inusitatum. Deinde nobis omnibus cognitu necessarium est; siquidem sine ipsius cognitione consequi salutem impossibile. Propterea morituris crucifixi simulachrum datur in manus vt eâ veluti claue coelum sibi aperiant. Denique vtilissimum est, vt si vel solùm rectè intelligatur, sufficere, imò facere hominem sapiêtem posſit. Hinc enim sapientissimus ille Apostolus qui 1. Cor. 2. ait: *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi* IESVM CHRISTVM, *& hūc crucifixū*, sapientiam suam acquisiuit. Et in vita S. Margaretæ Regis Hungarorum filiæ scribit Surius 28. *Iunij*, quòd quartum ætatis annum agens & Crucifixi imaginem videns sciscitaretur ex sororibus quidnam esset illud? quibus respondentibus signum esse crucis, in quâ Deus Dei filius nostræ salutis causâ suum fudisset pretiosum sanguinem: hoc audito mox crucem amplexari & osculari cœperit, & coram illâ se prosternens, altâ voce dixerit: *Domine me tibi committo*: Et exinde vbicunque crucem vidisset, ante eam se prosterneret, eamque adoraret. Quoniam igitur tam mirabilis, tam necessaria & salutaris est Crucifixi contemplatio, propterea tot modis, tot vbique locis, totque anni temporibus, præsertim verò isto proponit nobis Ecclesia spectandum Crucifixi simulachrum. Velim igitur omnes vos Auditores, è domibus vestris exeatis, omnique alia cogitatione sepositâ hic velut ad Caluariæ montem per contemplationem ascendatis & ad Crucifixum intendatis oculis mentis potiùs quam corporis.

B. I. Quis patitur. 1. DEVS. PRIMÒ, Quis patitur? Primò Deus qui naturâ suâ ab omni passione est absolutissimus & liberrimus, quique fortiorem aut maiorem non habet à quo pati posset, nisi sponte se subiecisset. Quòd si Regem diceremus talia passum esse, an non satis superque id esset, vt meritò horrere & indignari deberemus? Sed nunc demus esse Regem tantùm. Libro secundò Regum c. 1. venit Amalecites quidam ad Dauidem afferens ei diadema Saulis, aitque se illum, quia morti vicinus esset & interfici omnino à se petijsset, occidisse, (tametsi id confinxerat: suopte enim gladio incumbens Saul perierat) quod audiens Dauid præ indignatione scidit vestimenta sua omnesque viri qui erant cum eo & ait: *Quare non timuisti mittere manum tuam vt occideres Christum Domini?* moxque iussit occidi illum. Quid dixisset vel fecisset Dauid, si audiuisset Dei filium, qui solus verè Christus Domini, imò ipse Dominus erat, à quopiam occidi? Saul hostis illi infensissimus erat & vt dicebatur, morti proximus: nihilominus eum interimere indignissimum putauit. Hinc iam ratiocinemur, quid sit occidere filium Dei. De filio Crœsi Regis muto scribunt Herodotus & Gellius, quòd cùm is vidisset militem quemdam contra patrem stringere gladium, repentè ex muto vocalis factus exclamarit: *O homo ne occidas Regem.* Tantum potuit horror tam indigni aspectus. Sed quia infinities grauius est perimere Dei filium, ideò maiori multò miraculo sceleris huius indignitatem muta simul Elemêta contestata sunt: sicut verissimè prædixit Iudæis Dominus post ingressum in Ierusalem super asinum *Luc.* 19. *quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Quid enim putatis sibi terra voluit, quando contremuit & monumenta reseraauit? quid velum templi, cùm vltrò scissum? quid petræ, quando scissæ? quid sol cùm suos retraxit radios: nisi quòd vnâ voce clamârunt quodammodo: O homo ne occidas Deum? Intellexit hanc vocem Centurio, cùm repentè mutatus exclamauit: *Verè filius Dei erat iste*; Intellexit omnis turba *qua aderat ad spectaculum istud, & videbat qua fiebant*, dum *percutientes pectora sua reuertebantur*, vt inquit Lucas cap. 23. Nimirum turba illa licet spectatrix tantùm, peccato sibi ducebat, etiam adesse tam indigno & horrendo sceleri, quo filius Dei occidebatur. Ob id enim optat etiam Patriarcha Iacob longè esse ab hoc Iudæorum facinore, cùm dixit *Gen.* 49. *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum nō veniat anima mea & in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum.* Vbi secundùm Ambrosium, Rupertum & alios, intelligit scribas & Pharisæos, qui de tribu Simeon; & Pontifices ac Sacerdotes, qui de tribu Leui prognati & primarij fuêre, qui consilium dederunt ad Christum interficiendum.

Secundò, Innocens & iustus, *qui peccatum nō fecit nec inuentus est dolus in ore eius*, ait Isaias *cap.* 53. Habuit certè innocentia semper hoc priuilegium, vt ab iniurijs vindicaretur, &, si humanum deesset auxilium, mirabiliter defenderetur. Hinc enim Eliphaz ille *Tob.* 4. ait: *Recordare obsecro te quis vnquam innocens perijt, aut quando recti deleti sunt?* 2. Innocens & iustus.

Atque vt Iudices interdum in condemnando innocente errârint, non defuerunt tamen alij, qui eorum innocentiam contestati sunt, & ab iniuriâ vindicârunt. An nescimus Susannæ cùm iniquè condemnata ad mortem traheretur succurrisse puerum Danielem, qui iudicium repeti iussit, & innocentem fœminam à morte tutatus est, reos verò perdidit? Sergium Papam de infamiâ stupri periclitantem infans in cunis ab iniuriâ vindicauit & innocentem pronunciauit. Taceo alia plurima. Quid igitur est, quòd solus hîc innocentissimus agnus nullum omninò habet, qui innocentiam eius tueatur?

Nimirum erratum est hîc & quidem turpissimè ab vniuerso mundo, dum innocentem pro reo habuit & properâ nimis animaduersione condemnauit. Quis non indignetur ob tale facinus? Habet hoc innocentia ex naturâ suâ, vt nihil aduersi metuat, sed securitatem & impunitatem sibi polliceatur etiamsi fractus illabatur orbis, quia cur metuat, non habet; idcircò parata est & in vincula

cula & in carceres ire cum innocente Petro, alligari cum Paulo. Hodie tamen, vt video, impunitatis priuilegium illi ademptum est, dum omnium innocentissimus perit. Maximum errorem contigisse Romæ scribit Maiolus 1. *Canic. coll.* 4. circa annum Domini 1571. Cùm duobus eiusdem nominis in eodem carcere existentibus vno quidem reo, altero verò innocente, sententia in reum à Iudicibus lata esset, lictores adeuntes carcerem ducturi hominem ad supplicium euocabant egredique iubebant. Tum innocens se vocari existimans, nihilque sibi metuens mox egressus tanquam Iudici se stiturus: reus interim velut malè sibi conscius & feralem periodum subodoratus, remansit in carcere. Mox igitur egresso innocenti lictores iniecerunt laqueum raptumque ad supplicium occiderunt. Nec apparuit error, donec de alterius iudicio ageretur. Sanè hoc ipsum Christo videtur accidisse. Tenebamur enim nos peccatores omnes in hoc mundi carcere detenti & propter scelera nostra alter post alterum ad necem & gehennæ supplicium educendi, vtpote in quos iam dudum à Deo mortis & quidem æternæ sententia lata fuerat. Sed ecce tibi innocentem vnicum, qui instar Iosephi illius innocens in hunc lacum missus erat ac proinde sibi nihil metuere poterat, audiens nos reos ad supplicium vocari, quia idem nobiscum nomen, eamdemque sortitus est naturam & filius hominis dictus, quasi ipse solus filius hominis ac proinde reus esset, ad vocem euocantis (sciens tamen & volens) egressus est in hortum Getsemani, ibidem lictoribus se vocantibus obuians; mox laqueis iniectis ad supplicium raptatus; nobis interim saluis remanentibus: nec apparuit hic error, nisi mortuo demum Christo. Tunc enim primùm exclamat Centurio: *Verè hic homo iustus erat.* Et turba spectatorum percutiebat pectora sua reuertens, *Luc.* 23. Quomodo igitur nos iam, cùm ertum esse in Christo agnoscimus & nobis fuisse debitum supplicium, quod ipsi irrogatum est, non dolemus? non indignamur? innocenti non compatimur.

3. *Summus benefactor.* Tertiò, Maximus omnium nostrum benefactor & pater patriæ, qui vt S. Petrus *Act.* 10. ait, *pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo.* Nimirum Solis instar. Primò

1\. semper quæsiuit quibus benefaceret: hinc enim rarò legitur sedisse vel stetisse, sed solis instar horizontem Iudææ semper percurrisse, nunc ab Ierusalem in Galilæam, nunc in Samariam, nunc ad fines Tyri & Sidonis. Nunc terras perambulabat, nunc maria transmittebat, nunc solitudines lustrabat, nunc oppida visebat: vbique benefaciendo & beneficentiæ suæ innumera vestigia relinquendo. Secundò: Vt Sol quacumque tendit, loca illa illuminat, calefacit, recreat: vestit arua floribus, arbores fructibus, fœcundat, viuificat: ita Christus mundo omnis generis beneficia impertiuit prædicando, sanando; mortuos viuificando, obsessos liberando, esurientes pascendo, peccatores absoluendo, recipiendo afflictos, mœstos consolando, &c. Tertiò. Vt Sol omnes illuminat & fouet: ita omnibus benefecit Christus; quicumque enim & quotcumque ei afferebantur vel appropinquabant, ab ipso releuabantur, adeò vt S. Brigitta in reuelationibus scribat neminem vnquam ab eo recessisse qui non magnâ cum consolatione discesserit. Denique hæc omnia pertranseundo, id est, gratis fecit; quia cùm nullibi sedem suam figeret, nec patriam suam hîc quæreret, nihil mercedis à quoquam petijt, sicut sol etiam quidquid efficit boni, gratis efficit. Maximas profectò affert nobis vtilitates cœleste illud iubar vt quodammodo communis quidam parens omnium viuentium appellari possit, ideoque S. Franciscus quoties solem oriri videbat, ad Dei laudem vehementer excitabatur, qui tam speciosum & salutare lumen hominibus quotidie impertiret. Quid enim esset hæc vita sine sole? sed nihil est nisi sol, si cum illo conferatur, qui ait: *Ego sum lux mundi.* Ille creatura, hic creator est: ille corporum, hic animarum lux est: ille muscis communis, hic hominibus tantùm est: ille temporalem, hic æternam affert lucem. Quod si igitur omnes creaturæ meritò lugerent, si Sol extingueretur: quanto magis nos Christiani, cùm audimus solem animarum Christum in cruce extinctum esse? Propterea igitur patiente Domino Sol obscuratus est vt intelligeremus tunc verum Iustitiæ solem occubuisse.

SECVNDÒ, pro quibus patitur? Primò pro terræ vermiculis, pro formicis & vilissimis creaturis. Dicit enim Dauid magnus alioquî Rex: *Substantia mea tamquã nihil ante te: verum tamen vniuersa vanitas omnis homo viuẽs.* q. d. etiã illi qui maiores me sunt & quos cęteri omnes mirantur, & quibus omnes inuidẽt, mera vanitas sunt. Si pro angelis pateretur, esset sanè cur aliquantò minùs miraremur, quia inter creaturas omnium sunt nobilissimæ: sicut si Rex aliquis pro aulâ & familiâ suâ discrimini vitæ se exponeret: sed quòd pro cocis, stabularijs aut mancipijs suis id faciat, admirationem maximam habet. Rursum si pro Regis vitâ seruandâ & sanitate recuperandâ occidendus esset aliquis illius famulus, cuius sanguine Rex sanari deberet: crudele videretur hoc pharmacum vel ipsi Regi, qui sanari vellet. Ita enim Constantino M. Imperatori cùm à Medicis suasum esset, balneum è sanguine infantum, si à leprâ curari vellet, idque coëmptione & occisione infantum aliquamdiu vsitatum: apparuit illi in somno S. Petrus, qui crudele hoc balneum dissuadens, pro eo baptismum suasit. Si igitur sæuum & crudele visum est hoc lauacrum cùm tamen ad conseruationem capitis, videlicet Imperatoris, membra reipublicæ vilissima adhiberentur, quid diceremus de illo, quo ad seruandum aliquod mancipium filius Regis occideretur? Iam verò non Regis, sed Dei filius pro vilissimorum mancipiorum suorum conseruatione ne videlicet perirent, de pretioso sanguine suo

(Right margin: C. II. Pro quibus. — 1. Pro vermiculis terræ.)

suo balneum nobis parauit: *Princeps Regum terræ*, inquit S. Ioannes Apoc. 1. *qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Quid enim sibi vult illa replicatio: *dilexit nos & lauit nos?* nimirum princeps Regum terræ nos vilia sua mancipia. In hoc balneo lauamur, baptizamur, confirmamur, confitemur, communicamus. Et fortè tunc de pretio illius nihil cogitamus eoque multi sacrilegè cum fictione & irrisione abutuntur.

2. *Pro perditis.* Secundò, pro perditis & impijs, qui Dauide testante *Psal.* 13. *Simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Quod si maior saltem pars hominum, frugi fuisset & innocens, minus mirum foret, eorum amore capi & pati filium Dei, sicut minus nos miramur, si principis alicuius filius adamet puellam de plebe natam, valde tamen formosam: quamuis etiam tunc parentes & propinqui reclament. Scribit Hieronymus Zieglerus de *viris illustribus Germaniæ.* Ernestum Bauariæ Ducem Ann. 1436. de concilio procerum suorum præcipitari in Danubium & suffocari iussisse puellam formosissimam, Agnetem Bernauerin Augustani Tonsoris filiam, eo quòd filius Albertus eam deperiret & ducere vxorem vellet. (Eius sepulchrum visitur Strubingæ in cœmiterio suburbano.) Quod si nefas & indignum hominibus videtur, si quis magnæ familiæ postnabitâ nobilitate sua iungat sibi ignobilem: quid dicemus de filio Dei, qui non attenta celsitudine suâ, ad ima se depressit & extrema passus est propter animas hominum sibi desponsandas, cum tamen illæ neque ingenitâ nobilitate neque morum pulchritudine quidquam valerent, sed potiùs viles, deformes, peccatorum maculis turpatæ atque adeò dæmonibus ipsis similes essent? In huius rei figuram murmurauit Maria & Aaron contra Moysen, quòd Æthiopissam duxisset, *Num.* 12. & sic intelligit D. Prosper. *de prædiction. p.* 2. *c.* 9. Matrimonium enim illud significabat coniunctionem Christi cum animâ peccatrice, vt vult sanctus Bernard. *serm.* 39. *in Cant.*

Quoniam igitur culpâ nostrâ tam inutiles facti sumus, quid fuit opus Domine, vt tantis impensis nos reformares? An non tu creator noster, figulus ille es, ad quem misisti Ieremiam Prophetam tuum *cap.* 18. qui cùm fecisset vas è luto quod statim dissipatum fuit, conuersus mox destruxit illud & fecit ex illo aliud vas sicut placuerat illi? Figulus tu noster es, & nos lutea vasa tua, qui mox à creatione, culpâ nostrâ dissipati & inutiles facti sumus. Numquid igitur sicut figulus ille non poteras nobis facere? numquid non ad parietem omnes allidere & in cloacam inferni deiicere? numquid non instar catulorum cæcorum & inutilium à natiuitate nostrâ mox submergere? vt quid tantis laboribus tam inutiles creaturas refingere voluisti?

3. *Pro inimicis.* Tertiò pro inimicis etiam & persecutoribus suis, qui partim eum oderant & ad mortem condemnabant ac crucifigebant: partim posteà primùm persecuturi erant vel merita eius conculcaturi. Hoc enim testantur verba illa: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Et hoc priora omnia superat, quod exemplo isto discere possumus. Dauid Rex cætera mansuetissimus moriturus tamen noluit vt impunes essent illi, qui in ipsius personam grauiter peccauerant, sed præcepit filio Salomoni, ne pateretur eos innoxios 3. *Reg.* 2. Poterat hoc optimo iure facere Christus iis, qui in ipsum met redemptorem & redemptionis principium peccauerant. Dicite enim: si qui multorum scelerum rei in carcere detenti & iam ad supplicium condemnati essent: filius verò principis eorum miseratus, pro illis apud patrem peroraret, eorum scelera excusaret & misericordiam eis postularet, interim verò reorum aliqui in Aduocatum illum suum insurgerent, colaphis, opprobriis & irrisionibus vexarent: quam quæso mentem futuram putatis tùm filio principis peroranti, tum patri etiam illius? Quomodo posset filius tam ingratis nebulonibus veniam postulare? vel pater impertire? sed fecit hoc tamen Dei filius, quod nemo hominum faceret. Dum enim ipse offert passionem suam & vt Apostolus ad *Hebr.* 5. ait, *supplicationes cum clamore valido & lachrymis:* denique seipsum hostiam Deo patri, pro nostrâ redemptione de æterno supplicio: interim Iudæi & gentiles, scribæ & Pharisæi, seniores & Sacerdotes, ipsi insultare pendenti in cruce: opprobriis, rilibus, sannis, etim appetere perrexerunt. Quis pro istis oret? Certè Ieremias *cap.* 18. in personâ quidem Christi loquens ad Deum: *Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis;* subdit mox ex indignatione & affectu proprio: *Tu autem Domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum & peccata eorum à facie tuâ non deleantur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.* Non tamen ita locutus est Christus: sed potiùs inter hæc omnia pro crucifixoribus etiam suis orauit & passionem suam obtulit. O ingratos igitur nos, si tantam Dei charitatem non agnoscimus!

D. III. *Quare patitur. Ob meram bonitatem suam.* TERTIÒ, Quare tanta patitur? Non propter sua, sed propter nostra peccata, vt suprà iam audiuimus, quæ ipse in se suscepit. Sed cur hæc in se suscepit? Primò ob meram bonitatem suam; quia enim naturâ bonus erat, ideoque summè optabat omnes bonos & beatos reddere, libenter & beneuolè passus est, nostra sibi imponi onera, omnia impingi scelera, sicut mancipio domestico omnia onera & crimina imponuntur: quasi nesciret Christus quid secum ageretur vti *Psal.* 34. ait: *Congregata sunt super me flagella & ignoraui.* Adhæc eadem ipsa peccata nostra passus est sibi imponi à patre suo. Isa. 53. *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Cuius figura erat Abraham quando immolaturus filium ligna holocausti de dorso asini transtulit in dorsum filij. Hinc in personâ filij

filij, ait Psalmista *Ps.68. Quæ nō rapui tunc exsoluebam, Deus tu scis insipientiam meam.* Nulla fuit in Christo insipientia, sed pati sibi impingi aliena crimina, mundus insipientiam existimat. Quis ergò non obstupescat ob tantam Dei filij in nos bonitatem? Ecce filius Dei nostri causâ factus est insipiens, & iumentum, quod aliena sibi onera patitur imponi: Vnde dicere nobis potest, quod Paulus ad Corinthios *epist.2.cap.12. Factus sum insipiens, vos me coëgistis.* Sed libenter patietur haberi talis, modò videat in nobis bonitatis suę fructum. Non grauatè accipiet Iudæis esse scandalum, Gentibus autem stultitia: modò faciamus, vt ne frustrà passus sit. At si nihilominùs ad infernum properemus, tunc primùm deplorabit & fatebitur suam insipientiam: sicut & mercenarius, si post labores plurimos merces ei negetur: vti per Isaiam *cap. 49.* queritur; *In vacuum laboraui, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi.*

2. *Ob misericordiam suam.* Secundò, Ob misericordiam suam; quia enim nouerat ex Consilio Sanctissimæ Trinitatis humanum genus ob peccata perpetuis ignibus adiudicatum esse, & optime penetrabat quid esset ignis inferni, quid priuatio beatitudinis, quid æternitas; idcircò commiseratione tactus, iram patris in se transtulit, ne in tam graue supplicium tam multi incideremus, & vt Caiphas dixit, *tota gens periret.* Huius rei figuram cernimus in Ionathâ filio Saulis *1.Reg.20.* qui cùm audisset domi latam esse à patre suo mortis sententiam in Dauidem, sibique impetratum vt illum adduceret ad occidendum, cœpit pro illo loqui & se interponere, dicendo: *Quare morietur?* Sed epropter iram patris, conceptam in Dauidem, in se transtulit. Mox enim arripuit Saul lanceam vt perceteret eum ac transfigeret. Non dissimili casu cognouit Dei filius iustissimam & seuerissimam Patris sui iram imminentem generi humano, imò latam ab eo sententiam æternæ damnationis. Quamobrem miseratus sortem nostram, defensionem nostri suscepit & causam nostram egit, imò vt Mediator noster sese interposuit; interim verò iram patris in se vertit & dira mortis lanceâ ab ipso est confixus. O inexplicabilem misericordiam! En quàm verè de illo dici potest, quod Moyses *Deut.32.* dixit: *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos & super eos volitans, expandit alas suas & assumpsit eum (Israëlem) atque portauit in humeris suis!* Aquila, vt notat ibi Lyranus, volens transferre pullos suos, portat eos in humeris & alis suis, quia non timet sibi desuper, sed de terra: vt si iaculo impetatur, ipsa configatur, pulli illæsi sint; (simili modo Angelus in columna nubis posuit se inter Ægyptios & Israëlem, figurans Christum qui positurus sese erat inter DEVM & homines) quia igitur CHRISTVS non vt aquila ab infrà, sed desuper tantùm timuit nobis. Patris videlicet sagittam, ideò in cruce super nos expandit brachia sua vt ipse quidem à cœlesti iaculo configeretur, nos verò incolumes euaderemus. Et huc pertinent illa verba: *Super eos volitans.*

3. *Ob immensam suam.* Tertiò, Ob immensam suam in nos charitatem; vidit enim in nobis aliquam sui similitudinem, & quòd eam posset viuis gratiæ & virtutum coloribus illustrare gratiosamque reddere; idcircò nostri amore captus emit nos tam carò; quod indicat Apostolus scribens ad Gal.2. *qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* O amor admirabilis, quomodo te explicabimus? Videtur mihi Christus fecisse, quod filius principis, qui videns equum refractarium, indomitum ac ferum à patre iussum perdi, equi amans rogat patrem vt ei parcat & sibi eum donet, curaturum se vt eum vtilem & domitum reddat. Sic Alexander Magnus à patre petiit Bucephalum iam perdi & abiici à patre iussum, quem ipse postea mansuetum & optimum fecit, vt scribit Quintus Curtius *l. 1.* ita vt qui priùs tangi se non patiebatur, postea sponte in genua subsidens Alexandrum sessorem reciperet, vt ib. *lib.6.* Tales equi nos eramus, rebelles & refractarij, ideoque abiici à Deo iussi. Sed filius amore nostri ductus, vitam nobis obtinuit propriaque industria nos elaborare voluit, sperans nos futuros bonos.

Quid ergò tibi Domine pro hoc beneficio rependemus? quid aliud à nobis petis, nisi vt instar Bucephali illius in genua cadamus per pœnitentiam & confessionem teque sessorem per gratiam recipiamus? reuertamur ergò à cruce percutientes pectora nostra: deploremus scelera nostra, & suscipiamus iugum Domini, &c.

SECVNDA PARS.

Continuatur materia conc. præcedentis ac quæritur	*Resp. à creaturis, propinquis ac sæuissimis hostibus suis.*
4. *Quid patiatur Christus tam in bonis omnibus, quàm sensibus ac corporis membris.*	6. *Quomodo patiatur? nempe patientissimè? sponte, & maximè cum amore.*
5. *A quibus patiatur?*	

THEMA.

O vos omnes, qui transitis per viam attendite quasi & videte.
Threnor. 1.

QVando miles aliquis strenuus de cruento prælio reuertitur multis vulneribus confossus, sanguine perfusus, hoste superato: nemo tunc non est, qui non vehementer gestiat contemplari illum & loquentem audire, quale fuerit prælium, quid in eo sustinuerit vel præstiterit, à quibus ita sauciatus, quomodo pugnârit. Dominus noster Christus hodie de grauissimo prælio venit, totus vulneratus & sanguine perfusus, Victor tamen gloriosus. Meritò igitur interrogamus, quid pertulerit, à quibus ita tractatus, quomodo pugnârit? A.

gaarit. Sic enim mirantur & interrogant angeli Isa. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?*

E. IV. Quid patitur. *Primo. In omnibus.* QVARTÒ, Quid patitur? Omnis generis iniurias. ET PRIMÒ, in omnibus bonis. In amicis, quia matrem cruci adstantem vidit non sine maximo sui dolore. In discipulis, quorum alius eum prodidit, & suspensus periit: alius negauit, alij dereliquerunt & dispersi sunt. In alijs notis & amicis, qui à longè stabant, nec in minimo ei patrocinabantur aut eum confiteri audebant. Secundò, in facultate, dum vestibus suis spoliatur: dum pro iis luditur ipso aspiciente. Tertiò, in existimatione, dum ligatur instar Rei, & toties per compita publicè raptatur, dum probris & calumnijs oneratur, dum in festo solenni, loco celeberrimo, morte turpissimâ medius inter latrones, quasi deterior illis, crucifigitur. Hinc enim factum vt prætereuntes etiam viatores ei maledicerent. Non enim dubitabant hominem è tam infami ligno pendulum esse patriæ hostem & malefactorem pessimum. Quartò, in animâ per tristitiam, dum tormenta sua præuidit, & plurimorum interim ingratitudinem, dum virulenta Iudæorum pectora intimè perspexit, dum cum morte conflictatus est & corpus socium, dilectum spiritui que obedientissimum deserere coactus. Quintò, in corpore, catenas, funes, alapas, sputa, flagella, spinas, pondus crucis, clauos.

1. *In amicis.* 2. *In facultatibus.* 3. *In fama.* 4. *In anima.*

5. *In corpore.* *Secundò. In omnibus sensibus.* Secundò, in omnibus sensibus. Oculi videbant inimicorum plausus, cachinnos, irrisiones, scurrilitates: Matris & aliorum amicorum lachrymas & singultus. Populi spectantis frequentiam; suam nuditatem, confusionem, crucē cruoris defluxū. Aures audierunt ingentes in Deum blasphemias, iniurias, falsa testimonia & figmenta malitiosa, ingratissimos & truculentissimos illos quasi leonum rugitus; *Tolle, tolle, Crucifige, crucifige: Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Item: *Si filius Dei est, descendat nunc de cruce.* Quomodo enim potuit non vehementer dolere, qui poterat descendere & illos perdere? continuit se tamen. Similiter vox illa Iudæ fictè salutantis: *Aue Rabbi*, grauiter eius aures vulnerare debuit. Nares passæ sunt fœtorem sputorum & cadauerum in monte Caluariæ. Gustatus maximâ siti vexatus, fellis & aceti acrimoniâ cruciatus, ita vt remedium sitis grauiorem afferret dolorem. Tactus verò per funium constrictiones, flagella, spinas, clauos affligebatur.

Tertiò, In omnibus membris. Tertiò, in omnibus corporis partibus & membris. Caput spinis redimitum & arundine percussum fuit, capilli & barba euulsa, facies cum ludibrio velata, genæ alapis deformatæ, brachia luxata ita vt ossa dinumerari possent: manus ligatæ funibus & clauis perforatæ, vti & pedes, dorsum cruce onustum, corpus totum flagellis concisum à planta pedis vsque ad verticem.

QVINTÒ, A quibus patitur. Primò à creaturis & seruis suis, qui tenti, quanti sunt omnibus modis ei obligati sunt. Hi enim serui illi sunt, quibus vineam suam locauit cœlestis paterfamilias. *Matth.* 21. qui postquam multos eiecissent Prophetas & occidissent, nouissimè etiam filium patrisfamilias eiecerunt & occiderunt, dicentes: *hic est hæres; venite occidamus eum & habebimus hæreditatem eius.* Quam parabolam cùm enarrasset principibus & senioribus Dominus, quærebat ex eis: *Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis.* Quibus verbis facinoris enormitatem testati sunt & ore suo se condemnârūt. Quid enim indignius & acerbius quàm subiici suis subditis, & mancipium fieri mancipij sui? Experire, si vis in canibus, verum in dominos suos stimulari se patiantur? Tametsi enim canem deprocul, in dominum currere facias, mox tamen, vbi ad dominum suum peruenerit eumque agnouerit, villum demittit & blanditur ei. *Cognouit bos possessorem suum*, ait Isaias *cap.* 1. *& asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Quid dico? Elementa sensu carentia creatorem agnouerunt & vim sibi inferri testata sunt, quod ad creatoris sui perniciem & exitium perfidis Iudæis seruire debuerint. Cùm enim lapideâ columnâ abuterentur ad communis sui creatoris flagellationem: terrâ ad crucis infixionem: solis lumine ad crucifixionem; idcircò petræ scissæ sunt, terra mota, sol obscuratus. Sed quomodo vos creaturæ tam diu conniuere, tamdiu contra vestrum creatorem seruire potuistis? Quomodo vos flagella sulcare eius dorsum? quomodo vos spinæ terebrare eius caput? quomodo vos claui penetrare eius manus? quomodo tu Crux premere eius humeros & tam rigidè extendere eius brachia potuisti? *Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera & rigor lentescat ille quem dedit natiuitas, vt superni membra Regis miti tendas stipite.* Sed pergamus.

F. V. A quibus patitur. 1. *A creaturis suis.*

Secundò, A propinquis suis, quibus præ omnibus nationibus plurimum benefecerat & à quibus meritò omnem beneuolentiam expectare poterat. Erat enim gens Iudæa semper populus eius electus & peculium, quem tot prodigiis exaltauerat, contra hostes defenderat, in regnā eorum induxerat, lacte & melle fluentia. Voluit præterea de eorum stirpe nasci adeoque frater illorum fieri. Denique quamdiu cum illis vixit, innumera eis beneficia contulit, vt suprà audiuimus. Quin etiam propter hæc omnia videbantur ipsi amici esse Iudæi. Modò enim rapere eum & Regem facere volebant: modò prophetam magnum dicebant & alijs honorificis extollebant titulis: modò ad se inuitabant & audire gestiebant: modò etiam eius aspectu recreari gaudebant, si tristitiâ aliquâ afficerentur, vt scribit S. Brigitta in *reuelat.* Nuperrimè etiam ante quinque dies eum Regem salutabat & velut triumphantem maximâ cum pompâ

2. *A propinquis suis.*

pompâ in Ierusalem introducebant. Quis non existimaret Christo esse amicissimos & pro ipso pugnare imò mori paratissimos ? Sed heu, res longè aliter habuit. Hostes enim inuenit, non fratres. Prôh indignum facinus! Quis enim nesciat ab amicis sperari amica omnia & nihil minùs quàm hostilia ? Euenit Christo Domino, quemadmodum & Ioseph, qui Christi typus erat. Mittebatur ille à patre ad fratres suos pascentes pecora vt videret si cuncta prospera essent erga fratres suos & pecóra : dumque in agro erraret obvio cuidam se interroganti, quid quæreret, respondit: *fratres meos quæro : indica mihi vbi pascant greges. Gen.* 37. Nihil enim aduersi metuerat à fratribus. Sed ô Ioseph, hostes reperies, quos tu fratres existimas : à fratribus capieris & væmundaberis. Cùm enim adhuc procul viderent eum ad se venientem fratres, dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum & mittamus in cisternam veterem.* Si hoc vaticinatus esset Iosepho obuius ille vir, quid dixisset, quæso Ioseph ? Itâne fieri potest, dixisset, vt hoc faciant mihi fratres mei ? Absit : *fratres meos quæro*, fratres vtique inuenturus, non hostes. Et quidnî etiam Christus fratres & amicissimos quærebat, cùm à cœlesti Patre mitteretur ad Iudæos ; siquidem ipsi præ omnibus nationibus à Deo dilecti & exaltati erant ? Sic enim Chananeæ gentili respondet Dominus *Matth.* 15. *non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Sed pro ouibus inuenit lupos & leones. *Facta est mihi hæreditas mea quasi Leo in sylua,* inquit per Ieremiam *c.* 12. *dedit contra me vocem.* Ierusalem, Ierusalem ; quæ occidis Prophetam & lapidas eum qui ad te missus est: quoties ille voluit congregare pullos tuos sub alas & noluisti! Expandit alas suas, quando morbos tuos curauit: expandit alas, quando docuit : expandit quando peccatores recepit: expandit nunc in cruce, cum te ad gratiam inuitat & patri suo reconciliat, & noluisti; & prætereà ei insultasti. *Ingrata patria, non habebis ossa mea,* dicebat Scipio Africanus Romæ post tot victorias sibi ingratæ, prohibens vxori, ne ibi sepeliretur.

3. *A sæuissimis hostibus.* Tertiò, A sæuissimis hostibus; quod facilè demonstratur ex multis : ex eo, quòd tam abruptim præcipitârunt eius condemnationem, vix 12. horas à comprehensione expectantes: ex eo quòd non conuictum, sed tacentem tantùm condemnârunt sine debito iuris processu : ex eo quòd falsos testes, licet reiectos, nullâ affecerunt pœnâ: ex eo quòd populum instigarunt vt peterent Barabbam, IESVM verò perderent : ex eo quòd Pilato volenti eum dimittere, obstiterunt : ex eo, quòd sine commiseratione, cum ludibrijs & opprobrijs lentam ei mortem intulerunt. Nulla esse videtur gens tam crudelis & barbara, quæ non trium saltem dierum tempus Reo concedat ad sui defensionem : quæ non aliquem iuris processum, rationi & naturæ debitum adhibeat; non puniat falsos testes, non aliquâ commiseratione in Reum animaduertat. Iudices inuiti sententiam capitis pronuntiant, populus cum commiseratione & sæpe cum lachrymis audit, carnifices ipsi solantur & animant; tantùm abest vt calumnientur: Accusatores denique ipsi vitam miseris optant. Sed nihil horum expertus est Christus : contraria omnia, & non tam homines, quàm immanes inuenit beluas, quemadmodum vaticinatus est de se per Dauidem Christus *Psal.* 21. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum sicut Leo rapiens & rugiens.* Et paulò post: *Circumdederunt me canes multi.* Vituli erant perfidi Iudæi, cùm falsis clamoribus eum in multis accusabant : tauri cùm cornibus crucis eum impetebant & clamabant, *Crucifige* : Leones cum morsibus flagrorum, spinarum & clauorum impetebant: canes cùm pendentem in Cruce blasphemijs & contumelijs allatrabant. O furiæ infernales! Horremus illorum sæuitiam, qui leonibus & pardis homines obiecerunt. Sed satius fuisset Christo & mitius supplicium obiici leonibus, quàm in prædam dari tam ferocibus Iudæis, quia hos odium instigabat : illos natura instigat.

G. VI. *Quomodo patitur.* 1. *Patientissimè.* SEXTÒ, Quomodo patitur? Primò, Patientissimè, calumniantibus enim & vexantibus se non est oblocutus, non respondit verbum, ita vt miraretur Præses vehementer. Miraculum videtur, in causâ criminali & capitali, causam suam non agere, contra tot tantasque iniurias : non reclamare, non prouocare. Vaticinatus est de Christo Esaias *cap.* 53. dicens: *Sicut agnus coram tondente se obmutescet.* Sed nimis parum dixit Esaias, quia lana tantùm adimitur ouiculæ in tonsurâ : cui si simul pellis abstraheretur & caro scinderetur : iam certè audiremus balantem ouiculam. Atqui Christus non modò obmutuit, cùm ei vestes detraherentur, & aleæ subijcerentur : Sed etiam cùm honor, fama, caro, sanguis, vita adempta est. Tanta enim in tantis & tam diuturnis pœnis erat eius patientia, vt ne verbo, gemitu aut singultu quidem questus sit, quasi non homo, sed incus aut lapis esse videretur. Propterea non defuere hæretici, qui dixerunt Christum in phantastico solùm corpore passum esse, adeoque sine sensu. Sed non ita passus est Christus, non fuit incus aut lapis, vt testatur illa vox : *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me ?* Quæ tamen nullam indicat querimoniam aut impatientiam; sed protestationem veræ & acerbissimæ passionis, q.d. O Pater fierine potest vt vnigenitum filium in hanc doloris abyssum venire permiseris ? Celeberrima est in hoc genere virtutis patientia S. Iob, quam vt vinceret diabolus, plurima tentauit, & primò quidem bonis temporalibus eum exuit, deinde propriâ pelle & corporis sanitate, percutiendo eum vlcere pessimo à plantâ vsque ad verticem ; nihil tamen profecit: Iob immotus fuit. Sed pace tuâ Iob : nulla aut exigua est patientia tua cum Christi virtute comparata. Nam inprimis tu facere debuisti ex necessitate virtutem, quia non

non poteras afflictiones tuas impedire: Christus potuisset & quidem vnico verbo, modò voluisset. Deinde si in te armatus est dæmon vnus, in Christum omnes armati sunt, quia metuebant sibi ab illo, ne fortè Messias esset ac proinde regnum eorum dissiparet: ideoque omnia tentârunt vt vel vnum impatientiæ signum aut verbulum, vnum defensionis miraculum ab eo elicerent. Vnde tertiò multo acriores machinas, tormenta & inuentiones adhibuerunt, falsa obijciendo crimina, noua excogitando tormenta, sententiam mortis acerbissimam in eum pronuntiando. Et quàm grauis fuit illa, putatis, tentatio: *si filius Dei est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei?* (Inde enim colligitur tantam fuisse eius patientiam, vt Iudæi ex eâ scandalum arriperent.) Enimverò & filius Dei erat & descendere poterat, nihil tamen motus est: *in vanum quæsierunt animam eius.*

2. Sponte. Secundò, Sponte & vltrò se offerendo. *Oblatus est, quia ipse voluit,* ait Esaias *cap.* 53. Et *c.* 50. *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Quibus verbis indicat se iniurias istas sponte amplexum esse. Quemadmodum enim seruo vltrò volenti seruire hero suo, Dominus ad ostium domûs suæ perforabat aurem: (*Num.* 21.) Ita Christus volens libens passus est à Patre cruce se affigi. Et quis verò eum cogere potuisset? quis filium Dei altissimi tantis tormentis subiicere, si ipse noluisset? An Iudices, Pilatus & Cæsar? Sed poterat Dominus annuere tantùm angelis: & adfuissent illi plus quàm duodecim legiones. An cohors militum & ministri Iudæorum? At illi audito vnico eius verbo, *Ego sum, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.* An diabolus? at illos Christus verbo eijciebat. An iustitia DEI? At Christus *innocens erat, sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis & purior angelis.* Quid igitur DEI filium comprehendit, ligauit, flagellauit, coronauit, crucifixit, occidit? peccata nostra, quæ ipse in se suscepit vltrò & sponte. *Spiritus oris nostri Christus Dominus,* inquit Ieremias *Thren.* 4. *captus est in peccatis nostris:* Nisi potuissent funes ligare membra Christi, nisi strinxisset illos auaritia nostra. Non potuissent flagella quamuis plurima carnem eius atterere, nisi blasphemiæ nostræ acuissent illa. Non potuissent spinæ, licet acutissimæ perforare caput illud tremendum, nisi superbia nostra vires eis addidisset. Non potuissent claui manus tam beneficas penetrare, nisi ira & odia nostra mallens fuissent. Non demum ausa fuisset ipsa mors accedere ad vitæ autorem perimendum, nisi peccata nostra audaciam illi præstitissent. Peccata nostra si non fuissent, passio Domini non fuisset. Cæterùm quia Christus ea voluntariè in se suscepit & sponte, non adscribit illis passionem suam, sed benevolentiæ suæ, vti *Ioan.* 14. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam.* Propterea ergò comprehensoribus suis obuiauit: propterea coram Pilato pro defensione suâ nihil dixit, miraculum nullum patrauit: à sententia & Iudicibus non appellauit. &c.

3. Maximo cum amore. Tertiò, Maximo cum amore & affectu. Nemo nescit valde augeri beneficium, quod cum amore datur: Vt si pauperi des parum & dicas: parum habeo & parum do: sed accipe hoc parum, qui si plus haberem, cum gaudio plus darem. Vel si dicas quod S. Petrus dixit claudo illi ad speciosam portam templi Ierosolymitani: *argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* O quàm placet talis eleemosyna! Econtra verò displicet, si toruo aspectu & duris verbis obiurges accipientem: Quâ igitur charitate, quo animo putatis Christum tam acerba pro nobis passum esse? Non potest hoc explicari, & vix quidem cogitari: dicam tamen aliqua: Primò tantâ cum charitate vt omnia quæ potuit, fecerit & tolerârit & ad plura paratus fuerit, si plura potuisset. 1. Propterea enim Crucem, licet importabilem sibi, & quæ paulò pôst ab alio gestari debuit, in humeros suscepit, vt nobis testaretur se fecisse, quidquid potuit, & paratum fuisse etiam ferre plus quàm vires possent. Propterea post mortem lanceâ vulneratus, cum sanguine aquam fudit, vt ostenderet se totum sanguinem fudisse & plus fundere paratum fuisse: sed quoniam plus non habebat pro sanguine aquam dedisse. Itaque per hoc dicere nobis voluit: Filij charissimi, plus virium non est mihi ad portandam porrò crucem: non superest de sanguine vel vna mihi gutta: quod autem potui, feci: quod habui, vobis dedi. Vnde si quinque millia flagellorum sustinuit, non deerat illi amor ad alia quinque millia ferenda? si 70. spinis in capite vulneratus, paratus adhuc erat pluribus vulnerari, si plures locum habuissent: si tres horas pependit in cruce incredibili cum dolore, non recusasset pendere 33. maiori adhuc dolore: si in vnâ maxillâ alapam accepit, non dubitasset etiam alteram porrigere. Secundò tantâ cum charitate vt id 2. quod tolerabat, libentissimè toleraret & passionem suam maiori alacritate offerret, quàm nos acceptare possemus. Propterea passionem suam vocat calicem, & tormenta sua potum. Audi Dauidem: *De torrente in via bibet* quasi sitibundus viator. *Psal.* 109. Et Ieremiam *Thren.* 3. *Saturabitur opprobrijs,* licet hęc difficillimæ essent digestionis & mortem allaturæ. Propterea Dominus desiderio desiderauit Passionem suam & coarctabatur donec perficeretur. *Luc.* 12. Idcircò eam præuenit in horto sanguineum sudorem fundens antequam tortorem cerneret, quasi moræ impatiens. Tertiò tanta cum charitate vt etiam pro vno 3. tantùm peccatore mori paratus fuisset. Propterea enim Apostolus dixit ad *Gal.* 2. *dilexit me & tradidit semetipsum pro me,* ita nimirum pro me solo, ac si pro omnibus. Propterea Dominus *Luc.* 15. relictis 99. ouibus in deserto, id est, iustis, requirit vnam ouem perditam, id est, vnicum peccatorem, vt exponit Theophyl. Salmeron, Barrad. &c. siquidem sequitur:

gaudium erit in cœlo super vno peccatore, quàm super 99. Iustis. Ergò ouis perdita significat vnicum peccatorem, non totum humanum genus: & oues 99. iustos non angelos. Itaque si tanto eum amore tantum donum nobis offert, quid nos iam faciamus? Num difficiliores erimus ad accipiendum, quàm ille est ad dandum? Num adeò amantem non redamabimus? Quid retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? Pete à nobis Domine, quia quidquid petieris, tibi debemus & dabimus. Et quid putatis quæso Dominum petiturum, nisi salutem nostram? Hanc enim ipse petijt, cùm in cruce exclamauit: *Sitio.* Quid verò tunc sitiebat? num aquam fontis, putatis? immediatè post acceptum acetum dixit: *consummatum est; & inclinato capite emisit spiritum.* Sitiebat igitur nostram salutem. *Quod Christus Samaritanæ dixerat*, inquit Iustinianus l. de agone c.19. *da mihi bibere: hoc in cruce omnibus dixit: sitio.* Itáne igitur, Domine, superabundat charitas tua vt qui pro nobis laborasti vsque ad mortem, mortem autem crucis, non aliam mercedem petas, nisi vt tibi animas nostras pro potu afferamus: Hoc sanè est indicium veræ charitatis. Da ergò nobis quod petis, vt animas scilicet nostras tibi per pœnitentiam & vitæ puritatem sapidas reddamus.

CONCIO. V.

Quomodo per S. Domini passionē reformatus sit hominis intellectus & primò circa cognitionem Dei.

Per sacram Domini passionem cernimus.	*magnam.*
1. Dei bonitatem.	*4. Iustitiam eius seuerissimam.*
2. Dei erga nos charitatem nimiam.	*5. 6. Potentiam & sapientiam.*
3. Dei misericordiam	

THEMA.

Verè Dominus est in loco isto & ego nesciebam. Gen. 28.

A. GEN. 28. legimus Iacob euntem in Mesopotamiam, cùm in viâ composuisset se ad somnum, vidisse scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum: angelos quoque Dei ascendentes & descendentes super eam, & dominū innixum scalæ. Quid significet ista scala, exponit S. Augustinus *serm. 79. de tempore* cùm ait: *Scala vsque ad cælos attingens, crucis figuram habuit: Dominus innixus scala, Christus crucifixus ostenditur. Angeli ascendentes & descendentes per eam Apostoli & Apostolici viri & omnes Doctores Ecclesiarum intelliguntur. Ascendentes, quando perfectis perfecta prædicant: Descendentes, quando paruulis & imperitis simplicia quæ intelligere possint, insinuant.* Ita August. Porrò gradus huius scalæ sunt diuinæ perfectiones in passione elucentes, in quarum contemplatione ascendere possumus ad ipsius Dei cognitionem. Quòd si igitur hodiernâ die ad somnum, hoc est, ad quietem contemplationis nos componere & oculos nostros attollere velimus: videbimus scalam illam Crucis hoc sacro die erectam, & Christum innixum super eam: scalam, inquam, in quâ per certos gradus ascendere ad cognitionem Dei poterimus: & tunc cum Iacob exclamabimus: *Verè Dominus est in loco isto & ego nesciebā.* Quoniam igitur ista nobis proposita est, per eam ascendemus & descendemus gressibus contemplationis.

PRIMÒ, Cernimus per sacram Domini passionem Dei bonitatem, quando vt bona sua cælestia nobis communicaret seu vt ait Apostolus ad *Eph. 2. ostenderet in sæculis superuenientibus abūdantes gratiæ diuitias suæ in bonitate super nos in* CHRISTO IESV, tāta pro nobis fecit & pertulit. Communicauerat quidē homini in eius creatione maxima bona sua, nōn terrenam solùm felicitatem, nec naturalem tantùm sui imaginem, sed prætereà ius etiam ad cælestem hæreditatem, & imaginem sui supernaturalem, gratiâ & virtutibus ornatam, atque ita constituerat hominem terræ Imperatorem & insuper cœli hæredem. Sed citò dissipauit homo substantiam illam totam per rebellionem in ipsummet Deum & perdidit quidquid ex Dei domo habuerat, seipsum verò dæmonis seruituti addixit: vnde præmerebatur à Deo destitui & numquam deinceps in pristinam restitui dignitatem. Sed vide Dei bonitatem. Videns enim quia decenter nobis recuperari bona deperdita non possent, nisi ipse de cœlo descenderet & in carne nostra pro nobis contra principes tenebrarum, imò contra ipsammet Dei iustitiam depugnaret adeoque in prælio occumberet; certamen id ingressus est, & totum id quod perdideramus, imò adhuc ampliora bona, per mortem suam nobis recuperauit & restituit. Ponamus regem quempiam adoptasse puerum aliquem mendicum & adultum donasse insigni Ducatu; Ducem verò illum gratiâ regis factum contra regem suum conspirasse cum hostibus & ab ijs circumuentum regno suo eiectum & priuatum esse; si tunc Rex acerrimè licet offensus, vt Ducatum, quem rebelli suo adoptiuo donauerat; eidem recuperaret & conseruaret, equum conscenderet & exercitū collecto cum direptoribus illis prælium iniret, licet eo prælio vitam sibi eripiendam sciret? quis quæso hanc regis bonitatem satis dilaudare posset? Sed licet huiusce beneuolentiæ nullum in humanis exemplum extet, nihil tamen est hoc totum si cum diuinâ illâ bonitate comparetur: Fecit Deus nos è nihilo reges ac participes regni cælestis, vt in cœlo æternum beati cum ipso regnaremus & gauderemus ac *conformes fieremus imaginis filij sui.* Quantum hoc est donum? Sed postquam id culpâ nostrâ & rebellione in Deum perdideramus, accinxit se filius Dei & descendit in arenam ut pro nobis patiendo perditum nobis recuperaret. Maxima fuit bonitas & clementia Dauidis, qui etiam rebelli filio quærebat salutem, dum cum eo pugnare coactus, mandauit Ducibus suis: *Seruate mihi puerum*

II. I. Cernimus Dei bonitatem.

Quid dedit.

rem Absolon. Sed quid hæc ad illam Dei bonitatem? Pugnauit pro rebellibus filijs suis Deus & morte sua eosdem seruauit. *Quàm ergò bonus Israël Deus!*

Quod vero illud est, quod nostri causa fecit? non pugnauit cædendo, vulnerando & occidendo hostem, quod facile ipsi fuisset, sed cadendo, vulnera recipiendo, mortem denique oppetendo; quod certè in illum diem *peregrinum opus* erat à Deo, longeque difficilius quam hostem cædere & occidere.

Quare. Et quare tanta pro nobis pertulit? nullo prorsus suo commodo, (solus enim Deus ita agit, vt nihil inde sibi accedere possit. Quia qui omnia habet nihil noui potest accipere. Homines acquirunt suis laboribus opes, vel honores vel famam & existimationem, &c. non ita DEVS) ob meram suam bonitatem quâ nos desiderauit reddere participes omniũ bonorum suorum & totius gloriæ cœlestis, vt ita haberet quibus fontem bonorum suorum communicaret & cum quibus æternum gauderet; non quòd nostri vllatenus indigeret, sed quia ex merâ bonitate suâ & desiderio sua nobis communicandi, *delicias* suas reputauit *esse cum filijs hominũ & ludere* cum illis. Imò verò vt suis bonis nos ditaret, ipse iacturam propriæ famæ, honoris, corporis, vitæ fecit: quomodo mancipium suis laboribus Domino lucrum, sibi verò non nisi membrorum lassitudinem acquirit. Quod si pro laboribus suis aliquem à nobis mercedem petit, ea alia non est, nisi salus nostra vt passionem eius acceptemus & fruamur. Quo verò modo opus

Quomodo. redemptionis huius perfecit? mirabili prorsus, nam quidquid in nobis mali erat, id totum in dorsum suum transtulit, non modò infirmitates corporales, persecutiones, afflictiones, &c. Sed etiam spirituales & peccata omnia, vt ea sibi imputarentur & quasi ipse ea commisisset, reus illorum & diceretur & puniretur. Atque ita perinde fecit ac si à fure, quem lictores insequuntur, saccum furti accipiens in dorsum suum transtulisset, vt ipse pro fure deprehensus, habitus & condemnatus suspendi se pateretur, quo vitam furi conseruaret. Quis vnquam tale quid audiuit? Magnum quidem aliquid præstitit S. Ignatius Loyola, cùm mendico pretiosas suas vestes dedit, ipse laceros eius centones induit. Magnum quiddam S. Paulinus, qui à viduâ requisitus vt filium eius redimeret cùm pecuniam non haberet, seipsum pro filio illius in seruitutem tradidit. Sed quid hoc ad Dei nostri bonitatem? Illi serui, hic Dominus. Illi vestes & libertatem dedere, hic vitam.

C. II. Dei charitatem. SECVNDÒ, Dei erga nos charitatem, quando etsi filij iræ peccatis fœdati & inimici eius eramus, nihilominus tamen morte suâ nos redimere & sibi desponsare voluit: derelictis alterâ ex parte angelis malis, qui naturæ longè nobilioris erant. Si enim non dilexisset nos quomodo pro nobis mortuus adeoque sponsus sanguinum nobis factus esset? Verissimè ergò Apostolus *ad Eph.* 2. ait: *Propter nimiã charitatem suam, quâ dilexit nos & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo,* &c. Nimiam verò vocat hanc charitatem. Primò quia tunc mundus erat sceleratissimus & bestiarum potiùs quàm hominum vitam degens, ac proinde Dei inimicus: & idcircò rectissimè figuratus in Æthiopissâ illâ, quam admauit & desponsauit sibi Moyses, *Num.* 12. Vt habet S. Bern. *serm.* 39. *in Cant.* Quanta autem esse illa Charitas debuit quæ ad creaturam tam fœdatam se extendit & rebellem? Et hinc oritur inuidia & quasi murmur Dæmonum contra homines: quia ipsi, licet nobiliores, repudiati: homines adamati sunt. Mirabatur Dauid, quòd Deus vel recordari dignaretur hominis imò & visitare illum per assumptionẽ naturæ humanæ *Ps.* 8. dicens: *Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* In Hebr. habetur: *quid est enos*, id est, obliuiosus? q. d. homo tui prorsus obliuiscitur & alios amatores sectatur: & tu interim illius vel memores? & præterea visitas eum induendo naturâ eius, & redimendo illum? Verè magnum quid est, quòd Deus vel cogitare dignetur de homine & mentem suam ad eum deflectere, ad hominem præsertim impium, Dei contemptorem & obliuiosum. Sed quanto maius illud, quòd etiam talem voluerit diligere, & sanguine suo redimere? Hoc est quod mirandum proponit Apostolus *ad Rom.* 5. dicens: *Vix pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus pro nobis mortuus est.* Nimiam. 1.

Secundò quia *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, vt dicitur *Ioan.* 3. 2. dare autem illud fuit, in maximis, qui excogitari possunt, doloribus & tormentis eum derelinquere, dare ad macellum sicut victimam, tradere voluntati carnificum & hostium infensissimorum. Hoc modo Deus filium nobis dedit, & filius seipsum obtulit. O verè nimiam charitatem! si dedisset eum nobis pater vt rex tantum aut Magister aut virtutum exemplar aut comes esset (quem in finem etiam datus est) satis multum id fuisset: habere videlicet Deum regem, Doctorem, Ductorẽ aut Comitem; & deberemus propterea flexis genibus Deum semper laudare. Sed dare illud fuit ad maximos dolores & inauditas ignominias, ad mortem denique crucis tradere & in iis derelinquere. Quis hîc non obstupescat & cum sponsa dicat: *Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo? Cant.* 2. sanè ob istud videtur obstupuisse Moyses, quando videns à tergo transeuntem Dominum exclamauit: *Dominator Domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ misericordiæ & verax.* Eo enim loco tradunt Hebræi apud Magistrum hist. Eccles. vidisse Moysen in Dei occipite quasdam ligaturas, quasi flagellum, & inde cognouisse quòd aliquando Deus pro hominibus verbera perlaturus esset: ac propterea stupefactum exclamasse: *Dominator*

tor Domine, &c. Narrat Seruius de Hercule illo tot monstrorum domitore, quòd adeò adamârit Iolen, vt eâ iubente clauâ & leonis exuuium deponeret, neret & fusticas sibi infligi ab ea pateretur. Fœdus amor, sed mirabilis. Mirabilior Dei amor qui cum verberum capax non esset, talem induit naturam vt verberari posset, deposuit clauam & exuuium Leonis, id est, diuinæ maiestatis & impatibilitatis amictum, adeoque ob amorem erga naturam humanam verbera in dorso suo pertulit innumera. Magnus item Sampsonis amor in Dalilam, cuius importunitate victus prodidit virtutem suam, tonderi se ab eâ & hostibus suis ad illudendum, imò ad internecionem tradi passus est. *Iud.* 16. Sed maior Dei in homines amor qui propter eos suum tobur vltrò deposuit, se ligari & ad mortem duci pertulit. Insignis etiam S. Magistriani Martyris erga piam & castam virginem prostitutam, sed castus amor, qui vt eam liberaret: *accipe vestes meas*, inquit, *& egredere contecto vultu parte clamydis*. Illa egressâ, ipse pro ea retentus & bestijs obiectus fuit: vt in eius vitâ. Insignior tamen Dei in nos amor; quia ipse Deus erat, nos rei eramus, non innocentes; nostro tamen assumpto habitu, de nobis dixit: *sinite hos habere*; ipse verò hostibus obuiam iuit & pro nobis quasi reus occisus est. Hinc igitur ô Christiani colligite Dei in nos charitatem. Quod si aliquando Iudæi videntes Christum pro amici sui Lazari morte lachrymari dixerunt ad inuicem. *Ecce quomodo amabat eum!* Aspicite & vos Deum ob amorem vestrum in peccatis mortuorum, sanguineum sudorem fundentem, verbera perferentem, ligatum hostibus traditum, derelictum & ad mortem abeuntem, & dicite, *Ecce quomodo amabat* nos.

D. III. Dei misericordiâ. TERTIÒ, Dei misericordiam quando miseriarum nostrarum miseratus, vt ab iis nos eriperet, ipse pro nobis extremas adijt miserias & in se suscepit nostras. Indicauit etiã hoc Apostolus subd. loco ad *Eph.* 2. *Deus autem qui diues est in misericordiâ*, inquit, *propter nimiã charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos Christo, &c.* Diues imò ditissimus fuit in hac misericordia Deus, quia in Cruce thesaurum aperuit suæ misericordiæ & abũdantissimo pretio nos redemit. Cùm enim redimere nos omnesque nostras miserias depellere per vnam lachrymulam posset, maluit instar Pelicani (qui auctore pierio *l.* 20. *hierogl.* pullos suos veneno infectos interfectosque sanguine de cruribus suis elicito viuificat) de corpore suo sanguinem elicere, vt mortuos nos vitæ restitueret. Vnde in personâ Christi meritò dixit Dauid. *Psal.* 101. *factus sum sicut pelicanus in solitudine*. Deinde cùm quælibet gutta sanguinis Christi infinitum haberet valorem & sufficeret ad infinitos redimendos mundos, voluit tamen effundere copiosum, quod in hymno sacro expressit D. Thomas Aquinas: *Pie Pelicane IESV domine: me immundum munda tuo sanguine, cuius vna stilla saluum facere, totum mundum posset omni scelere.*

Magnum 1.

Deinde vt vitam mortuis restitueret, victus misericordiâ vitam ipse suam posthabuit & dedit. Celebris fuit illa misericordia filiæ Pharaonis, quando videns fiscellam seu arculam in fluuio denatantem, ad littus eam trahi & aperiri iussit, & cum paruulum in eâ vagientem vidisset, miserta eius nutriri eum fecit, nutritum adoptauit in filium & in regiâ suâ splendidè educauit ac Moysen vocauit, id est, extractum, quia de aquâ eum tulisset. *Exod.* 2. quæ historia multum exprimit Dei in nos misericordiam. Nos enim sicut infantes Hebræorum à Pharaone mergi iussi, ad mortem & gehennam ob peccata nostra eramus condemnati & iamiam expositi flumini huius vitæ, ad illam delabendo properabamus, certi de submersione. Sed nostram hanc miseriam videns Dei sapientia, miserta nostri extraxit nos (Habet enim peccatum duas quasi facies: vna mouet ad iram quâ Dei offensa est: altera ad compassionem, quâ hominem conijcit in miseriam. Primam inspexit Deus cùm mundum diluuio perdidit, *tactus dolore cordis intrinsecus!* secundam cùm eum restaurauit) & in filios suos adoptauit, deinde in Ecclesiâ instrui fecit vt ad extremum in regiam suam cœlestem transferret. Ita esse docet noster baptismus, de quo omnes leuati sumus, quique à Christo institutus est, vt sciremus nos instar Moysis de aquis perditionis per Christum ereptos esse. Sed tamen modus liberationis huius longè diuersus fuit ab illo, quem adhibuit filia Pharaonis. Illa famulam misit, quæ Moysen ex aquis eriperet: Deus ad nos eripiendos ipsemet de cœlo descendit. Famula missa fortè vncum aliquem aut perticam accepit, quâ Moysen extraheret; nullum corporis damnum incurrit; aut vitæ periculũ subiit: Deus ipsemet in torrentem passionis descendit & dum mergendos iamiam nos humeris suis effert & in tuto ponit, ipse interim pondere nostro prægrauatus mergitur, id quod sibi euenturum optimè prænorat. Istud nobis insinuauit dominus in parabolâ Samaritani, qui videns vulneratum iacentem misericordiâ motus super eum appropinquauit & mox de equo descendit, saucium illi imposuit, ipse pedes iuit eumque in diuersorium duxit & curari expensis suis fecit. Tametsi enim hoc Samaritani officium exile videtur, & humilis ac liberalissimus Dominus immensum beneficium redemptionis suæ, exiguis hisce lineamentis describit, maximum tamen id erat. Vidit enim humanum genus saucium vsque ad mortẽ æternam: in terrâ ita fecit, cùm propter illud in terram descendit: Venit secus illud, cùm naturã induit humanam: de equo suo descendit, quando anima de corpore separata mortem oppetiit: vulnera nostra obligauit, cùm pro nobis ipse vulneratus fuit & sacramenta de vulneribus suis nobis distillauit: in iumentum suum sustilit, quando sua merita nobis donauit & gratiam quæ suauiter nos portat: ipse pedes incessit, cùm miserias nostras in se suscepit, vinculis suis vincula nostra dissoluit, vul-

vulneribus suis vulnera nostra sanauit, sanguine suo nostra debita exsoluit, labore suo quietem nobis acquisiuit. An non immensa sunt hæc omnia? Celebris fuit Traiani imp. misericordia, qui cùm militum suorum vulneribus post conflictum cum Decebalo rege Dacorum, ligamina deessent, propriam vestem in fascias discissam eis diuisit, vt refert Dio. Sic Christus vestem corporis sui scindi permisit, vt vulnera obligaret nostra.

E. IV. Dei iustitiam. Quartò, Dei Iustitiam, dum non pepercit proprio filio suo, qui tamen aliena tantùm in se peccata susceperat, sed tam seuerè eo castigauit. Vnde *ad Rom. 3.* ait Apostolus: *Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ.* q. d. statuit Deus filium suum in exemplum seuerissimæ iustitiæ ad omnium terrorem. Ea autem fuit seuerissima. Primò, quia licet filij Dei mors intercedere deberet, nihilo magis tamen retroacta est, sed in rigore suo processit, cùm per absolutam suam potentiam potuisset Deus homini debitum vel omnino condonare, vel alterius aliqualem satisfactionem pro eo acceptare. Quanta verò ira Regis illius in subditum foret, quæ obiecto proprio filio nequiret mitigari, sed in eundem sine misericordiâ sæuiret? Quando ignis de cœlo missus sæuijt in rebelles Israëlitas, vbi peruenit ad Aaronem cum incenso stantem inter mortuos & viuentes, mox cessauit plaga, nec attingere tentauit sacerdotem Domini innoxium. *Numer. 16.* Atqui hoc factum non est in proposito. Posuit enim se DEI filius medium inter DEI iustitiam & hominum peccata, nec non cum ardentissimo orationis incenso placare patrem laborauit in monte Oliueti, cùm dixit: *Abba pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, Marci 14.* quæ oratio haud dubiè plus aliquid valebat, quàm si omnes Angeli & sancti DEI orassent. Adhæc innocentissimus fuit & apud patrem suum amabilissimus, non tamen ideò stetit ignis iracundiæ diuinæ, sed in ipsum eius filium implacabiliter deseuijt. Referunt Cantipratanus *l. 2. c. 36. p. 6.* Fulgos. *l. 1. c. 6.* Cæsarius *l. 9. c. 38.* de viro nobili, quem Comitem vocat Cantipratanus nomine Erkimbaldum de Borban, qui lecto affixus intellexit filium (alij nepotem dicunt) virgini vim intulisse. Domini hæredem nemo accusare, multò minùs audebat punire. Quid ageret ergò dominus? certabant in eo paternus animus erga vnicum hæredem: & altera ex parte iustitia, sceleris vindictam vrgens, quæ & vicit. Vocat igitur filium tamquam vltima monita daturus: priùs tamen sub ceruicali pugionem abdiderat, quo necem inferret sonti. Adfuit ergò filius patrem placatum sperans: dumque postulanti patri aurem admouet, ille pro osculo pugionem condit in gutture tenens interim & amplectens altera manu filium, nec desinit premere donec videt exhalasse. *Hanc accipe victimam iustitiæ Deus* (addit) *tibi immolatam. Scis qua in animo & visceribus meis doloris magnitudo obuersans lancinet paternum amorem: sed vicit amor tui.* Qui etiam propter id factum à Deo adsolutus est: siquidem Eucharistiam, quam illi Episcopus negârat, angelus ministrauit. Magnus profectò in hoc viro iustitiæ zelus & seueritas: qui si filio non pepercit quomodo parceret alijs? Sed longè seuerior diuinæ iustitiæ zelus cernitur in cruce; siquidem Comes ille noxium puniuit: Deus autem filium innocentem, & qui ex merâ tantum beneuolentiâ alienas in se culpas sustulit. O quantum in corde Dei certare debuerunt (si humano more loquamur) amor & Iustitia? Ille absoluebat tamquam filium & innocentem: ista condemnabat tamquam peccatorum vadem. Sed vicit tamen Iustitia, licet vnum tantùm pro se haberet suffragium, amor verò duo; siquidem in corpus filij condidit lignum crucis & atrocissima tormenta. Sed libet interrogare, quamobrem Deus Pater non remisit filio hanc pœnam, saltem idcircò, quod is ex merâ beneuolentia & charitate hominum in se culpas transtulerit? Nouimus enim ex historijs id factum ab hominibus. An non truculentus Tyrannus erat Dionysius? Et hic tamen absoluit Damonem & Pythiam, quòd alter innocens pro altero nocente se vadem dederit in carcerem & obtulerit ad supplicium. Placuit enim Tyranno hoc certamen amicitiæ tantopere, vt vtrumque non modò absoluerit, sed etiam rogârit; vt se quoque in amicitiam suam reciperent. Iam igitur, cùm idipsum præstiterit nobis Dei filius, quomodo cœlestis Pater non permotus est, vt & reũ dimitteret hominem, & vadem quoque Christum? Quid hic respondebimus? nescio, Deus scit: nisi fortè id Dauidis *Psal. 100. Misericordiam & iudicium cãtabo tibi Domine.* Duę hæ sorores in Deo, Misericordia & Iustitia, simul gradi volunt, separari ab inuicem nolunt.

Seueris-sima. 1. (margin)

2. Secundò Quia de tot grauissimis suppliciis nihil remisit filio; licet quodammodo omnes creaturæ se pro eo interponerent, velum templi scinderetur, terra tremeret, petræ disrumperentur, sol retraheret radios. Qualis enim foret illius Ducis iracundia, qui post definitum militi reo supplicium nec in minimo exorari posset à toto suo exercitu, vt aliquid ei remittat? Conceperat iram Saul in Ionatham filium & decreuerat supplicium; quòd mandatum suum, inscius licet, prætergressus esset. Sed conclamans contra regem populus: *Ergóne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël?* Ionathan liberauit, *1. Reg. 14.* Conclamabant etiam contra cædem Christi ad Deum cælum, aër, terra, templum: quasi liberare eum vellent & dicerent cum Pilato; *Quid enim mali fecit?* non tamen eripuerunt. O seueram Dei iustitiam! Audi Dauidem in personâ Christi loquentem ad Deum Patrem. *Psal. 87. Super me confirmatus est furor tuus & omnes fluctus tuos induxisti super me. Confirmatus*, inquit, donec videlicet plenissima satisfactio exsisteret & tanta quanta furor Dei in peccata hominum requirebat.

Et omnes fluctus induxisti, id est, nullum ictum temisisti ex iis, quos mihi decreuisti.

F. V. Dei potentiam. QVINTÒ, Dei potentiam, dum Christus eo tempore quo videbatur à Iudæis iam deuictus, prostratus ac triumphatus, quo in omnibus membris suis erat ligatus, quo coronâ militum stipatorum inermis circumdatus, quo ab omnibus desertus, quo exanguis & moribundus, traxit omnia ad se: Elementa imprimis & sydera, quæ ob mortem eius vel lugebant vel indignabantur. Centurionem & qui cum eo erant, qui morientem agnoscit Dei filium cùm priùs prædicantem & mira operantem non agnouisset. Latronem, qui videns prodigia naturæ, post tam induratam nocendi consuetudinem Deum confitetur & amicitiam eius ambit ac paradisum impetrat cum audit: *Hodie mecũ eris in paradiso. Quid dicis?* ait S. Augustin. serm. 130. de tempore, *Crucifixus es Domine & paradisum promittis? Ita inquit Dominus, vt in ipsâ cruce virtutem meam agnoscas. Quoniam res hac tristitiæ videbatur vt non in Cruce lignum attendas, sed virtutem eius qui crucifixus est, dicas: In Cruce hoc miraculum operatus est, vnde maxime potentiam suam declarat omnipotens non mortuum resuscitans, non mari & ventis imperans, non dæmones eiciẽs; sed crucifixus, derisus atq; contemptus longo scelerũ vsu obduratatã latronis mentem immutare præualuit, vt ex vtroque virtutem eius inspicias. In eodem enim tempore passionis crucifixus vniuersam turbauit creaturã, & saxa disrupit; duriorem verò lapidibus animã attraxit pariter & honorauit.* hactenus August. Traxit vniuersam multitudinem circumstantium, qui enim anteà nullis minis aut miraculis poterant moueri vt darent gloriam Deo & agnoscerent filium Dei posteà *percutientes pectora sua reuertebantur*. Reuertebantur pleni compassione, lachrymis, luce, qui exibant pleni inuidiâ, sannis, ignorantiâ. Traxit denique vniuersam terram, Imperatorem, Reges, Principes, populos, vt abiuratâ Idololatriâ Deos quos tamdiu tamque pertinaciter coluerant, abiicerent, ad crucem accederent, ad crucem genua figerent & coronas suas iacerent, crucifixum adorarent, cruci spontè se subiicerent eique constantissimè adhærerent. Atque hoc signabat figura Sampsonis, qui *Iud.* 16. cùm imbecillimus putabatur & à pueris ridebatur, apprehendens ambas columnas, vnam dexterâ alteram læuâ, fortiter concussit, & corruere fecit totam domum super principes & cæteram multitudinem, quæ in eâ erat, multoque plures interfecit moriens, quàm anteà viuus occiderat. Quando enim Christus apprehendit columnas binas nisi quando vtrumque crucis brachium, vnum dexterâ alterum sinistrâ amplexus est? Et quando concussit columnas domûs ipsamque adeò domum, nisi quando terram tremere fecit, petras scidit, velum lacerauit, solem obscurauit, monumenta aperuit? Et quando occidit principes & omnem multitudinem, nisi quando centurio, latro, turba circumstans & posteà omnes terræ principes abiurata perfidiâ Christum confessi sunt & crucem adorârunt? Quamquam fœliciùs illos occidit quàm Sampson, quia infidelitatem & peccatum in eis occidit, ipsos verò Christianos fecit. Viden' ergò quàm verè dominus dixerit: *cum exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum?* Atque vt magis mirêre, existimabant Iudæi, se Christi doctrinam & miracula fœdaturos & odiosa reddituros adeóque ab eo abstracturos omnem populum, vt nemo eum confiteretur ampliùs, si morte crucis turpissimâ eum afficerent. Idcircò enim aiebant: *Venite, mittamus lignum in panẽ eius, & eradamus eum de terrâ viuẽtium. Ier.* 11. q.d. conspurcemus & odibilem reddamus eius doctrinam (quâ velut pane cibabat & inescabat homines) supplicio crucis ei decernendo. Sed *defecerunt scrutantes scrutinio*; Siquidem ob idipsum magis propagata est eius doctrina & maior eius gloria consecuta.

SEXTÒ, Dei sapientiam: dum per Crucem, quæ Iudæis scandalum, gentibus verò stultitia erat, mirabili modo triumphauit, & omnem mundi sapientiam, Iudæorum astutiam, & dæmonum machinationes confudit & elusit. G. VI. Dei sapientiam. 1. Horrebant homines quidquid asperum, quidquid humile & abiectum erat: colebant, suspiciebant & laudabant solùm gloriam, diuitias, voluptates: & ecce dum Dei filius crucem ascendit; dum contemptum, paupertatem & dolores amplexus est, vanissima illa gentium dogmata omnia corruerunt; & sine vllis demonstrationibus, sine armis, sine munerum aut lenociniorum illecebris effecit Christus, vt exinde mundus inciperet colere paupertatem, humilitatem, contemptum, vitæ asperitatem, obedientiam, patientiam: vt reges depositis coronis crucem adorarent; imò sequerentur intrando religiones, amplectendo humilitatem, paupertatem, obedientiam, castitatem, &c. viluerunt verò sapientibus, omnia quæ priùs mundo placuerant. Iudæi intendebant Christi gloriam extinguere, per mortem turpissimam, quam vrgebant & importunis postulationibus suis ei irrogabant: sed mirabiliter elusi sunt; hinc enim Christi gloria tanto magis coruscare cœpit, quanto turpior fuit mors ei irrogata. Turpior inquam sensu Iudæorum: nam reuerà morti crucis detraxit Christus omnem turpitudinem & ornauit eam pulchritudine, gloriâ & decore. Dæmones etiam omnes excogitauere machinas, quibus Christum è medio tollerent & populum sectatorem ei abstraherent: sed defecerunt etiam isti scrutatores; dum enim flagellis, dum spinis, dum cruce in eum pugnarunt, seipsos confecerunt & spoliârunt mundi principatu (siquidem Christus patiendo & vulnera accipiendo redemit mundum; quem pugnando & vulnerando non redemisset) atque ita verè *circumdederunt eum sicut apes*: quæ si aculeum infigant homini, ipsæ moriuntur, plaga verò citò sanatur, modico luto. Vnde patet Dei sapientia nunquam anteà mundo tam conspecta, dum nouo & inaudito genere bellandi, patiendo

scilicet & moriendo, hostes superauit. Vt verè de hac dici possit id *Iud.5. Noua bella elegit dominus & portas hostium ipse subuertit. Clypeus & hasta si apparuerunt?* Quid enim mirabilius, quam victum vincere, occisum triumphare, per ignominiam expugnare gloriam?

2. Apparet etiam in eo DEI sapientia, quòd sine omni destructione vicit & expugnauit hominum corda & ad sui amorem non terrendo aut quatiendo aut carnificinam creaturarum suarum excitando (Lacones autem quando stratagemate sine effusione sanguinis superabât hostem, Marti bouem immolabant: si eum cæde, nonnisi gallum, Maiol. *tom. 3. col. 2.*) sed suauiter alliciendo pertraxit, vt vltrò ei portas reserarent. Itaque è castellis cordium humanorum hostes diabolos eiecit, vt castella ipsa non læderet. Audi Chrysostomum hom. 35. operis imperf. *si rex terrenus*, inquit, *videret quod ciuitatem illius occupatam teneat hostis, quid facere posset? nihil nisi vt ponat arietes, circumducat exercitum, destruat mœnia, quæ forte ipse ædificauit, vt tantummodo hostem expellat. Sed videamus sapientiam nostri regis. Postquam vidit castra sua occupari hoste alieno, sic hostem expulit, vt castra sua non læderet*, &c. Atque ita impletum est, quod *Esa. 42.* prædictum est de Christo: *Iudicium gentibus proferet: non clamabit, nec audietur vox eius: calamum quassatum non confringet & linum fumigans non extinguet.* Obsederat multo tempore Deus indurata & rebellia hominum corda vt inde hostem suum diabolum eiiceret: quassata arietibus & plagis maximis. Sed ferè frustrà laborauit. Venit igitur Dei filius & nouam bellandi artem tentauit, tela hominum & cacodæmonum in se coniecta omnia excepit: hominibus & facturis suis nihil nocuit: atque ita animos eorum vicit, vt vltrò portas ei aperirẽt, ad eum excurrerent, dæmone eiecto in castellum suum introducerent magno cum desiderio & amore. Si per vim & potentiã suam Christus eos coëgisset, confregisset & sibi subiecisset, inuitos habuisset subditos & coactè seruientes. Modò autem non armis eos superauit, sed amoris vinculo sibi deuinxit, vt vltrò in amplexum eius ruerent & in odorem vnguentorum, id est, meritorum & Sacramẽtorum eius currerent. *O altitudo diuitiarũ sapientiæ & sciẽtiæ Dei!*

Quando igitur per crucem deuenimus ad Dei cognitionem & scimus nunc quis & qualis ipse sit, ita nos geramus erga eum sicut decet erga Dominum & Deum. Gratias agamus ei ob bonitatem, redamemus amantem, speremus in misericordem, timeamus iustum, confidamus in potente, obediamus sapienti.

PARS SECVNDA.

De cognitione rerum spiritualium extra Deum.

Ex passione item Christi Domini intelligimus
1. 2. Dignitatẽ animæ nostræ ac proximi nostri.
3. Dignitatem gratiæ & virtutis.
4. 5. Grauitatẽ peccati & pœnarum inferni.
6. Magnitudinẽ gloriæ cælestis.

A Legimus 4. *Reg.* 22. repertum aliquando ab Helciâ Pontifice librum legis in templo, qui cùm legeretur coram rege Iosiâ, perterritum est cor eius & scidit vestimenta sua quòd videlicet ipse & populus eius ea, quæ in illo libro dicebantur, non sciuisset nec obseruasset. Proponit etiam nobis hodie Ecclesia & legit in templo librum mirabilem, crucifixum scilicet & in eo mira quædam arcana: quæ si nos intelligeremus, absque dubio etiam perterriti non tam vestes, quàm corda scinderemus. Hic est ille liber quem S. Ioan. *Apoc. 5.* scribit se vidisse in dextera Dei sedentis supra thronum scriptum intùs & foris, signatum sigillis septem. Sanctus enim Hilarius *in præfat. sua in Psal.* docet Christum designari per hunc librum, cuius septem sigilla, septem sunt redemptionis nostræ mysteria. Incarnatio, Natiuitas, Passio, Resurrectio, Ascensio, Missio Spiritus S. Aduentus ad iudicium. Hic liber hodiernâ die positus est in pulpitum Crucis, scriptus intus & foris: intus per amorem & dolorem, foris per vulnera & cruorem: ibidem etiam apertus & expansus est, vt ab omnibus legeretur quidquid in eo scriptum est. Habet hic liber duo tantùm folia, quæ si quis accuratè perlegerit, inueniet in vnâ quodammodò summâ quidquid Theologia tam speculatiua quàm practica tot sæculis & tot laboribus tradidit: In primo folio perspicitur, quidquid ad cognitionem Dei & rerum à Deo reuelatarum pertinet adeoque traditur Theologia speculatiua. In secũdo Theologia moralis, res scilicet quæ nos ad virtutem amplectendam & vitium fugiendum magis incitant quàm vllæ aliæ, quæ possint excogitari. In primo, quid sciendum & credendum: In secundo quid faciendum & omittendum. Quoniam itaque hodiernâ præsertim die liber iste nobis proponitur ab Ecclesiâ vt in eius lectione sedulò immoremur & iam primâ concione latus vnum folij prioris legimus, perlegemus nunc & alterum: folium verò secundum sequentibus duabus concionibus. Sed priùs Deum oremus vt det nobis oculos illuminatos, quibus intelligere possimus quæ legimus.

Septem arcana legimus in libro S. Crucis, quæ si intellexerimus, sat superque sciemus.

B. I. *Dignitatem animæ nostræ.* PRIMÒ, dignitatem animæ nostræ; siquidem pro eâ dedit Dei filius pretiosum sanguinem suum, imò se totum. Quàm enim nobilem & generosam oportet esse virginem illam, pro quâ redimendâ & sibi desponsandâ Dei filius tantum iter suscepit & tam difficile certamen iniit, adeoque mortuus est? Multa cecinerunt poëtæ Gentiles de Helenæ Reginæ pulchritudine, quæ decennalem Troiæ obsidionem, denique ruinam & excidium causauit. Sed quid vanissima illa forma Helenæ respectu animæ, ob quam Dei filius è cœlo venit, & 33. annis pugnauit ac denique corporis sui destructione eam redemit? Siquidem propter animas nostras ipse dixit; *Soluite templum*

plum hoc. Ioan. 2. Certauit etiam pro animâ diabolus, imò eam velut Paris Helenam iam rapuerat & corruperat, sed vicit eum Christus prælio passionis suæ & prædã ei eripuit. Quàm speciosa fuerit Rachel, ex eo colligimus quòd Iacob pro eâ septem annis seruierit pascendo oues in æstu & gelu: & tamen visi sint ipsi pauci dies ob amoris magnitudinem. *Gen.* 29. Ergò similiter ex eo colligimus animæ humanæ præstantiam & nobilitatem, quòd Christus pro eâ 33. annis seruierit & mortem oppetierit ac immania sit passus per horas circiter octodecim; quod tamen spatium appellauit modicum: *Et iterum modicum & videbitis me, Ioan.* 16. Iam si Dei filius pretio infinito sanguinis sui nos comparauit: quis non maximi æstimet & cautissimè seruet animam suam? Vnde S. Augustinus: *Videns animam meam*, inquit, *sanguine fily Dei emptam nolo illam posthac tam parua vèdere.* Et S. Petrus 1. *Petr.* 1. *In timore incolatus vestri tempore conuersamini: scientes quòd non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conuersatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Quis nescit puellam formâ præstantem, quæ ob sui pulchritudinem Principem habet amatorem vel iam sponsum, nequaquam nubere sordido alicui & vili seruo, sed nec responso quidem aut alloquio dignari viles eiusmodi procos? Atqui anima nostra nobilissimum habuit habetque amatorem Dei filium: quid igitur cum vilissimis creaturis colludimus & negotiamur? Et quis explicet illorum vesaniam, qui tam facilè animam suam oppignerant & dant diabolo: qui tam proni sunt ad iurandum per salutem animæ suæ, etsi sæpe falsò, quasi eam nihili æstiment? *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* Ratio est, quia nobilissimæ indolis est anima, capax similitudinis diuinæ & omnium virtutum ac gloriæ.

C. II. Dignitatem proximi nostri.

SECVNDÒ, Dignitatem proximi nostri; siquidem pro ipso etiam Christus idem pretium exsoluit, quod pro te: licet is vilissimum sit mancipium, & abiectissimus hominum: Vnde ex hoc nouo titulo fratres sumus omnes. Et si multum est, nos fratres esse propter communem creationem, plus est fratres esse propter communem redemptionem. Hoc enim titulo redemptionis maximè gloriantur sancti præ omnibus alijs; Vt Apoc. 5. *Redemisti nos in sanguine tuo*, &c. Vnde licet alios ob respectus, videlicet ob statum, dignitatem, opes, nobilitatem, libertatem, &c. alter alterum excellat, ij tamen minus principales minusque respiciendi sunt. Quemadmodum in aliquâ nobili familiâ, licet alter altero ditior, honoratior & prudentior sit, &c. quiuis tamen alios vt æquales agnoscit, pari titulo honorat, eadem illis insignia libenter concedit, licet illi non possideant eam arcem vel domum, cuius titulo alter gaudet, quia nimirum præcipuum quod considerat & considerari debet, est sanguis idem, à quo orti sunt. Modò autem per sanguinem Christi omnes vnum & idem sumus, omnes conglutinati sumus, quia nostra salus ab eo prouenit. Seponamus ergò alios quoscumque respectus secundarios, ad hunc primarium attendamus; Cognatos se agnoscant liber & seruus, nobilis & ignobilis, diues & pauper, doctus & indoctus, maximus & minimus, dominus & seruus. De seruo Centurionis ait S. Lucas *cap.* 7. quòd *erat illi pretiosus*: Si pretiosus ei erat, quando pro illo nondum exsoluerat Christus pretium sanguinis sui; quanto pretiosior nunc esse nobis debet proximus, siue seruus siue alius quicumque, postquam pro eo pretium iam solutum est.

Nemo igitur proximum suum contemnat, licet inferiorem. Audi Augustinum de verbis Domini: *Quem vis contemnere*, inquit, *pretium eius attende, & cum morte Christi totum mundum appende.* Quantò minus alter alterum seducere consilio vel exemplo debet? Si enim *aurum est*, iuxta parœmiam nostram, *quod aurum valet* vel auro comparatum est, quomodo non item sanguis Christi est, qui sanguine Christi emptus est? Quanti autem sceleris reus haberetur, qui sanguinem Christi effunderet & pedibus calcaret? Sacerdos qui S. calicem euertit in altari etiam præter voluntatem ex incuriâ, diuturnæ & graui addicitur pœnitentiæ ex lege pontificiâ: quantò grauiorem ergò merebitur pœnam qui proximum suum perdit? Si enim non plùris faceret Christus proximum nostrum, quàm sanguinem suum: non dedisset pro eo sanguinem. Vnde Apostolus 1. *Cor.* 8. ait: *Et peribit infirmus in tuâ scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Vide ergò quid agas si proximum destituas siue corporali, siue spirituali auxilio, præsertim si scandalizes: hinc enim fulminantia illa domini verba prodierunt: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum maris. Et væ mundo à scandalis. Matt.* 18. Quomodo ita tonaret Dominus contra scandalum, nisi per id ei maximi res pretij auferretur & periret?

D. III. Dignitatem gratiæ & virtutis.

Tertiò, Dignitatem gratiæ & virtutis; Vt enim has in nobis plantaret DEI filius, de cœlo descendit & in crucem ascendit. Multi libri conscripti sunt de præstantia virtutis, nihil tamen eam adeò explicat, adeoque extollit, quàm quod filius Dei eam nos docere & morte suâ comparare nobis voluit. *Dedit semetipsum pro nobis*, ait Apostolus ad *Tit.* 2. *vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ante Christum nesciebat homo pretium eius: Post Christum didicimus. Peregrinæ aliquæ plantæ in hortis principum magnis sumptibus parantur & conseruantur, veluti fornacibus per hyemem calefactis. Quàm ergò pretiosa erit humilitas, paupertas, patientia, iniuriarum tolerantia, &c. quas vt in Ecclesiâ suâ Christus plantaret, sanguine suo rigare voluit? Gaudeas igitur quisquis es, si talem habeas in horto tuo plantulam. Gratiæ verò præstantia ex eodem pretio colligitur.

Si

Si enim rusticus casu inuenisset gemmam quam vitrum existimaret, eamque proinde paucis nummis vendere vellet, si quem offenderet mercatorem, gemmarum æstimatorem peritissimum, qui statim illi pro eâ offerret tria millia ducatorum: nónne rusticus manum retraheret? nónne sapere inciperet & intelligere, non vitrum sed gemmam esse pretiosissimam? nónne sedulò custodiret, nec nisi pro æquiualente pretio venderet? Ante Christi passionem nesciebamus pretium gratiæ, pro vno lentis edulio sicut Esau, pro vnâ ebrietate, vnâ fornicatione dabant homines gratiam. Postquam verò nunc Christus pro eâ vitam & sanguinem suum dedit, numquid non manum retrahere & pretium eius intelligere ac diligentissimè custodire debemus, nec nisi pro re æquiualente, scilicet gloria vendere? Magna sanè stultitia tam vili vendere, id quod Christus tam carò emit peritissimus rerum æstimator. Obtulit pro hac gemmâ primus mercator diabolus omnia regna mundi: *Hac omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*, id est, si de gratiâ in peccatum cecideris. Sed mercator alter Christus longè plus obtulit, vitam scilicet suam. Quid verò nunc mortales? Mirum certè; propter iacturam rerum temporalium plorant implacabiliter, vt ille qui 4. *Reg.* 6. multo fletu prosequebatur demersam securim quam mutuò acceperat; pauci deflent amissam gratiam. O modum agendi præposterum! Quid aliud est gratia, quàm virtualis gloria? Vt enim pecunia in cistâ, virtualiter est palatium, hortus, prædia, viuarium, deliciæ omnes, &c. quia per eam hæc omnia comparari possunt, sic gratia est gloria & omne cæli bonum.

E. IV. Grauitatem peccati.

QVARTÒ, Grauitatem peccati, quod tam grandi tàmque pretioso indiguit balneo, quo abstergeretur. *Agnosce ô homo*, inquit S. Bern. serm. 3. de Nat. Domini, *quàm grauia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem & mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei filius moreretur*. Obstinatissimus quidem morbus est lepra, quæ nisi sanguine infantum curari non potest ex consilio Medicorum Constantini Magni; quantò verò obstinatior, grauior & desperatior morbus peccati, qui lauacro eguit sanguinis diuini, multò pretiosiore quàm sit totus mundus, ipsum cœlum & angeli omnes? magnum foret odium illius principis qui ciues suos vel ideò solùm puniret; quòd cum aduersario eius amicitiam fecerint. Maius foret, si etiam aulicos aliquot & propinquos suos ideò mulctaret exilio æterno, morte ipsâ grauiori. Sed quantum illud esset si etiam proprium filium alioquin vnicum & charissimum & idcircò solùm morte acerbâ plecteret, quòd ad hostis illius castra deflexisset & causam illius apud patrem agendam beneuolè in se suscepisset? Modò, quia *odio est Deo impius & impietas eius*, vt dicitur *Sap.* 14. propter odium peccati expulit Deus primos nostros parentes è paradiso, & cum illis nos omnes, licèt illorum præuaricationi non interfuerimus, nedum consenserimus; & tamen supplicio mortis & plurimis alijs grauissimis pœnis nos addixit. Deinde amicitiam etiam cum peccato fecerunt angeli mali, nobilissimi quondam eius aulici & inter omnes creaturas ei propinquissimi, nihilominus propterea eos Deus in perpetuum exilium acerbissimæ gehennæ deiecit. *Angelis peccantibus non pepercit*, ait S. Petrus 2. Petr. 2. *sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*. Sed exigua sunt adhuc ista. Ad extremum igitur filius Dei cum peccato quidem & peccatoribus nullam iniit confœderationem aut amicitiam, sed quid fecit? descendit solùm in eorum castra, cum illis aliquamdiu fabulatus est & collusit, necnon causam eorum apud Patrem suum suscepit agendam. Et idcircò tamen ad supplicium mortis & acerbissimos cruciatus condemnatus & raptus est à Patre. O immane odium Dei in peccatum! Magnum fuit odium Saulis erga Dauidem; siquidem propter illum nisus est configere proprium filium Ionathan, eò quòd amicus Dauidi esset, & pro salute eius & vitâ patrem interpellârit, 1. *Reg.* 20. Magnum etiam fuisse debuit odium Auli Fuluij Romani erga Catilinam, eò quòd filium iuuenem & ingenio & literis & formâ inter æquales nitentem, primo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra eius euntem in medio itinere abstraxerit & supplicio mortis affecerit, prout refert Val. Max. *lib.* 4. Sed longè implacabilius odium habuit Deus erga peccatum, qui filium suum vnigenitum ideò solùm quòd cum peccatoribus iunxerit quasi amicitiam & eorum causam in se susceperit, tam immanibus supplicijs plexit. Quando ergò nunc scimus tam periculosum esse peccati morbum & coram Deo tam abominabilem: quis sine horrore audeat cum peccato habere impostèrum vel minimum commercium? An non audito solo peccati nomine tremere deberemus & fugere à peccandi etiam occasionibus velut à serpentibus?

F. V. Grauitatem pœnarum inferni.

QVINTÒ, Grauitatem pœnarum infernalium; siquidem vt ab illis nos redimeret Dei filius pro nobis non solùm mortuus est sed etiam acerbissimos pertulit cruciatus. Si enim propterea vel homo tantùm fieri & de cœlo ad terram descendere debuisset, sat multum fuisset & maximum argumentum pœnas inferni leues non esse, quæ Deum è cœlo detraxerint ad terras. Sed præterea etiam acerbissimè cruciari & quadam ratione ipsas inferni pœnas ad tempus degustare ac postremum mori debuit. Maxima inferni tormenta sunt, à Deo & ab omnibus charis deseri, absque vllâ consolatione cruciari, potestati dæmonum relinqui, immobilem & ligatum in eodem loco iacere, in tenebris esse, & flere. Hæc omnia ad tempus suo modo passus est Christus: Derelictus fuit à patre & à charissimis discipulis: passus est absque vllâ consolatione, traditus est principibus tenebrarum (hæc enim, inquit, est hora vestra & potestas tenebrarum)

vt omnem in eum effundere per membra sua furorem possent: ligatus & confixus ad tres horas in Cruce pependit, in tenebris, cum clamore valido & lachrymis. Eritne igitur quispiam adeò vesanus, vt existimet hæc tanta Dei filium passurum fuisse, si non essent immanes & incredibiles pœnæ inferorum? nónne indicium est maximi incendij, si per multa millaria homines auxiliatum accurrant? Et quid si etiam in ignem insilirent, vt ardentes eriperent? Sanè Christus è cœlo accurrit ad incendium hoc extinguendum & in ipsum quodammodò insilijt. Quia nimirum *succensus est hic ignis in furore Dei & ardebit vsque ad inferni nouissima, Deut.* 32. Sed quando inferorum pœnæ grauiores non essent cruciatibus illis, quos tulit Christus, & nihil adderetur nisi æternitas nónne hoc sufficeret ad eam pœnam in immensum augendam? Pependit tres horas in Cruce tribus affixus clauis Dominus & omnes miramur, & iure miramur, & iure pertimescimus; quid igitur esset illud, si in inferno in simili cruce, non tres horas, non tres annos, non tria sæcula, non tres sæculorum myriades, sed sine fine & quamdiu viuet Deus, pendendum tibi esset? Quid si præterea in æternum flagellari, spinis coronari, opprobriis, alapis, sputis, tractionibus, calumnijs, illusionibus vexari deberes, quomodo ad tempus vexatus est Christus? nónne hoc sufficeret vt pœnas illas super omnia horreres? Sed non includentur his terminis pœnæ infernales; Si enim Dei filius ob alienam culpam beneuolè in se susceptam tanta pati debuit: quid debebitur homini rebelli, proprias ob culpas? *Quia si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* q. d. Si arbor virens & fructifera ita tractatur: quomodo tractabitur emortua & sterilis? quantò atrociùs desæuiet in illam ignis: Et adhucne audies diabolum tibi persuadentem, non fore tam crudelem vel etiam nullum, ignem tartareum? quid? veni, accede & palpa manibus veritatem. Numquid filio pepercit Deus? & si filio non pepercit, tibi parcet?

G. VI. Magnitudinem gloriæ cœlestis. SEXTÒ, Magnitudinem cœlestis gloriæ; siquidem Dei filius per passionem suam cœlestia nobis bona promeruit & coëmit. Comparauit Dominus regnum cœlorū pretiosæ margaritæ; *Matth.* 13. Quàm autem pretiosa deberet esse margarita illa, pro quâ non sibi sed alteri coëmendâ, mercator per plurima maris pericula vsque ad Indos nauigaret, & pro eâ omnem suam substantiam daret? Hæc verò regnum cœlorum est, pro quo nobis emendo Dei filius de cœlo venit & tormenta grauissima mortemque ipsam pertulit adeoque omnia sua vendidit.

Tametsi verò sibi etiam Dominus gloriam suam meruit, propretereà tamen de cœlo neutiquàm venisset, multo minùs passus esset; quia *ego veni vt vitam habeant*, non vt habeam, inquit.

Quàm ergò insigne debet esse regnum illud, pro quo acquirendo, tot labores exantlari debuerunt? Hinc Ecclesia canit: *Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cælorum.* Nihil acerbius fuit hoc aculeo: & tamen eo transfigi non dubitauit Christus, vt cœlum nobis reseraret. Quis dubitet iam pro eo fortiter pugnare omniaque exantlare?

Vnde colligimus quàm prodigus & insanus sit peccator, qui tanto pretio emptam gloriæ margaritam, tam vili rursum vendit. Intolerabilis fuit luxus Cleopatræ illius Reginæ, quando vnionem ingentis pretij (centies sestertium id est 250. aflium, apud Plin. *lib.* 9. *c.* 35.) ab aure detractum & aceto maceratum pro conuiuio apposuit Antonio & vno bolo deuorauit. Sed quid is respectu gloriæ cœlestis, Christi sanguine partæ? Et tamen illam innumeri homines, sæpe merâ peccandi libidine vno bolo, vnâ ebrietate, vnâ scortatione deuorant & abliguriunt. O quàm aliquando irrugient cum Esau, quòd tam paruo vendiderunt ius hæreditatis cœlestis? Si enim modò id non agnoscunt, agnoscent tamen aliquando, sed heu serò nimis: quando iactura beatitudinis magis eos affliget, quàm ipse cruciatus sensibilis.

Vidimus ergò, ni fallor, scripturam huius libri. Superest nunc vt intremus cubiculum cordis nostri & nosipsos interrogemus, num hactenus ista rectè expenderimus & cordi habuerimus. Si enim ista sciuimus & credidimus, cur, quæso, non ita viximus, vt hæc à nobis exigunt? Si tanti est anima nostra: cur tam facilè eam vendimus & negligimus? Si tanti est noster proximus: cur ita eum spernimus, deserimus, opprimimus? Si tanta res est Dei gratia & virtus, cur tam parum eam curamus & tam facilè expellimus? Si tantum malum est peccatum, cur tam facilè illud admittimus? Si tam horrenda est gehenna, cur non magis eam horremus? Si tanta res est gloria, cur tam frigidè eam quærimus? Vereor sanè ne nobis etiam dixerit Apostolus, quod Galatis illis dixit *c.* 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos* IESVS CHRISTVS *præscriptus est* (sic enim legit Chrys. Theophylact. & alij, & sic habetur in græco) *& in vobis Crucifixus* q. d. Siquidem Christus in Cruce veluti liber vobis præscriptus, expansus & explicatus est, in quo legere possitis animæ & proximi dignitatem, gratiæ præstantiam, peccati turpitudinem, gehennæ horrorem, gloriæ eminentiam, Dei maiestatem & virtutes: cur non obedistis veritati?

In hoc libro adeò profecerunt sancta Gertrudis, S. Mechtildis, S. Birgitta, sancta Catharina, vt eruditissimæ & sanctissimæ euaserint. Hunc itaque vobiscum domum ferte & in eo diligenter legite, quando nemo est, qui legere non possit. In hoc fieri Doctores in cœlo possumus, &c.

CONCIO VI.

Quomodo per passionem Christi reformata sit voluntas.

1. *Passio Christi accendit odium peccati.*
2. *accendit in nobis amorem Dei.*
3. *Accendit nos ad patiendum pro Christo,*
4. *Accendit in nobis spem ac fiduciam.*
5. *Ad gratitudinem, ratione doni, modi & causæ propter quam nobis tanta bona contulit.*
6. *Ad amorem & sequelam virtutum.*

THEMA.

Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accendatur? Luca 12.

A DVæ sunt potentiæ hominis, quibus à cæteris differt animalibus, intellectus & voluntas: quæ tamen per peccatum miserè sunt deformatæ & corruptæ, intellectus ita obscuratus, voluntas ita debilitata & deprauata vt nulla inter bestias & homines differentia esse videretur. Ex prima corruptione nata sunt tot Idololatriarum, superstitionum & hæreseon genera: ex secunda voluntas facta est infirma, rebellis & ad malum prona, multoque magis propensa ad amandum se & sua quàm ad Deum ipsum. Ignorabant homines Dei prouidentiam, retributionem operum, iudicium, vitam & mortem æternam, virtutum pulchritudinem, vitiorum turpitudinem, regulam bene viuendi, imò Deum suum; & seruiebant dæmoni, à quo decepti rapiebantur ad æternam noctem. Similiter voluntas eorum peruersissima erat, fastidiebat virtutem, sapiebat tantùm ea quæ carnis sunt. Vnde Scriptura ait homines degenerasse in bestias, mutatos in carnem, &c. *Psal.* 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Igitur vt hisce nostris infirmitatibus mederetur Dei filius, pro nobis homo factus & passus est. Et licèt toto vitæ suæ tempore in hoc incubuerit, vt mederetur his vulneribus doctrinâ & vitæ exemplo, maximè tamen & efficacissimè præstitit id in passione sua. Et hoc est quod ait Dominus *Luc.* 12. *Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accendatur?* (Quod autem hunc ignem passionis suæ tempore potissimùm missurus esset in orbem ad illuminandum & inflammandum eum, patet ex verbis adiectis; addit enim: *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Certum autem est per baptismum intelligi passionem.) Ignis autem duo præstat, illuminat & accendit seu inflammat. Vidimus suprà quomodo passio Christi illuminet intellectum ad vera & solida bona cognoscenda, nunc videbimus, quomodo accendat voluntatem ad bene operandum.

B. 1. Accendit odium peccati.

PRIMÒ, Passio Christi Accendit odium peccati & contritionem excitat. Quomodo enim potest non odisse peccatum, qui cogitat illud causam dedisse morti filij Dei? Si vel bos vel equus, aliáve bestia infantem fortè occiderit, eam omnes homines abominantur, omnes persequuntur, nemo facilè eius carnes edere vult; vnde tales bestiæ necantur & alicubi suspenduntur: *Exod.* 12. verò talis bos vetatur comedi & iubetur lapidibus obrui. Et tamē nulla est bestiarum culpa, si quem neci dēnt. Quantò æquiùs irasci debet homo peccatis suis, quibus velut cornibus, vti bos insanus & cornupeta, filium Dei confixit in Cruce? Audi quid dixerit Iacob, quando filij sui Iosephi à fratribus venditi vestem sanguine conspersam vidit *Gen.* 37. *Tunica filij mei est*, inquit: *fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Videt iam tunicam filij Dei in cruce sanguine cōspersam. Et quis ita eam cruentauit? fera pessima, peccatum tuum, superbia tua, inobedientia tua. Aspis illa apud Alb. M. *l.* 25. *animal. v. aspis*, cùm notasset à suis catulis filium hospitis, apud quem diu sine noxâ versabatur in Ægypto, venenatum & occisum esse, indignata interemit filios. Iam verò & nos diuersamur in hospitio huius mundi, nō certè nostro, sed Dei proprio: tamen genuimus & gignimus adhuc in dies pestilentes catulos, qui filium hospitis nostri interfecerunt. O funestum partum! O venenatas proles! Cur non ergò occidimus omnes illos catulos? Cur non conterimus peccata? Cur non cane peius & angue auersamur? Sed dices: quomodo peccata nostra Christum occiderunt? Respōdeo occidisse occasionaliter, quomodo furtum filij est causa parenti, vt pro filio de furcâ redimendo, totam substantiam suam profundat & in extremas calamitates deueniat, totaque vitâ mendicet, &c. quia amor filij impulit eum ad redemptionem eius. Vidit Dei filius, quàm calamitas sit æterna damnatio, ideoque miseratus hominum sortem, vt eos liberaret, extrema quæque agere & pati voluit. Licet ergò peccatum occasio tantùm fuerit necis Christi, hoc ipso tamen super omnia detestandum est. Certè Moyses vitulùm aureum, quia occasio Idololatriæ & consequentis cædis Iudæorum fuit, contriuit & combussit, *Exod.* 32. Cur non igitur peccata nostra, quia necis Christi occasio fuerunt, similiter abominamur, conterimus & comburimus igne contritionis? Porrò nunc tempus est occidendi hos catulos, conterendi hos vitulos.

Noli autem cogitare te quia non solus es qui peccâsti, ideò minori dignum supplicio, dicunt enim leges quòd non minorem mereatur pœnam is, qui innocentem occidit ope aliorum aùt societate plurium, quàm qui solus occidit: & cum fure suspenditur, qui scalam tuanti tenuit vel pro eo excubias egit. Multi simul carnifices flagellârunt & crucifixerunt Christum: plurimi simul Iudæi clamauerunt: *Crucifige, Crucifige.* Et tamen singuli eorum meritò censentur & puniuntur velut rei necis Christi: licèt nullus eorum solus reatum commiserit. Et si tu vel vous ex illis carni-

tor Domine, &c. Narrat Seruius de Hercule illo tot monstrorum domitore, quòd adeò adamârit Iolen, vt eâ iubente clauâ & leonis exuuium deponeret, neret & scuticas sibi infligi ab ea pateretur. Fœdus amor, sed mirabilis. Mirabilior Dei amor qui cum verberum capax non esset, talem induit naturam vt verberari posset, deposuit clauam & exuuium Leonis, id est, diuinæ maiestatis & impatibilitatis amictum, adeóque ob amorem erga naturam humanam verbera in dorso suo pertulit innumera. Magnus item Sampsonis amor in Dalilam, cuius importunitate victus prodidit virtutem suam, tonderi se ab eâ & hostibus suis ad illudendum, imò ad internecionem tradi passus est. *Iud.* 16. Sed maior Dei in homines amor qui propter eos suum robur vltrò deposuit, se ligari & ad mortem duci pertulit. Insignis etiam S. Magistriani Martyris erga piam & castam virginem prostitutam, sed castus amor, qui vt eam liberaret: *accipe vestes meas*, inquit, *& egredere contecto vultu parte clamydis.* Illâ egressâ, ipse pro ea retentus & bestijs obiectus fuit: vt in eius vitâ. Insignior tamen Dei in nos amor; quia ipse Deus erat, nos rei eramus, non innocentes; nostro tamen assumpto habitu, de nobis dixit: *sinite hos habere*; ipse verò hostibus obuiam iuit & pro nobis quasi reus occisus est. Hinc igitur ô Christiani colligite Dei in nos charitatem. Quod si aliquando Iudæi videntes Christum pro amici sui Lazari morte lachrymari dixerunt ad inuicem. *Ecce quomodo amabat eum!* Aspicite & vos Deum ob amorem vestrum in peccatis mortuorum, sanguineum sudorem fundentem, verbera perferentem, ligatum hostibus traditum, derelictum & ad mortem abeuntem, & dicite, *Ecce quomodo amabat* nos.

D. III. Dei misericordiá.

Magnum 1.

Tertiò, Dei misericordiam quando miseriarum nostrarum miseratus, vt ab iis nos eriperet, ipse pro nobis extremas adijt miserias & in se suscepit nostras. Indicauit etiá hoc Apostolus subd. loco ad *Eph.* 1. *Deus autem qui diues est in misericordiá*, inquit, *propter nimiá charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos Christo, &c.* Diues imò ditissimus fuit in hac misericordiâ Deus, quia in Cruce thesaurum aperuit suæ misericordiæ & abũdantissimo pretio nos redemit. Cùm enim redimere nos omnesque nostras miserias depellere per vnam lachrymulam posset, maluit instar Pelicani (qui auctore pierio *l.* 20. *hierogl.* pullos suos veneno infectos interfectosque sanguine de cruribus suis elicito viuificat) de corpore suo sanguinem elicere, vt mortuos nos vitæ restitueret. Vnde in personâ Christi meritò dixit Dauid. *Psal.* 101. *factus sum sicut pelicanus in solitudine.* Deinde cùm quælibet gutta sanguinis Christi infinitum haberet valorem & sufficeret ad infinitos redimendos mundos, voluit tamen effundere copiosum, quod in hymno sacro expressit D. Thomas Aquinas: *Pie Pelicane IESV domine: me immundum munda tuo sanguine, cuius vna stilla saluum facere, totum mundum posset omni scelere.*

Deinde vt vitam mortuis restitueret, victus misericordiâ vitam ipse suam posthabuit & dedit. Celebris fuit illa misericordia filiæ Pharaonis, quando videns fiscellam seu arculam in fluuio denatantem, ad littus eam trahi & aperiri iussit, & cum paruulum in eâ vagientem vidisset, miserta eius nutriri eum fecit, nutritum adoptauit in filium & in regiâ suâ splendidè educauit ac Moysen vocauit, id est, extractum, quia de aquâ eum tulisset. *Exod.* 2. quæ historia multum exprimit Dei in nos misericordiam. Nos enim sicut infantes Hebræorum à Pharaone mergi iussi, ad mortem & gehennam ob peccata nostra eramus condemnati & iamiam expositi flumini huius vitæ, ad illam delabendo properabamus, certi de submersione. Sed nostram hanc miseriam videns Dei sapientia, miserta nostri extraxit nos (Habet enim peccatum duas quasi facies: vna mouet ad iram quâ Dei offensa est: altera ad compassionem, quâ hominem coniicit in miseriam. Primam inspexit Deus cùm mundum diluuio perdidit, *tactus dolore cordis intrinsecus!* secundam cùm eum restaurauit) & in filios suos adoptauit, deinde in Ecclesiâ instrui fecit vt ad extremum in regiam suam cœlestem transferret. Ita esse docet noster baptismus, de quo omnes leuati sumus, quique à Christo institutus est, vt sciremus nos instar Moysis de aquis perditionis per Christum ereptos esse. Sed tamen modus liberationis huius longè diuersus fuit ab illo, quem adhibuit filia Pharaonis. Illa famulam misit, quæ Moysen ex aquis eriperet: Deus ad nos eripiendos ipsemet de cœlo descendit. Famula missa fortè vncum aliquem aut perticam accepit, quâ Moysen extraheret; nullum corporis damnum incurrit; aut vitæ periculũ subiit: Deus ipsemet in torrentem passionis descendit & dum mergendos iamiam nos humeris suis effert & in tuto ponit, ipse interim pondere nostro prægrauatus mergitur, id quod sibi euenturum optimè prænorât. Istud nobis insinuauit dominus in parabolâ Samaritani, qui videns vulneratum iacentem misericordiâ motus super eum appropinquauit & mox de equo descendit, saucium illi imposuit, ipse pedes iuit eumque in diuersorium duxit & curari expensis suis fecit. Tametsi enim hoc Samaritani officium exile videtur, & humilis ac liberalissimus Dominus immensum beneficium redemptionis suæ, exiguis hisce lineamentis describit, maximum tamen id erat. Vidit enim humanum genus saucium vsque ad mortẽ æternam: in terrâ ita fecit, cùm propter illud in terram descendit: Venit secus illud, cùm naturã induit humanam: de equo suo descendit, quando anima de corpore separata mortem oppetiit: vulnera nostra obligauit, cùm pro nobis ipse vulneratus fuit & sacramenta de vulneribus suis nobis distillauit: in iumentum suum sustilit, quando sua merita nobis donauit & gratiam quæ suauiter nos portat: ipse pedes incessit, cùm miserias nostras in se suscepit, vinculis suis vincula nostra dissoluit, vul-

vulneribus suis vulnera nostra sanauit, sanguine suo nostra debita exsoluit, labore suo quietem nobis acquisiuit. An non immensa sunt hæc omnia? Celebris fuit Traiani Imp. misericordia, qui cùm militum suorum vulneribus post conflictum cum Decebalo rege Dacorum, ligamina deessent, propriam vestem in fascias discissam eis diuisit, vt refert Dio. Sic Christus vestem corporis sui scindi permisit, vt vulnera obligaret nostra.

E. IV. Dei iustitiam. QUARTÒ, Dei Iustitiam, dum non pepercit proprio filio suo, qui tamen aliena tantùm in se peccata susceperat, sed tam seuerè eum castigauit. Vnde *ad Rom. 3.* ait Apostolus: *Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionē iustitiæ suæ.* q. d. statuit Deus filium suum in. exemplum seuerissimæ iustitiæ ad omnium terrorem. Ea autem fuit

Seuerissimam. 1. seuerissima. Primò, quia licet filij Dei mors intercedere deberet, nihilo magis tamen retrocessit, sed in rigore suo processit, cùm per absolutam suam potentiam potuisset Deus homini debitum vel omnino condonare, vel alterius aliqualem satisfactionem pro eo acceptare. Quanta verò ira Regis illius in subditum foret, quæ obiecto proprio filio nequiret mitigari, sed in eundem sine misericordiâ sæuiret? Quando ignis de cœlo missus sæuijt in rebelles Israëlitas, vbi peruenit ad Aaronem cum incenso stantem inter mortuos & viuentes, mox cessauit plaga, nec attingere tentauit sacerdotem Domini innoxium. *Numer.* 16. Atqui hoc factum non est in proposito. Posuit enim se DEI filius medium inter DEI iustitiam & hominum peccata, nec non cum ardentissimo orationis incenso placare patrem laborauit in monte Oliueti, cùm dixit: *Abba pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me*, *Marci* 14. quæ oratio haud dubiè plus alioqui valebat, quàm si omnes Angeli & sancti DEI orassent. Adhæc innocentissimus fuit & apud patrem suum amabilissimus, non tamen ideò stetit ignis iracundiæ diuinæ, sed in ipsum eius filium implacabiliter deseuijt. Referunt Cantipratanus *l.* 2. *c.* 36. *p.* 6. Fulgos. *l.* 1. *c.* 6. Cæsarius *l.* 9. *c.* 38. de viro nobili, quem Comitem vocat Cantipratanus nomine Erkimbaldum de Borban, qui lecto affixus intellexit filium (alij nepotem dicunt) virgini vim intulisse. Domini hæredem, nemo accusare, multò minùs audebat punire. Quid ageret ergò dominus? certabant in eo paternus animus erga vnicum hæredem: & alterâ ex parte iustitia, sceleris vindictam virgens, quæ & vicit. Vocat igitur filium tamquam vltima monita daturus: priùs tamen sub ceruicali pugionem abdiderat, quo necem inferret sonti. Adfuit ergò filius patrem placatum sperans: dumque postulanti patri aurem admouet, ille pro osculo pugionem condit in gutture tenens interim & amplectens alterâ manu filium, nec desinit premere donec videt exhalasse. *Hanc accipe victimam iustitiæ Deus* (addit) *tibi immolatam. Scis qua in animo & visceribus meis doloris magnitudo obuersans lancinet paternum amorem: sed vicit amor tui.* Qui etiam propter id factum à Deo absolutus est: siquidem Eucharistiam, quam illi Episcopus negârat, angelus ministrauit. Magnus profectò in hoc viro iustitiæ zelus & seueritas: qui si filio non pepercit quomodo parceret alijs? Sed longè seuerior diuinæ iustitiæ zelus cernitur in cruce; siquidem Comes ille noxium puniuit: Deus autem filium innocentem, & qui ex merâ tantum beneuolentiâ alienas in se culpas sustulit. O quantum in corde Dei certare debuerunt (si humano more loquamur) amor & Iustitia? Ille absoluebat tamquam filium & innocentem: ista condemnabat tamquam peccatorum vadem. Sed vicit tamen Iustitia, licet vnum tantùm pro se haberet suffragium, amor verò duo; siquidem in corpus filij collidit lignum crucis & atrocissima tormenta. Sed libet interrogare, quamobrem Deus Pater non remiserit filio hanc pœnam, saltem idcircò, quòd is ex merâ beneuolentia & charitate hominum in se culpas transtulerit? Nouimus enim ex historijs id factum ab hominibus. An non truculentus Tyrannus erat Dionysius? Et hic tamen absoluit Damonem & Pythiam, quòd alter innocens pro altero nocente se vadem dederit in carcerem & obtulerit ad supplicium. Placuit enim Tyranno hoc certamen amicitiæ tantopere, vt vtrumque non modò absoluerit, sed etiam rogârit; vt se quoque in amicitiam suam reciperent. Iam igitur, cùm idipsum præstiterit nobis Dei filius, quomodo cœlestis Pater non permotus est, vt & reū dimitteret hominem, & vadem quoque Christum? Quid hîc respondebimus? nescio, Deus scit: nisi fortè id Dauidis *Psal.* 100. *Misericordiam & iudicium cātabo tibi Domine.* Duę hæ sorores in Deo, Misericordia & Iustitia, simul gradi volunt, separari ab inuicem nolunt.

2. Secundò Quia de tot grauissimis suppliciis nihil remisit filio; licet quodammodo omnes creaturæ se pro eo interponerent, velum templi scinderetur, terra tremeret, petræ disrumperentur, sol retraheret radios. Qualis enim foret illius Ducis iracundia, qui post definitum militi reo supplicium nec in minimo exorari posset à toto suo exercitu, vt aliquid ei remittat? Conceperat iram Saul in Ionatham filium & decreuerat supplicium; quòd mandatum suum, inscius licet, prætergressus esset. Sed conclamans contra regem populus: *Ergóne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël?* Ionathan liberauit, 1. *Reg.* 14. Conclamabant etiam contra cædem Christi ad Deum cælum, aër, terra, templum: quasi liberare eum vellent & dicerent cum Pilato; *Quid enim mali fecit?* non tamen eripuerunt. O seueram Dei iustitiam! Audi Dauidem in personâ Christi loquentem ad Deum Patrem. *Psal.* 87. *super me confirmatus est furor tuus & omnes fluctus tuos induxisti super me. Confirmatus*, inquit, donec videlicet plenissima satisfactio existeret & tanta quanta furor Dei in peccata hominum requirebat.

ſcilicet & moriendo, hoſtes ſuperauit. Vt verè de hac dici poſſit id *Iud.5. Noua bella elegit dominus & portas hoſtium ipſe ſubuertit. Clypeus & haſta ſi apparuerunt?* Quid enim mirabilius, quàm victum vincere, occiſum triumphare, per ignominiam expugnare gloriam?

2. Apparet etiam in eo DEI ſapientia, quòd ſine omni deſtructione vicit & expugnauit hominum corda & ad ſui amorem non terrendo aut quatiendo aut carnificinam creaturarum ſuarum excitando (Lacones autem quando ſtratagemate ſine effuſione ſanguinis ſuperabãt hoſtem, Marti bouem immolabant: ſi cum cæde, nonniſi gallum, Maiol. *tom. 3. col. 2.*) ſed ſuauiter alliciendo pertraxit, vt vltrò ei portas reſerarent. Itaque è caſtellis cordium humanorum hoſtes diabolos eiecit, vt caſtella ipſa non læderet. Audi Chryſoſtomum hom. 35. operis imperf. *ſi rex terrenus*, inquit, *videret quod ciuitatem illius occupatam teneat hoſtis, quid facere poſſet? nihil niſi vt ponat arietes, circumducat exercitum, deſtruat mœnia, quæ forte ipſe ædificauit, vt tantummodo hoſtem expellat. Sed videamus ſapientiam noſtri regis. Poſtquam vidit caſtra ſua occupari hoſte alieno, ſic hoſtem expulit, vt caſtra ſua non læderet*, &c. Atque ita impletum eſt quod *Eſa. 42.* prædictum eſt de Chriſto: *Iudicium gentibus proferet: non clamabit, nec audietur vox eius: calamum quaſſatum non confringet & linum fumigans non extinguet.* Obſederat multo tempore Deus indurata & rebellia hominum corda vt inde hoſtem ſuum diabolum eiiceret: quaſſata arietibus & plagis maximis. Sed ferè fruſtrà laborauit. Venit igitur Dei filius & nouam bellandi artem tentauit, tela hominum & cacodæmonum in ſe coniecta omnia excepit: hominibus & facturis ſuis nihil nocuit: atque ita animos eorum vicit, vt vltrò portas ei aperirẽt, ad eum excurrerent, dæmone eiecto in caſtellum ſuum introducerent magno cum deſiderio & amore. Si per vim & potentiã ſuam Chriſtus eos coëgiſſet, confregiſſet & ſibi ſubieciſſet, inuitos habuiſſet ſubditos & coactè ſeruientes. Modò autem non armis eos ſuperauit, ſed amoris vinculo ſibi deuinxit, vt vltrò in amplexum eius ruerent & in odorem vnguentorum, id eſt, meritorum & Sacramẽtorum eius currerent. *O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcietiæ Dei!*

Quando igitur per crucem deuenimus ad Dei cognitionem & ſcimus nunc quis & qualis ipſe ſit, ita nos geramus erga eum ſicut decet erga Dominum & Deum. Gratias agamus ei ob bonitatem, redamemus amantem, ſperemus in miſericordem, timeamus iuſtum, confidamus in potente, obediamus ſapienti.

PARS SECVNDA.

De cognitione rerum ſpiritualium extra Deum.

Ex paſſione item Chriſti Domini intelligimus
1. 2. *Dignitatẽ animæ noſtræ ac proximi noſtri.*
3. *Dignitatem gratiæ & virtutis.*
4. 5. *Grauitatẽ peccati & pœnarum inferni.*
6. *Magnitudinẽ gloriæ cæleſtis.*

LEgimus 4. *Reg.* 22. repertum aliquando ab Helciâ Pontifice librum legis in templo, qui cùm legeretur coram rege Ioſiâ, perterritum eſt cor eius & ſcidit veſtimenta ſua quòd videlicet ipſe & populus eius ea, quæ in illo libro dicebantur, non ſciuiſſet nec obſeruaſſet. Proponit etiam nobis hodie Eccleſia & legit in templo librum mirabilem, crucifixum ſcilicet & in eo mira quædam arcana: quæ ſi nos intelligeremus, abſque dubio etiam perterriti non tam veſtes, quàm corda ſcinderemus. Hic eſt ille liber quem S. Ioan. *Apoc.* 5. ſcribit ſe vidiſſe in dextera Dei ſedentis ſupra thronum ſcriptum intùs & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Sanctus enim Hilarius *in præfat. ſua in Pſal.* docet Chriſtum deſignari per hunc librum, cuius ſeptem ſigilla, ſeptem ſunt redemptionis noſtræ myſteria. Incarnatio, Natiuitas, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio, Miſſio Spiritus S. Aduentus ad iudicium. Hic liber hodiernâ die poſitus eſt in pulpitum Crucis, ſcriptus intus & foris: intus per amorem & dolorem, foris per vulnera & cruorem: ibidem etiam apertus & expanſus eſt, vt ab omnibus legeretur quidquid in eo ſcriptum eſt. Habet hic liber duo tantùm folia, quæ ſi quis accuratè perlegerit, inueniet in vnâ quodammodò ſummâ quidquid Theologia tam ſpeculatiua quàm practica tot ſæculis & tot laboribus tradidit: In primo folio perſpicitur, quidquid ad cognitionem Dei & rerum à Deo reuelatarum pertinet adeoque traditur Theologia ſpeculatiua. In ſecũdo Theologia moralis, res ſcilicet quæ nos ad virtutem amplectendam & vitium fugiendum magis incitant quàm vllæ aliæ, quæ poſſint excogitari. In primo, quid ſciendum & credendum: In ſecundo quid faciendum & omittendum. Quoniam itaque hodiernâ præſertim die liber iſte nobis proponitur ab Eccleſiâ vt in eius lectione ſedulò immoremur & iam primâ concione latus vnum folij prioris legimus, perlegemus nunc & alterum: folium verò ſecundum ſequentibus duabus concionibus. Sed prius Deum oremus vt det nobis oculos illuminatos, quibus intelligere poſſimus quæ legimus. A

Septem arcana legimus in libro S. Crucis, quæ ſi intellexerimus, ſat ſuperque ſciemus.

PRIMÒ, dignitatem animæ noſtræ; ſiquidem pro eâ dedit Dei filius pretioſum ſanguinem ſuum, imò ſe totum. Quàm enim nobilem & generoſam oportet eſſe virginem illam, pro quâ redimendâ & ſibi deſponſandâ Dei filius tantum iter ſuſcepit & tam difficile certamen iniit, adeoque mortuus eſt? Multa cecinerunt poëtæ Gentiles de Helenæ Reginæ pulchritudine, quæ decennalem Troiæ obſidionem, denique ruinam & excidium cauſauit. Sed quid vaniſſima illa forma Helenæ reſpectu animæ, ob quam Dei filius è cœlo venit, & 33. annis pugnauit ac denique corporis ſui deſtructione eam redemit? Siquidem propter animas noſtras ipſe dixit; *Soluite templum* B. I. Dignitatem animæ noſtræ.

plum hoc. Ioan. 2. Certauit etiam pro animâ diabolus, imò eam velut Paris Helenam iam rapuerat & corruperat, sed vicit eum Christus prælio passionis suæ & prædâ ei eripuit. Quàm speciosa fuerit Rachel, ex eo colligimus quòd Iacob pro eâ septem annis seruierit pascendo oues in æstu & gelu: & tamen visi sint ipsi pauci dies ob amoris magnitudinem. *Gen.* 29. Ergò similiter ex eo colligimus animæ humanæ præstantiam & nobilitatem, quòd Christus pro eâ 33. annis seruierit & mortem oppetierit ac immania sit passus per horas circiter octodecim; quod tamen spatium appellauit modicum: *Et iterum modicum & videbitis me*, *Ioan.* 16. Iam si Dei filius pretio infinito sanguinis sui nos comparauit: quis non maximi æstimet & cautissimè seruet animam suam? Vnde S. Augustinus: *Videns animam meam*, inquit, *sanguine filij Dei emptam nolo illam post hac tam paruo videre.* Et S. Petrus 1. *Petr.* 1. *In timore incolatus vestri tempore conuersamini: scientes quòd non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conuersatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Quis nescit puellam forma præstantem, quæ ob suam pulchritudinem Principem habet amatorem vel iam sponsum, nequaquam nubere sordido alicui & vili seruo, sed nec responso quidem aut alloquio dignari viles eiusmodi procos? Atqui anima nostra nobilissimum habuit habetque amatorem Dei filium: quid igitur cum vilissimis creaturis colludimus & negotiamur? Et quis explicet illorum vesaniam, qui tam facilè animam suam oppignerant & dant diabolo: qui tam proni sunt ad iurandum per salutem animæ suæ, etsi sæpe falsò, quasi eam nihili æstiment? *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* Ratio est, quia nobilissimæ indolis est anima, capax similitudinis diuinæ & omnium virtutum ac gloriæ.

C. II. Dignitatem proximi nostri. SECVNDÒ, Dignitatem proximi nostri; siquidem pro ipso etiam Christus idem pretium exsoluit, quod pro te: licet is vilissimum sit mancipium, & abiectissimus hominum: Vnde ex hoc nouo titulo fratres sumus omnes. Et si multum est, nos fratres esse propter communem creationem, plus est fratres esse propter communem redemptionem. Hoc enim titulo redemptionis maximè gloriantur sancti præ omnibus alijs; Vt Apoc. 5. *Redemisti nos in sanguine tuo*, &c. Vnde licet alios ob respectus, videlicet ob statum, dignitatem, opes, nobilitatem, libertatem, &c. alter alterum excellat, ij tamen minus principales minusque respiciendi sunt. Quemadmodum in aliquâ nobili familiâ, licet alter altero ditior, honoratior & prudentior sit, &c. quiuis tamen alios vt æquales agnoscit, pari titulo honorat, eadem illis insignia libenter concedit, licet illi non possideant eam arcem vel domum, cuius titulo alter gaudet, quia nimirum præcipuum quod considerat & considerari debet, est sanguis idem, à quo orti sunt. Modò autem per sanguinem Christi omnes vnum & idem sumus, omnes conglutinati sumus, quia nostra salus ab eo prouenit. Seponamus ergò alios quoscumque respectus secundarios, ad hunc primarium attendamus; Cognatos se agnoscant liber & seruus, nobilis & ignobilis, diues & pauper, doctus & indoctus, maximus & minimus, dominus & seruus. De seruo Centurionis ait S. Lucas *cap.* 7. quòd *erat illi pretiosus*: Si pretiosus ei erat, quando pro illo nondum exsoluerat Christus pretium sanguinis sui; quanto pretiosior nunc esse nobis debet proximus, siue seruus siue alius quicumque, postquam pro eo pretium iam solutum est.

Nemo igitur proximum suum contemnat, licet inferiorem. Audi Augustinum de verbis Domini: *Quem vis contemnere*, inquit, *pretium eius attende*, *& cum morte Christi totum mundum appende.* Quantò minus alter alterum seducere consilio vel exemplo debet? Si enim *aurum est*, iuxta parœmiam nostram, *quod aurum valet* vel auro comparatum est, quomodo non item sanguis Christi est, qui sanguine Christi emptus est? Quanti autem sceleris reus habeatur, qui sanguinem Christi effunderet & pedibus calcaret? Sacerdos qui S. calicem euertit in altari etiam præter voluntatem ex incuriâ, diuturnæ & graui addicitur pœnitentiæ ex lege pontificiâ: quantò grauiorem ergò merebitur pœnam qui proximum suum perdit? Si enim non pluris faceret Christus proximum nostrum, quàm sanguinem suum: non dedisset pro eo sanguinem. Vnde Apostolus 1. *Cor.* 8. ait: *Et peribit infirmus in tuâ scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Vide ergò quid agas si proximum destituas siue corporali, siue spirituali auxilio, præsertim si scandalizes: hinc enim fulminantia illa domini verba prodierunt: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum maris. Et væ mundo à scandalis. Matt.* 18. Quomodo ita tonaret Dominus contra scandalum, nisi per id ei maximi res pretij auferretur & periret?

D. III. Dignitatem gratiæ & virtutis. Tertiò, Dignitatem gratiæ & virtutis; Vt enim has in nobis plantaret DEI filius, de cœlo descendit & in crucem ascendit. Multi libri conscripti sunt de præstantia virtutis, nihil tamen eam adeò explicat, adeoque extollit, quàm quod filius Dei eam nos docere & morte suâ comparare nobis voluit. *Dedit semetipsum pro nobis*, ait Apostolus ad *Tit.* 2. *vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ante Christum nesciebat homo pretium eius: Post Christum didicimus. Peregrinæ aliquæ plantæ in hortis principum magnis sumptibus parantur & conseruantur, veluti fornacibus per hyemem calefactis. Quàm ergò pretiosa erit humilitas, paupertas, patientia, iniuriarum tolerantia, &c. quas vt in Ecclesiâ suâ Christus plantaret, sanguine suo rigare voluit? Gaudeas igitur quisquis es, si talem habeas in horto tuo plantulam. Gratiæ verò præstantia ex eodem pretio colligitur.

Si

Si enim rusticus casu inuenisset gemmam quam vitrum existimaret, eamque proinde paucis nummis vendere vellet, si quem offenderet mercatorem, gemmarum æstimatorem peritissimum, qui statim illi pro eâ offerret tria millia ducatorum: nónne rusticus manum retraheret? nónne sapere inciperet & intelligere, non vitrum sed gemmam esse pretiosissimam? nónne sedulò custodiret, nec nisi pro æquiualente pretio venderet? Ante Christi passionem nesciebamus pretium gratiæ, pro vno lentis edulio sicut Esau, pro vnâ ebrietate, vnâ fornicatione dabant homines gratiam. Postquam verò nunc Christus pro eâ vitam & sanguinem suum dedit, numquid non manum retrahere & pretium eius intelligere ac diligentissimè custodire debemus, nec nisi pro re æquiualente, scilicet gloria vendere? Magna sanè stultitia tam vili vendere, id quod Christus tam carò emit peritissimus rerum æstimator. Obtulit pro hac gemmâ primus mercator diabolus omnia regna mundi: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*, id est, si de gratiâ in peccatum cecideris. Sed mercator alter Christus longè plus obtulit, vitam scilicet suam. Quid verò nunc mortales? Mirum certè; propter iacturam rerum temporalium plorant implacabiliter, vt ille qui 4. *Reg.* 6. multo fletu prosequebatur demersam securim quam mutuò acceperat; pauci deflent amissam gratiam. O modum agendi præposterum! Quid aliud est gratia, quàm virtualis gloria? Vt enim pecunia in cistâ, virtualiter est palatium, hortus, prædia, viuarium, deliciæ omnes, &c. quia per eam hæc omnia comparari possunt, sic gratia est gloria & omne cæli bonum.

E. IV. Grauitatem peccati. QVARTÒ, Grauitatem peccati, quod tam grandi tamque pretioso indiguit balneo, quo abstergeretur. *Agnosce ô homo*, inquit S. Bern. serm. 3. de Nat. Domini, *quàm grauia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem & mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei filius moreretur.* Obstinatissimus quidem morbus est lepra, quæ nisi sanguine infantum curari non potest ex consilio Medicorum Constantini Magni; quantò verò obstinatior, grauior & desperatior morbus peccati, qui lauacro eguit sanguinis diuini, multò pretiosiore quàm sit totus mundus, ipsum cœlum & angeli omnes? magnum foret odium illius principis qui eius suos vel ideò solùm puniret; quòd cum aduersario eius amicitiam fecerint. Maius foret, si etiam aulicos aliquot & propinquos suos ideò mulctaret exilio æterno, morte ipsâ grauiori. Sed quantum illud esset si etiam proprium filium alioquin vnicum & charissimum & idcircò solùm morte acerbâ plecteret, quòd ad hostis illius castra deflexisset & causam illius apud patrem agendam beneuolè in se suscepisset? Modò, quia *odio est Deo impius & impietas eius*, vt dicitur *Sap.* 14. propter odium peccati expulit Deus primos nostros parentes è paradiso, & eum illis nos omnes, licèt illorum præuaricationi non interfuerimus, nedum consenserimus; & tamen supplicio mortis & plurimis alijs grauissimis pœnis nos addixit. Deinde amicitiam etiam cum peccato fecerunt angeli mali, nobilissimi quondam eius aulici & inter omnes creaturas ei propinquissimi, nihilominus proptereà eos Deus in perpetuum exilium acerbissimæ gehennæ deiecit. *Angelis peccantibus non pepercit*, ait S. Petrus 2. Petr. 2. *sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* Sed exigua sunt adhuc ista. Ad extremum igitur filius Dei cum peccato quidem & peccatoribus nullam iniit confœderationem aut amicitiam, sed quid fecit? descendit solùm in eorum castra, cum illis aliquamdiu fabulatus est & collusit, necnon causam eorum apud Patrem suum suscepit agendam. Et idcircò tamen ad supplicium mortis & acerbissimos cruciatus condemnatus & raptus est à Patre. O immane odium Dei in peccatum! Magnum fuit odium Saulis erga Dauidem; siquidem propter illum nisus est configere proprium filium Ionathan, eò quòd amicus Dauidi esset, & pro salute eius & vitâ patrem interpellârit, 1. *Reg.* 20. Magnum etiam fuisse debuit odium Auli Fuluij Romani erga Catilinam, eò quòd filium iuuenem & ingenio & literis & formâ inter æquales nitentem, primo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra eius euntem in medio itinere abstraxerit & supplicio mortis affecerit, prout refert Val. Max. *lib.* 4. Sed longè implacabilius odium habuit Deus erga peccatum, qui filium suum vnigenitum ideò solùm quòd cum peccatoribus iunxerit quasi amicitiam & eorum causam in se susceperit, tam immanibus supplicijs plexit. Quando ergò nunc scimus tam periculosum esse peccati morbum & coram Deo tam abominabilem; quis sine horrore audeat cum peccato habere imposterùm vel minimum commercium? An non audito solo peccati nomine tremere deberemus & fugere à peccandi etiam occasionibus velut à serpentibus?

F. V. Grauitatem pœnarum infernalium. QVINTÒ, Grauitatem pœnarum infernalium; siquidem vt ab illis nos redimeret Dei filius pro nobis non solùm mortuus est sed etiam acerbissimos pertulit cruciatus. Si enim proptereà vel homo tantùm fieri & de cœlo ad terram descendere debuisset, sat multum fuisset & maximum argumentum pœnas inferni leues non esse, quæ Deum è cœlo detraxerint ad terras. Sed prætereà etiam acerbissimè cruciari & quadam ratione ipsas inferni pœnas ad tempus degustare ac postremum mori debuit. Maxima inferni tormenta sunt, à Deo & ab omnibus charis deseri, absque vllà consolatione cruciari, potestati dæmonum relinqui, immobilem & ligatum in eodem loco iacere, in tenebris esse, & flere. Hæc omnia ad tempus suo modo passus est Christus: Derelictus fuit à patre & à charissimis discipulis: passus est absque vllà consolatione, traditus est principibus tenebrarum (hæc enim, inquit, est hora vestra & potestas tenebrarum) vt

vt omnem in eum effundere per membra sua furorem possent: ligatus & confixus ad tres horas in Cruce pependit, in tenebris, cum clamore valido & lachrymis. Eritne igitur quispiam adeò væsanus, vt existimet hæc tanta Dei filium passurum fuisse, si non essent immanes & incredibiles pœnæ inferorum? nónne indicium est maximi incendij, si per multa millliaria homines auxiliatum accurrant? Et quid si etiam in ignem insilirent, vt ardentes eriperent? Sanè Christus è cœlo accurrit ad incendium hoc extinguendum & in ipsum quodammodò insilijt. Quia nimirum *succensus est hic ignis in furore Dei & ardebit vsque ad inferni nouissima, Deut.* 32. Sed quando inferorum pœnæ grauiores non essent cruciatibus illis, quos tulit Christus, & nihil adderetur nisi æternitas nónne hoc sufficeret ad eam pœnam in immensum augendam? Pependit tres horas in Cruce tribus affixus clauis Dominus & omnes miramur, & iure miramur, & iure pertimescimus: quid igitur esset illud, si in inferno in simili cruce, non tres horas, non tres annos, non tria sæcula, non tres sæculorum myriades, sed sine fine & quamdiu viuet Deus, pendendum tibi esset? Quid si præterea in æternum flagellari, spinis coronari, opprobriis, alapis, sputis, tractionibus, calumnijs, illusionibus vexari deberes, quomodo ad tempus vexatus est Christus? nónne hoc sufficeret vt pœnas illas super omnia horreres? Sed non includentur his terminis pœnæ infernales; si enim Dei filius ob alienam culpam beneuolè in se susceptam tanta pati debuit: quid debebitur homini rebelli, proprias ob culpas? *Quia si in ligno viridi hac faciunt, in arido quid fiet?* q. d. Si arbor virens & fructifera ita tractatur: quomodo tractabitur emortua & sterilis? quantò atrociùs deseuiet in illam ignis: Et adhucne audies diabolum tibi persuadentem, non fore tam crudelem vel etiam nullum, ignem tartareum? quid? veni, accede & palpa manibus veritatem. Numquid filio pepercit Deus? & si filio non pepercit, tibi parcet?

G. VI. Magnitudinem gloriæ cœlestis. SEXTÒ, Magnitudinem cœlestis gloriæ; siquidem Dei filius per passionem suam cœlestia nobis bona promeruit & coëmit. Comparauit Dominus regnum cœlorũ pretiosæ margaritæ; *Matth.* 13. Quàm autem pretiosa deberet esse margarita illa, pro quâ non sibi sed alteri coëmendâ, mercator per plurima maris pericula vsque ad Indos nauigaret, & pro eâ omnem suam substantiam daret? Hæc verò regnum cœlorum est, pro quo nobis emendo Dei filius de cœlo venit & tormenta grauissima mortemque ipsam pertulit adeoque omnia sua vendidit.

Tametsi verò sibi etiam Dominus gloriam suam meruit, propterea tamen de cœlo neutiquàm venisset, multo minùs passus esset; quia *ego veni vt vitam habeant*, non vt habeam, inquit.

Quam ergò insigne debet esse regnum illud, pro quo acquirendo, tot labores exantlari debuerunt? Hinc Ecclesia canit: *Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.* Nihil acerbius fuit hoc aculeo: & tamen eo transfigi non dubitauit Christus, vt cœlum nobis reseraret. Quis dubitet iam pro eo fortiter pugnare omniaque exantlare?

Vnde colligimus quàm prodigus & insanus sit peccator, qui tanto pretio emptam gloriæ margaritam, tam vili rursum vendit. Intolerabilis fuit luxus Cleopatræ illius Reginæ, quando vnionem ingentis pretij (centies sestertium id est 250. assium, apud Plin. *lib.* 9. *c.* 35.) ab aure detractum & aceto maceratum pro conuiuio apposuit Antonio & vno bolo deuorauit. Sed quid is respectu gloriæ cœlestis, Christi sanguine partæ? Et tamen illam innumeri homines, sæpe merâ peccandi libidine vno bolo, vnâ ebrietate, vnâ scortatione deuorant & abligurriunt. O quàm aliquando irrugient cum Esau, qui tam paruo vendiderunt ius hæreditatis cœlestis? Si enim modò id non agnoscunt, agnoscent tamen aliquando, sed heu serò nimis: quando iactura beatitudinis magis eos affliget, quàm ipse cruciatus sensibilis.

Vidimus ergò, ni fallor, scripturam huius libri. Superest nunc vt intremus cubiculum cordis nostri & nosipsos interrogemus, num hactenus ista rectè expenderimus & cordi habuerimus. Si enim ista sciuimus & credidimus, cur, quæso, non ita viximus, vt hæc à nobis exigunt? Si tanti est anima nostra: cur tam facilè eam vendimus & negligimus? Si tanti est noster proximus: cur ita eum spernimus, deserimus, opprimimus? Si tanta res est Dei gratia & virtus, cur tam parum eam curamus & tam facilè expellimus? Si tantum malum est peccatum, cur tam facilè id admittimus? Si tam horrenda est gehenna, cur non magis eam horremus? Si tanta res est gloria, cur tam frigidè eam quærimus? Vereor sanè ne nobis etiam dixerit Apostolus, quod Galatis ilis dixit c. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos* IESVS CHRISTVS *præscriptus est* (sic enim legit Chrys. Theophylact. & alij, & sic habetur in græco) *& in vobis Crucifixus* q. d. Siquidem Christus in Cruce veluti liber vobis præscriptus, expansus & explicatus est, in quo legere possitis animæ & proximi dignitatem, gratiæ præstantiam, peccati turpitudinem, gehennæ horrorem, gloriæ eminentiam, Dei maiestatem & virtutes: cur non obedistis veritati?

In hoc libro adeò profecerunt sancta Gertrudis, S. Mechtildis, S. Birgitta, sancta Catharina, vt eruditissimæ & sanctissimæ euaserint. Hunc itaque vobiscum domum ferte & in eo diligenter legite, quando nemo est, qui legere non possit. In hoc fieri Doctores in cœlo possumus, &c.

CONCIO VI.

Quomodo per passionem Christi reformata sit voluntas.

1. *Passio Christi accendit odium peccati.*
2. *accendit in nobis amorem Dei.*
3. *Accendit nos ad patiendum pro Christo.*
4. *Accendit in nobis spem ac fiduciam.*
5. *Ad gratitudinem, ratione doni, modi & causæ propter quam nobis tanta bona contulit.*
6. *Ad amorem & sequelam virtutum.*

THEMA.

Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accendatur? Luca 12.

A DVæ sunt potentiæ hominis, quibus à cæteris differt animalibus, intellectus & voluntas: quæ tamen per peccatum miserè sunt deformatæ & corruptæ, intellectus ita obscuratus, voluntas ita debilitata & deprauata vt nulla inter bestias & homines differentia esse videretur. Ex prima corruptione nata sunt tot Idololatriarum, superstitionum & hæreseon genera: ex secunda voluntas facta est infirma, rebellis & ad malum prona, multoque magis propensa ad amandum se & sua quàm ad Deum ipsum. Ignorabant homines Dei prouidentiam, retributionem operum, iudicium, vitam & mortem æternam, virtutum pulchritudinem, vitiorum turpitudinem, regulam bene viuendi, imò Deum suum; & seruiebant dæmoni, à quo decepti rapiebantur ad æternam noctem. Similiter voluntas eorum peruersissima erat, fastidiebat virtutem, sapiebat tantùm ea quæ carnis sunt. Vnde Scriptura ait homines degenerasse in bestias, mutatos in carnem, &c. *Psal. 48. Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Igitur vt hisce nostris infirmitatibus mederetur Dei filius, pro nobis homo factus & passus est. Et licèt toto vitæ suæ tempore in hoc incubuerit, vt mederetur his vulneribus doctrinâ & vitæ exemplo, maximè tamen & efficacissimè præstitit id in passione sua. Et hoc est quod ait Dominus *Luc. 12. Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accendatur?* (Quod autem hunc ignem passionis suæ tempore potissimùm missurus esset in orbem ad illuminandum & inflammandum eum, patet ex verbis adiectis; addit enim: *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Certum autem est per baptismum intelligi passionem.) Ignis autem duo præstat, illuminat & accendit seu inflammat. Vidimus suprà quomodo passio Christi illuminet intellectum ad vera & solida bona cognoscenda, nunc videbimus, quomodo accendat voluntatem ad bene operandum.

B. I. Accendit odium peccati. PRIMO Passio Christi Accendit odium peccati & contritionem excitat. Quomodo enim potest non odisse peccatum, qui cogitat illud causam dedisse morti filij Dei? Si vel bos vel equus, aliáve bestia infantem fortè occiderit, eam omnes homines abominantur, omnes persequuntur, nemo facilè eius carnes edere vult; vnde tales bestiæ necantur & alicubi suspenduntur: *Exod. 12.* verò talis bos vetatur comedi & iubetur lapidibus obrui. Et tamē nulla est bestiarum culpa, si quem neci dēnt. Quantò æquiùs irasci debet homo peccatis suis, quibus velut cornibus, vti bos infanus & cornupeta, filium Dei confixit in Cruce? Audi quid dixerit Iacob, quando filij sui Iosephi à fratribus venditi vestem sanguine consperſam vidit *Gen. 37. Tunica filij mei est,* inquit: *fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Videt iam tunicam filij Dei in cruce sanguine cōspersam. Et quis ita eam cruentauit? fera pessima, peccatum tuum, superbia tua, inobedientia tua. Aspis illa apud Alb. M. *l. 25. animal. v. aspis,* cùm notasset à suis catulis filium hospitis, apud quem diu sine noxa versabatur in Ægypto, venenatum & occisum esse, indignata interemit filios. Iam verò & nos diuersamur in hospitio huius mundi, nō certè nostro, sed Dei proprio: tamen genuimus & gignimus adhuc in dies pestilentes catulos, qui filium hospitis nostri interfecerunt. O funestum partum! O venenatas proles! Cur non ergò occidimus omnes illos catulos? Cur non conterimus peccata? Cur non cane peius & angue auersamur? Sed dices: quomodo peccata nostra Christum occiderunt? Respōdeo occidisse occasionaliter, quomodo furtum filij est causa parenti, vt pro filio de furcâ redimendo, totam substantiam suam profundat & in extremas calamitates deueniat, totaque vitâ mendicet, &c. quia amor filij impulit eum ad redemptionem eius. Vidit Dei filius, quàm calamitas sit æterna damnatio, ideoque miseratus hominum sortem, vt eos liberaret, extrema quæque agere & pati voluit. Licet ergò peccatum occasio tantùm fuerit necis Christi, hoc ipsum tamen super omnia detestandum est. Certè Moyses vitulùm aureum, quia occasio Idololatriæ & consequentis cædis Iudæorum fuit, contriuit & combussit, *Exod. 32.* Cur non igitur peccata nostra, quia necis Christi occasio fuerunt, similiter abominamur, conterimus & comburimus igne contritionis? Porrò nunc tempus est occidendi hos catulos, conterendi hos vitulos.

Noli autem cogitare te quia non solus es qui peccâsti, ideò minori dignum supplicio, dicunt enim leges quòd non minorem mereatur pœnam is, qui innocentem occidit ope aliorum aut societate plurium, quàm qui solus occidit: & cum fure suspenditur, qui scalam tutanti tenuit vel pro eo excubias egit. Multi simul carnifices flagellârunt & crucifixerunt Christum: plurimi simul Iudæi clamauerunt: *Crucifige, Crucifige.* Et tamen singuli eorum meritò censentur & puniuntur velut rei necis Christi: licèt nullus eorum solus reatum commiserit. Et si vel vnus ex illis carni-

carnificibus vel Iudæis fuisses, si vnum tantùm ictum flagri Christo dedisses, vel vnam vocem contra eum emisisses; nónne reus mortis illius esses, & haberes cur summoperè doleres? Atqui vnum peccatum tuum, vnus lethalis ictus, vna talis vox est. Multa peccata tua, multi ictus, multæ voces sunt. Plurima & quotidiana peccata tua, plurimi & quotidiani ictus & voces sunt.

C. II. Accendit amorem Dei. SECVNDÒ, Accendit in nobis amorem Dei; siquidem ipse prior nos adeò amauit, vt cùm adhuc inimici eius essemus, pro nobis redimendis filium suum dederit. Vnde *si amare Deum pigebat*, ait S. Augustin. de cathecis. rud. cap. 4. *Saltem redamare non pigeat.* Multum per omnem modum Deo deberemus, si vel per angelum aliquem, aut corruptibili pretio nos redemisset, quo modo fortè diues quispiam, argento redimit aliquem seruum suum è seruitute Turcicâ vel carcere & mortis supplicio. Non ita nos redemit Christus, sed pro nobis se in seruitutem tradidit, & potestati dæmonum commisit: Ipse pro nobis factus est maledictum, quando in ligno maledicto pendere voluit, vt nos à maledicto redimeret & conferret nobis gratiæ benedictionem. Ipse pro nobis serpentis induit formam & vt serpens ille æneus in ligno suspendi voluit, vt nos à morsu antiqui illius serpentis sanaret. Ipse paupertate suâ nos vestiuit, suis vinculis nos soluit, suis doloribus nos exhilarauit, suis vulneribus nos sanauit, suâ morte nos resuscitauit. Vnde si magni sunt æstimanda quæ Deus nobis dedit: maioris sunt, quæ pro nobis pertulit; & si maximum beneficium est nostra redemptio, maius adhuc est, redemptionis modus. Quare S. Ambrosius iure dixit, reliqua beneficia nos ad diligendum Deum inuitare, hoc verò cogere. Et Apostolus 2. Cor. 5. *Charitas Christi vrget nos. Quoniam si vnus pro omnibus mortuus est*, &c. Si ergò in tantum nos amauit Deus, nos amantem non redamabimus? Quis nescit ignem igne accendi? Et quantus in Deo charitatis ignis, quem venit in terras mittere, *Luc.* 12. mediante suâ passione? quis hoc igne non incalescat? non accendatur? Certè propter hoc *Esa.* 64. prædicitur tempore Messiæ aquas arsuras igni. *Vtinam dirumperes cælos*, inquit Propheta, *& descenderes; A facie tuâ montes defluerent & aquæ arderent igni*; hoc est: *populi mundi inflammarentur charitate*, vt ait gl. ord. ibi. Defluxere montes, quando superba Regum & Imperatorum supercilia ad pedes Christi se abiecerunt & amore illius liquefacta sunt. Arserunt igni aquæ, quando etiam frigidissima mundanorum corda, passione Domini intellectâ, in amorem eius exarserunt. O quàm frigida ergò & conglaciata corda oportet esse illa, quæ tanto igne non incalescunt, non liquefiunt.

Certè si parentes tui in sudore vultûs sui magnam tibi acquisierunt hæreditatem, nónne eos amabis? Et quanto sudore ac labore peperit tibi Christus æternam hæreditatem? Sicuti cælestis hæreditas superat terrestrem: ita labores Christi, labores hominum. Hunc igitur non amabimus? Hoc amore ebria sponsa *Cant.* 2. ait: *Introduxit me rex in cellam vinariam* (sanguinis Christi videlicet iuxta id Gen. 49. *Lauabit in vino stolam suam*) *ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cùm ergò nos amore illo minimè inebriemur, num hoc ideò fit, quia sponsæ eius non sumus?

D. III. Accendit ad patiendum. TERTIÒ, Accendit nos ad patiendum pro Christo eiusque amore quæuis aduersa; quis enim nolit modicum quid pati ob amorem eius, qui tanta pro nobis passus est? Vnde 1. *Pet.* 4. ait S. Petrus: *Christo igitur in carne passo & vos eadem cogitatione armamini*. q. d. recogitatio passionis Domini sit vestra armatura ad similiter patiendum pro ipso.

In literis ex nouo orbe ad nos datis scriptum est gentilem quendam cùm audisset à nostris Deum pro nobis hominem factum & passum esse, dixisse, se, si id verum esse sciret, non dubitaturum pro Christo in rogum insilire & ardere; mansisse proinde infidelem, quia capere id non poterat. Credimus nos hoc Christiani, & tamen pro Christi gloriâ leuissimam contumeliam aut confusionem sæpe nolumus ferre. Theodora illa apud S. Ambrosium *l.* 2. *de Virgin.* (quam ad prostibulum detrusam vt liberaret miles, suis vestibus induit, eamque egredi iubens, pro eâ in carcere sub eius veste mansit) cùm videret liberatorem suum pro se duci ad supplicium, nequaquam sustinere voluit, vt, cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis causa fieret. Palàm ergò proclamat, se esse neci addictam, non ipsum: cùm contrà miles diceret, se iudicis sententiâ damnatum, non illam. Cùm ergò ita certantes alter alterum à morte redimere vellet, ambo simul capitis obtruncatione martyrium consecuti sunt. Certauit nobiscum Christus, se pro nobis offerendo ad mortem: certemus etiam cum illo, offerendo nos pro illo. Ita S. Margareta ad palmam Martyrij properans: *Cùm*, inquit, *dominus meus passus sit pro me, cur non & ego similiter patiar pro illo?* Denique istud est, quod SS. Martyres recreauit in carceribus & tormentis; *Ibant enim gaudentes* (vti de Apostolis dicitur *Actor.* 5.) *à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Quamquam longè diuersa est ratio inter passionem Christi & nostram. Nostrum est pati, quia naturâ sumus passibiles; quia peccatis quotidie commeremur; quia serui; quia pro laboribus nostris certum & ingens expectamus præmium. Deo non congruebat pati, & tamen passus est, Dominus pro seruo, innocens pro nocente, sine spe præmij, &c.

E. IV. Accendit spem. QVARTÒ, Accendit in nobis spem ac fiduciam. Poteramus quidem anteà cogitare Deum, vtpote tam longè à conspectu nostro positum, non curare nos & nostra. Sed non modò, postquam passus est pro nobis. Primò enim si donatur principale, donatur & accessorium: vt si donetur equus, donabitur & frænum.

num. Et si vitam filij sui Deus pro nobis dedit, quid non daturus est vt salvemur? Si nos tantis suis sumptibus liberauit; quomodo denegabit nobis auxilium & opem, quam nunc conferre potest nullo suo sumptu? Si nos fugientes tot modis & vijs quæsiuit, quomodo fugiet quærentes illum? Vnde Apostolus *ad Rom. 5. ait: Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati salui erimus in vitâ ipsius.* Et si tanta tamque difficilia pro nobis fecit, quis desperet? quis non omnia potiùs ab eo speret? Exemplum suæ misericordiæ exhibuit in cruce, offerendo regnum latroni, homini desperatissimo & iam iam ad inferos tendenti, vt nos ad fiduciam erigeret: Velut cùm medicus ad ostentandam virtutem theriacæ suæ reum capitis vel canem veneno infectum & iam morti proximum sanat theriacâ suâ.

In eiusdem rei confirmationem extendit in cruce brachia sua quàm latissimè, ad nos amplectendos, vt nullatenùs diffideremus de ipso, quem cernimus instar nutricis explicare sinum, quantum potest, vt nos ad ipsum securè accurramus, quasi nullâ ratione cadere possimus, vel à brachijs eius excidere, iuxta id Os. 10. *Ego, quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis.* In quem locum Stephanus ait: *Sicut nutrix ad alliciendum paruulum pleuè extendit brachia sua & quantum potest, cùm tamen paruulâ extensione possit eum colligere & amplecti: Sic & Christus fecit*, &c. Fecit autem hoc non modum necessariæ redemptionis maximoperè excessit, dum non aliquas tantùm sanguinis guttas, sed omnem omninò sanguinem pro nobis effudit: dum non vnum sed innumeros accepit flagrorum ictus: non vnâ in corporis parte, sed toto corpore vulneratus fuit: non in vno tantùm, sed in omnibus corporis sui sensibus: nec in vno, sed in omnibus bonis, honore, famâ, facultatibus, amicis, corpore, animâ: non ab vno sed ab omni hominum genere passus est: ab Herode rege eiusque curiâ eum deridente: à Pilato Iudice, eum condemnante: Annâ & Caiphâ sacerdotibus eum reprobantibus: scribis & Pharisæis eum accusantibus: militibus comprehendentibus & subsannantibus: Carnificibus flagellantibus & crucifigentibus: mulieribus, dæmonibus, discipulis proprijs: dum denique non quamuis mortem, sed mortem crucis sustinere voluit. Quando igitur per hanc tam copiosam redemptionem suam adeò extendit manus Christus, quis non speret in illum, & ab illo omnia? Neque etiam ardui quidquam ad salutem nobis parandam restat; (non enim rursum pati debet, vt nos saluet) sola applicatio passionis requiritur.

F. V. *Accendit ad gratitudinem.* QVINTÒ, Accendit nos ad gratitudinem. Tantum enim est redemptionis beneficium, vt si homines tacerent, teste ipso Saluatore, lapides clamarent. Si enim consideremus quid, quo modo, quâ ex causâ nobis acquisierit passione suâ Christus, quomodo non gratissimi erimus? Id quod contulit immensum est, vno verbo explicatum à Ioanne *c. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et *1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Facti igitur sumus filij Dei, non denominatione tantùm extrinsecâ, sed reuerâ, *vt nominemur & simus*, ait Ioannes, adoptiui scilicet. *Quod si filij & hæredes per Deum*, ait Apostolus *ad Gal. 4.* si filij Dei, quid metuimus? quid nobis nocere potest? Hanc autem dignitatem habemus per Christum. *Multos Dei filios*, ait S. Augustinus, *vnicus fecit Dei filius: sibi acquisiuit fratres suo sanguine: approbauit illos cùm ipse reprobaretur, redemit eos cùm ipse caperetur, manumisit eos cùm ipse venderetur, condecorauit illos dum ipse dedecoraretur, resuscitauit eos dum ipse moreretur.* Per passionem Christi sponsæ & membra illius facti sumus, ipse sponsus & caput nostrum. Quod si sponsæ & membra eius sumus, ergò diliget nos vt sponsus & caput nostrum; ergò omnia sua nobis communicabit bona; ergò vbi est ipse, & nos erimus. *1. Ratione doni.*

Porrò modus quo hæc bona nobis contulit, longè præstantior est ipso dono; quia non per angelum Vicarium, sed per seipsum nostræ liberationis opus operatus est: deinde per acerbissimam passionem & totius sanguinis effusionem. Nihilo stetit DEO mundi fabricatio, sed redemptio quamplurimum. Et si ob creationem grati esse debemus, quantò magis ob redemptionem? Denique cum maximâ charitate, ita vt, licèt plurima pro nobis passus sit, longè tamen plura pati paratus fuerit, si necessarium fuisset. Tribus horis pro nobis in cruce stetit, sed si opus fuisset, libenter in eâdem stetisset vsque ad diem Iudicij. Quinque principalia pro nobis accepit vulnera, sed si opus fuisset, quinque millia accepisset. Vnam pro nobis dedit animam, sed si mille animas habuisset, omnes pro nobis ponere paratus fuisset. Hoc verò colligimus ex eo quod ipse dixit: *Soluite templum hoc, Ioan. 2.* corpus suum intelligens, quasi mox id dissolui cuperet. Rursum: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum. Luc. 22.* Et: *baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor donec perficiam illum?* Quis autem nescit longè maiore gratitudine accipi solere & debere, quod magnâ cum charitate datur? Si pauperi des eleëmosynam dicens: accipe hoc exiguum quod offero & boni consule; si plus mihi suppeteret, plus tibi vellem dare: quàm aurea est talis eleëmosyna! quantâ gratitudine acceptatur! sicut econtrà quod ægrè datur, tametsi multum, insuaue tamen est. *2. Ratione modi dandi.*

Causa fuit mera eius bonitas, ex quâ solâ nullis nostris præcedentibus meritis contulit tanta bona: nullâ item spe commodi sui aut remunerationis à nobis faciendæ. Imò, ne errem, postulat à nobis aliquid mercedis, sed quid illud? Vt hoc tam munus redemptionis acceptemus & pretio nobis donato salutem æternam comparemus. Hoc vnum est quod petit, & petijt cùm in cruce dixit: *Sitio*, salutem scilicet animarum redemptarum. *3. Ratione causæ.*

O im nenſam bonitatem! Quid igitur? non agnoſcemus tantum beneficium & cum Dauide exclamabimus: *Quis ego ſum, Domine Deus, quia adduxiſti me hucuſque?* 2. *Reg.* 7. non deprædicabimus illud, & dicemus cum eodem *Pſ.* 65. *Venite, audite & narrabo omnes, qui timetis Deũ, quanta fecit animæ meæ?* non reddemus ei mercedem & potum, quem à nobis petit, ſalutem noſtram?

G. VI. Accendit ad amorem & ſequelam virtutum.

Sextò, Accendit ad amorem & ſtudium virtutũ; ſiquidem videmus præeuntẽ Chriſtũ in omni virtutũ genere, iuxta id 1. *Pet.* 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius.* Exempla autem Chriſti longè alterius ſunt naturæ & conditionis, quã reliquorum Sanctorum. Quid enim mirũ aut quid magnum eſt; ſi homo, humilis, pauper, obediens, manſuetus & patiens ſit? omnia enim hæc eius naturæ ſunt conformia. Sed Deum & Dominum gloriæ ad huiuſmodi opera ſe demiſiſſe, omnem ſuperat admirationem. Vnde quantò ipſe maior eſt omnibus Sanctis, tantò eius exempla ſunt efficaciora exemplis ſanctorum hominum.

Modò ſi homini plebeio vel militi dedecus eſt, non ſequi exemplum humile Ducis ſui, quantò maius dedecus non imitari humiliatũ Deum? Artaxerxes Perſarum rex, cùm prior ipſe montoſas & arduas, dimoto equo, ſcanderet vias: ſuos omnes ad ſe ſequẽdum alacres reddidit & expeditos, Plut. teſte. Alexander Magnus, Tyrum expugnaturus, cùm foſſam mœnibus Tyri adiacentem expleturus primũ ipſe corbem arenâ refertum apportaſſet: mox omnes eius milites, abiectis chlamydibus regẽ ſuum ſecuti, foſſam celeriter æquarunt. Polyænus *lib.* 4. Attila Vincentiam expugnaturus, cùm ipſe cunctãtibus ob aquæ profunditatem & oppidanorum defenſionem militibus, primus præcipitem ſe in foſſam demiſiſſet & per aquam mento tenus vſque ad murum euaſiſſet, omnes ſuo exemplo accendit milites vt idem aggrederentur. Nicolaus Olaus *c.* 15. *vitæ Attilæ.* Si hoc poſſunt principum exempla: quantò plus valere debent exempla Dei? Adhæc exempla Chriſti beneficia etiam ſunt nobis collata, quia propter nos & in bonũ noſtrum tantùm edita à Chriſto, vt illis inſtrueremur & accenderemur. Non ita Sanctorum exempla, quæ ipſi propter ſe potiſſimùm & in bonũ ſuum præſtitère. Qui graui infirmitate detentus deberet neceſſariò pati venæ inciſionem, ſi vitam conſeruare vellet: à quá tamen inciſione abhorreret: ſi is videret alium eádem ægritudine detẽtum præceſſiſſe ad phlebotomiam, deberet haud dubiè animari & ſequi præcedentem. At ſi videret ipſummet Medicum ſanum & incolumem, pati priùs in ſe venæ inciſionem, eá ſolá de causá, vt æger ipſe ſectionis indigus eandem pateretur; nónne multò magis excitari ad hoc deberet? Sancti viri inciſiones humilitatis, patientiæ, paupertatis, obedientiæ & ſimilium operum difficilium ſibi ipſis neceſſarias duxerunt, ideò libenter eas amplexi ſunt, & per hoc animant nos omnes ad eaſdem amplectendas. Sed Chriſtus non egebat eiuſmodi ſectionibus, quia totus erat integer & ſanus, & tamen omnes venas ſuas incidi paſſus eſt omnemque effudit ſanguinem, propter nos humilis, contemptus, pauper, obediens, patiens factus vt nos, qui talibus remedijs egemus, ad eadem incitaret. Multò igitur efficaciora ſunt exempla Chriſti cæteris ſanctorum exemplis & fortiſſimi virtutum ſtimuli. Vnde ſola vita Chriſti perfectam exemplaris rationem habet, quia ſola ad id ordinata fuit, vt omnibus in exemplum proponeretur, videturque deſignata per exemplar illud tabernaculi faciendi, quod Moyſi Deus in monte monſtrauerat: *Inſpice, ait, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt, Exod.* 25. Inſpice Chriſtiane Chriſtum in cruce, qui tibi in monte Caluariæ ad imitandum eſt propoſitus & fac ſecundum illum, ne tantis ſumptibus ædificatum exemplar, fruſtra paratum ſit. Templum Spiritus ſancti Chriſtus, Templum eiuſdem etiam Chriſtianus: inſpice templum illud & ad normam illius ædifica, perpoli, adorna & tuum: ne putes Chriſtum tibi propoſitum vt mireris tantùm & contempleris, ſed vt etiam pro poſſe imiteris, iuxta id: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis;* quod nobis donet Deus.

SECVNDA PARS.

Quas potiſſimùm virtutes doceat in paſsione ſua Chriſtus.

Immensvm quidem beneficium contulit nobis Chriſtus dum cæcatum noſtrum intellectum doctrinis ſuis illuſtrauit: quia tamen non ſolùm cæci eramus, ſed etiam claudi, hoc eſt, infirma & debili voluntate, idcircò non ſolùm lumen nobis prætulit; ſed etiam ſcipionem in manus dedit, quo greſſus noſtros ſolidaremus. Niſi hoc feciſſet, multi dicturi erant, facile eſſe viam oſtendere, ſed non item ambulare. Non egit ergò nobiſcum Chriſtus, quemadmodum Scribæ & Phariſæi, qui ſubditis *alligabant onera grauia & digito ſuo nolebant ea mouere;* ſed quod faciendum iuſſit, hoc ipſe prior fecit & modo eminentiori, v.g. Præcepit recumbere in nouiſſimo loco, id ipſe in cruce fecit, cùm ignominioſiſſimum occupauit locum in medio latronum, &c. Tametſi verò eiuſmodi virtutum exempla toto vitę ſuæ decurſu nobis præbuit, multò tamen maximè in paſſione ſuâ, vti nũc videbimus. A.

Primò, Docuit humilitatem. Quaſi enim parum eſſet, quòd de cœlo deſcendens exinaniuerit ſemetipſum formam ſerui accipiens, & maxima in humilitate totam egerit vitam, B. I. Docuit humilitatem.

ad

ad eandem ſeriò exercendam paſſionis tempore ſe contulit, quando inprimis ad pedes diſcipulorum ſuorum ſe deijcere eoſque lauare voluit, fieriqne miniſter eorum, quorum erat Dominus & Magiſter. Poſtmodùm ad hortum procedens, in oratione proſternitur ante patrem ſuum, qui *rapinam nō arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*. In eadem ab angelo ſeruo ſuo confortari & conſolationem accipere non eſt dedignatus, qui alioqui gaudium eſt angelorum. Nec contentus fieri paulò minor ab angelis, multò etiam minor ab hominibus deinceps fieri non renuit, dum inſtar latronis à lictoribus quæri, capi, ligari, trahi: velut ſtultus conſpui & velari: vt malefactor flagellari: imò quaſi peſſimus malefactorum Barabbæ inſigni homicidæ velut inſignior poſtponi, & in medio latronum velut Dux & anteſignanus eorum crucifigi ſuſtinuit, qui tamen innumeris hominibus auctor ſalutis & vitæ fuit: dum denique is, qui mira mirorum patrare & virtutem ac diuinitatis ſuæ maieſtatem declarare poterat & vel apud Herodem ſolum cupientem videre aliquod eius ſignum, vno miraculo ſe liberare gratiæque eius iuſinuare poterat, nihil horum fecit, ſed virtutem omnem ac ſapientiam ſuam abſcondit: quaſi inſcius nihil reſpondit: quaſi impotens nihil fecit. Magna Chriſti humilitas fuit quòd vſque ad 30. annos nullo miraculo ſe prodidit; ſed ibi tamen necdum occaſio dabatur. Nunc verò in tantis occaſionibus abſtinet.

Quis ergò hæc conſiderans nō amplectatur obuijs vlnis humilitatem? Quid enim magnum eſt, ſi rex vel princeps ponat in templo genua ſua, coronam & ornatum ſuum? cùm id fecerit DEI filius ante patrem ſuum? Quid magnum, ſi Dominus exhibeat obſequium aliquod ſeruo ſuo: ſi ægrum viſitet, conſoletur, paſcat, &c. cùm id fecerit Dominus gloriæ ſeruis? Quid magnum, ſi ab eodem acceptet ſalutare conſilium, fidelem admonitionem, &c. cùm ab angelo conſolationem acceperit Dei filius? Quid magnum ſi ab hominibus vilipendaris & contemnaris, opprobrijs & detractionibus impetaris, peior atque inſipientior omnibus venditeris & inferioribus poſtponaris, cùm Chriſtus latronibus peior ſit habitus & ſtulto ſimilis? Quid magnum ſi tuas virtutes abſcondas coram hominibus, cùm id multò excellentiùs fecerit Chriſtus? Quis tu reſpectu Dei? Parum eſt, ſi agaſo agaſonem iuuet in erigendo iumento & extrahendo è luto: ſed ſi rex eum iuuet, (quod feciſſe legitur Alphonſus rex Aragonum) illud mirum eſt. Pari modo nihil eſt, ſi homo humilietur: multò verò maximum ſi DEVS.

C. II. Obediẽtiam. 1. SECVNDO, Obedientiam, nam inprimis in re difficillimâ factus eſt patri obediens vſque ad mortem crucis, nullâ coactione ſed merâ ſuâ voluntate: *Oblatus eſt, quia voluit*. Et ideo ipſe ſibi crucem portauit ad locum ſupplicij, inſtar Iſaac illius, patientis ſibi imponi à patre faſcem lignorum ad ſui holocauſtum: & inſtar Cameli ſeipſum demittentis in genua ad onus ſuſcipiendum. Deinde obediuit plenè, ad amuſſim omnia perficiendo, quæ ſcripta erant de illo eique à patre iniuncta; ita vt priùs mori nollet, quàm dicere poſſet: *Conſummatum eſt. Sciens* enim *quia omnia iam conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio*, ait S. Ioannes c. 19. q. d. adhuc vnus obedientiæ actus in Scriptura prædictus ſupererat: potatio ſcilicet fellis; quâ completa demum dicere potuit, *conſummatum eſt*. Adhæc obediuit promptiſſimè, ſiquidem inſtar ouiculæ ipſemet iuit ad locum macelli, ad montem oliueti, quem locum ſciebat Iudæ cognitum & opportunū ſuæ captioni. Obediuit etiam conſtanter & vſque ad mortem, quia & obediendo mortuus eſt & moriendo obediuit. Obediuit denique vniuerſaliter, quia non Dei tantùm ſed hominum etiā licet peſſimorum voluntati ſe ſubiecit, dum ab iis ſe ligari, velari, de Iudice ad Iudicem, de platea in plateam, de ſupplicio ad ſupplicium trahi: dum ſibi corpus ad crucem aptari: dum denique à Pilato, nullum licèt in ſe ius habente, tradi ſe voluntati Iudæorum paſſus eſt.

2. 3. 4. 5.

Perpende hanc obedientiam; & vide num aliquam excuſationem habeas, cur tu obedire non debeas parentibus, dominis, præceptoribus, Eccleſiæ paſtoribus & magiſtratibus. Tametſi enim quid aſperum iubent aliquando, numquid præcipiunt vt crucem aſcendas? Et ſi Magiſtratus iubeat reum aſcendere ad patibulum vel aliam pœnam ſubire, numquid id præcipit ob alienam culpam & non potiùs ob propriam? Et ſi multa ſunt quæ tibi iniunguntur, plura iniuncta fuere Chriſto, quæ omnia ad amuſſim perfecit. Etſi mali & iniqui ſunt qui tibi præſunt: numquid peiores ſunt Iudæis & carnificibus Chriſtum pro libidine ſuâ vexantibus? Et quis tu cum filio Dei comparatus?

D. III. Patientiam. TERTIÒ, Patientiam, quam vt præcipuè intentam in tota paſſione mirabiliter exercuit & velut nuptialem veſtem toto hoc nuptiarum tempore, quo ſibi Eccleſiam in cruce deſponſauit, numquam depoſuit, ſed perpetuò inter tot cruciatuum & tormentorum genera tenaciſſimè retinuit. Multa excogitauerat Sathanas vt à S. Iob verbum aliquod impatientiæ exprimeret, multas ei inflixit plagas: nec tamen effecit aliquid. Sed longè plures & grauiores excogitauit & inflixit Chriſto vt vel vnum impatientiæ gry eliceret; percuſſit enim Chriſtum in omnibus bonis & membris, iniuriam ſuper iniuriam, pœnam ſuper pœnam accumulauit: fruſtra tamen laborauit. Acutæ fuerunt ſpinæ capiti Chriſti impreſſæ, haud dubiè à Diabolo primùm excogitatæ. Sed longè acutiores fuerunt falſæ accuſationes & calumniæ, quas meritò refellere poterat Chriſtus: eas tamen ita per patientiam & ſilentium tolerauit, *vt miraretur præſes vehementer; Matth.* 27. Homines enim etiam fortiſſimi, qui verbera ſciunt tolerare, contumelias non poſſunt & calumnias. Quàm acuta etiam tela fuerunt illuſiones, irriſiones & contem-

ptus, quos sustinuit in domo Herodis ab ipso & toto eius exercitu? Et tamen rex cum toto illo agmine & tam acuto bellandi genere, non praevaluit contra illum, vt vel vnum verbum ab eo exprimeret. Stabant coram Herode principes sacerdotum & scribae *constanter accusantes eum*, ait Luc. 23. c. At ipse constanter tacebat. Quàm acuta fuit contumelia, quà eum affecit improbus latro? Quàm acuta opprobria illa & prouocationes principum & militum sub cruce: *Si filius Dei est, descendat nunc de cruce*, &c. At ipse nihil respondebat: multò minus de vltione cogitabat, aut miraculum aliquod ad sui vltionem faciebat. O inuictam patientiam! O miraculum omnium maximum! Verè hic de Christo dici debet, quod senior quidam apud Cassianum, iniurijs agitatus à plebe Alexandrina. Cùm enim ei obijcerent, *ecqua mira Christus praeter natura modum fecisset? Hac*, inquit, *quòd ego conuitijs & iniurys vestris lacessitus ad indignationem non mouear*. Quantò vero maius hoc fuit miraculum in Christo, qui tam dirè exagitatus tam facilè potuisset hostes suos perdere, & tamen ne minimùm quidem commotus est? Tota synagoga, totus infernus simul in eum fecit impetum vt ad impatientiam aut iram vel tantillùm eum prouocarent: sed frustrà. Quàm ergò confunditur hic nostra superbia, quae nec vnius quidem hominis irrisionem aut cõtemptum sustinere potest, nedum integri alicuius exercitus?

Praeclarè S. Augustinus *Serm*. 18. in Matth. ait: *Dicit Christus homini aegro: Bibe calicem tẽtationum & tribulationum vt saueris & viuas. Et ne responderet ei languidus: non possum, non fero, non bibo, prior bibit medicus sanus, vt bibere nõ dubitaret aegrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia, prior audiuit, cùm daemones expelleret: daemonium habet; & quòd in Beelzebub eycit daemonia. Vnde vt & ipse consolaretur aegros, ait: si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius? Si dolores amari sunt, ligatus, flagellatus, crucifixus est: Si mors amara est, etiam mortuus est: Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius quàm mors crucis*. haec Aug.

Superauit haec Christi patientia patientiam Iob multis modis. Nam inprimis Iob non fuit appetitus probris & contumelijs, quod genus affligendi acerbissimum est. Deinde daemon non accepit potestatem in animam seu vitam Iob: at in animam Christi habuit & exercuit, vitam ei extorquendo. Adhaec Iob non habuit vires ad se vindicandum: habuit verò Christus. Quàm autem difficile sit non vlcisci graues iniurias cùm possis, vel ex eo patet, quòd Sampson cùm acerbè illuderetur à Philisthaeis conuiuantibus, impatiẽs eius confusionis, precatus est Deum pro viribus suis pristinis, vt vindicare se de hostibus posset, quod & obtinuit à Deo: concutiens enim duas columnas, quibus domus tota innitebatur, obtriuit ruinâ domûs hostes suos. Non ita sensit Sampson, cùm ei oculi eruerentur, cùm molere cogeretur, vel cùm illuderetur. Potuisset etiam Christus concutere columnas orbis & mille modis perdere hostes suos, nihil tamen horum fecit.

QVARTÒ, Mansuetudinem, cùm enim durante passione necessariò arguendi & monendi essent aliqui, vide quàm mansuetè, quàm pacatè id Christus fecerit. Arguendi erant discipuli somno dediti tempore maximè importuno (quia tunc magna instabat tentatio, ideoque vigilandum erat.) Et quid dominus? *Simon dormis? Et: Sic non potuistis vnâ horâ vigilare mecum? Vigilate & orate vt non intretis in tentationem*. Quid suauius, quid pacatius dicere poterat? Arguendus erat proditor Magistrum osculo tradens & ingratitudinis ac grauissimi sceleris monendus vt agnoscere posset scelus suum & resipiscere. Sed quomodo id praestitit Christus? pacatissimè. *Amice, ad quid venisti? Matth*. 24. Et rursum: *Iuda, osculo filium hominis tradis? Luc*. 22. O agnum mansuetissimum, qui lupum atrocissimum non fugit, non repellit ab osculo, sed amicum appellat & veteris amicitiae tam dulciter commonefacit! Arguendi erant milites Christum comprehendentes, quòd vno Christi verbo prostrati, nihil tamen inde emendati, manus ei injicerent eumque comprehendere ac ligare auderent, cuius potentiam insuperabilem immediatè antea experti fuerant. Sed quomodo redarguit eos? *Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me*, &c. q. d. mirũ est, quòd audeatis mihi vim afferre, cuius vim vestrã multò maiorem primùm experti estis: mirum etiam est, quòd gladijs & fustibus me quaeratis, quem inermem quotidie inter vos commorantem habuistis & vidistis: mirum denique quòd velut latronem comprehendere & ligare me velitis, cuius olim doctrinam salutarem saepe audistis & mirati estis, cuius etiam miracula & actiones nemini noxias, sed salutares oculis vestris spectâstis. O mitissime Domine, tonare debebas, & loqui *vt parturiens*, imò fulmina iaculari in tam improbam cohortem: & quasi nihil horum posses ita cum illis agis. Arguendus erat improbus ille seruus Pontificis qui Christum irreuerentiae arguens priuatâ & propriâ auctoritate, coram Iudice alapam ei dedit: arguendus, inquam, ne Christus perperam obiectum crimen fateri videretur, qui etiam improbis Põtificibus honorem semper exhibebat & exhiberi praecipiebat. Sed quomodo eum arguit? S. Chrysostomus ait quòd terra debuisset dehiscere & contremiscere & coelum exhorrere ob percussionem illam. Sed nihil horum fieri voluit Dominus: Solum id respondit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si bene, cur me cadis?* In quẽ locum S. Ambrosius in *Ps*. 37. ait: *Vide quemadmodũ quasi vir infirmus & quasi is qui se vindicare non posset, pueris quodam loquebatur affectu?* respondit enim perinde ac si puer esset imbecillis, qui se vindicare non valeret, cùm tamen in puncto temporis percussorem in Tartarum posset deijcere. Monendus etiam erat Pilatus, cùm

E. IV. Mansuetudinem.

cùm grauiter erraret dicens : *nescis quia potestatem habeo crucifigere te?* &c. vt ab hoc errore liberaretur. Sed quàm mansuetè admonuit! *non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Et quis est ille qui decet ei potestatem desuper, nisi hic ipse, quem Pilatus iudicat? Confundere potuisset meritò, hominem superciliosum & tam grauiter errantem: Sed absque confusione vlla instruendo tantùm admonuit. Tanquam agnus enim mansuetissimus inter plurimos circum se vndique strepentes lupos, ad sui defensionem nihil loquebatur: solùm ad salutem hostium suorum attendebat & salutaribus eos doctrinis commonefaciebat. Quid ad hæc superbia nostra? Si eiusmodi iniuriæ nobis irrogarentur, fulmina eiacularemur & ignes, Deos Deasque omnes contestaremur, &c.

F. V. Charitatem erga proximũ. QVINTÒ, Charitatem erga proximum, tam inimicos quàm amicos. Ipse enim pro salute humani generis maxima charitate passus est, ideò hymno dicto in montem oliueti adeòque cantans instar cygni ad mortem & passionem suam iuit. Discipulis in Oliueto dormientibus ipse velut pastor vigilans pro ouibus excubias egit, & sæpe eos reuisit. Malchum, ex comprehensoribus suis vnum, aure truncatum, statim sanauit. Petrum negantem oculo misericordiæ respexit. Dum in cruce milites ei illudunt & pro vestibus eius, ipso inspectante, ludunt: ipse interim pro eis orat & apud Patrem eos excusat. Vnde S. Bern. serm. de passione Domini fer. 4. hebd. pœn. ait: *Vide nunc opera Domini, qua posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clauis cōfossus, affixus patibulo, opprobrijs saturatus: omnium tamē dolorum immemor: Ignosce, ait, illis.* Denique suorum oblitus dolorum saluti latronis inuigilat, nostræque salutis sitim sentit & protestatur.

G. VI. Mundi contemptum. SEXTÒ, Mundi contemptum, diuitiarum, gloriæ, voluptatum: & ita enecauit tres illas concupiscentias, quæ in mundo: carnis, oculorum, honorum, quæ est *superbia vitæ* 1. *Ioan.* 2. Voluptatum quidem, cùm non alium lectum quàm lignum crucis, non aliud puluinar quàm spineam coronam, non alias epulas quàm fel & acetum, non aliam musicam quàm conuitia, irrisiones & opprobria in cruce pendens habuit.

Voluptatum.

Honorum. Gloriæ, cùm non alium thronum quàm patibulum, non aliam coronam quàm spineam, non aliud sceptrum quàm arundinem, nō alios annulos quàm clauos sanguine aspersos, non aliam purpuram quàm proprium sanguinem totum corpus operientem, non alium comitatum quàm pendulos duos latrones & nebulones habuit.

Diuitiarum. Diuitiarum, cùm non aliam vestem quàm nuditatem, non aliam domum quàm communem aërem, non aliud sepulchrum quàm alienum, quod Iosephus illi concessit, nec aliam sindonem corpori inuoluendo, quàm quæ à pijs hominibus ei coëmpta & donata erat eleëmosynæ loco. Moriens etiam poculum aquæ, quam petebat non potuit obtinere.

O qualem hic consolationem inueniunt pauperes & qui in contemptu ac vitæ asperitate degunt! Quàm confunditur hic mundus delicatulus, superbus, auarus, qui hæc omnia fugit & aspernatur, quæ Dei filius amplexus est & coluit vsque ad mortem!

Quòd si igitur vestrûm aliqui morbis angustiantur, duro lecto affiguntur, aut alijs modis torquentur: consolamini, consolamini; Christum enim Deum vestrum socium habetis in eadem miseriâ. Quod si iniustè opprimimini, negligimini, contemnimini & famę detrimentum immeriti patimini: Consolamini, consolamini; quia idem Christo accidit. Quòd si pauperies in vos sæuit, nec habetis quod induatis, vbi caput reponatis, vbi diuertatis: si liberis onusti, non habetis quod manducetis: si diuites nihil tribuunt: Consolamini, consolamini, quia vobiscum eget Christus.

Tibi denique Christe Luci & Duci animarum nostrarũ gratias habemus maximas, quòd hodierno præsertim die cæcitatem nostram illuminaris, claudicantem nostram voluntatem sanâris & frigescentem accenderis. Spondemus tibi vicissim, nos qui à te lumen & gressum habemus, perpetuò tibi seruituros.

CONCIO VII.

Septem Christi verba totidem antidota contra septem vitia capitalia.

1. *Contra iracundiam protulit illud:* Pater dimitte illis, &c.	&c. vt quid dereliquisti me?
2. *Contra inuidiam:* Amen dico tibi, hodie mecũ eris, &c.	5. *Contra gulam clamauit:* Sitio.
3. *Luxuria opposuit:* Fili ecce mater tua.	6. *Contra auaritiam:* Consummatũ est.
4. *Superbia:* Deus meus	7. *Contra acediam:* Pater in manus tuas *&c.*

THEMA.

Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Ioan. 12.

LIbro 1. *Reg. cap.* 16. legimus Regem Saul quia præuaricatus erat Dei mandatum, à Deo reprobatum & inde à spiritu malo exagitatum fuisse. Quæsitus igitur est Regi psaltes, isque erat Dauid, qui quotiescumque cytharâ canebat coram Saule, *refocillabatur Rex & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Glossa ordinaria & Isidorus apud Hug. Card. eo loco dicunt, sonum illum cytharæ nequaquam habuisse vim pellendi dæmonem, nisi quatenus erat figura crucis: Lignum enim cytharæ, crucem repræsentare; cordas verò, carnem Christi in cruce extensam. Christus igitur tamquam verus Dauid cytharam pulsauit coram primo Iudæorum Rege Saule, quando expansus in cruce coram primo homine Adamo (qui iuxta plurimorum Patrum sententiam in Caluariæ monte sepultus erat) suauissimo sono deprompsit septem illa A

ver-

verba, quibus ab Adamo, id est, humano genere ita expulit dæmonem, (qui homines peccatis capitalibus mirè exagitabat,) vt si cantus ille rectè percipiatur, cedere debeat dæmon cum suis tentationibus, & qui tentantur meliùs habere incipiant. Itaque audiamus cytharœdum nostrum, & siquis malo aliquo peccati exagitatur spiritu, sedulò attendat.

B. I. Contra iracundiam. 1. PRIMVM, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Adesto iracunde & audi sonū cytharæ. Primò enim quis es tu respectu Dei, quo ignoscente non ignoscis? numquid tu maior es Deo? aut honorem tuum pluris æstimas, quàm sit honor Dei? Cœli & terræ Dominus est, qui hæc dicit in cruce pendens: omnes suos hostes perdere in gehennam poterat; iniuriam tamen dissimulat, imò ignoscit & ignosci orat. Videbantur elementa tunc omnia coniurasse ad vindicandum Creatorem suum: ea tamen ille coërcuit, & rogauit ea, quæ pacis sunt. Vide hic verum Dauidem prohibentem filios Saruiæ ne occiderent obtrectatorem illum Semei maledicentem Regi & Domino eorum 2. *Reg.* 16. Dicere videbantur cœlum & terra cum Abisai: *Quare maledicunt canes isti Domino nostro Regi?* Eamus & disperdamus illos. Sed Christus id impediuit & pro illis orauit.

2. Secundò, quid est iniuria tua respectu iniuriarum quas pertulit in Cruce Christus? Ibi supplicium acerbissimum & contumeliosissimum: ibi omnis generis opprobria, irrisiones & scommata tulit. *Flagellis cæsus est*, inquit Bern. serm. de passio. fer. 4. heb. pœnosæ, *spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobrijs saturatus: omnium dolorum tamen immemor: Ignosce, ait, illis.* Et paulò infrà: *Mira res*, inquit; *ille clamat: Ignosce, Iudas: Crucifige.* Quàm verè hic docuit Christus, quod posteà tradidit Paulus: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*; id est, vince malefacta benefactis, malitiam bonitate ad *Rom.* 12.

3. Tertiò, Quid tua indulgentia respectu illius diuinæ? Numquid tu inimicum tuum mittere in gehennam potes? At hoc Christus poterat. Tu si ignoscere nolis, non ideò nocebis inimico: ignoscet illi Deus. At nisi Christus ignouisset, pater non ignouisset. Tu fortè iniuriam dimittis: sed Christus etiam excusat & insuper pro inimicis orat. Christus remittit decem millia talenta: tu non remittes centum denarios? prout habetur in parabola illâ *Matthæi* 18.

C. II. Contra inuidiam. 1. SECVNDVM; *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Disce hic qui inuides, quàm præclara res sit alteri sua communicare. Quid enim præclarius, quid laude dignius poterat Dominus loqui latroni quàm hæc verba? Et vide primò quàm ingens bonum communicat Christus latroni; regnum videlicet suum. Quid sunt terrena omnia vt ea alteri inuidere debeamus? Quid aliud agit inuidus, quàm quòd canis instar, os rodenti inuidet? Cælorum verò regnum tale est vt communicatione iucundius fiat. Vnde S. Gregorius *lib.* 5. *Moral. c.* 31. *Quid cupit inuidia carere, inquit, illam amet hæreditatem, quæ non minuitur multitudine hæredum, quia in omnibus est eadem & in singulis tota: & eò magis eius magnitudo apparet, quò recipientium multitudo magis dilatatur.*

Secundò, Vide cui hoc regnum det. Homini quoad conuersationem sibi ignoto, pauperculo, imò tali, qui paulò antè latro & hostis erat, nunc vero primum se insinuauit in Christi amicitiam. Disce ergò omnibus benè velle, etiam ignotis, etiam pauperibus, etiam inimicis. Plurimi bona sua dispertiunt & legant solis amicis, consanguineis & diuitibus: ægrè etiam ferrent si viderent ea in manus alienorum deuenire. Imò quando exterus vel pauperculus fortunæ aliquid sortitur, tota ciuitas obmurmurat, & prædam illi inuidet atque etiam eripere conatur: suis amicis & consanguineis datam vellet. Sed quàm hoc diuersum est à verbo Christi ad Latronem? 2.

Tertiò, Cur det. Inter alias causas tantæ liberalitatis, puto vnam fuisse, si non causam, saltem occasionem, consortium crucis. Solent enim qui in magnâ tribulatione simul fuêre aut sunt, (veluti in eodem naufragio, in eâdem captiuitate Turcicâ, &c.) sibi mutuò peculiariter bene velle, mutuò misereri & beneficia impendere; quia etiam sibi quisque id fieri optat. Vnde bonus latro reprobum increpauit, quòd in eadem damnatione cum Christo existens, ei insultaret & non potiùs commiseraretur. O infelix latro, quàm facilè tibi fuit consortium paradisi obtinere à consorte crucis tuæ! Atqui nos Christiani nónne paris conditionis sumus? nónne eodem baptismo tincti? nónne sub eodem crucis vexillo militamus? nónne in eodem mari periclitamur? nónne eandem spiritualem escam sumimus? nónne eandem cæli hæreditatem expectamus? 3.

TERTIVM, *Fili ecce mater tua.* Adesto Luxuriose & vide cui matrem suam Virginem commendet Christus. Virgini nimirum, vt intelligas quàm grata ei sit castitas, quàm sordeat impuritas: castitati etiam studere debere eum, qui Deiparæ patrocinio vult gaudere. Itaque primò disce ad vitandam impuritatem, castis te adiungere, & inprimis alicuius castitatis magistri vel confessarij directioni te subijcere, cui pericula & tentationes tuas fideliter aperias: sit is tibi Ioannes. D. III. Contra luxuriam. 1.

Secundò, In auxilium voca Deiparam matrem & Ducem castitatis, hostem verò omnis immunditiæ. Sensit eius præsidium B. Iustina Virgo Antiochena, quæ magicis artibus tentata, vt iuuenem quemdam amaret, confugit ad Dei & S. Matris auxilium, tátumque valuit imploratio B. Virginis, vt Iustina à sensu tentationis liberata Dæmonis artes irritas redderet. Nazianz. *orat. in Cypr. lib.* 5. *c.* 27. sanctus item Thomas Aquinas ab impudente fæminâ tentatus, opem Dei & Mariæ implorauit indeque victor euadens fæminam titione fugauit, eoque tempore lumbos sibi cōstrigi sensit, vt deinceps omni libidinis sensu careret. 2.

Sur.

Sur. in vitâ. Sanè Doctor Ioannes Auila nostri æui in Hispaniâ prædicator Apostolicus ex crebrâ, certaque experientiâ tradit, singulare & efficax remedium contra tentationes carnis ad conseruandam castitatem esse, si tentatus B. Virginem inuocet opemque ab eâ poscat per immaculatam eius conceptionem & angelicam puritatem, quâ concepta est & quâ pariter vt Virgo concepit Dei filium atque in honorem vtriusque conceptionis hymnos vel preces aliquas recitet.

3. Tertiò, Dolore aliquo corpus afficere sicuti hoc in verbo doloris gladius pertransiuit animam Virginis. Sic ille iuuenis apud S. Hieronymum in vita Pauli Erem. in lectum reclinatus & ligatus, cùm ab impudicâ fœminâ prouocaretur ad libidinem, cùm aliud quo se tueretur, non haberet, linguam morsu sibi resecuit & in faciem meretricis expuit cruentam. Sic Benedictus æstum libidinis sentiens, in spinis nudum se volutauit, vt doloris sensus voluptatem arceret & extingueret.

E. IV. Contra superbiã. QVARTVM, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Disce hîc superbe, in quem locum se dimiserit maiestas illa diuina, quæ olim docuit & suasit nouissimum in mensa quærere. Nemo vnquam sapientum docuit hanc virtutem: Christus primus eius professor fuit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, Matth. 11.* Ac licet eam docuerit toto vitæ suæ decursu, nullibi tamen clariùs eam nobis commendauit, quàm hoc verbo, quo ostendit omnem suam gloriam in conspectu hominum obscuratam, Deo sic volente; id quod demonstrabant densæ illæ tenebræ, quibus lumen solis penitus obscuratum fuit, quemadmodum & gloria Christi, qui est sol iustitiæ. Sed placet hoc audire verbis Card. Bellarmini de septem verbis *l. 2. c. 6. Gloria Christi*, inquit, *de quâ loquitur S. Ioannes in principio Euangelij cùm ait: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratia & veritatis: posita erat in potentiâ, sapientiâ, probitate, maiestate regiâ, beatitudine animæ & dignitate diuina, quam habuit vt verus & naturalis Dei filius. Hæc omnia passio obscurauit: & hanc obscurationem illa verba significant: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? potentiam passio obscurauit, quia cruci affixus nihil omninò posse videbatur, & ideò principes sacerdotum & milites & ipse etiam latro; exprobrabant illi impotentiam dicẽtes: Si tu es Christus, descende de cruce. Et: Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluum facere. Quanta patientia, quanta humilitas necessaria fuit vt nihil ad ista respõderet is, qui verè erat omnipotens? Sapientiam passio obscurauit, quando coram principibus sacerdotum, coram Herode, coram Pilato ad multas interrogationes, quasi consilij omnis expers nihil respondebat, ex quo factũ est vt eum Herodes indutum veste albâ spreuerit & exercitus eius. Quanta humilitas, quanta patientia necessaria erat ad ista toleranda, ei, qui non solùm Salomone sapientior, sed ipsa Dei sapientia fuit? Probitatem vitæ passio obscurauit cùm in medio latronum cruci affixus penderet, quasi seductor populorum & regni alieni vsurpator esset. Atque hanc innocentiæ gloriam magis adhuc obscurare videbatur illa derelictio Dei, quam ipse fatebatur dicens: Cur me dereliquisti? Deus enim nõ probos viros, sed improbos derelinquere solet. Certè superbi omnes valde cauent, ne aliquid dicant, vnde possint, qui audiunt, suspicari indignitatem aliquam suam eos ipsos consiteri. Sed humiles & patientes, quorum Rex Christus fuit, libenter occasionem omnem arripiunt humilitatis & patientiæ, modo nihil falsi dicant. Quanta igitur humilitas, quanta patiẽtia necessaria fuit ad ista tolerãda illi, de quo Apostolus dicit (Heb. 7.) Talis decebat vt nobis esset Pontifex sanctus, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cælis factus. Porrò regiam maiestatem passio sic obscurauit, vt pro diademate aureo spineam coronam, pro sceptro arundinem, pro tribunali patibulum, pro regio comitatu duos illi Latrones adiunxerit. Quanta igitur humilitas, quanta patientia necessaria fuit illi, qui verè erat Rex Regum & Dominus Dominantiũ & princeps Regum terræ? Quid iam de beatitudine animæ, quam verè Christus habuit ab ipsa sua conceptione? & quam potuisset, si voluisset, in corpus etiam transfundere? quàm vehementer gloriam istam passio obscurauit, cùm eum fecerit virum dolorum & scientem infirmitatem & despectum & nouissimum virorum iuxta Isaiam! (Isa. 53.) & cùm ipse clamat præ magnitudine passionis: Deus meus, vt quid dereliquisti me? Denique celsissimam personæ dignitatem passio sic obscurauit, vt qui supra omnes, non homines tantùm sed etiam angelos sedet, propter passionem dicat: Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Ad hunc igitur locum nouissimum Christus in passione descendit.* Hæc Bellarm. Vides igitur in hoc verbo, non solùm quomodo se humiliauerit Christus vsque ad mortem crucis, sed etiam quomodo suam depressionem voce magnâ profiteri non erubuerit. *Quid* ergò tu *superbis terra & cinis*, qui nec minimam ferre contumeliam aut iniuriam potes? qui gloriaris de alieno? qui defectus tuos occultas, bona verò iactas?

QVINTVM, *Sitio.* Ades hîc gulose & primò expende sitim Christi; Cuius vehementiam colligere possumus primò ex Christi contestatione. Nisi enim ingens ea fuisset, mentionem de eâ non fecisset, qui de cæteris tormentis nihil conquestus est. Secundò ex eo, quòd acetum, potum vtique ingratum, sibi oblatum accepit. Tertiò ex effusione totius sanguinis, vnde maxima sitis gignitur. Cuius exemplum est Andronicus Imp. Orientis, qui ab Isacio Angelo victus, & post mille iniurias dexterâ truncatus atque inter duas columnas pedibus suspensus, gladijs perfossus iam penè exsanguis, adeoque sitibundus mutilatam dextram ægrè admouit ori, calidum ex eâ sanguinem, vt putabatur, adhuc stillantem exsucturus. Nicetas ad annum 1185. Quanta ergò Christi sitis esse debuit, qui tot sanguinis effusionibus penitus exhaustus erat? Quando igitur videmus sitiẽtem in Cruce Christum, quâ fronte inebriari & helluari possumus? Legimus Rudolphum Imp. aquæ penuriâ cum exercitu laborantem, cùm allata ei esset hydria

F. V. Contra gulam. 1.

sicerâ

ficerâ plena, noluisse bibere: *Ego enim*, dicebat, *exercitui, non mihi sitiebam*. Æn. Sylu *l.3. comment. in res gest. Alph.* similiter Alphonsum Regem, cùm ei in magnâ militum fame, panis vnus cum raphano missus esset, recusauit dicens, non decere Imperatorem ieiuno exercitu mandere. Panorm. *l.3. de reb. gest. Alph.* Itaque si non decet Imperatorem sitientibus vel esurientibus militibus, bibere vel edere: quâ ratione decet nos inebriari, & videre Dominum nostrum siti laborantem?

2. Secundò, Expende sitim pauperum, in quibus tamquam in membris suis sitit Christus & quidem ea tantùm, quæ tu prodigis & perdis. Vide num æquum sit, vt alius quidem esuriat, alius autem ebrius sit? vt quis epuletur quotidie splendidè, Lazaro autem præ foribus iacenti micas mensæ neget. Cogita ergò clamare Christum in membris suis, *sitio*, cùm pauperes intueris: his enim potiùs quàm sibi sitiuisse eum credo, quemadmodum supra de Rudolpho diximus. Alioquin non dixisset: *Sitiui & non dedistis mihi bibere*, &c. *quia quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Cùm S. Ignatius Societatis IESV Fund. Venetijs in foro S. Marci pernoctaret, Marcus Antonius Triuisanus Senator nobilis vocem audit increpantem: *Ergóne tu in lecto molli quiescas & famulus meus noctem sub dio traducat?* Ad quam vocem illicò surgens inuenit eo, qui vocauerat, dirigente Ignatium, & hunc interpretans esse, quem vox commendârat, domum deductum hospitaliter habuit. Nicol. Orlandin. *p.1. hist. Societ. Iesu. l.1.* Ita & te alloquitur Christus si tu bene habeas, pauperes verò negligas: Ergóne tu cutem cures & serui mei esuriant? tu inebrieris & illi siti pereant?

3. Tertiò, Cogita sitim damnatorum. Si enim Christus innocens tantâ siti pressus, & insuper felle & aceto potatus est: qualis illa sitis & potus erit, qui ebriolis paratus est condemnatis ad infernum? Nô tacuit eum Moyses, cùm *Deut. 32.* dixit: *Vua eorum, vua fellis & botri amarissimi: fel draconum vinum eorum & venenum aspidû insanabile*, Quòd si ibi nulla potûs amaritudo, sed sola sitis æterna foret, qualem epulo ille sensit: an non id horrendum foret? Et si ea sitis tantùm, quam Christus in cruce per tres horas pertulit, perpetua ibi foret, nónne id satis foret? Sed ne dubita, si lignum hoc virens & Deo coniunctissimum ita arsit siti, quomodo ardebit aridum & à Deo abiectum.

G. VI. Contra auaritiâ. SEXTVM, *Consummatum est*, Audi tu Auare. Quid tibi vult hoc verbum? Primò Consummatum est iter laboriosum peregrinationis Christi, quæ quidem aspera fuit, sed breui tamen finita & ingenti fructu compensata. Secundò, Consummatum est pretium redemptionis, quod tamquam fideiussor pro hominibus Deo exsoluit. Tertiò, Consummatum est tempus tenebrarum, quod concessum erat Iudæis ad vexandum Christum: Ita vicissim ò auare, licet ingentem auri summam tibi comparaueris, breui tamen dices: Consummatum est iter meum, quo sub sole studiosissimè, & heu frustrà laboraui; Consummatum est illud pretium, quo plurimas possessiones & omnis generis delicias mihi comparaui; Consummatum est illud tempus, quo oppressi pauperes vsuris & exactionibus. Et quale iter nunc ingrediar? iter infælix & omni calamitate plenum. Et quale pretium ibi pendam? Animam propriam dæmonibus. Et quod tempus me expectat? numquam consummandum. Exultauit ad horam diues ille qui dicebat: *Anima habes multa bona*, &c. Sed citò audiuit: *Stulte hac nocte*, &c. *Luc. 12.* Exultauit ad horam Iudas auaritiæ mancipium, in lucro paucorum nummorum: sed citò crepuit medius & iam 1600. annis cruciatur in gehennâ. Audi Baruch *c.3. Vbi sunt, qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines & non est finis acquisitionis eorum, &c. exterminati sunt & ad inferos descenderunt.*

Charinus auarus quidam Diaconus erat, qui cùm ad mensam B. Epiphanij Episcopi Constantiæ in Cypro, cum alijs clericis assideret, contigit vt coruus ter quaterve crocitaret. Rogat ergò Charinus quid hæc corui vox portêdat. Respondit S. Epiphanius, Charinum Diaconum moriturum, quippe quem Deus punire intenderet. Nec fefellit coniectura. Mox enim lectâ gratiarum actione, apoplexiâ tactus Charinus domum à famulis est delatus mancque mortuus. Refert Discipulus S. Epiphanij, Ioannes in eius vitâ apud *Sur. 12. Maij.* Itaque coruus ille occinuit Charino flebile *consummatum est.*

SEPTIMVM, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Disce serue piger. Primò, Quodcumque potest manus tua instanter operare vsque ad vltimum spiritum, *quia nec ratio, nec scientia, nec opus est apud inferos, quò tu properas.* Aspice Christum, quomodo in extremis positus magnâ voce clamet & animam suam patri commendet. Idem ijsdem verbis fecit S. Basilius morti iam vicinus, vbi etiam non cessauit docere circumstantes. Nazianz. *orat. 20.* Refert Moschus *in prato spirituali cap. 5.* religiosum quemdam negligentem tandem magnum assumpsisse feruorem. Qui rogatus causam dixit: *Modò moriturus sum.* Verbo respondit euentus; siquidem post tres dies mortuus est. Idem fecisse sanctos viros testantur eorum gesta; quòd nimirùm eò ardentiùs cucurrerint in stadio, quò propiùs ad metam peruenerunt: quemadmodum & cursores equorum magis agitant equos, cùm meta fit vicinior. H. VII. Contra acediam. 1.

2. Secundò, Disce negotium animæ tuæ seruidè & seriò agere, sicuti Christus in hoc verbo omnes intendit neruos vt voce magnâ clamaret, quia nimirum de re summi momenti perorabat. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?* Et tamen heu pro corpore, pro cibo, pro nummo curritur, sudatur, litigatur: animæ verò negotium obiter tantùm peragitur, velut examen conscientiæ, confessio, communio, satisfactio, & opera bona.

Tertiò,

Tertiò, Disce totam vitam & omnes actiones tuas ita instituere vt bene & Christianè moriaris, adeoque Creatori tuo à quo spiritum accepisti, eundem reddas. Hic finis & hic scopus est vitę nostræ: hoc vnum nostrum esse negotium debet, quod seriò agendum monet Apostolus 1. Thessal. 4. *Rogamus vos fratres*, inquit, *vt vestrum negotium agatis*. Græcè, *vt res proprias agatis*. Plurimi alijs seruiunt & seipsos negligunt: plurimi aliena tractant, quæ ad propriam eorum salutem nihil faciunt: ad propria non attendunt, quomodo nimirum *commendent animas suas fideli creatori*, vt loquitur S. Petrus 1. *Pet.* 4.

Igitur, Auditores, quando nostrûm aliquem exagitat spiritus malus & ad vitium aliquod horum incitat, sumat is quamprimùm cytharam hanc in manum & occinat illi hymnum seu verbum Christi vitio illi oppositum. Fugiet enim spiritus malus, & nos refocillabimur ac leuiùs habebimus; quod nobis largiatur Cytharœdus ille, qui hodiernâ die in cytharâ crucis extensus septem illos dæmones expulit ab Orbe.

CONCIO VIII.

Mysteria passionis Domini singulatim exponuntur.

§. I. Egressus Christi de cœnaculo ad montem Oliueti.

1. *Exponitur quare post cœnam hymnum dixerit.*	4. 5. *Quas ob causas transierit torrentem & venerit in villam Gethsemani.*
2. *Egressus est de cœnaculo ob tres causas.*	6. 7. *Cur venerit ad montem Oliueti & intrauerit hortum.*
3. *Assumpsit secum discipulos propter duo.*	

THEMA.

Hymnò dicto exierunt in montem Oliueti. Matthæi 26.

A TAmetsi tota Christi vita plena est mysterijs & altissimis nec nō saluberrimis doctrinis Dei gloriam amplificantibus hominúque manifestātibus; multò tamen maximè eius passio. Hic enim est ille botrus Cypri qui in passionis torculari expressus, plurimum saporē dedit. Hoc granum synapi, quod contritum maximam suam vim exeruit. Hic ille sponsus, cui dixit Architriclinus: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Homines plerumque initio feruere in studijs suis solent, posteà languescunt: sed non ita Christus, qui quò magis ad mortem accessit, tantò præstantiora opera edidit tantoque maiora virtutum specimina & documenta nobis tradidit

B. ac reliquit. Hoc itaque vinum nos delibare contendemus in præsentiarum.

1. Post cœnam hymnum dixit. PRIMÒ, Post cœnam & ante egressum hymnum dixit. Primò vt demonstraret alacritatem suam & promptitudinem patiendi, adeoque se gaudere, quòd hora passionis aduenerit, quam magno desiderio desiderasse se dixerat. Hæc enim hora illa erat, quam vt videret, exultauit Abraham: quam totus mundus expectabat. Sed quàm nos dissimiles Christo sumus, qui ipsius causâ tam ægrè aliquid patimur! Ad initium Quadragesimæ quando ieiunandum: adueniente hebdomadâ sacrâ quando peccata expianda, multi consternantur. Quid facerent adueniente persecutore & Tyranno, vitam sibi erepturo?

Secundò, Vt doceret homini iusto potiùs gaudendum quàm lugendum esse cùm morti appropinquat. Quemadmodum enim cygnus morti cum cantu obuiare dicitur: sic etiam homo candidus & bonæ conscientiæ facit; vti S. Franciscus, qui sub illo versu *Psal.* 141. *Me expectant iusti, donec retribuas mihi*, obijt. Et S. Nicolaus in illis verbis *Psalmi* 30. *In manus tuas commendo spiritum meum.* Et S. Ludouicus Rex Galliæ in illis verbis: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum.* Vt in eorum officijs. 2.

Tertiò, Vt doceret post mensam gratias agere: Ne videlicet simus instar porcorum, qui nunquam attollunt oculos ad arborem, vnde glandes eis decidunt. Bruta non possunt agere gratias, nec debent, quia non sibi sed homini nutriuntur: at homo quia sibi viuit, maximè obligatur. 3.

C. II. Egreditur è cœnaculo.

SECVNDÒ, Egressus est è cœnaculo & ciuitate. Primò fortè ne hospes propter ipsum quid incōmodi pateretur si in cœnaculo caperetur. Quod exemplum secutus est S. Thomas Cantuariensis Episcopus, qui Regem Angliæ Henricū fugiens & ad Pontiniacum Monasterium se recipiens, vltrò inde discessit, ne Cisterciensis familia sui causa, mali aliquid pateretur. 1.

Secundò ne ipsius causâ pax publica turbaretur, si in ciuitate comprehenderetur. Iam enim antea metuebant Pontifices, ne ob comprehensionem tumultus fieret in populo. Multi absque dubio in ciuitate, pro ipso stetissent & cū Petro gladiū exemissent. Docet igitur quid-uis faciendū & tolerandum, vt pax publica nō turbetur. Hinc illud Ionæ Prophetæ *c.* 1. *Si propter me orta est hac tempestas, mittite me in mare.* Sed plusquam Ionas Christus, qui ne seditio propter ipsum oriretur, ipse morti obuiauit. Idem exemplum secutus est S. Gregorius Nazianzenus, qui cùm propter ipsum dissidium inter Episcopos oriretur, verbis Ionæ vsus: *Si propter me*, inquit, *orta est hac tēpestas, deijcite me in mare, vt vos tactari desinatis.* Vt in eius officio. 2.

Tertiò, Ne Iudæis calumniandi se occasionem præberet, si in cœnaculo deprehenderetur. Si enim cùm nihil occasionis habebant, vocabant eum hominem voracem & potatorem vini: quantò magis id nunc egissent, quando omnem mouebant lapidem vt causam inuenirent ipsum calumniandi & accusandi? Docet ergò nos in externâ conuersatione irreprehensibiles exhibere, *vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*; vti præcipit Paulus Tito, *ad Titum c.* 2. 3.

D. III. Assumit discipulos.

1. Tertiò, Assumpsit secum discipulos suos primo vt essent testes eorum quæ acturus & passurus erat. Nihil enim in tenebris vel sine arbitris facere solebat Dominus; quin potiùs dicebat: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Publicarum ergo personarum acta publica esse conuenit; qua de causâ Agesilaus Lacedæmonum princeps in templis Deorũ hospitari solebat vt eius acta omnibus manifesta essent. Liuius etiam Drusus cùm domum in palatio ædificaret, & Architectus diceret, ita se structurum vt libera ab arbitris & omni aspectu esset: *Quin tu potiùs*, inquit, *si quid in te artis est, ita compone domũ meam, vt quidquid agã ab omnibus inspici possit.* Tymp. *in spec. Magistr. p. 1. fig. 35.*

2. Secundò, Vt sic etiam discipulos suos in campum educeret, non quidem ad pugnandum cum ipso, sed ad pugnam eius spectandam, & pugnandi rationem perdiscendam, ipsosque animandos tanquam & ipsos aliquando in arenam descensuros; *Sicut aquila* nimirum *prouocans ad volandũ pullos suos & super eos volitans*, &c. Iactabant Petrus & alij discipuli omnes suam magnanimitatem: *Et si oportuerit me mori tecum: non te negabo. Matth. 26.* Igitur voluit eos Christus educere ad campum, vt viderent suam imbecillitatem, &c.

E. IV. Transit torrentẽ.

1. Qvartò, Transiuit torrentem Cedron. Primò fortè vt hoc vltimum eius solatium foret; (postea enim purissima incepit tristitia) dum torrentem transiens videbat passionem suam fore instar rapidi torrentis, repentè inundantis, citò tamen desituri, & deinde totam Ecclesiam rigaturi & lætificaturi, iuxta id *Ps. 45. fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Prædictum id à Dauide *Ps. 109. De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput.*

2. Secundò, Vt exemplo suo nos doceret, priùs transeundum esse Cedron crucis & tribulationum, si ad montem olíueti, id est, ad gloriam peruenire & in die resurrectionis capita nostra exaltare, seu læti & hilares comparere velimus. Ita enim semel statutum est; *quoniã per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act. 14.* Ad quod animat nos exemplum Christi, sicut exemplum Ioannis Ducis Machabæorum, quando ad torrentẽ transeundum videns trepidare populum, ipse *primus transfretauit.* Animauit enim milites vt & ipsi post eum transirent. 1. *Machab. 16.*

3. Tertiò, Aptè etiam per Cedron transijt, hoc est, tenebras; quod is torrens in vmbrosa & tenebrosâ valle deflueret; quia tunc incipiebat hora & potestas tenebrarum, in quâ omni solatio carens ingrediebatur mortis dolores, & vallem omni consolationis luce priuatam. Vnde torrens Cedron, rectè horam tenebrarum repræsentat, horam quidem quà torrens, tenebras quà Cedron.

F. V. Venit in villam.

Qvintò. Venit in villam Gethsemani. In villam quidem, fortè quia mala nostra villicatio causa erat, vt ipse nostra exsoluere debita morte suâ deberet. Vel quia & Adam de paradiso in agrum eiectus est.

In Gethsemani verò, hoc est, vallem à pinguedine vel oleo nuncupatam; quòd iterũ illam villam oleo sanguinis sui in agoniá expressi, impinguaturus & fœcundaturus esset: figuratè totum mundum. Gethsemani.

G. VI. Venit ad montem Oliueti.

Sexto Venit ad montem olíueti, in cuius radice villa prædicta erat, primò vt ex eo loco inchoans passionem suam, primam & primariam eius causam nobis demonstraret, Dei scilicet misericordiam, quæ per oleum designatur. Hic enim est Samaritanus ille, qui misericordiâ motus super humanum genus grauissimè vulneratum, descendit de maiestate suâ & oleum infudit vulneribus eius. 1.

Secundò, Vt sciremus morti vicinos etiamsi pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentis muniti sint, bonamque conscientiam habeant ita vt hymnum canere queant, nihilominus ascendere debere ad montem olíueti, hoc est, ad Dei misericordiam potiùs quàm ad iustitiam: tum quia omnia opera nostra valorem ex se non habent, sed ex Dei misericordiâ & gratiâ, per Christi passionem nobis impertitâ & per sacramenta applicatâ: tum quia incerti sumus an opera nostra vsquequaque perfecta sint. 2.

H. VII. Intrat in hortum.

Septimò, Intrauit in hortum, qui erat in illo monte. Primò, quia is locus Iudæ notus erat & captioni aptus, vtpote clausus & instar carceris, vt sic demonstraret suam innocentiam & patiendi promptitudinem, quòd latebras non quæreret, sed in loco noto comprehensores expectaret. Bone Saluator, quid debemus tibi, qui ex vna parte mortem crudelissimam tibi paratam videns, trepidas & horres: ex alterâ verò, nostri amore victus non fugis, cùm posses; sed vltrò te morti offers & velut ouis ad macellum pergis? 1.

Secundò, Quia erat orationi conueniens. Vnde docet secretum quærere ad orandum, maximè post S. communionem: vitare hominum consortia & sæcularia negotia, in oratione & cordis solitudine se occupare. 2.

Tertiò, Quia in horto humana natura perdita fuit, in paradiso scilicet: in horto igitur & quærenda. Sed ille erat hortus voluptatis; hic mœstitiæ & doloris; quia quod nullo labore perditur, multo est quærendum. In horto Adam extendit manus ad vetitam arborem: in horto igitur Christus manibus ligatus est. In horto erexit se Eua ad decerpendum ex arbore pomum: in horto isto depressit se Christus vsque ad terram & procidit in faciem suam. In horto Adam comedit escam: in horto Christus eandem per sudorem sanguineum expellere debuit. In horto Adam se abscondit: in horto Christus seipsum hostibus prodidit. Et hic est ille fructus pomi vetiti de quo sponsa Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, inquit, *& comedat fructum pomorũ suorum.* Et mox respondet: *Veni in hortum meum soror mea sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Fructus enim pomi illius quis erat, nisi mors, nisi spinæ & tribuli, nisi sudor vultus, nisi myrrha & aromata. 3.

nisi dolor & tristitia? Hunc gustauit Christus in horto Olineti: *Vidit Eua quòd bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis aspectuque delectabile. Gen.* 3. Sed non vidit amaritudinem & horrorem fructus illius. At vidit in hoc horto Christus, quòd fructus illius ligni, mors esset acerbissima, & horrenda visu. Ita nimirum peccatum ipsum voluptatem aliquam habet: sed fructus peccati acerbitatem sine comparatione maiorem, vt experiuntur peccatores partim in hac, partim in alterâ vitâ, quando eam voluptatem tam carò soluere debent.

Quare, Auditores, obtestor vos per Christi viscera vt custodiatis vos à peccatorum illecebris & noxijs voluptatibus. Satis amaritudinis Christo propinauimus; tẽpus est vt desinamus. Parcamus saltem nobis ipsis ne fructum peccatorum aliquando degustare cogamur. O si quis damnatorum referre nobis posset, qualis sit peccati fructus, quem illi experiuntur! O quantum horreremus! Quæramus ex Reis qui supplicijs afficiuntur: Quid vobis profuit latrocinium, furtum, proditio, homicidium, &c. quem fructum inde habetis? quid putatis responderent? rota, patibulũ, ignis, forcipes igniti, gladius, amaritudo, angustia, desolatio, horror, trepidatio, cruciatus, &c. fructus sunt peccatorum nostrorũ. Satis igitur nobis sit, quòd fructus illos, licèt alienos Dominus percepit, ne & nos eosdem percipere cogamur.

§. II.

Mœstitia Christi in horto.

1. *Assignantur tres rationes cur ad villã reliquerit 8. discipulos.*
2. *Quare assumpserit tãtum tres sibi magis familiares.*
3. *Cœpit contristari, ob quatuor.*
4. 5. *Cur mœrorem suum explicet illis tribus, eosq́; iubeat sustinere.*
6. *Quibus de causis paululum ab eis progrediatur.*

THEMA.

Tristis est anima mea vsque ad mortem. Matthæi 26.

A. DE Discipulis suis dixit Christus in sermone illo, quem habuit post vltimam cœnam antequam egrederetur inde ad passionem suam: *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Ioan.* 16. Sed cur hoc Domine non potiùs dixisti de te? Tu enim es propriè illa mulier; quod nimium quantum expertus es in horto oliueti, quando hora partus tui seu passionis incepit. Tunc enim tu, qui gaudium es angelorum, cœpisti contristari & mœstus esse, adeoque omni consolatione destitui, vt quò te verteres non haberes. Nimirum hîc videmus etiam Euæ maledictionem in Christum deuolutam, vt cum ingenti dolore nos in lucem gratiæ edere debuerit. De pulchra illa Rachele legimus, *Gen.* 30. quòd maximo desiderio prolem efflagitarit. Dicebat enim viro suo Iacob: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Sed quantò ei stetit liberos concepisse? Cùm enim alterum filium pariturа esset, ob difficultatem partûs periclitari cœpit; Vnde egrediente animâ præ dolore & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui *Benoni*, quod est, filius doloris mei. Pater verò appellauit eum *Beniamin*, quod est, filius dexteræ. *Gen.* 35. Idem euenit Christo. Desiderio enim desiderabat liberos habere spirituales: Sed quando tempus aduenit illos pariendi mediâ passione, heu quantum angustiari cœpit! Hinc enim in horto olineti, præ doloris vehemẽtiâ parturientis instar modò huc, modò illuc cucurrit; nunc ad Patrem, nunc ad discipulos dormientes, modò ad ipsos hostes. *Tristis est anima mea*, inquit, *vsque ad mortẽ*, q.d. hæc tristitia, hic dolor in ipso partu mortem mihi afferet. Id quod reipsa factum est: dum enim nos spiritualiter genuit, ipse interim obijt: Vt meritò nos *Benoni*, id est, filios doloris sui vocare potuerit. Sed quia gaudium sequitur partum, idcircò nunc filij dexteræ & Beniamin vocamur: quia nimirum Christus partûs sui doloribus de sinistrâ Patris sui transtulit nos ad dexteram. Nunc quoniam Tobias filio suo inter alia præcepit: *Honorem habebis matri tuæ, omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. Tob.* 4. Idcircò & nos tanquam grati filij in memoriam reuocabimus tristitiam Christi Domini propter nos susceptam.

PRIMÒ, Ad villam Gethsemani reliquit octo ex discipulis suis, & ait illis: *sedete hîc donec vadam illuc & orem.* Primò, ne visâ ipsius tristitiâ insolitâ offenderentur; siquidem hi cæteris tribus infirmiores erant. Cauit ergò Christus, ne pusilli scandalizarentur in ipso. Poterat enim istis subire cogitatio, quasi animam despondisset Christus, nec is esset, quem hactenùs existimârant. B. 1. Relinquit ad villam 8. discipulos.

Secundò, Fortè vt exerceret illos in patientiâ, dum ad secretiora sua non admisit, quemadmodum admisit tres alios: docens interim non indignari, si Deus alterum alteri præponat, vni plus, alij minùs talentorum & gratiæ donet: sicuti nec discipuli illi indignati sunt, quòd se relictis tres alij assumerentur à Christo adeoque sibi præponerentur. Idcirco rectè monuit eos Dominus: *Orate ne intretis in tentationem*, nimirum æmulationis inprimis & contentionis de præeminentiâ, in quam aliàs sæpiùs incidebant. 2.

Tertiò, Vt doceret condescendendum esse infirmioribus, dum infirmiores discipulos longiùs à periculo & hostium conspectu sedere ad villam iussit; fortiores verò secum in locum certaminis eduxit, propè se sustinere & vigilare iubens. Ad hunc modum, nemo ægrè ferre debet, si per Quadragesimam imbecillioribus detur licentia vescendi carnibus, sanis verò & fortibus negetur: si alius 3.

sedere ob imbecillitatem;alius verò fortior sustinere & vigilare iubeatur. Vt enim nemo inuidet ægroto, quòd is in lecto sedens sumat Eucharistiam, cùm alioquin alij flexis genibus hoc agere debeant: Sic nemo etiam ægrè ferre debet, si ob infirmitatem Ecclesia & Magistratus aliquibus condescendat, quia ferendo legis oneri pares vires non habent. Scriptum enim est: *non arabis in boue & asino*. hoc est, non impones æquale pondus forti & imbecillo.

C. II. Assumit in hortum tres. SECVNDÒ, Assumpsit in hortum tres sibi magis familiares discipulos, Petrum, Iacobum & Ioannem. Primò, quia cæteris, vt dixi, fortiores in fide & Christi dilectione erant minusque obnoxij scandalo, vtpote qui Christi maiestatem & gloriam speculati fuerant in monte Tabor: quasi eis diceret Christus: Vos de meâ diuinitate & gloriâ dubitare non potestis; ipsi enim vidistis eam in monte, & audistis vocem patris mei; non igitur miremini, licet nunc aliâ formâ, mœrore nimirum & afflictione circumdatus vobis appaream; Volo enim vt toti mundo contestemini non tantùm quis ego ex me sim, sed qualis etiam propter ipsum factus sim. Itaque magis perfectos ad maius certamen ducit. Iacobus & Ioannes iam antea gloriabatur, se posse bibere eius calicem: Petrus verò dicebat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo*.

2. Secundò, Vt essent socij laborum, qui erant & consolationis. Magnam illis gratiæ prærogatiuam concesserat, dum his solis gloriam suam ostendit: sed eam hic tribulatione compensauit, dum eosdem mœstitiâ suâ afflixit & periculo comprehensionis mortis obiecit. Ita nimirum solet Deus illos, quos maiori extulit gratiâ, vicissim maiori cruce onerare ac deprimere. Maximâ gratiâ affecit Saulum, quòd eum in viâ proprio ore redarguit & mirabiliter conuertit, quod paucissimis fecit: sed tamen subiecit Christus: *Ego ostendam illi quanta eum oporteat pro nomine meo pati*. Ad eundem modũ confert alijs nobilitatem & prosapiam, alijs diuitias, alijs honores, aliis doctrinam, alijs interim innumeris dona ista negat. Nemo inde murmuret; si enim sciremus, quot laboribus, curis, molestijs ac periculis Deus illos destinârit, quos adeò dotauit, libenter illis totum id concederemus. Qui ergò ad montem Tabor Christum secutus est, sequatur eundem quoque ad montem Oliueti.

3. Tertiò, Vt sciremus Dei gratiam & fauorem esse, cum ipso tristari & pati: & Deo gratias agere debere, qui occasionem ab eo accepit, strenuè laborandi, & pro ipso patiendi: hæc enim sunt semen gloriæ. Quis neget gratiam factam esse operarijs, illis otiosis in foro stantibus, quod à patrefamilias ad laborandum in vineam missi sint? suauius quidem erat in foro stare, colloqui, noua audire & videre, &c. Sed non vtilius: quia hoc pacto mercedem nullam accepissent; ieiuno stomacho & marsupio domum redire debuissent. Quis neget gratiam esse, si cui ager concedatur arandus, occandus & conserendus? hoc ipso enim datur & metendus. Quis neget fauorem esse si cui Duci facultas detur ab Imperatore expugnandi aliquod castellum, vel rebellem ciuitatem? hoc ipso enim promittitur illi grande stipendium, hostium spolia, magna insuper gloria & spes altioris honoris. Hinc Ioannes, qui vnus ex his tribus erat, pro fauore accepit quòd in Pathmon relegaretur; sic enim scribit initio Apoc. *Ego Ioannes frater vester particeps in tribulatione & regno & patientia in* CHRISTO IESV. Viden' quàm appositè regnum collocetur inter tribulationem & patientiam? Vult enim dicere, eum qui tribulationem & patientiam habet, regnum quoque in medio habere, adeoque nihil magis gloriosum ac regale esse, quàm pro Christo pati & strenuè laborare.

Accepit autem illos tres, quia tres potissimùm conditiones orationem comitari debet. Petrus, id est, firmitas fidei seu fiducia impetrandi id quod petimus vel quid melius. Iacobus, id est, collectio seu lucta (Iacobus enim luctator exponitur) contra ingruentes subinde tentationes & distractiones. Ioannes, id est, gratia Dei, vt scilicet orans sit in gratiâ.

D. III. Cœpit contristari. TERTIÒ. *Cœpit contristari & mœstus esse*, secùndum Matthæum. Et secundùm Marcum, *pauere & tædere*: & quidem *vsque ad mortem*. Primò, Vt se verum hominem ostenderet, passibilem & eisdem nobiscum affectibus obnoxium. Cùm enim sæpius prædixisset discipulis mortem suam; si absque pauoris & doloris sensu eam adijsset, existimari potuisset, nihil illi molestiæ aut cruciatûs per mortem fuisse illatum: Vnde & illud consecutum esset vt parum agnosceremus redemptionis beneficium, peccati grauitatem, &c. Paruum enim reputatur, quod paruo pretio emitur: nec adeò magnum quid præstitisset Christus, si quæ virtutis tantùm sunt, non quæ infirmitatis humanæ, assumpsisset. Vnde S. Ambrosius *in Luc. cap. 22.* ait: *Minus enim contulerat mihi: nisi meum suscepisset affectum*: Et paulò post: *Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergò & dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, nõ excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerũ tulerint quàm dolorem*. Si ille. Quòd si etiamnum *cùm & vultus & verba & res mœrorem significauerint*, (vt notat Chrysostomus (*non creditur tamen à nonnullis passio: quidnam dicerent, si ista non essent?* Certè Manichæi dicebant non habuisse cum carnem veram nec humanos affectus, sed mortem & resurrectionem tantùm simulasse. Cerdon & Marcion Christum dixerunt in phantasmate natum & passum. Alij alijs figmentis passibilitatem Christo detraxerunt. Quid fieret, si tam manifestum passionis suæ sensum Christus non explicuisset?

Secundò, Vt talis esset modus & ordo satisfactionis, qualis est & peccati. Peccatum ab animo incipit (iuxta id Domini: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. Matth. 15.*) & postquam animum delectauerit, posteà in opus prodit. Vnde Apostolus Iacobus *c. 1.* V*nusquisque*, inquit, *tentatur à concupis-* 2.

centiâ

centiâ suâ abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, pa. it peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit generat mortem. Voluit itaque Christus qui venerat vt abundè & rigidè satisfaceret; passionem etiam suam ab animo inchoare, concupiscentiam nostram tristitiâ suâ expiando;& postea corpore luere, donec & ipse dicere posset: *Consummatum est*; scilicet, opus satisfactionis, sicut fuerât peccatum. Vnde & mors secuta est, quam peccatum generauit. Vide hic rigorem iustitiæ diuinæ; quantum enim homo in deliciis fuit, tantum tormenti datum est Christo.

3. Tertiò, Vt doceret nos etiam nobis ipsis interdicere voluptates & ineptas sæculi lætitias. Christus enim ab eo tempore vsque ad mortem nullam consolationem admisit, sed tristitiam ac mœrorem tantùm & vltrò quidem. Nam tametsi affectibus humanis obnoxius fuit, ij tamen in ipso non passiones, sed propassiones fuerunt, quia iudicium rationis & voluntatem non anteuerterunt, sed secuti sunt. Hinc Euangelistæ dicunt: *cæpit contristari; cæpit pauere*, &c. Et alibi Ioannes: *turbauit semetipsum, c. 11.* Itaque Christus vltrò tristitiam sumpsit & præterea omnem sibi consolationem etiam licitam interdixit, vt nos discerenus noxias saltem delicias nobis interdicere & præterea quandoque vltroneam assumere tristitiam per nouissimorum & sacratissimæ passionis Christi meditationem. *Melius enim est ire ad domum luctûs, quàm ad domum conuiuij*; ait Ecclesiastes c. 7.

4. Quartò, *Ad consolationem infirmorum membrorum*, inquit S. Bern. in serm. de pass. Domini. *ne fortè desperet quis, si caro infirma murmuret, vbi ad passionem promptus est spiritus.* Item ne animis concidamus, si non summum, quem deberemus, dolorem eliciamus peccatorum, confisi in dolore Christi, qui nobis per sacramentum applicatur; quodque in confessione attritus fiat contritus.

E. IV. Mœrorem suum explicat. QVARTÒ, Mœrorem suum explicauit discipulis illis tribus dicens: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Primò quia illi internam eius

1. tristitiam videre non poterant, præsertim eius intensionem: quam tamen testari toti mundo debebant ob ante dictas causas. Erat enim tristitia illa incredibilis, & vt Dominus loquitur, *ad mortem*, hoc est, talis, quæ vitam ademisset, nisi virtute diuinitatis ea confertuata esset. Quoquouersùm enim spectabat Dominus, nil nisi mœrorem & angustias cernebat. Si præterita spectabat, videbat innumera beneficia ingrato Iudæorum populo exhibita, vti curationem infirmorum, suscitationem mortuorum, doctrinam, fatigationes, vigilias, orationes, &c. Si præsentia inspiciebat, videbat instantem desolationem, Iudæorum iniquissimam consultationem, Iudæ machinationem, discipulorum imbecillitatem. Si ad futura se conuertebat, versabantur ante oculos ingentia supplicia & mors horribilissima. Quæ omnia expressêre Matthæus & Marcus. Cœpit enim *tadere* ratione primi, *contristari* ratione secundi, *pauere* ratione tertij. Hoc ergò scire quia debebamus, idcircò id verbis ipsemet expressit: sicuti & sitim in cruce, quam aliàs scire non poteramus.

Secundò. Vt rursum se hominem demonstraret. Hominum enim est suas desolationes aliis aperire, ad tristitiam mitigandam; hoc idem fecit tunc Christus, simul illud docens, non detrahi aliquid perfectioni patientiæ, quòd quis patribus spiritualibus aut fidelibus amicis suas afflictiones aperiat ad solatium vel consilium inde capiendum. 2.

Tertiò, Vt doceret licere etiam aperire & manifestare suos labores & persecutiones aliaque virtutum opera quando id ad ædificationem proximi facit. Hanc ob causam recenset ad longum Apostolus suos labores, pericula & persecutiones, quas sustinuit, quia ita expediebat, vt nos indè ædificaremur, scientes quanta oportuerit eum pati pro nomine Iesu, quem priùs persequebatur, quod prædictum ei à Christo erat. 3.

F. V. Iubet eos sustinere. QVINTÒ, Iussit etiam tres discipulos illos sustinere & vigilare in designato horti loco, primò vt attenderent ad ea quæ mox euentura erant, & aliquando toti orbi ab ipsis contestanda. Si enim ex eo loco abiissent vel indormiissent, testes esse non poterant; simul etiam docet DEI opera sedulò obseruanda & memoriæ mandanda, aliisque annuntianda. Idcircò enim caput erectum gerimus, vt cælestia contemplemur: linguam vt deprædicemus opera DEI. 1.

Secundò, Vt ostenderet se spirituales tantùm à suis exigere excubias. Ad villam reliquit octo, in horto tres discipulos: ipse tertium locum occupauit. Et quibus tandem armis se & suos induit? Oratione, patientiâ & vigiliis, *Orate*, ait ad octo; *sustinete & vigilate*, ad tres: ipse etiam orat. Quàm hic clarè indicat, hæc ipsa esse arma efficacissima contra inuisibiles inimicos, quemadmodum & testatur expertus miles S. Antonius, qui ad suos dicebat: *Mihi credite fratres; pertimescit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia*, &c. 2.

Tertiò, Et pauoris sui vehementiam suis comprobaret. Qui enim valdè timent, iubent alios secum vigilare, in præsidium scilicet suum. O Deus bone, in quas angustias redegerunt scelera nostra filium tuum! 3.

G. VI. Paululùm ab eis progreditur. SEXTÒ, A tribus paululùm progressus est ad locum orationis suę passibus, nimirum paucis, ita vt videri & audiri ab eis posset. Primò sui causâ, vt iuxta humanam consuetudinem, tantò feruentiùs effundere animam suam in oratione posset ad Patrem. Habet enim humanus pudor, vt remotis arbitris, maiori feruore & reuerentiâ oret: videri flens aut feruens in oratione recusat. Sic Ioseph commotus ad lachrymas ob aspectum fratris vterini, secessit in cubiculum, ne flens cerneretur ab aliis, *Gen. 43.*

Secundò, Causâ discipulorum, ne longiori suo recessu eos contristaret, aut periculo exponeret, Velut enim gallina pullis suis aduiꝫ

aduigilabat, ne in accipitrum manus eo absente venirent: Vt si vel gemitum vnum emitterent, mox eis adesse posset. Vide charitatem Christi erga nos. Nos autem quàm longissimè sæpe ab eo separamur, nihil eius præsidium curantes.

3. Tertiò, Omnium nostrûm causâ, vt admoneremur tempore tentationis, quorsum nobis eundum sit, nempe ad Deum per deuotam orationem; sic enim contra fures aduocamus auxilium vicinorum, &c.

Deo igitur gratias, qui non tantùm nostri causâ suscepit illam tristitiam ad expianda peccata nostra, sed præterea per eam tam salutaria documenta nobis reliquit. Faxit etiam is vt per Quadragesimam cum Christo ita contristemur, vt cum eodem in paschate læti resurgamus.

§. III.

Oratio Christi in horto.

1. *Explicatur quid sibi velit Christi auulsio à discipulis.*
2. 3. *Cur ponat genua & procidat in faciē.*
4. *Cur oret*, Abba pater &c. *& quid per hoc nos doceat.*
5. 6. *Quâ ratione redeat ad discipulos eosque increpet.*

THEMA

Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, Matthæi 26.

A. HERBULA quædam in hoc mundo est, perniciosa, amara; venenosa, quam tamen omnes homines miro modo appetunt & magnâ contentione quærunt: quæ cùm comesta fuerit, dentes obstupescunt, lachrymæ excutiuntur; inde fletus & stridor dentium non eorū tantùm, qui comederunt, sed quandoque etiam posterorum. Et quæ tandem est hæc herbula? Libertas seu propria voluntas. Creuerat hæc in Paradiso voluptatis, & magno appetitu comesta est ab Adamo vnà cum pomo illo mortifero; sed quantâ cum pernicie, non ipsius tantùm, sed & posterorū, quando vnà mox in vallem miseriarum eiecti sunt? Verissimè ergò dicimus nos illud *Ier.* 32. *Patres comederunt uvam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt.* Sed inprimis Christus dominus stuporem hunc expertus est quando in horto tristitiæ luit, quod parentes nostri in horto voluptatis deliquerunt. Refert Aristoteles *in problem. sect.* 7. *q.* 5. quòd qui vuas immaturas comedunt, dentium dolorem patiantur: qui verò comedentibus astant & in eos intuentur, horum dentes obstupescant. Comederunt primi parentes uvam propriæ voluntatis, heu nimis immaturam, contra DEI voluntatem: & huius acerbitatem ipsi quidem experti sunt eorumque posteri, maximè cùm rebellantem spiritui carnem sensêre: sed multò maximè Christus, qui quoniam adstitit comedentibus & sub ficu vidit illos, idcircò dentes eius maximè obstupuerunt, quando in horto Olivcti sic orauit: *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Faciebant illi voluntatem suam, cingebant se & ambulabant vbi volebant in horto voluptatis. Sed Christum in horto mœroris alius cinxit & duxit quò caro eius non voluit: Vnde S. Bernard. serm. de passione Domini ait: *Electe puer* DEI *mei, quid tantâ amaritudine, quid tantâ confusione dignum commiseras? prorsus nihil. Ego, ego homo perditus totius perditionis tua causa extiti. Ego Domine uvam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt.* Sic ille. Meritò igitur hortum illum, hortum inobedientiæ: hortum verò istum, hortum obedientiæ poterimus vocare. Ex isto nunc aliquot salutares colligemus herbulas.

B. 1. Auulsio à discipulis. PRIMÒ, Cùm iussisset Christus certo loco consistere discipulos, ipse *auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis*, inquit S. Lucas, ad indicandum Primò Christi desolationem & pauorem,

1. quo vrgente difficulter à discipulis sibi familiarissimis separabatur; solent enim qui pauore aliquo aguntur, ad notos se recipere, ab illis ægrè separari, tenaciter iis adhærere, &c. Quare Christus etiam qui humanam infirmitatem & pauorē mortis vltrò assumpsit & sustinere voluit, pericula mortis metuens, remanere cum discipulis suis maluisset, iuxta appetitum naturalem sensus humani; quia tamen separatio facienda erat, ideò auulsus esse ab illis dicitur, sicuti dicitur infans auelli ab vberibus, quibus tenaciter adhæret. *Isa.* 28.

2. Secundò. Ad indicandum eius dilectionem erga discipulos, quos ægrè & vi quadam adhibitâ tanquam conglutinatos sibi deserebat in tam certo mortis suæ & dispersionis ipsorum discrimine. Nam quæ glutine sibi cohærent, non nisi vi avelluntur: sic Dauid, cùm intelligeret à Ionathâ decretam sibi esse à Saule necem quærique se ad illam, discedere coactus est à dilecto sibi Ionatha, cuius anima ipsi *conglutinata* erat ob amorem, vt dicitur 1. *Reg.* 18. ideoque ægerrimè & magno cum fletu, vt habetur c. 20. Non dubium quin magis dilexerit Christus suos discipulos: & hinc auulsio illa, quæ etiam appositè dicitur à Luca fuisse *ad iactum lapidis*. Quemadmodum enim lapis ob insitam sibi grauitatem & inclinationem versus terræ centrum, non nisi impetu facto proiicitur sursum: sic etiam Christus ob amorem erga discipulos, non nisi vi adhibitâ separatus est ab illis. Vis autem illa fuit patris voluntas & filij amor. Vide tu quomodo respondeas huic amori, qui tam facilè à Deo separaris & quasi per risum.

3. Tertiò, Ad docendum nos, vt in nostris desolationibus non quæramus solatium apud homines illos, qui solatium afferre nequeunt; neque in solatiis mundanis, confabulatione, conuiuiis, ludis, deambulatione, &c. Sed potiùs apud DEVM per orationem & colloquiū cum ipso, iuxta id Iacobi 5. *Tristatur aliquis vestrûm? oret.* Sic Daniel in captiuitate positus, eas tantùm fenestras aperuit quæ versus Ierosolymitanum templum sitæ erant vt DEVM

suum

suum adoraret. Non aperuit eas, quæ versus Babylonem respiciebant. *Dan. 6.* Item vt quando orandum vel eundum est ad templū, similiaque opera facienda, auellamus nos etiam cum violentia à negotiis & curis sæculi. Licèt enim hæc delectent & trahant etiam ad se, tamen potior debet esse amor erga Deum: sicuti Christus deseruit dilectos sibi discipulos, vt adiret patrem longè sibi dilectiorem.

C. II. Ponit genua. 1. SECVNDÒ, *Posuit genua*, vt habet Lucas; Primò tanquam reus mortis, qui Iudicem implorat pro clemente sententiâ; vel pro latâ mortis sententiâ gratias illi agit; hoc enim solent facere, qui supplicio adiudicantur. Christus, quoniam crimina nostra in se suscepit, etiam ea quæ Rei sunt, hac flexione peragit. Vide anima mea filium DEI, quomodo personam tuam agit in tam tristi scenâ. Quomodo non exclamas: *Ego sum, qui peccaui; & ego iniquè egi: iste qui ouis est, quid fecit? Vertatur obsecro, manus tua* (DEVS) *contra me. 1. Reg. vlt.* Vbi tu inuenires aliquem tam fidelem amicum, qui pro te flectere vellet ante carnificem, mox plectendus? Christus fuit.

2. Secundò, Tanquam camelus coram Domino, donec sarcinis oneretur & oneratus surgat ad ferendum. Hæc enim hora illa fuit in quâ posuit Deus pater iniquitates omnium nostrûm supra dorsum eius, dum calicem illi obtulit plenum amaritudine, nobis alioquin exhauriendum. Quare vt videremus, quàm prompto & parato animo onus hoc susceperit, tametsi non absque pauore & horrore carnis, ideò semetipsum in genua demisit, & supposuit humeros suos.

3. Tertiò, Tanquam Magister docens suos discipulos, quantâ cum reuerentiâ debeant orare, ideoque primus eoram ipsis in genua deuoluitur, vt videntes hoc Discipuli ipsum imitentur. Quando pueri vident procumbentem in genua Magistrum, iam sciunt quid sibi faciendum sit, absque aliâ monitione. Nos ergò videntes Magistrum nostrum positum in genibus ad orationem, ne expectemus alia monita ad idem imitandum. Quis enim nescit exempla plus posse quàm verba?

D. III. Procidit in faciē. 1. TERTIÒ, *Procidit in faciem suam*, ait Matthæus: *super terram*, ait Marcus. Primò vt insinuaret nobis pondus peccatorum nostrorum, quod ipsum ad terram vsque depressit. Magna peccati grauitas ostensa fuit in angelis peccantibus, quando eos de cœlo ad orcum depressit: in Dauide, quando conquestus fuit: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum & sicut onus graue grauatæ sunt super me, Psalm. 37.* Et in Manasse Rege cùm dixit; *Incuruatus sum multo vinculo ferreo vt non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi, quia excitaui iracundiam tuam & malum coram te feci. 2. Par. vlt.* Sed nunc multò magis patet grauitas peccati, quando etiam humeros ipsius Dei ad terram vsque depressit.

2. Secundò, Vt hac abiectione pudorem suum patri testaretur, tanquam filius prodigus sit eoram patre suo comparens, post dissipatam substantiam laceris panniculis & centonibus ad ignominiam vsque circumdatus, ac proinde indignus qui coram tanto patre appareat; aut oculos ad ipsum attollat: Tametsi enim secundùm rei veritatem, prodigus non fuit, qui prodigos conciliaturus Patri venit; omnium tamen prodigorum filiorum sustinuit personam, & vt talem nunc se exhibet. Pensate, Auditores, quæ confusio foret filio principis, si in exterâ natione fortè spoliatus & laceris pannis indutus aut seruituti subiectus reuerteretur ad patrem centunculatus & sordidus. Hoc filio Dei euenit propter scelera nostra, nos illum spoliauimus, & sordibus nostris operuimus.

Tertiò, Vt confunderet nostram superbiā, siquidem coram patre suo naturali prosternitur ad terram, quod nos miseri vermiculi sæpe detrectamus, dum vacamus orationi. Quid enim putamus nos stare & sedere coram Deo nostro? & filium eius naturalem coram eo iacere in puluere & sordibus? 3.

E. IV. Orat: Abba pater, &c. 1. QVARTÒ, *Orauit: Pater mi, seu Abba Pater, si possibile est (omnia autem tibi possibilia sunt) transeat à me calix iste: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Sic orauit Primò, vt ostenderet hominibus se verè esse hominem, quasi vnum ex nobis, & verè mortem metuere, ac secundùm appetitum sensitiuum optare vt eam effugeret; quia tamen id ex decreto DEI, & cum salute nostrâ fieri non poterat; petere se absolutè & definitiuè, vt Patris voluntas fiat, &c. atque vt hinc intelligeremus, quanti ipsi steterimus & quàm caro pretio ab ipso redempti simus. Sanè nisi in Christo resistentia ad patiendum fuisset in appetitu sensitiuo, non appareret ratio meriti & satisfactionis, vti & in SS. Martyribus, si absque omni sensu & horrore passi essent nec magnum quid fuisset si tanquam Leo absque omni pauore hostibus occurrisset. Quid enim magnum est Deo, homines non timere, sed terrere, prosternere? &c. Quia verò de Martyribus dubitare non poteramus, quin mors & cruciatus terribilis eis atque acerbus foret; de Christo verò tanquam DEI filio dubitare poteramus, idcircò ipse in præuiâ oratione sensum & horrorem carnis fuit aperuit. *Saluator enim humani generis*, ait S. Leo hom. de transfigur. Domini. *ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis & operum miraculis imbuebat vt, idem Christus & vnigenitus Dei & hominis filius crederetur. Nam vnum horum sine altero non proderat ad salutem: & æqualis erat peri uli, Dominum IESVM CHRISTVM aut Deum tantummodo sine homine aut sine DEO solū hominem credidisse, cùm vtrumque esset pariter credendū, &c.* Sic ille. Hinc per omnem Christi vitā hæc duo videbimus simul iuncta fuisse; ac ne longè eamus, ex vnâ parte pergit ad locū traditori notū, iam iam capiendus: ex alterâ, illuc vadit magnâ cū tristitiâ. Ex vnâ parte orat: *si possibile est, transeat à me calix iste*; ex alterâ verò: *verumtamen non mea sed tua volūtas fiat.* Ex vnâ parte arguit traditorem, ex alterâ recipit ad osculum. Ex vnâ

parte prosternit comprehensores suos, ex alterâ illis obuiat, &c.

2. Secundò, Vt moneret non esse malum, sentire quæ sunt hominis, & affectus humanos pati, tristari, pauere & tædere, &c. modò eos moderemur & rationi atque inprimis DEI voluntati accommodemus, ipsumetiam rogemus vt affectus nostros dirigat, &c. Sic enim Christus Dominus suam fregit voluntatem, seu potiùs velleitatem, & appetitum sensitiuum, patrisque voluntati subdidit, ita vt velut æger potionem amaram à quâ natura humana abhorrebat, sumeret, quia cœlestis medicus sic præceperat & salus corporis eius, quòd est Ecclesia, postulabat. Et hanc ob causam vocat hic passionem suam, *calicem*, quòd instar amaræ potionis esset, tametsi valdè salutaris. Itaque siquis graue damnum patitur, in bonis animę, corporis, fortunę, & propterea tristatur & commouetur: vel quid tale perdere timet, &c. non idcircò peccat: Sed interim adlaborer, vt passionem illam vincat & conformet rationi ac DEI voluntati. Si quis in virtutum proposito ac progressu sentiat reluctatem carnem & retrò vel aliò spectantem, ne propterea turbetur, sed studeat se conformare Deo, superare passiones, &c. Aqua motum vnum naturalem habet, sed & alium cœlestem quasi fluxus & refluxus, vel cùm ne vacuum detur, ascendit, & hic illi prævalet: sic appetitus sensitiuus obedire rationi debet.

3. Tertiò, Vt doceret nos orandi modum. Nam præter solitudinem, reuerentiam & humilitatem, de quibus tribus prioribus punctis dixi, docet hic etiam confidentiam ad DEVM habere, cùm sic orat: *Abba pater*, vel *pater mi*. Indicat enim nos habere in cœlo patrem, non Tyrannum aut durum Dominum. Hunc ipse tanquam filius eius naturalis vocat *patrem suum*: Nos velut filij adoptiui, *patrem nostrum*. Porrò *quis ex vobis patrem petit panem? numquid lapidem dabit ei?* &c. *Luc. 11.*

Deinde docet resignationem in diuinam voluntatem, cùm ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Cùm enim nesciamus quid nobis expediat, opus est, vt Deo resignemus nostras necessitates, & dicamus: *fiat voluntas tua.* Vel cum Dauide: *In manibus tuis sortes meæ.*

Denique vt oremus perseueranter; siquidē & Christus ter orauit eandem orationem, & ad extremum prolixiùs orauit, durauitque Christi oratio saltem ad horam; siquidem dixit: *Non potuisti vnâ horâ vigilare mecum?* Quod si DEI filius toties pulsauit ad ædes patris sui, possumúsne ægrè ferre, si & nos diutiùs foris stare & pulsare permittamur?

F. V. Redit ad discipulos. QVINTÒ, Redijt ad discipulos suos & quidem tertiò. Primò vt hac discursione testaretur anxietatem suam. Neque hoc mirum, quia responsum mortis à Deo acceperat. Sic enim & Elias, cùm nuntiasset illi Iezahel cum iuramento quod crastinâ die ipsum neci tradere vellet, sicut ipse occiderat Pseudoprophetas: hoc audito timuit, *& surgens abijt, quocumque eum ferebat voluntas, & peruenit in desertum.* 3. *Reg.* 19. Nihil aliud nuntiabatur Christo, quàm mors in crastinum destinata. Et miramur, si timore perculsus dominus modò huc, modò illuc abiit?

1.

Secundò, Vt exhiberet & doceret officium boni pastoris, qui sæpe visitare suas oues debet, nec longè ab eis abesse, nec non arguere dormientes & torpentes, vti fecit Christus discipulis: Nimirum iterum gallinam illam se ostendit, quæ pullorum suorum maximam curam gerit & hoc quidem eo etiam tempore, quo maximis tenebatur angustiis. Sic ergò pastor cognoscat vultum gregis sui, pater filiorum, paterfamilias domesticorum. 2.

Tertiò, Vt doceret hominem Christianum non sibi tantùm, sed & proximis vacare debere, eorumque salutem procurare. Itaque cùm in oratione vel similibus exercitiis occupamur, & sentimus proximi necessitatem, his potiùs succurrere debemus. In cuius rei figuram vidit Iacob angelos in scalâ modò ascendentes ad Deum per contemplationem ad DEVM: modò descendentes ad homines, per vitam actiuam scilicet. Exemplum refertur in Chronico F. Minorum de quodam Accursio nomine, cui apparuit B. Virgo in oratorio Infirmarij & suauissimum cum eo colloquium habuit. Audiit interim ipse ægrum quendam in Infirmario ingemiscentem, moxque relictâ DEI matre, ad ipsum iuuandum accurrit; ac deinde reuersus, ob hoc vehementer commendatus est à Deiparâ, quòd suam deuotionem & consolationem proximi necessitati postposuisset. 3.

SEXTÒ, Discipulos dormientes increpauit & inprimis Petrum. G. VI. Increpat discipulos.

Primò, Quia ipsi aliquando futuri erant summi pastores, præsertim Petrus, ad quem præcipuè direxit orationem: *Simon dormis?* Hoc idem sibi dictum putent superiores, qui vultum pecoris sui cognoscere omittunt, nec attendunt ad eos, num præcepta DEI & Ecclesiæ obseruent. Itáne vos dormitis, qui vigiles aliorum constitutiestis? Ac quemadmodū discipuli isti non habuerunt quod responderent domino: Sic etiam superiores illi quid in Iudicio respondebunt Domino talia quærenti? 1.

Secundò, Quod ipso vigilante pro eis illi non simul cum ipso vigilarent. Vnde ait: *Sic non potestis vnâ horâ vigilare mecum?* Hoc Idem dicere nobis videtur, qui hoc tempore, quo Christus pro nobis laborauit, sudauit, passus & mortuus est, adhuc in profundo peccatorum somno consopiti iacemus, nec passionis domini recordamur, vt ipsi condoleamus, & saluti nostræ attendamus. Scimus quid Vrias ille miles Regi suo responderit, cùm iuberetur ire domum & dormire: *Dominus meus Ioab*, inquit, *super faciem terræ manet, & ego ingrediar domū meam vt comedam & bibam & dormiā*, 2. *Reg.* 11. Dicamus nos: Christus ieiunat & felle potatur: & ego nō ieiunabo? Christus vigilat in cruciatibus, &c. & ego non vigilabo hoc tempore? Christus tribus horis in cruce viuus pendet: 2.

pendet; & ego ad vnam horam non durabo ad concionem vel comprecationem?

3. Tertiò, Quòd Iudas & malorum cohors eo tempore minimè dormirent; sed solerter vigilarent quomodo ipsum caperent: promptiores & vigilantiores ad malum, quàm essent discipuli ad bonum. Quod idem nobis dici potest; semper enim diabolus *tamquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, ait S. Petrus: nos tamen interim stertimus. Exemplũ promptitudinis diabolicæ recenset S. Greg. *l. 3. dial. c. 19.* de quodam Stephano nomine, qui mancipium suum Diaboli nomine compellens vt ipsum excalcearet, statim dæmonem præsto habuit, clàm ligamina calceorum soluentem, &c. Sic magis sæpe vigilant hæretici ad sectas suas tuendas & propagandas, quàm nos. Sanè dum Episcopi & pastores nostri dormirent, venit Lutherus, veluti Iudas cum cohorte, & cepit Germaniam, cui veluti inimicus homo superseminauit Zizania. Quàm strenuè mundani vigilant pro lucro, ad aleas, compotationes? ? &c.

4. Quartò, Quòd immineret grauissima tentatio à dæmone & Iudæis infirmæ carni, ideóq; Dei auxilio opus esset ad illam superandam: Ideò subdit: *Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma*, q. d. Magnum quidem spiritum concepistis, ad perseuerandum mecum, adeoque mortem subeundam. Sed videte ne carnis imbecillitate victi, alia agatis, & superetur promptitudo spiritûs ab infirmitate carnis. Videte vel in hoc carnis vestræ imbecillitatem, dum in præsentissimo periculo dormitis, qui pro me pugnare volebatis, &c.

§. IV.

Angelica confortatio, agonia & sudor Christi sanguineus.

1. *Assignantur rationes illius confortationis angelicæ.*	2. *Quid fuerit illa agonia.* 3. *Quid sibi velit sudor ille sanguineus.*

THEMA.

Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Luc. 22.

A QVàm leuis & suauis est mulcta primi hominis, si cum mulctâ Christi, secundi Adami conferatur? Peccauit ille & idcircò audijt: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Parum istud erat, quia sudor aqueus erat, homini naturalis. Non peccauit iste, & vide sudorem eius: *Factus est sudor eius*, inquit Lucas, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* In hoc sanguineo sudore vesci Christus pane suo, qui est hominum salus, debuit: in hoc agellum suum Ecclesiam excolere, imò hoc diluuio sanguinis rigare. Quàm ergò exigua pœna est, quam à nobis exigit Deus pro peccatis nostris! Et quàm grauis illa est, quam à filio exigit pro peccatis alienis?

B. 1. Confortatur ab Angelo. PRIMÒ, Angelus de cælo confortauit eum, nimirum vel consolando eum verbis, aspectu externo, sanguinis abstersione, laudibus, &c. Vel proponendo illi ingentem fructum, qui ex passione eius prouenturus erat, Dei gloriã, ipsius Christi exaltationem, animarum salutem & gaudium, &c. Iuxta id 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.*

Facta est autem hæc confortatio, Primò ad demonstrandum, non solùm Christi humanitatem, sed etiam omnimodam desolationem tamen voluntariè assumptam. Quomodo enim non verus homo est qui etiam minutus est paulò minùs ab angelis, ita vt confortari ab illis debuerit? In deserto ministrabant illi angeli ad indicandam eius diuinitatem: in horto confortabat eum angelus ad indicandam eius humanitatem, quia vtrumque necessariò credendum erat. Desolationem quoque Christi omnimodam ostendit hæc confortatio, propereà quòd à seruo eius facta est. Alijs temporibus pater ipsemet loquebatur filio & quidem amabilissimè: *Hic est filius meus dilectus*, &c. Vti in baptismo & transfiguratione, & quando *Ioan. 12.* de cœlo intonuit super eum: *Et clarificaui(te) & iterum clarificabo.* Nunc verò precantem filium in maximis angustijs audire non videtur: nec velle ei loqui, seruum tantùm mittit, angelum. Et qualis est ista confortatio, quam præbet seruulus Domino, infans Giganti? Ipsimet sancti Angeli gaudium & robur à Christo accipere debent: & quomodo hoc ipsi porrigent? Miserum & miserabilem dicimus illum dominum qui à proprijs seruis pecunias vel similia mutuare subsidia debet. Quantam ergò fuisse putabimus Christi desolationem & defectum virium, qui à seruo suo confortari debuit? Hinc mihi facilè persuadeo quod asserit S. Beda confortationem istam non tantùm non minuisse Christi mœrorem ac dolorem, sed etiam auxisse: cùm nimirum vidit tantus Dominus eò se angustiæ & impotentiæ redactum, vt seruorum opitulatione egeret, quæ tamen opem non afferebat, sed dolores tantùm grauiores nuntiabat. *Confortatus est*, inquit Beda in *c. 22. sed tali confortatione, quæ dolorem nõ minuit, sed magis auxit: confortatus enim est ex fructûs magnitudine, nõ subtractâ doloris amaritudine.* Sic ille. Propinabat enim illi calicem quem toties deprecatus erat.

Secundò, Ad ostendendum, semper adesse angelos sanctos laborantibus & patientibus propter DEVM, nec non & orantibus. Voluamus SS. literas & inueniemus id quod dico. Agar exulanti & extremâ penuriâ laboranti adest angelus consolator *Gen. 16.* Iacobo quando valde timens fratri obuiauit *Gen. 32.* adest angelus confortator. Gedeoni miserias populi sui deploranti adest angelus confortator *Iud. 6.* Eliæ Iezabelem sibi necem intentantem fugienti adest angelus confortator. *3. Reg. 19.* Similiter Danieli in lacu leonum constituto *Dan. 14. & 6.* Tribus pueris in fornacem missis *Dan. 3.* Petro in carcere vincto *Act. 12.* Paulo in mari periclitanti *Act. 27.* Vt hinc nullatenùs dubitare possimus

mus quin alijsquoque omnibus propter Deum in afflictione positis, adstet angelus confortator, tametsi non visibiliter. Orantibus prætereà simili modo adesse Sanctus Bernardus *serm.7.in Cant.* ex illo exemplo probat *Tob.12.* vbi angelus ait: *Quando orabas cum lachrymis &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Erat is angelus Raphaël, qui tamen nequaquam falsò dicebat se vocari Azariam, *Tob.5.* (Azarias enim vocatur auxilium Dei) indicans angelos auxilium Dei ferre afflictis & orantibus. Tametsi verò non audimur semper ad id, quod in oratione petimus, non dubitemus tamen angelos adesse nostris orationibus opem aliam similem vel meliorem afferentes. Sic Christo fructum passionis eius nuntiabant, qui longè acceptius ei donum erat, quàm si nuntiassent ei incolumitatem & vitæ conseruationem. Itaque si in ægritudine v. g. constituti & orantes, non impetramus sanitatem, dabit nobis Deus aliquid fortè præstantius, mittet angelum suum, qui confirmet nos in patientiâ ad promerendam gloriam ampliorem &c. Vti dictum Paulo oranti ter vt liberaretur à stimulo carnis: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

3. Tertiò, Ad informationem nostram, ne videlicet erubescamus consilium aut correctionem accipere etiam ab inferioribus, rudioribus, ignobilioribus, minùs iustis, &c. Ecce enim tibi fortissimum Sampsonem qui à puero seduci & roborari non detrectat, tametsi hac operâ non indigus: vt nos eum imitemur, *Nonnunquam euenit*, inquit S. Chrysost. de laudibus D. Pauli hom.9. *vt sapiens non videat quod oportet; & minor & hebetior clarè & cautè ea prospiciat. Sapiens ille Moyses, qui tanta miracula operatus est, non animaduertit rem, quam mortalium plerique considerant: socer autem eius, homo barbarus & obscurus, statim animaduertit. Itaque consiliarijs omnes opus habent, etiamsi Moysi conferri possint. Multa enim sunt quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui & abiecti scire solent.* Sic ille. Cæcus ille à natiuitate, per Christum illuminatus, plus vidit quàm omnes Pharisæi, dum è miraculis Christi diuinitatem eius optimè colligit, tametsi ab illis indignantibus audijt: *In peccatis natus es totus & tu doces nos? Ioan.9.* Ab angelo prætereà discimus consolari mœstos in suis afflictionibus.

C. II. Agonizat. Quid illa agonia?

SECVNDÒ, Factus in agoniâ prolixiùs orabat. Fuit hæc agonia secundùm aliquos duellum quoddam voluntarium ad maiorem dolorem assumptum, inter carnem & spiritum,

1. seu appetitum sensitiuum & rationem, quasi inter duos milites à Duce permissum. Caro pati refugiebat: spiritus patiendum esse contendebat: & quia vniti erant & alter alterum in suam trahere partem nitebatur; inde hæc agonia. Velut si duo in eodem carcere & eâdem catenâ colligati ita colluctentur, vt alter velit fugere, alter verò manere, cùm à se mutuo nequeant separari. Fugere conabatur à morte Christi caro, naturali inclinatione: sed retinebat eam spiritus, eique præualebat & mortem subeundam denique persuasit, tametsi trepidanti & horrenti. Figuram huius luctæ videre est in Iacob & Esau colluctantibus in ipso matris vtero, ad ingentem matris dolorem, dum vterque prior egredi nitebatur in lucem *Gen. 25.* Rursum in Phares & Zarâ item geminis, filijs Thamar; Zara enim quasi prior nasciturus, manum promebat: sed hoc tamen manum retrahente, Phares prior egressus est *Gen. 38.* Sic anima Christi in hac horâ quasi duos appetitus parturiebat: & quamquã appetitus sensitiuus prior se ostendisse videretur in illis verbis Christi agonizantis: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix*, &c. tamen is ab appetitu rationali retractus est & victus: quod expressit Christus, cùm subiecit: *Non mea voluntas fiat, sed tua.* Nos etiam in hac vitâ contendimus in agone: Videamus quomodo strenuè pugnemus & carnem spiritui subijciamus; quia scriptum est: *Sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.*

Secundò, Fuit pugna quædam inter metum mortis & imminentium cruciatuum, ex vnâ parte: & zelum gloriæ Dei & salutis hominum, ex alterâ. Hinc Christum prouocabat ad emptionem pretiosæ margarita: illinc verò absterrebat ingens pretium pro eâ dandum. Videbat enim Christus sibi vendenda omnia sua, famam, existimationem, vestes, amicos, matrem, sanguinem & vitam, si emere eam vellet. Videbat etiam à plurimis hominibus margaritam illam vilipendendam & pedibus conculcandam: inde quasi secum ipse certabat, expediretne tantum pretij expendere pro illâ. Et vicit amor, idcircò iam arrhabonem soluit huius emptionis, copiosum videlicet sanguinem. Vnde discimus pro regno cœlorum omnia aduersa libenter toleranda omniaque nostra expendenda esse. 2.

Tertiò, Fuit quoddam duellum inter vitam & mortem, prout canit Ecclesia: *Mors & vita duello conflixère mirando.* Solet enim in moribundis aduerti eiusmodi lucta cùm mors appropinquans abripere nititur hominem è viuentium numero. Tunc enim natura horret, resistit, sudat præ angustiâ, quamuis viribus & sensibus iam defecta ac penè exanimis. Christus integris sensibus ac viribus luctatus est cum morte clarissimè conspectâ. Vnde perinde fuit, ac siquis sanus & integris sensibus demitteretur in lacum leonum. Quis enim explicare istius horrorem posset? Quod si Christus ab omni peccato immunis cum morte agonem subijt non absque magno pauore: quid tu facies peccator quando ingenti mole peccatorum onustus agonem illum ingredieris? Heu quantum ibi sudabis! Christo angelus bonus adfuit ad confortandum illum: sed quales tibi putas ibi adfuturos? nimirùm *angeli pacis*, quos contempsisti, *amarè flebunt*; mali verò tripudiabunt & tibi insultabunt. 3.

D. III. Sudat sanguinẽ.

TERTIÒ, *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quid sibi vult hic sudor tam insolitus? Primò demonstrat nobis 1.

amari-

amaritudinem calicis illius, quem Christo propinauit angelus: quæ tanta erat, vt solo aspectu & imaginatione antequam biberetur, sudorem hunc excusserit. Refert Maldonatus *in cap. 26. Matth.* Lutetiæ Parisiorum, robustum hominem & bene valentem, auditâ in se capitali sententiâ, sanguinem sudasse. Et Hadrianus Iunius de criminibus *cap. 10.* scribit de quodam Hispano Diego Osorio, cum cùm incarceratus morti addictus esset, eiusque rei certior factus, in vnâ illâ nocte, cùm esset iuuenis, repente totum incanuisse ac proinde vitâ donatum, eò quòd mortem iam degustasse censeretur. Ex his conijcere licet, vnde sudor is prodierit. Jam verò si hoc potuit præuisio temporalium tormentorum: quo sudore perfunderemur si tormenta gehennæ ita clarè videremus? Certè sanguinem fleremus, quòd eâ de re tam parum soliciti sumus. Sed nónne timoris & horroris est sanguinem ad cor vocare? Jta enim dicimus postquam aliquando vehementer territi sumus: **Wann man mich gesiochen het, so het ich kein blut geben?** Jdcircò,

2. SECVNDÒ, Judicat hic sudor victoriā spiritûs de carne; siquidem caro ex hoc prælio cruenta recessit. Item amoris de timore. Quemadmodum enim ignis pulucrem pyrium tangens in bombardâ, globum magno cum impetu eijcit: Sic primò quidem ex consideratione pœnarum subeundarum, flagrorum, spinarum, illusionum, clauorum, crucis, mortis, &c. Sanguis more suo ad cor se recepisse creditur. Vbi tamen amor salutis humanæ vehementissimus & igneus gloriæ diuinæ zelus accessit, hinc timor & angor superatus, & sanguis magno impetu per corporis poros eiectus est; siquidem *perfecta charitas foras mittit timorem. 1. Ioan. 4.* Atque ita sudor iste, immediatè quidem processit ab amore, mediatè verò à timore. Hic ergò impletum vult D. Iustinianus in Dialogo, illud *Psalm. 21. factum est cor meum tanquā cera liquescens in medio ventris mei.*

3. TERTIÒ, Demonstrat nobis magnitudinem diuini amoris in Christo, quasi expectare non potuerit carnifices, sed præuenire illos voluerit spontaneâ fusione sanguinis, velut myrrhæ primæ, ex arbusto non inciso, sed vltro profluentis, quæ est probatissima: vt ita videremus quantâ cum alacritate & charitate pro nobis pateretur. Item quasi tanto charitatis igne arserit, vt viuum sanguinem per venas & corporis poros distillauerit, quomodo vehemens ignis è rosis, imò è lapidibus etiam aquam distillare cogit. Item quod copiosam voluerit exhibere satisfactionem dum tantum per omne corpus effunderet sanguinem, vt velut riuuli decurreret in terram.

4. QVARTÒ, Ostendit nobis magnitudinem infirmitatis nostræ, grauitatem quoque & turpitudinem peccatorum. Quàm enim grauis nostra infirmitas fuisse debet, quæ tam grande indiguit phlebotomiâ? Quàm grauis esse moles peccati debet, quæ diuinum illud dorsum adeò pressit, vt tantum cruorem emitteret? Verè hortus hic Gethsemani, *torcular olei* vocatur; peccata enim nostra pondus illud fuerunt quod è botro illo Cypri tam copiosum expressit succum. Quanta esse peccati fœditas debet, quæ vt elueretur, tam calido eguit sanguine? Sudare debuit Adam pro peccato suo, nec tamen id deleuit. Diluuium posteà venit, nec hoc quidem satis fuit. Insuper hoc lauacrum ex sanguine filij Dei adhibendum fuit. Numquid igitur iam non satis est? Non placabitur ira patris tam miserabili spectaculo filij sui? Iam enim appropinquauit ad portas mortis, & nisi miraculis retineretur eius vita, iam fugeret è corpore. Gustauit iam dolores mortis, doncter ergò vitâ. Sed non annuit Dei iustitia, quia neque dum placata est. In trunco enim crucis oculos defixos habet, illuc educi filium præcipit, nec placari aliter quàm in ligno vult, qui in ligno offensus fuit. Itaque in crucem etiam actus est, vt ibi omnem omninò effunderet cruorem ad eluenda nostra crimina. Numquid adhuc aliquid deesse aut requiri potest? Audi Prophetam Ezech. *c. 24. Multo labore sudatum est*, inquit, *& non exiuit de ea nimia rubigo eius.* Heu nimio Dei labore sudatum est, & tamen nondum exiuit de nobis nimia rubigo scelerum nostrorum!

§. V.

Aduentus Iudæ.

THEMA.

Amice ad quid venisti? Matthæi 26.

PSalmo 21. qui de passione Domini luculētissimè scriptus est, hunc affigit titulum S. Hierony. ex Hebræo: *Pro cerua matutina.* Quænam illa cerua, & quidem matutina? Christus, Auditores, qui vespertino quidē captus & ligatus, sed matutino posteà tempore agitatus & laniatus est à rabidis illis canibus, Iudæis & carnificibus, de quibus vtique in eo ipso psalmo dicitur: *Circumdederunt me canes multi.* Quia verò is secundùm humanam tantùm naturā passus est & mortuus, ideò ceruæ potiùs quàm ceruo comparatus. Huic nunc insidias ponere incipiunt pessimi illi Venatores, Principes & Seniores. Mittuntur canes venatici, præcedit explorator Iudas, sagacitate reliquos superans, vestigia Christi obseruans; nec difficilè inueniens, vtpote in prædam se sponte offerentis. Ergò nunc spectemus miram & inusitatam hanc venationem. A. B.

1. PRIMÒ. Reuersus tertiò ad discipulos Christus præsentem iam tentationem illis exposuit, *Reuertitur tertiò ad discipulos.*

fuit, cum aliquâ exprobratiooe fomni dicens: *Dormite iam & requiescite : ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* q.d. ecce iam quam prædixi vobis tentationem, qui credere mihi & parére toties monenti nolebatis. Dormite iam, si potestis : ecce adsunt, qui vos excitabunt vel inuitos & quidem fustibus & lanceis. Idem eueniet peccatoribus, qui toties moniti vt à peccatorum somno euigilent & ad mortem ac iudicium se præparent atque à venturâ irâ fugiant, dum hæc surdâ aure pertranseunt & dormire pergunt, veniet repente hora, in quâ videbunt vndique se cinctos mortis doloribus & iam ad pugnandum & bene agendum inidoneos. Ibi conscientiâ redarguente excitabuntur quidem, vt videre incipiant suas miserias : Sed somno nondum plenè excusso, cæcutientes, palpitantes & oberrantes nesciant quid agant agereque debeant. Quibus meritò tunc illudet Deus : *Dormite iam* si potestis : pergite in vestris cupiditatibus & delicijs : ecce adest qui vos excitabit, mors, diabolus, infernus. Sic enim ait Prouerb. 1. *Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consiliū meum & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Quàm fælix & hilaris contrà qui cum Christo vigilat, dicereque potest in articulo illo : *Paratus sum & non turbatus?*

C. II. Excitat discipulos. SECVNDÒ, Excitauit illos ac monuit vt secum obuiarent hostibus : *Surgite eamus : ecce appropinquauit qui me tradet.* Et secundum Luc. *Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem.*

1. Fecit hoc primò ad compensandam Adæ timiditatem & fugam, qui vocatus à Deo post peccatum abscondit se : *Non dixit: Ecce adsum,* inquit Rupertus in eum locum ; *Nec enim Deo aderat, aut obedienter adesse volebat, qui post inobedientiam se absconderat.* Et mox: *Quàm peruersus hic timor est, qui non facti sui genere pœnitudinem, sed solam pœna sua fatetur habere confusionem.* Itaque resarcire voluit Christus, quod hîc deliquit Adam: vt simul nos & hoc doceret, aliquando nos in lucem protrahendos & publicè confundendos, si modò erubescamus confiteri peccata nostra eaque occultemus.

2. Secundò, Vt ostenderet suam ad patiendum promptitudinem. Quemadmodum enim necesse erat, vt se Christus tam hominem probaret, quàm Deum : ita etiam vt ostenderet timorem patiendi & alacritatem. Si enim non horruisset mortem, nihil passum diceremus: Si non promptè & hilariter ad mortem perrexisset, inuitum diceremus & coactum eam sustinuisse. Paris vtrumque periculi erat. Itaque & agnum se ostendere debuit, qui naturali instinctu & horrore fugit lupum, & præ timore huc illuc discurrit : & Leonem qui ad nullius pauet occursum obuiatque suis hostibus. Illud fecit, cùm tristitiâ & timore plenus in horto discurrit, modò ad patrem, modò ad discipulos ; istud verò cùm adventantibus obuiauit hostibus. Vide & lauda Christi in te amorem. Quando etenim quærebatur à populo, vt Rex inauguraretur, tunc abscondit se, *Ioan. 6.* Nunc dum quæritur ad patiendum & te redimendum: prodit se & obuiam it quærentibus. Itaque magis amauit animam tuam, quàm coronam & regnum suum.

Tertiò, Vt doceret nos modum & rationem obuiandi graui tentationi & morti. Non enim expectandum donec ea incautos & dormientes atque imparatos opprimat : Sed maturè euigilandum, arma orationis assumenda, occurrendumque hosti per animi fortitudinem. *Beati enim sunt serui illi quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes,* ait ipse. Scimus Sampsonem postquam Dalila somno eum sopijt, attonsum & per hoc viribus suis destitutum in manus Philistæorum deuenisse : quò non deuenisset, si peruigil fuisset. 3.

D. III. Aduenit Iudas cū cohorte. TERTIÒ, *Adhuc eo loquente, ecce Iudas venit & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus missi à principibus Sacerdotum & senioribus populi,* vt Matth. & Marcus habent : nec non cohors, (quæ est 300. militum Romanorum) vt habet Ioannes ; imò & *principes Sacerdotum & Magistratus templi, & Seniores,* vt habet Lucas. Sed ad quem finem tanta turba tot diuersorum cum vario armorum genere? Primò. Vt tantò magis infamarent Christum quasi insignis quidam Latro esset, ferus, indomitus, ac nisi magnâ vi compesci posset. Quod indicat dominus posteà cùm ait ad illos : *Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehēdere me* ; Cùm tamen dominus nullâ vnquam vi restitisset illis nec fugam meditaretur; siquidem in templo eorum quotidie docebat. Hinc illæ querelæ in Psalmis : *Circumdederunt me canes multi, vituli, tauri pingues & apes,* id est, gentilium & Iudæorum ministri, Magistratus & Priocipes, & Iudas qui mel in ore, aculeum retrò habuit. Vide iniuriam & malignitatem Iudæorum : nec non leuitatem militum, qui parum curant cui & quo io bello militent, modò pecunijs conducantur: etiam diabolo & in causâ iniustissimâ seruituri. 1.

Secundò, Fortè ne rursum ministri, sermonis Christi efficaciâ infescati, eum comprehendere non auderent, vti etiam aliâs factum *Ioan. 7.* idcircò etiam aliqui ex ipsismet principibus & Magistratibus interesse voluerunt. Vel quia plusquam humanam in eo experti erant potentiam, ne si minori potentiâ venirent, comprehendere & vincire eum nequirent. Sed vide & ride insaniam. Vel enim homo tantùm est : & ad quid tot armati contra vnum ? Vel plusquam homo : & frustra laboratis, etiamsi plures sitis. 2.

E. IV. Iudas antecedit. QVARTÒ, *Iudas vnus ex 12. antecedebat eos.* Vide mutationem de Apostolo in ducem reproborum. Ita nimirum vinum priùs optimum, cùm acescit, fit acerbissimum. Ita qui desertâ religione retrospiciunt & redeunt ad sæculum: vel desertâ verâ fide ad hæresin dilabuntur, plerumque fiunt peruersissimi. Exemplo est Sergius ille Monachus Mahometani

Alcorani cusor: Lutherus quinti Euangelij &c. Porrò Christus à discipulo tradi se permisit, vt pateret Iudæis Christi innocentia. Nam si quid mali vnquã egisset Christus, discipulus eius traditor vtique Iudæis prodidisset, vt sic haberẽt illi in quo eum accusarẽt. Ignotus vel alienus nihil potuisset de vitâ Christi narrare.

F. V. Dat eis signum. QVINTÒ; *Dedit eis* Iudas *signum: Quemcumque osculatus fuero*, inquit, *ipse est, tenete eum.* Signum quidem dedit, vel quia Christus facie similis erat Iacobo Alphæi, (vt scribit S. Ignatius ad Ioannem) vel quia à Romanis militibus alioqui agnitus non fuisset in tenebris præsertim.

Osculum. 1. Signum verò osculi dedit. Primò, quia tunc in more apud Iudæos erat salutatio per osculum venientibus amicis præberi solitum, vt patet Luc. 7. *Osculum mihi non dedisti,* &c.

2. Secundò, Præter mentem Iudæ, appositè id factum est. Cùm enim osculum amicitiæ signum esset, quo aptiori signo tradi Christus debebat, quàm osculo; siquidem pro amicitiâ & pace inter Deum & hominem faciendâ tradi in mortem voluit? Hoc Dei osculum præ omnibus rebus desiderabat sponsa initio Cant. *Osculetur me osculo oris sui.* Ac sicuti Christus ad osculum Iudæ præbendum, quod is staturæ breuioris esset, sese inclinauit, vt habetur in Reuel. S. Birgittæ *l. 4. cap.* 69. ita sanè ad osculum humano generi infigendum, heu quantoperè Deus sese inclinauit?

3. Tertiò, Quia malitia hoc habet, vt in apertum non prodeat nisi tecta velamine bonitatis. Ideò in tentationibus animi semper antecedit Iudas cum osculo, id est, malum sub specie boni; quia *nemo respiciens ad malum operatur.*

G. VI. Iubet eũ duci cautò. SEXTÒ, Iussit insuper *vt ducerent eum cautè;* fortè ne eis elaberetur, quo modo *Luc.* 4. euasit Iudæorum manus, quando *per medium illorum ibat*, percutiens illos aorasiâ; & *Ioan.* 8. quando abscondit se ab eis, & exiuit de templo, vide quàm solertes sint mali ad malè agendum! Vtinam sic nos cautè duceremus Christum quando eum apprehendimus per gratiam, nec tam facilè & citò nobis elabi sineremus: id quod sponsa fecit Cant. 3. *Quæsiui quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.*

Fortè timuit etiam pelli suæ, ne videlicet si elaberetur, ab eo plecteretur. Sed ô miser! non erat quod timeres: sperare potiùs ab eo veniam & salutem poteras, si elapsus fuisset. Nunc autem quia cautè ductus & arctis funibus ligatus est per tuam maximè impietatem & obstinationem: hinc extendere ad te non potuit beneficam manum suam: ideo tu perijsti; sicque *consilium malum consultori pessimum fuit.*

H. VII. Osculatur eum. SEPTIMÒ, Osculans Christum dixit: *Aue Rabbi.* Apud Marcum legitur Græcè duplicasse nomen *Rabbi*: Apud Matthæum dixisse *gaude Rabbi.* Nimirum, vt melleo hoc verbo virus clàm immitteret; nec putaretur venire tanquam hostis. Rectè adulatoriam orationem vocauit Diogenes melleum laqueum.

OCTAVÒ Respondit Christus: *Amice ad quid venisti?* Matth. 26. Et: *Iuda osculo filium hominis tradis?* Luc. 22. Amicum vocauit, Primò, vt veteris eum amicitiæ commonefaceret quasi ingerens ei illud Psalmi 54. *Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus qui simul mecum dulces capiebas cibos*, &c. Docens interim sæpe hoc contingere, vt quis serpentem in sinu alat, à quo tandem perimatur. I. VIII. Respondit Christus. Amice. 1.

Secundò, Vt ipsum ad pœnitentiam inuitaret: quemadmodum & sequentibus verbis: vt si non blanditijs saltem minis moueretur. 2.

Tertiò, Vt doceret nos blandis verbis respondere etiam inimicis & calumniatoribus nostris. 3.

Quartò, Vt ostenderet quàm blandè excepturus sit electos in regno suo, si tam beneuolè accepit traditorem suum. 4

§. VI.

Prosternuntur à Christo comprehensores.

1. *Explicatur quâ ratione obuiauerit Christus comprehensoribus suis.*
2. *Cur prostrauerit voce cohortem.*
3. *Cur siluerit eum surgere.*
4. *Quibus de causis velit discipulos dimitti.*

THEMA.

Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Ioan. 18.

QVi vitam Christi paulò diligẽtiùs rimantur, facilè inuenient in potioribus eius gestis manifesta argumenta, non vnius aut alterius tãtùm, sed vtriusque simul naturæ diuinæ & humanæ. Natus est vt homo, paruulus & infans: Sed interim vt Deus ab Angelo pastoribus annunciatur. Neglectus in stabulo iacet vt homo, sed interim à Regibus ibi quæritur & adoratur vt Deus. Offertur in tẽplo velut legi subiectus homo, sed à Simeone & Annâ prophetico prædicatur spiritu vt Deus. Baptizatur à Ioanne, quasi homo, sed interim vox patris super eum intonat & Deum & filium suũ dilectum appellat. Ieiunat & tentatur in deserto vt homo, sed ibidem angeli ministrant ei vt Deo. Carpunt eum Pharisæi, sed prædicat & admiratur turbę. Ab illis vocatur Beelzebub, sed interim mulier clamat: *Beatus vẽter qui te portauit,* &c. Morti iam vicinus, asino vectus ingreditur Ierosolymã vt homo: interim à turbis & pueris salutatur & honoratur vt Deus. In mõte oliueti, pauet & tristatur vt homo: sed ibidẽ vno verbo prosternit armatos milites, vt Deus. In cruce ab vno latrone blasphematur vt homo: sed ab altero prædicatur vt Deus. Ibidẽ moritur vt homo; sed interim prodigijs celebratur & ab elementis deploratur vt Deus. Nimirum difficillimus fidei articulus erat, Deum fieri hominem: propterea hoc pluribus argumentis mundo ostendendum fuit. Nunc quâ A

ratione obuiarit comprehensoribus suis videamus.

B. I. Prodit obuiam cohorti. PRIMÒ, *Sciens Iesus omnia quæ ventura e ant super eum, processit & dixit eis: Quem quæritis:* Responderunt ei: *Iesum Nazarenum.* Fecit hoc

1\. Christus, primò ad testandum innocentiam suam. Nam qui sibi malè conscius est, fugit apparitores & Iustitiæ ministros, Innocens illis obuiàt & procedit.

2\. Secundò, Vt suam pro discipulis solicitudinem ostenderet, seque bonum illum pastorem esse, qui ante oues vadit & pro illis animam suam ponit. Sic etiam bruta animalia pro pullis suis certant & insidiatorū ictibus se exponunt, documento superioribus & prælatis quibuscunque, vt cùm suis subditis periculum imminere sentiunt, ipsi in aciem procedant suos defensuri vel pro suis passuri. Quòd si non prodijsset dominus, fortè aliquis discipulorum pro ipso, vel omnes simul capti essent; vt ergo hoc ab illis auerteret, prodijt; quod imitatum legimus S. Thomam Cantuariensem Episcopum, cùm à sicarijs ad necem quæreretur.

3\. Tertiò, Vt demonstraret tempus esse procedendi; & tempus latēdi. Conabantur quidem Iudæi iam antea capere illum: sed Iesus se abscōdit, *quia nondum venerat hora eius.* Multa adhuc miracula facienda erant & quidem omni exceptione maiora, multa adhuc docēda, mensura malitiæ Iudaicæ expectanda. Nunc postquam omnia ad sufficientiam peracta sunt & hora Iudæorum aduenit, tempus procedendi fuit. Ad Christi Domini exemplum Paulus nuper conuersus Damasci in sportā demissus est per muros, *Act.* 9. quia debebat fidem & conuersionem suam annunciare mundo. Vbi verò id perfecit, vltrò morti obuiauit, *Act.* 20. 21. &c. Ita etiam Petrus cùm imminentem sibi mortem sub Nerone vellet fugere, consilio & bono Christianorum: postquam extra portam Christum obuium habuit, dicentem: *Vado Romam iterum crucifigi;* intellexit horam adesse, quā patiendum sit: ideoque in vrbem regressus, martyrio se obtulit. Sic Cyprianus diu imprimis latuit, quia eorum cohortatione cæteri Christiani indiguerunt, tandem tempore suo & ipse prodijt ad martyrium.

C. II. Prosternit voce cohortem. SECVNDÒ, Respondit Iesus: *Ego sum.* Quo dicto: *Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.*

1\. Quæ causa cur hac voce prostrauerit aduersarios? Respondetur primò, vt ostenderet eis potentiam diuinitatis suæ, adeoque errorem eorum, vt resipiscerent; siquidem nemo vnquam mortalium, siue Hercules, siue Alexander, voce prostrauit hostes. *A sæculo hoc non est auditum.* Faciebat a Ihoc intelligendum, vt vox illa: *Ego sum*, quod Dei solius nomen est: *Ego sum qui sum.* Ac ne existimare possent, se ab alio retrò existente percussos, non in faciem sunt prolapsi, sed in dorsum. Fecit igitur hoc *vox Domini vox confringentis cedros:* Magnum quid præstitit Samson, quando maxillā asini percussit mille Philisthæos *Iud.* 15. Et Samgar quando vomere sexcentos Philisthæos. Iud. 3. Sed vti figura superatur à reipsā; sic ista etiam facinora ab illo quod designauit Christus. Pugnis & armis prosterni hostes & ab hominibus possunt; voce solā mi nimè possunt.

2\. Secundò, Vt ostenderet se non comprehēdi vi & ex imbecillitate, neque ex improuiso. Homines quidē capiuntur vel ex impotentiā, quia nequeunt resistere: vel ex ignorantiā, quia insidijs circumueniuntur. Neutrum horū in Christo locum habet. Nam *sciens omnia, quæ ventura erāt super eum, processit eis obuiam*, vt vidimus ex Ioanne; deinde cùm abdere se posset, prodidit dicēs: *Ego sum*, quia Leo de tribu Iuda & dormijt apertis oculis, & nullius occursum timuit. (Leonem enim se præbere voluit antequā præberet ouem ducēdam ad macellum.) Non ergo circumuentus est; sed neque vi oppressus, quia nōdum eduxit gladium, voce eos strauit. Quid si gladium strinxisset? sed & resurgere iacentes patitur, & iterū interrogat quē quærerent. Respondentibus suggerit: *dixi vobis quia ego sum:* quasi exprobraret illis impotentiam ipsorum; si tradere se nollet. Poterat eos humo affixos tenere: poterat interim securus abire: mille euadendi modi. Quin etiā Iudæi; tametsi post osculi signum datum, necdū eum agnoscunt; ideò enim manus Christo non inferunt, & bis iterato rogati non respōdent: Te quærimus; sed, *Iesum Nazarenum.* Cæci, quē quæritis ante vos est, & vobiscum loquitur, nec tamen agnoscitis? En quàm facile est Deo, humanā eludere astutiam? Frustrà osculatur Iudas, frustrà afferunrur faces ad Christum agnoscendum, nisi enim sol iustitiæ seipsum prodidisset, nullis indagaretur facibus. Nimirū *oblatus est, quia ipse voluit*, non quia Iudas prodidit. Fecit hoc olim Elisæus Syriæ latrunculis ad se quærendum missis, locutus est cū eis, duxit eos ad mediū Samariæ, nec tamen agnitus est ab eis, 4. *Reg.* 6. Sed hanc *cæcitatem* nō ipse eis immisit; imprecatus est à Deo. Christus verò immisit Iudæis, quia Deus erat.

3\. Tertiò, Vt ostenderet fortasse Ecclesiæ suæ firmitatem, & inuincibilitatem cōtra Iudæos, paganos & hæreticos. Aderant in hâc turbâ ministri Iudæorum, Pharisæorum, gentilium. Primi Iudæos designant, secundi hæreticos, tertij gentiles. Omnes isti conati sunt Christi Ecclesiam perdere: sed perijt synagoga, perijt Idololatria, periere hæreses, stetit autem Ecclesia & stabit etiam imposterum, cadent verò hæreses quotquot sunt aut erunt.

Quartò, Vt ex hac voce colligeremus vim vocis illius alterius, quam proferet in Iudicio contra reprobatos. Si enim balatus ouis prostrauit tot armatos: quid faciet rugitus Leonis? *Quid faciet iudicaturus*, inquit Aug. tract. 112. in Ioan *qui hoc fecit iudicandus?* 4.

D. III. Sinit eos surgere. TERTIÒ, Permisit vt surgerent prostrati, Primò, vt eis locum resipiscentiæ daret (licet sciret non emendandos.) Quis enim tam manifestè à Deo correptus non resipisceret? Sed frustrà: iidem qui ceciderant, surrexerunt, nec verbulo recesserunt à priori pertinaciā: eadem verba reddunt? *Iesum Nazarenum.* Erant enim obfirmati in malitia, ideoque retrorsum ceciderunt, nō in faciem, vti boni cadunt. *In faciem cadere,*

cadere, inquit S. Greg. l. 31. Moral. c. 10. *est suas culpas agnoscere & pœnitendo flere; retrò verò, quò non videtur, cadere, est ex hac vitâ repentè decedere, ad quæ supplicia ducatur ignorare*. In dorsum ergo cadere, est suas culpas non agnoscere nec pœnitendo flere. Hinc peroptat Dæmon vt mittamus nos deorsum, ne facilè resurgamus. Resurgunt multi è morbis, sed nihilo meliores, tametsi multa proposuerunt. Viderint ne hoc vergat ad maiorem eorum perditionem.

Pugnat hîc Deus cum impijs quasi fortis Athleta cum Tyrone, non statim eos delens & omninò prosternens, sed sinens eos respirare, proficere subinde & prosperari, vt sic emendentur. At cum videt eos non emendari sed magis peruerti; incipit seriò agere eosque vno prosternit ictu: sic diu cum Pharaone luserat, multis eum plagis tangendo & iterum eas amouendo ad sponsionem emendationis. Sed quia nihil se emendauit & magis indurauit, ideo Deus eleuauit manum & demersit eum in mare rubrum.

2. Secundò, Vt doceret nos mansuetudinem admiscere correptionibus. Poterat sanè Christus perdere nequam homines vel igne de cœlo tracto, quomodo Elias 50. viros ad se comprehendendum missos puniuit 4. *Reg*. 1. potuisset terram scindere & reprobos demergere: alijsque modis vlcisci. Sed maluit ad terram affligere, nobis in exemplum, vt nostros inimicos potiùs ad resipiscentiam trahere, quàm delere studeremus.

E. IV. Vult discipulos dimitti.

1. QVARTÒ, *Si ergo me quæritis*, inquit, *finite hos abire*; discipulos videlicet. Eccur dixit istud? Primò, quia non expediebat vt discipuli cum ipso morerentur, ne & ipsi à simplicioribus mediatores reputarentur & Christo æquipararentur: hinc illa Pauli expostulatio ad einsmodi genus hominum, qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ ego autem Christi: nunquid Paulus crucifixus est pro vobis aut in nomine Pauli baptizati estis?* 1. Cor. 1. Solus Christus est, qui redimere nos potuit. *Torcular calcaui solus*, inquit Isaias c. 63. *& de gentibus non est vir mecum*. Solus ipse sufficientissimum pretium fuit ad nos omnes redimendos, ideoque sub typo discipulorum nos omnes in libertatem asseruit, dum ipse pro nobis ligari voluit. Pulchrè hoc indicauit Dominus cum dixit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*. q. d. si ego victima esse pro peccato debeo; ergo homines dimittendi sunt, quia pretium sufficiens pro omnibus Deo pendam.

2. Secundò, Vt iuxta prophetiam, non perderet ex suis quemquam. Nam si & ipsi capti & supplicijs subiecti fuissent, terrore perculsi Christum abnegassent, quia nondum Spiritus sancti gratiâ confirmati erant. Si enim Petrus omnium cordatissimus ad vocem ancillæ territus tertiò negauit: quid fecissent alij, si tormenta præ oculis vidissent? Quâ re etiam ostendit Christus nemini immitti tentationes vltrà vires suas.

3. Tertiò, Vt in hoc etiam potentiam suæ diuinitatis ostenderet, dum hoc præcepto inimicos suos continuit, ne discipulis nocerent. Qui enim *legem ponebat aquis ne transirent fines suos*; *& mari dixit: Vsque huc venies & hic confringes tumentes fluctus tuos?* idem eâdem potestate præcepit nunc Iudæis magis efferatis & sæuientibus quàm sit ipsum mare. Alioquin absque dubio totum abstulissent nidum, & imprimis Petrum quòd restiterit & aurem absciderit Iustitiæ ministro.

QVARTÒ, Vt ostenderet prouidentiam suam specialem erga seruos suos; nam ita eos tutatus est, vt nec postea quidem à Iudæis quidquam mali paterentur vsque ad Pentecosten. Neque enim Petrus in atrio Caiphæ, neque Ioannes sub cruce pertulit aliquid. Nimirum sicuti olim Deus conclusit ora Leonum ne nocerent Danieli: sic Christus nunc Iudæos tenuit, ne discipulis nocerent. Hoc est quod promiserat illis Dominus Luc. 12. *Sed & capilli capitis vestri numerati sunt*. Et Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit*. Sic ignis & sulphur non pluit super Sodomam, nisi postquam exierunt inde iusti. Mare rubrum non est in se reuersum, nisi postquam transierunt omnes Israëlitæ: Terra non est dirupta, nisi postquam iusti recesserunt à tabernaculis impiorum Dathan & Chore. 4.

§. VII.

Malchus aure truncatur.

1. *Tres potissimùm dantur rationes cur Petrus gladio percusserit.*
2. *Item tres cur aurem absciderit.*
3. *Cur continet Christus discipulos, & quibus argumentis suadeat Petro recondere gladium in vaginam.*
4. *Hinc nos discere mansuetudinem.*
5. *Quare sanauerit Christus aurem Malchi.*

THEMA.

Percussit vnus ex illis seruum principis Sacerdotum & amputauit auriculam eius dexteram. Luc. 22.

A QVando Christus ex anxiâ illâ oratione surgens reuersus est ad discipulos suos, dixit inter alia ad eos: *Spiritus quidem promptus est, caro autē infirma*. Quæ verba S. Athanasius *in sextâ syn. Constant. generali act. 4. in ep. ad Agath. Pap.* de Christo ipso intelligit, asserens Christi carnem infirmam fuisse, quatenus mortem & cruciatus naturali affectu horruit: spiritum verò promptum fuisse, quatenus rationalis eius appetitus magno desiderio ferebatur ad patiendum pro humano genere. Vidimus hactenus vtriusque appetitus signa manifesta: carnis infirmitatem, quando dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; quando orauit, *si fieri potest transfer à me calicem istum*; quando positus in agonia, sanguinem sudauit. Vidimus etiam spiritus promptitudinem: quando ab orātione surgens, excitauit discipulos & hosti-bus,

quidem auditum auertent, ad fabulas autē conuertentur. Secundò, qui mala tantùm proximorū audire gestiūt, bona verò nolunt, veluti vitia pontificum & sacerdotum: sed non eorum virtutes & opera laude digna. Tertiò, Iudices, qui vnam solùm & non alteram partem audiunt, & ad quos diuitum tantùm, non pauperum causa ingreditur; quorum auris dextera truncatur aureis gladijs vel argenteis.

D. III. Cruciet Christus discipulos. SECVNDÒ. Christus continuit discipulos dicens: *sinite vsque huc*; & in specie Petro ait: *mitte gladium in vaginam*, &c. Quid sibi vult eâ voce: *sinite vsque huc?* An forte idem, quod mari præcepit: *Vsque huc venies & hic confringes tumentes fluctus tuos:* Iob 38. Dicere enim videtur: satis est hucusque processisse: continete iracundiam, quia ego sum qui præcipio. An verò idem, ac si dicat: sinite hostes istos vsque ad me venire ne passionem meam impediatis? An denique vult dicere: sinite hucusque venire ad me Malchum, vt aurem ei restituam?

Quatuor argumenta. 1. Sed quibus argumentis suadet Petro vt gladium recōdat in vaginam? Primò, *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*; q.d. nescis legem illam Dei, Genes. 9. *Quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius?* Et illā Exod. 21. *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur?* Priuatam ergo vindictam prohibet Dominus; non adimit gladium Magistratui, quod volunt Anabaptistæ: imò verò manifestè tribuit, dum ait homicidas gladio perituros: quo gladio, nisi Magistratus? Experti sunt Iudæi, qui quoniam cum gladijs & fustibus comprehenderunt Christum, gladijs Romanorum occubuerunt: quia Christum crucifixerunt, crucifixi & ipsi sunt & quidem cum magno fœnore, ita vt corporibus cruces deessent, teste Iosepho: quia Christum pretio emerunt, pretio & ipsi venditi sunt.

2. Secundò. *An putas, quia non possum rogare patrem meum & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorū?* q.d. Ad quid mihi tuus gladius, qui, si me defendere vellem, pro 12. discipulis defensoribus duodecim habere legiones angelorum possem? Quod si ad defensionem Elisæi maximus angelorum exercitus è cœlo missus apparuit, 4. *Reg.* 6. quantò promptiùs adfuissēt Christo, si eos in subsidium vocare voluisset?

3. Tertiò. *Quomodo ergo implebuntur scriptura, quia sic oportet fieri?* Nimis crebrò, nimis apertè prædicitur à scripturis passio Christi: non ergo impedienda fuit.

4. Quartò. *Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum?* Simili ratione increpauit Petrum, cùm eum à passione vellet retrahere, Matth. 16. *Vade retro Satbana*, inquit. Adeò nimirum sitiebat salutem nostram, vt dilectissimum discipulum, dissuadentem sibi crucem, sathanam vocārit.

E. IV. Disce mansuetudinem. 1. Disce hinc rationem suadendi tibi & alijs patientiam ac mansuetudinem contra inimicos & persecutores. Primò, quia *qui gladium acceperint, gladio peribūt*, nimirum vel hîc in vitā: (plerumque enim malè pereunt, qui alios malè perdunt: vt taceam vermem conscientiæ, quo velut gladio perpetuò fodiuntur) vel post mortem, gladio illo ex vtraque parte acuto, qui egredietur de ore Iudicis in damnatos, Apocal. 1.

2. Secundò. Quia si Deo iniuriam nostram transcribamus vel Magistratui etiam, multò meliùs ille nos defendet, quàm nos possimus. Exemplo est Abraham, cuius iniuriā ob vxorem ablatam ab Abimelech multò acriùs vltus est Deus, quàm ipse potuisset. Tertiò, quia scripturæ passim monent remittendas esse iniurias, non reddendum malum pro malo. Item: *non vosmetipsos defendentes; scriptum est enim: mihi vindictam*, &c. Rom. 12. Quartò, quia iniuriæ & persecutiones quas patimur calix quidam præclarus sunt & potio salutaris, à Deo optimo Medico & patre nobis propinata ad salutem animæ nostræ procurandam. Hinc sanctus Ignatius Martyr à bestijs deuorari optauit: *Quòd si venire noluerint*, inquit, *ego vim faciam: ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit, ego scio.* Sanè ob hanc causam Christus Iudam osculo se prodentem, *amicum* vocat, Petrum verò volentem impedire eius passionem, *Sathanam*. Docet enim non omnes illos esse amicos qui nobis bona loquuntur, nec omnes illos esse hostes qui mala. Dicitur ergo: *calicem quem dedit mihi pater, non bibam?* suaue hoc purgatorium, cum quo graue illud commutare possum, non subeā? Hoc medio coërcuit Dauid seruum suum Abisai, ne maledicentem sibi Semei interficeret: *Dimittite eum*, ait ad illum & seruos suos, *vt maledicat iuxta præceptum Domini. Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam*, &c. 2. Reg. 16.

F. V. Sanat aurem malchi. 1. TERTIÒ. *Cùm tetigisset auriculā eius sanauit eum.* Fecit hoc Christus primò ad tumultum & furorem Iudæorum sæuiorem impediendum, qui haud dubiè exortus fuisset, ob damnum à Petro datum, nisi id Christus mox resarcijsset. Taceo quòd hinc occasionem calumniandi & accusandi eum accipere potuissent. Docemur interim nos iracundiæ alienæ ligna mox subtrahere, & si per nos vel nostros damnum alicui illatum est, illud resarcire: similiter omnia facere vt ne proximum ad iracundiam concitemus & fraternam charitatem scindamus. Huc pertinent illa Christi verba: *Qui voluerit tunicam tuam tollere, da ei & pallium*, &c. Matth. 5.

2. Secundò. Vt ostenderet hostibus rursum potentiam suam, quā si vellet, facilè eorum fugere manus posset. Qui enim rem difficiliorem potest, qualis est auris amputatæ subita restitutio, non poterit faciliorem, qualis est fugere vel fugare hostes? Vnde hîc in genua cadere debuissent & adorare ipsum; sicut leprosus ille sanatus. Sed nimirum excæcatum erat & induratum cor eorum: vt sic appareat, quantum malum sit dari in reprobum sensum. Quot modis excitauit eos Dominus? nec tamen euigilare voluerunt. O lethargum mortiferum!

3. Tertiò. Vt beneficio hoc deliniret hostes &

& ad resipiscentiam inuitaret. Pugnant illi in Christum gladijs & fustibus, pugnat in illos Christus beneficijs. Credibile est seruum illum Pontificis primum fuisse, qui iniiceret manus Christo, ferociorem alijs, eò quòd solus Petri gladio petitus sit. Tantæ igitur malitiæ, tantum rependit Dominus beneficium. Disce Christiane, non reddere malum pro malo, sed benefacere his qui oderunt te, &c. Quin etiam quotidie facit hoc nobis Deus, quod Malcho Christus fecit. Nos enim Deum nostrum perpetuò impugnamus peccatis nostris: & tamen interim ille nos alit, fouet, sanat, omnibusque donis cumulat; *pluit super iustos & iniustos*, &c.

§. VIII.

Comprehensio Christi.

Explicantur ea quæ circa comprehensionem Christi acciderunt:

1. *Quare Christus exprobrauerit cohorti, quòd velut ad latronem exierit ad eum comprehendendum.*
2. 3. *Quantâ cum rabie iniecerint manus in Iesum, eumque ligarint, & quare hoc permiserit.*
4. *Ex fuga discipulorum discendum, quantum positum sit in præsentiâ boni pastoris.*
5. *Ad quid Christum vinctum sequatur adolescens.*

THEMA.

Comprehenderunt Iesum & ligauerunt eum. Ioan. 19.

A. QVando arca DEI capta fuit à Philisthæis, Iudæorum hostibus, in prælio maximis doloribus correpti sunt Israëlitæ. Imprimis vir vnus ex acie venit in Silo die illâ, scissâ veste & conspersus puluere caput, & nuntiauit vrbi, captam esse arcam: *quo audito vlulauit omnis ciuitas*, inquit Sacer textus. Venit deinde ad Heli summum Sacerdotem, & cùm idipsum ei retulisset, consternatus Heli cecidit de sellâ retrorsum & fractis ceruicibus mortuus est. Postea nurus eius audito eodem nuntio, subitis partus doloribus præuenta est & peperit vocauitque puerum *Ichabod*, id est, *vbi gloria?* dicens: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* 1. Reg. 4. Arcam illam ex lignis imputribilibus confectam, nec non auro puro intrà & extrà deauratam, typum fuisse humanitatis Christi, omni vitiorum labe carentis & omni gratiarum genere decoratæ, volunt S. Gregorius *in Ezech.* Ven. Beda *in Exod.* Cyrillus *super Ioan.* Hæc ergo vera & viua Arca capta est ab hostibus, quando in horto Oliueti comprehensa est à Iudæis. Quod tristissimum nuntium meritò nos omnes affligere debet. Si enim Israëlitæ ob captionem Arcæ ligneæ, tantoperè doluerunt; non dolebimus nos ob captionem Arcæ viuæ? Multò enim iustiùs dicere nos possumus: *Vbi gloria* nostra? *Translata* est à nobis & venit in manus hostium. O Arca! ô gloria! quàm indignè tu tractaberis inter hostium manus? Væ tibi, Samson, *Philisthijm super te*. Sed modò videamus, quid circa hanc comprehensionem acciderit.

B. PRIMÒ, Sanato Malcho Christus exprobrauit cohorti, quòd velut ad latronem exierit ad eum comprehendendum. Fecit hoc Primò, vt Iudæi in se reuersi agnoscerent quàm iniquè agerent, iuxta doctrinam Eccli. 19. *Corripe amicum ne fortè non intellexerit & dicat: non feci.* Porrò ingenti cæcitate agebantur hic Iudæi; noluerunt enim intelligere Christum plusquā hominem, & virum sanctum esse, cùm tamen tot beneficia ab eo acceperint & miracula viderint, & nunc primùm, verbo se ab eo prostratos, Malchum mox sanatum: his tamen insuper habitis, adhuc eum velut latronem capere quærebant. Secundò. Ad hominem inermem & nihil vnquam hostile molitum venerunt armati gladijs & fustibus, veluti ad hostem publicum, vel canem rabiosum omnibus infestum. Tertiò. Exierunt foras ad quærendum eum velut fugitiuum, cùm in ipsâ vrbe frequentissimum vidissent, sedentem & docentem in templo. Quartò. Sub noctem quæsierunt, quem de die quoties vellent poterant apprehendere: quasi nocturnus latro & clancularius insidiator esset. Quæ omnia Iudæi ex ingenti liuore & certâ malitiâ faciebant, ad infamandum Christum: cùm optimè scirent, nihil istis opus esse nec talia Christum promeruisse. Vnde subdidit Dominus: *Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*; q. d. ad hoc faciendum principes tenebrarum vos instigārunt, Vel, agitis in hoc quasi tenebriones lucem oppūgnantes, à cuius radijs oculi vestri perstricti sunt.

1. Christus exprobrat cohorti.

2. Secundò. Vt ostenderet se non timere eos, qui occidunt corpus (quod antea faciendum docuerat) si enim timuisset illos, non increpasset, sed verba illis placentia locutus fuisset. Vide hîc pacatum & imperterritum animum in redarguendis hostibus, quamque liberè agat in medio eorum & omnibus verbū suum impertiat. Iudam proditorem sceleris sui monet: Petro pluribus præcipit ac suadet gladium vt deponat. Malcho autem resectam sanat: discipulis saluum conductum præbet: comprehensores arguit: interim nemo in eum mittit manus, quousque se illis tradat; quod fecisse videtur illis verbis. *Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Hic enim videtur Christus gladium quodammodo abiecisse suum, id est, voluntatem defendendi se, & præbuisse se potestati hostium. Loquebatur ergo hic sicut potestatem habens, potestatem, inquam, ponendi animam suam.

3. Tertiò. Vt admoneret illos tacitâ comminatione quadam, fore aliquando tempus vt hanc iniuriam vlcisceretur: Sicut Iudam extremè monuit: *Væ autem homini*, &c. Hoc enim facit, cùm ait: *Sed hæc est hora vestra*; quasi diceret: Habetis nunc horam vnam ad libidinem vestram exercendam: sed scitote interim venturam aliquando horam etiam meam, quâ & ego faciam

quod

quod volo & quod vos meremini. Tacet quidem aquila, dum à corniculis circumstrepentibus lacessitur & vexatur. Sed tandem & ipsa opportunè vlcisitur. Pier.lib.19.

C. II. Iniiciunt manus in Iesum. SECVNDÒ. *Tunc manus iniecerunt in Iesum & comprehenderunt eum.* Quis nobis hic exponet, quantà cum rabie & insultatione Christū inuaserint, quàm indignè tractarint? Aliquid nobis prædixit S. ille Dauid cùm de istâ cōprehēsione dixit in psalmis suis: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerūt super me os suū sicut Leo rapiens & rugiens.* Et infrà: *circumdederunt me canes multi.* Ps.21. Et rursum: *circumdederūt me sicut apes.* Ps.117. Vitulis comparantur propter petulantiam & nocendi libidinem. Tauris propter impetum in eum factum, quo hàc illàc trudebant & impellebāt quasi cornibus. Leonibus propter clamores & tumultus quos ciebant. Canibus propter auiditatem prædæ & sitim, quā, veluti canes ferā, inuadebant Christum; Vel etiam propter criminationes & conuitia, quibus eum velut latratibus impetebant. Apibus propter multitudinem; Vt enim apes magno numero totum obsident hominem & omnia eius membra impetunt: Sic Iudæi Christum alius in capillos inuolabat, alius faciem cædebat, alius collo funē iniiciebat, alius manus ligabat, alius in terram prosternebat, alius conculcabat, &c. Quæ omnia licet nō consignārint Euangelistæ, qua scilicet discipuli fugam tunc arripiebant, dubium tamen non est, quin facta sint; à multo enim tēpore Christo infensissimi erant, & necem machinabātur, quia eius sermonibus acriter pungebantur: Vnde hic tandem spe suâ potiti, venenum omne effundebant. Et hoc est quod repræsentare intēdit Ecclesia in matutino tenebroso, per excitationem strepitus. Vah quale hoc spectaculum, vbi creator à creaturis suis tam indignè tractatur? Sed magis mirandum illud, quòd Christus hæc patiatur & non perdat in momento nequissimam hanc turbā. Nouimus ex 2. *Reg.* 6. Ozam bonâ intentione, sed aliquâ tamen cum irreuerentiâ manum admouisse ad arcam, quando calcitrantibus bobus ea casum minabatur: & propterea subitò extinctum esse. Et cur non multò magis extinguuntur isti, qui tam impias manus iniiciunt in aream viuam?

D. III. Ligant eum. TERTIÒ, *Ligauerunt eum.* Nescio an hoc maiorem attulerit Christo dolorē, an verò ignominiam. Nam vnâ ex parte quantum afferat cruciatum, si vinculis constringantur manus, testantur miseri illi qui ad supplicia ducuntur. Rogare enim carnificem audiuntur pro vinculorū relaxatione aliquâ, quòd grauiter cruciētur nimiâ constrictione. Christum verò arctissimè vinctum esse vel illud argumēto est, quòd iusserit eum Iudas teneri & duci cautè, velut Magū scilicet, qui facilè elabi posset. Alterâ ex parte quanta ignominia sit, vinciri hominē ingenuum & liberum, Cicero testatur, qui dixit orat.7. in Verrem: *Scelus est vincire ciuem Romanum.* Nec non S. Bernardus tract. de passione c.4. *Bene quidā Rex,* inquit, *cum percussus humanâ sagittâ peteretur vt se ligari permitteret, donec excuderetur: quia leuissimo motu mortem posset incurrere: Non decet, inquit, vinciri regē. Libera sit regis, & semper salua potestas. O Deus Deorum, quantum ergo derogatum fuit libertati & potentiæ tuæ? Tot adeò ligatus vinculis, qui solus ligandi & soluendi potestatem habes?* hæc Bernardus. Ad quid ergo ligari voluit? Respondet Primò S. Bern. mox ibid. *Sed propter misericordiam tuam,* inquit, *ligatus es vt nos à miserijs nostris faceres absolutos.* Passus est hoc. 1. Vincti eramus sub potestate Dæmonis: & præterea quilibet peccator *funibus peccatorum suorū constringitur,* vt ait Sapiens *Prou.* 5. Vt hi funes rumperentur, in arcta illa vincula manus suas inseruit Christus. Peccata igitur nostra vincula fuerunt, quibus Dominus constrictus est iuxta id Thren. 4 *Christus Dominus* (Hebr. Christus Iehouah) *captus est in peccatis nostris.* Nisi hæc fuissent, Christus materialia illa vincula rupisset velut Samson, Benignissimus tamē Dominus non adscribit hanc captiuitatem suā peccatis nostris, sed amori suo erga nos: quomodo nimirum Samson ob amorem Dalilæ passus est se tonderi ab ea tradique Philisthæis *Iud.* 16. Vt enim Martem Vulcanus priùs vincire non potuit, quàm à Venere vinctus fuisset, vt est apud Lucianum: Et vt Philisthæi vincire Samsonem nequiuissent nisi vinctus priùs esset à Dalilâ: sic nec Iudæi Christum nisi amor nostri priùs eum ligasset.

2. Secundò, Propter peccatum primorum parentum, qui contra Dei præceptum manus suas extenderunt ad pomum vetitum. Vide quantum vulnus à quàm leui tactu humano generi inflictum sit, quod tam difficili curâ eguit.

3. Tertiò. Propter instructionem nostram, vt spiritualiter ligaremus membra per mortificationem & in vincula obedientiæ traderemus, ne alioquin, si pro nostrâ libidine ad illicita quæque extendere ea velimus, ligatis aliquando manibus & pedibus mittamur in tenebras exteriores.

E. IV. Fugiunt discipuli. QVARTÒ, *Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt.* Disce hic Primò, quantum positum sit in præsentia boni pastoris, & rectoris. Hic enim impleta est Prophetia *Zach.* 12. vti prædixit Dominus: *Percute pastorem & dispergentur oues.* Vbi enim Pastor non est, vel ipsemet peccatorum suorum vinculis constrictus est, vel in officio suo negligens & timidus: ibi nulla ouium disciplina, sed dispersio & vastatio.

Disce. 1.

2. Secundò. Disce non præsumere de teipso quantumuis tibi firmus videaris; nisi enim adsit tibi Deus præsidio & auxilio suo, statim animo concides. Quàm solidus in fide videbatur sibi Petrus, qui tam seriò se iactabat quòd paratus esset cum Christo in carcerem & mortem ire? Iacobus item & Ioannes, qui calicem Christi bibere se posse dicebant: similiter & Thomas, qui aliquādo mori cū Christo volebat? Sed instante tētatione, Christum reliquerunt & fugerūt omnes. Vnde verissimè Dauid *Ps.* 29. ait: *Auertisti faciem tuā à me & factus sum conturbatus.* Et pulcherrimè S. Fælix Martyr, qui

 cùm

cùm aliquando persecutores fugiens inter duos parietes ædium se occultâsset, & repentè aranea quædam aditum illum telâ obduxisset, ne prætereuntibus suspicio latentis ibi hominis fieri posset: inde regressus dixit: *Præsente Christo aranea fit murus: absente Christo murus fit aranea.* Vt in eius vita. Murus erat cor Petri, quamdiu Christus ei aderat: hoc verò ablato factum est araneæ tela.

3. Tertiò, Disce non confidere in homine, quantumuis tibi amico. Si enim, qui Christum adeò diligebant, discipuli ingruente tribulatione Magistrum deseruerunt, quis imposterum spem suam ponat in hominibus? Idem expertus est Rex Sedecias, comprehenso enim ipso ab hostibus omnes bellatores eius dispersi sunt & reliquerunt eum. 4. *Reg.* 25. Nimirum quilibet sibi ipsi consulere & prouidere debet atque in Deo imprimis spem suam ponere, non autem in homine contra Deum, aut plus quàm in Deo, aut ita vt in Deo. Homines enim plerumque amicitiam seruant, quamdiu prospera succedunt: tentationis verò tempore recedunt. Et quid proderunt tibi comessatores, assentatores & similes amici in mortis articulo? relinquent te iacentem, & sibi ipsis consulent.

F. V. Sequitur Adolescens. QVINTÒ, *Adolescens quidam sequebatur* Christum, dum vinctus duceretur, *amictus syndone super nudo, & tenuerũt eum. At ille reiectâ syndone, nudus profugit ab eis.* Narrat hoc solus Marcus, nec exprimit, quis fuerit. Forsitan erat ex villâ Gethsemani, qui audito deprope armorum strepitu consurgens è lecto spectatum aduolauit syndone coopertus. Sed quid attinebat

1. hoc narrare? Primò, vt hinc cognosceremus, quanti res periculi fuerit eâ nocte sequi Christum, quamque ingens fuerit Iudæorum furor & libido, qui seminudum adolescentem, quòd ad Christum pertinere videretur, comprehendere studuerint: ac proinde nullatenus dimisissent Christi discipulos, nisi eius inhibitione mirabiliter fuissent impediti.

2. Secundò, Vt doceremur non adire peccandi pericula: quia *qui amat periculum, in illo peribit*, inquit Eccl. 3. si enim non secutus fuisset turbam tumultuantem & furentem, nequaquam ab eâ tentus fuisset. Sed in hoc tamen cautè egit, quòd reiectâ Sindone, nudus profugit. Hac enim suâ fugâ docet nos in periculo amittendæ gratiæ & salutis nostræ, vitam potiùs & terrena bona omnia relinquere quàm illam in discrimen ponere. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* ait Dominus *Matth.* 16. Fecit hoc ipsum sanctus ille adolescens Ioseph, qui solicitatus à dominâ & pallio apprehensus, dimisit pallium in manu eius & aufugit. *Gen.* 39. Quòd si igitur mundus, caro, dæmon, nos abstrahere à Deo volunt, dimittamus potiùs pallium, & omnia quæ habemus.

3. Tertiò, Forsitan vt schema nobis exhiberet eius persecutionis, quæ futura est tempore Antichristi. Ibi enim denuò capietur Christus & ligabitur in membris suis, ita vt periculosissimum sit futurum, sequi Christum. Nam Antichristi asseclæ eos comprehendent & à fide auertent. *Tunc qui in Iudæâ sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendant tollere tunicam suam*, id est, temporalia omnia sua saluti postponant, quia spoliabuntur, occidentur, &c. Nos igitur Deum rogemus, ne hanc vel similem tentationem nobis immittat, periculum enim foret ne propter amorem fluxarum rerum Deum relinqueremus & in vincula Dæmonis iremus.

§. IX.

Ducitur ad Annam, & Caipham, vbi cæditur alapâ.

THEMA.

Adduxerunt eum ad Annam primùm. Ioan. 8.

A SÆpiùs quidẽ diximus Arcam veteris Testamẽti typum fuisse Christi. Video tamen inter hunc & illam, magnã discrepantiam. Etenim arca fœderis postquam à Philisthæis capta est, cùm tractaretur irreuerenter, terribiliter grassata est in sui contemptores 1. *Reg.* 5. & 6. Nam imprimis illata in templum Dagon, Azotiorum Idoli, mansit quidem ibi; sed Dagon ante eam corruit & capite truncatus est. Deinde Azotij ab eadem fœdam accepêre plagam. Rursum Bethsamitæ, quòd curiosè & irreuerenter arcam inspexissent, mortè repentinâ magno numero plexi sunt. Nihil horum fecit Christus, quando à Iudæis captus & in domum pontificis deductus fuit. Sedet ibi pontifex vel pontificis potiùs Idolum, iuxta id Zachar. 11. *O Pastor & Idolũ!* Sed percutitur in faciem Christus, & si D. Vincentio Ord. Præd. Ser. de passione credimus, ictu alapæ prosternitur. Ibi pontifex & ministri insaniunt in Christum, cõspuendo, velando, cædendo: nemo tamen vnus plagâ aliquâ tangitur. Itáne lignea arca captiuitatem suam tam dirâ vltione plectit: non item arca viua? Sed nimirum alia erant vincula, quæ constrinxerunt arcam nostram, Christũ: *Captus enim est in peccatis nostris*, ait Ieremias Thren. 4. Hæc vincula illum tenuerunt, & à vindictâ prohibuerũt, quia iugulari pro nobis venit, non iugulare. Quid igitur actum cum arcâ nostrâ Christo?

B. I. Adducit Iesum ad Annam. PRIMÒ, *Adduxerunt eum ad Annam.* Multis modis ærumnosa fuit hæc ductio. Primò ob Corporis Christi imbecillitatem; quia paulò antè per sanguineum sudorem debilitatum erat: nunc autem festinanter cum trahentibus pergere

pergere debebat. Secundò ob trahentium ferociam, qui absque dubio instar canum in captam prædam initio sæuissimè grassati sunt. Quis eorum numerasset verbera? quis probra & insultationes? quis nequitias, quibus fortè sæpiùs eum in terram deiecerunt vel per torrentem traxerunt? Tertiò ob viæ asperitatem, longitudinem, (inde enim hortus distabat ad milliare Italicum) & obscuritatem. Quartò. Ob ducti dignitatem; duci, ligatum præsertim, seruorum & nebulonum est. Qualis enim hic Domini comitatus, qui paulò antè per eandem viam tanto cum honore & populi applausu vrbem illam ingressus erat? Quantum inter hunc & illum ingressum discrimen?

Sed cur ad Annam duxerunt? Primò vt Annam honorarent tanquam Socerum Pontificis & oculos eius pascerent, huius tam optatę prędæ ostensione. Sed vide num id æquum sit vt cum ignominiâ & contemptu Christi honorentur reprobi, Annas à militibus, & Herodes postea à Pilato? Secundò, vt quasi de communi hoste triumphum agerent, & veluti lupum captum ostentarent per vrbis compita. Tertiò, passus est id Christus, vt disceremus nos obedire & sequi aliorum ductum, quocumque tandem ducamur. Quid enim facerent milites apud Annam? Et tamen secutus est Christus: sequere igitur & tu, licet malus vel imprudens imperet tibi Rector.

Quid actum apud Annam? Communiter existimant, interrogatum ibi Christum de discipulis & doctrinâ & percussum alapâ: quòd ex contextu Ioannis id sequi videatur. At verius est, nihil eiusmodi apud Annam factum, sed in domo Caiphæ. Primò, quia ex eo sequeretur negasse Petrum apud Annam, quod ibidem narrat Ioannes: quod tamen reliqui Euāgelistæ scribunt factum apud Caipham. Secundò, quia ipso Ioanne testante, pontifex interrogauit Christum de discipulis & doctrinâ. Atqui Annas non erat Pontifex tunc, sed socer tantùm Caiphæ, qui erat Pontifex eius anni. Quòd si post narrationem alapæ subdit Ioannes: *Et misit eum Annas ligatū ad Caipham*; intelligendum est dici id per recapitulationem, q.d. facta sunt hæc apud pontificem, quia eò miserat Christum Annas. Vnde in Græco habetur: *miserat*; non, misit. Tertiò, quia cùm Annas tunc non esset Pontifex, non pertinebat ad eum examinare Christum.

C. II. Ab Anna ad Caipham. SECVNDÒ, Mittitur ab Annâ ad Caipham Pontificem, à quo interrogatur de discipulis & doctrinâ eius. Cui respondet Dominus Primò, se palàm docuisse in Synagogâ & templo. Vbi docet primò, verbum Dei docendum publicè. Secundò, in loco sacro: non in angulis & furtim, quod hæretici facere solent. Secundò, non esse prædicandum ijs, qui audire non sunt parati, sed calumniari tantùm & contemnere, vti Caiphas, iuxta id Eccli. 32. *Vbi auditus nō est, nō effundas sermonem*. Et id quod alibi dixit: *ne mittatis margaritas ante porcos*: qui nimirum eas pedibus cōculcent. Tertiò, liberè & absque timore confitendam esse veritatem, etiam coram persecutoribus & veritatis hostibus.

Addit: *In occulto locutus sum nihil*; quia nihil furtim aut clanculum docuit: sed si quid primatim docuit, voluit vt quæ in aure audierunt discipuli, prædicarent super tecta. Matth. 10.

Adijcit: *Quid me interrogas?* Primò, quia sciebat testimonium suum à Pontifice non recipiendum: iam dudum enim audierat Iudæos sibi occlamantes: *Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum*. Secundò, quia stultè interrogabat de doctrinâ eius, quē iam comprehendi & ligari tanquam hæreseos seminatorem fecerat: hoc enim erat priùs aliquem condemnare, & posteà causam eius cognoscere, quod olim faciebant Corinthij furibus iam suspensis. Tertiò, quia nimis culpabilis & stolidus erat, qui de Christi doctrinâ interrogabat, quæ tamen lippis & tonsoribus, vt dicitur, nota erat. Sedit duodennis in medio Doctorum: docuit passim in templo & Synagogâ, in vrbe, campis, montibus, deserto, mari: & adhuc interrogat Caiphas de doctrina eius: quasi in meridie interrogaret, vtrum sol luceret? Ita ferè responderat olim cæcus natus Pharisæis: *In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit; & aperuit meos oculos*. Ioan. 9.

Subdit: *Interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt, quid dixerim ego*. Primò, ne Pontifici ansam daret calumniandi, si in particulari proponeret suam doctrinam; sciebat enim quàm ægrè auditurus esset cum suis veritatem doctrinæ suæ, displicentis carni, & potentibus, diuitibus ac superbis huius sæculi. Idcirco ad testes con remisit. Secundò, quia proprio testimonio nō ita creditur vt alieno: præsertim si quem inimici commendent, quos videtur in testes adducere, cùm ait: *Ecce hi sciunt, quid dixerim ego*. Tertiò, vt doceret neminem seipsum commendare debere, sed ab alijs commendari, iuxta id Prou. 27. *Laudet te alienus & non os tuum*.

Cæterùm ad quæstionem de Discipulis non respondet. Primò, ne eos proderet, vtpote perterritos ac pusillanimes, martyrio nondum aptos. Secundò, quia ob recentem eorum fugam non habebat, quo eos commendaret; ideo nec accusare aut diffamare volebat, sed potiùs tacere: in exemplum nobis, vt si quem laudare non possumus, saltem ne vituperemus, sed defectus eius celemus. Sic honesti pictores partes celandas, vmbrâ aut velamine tegunt.

TERTIÒ. Hoc respondente Iesu, *Vnus assistens ministrorum dedit ei alapam dicens: sic respondes Pontifici?* Motus ad hoc videtur Primò, assentandi studio: quia enim videbat Pontificem Christo infensum, hinc adulari volens Pontifici, zelum honoris eius ostensurus, Christum tanquam pontificis contemptorem percussit. Cui similes sunt assentatores potentum. Secundò, secundum Cyrillum ex timore, vt ostenderet se fuisse de numero ministrorum illorum, qui olim missi ad capiendum Christum, admirantes redierunt re infectâ, quasi & ipsi à Christo seducti essent. *Ioan. 7*. Vel deni- D. III. Minister infligit ei alapam.

que

que quòd ægrè tulerit se & socios in testes à Christo allegatos esse. Grauis admodum fuit
Eamque grauem. hæc alapa. Primò, quia absque dubio fortis
1. ictus erat, alioquin Ioannes tam sedulò eius non meminisset, nec Christus de eo conquestus esset. Solet certè hoc genus hominũ lictores scilicet loricatas gerere chirothecas, quæ certè aërem non verberant; & tales habuisse percussorem sentit S. Bernardus *Ser. de passione.*
2. Secundò, quia ab infami seruo alapa hæc inflicta erat: vt meritò dicere posset Dominus: *factus sum omnium peripsema*, q. d. etiam perditissimorum ludibrium. Tertiò, quia alapa confu-
3. sionem & ignominiam secum affert; vnde acceptâ alapâ natura mox erubescit & facies ru-
4. bore perfunditur. Quartò, quia coram summo Pontifice & consessu Iudicum ac præsentiâ
5. aliorum. Quintò, quia à creaturâ inflicta est Creatori eâ ipsâ manu, quam creator formauerat suâ. Quæ res tanta est vt S. Chrysostomus hoc considerans exclamet: *Exhorrescat cœlum & côtremiscat terra, alapis Deus percuti potuit? O Angeli qui hæc intuemini, quomodo siletis? quomodo manus cõtinere potestis? quomodo pro Domino vestro non respondetis?* Homil. 81. in Ioan. Et S. Ephrẽ serm. de passione Domini: *Cogito*, inquit, *& contremisco compungorque denuò tantam longanimitatem optimi Domini aspiciens. Ecce enim renes mei me loquente tremunt: quoniam creator qui ex puluere terræ hominem per gratiam finxerat, ab eodem iam puluere formator ipse alapâ cæditur.* Sic
6. ille. Sextò, quia vt mox audiemus grauissimam continebat iniuriam.

Cur hanc passus. Sed cur hanc alapam sustinere voluit Dominus? Primò, Vt ignominiam nostram, quam
1. contraximus peccando, deleret hac suâ; siquidem alapæ inflictio in confusionem alicuius fit, & ignominiam magis quàm dolorem af-
2. fert. Secundò. Quia parentes nostri eam meruerant, tum quia mendacijs serpentis potiùs crediderunt, quàm Deo vera dicenti: tum quia impudẽter Deo responderunt: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno; Et, serpens de-*
3. *cepit me.* Tertiò. Ad indicandum, quia iam in Christo manumitteretur genus humanum à seruitute Diaboli. Nam teste S. Ephrem serm. de passione Domini, serui omnes cùm liberi efficiuntur, accipiunt alapam, vt mortali liber-
4. tate potiantur. Quartò. Vt exhiberet nobis insigne specimen patientiæ, dum nullam de tantâ iniuriâ sumpsit vltionem. Mirantur hîc SS. Patres, cur elementa omnia non fuerint commota ad vltionem tanti sceleris in creatorẽ suum patrati, siquidem alioqui indefensionem iustorum sæpissimè se armauerant. Ignis de cœlo descendit olim in delusores Eliæ: Vrsi de sylua procurrerunt in pueros Elisæi irrisores: Terra aperuit os suum & deuorauit contemptores Moysis: Manus Ieroboam exaruit, cùm apprehendere vellet prophetam. 3. Reg. 13. Canis manum illius hospitis, qui S. Thomam Apostolum percusserat in maxillam, amputatam attulit mordicus in medium conuiuij. Vt quid ergo non vltus est se Dominus? Vtique ad exemplum patientiæ præbendum: & vt facto doceret, quod olim verbis docuit, nimirum *si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*; hoc est, patienter sufferto & paratus esto sufferre maiora, quod certè hîc fecit Christus. Erubescat igitur terra & puluis qui leuissimum quodque verbum contra se dictum vlciscitur & centum peiora rependit. Huius alapæ admonet te Episcopus in Confirmatione, vt nimirum intelligas tibi, quicunque es, pro Christo & fide omne genus contumeliæ æquo animo ferendum esse.

Quartò. Respondit Iesus percussori: *si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Sed cur ad hanc iniuriam respondet Dominus, qui alias omnes cum silentio tolerabat? Primò, ne existimetur Pontificem contempsisse (hoc enim ei crimen à percussore objiciebatur.) Hanc notam ferre Dominus non debebat, qui potestatem Ecclesiasticam præsertim semper honorabat; nec decebat vt alicuius peccati reus putaretur, qui pro alienâ culpâ pati voluit. Respondit ergo vt testaretur se non contempsisse aut contemnere Pontificem, licèt improbum: exemplo fidelibus, vt ne contemnerent Sacerdotes licèt malos. Secundò. Ad correctionem ministri, qui priuato & temerario ausu nondum condemnatum tam grauiter cædere non erubuit in iudicio, vbi nihil ex priuato odio cuiquam agere licet præsertim ministro. Sic monuit Eccles. c. 19. *Corripe amicum, ne fortè nõ intellexerit & dicat: non feci; aut si fecerit ne iterum addat facere.* Tertiò. Vt eo responso tangeret & instrueret Pontificem, talem scilicet iniustitiam & libidinem ministrorum in iudicio, præsertim eo præsente, non ferendam esse: seruandam potiùs in iudicijs æquitatem, nec puniendum quemquam priusquam conuincatur. Quartò, Vt hoc responso pacatum suum ostẽderet animum; si enim nihil prorsus respondisset, perturbatum ex iniuriâ credidissent, & câculum indignari. Nunc autem prudente & pacato responso aperuit animi sui tranquillitatem: quod iracundi facere non solent ob perturbationem. Submittit se hoc responso iuribus humanis paratus emendari ab hominibus siquid malè dixisset: *Si malè locutus sum, testimoniũ perhibe de malo.* Adhæc: *quid me cædis*, inquit, *si bene sum locutus? Quid hac responsione verius, mansuetius, iustius?* inquit Augustinus *tra. 113. in Ioan.* Nónne Deo volente conquesta est asina olim contra Balaam sessorem & iniquũ percussorem suum: *Quid feci tibi? cur percutis me?* Num. 22. Idem nunc dicit Dei filius, qui alioquin dicere poterat: *Descẽdat ignis de cœlo & deuoret te cum tuis.* Nónne si Imperator à te offensus diceret: subeamus iudicium vtrum malè egerim, mansuetissimum diceres?

E. IV. Resp. onde Iesus percusso. ri.
1.
2.
3.
4.

Gratias igitur tibi agimus ô Arca, quòd non idem feceris hostibus tuis, quod olim suis fecit arca fœderis. Væ enim nobis, si id fecisses. Quomodo enim tunc peccata nostra expiasses? quomodo nos à seruitute Dæmonis erepti fuissemus? Vnde tot virtutum exempla haberemus? Discamus itaque ab eâ mansuetudinem &

& patientiam, &c. Nemo sibi ignominiæ ducat, si immeritus colaphizetur, quia *si benefacientes patienter sustinetis; hac est gratia apud Deũ*, ait S. Petrus 1. *Pet.* 2. An non laude dignum est, facere quod DEVS fecit? Non repercussit Christus, quia Christus erat, & mori ac pati pro nobis voluit: non repercutiamus nos, quia Christiani sumus. Ita S. Christophorus à tortore in faciem percussus dicebat: *Repercussissem te nisi Christianus essem.* Dicamus idem & nos. Taceo quòd Diabolus summoperè gauisus fuisset, si Christus se vindicasset; putasset enim eum victum impatientiâ, itaque *irascimini & nolite peccare.* Psal. 4. *& nolite locum dare diabolo.* Ephes. 4.

§. X.

Nocturnum & primum concilium coram Caiphâ.

1. *Quæritur cur tã præproperè & de nocte institutum sit hoc Concilium.*
2. *Quare quæsiuerint Pharisæi falsum testimonium, & quidem frustrà.*
3. *Cur duo testes qui prodierunt, dicantur falsi.*
4. 5. *Cur Caiphas interpellans Christum surgat in medium: & quare Iesus nihil respondeat.*
6. 7. *Quid mouerit Caipham vt Iesum adiuraret: & quare tunc responderit Christus:* Tu dixisti *&c.*
8. 9. *Ad quid vestem suã laceret Princeps: vnde omnes Iesum condemnant.*

THEMA.

Adduxerunt Iesum ad summum Sacerdotem, & conuenerunt omnes Sacerdotes & scribæ & Seniores. Marci 14.

A LIbro 3. *Reg. c.* 21. Legimus bonũ & æquum virum Naboth nomine, vineam ex parentum suorum hæreditate habuisse iuxta palatium Achab regis Samariæ. Hanc, quia vicina erat, petijt ab eo Achab, promittens ei meliorem vel iustum argenti pretium. Sed respondit Naboth: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Indignatus igitur Rex conquerebatur vxori. Vxor Iezabel mittit ad seniores & optimates populi, iubens vt submitterent duos falsos testes contra Naboth, qui dicerent eum maledixisse Deo & Regi, sicque educerent & lapidarent atque occiderent. Videor hîc mihi videre figuram Concilij illius, quod habitum est cõtra Christum. Achab frater patris exponitur, & Diabolum repræsentat: qui similis esse volebat altissimo, ideóque ironicè quemadmodum & Adam, quasi vnus ex Dijs adeóque frater Dei patris factus est. Naboth loquelam vel loquẽtem significat. & Christum, verbum patris repræsentat. Habuit hic vineam, Ecclesiam suam ex hæreditate Patris (iuxta Ps. 2. *dabo tibi gentes hæreditatem tuam*) iuxta Palatium Achab, id est, iuxta tenebrosum aërem & infernum, in quo Dæmon degit princeps tenebrarum harum. Petijt igitur Dæmon hanc à Christo vineam, dum Ecclesiam Dei in suam redigere potestatem cupiebat; & fortè cùm ei dixit: *Hæc omnia tibi dabo si cadens* (à possessione tua) *adoraueris me.* Sed respondit ei Dominus: *Vade Sathana;* & vineam suam magis excolere cœpit. Indignatus itaque Dæmon instigat vxorem suam, synagogam scilicet impiam, vt iuberet seniores contra Christum producere duos falsos testes: Quod & factum; vnde condemnatur Christus quasi blasphemus. Sed vanissimè & iniquissimè adeoque inani euentu, vti audiemus.

B. I. *Conueniunt Sacerdotes & seniores.* PRIMÒ, Conuenerunt in domum Caiphæ omnes sacerdotes & scribæ & seniores. Cur tam præproperè & de nocte? Primò, quia hæc erat potestas tenebrarum. Lucem fugiebant, & nocte consultabant; ne interdiu exteri præsentes essent, qui iniustissimum eorum processum aduerterent & culparent. Auicenna *Can.* 4. ait animalia venenosa conuenire ad lumen, si in horreo ponatur, vt id extinguant. Sic isti lucis inimici, vti legimus *Ioan.* 3. Debebat autem esse potestas tenebrarum, id est, abruptum & præcipitatum iudicium, alioquin quomodo Dominum gloriæ condemnare potuissent? Ideo de agno paschali dictum: *Comedetis festinanter.* Secundò, quia sitiebant sanguinem Christi. Vnde Sap. 2. in eorum personâ dicitur: *Grauis est etiam nobis ad videndum.* Ideo non parcebant diei festo. Ideo priusquam adduceretur, iam conuenerant, vt indicat Matthæus. Ex quo colligi potest eos priùs decreuisse in eum mortis supplicium, quàm viderint & audierint. Tertiò ne si diutiùs detineretur, elaberetur. Idcircò enim Iudas iussit eum duci cautè. Sed quàm æquum est hoc iudicium, tam abruptum, tam festinatum, tam iracundum? *Non potest esse temperata iustitia*, inquit Cassiodorus, *vbi est feruida vindicta.* Et Cicero 2. de officijs: *Iratus ad pœnam qui accedit, nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum.*

C. II. *Quærunt falsum testimoniũ.* SECVNDÒ, *Principes & omne concilium quærebant falsum testimoniũ contra Iesum vt eum morti traderent, & non inuenerunt cùm multi falsi testes accessissent:* Quàm bene dictum à Daniele c. 4. *Egressa est iniquitas à senioribus!* Nam magi quærebant Dominum, vt eum adorarent; parentes vt eum custodirent; Turba vt eum tangeret; seniores isti vt eum interficerent. Sed quandoquidem occidere decreuerunt, cur non fecerunt absque omni testimonio? Prima causa, vt 1. consulerent honori suo, ne dicerentur homicidæ; ideo suam iniquitatem & inuidiam formâ aliquâ iudiciali palliabant. Pugionem iam paratum gerebant, sed pallium quærebant, sub quo ferirent. Secundò, quia Pilato tradendus 2. erat Christus ad necandum; is autem nullo audito testimonio, non facilè permotus fuisset ad christum condemnandum. Non fuit contentus etiam istis, quæ contra eum ferebantur. Tertiò ad maiorem Christo inurendam 3. ignominiam, si nimirum diceretur eum

testimonijs conuictum, seruato iuris ordine tanquam noxium esse occisum. Sed nihil proficis insana libido. Detecta est malitia tua, quia non erant conuenientia testimonia, etiam ipso Caiphâ attestante, qui relictâ testium accusatione, ipsemet actorem se exhibet & causam necis in Christo apparentiorem quærit.

Sed frustra. Itaque *falsum testimonium quærentes, non inuenerunt:* quod videlicet crimen contineret mortis & crucis supplicio dignum. Mirum profectò; siquidem multi falsi testes accesserunt, Matthæo teste. Sed hoc ita fieri debuit, vt appareret Christi innocentiam tantam esse, vt nec
1. falso quidem testimonio lædi posset. Secundò
2. ne Christus videretur cuiquam iure occisus, quod facilè credidissent simpliciores. Tertiò
3. in documentum nostrum, vt sciremus contra veritatem non posse inueniri testimonia falsa, quæ sint conuenientia & excusent ac sedent conscientiam. Multi quærunt textus iuris vel sententias Doctorum & Casuistarum aut Aduocatos ad iniustitiæ suæ & aliorum peccatorum defensionem vel potiùs palliationem. Sed non sunt conuenientia testimonia.

D. III. Prodeūt duo falsi testes. TERTIÒ, *Nouissimè venerunt duo falsi testes & dixerunt: Nos audiuimus eum dicentē: Ego dissoluā, vel possum destruere templū hoc manufactum & post triduum aliud non manufactum ædificabo.* Dixerat quidem Dominus Ioa. 2. *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Cur ergo dicuntur falsi testes? Respon primò, quia verba Christi metaphorica, de tēplo videlicet corporis sui dicta, in propriū sensum temerè traxerunt. Nam etsi ea verba sensu proprio intelligi poterant, testiū tamen non erat, ea sic accipere, sed dubitare potiùs an non metaphoricè dicti sint, adeoque à Christo priùs verborum suorum explicationem petere, quilibet enim verborum suorum interpres est optimus. Deinde minùs fideliter referunt. Non enim dixit: possum destruere, vel: Egó dissolvam; sed: *soluite*, id est, soluetis templum hoc. Nec addidit manufactum, aut non manufactum, quod illi tamen de suo addunt. Itaque rectè subiecit Marcus: *& non erat conueniens testimonium illorum.* Quàm bene de illis dictum Psal. 63. *Exacuerunt vt gladium linguas suas: intenderunt arcum, rem amarā, vt sagittent in occultis immaculatum.* Quæris quā ratione? Sequitur: *Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.* Sed quid sequitur? *Sagittæ paruulorū factæ sunt plagæ eorum & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.*

Cur falsi dicuntur. 1.

2.

E. IV. Princeps Sacerdotum interpellat Christū. QVARTÒ, *Exsurgens Princeps sacerdotū in medium ait illi: Nihil respondes ad ea quæ isti aduersū te testificantur?* Iudicū est sedere & pacatè agere. Cur ergo nunc surgit in medium caiphas? Nimirum primò, *ira præceps & impatiēs*, inquit S. Hierony. *excutit de solio Pontificem.* indignabatur enim caiphas, quòd christus obiecta videretur contemnere ipsoque silentio suo refutare tanquam indigna responso. Indignabatur, quòd non haberet locum ex occasione responsionis, accusandi christum. Indignabatur denique quòd tam friuola & parum apta
2. afferrentur testimonia. Secundò dicerem ego, vim quandam occultam excussisse pontificem, vt nolens volens assurgeret filio Dei & futuro Iudici suo. Sic enim & Valētinianus Imp. cùm dedignaretur assurgere S. Martino Turon. Episcopo, erumpente flammâ de sellâ, solio superbus excutitur & inuitus illi assurgit. Sulp. in vitâ. Quàm enim putatis indignum erat, sedere puluerem in solio, & stare ante ipsum creatorem eius? cùm S. Athanasius Episcopus Alexandrinus ab Arianis Episcopis citaretur tanquam reus ad dicendam causam & coram accusatoribus stare iuberetur: magnus ille Potamon Heracleæ Episcopus collacrymans præ indignitate rei clarâ voce in Eusebium Arianum Episcopum, inuectus, aiebat: *Tu sedes Eusebi, & Athanasius innocens stans à te iudicatur? quis tulerit talia!* Athan. Apol. 2. apud Baron. anno 335. Quantò minùs ferendum erat Christum stantem & innocentem à sedente Caiphâ iudicari.

Surgit in medium. 1.

F. V. Iesus tacet. QVINTÒ, *Iesus autem tacebat & nihil respondit.* Primò, quia obiecta nō erant responso digna, vtpote publicæ scientiæ contraria & propriâ falsitate corruentia, vel leuicula & insufficientia. Vnde per Psalm. 34. ait: *Surgentes testes iniqui quæ ignorabam, interrogabant me;* id est, quæ nec feceram, nec cogitaram vnquam. Secundò ne illos magis irritaret, sciebat enim Dominus *quidquid tandem respondisset, torquendum ad calumniam*, ait S. Hieronymus. Condemnare parati erant, non locum defensioni dare. Ne igitur ansam magis sæuiendi & accusandi haberent, tacuit. Canis allatrans, cui resistis defensurus te, magis exacerbatur; neglectus definit latrare. Tertiò, vt improbam excusationem primorum parentum lueret, purgare se omisit, quod facillimè & iure alioqui facere poterat. Quartò, vt doceret nos: innocentiam contra obtrectatores non meliùs defendi quàm silentio & patientiâ. Sic Dauid *Psalm. 38.* ait: *Posui ori meo custodiam cùm consisteret peccator aduersū me, obmutui & humiliatus sum.*

G. VI. Adiurat Iesum summus Sacerdos. SEXTÒ, *Rursum summus Sacerdos ait ei: Adiuro te per Deum viuum vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei.* Mouit ad hanc quæstionem proponēdam Caipham. Primò, obfirmatū Christi silen- 1. tium, ex quo nullam poterat sumere occasio- 2. nem condemnandi Christum. Secundò, insufficientia testimoniorum, quę allata erant; vnde ipsemet actor fieri incipit & talem quæstionem proponit, quâ infallibiliter eum capiat respondentem, & vt ad respondendum compellat, adiurat per Deū viuū. Proponit igitur, num sit Christus filius Dei viui. Hic enim omnis odij fons in Christum quòd vilis & plebeius cùm esset, pro Messiâ tamē, quē illi opulentum & potentem expectabant; nec non pro filio Dei se confiteretur. Ain' igitur Christe? Et si asseras te Christum, reum Iesæ te maiestatis dicent, tum Cæsaris quem solum agnoscunt Regem: tum Messiæ aliquando venturi. Si insuper Dei filium; blasphemum te clamabunt; ponentem plures Deos. Negas? in promptu testes aderunt, quibus conuincaris, quòd pro christo gesseris te & Dei filium dixeris.

teris. Insidiosum vndique problema. Quid igitur ad hoc Christus?

H. VII. Respondet Christus. SEPTIMÒ, *Dicit illi Christus: Tu dixisti; Ego sum.* Nunc Respondet & affirmat. Primò, Quia iam venerat hora eius, quâ se apertè sub contestatione diuini nominis mundo proderet quis esset, vt Iudæis & toti mundo omnem tolleret excusationem: ne quis postea dicere posset, se non audisse Christi confessionem, cui credere posset esse ipsum Messiam. Quia enim in hac quæstione vertebatur cardo salutis nostræ (hoc enim ab omnibus sciri & credi oportebat, qui salui esse vellent) prodidit se licet cum manifesto vitæ suæ periculo & Romanorum ac Iudæorum offensione. (Confessioni autem huic omni modo credendum est. Primò, Quia coram Pontifice, &c. Secundò. Quia sub obtestatione diuini nominis. Tertiò, Quia sub periculo vitæ. Quartò, Quia de re publicâ & summi momenti facta.) Secundò, Propter reuerentiam & obtestationem diuini nominis. Tertiò, Vt doceret nos, vbi Dei honos agitur, non licere nobis vel cum vitæ periculo veritatem tegere, aut professionem omittere. Vnde per hoc animauit Martyres, ne timerent coram Tyrannis dicere, quod res erat. Docuit etiam eos qui à legitimo interrogantur Magistratu de re, cuius sunt conuicti, veritatem dicere.

Antea factis potiùs quàm verbis ostendebant se filium DEI, ne iactator esse diceretur: nunc adactus respondet quod res erat.

Adiecit: *Veruntamen dico vobis: amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli.* Primò, Vt clarior esset confessio suæ diuinitatis & plenior, quasi diceret: Videor quidem nunc vobis nihil prorsus habere de filio Dei: nolite tamen aspicere præsentem statum meum, sed aspicite futurum. Veniet enim tempus quo rursum me videbitis, sed in maiestate, non vt modò in humilitate, sedentem à dextris Dei, id est, parem cum Deo gloriam habentem, prout de Messiâ vaticinatus est Dauid. *Psalm.* 109. venientem item in nubibus cœli, prout de eodem prædixit Daniel c.7. *Ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat.* Duplicem ergo Christi aduentum docet Christus Iudæos, qui in vtroque errabant. Secundò. Vt iniquos Iudices commonefaceret vltimi Iudicij in quo eorum aliquando Iudex futurus erat & tantò seuerior, quantò iniquius ipsi nunc iudicarent. Væ vobis Caipha & Sacerdotes; vestrúmne Iudicem vos iudicatis? Tertiò. Vt consolaretur iustos, cùm ab impijs tribulantur & iniustè iudicantur: Memores enim sint gloriæ illius & iustitiæ, quam recipient in iudicio: nec non confusionis, in quâ videbunt ibi suos persecutores. Et quò hìc magis humiliantur, eò magis ibi exaltabuntur. Vnde non aspiciendum quid nunc sint, sed quid aliquando futuri sint. Sic Ioseph & Michæas eò maiori gloriâ è carcere sunt educti, quò maiori ignominiâ in eum erant coiecti. *Gen.* 41. 3. *Reg.* 22. In gloriâ transfigurationis Christi, fit mentio passionis eius: In passionis ignominiâ fit mentio gloriosi eius aduentus, vt *in die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum,* prout ait Eccli, c. 11.

I. VIII. Princeps scindit vestem. OCTAVÒ; *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur?* Ad quid vestem lacerat Caiphas? I. Primò. Vt hac ceremoniâ responsionem Christi tametsi verissimam & toti mundo adorandam tanquam blasphemam exaggeret, & proinde Concilium totum ad condemnandum Christum accendat, fictum & vanissimum religionis & gloriæ diuinæ zelum prætendens iuxta morem Hebræorum, qui auditâ blasphemiâ scindebant vestes. Quid enim hac scissione sibi voluit, hoc verbo mox expressit: *Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur?* q.d. indignamini mecum & tanquam blasphemum morte condemnatis? Secundò. Vt vel nesciens nunc facto, vt alibi verbo, rursum prophetet, *& ostendat Iudæos Sacerdotij gloriam perdidisse & vacuam sedem habere Pontifices,* inquit S. Hieron. *Matth.* 26. Sic cùm Saul scidisset pallium Samuelis, ait ad eum Samuel: *scidit Dominus regnum Israel à te hodie.* 1. Reg. 15. Nec immeritò; præterquam enim quòd prohibitum erat pontifici scindere vestem *Leuit.* 21. fecit id nunc ex mero odio & iniquissimè. Tertiò, Secundum Ven. Bedam, 2. scinditur Pontificis vestis, vestis verò Christi integra & illæsa manet, vt vel sic appareat victos esse Iudæos, victorem verò Christum. Vnde nunc scissi in frusta sunt Iudæi & tanquam vas figuli confracti & diuisi sparsim in angulis terræ iacent sub pedibus Christianorum. Similiter qui iram cohibet & tacet ad iniurias, victor est: qui verò furit, tonat, ferit, victum se ab irâ ostendit.

K. IX. Condemnant Iesum omnes. NONÒ, *At illi omnes condemnauerunt eum esse reum mortis & dixerunt: Reus est mortis.* Vide hìc Primò, quid possit in rebus malis Principum exemplum; siquidem eo errante & in peccatum inclinante, subditi mox sequuntur. Vtinam tantum possit in bonis! Vide Secundò, quàm parum sit mundo fidendum; siquidem ad vnum omnes Christum condemnant, non quòd is commereatur, quia nihil morte dignum egisse probatur, sed in gratiam Caiphæ tantùm.

§. XI.

Opprobria Christo in domo Caiphæ illata.

1. *Expuũt in Christi faciem, velant, alapis cadunt, illudunt.*	*nistrorum.*
2. *Exponitur ingratitudo, libido & temeritas principum ac mi-*	3. *Cur omnia ista tulerit Christus; & quinam mysticè velent & colaphis cadant faciem Christi.*

THEMA.

Tunc expuerunt in faciem eius & colaphis eum ceciderunt, Matth. 26.

A FAbulati sunt Poëtæ (Ouidius *l. 3. Metam.*) Actæonem Venatorem Dianæ artificio in ceruum fuisse conuersum. Quo facto proprij canes Dominum adorti laniare inceperunt, frustra clamantem: *Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum*; siquidem ingrati canes formã tantùm eius spectarunt, vocem non curarunt. Videtur mihi hæc fabula in Christo verificata. Hunc enim ex Dei filio in hominem eumq; seruilem & peregrinum mutauit Amor. Quid igitur huic euenit? Dum in sylua huius mundi animas venatur, ecce tibi canes eius proprij, Iudæi, de quibus *Ps. 21.* ait: *circumdederunt me canes multi*; Dominum suum tam vili habitu non agnoscentes, latratibus & morsibus inuadunt, percutiunt, illudunt. Inter hæc se manifestat Dominus: *Ego sum*, inquit, Deus scilicet & Dominus vester: sed ingratissimi illi canes, contemptã hac voce pergunt laniare Dominum suum, vti nunc videbimus.

B. I. Expuunt in faciem Christi. PRIMÒ. Expuunt in faciem illam venerabilem, adorandam & consolatione plenissimam, quam tanto desiderio & solatio aspiciebant priùs omnes tribulati, infirmi, obsessi, pœnitentes, cęteri, vt dicerent, teste S. Birgittã, cùm languerent: *Eamus & filium Mariæ videamus* l. 4. reuel. c. 70. nec non gentiles, dicentes Philippo: *Domine volumus Iesum videre*, Ioan. 12. In faciem, inquam, illam, in quam desiderant angeli prospicere. In hanc tanquam angulum fœtidissimum & sordidissimum expuunt isti sordes suas ab imo pectore vi extractas. Quæ maior excogitari ignominia poterat? Vnde à Prophetis notata est hæc pœna: *Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Isa. 50. Quod repetit Dominus Luc. 18. *filius hominis illudetur & flagellabitur & conspuetur.* Et olim Iob 30. *Faciem meam conspuere non verentur.* Patet ex Num. 12. maximam fuisse ignominiam, si pater spuisset in faciem filij. Quid ergo erit spuere in faciem Dei?

Velant. Secundò velãt quò audaciùs feriant faciem illam, quam reuelari olim tot votis flagitabant SS. Patres: vti David: *Ostende faciem tuam & salui erimus. Quare faciem tuam auertis? Obliuisceris inopiæ nostræ?* Moyses: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Sed cur velant? Primò, vt eo liberiùs in eum peccent & insaniant, quasi tectus nihil videret. Inde illæ blasphemiæ: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?*

Secundò, *Tam gratiosa & benigna Domini facies erat*, inquit S. Chrysostomus hom. 86. in Matth. *vt hostes quamuis crudeles essent & eũ odio prosequerentur, non possent tamen eam cernentes in eum fæuire, sed emolliti commiserabãtur. Ideo consilium eorũ fuit faciem eius velare, quo atrociùs eum caderent, colaphos & alapas impingerent, barbam vellerent, puluerem in faciem eius iactarent & execrarentur eum.*

Tertiò. Alij alapis & colaphis eum cædunt: illis quidem ad ignominiã, his verò ad dolorẽ inferẽdũ, vt meritò dubitari possit, plùsne cõtumeliæ an doloris inferre Christo voluerint. *Alapis & colaphis cadunt.*

Quartò. Alij illudunt dicentes; *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Et alia multa dicunt *blasphemantes*. Quoties Christus, si more Iudæorum agere voluisset, lacerare vestem debuisset? O insani ministri, non recordamini Christum à turbis habitum hoc prophetã? non recordamini eas dixisse: *Propheta magnus surrexit in nobis & quia Deus visitauit plebem suam?* Non recordamini illius, quod de eo dixit Samaritana: *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci?* Non ergo queat dicere, quis eum ex vobis percusserit? *Illudunt.*

SECVNDÒ. Sistamus hîc & horreamus, Auditores. Quanta inprimis istorum ingratitudo? Postquam enim Christus confessus est tam solemniter fidelem illum sermonem & omni acceptione dignum, Christum scilicet se esse desideratum cunctis gentibus, tunc principes & ministri in ipsum insilierunt, expuerunt, palmas & pugnos congesserunt. C. II. Quanta in his ingratitudo?

Quanta illorum libido? non ita milites insaniunt in castellum, quod eis diripiendum traditur, cùm alius diripit, alius comminuit, alius incendit, alius prædatur, alius occidit: atque ita in Christum isti, quorum alius eum cõspuit, alius capillis trahit, alius velat, alius cædit. Et verò reo morituro fieri talia inauditum est: homini innocenti & benemerito, indignissimum: fieri Deo horrendum. Quanta eorum impietas? Dixit olim Sapiens Prou. 30. *Oculum qui subsannat patrem, effodiant eum corui de torrentibus & comedant eum filij aquilæ.* Quid dixisset porrò de istis, qui subsannarunt Deum suum? Et si nesciverunt esse Deum suum, scire tamen poterant ac debebant. Certè non ignorabant esse patrem patriæ & omnium afflictorum. *Quanta libido!*

Quanta eorum temeritas, qui non metuunt Deum suum, tot miraculorum patratorem cædere in faciem? Ingens fuit illius Poloni temeritas, qui in aulã Matthiæ Coruini Regis Vngariæ existens, famelico Leoni carnem eripere est ore, pugnumq; impingere ausus fuit dicens: *Offam dimitte canis*, vt autor est Crantzius *Saxonia l. 9. c. 14.* Sed quantò maior illorum, qui non timuerunt ipsi Deo colaphos impingere? Si Deum non crediderunt, sciebant tamen mira innumera patrasse & cohortem vno verbo *Quanta temeritas?*

verbo, velut Leonem Lepusculos vnico rugitu ad terram afflixisse. Polonum Coruinus ab aula suâ remouit, quòd is animam suam vænalem gereret: istos verò tolerauit Christus? Tolerauit sed ad tempus, donec nimirum eos è patria sua eiecit.

D. III. Cur hæc tulit Christus. 1. TERTIÒ, Sed cur ista omnia pati voluit Christus: Respondetur primò, quia erat noster Redemptor. Idcircò luit nostra peccata. Nos autem Deo fecimus & facimus quotidie, quæ passus est ipse à ministris. Nos Christi faciem conspuimus, cùm eius sacramenta contumeliis afficimus, cùm imaginem Dei in nobis peccatis deformamus, cùm proximum nostrum contemnimus & auersamur.

Nos faciem Christi velamus, quoties tenebras & latibula quærimus ad liberiùs peccandum: quoties rationem nostram ebrietate vel iracundiâ obnubimus: quoties affectatâ peccamus ignorantiâ, & oculos in terram declinamus, ne videamus cœlum, Deum inspectorem, nostram conscientiam.

Nos alapas & colaphos in eundem congerimus, quoties peccamus. In omni enim peccato auertimus nos à Deo & conuertimus ad creaturam; illud alapam meretur, id est, ignominiam: hoc verò colaphum, id est, tormentum. Rursum nos eum pugnis, id est, manu cõpressâ cædimus per auaritiam, immisericordiam, oppressionem pauperum, defraudationem mercenariorum: palmis, id est, manu explicatâ, per prodigalitatem, superbiam vestium, ciborum superfluitatem, &c.

Nos ei illudimus quasi Pseudoprophetæ, cùm ita liberè & temerè peccamus, quasi cæcum & surdum, imò ligneum & plumbeum haberemus Deum, qui nec videat nos nec punire possit.

Omnia ergo hæc probra & tormẽta in Christum conglobantur, quia nos talibus Deum quotidie quasi imbre quodam obruimus. Et idcircò tam minutatim ab Euangelistis hæc scribuntur, vt sciamus quanti constiterit Christo nostra redemptio & quantum illi debeamus. Si enim quis vel vnicam alapam propter te accepisset immeritus, is certè eam tibi sæpiùs obtruderet: quantò magis Christus obiicere nobis potest, quæ nostri causâ pertulit, si ei ingrati simus? Non erubuerunt hæc illi scribere, quia non erubuit Christus ferre.

2. Respondeo secundò, quia erat noster Doctor. Docuit olim verbis ferendas alapas, contumelias, iniurias. Id nunc docet facto, cùm innumeris alapis & contumeliis faciem suam offert militibus improbis, quos ictu vno prosternere simul & mittere in gehennam poterat. Tantum verò abest vt de vindictâ nunc cogitarit: vt potiùs interim cum patre suo tractârit, quomodo tortores suos ei conciliaret. Non enim cogitabat à quibus pateretur, sed pro quibus. Dicebat nimirum: O pater ignosce illis & omnibus hominibus qui te hactenus ita velut insani & phrenetici tractârunt & imposterum tractabunt, vti me hac horâ. Itaque si quæras vbi Christus percutienti se in maxillam præbuerit alteram? respondeo hîc dedisse, iuxta id Isa. 50. *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus*, &c.

Respondetur tertiò, quia erat Deus, qui relinquit homini liberũ arbitrium; sed suo tempore ostendet se Iudicem & malorum vindicem. Patitur ad tempus Pardalis illudi sibi à Simijs, sed posteà opportunè vlciscitur. Ligari se permisit Samson, sed venit tempus quando atrociter se vindicauit: Nihil mansuetius erat Dauide, cùm offendebatur: vti in maledictione Semei patet. Nihil eo ferocius cùm vlcisci volebat, vt cùm super Ammonitas transire fecit tribulas & trahas & ferrata carpenta, ita vt dissecarentur & contererentur 1. Par. 20. Vnde 2. Reg. 23. vocatur *tenerrimus ligni vermiculus*; hic enim cùm tangitur, nihil eo mollius; cùm tangit, nihil eo durius. Talis omnino Christus, qui & ipse in passione vermi comparatus est Ibi eius mollitiem experti sunt Iudæi cùm alapis & colaphis impunè eum ceciderunt: sentient suo tempore eiusdem duritiem, & sentiunt partim nunc. Vsque enim in hodiernum diem *manet adhuc velamen super cor eorum* 2. Cor. 3. quia Christum velauerunt. Ad hæc *receperunt alapam æternam & omnis deinde prophetia priuati sunt*, inquit Origenes, quia alapis eum ceciderunt. Denique opprobrium sunt nationum & fœtent coram omnibus, quia conspuerunt Christum. 3.

Respondetur vltimò, vt hinc disceremus quantâ libidine sæuiant dæmones in damnatos. Si enim in viridi hæc fecerunt Iudæi, quid in arido facient Dæmones, hominibus adhuc longè infensiores? 4.

§. XII.

Petri negatio.

1. 2. 3. *Assignantur rationes cur Petrus sequatur à longè: cur introducatur à discipulo, & quis ille: cur prodatur ab ancilla?*
4. *Causa negationis Petri.*
5. *Cur prodatur ab aliâ ancilla, & alijs.*
6. *Cur. labi permissus à Deo Petrus, & quinam imitentur negantem Petrum.*

THEMA.

Petrus verò sequebatur à longè. Luc. 22.

A REfert Suetonius Tranquillus Iuliũ Cæsarem cùm à coniuratis in Senatu peteretur ad necem, quẽdam PRIMÒ Cascam nomine fuisse, qui tecto pugione eum vulnerauit: Sed quia is manifestus Cæsaris inimicus erat, non admiratum Cæsarem: vbi verò etiam Marcus Brutus Cæsari amicissimus irruit in eum, id verò acriter sensisse, ita vt ei obijceret: *Et tu quoque Marce fili?* Ad eundem modum quando in Christum Dominum coniuratio Iudæorum facta est, & Iudas primus ac præcessor cohortis irruit in Christum, ferali eum osculo

osculo veluti pugione tradens ad necem: minus id sensisse videtur Christus, quia ab hoste manifesto factum id sciebat. At verò vbi etiam Petrus intimus eius amicus, negauit & pernegauit, id haud dubiè acerrimè sauciauit cor illius. Hinc enim ad illū conuersus respexit eum; quasi suo obrutu illud ei obijciens: Et tu quoque Petre fili? Hinc olim per Dauidem conquestus est hac de re Christus *Ps.87.* ad cœlestem Patrem: *Elongasti à me amicum*, id est, Iudam, *& proximum*, id est Petrum, *& notos meos*, id est, Apostolos, qui relicto me fugerunt. Quare attendamus nunc ad negantem Petrum.

B. I. Sequitur Petrus à longè. PRIMÒ, Petrus sequitur Christum à longè: Sequitur quidem Primò, ob promissionem suam, cuius memor, turpe existimabat non sequi Dominum suum: docens nos prosequi bona proposita & fidem datam seruare: quod vtinam tamen fecisset constanter. Secundò, Ob amorem quem erga Christum gerebat maximum.

A longè verò, ob timorem, quo iam occupatus fuerat. Pugnabant enim in corde Petri amor Christi, & timor mortis. Ille trahebat, hic retrahebat.

C. II. Introducitur in atrium à discipulo. SECVNDÒ, Introducitur in atrium Pontificis ab alio discipulo, qui introierat cum Iesu, eratque notus pontifici. Non exprimitur quis fuerit iste alius Discipulus. Primò, Quia parum ad rem faciebat; proinde ne curiosè scrutaremur in SS. literis & rebus fidei, quæ nihil momenti habent, vel scita nihil prosunt. Ægyptius quidam baiulus gestans quid velo opertum percontanti, quid portaret? respondit: *Idcirco obuelatum est, ne tu scires*. Plut. lib. de Curiosit.

Secundò, Quia officium non optimum, tāetsi non malo animo præstitit Petro. In caueam enim & laqueum induxit illum, qui securiùs foris mansisset. Sic multoties amici & consanguinei inducunt suos ad lapsum cùm ad dignitates promouent, per fauorem, pecuniam, &c. quia magnatibus noti sunt: quorum tamen officium memoriâ dignum non est.

D. III. Proditur ab ancilla. TERTIÒ, Proditur & flectitur ab ancillâ ostiariâ. Primò, Secundum Ambrof. in Lucam eo loco, *vt & iste sexus peccasse in necem Domini videretur: vt & iste sexus redimeretur per Domini passionem*. Nemo non ex virili sexu cooperabatur ad Christi passionem: Principes, priuati: Sacerdotes, Laici: amici, inimici: Iudæi, pagani: Liberi, Serui: iuuenes, senes: Sexus tantùm fœmineus deerat. Interueniunt igitur ancillæ duæ, vt sicuti ab omnibus, ita pateretur Christus & pro omnibus.

1.

2. Secundò, Vt præsumptio Petri retunderetur & iactantia. Sic enim & superbia & fastus Holofernis confusus est à Iuditha, *Iudith 13.* Goliathi à Dauide *1. Reg.17.* Pharaonis à muscis & cyniphibus *Exod.8.*

E. IV. Negat. QVARTÒ, Petrus *negat coram omnibus*, dicēs: *nescio quid dicis*. Secundum Ioannem: *Non sum*. Secundum Lucam: *Non noui illum*. Causæ negationis seu potiùs gradus, quibus in hoc peccatum deiectus est, sunt. Primò, Somnolentia tempore orationis in Olivueto. Vbi enim Moyses in oratione manus remisit, ibi vincebat Amalec: similiter vbi Petrus obdormijt, cùm orare iuberetur, ne intraret in tentationem, ibi paulatim decidit & carnis infirmitatem sensit ac mortem hōrrere cœpit. Propterea tam sedulò monebatur à Domino: *Simon dormis? Orate vt non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; quasi prædicens illi rursum negationem ob timorem mortis. Bonum est quidem propositum non peccandi, sed solum non sufficit, oratio adhibenda est & similia media. Dum ostiaria domûs triticum purgans obdormiscit, neci Domini sui causam dat. 2. Reg.4. *Sic cùm mentis custodia virtutes à vitijs separans obdormiscit*, ait Greg. lib.1. Moral. c.16 *ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit*. 1.

Secundò, Tepiditas in sequendo Christo, sequebatur enim à lōgè. *Iam proximus negaturo*, ait Ambrosius in eum locum, *neque enim negaret, si Christo proximus adhæsisset*. Vnde bene dicitur Petrus calefecisse se ad ignem, quia frigus erat; videlicet in eius corde, magis quàm in aëre. Qui ex ephippio leuatus est, facilè deijcitur. Igitur tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, *Apoc. 3.* 2.

Tertiò, Præsumptio, quâ dixerat: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*. Item *Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*. Rursum: *etsi oportuerit me mori tecum nō te negabo*. Matth.26. & Luc.22. Multū enim de se præsumens pericula non vitat, sed quærit, adeoque præcipitium. Hinc palatium Caiphæ intrauit, plebeculæ se sociauit, &c. 3.

Quartò, Obliuio; siquidem verba Christi tam seriò præmonentis sīsque deque habuit, & vel non credidit vel memori mente non reposuit. Est enim familiare illis, qui de se præsumunt, obliuisci verbum Dei, nec curare admonitiones tanquam ad se non pertinentes. Hinc licet primò gallus cantaret, id tamen non aduertit Petrus. 4.

Quintò, Introitus in Palatium seu atrium Pontificis: vbi infimæ plebi se immiscuit calefaciens se ad prunas. In eiusmodi enim ædibus, omne genus iniquitatis & discitur & docetur, & omnia mala fiunt. In curiâ Herodis Magi stellam perdunt: Ioannes caput perdit, in curiâ Caiphæ Petrus fidem perdit & robur animi, ac peierare discit. Petrus cum discipulis manēs Christum præ omnibus audentissimè confitetur: *Tu es Christus filius Dei viui*. In curiâ vero cum impijs ministris hærens eundem negat pertinacissimè: *Non noui hominem*. 5.

F. V. Proditur ab alia ancilla. QVINTÒ, Proditur ab aliâ ancillâ nec non & à ministris quibusdam dicentibus: *Et tu ex illis es*. Et Petrus rursum negat cum iuramento. Vide quomodo Petrus primò de peccato in peccatum ruat, adeoque funem peccatorum texat, vt dicere possit: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Qui enim semel deliquit, audacior & paratior redditur ad sæpius delinquendum. Vnde & tertiò negat eâdem facilitate. Nec dubium

bium quin sæpius negasset, si sępius interrogatus fuisset. Vnde S. Augustinus: *Deo gratias*, inquit, *quia cessauit interrogatio; si non cessaret interrogatio, diu repeteretur negatio.* Qui per scalā cadit, de supremo gradu ad imum deciditita sę rè in peccatis fit. Vnde de ædificatoribus turris Babel ait Dominus Gen. 11. *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus & confundamus linguam eorum.*

Secundò, quomodo de leuioribus in grauiora ruat. Primò enim simpliciter negat. Secundò, cum iuramento. Tertiò, cum execratione & deuotione sui. Peccatum enim pondus est, quod semper ad inferiora trahit. Et maiora peccata generantur ex minoribus; vt in plagis Ægyptiacis post cyniphes secutæ sunt muscæ grandiores, *Exod.* 8. Sic ex furtis nummorum, deuenitur ad furta florenorum, hinc ad rapinam, hinc ad homicidia.

Tertiò, quomodo occasio peccandi non vitata rursum peccatum pariat. Exiuerat enim Petrus ante atrium post primam negationem, sed quia iterum regressus est, iterum tentatus est & iterum negauit. Hinc clamat Ieremias c. 51. *Fugite de medio Babylonis & saluet vnusquisque animā suam.* S. Bern. serm. 30. de conuersione ad Clericos: *Quid ni*, inquit, *periclitetur castitas in delitijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fugite & saluate animas vestras.* Sic ille. Sed quàm multi similes Petro, qui licèt experti sint lapsum super glaciem, eandem tamen nihilominus rursum ingrediuntur.

G. VI. Proditur ab alijs. SEXTÒ. Proditur ab alijs qui astabant, dicentibus: *Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit.* Et speciatim à cognato Malchi dicente: *Nonne ego te vidi in horto cum illo? Tunc cœpit Petrus detestari & iurare, quia non nouisset hominem.* Quò diutiùs persistit Petrus apud malam societatem, & perseuerat in peccato, eò grauiùs tentatur (scilicet à cognato Malchi, teste oculato) eòque grauiùs peccat. Ita quò diutiùs persistis in cogitatione malâ eò acriùs tentaberis & grauiùs delinques.

Cur labi permissus. 1. Sed cur labi permissus à Deo Petrus? Respōdetur. Primò. in pœnam præsumptionis eius, ex qua etiam pericula peccandi adijt, & se contra ea non armauit. Hinc ter negauit, quia ter præsumptuosè locutus erat. Primò. *Et si omnes in te scādalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor.* Secundò. *Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Tertiò. *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Vnde S. Augustinus l. 14. de ciuit. cap. 13. ait: *Audeo dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit & sacer psalmus: Imple facies eorū ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine, id est, vt eis placeat quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum.* Sic August.

Secundò, *vt in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratiâ præualere*, ait Aug. *serm.* 124. *de temp.* Agnoscis ergo humanæ imbecillitatis specimen, & quàm nihil possimus nobis ipsis relicti. Si enim Petrus fundamentum Ecclesiæ, cui diuinitatem Christi reuelauerat Pater cœlestis, quique præ cæteris omnibus Christum Deum apertissimè confessus est, tam turpiter lapsus est, vbi sibi relictus: quis non trepidabit? *Non fit delectatio minorum*, ait Augustinus hom. 21. *Lapsus maiorum sed fit casus maiorum tremor minorum.*

3. Tertiò, vt disceret ipse Petrus tanquam futurus Ecclesiæ Pastor ex ijs quæ passus est, misericordiam, adeoque compati postea alijs pœnitentibus ad se venturis: à seipso eruditus, quanta esset fragilitas humana. Vnde S. Gregorius *hom.* 21. *in Euang.* ait: *Magna actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is qui futurus erat pastor Ecclesiæ in suâ culpâ disceret, qualiter alijs misereri debuisset: Priùs igitur ostendit eum sibi & tunc præposuit cæteris*, &c.

4. Quartò. Vt in summo honoris fastigio aliquando constituendus velut Ecclesiæ Pontifex, Apostolorum apex & miraculorū insignis patrator haberet vnde perseueraret in humilitate & ardentiore dilectione Christi. In humilitate quidem, tanquam lapsus sui memor: in dilectione verò tanquam cui plus dimissum est. Vnde postea toties interrogatus est: *Diligis me plus his?* plus enim amare debet, cui plus donatum: & cui minùs dimissum, minùs diligit. *Luc.* 7.

5. Quintò. In solatium pœnitentium, vt nemo desperet de Dei misericordiâ cùm Christus Petro non modò tam facilè ignouerit, sed etiam post lapsum tanta beneficia contulerit, vt eum Principem Apostolorum & Vicarium suum ac Summum Ecclesiæ Pastorem constituerit. Vident hic peccatores impletam Dei promissionē Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam*, &c. *omnium iniquitatum eius non recordabor ampliùs.* Tantum enim abest vt Christus post resurrectionem exprobrauerit Petro lapsum, vt etiam speciatim ei nuntiari suam resurrectionem iusserit, eique summum Pontificatum contulerit.

6. Sextò. Vt intelligeremus quales Apostoli ante aduentum Spiritus sancti fuerint, & quales postea facti sint. Ante aduentum, perterrentur & prosternuntur à voce ancillæ: post aduentum contemnunt increpationes & furorē Regum, vincula, tormenta, rugitus Leonum, &c. Vnde *Act.* 4. coram principe Sacerdotum Anna, Caipha, Ioanne, Alexandro & toto Sacerdotali genere comminantibus sibi, ne docerent ampliùs in nomine IESV quidquam, dicit Petrus & Ioannes: *Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate: non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.*

7. Septimò. *Vt in omnibus* (Petrus) *disceret Christo patere veriora que dicta istius crederet, quàm quæ sua sibi conscientia testaretur*, inquit S. Chrysost. *hom.* 83. *in Matth.*

Imitantur negātem Petrum. Porrò Petrum in hoc lapsu imitantur primò: Qui Christum & fidem abnegāt, vt Iulia-

nus Imperator qui baptismum suum impuro Victimarum sanguine abluit. Greg. Nazianz. *orat.* 1.*in Iulian.* Similiter qui ab Ecclesia Catholica ad hæresim deficiunt. Nam *quisquis ille est*, inquit S. Cyprianus ep. 52. ad Antonianum, *& qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesiâ non est.* Et rursum de Simpl. prælat. *non potest habere Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.*

Secundò, Catholici qui inter hæreticos fortè constituti carne vescuntur diebus ieiuniorum, ne pro Catholicis agnoscantur & irrideantur, atque adeò facto ipso dicunt: Non sum papista. Qiò facit id Augustini 11. q. 3. c. non solum. *Non solum*, inquit *abnegat Christum, qui eum non dicit esse Christum, sed etiam qui cùm sit negat se esse Christianum.*

Tertiò, qui contra fidei præscripta viuunt. De quo Apostolus ad Tit. 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Quo loco S. Hieronymus ait: *Christus est sapientia, iustitia, veritas, sanctitas: negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem iustitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo, & quoties vitijs vincimur, Deum negamus.* Sic ille.

Quisquis ergo Petrum secutus est errantem: sequatur & pœnitentem.

§. XIII.

Petri conuersio.

1. *Exponuntur rationes iterata cantationis galli, qui significat Concionatorem, synderesin & gratiam excitantem.*
2. *Ad quid respiciat Dominus Petrum.*
3. *Quibus de causis Petrus egrediatur foras & fleat.*
4. *Quàm salutares fuerint Petri lachrymæ.*

THEMA.

Conuersus Dominus respexit Petrū. Luc. 22.

A SÆpenumero legimus & videmus ante ruinam aut obitum summorum capitum præmitti aliqua præsagia, veluti cometas & similia ostenta.

Negationis Petri qui caput Ecclesiæ futurus erat non expressam tantùm p rædictionē præmisit Dominus, sed etiam figuratam *Matth.* 14. quando Petrum volentem ad se venire super aquas, mergi nonnihil passus est, postea tamen extensâ manu ex vndis erexit, vti aduertit ibi Theophylactus. Sicut enim ibi dixit Petrus: *Iube me venire ad te super aquas:* ita postea dixit: *Non te negabo.* Sicut tunc perterritus à vento valido cœpit mergi Petrus: ita postea territus metu mortis ab interrogantibus, cœpit negare & anathematizare. Ibi manum porrexit ei Dominus & erexit eum: hic conuersus respexit eum & erexit ad pœnitentiam.

PRIMÒ, Gallus iteratò cantauit Petro adhuc loquente: Primò, vt prædictio Christi cōfirmaretur & infallibilis appareret. Et sicuti hæc verificata est, ita verificabuntur & aliæ. Putant impij peccata sua fore semper occulta & impunia, si in illis non deprehendantur, vel si eorum nulla sit memoria. Tum dicunt **Es kraet tein Hayn meyt darnach**, V. G. de re malè partâ. Sed falluntur. Cantabit aliquando gallus saltem in morte. Nónne S. Menradi interfectores corui: Ibyci interfectores prodidêre grues, cùm putaretur res sepulta? B. I. Gallus iteratò cantat. 1.

Secundò, vt Petrus hoc cantu excitaretur ad agnitionem peccati sui & pœnitentiam. Denuntiauit enim Petro, quid fecerit, tanquam præco pœnitentiæ; quasi dicat: Euigila Petre, siquidem galli excitandis à somno hominibus nati sunt; (teste Plinio.) In vita B. Epiphanij apud Sur. 12. Maij refert Ioannes eius discipulus Charinum Diaconum, auarum, mensæ Epiphanij cum alijs Clericis assedisse, & interim coruum ter quaterve crocitasse: Rogante ergo Charino, quid portenderet illa vox? respondit Epiphanius, Charinum Diaconum moriturum, quippe quem Deus punire intenderet. Ita euenit. Nam dictâ gratiarum actione, Charinus apoplexiâ tactus, domum à famulis delatus & manè mortuus est. S. Athanasio Alexandriam ingrediente, cornix crocitauit. Græci igitur gentiles cum scommate eum interrogant, quid loquatur cornix. Tum Athanasius: *eras*, inquit, *insonat: significat enim crastinum diem, quo annuam hîc celebratis festiuitatem, non ex animo vobis cessarum.* Atque ita factum; nam edicto Imperatorio festiuitas eorum sublata est. Niceph. l. 9. c. 34. 2.

Designat autem hic gallus primò concionatorem secundum S. Greg. in Iob c. 38. Idcircò in templorum apice solet effigies eius poni. Debet ergo Concionator instar Galli peccatores forti clamore excitare & pulsare. Tametsi enim ad eorum vocem non statim excitantur, tamen aliquando vel serò recordabuntur auditorum, & inde emendabuntur, vti fecit Petrus, qui post respectum Christi recordatus est cantùs illius, & deinceps post gallicinium semper surgebat è strato & peccatum suum lachrymis ac precibus eluebat. Molestus est galli cantus nocturnus pigris, sed gratus laboriosis. Par ratio de concione. Gallus antequam cantet, seipsum alis percutit: ita concionator seipsum primò reprehendere debet, tum alios, exemplo S. Pauli. Cor. 9. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Significat Gallus. 1. Concionatorem.

Secundò, Significat Synderesin, quæ peccantibus occlamat & vociferationibus suis conscientiam illorum implet, secundum Iustinianum l. de Christi agone c. 9. Viderit vnusquisque, vt si fortè peccauit, ad vocem istius galli continuò excitetur. Sanè quendam parricidam apud Plut. affligebat hirundinum cantus, quòd viderentur prodere eius parricidium: ideo de nido eas deturbabat. 2. Synderesin.

Tertiò, Gratiam præuenientem & excitantem, quam alij quidem audiunt, alij verò minimè. Quemadmodum verò gallus initio pro- 3. Gratiam excitantem.

tractio-

tractiores & fortiores edit sonos, postea paulatim desinit in concisiores & minutiores: ita qui primas Dei excitationes excludit, meretur paulatim deseri & minùs efficaciter excitari.

C. II. Dominus respicit Petrum. SECVNDÒ, *Conuersus Dominus respexit Petrū.* Primò, vt moneret eum prædictionis suæ. q. d. nónne prædixit tibi? Non audis, non aduertis gallicinium? Solemus enim cùm aliquem clanculum admonere volumus alijs non aduertentibus, forti eum obtutu aspicere, quasi nutibus locuturi.

1\.

2\. Secundò, Vt doceret eum illo aspectu, quanta sit hominis fragilitas: & quàm non sufficiat propositum voluntatis humanæ, nisi auxilio supernaturali roboretur. Debebat ergo vigilare continuò & orare, ne intraret in tentationem.

3\. Tertiò, Vt intelligeremus sine Dei respectu & gratiâ neminem conuerti posse. *Non solùm cùm agitur pænitentia, verùm etiam vt agatur, Dei misericordia necessaria est,* ait S. August. *in Enchirid.* Quàm difficilè excitatur peccator non excitabatur Petrus per trinam suam negationem, non per iteratum galli cantum: respectu Christi indiguit. Vnde S. Ambros. in Luc. l. 10. super hunc locum: *Negauit primò Petrus,* inquit, *& non fleuit: quia non respexerat Dominus. Negauit secundò: nō fleuit, quia adhuc nō respexerat Dominus. Negauit & tertiò: respexit Iesus; & ille amarissimè fleuit. Respice Domine Iesu vt sciamus nostrum deflere peccatum, lauare delictū.* Sic Ambros. Vnde patet non sufficere solam concionatoris vocem, nisi Deus cor audientis intùs tangat, respiciat & emolliat. Idcircò ante concionem præmitti solet oratio, vt ad prædicatoris vocem accedat Dei respectus. Quamdiu dorsum vertes speculo, vertet etiam imago tibi dorsum, sed si ad speculum te conuerteris, conuertetur & illa ad te & aspicientem te aspiciet. Sic Dominus conuersus ad Petrum, conuertit ad se Petrum.

4\. Quartò, Vt hoc aspectu velut sol liquefaceret cor Petri, congelatum frigore timoris. Vbi vide & admirare Domini bonitatem, qui licèt captus & ligatus, oculos tamen suos circumfert, ijsque quoniam aliter non poterat, quærit ouem perditam. Ferunt ictericos si Charadrius auis aspiciat, sanitatem recuperare: si ab ills oculos auertat, mori. Ælian. *hist. anim. lib. 17. cap. 12.* Alb. M. *de anim. lib. 23. lit.* C. Ita res habet cum oculis Dei. Vnde Ecclesia canit: *Si respicis, lapsi stabunt, fletuque culpa soluitur;* quasi huc alludens.

D. III. Petrus egreditur foras. TERTIÒ. *Petrus egressus est foras.* Primò, quia iam se indignū Christi aspectu vlteriore iudicabat, quasi ob pudorem sceleris sui oculos eius fugeret. Sic enim seruus malè sibi conscius fugit heri sui conspectum. Sibi à Christo dictum putabat illud Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum.* Sic Adam ob peccatum & auditatem suam confusus abscondit se à facie Dei.

Secundò, Vt locum quæreret solitarium & accomodatum ad plorandum vbertim, qui creditur fuisse fossa quædam. Sic Isa. 22. dicitur: *Recedite à me, amarè flebo.*

Tertiò. Vt ab improborum se consortio segregaret, memor iam infirmitatis suæ: ne fortè rursùm tentatus, relaberetur. Sic qui syncerum agere vult pœnitentiam, fugere etiam occasiones peccandi debet, saltem proximas. 3.

Fleuit autem primò, quia ab oculis Christi, Flet. oculi eius vulnerati erant. 1.

Secundò. Quia lachrymæ perfectæ pœnitentiæ rationem habent. Primò testes sunt animi contriti. Secundò sunt tacita quædam confessio. Vnde S. Ambrosius in eum locum ait: *lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur.* Tertiò habent vim satisfaciendi. Vnde Ambr. ibid. subdit: *Lachryma veniam non postulant, sed merentur.* Nihil est tam fœdum, quod non ablui possit lachrymis, si in tēpore fundantur. Per has auertere captiuitatem suam & vastationem vrbis suæ potuissent Iudæi, si quemadmodum *Isa.* 22. ad fletum vocati erant, fleuissent. Sed quia non fleuerunt ac potiùs comederent carnes & biberē vinum cœperunt, iurauit Dominus non dimissurum se iniquitatem eorum, vti factum. Idem asylum monstrauit illis Christus, quādo fleuit super Ierusalem, prævidens eius excidium. Vnde ait: *Quia si cognouisses & tu!* Scilicet, fleres & tu mecū. Sed quia nec tunc fleuerunt, ideò excisi & exterminati sunt. Vocat etiam nos Deus tempore præsertim Quadragesimæ ad fletum & planctum, velut optimum & efficacissimum medium placandi Deum & peccata nostra abluenda. Væ nobis, si Iudæos illos imitemur. 2.

QVARTÒ. *Fleuit amarè.* Fuerunt hę Petri lachrymę admodum salutares & laudabiles. Primò, quia feriæ & copiosæ. Fleuit enim amarè: Nos multò sæpiùs & quandoque grauiùs peccamus minùs tamen ploramus. E. IV. Flet amarè. Lachrymæ eius salubres.

Secundò. Quia acceleratæ; non enim hæsit diu in peccato, postquam à Christo respectus est, sed illicò in se rediit & peccatum defleuit. Ita electi cùm labuntur, citò ad se redeunt, vti & equus generosus, qui à cespitatione fortuitâ illicò se colligit, & quasi verbera metuens exilit cautiorque incedit. 1. 2.

Tertiò. Quia calidæ, seu ex amore Christi profectæ: non ex timore supplicij aut pœnæ. Vbi enim recordatus est verbi Iesu, id est, fidelissimæ præmonitionis eius, optimi patris & Magistri, &c. flere cœpit. Nullum pro peccato isto supplicium à Iudæis inferendum metuebat, nihil etiam temporale per hoc perdidit; solam igitur spiritualem iacturam defleт. Nos contrà ferè temporales tantùm iacturas plangimus, spirituales non curamus. Frigidæ sunt hæ lachrymæ. 3.

Quartò. Quia perennes. Fleuit enim posteà semper, quoties galli cantum audiuit, ita vt lachrymis sulcaretur eius facies, sudarium eiusdem semper lachrymis maderet. Ergo precemur Christum vt & nos respiciat, quo & ipsi cum Petro deflere peccata nostra perenniter possimus. 4.

§.XIV.

Concilium matutinum & Iudæ interitus.

A n. 1. vſque ad 5. narrãtur cauſa & acta concilij illius matutini.	8. 9. *Quas ob cauſas Iudas abiecerit argenteos, & laqueo ſe ſuſpenderit, illudque Deus permiſerit.*
5. 6. 7. *Quàm inanis fuerit pœnitentia Iudæ, cui referenti 30. argenteos reſpondent:* Quid ad nos?	10. 11. *Quare dixerint* Principes: *Non licet eos mittere &c. emerintque ex ijs agrum.*

T H E M A.

Vt factus eſt dies, conuenerunt Seniores plebis, &c. Luc. 22.

A QVæ hucuſque diximus, nocte illa triſti, quæ præceſſit paraſceuem, facta ſunt. Nunc illuceſcit dies, dies, inquam, tamdiu deſiderata, in quâ reparandum eſt humanũ genus, deuincenda mors, claudendus infernus, cœlum aperiendum, ſcripturæ implendæ. Hæc eſt illa dies, quam ante multa ſæcula videre deſiderauit Abraham cum omnibus credentibus. Imò hæc eſt dies, quam ipſe etiam Chriſtus deſiderio deſiderauit. Denique hæc eſt dies, quam principes Iudæorum auidè expectabant, ſed valde diſſimiliter. Abraham cum fidelibus, vt à Chriſto redimerentur: Chriſtus vt eos redimeret: Iudæi vt Chriſtum perderent. Quare deinceps expendamus, quæ hoc die facta ſunt.

B. I. *Manè rurſum Concilium conuocãt.* PRIMÒ, Manè iterum concilium inſtituunt Principes Sacerdotum, ſcribæ & Seniores. 1. Primò. Ne minùs legitimum cenſeretur, quod noctu habnerant, & fortè aliquibus abſentibus; ne quis obijceret eis rem parùm exactè & ſemel tantùm ponderatam eſſe. Quàm callidi ad nocendum ſerpentes? quàm *veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*? Nos viciſſim quàm ad bonum tardi ſumus?

2. Secundò, Vt deliberarent de modo & ratione tradendi Chriſtum Pilato & perdendi. Decretum iam illis erat noctu, Chriſtum omninò perdere, de viâ nunc inquirunt, ideoque iteratò quærunt.

C. II. *Proponũt eaſdem quæſtiones.* SECVNDÒ, Proponunt ei eaſdem quæſtiones, quas in nocturno conuentu propoſuerant. Prima. *Si tu es Chriſtus, dic nobis.* Secunda. *Tu ergo es filius Dei?* 1. Primò, Quia conſcientiâ vrgente, iam occupati erant iuſto dubio, num ipſe foret Chriſtus; ex communi ſcilicet fama, ex miraculis, ex coniuratâ eius aſſertione, &c.

2. Secundò, Vt experirentur eius conſtantiam in ſermone: & ſi iteratò aſſereret, fortiùs accuſarent & conuincerent. Hoc enim qnęrebant vt rurſum aſſereret ſe eſſe Chriſtum & filium Dei. Vnde cùm ad primum non reſponderet categoricè, vrgebant alterum: *Tu ergo es filius Dei?* quaſi hoc iam confirmaſſ.t modò.

D. III. *Reſpondet Chriſtus.* TERTIÒ, Reſpondet Chriſtus ad primam quæſtionem: *Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.* Viderat enim Dominus, non deeſſe eis rationem credendi, ſed voluntatem: velle eos audire reſponſum, ſed non credere; ideoque in ventum ſpargere verba noluit.

Addit tamen, quod & priùs noctu reſponderat: *Ex hoc autem erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei*; quia obſtinatis nihil magis inculcari debet, quàm terror diuini iudicij. Si ex hoc non moueantur, fruſtra adhibentur alia.

Ad ſecundam reſpondet. *Vos dicitis, quia ego ſum.* Confirmat iterum, quod noctu eis reſponderat, ne quis exiſtimet priorem confeſſionem ſibi excidiſſe, & nobis dubium aliquod de ſuâ confeſſione relinquat.

E. IV. *Dicunt: Quid adhuc deſideramus teſtes.* QVARTÒ, *Tunc dixerunt illi: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audiuimus de ore eius.* Videbantur ſibi reum iam conuictum habere; ex reſponſione, quæ accuratiùs expendi ab illis & differre ſententiam debebat. Itaque velut re confectâ *ſurgens omnis multitudo eorũ duxerunt illum ad Pilatum.* Ita malis omnia mala, & araneæ quidquid ſugit, venenum fit.

F. V. *Iudas pœnitentia ducitur.* QVINTÒ, Tunc videns Iudas, quòd damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus eſt, quia nimirum vel non putabat eum ad mortem condemnandum: vel ſi id putabat, poſteà ſpectaculi præſentiâ & executione commotus pœnitere facti cœpit; ſolent enim præſentia magis mouere, quàm futura: & quæ oculis cernuntur quàm quæ intellectu præuidentur. Hoc modo multi multa incipiunt, quorum exitum malum vel non vident, vel minùs apprehendunt: poſtea autem finem amarum dum experiuntur, ſtultitiæ ſe arguunt, capillos ſibi vellicant & ſerò pœnitent. Quare **Anfang bedenck das Endt.**

Sed inanis fuit hæc eius pœnitentia, licet ad dolorem acceſſerit confeſſio & reſtitutio. Nam dolor non fuit qualis eſſe debebat, ex motiuo ſupernaturali, nec cum ſpe veniæ coniunctus; Confeſſio non fuit facta ei, cui debuit.

G. VI. *Refert 30. argenteos.* SEXTÒ, Retulit *Iudas 30. argenteos principibus Sacerdotum & ſenioribus dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.*

1. Fecit hoc Primò Dei diſpenſatione, vt hoc facto Chriſti innocentiam principibus conteſtaretur, ipſoſque emptores de iniquo contractu argueret atque ita totum orbem à ſcandalo liberaret; ſiquidem & venditor ſeipſum palam iniuſtitiæ accuſat, & Magiſtrum ſuum ab omni noxa immunem proclamat.

2. Secundò, Vt quantum in ſe erat, pactum reſcinderet: ſiquidem *in pecuniarijs cauſis refuſo pretio ius ſoluitur*, vt ait ſanctus Ambroſius *lib. 10. ſuper Lucam.* Non ergo longè aberat Iudas à regno cœlorum, quia ad pœnitentiam bene incepit ire. Doluit, confeſſus eſt ſcelus ſuum, reſtituit, retractauit pactum quantum in ipſo erat: nec verebatur principes iniuſtitiæ tacitè accuſare. Vide ergo, pœnitentiam

nitentiam vel ex vnico defectu inanem esse.

H. VII. Respondent: Quid ad nos? SEPTIMÒ, *Responderunt illi: Quid ad nos? Tu videris.* Causa huius responsionis ex parte Iudæorum est omnimodæ obstinatio. Respuunt audire testem omni exceptione maiorem: nec eius testimonium curant examinare, ne quis eis scrupulus iniiciatur ad dimittendum CHRISTVM: quia decretum illis erat occidere quem oderant, quocunque tandem iure. Itaque *luce veritatis ad eos hic penetrante ficto ignorantiæ velamine stulte se operiunt*, inquit Chrysostomus.

1.

2. Secunda, ex parte prouidentiæ diuinæ, vt sic Iudas puniatur, rideatur & repellatur ab illis ipsis, in quorum gratiam tam enorme scelus patrauerat. Ita Sichimitæ deleti sunt ab illo ipso Abimelech, cuius ambitioni morem primi gesserunt, cuius scelera fouerunt & præmiarunt regiâ dignitate, Iudicum 9. Sic Anna Bolena ab Henrico Rege Angliæ occisa, quæ contra legitimam coniugem ob impuros eius amores ab eodem erat inducta.

I. VIII. Iudas abiicit argenteos. OCTAVÒ, *Tunc Iudas proiectis argenteis in templo recessit.* Primò id fecit ex odio iniquissimi pretij. Ita enim quæ initio perperam amantur, postea cane peius & angue oduntur, vt soror Amnon. 2. *Reg.* 13.

1.

2. Secundò, Vrgente conscientia, vt sic quomodocunque eam exoneraret, nolens cum iniquo pretio mori, cuius pondus ferre non potuit. Pecunia tam auidè quæsita nunc fit ei carnifex. Videant illi, qui aliena non restituunt. Non mentitus est Sapiens *Prouerb.* 20. cùm dixit: *Suauis est homini panis mendacij & posteà implebitur os eius calculo.*

3. Tertiò, Dispensatione diuina, vt hæc pecunia (quæ ante pedes Sacerdotum effusa, direpta fuisset à militibus fortè) seruaretur ad mysterium & ad publicum testimonium iniquissimi sceleris Iudæorum, & condemnationis Christi iniustissimæ.

K. IX. Laqueo se suspendit. NONÒ, *Abiens laqueo se suspendit.* Fecit id ex nimiâ & inordinatâ tristitiâ seu ex desperatione, quòd cùm videret Dominum iam condemnatum, peccatum suum putaret inexpiabile. Eò nimirum adegit eum Primò, Carnifex conscientia. Secundò, Dæmon suasione. Solet enim is primò, cùm patrandum est peccatum, id extenuare, pòst vbi patratum est exaggerare, vt spem veniæ adimat. Tertiò, eò promouerunt illum Sacerdotes & Seniores, cum dixerunt: *Quid ad nos? tu videris.* Quòd si prudentes & beneuolos offendisset animæ medicos, bene sperari poterat de eius conuersione. Viderint ergo qui erga pusillanimes peccatores nimis sunt austeri, ne *linum fumigans extinguant.* Illi fuerunt laqueus Iudæ, quo se suspendit, vti *Os.* 5. de similibus dicitur: *laqueus facti estis speculationi*, id est, iis, qui vestræ speculationi seu curæ commissi sunt.

1.

2.

3.

Permisit id Deus. Cæterùm id permisit Deus Primò, quia Iudas secundùm impœnitens cor suum toties monitus, thesaurizauit sibi thesaurum iræ. Vide quàm sit periculosum pœnitentiam differre

1.

semper & nolle audire Deum vocantem.

Secundò, Vt Iudices possent vel hinc etiam colligere Christi innocentiam, cùm viderent proditorem sceleris immanitate ad restem esse adactum. 2.

Tertiò, In exemplum auarorum, vt appareat quàm verum sit illud 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli. Iudas dum sitit lucrû peruenit ad laqueum*, ait S. Leo *serm.* 9. *de passione.* Auem auceps modicâ escâ in laqueum trahit: Sic Dæmon Iudam. Ex paruis furtis deuenit tandem Iudas ad Magistri proditionem: sic qui per fas & nefas diuites fieri volunt. *Audite ista, audite, inquâ, auari*, ait Chrysostomus *versate animo, quid ille passus sit; nam & pecuniam amisit & scelus admisit & animam perdidit. Hæc atrox auaritiæ tyrannis facere solet. Non est argento nec hac vsus vitâ, non fruetur futurâ: vtrunque simul amisit.* 3.

Quartò. Vt pœna responderet delicto: quia enim *spiritum oris sui* Christum in captiuitatem tradidit, *Thren.* 4. quid mirum, si spiritu oris sui intercluso & ligato, vitam perdidit? Deinde sicut laqueus collo iniectus intercludit spiritum: ita excludit spiritum sanctum desperatio, quæ Iudam perdidit. Rursum, quia iure guttur stringitur per quod vox proditionis prodijt. Denique rectè inter cœlum & terram pendet, quia tradidit illum, qui de cœlo in terram venit. 4.

L. X. Principes dicunt: Non licet eos mittere in Corbonam. DECIMÒ, *Principes acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretiû sanguinis est. Verè culicem liquantes, & camelum glutientes*, ait D. Hieronymus. Putant enim non licere pretium sanguinis mittere in corbonam, & interim non dubitant Christum occidere & quidem in ipso paschate. Dicunt ergo hoc Primò ex hypocrisi, vt appareant religionis valde studiosi quò pretium sanguinis Deo offerri nollent, quod ei oblatum à Iuda videbatur, vtpote in templum proiectum. Timuerunt pretio sanguinis polluere ærarium templi, & non timuerunt sanguine Christi polluere animas suas. 1.

Secundò, Ex diuina dispositione. Non vult enim Deus offerri sibi dona iniqua & sanguinem & sudorem pauperum. Imò hæc *abominatio sunt illi* Deut. 23. & Prouerb. 21. iuxta id: *Qui offert sacrificium de substâtia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* 2.

M. XI. Emerunt ex iis agrum. VNDECIMÒ, Emerunt ex eâ agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Fecerunt hoc illi ex hypocrisi, ad conciliandam sibi auctoritatem & opinionem religionis; vel etiam ad obscurandam Christi memoriam. Sed ita factum & constitutum est iuxta prophetiam Zachariæ diuinâ ordinatione, Primò, vt hinc potiùs Christi mors innocentissima, & Iudæorum scelus iniquissimum toti orbi pateret. Ideo vulgo vocatus est ager ille *Haceldama*, id est, *ager sanguinis.* 1.

Secundò, Ob mysterium, repræsentat enim ager ille Ecclesiam Dei, qui est figulus noster: quia sanguine Christi empta, redempta, plantata & irrigata est; & quidem in sepulchrum 2.

pere-

peregrinorum, vt in eâ requiescerent Christiani, qui se aduenas & peregrinos agnoscunt 1. *Pet.* 2. nec non & mortuos in hac vitâ *Colos.* 3. Quo loco ait Chrysostomus: *Nihil hac sepulturâ beatius, super quâ gaudent omnes & angeli & homines & Angelorum Dominus.*

§. XV.

Accusatio Christi coram Pilato.

1. 2. 3. *Assignantur causa quare principes & seniores comitati sint Christum ad Pilatum, nec introierint pratorium.*	6. 7. *Cur dicat Pilatus:* Accipite eum vos: *& Iudai respõdeant,* non licet, *&c.*
4. 5. *Quare exiuerit ad Iudaos Pilatus, illique respondeant:* si non esset hic malefactor.	8. *Afferuntur tres accusationes à Iudais coactis excogitata.*
	9. 10. *Cur Pilatus intrauerit pratorium & qualiter Iesus steterit ante Prasidem.*

THEMA.

Surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Luc. 23.

A. SAt multum itineris confecimus iam cum Christo, Auditores: sed nequaquam adhuc finis est, imò grandis adhuc restat via, priore lõgè asperior. Nunc enim traditur Dominus in manus gentilium & ducitur ad Pilatum, breuî educẽdus ad supplicium. Nunc videmus innocentem nostrum Iosephum à fratribus suis tradi Ismaëlitis, *Gen.* 37. Nunc videmus fortissimũ nostrum Samsonem tradi à suâ Dalilâ, id est, Synagogâ in manus Philisthæorum *Iud.* 16. Quoniã igitur hucusque comitati estis Christum, Auditores, pergite vlteriùs, scientes quia si socij fueritis passionis eius, eritis & gloriæ.

B. I. *Vincientes Iesum ducunt in prætoriũ Principes & Seniores.* PRIMÒ. *Summi sacerdotes cum senioribus & scribis & vniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt,* &c. Comitati sunt eum Principes & seniores. Primò, vt suâ auctoritate, & præsentiâ cohiberent populum, ne quid in itinere tentaret ad eum liberandum, præsertim quia Iudas dixerat: *Tenete eum & ducite illum cautè.*

1. Secundò. Vt suâ auctoritate vrgerent Pilatum, quò statim absque examine causæ eum condemnaret.

2.

3. Tertiò. Ne quis coram Pilato fauere ei auderet. Ecce quàm *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem?* Psal. 13. *Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Ierem. 4.

C. II. *Ducunt ad Pilatũ & tradũt gentibus.* SECVNDÒ. *Duxerunt ad Pilatũ & tradiderunt gentibus,* quia Iudæis non licebat interficere quemquã, vti fatentur ipsi. Erat ergo eis à Romanis ablata ea potestas. Ac licet Pilatus eam potestatem concedere eis voluerit, cùm dixit: *Accipite eum vos & secundùm legem vestram iudicate;* eã tamen acceptare noluerunt, tum vt crimen iniustæ cædis à se in Pilatum transferrẽt, quasi non ipsi, sed Pilatus eum occiderit: tum vt videretur Christus iustiùs condemnatus, vtpote non ipsorum tantùm Iudæorum, sed gẽtilis etiam præsidis iudicio: tum vt à gentilibus duriùs tractaretur, adeòque crucifigeretur. Denique ex Dei consilio, vt indicetur, Christum à Iudæis ad gentes migraturum cum Euangelio & regno suo; & quidem iure merito, quoniam eum à se ablegarunt & gentibus tradidẽrunt. Ita Ioseph venditus à fratribus & ductus in Ægyptum, salutem attulit Ægypto, famescentibus interim domi fratribus.

TERTIÒ. *Non introierunt pratoriũ, vt non cõtaminerentur, sed vt manducarẽt pascha.* Habebant enim vti gentiles, ita gẽtilium domos pro immundis, licèt ex nullâ suâ lege; vnde produnt suam hypocrisin, dum timent contaminari habitaculo alieno, non autem sanguine fratris sui innocentis. *Sanguis eius super nos,* exclamant: & ab ædibus Pilati longè abesse volunt. *O impia & stulta cacitas,* exclamat Augustinus, *habitaculo videlicet contaminarentur alieno & nõ contaminarentur scelere proprio!* Nos tamen hinc discamus quàm longissimè abesse à sanguinis effusione: & sursum sine vllâ peccati labe comedere pascha nostrum, S. Eucharistiam: item fugere conuersationem Iudæorum, quandoquidem ipsi adeò abominantur nos & nostra. Denique grauiora peccata magis fugere quàm minora, veterem fidem maioris æstimare quàm vetus Calendarium, quod non faciunt nostri hæretici. D. III. *Non introeunt in prætorium.*

QVARTÒ. *Exiuit ergo Pilatus ad eos foras & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominẽ hunc?* Exiuit ad Iudæos foras ex humanitate, vel condescẽdens Iudæis tametsi subditis, ob eorum religionem, vel superbiæ eorum cedens. Quid faciamus nos Christiani si hoc gentilis fecit? Accusationem audire voluit Primò, quia *non est consuetudo Romanis,* ait Festus Actõ. 25. *damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, prasentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina,* &c. Disce temerè non iudicare, nec quemquam condemnare non auditâ causâ & accusati defensione. Secundò, quia sciebat vtique famam sanctitatis Christi. Tertiò, quia sciebat quòd ex inuidia tradidissent eum. E. IV. *Exit ad eos Pilatus.*

QVINTÒ. *Responderunt Iudai: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Dicunt hoc Primò, ex superbiâ, quasi sola eorum auctoritas sufficere debeat Pilato, vt ad nudam eorum petitionem statim condemnet Christum. Cuiusmodi fastus etiam in Luthero fuit; dixit enim os suum esse os Christi & verba sua esse verba Christi, & certum se esse doctrinam suam se habere de cœlo: velle se doctrinam suam à nemine iudicari, nec ab angelis quidem. Voluit ergo & ipse auctoritate suâ obtrudere mundo figmenta sua, quomodo Iudæi Pilato. Secundò. Ex diffidentiâ causæ suæ; sciebant enim quàm tumultuario, & iniquo processu Christũ condemnarint. Mens malè sibi conscia, semper diffidit sibi. Ita diffidebat etiam doctrinæ suæ Lutherus, cuius rationem reddere iussus & vocatus ad concilium, comparere noluit, & si alicubi comparuit, clanculum iterum aufugit, F. V. *Respondent Iudæi: Si non esset malefactor.* 1. 2.

aufugit,causæ suæ diffisus, & pelli suæ timens.

G. VI. Ait Pilatus: Accipite eum vos. SEXTÒ, *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate.* Dixit hoc 1. Primò, ex iusta indignatione, nolens propter Iudæorum nudam autoritatem in gratiam eorum quidquam machinari contra Christum nisi causâ prius legitimè cognitâ, iuxta iuris præscripta & consuetudinem Romanorum. 2. Secundò ex iusto timore, volens periculosâ hac actione se liberare, & Iudæorum potiùs quàm suæ conscientiæ imponere. In hunc modum debet Iudex attendere ad iustitiam & non ad personam hominum: & si in hoc arctetur, potiùs abdicare se officio suo, quàm iniquè id administrare.

H. VII. Dicunt: nobis non licet occidere. SEPTIMÒ, *Dixerunt ergo ei Iudæi; Nobis non licet interficere quemquam.* Huius dicti causas vidimus P. 2. quibus hanc addidit Ioannes: *Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit significans, quâ morte esset moriturus.* Quia nimirum gentibus tradendus esset ad illudendum & flagellandum & crucifigendum.

I. VIII. Incipiunt eum accusare. OCTAVÒ, *Cœperunt illum accusare dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* Coacti ergo Iudæi, accusationes afferunt tres: sed in primâ & secundâ mentiuntur (non enim subuertit sed conuertit Iudæos, nec prohibuit sed iussit dare censum Cæsari) in tertiâ malignè loquuntur, quasi regnum terrenum affectâsset & Cæsari ereptum iuisset, cùm tamen expressè illis confessus sit se Messiam quidem esse, Regem verò non terrenum sed cælestem, sessurum à dextris Dei.

K. IX. Intrat in prætorium Pilatus. NONÒ, *Introiuit ergo in prætorium iterum Pilatus & vocauit Iesum.* Fecit hoc, vt quod Iudicem decet, audiret & partem alteram: quomodo Alexander Magnus accusatoribus vnam concedebat aurem, alterâ occlusâ quam reseruabat accusato. Atque hoc vt faceret absque tumultu, introiuit in Prætorium.

L. X. Iesus stat ante præsidem. DECIMÒ, Iesus stetit ante præsidem, Primò tanquam reus ante Iudicem, iussa & sententiam expectans. Quale hoc spectaculum? Seruus sedet & Dominus ante ipsum stat. Secundò vt Doctor & Concionator ante Auditores suos, quibus verbum veritatis prædicare intendit.

§. XVI.

Examinatur à Pilato Christus.

THEMA.

Interrogauit eum præses dicens: Tu es Rex Iudæorum? Matth. 27.

QVarto Reg. 20. legimus Ezechiam Regē ad mortem ægrotasse; cæterùm cùm rogaret Deum, donatam & protractam illi vitam. In cuius rei fidem miraculum summum patratum est. Fecit enim Deus vt vmbra solis adeoque ipse sol, vt habetur *Isa.* 38. in horologio Achaz decem retrocederet lineis. Propter quod missos esse Legatos Babylonis ad Ezechiam, interrogatum de portento, quod acciderat super terram, legimus 2. *Paral. c.* 31. Ezechias æger humanum genus designat, quod peccati morbo laborabat vsque ad mortem. Sed enim sol iustitiæ Christus Dei filius misertus est illius ad eumque sanandum retrocessit 10. lineis, humiliando se infrà 9. angelorum choros infraque ipsum hominem, cui se subiecit quoque inferior factus est. Nam qui absoluit omnes, ille ab hominibus ligatus est: qui vultu suo beatificat omnes, ille ab hominibus & velatus & consputus est: qui omnium est Magister, ille examinatus est à discipulis: qui omnium est Iudex, ille iudicatus est: qui vestit omnes flores omniaque animalia, ille nudatus est; qui pascit & potat omne viuens, ille siti aruit: qui cœli & terræ Dominus est, ab vrbe suâ exclusus est: qui flagellat omnes reprobos, ille flagellatus est: qui coronat Reges, spinis coronatus est: qui dat vitam, subijt mortem. An non est istud, quæso, retrocedere 10. lineis? Porrò nunc missis alijs, examinemus Christi examen. A

B. I. Interrogat Præses: Tu es Rex Iudæorum. PRIMÒ, *Interrogauit eum præses: Tu es Rex Iudæorum?* Hanc vnam ex tribus allatis accusationibus arripit Pilatus, quòd maximè vrgeretur à Iudæis; reliquas negligit, vel quia falsas existimabat, vel quia minùs ad se pertinētes minusq; pōderis habētes. Vnde discimus vel à Pilato,

to paruos, qui de proximis referuntur defectus, contemnere, nec curiosè rimari ea quæ tuæ causæ non obsunt. **Was dich nit brennt/ das blaß nicht.**

C. II. Respondet Christus: A temetipso hoc dicis.

SECVNDÒ. *Respondet Christus: A temetipso hoc dicis? an alij dixerunt tibi de me?* Præmisit hanc quæstiunculam suæ respõsioni categoricæ Primò, vt Pilatus iteratâ interrogatione aperiret audientibus, se non ex curiositate aut ioco (quod alij poterant cogitare; & forsitan Pila-
1. tus clàm risit cogitãs: túne tam abiectus homo sis Rex? &c.) sed ex officio, iudicialiter & seriò quæstionem hanc proponere, vt ita maius pondus maioremque gratiam & fidem apud audientes responsio haberet, quam meritò Apostolus 1. Tim. 6: *bonam confessionem* appellat, quia in eâ versatur totius religionis nostrę cardo. Si interrogatio Pilati putaretur facta non iudicialiter, sed vel ioco vel ex propriâ curiositate, sanè Christi responsio tantum fidei momentum non haberet. Secundò. Fortè ideo, vt
2. Pilatum inuitaret ad veritatem cognoscendãm & iniquum iudicium declinandum: q.d. Quærísne hoc à me ex priuato & serio cognoscendæ veritatis desiderio, quia scilicet aliquid in me notâris vel ab alijs audieris, quod tibi persuadeat me Regem esse? beatum te, si hoc permotus stimulo doceri à me velles! beatum te, si hanc tam altæ sapientiæ aquam à me peteres! eam enim tibi libens subministrarem. Sed frustra monuit Christus. Non vult Pilatus discere à Christo, quod sibi prosit: Iudicem tantùm vult agere & officio suo publico satisfacere; idcirco non sine commotione replicat se non priuato veritatis indagandæ studio, (quia nihil sibi cum Iudæorum sectâ esset) sed accusatorum tantùm testimonijs motum ad hoc quærendum. Disce hinc quàm difficile sit corrigere & instruere Principes & Magistratus, qui non tam discere humiliter, quæ sibi sunt vtilia, quàm docere arroganter, & potiùs agere publica volunt, quàm propriæ attendere saluti. Ob eandem causam Pharisæi cæco illi dicenti: *Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* indignati maledixerunt dicentes: *Tu discipulus illius sis,* &c. Ioan. 9. sic etiam multi non proficiunt è concionibus, quia eas non tam veniunt discere, quàm discutere.

D. III. Respondet Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum?

TERTIÒ. *Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?* q.d. Nihil mihi cum sectâ vestrâ: nunc volo vt tamquã Iudici dicas quid fecisti? Sed ô Pilate, quàm te hîc vno ictu prosternere potuisset Christus, si tibi categoricè respondere voluisset? Quid enim aliud respondere debebat, quàm illud Ecclesiastici c. 24. *Ego* (Dei sapientia) *ex ore altißimi prodiui, primogenita ante omnem creaturã. Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terrã.* (quãdo scilicet adhuc tenebræ erant super faciem abyssi) *Ego in altißimis habitaui, & thronus meus in columnâ nubis. Gyrum cœli circuiui sola & profundũ abyßi penetraui & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terrâ steti. Et in omni populo, & in omni gente primatum habui: & omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui,* &c. Quid dicturus fuisses Pilate, si hæc tonitrua audisses? Verùm Christi modestia & humilitas cõtinuit os eius, vt nos disceremus non nosipsos commendare aut iactare, tametsi occasio percommoda nos ad hoc proliciat: sed heroicâ humilitate secreta nostra nobis reseruare.

QVARTÒ. *Respondit* IESVS: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset rẽgnũ meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autẽ regnum meum non est hinc.* Aperit hîc Christus, nequaquam se esse Regem, qui timeri à Regibus terrenis debeat, eò quòd regnum eius non sit de hoc mundo, id est, simile regnis mundi, vel de mundo ortum: si enim tale esset, fore se ad instar Regis militibus stipatum cæterisque ad Regem pertinentibus instructũ. Vnde intelligere debuit Pilatus nihil Cæsari suo metuendũ esse à Christo, quod perperã calumniabantur Iudæi. Tacitè interim & modestè innuit Christus regnum se habere, sed quod de cœlo, id est, cœleste sit & spirituale tũ in Ecclesiâ militante, tum in triũphante: quod non opibus, sed operibus constet, cœlum non terram quærat: non tamen apertè hoc exponit, quia non erat necesse, nec capere id Pilatus poterat. Quàm fœlix qui hoc dicere potest: *Regnum meum non est de hoc mundo?*

E. IV. Respondet Iesus: Regnum meum nõ est de hoc mundo?

QVINTÒ. *Respondit Pilatus: Ergo rex es tu?* Intellexit Pilatus tacitam Christi concessionem; vnde fortiùs instat vt eliciat veritatem & expressam confessionem; *confeßionem,* inquam, *bonam,* vti vocat Apostolus, sed nobis, non Pilato; qui instar canis venatici diligenti suâ indagine, nobis prædam cepit, non sibi aut Iudæis. In hunc modum filij huius sæculi laborant, currunt, nauigant, fingunt non tam sibi, quàm posteris. *Stulte quæ parasti cuius erunt?*

F. V. Respondet Pilatus: Ergo Rex es tu?

SEXTÒ. *Respondit* IESVS: *Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundũ, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Præclaræ tres sententiæ. In Prima modestè concedit, quod concedi necesse erat, Regẽ sese esse; vt doceat nos, si quid à nobis dici debeat, quod in nostrum honorem cedat, cum verecundia & modestia eloqui. In Secunda videtur respondere ad alteram quæstionem propositam à Pilato: *Quid fecisti?* Ait ergo factum suũ hoc esse, quod docuerit veritatem, siquidem ad hoc natus sit. Testatur hoc de Christo Iosephus licet Iudæus l. 18. antiq. c. 4. *Fuit Iesus vir sapiens,* inquit, *si tamen eum virum fas est dicere; erat enim mirabilium patrator & Doctor eorũ qui libenter vera suscipiunt.* Quàm hoc testimoniũ strangulat Iudæos? sed nimirum ipsi amatores vanitatis, quam Christus arguebat, non veritatis erant, idque fundamentum totius accusationis & nec is Christi erat. In tertiâ doctrinam suam à contumeliâ vindicat: deinde inuitat ipsum Pilatum ad veritatem indagandam audiẽdamque. Ecce vbique seminat semen suum Dominus etiam vbi spes frugis non est. Verùm hoc Christi semen cecidit super petram, vbi natum aruit, quia non habebat humorem. Vnde sequitur.

G. VI. Respondet Iesus: Rex sum ego.

SEPTI-

H. VII. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?

Septimò, *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos.* Ecce tibi motum aliquem in pectore Pilati, sed quàm inconstantem? Licitatur pretium margaritæ, sed quia virtutem eius non agnouit, nec æstimauit, non expectato responso abijt. Ecce tibi virum illum, qui considerare se cœpit in speculo, sed mox abijt & sui oblitus est. *Luc. 1.* quia nimirum non vt mulier sed vt vir se considerauit, hoc est, fortuitò tantùm: non vt se emendaret. Ecce tibi lupum stantem supra prædam; sed dum circumspicit, statim oblitus prædæ suæ, abit ventre vacuo Hunc in modum plurimi scire vellent viam salutis, veram fidem, rationem extricandi conscientiam suam à dubijs & scrupulis, sed rem seriò non agunt, nec tempus sibi ad hoc sumunt, vt ad fundum veritatis veniant. Alij speculantur solùm rerum definitiones: sed non faciunt quæ debent. Alij quæ audierunt, statim obliuiscuntur, quia nesciunt pretium veritatis.

I. VIII. Ait Pilatus: Nihil inuenio causæ.

Octavò, *Ait Pilatus ad Principes sacerdotum & turbas: Nihil inuenio causæ* (Non miror, quòd non inueneris causam, quia recondita erat &c.) *in hoc homine:* Ecce alterum testimonium innocentiæ ab ipsis aduersarijs datum. Primum dedit Iudas: Secundum dat Pilatus: Tertium dabit vxor Pilati. Quartũ Centurio. Deinde ecce magnanimum & imperterritum Pilati animum. Palàm enim & apertè Christi innocentiam, accusatorum verò iniustitiam & calumniam contestatur, quòd nimirum hoc legitimo didicisset examine. Fortem se hucusque præstitit Pilatus, & qui alijs Iudicibus possit esse exemplo, si in posterum etiam talis perstitisset.

K. IX. Illi inualescunt dicentes: Commouit populum.

Nonò, *At illi inualescebant dicentes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilea vsque huc.* Quia per iuris viam nihil se impetrare vident, clamoribus agendum censent. Ita nimirum contentiosi homines conantur obtinere per clamores & minas quod non possunt per iustitiam. Atque vt litigantes præ animi impotentiâ cæcati modò hoc, modò illud crimen obiectant, nullâ nixi veritate, & sæpe ea criminantur: quæ laudis potiùs sunt: ita hic fecere Iudæi, Accusabant Christum *in multis*, ait S. Marcus. Sed quænam illa? noua an vetera? certo calamo indigna, & cur non ipsi Iudæi posteris tradiderunt? Adduntque commouisse populum, docendo, quod laudandum erat: non criminandum.

L. X. Ait ei Pilatus: Nõ audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Non respondet Christus.

Decimò, *Tunc dicit illi Pilatus. Non audis quãta aduersum te dicunt testimonia? Et nõ respondit ei ad vllum verbũ, ita vt miraretur Præses vehemẽter.* Non respõdit Christus Primò, quia mori voluit. Secundò, quia calumniæ erant satis manifestæ, quæ meliùs non refelluntur quàm silentio. Tertiò, vt castigaret vanam excusationem primorum parentum & nostrûm omnium, qui errores nostros palliare & excusare solemus,

1.
2.
3. Quartò, quia nouerat Iudæos non acquieturos, qui occidere volebant per fas & nefas.
4. Miratur Pilatus. Meritò autem miratur Pilatus, primò, quia miraculum est mortem non declinare cùm possis, omnium terribilium terribilissimam. Secundò, quia miraculum est, non refellere crimina falsò sibi imposita. Hinc didicerũt Christiani offerre se ad mortem requisiti à Tyrannis, vti integra illa Ciuitas, vna ex Asiaticis, exercente in Christianos quæstionem Aurelio Antonino proconsule. Quâ re attonitus & perterritus Aurelius paucis tantùm damnatis exclamat: *O miseri si perire vultis, præcipitia & restes habetis.* Baro. Anno 123. Hæc imitemur, Auditores, & maiora patrabimus miracula, quàm si mortuos excitemus certè nobis vtiliora.

§. XVII.

Gesta in domo Herodis.

1. *Dantur rationes, cur Pilatus miserit Iesum ad Herodem.*	4. *Quare scriba constanter eum accusent.*
2. *Cur & qualiter, eo viso, gauisus sit Herodes.*	5. 6. *Quare Herodes spernat eum & illudat veste albâ.*
3. *Cur multis eum interroganti nihil responsi ferat.*	7. 8. *Cur remittat illum ad Pilatum, & quomodo amici facti sunt Herodes & Pilatus.*

THEMA.

Herodes viso Iesu, gauisus est valde. Luc. 23.

Qvis non viso Iesu magnoperè gauderet? *Abraham exultauit vt videret diem eius, vidit & gauisus est.* Desiderauit eum videre senex ille Simeon; vidit & gauisus est. Desiderauit eum videre, quis esset, Zachæus in Sycomoro, vidit & salutem accepit. Desiderârunt eum videre gentiles Ioan. 12. viderunt & vocem Dei patris super eum demissam audierunt: *Ego te clarificaui, & iterum clarificabo.* Denique vidit & Herodes: vidit, inquam, & gauisus est; sed heu quã vanè! quàm inaniter! Vultin' scire? audite. A.

B. I. Pilatus mittit Iesum ad Herodem.

Primò, *Pilatus audiens Galilæam, interrogauit, si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset; remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.* Primò, vt iniquũ iudicium declinaret & viam aperiret ad liberandum Christum. Secundò, Vt ne in Herodis iurisdictionem inuolaret, sed saluum eius ius relinqueret. Hunc in modum lites periculosas & malè fundatas à se quisque ablegare debet. Deinde in alienam messem falcem non mittere. Sed cur ô Saluator non reclamas contra hanc missionem? Væ tibi apud Herodem. Nôsti enim quid fecerit amico tuo Baptistæ! nihilo tibi mitiorem potes expectare. At Christus nostri amore omnia vult deuorare, nullum fugit iudicem, sed æquo animo fert iactari se instar pilæ de lusore ad lusorem: vt & nos feremus, cùm nobiscum mundus vel magistratus simili modo ludit.

Secvndò, *Herodes autem viso Iesu gauisus est valde.* Beatũ te Herodes, si rectè ac solidè gauderes

C. II. Herodes eo viso gaudet.

deres. Aspectus enim Christi, si intus aspiciatur, fons omnis boni est: & si externè etiã consideretur, fons omnis solatij. Huius rei gratiâ, quotquot afflicti aut tristes erant, ad se mutuò dicebant: *Eamus ad filium Mariæ vt sanctisper relouemur*, vt reuelatum S. Birgittæ. Sed obtusa mens Herodis nihil horum animaduertit, ideoque gaudere nesciijt: Solùm ergo gauisus est; quod videret eum ligatum & captum, quẽ metuebat & oderat. Sic imperator Ludouicus Quartus victo & adducto ad se Friderico Austriaco apud Mildorfium, dixit: *Libenter te videmus auuncule.* Ex solâ curiositate Christum videre optauit & quidem *ex multo tempore, eò quòd multa audierat de illo & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Ergo histrioniceam expectabat vel magicas præstigias, quales olim Magi coram Pharaone exercebant. Sed adultero

Signum non dedit Iesus.

signum quærenti signum non dedit Dominus.

1. Primò, quia ipse priùs docuerat, margaritas non mittendas ante porcos, ne fortè pedibus eas conculcent; quod sanè fecisset porcus iste, qui in horto paradisi constitutus ante Christum, nõ tam flores & fructus pretiosos, quàm sordes in eo quæsiuit & nugas. Si fructum quæsijsset, dudum ad se vocare vel adire Christum poterat.. Sed vel fastus eum retinuit, vel scabiosum caput pectinem metuebat: ne videlicet audiret, quod à Ioanne audijt: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Nihil animæ suæ proficuum cupiebat, quemadmodum alij multi cùm audiunt conciones. Non ergo mirum si

2. tales è verbo Dei nullum capiunt fructum. Secundò, quia fugiebat Dominus omnem ostentationem ideoque nullum fecit miraculum, nisi cùm Dei gloria vel hominum salus id exigebat. Frustra hîc fecisset, quia cupiebat Herodes pascere oculos non animam: nullum ergo signũ fecit, *magis eligens à superbientibus despici, quàm à non credentibus vacuâ voce laudari*; ait S. Gregor. *l.* 10. *Moral. c.* 17.

D. III. Interrogat eum multis: sed nihil responsi fert.

TERTIÒ. *Interrogabat eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.* Primò, quia vel inania vel ludicra erant, quæ interrogabantur. Scriptum est: *ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Prouerb. 26. Secundò, quia in ventum verba fecisset Christus; siquidem Auditores partim erant aulici, partim hostes, partim ipse Rex.

1. Primi in viâ positi erãt, vbi conculcatum foret semen & à Dæmonibus

2. deuoratum. Secundi cor petrosum habebant,

3. odio induratum. Tertius cor spinosum, voluptatibus & diuitijs obsitum. Quid mirum si non iaciat semen suum, vbi nulla terra bona est? Tertiò, pulchrè meditantur aliqui ideò non respondisse, quia Herodes abstulerat eius vocem, Ioannem, qui dicebat: *Ego vox clamantis.*

E. IV. Constanter accusant eum Principes.

QVARTÒ. *Stabant Principes sacerdotũ & scribæ constanter accusantes eum.* Metuebant enim canes isti rabidi, ne sibi præda elaberetur, si in gratiã Herodis aliquid dicere vel facere vellet, ideoq; ab eo dimitteretur. Ob id veluti venatores feram vndique accusationibus agitabant & circumdabant latratibus. Nimirum implere voluerunt mensuram peccatorum suorum & in peccatis suis mori. Traditi enim erant in sensum reprobum, & in maledictionem illam: *qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc*, Apoc. vlt. quia sic voluerunt. Sed quemadmodum ipsi Christum constanter accusârunt: ita postea Titus acerrimâ obsidione constanter eos pressit; nec poterant illi canem hunc sibi oblatrantem vllâ ratione depellere à suis mœnibus. Et quemadmodum illi omnem viam intercluserunt Christo, ne vel ab Herode tanquam fatuus, vel à Pilato tanquam innocens dimissus elaberetur ex eorum manibus: ita illi à Tito muro sunt circumdati, ne elabi possent: Vti Dominus prædixit eis: *Circumdabunt te, &c.* Porrò dum illi constanter accusant Christum, interim Christus constanter tacet. Sat enim superque respondebat illis Christi innocentia & vita laudatissima, omnibus notissima, vbique celebratissima. Quid opus erat verbis, cùm res ipsa loqueretur & innocentem excusaret imò commendaret? Adhæc docere voluit calumniatorum pertinaciam patientiâ vincendam esse. Vnde monet Apostolus: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, Rom. 12.

F. V. Spreuit illum Herodes.

QVINTÒ. *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo.* Quia enim contemni se à Christo putabat, quòd responsũ non obtineret; idcirco par pari reddendum, ipsumque vicissim spernendum censuit; hoc ipso tamen vilem & abiectum animum suum ostendit seq; ridendum exposuit, dum ex animi impotentia scurram induit Rex & vnà secum insanire facit curiam suam. Sed væ tibi, *qui spernis* Herodes: *nónne & ipse sperneris*, cùm scilicet in exilium relegaberis à Caio Imp. Forsan etiam idcirco spreuit Christum, vt hoc acutissimo illusionis telo eliceret ab eo, quod priùs verbis non poterat. Sed Christi patientia murus est inconcussus & aheneus: omnia tela in eo hebetantur, & in iacientes resiliunt.

G. VI. Illudit indutum veste alba.

SEXTÒ. *Illusit indutum veste albâ.* Primò, voluit hac veste regiam Christi dignitatem tanquam stultam & inanem explodere. Vestis enim alba nobilium erat vt colligitur ex Ep. Iacobi 2. c. & apud Romanos Candidatorum: Ergo quia Christus Herodi noluit exhibere vana & ridenda, velut vanus ab eo ridetur: ita mundo stultus est, qui cum eo non vult stultescere. Secundò, nesciens & præter mentem seruijt causæ Christi, dum albam ei induit, quæ typus est innocentiæ & candoris. Adhæc erat Christus verè candidatus regni sui, dum pateretur. Per passionem enim peruenitur ad regnum. Hinc baptizati vestiuntur albis tum in signum innocentiæ, tum vt nôrint se Christi imitatores & Candidatos esse regni cælestis, qui videlicet per crucem peruenire velint ad gloriam. Vnde *Eccl.* 9. monemur: *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Denique hîc restituta est nobis in Christo, vestis illa cãdida, quam perdidimus in paradiso. Nemo ergo erubescat animo, si rideatur & illudatur à mundo velut stultus: Sed gaudeat potiùs in hoc nomine. Si Dominus

nus noster personam satui in hoc theatro egit, quid ni & seruus agat.

H. VII. Remittit eum ad Pilatum. SEPTIMÒ. *Remisit eum ad Pilatum.* Primò,
1. quia stultus & cæcus Herodes nesciuit quem coram se haberet: ideò sine fructu vidit & sine fructu mittenti remisit, quasi ingratum munus & inutile, quo modo rex Hiram contempsit & sibi habere iussit (Iosepho teste) 20. Galileæ ciuitates à Salomone ei oblatas, quas vocauit terram *Chabul* per contemptum 3. *Reg.* 9. id est, luteam terram. Nimirum simia nucem abijcit, quia nucleum in eâ latentem nescit. Quàm verè illud Domini: *Abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus & reuelasti ea paruulis?* Quanto enim fructu vidit Christum paruulus Zachæus? Si tam acutùm Herodes vidisset, dixisset vtique Christo: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.*
2. Secundò remisit, quia cùm absoluere nollet & condemnare non posset, voluit sanguinem Christi Pilato propinare bibendum: quasi hac ratione ipse immunis ab eo foret; sicuti Saul olim reputabat immunem se futurum à sanguine Dauidis, si non ipse eum occideret, sed Philisthæis occidendum traderet. 1. *Reg.* 18. Hinc non iniuriâ vocatus est à Domino vulpes. Sed nô potes te ô vulpes fraude hac saluare! & tu reus es sanguinis Christi.

I. VIII. Fiunt amici Herodes & Pilatus. OCTAVÒ. *Facti sunt amici Herodes & Pilatus, nam antea inimici erant ad inuicem.* Factum hoc Primò, quia Pilatus honorem detulit Herodi, consulendo eius iuribus. Sic beneficia deuinciunt & conciliant inimicos. Sic Iacob mittens fratri munera, iram eius fregit, sibique eum reconciliauit. Cæterùm praua est illa concordia, quæ fit ad persequendum Christum; qualis est hæreticorum imprimis persequentium Ecclesiam. Secundò, vt prophetice monstraret Christum lapidem angularem esse, qui facturus esset vtraque vnum, id est, duos illos parietes Iudaismum & gentilismum coniuncturus; quomodo nunc Pilatum & Herodem amicitiæ fœdere copulauit. Quòd si Ethnicus & Iudæus in die passionis Christi redeunt in gratiam: quis nostrûm Christianus audeat eo tempore virus inimicitiæ retinere in suo pectore contra fratrem suum? Itaque nunc si vnquam aliàs tempus est amplexandi inimicum. Tertiò, quia communiter fit, vt coëant in vnum etiam inimici, cùm de Christo eiusque Ecclesiâ persequenda tractatur. Sic coruus & vulpes (alioquin inimici cùm alter alteri prædam eripiat) faciunt amicitiam, quando pugnandum est contra Astelon, paruam illam auem, quæ in spinis degit, vt scribit Aristoteles 8. *de animal.* Vulpes Herodes *Luc.* 13. Coruus ater Pilatus gentilis, Astelon Christus Dominus spinis coronatus, sub quibus nos Auditores quæramus nobis nidulum.

§. XVIII.

Collatio Christi cum Barabba.

THEMA.

Quem vultis, dimittam vobis? Barabbam an Iesum? Matth. 27.

LEuit. 16. præcepit Deus vt semel in anno expiaretur à peccatis vniuersus populus, quando summus Pontifex introibat in sancta sanctorum non sine sanguine victimæ immolatæ. Cæterùm pro expiatione peccatorum totius populi voluit Deus, vt duo Hirci offerrentur & statuerentur coram Domino in ostio tabernaculi: deinde vt summus Sacerdos mittẽs sortem super vtrumque, vnam Domino, scilicet in sacrificium, alteram capro emissario, qui scilicet viuus dimitteretur: cuius exisset sors Domino, offerret illum pro peccato: cuius autem in caprum emissarium, viuum eum emitteret in solitudinem. Typus hic fuit humanæ redemptionis, in quâ Christus Pontifex noster per proprium sanguinem *introiuit semel in sancta sanctorum* ad Hebr. 9. cœlum reseraturus. Ibi cùm expiandum esset à peccatis genus humanum sanguine, duo statuebantur hirci: Vnus Christus, alter Barabbas. Itáne, inquis, Christum hirco comparabimus? Ita omnino Origenes, Beda eo loco & Hieron. (vel quisquis est auctor) *in c.* 15. *Marci*; nec malè, quia Christus cùm esset agnus hirci personam assumpsit, peccatoris, inquam, villosi & fœtentis. Missa est igitur sors, vt alter occideretur pro peccatis omnium, alter verò viueret & libertate donaretur. Et cecidit sors super Christum, vt fieret hircus pro peccato; Barabbas verò viueret, velut hircus emissarius, qui humanum genus repræsentabat. A

PRIMÒ, *Pilatus conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populũ, & ecce coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam.* Quid hoc? prudentémne audio, an stultum? æquum, an iniquum? Prudentem, quia conuocat magistratũ & plebem, vt vel ex tanto numero inueniat, qui innocentiæ Christi suffragetur; stultum, quia ex contestatâ Christi innocentiâ, ita concludit: *Emendatum ergo* B. I. Pilatus affatur Iudæos.

ergo illum dimittam. q. d. innocens est: ergo illum corripiam. Æquum, quia insontem quærit dimittere, quem videbat ab Herode remissum impunem & sciebat ex inuidiâ traditum. Iniquum, quia vult eum castigare cùm debuisset calumniatores. Hîc ergo iam incipit claudicare iustitia Pilati, dum homines offendere magis quàm Deum & iustitiam timuit. Adeò nulla solida virtus apud gentiles fuit, quæ si grauis tentatio incidisset, non corrueret. Habuit Pilatus gladium, sed non habuit animum ad eum euaginandum. Rectè igitur monuit Ecclesiasticus c. 7. *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis.*

Vide etiam hîc prudentiam humanam, quàm eludatur à diuinâ. Satagebant Iudæi trahere Christum ad plura tribunalia, vt plurium suffragio mortis reus fieret: sed contrarium euenit; tantò enim clariùs innocentia Christi patefacta est.

C. II. Vinctus vnus dimittendus. SECVNDÒ, *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum vnum, quem voluissent, vinctum.* Orta ea consuetudo ex communi sententiâ in honorem festi paschalis, quod à Deo institutum ob beneficium liberationis ex Ægyptiacâ seruitute & de percutiente angelo. Allegoricè verò præfigurabat humanum genus à seruitute diabolicâ per mortem & esum agni paschalis, qui est Christus in paschate occisus, liberatum iri. Quod etiamnum fit annuatim, cùm in S. Paschali tempore innumeræ animæ à Dæmonum laqueis expediuntur & Christo reconciliantur. Tropologicè verò monet eadem consuetudo, vti similiter & nos ad exemplum ipsius Dei dimittamus proximos nostros, siquid nobis debeant: siue debita, cùm soluendo non sunt, siue culpas in nos admissas; festis præsertim diebus, quibus etiam Christus pluribus solebat benefacere. Multò verò magis debemus adlaborare vt vnusquisque propriam animam vinctam peccatorum laqueis, festis imprimis diebus, exsoluat. *Miserere animæ tuæ*, ait Ecclesiasticus c. 30.

D. III. Vinctus insignis, Barabbas. In sortem electus. TERTIÒ, *Habebat autem tunc vinctum insignē* latronem scilicet & homicidam, *qui propter seditionem & homicidium, missus erat in carcerem,* & dicebatur Barabbas. Ecce tibi comparem Christi, latronem scilicet insignem, quò inter vinctos peior nemo erat. Sed cur talis in sortem

1. eligitur? Primò, quia sperabat Pilatus neminem fore tam audacem & impudentem, vt hunc dimitti vellet potiùs quàm Iesum. Quis enim mallet viuere latronem quàm innocentem? Bene istud quidem Pilatus; sed dum Scyllam vitat, in Charybdin incidit. Quid enim tibi videtur Pilate? An non tu in Christū crudelis & iniquus es, qui comparas eum Latroni & quidem tali? Demus enim Christum omnium suffragijs eligi ad vitam: an nō tu ipsum iam ciuili vitâ mulctasti, dum infamiâ publicâ & indelebili notasti? Ita nimirum dum timidè agit Pilatus & populo displicere metuit, impingit in iustitiâ & paulatim decidit. Primò enim dum absoluere non audet Christū, mittit ad Herodem & nouo periculo committit. Secundò, Hîc publicâ infamiâ notat. Tertiò, Flagellat. Denique neci dat. Non itaque timidè agēdum, cùm Dei lex in periculo versatur: neque latum quidem digitum ab eâ recedendum.

Secundò, Diuinâ dispensatione factum est vt insignis latro statueretur iuxta Christum, 2.
quia repræsentabat magnum quendam Latronem, omnium scelerum reum, filium scilicet Adami seu hominem peccatorem qui homicida sui erat & seditionem in orbe fecerat. Qui in consilio diuino statutus erat iuxta Christum vt alteruter moreretur, hic quidem temporali, ille verò æternâ morte: vita vnius mors erat alterius: Et exigebat quidem Pilatus, hoc est, iustitia diuina vt Barabbas necaretur, homo, inquam, reus: sed obstabat misericordia petens ad mortem filium Dei, vt viueret filius Adam. Ergo Barabbas, id est, filius Patris (scilicet Adæ) vitâ donatur: Christus filius Dei ad mortem petitur.

QVARTÒ, *Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus?* Vocat Iesum Christum Primò, Vt populum commonefaceret opinionis illius quam hactenus de Iesu habuerat, quòd videlicet Christus esset. Ergo hîc illis digito ostendit & tacito suo suffragio commendat quem debeant vitâ donare. Secundò, Vt vlcus tangat Principum & seniorum, qui Christum ex inuidiâ tantùm tradiderant, quòd scilicet inuiderent ei titulum & dignitatem regiam. Vnde subdit Matthæus: *sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum.* E. IV. Ait Pilatus: Quē vultis vobis dimitti? Vocat Iesum Christū. 1. 2.

QVINTÒ, *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens: nihil tibi & iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Factū hoc Deo disponente. Primò, Propter Christum, vt eius innocentia, dum iniquè condemnatur, plures & varios haberet testes nec quoscumque, sed à Deo ad veritatem contestandam motos. Ita nimirum nemo innocens adeò opprimitur, quin aliquos habeat innocentiæ suæ testes vel defensores. Secundò, Propter Pilatum, vt hac speciali gratiâ (quam videtur ei largitus Deus in remunerationem, quòd conatus sit eripere Christum ab impiorum manibus) confortaret animū Pilati vacillantem & timidū, ad iustitiam propugnandam & manus suas innoxias seruandas. Solent autem vxorum preces monitaque multum valere apud maritos. Sed fortiùs impulit Eua virum suum in lapsum: quàm seruarit ista virum, ne laberetur: quia labi procliue, stare difficile est. Tertiò, Propter vxorem ipsius, vt hoc medio disponeretur ad fidem amplectendam, quæ breuî erat vulganda. Eam porrò conuersam esse scribit Origenes: Proclen appellat Nicephorus l. 1. c. 30. Quartò, Propter Iudæos, vt vel hoc nuntio resipiscerent, certoque noscent, si mulier innocua passa sit per visum, propter virum minus audacter & debitè innocenti Christo suffragantem, multò magis se reos coram Deo fore qui ad iniquum processum Pilatum impellere satagerent. F. V. Mittit ad Pilatum vxor. 1. 2. 3. 4.

SEXTÒ.

G. VI. Persuadent peti Barabbā.

SEXTÒ, *Principes autem Sacerdotum & seniores persuaserunt popułu, vt pete.ent Barabbam, Iesum verò perderent.* Ecce tibi serpentes illos, quibus non est incantatio, basiliscos videlicet qui maculâ in capite velut diademate insigniti, etiam solo sibilo fugant serpentes alios & afflatu necant frutices, teste Plinio l.8.c. 21. Tales erant Principes Sacerdotum & seniores diademate redimiti, & quia tales principes, inquam & seniores, nullâ ratione poterant incantari vt sententiam mutarent. Adhæc nocentissimo & quasi innato inuidiæ veneno pleni erant. Denique hoc veneno pleni erant. Denique hoc veneno infecerunt etiam plebem, & solo suo sibilo cedere sibi fecerunt populum vniuersum. Sed quî fieri potuit, vt populus induceretur ab illis in tam turpem & manifestum er-
1. rorem? Primò, Quid non potest Principum
auctoritas, præsertim cùm ad malum ducunt?
& rursum, quando tanto cum furore agunt?
Si Pilatus panico illorum furore correptus est,
vt non auderet facere, quod volebat: quan-
2. tò magis populus? Secundò, Argumentum
hoc erat, Christum non esse de hoc mundo; si enim de mundo esset: mundus, quod suum est, diligeret: nunc autem odio eum habet. Ac licèt initio blandiatur quamdiu ei benefeceris ad extremum tamen te deseret & expellet, quemadmodum Dalila Samsonem priùs delinitum blanditijs, postea se repulit & Philistæis tradidit.

H. VII. Turba petit Barabbam.

SEPTIMÒ, *Ait illis Pilatus: Quem vultis de duobus dimitti? Exclamauit autem simul vniuersa turba: Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam.* Vide mundi stoliditatem; quis ei imposterum fidat qui tam turpiter hîc errauit? *O cæcitas Iudæorum,* ait S. Augustinus tract. 15. in Ioan. *O furia phreneticorum, noli dimittere hunc, sed Barabbam! Quid fuit hoc aliud dicere, quàm occidatur ille, qui suscitat mortuos: & dimittatur latro, vt occidat viuos?* Verùm si altiùs rem pensemus, minus fortè
1. mirabimur. Etenim Primò, Christi lancem in
hac staterâ depressit magnus ille latro, Adam
2. cum omni suâ sobole, vt suprâ diximus. Deinde similem vesaniam multoties nos committimus, quoties scilicet rem fluxam Deo relicto eligimus. Audi eum loquentem per Ezech. cap. 13. *Violabant me ad populū meum propter pugillū hordei & fragmen panis.* Christus tantò nos emit, & nos eum tam vili vendimus? Audi rursus mirantē Ier. 2. *Obstupescite cœli super hoc & portæ eius desolamini vehementer.* Quamobrē? *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas.* Ergo si irascimur Iudæis Barabbam eligentibus: cur non irascimur ipsi nobis?

I. VIII. Ait Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu.

OCTAVÒ, *Dicit illis Pilatus. Quid igitur faciā de Iesu, qui dicitur Christus?* Ecce paratum se offert Pilatus ad dimittendum etiam alterum; sed quid illi? *Dicunt omnes crucifigatur.* Rursum Pilatus: *Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: crucifigatur.* Quid audimus? vbi sumus? nónne isti paulò ante clamabant: *Osanna benedictus qui venit in nomine Domini?* Et olim: *omnia bene fecit?* Quis fidem in homine ponat quā tumuis amicissimo? *Facta est mihi hæreditas mea;* ait Dominus per os Ieremiæ c. 12. *quasi Leo in sylua; dedit contra me vocē; ideo odiui eam.* Primò, enim velut Leo sæuissimus irrugijt contra benefactorem, cui blandiri debebat. Deinde suis rugitibus Leonis instar terruit omnes, Pilatum & fautores Christi; vt non auderent cōtrà mutire. Denique quod iure nequeunt obtinere, vi & clamoribus quærunt. *Crucifigatur, crucifigatur,* quidquid tandē fecerit. Sic volumus, sic iubemus: siue Christus ille sit, siue non. Sic nimirum peccator, cùm in profundum venerit, contemnit: quod à nobis auerruncet Deus.

§. XIX.

Flagellatio Christi.

1. *Exponuntur causæ nuditatis Christi in flagellatione eius.*	3. *Quare tam durè flagelletur, & cur hoc supplicium à Patre ei decretum sit.*
2. *Cur se ligari passus sit ad columnam.*	

THEMA.

Tunc apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit, Ioan. 19.

MIrum præliādi genus refert primus Machabæorum lib. c. 6. cum Elephantibus. Cùm enim aduersus Iudæos bellū duceret rex Antiochus, vsus est inter alia etiam robore Elephantum 32. quos vt acuerent in prælium milites Antiochi, ostenderunt eis sanguinem uvę & mori. Ita nimirum bestiæ illæ solo aspectu liquoris, qui sanguinem refert, accenduntur ad fundendum aut profundendum sanguinem, vt scribit Vallesius c. 82. *Sacra Philosophia.* Versamur etiam nos in prælio, Auditores, *non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes tenebrarū,* vti Apostolus scribit. Et quidem vidimus hactenus fustes, lanceas, funes, catenas, pugnos, sputa, &c. sed nondum vidimus sanguinem. Nunc ergo, Auditores, vt acuamini in prælium, ostendam vobis sanguinem uvæ, de quâ in Cant. Sponsa: *Botrus Cypri dilectus meus mihi:* Christum, inquam, flagellatum. *Recogitate enim,* ait Apostolus ad Heb. 12. *eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum cōtradictionem vt ne fatigemini animis vestris: nondum enim vsque ad sanguinem restitistis.* Circa flagellationem Christi tria consideranda veniunt, denudatio, alligatio ad columnam, verberatio; singula hæc suum tormentum habent. Denudatio pudorem, alligatio dolorem, flagellatio vtrumque. A

B. I. Nudatur ad flagella Dominus.

PRIMÒ, Ergo nudatur ad flagella Dominus; quanta ignominla! Si enim nuditatem ipsam consideremus, verecundiam homini adducit ingenuo præsertim. Hinc Adam & Eua licet præter ipsos nemo adhuc in mundo foret, erubuēre tamen ob suam nuditatem & *consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata.* Gen. 3. nec hoc contentus Adam, abscondit insuper se, cùm vocem Dei andiret. Deinde persona quæ nudatur dignissima est. Ille nimirum qui

cœlum stellis, terram floribus, aues pennis, pisces squamis, quadrupedia pilis vestit, quique Virginum Sanctarum vt Agnetis & aliarum pudicitiam miraculo sæpe texit. Denique ij, coram quibus nudatur, plurimi sunt, cohors videlicet integra: inimici & irrisores sunt: mancipia & creaturæ ipsius Christi sunt. Ex quibus tu colligito, quantâ verecundiâ virginea Christi caro affecta sit: quàm se Adam iste secundus libenter occultâsset, si quâ ratione potuisset. Sed quamobrem non vlciscitur, cur fert tantam ignominiam? Nónne Betsamitæ olim morte puniti sunt, quòd arcam curiosiùs inspexissent? *1. Reg. 6.* Veram igitur arcam nunc impunè aspiciunt reprobi mortales? Ita enim *Psalm. 21.* inter alias iniurias, hanc etiam recenset: *Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me.*

1. At verò ignominiam istam, vel ob idipsum Primò sustinere voluit, vt fœdam illam nuditatē quam humano generi peccatum Adæ adduxit, puniret in seipso. Sic enim per peccatum nudatus est homo Dei gratiâ & remansit fœdus atque abominabilis. Cæterùm quia Adam non tam ob hanc, quàm illam nuditatem erubuit ac doluit; ob pœnam, non ob culpam: cùm tamen longè magis culpa deflenda esset, idcirco præposterum hunc pudorem punijt in se Christus. Et certè nos etiamnum Adamum nostrum sequimur: peccare non erubescimus, erubescimus confiteri & emendare vitam. Vulneris non pudet, alligaturæ pudet.

2. Secundò, Vt doceret nos veterem hominem, qualis per peccatum factus est, exuere & induere nouum, qualis in paradiso ante peccatum fuit. Adam vestitus à Deo fuit in signum admissi peccati & in symbolum pœnitentiæ. Vnde vestis nostra stigma est peccati, perinde vt compedes & catenæ sunt symbola malefactorum. Stultè igitur homo superbit in vestitu, de quo erubescere deberet. In paradiso vestium vsus non erat, quia nec erubescētia, quæ orta est pòst ex peccato. Voluit ergo Dominus reformare hominem ad pristinæ innocentiæ statum. Hinc 40. illi milites ac Martyres apud S. Basilium à Præfecto nudati & in gelidum stagnum coniecti, vt ibi frigore necarentur, hac voce se animabant: *Non amictum exuimus, sed hominem veterem, concupiscentia deceptione corruptum. Gratias agimus tibi Domine, quòd cū isto amictu simul & peccatum exuere licet, quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christū verò exuimus.* Tum singulis singulæ de cœlo allatæ per angelos sunt coronæ.

C. II. Ligatur ad columnam. SECVNDÒ, Ligatur ad columnā, iuxta morem Romanorum. Ita S. Paulus flagellandus loris adstrictus fuit, *Act. 22.* Quantum hoc dolore Christo debuit? Primò enim adstrictio ista (quæ vtique immitis & fortis fuit, ne verberantibus euadere Dominus posset) maximum affert dolorem, vt omnes vincti testantur. Deinde qui ligatur instar serui aut pecudis mactandæ, Dominus est rerum omnium, cuius manus illigatę & illimitatę sunt ad quiduis faciendū; *qui ligat aquas in nubibus,* Iob 26. qui in manu suâ colligatum tenet orbem. Denique ligatur à seruis & creaturis suis: manus illas ligant impij, à quibus ipsi creati sunt: inauditum facinus. Sed quamobrem Domine ligari te permittis? An non iure optimo poteras facere quod Samson, quando ligatus à suis tradendus erat Philisthæis? Rupit ille funes velut stupam & arreptâ asini mandibulâ percussit mille Philisthæos contra se irruentes, Iudic. 15. Quantò maiore potentiâ & æquiore iure poteras tu hoc facere?

Verùm hoc pati voluit. Primò, vt absolueremur nos à vinculis peccatorum, quibus ligati eramus, velut victima ad macellum æternæ damnationis. Quemadmodum enim Samson ligari se passus est & fortia brachia sua in funes vltrò inseruit, in gratiam populi sui, vt eorum paci & quieti consuleret, & malum, quod impendebat eis à Philisthæis auerteret: ita etiam Christus in gratiā omnium nostrûm, vt auerteret à nobis malum illud æternum, vinciri se permisit. Rursum vti voluit Ioseph ligari vnum ad tempus in carcere è filijs Iacob patris sui, quo cæteri possent viuere & redire in patriam suam: *facite hoc & viuetis,* inquit: *frater vester vnus ligetur in carcere: vos autē abite,* &c. ligatusque est Simeon, *Gen. 42.* ita voluit Deus vt pro nobis, reis, æternum carcerem meritis, vnus frater noster ligaretur ad tempus; quo nos liberi à peccatis, redire ad patriam nostram cœlestem possemus. Ergo peccata nostra, vincula fuerunt, quæ ligauerunt Christum. Cæterùm nisi accessisset amor, qui hæc vincula consolidaret, nequaquam potuissent Christum retinere. 1.

Secundò, Vt nos sibi vicissim alligaret, per fidem, amorem, patientiam, obedientiam. De hoc enim prophetauit Iacob cùm Iudæ benedicens ait: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam: lauabit in vino stolam suam & in sanguine vuæ pallium suum.* Gen. 49. Pullus est populus gentilis alligatus ad Ecclesiam operâ Apostolorum, asinus Iudaicus alligatus Christo (prædicanti sibi in propriâ personâ.) Lauit igitur Christus ligatus corpus suum in sanguine, vt nos alligatos sibi ablueret eodem. Quis non libenter alligari velit ad hanc vitem & columnam, Christum? Quis non redamet ipsum? quis ei non obediat? quis non libenter ferat omnia tormenta ob amorem eius, qui tanta pro nobis pertulit? Ergo quisquis es, *iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* Eccl. 6. 2.

D. III. Flagellatur diu. TERTIÒ, Flagellatur. Dirum erat hoc supplicium. Primò, quia seruile; non enim nisi serui flagellabantur à Romanis. Secundò. Acerba erat flagellatio, quod colligimus primò ex Scripturis *Ps. 71.* Vbi de eo dicitur: *Fui flagellatus totâ die,* id est, indesinenter & tam acriter, ac si totâ vapularem die. Et Ps. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores,* velut fabri nimirum super incudem. Hieronymus ex Hebraico vertit: *arauerunt arantes, prolongauerunt sulcum suum.* Secundò ex eo quòd Pilatus voluit hac correptione mitigare furorem Iudæorum,

vt

vt nil vlterius peterent. Tertiò Ex lictorum conditione. Erant enim Romani qui numerū verberum præscriptum non habebant,& quandoque aliquos ad internecionē cędebant;fortè etiam ad placitum Iudęorum acriùs sæuiebāt. Quartò ex columnâ, cui alligatus erat, quæ hodieque Romæ visitur sanguine resperſa ad S. Praxedem. Quintò ex merito peccatorum, *Multa enim flagella peccatoris*,ait Dauid Pſ. 31. quæ ille nobis intentata, velut mater intercipiens, in dorsum ſuū ſuſcepit. *Pro menſurâ autem peccati, erit & plagarum modus*, Deut. 25. Sextò denique, quia Dominus gloriæ patitur hoc à creaturis ſuis, & quidem tanquam reus emendatione dignus. Sed quid tandē eſt, quod immane hoc tormentū non auertit à ſe Christus, cùm iuſto dicat Deus: *flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo?* Pſ. 90. Sanè Apoſtolus Paulus à Tribuno ad flagella expeditus, abſterrùit tribunū voce hac: *Si hominem Romanum & indemnatū licet vobis flagellare?* Territus

3. enim tribunus ilicò eum ſoluit, *Act. 22.* Quid ſi dixiſſet Christus: Si hominem cœleſtem, imò Deum veſtrum licet vobis flagellare? Sed intellexit Dominus nontam ex decreto Iudicis, quàm cœleſtis patris, ſibi mulctam hanc impoſitam, vti teſtatur Iſa. 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, id eſt, inſinuauit mihi volunta-

Ex decreto Patris.

1. tem ſuam de redimendo humano genere: *ego autē non cōtradico, retrorſum non abij. Corpus meū dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Sed cur hoc ſupplicium à patre ei decretum? Primò vt nos à peccatis impoſterum abſterreret. Imprimis enim ſi Deus ita ſæuijt in filium innocentem, quomodo non ſæuiet in ſeruum impœnitentem? Contingit interdum flagellari ſeruum coram filio Regis, vt ex ſerui plagis diſcat timere filius: canem coram Leone verberari, vt ex illius malo terreatur Leo. Sed hîc contrarium actum eſt, Vapulauit filius, vt emendaretur ſeruus? Vapulauit Leo, vt emendaretur canis. Deinde ſi tam acerbè punijt peccatum alienum, quomodo puniet proprium? Vin' videre homo, quanta abominatio ſit peccatum & quàm fœda ſit anima peccato inquinata? Inſpice Christum flagris conciſum & totò liuidum ac cruentatum corpore *Nos putauimus eum quaſi leproſū*, inquit Iſaias c. 53. de hac tragœdiâ prophetans, *& percuſſū à Deo, & humiliatum.* Hæc eſt forma, hæc ſpecies animæ peccatricis, quam Christus in ſe ſuſcepit. Vnde ſubdit Propheta: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Num adhuc peccare audebis? nū adhuc ſuper dolorem vulnerum Christi addere? Heu qualis fuit morbus noſter, qui tam terribili phlebotomiâ eguit?

2. Secundò, Vt puniret peccata, quibus adhuc eum flagellamus tota die, quia *nomen meum blaſphematur tota die*, inquit. Flagellatur autem blaſphemijs, vt ait S. Auguſt. *tract. 10. in Ioan.* Ter-

3. tiò. Vt illorum nobis virtutum, quas difficilè addiſcimus, viuum aliquod exemplar proponeret in filio ſuo. Difficilè addiſcimus contemptum & confuſionem pati. Ecce tibi Dei filium, nudatum coram ſcurris & ludibrijs expoſitum, vt ſcires nullam ignominiam eſſe ignominiam, ſed honorem potius, cùm pro Deo accipitur.

Difficilè addiſcimus hominibus obedire malis præſertim & dyſcolis. Ecce tibi filium Dei, qui ligari ſeſe & ad verbera aptari paſſus eſt, pro libitu & libidine viliſſimorū ſeruorū.

Difficilè addiſcimus patientiam in doloribus, ſilentium in iniurijs. Ecce tibi magiſtrum huius artificij, qui inter immania verbera tam æquo animo ſtetit, quaſi ignoraret quid circa ſe ageretur, vti dicitur Pſal. 34. *Congregata ſunt ſuper me flagella & ignoraui.* Nulla ibi vox nullus gemitus, ſed velut ouis coram tondentibus ſe obmutuit. Imò auſim dicere hilarem potiùs & alacrem ſe ibi exhibuiſſe Christum. Non enim fruſtrà dicit Cant. 5. *meſſui myrrham meā, cū aromatibus meis*: loquens de paſſione ſuâ. Vt enim agricolæ cùm metunt, lætiores eſſe ſolent, quàm alijs temporibus, licet multo ſudore & corporis incuruatione laborent tota die, iuxta id Iſa. 9. *Lætabuntur corā te, ſicut qui lætantur in meſſe.* Ita Christus licet ad verbera ad modum incudis incuruatus eſſet & ſanguinem ſudaret: lætus tamen interim fuit, quia metebat tunc aromata ſuorum electorum.

Denique difficilè addiſcimus dilectionem inimicorum. Ecce tibi Doctorem huius etiam artis; ſiquidem tot verbera pro inimicis ſuis pertulit, ſolo amore ductus. *Aſpice vt in toto corpore ſcriptus amor. Agnoſce homo, quantum valeas*, inquit S. Auguſtinus Serm. 114. de temp. *& quantum debeas; & dum tantam redemptionis tua perſpicis dignitatē ipſe tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro ſtulto ſapientia illuditur, pro mendace veritas necatur: Damnatur iuſtitia pro iniquo; miſericordia affligitur pro crudeli. Pro miſero repletur ſynceritas aceto, inebriatur felle dulcedo: Addicitur innocentiā pro reo, moritur vita pro mortuo.* Sic Auguſt.

§. XX.

Coronatio Chriſti.

Quatuor prærogatiua Imperatorū Romanorum, nempe, purpura, corona, ſceptrum & honor imperialis, exhibita Chriſto per ludibrium.	3. *Chriſti regnum non eſſe terrenum.*
	4.6. *Viam Cœli eiuſque gloriam.*
	5. *Oſtendunt peccata noſtra & miſerias.*
1.2. *Oſtendunt eum eſſe bellatorem & victorem.*	7. *Regnorum terrenorū vanitatem.*
	8. *Viuum exemplar humilitatis & patientiæ.*

THEMA.

Plectentes coronam, de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, Matth. 27.

IN totâ S. Scripturâ non reperio niſi vnum Apologum nempe *Iudic. 9.* de Rhamno, qui A non ſine futuri myſterij tacitâ inſinuatione

regnum obtinuit inter ligna. Propoſuit enim Ioathan eiuſmodi apologum: *Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem*, & cùm oliua, ficus & vitis reſpuerent oblatam Regis dignitatem, *dixerunt omnia ligna ad Rhamnū: Veni & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis, ſi verè me Regem conſtituitis, venite & ſub vmbrâ meâ requieſcite: ſi autem nō vultis, egrediatur ignis de Rhamno & deuoret cedros Libani.* Hæc fabula Auditores, non mendacium ſed myſterium continere mihi videtur. Quando enim Rhamnus Rex lignorum factus, niſi quando in regium Chriſti aſcendit caput? etenim claui manibus ac pedibus Chriſti adhæſerunt, flagellum dorſo, crux humeris, lancea lateri, ſpongia ori: ſpina verò capiti. Nec mirum ſi hoc myſterium per fabulam explicetur, quia etiam Chriſtus, cùm ſpinis coronaretur, factus eſt in parabolam. *Pſ. 68.* imò in Iudæorum & Gentilium fabulam, vti audiemus.

B. *Quatuor Regum inſignia, Chriſto Iudicro exhibita.* * Romanorum Imperatorum quatuor potiſſimùm erant prærogatiuæ, purpura, corona, ſceptrum, reuerentia & honor imperialis. Hæc omnia exhibuere Chriſto milites per ludibrium & contemptum velut Regi ludicro & fictitio, proinde etiam ludicra. Primò enim loco veræ purpuræ (quę regia & pretioſiſſima veſtis erat) induunt eum tunicâ coccineâ quæ purpuram quidem regiam præſentaret (ideoque à Marco purpura, à Ioanne veſtis purpurea vocatur, tùm quia colore non abſimilis, tùm quia loco purpuræ Chriſto induta erat) reuerâ tamen coccinea tantùm videtur fuiſſe adeoque purpurâ vilior; tum quia ludicrum Regem ludicris tantùm inſignibus volebant inueſtire, vti coronâ ſpineâ, ſceptro arundineo, veneratione geſticulatoriâ: tùm quia veram purpuram non facilè voluiſſent ita dehoneſtare vt Chriſto eam induerent. *Purpuram vocat*, inquit Euthymius, *vtpote purpuræ ſimilem: neque enim vera erat purpura.* Purpura fit ex conchæ ſanguine raræ & pretioſæ. Coccinum ex ſanguine vermiculi rubri, qui innaſciturgrano tinctorio, orto ex frutice ſulloniâ, quæ ilici eſt ſimilis, vt ſcribit Corn. à Lapide *in cap. 25. Exodi.* Secundò, Coronâ adornant ſpineâ. Tertiò, Armant arundine velut ſceptro. Quartò, Opprobrijs & ſannis excipiunt iiſque quatuor; nam genu flexo adorant eum: *Aue Rex Iudæorum:* percutiunt caput eius arundine, conſpuunt, dant alapas. Per primum volunt oſtendere Regis paupertatem: per ſecundum eiuſdem miſeriam & calamitatem: per tertium impotentiam & inanitatem: per quartum vilitatem & contemptum. Et hæc quidem illi pro libidine & cæcitate ſua, inſtigante Dæmone, Iudæis applaudentibus, Pilato conniuente. Verùm nihil effecerunt: Nam Chriſtus manſit Rex vt vel titulus crucis indicauit; & manebit in æternum. Adhæc volebant illi confundere Chriſtum; ſed neque hoc aſſecuti ſunt; quia omnia tulit & ſuperauit Chriſtus ſummâ patientiâ, quaſi non dolores ſed gaudia, non conuicia ſed laudes forent, vti reuerà erant; ſiquidem hæc omnia conuerſa ipſi ſunt in gloriam & honorem. Vnde ait per Iſaiam c. 50. *Corpus meū dedi percutientibus & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me: Dominus Deus auxiliator meus; ideo non ſum confuſus; ideò poſui faciem meā vt petram duriſſimam & ſcio quoniam non confundar.* Denique in his omnibus longè alium finem ſpectabat is, qui ea patientiſſimè ferebat, cui fini ſeruiebant milites illi licèt ignorantes: ſicut etiam Cayphas, cùm ignorans prophetauit.

C. I. *Oſtendūt eum bellatorem.* Nam PRIMÒ, Oſtendunt eum bellatorem fortem ad quæuis patranda & patienda. Chlamys veſtis militaris militem demonſtrat: corona ſpinea galeam repræſentat ad quoſuis ictus impunè ſuſtinendos: arundo haſtam vel gladium notat. *Dicitur enim arundo*, inquit S. Athanaſius ſerm. de cruce & paſſione Domini, *ſerpentibus lethalis eſſe atque inde potiſſimùm interfici.* Opprobria & alapæ, militis huius exercitia & prælia ſunt. Quoniam ergo iamiam initurus erat prælium cum Dæmone, iuxta id: *nunc princeps huius mundi eijcietur foras*; ideo armatur vt miles, ſed nouo armorum genere; quia non vulnerare & occid'ere parabat, ſed pati potiùs & occidi. Et hæc eſt militia Chriſtianorum.

D. II. *Victorem oſtendunt.* SECVNDÒ, Oſtendunt eum victorem & triumphatorem tartareæ poteſtatis. Imperator enim triumphās in curru triumphali ſedebat, purpurâ auro intextâ indutus, laureâ redimitus, ramum lauri dexterâ tenens; accedebant fauſtæ acclamationes & carmina triumphalia, quibus etiam iocos miſcere licebat, vt ſcribit Autor antiq. Rom. *l. 10. c. 29.* Talis apparet in hac pompâ Chriſtus. Imprimis in altum eleuatur, more Romanorum, vt ſcribit Clemens Alexandrin. *lib. 2. pæd. cap. 8.* Deinde purpura ſanguine eius reſperſa veſtitur: tum pro lauri ramo arundinem geſtat: coronâ etiam ſpineâ (quæ deuicti peccati quod configit & cruciat animam, typus erat) redimitus miras acclamationes audit, ſcommata videlicet & opprobria. Nec mirum ſi triumphet in prælio adhuc poſitus, quia de victoriâ certus erat.

E. III. *Oſtendūt Chriſti regnum non eſſe terrenum.* TERTIÒ, Oſtendunt Chriſti regnum non eſſe de hoc mundo, ſed cœleſte & ſpirituale, adeoque regnum aliquod eſſe in paupertate & nuditate, in medijs ſpinis & doloribus, in fame & inanitate, in ſputis & cõtumeliis omniſque generis perſecutionibus, iuxta Chriſti doctrinam: *Beati pauperes ſpiritu quoniā ipſorum eſt regnum cœlorū: beati qui lugēt, eſuriunt & ſitiunt*, &c. Et hoc eſt regnum Chriſti, quod habet in hoc ſæculo. Si de mundo iſto fuiſſet regnum Chriſti, mūdus eum aliter coluiſſet. Nunc autem qualem honorem tribuat mundus virtuti & ſanctitati, quale præmium benefactori, vides. E fimbriâ veſtis illius recepit ſanitatem: nunc eum illudit veſte coccineâ. E ſacro illius ore viam cœli didicit; nunc illud deformat ſpinis. Ex illius manibus accepit refectionem & innumeras ſanitates; nunc eas implet arundine. Ex illius ſaliuâ recepit viſum: nunc ſaliuis illū conſpuit. E gratioſo eius vultu percepit

cepit multa solatia: nunc illum alapis cædit.

F. V. Ostẽdunt viã cœli. QVARTÒ. Ostendunt nobis viam perueniẽdi ad verum regnum: In purpurâ seu coccino humilitatem: nam purpura in uno tantùm pelago reperitur, teste Pierio *l.* 28 *hierogl.* coccinum autem ex vermiculo fit: In spinis tribulationes, quæ nos passim ambiunt: In arundine iustitiam: In sputis & conuitijs, contemptum iniuriarum. Ergo qui cum Christo vult regnare, debet priùs hic spinosum iter percurrere. De coronâ spineâ peruenitur ad illam auream. *Delicatus es frater*, ait S. Hieronymus in reg. monach. c. 19. *si hic vis gaudere cum seculo, & ibi regnare cum Christo.*

G. VI. Ostendũt peccata nostra. QVINTÒ. Ostendunt nobis peccata nostra & miserias inde ad nos deuolutas, pro quibus amoliendis patiebatur Christus. In purpurâ animæ peccatricis fœditatem; cùm enim in paradiso candidissimâ innocentiæ veste decoraretur homo, per peccatũ induit vestem coccineam & sanguineam, iuxta id Isa. 1. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinũ, sicut nix dealbabuntur.* Idcircò Dominus albâ veste exuitur & induitur coccineâ. In spineâ coronâ, miserias & calamitates intuere, in quas eo lapsu præcipitati sumus, iuxta id Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo; spinas & tribulos germinabit tibi.* In arundine mobilitas, vanitas & leuitas nostra castigatur; siquidem instar arundinis vento agitatæ, leui serpentis afflatu Eua, & leuiculâ Euę seductione Adam, parentes nostri, à virtutis proposito moti & per hoc à paradiso amoti sunt. Deniq; ficta genuflexio, percussio cum arundine facta, sputa, alapæ manifestè repræsentant rebellionem creaturarum, quæ nobis priùs subditæ erant, posteà nos ferire nobisque dominari & illudere cœperunt, quemadmodum bestiæ pleræque & ipsa caro nostra perpetuò nos colaphizans, terræ maledictio, quam cum sudore exercemus & terimus. Neque solum parentum primorum sed nostra etiam, quæ quotidie perpetramus, scelera ostendunt. Nos enim etiamnum spiritualiter id Christo facimus, quod fecêre milites corporaliter. Nos ei coccineam chlamydem inijcimus, cùm animas nostras peccatis inquinamus. Spinis eum coronamus, cùm voluptatibus, diuitijs & curis sæcularibus nos ipsos addicimus. Arundine percutimus, cùm in peccata expiata nostrâ leuitate & inconstantiâ relabimur. Fictè adoramus, cùm in oratione nostra vani & vagi sumus. Conspuimus blasphemijs. Alapizamus persequendo seruos & sanctos eius. Rursum peccant homines in vestitu: ecce igitur purpuram gestat fictitiam. Peccant in capillis itemque in curis, diuitijs & voluptatibus: ecce tibi spinas. Peccant in potestate & imperio; ecce tibi arundinem. Peccant in honorum ambitu, ecce tibi opprobria fert.

H. VII. Ostendũt cœli gloriam. SEXTÒ. Ostendunt immensam illam gloriam Christi & sanctorum eius, quam in cœlo habent, & Christus sibi ac illis meruit. Christus enim in cœlo regnans vestitus est gloria corporis *amictus lumine sicut vestimento*, Psal. 103. quod designat purpura. Gloriam & sedem habens eminentissimam, quod significat corona vertici imposita. Potestatem supremam gubernandi mundũ, quod designat sceptrum arundineũ. Adoratur, laudatur & benedicitur à tota cœli militia, quod significat fictæ adorationes & conuicia. Similiter etiam sancti regnabunt in cœlo cum Christo, quod toties illis promissum in SS. literis, & similem etiam gloriam, debitâ tamen proportione, nancisceretur ipsi quoque. Suâ enim purpurâ meruit illis gloriam corporum resuscitandorum: suâ coronâ spineâ, coronam auream: sua arundine, potestatem regni: suis opprobrijs, laudes & delitias æternas.

I. VIII. Ostendũt regnorum terrenorum vanitatem. SEPTIMÒ. Ostendunt regnorum terrenorum vanitatẽ & miserias. Gestant Reges chlamydem militarem purpuream, quia perpetua militia & sanguinis effusione tueri debent regnum suum. Gestant coronam spineam mille curis, molestijs & laboribus capita eorum pungentem. Vnde Antigonus dicebat, si quis nosset, quantum malorum sub diademate lateret, ne humi quidem iacens tollendum fore. Gestãt sceptrum arundineum, id est, fragile & sæpe inane, cùm videlicet coërcere nequeunt rebelles, quod sæpe sæpius fit. Coluntur à ministris, subditis, adulatoribus: sed fictè sæpe & coactè.

K. IX. Ostendũt exemplar humilitatis & patientiæ. OCTAVÒ. Ostendunt exemplar viuum & efficacissimum, humilitatis & patiẽtiæ. Quemadmodum enim milites cassidem aut thoracem ferreum probant gladijs & sclopetis, & siquidem nullis cedat ictibus, tum demum ei fidunt & securè eum induunt: ita impræsentiarum Christi patientia & humilitas probata est à militibus spinarum aculeis, sputis, alapis, percussionibus, probris: & inuicta est reperta. Nullus enim ibi gemitus, nulla querela, nulla defensio, nulla fuga. Quis hunc thoracem induens, sibi imposterum timeat? Cogitate quantum ibi tormentum in capite spinoso? quanta ibi confusio in Domino gloriæ? Quid sunt ea quæ nos patimur, si cum istis conferamus? tulit ille pro nobis, cur non & nos pro illo?

Hunc igitur thoracem induamus Christiani. Et ad hoc inuitauit nos, vt vidimus initio, rhamnus: *Si verè me Regem constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite.* Requieuerunt sub hac vmbra sectatores humilitatis, qui spinis maluerunt, quàm auro coronari. Talis ille miles, qui noluit castrensem coronam capiti suo imponere, sicut reliqui faciebant; sed manu potiùs gestabat dicens, religione se prohiberi, quòd Christus spinis coronatus fuerit delusus. Pro cuius defensione scripsit Tertullianus librum de corona militis. Talis Catharina Senensis quæ offerente sibi Christo auream & spineam coronam, spineam arripuit & capiti fortiter impressit. Sur. 29. April. Talis Godefridus Bullionius Primus Ierosolymorũ Rex creatus, qui noluit ibi coronam gestare auream, vbi Christus pro nobis gestauit spineam. Vti Wilhelmus Tyrius de bello sacro scribit. Vnde in statuis Oenipontanis spinea redimitus cernitur.

tur. Talis S. Ludouicus Rex qui prohibuit suæ proli serta aurea vel rosea gestare die Veneris, ob honorem coronæ Christi spineæ. Holcot *in Sap. lect.* 22. Talis S. Elisabetha quæ coram imagine crucifixi, aut cùm rei diuinæ interesset, capiti coronam detrahebat, indignum asserens videri coram Christo spinis coronato, assistere regio cultu. Rader. in Bau. sanctâ. p. 1.

Sed quid de illis fiet, qui sub vmbrâ Rhamni huius nolunt requiescere? *Si non vultis*, ait Rhamnus, *egrediatur ignis de Rhamno & deuoret cedros libani.* Quod sanè eueniet superbis, quibus vti crux ita & spinea corona scandalum & stultitia fuit; eueniet, inquam, quando egredietur à Christo vox illa: *Ite in ignem æternum.*

§. XXI.

Ostenditur Christus populo.

1. *Explicatur, cur eduxerit Pilatus Christum foras.*
2. *Cur Iesus portauerit spineam coronam.*
3. *Quid significet illud:* Ecce homo, *ex mente Pilati, Dei, & nostrâ.*
4. *Obstinatio Iudæorum,*
5. 6. *Quomodo Pilatus timens voluerit eum dimittere populo.*

THEMA.

Ecce homo, Ioan. 19.

A EXodi c. 3. grande miraculum Moysi ostensum fuit, Deus videlicet in rubo ardente, qui tamen non comburebatur. Itaque vt rem propiùs cognosceret Moyses ait: *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Simile miraculum ostensum mundo fuit, quando Dei filius (de quo Apostolus ad Hebr. 6. ait: *Deus noster ignis consumens est*) spinis coronatus publico spectaculo productus in theatrum fuit. Quantum enim est hoc: Deum spinis coronatum cernere? quantum hoc: spinas tanto infixas dolore non consumi ab hoc igne? Igitur vadamus cum Moyse & videamus visionem hanc magnam. Sic monet Spiritus S. Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua*; impia videlicet synagoga.

B. I. Eduxit Pilatus Christũ foras. PRIMÒ, *Exiuit iterum Pilatus foras & dicit eis: Ecce adduco vobis eũ foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam.* Eduxit eum Pilatus Primò, vt flecteret Iudæorum animos. Secundò, vt ostenderet nullam in eo mortis causam inuentam. Sed dices quomodo ex hac productione cognoscere poterãt Iudæi nullam mortis causam in eo inuentam à Pilato? respondetur Primò, quia si ita malè eum tractauit, quem reum non deprehendit: vtique intelligere debebant Iudæi, multò duriùs tractaturum adeoque crucifixurum fuisse eum, si reum deprehendisset. Hinc igitur patebat, mortis causam in eo non inuentam esse. Secundò, quia si aliqua in eo causa fuisset, iam hoc supplicio expiata fuisset. Tertiò, quia ex hoc aspectu poterant cõijcere, nihil sibi ab eius regio titulo metuendum, vtpote qui vix homini, nedum Regi similis videretur. Denique fortè admiratus Pilatus Christi patientiam & constantiam in perferendis tantis iniurijs, quem ipsemet pronuntiarat non semel innocentem, monere voluit Iudæos, vt ex hoc & ipsi colligerent eius innocentiam. Sic enim ex patientia Christi in cruce collegit latro & Centurio eum esse iustum. Putauit olim Dæmon sanctum Iob in cute malum esse, ideoque à Deo petiit vt tangeret carnem eius, tunc enim manifestam fore eius impatientiam & hypocrisin. Tactus est igitur Iob vlcere pessimo, sed nihil in eo malitiæ inuentum. Ita fortè putabat Pilatus, si quis in Christo sanguis infectus culpæ alicuius foret, eum hac terribili phlebotomiâ prodituram fuisse. Quia igitur tantum cruciatum & contemptum Christus tam æquo tulit animo nec contra iniustitiam Iudicis quidquam est locutus, hinc intelligi poterat, hominem istum sanctum & iustum esse.

Secundò, *Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum.* Libenter & vltrò secutus est Dominus Pilatum (exiuit enim, non extractus est) vt se populo spectandum offerret. Primò, vt doctrinam suam exemplo roboraret. Docuerat enim ipse Matth. 5. *Quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo.* Certè iam ad aliquot millenos eosque asperos passus fuerat angariatus & iam vlteriùs cum Pilato vadit. Nostra patientia Herculis terminum citò attingit, *non plus vltrà*; sed Christi cum Alexãdro M. plus vltrà tendit. Plut. in vitâ Alexandri M. Secundò, vt doceret nullam in mundo confusionem virtutis causâ pertimescendam aut fugiendam, sed potiùs alacri animo amplectendam esse. Ita monet S. Petrus ep. 1. c. 4. *Nemo vestrûm patiatur quasi homicida aut fur aut maledicus, aut alienorũ appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.* Fecerunt istud imprimis, Martyres, qui ad agonem suum non aliter prodibant, quàm si ad regiam electi dignitatem, thronum regium ascenderent. Sic Agatha lætissimè & glorianter ibat ad carcerem. Sic Magdalena illa in Iaponiâ ex carbonibus rogi fecit sibi sertum capiti eos imponens: apud Nic. Trigautium in Triumph. Iapon. Sic B. Thom. Morus ad diem sui Martyrij festiuas induit vestes. Sic *ibant etiã Apostoli gaudẽtes pro nomine Christi contumeliam pati.* Fecerunt deinde sancti aliquot Confessores, qui pro Christo stulti facti sunt, vt à mundo despicerẽtur, vti Simeon Salus, Iacoponus, Sylueria, &c. Tertiò, vt suo exemplo absterreret & reuocaret à peccatis homines. Hanc enim ob causam Malefici antequam plectantur, populo spectandi proponuntur. Vel ergo putabant aliqui Christum reum esse, & tunc eius aspectu & despectu debebant absterreri: Vel putabant innocentem, & tunc cogitare debebant: Si hoc fit in ligno viridi, quid in arido fiet? Quartò, vt suam nobis charitatem quasi in tabellâ pictam publicè ostenderet. q. d. Videte filij mei, quantis vos doloribus pepererim, quantum vos dilexerim!

C. II. Exit Iesus portans spineam coronam.

Tertiò,

D. III. Ait Pilatus: Ecce homo. Ex mente Pilati significat. 1. TERTIÒ, *Dicit illis Pilatus: Ecce homo.* Dictum hoc intelligere possumus partim ex mente Pilati: Partim ex mente Dei: Partim ex mente nostra. Ex mente Pilati significat Primò; Ecce vobis hominem, quem mihi tradidistis, adeò castigatum vt nihil vltra postulare debeatis. Ecce enim qualis homo? vt meritò dubitari possit, vtrum homo sit. Hoc sensu dicebat Dauid Sauli: *quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? canem mortuũ persequeris & pulicem vnum.* 1. Reg. 24. Sic dicimus de lacero centone: ecce vobis pallium: de malo & nimium diluto vino: Ecce vobis vinum: q. d. non meretur nomen pallij, aut vini. Vult ergo dicere Pilatus quod olim Andronicus Imp. Orientalis pro seipso dicebat suis interfectoribus: *Quid calamum quassatum confringitis?* Nicetas l. 2. iam occidistis, quia non hominem fecistis: quid vltrà occidere paratis?

2. Secundò, Ecce, homo est vti vos: Naturam vobis similem intuemini. Si non mouet vos vt homo vestræ gentis: Si non vt homo innocens: Si non vt homo miser & vir dolorum: moueat saltem vt homo. Sic Iudas fratrem Iosephum seruare nitebatur dicens: *frater enim & caro nostra est.* Gen. 37. Saxumne aut ferrum putatis esse istum: Homo est, similis vobis, nihil vltrà ferre potest.

Ex mente Dei. 1. Ex mente Dei, Primò prodi[t]ur hîc & verificatur in Christo, secundo nostro Adamo, acerbus ille sarcasmus, quo DEVS Adamum primum, postquam induit veste pelliceâ villosâ (vt innuit verbum Hebr. Or) ita vt feram potiùs quàm hominem repræsentaret: irrisit voce illâ: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Videmus enim hîc Christum (qui sanè vnus erat è SS. Trinitate) mira & ferina quasi pelle indutum, ita vt lacerata & cruentata eius cutis non hominem, sed tigridem aut pantheram repræsentare videretur. Ecce igitur Adam; ecce homo ruber (hoc enim sonat Adam) homo cruentus & in feram penè deformatus, quomodo vnus ex nobis factus est, quando ne homo quidem videtur esse? Et quemadmodum post hoc Adam mox eiectus è paradiso fuit, ita Christus est vrbe Ierosolymâ.

2. Secundò, Monstratur nobis homo ille, tot votis expetitus à languente homine. Hic est enim is, quem petijt infirmus ille ad piscinam iacens per annos 38. dicens: *Domine hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Ioan. 5. Loquitur per ipsum totum genus humanum, quod hominem non habebat, à quo mitteretur in balneum salutare, quo curari posset à vitijs & peccatis. Nunc igitur ecce tibi hominem illum, inquit Deus, hic tibi è suo met sanguine, quem vndique vides scaturire, balneum parabit & te in id immittet. Non ergo possumus ampliùs dicere: *hominem non habeo;* Quot enim Sacerdotes, tot eiusmodi homines Christi ipsius vicarij, qui nos in piscinas sacramentorum immittunt & sanant à languoribus, quoties nos volumus.

3. Tertiò, ostenditur nobis fructus peccatorum nostrorum. Si enim interrogemus Deum, cur adeò dirè filium suum voluerit mactare, respondenit ilicò: *propter scelus populi mei percussi eum.* Ergo scelera nostra sic eum confecerunt, quæ si non fuissent, tali forma Christus iam non appareret. Cuius rei figuram legimus Ezech. 43. vbi præcipit Deus Prophetæ: *Fili hominis ostende domui Israel templum & confundantur ab iniquitatibus suis.* Vult dicere: ostende eis templum, vt confundantur, quòd ob sua scelera tam magnifica Dei basilica sit euersa, vt explicat ibi Cornelius. Ergo ostenditur hominibus templum Corporis Christi, de quo ipse: *soluite templum hoc, &c.* vt intelligant & erubescant, quòd ob ipsorum peccata adeò sit deformatum; & stimulentur ad ipsum reædificandum. Et verò vti Pilatus hac ostensione voluit cohibere Iudæos ab vlteriore Christi persecutione; ita & Deus nos à sceleribus patrandis.

Ex mente nostra. Ex mente nostra repræsentat Christum Pilatus Deo patri, vt respiciat in faciem Christi sui quasi dicens cum filijs Iacob: *Vide an tunica filij tui sit an non?* Est profectò: sed noli, quæso, hanc noxam imputare nobis; accusa potiùs peccatum, quod nos dementauit: *Fera pessima deuorauit eum.*

E. IV. Clamant Crucifige eum. QVARTÒ, *Cùm vidissent eum Pontifices & ministri clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Frustra laboras Pilate, nihilo mitiores fiunt isti canes, sed in iacentem acriùs sæuiunt. Vnde ipse bene dixit per prophetam: *Circumdederunt me canes multi.* Et quemadmodum Elephantes ostenso sanguine acriùs sæuiunt 1. Mach. 6. ita & Iudæi tam miserabili aspectu magis exacerbati sunt, nec attenderunt ad hominem saltem naturâ sibi similem; vt bene dixerit Christus Psal. 21. per Dauidem: *Ego autem sum vermis & non homo.* Vide ergo hîc Iudæorum obstinatissimam mentem, quam vsque hodie retinent. Secundò, Pontificum nequitiam; suis enim clamoribus intonant & populum fortè aliter locuturum in suam sententiam pertrahunt. Tertiò, Populi leuitatem, qui tam facilè se patitur abstrahi ab equo, vt placeat superioribus. Quartò, Omnium furorem, quem ostendit insana illa clamoris ingeminatio: *Crucifige, crucifige.* q. d. Noli tergiuersari multùm: in crucem agendus est, sic volumus, sic iubemus. Hos imitantur qui contemnunt pœnitentiam; hi enim affigunt Christum, vt nequeant ab eo iuuari & absolui. Tres claui sunt, si non doleas de peccatis, si non proponas emendationem, si non integrè confitearis. His configitur Christus.

F. V. Ait Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite. QVINTÒ, *Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite: Ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: nos legem habemus & secundum legem debet mori, quia filium DEI se fecit.* Improbi ad leges prouocant, cùm de aliorum corio ludunt: sed cùm ipsi peccant, legibus teneri nolunt.

G. VI. Pilatus magis timet. SEXTÒ. *Cùm audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit:* Timuit, inquam, ne fortè reuerà esset Deus, quem tot contumelijs affecerat, & condemnare insuper perurgebatur. Poterat hoc Pilatus facilè metuere, quia Gentiles existimabant

bant Deos habere filios. Sed nos hîc sistamus, & si Pilatus timuit moliri quid hostile in eum, de quo subdubitabat, an fortè Deus esset: non timebit Christianus offendere eum, quem scit esse Deum suum?

§. XXII.

Examinatur rursum Iesus, & rursum ostenditur populo.

A n. 1. vsque ad 6. inclusiuè explicantur quæ facta sunt circa examen: deinde quæ circa ostensionem.

THEMA.

Ecce Rex vester. Ioan. 19.

A. CVm intueor Pilatum huc illuc discurrentem, modò foras prodeuntem ad Iudæos, modò ingredientem in prætorium: modò surgentem è tribunali, modò rursus sedentem; videre mihi videor Rebeccam parturientem, doloribus coangustatam. Vt enim in eius vtero collidebantur Iacob & Esau paruuli, dum alter altero prior lucem aspicere volebat, *Gen. 25.* ita in animo Pilati collidebantur Christus & Iudæi: illius innocentia, horum violentia: Illa Christum absoluebat, hæc verò condemnabat. Conabatur quidem Pilatus præ Iudæis eniti Christum, concedendo in huius causam: Sed præuenit Esau populus Iudæorum, Christi fratri suo infensus: condemnatus est Iacob. Cæterùm quod ibi dictum est; *Maior seruiet minori*, id etiam hic euenit; seruit enim Iudaismus Christianismo vsque in hunc diem. Porrò nunc videndum quid actum sit cum Christo, partim circa examen, partim circa ostensionem.

B. I. Circa examen. Circa examen PRIMÒ. *Pilatus ingressus est prætorium iterum, & dixit ad IESVM: Vnde es tu?* Iteratum hoc examen instituit. Primò, Vt iudicium prolongaret, si fortè ratio inueniri posset liberandi Christum. Secundò, Ex timore quo perculsus erat; audiens à Iudæis, quòd Christus filium se Dei fecerit; præsertim, quia etiam ipse dixerat regnum suum non esse de hoc mundo, item quia ab vxore monitus erat; denique, quia magnum aliquid ex prudentia Christi, vultusque maiestate poterat conijcere. Hinc ergo interrogat: Quod genus? Vnde domo?

(Margin: 1. Pilatus iterum examinat Iesum. 1. 2.)

C. II. Iesus non respondet. SECVNDÒ, *IESVS responsum non dedit ei.* Primò. Quia responsionis ad tam sublimem quæstionem, non erat capax Pilatus, vtpote gentilis. Quomodo enim poterat nosse filium Dei, qui non nouerat Deum? Secundò. Quia Pilati interrogatio concernebat solum Christum. Quando enim quæstio aliqua spectabat ad Dei gloriam vel salutem & bonum nostrum, tunc solebat respondere. Pro se & suâ defensione noluit respondere, quia mortem suam, adeoque redemptionem nostram impediuisset. Ecce tibi gallinam illam pro pullis solicitam & loquentem; pro seipsa tacentem.

(Margin: 1. 2.)

D. III. Ait Pilatus: Mihi non loqueris? TERTIÒ. *Dicit ei Pilatus: mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Extruit hoc verbum Primò, fastus & insolentia, quæ ferè dignitatem comitatur & potestatem cum potius meminisse deberet illud Ecclesiast. c. 32. *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Secundò, Imprudentia; non enim eo ipso, quòd constitutus erat Iudex, potestatem habebat agere quod vellet, sed obstringebatur legibus, vt non quod ipse vellet, sed quod iustum est iudicaret.

(Margin: 1. 2.)

E. IV. Respondet Iesus: Non haberes in me potestatê, &c. QVARTÒ. *Respondit IESVS: Non haberes potestatê aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper: propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Duo interrogantis Pilati vitia duplici virtute retundit Dominus. Primum mansuetudine, quâ velut molli lanâ inflatã Pilati obiurgationem excipit. Secundum Charitate, quâ ignorantem instruit. Primò. Docens potestatem, quam habet, à Deo illum habere, adeoque non nisi ad iudicandum id quod iustum est.

(Margin: 1.)

Quã de re audiant Magistratus & Iudices Sapientiæ c. 6. Sap. *Audite Reges & intelligite*, ait, *discite Iudices finium terræ, præbete aures vos, qui cõtinetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non iudicastis, nec custodistis legẽ iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Secundò, innuit se eius potestati nequaquam esse subiectum, nisi quatenus illi à Deo singulari dispensatione permissum est, nequaquam tamen concessum vt damnetur. Viderit proinde quid agat; propterea enim qui se illi tradiderunt, Pharisæos grauiùs peccasse; quia fecissent eum, in quem ius nullum habebant, ex merâ inuidiâ accusarint & necari per fas & nefas faciant: cùm hoc idem Pilatus metu solùm & importunitate Iudæorum adactus facturus esset; hic homo Ethnicus & ignorans, illi verò Iudæi, legisperiti & de Christo suo multa edocti. 2.

F. V. Quærit Pilatus dimittere Christũ. QVINTÒ, *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Primò, ob eius innocentiam toties assertam. Secundò, ob religionem, quam nunc primùm hauserat, metuens ne plus aliquid hominе in Christo esset. Tertiò, ob peccati metum, quod incursurum eum submonebat Christus. Funiculus hic triplex iamiam trahebat Pilatũ ad partem æquitatis & dimittendum Christũ.

(Margin: 1. 2. 3.)

G. VI. Iudæi reclamant. SEXTÒ *Iudæi autẽ clamabant dicentes: Si hunc dimittis, nõ es amicus Cæsaris: omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Nunc tandem omne venenum suum effundunt & bombardã adhibitã murum illum, Pilati animum hactenus stantem, quatiunt; Cæsaris inimicitiam denunciant. Magna res ad speciem: sed reuerà non nisi sagitta paruulorum erat.

H. VII. Circa ostensionem. Circa ostensionem PRIMÒ *Pilatus cùm audisset hos sermones adduxit foras Iesũ, & sedit pro tribunali*

I. Pilatus sedet pro tribunali. natâ in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Ecce tibi arundinem vento agitatam; quàm repentè mutatam! quàm facilè deiectam! Trepidauit inprimis timore, vbi non erat timor. Quid enim Imperatur Rom. Regem hunc curasset? quid Iudæi accusando poterant Pilato nocere? Deinde Cæsaris gratiam præposuit iustitiæ adeoque gratiæ DEI, ideoque vtramque perdidit, & vtriusque iram incurrit. Nam & à Deo damnatus & à Cæsare relegatus est; vt scribit Orosius l. 7. tantis urgentibus Caio angoribus coarctatus est: vt suâ se transuerberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit. Ita nimirum omnes, qui Deo contempto mundo placere volunt, & mundum & Deum perdunt. Ergo Christus iamiam dimittendus nouâ iniuriâ & maiori ignominiâ retrabitur ad iudicium, cuius locum Ioannes nominat Græcè Lithostrotos, id est, lapidibus stratum; Hebr. verò Gabbatha, id est, excelsum: tum ob veritatem historiæ, tum vt sciretur iudicium hoc publicum & solenne fuisse, vtpote iudicium totius mundi, in quo contendebatur de vitâ filij Dei, de salute hominum, de eiectione Dæmonum.

I. II. Erat parasceue. Secundò. Erat autem parasceue, hora quasi sexta. Parasceue præparationem significat, quia eo die præparabantur cibi ad Sabbathum sequens, quo non poterant ex lege parari. Hunc diem iudicio & morti suæ elegit Christus, quia tunc præparabat orbi toti cibos spirituales, merita, sacramenta, gratiam, gloriam, de quibus dixerat Matth. 22. Ecce prandium meum paraui tauri mei & altilia occisa sunt & omnia parata: Venite ad nuptias. Hora verò quasi sexta, quia circa eâdem horam peccauerat Adamus; Hora quasi sexta. siquidem post meridem abscondere se cœpit; ergo paulò ante meridiem peccauerat. Et quia tunc noster sol iustitiæ ad summum amoris gradum ascendere incipiebat: meridie ipsâ seu horâ sextâ crucifixus, summū cœli tenuit, iuxta id Ps. 18. Occursus eius (solis) vsque ad summum eius; nec est qui se abscondit à calore eius.

K. III. Ait Pilatus: Ecce Rex vester. Tertiò, Dicit Pilatus Iudæis: Ecce rex vester; Ex mente quidem suâ, vt Iudæos adhuc emolliat ad compatiendum misero; siue vt hortetur ad sanam mentem, quâ intelligant stultū esse & indignum, hominem tam miserum & imbellem sub affectati regni prætextu condēnare; siue vt rideat Iudæos, quos non pudeat insanire in tam ludicrum Regem suum. Ex mente verò Dei, veritatem eis denunciat, quemadmodum & in titulo crucis Regem eum Iudæorum nominauit, nec aliter scribere voluit. Cùm audissent fratres Iosephi somnium eius, quo dicebat manipulum suum, adoratum fuisse à manipulis eorum, indignati illi dicebant: nunquid Rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuæ? Ergo vt somnium hoc eluderent, dicebant: Ecce somniator venit; venite occidamus eum & tunc apparebit, quid prosint illi somnia sua. Gen. 38. Sed nequaquam potuerunt euertere veritatem: impletum est enim somnium, & adorare debuerunt fratrem, vtpote principem in Ægypto factum, vt patet Gen. 42. Eodem modo Pilatus velut oraculo quodam annunciat illis Regem suum. At Iudæi indignantur: Apage hunc Regem, tolle, crucifige. Sed nihil efficitis miseri. Rex vester est & erit, quem nolentes aliquando cogemini adorare, & verò nunc adoratis, dum Christianis subestis.

L. IV. Illi clamant: Tolle, Tolle. Qvartò, illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Ecce tibi pueros illos nequam, qui ascendenti in Bethel Elisæo succlamabant: Ascende calue, ascende calue. Quid enim aliud isti dicunt, quando in Christum clamant: tolle, tolle; quàm ascende in Caluariam? Verùm vti ex illis pueris 42. lacerati sunt ab Vrsis duobus è saltu egressis 4. Reg. 2. ita & Iudæi illi à Tito & Vespasiano Romā venientibus, miserè laniati & penè omnes deleti sunt.

M. V. Ait Pilatus: Regē vestrum crucifigā? Qvintò, Dicit illis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? q. d. nonne hoc in probrum & ignominiam gentis vestræ cadet, si dicatur passim Regem vestrum à me crucifixum esse, & quidem vobis postulantibus? quomodo infamiam hanc delebitis.

N. VI. Respondent: Nō habemus Regem nisi Cæsarem. Sextò, Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Ecce hic abiecit populus Hebræorum aquas Siloë (quod interpretatur missus, inquit S. Ioannes c. 9. & significat Christum.) quæ vadunt cum silentio, id est, Dei sui tutelam, & assumpsit magis Rasin, id est, Cæsarem; prupter hoc adduxit Dominus super eos, Aquas fluminis fortes & multas, Regem Assyriorum (figuratè) Romanorum Titum, qui deleuit eos; quemadmodum & Rex Assyriorum flagellum & vastator eorum factus est, Isa. 8. Deinde produnt hîc contra seipsos tempus aduenisse Messiæ sibi promissi, vtpote post sceptrum à Iuda ablatum. Debebant ergo cogitare: nunquid ipse est Christus? Denique produnt plusquam Vatinianum odium suum. Ne enim viuat Christus & Rex illorum euadat, (quod metuebant) malunt potius sustinere iugum Ethnici Imperatoris, tametsi alioquin sibi molestissimum. Habeant ergo sibi quem elegerunt Regem; Regem vastatorem, Regem exterminatorem. Sibi imputent, quòd iam prostrati & per orbem vndique dispersi iacent, vt ne angulum quidem mundi proprium habeant, sed precariò terram incolant. Sic voluerunt, aiebat Iulius Cæsar de factiosis quibusdam ciuibus ad internecionem vsque deletis. Verùm veniet tempus, quando Regem hunc suum fuisse agnoscent, audientque dicentem: Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se adducite huc & interficite ante me. Luc. 19. Nos verò eum Dauide dicamus. Rex meus & Deus meus.

§. XXIII.

Condemnatur Iesus.

THEMA.

Tunc tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Ioan. 19.

A. DIv hactenus laboratum est à Pilato, vt Christum liberaret, & eriperet Iudæis: sed nihil est effectum. Sitiebant Christum Iudæi: sine illius sanguine non potuit horū sitis vllo modo restingui. Contingit ergo Christo, quod olim Ionæ Prophetæ, qui profugus à Dei facie, dum nauigio veheretur, exæstuante in illum mari, mittendus fuit in mare, idque exigente sorte, quæ in eum ceciderat. Sed enim quàm inuiti fecerunt istud nautæ, quem Deo quidem nocentem, sibi verò innocentem sciebant? Nam hoc vt fugerent remigabant fortiter vt temerarent ad terram eumque in terram deponerent: sed frustra; quia *mare ibat & intumescebat super eos*: Ad extremum igitur, cùm effugium non esset, protestati sunt innocentiam suam, priusquam eiicerent Ionam, dicentes: *Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine sicut voluisti, fecisti*, Ion. 1. Similem in modum Christus, qui cùm personam Adami & posterorum eius (qui omnes in patre suo fugerunt à facie Domini absconderunt se in paradiso) sustineret, morti destinatus erat, exigente hoc Dei iustitiâ. Sed enim quàm difficulter condemnauit eum Pilatus, quem vidit innocentem. Remigabat, laborabat: vt seruaret illum. Sed impij Iudæi quasi *mare feruens instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur & inualescebant voces eorum*, vt ait S. Lucas cap. 23. Itaque & Pilatus, testari voluit innocentiam suam, antequā eum traderet: Sed non æquali iure. Nam Primò plusquam Ionas hic. Deinde Ionas reus, iste innocens fuit. Denique nautæ illi aliud agere non poterant. Pilatus si voluisset, aliter iudicare potuisset. Itaq; peccata nostra Christum demerserunt. Nunc pergamus.

B. I. Pilatus lauat manus. 1. PRIMÒ, *Pilatus accepta aquâ lauit manus coram populo.* Primò vt hac cæremonia culpam à se in Iudæos reiiceret, suamque innocentiam contestaretur: quasi vellet mētem suam ita puram esse à Christi sanguine, quomodo manus suas factâ lotione puras esse à sordibus voluit. Sic iubentur Seniores *Deut. 21.* manuum lotione se purificare à patratâ cæde, dicendo: *Manus nostra non effuderunt sanguinem hunc.* Sed nihil iuuit Pilatum externa hæc cæremonia, quia mendax erat, testificans esse innocentem Pilatum, qui nocens erat. Voluit haberi iustus, sed noluit esse Pilatus. Mundauit id *quod deforis est paropsidis: intus autem plenus* fuit *iniquitate*. Vnde Aug. serm. 118. de temp. *Lauerit*, inquit, *licèt manus Pilatus, tamen sua facta non diluit.* Nihilo plus iuuat Christianum gestare in manu rosarium, tundere pectus aliaque adhibere cæremonias Christianæ pietatis indices, nisi cor illis correspondeat.

Secundò, Vt Christi etiam innocentiam iterum ostenderet, dum enim vult manus suas ab eius sanguine puras esse, hoc ipso ostendit eius innocentiam, cuius sanguinem à manu sua noluit requiri. Volui autem diuina prouidentia hoc Pilati testimonio Christi innocentiam facere probatissimam; vt indubiè constaret, eum non pro suis, sed aliorum peccatis mortuum esse. 2.

Tertiò, Vt hac ratione conscientiam Iudæorum grauissima reddendæ rationis mole premeret. q. d. aqua & lotio ista erit vobis in testimonium vestræ iniquitatis. Vnde addit: *Vos videritis*: quo modo videlicet Deo vestro pro hoc sanguine respondeatis. Fuit ergo hæc cæremonia postremus & fortissimus aries obstinatis Iudæorum cordibus adhibitus, minis & terrore vel iræ Cæsarianæ vel saltem iudicij diuini armatus, quo si fieri posset, qualiacumque entur & à tam immani facinore reuocarentur. Sic Daniel *cap. 13.* Susannam ab iniquo iudicio liberare volens exclamauit: *Mundus ego sum à sanguine huius.* Verùm ille Susannam & innocentem pronuntiauit & à nece liberauit. Pilatus verò sibi ipsi contrarius, ad necem tradit, quem innocentem pronuntiat. 3.

C. II. Innocentem se fatetur. SECVNDÒ, Addit verba: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius: Vos videritis.* Fecit hoc Primò, vt si qui fortè cæremoniam lotionis non intelligerent, verba intelligerent. 1.

Secundò, vt fortiùs Iudæorum animos percuteret, quasi addens ad fulgur tonitru. Sed surdis cecinit Pilatus: non penetrauit saxea corda etiam hoc verborum telum; *peccator* enim *cùm in profundum venerit, contemnit.* 2.

Tertiò. Vt se efficaciùs à culpa immunem comprobaret. Laborabat enim Pilatus non tam vt Christum innocentem è manibus Iudæorum eriperet, quàm vt se purgaret & ab ira Cæsaris expediret. Vnde ad suam defensionem nihil non molitur. Ita nimirum homines horrent videri & dici mali: (tanta est peccati deformitas) sed ne sint mali, susque deq; habent. Verùm quid iuuat coram hominibus probare te bonum, si coram Deo malus sis? *si laueris te nitro*, inquit Ieremias cap. 2. *& multiplicaueris tibi herbam borith*: (quâ solent vti fullones ad eluendas maculas) *maculata es iniquitate tuâ coram me dixit Dominus.* q. d. frustra purgas te humanis excusationibus. Vnde sequitur: *Quomodo dicis non sum polluta?* &c. 3.

D. III. Respondet populus: Sanguis eius super nos. TERTIÒ. *Respondit vniuersus populus, sanguis eius super nos.* Nullus fuit qui pro Christo loqueretur inter tot vrbis Aduocatos & amicos, sed omnes vnanimiter cōtra ipsum sunt locuti.

Primò, quia à fenioribus & principibus omnes in tranſuerſum acti fuerant & in ipſorum partem tracti; nec tutum erat contradicere potentioribus & pluribus. Sic Ethnicorum ſapientes aliqui licèt Deum vnum agnoſcerent, Idola tamen venerati ſunt ne principi & toti vulgo contradicerent. Quàm igitur periculoſum eſt, iungere ſe malis?

2. Secundò, Quia pro omnibus patiebatur, ideo ab omnibus impugnatus & deſertus fuit. *Omnes enim peccauerunt & egent gloriâ DEI*, (ad Rom 3.) id eſt, gratiâ; ſeu Chriſto, vt exponit Cyrillus l. *de recta fide*. Omnes ſordebant peccatis, ideò omnes deſiderauerunt balneum ſanguinis Chriſti, tametſi mens populi hic alia fuit.

3. Tertiò. Quia calamitas facit recedere amicos. Hirundines per æſtatem habitant cum hominibus, hyeme recedunt. Ergo in ſolatium pauperum & innocentum, quibus nemo patrocinatur, omnium patrocinio voluit deſtitui.

E. IV. Addit: Sanguis eius super nos.

QVARTÒ. *Dixit: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Dicunt hoc Primò, vt addant animum Pilato trepidanti, quaſi nihil ei metuendum ſit vindictæ: vel ſi aliquid periculi propter hoc ipſi immineret, ſe capita ſua pro ipſo offerre ſpondeant, quaſi dicerent: In nos ſit maledictio tua, ſicut *Gen. 27.* Rebecca dixit Iacob; cùm tamen hoc pacto Pilatum à culpâ & vindictâ Dei non eximant. Vide impiorum perverſitatem, qui vt optatis potiantur, ſeipſos deuouent. Sic Agrippina Neronis mater audiens, à filio ſe necandam ſi Imperator fieret: *Occidat*, inquit, *modò imperet*.

2. Secundò. Vt oſtendant ſe non temerè ſed prudenter & maturo conſilio Chriſtum ad necem condemnâſſe, quaſi nihil ſibi timere habeant. Ita nimirum reprobi defendunt iniquitatem ſuam, iurant, peierant: nec eſt iniquitas tam grandis, quæ non velit videri æquitas.

3. Tertiò. Ex permiſſione diuinâ, vt ſeipſos condemnent impij, adeoque ſibi imputent, ſi iam ipſi & filij eorum luunt, quod ſibi imprecati ſunt. Ita inſaniunt, qui nullis inferni comminationibus vel ſuppliciis coërceri à flagitiis poſſunt, quemadmodum Iulianus Apoſtata vulneratus ad mortem, ſanguinem proprium, quo manum implêrat, verſus cœlum iactans, iram Chriſti vindicis in ſeipſum concitauit, dicens: *Saturare Galilæe*. Qui eſt imus ad infernum gradus.

F. V. Pilatus adiudicat eis Christum.

QVINTÒ. *Tunc Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum.* Fecit hoc Primò, & potiſſimùm ob ambitionem, timens ne perderet gratiam Cæſaris, vti indicat Ioannes. Ita nimirum ſanguinaria eſt ambitio, vt etiam innocentiſſimos

1. perimat, quo ſibi honorem ſtabiliat. Cæterùm quia Pilatus magis laborauit placere Imperatori quàm Deo, vtriuſque gratiam perdidit, ab illo in exilium, ab hoc infernum actus.

2. Secundò. Ob clamorem & importunitatem populi, cui reſiſtere non audebat Prætor puſillanimis; cùm tamē Iudex nullis populi contradictionibus à iuſtitiâ deflectere debeat, iuxta id Exodi 23. *non ſequeris turbam ad faciendū malũ, nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero devies.* Iudæis ſimiles ſiūt, qui nullis rationibus ac monitionibus volunt acquieſcere ad faciēdū id quod rectum eſt: Pilato verò, qui in gratiā aliorū agunt contra conſcientiam ſuam.

Tertiò. Ob totius multitudinis opinionem & conſenſum; ita vt non auderet abſoluere, quem omnes condemnarent. In quò etiam ſtultè egit, quia vt Socrates ait apud Laërt. l. 2. cap. 5. *qui multitudinem imperitam ſequitur, perinde agit, ac ſi vnum nummum adulterinum reijceret & acervum è ſimilibus coageſtum approbaret.* Nihilo magis ſapiunt multi imperiti, quàm vnus imperitus. 3.

G. VI. Dimisit illis Barabbam. Iniquissimè.

SEXTÒ. *Dimiſit illis Barabbam IESVM verò tradidit voluntati eorum.* Iniquiſſimum fuit hoc Pilati iudicium. Primò. Quia inſignem homicidam dimittit, innocentem damnat. Ita nimirum *dat veniam coruis; vexat cenſura columbas.* Nemo coruis laqueos tendit, ſed columbis, quia ab his fructus ſperatur, non ab illis. Quæ autem innocentia in mundo tuta eſſe poteſt, ſi Chriſti innocentia tot virtutibus & miraculis comprobata, coram tantis Iudicibus, in tam ſanctâ ciuitate non fuit tuta? 1.

Secundò, Quia vt S. Leo *ſer. 3. de paſſ.* ait: *iiſdem labiis mittit IESVM in crucem, quibus eum pronunciauit innocentem.* 2.

Tertiò. Quia nimirum fecit tradendo Chriſtum voluntati hoſtium ſuorum, vt pro ſuâ libidine inſanire in eum poſſent. Non eſt hoc æqui Iudicis: ſed ſtatuere modum & menſuram ſupplicio. Verùm hoc ita factum eſt Primò: Quia CHRISTVS erat granum frumenti, multis tradendum & multis modis mortificādum, antequam homini alimentum & vitam Præberet. Vt enim frumentum Primò, à Domino traditur meſſoribus, ab his agricolæ vt colligatur, horreo inferatur, trituretur vel flagellis excutiatur & ventiletur: ab hoc molitori, vt teratur & cōminuatur in farinam; ab hoc piſtori, vt ſubigatur & in fornace coquatur; ab hoc dentibus manducantium, vt ſcindatur, frangatur & maſticetur pro eorum libitu; ab his ventriculo, vt digeratur; ab hoc demum membris totius corporis, vt inde alantur & viuant: Ita omnino Chriſtus vt nobis vitā daret. Primò. Traditus eſt à Deo patre in manus peſſimi meſſoris Iudæ, qui eum tradidit tritorantibus, militum ſcilicet cohorti, ligandum, trahendum, percutiendum. Hæc tradidit eum Annæ & Caiphæ, vbi inter duos lapides molares quodammodo cōtritus, percuſſus & reus mortis proclamatus eſt. Hinc traditus eſt Pilato, vbi flagellis ſubactus à militibus, illuſus & coronatus, quaſi in camino toſtus fuit. Ab hoc traditus Iudæis & militibus veluti deotibus ad libitum maſticandos & comminuendus. Vnde clamarunt per prophetam: *Mittamus lignum in panem eius.* Ab his traditus eſt morti quaſi in ventrem terræ, omnino conſumēdus. Sed mors tradidit eum membris Eccleſiæ totius: Vnde nos omnes viuimus. Secundò. Quia nos ob peccata noſtra debebamus tradi voluntati tortorum infernalium, iuxta id Matth. 18.

Tradidit eum tortoribus,&c. Itaque pro nobis tradi voluit CHRISTVS voluntati carnificum, ne traderemur nos: iuxta id Apostoli Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum.*

§. XXIV.

Christus baiulat crucem.

1. & 2. *Exponitur, cur Christus exutus purpurâ, indutusque suis vestibus, baiulauerit sibi crucem.*
3. *Ex quibus motiuis substituerint ei Simonem Cyrenensem: & quis ille fuerit.*
4. *Quid denotet turba multa quæ sequebatur, & cur plangant mulieres.*
5. *Quare Dominus alloquatur mulieres.*
6. *Cur ducti cum illo duo nequam.*

THEMA.

Baiulans sibi Crucem exiuit. Ioan. 19.

A. SOlent magnæ & celebres pompæ, quibus viri principes introducuntur in ciuitates, & alia spectacula, à sculptoribus & pictoribus delineari & publicari. Mirum & ab orbe condito inauditum spectaculum visum est Ierosolymis, quando cœli & terræ Rex nouâ & mirâ pompâ eductus ex vrbe ad supplicij locum, suam ipse gestauit crucem. *Grande spectaculum*, inquit S. Augustinus tract. 117. in Ioan. *Sed si spectet impietas, grande ludibrium: si spectet pietas, grande mysterium. Si spectet impietas, videt Regem pro virga regni, lignum sui portare supplicij: Si pietas spectet, videt Regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus erat etiam in frontibus Regum*, &c. Hoc cùm SS. Patres multis retro sæculis in spiritu præuidissent, variis coloribus depinxerunt. Abraham imprimis, quando fasce lignorum onerauit humeros filij à se immolandi. Deinde Iacob Patriarcha, quando in baculo suo transiuit Iordanem, pergens in Mesopotamiam. Postea Moyses, quando virgam manu tenens eduxit Israëlem ex Ægypto per mare rubrum in terram promissionis. Post hunc Dux Abimelech, quando ramum quercus sustulit in humeros, monuitque suos milites vt idipsum facerent. Denique Dauid, quando cum pastorali baculo processit contra Philisthæum. Hoc ergo nunc spectaculum quod isti à longè tantùm & per vmbram viderunt, nos propiùs intueamur.

B. I. Exuunt eum purpura & induunt suis vestibus. PRIMÒ, *Exuerunt Christum purpurâ & induerunt eum vestimentis suis.* Primò, Vt magis agnosceretur, in veste, inquam, propria, quàm in aliena: Studebant enim famam eius modis omnibus conspurcare & nomen exosum reddere. Erat autem facies Domini adeò deformata sputis, alapis, sanguine, vt in alienâ veste vix agnosci posset.

2. Secundò, Vt hac vestium mutatione vulnera eius renouarent, (quod vtique factum est, veste priore vulneribus inhærente) adeoque nouum cruciatum adderent. Quem quidem post plures præcedentes mutationes pati voluit Dominus, ad compensandam & castigandam hominum superbiam, qui toties permutant vestes vestibus, vt quotidie ferè nouo fastu noui conspiciantur.

Tertiò, *Vt vestes simul cum morte exueret*, ait S. Athanasius *Ser. de passione Domini & cruce.* Puto vt ostenderet se tam promptè & libenter pro nobis mori, quàm qui vestes exuit, cubitum iturus: quod de se dixit Cardinalis Polus cùm ab Angliæ Rege impio Henrico VIII. ad necem quæreretur; corpus enim est vestis animæ. 3.

Quartò, Vt impleretur id quod scriptum est de eius tunica inconsutili: *Super vestem meam miserunt sortem.* Deniq; vt doceret vnumquemque in suis virtutum vestibus ad mortem esse iturum, non in alienis, tametsi fortè in hoc mundi theatro alias gestarit. *Nihil intulimus in mundum, nihil efferemus.* Sola opera, verè nostra sunt, & hæc sola nos sequentur. 4.

C. II. Baiulat sibi crucē. SECVNDÒ, *Exiuit baiulans sibi Crucem.* Primò, Quia crucis lignum adeò probrosum & maledictum erat, vt nemo honestus id vellet tangere, ideò crucifigendis ipsis gestandum erat. En tibi quàm verum illud Psal. 21. de passione scripti: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis!* 1.

Secundò, Quia bonus Dominus noluit quemquam fatigari aut vexari propter se, iuxta id Isa. 63. *Torcular calcaui solus & de gentibus non est vir mecum.* Quòd verò postea translata est crux in Simonem, militum libidine factum est, Christus id non petiit. *Volens crucem sibi ipsi ferebat, neque enim necessitate compulsus accessit ad mortem*, inquit S. Athanasius Serm. cit. 2.

Tertiò, *Quia decebat*, vt ait Sanctus Athanasius loco cit. *victorem tam triumphantem de diabolo, non alteri concedere, sed sibi suum trophæum gestare.* Vel, vt Euthymius ait: *ferebat crucem tanquam strenuus miles lanceam quâ debellaturus erat aduersarium.* 3.

D. III. Substituunt Simonem Cyrenæum. TERTIÒ, *Apprehenderunt* (in egressu) *Simonem quendam Cyrenensem, venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.* Fecerunt hoc primò non ex misericordia, sed ex crudelitate, metuentes ne Christus in via deficeret, vtpote fractus viribus, adeoque crucem effugeret; aut si moram traherent, reuocaretur fortè sententia à Pilato. 1.

Secundò, Vt Dominus indicaret, *se non suam, sed hominum mortem obire*, vt ait S. Athan. Serm. dicto. 2.

Tertiò. Vt sciremus nobis etiam post Christum gestādam esse crucem; nec satis esse, quòd Christus pro nobis eam tulerit, sed oportere vt eandem cum Simone saltem leuemus à terra nonnihil; quò videlicet passionem Domini per opera pœnitentiæ nobis applicemus. Ad hanc gestandam crucem Christus sæpiùs nos inuitauit. Licèt autem caro reclamet, ad hoc tamen angarianda & cogenda est. 3.

Quartò, Typicè notatum est idem Ecclesiæ Christi euenturum vt videlicet à Tyrannis an- 4.

nis angarietur ad tollendam & perferendam Christi crucem per martyrium aliasque persecutiones & tribulationes; idque futurum Simoni,id est; obedienti cuique & pio Christiano;quod prædixit Dominus Petro: *Simon Ioannis, cum senueris, alius cinget te & ducet te quò non vis*, Ioan. vlt.

Patrem Alexandri & Rufi. Scribitur hic Simon fuisse pater Alexandri & Rufi. Primò ad maiorem historiæ fidem faciendam.

Secundò. Quia tunc,cùm hæc scriberentur, filij eius Alexander & Rufus, celebres in Ecclesia fuisse colliguntur, quam illis fidem æquè ac sibi meruit Simon gestatione crucis; neque dubium est,posteà filios illos maximo sibi honori duxisse, quòd eorum pater gestarit crucem Christi.

E. IV. Sequitur multa turba. QVARTÒ, *Sequebatur illum multa turba populi & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum.* Turba multa sequitur eum. Primò, quia spectaculum hoc inauditum pro toto orbe institutum & toti orbi nunciandum coram multis edi debuit. Et hæc est causa,cur nemo vnus contradicere visus sit Euangelicæ historiæ, quasi falsum scripsissent Euangelistæ,licèt alioqui Iudæi Christo infensissimi fuerint.

1. Secundò. Quia denotabat ingentem Christianorum multitudinem Christum secuturam. Quamuis inter eos magna esset futura diuersitas. Vt enim in turba illa, quadruplex hominum genus fuit; Primum carnificum,qui trahebant & premebant Christum: Secundum pontificum & seniorum, qui Christo illudebant: Tertium eorum qui ad spectandum venerant: Quartum eorum qui plangebant Christum: ita Christianorum quatuor sunt species, quarum vltima tantùm Christum, sicut debet, sequitur. Alij enim Christum trahunt & premunt vt hæretici. Alij illudunt vt qui fatentur, se nosse Christum,factis autē negant & Diabolo potiùs seruiunt quàm Christo. Alij Christi spectatores tantùm sunt inutiles,vt qui aspiciunt quidem vitam Christi per fidem, sed operibus non imitantur: fidem habent mortuam, operibus bonis carent. Alij verò Christiani sunt qui post Christum ambulant per amorem & compassionem. Primi possent dici terra secus viam. Secundi terra spinosa. Tertij terra petrosa. Quarti terra bona.

2.

Plangunt mulieres. Plangunt autem mulieres tantùm. Primò, quia sexus est tenerior & pronior ad lachrymas & compassionem.

1.

2. Secundò, Quia securius poterant Christi innocentiæ dare testimonium per lachrymas, quàm viri, qui mox obseruati fuissent & puniti.

F. V. Affatur Dominus mulieres. QVINTÒ, *Conuersus ad mulieres dixit: Filiæ Ierusalem nolite flere super me sed super vos ipsas flete & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Dixit hæc Christus non vt earum planctum improbaret; Sed primò vt eas

1.

instrueret, mortem suam non ita esse flendam sicut mortem hominis vulgaris, qui mortem euitare nequeat: nec sicut extremam calamitatem, qualem Christo inferre Iudæi sperabant & studebant. Mors enim Christo erat voluntaria,deinde momentanea seu triduana solùm, denique toti humano generi vtilissima & Christo ipsi gloriosa.

Secundò, Vt eas à suæ mortis deploratione abducat in deplorationē maioris calamitatis, multò magis deplorandæ, quæ Ierosolymitanis immineret in excidio vrbis, & omnibus denique reprobis in excidio orbis. Imprimis cōmunes clades magis deplorandæ sunt quàm singulares. Sic M. Aurelius Imp. moriens, flentibus suis dicebat: *Quid me fletis & non magis de pestilentia* (quæ tunc sæuiebat) *& communi morte cogitatis?* Capitolinus apud Baron. anno 179. Deinde peccata magis quàm pœnæ lachrymis digna sunt. Ergo Christus communem calamitatem vrbi & orbi imminentem, deinde peccata & supplicia iis decreta magis deploranda voluit. Hoc enim considerato, *beatæ steriles*,&c. quia non cogentur aspicere calamitates suorum filiorum. Tunc dicent perfidi Iudæi (partim in obsidione vrbis, partim in iudicio cuius illa typus erit) montibus: *cadite super nos*,&c. q.d. mea ista mors,ad quā abripior, multò acriùs feriet ipsos, quàm me. Ratio est, quia *si in viridi ligno hæc faciunt,in arido quid fiet?* lignum viride est frugiferum & ad ignem inidoneum, aridum verò sterile est & dispositū ad ignem. Si igitur lignum vtile, nihil in se habens, quod igni debeatur, ita excinditur, quid fiet ligno inutili & incendium commerito,quales sunt Iudæi? Porrò hoc etiam nobis dictum existimemus; si enim Christus insons pro aliena culpa tanta passus est, quid fiet nobis, qui quotidie delinquimus? Quid damnatis in inferno? 2.

G. VI. Ducuntur cum eo duo nequam. SEXTÒ, *Ducebantur alij duo nequam cum eo vt interficerentur.* Factum hoc est Primò à Iudæis, vt latronum consortio Christus magis infamaretur? quasi socius vel similis eorum; quod rectè expressit Lucas,cùm eos vocat,alios duos nequam, mentem & intentionem Iudæorum exprimens,qui vt Christum nequam facerent, adiunxerunt illi alios duos nequam. Vide hoc quàm verè scripserit Isaias cap. 35. *Et cum iniquis reputatus est.* 1.

Secundò, *Propter mysterium significationis*, ait S.Bonauent. in c.23. Luc. *Nam per duos latrones secundum allegoriam intelliguntur duo populi, inter quos & pro quibus passus est Christus: vnus scilicet Iudæorum & alter gentium: qui rectè latrones dicuntur, quia vterque Deo per superbiam in Adam voluerunt præripere dignitatem propriam. Sed populus Iudaicus tanquam latro sinister adhuc blasphemat: gentilis autem confitetur & orat.* Quando igitur Christus pro nobis mortem patitur, *eamus & nos & moriamur cum illo.* Nos enim pati debuimus, quia nos deliquimus. Moriamur saltem compassione, tantum redemptionis beneficium numquam obliuiscendo: deindē moriamur vitiis, pro quibus occidendis 2.

Christus est occisus. Moriamur cum latrone pœnitente, peccata nostra agnoscendo, Christum innocentem confitendo, contra obtrectatores defendendo, ac denique inuocando: *Memento* nostri in regno tuo.

§. XXV.

Peruenitur ad montem Caluariæ.

1. *Tres dantur rationes, quare locus Caluaria vocetur Golgotha, cur extra vrbem, idque in monte Moria.*
2. *Quare dent ei myrrhatum vinũ, & quinam illos imitentur.*
3. *Cur id gustauerit quidem Christus, noluerit tamen bibere.*

THEMA.

Venerunt in locum qui vocatur Caluariæ. Luc. 23.

A. Vidimus superiore discursu multam turbam hominum, vtriusque sexus, comitatam esse Christum exeuntem ad supplicij locum; tametsi longè plures ex curiositate quàm ex pietate spectaculo illi aderant, ideoque sine doloris sensu & compassione. Nimirum sicut paruulos comitari sæpe videmus funus sui parentis, sine vllo doloris & rerum, quę geruntur, sensu, quia nesciunt quem efferant aut comitentur ad sepulchrum? ita omnis illa turba, paucis tãtùm exceptis, comitabatur Christum, quem nesciebat esse Patrem, Dominum & Creatorem suum, sine sensu & cura eorum quę fiebant. Nos verò Christiani, non video qua ratione possimus excusari, si Christum Dominum, quem vocamus patrem nostrum, exeuntem ad supplicium comitari noluerimus cum dolore, & earum rerum, quæ ibi gerebantur, contemplatione. Non ergo efficiamur paruuli sensibus, sed, vt monet Apostolus, *exeamus cum parente nostro extra castra improperium eius portantes.*

B. I. Veniunt in Golgotha. *Primò sic vocatus locus.* 1. PRIMÒ, *Venerunt in Golgotha seu Caluaria locum.* Locus hic Primò vocabatur Golgotha, idest, Caluariæ locus. Primò secundum S. Hieronymum, quòd ibidem capita damnatorum truncarentur & hinc eorum crania dispersa iacerent. Quæ sententia habet difficultatem: si tamen vera est, mysterio non caret. Bene siquidem in loco ossium humanorum mortuus est Christus, vt sua morte vitam eis compararet; quod prædixit Ezechiel c. 37. ossa arida scilicet viuificanda in campo ossibus pleno: Ibi factus est sonitus petrarum, ibi commotio terræ, ibi accesserunt ossa ad ossa, eũm multa mortuorum surrexerunt corpora.

2. Secundò. Iuxta multorum patrum opinionem, quod ibi Adam, primus hominum patēs sepultus fuerit, *Vt sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificentur, & in illo loco, qui dicitur Caluaria locus, id est, locus capitis, caput humani generis resurrectionem inuenisse cum populo vniuerso per resurrectionem Saluatoris, qui ibi passus est & resurrexit;* ait Origenes tract. 35. in Matth. Et S. Ambrosius in Lucam: *Congruebat*, inquit, *vt ibi vitæ nostræ primordia locarentur, vbi fuerant mortis exordia.* Quasi tunc ei dicatur: *Surge qui dormis & illuminabit te Christus.* Vbi ergo iacebit saucius qui descendens ab Ierusalem in Iericho, inciderat in latrones, ibi offendit eum medicus, & infudit ei sanguinem suum.

3. Tertiò, Mysticè & propheticè secundùm Cyrill. *Catbec. 13.* quòd ibi caput totius generis humani, Christus erat passurus.

Secundò fuit extra vrbem. 1. SECVNDÒ, Fuit extra vrbem. Primò, vt intelligas, *quoniam communis est hostia pro grege humano oblata*, ait S. Augustinus Serm. 130. de temp. seu vt S. Leo Ser. 9. de passione ait: *Vt Crux Christi non templi esset ara, sed mundi.* Mortuus enim est Christus *vt filios Dei, qui erant dispersi*, per orbem scilicet totum, *congregaret in vnum*, vt scribit S. Ioannes c. 11.

2. Secundò, vt intelligamus, debere nos, si volumus participare fructum Crucis & accedere ad Christum, exire extra castra mundi huius, vitando pompam, luxum & fastum, amplectendo humilitatem, paupertatem, pœnitentiam, persecutiones, vt dicere possimus cum Apostolo: *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo*; quã causam ipse affert *ad Hebr. 13.*

3. Tertiò, Vt sciamus nos in hoc mundo non habere manentem ciuitatem, sed futuram inquirere; quam etiam causam reddit Apostolus *ad Hebr. 13.* ex eiusdem facti typo, quo victimarum corpora cremabantur extra castra. Videmus similem in modum efferri vnum post alium, extra vrbes, ad sepulchrum, & tamen nondum scire volumus esse nos peregrinos in hoc mundo.

Tertiò fuit in monte Moria. TERTIÒ. Fuit in monte Moria, vt scribit S. Aug. *serm. 71 de temp.* & *l. 16. de Ciuit. cap. 32.* fuit ex auctoritate S. Hieronymi, quem ait id certissimè cognouisse ex senioribus Iudæorum. Fuit autem Mons Moria diuisus in plures montes seu colles, qui præter nomina sua propria, vno generico nomine Moria vocabantur: quorum vnus erat mons Sion, in quo arx Dauidis, alius in quo templum, teste Iosepho *l. 1. Antiquit. c. 14.* alius Caluariæ, in quo Christus passus. Rectè autem in eo monte passus est, in quo Isaac immolari iussus fuit, *Genes. 22.* 1. Primò. Quia immolatio Isaaci mortem Christi præsignabat. Sicut enim aries immolatus est pro Isaac: Ita pro nobis Christus; & sicut aries occisus est, Isaac autem vixit: ita humanitas Christi passa & immolata, diuinitas nequaquam.

2. Secundò. Quia mons Caluariæ mons est Moria ob eius etyma. Significat enim montem myrrhæ, visionis, doctrinæ: qualis etiam fuit mons Caluariæ ob mortis amarorem: ob admirandum spectaculum, quod in eo visum est, ob doctrinam Christi, qui ibi è Crucis cathedra docuit nos viam cœli.

C. II. Dant ei myrrhatũ vinum. 1. SECVNDÒ, *Dederunt ei vinum myrrhatum cum felle mixtum.* Fecerunt hoc Primò, Ex recepto more, quo morte afficiendis dabatur vini potus in confortationem & consolationem atque obliuionem aliquam calamitatum. Hoc verò

rò lenimentum ne quid consolationis Christo præberet, destruxerunt myrrha & felle vt etiam in hoc ostenderent cor suum erga Christum plenum esse felle, odij & inuidiæ. Ita nimirum omni solatio destitutus volebat esse Christus, quia luebat dolores inferni peccatoribus decretos, qui sunt dolores Achærontis, id est, sine gaudio.

2. Secundò. Vt ostenderent se ex vinea illa esse, quæ à Deo expectata est, vt faceret vuas, fecit autē labruscas, id est, immaturas & agrestes atq; acerbas vuas, vt prædixit Isaias c. 5. Imitantur istos, & propinant Christo vinum felle ac myrrha mixtum, Primò Christiani, qui fidem quidem habent, sed malè interim viuunt, ore Christum confitentur, factis autem negant. Hypocritæ item, qui externam deuotionis speciem internâ malitiâ commaculant.

Imitantur eos. 1.

3. Secundò, Qui bonis suis operibus peruersas intentiones aliasque malas circumstantias admiscent, v. g. eleemosynæ inanem gloriam, orationi voluntarias distractiones, ieiunio, propriam voluntatem vel contemptum proximi, &c.

3. Tertiò, Hæretici qui Dei verbo miscent errores, peruersionem textus, prauas glossas, &c.

De his omnibus dictum est à DEO per os Ieremiæ c. 2. *Quomodo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?*

D. III. *Gustat Christus.* Tertiò, Cùm gustasset, noluit bibere, Gustauit Primò, ne videretur ex animi impatientiâ aut amaritudinis nauseâ respuere potum de more consueto datum. Itaque amore

1. nostri etiā hunc fellis bolum deuorare voluit.

2. Secundò, Vt hoc amaro gustu mederetur gustui nostro, nimiùm delicato, gulæ & ebrietati: ac nominatim gulæ protoplastorum qui gustando pomum vetitum se suosque præcipitarant.

3. Tertiò, vt doceret nos cum magna cautela & moderamine vinum bibere, in quo est fel luxuriæ, iræ, rixæ, &c. Item paucis & vilibus contentos esse, nec indignari cùm cibus insipidus, panis arctus & aqua breuis nobis offertur.

Non vult bibere. 1. Noluit autem bibere Primò. Ne videretur voluisse cōsopire sensus suos, quo minùs acerbitatem sentiret dolorum. Pati voluit Christus in illa hora tenebrarum, non releuari. Vinum autem illud tametsi ex vna parte amaritudinem præbebat, propter fel & myrrham: ex alia tamen doloris sensum poterat minuere, si exhaustum fuisset.

2. Secundò. Forsan vt sitis suæ ardorē in Crucem reseruaret, vbi omni dolorum generi mederi voluit omnibus nostris vitiorum morbis & sensibus deprauatis. Visui cùm aspicere voluit afflictam matrem & milites ludentes pro veste sua: auditui, cùm audire probra, cachinnos, blasphemias: gustui, cùm sitire & potari felle: odoratui, cùm fœtore loci vexari: tactui, cùm affixus cruci pendere.

3 Tertiò, Mysticè secundùm Hieronymum vt significaret se mortem quidem gustaturum, sed in ea non permansurum. Quod & nobis sua morte meruit, vt mortem tantùm gustaremus, id est, temporariam tantùm subiremus, non verò ebiberemus, id est, æternam non subiremus; vbi peccatores bibunt fæcem furoris Domini & fæx eorum non exinanitur.

§. XXVI.

Crucem Filio cur decreuerit Deus & elegerit filius.

THEMA.

Ibi crucifixerunt eum. Luc. 23.

QVæret forsan aliquis, quamobrem in SS. Prophetarum oraculis nulla fiat mentio de Caluariæ monte, in quo opus omnium maximum, redemptionis humanæ scilicet peractum est; cùm tamen aliorum montium, in quo Christus aliquid memorandum gessit, non obscura fiat mentio, veluti montis Thabor Oliueti, Sion. Sed videtur mihi monsbic non omnino esse præteritus. Ad illum enim spectat, quod *Gen.* 22. dixit Deus ad Abraham: *Vade in terram visionis atque ibi offeres eum* (filium) *in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Oblatum fuisse Isaac in loco, vbi crucifixus est Dominus, suprà vidimus ex Hieronymo. Hunc igitur locum digito notare videtur S. Lucas, cùm ait: *Ibi crucifixerunt eum*; quasi alludens ad montem Moriam, de quo dixerat Deus Abrahæ: *Ibi offeres filium tuum.* Ibi alligauit Abraham filium suum vnigenitum & posuit super struem lignorum: hīc alligauit Deus filium suum vnigenitum & posuit super lignū crucis. Quemadmodum ergo dies extremi iudicij velut omnium celeberrima vocatur dies illa: ita mons Caluariæ, præ omnibus celeberrimus, vnica voce, *Ibi*, rectè demonstratus fuit, ad quem alia etiam oracula non tantùm allusisse videntur, sed & causas exposuisse, quare Deus Pater supplicium tam atrox filio decreuerit & filius elegerit. Quę nūc ostēdentur. A.

B. I. *Vt pœna responderet delicto.* Decreta & electa est Crux PRIMÒ. Vt pœna respōderet delicto, medicina morbo. *Vt vnde mors oriebatur*, canit Ecclesia, *inde vita resurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Primus Adam perdidit nos, cùm ad lignū vetitum extendit manum suam: Secundus Adā redemit nos, cùm ad lignum execrabile extendit manus suas. Inobediētia in ligno perdidit, obedientia in ligno reparauit nos? & quia homo in ligno nō obediuit circa rem facilem, ideò nunc in eodem obedire debuit circa rem difficilem. Denique sicut in illo ligno deliquerunt nostri parentes multipliciter, oculis, aspiciendo curiosè fructum eius: auribus, præbendo eas serpenti: manibus, decerpendo fru-

do fructum; ore, comedendo: linguâ, fabulando cum serpente & se excusando: pedibus, accedendo ad arborem, deinde fugiendo & se abscondendo à Dei facie: ita pœnas dedit Christus crucifixus, in oculis, aspiciendo de cruce non modò afflictam matrem, sed & carnifices pro veste sua ludentes, Iudæos sibi insultantes, ficta geniculatione, &c. in auribus, tolerando probra & contumelias, in manibus ac pedibus clauos: in ore fel & acetum: in lingua sitim. Hanc causam indicat sponsus *Cant.* 8. dicens: *Sub arbore malo suscitaui te. Ibi corrupta est mater tua.* Quæ mater nisi Eua? quando est corrupta, nisi cùm aures serpenti & pomum vetitum viro dedit? Ergo sicut Alphonsus Rex quendam Equitem, qui ingens patrimonium per luxum absorbuerat, maximum insuper debitum contraxerat, corpore puniendum decreuit, frustra intercedentibus aliis, dicens: *Quoniam tantas opes corpori impendit par est vt luat corpore.* Panormit. in rebus eius gestis. Similiter quia primi parentes tantum patrimonium in ligno prodegerunt, in ligno Christus luit.

C. II. Vt satisfieret diuinæ Iustitiæ.

SECVNDÒ, Vt hoc acerbissimo supplicio satisfieret diuinæ Iustitiæ & ex hoc appareret eius rigor, & enormitas peccati. Quia enim peccata hominum commeruerant gehennam, cui nulla æquiparari supplicia possunt, idcirco grauissimum supplicium Christo fuit decretum, quale erat Crux, siue ignominiam spectes, siue cruciatum. Ignominiam eius maximam colligimus ex eo, quòd in ea pendens omnium pateret oculis essetque omnium probrum, quod integris sensibus continuò sentiebat, quamdiu viuebat. Vnde mors turpissima & lignum maledictum vocatur in SS. literis, nec aliter habebatur à gentilibus. Cruciatum verò ex manuum & pedum transfixione: quorum nerui continuò distrahebantur à penduli corporis grauitate: deinde quia diuturnus erat & sæpe in aliquot dies poterat durare. Vnde S. Augustinus *tract. 36. in Ioan.* ait: *Elegit extremum & pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem: de morte pessima occidit omnem mortem.* In hoc igitur execrabili supplicio ostendit nobis Deus, quàm execrabile sit peccatum, quod Deum ad hoc adegit vt tam infami, & diro ligno filium suum affigeret. Et de hoc intelligit S. Bonauent. *serm. de pass. Domini* illud Psal. 47. *Ibi dolores vt parturientis*; siquidem ibi Christus maximis cum doloribus spiritualiter nos genuit, & in ipso partu vitam perdidit. Hinc veteres Rabini apud Galatin. l. 8. c. 10. Messiæ passionem dixerunt similem futuram partui ob doloris vehementiam.

D. III. Vt mors Christi magis innotesceret.

TERTIÒ, Vt hac ratione mors Christi omnibus innotesceret, veluti certa & indubitata (propter futuram eiusdem resurrectionem) ac pro salute totius mundi suscepta. Vnde Lactantius l. 4. *Inst. c. 26.* ait: *Extendit in passione manus suas orbemque dimensus est, vt iam tunc ostenderet ab ortu solis vsque ad occasum, populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, &c.* Et S. Athan. l. de Incarn. Par, inquit, erat, vt Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque eius extenderentur vt hac quidem veterem populum, illâ verò gentiles attraheret & ambos in se coniungeret. Id enim ipse dixit, indicans qua morte omnes redempturus esset: Cùm exaltatus fuero, inquit, omnes ad me traham. Adhæc sicuti Crux quatuor habet cornua in quatuor angulos diuisa, ita significabat Christum à quatuor mundi partibus tracturum ad se homines per suam passionem. De qua re scripsit Habacuc *cap.* 3. dicens: *Splendor eius vt lux erit. Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Cornua crucis, intellige cum S. Augustino l. 18. de ciuit. cap. 31. & aliis. Ibi enim instar Solis in alto conspicuus resplenduit & omnium corda calefecit, ibi cornua crucis in manibus, id est, potestate sua habebat: ibi abscondita erat fortitudo eius, quia cùm putabatur impotentissimus esse vtpote affixus, potentissimus erat, vt nimirum Iudæis & Diabolo ipsi oculus trahens omnia ad se, commouens terram, obscurans solem, aperiens monumenta, scindens petras, & mouens ad pœnitentiam corda afflictorum, &c.

E. IV. Vt liberaret nos à maledicto.

QVARTÒ, Vt nos liberaret à maledictione, quam incurrit genus humanum, partim in Adamo, cui dictum est: *Maledicta terra in opere tuo* (Hebr. *maledicta terra propter te*) partim in seipso ob trásgressionem legis diuinæ (scriptum est enim Deut. 27. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.*) propter quod aliquando audire debuissemus; *Ite maledicti.* Ergo vt nos Christus redimeret partim à maledictione Adami partim à maledicto legis, cuius præuaricatione maledictum id incurreramus, *Christus factus est pro nobis maledictum* (id est, maledictus seu execrabilis) quia scriptum est (Deut. 21.) *maledictus omnis qui pendet in ligno*, vt ait & docet Apostolus *ad Gal.* 3. Quia ergo nulli alteri supplicio maledictum inferebatur præterquam ligni supplicio: idcircò in ligno voluit Deus suspendi filium suum, atque ita *maledictiones generis humani transposuit in Christum* (vt ait ibi Rupertus) vt nostrorum peccatorum maledictiones & execrationes in se expiandas susciperet sicque nos ab ijs liberaret. Quò videtur respexisse Michæas c. 4. cùm promittens Hebræis liberationem de captiuitate primò Babylonica per Zorobabel, deinde Diabolica per Christum, ait, *Ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.*

F. V. Vt perfectum virtutum exemplar exhiberet.

QVINTÒ, Vt perfectum nobis virtutum exemplar exhiberet, earum præsertim à quibus caro & mundus maximè abhorrebát, quales sunt hæ quatuor: paupertas, humilitas, patientia, obedientia. Etenim noxia cupiditas diuitiarum, honorum, voluptatum, dominationis & libertatis tam altas in animis hominum radices egerat, vt nisi Deus in seipso hæc omnia, quę mundus tam auidè quærebat, damnaret, impossibile foret ea extirpare. Licèt enim homines aliqui harum virtutum exemplis prælucerent, ij tamen minimè sufficientes erant

erant ad trahendum post se mundum, tum quia magnum non est homini naturâ imbecilli esse pauperem, humilem, pœnis subiectum & imperio, tum quia homo non est infallibilis certaque satis regula, quam cæteri tutò imitari possint. Dicere enim possent alij, istos insanire qui tam abiectas res sectantur. Quare crucem ascendit Christus quasi excelsam cathedram, vt in eâ nos doceret paupertatem imprimis,
1. quia nudus ibi stetit, nec habuit quod habent volucres & vulpes, vbi reclinaret caput. Se-
2. cundò. Humilitatem, quia instar malefactoris in medio latronum, loco supplicij publico &
3. infami, in ligno execrando & maledicto. Tertiò. Patientiam, quia cum summis doloribus pependit tribus horis, cum maxima patientia & silentio. *Cùm malediceretur nō maledicebat, cùm pateretur non comminabatur*, &c. 1. Petr. 2. Quar-
4. tò. Obedientiam, quia in eo fuit obediens patri vsque ad mortem, licèt ei æqualis esset. Nemo ergo imposterum borreat paupertatem, nemo probra & contumelias, nemo mortem & quodcunque mortis genus, nemo fugiat obedientiam: quia si hæc mala essent, imò si non salutaria & pretiosa essent, Dei filius non assumpsisset. De hac nouâ Christi doctrinâ locutam arbitror sponsam *Cant*. 8. cùm ait: *Ibi me docebis*. Vespasianus Imp. dicebat, decere Imperatorem stantem mori: quod & ipsi contigit inter manus seruorum. At Imperator noster Christus multo adhuc gloriosius stans in cruce super clauo ferreo obiit: ibi ergo nos docuit animosè aggredi mortem qualemcumq; illam.

G. VI. Vt ostenderet nobis amorem suũ. SEXTÒ. Vt huius supplicij specie & figurâ demonstraret nobis amorem & benignitatem suam erga nos, quàm videlicet cupiat nos omnes esse saluos. Nam Primò expandit super nos brachia sua vt ab irâ patris nos defendat, sicut aquila expandit alas ad portãdum pullos suos, quamuis hoc discrimine, quòd illa gestet pullos super alas suas, quia non timet illis desuper sed ab infrà tantùm, quasi iaculum in se receptura ne pulli configantur: Christus verò timuit nobis desuper tantùm, iram videlicet patris sui, ideo expandit super nos alas, spiculum iræ diuinæ in se recepturus. Deinde ibi instar gallinæ conuocat nos sub alas suas raucâ illâ voce: *Sitio*, salutem scilicet animarum. Rursum ibi velut pater filij illius prodigi monstrat se paratum obuiis vlnis ad recipiendum nos in gratiam & paternam curam suam. Denique instar matris ibi pandit vbera suarum miserationum, vt sine metu accedamus & pretiosum lac meritorum eius pro libitu sugamus. Quò spectare videntur illa sponsæ verba Cant. 7. *Ibi dabo tibi vbera mea*. Ad hæc igitur vbera curramus, Auditores, quamdiu patent ac fluunt. Erit enim tempus, cùm fons iste clausus erit: quemadmodum Ioannes *Apoc*. 1. vidit Christum ad Iudicium venientem præcinctum ad mamillas zonâ, quasi obligatis & clausis vberibus.

§. XXVII.

Crucifixionis circumstantiæ.

1. *Crucifixus est Dominus in monte. Cur?*	*tem versâ.*
2. 3. *Quare in medio terra; & in medio vniuersi.*	5. 6. & 7. *Cur feriâ sextâ, horâ sextâ diei, paschatis, lunâ 14. & primâ azymorum.*
4. *Cur facie ad occiden-*	

THEMA.

Erat hora tertia & crucifixerunt eum. Marci 15.

A. AGnum paschalem typum fuisse Christi in paschate immolati, nemo est qui nesciat. Eum verò agnum totum edi præcepit Deus Exodi 12. *Caput cũ pedibus eius & intestinis vorabitis*, inquit, *nec remanebit quidquam ex eo vsque manè: siquid residuum fuerit, igne comburetur*. Quod quid aliud significat, quàm Christi passionem enucleatè meditandam & singula eius mysteria omnesque circumstantias accuratè expendendas, vt inde nutrimentum animabus nostris paremus? Siquid tamē remaneat, quod intelligere non possumus, id potestati spiritus S. humiliter reseruandum, ait S. Gregorius hom. 22. in Euang. Iuxta hoc præceptum dabimus operam, vt omnia, quæ circa agnum illum in Cruce assatum contigerunt, auidè edamus, nec quidquam ex eo remaneat, quod capere possimus.

Si Iudæos interrogemus quamobrē affixerint cruci Christum, cur in monte, cur in aëre, cur auersâ ab vrbe facie, cur in festo & meridie, cur in medio latronum, &c. responderent se id fecisse ad maiorem Christi confusionem & ignominiam. Sed si Christum interrogemus, aliter respōdebit. Hunc igitur audiamus.

B. I. Crucifixus est in monte. Crucifixus est Primò in monte, vt in eo fœdus feriretur inter nos & Deum iuxta morem antiquum, de quo ferunt potentes viros pro formandâ pace, montem aliquem ascendisse & ibidem agnum occidisse, quo scirent pari sorte sanguinem illius fundendum, qui primus fœdus initum rupisset. Deus itaque cum humano genere nouum æternumque fœdus sanciturus, Agnum immaculatum eduxit in montem & coram nobis mactauit, vt sciremus nos simili, imò atrociori modo puniendos, si rupto fœdere ab eo discesserimus. Sic impletum est mysticè illud signum fœderis, quod dedit hominibus Deus in excelso aëre, Gen. 9. *Arcũ meum ponam in nubibus & erit signũ fœderis inter me & inter terram*. Bene verò vtrũque signum editum est in alto; Iridis in nubibus, quia inde descenderat diluuium: Crucifixi in monte, quia de cœlo venerat maledictio & ira Dei in filios Adam.

C. II. In medio terræ. SECVNDÒ. In medio terræ iuxta Ps. 73. *Operatus est salutem in medio terræ*. Videlicet tūc habitabilis, & medio nō mathematico, sed morali.

li, *ierusalem enim*, vt scribit S. Hieron. in c. 5. Ezechiel. *à parte orientis cingitur plaga, quæ dicitur Asia; à partibus occidentis eius; quæ appellatur Europa; à meridie & Austro Libya & Africa, & à septentrione Scythia, Armenia atque Persida, & cunctis Ponti nationibus. Ita medio igitur gentium posita est.* Primò vt responderet Crux arbori vitæ in paradiso, quæ in eius medio fuit, quò omnibus æquè esset obuia & accessibilis pro vitæ conseruatione. Itaque Crux in medio gentium posita est, vt sciremus pro omnibus æquo iure passum esse Christum, omnibúsque patere ac proponi venalem eius fructum: Sic petra salis in medio ouilis suspenditur vt ad eam omnibus ouiculis pateat par accessus.

2. Secundò, Vt responderet ligno scientiæ boni & mali, quod etiam in medio paradisi fuit. Tale autem lignum Crux est, docet enim quantum malum sit peccatum, quod Deum cruci affixit. Deinde quantum bonum sit paupertas, humilitas, obedientia, patientia, pro quibus docendis crucifigi Christus voluit, nobísque hanc lectionem in medio scholæ proponere.

3. Tertiò, Vt nos illi cor, quod est medium in microcosmo, demus, iuxta id Prouerb. 23. *fili præbe cor tuum mihi.* Et Cant. 8. *pone me vt signa culum super cor tuum.*

D. III. In medio vniuersi. TERTIÒ, In medio vniuersi, hoc est, inter cœlum & terram. Primò, quia vt aër in quo pendebat, commune est elementum, ita vt ex æquo omnes eum participent: ita voluit Christus passionem suam & fructum eius omnibus esse communem. Vt ergo aër nemini deest, nisi volenti, v. g. mergenti se aut gulam sibi frangenti: ita passionis fructus nemini negatur nisi volenti & eum pedibus calcanti.

Secundò, Vt aërem sanctificaret & purgaret à Dæmonum infestatione: quæ ratio est D. Athanasij *Serm. de passione.* Item Chrysost. *hom. de latr. & Cruci.* Et August. *Serm.* 130. *de temp.* Sanctificauerat Christus aquas, cùm in Iordane baptizaretur & cùm sicco pede super vndas ambularet: Terram, cùm tota vita sua super eam ambularet: ignem sanctificaturus erat in die pentecostes: ergo nunc in cruce sanctificare voluit aërem, vt hinc intelligerent dæmones Christum vbique dominari & omnibus elementis, adeoque nullum deinceps locum esse tyrannidi ipsorum, nisi sub imperio & fræno Christi.

Tertiò, Quia vt aër mediat inter cœlum & terram, ita Christus mediator est inter Deum & homines: quemadmodum & natura eius vna erat cœlestis & diuina, altera terrena & humana.

E. IV. Facie ad occidentē versa. QVARTÒ, Facie ad occidentem, dorso ad ciuitatem versa. Primò. Vt occidentalem plagam & Romam, vbi Ecclesiæ suæ petram insuperabilem collocaturus erat, benediceret.

2. Secundò, Vt à Synagoga & metropoli Iudæorum se auerteret, iuxta id Iere. 18. *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Quia enim Iudæi ita studio crucem constituerant, vt in eâ Christus faciem à ciuitate auerteret, quasi eius aspectu indignus esset, vt obseruant S. Ioan. Damascenus *lib. 4. de fide Orthod. c. 13.* Franc. Lucas & alij: hoc ipsu meruerunt, vt eueniret, quod voluerunt, & auerteret ab eis Christus faciem gratiæ suæ.

F. V. Feria sexta. 1. QVINTÒ, Feria sexta. Primò, quia illa die, sexta scilicet mundi, creatus fuit homo: ergo in eadem conuenienter recreatus est; quamuis magno discrimine. Nam creatus est sine labore redemptus verò maximo labore. Quam ob causam Deus quasi consultabundus inducitur à Moyse ad creationem hominis accedere, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Facile enim erat creare illum, sed difficile reparare, quem lapsurum esse præuidit, vt obseruat ibi Pererius. Ibi Deus formauit hominem, hîc Deus deformatus est ab homine. Ibi Adam accepit à Deo spiraculum vitæ: hîc Deus expirauit. Ibi Adā in paradisum positus est, hîc Deus è mundo & ciuitate eiectus. Ibi ad vetitam arborem extendit Adam manum, hîc ad lignū extendit Deus brachia.

Secundò. Quia ea die de communi Patrum sententia Adam & peccauit & è paradiso eiectus est; ergo bene eadem die est reparatus & in paradisum reductus, quod primò factum in Latrone. Meritò igitur Christiani hunc diē in honore habent & abstinentiâ sanctificāt, quia in eo creati & recreati, lapsi & reparati, è paradiso eiecti & in eū reducti sunt: in eo mors inuecta & rursū eliminata est: in eo scripturę impletę, infernus spoliatus & paradisus est apertꝰ. 2.

G. VI. Hora diei sexta. SEXTÒ, Hora diei quasi sexta, vt scribit S. Ioānes. Quod enim S. Marcus, hora tertia crucifixum esse ait, intelligendum de hora orationis, non diei. Horæ autem orationis erant Prima, tertia, sexta, nona, quarum vnaquæque cōtinebat tres horas, quemadmodū & vnaquæque noctis vigilia. Ergo sub finem tertiæ & circa initium sextæ Dominus crucifixus est, Primò, quia circa eandem horam, tempore scilicet meridiano, peccarunt & perdiderunt nos parentes primi: & quo tempore diei Christus obiit, eodem eiecti fuerant illi de paradiso; siquidem ad auram post meridiem deprehensi & reprehensi sunt à Deo.

Secundò. Quia sicut tunc in meridie sol ascenderat summum cœli & inde summum calorem terræ impertierat: ita sol Iustitiæ Christus cùm ascendit crucem, summum amoris gradum attigit, quo nos omnes calefecit, & amore sui inflammauit, certè inflammare debuit, iuxta id Ps. 18. *Occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.* Et ibi eum sponsa inuenire desiderabat Cant. 1. *Indica mihi, ait, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam,* &c.

H. VII. In die paschatis. SEPTIMÒ, In die solemni paschatis; quia Christus erat agnus immolandus pro toto mundo, qui per eum liberandus erat de seruitute Pharaonis, id est, Diaboli, & ab angelo percutiente.

Item luna 14. seu in plenilunio iuxta legem *Exodi* 12. quia Christus moriens toti illuxit orbi. Luna 14.

Item

Primo die azymorum. Item in die primo Azymorum, vt iam *non epulemur in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis*, vt ait Apost. 1. *Cor.* 5. q. d. quia pascha nostrũ immolatus est Christus, ex hoc incipiamus agere festum azymorum spirituale per septem dies, id est, per decursum totius vitæ nostræ, vt iam simus azymi & puri, nec nisi pura amplectamur, &c.

§. XXVIII.

De titulo Crucis.

1, & 2. *Quæritur cur scripserit Pilatus titulum, idque tribus linguis.*	4. *Reclamantes contra titulum, quos denotent.*
3 *Cur his verbis: Iesus Nazarenus &c.*	5. *Cur reclament Iudæi.*
	6. *Tribus causis non vult tum mutare Pilatus.*

T H E M A

Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Ioan. 19.

A. Mirum quid videmus in arbore S. Crucis, Cùm enim alioqui titulus cum re debeat conuenire, vti imago cum epigraphe, videmus hunc in Cruce ab illâ diuersissimum, Interrogemus enim, *cuius est hæc imago & superscriptio*? est Saluatoris, Liberatoris, Medici, vt indicat vox Iesvs. Imago est hominis miserrimi & qui ipsemet Liberatore indigeat, vulneribus & plagis confecti. Titulus est floridi vt indicat vox, *Nazarenus*: Imago verò est hominis leprosi, deformati, despecti. Titulus est Regis, (*Rex Iudæorum*) Imago est mancipij, malefici, principis Lattonum. Quid sibi vult hæc dissonantia? Nimirum vtramq; in Christo naturam denotat. Imago Crucifixi humanitatem eius ostendit, titulus diuinitatem. In cuius rei figuram Pontifex olim tunicam gerebat lineam strictissimam, carentem omnibus plicis seu rugis, (vt scribit Iosephus) tiaram verò splendidam & laminâ aureâ insignem, *Exod.* 28. Tiara Christi splendidus eius titulus est, diuinitatem eius monstrans; tunica verò linea & vilis ac corpori adstrictissima, species eius deformata, humanitatem indicans.

B. I. *Pilatus scribit titulum.* 1. Primò. Pilatus scripsit titulum & posuit super Crucem. Primò, Ex more Romanorum, vt sciretur nomen crucifixi & causa supplicij, ac ne existimaretur supplicium illud inferri ex tyrannide aut Iudicis maleuolentia, sed ex iuris æquitate.

2. Secundò. Ex dispensatione diuina, vt confirmaretur fides, non alium præter Christum pro nobis crucifixum esse. Fuit enim qui asserere auderet, non Christum sed Simonem Cyrenensem pro Christo esse crucifixum, Basilides videlicet hæresiarcha, nec non Machomet qui alium quempiam pro Christo crucifixum scripsit in suo Alcorano. Qui temeritatis & mendacij conuincuntur ex ipso titulo.

3. Tertiò. Mysticè, vt indicaret trophæum & triumphum Christi, crucem esse. Trophæis enim & Triumphis additi olim tituli. *Iulius* etiam *Cæsar Pontico triumpho*, inquit Suetonius in Iul. cap. 37 *inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: veni, vidi, vici.* Atqui crux ferculum seu currus est Salomonis nostri, factum de lignis Libani, cuius *ascensus purpureus*, Cant. 3. in quo triplici lingua clamat: *Veni, vidi, vici.*

Secvndò, Tribus linguis, Hebraica, Græca, Latina. Primò, quia hæ sunt præcipuæ linguæ & quasi fontes aliarum linguarum; vt ita causa crucifixionis Christi ab omnibus, qui aderant, legi posset & intelligi. C. II. *Tribus linguis.* 1.

Secundò. Ex dispensatione diuina, vt indicaretur Iesum futurum omnium linguarum principem & omnium linguis colendum ac confitendum, iuxta id Apostoli ad Philip. 2. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Omnium intererat scire crucifixum; vnde omnium linguarum fontibus id contestandum fuit. 2.

Tertiò. Vt hæ tres linguæ morte Christi consecrarentur ad sacra & diuina officia peragenda, quarum Latina vti Christo vicinissima & infima fuit, ita communissima erat futura. 3.

Tertiò. His verbis: Iesvs *Nazarenus Rex Iudæorum.* Primò. Ex mente Pilati, vt causam mortis explicaret, quæ ferebatur Regni Iudaici affectatio. Vel secundum Chrysostomum, vt Christum excusaret & Iudæos accusaret ac confunderet, vt qui Regem suum crucifixerint. Inuitus enim Christum condemnauit. Vnde admodum probabile est ad vlnonem de Iudæis sumendam, eum sic scripsisse. D. III. *His verbis: Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ.* 1.

Secundò. Ex mente & dispensatione diuina, vt hinc Christi innocentia pateferet: (Nihil enim criminis continet hic titulus) imò vt vera causa mortis Christi indicaretur, quia scilicet erat Iesus & Saluator mundi, pro aliorum sceleribus satisfacturus; & quia Nazarenus, id est, flos seu floridus, virtutum, quas impuri & fœtidi Iudæi ferre & olfacere non poterant, odore fragrantissimus; & quia Rex erat, ad prælium ante nos exiturus & pro nobis hosti sese obiecturus. 2.

Tertiò. Quia Christus in cruce maximè, & verè fuit Iesvs Nazarenus Rex Iudæorum. Iesvs, quia in cruce nos saluauit. Nazarenus, quia virtutum varietate & odore ibi maximè redoluit. Ibi enim flos fuit inter spinas; & sicut flos cùm manu premitur & attrectatur, magis redolet: ita Christus in Cruce pressus suauissimum mundo odorem exhalauit, cùm septem verba protulit; virtutũ odores sparsit & maximè cùm animâ ipsam exhalauit. Rex denique Iudæorum, id est, confitentium fuit, quia omnia ad se traxit, cœlum & terram mouit, corda Iudæorum ad sui confessionem inflexit, &c. Itaque docet Christus id esse & facto præstare, quod præsefert cuiusque titulus, quemadmodum & ipse titulum Saluatoris & Regis nequaquam frustrà gessit. Plerique ambiunt titulos & volunt vocari Rabbi, Domini, Gratiosi, Clementissimi, Reuerendissimi, &c. 3.

&c. Sed tales an sint non curant. Nos omnes titulum Christianitatis gerimus,& sæpe Christianè parum viuimus. *Nomen habes, quod viuas, & mortuus es*, scribit Ioannes ad Episcopum Sardicensem, *Apoc.3.* Vnde Saluianus *lib. 4. de prouid.* ait:*Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua, Prouerb. 11. Et in nobis itaque Christianum vocabulum, quasi aureum decus est: quo si indignè vtimur, sit vt suis cum ornamento esse videamur*. Sic ille. Et S. Hieronymus ad Paulinum ait:*Esse Christianum grande est, non videri* Quare titulus hic tabella est appēsa officinæ herbariæ vel literariæ inuitās prætereuntes ad cōparanda sibi pharmaca& omnis generis disciplinas. Emere vis gratiam & salutem vulneribus peccatorum? Ecce tibi IESVM. Flores virtutum? ecce tibi Nazarenum, floridum virtutibus & florem de radice Iesse. Securitatem & pacem? Ecce tibi Regem. Rursùm discere vis rationē quærendi salutem tuam? Ecce tibi IESVM, qui per crucem suam ostendit tibi viam. Virtutes? Ecce tibi Nazarenum. Rationem regendi temetipsum, vincendi mundum & diabolum? Ecce tibi Regem. Hunc ergo titulum suo quisque inscribat cordi, siquidem is nobis pandit aditum ad salutem & victorem, ad securitatem contra insidias spirituales & sæpe contra pericula etiam corporalia. Sanè Christus S. Edmundo adhuc adolescenti, adolescentis specie apparens & hunc ipsum titulum (*Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*) in fronte descriptum gerens, ostendit monens, vt hoc nomen cordi suo imprimeret & amaret, nec non singulis noctibus in fronte suâ pingeret; fore enim ipsi & omnibus similiter facientibus magnum aduersus mortem subitaneā præsidium. Sur. in vitâ 16. Nouemb. c.3. Hoc idem cùm fecisset singulis noctibus quidam religiosus, post mortem inuentus est in fronte gerens titulum illum, aureis inscriptum literis. Mallon. *in Explic. Stud. c.6.*

E. IV. Eū multi legerunt. QVARTÒ, *Hunc titulum multi Iudæorum legerunt, quia propè ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus.* Magna legentium diuersitas fuit. Alij legerunt, sed nō intellexerunt. Alij legerunt & calūniati sunt. Alij legerunt & probârunt. Primi denotant eos, qui legunt S.Scripturam sed non intelligunt, nec curant intelligere. Secundi qui eandem vel deprauant vel deprauatò sensu intelligunt. Tertij sunt Lectores boni.

F. V. Reclamāt contra eū Iudæi. 1. QVINTÒ. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Petieru**n**t hoc Primò, Quòd IESV licèt crucifixo hunc titulum inuiderent velut honorificentiorem aut saltem ambiguū; metuentes ne quis eum prout verba iacebant, intelligeret, & inde moueretur ad credendum in eum. Ita nimirum filij tenebrarum sapientes sint vt faciant malum & bonæ Christi famæ omnes præcludant ianuas, quod prædixit in personâ Christi Dauid in Psal. 21. qui totus est de passione eius: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*, id est, Pontifices & Pharisæi: *aperuerunt super me os suum sicut Leo rapiens & rugiens*, videlicet metuentes ne sibi eripiatur aliquid de præda; Vnde sequitur:*Sicut aqua effusus sum*, hoc est, clamarunt & rugierunt, vt effunderer sicut aqua, ne vllus bonæ famæ odor in me remaneret.

Secundò, Quòd sentirent eo titulo se perstringi ex odio & astu Pilati, sibique & genti suæ inuisi eam notam, quòd ipsorum Rex in crucem ageretur; prout videtur fuisse mens Pilati. 2.

G. VI. Non vult eum mutare Pilatus. 1. SEXTÒ, *Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* Noluit mutare titulum, Primò, quia vt scribit Apuleius 1. Florid. *Proconsulis tabella, sententia est, quæ semel lecta neque augeri literâ vnâ neque minui potest, sed vtcunque recitata, ita prouinciæ instrumento refertur.* Videtur ergo titulus ille insertus fuisse publico instrumento; adeoque mutari non poterat. Similiter Vlpianus (apud Gretser. de cruce *l.1.c.18.*) *Hoc iure*, inquit, *vtimur vt Iudex qui semel vel pluris vel minoris condemnauit, amplius corrigere sententiam suam non possit: semel enim malè vel bene officio functus est.* Quàm fœlices nos dum in statu merendi sumus: possumus enim delere sententiam, quam dictauimus contra nos, ex libro mortis! verùm vbi ad terminum venerimus, semel malè vel semel bene officio nostro functi sumus, nec retractabitur in æternum.

2. Secundò. *Ex diuino instinctu*, ait S. Augustinus *tract. 117.* nam occulta vox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tantò ante in psalmorum literis prophetatum est: *Ne corrumpas tituli inscriptionem.* Voluit enim Deus per crucem glorificare & exaltare filiū suum, quem Iudæi volebant deprimere; Sed quia non est potentia nec consilium contra Deum, idcò stare debuit titulus ringentibus Iudæis. Dicebant illi apud Ieremiam c.11. *Eradamus eum de terrâ viuentium & nomen eius non memoretur ampliùs.* Sed eradere non potuerunt, quod Dei iussu scriptum est. Vnde in huius rei ostensionem titulus ille ferreo instrumento in ligneam tabulam incisus est, vti cernitur adhuc Romæ. Quemadmodum ergo Ioseph iuxta somnia, quæ vidit, Rex fratrum suorum fieri debuit, licet illi hoc omni modo impedire studerent, vendendo eum exteris. Dicebant etiam: *Ecce somniator venit* (Hebr. *Dominus somniorum*) *venite occidamus eum &c. tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* Gen. 37. Sed nihil effecerunt: Dominus illorum factus est. Ita contigit Christo.

Tertiò. Ad informationem nostram, ne facilè mutemus proposita bona, vota præsertim emissa, & quæ ad Iustitiam & religionem promouendam decreta & promulgata sunt. Ob inconstantiam in ferendis & conseruandis legibus sæpe traducuntur Magistratus. Turpius agunt Apostatæ, qui fidem vel religionem deserunt, cui nomina sua dederunt. Nos ab his cauebimus, & quæ semel in corde nostro scripsimus ac decreuimus ad Dei gloriam, nunquam obliterabimus, sed cum Pilato respondebimus Dæmoni, carni, mūdo: *Quod scripsi, scripsi.* Similiter quæ in confessione Cōfessario, in baptismo Ecclesiæ, in religione superiori imò 3.

Deo

Deo promisimus, seruare meminerimus, dicendo: Quod dixi, dixi: *quod scripsi, scripsi.*

§. XXIX.

De vestium diuisione.

1. *Passus est Christus vestimenta sua accipi, ob ista.*
2. *Cur fecerint 4. partes.*
3. *Quid significet tunica inconsutilis.*
4. *Cur noluerint eam scindere.*
5. 6. *Quare sortiti sint pro ea.*

THEMA.

Partiti sunt vestimenta mea sibi & in vestem meam miserunt sortem. Ioan. 19.

A. QVanta vestium Christi virtus esset, nouit pia illa mulier, quæ duodecim annis sanguinis fluxum passa, cùm sequeretur Christum pergentem ad resuscitandam filiam Iairi, præ turbâ apprehendere nō poterat. Dicebat enim intra se: *si vel vestimentum eius tetigero, salua ero.* Tetigit & saluata est, cùm interim turbæ Christum comprimerent, nemo tamen ex illis virtutem illius vestis senserit; quemadmodum nec milites illi, qui vestes Christi crucifixi omnes sibi vendicarunt. Nimirum aliud est Christum tangere vera fide, & aliud comprimere, seu tangere sine fide. Priore modo mulier tetigit, quæ in Christum credidit & sedulò perpendit, quis & qualis ipse esset. Posteriore milites & cæteri Iudæi. Huius ergo mulieris vestigiis insistentes, sequemur & nos Christum & quidem in itinere passionis, vbi iam iam moriturus, mortuum genus humanum suscitaturus est. Et quia iam ipsum met tangere non possumus, vtpote in alto suspensum, curabimus vt vel vestimenta eius tangamus, ita vt sentiamus in nobis & ipsius & mysteriorum eius fructum & virtutem.

B. I. *Milites accipiunt vestimenta eius. Patitur id Iesus.* PRIMÒ. Milites cùm crucifixissent eum, *acceperunt vestimenta eius.* Passus est hanc iniuriam Christus, quâ vestibus spoliaretur & nudus crucifigeretur. Primò, Vt vestem innocentiæ, quam perdideramus in Adamo, nobis recuperaret, adeoque nuditatis nostræ ignominiam tegeret. Commutauit nobiscum vestes Christus, accepit in se nuditatem nostram & dedit nobis vestes suas, vt pro nobis è carcere dimissis, ipsi remaneret.

1. (see above)

2. Secundò, Vt amorem suum erga nos testaretur. Sic 1. *Reg.* 18. cùm iniisset Ionathas fœdus cum Dauide, quem vt animam suam diligebat, expoliauit se tunica, quâ erat indutus, dedítque eam Dauidi & reliqua vestimēta sua. Nam quia non satis firma ac fida societas videbatur inter Ionathan Regis filium & inter Dauidem, seruum, militem, pastorem; detraxit sibi Ionathas vestimenta sua & induit ea Dauidi, ita vt videretur Dauid alter esse Ionathas. In signum ergo fœderis & amoris erga nos expo-

liauit se Christus vestibus suis, vt iis nos induti ei assimilemur, nec de eius erga nos amore dubitemus, licèt ipse Dominus, nos serui, ipse creator, nos creaturæ eius simus.

3. Tertiò, Vt doceret nos rationem luctandi cum Dæmone, exuendo nimirum vestes, id est, affectus omnes erga creaturas. Nam si vestitus aliquis cum nudo luctari debeat, facilè superabitur, quia habet vnde teneatur. Dæmones autem quibuscum luctari debemus nudi sunt, quia nihil in terra possident. Maximè verò instante morte omnes huiusmodi affectus deponendi sunt, vt nudi cum nudo moriamur Christo.

C. II. *Faciunt 4. partes.* SECVNDÒ, *Fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem & tunicam.* Factum hoc à militibus Primò, Quia damnatorum vestes quasi iure hæreditario sibi vendicabant. Diuiserunt autem eas viuente & inspectante Christo, quo dolores eius augerent.

2. Secundò, Ob mysterium, quia vestium diuisio in quatuor partes significat Ecclesiæ Christi diffusionem ad quatuor mundi plagas, tunica verò inconsutilis non diuisa significat eiusdem vnitatem & concordiam. Causam dat S. Gregorius in 6. Psal. pœnit. *Quia sicut nihil est corpori veste vicinius: ita nihil est Christo suâ Ecclesiâ coniunctius.*

3. Tertiò, Quia denotabat merita Christi, virtutes item & Sacramenta diuidenda per quatuor orbis partes quæ illis vestiēdæ erant, sicuti vestibus Christi milites vestiti sunt. Atque hæc est illa vestis odorifera Primogeniti nostri fratris (Christi) in qua sola Deo placere & benedictionem obtinere possumus, vti Iacob non nisi in veste fratris Esau primogeniti benedictionem patris obtinuit, *Gen.* 27.

D. III. *Erat tunica inconsutilis. Talem ipse gestauit.* TERTIÒ, *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* Voluit Christus gestare talem tunicam, Primò, Ob amorem patris sui cœlestis. Significat enim hæc vestis vtramque Christi naturam, diuinam & humanam. Diuinam, quia ea ab æterno, mirabili & inscrutabili opificio communicata & induta est filio à patre; & quia ea in passione indiuisa & illæsa, imò indiuisibilis & illæsibilis fuit. Humanam, quia etiam mirabili Spiritus sancti artificio, desuper contexta fuit per totum in vtero B. Virginis è puris & solis filis purissimi sanguinis Virginei, nullâ humanâ adhibitâ manu vel futurâ alterius adminiculi. Hanc tunicam solus induit filius, adiuuante tamen se Patre & Spiritu sancto & quasi ex vtraque parte manicas tenente vt docet S. Bonau. *in Medit. Vitæ Christi;* ita vt opus incarnationis operata sit tota Trinitas, solus tamen filius incarnatus sit & tunicam hanc induerit. 1.

Secundò, Ob amorem Sanctissimæ Matris suæ. Nam vt scribit Euthimius in cap. 6. Matt. ex traditione patrū fertur ea tunica opus fuisse Dei matris. Adduntque alij beatissimā Virginem Christo paruulo existente illā texuisse, & eo crescente tunicam quoque creuisse. Nec id improbabile videtur, siquidem & vestes Hebræorum peregrinantium in deserto per an- 2.

nos 40. non sunt attritæ, imò & videntur cum crescentibus creuisse. (Vnde enim illis vestes aliæ in deserto?) vt notat Cornel. à Lap. *in Deut. 8.*

Tertiò, Ob amorem sponsæ suæ Ecclesiæ. Nam & hæc, vt diximus, designabat vestis illa, quia vti vestis ornat hominē, ita Ecclesia Christum. Vestis hæc contexta è filis, id est, Christianis innumerabilibus per charitatē & fidei vnitatem sibi mutuò innexis, ita vt dissolui nisi grādi peccato, deleri verò prorsus nequeat. Ac sicuti vestis illa interula & Christi corpori cōiunctissima semper adhæsit: ita & Ecclesia per amorem semper ei intima fuit. Hæreses (vti Lutherana & Caluiniana in Imperio) assutæ tantùm sunt, quæ ad illam tunicam non pertinent, ideò resecari possunt & debent.

E. IV. Nolunt eam scindere. QVARTÒ, *Dixerunt ergo ad inuicem Non scindamus eam.* Primò ad literam, quia difficulta fuisset inutilis & prorsus resoluta.

1. Secundò, Ob mysterium, quia, vt vidimus,

2. significat Christi Ecclesiam, quam non vult scindi Dominus; siquidem vt *Luc. 11. cap.* dixit, *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* Ecclesiam autem suam voluit inexpugnabilem. Vnde grauissimo scelere se obstringit qui vel se vel alios ab Ecclesia Christi subtrahit, quemadmodum ipse Christus S. Petro Episcopo Alexandrino veste laceratâ apparens, cunquestus est de Ario Diacono Alexandrino hereseos auctore, dicens: *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilacerauit.*

3. Tertiò, Ad documentum nostrum, ne videlicet nos fideles scindamus mutuam charitatem, per quam in Christo coniuncti sumus, quæque Christum ornat instar vestimenti; vti ipse insinuauit, *Ioan.* 13. in Sermone vltimæ cœnæ: *In hoc agnoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

F. V. Sortiuntur pro ea. QVINTÒ, *Sed sortiamur de illâ cuius sit.* Fecerunt hoc milites Primò, pro more & libidine

1. suâ, vt qui omnem controuersiam solent dirimere sortibus, aleis vel duellis, simulque omnia sua committere fortunæ, vt aut summi fiant aut infimi, totum lucrentur aut perdant.

2. Secundò, Ob mysterium, diuinā dispēsatione, vt scriptura impleretur Ps. 21. dicens: *Partiti sunt vestimenta mea sibi & in vestem meam miserunt sortem*, inquit Ioannes. Non quòd ideò sortes iactæ sint, quia prædictum fuit, (potiùs enim prædictum fuit, quia futurum erat) sed vt inde constaret Christum esse Messiam de quo tam luculenter omnia prædixerint Prophetæ, vt ne vestium quidem diuisionem & sortitionem tacuerint.

3. Tertiò, in prælùdium & prognosticū iniuriarum, quibus Christi Ecclesia afficienda erat à persecutoribus: Tyrannis, qui Ecclesiā illam directuri erant & pro Christianorum vitā & bonis quodammodo lusuri: Hæreticis, qui diuisiones & schismata in ea excitaturi & fidem aleæ subiecturi, dum alios conabūtur fraudulentis dogmatibus, quasi aleatores circumuenire, & quasi iactum aleæ Doctrinā suam mutare, vt his aut illis placeant, vel libidini suæ indulgeant, & quidē tantâ arte, vt eorum fraudes non facilè deprehendantur: id quod notauit Apost. *ad Eph. 6.* cùm ait: *Iam nō simus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiā hominum* (græcè *in aleatione hominum.*) Fidelibus denique, qui vestes Christi, id est, bona Ecclesiastica erant vsurpaturi & pro iis sortes quasi missuri simoniacā prauitate.

G. VI. Milites hæc faciunt Ad duū hoc SEXTÒ, *Et milites quidem hæc fecerunt.* Addit hoc Ioannes. Primò, ad indicandam militum licentiam seu libidinem, quā nihil non audent præter ius fasque, quando in oculis Christi ludere pro eius vestibus nihil dubitarunt. Taxat

1. itaque Ioannes & subtiliter dissuadet vitam militarem, ad omnia vitia pronam & Dei contemptricem. Ob quam causam SS. Ambrosius & Augustinus nulli vnquam voluerunt militiam suadere.

2. Secundò, Ad cautelam nostram, ne & nos eum illis sanctam Christi vestem sortibus seu ludo committamus. Hoc autē faciunt Primò, qui tam liberè peccant pro leui commodo vel lucro, quasi animam & salutem suam aleę subiicient. Secundò, Qui beneficia à Deo accepta non Deo, sed sorti adscribunt ac fortunæ.

3. Tertiò, Ad instructionem nostram, vt caueamus mundum qui instar illorum militum, expoliat morientes & nudos ablegat in sepulchrum, postmodum bona eorum diuidit inter hæredes, & sortibus committit, demum iis bonis alios similiter spoliat, sicque inescat & capiat homines, quo modo pueri pelle ranæ vnius capiunt ranas alias.

§. XXX.

Crucifiguntur iuxta eum latrones.

1. *Factum hoc ex consilio Iudæorum, ex consilio Dei, & voto ipsius Christi.*	*Iesum in medio illorum, & cur Christo medius locus debeatur.*
2. *Quare crucifixerunt*	

THEMA

Tunc crucifixi sunt cum eo duo Latrones, vnus à dextris & vnus à sinistris.
Matth. 27.

A. PRopheta Abacuc c. 3. præuidens in spiritu & considerans opera incarnationis & natiuitatis Christi, admiratione & timore correptus obstupuit seu expauit. Sic enim loquitur cap. 3. (iuxta 70.) *Domine consideraui opera tua & obstupui* (vel *expaui*) *Domine opus tuum in medio duorum animalium cognosceris.* (Sic enim vertunt 70.) Obstupuit & expauit propheta, quando in spiritu vidit Deum factum hominem & iacentem in presepio inter duo animalia: quomodo, quæso, expauisset, si eundem aspexisset pendentem in patibulo in medio duorum latronum? Huc igitur, Auditores, cōuertamus oculos, & nisi fallor, attoniti expauescent.

uescemus. Quid enim sibi vult Deus inter latrones? Eamus & videamus visionem hanc magnam.

B. I. Crucifigunt cum Domino duos latrones.

PRIMO. Crucifixerunt cum eo duos latrones. Primò ex consilio Pilati & instigatione, vel suggestione, aut saltem approbatione Iudæorum, vt is quidem famæ suæ consuleret, ne videretur innocentem occidere & reis parcere: hi verò vt latronum societate maiorem Christo infamiam aspergerent iuxta scripturam illam, quam etiam ipse Christus de se interpretatus est: *Cum iniquis reputatus est.* Quis imposterum ægrè ferat, si collocetur abiecto loco inter pauperes & abiectos aut quoquo modo vilipendatur, si hoc pertulit ipse Christus & iuxta doctrinam suam vltimo & abiectissimo loco recubuit.

2. Secundò. Ex consilio Dei patris, qui vnde Iudæi Christum deprimere & infamare satagebant, inde exaltauit & glorificauit filium suum. Cùm enim ante id tempus nullus vnquã crucifixus celebraretur, aut latro: celeberrimus tamen in orbe vniuerso factus est Christus, qui velut latro crucifixus fuit; imò & crux propter ipsum, tantum consecuta est honorem, vt Regum diademata inde sibi decus sumerent: nec non latrones socij, qui hoc nomine fœlices censentur, quòd cùm Christo crucifixi pependerint, tantoque fœlicior ille dexter, quando per fidem etiam Christo fuit coniunctior. *Socrates*, ait Seneca in Consol. ad Heluiam, *carcerem intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus. Neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat*, &c. Multò Magis Rex cœlestis suspensus cum latronibus ignominiam detraxit & crucibus & latronibus. Hinc enim factum est vt Imperator Heraclius summo sibi honori duceret, eò crucem ferre suis humeris, quò eã Christus tulerat: & multi Reges ac Magnates, optarent nunc iuxta Christum pendere in latronum crucibus.

3. Tertiò. Ex voto ipsius Christi. Quia enim descenderat de cœlo, peccatores saluos facere, ideoque cum illis viuens et plurimùm versabatur, idcircò voluit cum illis versari etiam moriens, quia pro illis moriebatur. Bini igitur bi latrones, id est, peccatores omnes, pœnitentes & impœnitentes, titulus & causa sunt mortis Christi verissima. Quis enim Christum in crucem egit, nisi magnus ille Latro, Adam cum totâ suâ progenie? possumus ergo dicere Christum hoc in loco non tantùm esse Samaritanum illum, sed & hominem illum, qui descendens ab Ierusalem in Iericho incidit in latrones & despoliatus ac vulneratus est ab eis. Peccata enim nostra latrones sunt, qui Christum descendentem de cœlo ad terram, spoliarunt, vulnerarunt.

C. II. Iesum in medio eorum.

SECVNDÒ. *Vnum à dextris & vnum à sinistris medium autem Iesum.* Primò ex mente Iudæorum, vt latronum princeps & antesignanus baberetur. Hunc locum tribuit mundus suo benefactori & Patri Patriæ.

1. 2. Secundò. Ex mente Spiritus Sancti, quia Crux Christi omnium Martyrum cruces superat, ideò tanquam reginæ medius ei locus debebatur. Nam *passio Domini æmulos habet, pares non habet*, inquit S. Ambrosius *in Lucam l. 10. cap. 19.* Nemo enim tantæ dignitatis homo, nemo tanto amore & fortitudine, nemo pro tali causâ, nemo in tantâ innocentiâ vnquam passus est vel patietur. Patiuntur alij pro mundo vt latro malus: alij pro Deo vt latro bonus: Christus Deus passus est pro hominibus.

Tertiò. Quia Christo mediatori medius locus debetur Primò. Quia ibi propriè est lapis angularis, iungens duos parietes, id est, populum Hebræum & gentilem, & faciens vtraque vnum. Impletum est, quod in figurâ gestum est. *Num.* 13 Cùm exploratores botrum vnà cum suo palmite absciderunt in terrâ promissionis, quem duo viri in vecte gestabant vnus præcedens, alter sequens. Botrus Christũ denotat iuxta id Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Vectis crucem. *Hanc vuam duo desferunt*, inquit S. Aug. serm. 100. de temp *inserto vecti pendentem. Possunt isti duo etiam Christianum vel Iudaicum populum figurare. Isti ergo sunt duo, id est, Synagoga vel Ecclesia populi. Et quia prior suis Iudæorum populus præcedit Iudam, sequitur Christianus. Salutem suam hic ante conspectum suum gerit: ille post dorsum. Hic obsequium præfert, ille contemptum, &c.* Malus latro Iudæum populum notat, qui dorsum Christo vertit & blasphemat. Bonus verò gentilem, qui ad Christum se conuertens, orat & confitetur eundem. Hic Christum videt, agnoscit, & adorat: ille videre renuit & exercratur. 3. Christo medius locus debetur. 1.

Secundò. Ibi stat vt Saluator, omnibus ex æquo, si modò ipsi voluerint, offerens salutem suam, quod & facto ipso ostendit, dum volenti & pœnitenti latroni salutem impendit, nolenti verò & impœnitenti alteri non impendit. Interim tamen eam omnibus offert & dat gratiam sufficientem vt saluati possint, si velint. Neque enim minora exhibuit beneficia Iudæ proditori, quàm cæteris discipulis. 2.

Tertiò. Ibi stat vt Doctor totius generis humani, seu vt Concionator in medio Ecclesiæ tradens nobis septem verba, totidem antidota contra septem vitia capitalia (vt alibi explicauimus) imò compendium doctrinæ Christianæ totius & virtutum omnium, charitatem, patientiam, contemptum mundi, paupertatem, obedientiam, humilitatem, pietatem in Deum & parentes, constantiam, dilectionem inimicorum, silentium, orationem, peccatorum fugam & odium: partim verbis, partim exemplis; docuit omnem sapientiam omnemque vitæ perfectionẽ. Quare de Christo meritò intelligimus, quod de Dauide scriptum legimus 2. Reg. 23. *David sedens in Cathedra, sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Christus enim in Cathedra Crucis sedens, inter tres Crucifixos vnus, Princeps sapientissimus: & licèt vilis & exilis sit aspectu & mortalis secũdum carnem: instar tamen vermiculi fortissimo diuinitatis suæ ore crucem quasi corrosit, dum eam ex graui leuem fecit, ex contemptâ gloriosam, 3.

ex odiosâ amabilem: & dum verbis suis concussit hominum corda, imò cœlum & terram.

Quartò. Ibi cernitur vt Iudex futuri iudicij specimen aliquod exhibens, dum latronē pœnitentem assumit ad paradisum, alterum verò insultantem & impœnitentem relinquit: illum habens à dextrâ, hunc verò à sinistrâ. Vnde Aug. *tr. 31. in Ioan.* ait: *Ipsa crux tribunal fuit. In medio enim Iudice constituto, vnus latro, qui credidit, liberatus; alius qui insultauit, damnatus est. Iam significabat quid facturus esset de viuis & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram &c.* Cuius rei figura fuit Ioseph in carcere constitutus inter pincernam & pistorem Pharaonis, quorum huic suspendium, illi verò restitutionem in pristinam dignitatem præuidit ac prædixit *Gen.* 40. Ita enim Christus latroni vni paradisum prædixit & promisit: alteri infernum reliquit. Idemque fiet in fine mundi & extremo iudicio. *Tunc duo erunt in agro*, ait Dominus Matth. 24. *vnus assumitur & vnus relinquetur.* Et Matth. 25. *Separabit eos ab inuicem sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuit oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris.* Docet verò & hoc Dominus, quos numeret inter oues & quibus paradisum donet: Illis videlicet qui cum latrone dextro rectè se habent erga Deum, seipsum, proximum. Latro ille Christo dedit gloriam, contestans eius innocentiam & regiam potestatem in altero sæculo, sibi confusionem, dum se factis digna recipere fatetur: proximo charitatem, dum redarguit errantem & reducere ad viam satagit. Iste proinde audiuit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Nos ergo si inter oues Christi à dextris stare volumus, sequamur hunc latronem.

§. XXXI.

Christus in cruce subsannatur.

1. *Quid propheticè significet, quòd sedentes seruauerint eum, explicatur.*
2. 3. *Stat populus spectãs & deridẽs Christum, tam ex instinctu dæmonis ac principum impulsu, quàm ex ignorantia.*

THEMA.

Stabat populus spectans & deridebant eum principes cum eis, Luc. 23.

A. Sacra Christi passio quædam recapitulatio est gestorum Veteris testamenti. Vidimus enim hactenus Iosephum à fratribus venditum; vidimus Samsonem ligatum à Philisthæis; vidimus Dauidem illusum coram Achis; vidimus Isaacum fasce lignorū onustum; vidimus arietem hærentem inter vepres; vidimus serpentem æneum in perticâ suspensum; vidimus Iosephum medium inter pincernam & pistorē, &c. Nunc videbimus Noën vino inebriatum & à filio Cham irrisum. Quod enim *Gen.* 9. legimus Noën de vineâ quam plantauerat, fuisse inebriatum & in ebrietate nudatū, & in nuditate à Cham irrisum, à Sem verò & Iapheth pallio reuerenter tectum: id impletum est in Christo, quando in cruce pendens irrisus est à Iudæis perfidis suis filiis. Ipse enim est verus Noë & consolator generis humani, qui de Ecclesiæ vineâ, quam plātauerat, amore inebriatus & nudatus est in cruce non modò vestibus sed & carne sua. Hunc igitur impius Cham, id est, populus Iudæorum cum latrone blasphemante irrisit & exsibilauit, quem contrà populus Christianus cum Latrone pœnitente pallio venerationis tegit & honorat. Quæ igitur circa hoc pensanda veniunt, nunc inspiciamus.

PRIMÒ. *Sedentes seruabant eum.* Primò ad literam, ne quis eum de cruce deponeret antequam esset mortuus & Præses iussisset. Verùm præter mentem Iudæorum inde clarior facta est Christi resurgentis virtus: non enim possunt dicere, viuum è cruce sublatum fuisse, quem vsque dum moreretur, in cruce custodierunt. B. I. Sedentes seruant eum. 1.

Secundò, Propheticè significatum est, Christum à gentibus conuertendis seruandum, à Iudæis deserendum fore. Milites enim qui seruabant eum, Ethnici fuerunt. Quem ergo deseruerunt Iudæi, seruarunt Gentes. 2.

Tertiò. Moraliter docemur Christum seruare diligenter vsque ad mortem nostram nec permittere vt quis eum nobis auferat, iuxta id Apoc. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Et Apoc. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem.* 3.

Item Christo patienti assistere & compati: quod licèt nō fecerint milites illi, quia Dominum gloriæ non cognouerunt; facere tamen debemus nos, qui eum agnoscimus. Mirabile materni amoris exemplum exhibuit Respha (2. *Reg.* 21.) vxor Saulis, quæ duobus filiis suis in crucem actis strato super petram cilicio tamdiu assedit, donec pluuia de cœlo descenderet super eos, nec permisit eos lacerari interdiu ab auibus & noctu à feris, cùm contrà Michol 5. filiis suis, & ipsis simul crucifixis nequaquam id fecisse legatur. Ita nimirum dum crudelis synagoga nequaquam Christo compatitur, compatitur tamen Ecclesia & dolores Christi in se sentit, quemadmodum Respha filiorum suorum singultus, suspiria & lamenta suo etiam in corde sensit acerbissimè: sedet item super petram & cilicium castigando corpus suum variis afflictionibus vt Christo patienti similem se exhibeat etiam in corpore; denique non permittit vt Christo vlla inferatur iniuria.

SECVNDÒ, Stabat populus spectans (Christum crucifixum) vt in eum iacularetur contumeliarum suarum tela, sicut scribit Ieremias Tren. 3. *Tetendit* (synagoga) *arcum suum & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ*, id est sagittas; *factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Hoc enim loco maximè impletum est, quod prædixerat de Christo Simeon: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur.* Vt enim qui iaculatur, ad scopum intendit; ita populus iste C. II. Populus stat spectans.

in Christum intendebat, vt eundem conuitiorũ & sannarum sagittis peteret. Subdit enim mox S. Lucas: *Et deridebant eum principes cum eo.* Idem prædixit Dauid *Psal.* 21. cùm ait: *Omnes videntes me deriserunt me.* Solent principes & qui vulgi arguunt vitia, omnium oculis expositi omniumque telis obnoxij esse, quemadmodum Fridericus tertius Imp. audiens ab improbis multa in se maledicta iactari, ad Proceres conuersus dixit: *An nescitis principes quasi signum ad sagittas expositos?* Christus autem ex officio Legationis suæ arguebat vitia Iudæorum: hinc in illum iacula & tela torquebant. Aliqui tamen absque dubio aliter Christum intuebantur, nimirum oculo compassionis vel pœnitentiæ vti latro bonus, Centurio & alij. Hi agnoscebant Christum esse serpentem illum æneum, sanantem morsus lethiferos, vnde illum aspiciebant oculo fidei & compunctionis. Iudæi verò cæteri meritò & malitiâ suâ excæcati, figuram illam in Christo non agnouerunt.

D. III. Deridebant eum. TERTIÒ. *Deridebant eum principes cum eis dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si est Christus Dei electus. Illudebant autem ei & milites dicentes: si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Prætereuntes* item *blasphemabant eum mouentes capita sua & dicentes: Vah qui destruis templum Dei & in triduo illud reædificas! Salua temetipsum. Si filius Dei es descende de Cruce,* &c. En tibi sinas pharetræ ex impiorum ore prognatas. Sed cur tot tantisque probris onerant isti Christũ? Primò Dæmonis instinctu, qui cùm hucusque vidisset Christum omnibus tormentis superiorem, nec vllâ ratione potuisse commoueri ad impatientiam vel iram, nunc omnes neruos intẽdit totumque venenum expuit; siquidem conuitia, contumeliæ & irrisiones acutissima tela sunt.

Eccur? Primo instinctu Dæmonis.

1. Primò igitur procurat vt omnis generis iniuriis Christus impetatur, blasphemiis, derisionibus, contumeliis, mendaciis impactis, (cuiusmodi est illud de templi destructione) exprobratione seu cauillatione præstitorum beneficiorum, vt cùm dicunt: *Alios saluos fecit,* &c. prouocatione ad desperationẽ, quando dicunt: *Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult,* q.d. Stultè in Deo confidit. Secundò, vt ab omnis gene-

2. ris hominibus patiatur, principibus, scribis, pharisæis, populo, prætereuntibus, militibus, latrone. Tertiò, Vt hoc ei fiat in summâ eius

3. afflictione, adeoque afflictio addatur afflicto, quò animus eius expugnetur. Sed fortior his omnibus Christus fuit, qui his nihil motus perstitit in cruce cum silentio & patientia. Videre mihi videor S. Iob, qui & ipse vt testatur cap. 19. quasi signum ad sagittam Dæmoni expositus plurimas primò iniurias & damna temporalium bonorum pertulit, ad extremum ab vxore grauissimè tentatus fuit de desperatione & diffidentiâ in Deum. Sic enim Christus Dominus, postquam omnibus bonis per immane nefas spoliatus est, ad vltimum à tutâ Dæmonis synagogâ, perfidâ vxore suâ dirissimis telis impetitus est, quò vel vnum impatientiæ verbum proderet.

Secundò. Principum impulsu, quibus placere voluit populus eorumque exemplum imitari. Tam nimirum potens est principum exemplum & fauor ad peruertendos subditos; illis enim tibiâ canentibus, isti mox saltabunt. 2. Principum impulsu.

Tertiò. Quia, vti Christus dixit, nesciebant quid facerent: Si enim cognouissent Dominum gloriæ, nequaquam subsannassent. Velut igitur phrenetici insaniebant in suum Medicum qui sanabat eos. Et vide miram Iudæorum cæcitatem. Illa ipsa verba, quibus *Ps.* 21. (qui totus est de passione Christi) prædictum est illudendum Messiam, vsurpare non dubitarunt. Ait enim psalmus: *Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum:* scilicet vt ipse asserit. Et Iudæi hũc ipsum psalmi versiculum intorquent contra Christum: *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum.* Illis igitur Prophetæ verbis, quibus illuminari & agnoscere Messiam suum debebant, excæcati pugnant contra ipsum. Vtinam non hoc ipsum facerent Christiani. At verò qui *lætantur cùm malè fecerint & exultant in rebus pessimis:* nónne hi irrident Christum, postquam crucifixerunt? Et qui sacramenta execrationibus impiant, nónne eo pharmaco, quo sanari deberent, Christum vulnerant? 3. Ex ignorantia.

Sed cur tot tantaque probra in summa afflictione pati voluit Christus? Respondetur. Primò. Vt ostenderet quantæ curæ ei fuerit salus nostra, vt qui tantis improperiis auelli non potuerit ab ea procuranda. Quemadmodum præstans Molossus cùm prædam apprehendit, adeò pertinaciter dentes ei infigit, vt eam sibi eripi nulla ratione patiatur, cõtemnit verbera, spernit obiurgationes venatorum; ita Christus Dominus cùm prædam generis humani iam iam apprehenderet, tam auidè ei inhiabat imò iam incumbebat, vt Diaboli obiurgationes, quas per ora Iudæorum prædam illi eripere conabatur, minimè sentiret. Videmus igitur hic Noën vino amoris ebrium, qui derisionẽ filij sui nequaquam animaduertit. De huiusmodi ebrio scripsit Sapiens Prou. 23. *Eris sicut dormiens in medio mari & quasi sopitus gubernator amisso clauo & dices: Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me & ego non sensi.* An nõ in Cruce Christus eiusmodi nauta fuit in medio tempestatis dormiens cum Iona, nec tempestatem sentiens? Quàm profundus amoris sopor, qui ad tantas contumelias, derisiones, sibilos, clamores excuti non potuit? 1.

Secundò. Vt lueret in se, quod nobis debebatur, opprobrium sempiternũ, simulque nos moneret, quid euẽturum sit damnatis, quando hoc euenit filio Dei. Quis explicare queat confusionem illam, sibilos illos, irrisiones illas, quibus in inferno exsibilabuntur reprobi? Dormiuit in Cruce Dominus velut inebriatus, sed væ improbis, vbi euigilauerit, *tanquam potens crapulatus à vino,* vt dicitur *Psal.* 77. 2.

Tertiò. Ad nostram informationem, vt ne deiiceremur cùm à mundo irridemur, sed potiùs hoc ipso fœlices nos reputaremus, vt qui de mundo non simus. Vidit hoc etiam Seneca, 3.

neca, qui in lib. de moribus ait: *Nondum fœlix es, si non te turba irriserit.* Nō est certior via veniendi ad gloriam ęternam, quàm per iniquam cōfusionem ęquo animo latam. Per hanc viam Dauid recuperauit regnum suum, quando fugiens Absalonem, contumeliis & lapidibus impetitus est à Semei. Adeò enim noluit maledicum puniri, vt videatur potiùs eius maledictis quasi delectatus & pastus esse: *Dimittite eum vt maledicat,* inquit, *iuxta præceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.* Ita Christo in cruce opprobria fuerunt pro cibo, vti commemorat Ieremias *Thren.* 3. dicens: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* Saturabitur, inquit, quasi cibo gratissimo; vnde dicas eum post tam multa opprobria veluti post cibum meritò requisisse potum, cùm videlicet dixit: *Sitio.* Nouerat enim Dominus opprobria illa paritura non tantùm sibi sed & generi humano gloriam ingentem: ideò prouocatus vt à mensa illius sui conuiuij descenderet, renuit. Nos ergo, Auditores, cùm à mūdo deridemur & prouocamur ad descensum de cruce patientiæ vel pœnitentiæ, seu blanditijs seu cachennis, ne illi acquiescamus: sed veluti ad conuiuium quoddam opiparum sedentes persistamus. *Est enim confusio adducens gloriam,* vt inquit Ecclesiasticus 4. c.

§. XXXII.

De primo verbo Christi in Cruce.

1. *Expenditur prima Christi sententia:* Pater dimitte illis *&c. quæ mira est ratione ordinis & tēporis, ratione feruoris, allegationis & efficaciæ.*
2. *Hinc discimus Christi charitatem, condonare iniurias, excusare aliorum peccata, confidere in Christo, ante mortē præsertim, ignoscere inimicis.*

THEMA.

Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23.

A. HErculis facundiam tantam fuisse scribit Lucianus in dial. vt oratione suâ velut catenâ homines ad se pertraheret. Propterea veteres pingebant auream catenam linguæ eius perforatæ insertam & ad aures auditorum pertingentem, teste Pierio *l.* 59. *hierogl.* eò quòd eloquentiâ suâ pertrahere ad se posset hominum multitudinem veluti magnes ferrum. Longè veriùs hoc dixero de Christo Domino nostro, de quo ipsimet eius aduersarij ad capiendum eum missi, testati sunt: *Numquam sic locutus est homo sicut hic homo.* Ioan. 7. ita vt sermonibus Christi caperentur ipsi, qui capere eum debebant. Nimirum ipse est vnus & supremus Magister noster è cœlo nobis missus, de quo eiusdem pater cœlestem vocem demisit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Matth. 17. Et licèt Christus hanc suæ facundiæ energiam abundè ostenderit viuens, paucissimis sæpè verbis homines ad se pertrahendo; multò tamen magis ostendit moriens, quando videlicet Cathedram crucis conscendens, aurea illa septem efficacissimorum verborum catena non homines tantùm, sed & ipsa elementa commouit: quemadmodum ipse prædixerat Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Traxit enim verbis illis latronem ad pœnitentiam, Centurionem ad fidem, spectatores ad compunctionem vt percutientes pectora sua reuerterentur: inferos vt exeuntes de monumentis apparerent: solem & omnia elementa, vt inaudita commotione Creatori suo condolerent. Vnde S. Leo serm. 8. de passion. Domini ait: *O admirabilis potentia crucis, ô ineffabilis gloria passionis, in quâ & tribunal Domini & iudicium mundi & potestas est crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm expandisses totâ die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti Domine omnia ad te cùm in execrationem Iudaici sceleris, vnam protulerunt omnia elementa sententiam, cùm obscuratis luminaribus cœli & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorum se vsui denegaret.* Sic ille. Quoniam igitur ea Christi verba omnium efficacissima fuêre & dignissima quæ ab omnibus hominibus audirentur & in cordis penetralibus reconderentur, æquum est vt à Christianis præsertim diligentissimè examinentur. Solent præclarorum virorum vltima monita arrectis percipi auribus & magni æstimari, memoriæ ac scriptis commendari: quemadmodum Iacob Patriarchæ, Moyses, Iosue, Dauidis, Elisæi, Matthathiæ, &c. quantò æquiùs id debetur vltimis Christi verbis? Iacob certè moriturus filiis suis dicebat: *Congregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum,* Gen. 49. Cogitemus igitur idipsum dicere nobis Christum, omnium nostrûm patrem, & audiamus.

Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Noua & mira prorsus est hæc sententia Christi orantis pro traditoribus & carnificibus suis, ita vt Spiritui sancto visum sit prædicere eam per Isaiam cap. 53. *Et pro transgressoribus orauit.* Noua autem & mira est. Primò ratione ordinis; siquidem prima est. Cùm enim è 7. Verbis alia pertineant ad bonum aliorum, alia ab bonum proprium, vna ad bonum cōmune: Et inter ea quæ ad proximum spectant aliud dirigatur ad amicum, aliud ad propinquos: Primam hanc emittit vocem Dominus, ad bonum inimicorum suorum pertinentem. Priusquam mœstam cōsoletur matrem, priusquam propriam prodat sitim, priusquam animam suam Deo commendet: Primam curam gerit vt pro inimicis oret & sic charitas eius eluceat, quæ *non quærit quæ sua sunt*, Apostolo teste 2. *Cor.* 3. Videat nunc quis, an non possemus dicere Christo, quod Ioab dixit Dauidi

B. I. Mirum primum verbum.

I. *Ratione ordinis.*

uidi plangenti mortem Absalonis, filij rebellis: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* Dauid enim in periculoso illo prælio, quod cum filio gerebat, solummodò solicitus erat de vitâ & salute Absalonis, cùm tamen eius victoria & vita si à parte Absalonis stetisset, fuisset exitium Dauidis. Sed nimirum vti mater priùs succurrit filiis afflictis, quàm bene habentibus aut sibimet etiam Christus.

2. Ratione temporis. Secundò, Ratione temporis. Nos enim antequam ignoscamus aut benefaciamus iis, qui nos læserunt, exspectamus aliquantum donec lædere desierint & ira nostra deferuescat: in recenti læsione nemo facilè ignoscit. Sed non ita Christus, qui eo ipso tempore, quo à populo, principibus & Pontificibus illudebatur, irridebatur & audiebat: *Vah qui destruis templum Dei: Si filius Dei est, descendat nunc de cruce; Alios saluos fecit*, &c. quo item milites ipso inspectante super eius vestes mittebant sortem: eo, inquam, tempore, quo dolor erat acerbissimus & offensio grauissima, aperiens os suum Dominus orat pro illis patrem: *Iesus autem dicebat; Pater dimitte illis*, inquit Lucas: quasi ad illa Ioannis verba: *Et milites quidem hæc fecerunt*; responderet: *Iesus autem*, &c. Nouam hanc & miram orandi occasionem esse orandi pro inimicis, ostenditur ex viris sanctissimis, qui in persecutores suos vindictam Numinis petierunt. Nónne Elias 50. viris sibi illudentibus & dicentibus, vt descēderet de monte, respondit: *Descēdat ignis de cælo & deuoret te & 50. tuos?* 4. Reg. 1. Nónne Eliseus illudentibus sibi pueris maledixit: & mox duo vrsi egressi de saltu deuorarunt illos? 4. Reg. 2. Nónne Zacharias dum interficeretur à Ioas, dixit: *Videat Dominus & requirat?* 2. Par. 24. Sanè quidē æquissimum videbatur vt vindictam quoque peteret Christus vel ipse exerceret in perditissimos homicidas suos: vt ignis de cœlo descenderet, vt terra dehisceret, &c. dum adeò immaniter in innocentem sæuiunt. Sed nouo vindictæ genere pugnat in hostes suos: *Pater dimitte illis.* Vult enim saluos fieri, & hic nouus quidam ignis est de cœlo in hostes missus, ignis charitatis. Et licet ipsi reluctarentur & obsisterent, quo minùs ipsis Christus opitulari posset, nihilominus Christus quo potuit modo, salutem eis offerebat. Omnia membra omnesque sensus eius erant præpediti, distracti & extensi in cruce. Non poterat iam extendere super eos vestem, qua eum spoliarant: non extendere manus, quas ei affixerant: Sola lingua erat libera, qua & orat pro inimicis. Currebant nimirum isti ad infernum, laborabat Christus vt eos retineret & patri suo conciliaret: quo modo Cynægyrus ille Atheniensis apud Sabel. lib. 4. qui Marathoniê pugnâ cùm palantes Medos ad naues compulisset, nauem hostibus onustam dextra manu tenuit, quâ hostium ferro amputata, læua remorari conatus est. Cùm & hanc hostilis gladius truncasset, tum ille ob duplicē cladem nihilo remissior factus, mordicus nauem tenuit & ceu fera quædam rabida dentibus dimicauit, quando aliâ vi non potuit. Eodem modo Dominus Primò quidem dexterâ suâ conatus est retinere Iudæos ne ad inferos descenderent, dum eâ innumeros curauit languidos, suscitauit mortuos, pauit esurientes, &c. Cùm hinc non mouerentur, sinistram adhibuit, flagellando eos & eiiciendo è templo, arguendo & prosternendo in olueto. Sed cùm & hoc contemnerent, denique ore suo mansuetissimo orat nunc pro illis vt vel hac quâ iam sola potuit ratione eos retineret ab exitio. Pulcherrimè S. Augustinus serm. 9. de verbis Apostoli: *Homines, inquit, desperatè ægrotabant & ipsa ægritudine, qua mentes perdiderant etiam Medicum cædebant, quin & occidebant. Ille autem etiam cùm occideretur medicus erat. Vapulabat & curabat, patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum, tenebatur, alligabatur, percutiebatur, irridebatur, suspendebatur, & medicus erat; agnosce phreneticum, agnosce & medicum, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæuiebant & medici sanguinem sæuiendo fundebant; ille autem & de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat.*

3. Ratione feruoris. Tertiò, Ratione feruoris, dum patrem appellat & paterni sui affectus admonet (eodem scilicet feruore, quo postea pro seipso orauit: *Pater in manus tuas*, &c.) quò facilius eum flectat ad misericordiam, *Pater dimitte illis.* q. d. memento te esse patrem non meum tantùm naturalem, sed & istorū modo aliquo; monstra nunc te illis non Dominum, non Deum, non Iudicem, sed patrem; siquidem ad tanta scelera condonanda, paternâ benignitate opus est. Mihi ergo filio tuo dona hanc offensam. Atque vt efficaciùs permoueat, ita loquitur, quasi ipse iniuriam sibi illatam iam dimiserit, vel quatenus ipsi illata erat, pro nihilo æstimaret, suo itaque exemplo, dum suam iniuriam condonat, qui immediatè læsus erat, prouocat patrem vt & ipse ignoscat, q. d. Ego in quem proximè peccarunt, totum eis remitto: remitte & tu pater in quem remotius delinquunt.

4. Ratione allegationis. Quartò, Ratione allegationis. Excusat enim quantum potest scelera eorum: *Non enim sciunt, quid faciunt*, inquit. Excusare certè non poterat Pilati iniustitiam, militum crudelitatē, Pontificum inuidiam, populi ingratitudinem. Hoc ergo solùm restabat vt excusaret ignorantiam, quæ quidem inuincibilis non erat; (poterant enim ac debebant dominum nouisse esse Messiam & Dei filium saltem doctiores: innocentem verò esse omnes (erat tamen affectata partim, vt in pontificibus; partim crassa, vt in populo; (*Omnis enim peccans est ignorans.*) culpabilis proinde, velut siquis ex alto semetipsum præcipitare volēs, priùs claudat oculos, aut claudi sibi patiatur. Excusat igitur imprimis milites crucifixores, qui fortè ipsum non agnouerunt. Deinde peccatores omnes, qui quouis modo peccatis suis causa mortis ei fuerunt: qui omnes *nesciunt quid faciunt*, id est, non cogitant, nec aduertunt quàm grauiter delinquant, quantum Dominum offendant, in quanta mala se præcipitent. Deni-

que etiam eos, qui ipsum Messiam vel innocentem esse sciebant, ita excusat vt ostendat quàm libenter arriperet meliorem excusandi rationem, si qua esset: nullam verò esse nisi aliqualem ignorantiam.

5. *Ratione efficacia.* Quintò. Ratione efficaciæ, nam Apostolo teste ad Hebr. 5. *exauditus est pro sua reuerentia.* Exauditus Primò, quoad pœnæ dilationem, saltē vsque ad annos 38. obsidionis, quod indicauerat Dominus *Luc.* 13. in parabola ficus sterilis, iamiam exscindendæ, cùm diceret: *Domine dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circum illam*, &c. Fodit enim circum illam per obsidionem Titi, qui murum in circuitu Ierosolymæ extruxit. Videbatur sæpè Deus Pater in passione filij iam securim ad radicem ponere vt exscinderet Iudæos: iam eleuare manum vt prosterneret eos, dum solem & elementa commouit & quodammodo armauit ad perdendos illos; sed oratione Christi dilata est huius iræ executio & datum illis pœnitentiæ tempus. Deinde quoad culpæ demissionem, ita exaudita est oratio Christi, vt specialem gratiam omnibus impetrarit, quâ omnes, si voluissent, facilè resipiscere potuissent. Tales gratiæ erant, mirifica penetrantissima Christi verba, prodigia, &c. quibus conuersus est bonus latro. Centurio, spectatores, qui percutientes pectora sua reuersi sunt, & qui paulò pòst baptizati sunt, ad tria millia.

C. Vnde patet quod Apostolus *ad Hebr.* 11. ait, quantò meliùs clamet aspersio sanguinis Christi, quàm Abel; Huius enim sanguis clamabat: Vindicta. Christi verò: Misericordia.

II. *Fructus huius verbi.* Porrò fructus huius primi verbi, multi sunt:

1. *Quanta Christi Charitas.* Primò discimus hinc supereminentem scientiæ charitatem Christi: qui tantis circundatus tormentis, tot iniuriis lacessitus, non obliuiscitur inimicorum suorum, sed quasi sui oblitus de his solis cogitat. Nos certè cùm graui aliquo dolore cruciamur, ita in illo occupamur & abripimur, vt de aliis rebus, præsertim ad nos non pertinentibus, nihil cogitare possimus. Christus autem coronam spineam in capite gerens, & manibus pedibusque confixus, non de suâ sed inimicorum suorum salute solicitus est. Sed nimirum hi ipsi claui & hi dolores ipsum admonebant vt ne inimicorum suorum obliuisceretur, sed veniam eis impetraret; propterea enim patiebatur vt peccatores saluos faceret. Optimè igitur per Isaiam c. 49. dixit: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum vt non misereatur filio vteri sui. Et illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Claui igitur pennæ erant, quibus insculpti erant peccatores manui Saluatoris: quæ dum illum in Cruce torquebant, suppetiarum admonebant inimicis ferendarum. En quàm verè de ipso scriptum est Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem nec flumina obruent illam:* Fuit enim Christus in his dolorum fluctibus, quasi scopulus in mari, vndique concussus, sed immotus semper. Et manet etiamnum immotus vsque ad iudicij diem; siquidem innumeris appetitus sceleribus, semper se paratum exhibet ad ignoscendum & differt punitionem.

Secundò, Discimus condonare iniurias: si enim Deus ignouit & Creator, non ignoscet creatura? Quid porrò nos excusationis obtēdemus? Primò, Nobilis sum, inquis, & honorem meum tueri debeo. Sed num nobilior Christo Dei filio? Secundò, Perditissimus homo est, inquis, nec dignus cui reconcilier aut benefaciam. At quàm perditi erant milites, Christo illudentes? quàm malitiosi Pōtifices? Aliud est vitium in homine, aliud persona vitiosa: illud odiendum, hæc diligenda est propter illud eis condolendū & pro eis orandum. Tertiò. Sed ignoscendum est, inquis, tempore suo, cùm scilicet recesserit memoria acceptæ iniuriæ & animus à perturbatione conquieuerit. Sed nónne Dominus illo ipso tempore, quo sanguis eius ebulliebat è recentibus vulneribus, quo aures adhuc tinniebant contumeliis & opprobriis, quo nares adhuc fœtebāt sputis, manus, pedesque distendebantur clauis, nónne eo ipso tempore, inquam, dicebat: Pater dimitte illis? Vide Magistrum & Doctorem longè diuersum à scribis & Pharisæis, qui sedentes super Cathedram Moysis dicebant, sed nón faciebant; *Matth.* 23. Ipse autem sedens in Cathedra Crucis, quod docuit, id fecit. Docuerat enim: *Si offers munus tuum ad altare & recordatus ibi fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque munus tuum ad altare & vade prius reconciliari fratri tuo.* In cruce Christus oblaturus erat patri munus præstantissimum, seipsum scilicet, hostiam pro peccato: priusquam verò id offerat, reconciliatur quantum in se est inimicis suis, dum pro illis etiam orat. Quartò. Sed adhuc instabis: si redderemus pro malo bonum, insolescerent hostes nostri & deteriores semper fierent. Atqui oratio Christi aliud ostendit; inde enim latro conuersus. Cēturio credidit, spectatores compuncti sunt. Hac enim suâ oratione congessit Dominus carbones super capita eorum, carbones, inquam, charitatis, vt incalescerent amore, qui frigebant odio. Quintò, Denique obiicies: Insitatum imò indecorum est apud homines, non vlcisci iniurias vel compensare beneficiis. Sed num tu iudicem mundi præfers Christo? Quid oberit tibi, si mundus te condemnet, dum Christus absoluit & laudat? Si alicuius discipuli scriptionem explodant condiscipuli, solus verò Magister laudet, num ille discipulos curabit? Christus in Crucis Cathedra docet ipso opere, quod olim docuit verbo: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos & orate pro persequentibus vos.* Quid tu curas mundum, qui Magister & Iudex tuus non est? *Quis accusabit aduersus electos Dei*, inquit Apostolus ad Rom. 8. *Deus, qui iustificat: Quis est qui condemnet?*

2. *Iniuria condonanda.*

3. *Excusanda aliorū peccata.* Tertiò, Discimus excusare aliorum peccata quantum fieri potest, etiam quæ vix excusari queunt. Placet enim patri cùm quis excusat delicta filiorum eius. Sic placuit Thecuitis Dauidi, cum pro Absolonis electi reuocatione perorauit,

orauit, & facilè eam obtinuit 2. *Reg.* 14. Sic Deus non vult mortem peccatòris: non ergo libenter audit eos accusati & reprobari. Certè Christus non tantùm militum & Iudæorum scelus extenuauit, sed etiam ipsius Iudæ malitiosissimam proditionem. Quod enim Psalm. 40. secundum translationem Septuaginta Interpr. de Iuda prædicitur: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*; id est, mirificè me supplantauit, Christum videlicet. Id Christus ex Hebræo, mitiori sensu citauit Ioan. 13. scilicet: *leuabit contra me calcaneum*. Nos aliorum errores magnificamus, nostros extenuamus.

4. *Confidendum in Christo.* Quartò, Discimus magnam in Christum habere confidentiam, tametsi grauiter deliquimus & inimici Dei facti sumus; siquidem ipse Christus est peccatorum Aduocatus, licèt alioquin etiam pars læsa sit & Iudex. Quod enim peccatum nō inueniet aduocatum Christum, si hoc grauissimum inuenit? Sunt aliquæ causæ litigantium tam perditæ vt nullum inueniant aduocatum. Sed nulla est causa tam perdita, quæ non inueniat Aduocatum Christum. Et quid porrò exhibebit amicis, si talem se aduocatum præbuit inimicis? Ipse ergo hoc verbo velut Aaron constituit se inter viuos & mortuos & Dei placauit iram. Ipse velut summus Pontifex, omnes peccatores in hoc suo quasi *Memento* inclusit. Vnde nō dixit: Dimitte occisoribus meis; sed, *dimitte illis*: omnibus videlicet, qui quocumque modo me offendūnt. Itaque gratiam sufficientem ad conuersionem impetrauit omnibus peccatoribus. Quod verò non omnes à peccatis resipuerint & resipiscāt, sed in obstinatione sua pergant, id sibi adscribere debent quòd obicem gratiæ ponant & hac trahente prorsum, ipsi eant retrorsum. Quid enim si Christus pro te patrem oret, tu verò blasphemes & orantem non adiunes sed repellas? Iuuenis quidam in vitis patrum carnalibus vexatus tentationibus petiit orationem sancti cuiusdam Abbatis, quo tamen quotidie pro eo orante, inuenis non fuit liberatus. Orauit igitur Abbas vt causam eius rei cognosceret, qui pòst in visione vidit iuuenem cum dæmonibus multis mulierem specie apparentibus colludentem, eoque lusu se delectantem: licèt assistens bonus angelus eum retrahere laboraret. Intellexit ergo Abbas negligentiam iuuenis esse in causâ, quam hoc pacto correxit. Duxit secum iuuenem, iubens vt vnà secum oneraret asinum cespite in vrbe vendendo, & se quidem oneraturum corbem dextrum, is verò oneraret sinistrum. Dum igitur iuuenis corbem suum impleret, Abbas suo nihil ingerebat. Itaque Sarcina ex parte iuuenis prægrauata decidebat: & toties quidem reponebatur à iuuene. Causam tandem intelligens iuuenis, monet patrem vt & ipse simul suum

5. *Ante mortem præsertim ignoscendum inimicis.* repleret corbem, alioqui se frustrà laboraturum. Cui Abbas: *Sic & ego pro te frustra laborani, quia tu orantem non iuuisti. Mecum igitur labora vt tentationem vincas.*

Quintò, Discimus ante mortem præsertim prius ignoscere inimicis & reconciliari illis, ne alioquin & nos retineamur velut debitores, qui debita retinemus. Sic enim literas Vriæ nobiscum ferremus in nostrammet perniciem. Hinc S. Iacobus è pinnâ templi deiectus & iam iam moriturus iisdem verbis pro occisoribus orauit, quibus Christus. Sic S. Stephanus sub lapidibus. Sic S. Polycarpus quærentes se ad necē hilari vultu & conuiuio excepit, postea que cum illis ad supplicij locum perrexit. Euseb. *l.* 4. *c.* 14. S. Cyprianus carnifici suo 20. aureos legauit vt in actis passionis eius. Contrà çùm ignoscere nollet Sapricius presbyter Nicephoro veniam obnixè petenti, martyrio proximus & iam iam palmam accepturus, fidem abnegauit: Nicephorus coronam eius accepit, in vita Nicephori apud Sur.

§. XXXIII.

De secundo Christi verbo.

1. *Continet hoc mirabilem Christi liberalitatem erga Latronem, qua commendatur ex donis magnitudine, ex Christi consortio, & aliis.*
2. *Ex illo disce Christi immensam misericordiam, potentiam diuinæ gratiæ, insufficientiam virium nostrarū, neminem esse quin habeat crucem, ac denique Christi patientiam.*

THEMA.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23.

Genes. 40. *capite* miram legimus historiam de Iosepho misso in carcerem ex falsâ delatione, & duobus Eunuchis Pharaonis qui & ipsi, sed ob delicta sua, in eundem carcerem compacti erant. Pincernarum præfectus vnus, alter Pistorum. Accidit vt somniarent duo isti vincti: & pincerna quidem somniabat se videre coram se vitem in quâ erant tres propagines, & ex eâ pendentes vuas, calicemque Pharaonis in manu sua: deinde accipere vuas & exprimere in calicem quem tenebat & tradere poculum Pharaoni. Pistor verò somniabat se tria canistra farinæ habere super caput suum, ex quorum supremo, in quo panes regios gerebat, aues comedebant. Cùm ergo vidisset Ioseph eos tristiores, causam sciscitatus est, eaque intellectâ, somnia interpretatus. Et pincernæ quidem salutem & restitutionem officij sui prædixit; siquidem tres propagines tres dies significarent, post quos ipse ad dignitatem suam restituendus & Pharaoni poculum propinaturus esset. Pistori verò suspendium, siquidem tria canistra tres dies essent, post quos in cruce suspendendus foret, vbi volucres eum deuoraturæ essent. Atque ita res euenit, vt prædixit Ioseph. Historia ista figura fuit teste Ruperto ibid. illius rei, quæ in monte Caluariæ inter Christum innocentem & duos latrones reos, omnes in cruce pendentes A.

gesta

gesta est: Christus instar Iosephi, somniorum interpretator, id est, prophetiarum & arcanorum Dei iudiciorum referator est. Latro bonus, instar pincernæ vidit coram se vitem trium propaginum, id est Christum, qui dixerat: *Ego sum vitis*; alligatum baculo crucis in quo tres diuersæ naturæ erant, diuinitas, caro, anima. Hic per fidẽ viuam applicauit sibi passionem Christi eamque pro se Deo obtulit, dicens: *Memento mei Domine*; & *per hoc* salutem est adeptus. Latro verò malus, ad instar pistoris, tametsi multa auxilia habuit ad conuersionem excitantia, miram Christi patientiam, charitatem erga inimicos, prodigia, Confessionem Centurionis & boni latronis, compunctionem populi, hæc omnia tamen supra caput posuit, id est, contempsit, vnde & volucres cœli comederunt omnia illa bona semina, quia in cor eius non ceciderunt & propterea ad suspendium inferni relictus est. Tria igitur canistra tres horæ erant, post quas in infernum rapiendus esset. Panes & farina in canistris, auxilia diuina quibus conuerti potuisset. Nunc ergo videamus Christi sententiam.

B. I. Liberalitas Christi in latronem, commendatur. I. Ex doni magnitudine.

Continet hoc verbum mirabilem Christi liberalitatem & beneficẽtiam erga Latronem bonum, quæ imprimis commendatur ex doni magnitudine. Paradisum enim illi promittit, non sanè corporalem illum, sed longè præstantiorem, videlicet beatitudinem animæ, quæ in visione Dei posita & ipsa essentialis beatitudo est, ac summum bonum, quod vsquequaque satiat appetitum hominis & omnium bonorũ aggregatio est. Hanc enim beatitudinis præstantiam vt capere & intelligere posset Latro, nomine paradisi, qui hortus omnium deliciarum esse à nemine non sciebatur, appellare Dominus voluit; eamque illi eo adhuc die, quemadmodum & patribus è limbo eductis contulit. Nec dicere poterat Christus: hodie mecum eris in regno meo; quia eo die nondum futurus erat in regno suo, id est, perfectâ fœlicitate corporis & animæ: sed post resurrectionem primùm. Iam verò quis non miretur Christi munificentiam, qui latroni tam parum de ipso merito tamque parum etiam petenti, tam magnum donum dedit, quantum nulli adhuc sanctorum in eam vsque horam contulerat? Latrocinio ille assuetus erat & forsitan totâ vitâ malus: extremâ tantùm vitæ periodo obsequium Christo præstitit, dum eum defendit & inuocauit: & Christus, quasi eum totâ vitâ fidelissimum seruum habuisset, regni cõsortem facit. *Ille rogabat*, inquit S. Ambros. serm. 8. in Ps. 118. *vt sui memoriam haberet dum veniret in regnum suum; sed iste obtulit ipsum regnum*. Sed nimirum magnum Regem magna decuit munificentia. Magna fuit Alexandri M. liberalitas, erga Perillum quendam amicorum suorum, cùm exiguam pro filia dotem petenti, Alexander 50. talenta dedit. Illo autem dicẽte satis esse sibi decem: *Tibi*, respondit, *accipere quidem satis est: at mihi dare nequaquam*; teste Plutarch. & Sen. Similiter satis erat huic latroni, si vel meminisset ipsius Christus in regno suo. Sed non satis erat Christo, qui cùm esset Rex Regum, plusquam regio dono voluit eum afficere. Parum quidem offerebat Christo latro, linguam videlicet & cor quæ sola habebat libera, parua duo minuta: Sed obtulit totũ quod habuit & potuit. Itaque liberaliter eum remuneratus est Dominus, dum pro octo verbis, aliis rependit octo, sed aurea pro æreis. Artaxerxi Persarum regi iter facienti, Persa quidam pauperculus Sineta nomine occurẽs, cùm aliud non haberet, quo Regem suum honoraret, aquam manibus ex proximo amne allatam attulit. Quod munus adeò gratum habuit Rex vt aquam aureâ phialâ excipi, & homini stolam Persicam cum phiala aurea & mille denariis offerri iusserit vt refert Ælianus. Sic latro iste non habebat liberos pedes quos flecteret ante Christum, nec manus quas tenderet ad illum: solam linguam habuit & pro ea cœlum recepit.

2. Ex consortio regni Christi.

Secundò, Commendatur ex Christi consortio, quo latronem dignabatur. *Mecum*, inquit, *eris in paradiso*. Quãtum hoc est præmium? Maximum sanè id foret, quamuis nihil aliud promitteretur: Nam vt scribit S. Aug tract. 51. in Ioan. *Vbi malè poterat esse cum illo: & vbi bene poterat esse sine illo?* non enim exiguam mercedem voluit promittere dominus seruis suis, cùm dixit: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit*. Ioan. 12. Nam vt Aug. ibid. ait: *Quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm vt sit vbi est vnicus, non aequalis factus diuinitati, sed consociatus aeternitati?* Certè in vita Christus ad arcana quædam opera, vti ad transfigurationem, &c. non accepit secum nisi tres amicissimos discipulos, & modò secum vult accipere latronem in paradisum. Sed *qua conuentio Christi ad Belial? aut qua conuentio lucis ad tenebras?* Quid Christo cum latrone? Quid latroni cum paradiso? Sed iam tunc latro ille mutatus erat in lucem, mutatus in Christianũ, & conformabat se Christo Domino, accipiendo crucem suam & sequendo illum. Quia ergo sequebatur illum, ferendo post eum crucem suam, idcircò meritò particeps factus est consolationis, qui fuit & tribulationis. Nimirum fuit cor eius rectum cum corde Christi, idcircò Christus leuauit eum in currum suum, quemadmodum Iehu fecit Ionadabo 4. *Reg.* 10. Non ita malus latro, qui quidem cum Christo pendebat in cruce, sed corpore non animo. Ac propterea absque dubio factum, vt per terræ motum, qui Christo patiente contigit, mons Caluariæ ita finderetur vt inter crucem Christi & latronis mali fissura intercederet, adeoque Christi & boni latronis cruces ex vna parte remanerent, crux verò mali ab illis separaretur, sicut referunt qui terram sanctam lustrarunt.

3. Ex confirmatione promissionis eius causa.

Tertiò, quia confirmat suam promissionem Christus, quasi iuramento, dicens: *Amen dico tibi*, id est, omnino affirmo & tantùm non iuro. Voluit autem Christus vti hac asseueratione, Primò ratione personæ suæ, quia tunc videbatur ipse miserrimus & omnium hominum calamitosissimus. Poterat enim quis cogitare,

te, quomodo promittit hic paradisum, qui ne in hoc mundo quidem & vrbe tolerabatur, sed eiectus in cruce pendet? quique viuēs non iuuat seipsum, quomodo mortuus iuuabit alios? Deinde ratione personæ ipsius latronis, qui nō videbatur vllā ratione tanto beneficio dignus aut capax. Quomodo enim ego (cogitare potuisset latro) de sceleribus ad præmia, de cruce ad paradisum, potero transire? Tertiò ratione boni promissi, quod erat paradisus, qui sciebatur clausus esse hominibus, nec animabus sed corporibus destinatus. Ob has causas, ne diffidere posset latro, promissioni asseuerationem addit Christus. Vbi vide quàm pronus sit ad saluandum.

4. Ex paratu oblatione. Quartò, quia non differt diu promissionem, sed: *hodie*, loquit, *mecum eris in paradiso*. Non in extremo die iudicij, non post aliquot menses: sed antequam sol occumbat. Non immeritò existimat post S. Cyprianum Martyrem S. Augustinus *l. 7. de Orig. animæ cap. 9.* latronem illum posse vocari Martyrem, & ideò sine purgatorio transiisse de hoc mundo ad patriam. Quia enim Christum publicè confessus est, quando ne ipsi quidem Christi discipuli confiteri eum audebant: hoc ipso, pro illo mori paratus fuit. Cur ergo ne vocetur Martyr? Et si Martyr, cur non illicò beatus? Deinde, quia Dei *Misericordia superexaltat iudicium*; si autem die Veneris, quo post meridiem peccauit Adam, mox eodem die eiectus est è paradiso, quòd tulerit fructum vetitum: Cur non fur alter sed fœlicior, eodem die Veneris, quo fructum fœliciorem tulit ex arbore crucis, ingrediatur paradisum? Adamo dictum fuit: *In quocunque die comederis ex eo*, (ligno vetito) *morte morieris*. Latroni comedēti de ligno vitæ dictum fuit: *Hodie mecum eris in paradiso*. Vnde glossa ordinaria hoc loco ait: *Quā horā Adam è paradiso eiectus fuit, eadem admissus latro in paradisum. Vbi enim abundauit delictum, superabundauit gratia*, ait Apostolus *ad Rom. 5.* Et sicut Adam, quia se excusauit & Deum accusauit dicendo: *Mulier quam dedisti mihi*, &c. ideò mox paradiso eiectus est: ita bonus latro, quia Christum excusauit, se verò accusauit dicendo: *Nos quidem digna factis recipimus: hic autem quid mali fecit?* ideò mox paradiso dignus habitus est.

5. Ex latronum conuersione. Quintò. Quia vt volunt aliqui patres, Origenes *tract. 25. in Matth.* Hieronymus, Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, D. Thomas, Theophylactus, Euthymius, etiam iste latro priùs blasphemabat: siquidem Matthæus & Marcus scribunt etiam latrones Christo improperasse & conuitiatos esse. Non est certa hæc sententia, potuerunt enim illi Euangelistæ ponere numerum pluralem pro singulari: quomodo dicere aliquis à rusticis irrisus potest: Etiam rustici mihi illudunt. Quia tamē multos habet auctores hæc sententia, non est improbabile initio quidem ambos latrones cōuitiatos esse: posteaquam verò Christus tam feruenter orauit pro inimicis, alterum hoc Charitatis igne accensum sententiā mutasse & collegisse plusquam hominem esse, qui in tantâ calamitate pro obtrectatoribus & inimicis suis oraret; siquidem & *Centurio videns quia sic clamans* (emissâ scilicet vltimâ voce) *expirasset*, ait; *Verè hic homo filius Dei erat*, Marci 15. Quòd si ita est, maximam sanè exhibuit Christus liberalitatem huic latroni, quando etiam recenti eius delicto misericordiam non negauit. Sed nimirum quemadmodum Alexander Magnus cùm subditum quendam perperam de se loquentem, magnis muneribus cumulasset sicque effecisset, vt qui priùs obtrectator erat, posteà in laudem eius orator fieret, dixit: *Hæc est gloria Alexandri, inimicos reddere fautores*, teste Plut. de Alexandro. Sic etiam nunc Christi gloria fuit, reddere ex obtrectatore, defensorem, idque per beneficia & orationem. Nimirum fuit hoc opportunissimum tempus, quando videlicet flammeus ille gladius à paradiso iam per Christum remouebatur & theriaca illa præstantissima, quâ venenum peccatorum omnium de hominibus pellendum erat, conficiebatur. Egit enim Christus, quemadmodum illi qui conficiunt & vendunt theriacam. Permittunt namque vt quisquam reus mortis mordeatur à serpente, vel venenum bibat, vt theriacam suam in illo probent, & veneno infectum restituant saluti beneficio theriacæ. Conficiebat tunc temporis Christus theriacam sanguinis sui, contra omnia peccata præsentissimum antidotum, eamque iam venalem proponebat. Vt igitur eius efficaciam probaret, permisit latronem cæterosque gehennæ reum, ad extremum perditionis deuenire, vt etiam Christo insultaret. Mediatori ac medico suo: sed eundem mox ita sanauit, vt is ex latrone fieret Angelus, ex reo Martyr, ex obtrectatore Confessor & Prædicator: quemadmodum non ita multò pòst ex Saulo fecit Paulum, ex persecutore prædicatorem.

Iam fructus huius verbi videamus, PRIMÒ. Agnosce Christi immensam misericordiam & liberalitatem, & quàm bonum atque vtile sit illi seruire. Licèt enim Christus occuparetur ingentibus doloribus, quibus poterat impediri, ne latronem orantem audiret: maluit tamen obliuisci calamitatis suæ, quàm miserum se confitentem non audire. Adhæc ad maledicta & opprobria Pontificum, militum & latronis mali penitus obmutuit *& factus est sicut homo non audiens & non habens in ore suo redargutionem*; sed ad clamorem pauperis pœnitentis obmutescere non potuit. Denique paucalatronis verba, extremo quasi spiritu fusa, statim & liberalissimè remuneratus est, æternâ videlicet fœlicitate. Non ita Domini sæculares, qui seruientes sibi multis annis & fidelissimè, inopes plerumque dimittunt & aulis suis excludunt: obsequiorum etiam sibi præstitorum citissimè obliuiscuntur, quemadmodum pincerna Pharaonis, qui tametsi rogatus à benefactore suo Iosepho: *Memento mei cùm bene tibi fuerit, vt suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere*; tamen *succedentibus sibi prosperis, oblitus est interpretis sui*, vt ait Sacer textus *Gen. 40.* Rursum si totam penè ætatem in aulis Principum con-

B. 1. Fructus huius Verbi. 1. Quàm bonum Deo seruire.

contriueris & plurimis obsequiis Dominos sibi deuinxeris, si ad extremū vel vnico verbo offenderis, statim eiicieris; quasi nihil vnquam benefeceris: quemadmodum idem Ioseph expertus est in hero suo Putiphare *Gen.* 39. Non ita Dominus noster Christus, qui cùm nihil accepisset à latrone nisi pauca bona verba & honum desiderium: & licet antea sæpe habuerit inimicum, nihilominus liberalissimè eum remuneratus est; totius enim vitæ delicta illi condonauit: deinde cum principibus populi sui eum collocauit & ad consortium mensæ suæ admisit.

2. *Quàm confidendum in Dei auxilio.* Secundus. Disce potentiam diuinæ gratiæ & confidere in auxilio Dei plurimùm. Ecce enim latronem, qui toto ferè vitæ tempore latrociniis vacauerat ac nihil vnquā fortè de Christo audierat, neminem fidei instructorem habuit, sed potiùs Pontifices & Principes populi audiebat dicentes, Christum esse seductorem, impostorem, regni affectatorem, &c. audiebat socium suum similiter ei improperantem: non audiebat vllum, qui pro Christo verbum loqueretur, imò ne ipsum Christum quidem calumnias refellentem; hunc latronem, inquam, in momento illustrauit Dei gratia & pro corde lapideo carneum illi dedit, ita vt Christum confiteretur innocentem & Regem futuri seculi; & quasi prædicator effectus corriperet sodalem, suaderet illi pœnitentiam & coram omnibus commendaret se Christo humillimè; ita denique se gereret, vt reliquum supplicij quod in ligno perferebat, verteretur illi in purgatorium, ipseque mox de cruce salirer ad Paradisum. Profectò hæc mutatio dexteræ excelsi fuit, & in illo veritatum est quod in parabolâ operariorum dixerat Dominus, fore videlicet nouissimos primos, & primos nouissimos. Quomodo enim non nouissimus, qui paulò antè inferno erat vicinissimus? quique postremâ horâ vitæ in vineam Domini venit? Et hic tamen in mercedis perceptione factus est primus, & primitiæ Crucis Christi ad solatium peccatorum. Certè etsi tunc multa prodigia facta sunt, hoc tamen repentinæ conuersionis videtur omnia superare. Si enim magnum prodigium fuit velum templi scindi; nō minus fuit; intellectum latronis tanto ignorātiæ velo obductum ita aperiri & illuminari, vt Christum in passione agnoscat Dei filium; Si magnum prodigium fuit scindi petras; non minus fuit, durissimum latronis cor scindi ad pœnitentiam. Si mirabile fuit sepulchra aperiri: mirabilius fuit, è corde peccatis pleno, prodire verba salutis plena, siquidem *ex abundantiâ cordis os loquitur.* Quòd si igitur gratia diuina tantū potest, nemo diffidere debet: quia *omnia possum in eo qui me confortat*, ait Apostolus. Gratiam autem seriò petenti, nemini Deus negat. Quod ergo viribus nostris non valemus, cum gratia valemus: & *si quis eâ indiget, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter.* Sed quā tandem re permotus & excitatus est hic latro ad cognoscendum & confitendum Christum? Origenes, Chrysostomus & Hieronymus ex prodigiorum animaduersione conuersum putant: Sed videtur ex contextu Euāgelij colligi, prodigia conuersionē eius primùm subsecuta esse. D. Hilarius & D. Bonau. docent latronis viscera commota esse, visā inauditā patientiā Christi, *qui cùm malediceretur, non maledicebat, &c.* Theophylactus & Euthymius putant esse commotum oratione Christi orantis pro inimicis & obtrectatoribus suis. B. Vincentius Ferrier tribuit hanc efficaciam vmbræ Christi, quæ tunc sub meridie ceciderat in latronem bonum; siquidem vmbra Christi multò efficacior fuerit quàm Petri, quæ infirmos sanabat. Et de hoc dictum putat Psal. 139. *Domine Deus virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meū in die belli.* Sed præcipua cōuersionis causa, fuit interna illustratio & motio Spiritus sancti, quâ internis oculis vidit amorem diuinū per fenestras vulnerum Christi tralucentem & beneficium redemptionis immensum.

3. *Quàm diffidendum propriis viribus.* Tertius. Disce etiam insufficientiam virium nostrarum & periculum præsumptionis. Ecce enim licèt bonus latro leui adiutus auxilio, in momento sit conuersus: contrà tamē perditus alter Christo æquè vicinus atque iste & plurimis excitatus auxilijs nequaquam est conuersus. Præterquam enim quod vidit Christi inauditam patientiam, miram erga inimicos charitatem: vidit præterea prodigia facta, audiuit correctionem socij, conuersum Centurionem, vidit populum percutientem pectora sua. Et cum his tamen subsidiis omnibus motum non est cor eius. Id quod sæpius euenturum prædixit Dominus *Luc.* 17. cùm ait: *Erunt duo in lecto vno, vnus assumetur & alter relinquetur: duæ erunt molentes in vnum, vna assumetur & altera relinquetur: duo in agro, vnus assumetur & alter relinquetur.*

Quis crederet non conuersum iri latronem etiam istum, Christo tam vicinum in die plenissimæ indulgentiæ, in medio tot prodigiorum? Vicinissimum habebat botrum, & si modò extendisset manum, decerpere eum potuisset, adeoque Christi passionem sibi applicare. Sed id nequaquam fecit. Nemo igitur sibi fidat, nemo temerè pœnitentiam differat; si enim Latro vnus in vitæ fine conuersus est: alter non est conuersus: & historiæ testantur rarissimos fuisse qui, postquam malè vixerint, bene mortui sint.

4. *Nemo nō habet crucem suam.* Quartus. Disce neminem esse, qui non habeat suam crucem. Christus omnino innocens, latro bonus pœnitens, latro malus impœnitens: & omnes habent suam Crucem, sed diuersâ ratione. Innocentes & pœnitentes libenter ferunt crucem; siquidem & Christus prouocatus vt descenderet de cruce, non descendit. Similiter latro bonus: *nos dignæ factis recipimus*, inquit. Sed impij abijcere crucem volunt: *Saluum fac temetipsum & nos*, inquit latro perditus. Illis crux est iugū suaue, istis iugum graue. Illis crux durat tantùm per vnum Hodie: istis verò æternùm; siquidem Crux Christi & Latronis iusti eodem die finem accepêre: Crux verò iniusti, finē nullum habuit. Illorum crux

est

est fertilis, quia gignit illis gloriam. Vnde Crux Christi adoratur, crux latronis boni honoratur; horum verò crux est sterilis & parit confusionem. Crux innocentum auget coronam, crux pœnitentum abluit peccata, crux impiorum inchoat gehennam. Elige nunc quam vis: aut crucem leuem, breuem & salutarem: aut crucem grauem, æternã & exitiosam.

5. *Disce patientiam.* Quintus. Disce patientiam. Christus enim Dei filius, à vilissimo & perditissimo homuncione patitur opprobrium & tolerat quietissimè nec verbulo se defendit. Indignum facinus erat Semei illius, qui contra Regem Dauid lapides mittebat & cõuitia expuebat. Hinc enim commotus Abisai dixit: *Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo Regi: Vadam & amputabo caput eius* 2. Reg. 16. Sed parum istud erat, si cum facinore latronis impij comparetur. Et tamen nec Christus illi respondit, nec permisit vt angelus aliquis prodiret & supplicium de illo sumeret. Quid conqueritur ergo homo? Sed vide Dei prouidentiam: Dum enim Christus tacet, alius honorem eius defendit, bonus nimirum latro, maiore Christi gloriâ quàm si se ipse defendisset. Quod prædictum Isai. 13. *Glorificabit me bestia agri.* Verè enim latro ille bestia agri fuit, quando homines inuadebat & laniabat: sed glorificauit Christum quando innocentiam eius testatus est, & blasphemum sodalem reprehendit. Contine ergo te, cùm iniurijs appeteris: citò prodibit aliquis, Deo disponente, qui te innocentem asseret & calumniam depellat. Ducebatur iam ad mortem innocens Susanna, sed excitauit Dominus spiritum pueri Danielis, qui defendit innocentem maximâ eius gloriâ.

§. XXXIV.

Circa secundum Domini verbum, de virtutibus boni latronis.

1. *Prima virtus eius fuit fides, eiusq́ professio.*	*proximum.*
2. *Spes & fiducia in Deum.*	4. 5. *Humilitas & mundi contemptus.*
3. *Charitas in Deum &*	6. 7. *Pœnitentia & patientia.*

THEMA.

Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Luc. 23.

A. QVod *Matth.* 20. in parabolâ operariorũ, dixit Dominus, fore vt qui vltimâ horâ venerunt ad operandum in vineam, fiant in accipienda mercede primi: id in latrone bono impletum est. Qui profectò vltimâ horâ vitæ suæ in vineam Domini venit: & tamen beatitudinis denarium primus omnium accepit: quia audijt à Christo in die quo paradisus gloriæ fuit apertus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Sed quemadmodum de nouissimis operarijs reliqui conquesti sunt, quasi immeritò sibi prælati sint: Sic etiam in latrone isto possent fortè aliqui impingere, & imprimis culpare Christum, quòd erga latronem tam prodigus fuerit. Secundò latroni insultare, quasi cœlum non sit meritus; nec tam breui tempore potuerit mereri. Rursum possent alij de Dei misericordiâ præsumere & differre consultò pœnitentiam vsque ad finem vitæ; siquidem & latro tunc gratiam inuenerit. Denique possent alij sibi persuadere, quòd sola fides iustificat, opera nihil valeant; quando & latro per fidem tantùm saluatus videatur? quo argumento Lutherani errorem suum tuentur. Sed his omnibus paterfamilias iure merito dicit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Ne quis igitur in hoc latrone erret, videbimus eius virtutes & quidem heroicas.

B. 1. *Fides, eiusque professio.* PRIMA. Fides, eiusque confessio intrepida. Credidit enim Christum esse Regem alterius sæculi, in quo beare posset animas; & in quod per mortem suam iturus esset. Existimarunt Iudæi Christum Regem futurum in hoc mundo temporalem & regnum temporale habiturum. Sed hic latro meliùs edoctus quàm omnes scribæ & Pharisæi, ait Christum Regem non temporalem huius, sed alterius sæculi æternum esse. Audierunt illi Christum Regem se confitentem, sed quia nihil regium in eo videbant, ideò eum spreuerunt & occiderunt. Latro verò longè perspicacior, asseruit Christum Regem quidem esse, sed modò extra regnum suum, ideoque pauperem & despectum: venturum autem in regnum suum, paulò pòst mortem. Quod enim docuerat Dominus discipulos suos paulò ante passionem: *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reuerti*, Luc. 19. Hoc iam fatetur & latro, qui doctrinam hanc non audijt: habere scilicet Christum regnum, idque per mortem accepturum. Magna itaque est fides huius Latronis: Si enim magnam dixit Dominus fidem Centurionis, quia ipse credidit Christum etiam absentem posse impendere sanitatem: an non maior huius latronis, qui Christum etiam mortuum credidit saluare homines posse? Sed quid tandem in Christo vidit latro, vt talia de ipso crederet? Vidit sanè Christum nudum, despectum, vulneratum, derelictum, pendentem inter latrones. Nõ audiuit quemquam qui confiteretur Christum: audiuit potiùs plurimos qui ipsum probris appeterent & vt fictitium Regem salutarent: non vidit adhuc prodigia illa, quæ postea primùm acciderunt: non audiuit nisi vno verbo orantem pro inimicis. Credidit tunc, quando in maximo erat cruciatu: quando Christum ipsi eius Apostoli confiteri non audebant, sed à longè stabant & titubabant. Quid? Discipuli euntes in Emaus dicunt: *nos autem sperabamus.* Thomas: *nisi videro, non credam.* Petrus: *non noui hominem istum.* Et latro cruci affixus crucifixum nouit & Regem cœli confitetur. Credidit Abraham Deo, sed de cœlo sibi loquenti: Moyses de rubo loquenti; Isaias sedenti in maie-

maiestate super thronum & angelis stipato: Alij mira operanti. Sed Latro credidit in cruce pendenti & reputato cum sceleratis, mirum nihil facienti. Magna erat fides Magnorum, qui pauperem infantem in stabulo repertum, Regem crediderunt & vt Regem venerati sunt. Sed quid magis à Rege alienum quàm patibulum? Et tamen pendentem, credidit esse Regem & veneratus est hic latro. Vnde de illius fide S. August. *lib. 1. de orig. animæ cap. 9.* ait: *Verè non inuenit Christus tantam fidem in Israel, imò nec in vniuerso mundo.* Non miremur igitur, si tam magnam promissionem accepit à Christo Domino; decuit enim vt secundùm fidem suam reciperet mercedem, regnum id videlicet, cuius tam luculentum ferebat testimonium. Et videamus, quæso, an non hic latro nos maximoperè confundat, qui cùm certissima habeamus testimonia de Christi doctrinâ & miraculis, de eius præterea resurrectione & ascensione, de totius mundi conuersione per eius Euangelium, quemadmodum oculis ipsis cernimus, aliaque innumera testimonia: nihilominus tamen adeò tepescimus in fide, vt nihil minùs quàm Christiani videamur. Quæro enim an seriò credamus Christum nunc regnare in altero sæculo, nostri meminisse, posse nos beare & reuersurum in die iudicij vt iustos quidem præmiet, iniustos verò damnet? Sanè dicetis, credimus. Sed si seriò credimus, quare ita viuimus, ac si Regem & Iudicem non haberemus, vel quasi ipse non consideraret ea quæ geruntur in mundo: & quasi nec beare nec condemnare quemquam posset? Quare præsenti tantùm prosperitati inhiamus & de futurâ nihil curamus? Quare non laboramus vt propitium nobis reddamus Regem nostrum in diem illum? Cur dominis terrenis sedulò nos commendamus & eorum gratiam ambimus, Christi verò gratiam non quærimus?

C. II. Spes & fiducia in Deum. SECVNDA. Spes & singularis in Deum fiducia. Quando enim alij clamabant: *Saluum fac teipsum:* Item: *alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere:* tunc ipse firmissimam in Christum spem concepit & salutem ab eo poposcit, non sanè petiturus, nisi speraret eam sibi dari à Christo posse, vtpote à Rege alterius sæculi. Non terruit ipsum quòd Christus ipse iamiam commoriturus esset. Non terruit quòd sciret se peccatorem esse maximum, qui non modò nihil vmquam boni, sed plurima mala perpetrasset: Tam bonum enim credidit Christum, vt etiam immeritis & inimicis gratiam & gloriam speraret non negaturum, si humiliter rogaretur. Sanè vt refert Chau. de prud. Numantini rati nunquam fore vt Romanis propitijs vterentur, quibus totis 20. annis repugnando negotium maximum creauerant, desperabundi tandem se suaque in rogum coniecerunt. Potuisset hoc idem timere latro: Sed nequaquam timuit, nec desperauit etiam apud offensum gratiam inuenire. Non est consternatus, quòd seriùs veniret ad Christum & in vltimâ vitæ horâ: quâ tamen perdifficile est gratiam inuenire, & vt S. Augustinus ait: *Vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte diuinam indulgentiam obtinebit vnus.* Tam potentem enim credidit Christum esse medicum vt morbo etiam desperatissimo mederi posset: & si magnum sciuit esse suum morbum, credidit etiam Christum magnum esse medicum. Nihil denique ipsum mouit quòd nullum vnquam fauorem aut beneuolentiam Christi expertus esset, vt propterea spem suam in eo collocaret & suam in eo salutem poneret. Abraham si filium suum post immolationem resuscitandū à Deo sperauit, id fecit quia iam multa diuinæ erga se beneuolentiæ argumenta vidit. Alexander M. si Philippi Medici sui consilio potionem (de quâ per epistolam certior factus erat, veneno infectam esse) intrepidus ebibit, vt scribit Orosius de Alexandro, id fecit quia iam diu explorata illi Philippi fides fuit. At latro noster nullum vnquam diuinæ eiusmodi protectionis erga se experimentum fecerat: Et tamen rebus tam desperatis, spem suam in Christo posuit: atque hoc ipso eum valde glorificauit, in cuius opem totum se proiecit, ideoque non est confusus, sed mox audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiso, &c.* Neque tamen temerè sperauit, aut nimium securus fuit, quâ ratione sperant malè hæretici, qui sine bonorum operum studio salutem sibi certam faciunt. Non ita, inquam, latro, sed dum sperauit, simul manum bonis adhibuit operibus & humiliter Dominum rogauit: *Domine memento mei.* Non triumphum cecinit, sed humiliter obsecrauit. Itaque rursum confundit nos hic Latro; primò, quidē diffidentes de diuinâ bonitate. Aliqui enim in extremis actum esse secum putant, ideoque confiteri nolunt & quandoque sibiipsis vitam eripiunt, vel quòd grauiora sint eorum scelera, vel quòd hora conuersionis serior. Alij temerè sperant, dum sine bonorum operum alis ad cœlum se volaturos autumant, vel quasi iam in cœli mœnibus consisterent, id sibi pollicentur: quos omnes confundit latro, qui licèt de ratione sperandi numquam edoctus esset, sapientissimè tamen sperauit, hinc in Deo confidendo, inde non præsumendo. Hæc est illa columba: pauperis oblatio, quæ retorto capite Deo immolatur. *Leuit. 5.* Cùm enim aliud non posset offerre Christo, seipsum retorto ad Christum capite obtulit, dicens: *Memento mei Domine.* Ita qui Deo in iuuentute & sanitate non seruiuit, saltem in senectute & mortis articulo retorqueat ad Christum caput suum per pœnitentiam, &c.

TERTIA. Charitas in Deum & proximum. D. III. Charitas in Deum & proximum. In Deum. In Deum cùm Christum contra obtrectatores defendit, eiusque innocentiam contestatus est, quando id nec Apostoli quidem facere audebant. Hoc enim sibi volunt illa eius verba: *nos quidē iustè; nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.* Inter plurimas iniurias Christo à Iudæis illatas, illa non minima erat, quòd eum cum latronibus & nequam, vt vocat Lucas, & quidē in medio eorum crucifigere voluerūt: id

enim

enim fecerunt vt causam Christi cum causâ Latronum confunderent, & vulgò videretur participasse cum sceleribus illorum, imò dux Latronum & antesignanus fuisse; quò nimirū Christus ampliùs infamaretur. Et propterea etiam cum cohorte & armis de nocte tāquam ad latronem exierunt ad eum capiendum. De hac ingēti iniuria vindicauit noster latro Dominum, dum se sociumque reos, Christum verò innocentem protestatus est, atque adeò malitiam & iniustitiam Pilati & Iudæorum populo aperuit prodiditque furtum Iudæorū, quo Christo honorem furabantur. Quā quidem protestatione tam insignem charitatis actum designauit, vt propterea Martyr à S. Cypriano & Augustino vocetur: & dignus existimetur Renaldo Abbati *tr. 9. de 7.* Verbis Christi in Bibl. SS.PP. qui in locum Luciferi euectus sit. Dum enim Christum innocentem clamat, nónne hoc ipso Iudæos & Pilatum arguit immanis sceleris? nónne hoc ipso se exponit gladijs & lanceis militum, acerbiùs cruciandum? sed nihil horum veritus est, cum periculo noui supplicij Christum defendere non dubitans. O quàm iucundum hoc erat Christo spectaculum, dum tacentibus Apostolis, lapides pro ipo clamant? Quantum amauerit Ionathas Dauidem, ex eo maximè claruit, quòd cùm Saul Dauidi nihil sanè commerito necem intentaret: Ionathas patrem arguit & Dauidem suum defendit dicens: *Quare morietur? quid fecit?* Hoc enim verbo patris iram in se concitauit vt eius lanceam vix effugerit 1. *Reg.* 20. Et quid aliud fecit bonus hic latro Christo? Quid mirum igitur, si quemadmodum conglutinata est anima Ionathæ animæ Dauidis 1. *Reg.* 18. sic & anima latronis conglutinata est animæ Christi, vt audire mereretur: *Hodie mecum eris?*

In proximum. In proximum verò dum socium reprehendit (indirectè etiam reliquos Christi obtrectatores arguit, cùm ait: *neque tu*, id est, quod isti faciunt & tu facis: & quidem dexterrimè, quia iure poterat corrigere socium, non alios) neruoso argumento: *neque tu times Deum, qui in eadem* mecum *damnatione es.* q.d. quòd Iudæi non timeant Deum, non adeò ego miror; siquidem ipsi liberi sunt, nihil patiuntur; nec mortem præ oculis vident. Tu verò cruci affixus es, in tormēto existens & morti ac iudicio vicinus, adhuc tamen tibiipsi non attendis, sed afflicto afflictionem & peccata peccatis addis? Volebat nimirum bonus latro, qui rapinas cum socio diuidere solitus erat, cœlū quoque nunc diuidere; siquidem hîc deprehenderunt opulentissimum viatorem, qui regnum cœlorum in dorso gereret. q.d. Veni frater, despoliemus eum, quia sponte se offert, diuidamus spolia &c. Et propterea antequam pro se oret Christum, fratrem emendare satagit. Confunditur ergo & hîc quamplurimos, qui Dei contumelias videntes & blasphemias audientes, non corrigunt, sed fortè etiam arrident & probāt. Nam, vt Plutarchi verbis vtar lib. de amicitia: *His temporibus ad liberè loquendum pene vocem amisit amicitia.* Amici sumus, sed ad lucra, ad epulas, ad flagitia. sed non ad procurandam amicorum salutem. Et quemadmodum Patroclus proditurus in bellum insigna quidem Achilis arma sibi assumpsit: solam verò hastam, vt grauem & præualidam ne attigit quidem teste Plutarc. ita amicus fictus, quæ sunt amicitiæ, omnia sectatur, solam admonendi libertatem non assumit, quæ vt hasta corpus, sic illa animum amici delinquentis ferit.

E. IV. Humilitas.

QVARTA, Humilitas dum ait: *Domine memento mei* Nam 1. dum Dominum illū vocat, seruum se eius fatetur. Et vide humilitatem. Quis est quem vocas Dominum? nónne & ipse tecum est in eadē angustia: in eodem crucis opprobrio? Quis vnquam vocauit dominum supplicia perferentem? Quis non illos habet pro miserrimis mortalium, qui carnifici traduntur? Et hunc ergo vocas tuum Dominum? quàm miserum te facis, dum miserrimum tibi eligis in Dominum? Quid tandē in illo vides, vt Dominum tuum dicas? vbi famuli? vbi sedes? vbi splendor vestium? vbi apparatus? sed ille oculatior fuit quàm omnes Scribæ & Pharisæi: quia sub sordido palliolo cruentati corporis vidit Dei sapientiam: quam illi nec videre voluerunt nec venerari. Nónne & hic cōfundimur? Nos enim Christum nunc regnantem in cœlis, sæpe ita parum veneramur, quasi Dominum non agnosceremus: Velut cùm transimus S. Eucharistiam, cùm in templo sumus. Quid fecissemus ipsi pendenti in cruce? *Si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* ait Mal. 1.

Sed quid ad hoc Domino suo petit? *Memento mei*, inquit, *cùm veneris in regnum tuum.* Non petit regni consortium aut ius inhabitandi; sed memoriam sui tantùm: q.d. Innumera mea flagitia nequaquam admittunt; vt ista petam: satis mihi fuerit, si qualemcumque tandem gratiam mihi exhibueris. S. Aug. ser. 8. de Verbis Domini ait: *Considerabat facinora sua & pro magno habebat si vel in fine parceretur: salutem suam longè futuram sperabat & post longum tempus accipere contentus erat.* Sic ille. Quis docuit hanc industriam latronem? Docuerat Dominus vt qui exaltari in mensâ cuperet, nouissimū occuparet locum; sic enim auditurum: *amice ascende superiùs.* Luc. 14. Id fecit latro ille, cùm nouissimum locum petijt, imò memoriam tantùm sui in cœlo: & idcirco mox primus in eo positus est, si spectemus tempus.

F. V. Mundi contemptus.

QVINTA, Mundi contemptus; siquidem nil temporale petit nec vitæ prolongationem, vel liberationem de cruce, sed bona solida alterius vitæ. Latro deterior salutem corporis petebat, animam non curabat. Bonus verò de anima solicitus erat, corpus non curabat. Illi similes sunt, qui in ægritudine intendunt corporis curæ, filiorum & diuitiarum, de animâ nihil aut serò cogitant. Huic verò similes illi, quibus animæ cura prima est. Sic benedicitur Iacob de rore cœli & in pinguedine terræ: Esau verò in pinguedine terræ & in rore cœli, Gen. 27. quia nimirum iusti primariò quærunt regnum cœlorū, secundariò temporalia: reprobi

reprobi contrà. Millies replicamus dinitibus, quàm facilè ipsi sibi Regem illius sæculi reddere propitium possint & facere sibi amicos de mammonâ iniquitatis. Sed truncis & lapidibus loquimur; quia nimirum ipsi non curant æterna & futura bona, sed præsentia tantùm & fluxa: & idcircò euenit eis, quod Iudæis, qui regnum temporale conseruare studebant, iustitiam verò & regnum Dei non curabant, ac sic vtrumque amiserunt. Quia enim ipsi futura non quærunt, præsentia conseruare non possunt, ideò merentur vtraque perdere.

G. VI. Pœnitentia. SEXTA. Pœnitentia & confessio peccatorũ; fatebatur siquidem, se digna factis recipere: nõ negauit, nec excusauit, aut extenuauit peccata, quemadmodum multi faciunt, & ideò mox absolutionem accepit. Sed objicit hæreticus, latronem non fecisse confessionem, qualem nos requirimus, particularem. Quis hoc inficiatur? Atqui tum nondum à Christo instituta erat confessio aut præcepta. Sed post resurrectionem primùm. Deinde latro plus tunc fecit, quàm teneretur. Sufficiebat enim tunc confiteri Deo in corde: ipse cõfessus est etiam ore, plurimis audientibus. Rursum iam antea Iudicibus crimina sua confessus erat, sed quia coacta erat illa confessio, non putabat eam satis fore, ideò voluntariam alteram adiungit. Qua in re potiùs ostendit confessionem pectorum externam medium esse congruentissimum ad peccatorum remissionem. Habuit & detestationem peccatorum suorum: quomodo enim non detestaretur in se, quod correxit in alio? Habuit & satisfaciendi promptitudinem, quia pro sceleribus suis libenter patiebatur.

H. VII. Patientia. SEPTIMA, Patientia: quia non est conquestus contra Magistratum, sed *Nos quidem dignè factis recipimus*, inquit. Docet per hoc in afflictionibus nostris reos nos fateri, & cogitare, quod digna factis recipiamus.

Habemus igitur Christum nemini fecisse iniuriam, quod latronem bonum, nouissimum in vinea, primum fecerit in gloria; sua enim industria compensauit tarditatem latro & pauculis verbis tot virtutum actus edidit, quot alij non edent multis sæpe annis. Habemus etiam neminẽ præsumere debere de pœnitentia in morte agenda: quia nemo facilè erit qui eo præsertim tempore tot præclara virtutum facta designabit. Vnde Augustinus inquit, *Ostende mihi alium latronem.* Deinde hic dies plenissimæ indulgentiæ fuit, quo cœli porta aperta est. Vnde ait: *Hodie mecum eris*; quia scilicet hodie dies est maximæ miserationis. Denique latro iste egit quidem in articulo mortis pœnitentiam, sed eam non distulerat ex instituto vsque ad illud tempus: quia fortè de pœnitentia nunquam cogitauit. Atqui nos quotidie & admonemur pœnitentiæ & habemus occasiones innumeras, nihilominus eas prætermittimus & temerè pœnitentiam sæpe ad mortem vsque differimus. Nõ mirum ergo si tunc non audiamur. Habemus denique non sola fide saluatum esse latronem, siquidem vidimus eum bonorum operum cumulum adiunxisse fidei.

§. XXXV.

De tertio Christi verbo.

1. *Continet hoc singularem Dei prouidentiam erga Matrem & discipulum: commendauit autem illam ob eius desolationem ac discipuli bonum.*
2. *Assignantur rationes ob quas commendauerit Matrem Ioanni non alteri.*
3. *Cur appellet eam mulierem, non Matrem.*
4. *Quid discendum à Christo, Deipara, & Ioanne.*

THEMA.

Mulier, ecce filius tuus. Ioan. 19.

Consultum & laudabile est, vt qui multa præsertim bona possidet, ante mortem suam condat testamentum. In eo verò testator quatuor potissimùm facit. Primò animam Deo offert. Secundò iniurias remittit, & si quæ habet debita, solui iubet. Tertiò legata facit, prout ei placet. Denique hæreditatem liberis vel amicis, ad quos de iure spectat, promittit & relinquit. Parum quidem aut nihil in mundo possidebat Christus Dominus, sed negari tamen non potest, quin fuerit interim ditissimus, vtpote cœli & terræ Dominus. Decebat igitur omnino vt ante mortem suam faceret testamentum. Id quod & fecit in cruce, calamo *linguæ suæ velociter scribentis*. Ibi enim commendauit animam suam Deo: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Ibi iniurias remisit: *Pater ignosce illis*, &c. quia debita non habuit propria, remisit omnibus aliena. Ibi legata fecit, charissimo enim discipulo & per hunc vniuersæ Ecclesiæ, legauit matrem suam in Patronam & Aduocatam: *Ecce Mater tua.* Matri verò suæ legauit ad solatium, charissimum sibi discipulum, *Mulier ecce filius tuus.* Quin etiam militibus & per hos etiam reprobis reliquit vestes suas, id est, bona temporalia. Crucem verò omnibus Christianis. Denique Latroni conuerso, & per eum omnibus iustis ac pœnitentibus velut legitimis hæredibus suis reliquit paradisum, hæreditatem immarcessibilem: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quoniam igitur iam vidimus aliqua huius testamenti capita, nunc legatum videamus, quod fecit matri & discipulo. A.

Continet hoc verbum singularem Dei prouidentiam erga Matrem, & discipulum sibi dilectissimum Ioannem. Circa quod imprimis quæritur: Quid opus fuit matrem commẽdare discipulo? Respõdetur Primò ob eius desolationẽ, & Primò vt virgini prospiceret. *Cùm vidisset ergo Iesus matrem*, inquit Ioãnes. Visio ista commiseratiõe cõtinebat. Cùm enim vidisset matrem parẽtibus, viro, fratribus & sororibus destitutam, ne omni prorsus humano subsidio careret, Ioanni commendauit. Mira profectò erga matrem solicitudo: non enim solent mori- B. I. Cur matrem cõmendauit Discipulo. 1. *Ob eius desolationem.*

morituri consolari sanos aut prouidere illis: contrà potiùs sani solatio & subsidio succurrere debent agonizantibus. At Christus nec in agone quidem suo solicitudinem erga matrem deposuit, sed vt dolorem eius leniret, charissimum discipulum in filium ei dedit, & absque dubio impressit eo momento temporis matri quidem affectum maternum erga Ioannem: Ioanni filialem erga matrem, vt ita se inuicem diligerent, sicut mater & filius.

2. Secundò, quia filius ei per iniuriam ablatus erat, non debebat filio carere. Cùm enim matri occiditur filius, ipsa iure meritò dolet & accusat occisorem: vel cùm eius filius in bello occumbit, iustum sentit dolorem, (propterea in Institut. de adoptione, non permittitur mulieri adoptare filium, nisi quando filius eius in bello occubuit) & commiseratione digna est; non ita cum naturali morte tollitur ei filius. Atqui Deiparæ per violentiam & summam iniuriam ademptus est vnicus idemque omnium nobilissimus & charissimus filius: cur ergo ad eius solatium non iure detur illi filius adoptiuus?

2. *Ob bonū discipuli.* Secundò, ob bonum discipuli, cui eam commendabat Dominus. Cùm enim posset sine humano labore, per Angelos matri suæ, quæ ad vitam erant necessaria facilè procurare (quemadmodum & ipsi Christo in deserto ministrabant) vel per coruos etiam illam sustentare (quemadmodum Eliā & Paulum Eremitam) voluit id potiùs fieri per discipulum, vt simul etiam illum honoraret & magno beneficio afficeret, vereque sibi dilectum ostenderet discipulum. Nam & Eliam Deus misit olim ad viduam vt ab ea sustentaretur. 3. Reg. 17. non quod non posset illū alere per coruos vt antea fecerat, sed vt viduæ benediceret. Itaque hoc munere dominus reddidit Ioanni centuplum, quod promiserat relinquentibus patrem vel matrem, Matth. 19 siquidem pro matre piscatoris dedit ei matrem Dei, mundi Dominam, gratiâ plenam, benedictam in mulieribus & breuì exaltandam super choros angelorum. Et quis cogitatione possit comprehendere quantū sub hac Magistrâ profecerit Ioannes? Certè in contemplatione diuinorum mysteriorum super omnes volauit Euangelistas absque dubio Deipara instructrice, vti sentit S. Ambrosius l. de Virgin. institut. c. 7. *Tradita est*, inquit, *Virgo Ioanni coniugium nescienti: Vnde non miror præ cæteris locutum mysteria diuina, cui præsto erat aula cælestium sacramentorum*, &c. Quis etiam non videt quantus honor sit, esse filium Deiparæ & tutorem? Nihil certè charius in terra Dominus habebat, quàm matrem. Et quanta nunc in cœlo erit gloria Ioanni, quòd filius sit Deiparæ adeoque Christi frater?

C. II. *Cur Ioāni, non alteri matrem commendauit.* Secundò quæritur, cur Ioanni potiùs quàm alteri, matrem commendarit? Respondetur Primò, quia Ioannes cruci vicinus erat, adeoque Christum ad crucem vsque secutus,

1. quod non fecere cæteri discipuli. Quoniam igitur maiori ardebat erga Christum dilectione, dum pericula contempsit, in quæ iuxta crucem poterat incidere, ideo eidē maiorem exhibuit Dominus dilectionis prærogatiuam, quâ dilectissimam sibi matrem ei commendauit & ipsum matri. Vnde cæteri discipuli non poterant inuidere Ioanni istam prærogatiuam, quia à longè steterunt.

Secundò ob virginitatis prærogatiuam: vt huius virtutis excellentiam honoraret & amabilem redderet. Quàm enim pulchrum hoc virginum triclinium, dum virgo virginem virgini commendat? Noluit quidem Christus virginitatem alicui præcipere, teste Apostolo: vt tamen ad eam sponte sectandam homines alliceret, fecit, quemadmodum Ludimagistri solent: Erigunt enim editiores & quasi regias cathedras, sceptro & corona insignes pro doctissimis, vt discipulos reliquos alliciant ad eum honorem Regis ambiendum: non tamen idcirco præcipiunt vt ad eam gloriam omnes contendant, quia ardui est laboris. Sic Dominus gloriam virginitatis valde decorauit præ cæteris virtutibus, dum ipse Virgo fuit, matrem Virginem habere voluit, eam Virgini commendauit, Ioannem Virginem præ cæteris maximè dilexit, &c. vt sic ad eam sectandam saltem plurimos inuitaret. 2.

Porrò cùm non Ioanni tantùm, sed in Ioanne præterea toti Ecclesiæ data, sit in matrem Deipara: videre nunc licet, quomodo eius patrocinium facilè obtinere possimus; si videlicet crucem Christi amemus & castitatem colamus.

Tertiò, quæritur, cur Christus vocarit eam mulierem, non matrem. Respondeo, Primò fortè hoc fecisse, ne dulci matris nomine cor eius magis affligeret. De ipso enim prædictum erat *Isai.* 42. vt testatur Matthæus c. 12. *Arundinem quassatam non confringet.* Erat autem tunc temporis Mater Christi arundo quassata ingentibus dolorum procellis: non debebat ergo confringi seu ampliùs affligi; quod factum fuisset, si eo tempore tristissimo, quo filium cum non filio mutare cogebatur, matris nomine à filio compellata fuisset. Vnde Lud. Granat. *in Medit. vitæ* Christi, loquentem ad matrem introducit Christum: *O quibus verbis tempore separationis te alloquar? Si te appellauero matrem, tempore quo perdis filium, viscera tua voce hac auditâ dissecabuntur: Si te non appellauero & tam longum iter ingressurus licentiam à te non petiero, nouus dolor alijs doloribus accedet. Ergo non matrem sed mulierem te appellabo.* Sic ille. In hūc modum cùm (Ruth. c. 1.) Noëmi reuertetetur in terram suam Bethlehem, orbata viro ac filijs, & mulieres dicerent: *Hæc est illa Noëmi.* Respondit illa: *Ne vocetis me Noëmi, id est, pulchram: sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Ita omninò dicturam fuisse Deiparam existimo, si tunc, cùm orbaretur filio, iam ante orbata viro, audiret nomen matris. D. III. *Cur appellat mulierē, non matrem?* 1.

Secundò vt indicaret quàm parum carni & sanguini tribuendum sit, ab ijs præsertim, cui mundo crucifixi sunt. Versabatur tunc temporis Dominus in patris negotio omnium maxi- 2. *Fortitudinem in aduersitatis.*

maximo exequendo, ideò tunc caro & sanguis, qui non sapit ea, quæ Dei sunt, omninò seponenda erant. Poterat caro & sanguis Domino patienti obloqui, quemadmodum olim Petrus Domino passionem suam prædicenti: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sed talis affectus aut oblocutio tunc *Sathanas* fuisset & aduersarius. Ideò matris nomen omninò reticendum erat: vt hoc voluntarium sacrificium patri exhibendum, nullo prorsus affectu contrariante turbaretur.

E. IV. Fructus huius verbi. Disce primò à Christo munus liberorũ erga parentes. 1.

Hinc PRIMÒ, discimus à Christo liberorum munus erga parentes, Primò: vt ne deserant ægros vel senio affectos, sed curam illorum habeant. Sanè Cyrillus Hierosolym. *catech.* 7. ait: *Christianorum est prima pietas, honorare parentes & labores educationis rependere atque omni studio, quæcumque ad eorum quietem pertinent, curare.* Sed hoc parum sæpe aduertunt filij, qui erga confectos senio parentes, filialem exuunt animum: Quemadmodum Ier. 12. dicitur. *facta est mihi hereditas mea, quasi Leo in sylua, dedit contra me vocem.* Duriora enim verba filiorum parentibus senioribus data, vehementer eos affligunt, multò magis desolatio, Refertur in fasciculo temporum circa annum mũdi 4306. fuisse in Britannia Regem nomine Leyr, qui cùm filios non haberet sed tres tantùm filias, regnum suum partiturus, priùs singulas interrogauit (vt indagaret cui potiorem partem daret) quantum ipsum diligerent? Prima & secunda responderunt, se diligere ipsum plus quàm animas suas: tertia verò videns senem blanditijs credere, seueriùs respondit, se diligere eum vt patrem, addiditque: *quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo.* Cui iratus pater eam exhæredauit, reliquis regnum diuisit: quæ tamen senescentem patrem maritorum suorum operâ regno spoliarunt & vix cum vno famulo in familiâ tolerarunt. Porrò exhæredem filiam ob formæ elegantiam Rex Franciæ sibi desponsit. Ad hanc itaque filiam, tandem se recepit Leyr, & recordatus verborum eius dixit: *O filia quàm verè mihi dixisti: Quantum habes, tantum vales: tantumque te diligo. Dum enim habui quod darem, multum valui apud Sorores tuas: nunc verò cùm nil habeam, nihil prorsus valeo.* Itaque à filia ista receptus & benignè habitus iterumque regno restitutus est. Notent hoc parentes, ne nimiùm credant Liberis.

2. Secundò, Ita diligere illos, vt tamen Deus magis diligatur eique potiùs seruiatur. Potuisset enim Dominus recreare matrem, omnemque ei mœrorem abstergere, si descendere de cruce voluisset. Sed patris ille voluntatem prætulit meritissimò; quod idem fecerat, cùm inscijs parentibus remansit in Ierusalem. Ad exemplum eius noluit etiam adolescens ille Albertus, Comitis Falkenbergensis vnicus filius, deserere ordinem Dominicanorum, quem inscijs parentibus ingressus erat Lutetiæ circa annum Domini 1230. Cùm enim pater ad eum retrahendum aduolasset, & frustrà blanditias tetendisset obfirmato iuueni Theodoricus Alberti consobrinus conatus est eum reuocare dicendo matrem eius præ animi ægritudine vel iam mortuã, vel decumbere moribundam. Sed Albertus cùm fortè è regione iconem crucifixi inter matrem & discipulum conspexisset, in eam oculos ac digitum intendens: *En,* inquit, *Dei filius cùm matrem & consobrinum, vtrumque sibi tam charum, dolorũ gladio confossum videret; tamen è crucis patibulo descendere noluit, sed in ea cum suo & illorum cruciatu vsque ad mortem permansit. Quare nec ego hanc religiosæ vitæ crucem, quam semel conscendi, deseram vnquam, quamuis & matrem & te cõsobrinum ad pedes meos exanimes iacere viderem.* Refert Leon. Lessius in disp. de statu vitæ deligendo. Nimirum Christus cariùs nos enutriuit, quàm parentes nostri (vti ipse dixit cuidam Franciscano discessum paranti è religione, ob matris inopiam, apud S. Antoninum 3. p. *chro. tit.* 24. c. 4.) sanguine videlicet suo: cum parentes lacte tantùm & cibis alant.

F. V. Disce à Deiparâ. 1. Officium parentum erga filios.

Discimus SECVNDÒ, à Deiparâ Primò, Officium parentum erga filios, vt diligant quidem eos, sed Deo non anteponant, nec amor filiorum impediat amorem Dei. Dolebat enim vehementissimè ob filij passionem, sed non indignabatur, nec clamores aut querelas proferebat; stabat enim iuxta crucem, & fortiter ferebat, quod ex voluntate Dei fieri sciebat. Itaque si contingat filium vocari ad statum religiosum, non obsistant; siquidem S. Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum ait, *retrahere à religione nihil esse aliud, quàm Christum in pectore alterius occidere. Christo se opponere, spargere & dissipare quæ Christus collegit, donatiuum militiæ Christi suffurari.* Item non ament eos amore fatuo, quo necessarias vtilesque censuras prætermittant, ad perniciosa eorum desideria conniueant & duci se sinant à puerilibus studijs, quo modo cæci à catellis funiculo alligatis ducti sæpe aberrant & in lutum aut fossas cadunt. Hac vesaniâ laborabat Themistocles cũ vxore suâ, qui dicere solebat ad confusionem propriã, à filio suo, qui plus æquo abutebatur matris licentiâ & per illam suâ, quemuis alium Græcum authoritate vinci; Cæteris enim imperare Athenienses, se Atheniensibus, sibi vxorem, vxori filium. Plut. *in Themistoc.* Longè aliter mater illa, quæ filium Melithonem, ex 40. martyribus frigore necatis vnũ nec dum planè extinctum cùm à lictoribus relinqueretur quasi ad se rediturus, in humeros sustulit & auecta reliquorum martyrum corpora insecuta, in eundem rogum ad illos coniecit, vt particeps esset coronæ, qui fuit & pugnæ. Erat sanè Mariæ filius, Deus ipse: nihilominus Dei voluntatem eius dilectioni præposuit: quantò minùs ergo decet vt matres cæteræ ament filios suos contra aut supra Deum?

Secundò, Fortitudinem in tribulationibus; siquidem sub cruce non crines lacerauit, nec in terram corruit, sed *stabat* vt Ioannes ait, nec de iniuriâ, sibi à Iudæis illatâ (quâ filium eius innocentem sustulerunt) conquesta est: Vt meritò in eam quadret, quod Cant. 7. dicitur 2. Fortitudinem in aduersitate.

de

de Sponsâ, *statura tua assimilata est palma*. Vt enim palma rectissimæ staturæ est & cùm pondus ei imponitur, non succumbit, sed potiùs in modum fornicis se erigit: Sic Deipara sub cruce etsi grauissimo filij supra se pendentis onere pressa, non succubuit, sed erecta stabat & inuicta, diuinæ se conformans voluntati. Quam rectitudinem suadet omnibus Apostolus 1. Cor. 16. *State in fide: viriliter agite*. Fortes instar tesseræ sunt, quæ semper rectæ cadunt: sed qui hac fortitudine carent, instar globi facili impulsu dimouentur & fugiunt.

G. VI. Disce à Ioanne. I. *Amare crucem.* TERTIÒ, A Ioanne discimus Primò amare crucem & ad illam penetrare; siquidem magnus est eius fructus. Nisi Ioannes ad crucem per confertam plebem se intrusisset, sed cum cæteris discipulis à lōgè stetisset, tā pretiosum Legatum Deiparam videlicet in matrem, non accepisset. Itaque Christi amici cruci assistentes omnes præmiati sunt, Deipara Ioannem in filium & nutricium, Ioannes Deiparam in matrem accepit: Magdalenæ & cæteris mulieribus Christus resurgens omnium primis apparuit. Forsitan reliqui quoque discipuli si cruci adstitissent, donum aliquod obtinuissent: Sed quia fuerunt absentes, fuerunt & carentes.

2. *Officium verè amicitiæ.* Secundò, Officium veræ amicitiæ, quæ non deserit amicum hyemali aduersitatis tempore, quemadmodum nos hyrundines, postquam æstatem nobiscum hilares transegerunt. Ioannes noster, qui tempore cœnæ in sinu Domini recubuit, tempore passionis quoque Domino suo adfuit. Ad quem modum docemur non adesse tantùm amicis cùm bene valent & prosperâ vtuntur fortunâ, sed etiam cùm ægri decumbunt, vel cùm aliâ aduersitate premuntur.

3. *Curam pauperū.* Tertiò, Curam pauperum: siquidem Legatam sibi à Christo matrem, vtique tuendam & alendam, ex illâ horâ *accepit in sua*, videlicet obsequia. Nimirum plus accepturus erat à Deiparâ Ioannes, quàm ei dare posset, idcircò præstantissimum hoc & nequaquam pœnitendum legatum ilicò & cum gaudio acceptauit. Et quid aliud fecit Deus, cùm pauperes in mundo esse voluit? in quem vsum eos ditioribus, vt eosdem alant? quid aliud est pauper fores tuas pulsans quàm Legatum Christi, qui dixit: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Acceptanda sunt ergo cum alacritate legata ista, quia plus accipitur à pauperibus quàm dari eis possit. *Fœcundus est ager pauperum*, inquit S. Aug. serm. 25. de verb. Domini: *citò reddit donantibus fructum. Si vis esse mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere vt recipias quod non poteris amittere: da modicum, vt recipias centuplum: da temporalem possessionem vt consequaris hæreditatem æternam.* Sic ille.

Denique Deiparam etiam recipere in nostra deberemus, quemadmodum Ioannes. Eā enim hîc Christus nobis omnibus obtulit in matrē. Neque dubitandum est, de voluntate matris; amplissimum enim habet pallium, quo nos omnes potest & cupit tegere. In nostra, inquā, obsequia recipienda est Deipara, vt eam singulari deuotione colamus, singulari fiduciâ & quasi familiaritate ad eam accedamus. Sic enim & ipsa quoque nos accipiet in sua.

§. XXXVI.

De quarto verbo.

1. & 2. *Explicatur quomodo & cur fuerit in cruce Christus derelictus.*
3. *Cur per modum querelæ dicat*: Vt quid dereliquisti me?
4. *Cur derelictione protestetur.*
5. *Cur circa horam nonam ita clamauerit. Assignantur deinde varij fructus & documenta ex hoc verbo eliciendæ.*

THEMA.

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Matth. 27.

DIcit quidem S. Dauid Psal. 36. *Iunior fui etenim senui, & non vidi iustum derelictum*. A.
q. d. in tam longo tempore à pueritiâ meâ vsque ad senectutem non vidi talem aliquem: adeoque impossibile existimabat vt iustus derelinqueretur. Sed quid si nos Dauidi iustum aliquem ostenderemus, qui à Deo derelictus sit? Sanè non negabit Dauid Christum Dominum fuisse iustum; siquidem de eo *Ierem.* 23. dicitur: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.* Sic etiam vocarunt eum ipsimet eius aduersarij; Pilatus: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Matth 27. Vxor eiusdem: *Nihil tibi & iusto illi.* Iudas traditor Christi: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Centurio: *Verè hic homo iustus erat.* Luc. 23. Et hic tamen in cruce clamat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quid ad hoc ô Dauid? fierine potuit vt à patre derelinqueretur *Dominus iustus noster*? Fateri sanè debemus fieri hoc potuisse; siquidem reuerà factum est. Sed hoc tamen adeò mirum & insolitū erat vt propterea videatur Christus ipsemet mirari, quomodo id fieri potuerit. q. d. fierine potest vt pientissimus pater charissimum sibi filium in hanc tormentorum abyssum deuenire sinat & in eâ deserat? Admirandum igitur istud mysterium attentè nobis pensandum est, ne alioquin nobis dicat Isaias: *Iustus perit & non est qui recogitet in corde.* Isai. 57.

Quæritur PRIMÒ, Quomodo fuerit Christus in cruce derelictus? Respondeo multas in Christo fuisse vniones. Vnio naturalis cum personâ Patris & Spiritus S. & hæc omninò est indissolubilis. Secundò, vnio noua diuinæ naturæ cum humanâ, & hæc etiam dissoluta non fuit; quod enim semel assumpsit, numquam dimisit: proinde in triduo mortis Dominicæ, diuina natura mansit vnita, tam cum corpore emortuo & sepulto, quàm cum animâ descendente ad inferos: per mortem Christi sola vnio corporis & animæ dissoluta est. Tertiò, Vnio gratiæ, quæ & ipsa semper fuit, mansit & B. I. Quomodo fuit derelictus.

manebit, quia ſemper fuit Chriſtus, filius patris dilectus, in quo ei bene complacuit. Quartò, Vnio gloriæ in animâ Chriſti, & hæc quoque indiſſolubilis eſt, de ratione enim beatitudinis eſt, vt amitti non poſſit. Reſtat vnio protectionis de quâ Dominus Ioan. 8. *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* Et hæc ſola ad breue tempus rupta eſt Chriſto patiente, dum poteſtati tortorum & inimicorum relictus eſt, non tantùm à patre, ſed etiam à ſeipſo, & dum ei ſubtracta eſt omnis conſolatio, quæ alioquin à ſuperiori parte animæ deriuabatur in partem inferiorem. Potuiſſet Deus pater, potuiſſet ipſemet filius ſe defendere innumeris modis & eripere ex hoſtium manibus, quo modo Danielem à Leonibus, tres pueros è fornace ignis, quo modo Ioannem ex feruenti oleo & innumeros Martyres à grauiſſimis ſupplicijs: potuiſſet etiam anima Chriſti ad corpus tranſmittere donum impaſſibilitatis, item pars animæ ſuperior gaudium & conſolationem in partem inferiorem & appetitum ſenſitiuum; ſiquidem anima Chriſti ſemper Deum aſpiciebat, & proinde ſummâ lætitiâ perfundebatur. Sed continuit Chriſtus gloriam animæ ſuæ vt in corpus non redundaret: ſimiliter gaudium, quod ex Dei cõſpectu emanabat in animam, continuit tunc temporis, ne in partem animæ inferiorem redundaret; ad eum ferè modum, quo Sol vnum ſemper hemiſphærium illuminat, ad oppoſitum verò hemiſphærium non tranſmittit lumen propter terræ interpoſitionem: vnde in illo dies, in iſto verò nox eſt; vel ſicut in Olympi montis cacumine, nulla eſt aëris intemperies, ſed perpetua tranquillitas & ſerenitas: in parte verò inferiori, venti, pluuiæ & tempeſtates aliæ. Id quod in figurâ repræſentatum eſt *Ezech.* 1. in homine, qui à capite vſque ad lumbos erat quaſi electrum intrinſecus lucens: à lumbis verò ad pedes vſque, quaſi ignis exterius ſplendens; quæ viſio ſignificabat gloriam Dei redemptoris, ſecundum gloſſam interlin. ibid.

C. II. Cur ita derelictus.

SECVNDÒ, Quæritur cur Chriſtus hoc modo derelictus eſt vel potiùs derelinqui voluit? Reſpondeo Primò, derelictum eſſe vt locum
1.
haberet oblatio ſacrificij cruenti, pro redemptione generis humani. In cuius figuram Iſaac immolandus priùs ligatus eſt à patre, ne reſiſtere poſſet aut motum aliquem inuoluntarium edere, *Gen.* 22. Ligatus fuit Chriſtus, cùm in horâ paſſionis omni auxilio, conſolatione & defenſione deſtitutus, tametſi volens lubens: ad inſtar Samſonis, qui amore Dalilæ illectus vltrò depoſuit robur ſuum, dum in ſinum eius caput ſuum poſuit, quo tonderi adeóque robore ſuo ſpoliari poſſet. Iud. 16. Sic enim Chriſtus vltrò ſe capiendum & ligandum obtulit, & vt commodè capi poſſet, in locum proditori notum exiuit. Vel ſicut vir robuſtiſſimus, qui dum ad iudicium ſiſtendus quæritur, vltrò deponit arma ſua, quibus ſi vellet vti, facilè omnes apparitores, qui ipſum capere volunt, occidere poſſet. Quia ergo neceſſaria erat Chriſti immolatio, neceſſaria etiam erat derelictio. Quare vti pater non audit filium, malè affectum, qui à Chirurgis ſcinditur & vritur; clamantem & opem eius inuocantem; quia videlicet nouit hanc ipſi medelam eſſe neceſſariam: ſic Deus pater non audiuit filium, ſed dereliquit eum in tormentis, quemadmodum & ipſe Chriſtus, vt Deus, ſeipſum vt hominem dereliquit: vt ſic ſanitas toti eius corpori myſtico conferretur.

Secundò, Quia nos dereliqueramus Deum & ab eo receſſeramus velut oues errantes: ideo Deus pater reliquit Chriſtum in cruce & quæſiuit oues quæ perierant. Audi Moyſen de populo ſuo loquentem Deut. 32. *Dereliquit Deum factorem ſuum: receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Debuit ergo Chriſtus noſtram luere rebellionem & fugam, quod libentiſſimè fecit, vt videlicet Deus pater ipſo derelicto in cruce, ad nos accurreret noſque à gehennâ liberaret: ſicut cùm mater aliqua aſſidens ægroto filio, & interim audiens duos alios cecidiſſe in flumen, deſerit ægrum & ſuccurrit illis, qui in aquis periclitantur. Torquebatur in lecto crucis Dominus: ſed nos ad infernum abripiebamur; nobis igitur ſuccurrit Deus tanquam grauiùs periclitantibus & filium dereliquit naturalem in cruce patientem.

D. III. Quare per modum querelæ an: Vt quid dereliquiſti me?

Quærit. TERTIÒ, Cur per interrogationem quærit & quaſi conqueritur: *Quare me dereliquiſti?* Nunquid ignorauit cauſam ſuæ derelictionis? Minimè, ſed hoc fecit Primò: Vt teſtaretur mundo innocentiam ſuam & ſe pati ob alienam culpam: quod ſciri à mundo neceſſariò debebat. Hoc fortaſſe ſignificant illa verba Pſalm. 21. ex quo verbum iſtud deſumpſit Chriſtus: *Quare dereliquiſti me? longè à ſalute mea verba delictorum meorum:* id eſt, calumniæ delictorum, quæ mihi pater impoſuit, & iſti milites mihi impingunt, longè abſunt à ſalute, id eſt, à vitâ meâ: ſeu, non ſunt delicta mea, ſed aliena. Dixit ergo: *quare me dereliquiſti*, vt nos inquireremus, quare id pater fecerit. Inueniemus enim eum propter ſcelus populi ſui percuſſiſſe filium, & non ob ſcelus aliquod filij.

Secundò, Quia præuiderat quamplurimis paſſionem & derelictionem ſuam nihil profuturam. Vnde in eodem Pſalm. ait: *Sicut aqua effuſus ſum & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* q.d. inutiliter. Vult ergo dicere, quod diceret agricola, qui poſtquam plurimum laborem collocauit in excolendâ vineâ, poſtea direptâ vel grandinatâ vineâ, ait: quare tantum laboraui? Vix enim pauci mihi reliqui ſunt racemi. Sic queritur per Michæam c. 6. *Va mihi quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ:* id eſt, poſt vindemiam: *non eſt botrus ad comedendum: præcoquas ficus deſiderauit anima mea: perijt Sanctus de terrâ, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur,* &c.

E. IV. Cur derelictionẽ proteſtatur?

Quæritur QVARTÒ. Cur derelictionis iſtius proteſtationem fecit? Reſpondeo feciſſe, Primò: Vt omnes intelligerent, ipſum verè pati
1.
& acerbiſſima quidem. Cùm enim ingenti patien-

patientiâ sufferret omnes illos dolores, contumelias & calumnias, nec verbo quidem se defenderet, sed omninò obmutesceret: potuissent aliqui præsentes dicere vel postea fingere, eum nihil esse passum, sed fuisse impassibilem instar lapidis: vnde passio eius pro nihilo haberetur, vtpote apparens tantùm. Et propterea etiam clamorem adhibuit, vt quodammodo totus mundus audiret & cognosceret, non esse ludum paruulorum, sed rem seriam, ipsius passionem. Quòd si etiam sic fuisse quidam hæretici, qui dicebant Christum non reuerà sed in phantasmate tantùm passum esse; vti Cerdon & Marcion: quid futurum fuisset, si nulla prorsus dolorum suorum argumenta edidisset?

4. Secundò, Vt nobis significaret, quanti ipsum constiterit nostra redemptio, atque ita ad amorem sui nos pelliceret & gratitudinem. Nesciunt liberi, quantum doloris propter ipsos sustinuerit in partu mater: mater bene nouit, & si quãdo in vnius partu valde periclitata est, id postea filio narrat, vt propterea magis ab eo diligatur. Hinc Rachel in partu vltimi filij sui, in quo vehementissimè cruciabatur adeoque animam egit, vocauit illum *Benoni*, id est, *filium doloris sui*. Gen. 35. Vt nimirum filius aliquando huius nominis causam intelligens, matri gratior esset. Nescimus & nos quantos cruciatus sentierit Christus, dum nos in Cruce pareret: sensit autem ipse; idcircò nos hac suâ protestatione & clamore admonuit vt ei gratiores essemus, siquidẽ verè filij doloris eius sumus, in quorum geniturâ, animam emiserit. Hoc ergo verbo sic quodammodo nos alloquitur. O filij dolorum meorum, intelligite & pensate: quanti mihi constiterit vestra natiuitas, quâ vos in Dei filios genui! Nam in partu illo ab ipso patre derelictus sum & præ doloris vehementiâ animam effudi, quando vos effudi: satis itaque sit dolorum: nolite, quæso, *addere super dolorem vulnerum meorum*.

F. V. Cur circa horam nonam ita clamauit. Q. QVINTÒ, Cur circa horam nonam dicitur ita clamasse? Respondetur Primò, quia
1. tunc dolor erat acerbissimus, postquam videlicet iam per tres horas pependerat in cruce, iamque aderat tempus cum morte luctandi, quæ est omnium terribilium terribilissimum. Itaque tunc maxima fuit Christi derelictio, quando solus in acerbissimis cruciatibus duellum illud mirandum & terribile cum morte debuit inire.

2. Secundò, Quia Sol tunc obscuratus erat, quæ obscuratio mirabilis, eius gloriã & diuinitatem ostendebat, tanquam propter ipsum facta: Vt ita dum tenebræ ostendebant eius maiestatem & diuinitatem, ipse interim querimoniâ suâ ostenderet suam desolationem & humanitatem. Hæc enim duo in Christo ita coniuncta erant, vt quoties ex vnâ parte humiliaretur vt homo, toties ex alterâ glorificaretur vt Deus, quod in totâ eius vitâ cernitur. Nam vel in solo monte Caluariæ pendet in Cruce, sed glorificatur interim à prodigijs. Blasphematur ab vno latrone, sed glorificatur ab altero. Illuditur à militibus: sed glorificatur à Centurione & consortibus. Deseritur à Patre, sed elementa pro eo pugnant.

Documenta ex hoc verbo plurima possuĕt elici. Et PRIMÒ vide Christi patientiam & patiendi ardorem; siquidem ab hora sexta vsque ad nonam perpetuò silens pependit in Cruce: & ita vltra tres horas (nam ante sextam in Crucem sublatus erat, & post nonam obijt) in acerbissimis cruciatibus perdurauit sine omni consolatione. Non erat necessarium vt tanto tempore Dominus penderet derelictus, sufficiebat vnum momentum; nam nec pater plus requirebat cùm Esai. 54. diceret: *Ad punctum in modico dereliqui te.* Sed voluit Christus totum passionis calicem exhaurire vsque ad fundum, & nos interim excitare vt cum ipso sustineamus aliquid molestiæ & laboris ad breue saltem tempus, si non tamdiu vt ipse. Quare vehementer confundimur, qui non possumus sæpe ad vnam vel duas horas sub re diuinâ persistere, & silentium tenere: qui vnam in orando horam difficulter toleramus, & in vnâ oratione sensus & mentem non cohibemus, quin euagetur ad extranea. O verè detestandam nostram impatientiam! Si enim ita oportuit Christum intrare in gloriam suam, per tam diuturnos scilicet labores, quomodo nos, qui vel momentaneos vix possumus perferre, intrabimus in alienam? — G. VI. Fructus huius verbi. 1. Vide Christi patientiam.

Secundò, Vide quàm exiguæ & leues sint nostræ tribulationes & desolationes, si cum Christi desolatione cõparentur. Ipse enim omni prorsus auxilio & solatio in passione destitutus fuit & purissimum ebibit passionis calicem: nobis verò mixtum tantùm præbet. Non enim patimur omnia tormenta, nec in omnibus membris, nec ab omnibus deserimur, nec omni solatio & auxilio destituimur, adsunt enim amici, qui nos consolantur; adsunt vicini, qui compatiuntur; adsunt medici ægris, qui medelam adhibent & bene sperare iubent; adsunt viri misericordes, qui egentibus manum porrigunt; adsunt viri spirituales, qui solantur pusillanimes & pro ipsis orant. Quam ob causam dixit Dauid Psal. 36. *Non vidi iustum derelictum.* Nemo itaque querulâ voce dicat, se à Deo derelictum. Quamuis si ita quispiam derelinqueretur, necdum conqueri posset, si enim filius Dei derelictus est: quid mirum si derelinquatur seruus. — 2. Vide quã sint leues nostra tribulationes.

Tertiò, Vide quàm propè adsit Dominus tribulatis & tentatis, licet eos ad tempus deseruisse videatur. Dum enim derelinquitur à Patre Christus, interim ab eodem mirè clarificatur per prodigia de cœlo & terra, ita vt omnia penè elementa testentur eum iustum & plusquam hominem esse, & qui priùs eum non cognouerant, cognoscere incipiant, & pectora sua tundere, quòd videlicet iniuriam ei fecissent. Denique post triduum maiore cum gloria eum suscitauit. Sic dum tentatur & tribulatur iustus, Deus quidem abesse videtur, sed non procul abest; mox enim faciem suam iterum illi ostendit, & dum abest, interim gloriã ei fabricat. Expertus id est S. Antonius, qui dum ali- — 3. Vide quã adsit Deus tentatis.

aliquando à dæmonibus verbera terroresque perferret, subitò lux diuinitus apparuit quā expauefacti dæmones diffugêre. Antonius verò eo splendore recreatus erexit se & quasi præsentem Deum aspiceret, dixit: *Vbi eras bone Iesu? vbi eras?* Responsumque accepit: *Aderam Antoni, sed euentum pugnæ tuæ præstolabar, quam quoniam imperterritus immotusq́; viriliter sustinuisti, manet te victoria tua indeficiens in cœlo triumphus.* Athan. in vitâ Antonij.

4. *Vide humilitatê.* Quartò, Vide humilitatem; eò enim se demisit Christus in Cruce, vt etiā à patre desēri non dubitarit, eumque iam non quasi patrem, sed tantùm vt Deum suum, quasi filius non esset, alloqui voluerit. Quæ profundissima humiliatio expressa est eodem illo psalmo, ex cuius initio verbum hoc desumpsit Christus. Ait enim ibi Dauid in personâ Christi: *In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos: Ad te clamauerunt & salui facti sunt; in te sperauerunt & non sunt confusi. Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* q.d. deterioris longè conditionis sum, quàm patres illi, qui deprecans calicem passionis, non sum auditus, ideoque sum velut vermis attritus in plateâ cum morte luctans, cuius nemo miseretur. Quin imò *omnes videntes me,* subiungit, *deriserunt me, locuti sunt labijs & mouerunt caput. Sperauit in Domino* (dicunt Iudæi nimirum) *eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Vbi vides penè ad verbum prædictas esse contumelias, quæ Christo à vilissimis homuncionibus illatæ sunt, quando à plebe abiectus & Barabbæ posthabitus fuit: quando *stabat populus spectans & deridebant eum principes cum eis,* Luc. 23. quando blasphemabant *mouentes capita sua,* Matth. 27. quando dicebant: *Confidit in Deum, liberet eum nunc, si vult eum* ibid. Quoniam igitur eò se demisit vt non tam homo quàm hominū opprobrium & vermis esset, hinc non ausus est nunc vocare Deū, patrē suum, quod tamen ausus est prodigus ille filius ad patrem suum reuersus: *Pater peccaui in cœlum,* &c. Ad hunc igitur nouissimum locum Christus in passione se demisit, vbi Deo & angelis mirandum spectaculum factus est. Mira quidem fuit humilitas B. Alexij, quando in potentissimi & ditissimi patris domo delituit sub scalâ, abiectissimo in loco vilissimo mendici habitu, vbi à domesticis irrisus, vexatus & sæpè sordidus est fœdatus. Quomodo enim potuit tam indigna pati & se continere, ne patrem appellaret & se filium eius proderet? Sed discipulus tantùm Christi fuit Alexius. Magister eius Christus multò profundiùs descendit & longè indigniora pertulit. *Quid igitur superbis terra & cinis?* Quid tu coram filio Dei, fœtidissima superbia?

5. *Vide ingenium reproborū.* Quintò, Vide ingeniū reproborum qui, quæ audiūt bona & salutaria, ipsi in reprobum trahunt sensum & risum. Dixerat enim Christus: *Eli, Eli lammasabactani,* id est, *Deus meus, Deus meus,* &c. Quidam autem circumstantes verba hæc deprauarūt & ad Christi irrisionem verterunt; ludentes in nomine *Eli*, quasi Eliam inuocaret Dominus. Nimirum ita facere solent homines otiosi, sacrorum contemptores & rerum suarum incurij. Quod Apostoli & cæteri iusti rectè intellexerunt & interpretati sunt, hoc Iudæi malè. Ita verba salutis, seria sunt bonis, reprobis verò ludus & iocus. Sed quantò his deterior Caluinus, qui impijssimè blasphemat, quasi in hoc verbo Christus desperarit! ô linguam nequam! linguam præcidendam & Caluini cauterio dignam! linguā minutatim scindendam & auibus projiciendam vti linguam Nicanoris 2. Mach. 15. Quomodo desperare potuit, *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo?* Quomodo desperare potuit, in quo spei non erat locus; siquidem reipsâ beatus semper erat? Quomodo desperauit, qui dixit: *Deus meus, Deus meus?* non sunt hæc verba desperantis, sed in Deo cōfidentis. Verba sunt prophetica psal. 21. qui totus de passione Domini præ omnibus disertissimè loquitur, in Christo tunc impleta, ita vt Christus uō ta ex suo quàm Dauidis ore loqueretur. Deinde Lutherus his ipsis Christi verbis nequissimè abutitur dum ea in perniciē sponsæ Christi trahit, quādo in admonit. pro sedition. scribit papatum iam clamare *Eli, Eli:* breui auditū iri: *expirauit.* Sic nimirum & iste ipsissimet Christi verbis sponsam eius impugnat. Sed heus tu Christi Carnifex & Ecclesiæ turbator: Quomodo expirabit aut interibit Ecclesia, quæ in petrâ solidata est? Sed rectè mentitus es in caput tuum: nam plusquam centum anni sunt, ex quo hæc scripsisti. Et viuit tamen ac regnat Ecclesia, viuetque & regnabit. Lutheranismus autem verissimè animam nunc agit. Eiusdem farinæ sunt illorum asseclæ, qui dogma Catholicorum deprauant, dum ogganiunt sanctos à nobis coli pro Dijs cùm inuocantur. Nimirum isti ex Eli, faciunt Eliam: & dum nos soli Deo cultum latriæ damus illi occlamant: Eliam vocant isti: Sanctum pro Deo colunt. Sed aliter inuocamus Deum, aliter & Sanctum. Illi dicimus: *Miserere nobis*; isti verò: *Ora pro nobis.*

§. XXXVII.

De quinto Christi verbo.

1. *Significat hoc verbum sitim corporalem.*	4. *Sitim animarum & conuersionem gentium. Eruuntur deinde 4. documenta ex hoc verbo.*
2. *Sitim adimplendi voluntatem Patris.*	
3. *Sitim plura patiendi.*	

THEMA.

Sitio. Ioan. 19.

Mirari aliquis posset, quid voluerit sibi Dauid, quando psalm. 21. qui totus passionem Domini clarissimè describit, & de quo præcedens verbum desumpsit dominus, inscribit, pro ceruâ, (iuxta Hebr. textum) sed nō abs A.

re-

fecit hoc Dauid. Etenim S. Aug. S. Hier. & alij *super 42. Psal.* scribunt ceruum duplici potissimùm ex causa vehementem pati sitim; quando videlicet à canibus agitatus & altissimas rupes petere coactus est: & quando serpentes ex cauernis spiritu narium suarum extractos deuorauit. Hinc enim vehemēti siti æstuans fontem aliquem petit, vbi se aquis proluit, tum cornua deponit & pristinas vires recipit, adeoque modo aliquo renouat. Quod si ita est, non incongruè potest ceruo comparari Christus Dominus, sitiens in Cruce, quoad vtramque causam. Nam & à canibus circundatus, (de quibus Ps. 21. ait: *Circundederunt me canes multi,*) Iudæis nimirum oblatrantibus in Caluariæ montem actus & agitatus est: criminumque serpentes è cordibus peccatorum extractos in se trāstulit indeque siti æstuans, in cruce dixit: *Sitio*; haustoque aceto paulò pòst vitam deposuit & tertio die resumpsit. Certa autem dicitur potiùs quàm ceruus, quia in natura tantùm humana passus est. Huius ergo ceruæ sitim nunc expendamus.

B. I. Significat sitim corporalem.

Non vnam, sed multiplicem sitim, hoc verbo explicat Dominus. Nam PRIMÒ sitim significat corporalem, quia per tot horas vehementer fatigatus & sanguine exhaustus reuerà sitiebat & vehementissimè sitiebat. Solet enim magnam corporis fatigationem & multam sanguinis effusionem naturaliter sequi sitis, quæ maximum affert tormentum. Patet ex historia S. Emmerami, qui membris articulatim truncatis, cùm plurimum emisisset sanguinem, morti proximus, instar trunci alicuius iacens, de siti tantùm querebatur, apud Sur. 22. Septembris. *Noui ego*, inquit Card. Bellarminus l. 2. de Septem verbis cap. 7. *personam, quæ multis affecta vulneribus, ex quibus ingens copia sanguinis effluxerat, nihil nisi potum desiderabat, quasi nihil mali pateretur præter ardentissimam sitim.* Sanè qui vehementer sitiunt in potū auidissimè irruunt & quandoque etiam lutosas fœtidasque sorbent aquas, lixiuia, vrinam, oleum, atramentum vel sanguinem & horribiliora, quæ nisi extrema necessitate coacti non biberent. Scribit de Alexandri M. exercitu Q. Curtius l. 7. cùm is per desertum aquâ destitutum iter faceret, præ sitis vehementia etiam oleum bibisse, & cùm tandem ad flumen Oxum peruenisset, tanta auiditate hausisse, vt plurimi interclusio spiritu extincti sint; additque: *Multò maior horū numerus fuit, quàm vllo amiserat prælio.* Maximum itaque sitis est tormentum: sed quantū in Christo fuerit Crucifixo, quis valeat explicare? Præcesserat ingens fatigatio, tractio, circumductio de tribunali ad tribunal, vexatio, oneratio, sanguinis effusio, & patebant adhuc quatuor sanguinis riui in eius corpore: an non dudum iam à multis horis sitiuisse Christum putabimus. Et tamen per tot horas vsque ad crucifixionem, & in ipsâ cruce per tres horas sitim istam pressit, vicit, tacuit, nec nisi extremo spiritu, iam iam moriturus aperuit, quo nimirum nobis indicaret, se reuerà maximam tolerare sitim. Multi tunc erant in Christo atrocissimi dolores; vti capitis ex spinarū aculeis, manuum & pedū ex clauorū penetratione, corporis totius ex vulneribus & graui pondere; nullum tamen illorum verbis expressit, præterquam sitim: quia nimirū cæteri dolores tolerabiliores erant. Accedit & hoc argumentū, quod licèt acetum tantùm, non vinum aut aquâ, ministris ei propinatum sit, id tamen acceperit Dominus, quantumuis asperam & ingratam potionem; vt inde colligeremus, quanta fuerit eius sitis. Porrò hanc sitim suam explicare voluit Dominus, tum vt sciremus, hoc tormentum, quod non ita nobis manifestum erat, vt alia tormenta ei non defuisse. Tum vt per hoc ostenderet se reuerà hominem esse & morti appropinquare; siquidem homines exhausti sanguine naturaliter sitiunt, vt diximus.

C. II. Sitim adimplendi voluntatem patris.

SECVNDÒ, Significat sitim adimplendi voluntatem patris & scripturam, in quâ illa continebatur, adeoque perficiendi opus redēptionis. Hoc indicat Ioannes cùm ait: *Vt consummaretur scriptura dixit sitio.* Quia enim videbat Christus omnia, quæ passurus erat, ab æterno præordinata & decreta à Deo, eaque in scripturis prædicta; idcircò vehementer æstuabat implere voluntatem patris per omnia ad vnguem, ita vt nec apex præteriretur aut iota vnum. Cùm ergo etiam sitim & aceti potionem sibi decretam in scripturis expressam solamque sibi superesse exsoluendam sciret, idcircò dixit: *Sitio*; Dei scilicet voluntatem, magis quàm potum. Sciebat enim Dominus parum sibi profuturum, quem porrecturi erant, potum, nihilque necessarium: plurimum autem referre vt scriptura impleatur.

Vbi bene notandum, quòd ipsemet Dominus hoc verbo voluerit hostes suos monere, vt quod superarat acetum bibendum, porrigerent. Sciebat Dominus non vinum aut aquam sibi porrigendum esse, sed acetum: & rursum hoc sibi non oblatum iri, nisi sitim suam exponeret. Quare, vti ne aliquid de scripturis præteriretur, ipse magis vigilabat quomodo patris voluntati per omnia satisfaceret; quàm hostes eius, quomodo eum affligerent, tametsi alioquin ad hoc ipsum studiosissimi. Hac eadem ex causâ Petrum volentem sibi eripere hunc passionis calicem in monte oliueti, tam seriò reprehendit cùm dixit: *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Ioan. 19. Considerauit nimirum Christus inobedientiam Adami & eius posterorum, qui tam facilè extenderunt manus ad res vetitas, Deique voluntatem tam parui æstimarunt: idcircò ipse eam tam accuratè perficere voluit, vt sic transgressioni responderet satisfactio. Deinde in linguâ facilè peccatum est per delectationem gustus, In lingua sedulò satisfactum est per sitim.

D. III. Significat sitim plura patiendi.

TERTIÒ, Significat sitim plura patiendi, si necesse foret & ita videretur cœlesti patri. Cùm enim potus homini exhausto prolonget vitam: & acetum sistat sanguinem vt vult Card. Baronius: Item cùm Dominus prænosset se hoc verbo non quæsiturum sibi refrigerium,

rium, sed nouum cruciatum acerbæ potionis iuxta Prophet. Psal. 68. *in siti mea potauerunt me aceto*: an non hoc ipso insinuauit quàm libenter plura pati vellet, qui sciens volens petijt noui doloris materiam? Quemadmodum enim S. Laurentius semitostus in craticulâ cùm ad Tyrannum Valerianum dixit: *Ecce miser assasti iam vnam partem: gyra ad aliam & manduca*; quo verbo manifestè ostendit, quàm paratus & cupidus esset pro Christo ampliora perferre supplicia: Sic etiam Dominus, dum iam fessos canes, hoc verbo rursum in se concitauit vt nouo appeteretur morsu acetosi potus, an non dilucidè ostendit, quàm adhuc libenter tristiora pati vellet, si satis hoc non esset? O sitim mirã! Sed nimirum Christus voluit rependere sitim pro siti, & ita Deo satisfacere etiam quoad singula. In peccatoribus enim sitis quædã est peccandi multò ampliùs, quàm peccant, si facultas eis daretur. Sed quia non possunt tantum peccare, quantum cupiunt, ideò multa omittunt peccata: perpetraturi alioquin horribiliora. Sic enim impij dicunt Sap. 2. *Nullum sit pratũ, quod non pertranseat luxuria nostra*. Ob quam inextinguibilem peccandi sitim S. Gregorius asserit iustè condemnari peccatores ad supplicia æterna, vt alibi vidimus. Itaque iuxta præceptum illud: *Oculum pro oculo, dentẽ pro dente*: offert Dominus sitim patiendi, pro siti peccandi. Id quod in Ps. 61. pulchrè expressum fuit: Vbi enim Latinus interpres habet: *Cucurri in siti*: ibi græcè habetur: ἔδραμον quod ambiguum est & significat, *cucurri, vel cucurrerunt*. S. Ambrosius vtramque lectionẽ recipit: quia nimirum & peccatores cucurrerunt in siti, & Christus cucurrit in siti: peccatores ad plus peccandum, Christus ad plus patiendum.

E. IV. Sitim animarum & conuersionẽ gentium.

Qvartò, Significat sitim animarum & gentium cõuersionem. Cupiebat enim Dominus omnes populos, postquam eos quoad sufficientiam iam redemisset & omnia consummasset; redemptos etiam quoad efficaciam; seu cupiebat sibi eos vnire per amorem, quo modo potus vnitur corpori & visceribus. In quem sensum dixit Apostolus ad Philip. 1. *Testis mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi*. Hanc sitim explicauit Samaritanæ, cùm petijt ab ea bibere, non sanè aquam corporalem, sed ipsius animam. In huius rei figuram Samson, postquam hostes suos debellasset, magna æstuabat siti. Vnde aperuit Dominus dentem in maxilla asini & eduxit inde aquam, quã haustã Samson refocillauit spiritum, *Iud.* 15. Sic postquam Dominus iam aëreas potestates debellasset vehementiori vrgebatur siti imbibendarum animarum. Et quidem paulò pòst aperuit Deus os Centurionis, qui credere incepit, adeoque sitim Christi nonnihil releuare, quem secuta eius cohors & postea paulatim innumeri, tametsi non defuerunt etiam, qui acetum ei porrigerent, obstinati videlicet Iudæi, & omnes impœnitentes ac mali Christiani, qui instar aceti *corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis*. De quibus queritur Dominus *Esai.* 5. quòd maximis impensis vineam extruxerit & instruxerit. Et tamen *expectaui*, inquit, *vt faceret vuas, fecit autem labruscas*; quemadmodum expertus est in Iudæis, & nunc experitur in plurimis Christianis.

F. V. Fructus huius verbi.

Nunc totidem documenta ex hoc verbo eruemus, quot eius significationes vidimus. Docet igitur Christus hoc verbo ex cathedra crucis Primò, Patientiam; siquidem per tot horas tolerauit immanem sitim, quam tamen non nisi sub extrema vitæ periodo voluit patefacere ad nostram instructionem. Facilè potuisset Dominus efficere, vt dulci vino potaretur idque ab ipsis angelis ei administraretur: vel ex proprio aliquo dente fons illi prosiliret; sed his posthabitis aceto potari voluit, vt doceret nos sectari, non quæ corpori blandiuntur, sed quæ prosunt animæ. Propterea Christus Beatæ Catharinæ Senensi apparens, hoc primum documentum dedit: *Filia, amara dulcia reputa, & dulcia amara*; hoc est, quæ amara sunt carni, dulcia esse spiritui: & quæ dulcia sunt carni, amara esse spiritui. Ieiunium, vigiliæ, humicubationes, confessio peccatorum, solitudo, &c. amara sunt carni, dulcia spiritui. Gula verò, somnolentia, lectus mollior, colloquia sæcularia, &c. dulcia sunt carni, sed amara spiritui. Hinc edocta sancta prædicta, duarum coronarum sibi à Deo oblatarum optione datã, roseam contempsit & spineam capiti suo impressit. Sed video quid aliqui respondeant. Non est nostrarum virium inquiunt, Christi patientiam imitari, cum ipso crucifigi, cum ipso tamdiu tolerare sitim, pendere in cruce, &c. Sed non est necesse, vt hæc eadem præstemus omnes, quemadmodum nec humicubationes, flagella, cilicia, ieiunia quotidiana in pane & aqua, &c. Heroum ista sunt & militiæ spiritualis Ducum. Faciliora sunt gregariorum militum exercitia, quibus Christum imitentur: Primò. Si præcepta Ecclesiæ sedulò & ex animo obseruent, veluti ieiunium quadragesimale & quæ per annum præcipit, S. Missæ integram attentamque auditionem in diebus festiuis, confessionem & communionem in paschate: hæc enim vt ritè & cum fructu peragantur iuxta mentem Ecclesiæ, profectò patientiam requirunt. Similiter sacrarum horarum recitatio clericis iniuncta. Opera item satisfactionis in confessione præscripta. Deinde quæ Deus ipse præcipit, vt tolerantia & remissio Iniuriarum, supportatio infirmorum & malorum vicinorũ, resistentia contra Dæmonum insidias & tentationes, fuga occasionum peccandi, &c. Denique quæ casu vel fortuitò accidere videntur, vti nimia siccitas, nimia pluuia, pestis, penuria morbi, &c. Sanè omnia patientiã exercent ac requirũt, & quidem ex debito. Affligere autem corpus ex mera electione & nolle interim pati, quæ necessariò patienda sunt, aliud non est, quàm velle facere eleemosynas & nolle soluere debita.

2. Disce obedientiam.

Secundò, Obedientiam & obediendi studium, siquidem Christus acetum petijt ac sumpsit vt impleretur scriptura seu voluntas patris: nec expectauit donec ipsi ministri id vltrò offer-

1. Disce patientiam.

offerrent, nec passus est id eos obliuisci: sed ipse eos monuit, quòd videlicet adhuc aliquid superesset patiendum ex patris præscripto: atque ita totum exhaurire passionis calicem, à patre sibi propinatum, vsque ad vltimam guttam voluit. Itaque & nobis imprimis adnitendum, vt omnia ex præscripto diuinæ legis seu ex motiuo obedientiæ peragamus quæcumque agimus bona, vt ita omnia non proprium tantùm sed etiam obedientiæ sortiantur meritum. Vtilissima est hæc industria acquirendi simplici opere duplex semper meritum: id quod Christus totâ vitâ egit, dum omnia opera sua obedientiâ informauit & ad patris voluntatem perficiendam retulit. Hinc toties adiunctum est eius operibus: *vt scriptura impleretur*. Siue ergo ieiunamus, siue Missam audimus, siue confitemur, siue aliud præceptum implemus, omnia faciamus, tanquam ex obedientia. Neque expectemus donec ab alijs moneamur vel iubeamur aut etiam compellamur adimplere quæ præcepta sunt; sed ipsi circumspiciamus quid nobis faciendum incumbat; si enim Dominus in tantis doloribus & iam fugiente animâ, lustrauit adhuc scripturas, nũ quid superesset faciendum, & deprehensâ vnâ prophetiâ necdum expletâ, monuit lectores vt facerent quod reliquum erat: cur non faciant hoc ij qui cùm omnia fecerint quæ scripta sunt, dicere adhuc debent: *Serui inutiles sumus, fecimus quod debuimus?* Nec committere debemus, vt aliquid eorum obliuiscamur aut impedimenta nobis inijci patiamur, v.g. ne præscripto paschali tempore cõfiteamur & communicemus, per quadragesimam ieiunemus, &c. Quòd si scire velis, quid agendum tibi sit, inspice scripturam, audi Concionem: ea tibi dicet, quid statui tuo competat, & secundum illam vitam tuam compone.

3. *Desidera cœlestia bona.* Tertiò, Desiderium solidorum & cœlestiũ bonorum, quæ nobiscum ferre ad sepulchrum possimus: contemptum verò terrenorum & quæ hic relinquere cogimur; siquidem & Christus desiderabat, quantum in ipso erat, diutiùs protrahere sitibundũ illud conuiuium suum in mensâ crucis, adeoque magis adhuc cumulare merita passionis suæ, (vti docet S. Chrysostomus *in cap. 19. Ioan.*) nedum ante præscriptum tempus abrumpere, Homines vt plurimùm orationes, ieiunia, confessiones, festiuas vacationes & alia pia opera, celeriter abrumpunt vel saltem abrumpi cupiunt; ad negotia verò profana, ad epulas, ad choreas, ad confabulationes toto corde anhelant & ruunt, atque in his absque lassitudine diutissimè se detinent. Quærunt potiùs cumulare pecunias quàm merita, dapes quàm bona opera. Sed ô noxiam sitim! Nam imprimis non extinguitur per aquas illas, sed potiùs accenditur & augetur quemadmodum sitis naturalis per aquam marinam: quia de illis Dominus dixit Ioan. 4. *qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum. Quid enim est pecunia studium?* inquit Gregor. Nyssen. in orat. funebri de Placilla: *An non verè dolium perforatum toto fundo profluens; cui si vel totum mare affundas, ea natura est vt expleri non possit?* Sic ille, idem de superbia, gula, libidine cæterisque vitijs dicendum. Deinde aquæ mundi impuræ sunt & permixtæ plurimis malis, curis, anxietatibus & periculis, de qua re admonuit populum suum Ieremias cap. 2. dicens: *Quid tibi vis in viâ Ægypti vt bibas aquã turbidam?* Accidat fortè vt duo viatores simul iter agant æstiuo tempore admodum calido. Incipiunt ambo æstuare: vnde alter impatiens moræ quoad hospitium vel fontem aliquem limpidum attingat, bibit è proxima palude fœtida & lutosa: alter verò abstinet, & sitim tolerat vsque dum ad tabernam veniat vel saltem ad fontem clarum, vbi sitim magnâ cum voluptate explet, altero iam impleto. Sic mundi amatores moræ impatientes, hic se proluunt aquis fœtentibus & lutosis. Contrà Christi sectatores abstinent ab his lacunis & differunt potum, vsque dum perueniant ad cœlestem patriam & fontem aquarum viuentium, vbi inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Faciunt hoc onagri qui quantumcumque siti vexentur, non bibunt tamen ex aquis turbidis, sed expectant donec limpidam inueniant seu potum sibi aptum, vt scribit Anglicus *lib. 18. cap. 76.* Vnde *psalm. 103.* de illis dicitur: *Expectabunt onagri in siti suâ.*

Quartò. Docet hoc verbo Christus modũ, quo ipsi gratissimum facere obsequium, sitim eius videlicet vehementissimam releuare queamus: si nimirum ei nosipsos offeramus, per veram contritionem & amorem. Hac siti æstuabat Christus ab instanti conceptionis suæ vsque ad mortem; & verò æstuat etiamnum, quia desiderat omnes saluos facere & in viscera misericordiæ suæ recondere. Sedit aliquando super puteum Dominus fatigatus & sitibundus & hanc sitim suam explicauit Samaritanæ dicens: *Mulier da mihi bibere.* Sedit postea in cruce & ad omnes homines locutus est: *Sitio*; expectans & circumspiciens, num quis ipsi potum exhibiturus sit. Et quid videtur nobis? Itane Christum Dei filium ac Dominum nostrum sitire patiemur & non potabimus? an fortè non sufficit nobis perspectam habere eius sitim: sed præterea volumus, vt etiam nos roget? Non hoc expectemus, fratres, quia non pro bono suo sed pro nostro sitit. Nobis ille desiderat præbere aquam salientem in vitam æternam, à nobis nihil quærit. Quemadmodum igitur Rudolphus Imp. Austriacus contra Ottocarum Bohemiæ Regẽ mouens, cùm graui commeatus (potus præsertim) penuriâ laboraret & hydria quædam aquæ messoribus ablata ei offerretur, visa illa, *reddite homini vasculum,* inquit, *ego enim non mihi sed exercitu sitiebam. Æn. Syl. lib. 3. comment. in res gest. Alphonsi.* Ita videtur mihi dicere Dominus; non enim sibi, sed nobis sitit. Videat igitur quid agat; qui Christo potum negat: Videant qui egentibus panem negant: Videant qui in confessione peccata sua tegunt: Videant qui sine contritione ac proposito emendationis à

4. *Disce releuare sitim Christi.*

confessario recedunt & ad mensam Christi veniunt. Hi omnes Christo quidem potum negant, sed animus interim suas siti perimunt. De his enim verificabitur aliquando in Os. 2. quod ibi minatus est Dominus Ierosolymæ secundum Liran. *Ponam tam in solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam, & interficiam illam siti.* Expertus id est Epulo, qui quod micas denegasset Lazaro, guttam postea non obtinuit. Quod ne experiamur nos, hauriamus de puteo cordis nostri aquas contritionis, de mêsis nostris panes, de marsupijs nostris nummos & Christo offeramus, vt cum ipso æternùm viuamus, bibamus & edamus in cœlesti eius mensa.

§. XXXVIII.

De sexto Christi verbo.

Per hoc quod loquens Christus ad Patrem dicat, Consummatum est, *intelligit*	*& scribarum.*
1.2. *Consummatum esse opus Redemptionis & baptisma Christi.*	6. *Imperium dæmonis.*
3. *Matrimonium Christi cum Ecclesia.*	7. *Sacrificium pro mundo oblatum.*
4.5. *Testamentum vetus, tempusque Pôtificum*	8. *Ædificium arca Noë*
	9.10. *Conuiuium paratum inuitatis & iter Christi. Enumerantur deinde aliquot documenta & fructus huius verbi.*

THEMA.

Consummatum est. Ioan. 19.

A. Scribunt de præcipuo quodã pictore Nealce nomine Plinius *l. 35. cap. 10.* & Valerius Maximus *lib. 8. c. 12.* quòd aliquando pinxerit equum ab exercitatione venientem, cæteroqui modò non viuum, solas tamen spumas naribus adijcere cupiens, tantus artifex in tam paruulâ materiâ multum ac diu frustrâ laborarit. Quare indignatione accensus spongiam omnibus imbutam coloribus fortè iuxta se positâ apprehendit, & eam veluti correpturus opus suum, tabulæ illisit: quam fortunâ ad ipsas equi nares directam, desiderium pictoris coëgit explere. Simillimum quid euenit Christo crucifixo: cuius humana natura apparuit S. Ioanni Apoc. 19. sub specie equi albi; diuina verò persona sub specie Equitis super eum sedentis, in veste aspersâ sanguine, cuius nomen erat Verbum Dei, vt ait Ioannes, & de Christo intelligunt omnes. Pinxerunt hunc equum humanitatis Christi varijs tormentorum exercitationibus agitatæ, miris sanè coloribus Iudæi, sanguine videlicet vndique respersum, vt nihil ampliùs deesse videretur ad huius equi efformationem. Deerat tamen aliquid, quod ipse Christus significauit, cùm ad scripturæ & suæ passionis consummationem dixit: *Sitio*: Quare Iudæi ex indignatione Christum deformaturi spongiam aceto plenam ori eius intrusere, sed inspirato Iudæis, Christo verò nobisque omnibus salutari euentu, nam inde Christi patientis imago pulcherrima resultauit, & passio tota consummata: ipsi Christo immensa gloria, nobis verò salus parta est; siquidem Christus mox subiunxit: *Consummatum est.* Consummatum, inquam, schema quod pingebatis ô Iudæi! schema illius equi, in quo sedet verbum Dei: Consummatum est exemplar totius perfectionis, in quod desiderant non homines solùm, sed & angeli prospicere. Porrò nunc videndum quid mysterij & fructus, sub verbo isto lateat.

Duo sunt, quæ meritò inquiri possunt circa verbum istud. Primum. Quidnam illud sit, quod consummatum esse dixit Dominus; siquidem nec ipse nec Euangelista id expressit. Alterum, cui dictum sit hoc verbum. Cætera enim verba ad certas personas locutus est Dominus, primum ad patrem, secundum ad latronem, tertium ad matrem & discipulum, quartum ad Deum, quintum ad circumstantes & ministros, septimum rursum ad Patrem: Ad quẽ ergo locutus est verbum sextum; Respondeo mihi videri, quia nec opus consummatum, nec persona, ad quam fiat sermo, expressa est, intellexisse Dominum omne id quidquid vspiam perfectum est, & locutum esse ad omnes, quotquot vspiam sunt rationis & sermonis capaces.

B. I. *Consummatum opus redemptionis.*

PRIMÒ, ergo loquitur ad Patrem & ait: *Consummatum est* opus redemptionis, quod commisisti mihi & ego à te suscepi perficiendum. Hoc enim est, quod anticipando dixit Dominus post vltimam cœnam, mox iturus ad passionem, (*Ioan. 17.*) ad Patrem: *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.* Atque ita adimpleuit voluntatem patris & scripturas, in quibus ea consignata erat, omnes vsque ad apicem. De hac commissione locutus est in personâ Christi regius Psalmista Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me vt facerem volũtatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: hoc est, in summâ totius sacri voluminis, & quidem principe loco scriptum est de me vt perficerem voluntatem tuam in consummando redemptionis opere idque decretum tuum libentissimè acceptaui & in medio cordis mei posui, nihil magis desiderando semper. Vnde *Ioan. 4.* ait: *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me vt perficiam opus eius*, q. d. ita desidero & ita delector perficere voluntatem patris sicut alij comedere. Quare vt ostenderet patri se iam ad finem perduxisse opus sibi iniunctum, & nihil prætermisisse de commissione sibi data, idcircò negotium id consummatum esse asserit, vt nos sciremus, & tam committenti quàm commissario grati essemus. Quando aliquis scyphum sibi ab altero propinatum exhausit, tunc euacuatum propinatori monstrat, quò nimirum ostendat se totum exhausisse eique respondisse. Ita postquam Dominus accepit acetum, quod solum restabat ante mortem faciendum, tunc quasi ostendit patri calicem, quem acceperat ab eo, velut iam euacuatum, non vt Pater intelligeret quàm

quàm exactè filius obedierit, sed ne nos ignoraremus.

C. II. Consummatum baptisma Christi. SECVNDO, alloquitur seipsum & dicit: *Consummatum est*, baptisma meum, quo debui baptizari; sibi enim gaudet & gratulatur, quòd ad optatum finem perduxerit opus nostræ salutis. Colligo id ex eo, quòd ad hoc momentum vsque semper angebatur ob desiderium nostræ redemptionis; Siquidem *Luc. 12.* dicebat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?* Græcè, *quomodo contineor?* q.d. baptismo sanguinis habeo baptizari, & quomodo desidero vt perficiatur? quomodo non propero & ad mortem meam curro. *Spes quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ desiderium veniens*, ait Sapiens Prouerb. 13. Dilatio mortis occidebat quasi Christum; mors ipsa adueniens quasi viuificabat: Crux ei lignum vitæ erat; adeò pro nobis mori desiderabat. Patet igitur nunc consummatum esse Christi desiderium, quando mortem iam præsentem cernebat quam priùs sitiebat. Si dicamus iuxta aliorum expositionem, coarctatū fuisse Christum ob horrorem mortis sibi subeundæ, tunc etiam meritò dixit, consummatum esse baptisma suum. Cùm enim Christus omnes nostras ægritudines spirituales in se susceperit, & vt Isaias cap. 53. ait, *languores nostros ipse tulerit*, purgationem peccatorum in seipso facere debuit. Itaque iuxta præscripta medicorum primò sudauit in Oliueto sanguineum sudorem: postea venam non vnam sed plurimas aperuit, partim in prætorio, partim in cruce: denique aceti potionem acerbam sumpsit: quid mirum ergo si post tot labores & molestias, quasi lætabundus dicat: *Consummatum est?* Gaudet enim magis propter nos, quàm propter seipsum, quia *eius liuore sanati sumus*, vt inquit Isaias ibid.

D. III. Consummatum matrimonium Christi cum Ecclesia. TERTIO, Alloquitur SS. Angelos & ait: *Consummatum est*, matrimonium inter me & Ecclesiam. Nunc scitote sponsam meam factā esse reginam & vxorem meam. Volo itaque vt imposterum eam honoretis, eiusque filios veluti fratres & conciues vestros. Desponsauit sibi Ecclesiā à die conceptionis suæ, quâ naturam assumpsit humanam. Sponsus eius permansit vsque dum in cruce pro ea moreretur (nam ante mortem suam Christus seipsum vocauit Ecclesiæ sponsum Matth. 9.) in cruce factus est ei *sponsus sanguinis*, vti Moyses Sephoræ *Exod. 4.* & in morte suâ maritus, vbi Ecclesiam totaliter redemptam sibi vniuit & coniunxit per sanctissimam amoris copulam, & omnia ad se traxit. Testatur id Augustinus *l. 2. de symb. ad catechum cap. 6.* cùm de hoc matrimonio ait: *Tunc sponsa nubit, quando sponsus moritur: & tunc sponsus sponsa coniungitur quando à mortalibus separatur, & quando ille super cœlos exaltatur, tunc ista in terra fœcundatur.* Sic ille. Porrò vt ait S. Bernardus, *cùm haberet sponsam sibi inhærentem à principio, multitudinem angelorum, placuit & de hominibus conuocare Ecclesiam atque vnire illi, quæ de cœlo, vt sit vna sponsa & sponsus vnus.* Sic Bern. Vnde patet angelos iam esse nostros fratres & cohæredes. Hoc ergo insinuat illis Christus, isto verbo sexto. Et exinde angeli non sunt ampliùs passi adorari se ab hominibus, vt olim in veteri lege. Non enim prohibuerunt se adorari à Loth & Iosue; prohibuit tamen angelus ille *Apoc. 19.* qui Ioanni volenti se adorare dixit: *Vide ne feceris; conseruus tuus sum & fratrum tuorum.* Vti docent Ambrosius & Gregorius.

E. IV. Consummatum est testamentum vetus. QVARTO, Loquitur ad patres veteris testamenti & ait: *Consummatum est*, testamentum vetus & adimpletum: completæ sunt vmbræ & figuræ, sacrificia, cæremoniæ vestræ legis noua facta sunt omnia, quia vmbris & figuris successit ipsa res. Vnde Apostolus *ad Rom. 10.* dixit finem legis esse Christum. Nunc innocēs Abel à fratre occisus: nunc Arca Noë contra diluuium fabricata & perfecta: nunc arcus cœlestis positus est in nubibus in signum fœderis: Nunc Isaac super lignum à patre immolatus: nunc Ioseph à fratribus venditus & cum sceleratis reputatus est: nunc immolatus agnus paschalis: nunc serpens æneus exaltatus: nunc vacca rufa extra ciuitatem cremata & immolata: nunc Samson amplexus crucis columnas, aëreas potestates côtriuit: nunc Dauid Goliam prostrauit vulnerum suorum lapidibus, & decollauit gladio crucis. Et reliqua omnia, quæ Christum præfigurabant. Denique consummatum est iugum ferreum veteris legis vt auferam id à ceruicibus hominum & imponam eis iugum suaue: iuxta quod prædixi per Ezechielem c. 24. *Scient quia ego dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum.*

F. V. Consummatum tempus Pontificū & scribarum. QVINTO, Loquitur ad Iudæos, Pontifices & Principes, scribas & Pharisæos: *Consummatum est*, tempus vestrum, quod tamdiu desiderastis. De quo Dominus ad eos in Olieto dixerat: *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*, Luc. 22. Quando incipiebat hora illa volente Petro Christum defendere, dixit illi Dominus: *Sinite vsque huc*, q.d. vsque huc durauit hora mea quâ nolui pati: nunc incipit hora Iudæorum, quâ volo pati & omnem eis in me concedere potestatem. Quia ergo nunc etiam Iudæorum effluxit hora & iamiam moriturus sum: Consummatum est illorum tempus, quo hactenus in me sæuierunt, sed non poterunt sæuire ampliùs; proinde scitote ô Iudæi eam vobis horam concessam esse à patre meo, imò & à meipso: neque triumphetis, quasi vos viceritis, quia nisi concessissem, ne capillum mihi flectere potuissetis. Vnde & nunc rursum vobis adimo datam potestatem, quia effluxit hora vestra: posui animam meam quando volui & resumam quando volo. Nunc iterum incipiet hora mea, quâ videbitis me non esse victum, sed victorem.

G. VI. Consummatum imperiū Dæmonis. SEXTO, Loquitur ad Luciferum eiusque cohortem: *Consummatum est*, imperium & tyrannis, quam hactenus exercuisti in humanum genus. *Numerauit Deus regnum tuum & compleuit illud*, vti quondam Balthasaris Dan. 5. *Consummatus est miser*, inquit Isaias c. 16. *defecit qui conculcabat terram:* Sed quo iure, quia consummatum est & pretium redemptionis, nume-

rata est pecunia & summa tota impleta ad redimendos è tyrannide Dæmonis homines requisita. Hactenus diabolus tenuit in potestate sua ex Dei iusta concessione, vniuersum genus hominum quasi sibi oppignoratum, quia vicerat primum hominem & sibi seruum fecerat cum omni eius progenie. Vnde S. Paulus Dæmones vocauit, *Principes & potestates mundi & rectores tenebrarũ harum*, ad Eph. 6. Et Christus ipse diabolum, *Principem mundi* huius. Ipse verò Diabolus durante sua tyrannide, intruserat se in diuinos honores vt passim coleretur sacrificijs vt Deus. Venit tandem legitimus mundi hæres, Dei filius, & principatum suum repetebat: sed nisi exhibita totius pretij summâ recipere non poterat, vtpote oppignoratum dęmoni. Hoc igitur pretium nunc in cruce numerauit & persoluit Christus, infinitam videlicet satisfactionem, sanguinem & vitam suam, atque idcircò dicit: *Consummatum est*, imperium tuum, quia consummatum est pretiũ redemptionis mundi. Itaque *nunc Iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi* eijcitur *foras*, Ioan. 12. Reddita est obedientia patri à filio maior quàm fuerit inobedientia serui ad Dominum. Peccatum est in ligno, satisfactum est in ligno. Mortem merueramus, mortẽ persoluit Christus. Si mortem nos meruimus, non commeruit eam Christus: quoniam igitur Diabolus extendit manum in eum, qui seruus eius non erat nec vlli peccato obnoxius; ideò meretur amittere imperium in eos, in quos iustè obtinebat veluti in seruos suos.

H. VII. Consummatum sacrificiũ pro mundo oblatum.

SEPTIMÒ, Loquitur ad Patres in limbo detentos & captiuos omnes, qui quocumque modo sub Dæmonis tyrannide tenebantur: *Consummatum est* sacrificiũ, quod pro vobis obtuli. Cùm enim ex legẽ & diuino decreto, hostia offerri deberet pro peccato, nec *remissio* fieret *sine sanguine*, teste Apostolo: idcircò Christus factus est hostia velut agnus Dei: idemque Sacerdos pro peccatis nostris, velut Melchisedech, sine patre in terris, sine matre in cœlis: in ara crucis semetipsũm immolãs igne holocausti, qui est charitas. Christi igitur vita fuit quædam Missa. Nam ingressus sacristiam induit se sacris vestibus cùm ingressus virginis vterum, habitu inuentus est vt homo: *Introitum* dixit cùm primam vocem similem omnibus emisit plorans, Sap. 7. *Kyrie eleison* dixerunt innocentes: *Gloria in excelsis* decantauerunt in eius natiuitate Angeli: *Epistolam* dixit Ioannes baptista: *Euangelium* Christus cùm in ciuitatibus annuntiauit regnum Dei: *Credo* populus: *Sanctus & Benedictus* decantatum est à pueris in die palmarum: Consecratio in cœna facta est: Eleuatio in cruce: *Memento* dixit latro pœnitens: *Pater noster* Christus cùm dixit: *Pater in manus tuas*, &c. Et: *Pater dimitte illis*, &c. *Agnus Dei* dixerunt, qui reuertebantur percutientes pectora sua. Denique *Ite Missa est* (quod idem est ac *plebs dimissa est*) dixit Christus cùm captiuos omnes, siue qui in limbo, siue qui alibi sub tyrannide Dæmonis detinebantur, dimisit: quod fecit illo verbo: *Consummatum est*, q. d. Ite: nunc omnis plebs dimissa est, sacrificium oblatum est pro omnibus captiuis, & à patre acceptatum, adeoque consummatum.

I. VIII. Consummatum ædificiũ arcæ Noe.

OCTAVÒ, Loquitur ad electos: *Consummatum est*, ædificium arcæ cœlestis in quod recipiam vos vt in diluuio Iudicij securi sitis & tandem requiescatis super montes Armeniæ omnium altissimos, id est, super cœlos. Centum annis laborauit Noë donec perficeret arcam: sed Christus in cruce paucis horis eam consummauit pro electis, ideòque dixit: *Consummatum est*, scilicet ædificium arcæ cælestis: solum superest ostium in latere faciendum, quod paulò pòst aperietur in corpore meo; & simul aperietur ianua cœli vt hodie adhuc latro meus mecum sit in paradiso.

K. IX. Consummatum conuiuiũ paratum inuitatis.

Nonò, Loquitur ad reprobos & quoscumqui qui adhuc extra sinum Christi versantur, infideles, hæreticos, peccatores. *Consummatum est*, conuiuium, quod vobis præparaui, vt in mensa Eucharistiæ & gratiæ meæ mecũ edatis & bibatis. *Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt & omnia parata: Venite ad nuptias*, Matth. 22. Hoc est, Christus ipse occisus est: figuræ legis impletæ: Sacramenta parata peccatoribus, & quidquid alicui necessarium est ad salutem consequendam: vel occisa sunt peccata, id est, debilitata, vt facilè superari per pœnitentiam & omninò occidi possint. Ecce fons patens vulnerum Christi omnibus apertus: nil restat nisi vt qui sitit, veniat & bibat, applicando sibi passionem meam per Sacramenti susceptionem. Itaque consummata sunt omnia: *Perditio tua Israel*, si aberres à salute; siquidẽ tota die expandi ad te manus meas. *Quoties volui congregare pullos tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas: Et noluisti?* An non cernimus gallinam matrem nostram extendẽtem in cruce manus, vt congreget nos sub alas? Quare ne damnandi arguere possint Christum, quasi non satis eis prouiderit de medijs salutis, protestatur Christus: *Consummatum est*, scilicet cõuiuium gratiæ meæ, missi sunt qui vocarent serui, rogarent & compellerent; parata quoque sunt omnia: solùm restat vt vocati veniãt. Quemadmodũ ergo Orator, qui postquã multis argumentis conatus est persuadere auditoribus suis, ad extremum, protestãdo quasi, subdit: *Dixi*, id est, suasi quantum potui: culpa vestra, si non persuasi. Sic etiam Christus, postquã innumeris argumentis suasisset peccatoribus vt saluti suæ cõsulerent, adiecit denique suum, *Dixi*, cùm ait: *Consummatum est*, quasi dicens id Sapientis: *Vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo*. Prou. 1.

L. X. Consummatum iter Christi.

DECIMÒ, Loquitur ad omnes creaturas, quasi ad arbitros vt iudicent, vtrum non fecerit quod debuerit, imò plus longè quàm debuerit. Videtur enim dicere: *Consummatum est*, iter meum: quod suscepi cõficiendum à summò cœlo egressus vsque ad infimum contumeliosæ crucis: descendi vt quærerem ouem perditam: *Exiui à patre & veni in mundum: Iterum*

relin-

relinquo mundum: & quidem eò deueni, vt progredi vlterius nō possim. *Quid vltrà debui facere vineæ meæ & non feci?* Narratur Hercules ille laborum & peregrinationum suarum metam designasse columnas illas, quæ vocantur columnæ Herculis ad Gaditanum mare, quibus inscripsisse dicitur: *Non plus vltrà.* Hoc idē asserit de se Christus & multo æquore iure. Eò enim humilitatis, eò amoris, eò laborum progressus est, vt verè metam statuere crucem posset, cique inscribere: *Non plus vltrà.* Ex veteribus pictoribus cæteri adscripsere suis picturis: Hic vel ille *faciebat.* Solus Protogenes cùm affabrè rimè depinxisset amorem, adscripsit: *Protogenes fecit*; quasi solum hoc opus omnibus numeris perfectum esset. Multa Christus Dominus præclarissima opera fecit, quia vnà cum patre fecit cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt: sed nulli illorum adscripsit, *Consummatum est.* Imò potiùs dixit: *Quando præparabat cælos aderam; quando certâ lege & gyro vallabat abyssos, cum eo eram cuncta componens.* Soli operi redemptionis tam tam omnium perfectissimo subscripsit: *Consummatum est.* Iudicate itaque quot quot estis creaturæ, quid vltra facere debuerim vineæ meæ quod non feci. Iudicate an imago hæc amoris, quàm depinxi vobis in cruce, non sit omnibus numeris perfecta & consummata.

M. *Fructus huius verbi.* Nunc documenta aliqua videamus, PRIMUM, Certè tibi persuadeas ita implendam esse scripturā in futuris, sicut impleta est in præteritis. Ex passione Domini scimus impleta esse omnia, quæcunque de illo scripta sunt in

I. *Scriptura implenda in omnibus.* prophetis, ita vt nec apex vel vnicus aceti potus fuerit omissus; certus igitur esto, omnino etiam futura esse, quæ in iisdem prædicuntur futura aliquando, quamuis adhuc impleta non sint. Quidquid enim Prophetæ & sacri libri scripserunt, non à semetipsis, sed dictante Spiritu sancto scripserunt: Vnde si in præteritis nihil aberrarunt, non aberrabunt etiam in futuris: *Sicut vsque ad hodiernam diem*, inquit S. August. *omnia euenerūt sic & quæ restant euentura sunt: timeamus diem Iudicij, venturus est Dominus: qui venit humilis, veniet excelsus.* Et quidem nos maiora habemus argumēta ad credendum ea, quæ in scripturis euentura prædicuntur, quàm veteris legis homines. Videmus enim iam plurima fuisse adimpleta, sicut prædicebantur. V. G. Diluuium generale, quia illi nullum adhuc viderant, non facilè credebant, aliquod futurum. Nos verò qui scimus impletum esse, quomodo non credemus futurum etiam aliquando diluuium (vt sic dicam) ignis in nouissimis; siquidem id expressimè nobis prædixit Dominus Matth. 24. *Sicut in diebus Noë, ita erit aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, &c. ita erit & aduentus filij hominis.* Si reuera Iudæorum excidium contigit, sicut à Christo eis prædictum est; quomodo non credemus, quod idem nobis prædixit, de omni verbo otioso reddendam esse rationem Deo? *Matth.* 12. Et si de otioso, quid fiet de pernicioso? quid fiet de blasphemo? Et si hoc de verbis, quid fiet de factis? An fortè impleri debuerunt, quæ scripta sunt de tormentis filij & non implebuntur, quæ scripta sunt de condemnatione sceruī? Itaque nos sumus inexcusabiles respectu eorum, qui præcesserunt Christum. Neque existimemus, satis esse si credamus esse ventura, quę ventura prædicuntur: nisi eadem fugiamus, si mala sunt; faciamus, si bona. Quid enim prodest credere Architecto ruituram domum, nisi inde te proripias? credere medico, non bibendum tibi vinum, si interim non abstineas?

Secundò certus esto omnia sublunaria habere suum *consummatum est*: & quidem breui. 2. *Omnia consummanda.*
Confecit quidem Christus iter laboriosum per annos 33. in contemptu & paupertate, in laboribus, in insidijs, in iniurijs & doloribus, in plagis & vulneribus, in siti & nuditate: passus est omnia, passus est ab omnibus, in membris & bonis omnibus. Et tamen aliquando peruenit ad suum *consummatum est.* Imò tempus Iudæorum & dæmonum, quo ipsum persecuti sunt, non vocauit Dominus nisi horam Itaque Iudæi perfidi *ad horam exultauerūt*, persequendo Christum. Iudas auaritiæ mancipium *ad horam exultauit* in exiguo lucro. Pilatus placere volens Cæsari, Herodi & Iudæis, *ad horam exultauit* in vanissimo fauore. Et iam ad annos ferè millenos & sexies centenos cruciatur in inferno. An non clamabunt modò: *Quid profuit nobis superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia velut vmbra*, &c. Certus itaque esto, idem euenturū omnibus mundi amatoribus. Audi Ecclesiasticum cap. 14. *Testamentum huius mundi*, inquit, *morte morietur.* Lege quintum caput Genesis, & idem clarè cernes. *Factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. Facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. Facti sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est*, &c. Et quid sunt nostri dies; respectu tot annorum? Vnde rectè Dauid Psalm. 118. *Omnis consummationis vidi finem*, id est, rei quantumcumque perfectæ. Nemo itaque dubitet tollere crucem Christi & sequi illum; quia *omnis consummationis vidi finem*: Vicissim etiam nemo inuideat ijs, qui fœlices esse videntur in hoc sæculo; quia *omnis consummationis vidi finem.* Hodie florent, cras arescent. *Vidi impium exaltatum & eleuatum sicut Cedros libani*, inquit Dauid; *Transiui & ecce non erat.*

Tertiò, Sedulò labora, vt omni bono operi tuo vltimam imponas manum, vt possis dicere: 3. *Bonis operibus vltima manus imponenda.*
Consummatum est; quemadmodum Christus opus redemptionis non tantùm inchoauit, sed & consummauit. Nimirum Dei perfecta sunt opera, (Deut. 32.) qui & in opere creationis non quieuit, donec perfecti sunt cœli & terra & omnis ornatus eorum. Quid iuuat domum extruere, si tectum non imponas. Rectè ait Gerson Cancell. Parisien. *Deus non quærit nomina, sed aduerbia*, id est; *Nō attendit quid facias sed quomodo facias*: vt ait S. Bern. Similiter Diabolus non timet orare, dare eleemosynam, ieiunare, consi-

confiteri, communicare, &c. Sed bene orare, bene confiteri, &c. Perfice igitur opera tua, vt ne in purgatorio primùm perfici & perpoliri debeant. Si enim imperfecta fuerint, ignem illum non effugient: si videlicet non cum debita intentione, attentione, suo loco, tempore, ab homine Deo grata fuerint facta? O quàm multa, quæ humano iudicio videbantur aurum, argentum & lapides pretiosi supra fundamentum fidei ædificata, inuenientur in seuero illo examine, ligna, fœnum, stipulæ, quæ mox consumet ignis!

4. *Perseuerandum in bono.* Quartò, Cura vt perseueres in bono exercitio, donec consummes cursum tuum, nec persuadearis, vt descendas de cruce; quia neque Christus descendere voluit, licèt à militibus prouocaretur; & facilè potuisset. Eam prouocationem prodiisse à Dæmone ait S. Bernardus, quasi is præsagiens malum suum, facti pœnituerit. Dicebant Iudæi: *Si Rex Israel est, descëdat de cruce*, Matth. 26. Sed rectiùs respondet Bernardus: *Imò quia Rex Israel est titulum regni non deserat.* Et paulò pòst: *Non tibi dabit occasionem surripiendæ nobis perseuerantiæ, quæ sola coronatur.* Non frustra gerebat Aaron malogranata in fimbria vestimenti talaris, vt habetur Exod. 39. significabat enim coronam (quæ per malogranata designatur, quia coronam gerunt) non deberi nisi fini & perseuerantiæ. Hebraici Alphabeti vltima litera est Tau; hæc verò salutis & liberationis signum est Ezech 9. *Omnem super quem videritis Tau, ne occidatis.* Vis igitur saluus esse in die illa & immunis ab angelo percutiente? inscribe vitæ tuæ finalem literam perseuerantiæ. Ac licèt prouoceris vt de cruce & instituto pio descendas, caue audias tales voces. Attende ad coronam, quæ perseuerantiam expectat: non ad ipsam crucem eiusque præsentem amaritudinem: ne alioquin audias aliquando tibi illudi & dici: *Hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.*

Tene itaque quod habes vt nemo accipiat coronam tuam, Apoc 2. quemadmodum contigit vni ex 40. Martyribus sub Licinio in gelidum stagnum missis, cuius solius corona desiderata est, cùm triginta nouem de cœlo in reliquos demitterentur; quia frigoris impatiens in proximum tepefactum balneum insiluit, fide & Deo deserto. Vt in Breuiar. Non ita desipiamus nos, sed attendat vnusquisque vt in bono perseueret donec in articulo mortis lætus canere queat: Consummatum est institutum religionis meæ: iter pietatis & virtutis meæ, &c.

§. XXXIX.

De septimo verbo.

1. *Quæritur, cur Dominus exspirans clamet.* 2. *Cur in manus Patris commendet spiritum.* 3. *Ex illo discimus cum*	*Deo seriò agere, Scripturam Sacram magni facere, sibimet salutem procurare, &c.*

THEMA.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23.

MVltum quidem suprà modũ obligamur Deo, propter opus creationis, quã nos de nihilo ad imaginem & similitudinem suam fecit: Sed multò ampliùs propter opus redemptionis, quoniam ista longè pluris ei constitit. Etenim in creatione, *dixit Deus & facta sunt*: in redemptione verò, quæ in cruce peracta fuit, non verba tantùm, sed clamorem prætereà validum & lacrymas adhibuit, vt testatur Apostolus ad Hebr. 5. ibi mandauit, hic orauit. In creatione post sextum diem quo consummata erant opera Dei, septimo requieuit Deus, cessando à creatione: sed in redemptione post sextum verbum, quo opus redemptionis consummatum fuit, septimo requieuit Deus, per mortem & in sepulchro. Vnde S. Bern. in tr. de diligendo Deo, ait: *Quòd si totum me debeo pro me facto: quid addã iam & pro refecto, & pro refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus quàm factus; siquidem non solum de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est: Dixit & facta sunt. At verò qui me tantùm & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sic ille. Quoniam igitur in hoc septimo verbo quieuit Christus ab opere redemptionis, videndum restat; quid illud mysterij & doctrinæ contineat. A.

Q. PRIMÒ quid sibi velit clamor, quo cum expirat Dominus; siquidem Matthęus, Marcus & Lucas aiunt Dominum emissâ voce magnâ expirasse? Prima causa, vt testetur dolorem ex mortis aculeo sibi inflictum, omnium acerbissimum, maximè quia per vim & violentiam inferebatur ei mors. Optimi semper sodales erãt anima & corpus Christi, in nullâ vnquã re dissentientes, ideò non mirum si ægrè separabantur. De Ionatha filio regis Saul dicitur 1. Reg. 18. quòd fuerit anima eius conglutinata animæ Dauidis, & quòd dilexerit eum sicut animam suam: & idcircò, cùm separari ab inuicem deberent, ob iram Saulis Dauidem persequentis, osculantes se mutuò fleuerunt pariter. 1. Reg. 20. Multò arctiùs conglutinata erat anima Christi corpori; non poterant igitur sine maximo doloris sensu ab inuicem separari, quod tamen ob iram cælestis patris fieri debebat. Et hinc clamor ille validus & lacrymæ in Christo (vti testatur Apostolus ad Heb. 5. vtique de hoc

B. I. *Cur clamans expirat.* 1.

hoc vltimo Christi verbo intelligendus) ad Deum *qui posset illum saluum facere à morte*, fusę

2. Secundo, vt testetur nobis amorem suum & indefessum studium vsque ad vltimum spiritum quærendi animas nostras & congregandi sub alas suas, quemadmodum gallina raucâ voce congregat pullos suos sub alas: vel quemadmodum ouis suo balatu vocat ad se agnum foris exerrantem. Hoc enim clamore testatur se pro filijs suis mori, monens vti ne defraudemus eum fructu mortis suæ sperato. Paternam hanc vocem agnouit Centurio, qui videns, quia *sic clamans expirasset* Dominus, dixit: *Verè filius Dei erat iste*. Nimirū *ex voce agnouit filium Dei*, inquit S. Bern. serm. 23. in Cant. *& non ex facie; erat enim fortasse ex ouibus eius; de quibus ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & cognosco meas & cognoscunt me meæ*. Sic ille. Quia verò præuidit plurimos fore surdos ad eius monita, idcircò fortiter clamat, quasi dicens id Isai. 42. *Surdi audite & cæci intuemini*. Per triennium *non cessaui monens vnumquemque vestrûm*; sed surdastros inueni plurimos, audite nunc saltem vltimam hanc & maximam vocem meā, qua quodammodo lauo manus meas, *& contestor vos hodierna die quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis*; vti dixit Paulus Ephesijs suis, vltimum vale dicens Actor. 20.

3. Tertiò, vt ostenderet potentiam suam, quâ si vellet vti, etiam morti proximus facilè posset mortem effugere & hostes suos sternere. Ostendit autem potentiam hanc plusquam humanam, Primò in eo, quòd extremo spiritu tā magnam emisit vocem; siquidem homines morti vicini nequeunt clamare ob virium defectum naturalem. Non potuit deesse Christo etiam hic defectus, quia non repentè, sed paulatim enectus & tardè mori compulsus est: & tamen clamans expirauit, vt nemo non aduerteret, clamorem hunc miraculo tribuendum & à Deo ipso profectum esse, qui ab homine non posset. Et hoc etiam absque dubio Centurio agnouit, qui ex insolito isto & naturaliter impossibili clamore filium Dei agnouit. Secundò in eo, quòd hac voce terram mouit, petras rupit, monumenta aperuit, velum templi scidit. Mox enim vbi Christus sic clamans expirauit, subiungit Matthæus: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt*. Quæ etiam causa accedebat, vt Centurio cum suis Christum agnosceret: *viso nimirum terræ motu & his quæ fiebant*, vt ait Matthæus c. 27. Quare vti Samson moriens luculentiùs ostendit vires suas plusquam naturales esse, dum ambas cœnaculi columnas concutiendo, totam domum subruit, quàm vnquam fecisset viuens: Sic etiam Christus moriens fortiorem se ostendit, quàm viuens, cœlum & terram commouendo, &c. Vt ita Iudæis innotesceret, quàm adhuc viribus polleret quamque facilè posset ad vnum omnes conterere, si non saluare potiùs quàm perdere animas venisset. Deinde vt reuerà perderet Iudæos obstinatos, id est, scinderet ad pœnitentiam, quod & factum. *Omnis enim turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud*, ait Lucas, *& videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur*.

Quartò. Vt hoc clamore suo infernum tremefaceret & prædam Satanæ eriperet. In altissimâ rupe prædam conspicatur Leo, quâ visâ rugitum edit: quo territa animalia gradum figunt quasi edictum regis sui expectantia, teste Anglico *lib. 18. propriet. cap. 63*. Idem moriens terram mordet & lacrymas fundit, teste Plinio *l. 8. cap. 16*. Sic Leo de tribu Iuda rugiens è cruce commouit creaturas, & lachrymans in morte morsum infixit tartaro. *Clamat voce magnâ*, inquit Salmeron tom. 10. tract. de passione c. 40. *vt egregius de morte triumphator, ingeminans illud: Ero mors tua ó mors! morsus tuus ero inferne*. Itaque dum iam in prædam rugit quodammodo Dominus, ostendit aduenisse tempus detrahendi spolia inferno, & debellandi dæmones. Quæ res præfigurata fuit in illa mirabili victoria, quam obtinuit Iosue de Madianitis; tubarum strepitu & lagenarum contritione. Hinc enim territi Madianitæ fugamque arripientes, non tantùm à Iosue cæsi sunt, sed & ipsi mutuis se vulneribus confecerunt, *Ios. 7*. Itaque clamor validus, tubæ instar fuit Christo, mors corporalis, quasi contritio lagenæ: his armis aggressus dæmones, triumphauit illos. 4.

Quæritur SECVNDÒ, cur in manus patris commendarit spiritum suum. Non hoc fecit Christus, quo modo nos Deo commendamus animas nostras, quia non habebat Christi anima quod sibi vllatenus metueret. Adhæc non animam sed spiritum, id est, vitam patri commendat. Quamobrem ergo? Primò facit id patris causâ, vt sic refundat spiritum ad patrem tanquam ad primum principium non tantùm totius diuinitatis, vt ait S. Aug. *l. 4. de Trin. cap. 20*. sed qui per appropriationem dicitur etiam creator omnium & inspirauit spiraculum vitæ omnibus hominibus. Vitam igitur quam accepit à patre vt creatore, eidem nunc committit tanquam auctori & primæ causæ: quia ipse est Alpha & Omega, *vt spiritus redeat ad illum, qui dedit eum*, vt ait Ecclesiastes c. 12. Quemadmodum ergo tota vita semper honorauit patrem, omnia sua adscribendo non sibi tanquam Dei filio (licèt hoc etiam facere posset) sed patri, omnia in illum tanquam in primum refundendo fontem: sic etiam fecit moriens.

C. II. Cur in manus patris commendat spiritum.

1.

Secundò facit hoc sua causa, vt sic spiritus vitæ innocentissimæ, debito sibi asseruetur loco. *Venit enim princeps huius mundi*, dixit Dominus post cœnam mox iturus ad passionem, *& in me non habet quidquam*, Ioan. 14. q. d. ligabit quidem corpus meum, funibus & catenis Iudæorum; sed in spiritum meum nihil poterit, quia nihil in eo inueniet de suo. Idcirco Petrus Act. 2. dixit impossibile fuisse teneri eum ab inferno. Patrum animæ omnes graue aliquid secum hinc asportabant, & idcircò ad limbum 2.

descendebant: quia saltem aliquando peccato obnoxij fuerunt. Non ita Christus Dominus, cuius spiritus totus erat cœlestis, sanctus, impollutus, ideoque cœlo debebatur, patris asseruandus manibus.

Tertiò. Facit id nostri causâ, vt securissimo loco deponeret spiritum suum, quem paulò pòst in nostrum bonum potissimum resumpturus erat; siquidem *resurrexit propter iustificationem nostram* vt ait Apostolus *ad Rom.* 4. Vnde S. Athanasius & Anselmus rectè sentiunt, commendasse Christum in manus patris omnium fidelium animas, tanquam membrorum suorum, quæ in sua resurrectione viuificaturus erat, iuxta id Os. 6. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertiâ suscitabit nos & viuemus in conspectu eius.* Nec incommodè Christus in suo Spiritu, comprehendit omnium spiritus, quia *qui adhæret Domino, vnus spiritus est*, 1. Cor. 6.

D. Fructus huius verbi. 1. *Cum Deo seriò agendum.* Docemur hinc imprimis cum Deo magno clamore loqui, hoc est, feruidè, attentè, seriò: quemadmodum Christus hoc & quarto verbo locutus est ad patrem. Et idcircò docuit nos Dominus orationem sic inchoare: *Pater noster qui es in cælis*; quo videlicet admoneamur fortiter & seriò orare, quia ad Patrem quidem loquimur: sed tamen existentem in cœlis, hoc est, ad patrem nō naturalem, qualis erat Christi pater: sed talem, qui ex merâ gratiâ nos adoptauerit & qui simul etiam sit Deus & Iudex noster. Propterea ergo Dauid toties attolit clamorem in suis orationibus dicendo: *Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat.* Quod Ecclesia quoque ad imitationem eius facit. Debet verò hic clamor, cordis esse potiùs quàm vocis; *siquidem in Dei auribus* inquit S. Bern. serm. 16. in Psal. 90. *desiderium vehemens clamor magnus: è regione autem remissa intentio, vox submissa.* Et Aug. in serm. *Cùm oras*, inquit, *clama, non voce, sed mente.* Hoc clamore orauit Moyses *Exod.* 14. sine omni voce, & auditus est, cùm econtrà populus clamans à Deo non audiretur.

2. *Scriptura s magnifacienda & applicanda vt regula.* Secundò. Magnifacere scripturam, eamque nobis applicare vt regulam vitæ nostræ. Quartum & vltimum verbum ex scripturâ desumpsit, Dominus, qui tamen supra scripturam, eiusque dictator erat. Voluit ergo Dominus eadem lege & ipse vti, quam alijs præscripsit, vt non detrectaret seruus ei se submittere. Dauid certè de illa dixit Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Vt ergo Christus durantibus tenebris corporalibus bis scripturam allegauit: ita nos in tenebris mentis, quas offundunt nobis cupiditas & propriæ passiones, regere gressus nostros lucernâ scripturæ debemus. Ariadne Theseo saluberrimo consilio filum dedit, quo extricaret se è labyrintho: nobis scripturam dedit sapientia diuina.

3. *Quisque suam salutem sibimet procuret.* Tertiò. Prouidere nobis ipsis, antequam moriamur, non committere salutem nostram liberis vel amicis. Christus ante mortem suam commendauit se patri suo, non cognatis. Et S. Petrus 1. *Petr.* 4. iubet vt fideles *in benefactis commendent animas suas fideli creatori*; non ait nepotibus aut liberis. In re tanti momenti, in qua nobis ipsis possumus consulere, credere se periculo & subsidijs amicorum, qui facilè solent obliuisci defunctorum, valde temerarium & nimis supina est negligentia. M. Cato, vt referunt Stobæus & Plutarch. dicebat, per omnem vitam trium se pœnituisse: Quòd mulieri secretum aliquod commisisset: Quòd eò nauigasset: quò pedibus ire potuisset: Quòd vnum diem intestatus mansisset. At quid aliud facit, qui animæ suæ salutem commendat liberis & amicis? Nónne rem maximi momenti committit obliuiosis? Nónne eò nauigat cum periculo, quò posset ire securus? An non credit se periculo moriendi absque debita præparatione & confectis animæ rationibus? Quare non immeritò Christus monet Ecclesia per Quadragesimam: *Commendemus nosmetipsos in multa patientia, in ieiunijs multis per arma Iustitiæ.*

Quartò. Mortis præsertim tempore soliciti esse de Spiritu non de corpore; nam si anima bene habuerit, bene etiam habebit corpus, quia tandem sequetur illam. Cùm vrsus in angustias redactus, præcipitare se compellitur, caput pedibus anterioribus inuoluit, vt saltem id, quod habet imbecille, potissimum tamen membrum, illæsum seruet, teste Pierio *lib.* 11. *hierogl.* Ad eundem modum, qui per mortis præcipitium ruere debet, muniat imprimis animam; non sit solicitus de corpore. *Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua.* Ita S. Monica peregrino in solo morti vicina: *ponite hoc corpus*, inquit ad filium Augustinum & alios amicos (solicitos de ipsa, quòd extra patriam moreretur) *vbicumque: nihil vos eius cura conturbet: tantùm illud vos rogo vt ad Domini altare meminerit is mei, vbi fueritis*, l. 9. confess. cap. 11. 4. *De spiritu non de corpore solicitum esse oportet.*

Quintò. Commendare nos in manus Dei in rebus dubijs & periculosis præsertim: vti ante somnum, ante S. Communionem, & imprimis ante obitum. Quibus temporibus solet vti Ecclesia his ijsdem verbis: *In manus tuas commendò Spiritum meum.* Ante somnum quidem; *Quoniam nocturnis horis*, inquit S. Basilius in regulis fusiùs explic. quæst. 37. *facilè fieri potest, vt mors inopinata nos opprimat, commendamus animam nostram Domino, vt si fortè subitanea mors nobis adueniat, non adueniat improuisa.* Sic ille. Frater mortis est somnus, vt dixit Gorgias: ideò non fidendum illi, quin priùs breui quasi testamento facto, animas saltem nostras Deo commendemus. Nec mouere te debet, quòd rarò contingat dormientem repentè extingui: satis est, quòd vel rarò fieri possit. Vt enim excubiæ in castellis semper continuantur tametsi nullum sit hostium periculum: quia vnâ horâ perdi potest, quod æternùm recuperari nequit: Sic &c. Ante communionem, quia accedimus ad mensam summi Regis, ideoque meritò *cultrum in gutture nostro* statuere debemus, vti monet Sapiens *Prouerb.* 23. siquidem in tenui filo pendet ibi supra te mors & vita. Quia enim ambi- 5. *In periculo commendet se quisque Deo.*

ambigere possimus ac sæpe meritò debemus vtrum non indignè accedamus, idcircò in tam tremendo mysterio, iure commendamus nos Deo. Si immineret capiti tuo gladius, quemadmodum parasito illi Dionysij, tenui filo pendens, an non timeres & Deo te commendares? Non satis vsquequaque certi, num veste nuptiali decente accedamus ad illam mensam, adeoque iudicium ne an vitam simus manducaturi. Proinde tunc Deo commendare nos decet, vt nostros defectus nobis vel ostendere, vel ipse supplere dignetur.

Ante mortem, quia passus ibi transeundus est omnium periculosissimus, in quo etiā Sanctissimi quique timuerunt sibi. Nónne S. Stephanus moriens dixit: *Suscipe spiritum meum?* S. Nicolaus moriens nónne eundem illum psalmum trigesimum recitauit vsque ad versum: *In manus tuas*, &c. Quòd si milites ante congressum clamores ad cœlum tollunt & opem Dei implorant: Et si Iudith arreptam Holofernis dormientis ceruicem gladio abscissura priùs orauit cum lacrymis: *Confirma me Domine Deus Israël & respice in hac hora ad opera manuum mearum*. Iudith 13. quantò magis id necessarium, quando pugnam inituri sumus, cùm atrocioribus & nequaquam dormientibus hostibus, qui tunc animæ insidiantur?

§. XL.

Christus inclinato capite emisit spiritum.

1. 3. *Vt hac cæremoniâ Patrem veneraretur, eiq; obedientiam præstaret.*
2. *Vt indicaret se volentem mori.*
4. *Vt humilitatem suam ostenderet.*
5. 6. *Vt Adamo subter se sepulto osculum ingereret, monstraretque passionem suam præponderare peccatis nostris.*
7. 8. *Vt paupertatem suam nobis commendaret, nostrisq; postulatis annueret.*

THEMA.

Inclinato capite tradidit spiritum. Ioan. 19.

A. PRæceperat Deus Moysi in primo Leuitici capite; vt cùm turtur aut columbæ pullus offerendus ad altare esset, retorto ad collum capite ac rupto vulneris loco decurreret; faceret sanguinem super crepidinem altaris; sic enim (vt subiungitur) *holocaustum* id fore *& oblationem suauissimi odoris Domino*. Videre mihi videor hodie completam hanc figuram, dum aspicio in cruce columbæ illius castissimæ, Mariæ pullum in aëre, omni prorsus peccati felle carentem, Christum, cumque retorto ad collum capite, ac rupto de latere, sanguine manantem: holocaustum suauissimi odoris Domino. Adnitamur ergo pro viribus causas inuestigare, cur inclinato capite spiritum emiserit.

B. I. Vt patrē venerare-tur.

PRIMÒ, Vt patrem adoraret & cæremoniâ illâ veneraretur. Frequens est in Scripturâ hic adorandi seu venerandi modus, inclinatio nimirum, vt *Gen. 24. 1. Reg. 28. 3. Reg. 1.* &c. Itque nō Deo solùm sed & Regibus ex. uberi sohtus. Qui cum Rege agit siue quid ei offerendo, siue gratias agendo, caput inclinat: hoc fecit ergo Christus, qui iamiam tradens spiritum Patri tanquam depositū illius, nec nō redemptionis nostræ pretium illi acceptum refert, eique totum adscribit, vnde in gratiarum actione caput ei venerabundus inclinat. Triumphatores Romani Capitolium ascēsuri Ioui pro impertitā victoriā gratias agebant supplices, vt refert auctor antiquus *l. 10. c. 29.* Fecit hoc etiā Christus, quod per capitis demissionem nobis expressit: pro deuicto scilicet tenebrarū principe & mortis doloribus, quos antea expauerat. Ita incuruatus est Rex Ezechias, cùm finita esset oblatio facta in expiatione templi, 2. Par. 29. Accurrerunt sine dubio ad hoc triumphi spectaculum omnes cœli milites. Accurramus & nos Christiani & videamus rem hactenus inauditam, Deum coram Deo se inclinantem.

Porrò non tantùm in accessu, sed etiam in abscessu personis honoratis caput inclinatur: Vnde fas est credere, per eam cæremoniā voluisse suis amicis Christum valedicere. Valedicere imprimis matri, quæ in vtero eū gestarit, vberibus lactarit, solicitè educarit, ardentissimè semper amarit, ad extremum denique halitum fortissimè comitata sit. Valedicere discipulis qui eum promptè secuti, solicitè auscultarint, coram alijs confessi sint, cum eo denique in tribulationibus permanserint. Valedicere Nouercæ suæ synagogæ, quæ dederit ei pro pane maledicta & opprobria: pro vino fel & acetum: pro corona spinas: pro sceptro arundinem: pro purpurâ chlamydem coccineam: pro osculo verbera & alapas: pro lecto denique crucem. Valedicere toti mundo, qui ei in domo suâ non concesserit hospitium, qui factorem suum tam miserè tractarit, miseriùs exturbarit. O durum vale! Cœlum luget, petræ disrumpuntur, velum scinditur, monumenta aperiuntur in vltionem ingratorum: solus non permouetur homo.

SECVNDÒ, Vt indicaret mortem se lubenti subire animo, adeoque non necessitate, sed voluntate mori. Ita Cyrillus *l. 12. c. 76.* Chrysost. *hom. 84.* Aug. *tract. 119.* Theophyl. & alij. Qui significant homines cæteros priùs mori, postea inclinare caput, quia necessitate moriantur: Christum priùs inclinasse caput, postea mortuum esse, quia voluntate sit mortuus. S. Augustinus loco cit. ait Christum deposuisse vitam, veluti cùm quis deponit vestem quam suo arbitrio & deponere potest & accipere. Sic enim dixit ipsemet Dominus: *Potestatem habeo ponendi animam meam & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ioan. 10. Auctor quæstionum ad Antioch. quæ Athanasio tribuuntur, addit formidasse mortem Christo appropinquare, ideoque ab eo capitis inclinatione velut nutu vocatam esse. Certè vel ipso Pilato teste nihil morte dignum Christus gesserat, (C. II. Vt indicaret se volentem mori.)

nil

nil igitur erat, quod in illo mors requireret. Timuerunt mortem sanctissimi quique viri, Hilario, Agatho, alij, quia vt hic dicebat, *alia sunt hominum iudicia, alia Dei.* Non timuit mortem Christus, quin potius eandem ad certam prouocauit, quia nihil dignum morte actum à se sciuit, ideoque se illa longè superiorem esse. Quare ô Christiani, si mortem non timere, si denique vincere cupimus, Christum nobis associemus, fortissimum Athletam & mortis Domitorem.

D. III. Vt obedientiam patri præstaret.

TERTIÒ. *Vt obedientiam præstaret patri postremam, qui iuxta id,* (Phil. 2.) *factus est obediens vsque ad mortem,* ait S. Bern. *Ser. de passione Domini fer. 4. hebd. pœn.* Sic enim & Moyses velut figura Christi iubente Domino mortuus est *Deut.* 32. Videre sæpe est catellos adeò morigeros vt ad virgulæ minas ilicò ad pedes Domini demisso aduoluantur capite, vltrò se ad verbera quodammodo offerentes. Talem nunc in cruce Christum cernimus: qui intentanti sibi mortē patri pronus & supplex aduoluitur eam excepturus. Videtur hoc ipso gestu respondisse, quod aliquando dixerat in spiritu, tacitè respondens voluntati patris, qui eum morti destinarat pro salute nostrâ: *Ita Pater, quoniā sic placitum fuit ante te*; vt videlicet moreretur. Et quod *Ps.* 39. dicitur: *Holocaustum & pro peccato non postulasti,* (q. d. noluisti admittere sacrificia veteris testamenti pro expiatione peccatorum) *tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui.* Sanè in capite crucifixi inclinato scriptam legimus hanc eius obedientiam. Apud gentiles *sacerdotes aquā infundere in aurem victimæ cōsueuerūt vt illa annuat illis sacrificijs,* inquit Myrtil. *l. 2 rerum Lesbicarū.* Christus ergo victima pro genere humano, annuens voluit mori, vt ostenderet se ex obedientia libenter & voluntariè mori. Discite Auditores aspera quæque libenter pati, etiam mortem ipsam: discite obedire.

E. IV. Vt humilitatem suam ostenderet.

QVARTÒ. Vt humilitatem suam item ad finem vsque conseruatam declararet & doceret. Videbat supra caput suum splendidissimū Regis Titulum, qui ei & iure debebatur & singulari Dei prouidentia conscriptus & seruatus fuit: sed quia toto vitæ suæ decursu titulos fugiebat & honores, vti *Ioan.* 6. cùm se abscondit ne raperetur & Rex crearetur; ita in morte quoque illos respuit, ideoque caput à titulo regio auertit. Placatus fuit Deus, quando (3. *Reg.* 21.) vidit Achab humiliatum & ambulasse demisso capite: quomodo non placatus sit, cùm vidit inclinatum capite filium suum, qui contra patrem nunquam id erexerat? Sed quid est quòd adeò se humiliat? Nimirum scelera nostra caput eius grauarunt. Quòd si Dauid proprijs tantùm peccatis ita pressus fuit, vt diceret Ps. 37. *Iniquitates mea supergressa sunt caput meum & sicut onus graue grauata sunt super me.* Ex mox: *miser factus sum & curuatus sum.* Quid mirū si peccata totius mundi Christum depresserunt? Docemur etiam hîc opus esse vt humilitas vitam claudat. Vt enim custos gregis nisi postremus incedat, facilè perdit pecudem: ita nisi humilitas, quæ virtutum omnium custos est, virtutum claudat agmen ad extremum vsque spiritum omnes dispergētur. *Qui sine humilitate virtutes congregat*, ait Greg in explicat. 3. Ps. pœnit. *quasi in ventum puluerem portat.* Quæ causa est vt Dauid præ cæteris metueret ne in fine superbiæ stimulis agitatus merito suo priuaretur. Hinc enim ait Ps. 35 *non veniat mihi pes superbiæ & manus peccatoris non moueat me Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Manus peccatoris diaboli tentatio est. Sed pes superbiæ elatio mentis vitam claudens, quæ merita omnia euacuat. Ibi ceciderunt multi: igitur ne veniat tibi pes superbiæ, vide vt inclinato capite ambules ad mortem vsque. Angusta est & humilis cœli ianua; igitur per eam ingressurus Christus inclinat caput; quâ quidem inclinatione viam cœli nobis demonstrat, videlicet humilitatem.

QVINTÒ. Vt Adæ subter se sepulto osculum reconciliationis, & simul toti humano generi infigeret. Ita S. Aug. *l. de Virg.* Sepultū fuisse in Caluariæ monte Adamum sentiunt multi patres: Origenes *hom.* 35. *in Matth.* Hier. *in epitaph. Paulæ ad Marcellum* Chrysost. Ambr. Athanas. Epiphan. Quare vt per Christi passionem, Deum homini reconciliatū esse ostenderet caput suum veluti osculaturus hominem demisit: sicut cùm alter in alterum propendet, in eum inclinatus dicitur, vti 2. *Mach.* 24. Nicanor in Iudam. Caput miseriæ nostræ Adam, caput salutis nostræ Christus fuit. Vt igitur terram cœlo reconciliatam esse intelligamus, vitæ & mortis auctor se mutuò amplexantur. Venit Christus *quærere & saluum facere quod perierat*, Luc. 19. Perdiderat verò Adamum, decimam illam drachmam. Quærebat igitur demisso capite & hic tandem inuentam osculatus est & simul lucernam vitæ suæ extinxit, quam accenderat in hunc finem. Qua in re diuersum illius à viris sanctis studium fuit. Viri sancti morituri oculos ad cœlum dirigunt, quia prædam ibi suam venari satagunt. Ita S. Stephanus sub lapidibus *intendens in cœlum vidit gloriam Dei*, Act. 7. Ita S. Martinus, moribūdus ait: *finite me cœlum potius quàm terram aspicere vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur*; vt habetur in eius officio lect. 6. Nimirum isti falconum instar prædam suam in cœlo quærebant. Christus verò milui instar oculis & capite in terrā fixis, prædam in terra quærebat, hoc est non tam sibi acquirere gloriam, quàm hominum, ob quos venerat, procurare salutem intendit. Nec in terra solùm, sed & infra terram in limbo patrum prædam quærebat; cui limbo quodammodo minatus est hoc gestu despoliationem, iuxta ill Oseæ 13. *Ero mors tua ô mors: morsus tuus ero inferne.*

F. V. Vt Adamo osculum infigeret.

SEXTÒ, Vt palam demonstraret meritum passionis suæ, peccatis nostris longè preponderare. Desiderabat dudum Iob & cum eo vniuersum genus humanum: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc grauior appareret*, Iob cap. 6. Hæc erat hora, hoc momen-

G. VI. Vt monstraret passionē suam præponderare peccatis nostris.

mentum, quo Christo iam vltimum trahente spiritum & merita sua Patri repræsentante, appensa sunt in Cruce (quam Ecclesia in hymno staterá corporis Christi nominat) peccata nostra & calamitas seu passio Christi quæ & nostra perticipatiuè. Peccata nostra Crux repræsentabat quia arboris vetitæ typus erat, merita & passionem suam Christus repræsentat. Non incuruatur Crux, sed caput Christi excedit. Incuruatur verò in Cruce Christus, dum inclinato capite præponderat & lancem meritorum deprimit. Ita S. Bern. ser. 2. pasch. ser. de duobus discipulis &c. *Crux,* inquit, *facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Cum enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata quæ commisimus, calamitas quam incurrimus. Ipse erat innocēs, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis connexatio eius: nō enim peccatū fecit nec inuentus est dolus in ore eius. Et quoniam talis ac tātus tā indignanda natus in Cruce pati, præponderare cœpit calamitas, & crimina leuigari. Cùm adhuc tamē in Cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plenè cognoscebatur quò cadere deberet inclinato tamen capite emisit Spiritum, vt calamitas præponderando caderet & quasi arena maris grauior appareret.* Hæc Bern. Quod si Christi merita in articulo mortis illius pōderata sunt, à Deo, idipsū ne dubita eueniet tibi in morte tuâ. Vide igitur quisquis es vti & tu præpōderes & capite inclinato hinc discedas ne audias & incurras horrendū illud Balthasaris iudiciū: *Appensus es in statera & inuentus es minus habens,* Dan. 4.

H. VII. Vt paupertatem suā nobis commēdaret.

Septimò, Vt paupertatem suam extremam nobis commendaret. Dixerat de se Christus Luc. 9. *Vulpes foueas habēt & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Cùm ingrederetur mundū, foueam non reperit, quia non erat ei locus in diuersorio, ideò reclinatus in præsepio, bestiarum hospitio vsus est. Cùm iam in aëre pendulus è mundo vult excedere, iam nec nidū in arboris Crucis reperit, vbi requiesceret, ideò inclinat caput & in aëre pendulū relinquit. Magnæ paupertatis erat Iacob, cùm volēs requiescere longo itinere fatigatus, non habuit nisi lapidē quem supponeret capiti suo, *Gen.* 28. Sed maior multò est paupertas Christi, qui longissimo vitæ & passionis itinere exhaustus cupiens tandem vel in Cruce requiescere, ne lapidem quidem habuit in quo requiesceret. Videte vos ô vulpes & aues, auari & ambitiosi, inquam, qui foueas vestras in thesauris, nidos in dignitatibus ædificatis, quàm dissimiles Christo sitis? Consolamini vos ô pauperes, qui vbi pedem ponatis in hoc mundo, non habetis, quia Dux, antesignanus & frater vester Christus est.

I. VIII. Vt postulatis nostris annueret.

Octauò, Vt petitionibus nostris annueret. Auersus olim ab orationibus nostris videbatur Deus, quemadmodum conqueritur sæpius Dauid Ps. 12. *Vsquequò auertis faciem tuam à me?* Et Psal. 87. *Vt quid Domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me?* Nimirū in profundo hærebamus & lethali infirmitate opprimebamur: quid mirum si vox nostra ab excelso Deo non audiebatur? id cōsiderantes viri Sancti, ad Deum sedulò clamabāt vt se ad nos inclinaret. Ita Dauid Psal. 16. *inclina aurem tuā mihi & exaudi verba mea.* Idipsum petit Ps. 30. & 70. 85. & 87. ita Ezech. Esai. 37. *Inclina Domine aurem tuam & audi.* Ita Baruc c. 2. *Inclina aurem tuam & exaudi nos.* Daniel. c. 9. *Inclina Deus meus aurem tuam & audi.* Porrò vt aduertit Euthymius in Psal. 16. inclinatur auris cùm inclinato capite alicui exilis vocis condescendimus: vt solet Medicus ægro, procerus humili. Quod igitur antea obtineri à Deo non poterat, hoc à Christo in Cruce obtentū est, cùm inclinato capite aurem quoque suam petitionibus nostris inclinauit; neque ad id solùm vt audiret, verùm etiam vt in causam nostrā propenderet atque adeò assentiretur nobis; proptereà nō aures, sed aurem inclinauit, dum ad dexterum latus, (vt picturæ Crucifixi innuunt & verisimilius ait Barradius *ad cap. 19. Ioan.*) caput inclinauit. Videtur mihi nunc Samson noster Christus iamiam dormiturus in sinu vxoris suæ Ecclesiæ, caput reclinare, *Iud.* 16. vt sicuti arbore in terram inclinata fructus eius diripiuntur: ita liberum sit cuique petere & impetrare à Christo quæ cuique salutaria. Videtur mihi Elias igneo crucis curru iamiam tollēdus à nobis velut Elisæo dicere: *Postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te,* vt habetur 4. *Reg.* 2. Igitur quando res ita se habet: Quod si Domine, bonis fortè temporalibus & amicis exuti ad inopiam redigeremur: num tu velles curam nostri gerere? Inclinat caput & annuit. Quid si morbis & infirmitatibus opprimeremur: num tu opem, robur, solatium dare nobis velles? Inclinat caput & annuit. Quid si fortè à charitate excideremus tua: num tu gratiam tuam pœnitentibus rursum impertire velles? Inclinat caput & annuit. Quid si fortè, quod auertas, enormiter offenderemus, etiamnum velles? Inclinat caput & annuit. Quid si fortasse septuagies septies in die peccaremus: idne etiamnum velles? Inclinat caput & annuit. Quid si cum morte luctari aliquando debeamus: num tu manum nobis auxiliatricem porriges? Inclinat caput & annuit. Quocirca procidamus nunc & dicamus: *Sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum, Amen.*

§. XLI.

Prodigia in morte Christi.

Quibus de causis in cœlo & terra facta sint, ac	*5. Apertio monumentorū multorumque resurrectio: quæ omnia mysticè fiunt in pœnitente. His subiunguntur fructus prodigiorum.*
1. Cur defectio solis.	
2. 3. 4. Cur scissio veli & petrarum; cur terræ motus.	

THEMA.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt, &c. *Matth. 27.*

GRauissimis de causis varia in morte Christi, tā in cœlo quā in terra facta sunt prodigia, A.

digia, Primò quidem vt crucis Christi ignominia miraculorum gloriâ compensaretur, & dum vnâ ex parte Christus in cruce & morte ostenditur verus homo; ex altera ostenderetur simul esse Deus. Hinc fides, quæ crucis ignominiâ eneruari poterat, miraculorum gloriâ roborata est, quæ tantò erant maiora, quantò maior ignominia crucis. Secundò vt hac, quâ poterat, ratione, tota mundi machina cœlum, terra, elementa suo condolerent factori. Si enim Rege mortuo tota perturbatur & tabescit aula: cur nō & mundus totus conditore suo mortuo? Denique vt Iudæorum scelus elementa & creaturæ mutæ coarguerent
3. ac quodāmodo in eos insurgerent. *Ad hoc enim* (Deicidium) ait S. Bern. serm. fer. 4. hebd. pœnosæ, *expauit tota machina mundialis*. Et S. Leo serm. 10. de pass. *Vocibus his vestris stultis*, inquit, *reddunt omnia elementa responsum & vnam in vos sententiam ferunt: cœlum, terra, sol, syderaque indignos vos suo ministerio protestantur*, &c. Verùm videamus hæc ostenta.

B. I. Defectio solis. PRIMVM, Defectio solis super vniuersam terram. Facta est hæc, Primò vt ignominiam Christi in Cruce denudati sol modo aliquo
1. tegeret adeoque temperaret. Dum Cham illudit patris nuditati, Sem & Iaphet tegunt eam pallio, faciem auertentes, *Gen*. 9. Ita dum impij Iudæi illudunt Christo patri & factori suo in Cruce denudato, Sol & Luna faciem suam ab eo auertunt eumque pallio tenebrarum contegunt. Ita natura eum tegit, quem liberum arbitrium detegit & pudefacit. Vnde Hier. *in Matt*. ait; *Videtur mihi sol retraxisse radios suos ne aut pendentem Dominum videret, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur*. Faciebat ergo sol ne impij cum gaudio viderent Christi nuditatem eique insultarent.

2. Secundò, Vt ostenderet occidere tunc verum solem, qui creauit solem & Lunam omniaque elementa; obscurari etiam omnes eius excellentias, gloriam, potentiam, sapientiam, vitæ famam. Primario enim lumine, à quo cœli lumina omnem suum splendorem obtinent, extincto, quid mirum si extinguantur & ista? Sanè deleto sole, deleretur etiam lumen stellarum & lunæ quod ab ipso mutuant.

3. Tertiò. Vt ostenderet Christum verū Deum fuisse, adeoque errasse Pilatum, Pontifices, Iudæos, & in tenebris ambulasse. His ergo tenebris quasi muta solis voce dicere voluit Deus, quod in monte Tabor dixit de Christo: *Hic est filius meus charissimus*, qui vnà mecum lucem & solem creauit: qui mundum posset subtracto lumine perdere, cui proinde cœli nunc debitum cultum exhibent. Signum quærebant aliquando Iudæi videre de cœlo. Ecce igitur signum tale, sub meridiem tenebræ. Mirabilius erat talia efficere, dum esset Christus in cruce, quàm dum adhuc ambularet in terra, imò quàm ex cruce descendere. Nam si ab eo hæc facta esse putabant, timere ac credere debebāt: si non ab eo, sed à patre, debebant tamen propterea commoueri atque compungi. *Iram enim Dei propter facta ipsorum commotam esse, tenebræ illæ significabant*, inquit Chrysostomus in hunc Matthæi locum.

Quartò, Vt iusta funebria creatori suo sol persolueret. Vt enim moriente patrefamilias tota domus pullis vestitur, in signum luctus, ita mundus iste tenebris vestitus est, cùm Dominus eius mortem iamiam oppetiturus erat. Condolent ergo Christo creaturæ irrationales, vt confundant nos, si ei non condoleamus, qui causam morti eius dedimus. 4.

Quintò, In detestationem sceleris Iudæorum, quasi indigni essent, quos aspicere sol deberet, & digni quibus subduceretur verus sol Christus eiusque Euangelij lumen, vt imposterum in tenebris cæcitatis & ignorantiæ permanerent. Dicebāt Iudæi: *Tolle, tolle hunc*. Quasi dicerent id Sap. 2. *Grauis est nobis etiam ad videndum*. Itaque & sol noluit eos aspicere & sic quodammodo clamauit: *Tolle, tolle* istos & disperge in nationes. 5.

SECVNDVM, Scissio veli templi. Facta est hæc, primò in detestationem sacrilegij, quod commiserūt in Deum Iudæi. Si enim summus sacerdos Caiphas, cùm audiuit à Christo ipsum esse filium Dei, quasi hoc blasphemum esset, scidit vestimenta sua, in signum doloris: decuit vt Deus etiam huiusmodi signum daret in detestationem sceleris Iudæorum. Velum igitur templi scidit, quo ipse quodammodo amictus & velatus erat. Dauid audito Saulis interitu & strage exercitus Israelitici scidit vestimenta sua, vt dolorem suum testaretur, vt hoc pacto Sauli parentaret. 2. Reg. 1. Scidit ergo & templum seu potiùs Deus in templo sedens vestimentum suum percepta Christi nece, qui templi Dominus erat. Humanitate Christi diuisâ in corpus & animam, scissum est similiter velum in duas partes. C. II. Scissio veli templi.

Secundò, Ad indicandum reserata nunc esse mysteria veteris legis nec non sancta sanctorū, id est, gloriam cœlestem patere beatis; Tunc enim SS. Patres cœperunt gloriam Dei cernere, & deinceps omnibus patuit cœli ianua. 2.

Tertiò, Vt ostenderet scissionem & abolitionē legis Iudaicæ & transmigrationem Dei à synagoga ad Ecclesiam. Ad idem indicandū scribit S. Ephrem ser. de passione Domini, tunc temporis columbam è templo euolasse, vt indicaretur migrasse à templo Spiritum S. eiusque gratiam. *Sicut enim gloria domus est*, ait S. Chrysostomus hom. 2. de Cruce & latrone, *vbi velum pendet habitante intrinsecus Domino domus: Sic ignominia templi est, vnde recessit Spiritus sanctus*. Nimirum tunc impleri cœptum id Domini: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. 3.

TERTIVM, Terræ motus; qui primò factus est in detestationem sceleris Iudæorum, quasi terra contra eos rugiens os suum aperire vellet ad eos deuorandos: quod vtique contigisset, nisi pro illis in Cruce Christus orasset & terram cohibuisset. Tantum ergo id scelus erat, vt illud sustinere terra non vellet. D. III. Terræ motus. 1.

Secundò, Ad honorem & maiestatem Christi è mundo egredientis & Limbū ingredientis. Solent enim ciues ad introitum magno- 2.

rum

rum Principum bombardas explodere. Aliàs quando cum triumpho Christus ingressus est Ierosolymam, *commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?* Quis autem dubitat Limbum patrum simili modo commotum esse ad ingressum Christi dicentis: *Attollite portas principes vestras*, &c. ac quodammodo respondisse; *Quis est iste Rex gloria?*

3. Tertiò, Vt doceret tremere peccatores. Tremit enim terra quòd innocens Christus tam seuerè plectatur ob peccata aliena: quomodo non tremat peccator, plectendus ob sua propria? Sanè tremor ille Dei iram ingratis imminentem innuit. Legimus *Matth.* 22. Regem illum, qui tauros & altilia sua occiderat & omnia parauerat, cùm inuitati venire nollent, iratum fuisse & missis exercitibus suis perdidisse illos & ciuitatem eorum succendisse. Qui sanè non tam vehementer excanduisset, si tauros & altilia sua non occidisset, maximisque impensis cœnam non parasset. Ostendit ergo hic terræ motus iram Dei vehementer accensam esse contra illos, qui Christi mortem & passionem spernunt sibique non applicant.

E. IV. Scissio petrarũ. 1. QVARTVM, Scissio Petrarum, primò arguebat Iudæorum corda saxis duriora: si quidem his creatori suo compatientibus, illi non sunt compassi. Vnde exclamat S. Ambrosius L. 12. in Lucam: *O duriora saxis pectora Iudæorum! Finduntur petræ, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet orbe concusso.* Dixerat aliquando Christus Luc. 19 *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Clamauerunt ergò nunc tacentibus præ metu hominibus lapides & Christum Deum testati sunt, nec tamen id audierunt nec crediderunt Iudæi.

2. Secundò, Prænuntiabat findenda per passionem Christi, saxea plurimorum pectora & scindenda ad pœnitentiam.

F. V. Apertio monumentorũ & resurrectio multorũ. 1. QVINTVM, Reseratio sepulchrorum & resurrectio multorum sanctorum; significabat Primò: Per mortem Christi spoliandam esse mortem & vitam nobis immortalem donandam. Quemadmodum Dominus in suscitatione Lazari clamans: *Lazare veni foras*, mortuum è sepulchro extraxit: ita in cruce cum clamore emittens spiritum sepulchra aperuit & mortuos euocauit.

2. Secundò, Hoc idem spiritualiter implendum in pœnitentibus, qui se aperturi erant in confessione & mortua corpora, id est, peccata eiecturi.

Mysticè hæc signa fiunt in pœnitẽte. Spiritualiter hæc prodigia fiunt in corde peccatoris, cùm moritur peccatis & viuere incipit Deo. Primò enim tenebræ in eo sunt, dũ est adhuc in statu peccati. Deinde velum ignorantiæ rumpitur, cùm illustratus cœlesti lumine incipit agnoscere statũ & peccata sua. Postea contremiscit, dum attendit quantum Deum quàm sæpe & grauiter offenderit, quanto in periculo versetur, quàm citò & quàm facilè corpore & animo perdi in gehennam possit. Tum scinditur cor eius per contritionem & emollitur ad pœnitẽtiam per propositũ emendationis ceditque voluntati diuinæ imposterum faciendæ. Demum in confessione aperit sepulchrum conscientiæ & educit opera mortua sistitque Confessario: sicque restituitur vitæ gratiæ & dignus fit ingressu ciuitatis Sanctæ, supernæ Ierusalem.

G. VI. Fructus prodigiorum. His prodigijs Centurio & qui cum eo erant commoti, timuerunt valdè dicentes: *Verè hic homo filius Dei erat & iustus.* Hic iam sequuntur fructus prodigiorũ, & Primò: Conuersio Centurionis & qui cum eo erãt: quæ insignis fuit. Primò. Quia gentilis fuit. Secundò; Quia vt ait S. Hieronymus in c. 27. Matt. *in ipso scandalo passionis verum Dei filiũ verè, ex toto corde confessus est.* Et S. Ambrosius in Psal. 40. *Quo tempore*, inquit, *iusti plerique nutabant, ipsi certe Latebant Apostoli; Carnifex ipse Centurio non negauit.* Tertiò, Quia apertè & seriò Christum confessus est. Glorificauit enim Deum, dicens: *Verè hic homo iustus erat & filius Dei.* 1. Centurio conuertitur.

1. Causa miræ eius conuersionis fuit. Prima: Terræ motus & prodigia alia, iuxta Matthæũ. Videtur Isaias hanc Centurionis cõuersionem prænidisse c. 11. vbi ait: *Glorificabit me bestia agri Dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.* Bestia agri Centurio, de quo Lucas ait: *Glorificauit Deum dicens: Verè hic homo iustus erat.* Qui cum eo erant, milites, Dracones & strutniones nõ malè nominabis. Causam conuersionis horum quæris; quia Christus in Cruce ab omnibus desertus, etiam ab ipso patre, dedit aquas prodigiorũ 7. Verborum; stupendarum virtutum, quibus visis hi conuersi sunt. Secunda, Secundum Marcum, quia *sic clamans* (voce scilicet magnâ) *emisit spiritum.* Cùm enim vox paulatim deficiat morientes, ita vt clamare nequeant, miraculum vtique fuit, quod Christus clamans expirarit. 2.

Porrò hæc prodigia in Centurione operata sunt, quia ex aduerso stabat adeoque Christum & ea quæ fiebant, sedulò obseruabat. Hinc in corde eius & sociorum, timor ortus salutaris & ex timore pœnitentia. Ergo peccatoribus sedulò legenda, meditanda & obseruanda Christi vita, passio & mors, ad hoc vt compungantur. Nõ sufficit obiter legere, audire, videre historiam & instrumenta passionis, Christum in Eucharistia & Missa, &c. attentè expendere oportet & mente reuoluere.

Secundò, *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur.* Videmus hîc quod prædixerat Dominus: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, impleri cœptum esse. Reuertebantur enim isti non modò in domos suas, sed etiam in seipsos; agnoscentes peccata sua, quibus paulò antè Christum ridebant & blasphemabant. En virtutem crucis, quæ timorem hunc salutarem indeque pœnitentiam in horum cordibus excitauit, adeoque tam Iudæos quàm gentiles ad se traxit, mediante haud dubiè oratione Christi, quam in Cruce pro inimicis fudit. 2. Omnis turba percussit pectus.

Stabant autem omnes noti eius à longè & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes. Vt H. VII. Stant à longè noti eius.

à longè starent, fecit partim timor, ne à Iudæis aliquid ob Christum paterentur: partim dolor & compassio, quæ eos coram intueri iniurias Christo illatas nō sinebat; quo modo Agar abiecto filio suo subter vnam arborem, abijt *sedditque è regione procul, quantum potest arcus iacere*, dicens: *Non videbo morientem puerum*, Gen. 21. Prædixit Zacharias c. 12. quatuor imprimis familias seorsim Christi mortem plancturas, familiā Dauid, Nathan, Leui & Semei. Forsitan hi quatuor ordines sunt. Primus, Deipara & Ioannes iuxta Crucem. Secundus, Gentiles & Iudæi circa Crucem conuersi. Tertius, Noti & discipuli eius à longè stantes. Quartus, Mulieres item seorsim eum plangentes. Hi ergo suis lachrymis parentabant Christo.

Exemplo itaque Centurionis, (verba sunt S. Leonis papæ serm. 9. de passione Domini) *contremiscat in redemptionis sua supplicio terrena substātia, rumpantur infidelium mentiū petræ; & qui mortalitatis grauabantur sepulchris, discussa obstaculorum mora prosiliant; appareant nunc in ciuitate Sancta, id est, Ecclesia Dei, futuræ resurrectionis indicia.*

§. XLII.

De vulnere lateris.

1. *Dantur causæ petitionis Iudæorū vt frangantur crucifixorum crura.*
2. *Cur milites frangant alijs, non Christo.*
3. *Cur apertum lanceā latus Christi, ex mente Iudæorum; quæ causa huius vulneris ex mente Christi.*
4. *Cur exiuerit sanguis & aqua.*
5. *Ad quod tempus referatur illud Ioannis:* videbunt in quem transfixerunt.

THEMA.

Vnus militum lanceā latus eius aperuit. Ioan. 19.

A. FVerunt aliquando gentiles Philosophi (teste Luciano) qui naturam accusabant, quòd fenestram non fecisset in pectore humano, per quam arcana cordis videri possent. Sed minimè expediebat vt hoc faceret natura; nullius enim hominis cor ita vsquequaque purum est, vt omnibus placeret, si omnibus pateret. Solus Christus Dominus est, cuius cor vti omnibus placere debuit, ità & patere potuit. Fecit igitur Dominus fenestram ad cor suum intimè contemplandum, quando latus suum aperiri lanceā passus est. Fenestram hanc prῶfignatam credimus in fenestra illa, quam iussus est facere Noë in superiori parte arcæ *Genes.* 6. quam in fine diluuij aperuit & per quam columbam emisit. Nam & vulnus lateris in fine passionis Dominicæ (quæ diluuium quoddam sanguinis & pœnarum fuit) apertum est, & per id emissus sanguis & aqua. Superest nunc vt per fenestram hanc introspiciamus, quid mysterij in pectore Christi apertolateat.

B. PRIMÒ, Iudæi (quoniam parasceue erat) *vt non remanerent in Cruce corpora Sabbato, rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura & tollerentur.* Petierunt hoc illi primò ad speciem religionem festi, more suo hypocriticè: ducentes sibi religioni relinquere illum in cruce per Sabbatum, quem in festo paschatis crucifigere non dubitarunt, iterum colantes culicem & camelum glutientes. *Rogant Iudæi vt frangantur Crucifixorū crura, &c.* 1.

Secundò. Reuerà ex odio & inuidia; Ex odio, vt per crurifragium nouos ei dolores, quem mortuum nondum sciebant, accumularent & mortē acerbiorem redderent. Ita enim *mali homines & seductores proficient in peius*, ait Apostolus 2. *Tim.* 3. Ex inuidia, vt ab oculis hominum corpus Christi simulque memoria eius & mirabilium, quæ acciderant, confestim tolleretur. Viderant enim plebem prodigijs commotam & compunctam. En tibi quàm diuersum beneficiorum Dei effectum in obstinatis, & in illis, qui nondum obstinati sunt; hi enim emolliuntur & flectuntur ad pœnitentiam, illi magis indurantur. 2.

Tertiò, Ex mente Christi; quia voluit pro nobis fieri maledictum. Statutum autem erat *Deut.* 21. vt crucifixorum corpora in cruce non remanerent, sed eodem die sepelirentur, ne contaminarent terram. Tametsi verò lex illa propriè loquatur tantùm de reis & noxijs, non de innocentibus: voluit tamen Christus eidem subiacere, vt sciremus eum factum esse pro nobis reuerà maledictum, quasi esset reus. Itaque non quieuit iræ diuinæ tempestas donec Ionas, id est, Christus mitteretur in ventrem cæti, id est, in cor terræ. 3.

C. II. SECVNDÒ, *Venerunt ergo milites & fregerunt crura latronum. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum mortuum, non fregerunt eius crura.* Factum hoc Primò, vt scriptura impleretur, quæ agnum paschalem ita comedi præcepit vt os non comminueretur ex eo, *Exodi* 12. Quod asserit Ioannes figuratè de Christo intelligendum. Voluit ergo ostendere Deus scripturam implendam esse, nolint velint homines. *Milites frangunt alijs crura, sed nō Christo.* 1.

Secundò, Vt hinc intelligeretur, passionis tormenta etsi atrocissima, non fractura tamen Christi fortitudinem, patientiam, charitatem & virtutes reliquas, quas significant ossa; sed hæc omnia in finem vsque perfecta & firma seruanda, quantumuis Dæmones & hostes ea confringere molirentur. Huc vtique respexit sponsa, cùm de sponso suo Christo dixit: *Crura illius columna marmorea, quæ fundata sunt super bases aureas*, Cant. 5. Marmoreæ columnæ, quia infractæ: infractæ verò sunt, quia fundatæ super aureas bases amoris patris sui, & hominum, quorum salutem amabat. 2.

Tertiò, Vt significaretur simili modo robur & virtutes electorum in maximis etiam tribulationibus non comminuendas; (hi enim sunt membra corporis Christi mystici) iuxta id Psal. 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Admonet etiam hoc suo exemplo Christus fideles omnes, vt in suis tribulationibus & persecutionibus sint infracti 3.

fracti & vt potiùs mori velint, quàm patiantur ſibi frangi robur patiētiæ, fidei cæterarumque virtutum. Laudat hoc nomine Martyres ſui temporis S. Cyprianus *ep. ad Mart. & Conf.* vbi inter alia inquit; *Steterunt torti torquentibus fortiores & pulſantes ac laniantes vngulas pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæuiens diu plaga repetita*, &c. Et pòſt celebrat præ alijs Mappalicum martyrem, qui inter cruciatus ſuos imperterritâ voce dixit Præconſuli: *Videbis cras agonem*. Quem & ſtrenuo martyrio exhibuit.

D. III. Vnus lāceâ latus eius aperuit. TERTIÒ, *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit*. Si milites attendamus, inflixerunt hoc vulnus haud dubiè ex nocēdi & ſæuiendi libidine, quâ in hoſtes etiā proſtratos & exanimatos ſolent debacchari; idque forſitan fecerunt

Ex mente Iudæorū. in gratiam Iudæorum, vti vult S. Chryſoſt. Quamobrem Eccleſia lanceam, quæ mortuum Dominum vulnerauit, *diram* appellat; quia in extinctum ſæuijt, cuius tamen morte omnes ſaturati eſſe deberent. Quare qui mortuis nocere vel detrahere verbis conantur (niſi illi manifeſtè improbi deceſſerunt) dirum eis vulnus infligunt & crudelius, quàm ſi inflixiſſent viuis. Nam, vt ait quidam, *mortuo Leoni barbam vellicare, hominis parum cordati eſt*. Et Plato *lib. 5. de repub.* ait eos non differre à canibus in lapides ſævientibus, eo qui receſſit prætermiſſo. Tametſi verò vulnus hoc non ſenſit Chriſtus, ſenſit tamen eius mater, quæ magis erat in amato filio, quàm in ſemetipſâ. Ita etiam detractiones mortuorum ſentiunt propinqui eorum: proinde ab his abſtinendum.

Ex mente Chriſti. Sed ſi mentem Chriſti audiamus, aliæ huius vulneris cauſæ ſunt. Prima, quia cùm homines

1. delinquere ſoleant omnibus ſuis mēbris, maximè verò corde, quod eſt fons peccatorum; (*de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ*, ait Dominus Matth. 15.) voluit etiā Chriſtus pati in omnibus membris; è quibus ſolū cor ſupererat, quod proinde lanceâ transfixum eſt, vti & ipſum à veneno peccatorum in nobis expurgaretur. Ex quo etiam diſcamus cor hominis poſt mortem eius à Deo aperiendum (quod nunc latet) & ſtrictè examinandum. Væ illis qui veneno plenum gerunt & occultant! quàm ibi dirum vulnus accipient! Multi in confeſſione patiuntur ſibi à confeſſario perfodi ac luſtrari membra externa, id eſt, peccata externa: ſed non item cor, id eſt, peccata occulta, quæ in pectore recondunt.

2. Secunda, Vt hoc vulnere amorem erga nos ſuum teſtaretur, tùm quia cor, quod iam olim ſaucium erat amoris vulnere, nunc iterum sauciari voluit lanceâ, iuxta id Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea, vulneraſti cor meum* (ex ſecundo hoc vulnere lanceæ, primum illud demonſtrans amoris. *Quis enim cor ſuum ferro vulnerari permitteret, niſi priùs amoris illius vulnus accepiſſet?* inquit S. Bern. *ſer. 2. de paſſio.* Vbi vides Chriſtum verè Pelicano ſimilem factum, quia de pectore ſuo elicuit ſanguinem vt viuificaret pullos ſuos, peccati veneno enectos; tū quia etiam ſanguinē illum, qui adhuc reſiduus erat in corde velut in theſauro repoſitus pro nobis, aperto latere fudit; vt intelligeremus nihil ei tam charum fuiſſe, quod non libenter pro nobis expenderet, imo ſi opus foret, paratum ſe iterum pati etiam poſt mortem. Vnde S. Cypr *ſerm. de dupl. mart.* ait; *Totum effudit ſpiritum, vt nos reſpiraremus: quidquid erat humoris aquei reliquū expreſſit, vt nos ablueremur: quidquid reſidebat in corde ſanguinis emiſit, vt nos cōfirmaremur.* Nos theſaurum repoſitum, vltimo & nō niſi extremâ neceſſitate expēdimus. Chriſtus theſauram ſanguinis repoſitum in corde etiam poſt mortem aperuit & effudit nobis. Vnde latus eius apertum, non tranſfixum dicitur à Ioanne. Cor ergo Chriſti ſit nobis quaſi vaſculum theſauri (Ein Spartrueg) lato quidem ſed anguſto foramine (quale effecit lancea) inſignitum, vt non facilè prodigamus eum.

Tertia, vt ſui erga nos amoris ſignum indelebile ſibi inſculperet. Ferunt Hiſpanicarum 3.
rerum ſcriptores (Roderic. Toletan. & Ioan. Vaſæus) Sanctium Regem, cùm hoſtes vrbem ingrederentur & matrem eius lanceâ confodiſſent; infantem ex vtero per foramen vulneris manum protendiſſe indeque incolumem eductum. Conſimili puerperio & nos à Chriſto iam occiſo per vulnus lateris eius geniti & educti ſumus. Huius igitur tam doloroſi puerperij admonet nos vulnus lateris. Ecce tibi Euā ex latere Adami dormientis procreatam, hoc eſt, Eccleſiam è latere Chriſti ſomno mortis conſopiti. Cùm ergo intueris ſtatuā Chriſti monſtrantis digito vulnus lateris, cogita quanto eius dolore & vnde prognatus ſis, quātum te amarit & amari à te velit.

Quarta. Vt aſylum vitæ nobis panderet. 4.
Vnde S. Auguſtinus ſerm. 120. in Ioan. ſcribit: *Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret: Latus eius percuſſit aut vulnerauit, aut quid aliud, ſed aperuit, vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde Sacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitā, quæ vera vita eſt, non intratur.* Hæc Aug. qui ibidē ait: *Hoc prænunciabat; quod Noë in latere arcæ oſtium facere iuſſus eſt, quo intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura.* Quoties ergo tentatio exurgit, vel tribulatio nos premit, ad hoc aſylū fugiamus ibique habitemus donec tranſeat tempeſtas. Sic monet Iſaias c. 2. dicens: *Ingredere in petram & abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini.* Petra quid niſi Chriſtus? foſſa humus, quid niſi eius vulnus eſt? Similiter Ieremias c. 48. *Habitate*, inquit, *in petrâ habitatores Moab, & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis.* Ibi habitare conſueuit S. Elzearius Comes, qui ab vxore diutiùs abſens & per internuncium requiſitus de rerum ſucceſſu & ſalute, ei reſpondit: *Sanus ſum corpore & ſoſpes. Si autem videre me deſideras, quære in vulnere lateris Chriſti: illic habito ibi me inuenies: fruſtrà alibi quæſitura.* Sur. in vita to. 5. c. 30. Habitabimus in hoc vulnere, ſi paſſionem Domini ſedulò meditemur & nobis applicemus. Sed & ſi ad vitam beatam tendimus, per hoc vulnus ingredi debemus, mediante aquâ

descendebant: quia saltem aliquando peccato obnoxij fuerunt. Non ita Christus Dominus, cuius spiritus totus erat cœlestis, sanctus, impollutus, ideoque cœlo debebatur, patris asseruandus manibus.

Tertiò. Facit id nostri causâ, vt securissimo loco deponeret spiritum suum, quem paulò pòst in nostrum bonum potissimum resumpturus erat; siquidem *resurrexit propter iustificationem nostram* vt ait Apostolus *ad Rom.* 4. Vnde S. Athanasius & Anselmus rectè sentiunt, commendasse Christum in manus patris omnium fidelium animas, tanquam membrorum suorum, quæ in sua resurrectione viuificaturus erat, iuxta id Os. 6. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertiâ suscitabit nos & viuemus in conspectu eius.* Nec incommodè Christus in suo Spiritu, comprehendit omnium spiritus, quia *qui adhæret Domino, vnus spiritus est*, 1. Cor. 6.

D. Fructus huius verbi. 1. *Cum Deo seriò agendum.* Docemur hinc imprimis cum Deo magno clamore loqui, hoc est, seruidè, attentè, seriò: quemadmodum Christus hoc & quarto verbo locutus est ad patrem. Et idcircò docuit nos Dominus orationem sic inchoare: *Pater noster qui es in cœlis*; quo videlicet admoneamur fortiter & seriò orare, quia ad Patrem quidem loquimur: sed tamen existentem in cœlis, hoc est, ad patrem nō naturalem, qualis erat Christi pater: sed talem, qui ex merâ gratiâ nos adoptauerit & qui simul etiam sit Deus & Iudex noster. Propterea ergo Dauid toties attolit clamorem in suis orationibus dicendo: *Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat.* Quod Ecclesia quoque ad imitationem eius facit. Debet verò hic clamor, cordis esse potiùs quàm vocis; *siquidem in Dei auribus* inquit S. Bern. serm. 16. in Psal. 90 *desiderium vehemens clamor magnus: è regione autem remissa intentio, vox submissa.* Et Aug. in serm. *Cùm oras*, inquit, *clama, non voce, sed mente.* Hoc clamore orauit Moyses *Exod.* 14. sine omni voce, & auditus est, cùm econtrà populus clamans à Deo non audiretur.

2. *Scriptura & magnifacienda & applicanda vt regula.* Secundò. Magnifacere scripturam, eamque nobis applicare vt regulam vitæ nostræ. Quartum & vltimum verbum ex scripturâ desumpsit, Dominus, qui tamen supra scripturam, eiusque dictator erat. Voluit ergo Dominus eadem lege & ipse vti, quam alijs præscripsit, vt non detrectaret seruus ei se submittere. Dauid certè de illa dixit Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Vt ergo Christus durantibus tenebris corporalibus bis scripturam allegauit: ita nos in tenebris mentis, quas offundunt nobis cupiditas & propriæ passiones, regere gressus nostros lucernâ scripturæ debemus. Ariadne Theseo saluberrimo consilio filum dedit, quo extricaret se è labyrintho: nobis scripturam dedit sapientia diuina.

3. *Quisque suam salutem sibimet procuret.* Tertiò. Prouidere nobis ipsis, antequam moriamur, non committere salutem nostram liberis vel amicis. Christus ante mortem suam commendauit se patri suo, non cognatis. Et S. Petrus 1. *Petr.* 4. iubet vt fideles *in benefactis commendent animas suas fideli creatori*; non ait nepotibus aut liberis. In re tanti momenti, in qua nobis ipsis possumus consulere, credere se periculo & subsidijs amicorum, qui facilè solent obliuisci defunctorum, valde temerarium & nimis supina est negligentia. M. Cato, vt referunt Stobæus & Plutarch. dicebat, per omnem vitam trium se pœnituisse; Quòd mulieri secretum aliquod commisisset: Quòd eò nauigasset: quò pedibus ire potuisset: Quòd vnum diem intestatus mansisset. At quid aliud facit, qui animæ suæ salutem commendat liberis & amicis? Nónne rem maximi momenti committit obliuiosis? Nónne eò nauigat cum periculo, quò posset ire securus? An non credit se periculo moriendi absque debita præparatione & confectis animæ rationibus? Quare non immeritò toties nos Ecclesia per Quadragesimam: *Commendemus nosmetipsos in multa patientia, in ieiunijs multis per arma Iustitiæ.*

Quartò. Mortis præsertim tempore soliciti esse de Spiritu non de corpore; nam si anima bene habuerit, bene etiam habebit corpus, quia tandem sequetur illam. Cùm vrsus in angustias redactus, præcipitare se compellitur, caput pedibus anterioribus inuoluit, vt saltem id, quod habet imbecille, potissimum tamen membrum, illæsum seruet, teste Pierio *lib.* 11. *hierogl.* Ad eundem modum, qui per mortis præcipitium ruere debet, muniat imprimis animam; non sit solicitus de corpore. *Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua.* Ita S. Monica peregrino in solo morti vicina: *ponite hoc corpus*, inquit ad filium Augustinum & alios amicos (solicitos de ipsa, quòd extra patriam moreretur) *vbicunque: nihil vos eius cura conturbet: tantùm illud vos rogo vt ad Domini altare memineritis mei, vbi fueritis*, l. 9. confess. cap. 11. 4. *De spiritu non de corpore solicitum esse oportet.*

Quintò. Commendare nos in manus Dei in rebus dubijs & periculosis præsertim: vti ante somnum, ante S. Communionem, & imprimis ante obitum. Quibus temporibus solet vti Ecclesia his iisdem verbis: *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Ante somnum quidem; *Quoniam nocturnis horis*, inquit S. Basilius in regulis fusiùs explic. quæst. 37. *facilè fieri potest, vt mors inopinata nos opprimat, commendamus animam nostram Domino, vt si fortè subitanea mors nobis aduenerit, non adueniat improuisa.* Sic ille. Frater mortis est somnus, vt dixit Gorgias: ideò non fidendum illi, quin priùs breui quasi testamento facto, animas saltem nostras Deo commendemus. Nec mouere te debet, quòd rarò contingat dormientem repentè extingui: satis est, quòd vel rarò fieri possit. Vt enim excubiæ in castellis semper continuantur tametsi nullum sit hostium periculum: quia vnâ horâ perdi potest, quod æternùm recuperari nequit: Sic &c. Ante communionem, quia accedimus ad mensam summi Regis, ideoque meritò *cultrum in gutture nostro* statuere debemus, vti monet Sapiens *Prouerb.* 23. siquidem in tenui filo pendet ibi supra te mors & vita. Quia enim 5. *In periculis commendet se quisque Deo.*

ambi-

ambigere possimus ac sæpe meritò debemus vtrum non indignè accedamus, idcircò in tam tremendo mysterio, iure commendamus nos Deo. Si immineret capiti tuo gladius, quemadmodum parasito illi Dionysij, tenui filo pendens, an non timeres & Deo te commendares? Non sursus vsquequaque certi, num veste nuptiali decente accedamus ad illam mensam, adeoque iudicium ne an vitam simus manducaturi. Proinde tunc Deo commendare nos decet, vt nostros defectus nobis vel ostendere, vel ipse supplere dignetur.

Ante mortem, quia passus ibi transeundus est omnium periculosissimus, in quo etiã Sanctissimi quique timuerunt sibi. Nónne S. Stephanus moriens dixit: *Suscipe spiritum meum?* S. Nicolaus moriens nónne eundem illum psalmum trigesimum recitauit vsque ad versum: *In manus tuas*, &c. Quod si milites ante congressum clamores ad cœlum tollunt & opem Dei implorant; Et si Iudith arreptam Holofernis dormientis ceruicem gladio abscissura priùs orauit cum lacrymis: *Confirma me Domine Deus Israël & respice in hac hora ad opera manuum mearum*. Iudith 13. quantò magis id necessarium, quando pugnam inituri sumus, cùm atrocioribus & nequaquam dormientibus hostibus, qui tunc animæ insidiantur?

§. XL.

Christus inclinato capite emisit spiritum.

1. 3. *Vt hac ceremonia Patrem veneraretur, eiúsq; obedientiam præstaret.*	*sepulto osculum insigeret, monstraretque passionem suam præponderare peccatis nostris.*
2. *Vt indicaret se volentem mori.*	7. 8. *Vt paupertatem suam nobis commendaret, nostrisq; postulatis annueret.*
4. *Vt humilitatem suam ostenderet.*	
5. 6. *Vt Adamo subter se*	

THEMA.

Inclinato capite tradidit spiritum. Ioan. 19.

A. PRæceperat Deus Moysi in primo Leuitici capite; vt cùm turtur aut columbæ pullus offerendus ad altare esset, retorto ad collum capite ac rupto vulneris loco decurrere; sicret sanguinem super crepidinem altaris; sic enim (vt subiungitur) *holocaustum* id fore & *oblationem suauissimi odoris Domino*. Videre mihi videor hodie completam hanc figuram, dum aspicio in cruce columbæ illius castissimæ, Mariæ pullum in aëre, omni prorsus peccati felle carentem, Christum, eumque retorto ad collum capite, ac rupto de latere, sanguine manantem: holocaustum suauissimi odoris Domino. Adnitamur ergo pro viribus causas inuestigare, cur inclinato capite spiritum emiserit.

B. I. Vt patrẽ veneraretur. PRIMÒ, Vt patrem adoraret & cæremoniâ illâ veneraretur. Frequens est in scripturâ hic adorandi seu venerandi modus, inclinatio nimirum, vt *Gen. 24. 1. Reg. 28. 3. Reg. 1.* &c. Isque nõ Deo solùm sed & Regibus ex. uberi solitus. Qui cum Rege agit siue quid ei offerendo, siue gratias agendo, caput inclinat: hoc fecit ergo Christus, qui iamiam tradens spiritum Patri tanquam depositũ illius, nec nõ redemptionis nostræ pretium illi acceptum refert, eique totum adscribit, vnde in gratiarum actionẽ caput ei venerabundus inclinat. Triumphatores Romani Capitolium ascẽsuri Ioui pro impertitâ victoriâ gratias agebant supplices, vt refert auctor antiquit. *l. 10. c. 29.* Fecit hoc etiã Christus, quod per capitis demissionem nobis expressit: pro deuictu scilicet tenebrarũ principe & mortis doloribus, quos antea expauerat. Ita incuruatus est Rex Ezechias, cùm finita esset oblatio facta in expiatione templi. 2. Par. 29. Accurrerant sine dubio ad hoc triumphi spectaculum omnes cœli milites. Accurramus & nos Christiani & videamus rem hactenus inauditam, Deum coram Deo se inclinantem.

Porrò non tantùm in accessu, sed etiam in abscessu personis honoratis caput inclinatur: Vnde fas est credere, per eam cæremoniã voluisse suis amicis Christum valedicere. Valedicere imprimis matri, quæ in vtero eũ gestarit, vberibus lactarit, solicitè educarit, ardentissimè semper amarit, ad extremum denique halitum fortissimè comitata sit. Valedicere discipulis qui eum promptè secuti, solicitè auscultarint, coram alijs confessi sint, cum eo denique in tribulationibus permanserint. Valedicere Nouercæ suæ synagogæ, quæ dederit ei pro pane maledicta & opprobria: pro vino fel & acetum: pro corona spinas: pro sceptro arundinem: pro purpurâ chlamydem coccineam: pro osculo verbera & alapas: pro lecto denique crucem. Valedicere toti mundo, qui, ei in domo sua non concesserit hospitium, qui factorem suum tam miserè tractarit, miseriùs exturbarit. O durum vale! Cœlum luget, petræ disrumpuntur, velum scinditur, monumenta aperiuntur in vltionem ingratorum: solus non permouetur homo.

C. II. Vt indicaret se volentem mori. SECVNDÒ, Vt indicaret mortem se lubenti subire animo, adeoque non necessitate, sed voluntate mori. Ita Cyrillus *l. 12. c. 76.* Chrysost. *hom. 84.* Aug. *tract. 119.* Theophyl. & alij. Qui significant homines cæteros priùs mori, postea inclinare caput, quia necessitate moriantur: Christum priùs inclinasse caput, postea mortuum esse, quia voluntate sit mortuus. S. Augustinus loco cit. ait Christum deposuisse vitam, veluti cùm quis deponit vestem quam suo arbitrio & deponere potest & accipere. Sic enim dixit ipsemet Dominus: *Potestatem habeo ponendi animam meam & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ioan. 10. Auctor quæstionum ad Antioch. quæ Athanasio tribuuntur, addit formidasse mortem Christo appropinquare, ideoque ab eo capitis inclinatione velut nutu vocatam esse. Certè vel ipso Pilato teste nihil morte dignum Christus gesserat, nil

mentum, quo Christo iam vltimum trahente spiritum & merita sua Patri repræsentante, appensa sunt in Cruce (quam Ecclesia in hymno stateram corporis Christi nominat) peccata nostra & calamitas seu passio Christi quæ & nostra perticipatiuè. Peccata nostra Crux repræsentabat quia arboris vetitæ typus erat, merita & passionem suam Christus repræsentat. Non incuruatur Crux, sed caput Christi excedit. Incuruatur verò in Cruce Christus, dum inclinato capite preponderat & lancem meritorum deprimit. Ita S. Bern. ser. 2. pasch. ser. de duobus discipulis &c. *Crux*, inquit, *facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Cum enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata quæ commisimus, calamitas quam incurrimus. Ipse erat innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cælis connexatio eius: no enim peccatũ fecit nec inuentus est dolus in ore eius. Et quoniam talis ac tātus tã indigna dignatus in Cruce pati, præpõderare cœpit calamitas, & crimina leuigari. Cum adhuc tamẽ in Cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plenè cognoscebatur quò cadere deberet inclinate tamen capite emisit Spiritum, vt calamitas præponderante caderet & quasi arena maris grauior appareret.* Hæc Bern. Quod si Christi merita in articulo mortis illius põderata sunt à Deo, idipsũ ne dubita eueniet tibi in morte tuâ. Vide igitur quisquis es vti & tu præpõderes & capite inclinato hinc discedas ne audias & incurras horrendũ illud Balthasaris iudiciũ: *Appensus es in statera & inuentus es minus habens*, Dan. 4.

H.
VII.
Vt paupertatem suã nobis commẽdaret.

SEPTIMÒ, Vt paupertatem suam extremam nobis commendaret. Dixerat de se Christus Luc. 9. *Vulpes foueas habet & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Cùm ingrederetur mundũ, foueam non reperit, quia non erat ei locus in diuersorio, ideò reclinatus in præsepio, bestiarum hospitio vsus est. Cùm iam in aëre pendulus è mundo vult excedere, iam nec nidũ in arboris Crucis reperit, vbi requiesceret, ideò inclinat caput & in aëre pendulũ relinquit. Magnæ paupertatis erat Iacob, cùm volẽs requiescere longo itinere fatigatus, non habuit nisi lapidẽ quem supponeret capiti suo, *Gen.* 28. Sed maior multò est paupertas Christi, qui longissimo vitæ & passionis itinere exhaustus cupiens tandem vel in Cruce requiescere, ne lapidem quidem habuit in quo requiesceret. Videte vos ô vulpes & aues, auari & ambitiosi, inquam, qui foueas vestras in thesauris, nidos in dignitatibus ædificatis, quàm dissimiles Christo sitis? Consolamini vos ô pauperes, qui vbi pedem ponatis in hoc mundo, non habetis, quia Dux, antesignanus & frater vester Christus est.

I.
VIII.
Vt postulatis nostris annueret.

OCTAVÒ, Vt petitionibus nostris annueret. Auersus olim ab orationibus nostris videbatur Deus, quemadmodum conqueritur sæpius Dauid Ps. 12. *Vsquequò auertis faciem tuam à me?* Et Psal. 87. *Vt quid Domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me?* Nimirũ in profundo hærebamus & lethali infirmitate opprimebamur; quid mirum si vox nostra ab excelso Deo non audiebatur? id cõsiderantes viri Sancti, ad Deum sedulò clamabãt vt se ad nos inclinaret. Ita Dauid Psal. 16. *inclina aurem tuã mihi & exaudi verba mea.* Idipsum petit Ps. 30. & 70. 85. & 87. ita Ezech. Esai. 37. *Inclina Domine aurem tuam & audi.* Ita Baruc c. 2. *Inclina aurem tuam & exaudi nos.* Daniel. c. 9. *Inclina Deus meus aurem tuam & audi.* Porrò vt aduertit Euthymius in Psal. 16. inclinatur auris cùm inclinato capite alicui ex his vocis condescendimus: vt solet Medicus ægro, procerus humili. Quod igitur antea obtineri à Deo non poterat, hoc à Christo in Cruce obtentũ est, cùm inclinato capite aurem quoque suam petitionibus nostris inclinauit; neque ad id solùm vt audiret, verùm etiam vt in causam nostrã propenderet atque adeò assentiretur nobis; proptereà nõ aures, sed aurem inclinauit, dum ad dexterum latus, (vt picturæ Crucifixi innuunt & verisimilius ait Barradius *ad cap. 19. Ioan.*) caput inclinauit. Videtur mihi nunc Samson noster Christus iamiam dormiturus in sinu vxoris suæ Ecclesiæ, caput reclinare, *Iud.* 16. vt sicuti arbore in terram inclinata fructus eius diripiuntur: ita liberum sit cuique petere & impetrare à Christo quæ cuique salutaria. Videtur mihi Elias igneo crucis curru iamiam tollẽdus à nobis velut Elisæo dicere: *Postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te*, vt habetur 4. *Reg.* 2. Igitur quando res ita se habet: Quod si Domine, bonis fortè temporalibus & amicis exuti ad inopiam redigeremur: num tu velles curam nostri gerere? Inclinat caput & annuit. Quid si morbis & infirmitatibus opprimeremur: num tu opem, robur, solatium dare nobis velles? Inclinat caput & annuit. Quid si fortè à charitate excideremus tua: num tu gratiam tuam pœnitentibus rursum impertire velles? Inclinat caput & annuit. Quid si fortè, quod auertas, enormiter offenderemus, etiamnum velles? Inclinat caput & annuit. Quid si fortasse septuagies septies in die peccaremus: idne etiamnum velles? Inclinat caput & annuit. Quid si cum morte luctari aliquando debeamus: num tu manum nobis auxiliatricem porriges? Inclinat caput & annuit. Quocirca procidamus nũc & dicamus: *Sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum, Amen.*

§. XLI.

Prodigia in morte Christi.

Quibus de causis in cælo & terra facta sint, ac	5. *Apertio monumentorũ multorumque resurrectio: quæ omnia mysticè fiunt in pœnitente. His subiunguntur fructus prodigiorum.*
1. *Cur defectio solis.*	
2. 3. 4. *Cur scissio veli & petrarum; cur terræ motus.*	

THEMA.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt, &c. *Matth.* 27.

GRauissimis de causis varia in morte Christi, tã in cœlo quã in terra facta sunt pro- A.
digia,

digia, Primò quidem vt crucis Christi ignominia miraculorum gloriâ compensaretur, & dum vnâ ex parte Christus in cruce & morte ostenditur verus homo; ex altera ostenderetur simul esse Deus. Hinc fides, quæ crucis ignominiâ eneruari poterat, miraculorum gloriâ roborata est, quæ tantò erant maiora, quantò maior ignominia crucis. Secundò vt hac, quâ poterat, ratione, tota mundi machina cœlum, terra, elementa suo condolerent factori. Si enim Rege mortuo tota perturbatur & tabescit aula: cur nō & mundus totus conditore suo mortuo? Denique vt Iudæorum scelus elementa & creaturæ mutæ coarguerent ac quodāmodo in eos insurgerent. *Ad hoc enim* (Deicidium) ait S. Bern. serm. fer. 4. hebd. pœnosæ, *expauit tota machina mundialis.* Et S. Leo serm. 10. de pass. *Vocibus his vestris stultis*, inquit, *reddunt omnia elementa responsum & vnam in vos sententiam ferunt: cœlum, terra, sideraque indignos vos suo ministerio protestantur*, &c. Verùm videamus hæc ostenta.

3.

B. I. Defectio solis. 1.

PRIMVM, Defectio solis super vniuersam terram. Facta est hæc, Primò vt ignominiam Christi in Cruce denudati sol modo aliquo tegeret adeoque temperaret. Dum Cham illudit patris nuditati, Sem & Iaphet tegunt eam pallio, faciem auertentes, *Gen.* 9. Ita dum impij Iudæi illudunt Christo patri & factori suo in Cruce denudato, Sol & Luna faciem suam ab eo auertunt eumque pallio tenebrarum contegunt. Ita natura eum tegit, quem liberum arbitrium detegit & pudefacit. Vnde Hier. *in Matt.* ait; *Videtur mihi sol retraxisse radios suos ne aut pendentem Dominum videret, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur.* Faciebat ergo sol ne impij cum gaudio viderent Christi nuditatem eique insultarent.

2. Secundò, Vt ostenderet occidere tunc verum solem, qui creauit solem & Lunam omniaque elementa; obscurari etiam omnes eius excellentias, gloriam, potentiam, sapientiam, vitæ famam. Primario enim lumine, à quo cœli lumina omnem suum splendorem obtinent, extincto, quid mirum si extinguantur & ista? Sanè deleto sole, deleretur etiam lumen stellarum & lunæ quod ab ipso mutuant.

3. Tertiò. Vt ostenderet Christum verū Deum fuisse, adeoque errasse Pilatum, Pontifices, Iudæos, & in tenebris ambulasse. His ergo tenebris quasi muta solis voce dicere voluit Deus, quod in monte Tabor dixit de Christo: *Hic est filius meus charissimus*, qui vnà mecum lucem & solem creauit: qui mundum posset subtracto lumine perdere, cui proinde cœli nunc debitum cultum exhibent. Signum quærebant aliquando Iudæi videre de cœlo. Ecce igitur signum tale, sub meridiem tenebræ. Mirabilius erat talia efficere, dum esset Christus in cruce, quàm dum adhuc ambularet in terra, imò quàm ex cruce descendere. Nam si ab eo hæc facta esse putabant, timere ac credere debebāt: si non ab eo, sed à patre; debebant tamen propterea commoueri atque compungi. *Iram enim Dei propter facta ipsorum commotam esse, tenebra illa significabant*, inquit Chrysostomus in hunc Matthæi locum.

Quartò, Vt iusta funebria creatori suo sol persolueret. Vt enim moriente patrefamilias tota domus pullis vestitur, in signum luctus, ita mundus iste tenebris vestitus est, cùm Dominus eius mortem iamiam oppetiturus erat. Condolent ergo Christo creaturæ irrationales, vt confundant nos, si ei non condoleamus, qui causam morti eius dedimus. 4.

Quintò, In detestationem sceleris Iudæorum, quasi indigni essent, quos aspicere sol deberet, & digni quibus subduceretur verus sol Christus eiusque Euangelij lumen, vt imposterum in tenebris cæcitatis & ignorantiæ permanerent. Dicebāt Iudæi: *Tolle, tolle hunc.* Quasi dicerent id Sap. 2. *Grauis est nobis etiam ad videndum.* Itaque & sol noluit eos aspicere & sic quodammodo clamauit: *Tolle, tolle* istos & disperge in nationes. 5.

SECVNDVM, Scissio veli templi. Facta est hæc, primò in detestationem sacrilegij, quod commiserūt in Deum Iudæi. Si enim summus sacerdos Caiphas, cùm audiuit à Christo ipsum esse filium Dei, quasi hoc blasphemum esset, scidit vestimenta sua, in signum doloris: decuit vt Deus etiam huiusmodi signum daret in detestationem sceleris Iudæorum. Velum igitur templi scidit, quo ipse quodammodo amictus & velatus erat. Dauid audito Saulis interitu & strage exercitus Israelitici scidit vestimenta sua, vt dolorem suum testaretur, vt hoc pacto Sauli parentaret. 2. *Reg.* 1. Scidit ergo & templum seu potiùs Deus in templo sedens vestimentum suum percepta Christi nece, qui templi Dominus erat. Humanitate Christi diuisâ in corpus & animam, scissum est similiter velum in duas partes. C. II. Scissio veli templi.

Secundò, Ad indicandum reserata nunc esse mysteria veteris legis nec non sancta sanctorū, id est, gloriam cœlestem patere beatis; Tunc enim SS. Patres cœperunt gloriam Dei cernere, & deinceps omnibus patuit cœli ianua. 2.

Tertiò, Vt ostenderet scissionem & abolitionē legis Iudaicæ & transmigrationem Dei à synagoga ad Ecclesiam. Ad idem indicandū scribit S. Ephrem ser. de passione Domini, tunc temporis columbam è templo euolasse, vt indicaretur migrasse à templo Spiritum S. eiusque gratiam. *Sicut enim gloria domus est*, ait S. Chrysostomus hom. 2. de Cruce & latrone, *vbi velum pendet habitante intrinsecus Domino domus: Sic ignominia templi est, vnde recessit Spiritus sanctus.* Nimirum tunc impleri cœptum id Domini: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* 3.

TERTIVM, Terræ motus; qui primò factus est in detestationem sceleris Iudæorum, quasi terra contra eos rugiens os suum aperire vellet ad eos deuorandos: quod vtique contigisset, nisi pro illis in Cruce Christus orasset & terram cohibuisset. Tantum ergo id scelus erat, vt illud sustinere terra non vellet. D. III. Terræ motus. 1.

Secundò, Ad honorem & maiestatem Christi è mundo egredientis & Limbū ingredientis. Solent enim ciues ad introitum magno- 2.

rum

rum Principum bombardas explodere. Aliàs quando cum triumpho Christus ingressus est Ierosolymam, *commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?* Quis autem dubitat Limbum patrum simili modo commotum esse ad ingressum Christi dicentis: *Attollite portas principes vestras*, &c. ac quodammodo respondisse; *Quis est iste Rex gloriæ?*

3\. Tertiò, Vt doceret tremere peccatores. Tremit enim terra quòd innocens Christus tam seuerè plectatur ob peccata aliena: quomodo non tremat peccator, plectendus ob sua propria? Sanè tremor ille Dei iram ingratis imminentem innuit. Legimus *Matth.* 22. Regem illum, qui tauros & altilia sua occiderat & omnia parauerat, cùm inuitati venire nollent, iratum fuisse & missis exercitibus suis perdidisse illos & ciuitatem eorum succendisse. Qui sanè non tam vehementer excanduisset, si tauros & altilia sua non occidisset, maximéque impensis cœnam non parasset. Ostendit ergo hic terræ motus iram Dei vehementer accensam esse contra illos, qui Christi mortem & passionem spernunt sibique non applicant.

E. IV. Scissio petrarũ. 1. QUARTUM, Scissio Petrarum, primò arguebat Iudæorum corda saxis duriora: si quidem his creatori suo compatientibus, illi non sunt compassi. Vnde exclamat S. Ambrosius l. 2. in Lucam: *O duriora saxis pectora Iudæorum! Finduntur petræ, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet orbe concusso:* Dixerat aliquando Christus Luc. 19 *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Clamauerunt ergò nunc tacentibus præ metu hominibus lapides & Christum Deum testati sunt, nec tamen id audierunt nec crediderunt Iudæi.

2\. Secundò, Prænuntiabat findenda per passionem Christi, saxea plurimorum pectora & scindenda ad pœnitentiam.

F. V. Apertio monumentorũ & resurrectio multorũ. 1. QUINTUM, Reseratio sepulchrorum & resurrectio multorum sanctorum; significabat Primò: Per mortem Christi spoliandam esse mortem & vitam nobis immortalem donandam. Quemadmodum Dominus in suscitatione Lazari clamans: *Lazare veni foras*, mortuum è sepulchro extraxit: ita in cruce cum clamore emittens spiritum sepulchra aperuit & mortuos euocauit.

2\. Secundò, Hoc idem spiritualiter implendum in pœnitentibus, qui se aperturi erant in confessione & mortua corpora, id est, peccata eiecturi.

Mysticè hæc signa fiunt in pœnitente. Spiritualiter hæc prodigia fiunt in corde peccatoris, cùm moritur peccatis & viuere incipit Deo. Primò enim tenebræ in eo sunt, dũ est adhuc in statu peccati. Deinde velum ignorantiæ rumpitur, cùm illustratus cœlesti lumine incipit agnoscere statũ & peccata sua. Postea contremiscit, dum attendit quantum Deum quàm sæpe & grauiter offenderit, quanto in periculo versetur, quàm citò & quàm facilè corpore & animo perdi in gehennam possit. Tum scinditur cor eius per contritionem & emollitur ad pœnitẽtiam per propositũ emendationis ceditque voluntati diuinæ impositum faciendæ. Demum in confessione aperit sepulchrum conscientiæ & educit opera mortua sistitque Confessario: sicque restituitur vitæ gratiæ & dignus fit ingressu ciuitatis Sanctæ, supernæ Ierusalem.

G. VI. Fructus prodigiorum. His prodigijs Centurio & qui cum eo erant commoti, timuerunt valdè dicentes: *Verè hic homo filius Dei erat & iustus.* Hic iam sequuntur fructus prodigiorũ, & Primò: Conuersio Centurionis & qui cum eo erãt: quæ insignis fuit.

1\. Centurio conuertitur. Primò. Quia gentilis fuit. Secundò; Quia vt ait S. Hieronymus in c. 27. Matt. *in ipso scandalo passionis verum Dei filiũ verè, ex toto corde confessus est.* Et S. Ambrosius in Psal. 40. *Quo tempore*, inquit, *iusti plerique nutabant, ipsi certè latebant Apostoli; Carnifex ipse Centurio non negauit.* Tertiò, Quia apertè & seriò Christum confessus est. Glorificauit enim Deum, dicens: *Verè hic homo iustus erat & filius Dei.*

1\. Causa miræ eius conuersionis fuit. Prima: Terræ motus & prodigia alia, iuxta Matthæũ. Videtur Isaias hanc Centurionis cõuersionem præuidisse c. 11. vbi ait: *Glorificabit me bestia agri Dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.* Bestia agri Centurio, de quo Lucas ait: *Glorificauit Deum dicens: Verè hic homo iustus erat.* Qui cum eo erant, milites, Dracones & struthiones nõ malè nominabis. Causam conuersionis horum quæris; quia Christus in Cruce ab omnibus desertus, etiam ab ipso patre, dedit aquas prodigiorũ 7. Verborum, stupendarum virtutum, quibus visis hi conuersi sunt.

2\. Secunda, Secundum Marcum, quia *sic clamans* (voce scilicet magnâ) *emisit spiritum.* Cùm enim vox paulatim deficiat morientes, ita vt clamare nequeant, miraculum vtique fuit, quod Christus clamans expirarit.

Porrò hæc prodigia in Centurione operata sunt, quia ex aduerso stabat adeoque Christum & ea quæ fiebant, sedulò obseruabat. Hinc in corde eius & sociorum, timor ortus salutaris & ex timore pœnitentia. Ergo peccatoribus sedulò legenda, meditanda & obseruanda Christi vita, passio & mors, ad hoc vt compungantur. Nõ sufficit obiter legere, aũdire, videre historiam & instrumenta passionis, Christum in Eucharistia & Missa, &c. attentè expendere oportet & mente reuoluere.

2\. Omnis turba percussit pectus. Secundò, *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur.* Videmus hic quod prædixerat Dominus: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia trahãm ad meipsum*, impleri cœptum esse. Reuertebantur enim isti non modò in domos suas, sed etiam in seipsos; agnoscentes peccata sua, quibus paulò antè Christum ridebant & blasphemabant. En virtutem crucis, quæ timorem hunc salutarem indeq́ue pœnitentiam in horum cordibus excitauit, adeoque tam Iudæos quàm gentiles ad se traxit, mediante haud dubiè oratione Christi, quam in Cruce pro inimicis fudit.

H. VII. Stant à longè noti eius. *Stabant autem omnes noti eius à longè & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.* Vt

à longè ſtarent, fecit partim timor, ne à Iudæis aliquid ob Chriſtum paterentur: partim dolor & compaſſio, quæ eos coram intueri iniurias Chriſto illatas nō ſinebat; quo modo Agar abiecto filio ſuo ſubter vnam arborem, abijt *ſeditque è regione procul, quantum poteſt arcus iacere*, dicens: *Non videbo morientem puerum*, Gen. 21. Prædixit Zacharias c. 2. quatuor imptimis familias ſeorſim Chriſti mortem plancturas, familiā Dauid, Nathan, Leui & Semei. Forſitan hi quatuor ordines ſunt. Primus, Deipara & Ioannes iuxta Crucem. Secundus, Gentiles & Iudæi circa Crucem conuerſi. Tertius, Noti & diſcipuli eius à longè ſtantes. Quartus, Mulieres item ſeorſim eum plangentes. Hi ergo ſuis lachrymis parentabant Chriſto.

Exemplo itaque Centurionis, (verba ſunt S. Leonis papæ ſerm. 9. de paſſione Domini) *contremiſcat in redemptione ſua ſupplicio terrena ſubſtātia, rumpantur infidelium mentiū petræ; & qui mortalitatis grauabantur ſepulchris, diſcuſſa obſtaculorum mora proſiliant; appareant nunc in ciuitate Sancta, id eſt, Eccleſia Dei, futuræ reſurrectionis indicia.*

§. XLII.

De vulnere lateris.

1. *Dantur cauſæ petitionis Iudæorū vt frangantur crucifixorum crura.*
2. *Cur milites frangant alijs, non Chriſto.*
3. *Cur apertum lanceā latus Chriſti, ex mente Iudæorum; quæ cauſa huius vulneris ex mente Chriſti.*
4. *Cur exiuerit ſanguis & aqua.*
5. *Ad quod tempus referatur illud Ioannis:* videbunt in quem transfixerunt.

THEMA.

Vnus militum lanceā latus eius aperuit. Ioan. 19.

A. FVerunt aliquando gentiles Philoſophi (teſte Luciano) qui naturam accuſabant, quòd feneſtram non feciſſet in pectore humano, per quam arcana cordis videri poſſent. Sed minimè expediebat vt hoc faceret natura; nullius enim hominis cor ita vſquequaque purum eſt, vt omnibus placeret, ſi omnibus pateret. Solus Chriſtus Dominus eſt, cuius cor vti omnibus placere debuit, ità & patere potuit. Fecit igitur Dominus feneſtram ad cor ſuum intimè contemplandum, quando latus ſuum aperiri lanceā paſſus eſt. Feneſtram hanc præſignatam crēdimus in feneſtra illa, quam iuſſus eſt facere Noë in ſuperiori parte arcæ *Geneſ.* 6. quam in fine diluuij aperuit & per quam columbam emiſit. Nam & vulnus lateris in fine paſſionis Dominicæ (quæ diluuium quoddam ſanguinis & pœnarum fuit) apertum eſt, & per id emiſſus ſanguis & aqua. Supereſt nunc vt per feneſtram hanc introſpiciamus, quid myſterij in pectore Chriſti aperto lateat.

PRIMÒ, Iudæi (quoniam paraſceue erat) *vt non remanerent in Cruce corpora Sabbato, rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura & tollerentur.* Petierunt hoc illi primò ad ſpeciem ob religionem feſti, more ſuo hypocriticè: ducentes ſibi religioni relinquere illum in cruce per Sabbatum, quem in feſto paſchatis crucifigere non dubitarunt, iterum colantes culicem & camelum glutientes. B. I. Rogant Iudæi vt frangantur Crucifixorū crura, &c. I.

Secundò, Reuerà ex odio & inuidia; Ex odio, vt per crurifragium nouos ei dolores, quem mortuum nondum ſciebant, accumularent & mortē acerbiorem redderent. Ita enim *mali homines & ſeductores proficient in peius*, ait Apoſtolus 2. *Tim.* 3. Ex inuidia, vt ab oculis hominum corpus Chriſti ſimulque memoria eius & mirabilium, quæ acciderant, confeſtim tolleretur. Viderant enim plebem prodigijs commotam & compunctam. En tibi quàm diuerſum beneficiorum Dei effectum in obſtinatis, & in illis, qui nondum obſtinati ſunt; hi enim emolliuntur & flectuntur ad pœnitentiam, illi magis indurantur. 2.

Tertiò, Ex mente Chriſti; quia voluit pro nobis fieri maledictum. Statutum autem erat *Deut.* 21. vt crucifixorum corpora in cruce non remanerent, ſed eodem die ſepelirentur, ne contaminarent terram. Tametſi verò lex illa propriè loquatur tantùm de reis & noxijs, non de innocentibus: voluit tamen Chriſtus eidem ſubiacere, vt ſciremus eum factum eſſe pro nobis reuerà maledictum, quaſi eſſet reus. Itaque non quieuit iræ diuinæ tempeſtas donec Ionas, id eſt, Chriſtus mitteretur in ventrem ceti, id eſt, in cor terræ. 3.

SECVNDÒ, *Venerunt ergo milites & fregerunt crura latronum. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum mortuum, non fregerunt eius crura.* Factum hoc Primò, vt ſcriptura impleretur, quæ agnum paſchalem ita comedi præcepit vt os non comminueretur ex eo, *Exodi* 12. Quod aſſerit Ioannes figuratè de Chriſto intelligendum. Voluit ergo oſtendere Deus ſcripturam implendam eſſe, nolint velint homines. C. II. Milites frangunt alijs crura, ſed nō Chriſto. I.

Secundò, Vt hinc intelligeretur, paſſionis tormenta etſi atrociſſima, non fractura tamen Chriſti fortitudinem, patientiam, charitatem & virtutes reliquas, quas ſignificant oſſa; ſed hæc omnia in finem vſque perfecta & firma ſeruanda, quantumuis Dæmones & hoſtes ea confringere molirentur. Huc vtique reſpexit ſponſa, cùm de ſponſo ſuo Chriſto dixit: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*, Cant. 5. Marmoreæ columnæ, quia infractæ: infractæ verò ſunt, quia fundatæ ſuper aureas baſes amoris patris ſui, & hominum, quorum ſalutem amabat. 2.

Tertiò, Vt ſignificaretur ſimili modo robur & virtutes electorum in maximis etiam tribulationibus non comminuendas; (hi enim ſunt membra corporis Chriſti myſtici) iuxta id Pſal. 33. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur.* Admonet etiam hoc ſuo exemplo Chriſtus fideles omnes, vt in ſuis tribulationibus & perſecutionibus ſint infracti 3.

fracti & vt potiùs mori velint, quàm patiantur sibi frangi robur patiētiæ, fidei cæterarumque virtutum. Laudat hoc nomine Martyres sui temporis S. Cyprianus *ep. ad Mart. & Conf.* vbi inter alia inquit; *Steterunt torti torquentibus fortiores & pulsantes ac laniantes vngulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit saeuiens diu plaga repetita,* &c. Et pòst celebrat præ alijs Mappalicum martyrem, qui inter cruciatus suos imperterritâ voce dixit Præconsuli: *Videbis cras agonem.* Quem & strenuo martyrio exhibuit.

D. III. *Vnus lāceâ latus eius aperuit.* *Ex mente Iudæorũ.*

TERTIÒ, *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit.* Si milites attendamus, inflixerunt hoc vulnus haud dubiè ex nocēdi & sæuiendi libidine, quâ in hostes etiã prostratos & exanimatos solent debacchari; idque forsitan fecerunt in gratiam Iudæorum, vti vult S. Chrysost. Quamobrem Ecclesia lanceam, quæ mortuum Dominum vulnerauit, *diram* appellat; quia in extinctum sæuijt, cuius tamen morte omnes saturati esse deberent. Quare qui mortuis nocere vel detrahere verbis conantur (nisi illi manifestè improbi decesserint) dirum eis vulnus infligunt & crudelius, quàm si inflixissent viuis. Nam, vt ait quidam, *mortuo Leoni barbam vellicare, hominis parum cordati est.* Et Plato *lib. 5. de repub.* ait eos non differre à canibus in lapides sævientibus, eo qui recessit prætermisso. Tametsi verò vulnus hoc non sensit Christus, sensit tamen eius mater, quæ magis erat in amato filio, quàm in seipsa. Ita etiam detractiones mortuorum sentiunt propinqui eorum: proinde ab his abstinendum.

Ex mente Christi.

1. Sed si mentem Christi audiamus, aliæ huius vulneris causæ sunt. Prima, quia cùm homines delinquere soleant omnibus suis mēbris, maximè verò corde, quod est fons peccatorum; (*de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ* ait Dominus Matth. 15.) voluit etiã Christus pati in omnibus membris; è quibus solũ cor supererat, quod proinde lanceâ transfixum est, vti & ipsum à veneno peccatorum in nobis expurgaretur. Ex quo etiam discamus cor hominis post mortem eius à Deo aperiendum (quod nunc latet) & strictè examinandum. Væ illis qui veneno plenum gerunt & occultant! quàm ibi dirum vulnus accipient! Multi in confessione patiuntur sibi à confessario perfodi ac lustrari membra externa, id est, peccata externa: sed non item cor, id est, peccata occulta, quæ in pectore recondunt.

2. Secunda, Vt hoc vulnere amorem erga nos suum testaretur, tùm quia cor, quod iam olim saucium erat amoris vulnere, nunc iterum sauciari voluit lanceâ, iuxta id Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea, vulnerasti cor meum* (ex secundo hoc vulnere lanceæ, primum illud demonstrans amoris. *Quis enim cor suum ferro vulnerari permitteret, nisi priùs amoris illius vulnus accepisset?* inquit S. Bern. *ser. 2. de passio.* Vbi vides Christum verè Pelicano similem factum, quia de pectore suo elicuit sanguinem vt viuificaret pullos suos, peccati veneno enectos; tũ quia etiam sanguinē illum, qui adhuc residuus erat in corde velut in thesauro repositus pro nobis, aperto latere fudit; vt intelligeremus nihil ei tam charum fuisse, quod non libenter pro nobis expenderet, imo si opus foret, paratum se iterum pati etiam post mortem. Vnde S. Cypr *serm. de dupl. mart.* ait; *Totum effudit spiritum, vt nos respiraremus: quidquid erat humoris aquei reliquũ expressit, vt nos ablueremur: quidquid resederat in corde sanguinis emisit, vt nos confirmaremur.* Nos thesaurum repositum, vltimo & nō nisi extremâ necessitate expēdimus. Christus thesauram sanguinis repositum in corde etiam post mortem aperuit & effudit nobis. Vnde latus eius apertum, non transfixum dicitur à Ioanne. Cor ergo Christi sit nobis quasi vasculum thesauri (Ein Sparbüchs) lato quidem sed angusto foramine (quale effecit lancea) insignitum, vt non facilè prodigamus eum.

Tertia, vt sui erga nos amoris signum indelebile sibi insculperet. Ferunt Hispanicarum rerum scriptores (Roderic. Toletan. & Ioan. Vasæus) Sanctium Regem, cùm hostes vrbem ingrederentur & matrem eius lanceâ confodissent; infantem ex vtero per foramen vulneris manum protendisse indeque incolumem eductum. Consimili puerperio & nos à Christo iam occiso per vulnus lateris eius geniti & educti sumus. Huius igitur tam dolorosi puerperij admonet nos vulnus lateris. Ecce tibi Euã ex latere Adami dormientis procreatam, hoc est, Ecclesiam è latere Christi somno mortis consopiti. Cùm ergo intueris statuã Christi monstrantis digito vulnus lateris, cogita quanto eius dolore & vnde prognatus sis, quãtum te amarit & amari à te velit. 3.

Quarta. Vt asylum vitæ nobis panderet.
Vnde S. Augustinus ferm. 120. in Ioan. scribit: 4.
Vigilanti verbo Euangelista vsus est, vt non diceret: Latus eius percussit aut vulnerauit, aut quid aliud, sed aperuit, vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitã, quæ vera vita est, non intratur. Hæc Aug. qui ibidē ait: *Hoc prænunciabat; quod Noë in latere arcæ ostium facere iussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura.* Quoties ergo tentatio exurgit, vel tribulatio nos premit, ad hoc asylũ fugiamus ibique habitemus donec transeat tempestas. Sic monet Isaias c. 2. dicens: *Ingredere in petram & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* Petra quid nisi Christus? fossa humus, quid nisi eius vulnus est? Similiter Ieremias c. 48. *Habitate*, inquit, *in petrâ habitatores Moab, & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Ibi habitare consueuit S. Elzearius Comes, qui ab vxore diutiùs absens & per internuncium requisitus de rerum successu & salute, ei respondit: *Sanus sum corpore & sospes. Si autem videre me desideras, quære in vulnere lateris Christi: illic habito, ibi me inuenies: frustrà alibi quæsitura.* Sur. in vita to. 5. c. 30. Habitabimus in hoc vulnere, si passionem Domini sedulò meditemur & nobis applicemus. Sed & si ad vitam beatam tendimus, per hoc vulnus ingredi debemus, mediante aquâ

& sanguine, hoc est, per Sacramenta, baptismum præsertim & pœnitentiam.

E. IV. Exit sanguis & aqua. QUARTÒ. *Et continuò exiuit sanguis & aqua.* Triplex hoc miraculum fuit. Primum, aqua in corpore Christi, miraculosè generata (neque enim elementaris humano corpori bene affecto inest, nisi statim à potu) Secundùm, quòd effluxerit è mortuo corpore sanguis, quod aliàs non fit. Tertium, quòd discretè, non permixtim effluxerit sanguis & aqua, alioqui discerni non potuissent.

1. Miraculi huius prima causa est, vt veritas humanæ Christi naturæ comprobaretur contra Simonem & Manetem qui, phantasticum corpus tribuebant Christo. Hinc 1. Ioan. 5. dicitur: *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ:* (Christo videlicet) *spiritus, aqua & sanguis.* Spiritus, quia moriens emisit spiritum: aqua & sanguis, quia è corpore eius fluxerunt. Aqua ostendit compositum fuisse è 4. elementis, sanguis è 4. humoribus. Ita D. Thomas 3. p. q. 66. art. 4. ad 3.

2. Secunda, vt significaretur nouæ legis Sacramenta eorumque efficaciam deriuari è vulneribus & passione Christi ad abluendas & sanctificandas animas. Aqua baptismum, sanguis Eucharistiam, duo potissima Sacramēta, quorum primo nascimur, secūdo pascimur, denotat, sub quibus continentur reliqua. Vnde in Missa Sacerdos aquam miscet vino. Sciamus ergo quoties accedimus ad aliquod Sacramētum, toties applicare nos os ad latus Christi, indeque haurire pretiosum illū liquorem, qui purificat animas nostras; iuxta id Isai. 12. *haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* Quare sicut infantes cum auiditate arripiunt matrum vbera, sic nos deberemus arripere Sacramenta, præsertim Eucharistiam.

3. Tertia, Vt significaretur effectus passionis & efficacitas: abluit enim peccata instar aquæ, & purificat instar sanguinis, restinguit etiam ardorem nostrarum cupiditatum & extinguit sitim desideriorum. Quare quòd olim petra percussa produxit aquam ad restinguendam sitim Hebræorum in deserto peregrinantium. Num. 20. id nunc in Christo impletum est. Nec malè S. Hieronym. in cap. 3. Ioan. *Exijt,* inquit, *aqua ad abluendum fideles, sanguis ad damnandum incredulos.* Similiter S. Cyrillus Catechef. 13. *Iudæis quidem sanguis,* inquit, *Christianis verò aqua: illis quidem tanquam insidiatoribus ex sanguine condemnatio: tibi verò nunc credenti per aquam salus.* At que ita Christus iuxta Cantic. cap. 5. *Candidus est & rubicundus.* Candidus bonis, rubicundus & sanguineus improbis & ingratis.

4. Quarta, Vt appareret summa amoris eius profusio. Fuderat iam sanguinem, qui in cæteris membris erat: modicus adhuc supererat in corde, quò nec claui penetrare, nec spinæ poterant pertingere; Admisit ergo lanceam, vt illum etiam effunderet indeque nobis certum faceret, nō solùm abundans pretium pro nobis exsolutum, sed & iram omnem contra nos conceptam, extinctam & sedatam esse; siquidē ira secundum Philosophos est inflammatio sanguinis circa cor. Postquam ergo & à corde sanguis effusus est, nulla iam inflammatio sanguinis in Christi pectore locum habebit; dummodo eum sanguinem nobis applicemus, nec instar aquæ effundamus.

F. V. Testatus id Ioannes. Videbūt in quem transfixerunt. QUINTÒ, *Et qui vidit testimonium perhibuit & verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, vt vos credatis. Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerūt.*

1. Posterior hæc scriptura ad triā tempora referri potest. Primò ad tempus passionis Christi, sensu literali. Tunc enim iuxta illā Zachariæ prophetiam c. 2. effudit Deus super domum Dauid & super habitatores Ierusalem spiritū gratiæ & precum, seu, vt alij legunt, misericordiæ vel miserationis, quando eorum cordibus inijcit hunc timorem & gratiam, vt prodigijs cōmoti percuterent pectora sua & resoluerentur in lachrymas, Christo compatientes & precantes vt sibi ignosceretur. Et tunc factum est id, quod subdit propheta: *Aspicient ad me, quem cōfixerunt, & plangent eum,* id est, me. Aspicient, inquam, non iam odij & inuidiæ, sed timoris & commiserationis oculis. Quo etiam modo aspexit eum Centurio & qui cum eo erant, quando eum iustum & filium Dei professus est. Ita Alph. à Castro, Arias, Salmeron, Corn. à Lap. ibi. Atque ita videmus impletam hīc figuram serpentis ænei in aëre suspensi, quem qui aspexerunt, sanati sunt. *Num. 21.*

2. Secundò, Symbolicè ad tempus excidij Ierosolymitani, quo tempore saltē aliqui agnoscentes quòd ipsi vel parētes eorum Christum crucifixerint indeque angustię obsidionis profluerent, ad Christum conuersi sunt atque ita ad eum aspexerunt crucifixum; Vti applicat Cyrillus & Eusebius *l. 3. demonstrat. c. 5.* Tunc haud dubiè dixerunt, quod Iosephi fratres, cùm ad angustias redigerentur: *en sanguis eius exquiritur,* Gen. 42.

3. Tertiò, Anagogicè ad tempus iudicij, quando Iudæi aliique impij, qui hic noluerunt Christū agnoscere & oculo fidei viuæ aspicere, inuiti agnoscent & aspicient ad suam perditionem, cùm videbunt quem transfixerint & peccatis suis vulnerarint. Hoc sensu accipit & exponit eum locum S. Ioannes *Apoc. 1.* cùm ait: *Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt; & plangent se super eum omnes tribus terræ.* Plangent se, id est, propriam mortem & damnationem. Se, id est, sua scelera, quæ Christi passioni causam dedēre: Suam ingratitudinem quā passionem illam sibi inutilem & frustraneam fecerunt: Suam dementiam: quā sibiipsis perniciem suam pararunt. Plangent super eum, quòd eius cruciatus & dolores, crucem & mortem nihili fecerunt: quòd immensum eius amorem, quo ea omnia in se suscepit, nunquam expenderunt. Quare ne tunc serò nimis Christum aspiciamus & cum impijs plangamus, aspiciamus eum nunc & plangamus cum pijs & pœnitentibus. Horum è numero fuit Abbas Stephanus *in prat. Spir.*

Spir.c.64. qui dicebat: *Ego die noctuq; nihil aliud aspicio nisi Dominum nostrum Iesum Christum in ligno pendentem.* S. Elzearius Comes Arriaui Crucifixum semper intuens nullâ afflictione vel molestiâ commoueri poterat ad iram vel impatientiam. Miranti hoc Delphinæ coniugi dicebat: *Explicabo tibi arcanũ pectoris mei. Noueris me interdum sentire aliquam indignationem in animo aduersus infestantes me, sed ilicò me conuerto ad cogitandas iniurias Christo illatas eumque imitari cupiens dico mihi ipsi: Etiamsi famuli tui barbã tuam conuellerent & colaphos tibi infringerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui maiora perpessus est; certumque habeas, Delphina, me nunquam cessare à commemorandis iniurijs Saluatoris mei, donec animus meus plenè sit tranquillatus.* Vt in eius vita. S. Elisabetha regis filia, cùm ante crucifixi imaginem orans, Christi confusionem & paupertatem, sui deinde corporis ornatum consideraret, pudore simul & timore correpta corruit exanimis ægreque ad se reuersa statuit vitam mutare Christique humilitatem & crucem imitari, vti reipsa præstitit. Vt in eius vita.

§. XLIII.

Deponitur Christus de Cruce & sepelitur.

1.2.3. Commẽdatur Ioseph qui deposuit corpus Iesu à nomine, diuitijs, iustitia, à Christi discipulatu: Item Nicodemus adferens mixturam myrrhæ & aloes &c.	*4. Describitur monumẽtum in quo corpus Christi positum, qualeque debeat esse cor nostrũ tempore communionis.*

THEMA.

Hic accessit ad Pilatum & petijt corpus Iesu. Matth.27.

A. AFflictissimæ Christi matri, stanti iuxta crucẽ filij iam extincti, videtur accidisse, quod S. Antonio accidit, cùm is in Eremo reperisset S. Paulum primum Eremitam in cella sua mortuum. Cùm enim anxius hæreret Antonius, qua ratione seruum Dei sepeliret more Christiano (neque enim sarculum ad fodiendum habebat) ita vt iuxta senem mori optaret: ecce duo Leones ex interiore deserto prosilientes ad ipsum concitato cursu contendunt, qui vbi ad senem venerunt & defuncti corpus, positâ omni ferociâ quasi columbæ, nõ Leones essent, quo poterant modo venerati essent, pedibus fodere & egerere terram cœperunt, tantamque effecerunt fossam quanta humano corpori humando sufficeret, posteaque recesserunt: Vti scribit in vita S. Pauli Eremitæ S. Hieronymus. Nemini sanè dubium esse potest, stetisse Deiparam iuxta corpus emortuum penduli adhuc filij summâ anxietate, eò quòd desideraret filij sui corpus terræ commendare; nec tamen haberet, qui de cruce id refigeret, nec vbi id reponeret. Cupiebat ergo sine dubio iuxta filiũ mori potiùs quàm feris auibusque expositum videre. Verùm ecce tibi Leones duos vel potiùs columbas, Iosephum & Nicodemum (qui parebant quidem Leones, cæteris Iudæis similes, clam tamen Christi amatores & discipuli erant) qui Christi corpus refigunt & honorificè sepeliunt. Videte, Auditores, Dei prouidẽtiam. Superest vt videamus quomodo id gestum sit.

B. 1. *Venit Ioseph.* PRIMO, *Cum serò esset factum, venit Ioseph ab Arimathæa nobilis Decurio & diues,* &c. Pluribus nominibus commẽdatur hic Ioseph ab Euangelistis, nec immeritò; nam & Isaias c.53. de illo vaticinatus est, cùm ait: *Dabit diuitem pro morte eius.* Commendatur autem à diuitijs, à nobilitate, à munere, quia Decurio, id est, Senator vel Consiliarius (vt ex Græca voce patet) à bonitate & iustitiâ (*vir bonus & iustus*, ait S. Lucas) à Christi discipulatu, licèt occulto propter metum Iudæorum, rursum quia non consenserat consilio & actibus Iudæorum; & quod expectaret regnum Dei.

Commẽdatur. 1. Ex nomine. Primò, Ex nomine; vt ab vno Iosepho è cunabulis leuaretur & educaretur, ab altero de cruce refigeretur & tumularetur. Primo se cõmendauit, ingressus in hanc vitam: alteri ex eâdem egressus. Primo, commisit thalamum matris suæ. Secundo, thalamum sepulchri sui. Congruit nomen loci *Arimathæa*, quod idẽ est ac Deponens. Bene id expressit Marcus cùm ait: *Deponens eum inuoluit sindone.* Rectè Ioseph, id est, filius accrescens; rectè Arimathæus, id est, deponẽs vocatur. Creuit enim virtutibus, cùm ex occulto discipulo factus est manifestus: & cùm timorem mundanum deposuit.

2. A diuitijs. Secundò. Ex diuitijs & nobilitate senatoria. Talis autem à Christo electus est. Primò, quia pauper & plebeius non potuisset impetrare corpus Christi nec pro decentiâ sepelire. Secundò ad solatium diuitum & nobilium, quos hoc facto ostendit Dominus non difficilè saluari posse, si nimirum velint benefacere pauperibus & operibus misericordiæ intenti esse.

3. A iustitiâ. Tertiò, Ex iustitiâ: bonus enim & iustus erat expectans regnum Dei, nec consenserat in Christi necem. Talem elegit Dominus. Primò, quia noluit sibi ab impijs & obtrectatoribus seruitium hoc impendi. Debebatur hæc margarita viro præstantis meriti, non hosti, nõ illusori. Secundò, vt pateret Iosephum nõ tam ob diuitias & nobilitatem, quàm ob virtutem ad hoc electũ esse, adeoque diuitias & generis splendorem tum demum aliquo apud Deum loco esse, cùm virtutibus exornantur. Tertiò vt docerentur superiores, quibus corpus aliquod Reip. cõmissũm est ad gubernandum, vt videlicet sint boni & iusti, vt quærant regnum Dei & iustitiam eius solùsque Dei honorem & salutem subditorum, vt non consentiant vel aures dent malorum consilijs, susurris & falsis delationibus, &c.

4. Ex discipulatu occulto. Quartò, Ex eo quòd discipulus Christi occultus esset; qualis etiam fuit Nicodemus, qui cum vnguento venit adiuuans Iosephum in sepultura

pultura Christi. Tales porrò electi videntur Primò, vt sciamus hos viros, non caruisse merito fidei, licèt occultè tantùm Christum colerent; adeoque fieri posse, vt quis inter hæreticos & infideles degens fidem ac religionem suam occultare possit, cùm eā apertè profiteri ob graue periculum nequit; dummodo præcepta fidei obseruet. Secundò, vt appareat virtus passionis Christi, quæ hoc effecit, vt qui priùs ex timore Christum confiteri non audebant, nunc operibus audacissimè loquerentur & prædicarent. Impletum videtur hic quod respondecat Christus Pharisæis, qui audientes occini Christo à discipulis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, dicebant: *Magister increpa discipulos tuos*. His enim ait Dominus: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, Luc. 19. Tacuere sanè discipuli Christi, tempore passionis & mortis eius. At interim excitauit Dominus occultos suos discipulos, qui velut lapides antea muti erant, vt factis & operibus clamarent Christum benedictum Regem esse.

C. II. Petit à Pilato corpus Iesu. SECVNDÒ, *Introiuit audacter ad Pilatum & petijt corpus* IESV, Petijt hoc Primò, quia non licebat sine præsidis permissu sepelire corpora punitorum: Vti etiam postea sancitum in l. corpora ff. de cadaueribus punitorū. Hoc ergo à Præside petendum erat. Secundò, quia sicut voluit Christus mori & crucifigi ex obedientia & in obedientia etiam præsidis mortalis: ita voluit etiam in & ex obedientia refigi à cruce & sepeliri, adeoque legibus malefactorū etiam in hoc subiacere; monens interim nos, vt de cruce obedientiæ & tribulationis, non conemur descendere, nisi cum Dei licentia seu superiorum. Petijt verò audacter. Primò, quia animum illi addiderant prodigia vtique in Christi morte patrata: populus item ex ijs cōsternatus & magna ex parte in principes sacerdotum commotus (quod docet Titus Bostrensis Episcopus, *in cap. 23. Lucæ*) de vesania sua pœnitens, &c. Sic enim reclusis in latibula noctuis & beluis, prodeunt in lucem aues & iumenta, quæ non sectantur prædas. Secundò, vt hoc facto suo compensaret priorem timiditatem & pudorem, quo occupatus latere studuit. Itaque seipsum hic correxit & collegit animum ad verum & syncerum Christi cultum; periculum enim hic suscepit non tantùm odij Iudæorum, sed mortis etiam & martyrij ob amorem Christi.

(Margin: 1. 2. Audacter. 1. 2.)

Petijt & cum precibus; *Rogauit* enim *Pilatum*, ait S. Ioannes, *vt tolleret corpus Iesu*. Et sunt qui scribant (Ludolphus, & ex eo Mallonius de sacra Sindone, c. 1.) deseruisse Iosephum Pilato nobili obsequio, annis quinque & pro tota quæ ei debebatur mercede petijsse corpus Christi. Quod si verum est, mira est huius Iosephi virtus, qui pretio & precibus nec non capitis & nominis sui discrimine emortuum Christi corpus redimere non dubitauit, præclaro documento, vt nihil non facere & perdere parati simus, quo Christum lucrifaciamus cum Apostolo ad Philip. 3. dicente: *Propter quem omnia detrimentum feci & arbitror vt stercora vt Christum lucrifaciā*. Et vt pro toto nostro seruitio, quod Deo impendimus, aliud nō petamus quàm Christum: exemplo S. Thomæ Aquinatis, qui pro scriptionis suæ labore nil aliud petijt quàm Christum ipsum. Cæterum hanc charitatem, citò ei remuneratus est Christus, si S. Gregorio Turonensi credimus, qui l. 1. hist. c. 21. scribit Propterea apprehensum à sacerdotibus Iosephum & in carcere inclusum fuisse; sed resurgente Domino, noctu parietes custodiæ in sublimi suspensos, liberam ei ad egrediendum viam fecisse, posteaque rursum parietes in pristinum restitutos.

D. III. Miratur Pilatus obijsse iam Christū. TERTIÒ, *Pilatus autem mirabatur, si iam obijsset. Et accersito Centurione, interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cùm cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph*. Miratus est Pilatus Primò, quia aliàs cōmuniter crucifixi diutiùs viuebant in cruce, non enim tot tantisque tormentis priùs exhauriebantur: quod in Christo factum esse non expendebat: & forsitan non sciebat; vltrà enim modum à Pilato præscriptum deseuijsse milites & carnifices in Christum facilè apparet. Secundò, Quia fortasse plusquam humanas vires Christo inesse opinabatur, eò quòd is se filium Dei minimè abnuisset.

(Margin: 1. 2.)

Donat corpus Ioseph. Cognitā ergo Christi morte ex Centurionis assertione, donauit corpus Ioseph. Magnum & nullum donum. Magnum, si rem donatam & Iosephi mentem aspicias: nullum, si Pilati: Hic enim inprimis donare noluit Christum nisi mortuum. Deinde pro dono vult haberi corpus, quod ipse teruncio non emisset, sed feris & volucribus reliquisset. Ita ferè donat mundus, deteriora scilicet & corrupta, quæ noluit dare cùm essent integra & vtilia: & tamen interim ea prædicat & vult magni fieri. Significabat tamen hoc Christum nullo pretio dandum esse fidelibus, adeoque fore donum quoddam optatissimum & cœleste omnibus, qui desiderant illum. Item quàm vili imò nullo pretio sæpe distrahendus sit à malis Christus.

E. IV. Venit Ioseph. QVARTÒ. *Venit Ioseph & tulit Corpus Iesu*, Primò autem mercatus est sindonem mūdam. Non eam accepit de linteis suis domesticis, sed nouā emit, tum ob dignitatem & reuerentiam corporis Christi, tum quia ex ipso decorem & venerationem acquisitura erat, non ab alio: tum ob mysterium, quia per mortem Christi omnia innouanda erant, vnde nouā inuoluitur sindone, nouo tumulatur sepulchro: ita nouus homo debet esse Christianus vetere exuto, *noua sint omnia, corda, voces & opera*.

(Margin: 1. Mercatur sindonem.)

2. Deponit de cruce. Secundò, Deposuit de cruce, maximo humilitatis & amoris Christi exemplo. Crucē enim quam Iudæi ne tangere quidem volebant, applicitis scalis ascendit, clauos extrahit, corpus demittit. Discant hic nobiles ac diuites Christum non erubescere. Vt enim nobilis hic Ioseph non modò nobilitatis suæ detrimentum nullum accepit ex hoc facto, sed gloriam potiùs & celebritatem nominis sui: ita nequaquam oberit, sed multò maximè proderit

diui-

diuitum existimationi, si sua obsequia Christo deferant. Sanè Manuel imperator Græcorum lapidem viri magnitudine purpureũ (in quem depositum fuisse Christi corpus post refixionem, donec ad sepulturam pararetur, traditio habet) Epheso Constantinopolim translatum, humeris suis à portu Bucoleontis vsque ad ædem, quæ in turri palatij est, ad honorem Christi gestauit, teste Niceta *l. 7. de Manuele.*

3. *Accipit cooperatorẽ Nicodemũ.* Tertiò, accepit cooperatorem Nicodemũ, & ipsum principem Iudæorum & occultum Christi discipulum. Factum hoc diuina dispẽsatione. Primò, vt Iosephus socium periculosi
1. & fastidiosi laboris nactus in opere confirmaretur, *Frater enim qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, Prouerb. 18. *Et si dormierint duo, fouebuntur mutuo: vnus quomodo calefiet?* Eccles. 4. Calefecit ergo alter alterum in amore Christi & prosequendo opere refixionis ac tumula-
2. tionis eius. Secũdò, Ob mysterium, quo voluit Christus omnia fieri cum charitate. Vt ergo propterea misit binos & binos ad prædicandum, ita vocauit binos ad sepulturam suam.

4. *Affert Nicodemus mixturam myrrhæ & aloes.* Quartò, *Attulit Nicodemus mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum.* Primò factum hoc diuino consilio, non tam vt corpus incorruptum diu seruaretur (siquidem ad hoc extenterari debuisset, quod abhorret dicere) quàm vt virtus in eo corpore honorificaretur, & qui
1. cum ignominiã mortuus erat, cum honore sepeliretur, inquit P. Iac. Gretserus *l. 1. de cruce c.*
2. *37.* Secundò, ad instructionem nostram, vt meminerimus non voluntatem tantùm bonam, sed opus etiam charitatis exhibendum indigentibus, & quidem iuxta cuiusque vires, vt qui diues est domi suæ, diues sit & largus in Deum & pauperes eius.

5. *Inuoluũt linteis.* Quintò, Acceperunt hi duo corpus & ligauerunt illud linteis, inuoluerunt que sindone munda, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis
1. sepelire. Primò, ad reuerentiam corporis Christi, vt supradictum, Secũdò, ad Ecclesię instru-
2. ctionẽ, vt intelligat corpus Christi in Eucharistia puro corde & nouo decreto emendandi vitam in melius, suscipiendum; ob quam causam etiam in altari reponitur super lineo corporali, vt vocamus, non serico vel laneo. Qui pura mente Christum suscipit, in sindone
3. munda inuoluit. Tertiò, quia *Sindon lineus panus est*, inquit S. Remigius apud Palæottum de sacra Sind. c. 2. *linum autem ex terra procreatur & cum magno labore ad candorem perducitur. Designatur quod corpus illius quod ex terra, id est, ex Virgine sumptum, per laborem passionis peruenit*, scilicet ad gloriam resurrectionis.

6. *Ponunt in monumento.* Sextò, *Posuerunt id in monumento*, quod Primò, erat nouum, in quo nõdum quisquam positus erat. Primò. Ne non ipse, sed alius ibi sepultus, pro ipso surrexisse crederetur; vt scribit
Nouo. Victor Antiochenus, *in c. 15. Marci*: adeòque
1. ne sepulchrum id nõ ab ipso, sed ab alio deco-
2. rem trahere videretur. Secundò, quia Christus nouus homo & nouus Adam fuit, nouo modo conceptus & natus, nouam doctrinam attulit & viuendi rationem nouam docuit, &c. nouum ergo & sepulchrum ei debebatur.

Secundò, Erat excisum in petra. Primò. *Ne si ex multis lapidibus*, inquit D. Hieronymus in 2. *Excisũ in petrã.*
Matth. 27. *ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur.* Secundò. Quia 1.
voluit sepulchrum suum immobile esse, nec 2.
vnquam aboleri, sed extare perpetuum suæ mortis & resurrectionis monumentum: prout hactenus inter tot Ierosolymæ vastationes & Christi inimicos integrum perstitit. Tertiò, Quia etiam Christus huiusmodi petra est & 3.
lapis excisus seu cælatus in passione, clauis, spinis, flagellis, cui inædificata est Ecclesia; de quo lapide dicitur Zach. 3. *Ego cælabo sculpturam eius & auferam iniquitatem terræ illius.*

Tertiò, Erat in horto. Primò, Ex more Iu- 3. *In horto.*
dæorum, qui in hortis & similibus locis sepulchra sua habebant. Secundò. Quia in horto pa- 1.
radisi cœpit nostra perditio; ergo & in horto 2.
rectè finitur: & incipit nostra salus, quã reducimur ad verum paradisum. Tertiò. Ob spem 3.
resurrectionis Christi, ipse enim granum frumenti erat iamiam resurrecturum cum fœnore: meritò igitur in horto seminatum & terræ commendatum est.

Quartò. Erat alienum, Iosephi scilicet. Pri- 4. *In alieno.*
mò. Quia nihil in terris proprium habuit vel 1.
quæsiuit. Secundò *Ideò in aliena sepultura poni-* 2.
tur, ait S. Aug. ser. 133. de temp. *quia pro aliorum moriebatur salute. Vt quid ergo ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? Et quid ille tumulus in terris, cuius sedes manebat in cælis?* Nec solùm pro aliorum salute sed etiam pro aliorum peccatis.

Quintò, Erat prope ciuitatem & Golgothæ 5. *Prope ciuitatem.*
locum. Primò, Vt sepulturæ testes etiam inimici essent, & ne quis facilè cogitare posset 1.
furto corpus ablatum esse. Secundò, Vt disci- 2.
puli eo facilè se conferre possent, & quæ fierent, in propinquo intuerentur.

Septimò, Aduoluerunt saxum magnum ad 7. *Aduoluũt saxum.*
monumentum. Primò. Ne quã iniuriã afficeretur corpus vel à bestijs vel ab inimicis Iudæis, 1.
& ne locus esse posset mendacio & figmento Iudæorum, quasi discipuli corpus abstulissent; sicque fides resurrectionis Domini detrimentum vel impedimentum acciperet. Secundò. 2.
Ad maiorem resurgentis gloriam, quem nulla claustra vel repagula detinere in inferno & morte poterant, vti habetur. *Act. 2.*

Octauò, *Mulieres subsecutæ & sedentes contra* 8. *Mulieres sequuntur.*
sepulchrum aspiciebant vbi poneretur. Aspiciebãt, nõ curabant funus, quia ex more Hebræorum viri virorum, fœminæ fœminarum tantùm funus curare solebant, vt docet Baronius *to. 1. in Appendice.* Optimæ mulieres ibi cor & oculos habebant, vbi thesaurus illarum erat.

Mysticè docemur quale debeat esse sepul- *Quale esse cor nostrũ debeat tempore communionis.*
crum cordis nostri, vt in id reponi dignè queat corpus Christi in S. Communione, vbi inuolutum Sindone specierum panis candidarum intret in cor nostrum. Debet enim Primò esse nouum & mundum à peccatis saltem lethalibus, innouatum per pœnitentiam & emen-

2. dandæ vitæ propositum. Secundò, Excisum in petrâ, id est, firmissimâ fide, huius præsertim Sacramenti, præditum; firmissimis item pro-
3. positis fugiendi peccata firmatum. Tertiò, Sit in horto, id est, odoriferis virtutum, humilitatis, reuerētiæ, charitatis, castitatis floribus cir-
4. cumdatum. Quartò, Sit alienum, Deo videlicet resignatum & subiectum vt iam nō ipsi dominemur, sed Deus in nobis dominetur. Quin-
5. tò, Sit propè Golgota, id est, memor sit passionis Dominicæ, cuius memoriale est Eucha-
6. ristia. Sextò, Aduoluatur ostio saxum, id est, custodiantur bene sensus corporis, per quæ velut ostia mors ingreditur & surripit nobis
7. Christum. Septimò, Aspiciamus contra sepulchrum, id est, quotidie inspiciamus cor nostrū per examen conscientiæ, ne iterum perdamus hospitem nostrum seu gratiam eius.

§. XLIV.

Sepulchrum Christi gloriosum.

1. *Ratione corporis Christi.*	4. *Ratione Christi resurgentis.*
2. *Ratione Epigraphes quam fecerunt illi Iudæi*	6. *Ratione honoris sepulchro impēsi à Deo, à principibus & alijs, atque à quotannis repræsentatione.*
3.5. *Ratione principum & custodum metu anxiorum.*	

THEMA.

Erit sepulchrum eius gloriosum. Isai. 11.

A. SI cōtemplemur, Auditores, sepulchra magnatum huius sæculi & sepulchrū Christi, magnam reperiemus inter hoc & illa differentiam. Sepulchra enim diuitum & potentum huius sæculi terminant & claudunt omnem eorum gloriam, pompam, dominatum; At sepulchrum Christi terminauit eius contemptum, dolores & labores; inchoauit verò & aperuit eius gloriam & maiestatem. Principes huius sæculi in vitâ gloriosi sunt, in morte verò inglorij. Vnde *Psalm.* 48. dicitur: *Cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Contrà Christus in hoc mundo fuit *inglorius inter viros*. Isai. 52. Gloriosus verò in morte & sepulchro, de quo idem Isaias cap. 11. dixit: *Erit sepulchrum eius gloriosum.*

Hanc porrò sepulchri gloriam nunc intueamur.

B. I. Ratione Corporis Christi. Gloriosum igitur est. Primò, Si consideremus eum, qui in sepulchro iacuit, qui nequaquam similis est alijs sepultis. Nam Primò alij sepulti, toti ac penitus mortui sunt; sed non eodem modo Christus, qui secundum naturam quidem humanam mortuus erat, corpus tamen in sepulchro diuinitati vnitum habuit, adeoque hac ex parte viuens fuit, quia Deus fuit. Hinc *Psalm.* 3. mortem suam somnum & soporem vocat: *Ego dormiui & soporatus sum & exurrexi.* Vbi ad literam loquitur Dauid de exilio suo, quo ad modicum tempus exulauit ab vrbe & regiâ suâ, ob persecutionem filij sui Absalonis; figuratè tamen Christum notat à Iudæis rebellibus suis filijs exactum in mortē & sepulchrum. Vt ergo Dauid eo tēpore Rex legitimus semper fuit, etsi in suâ regiâ & vrbe non fuit: ita etiam Christus tametsi secundum animam suam cum corpore non fuit, triduo illo mortis: secundum tamen diuinitatem & cum corpore & cū animâ fuit. Vnde bene dicitur dormisse, quia dormiens est quodāmodo cadauer spirans. Quòd ergo sponsa *Cant.* 5. ait: *Ego dormio & cor meum vigilat*, id rectè de humanitate Christi (quæ sponsa diuinitatis est) intelligas. Ipsâ enim dormiente cor & sponsus eius, natura diuina, vigilabat. Veteres sepulcris fortium virorum Leonem insculpebant, teste Pausania in Boeticis, quia dormit Leo apertis oculis. Hic ergò sepulchro Christi debetur, qui dormiuit apertis diuinitatis suæ oculis.

Secundò. Aliorum corpora in sepulchro putrescunt & corrumpuntur. Sed corpus Christi putredini aut corruptioni nequaquā fuit obnoxium, teste Psalte *Psal.* 15. dicente: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Vt explicat S. Petrus Act. 2. & S. Paulus Act. 13. R. Isaac vertit: *Non dominabitur post mortem scolex aut vermis.* Alijs igitur sepultis dominantur vermes, qui corpora eorum depascūt. Vnde illorum sepulchra tametsi foris parent candida & ornata, intus tamen plena sunt vermibus & ossibus mortuorum, Domino teste; sed non ita sepulchrum Christi, quod nullum vermem, nullam admisit putredinem. Arca fœderis ex imputribilibus lignis constabat, Exodi 25. Manna in vrna seruatum ad perpetuam rei memoriam, semper incorruptum mansit, Exod. 16. Similiter corpus Christi putrescere non debuit; tum quia arca fuit ex purissimo & innocentissimo Virginis sanguine operâ Spiritus S. fabrefacta: Tum quia manna fuit omnibus retro sæculis ad alimentum Christianorum asseruandum in vrnâ Eucharisticâ.

SECVNDÒ. Si inspiciamus Epigraphen, quā fecerunt illi Iudæi. Quid enim hi de sepulto Domino dicunt? *Domine*, inquiunt ad Pilatum, *recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuēs*, &c. Ecce titulum sepulti: *Seductor*: quem si rectè inspiciamus, honorificum deprehendemus. Optimè enim dixit Lacedæmoniorum Princeps Agesilaus: cùm quis alium vituperat, in vituperantis mores inquirendum esse priùs, quàm ei fides habeatur, apud Plut. in Lacon. Atqui si in principes Sacerdotum, qui hoc titulo seductoris, notarunt Christum inquiramus, inueniemus eos totos fuisse peruersos, ita vt quæcumque Christus laude digna fecerat, ipsi reprehenderent. Siue enim Dæmones expelleret, dicebant: *In Beelzebub eijcit dæmonia*; siue beneficia in sabbato conferret, dicebant: *Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit*; siue populum erudiret ad salutem, dicebant: *seducit turbas*; siue Cæsari dare tributum iuberet, mentiebantur eum prohibuisse dari; siue C. II. Ratione Epigraphes.

siue peccatores reciperet ad pœnitētiam, murmurabant, *quod cum publicanis & peccatoribus manducaret.* Cùm ergo hoc hominum genus nihil carpere in Christo soleret, nisi bona opera; quid dubitabimus idem eos fecisse in proposito & seductorem vocasse eum, qui reduxit errantes ad viam veritatis? Diogenes audiens aliquando hominem à ... orum peruersorum, calumnijs incessere Platonem: *Obe desine*, inquit, *neque enim tu malè de illo dicendo fidem merebere, neque is te laudando*, apud Stob. Idem prorsus dicere possis improbis Sacerdotibus Christum calumniantibus: Desinite, ô miseri, nemo est, qui vobis credat tantum virum calumniantibus, quemadmodum & nemo crederet ei, qui vos laudaret. Isocratis sepulchro appinxêre veteres sirenem arieti insidentem & cytharam manu tenentem, apud Fab. Paulum in Hebd. *l.* 1. *c.* 3. quòd aureo eloquentiæ suæ flumine auditorum animos attrahere & demulcere solitus esset. Huiusmodi simulachrum appingere sepulchro Christi Iudæi debuissent, si veritatem acu tangere voluissent. Quia enim Dominus diuino suo eloquio audientium animos velut sirenis cantu ad se traxit & ad salutem erudiuit, interim verò in reprobos & contumaces Sacerdotum principes, suis increpationibus arietauit; hinc morum informator & Reductor, non seductor dici debuisset.

D. III. Ratione principū metu anxiorum.

Tertiò, Si consideremus principes metu anxios & consilij inopes, ob sepulchrum Domini. Quia enim audierant eum dixisse, se post triduum resurrecturum: accedunt ad Pilatum & postulant ab eo custodiam sepulchro, sub hoc stulto titulo: *Ne fortè veniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore.* Adhibitis ergo militibus ad custodiam sepulchri, sigillo insuper obsignabant ostium eius, quasi nec militibus satis fiderent. Addit Nicephorus *lib.* 1. *c.* 32. ex veterum traditione, ferreis quasi annulis lapidem ostio affixum fuisse. Et quæ tot consiliorum ac tanti pauoris causa? quia timuerunt, quod euenit, resurrecturum Dominum. Quod enim furtum discipulorum metuere se dixerunt, absurdissimum figmentum erat. Quomodo namque hoc discipuli, vndique dispersi, consternati & inermes efficere potuissent? Mortuum itaque timent Principes viuentes. *Quis vidit*, ait Amphilochius serm. de sepult. Domini, *mortuum asseruari, vel potiùs quis vidit vnquam mortuum belligerare? quis audiuit aliquando mortuum & vndique circumseptum metum eis incutere, qui eum interemerunt?* Rectissimè insculpsissent Iudæi, Lapidi sepulchrali Emblema Q. Martij fortissimj Ducis sepulchro incisum, arietem duobus stantem pedibus & Leporem coram eo mortuum. Aries Ducis fortitudinem, Lepus hostes ab eo prostratos significabat; apud Ioan. Bapt. Pont. *l.* 5. *de prisc. gent. cap.* 5. An non aries Christus Dominus, aries, inquam ille, quē in figura pro Isaac immolauit Abraham inter vepres hærentem cornibus? *Gen.* 22. Occiderunt hunc Iudæi; & ipsi leporum instar, mactatum huncarietem timēt, sepulchrū eius summo studio muniunt, ne videlicet aries hic in eos irruat & arietet. Magna ergo hæc Christi gloria est. Si sic timuerunt mortuum, quomodo timebunt viuum venturum in nubibus cœli? Deinde machinæ & molitiones istæ magis illustrarunt Christi resurrectionem & omnem furti ac fraudis suspicionem abstulerunt. Quis enim posteaquam Christus resurrexit & sepulchrum vacuum remansit, dicere potuit fraudem aut furtum interuenisse post tantam Iudæorum vigilantiam?

E. IV. Ratione Christi resurgentis.

Quartò, Si ad Christum attendamus, omnes Iudæorum machinas in nihilum redigentem & claustra omnia perrumpentem. Sepulchrum erat nouum, in quo nemo alius positus fuit, fuit in petra excisum, fuit grandi saxo occlusum, fuit custodibus cinctum, fuit sigillo munitum; & tamen his nihil obstantibus resurrexit Dominus. Quod vt omnibus palam esset, angelus descendit de cœlo & reuoluit lapidem *non vt aperiret sepulchrum Christo Domino resurgenti*, inquit S. Hieronymus ep. ad Hedib. q. 6. *sed postquam Dominus resurrexit, indicaret quod factum est, & sepulchrum vacuum reuolutione lapidis ostendit.* Penetrauit ergo sepulchrum Dominus per dotem subtilitatis: Confirmatum id est miraculo quod scribit Rupertus Tuitiensis *l.* 8. *de diuinis offic. c.* 4. contigisse anno Domini 1111. Leodij in monasterio S. Laurentij, cùm Sabbatho sancto caneretur Antiphona: *Mulieres sedentes ad monumentum:* Religiosi enim cuiusdam (qui sæpiùs admirabatur quomodo Christus clauso exijsset de sepulchro) cingulum quo succinctus erat, ante pedes eius quasi proiectum exsilijt, non soluto nodo, neque circum crura pedesque descendens. Quâ de re cum mirè attonitus stuperet, vox ad eum quasi sibilus auræ tenuis venit, dicens: *Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.* Vixit tunc in eodem cœnobio Rupertus, qui hoc scripsit, vt habet Baronius anno eit.

F. V. Ratione custodū.

Quintò, Si Custodes audiamus, qui territi ab angelo *facti sunt velut mortui:* postea verò recepto spiritu venerunt in ciuitatem & nunciauerunt principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerunt, atque ita facti sunt præcones resurrectionis Christi, quos Iudæi custodes sepulchri esse voluerunt. Quid igitur ad hoc Iudæi? *Maledictus furor eorum, quia pertinax*, dicebat Iacob *Genes.* 49. præuidens eos in spiritu. Audierant prius à Christo eum post triduum resurrecturum; nunc audiunt à custodibus suis, reuera surrexisse; pergunt tamen in pertinacia, & vt magis pateat eorum nequitia & inuidia, fides item resurrectionis Domini, pecuniâ corrumpunt custodes, vt dicant, furto sublatum è sepulchro corpus à discipulis, dum dormirent ipsi custodes. Ecce testibus vigilantibus ipsi Sacerdotum Principes & Seniores credere noluerunt: reliquos verò Iudæos ijsdem dormientibus credere voluerunt. Si dormierunt milites, quomodo viderunt Christum à discipulis furtim tolli? Crescit igitur gloria Christi & sepulchri eius, ex inanissimis Iudæorū figmentis. Pulchrè S. Augustinus

stinus in Psalm. 65. ridet istum magistratum dicens: *Dormientes testes adhibes: Verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia fecisti.*

G. IV. Ratione honoris, qui sepulchro impensus. SEXTÒ. Si consideremus honorem, qui postea sepulchro huic impendi cœpit & solet in hodiernum. Primò enim cohonestatur id à Deo, dum tot sæculis conseruatum & illæsum in tot vrbis euersionibus, etiam inter ipsos hostes nominis Christiani perseuerat, vbi & Franciscani Patres suum Patriarcham & residentiam habent, & creantur nobiles equites Aurati, &c. Cumque id Saraceni anno 1009. ex Iudæorum instigatione, quassare conarentur, nullo modo valuerunt: vt Baron. anno 1009. scribit. Accedunt alia miracula. Vrbanus Papa Secundus in Concilio Claromontensi meminit perennis miraculi, quod in Ecclesia ad S. sepulchrum fieri consueuit, vt scilicet in ferijs passionis Domini extinctæ omnes candelæ in templo & sepulchro diuinitus iterū accenderentur. Baron. anno 226. Adhæc *terra ipsa*, inquit S. Gregorius Turonensis de gloria mart. c. 7. *insuper quæ Domini adiacet sepulchro, diuinam quandam ex Dominico corpore proximè posito virtutem hausit, vt meritò fideles illuc peregrinantes auidè solerent ex ea accipere, quā tum ad morbos curandos, tum etiam ad Dæmones fugandos vti consueuerunt.* Rursum peccatores magni & hæretici non semel ab eius ingressu diuinitus repulsi sunt. Exemplum de Mariā Ægyptiacā peccatrice notum est. Aliud simillimum de Cosmiana vxore Germani Patricij hæretica narrat Euiratus *in Prato spir. c.* 48. Et simile de Palestinæ Duce, item hæretico c. 49. Ibi peccatores conuertuntur, dæmones fugantur, morbi curantur, teste S. Aug. 22. *de Ciu. cap.* 8. Denique *sepulchrum Christi*, inquit S. Bern. Serm. ad milites templi. c. 11. *inter loca deuotionis tenet quodammodo principatum, & deuotionis nescio quid plus sentitur, vbi mortuus requieuit, quàm vbi viuens conuersatus est, atque amplius mouet ad pietatem, mortua quàm vita recordatio.*

1. *A Deo.*

Secundò. Cohonestatum est à principibus viris, alijsque Christianis qui ex toto Christiano orbe ad illud visendum & venerandum conuolant, non sine amplis muneribus. Cumprunis verò Constantinus Magnus super id extruxit magnificētissimum templum. Baron. anno 326. Quod vbi posteà anno 1009. à principe Babylonis, Iudæorum dolo & instigatione, solo æquatum esset, sæuijt mox vindicta Dei in Iudæos, quando eos Christiani è finibus suis vndique expulerunt & plurimos occiderunt, vt pauci in orbe reliqui fierēt: eodemque anno templum id reparari cœptum maiori decore, plurima ad hoc munera deferentibus Christianis, ex vniuerso orbe. Baron. anno 1009. Quanti porrò exercitus cruce signatorum abierunt relictis patrijs sedibus, bonis, propinquis, ad recuperandum id sepulchrum? quanta gloria Deique præsentis manifesta ope id receperunt è Saracenorum manibus? Qua de re Wilhelmus Tyrius in historia belli sacri. 2. *A principibus alijs.*

Tertiò, Cohonestatur etiamnum singulis annis per omnes Ecclesias, erectis ad memoriam & repræsentationem illius sepulchri, Mausolæis, ad quæ Christiani in triduo mortis Domini suam exserunt deuotionem & pietatem. 3. *A quotannis repræsentatione.*

Quare & nos Auditores, veneremur, quantum possumus, sepulchrum nostri parentis & seruatoris omnium communis. Si enim parentum illorum, qui vitam nobis contulerunt fragilem & multis miserijs refertam, sepulchra in memoria & veneratione habemus; quantò magis illius Patris, qui vitam nobis beatam & æternam comparauit? Veteres amicorum sepulchris insculpsere cordis figuram Plut. teste *l. de fun.* vt hoc symbolo indicarent nequaquam se deposuisse memoriam illorum. Nos ergo sepulchro Christi cor nostrum imprimamus, assiduâ & gratâ memoriâ illud recolentes. *Vbi est enim thesaurus noster ibi, sit & cor nostrum.*

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

Euangelium Marci 16.



IN illo tempore, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valdè manè vna sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole, & dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes, viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ: & obstupuerunt. Qui dixit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

CONCIONES.

I. *Lætitia hodiernæ Festiuitatis.*
II. *Qua ratione Christus vicerit Mundum, Dæmonem, Peccatum, Mortem, Infernum.*
III. *Christus in resurrectione Leo.*
IV. *Circumstantiæ resurrectionis.*
V. *Quomodo cum Christo resurgendum.*
VI. *Alleluia quid sibi velit.*
VII. *De Paschate Christianorum.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Mysteria.*

CONCIO I.

Lætitia hodiernæ Festiuitatis.

Iure meritoque hodie Alleluia cantare;
1. Quia demersa peccata nostra.
2. 3. 4. Quia destructa mors, perfracta inferorum porta, & confusi Iudæi: item gaudium est in cælo, limbo, & terra.
5. Quia hodie cœlum apertum.

THEMA.

Per vicos eius Alleluia cantabitur. Tob. 13.

A. Libro 3. Reg. c. 1. legimus ingentem lætitiam excitatam fuisse Ierosolymis quando Salomon vnctus est in regem. Canebat enim populus tibijs & lætabatur gaudio magno & insonuit terra à clamore eorum. Audiuit autem Adonias qui priùs dignitatē sibi arrogauerat cum conuiuis suis clamorem hunc & Ioab illi adhærens, qui dixit: *Quid sibi vult clamor ciuitatis tumultuantis?* Et respondentes, Salomonem constitutum esse regem à patre, & vnctum à Sadoch Sacerdote & Nathan propheta. Quo audito diffugerunt omnes conuiuæ Adoniæ quemadmodum & ipse. Magnus etiam hodie auditur clamor in vniuerso orbe. Mouetur imprimis terra, perterrentur sepulchri custodes: confunduntur Iudæi: lætantur viciſſim Apostoli Christi cum vniuersa Ecclesia cantante *Alleluia, Alleluia, Alleluia*, quemadmodum de hoc videtur vaticinatus esse Tobias c. 13. dicens: *per vicos eius Alleluia cantabitur.* Quid sibi vult hic clamor? Nil aliud quàm Christum ex mortuis suscitatū à patre, regnare & triumphare in cœlo & in terra. Clamor hic in omnibus totius Ecclesiæ plateis resonat. Fugite iræque partes aduersæ, quæ hactenus regnum vobis arrogastis, Diabole cum asseclis tuis, Peccato, morte, inferno, mundo, romphæâ paradisi flammeâ & versatili.

B. I. *Quia demersa peccata nostra.* Iure meritoque exultamus hodie & cantamus Alleluia. Primò. Quia demersus est Pharao ille tartareus cum curribus & equitibus suis, peccatis, in mari rubro sanguinis Christi: nos autem siccis pedibus transiuimus per mare salui & incolumes dum baptismi & pœnitentiæ sacramentis quasi sanguine Christi abluti sumus à peccatis, iuxta id Michææ 7. *proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Maris amarities, contritionē peccatoris, rubedo virtutem sacramēti è sanguine Christi promanantem indicat. Mare diuisit Moyses virgâ seu baculo suo: Christus aperuit nobis viam cœli ligno crucis suæ. Ibi in vigiliâ matutinâ interfecit Dominus exercitum Pharaonis: hic etiam summo mane, quo surrexit Christus, contriti sunt Diaboli currus & equitatus, qui sunt peccata, quando primò Christus corporaliter, deinde nos spiritualiter resurreximus ad vitam gratiæ. Ibi submerso priùs exercitu, vltimus perijt Pharao (si credimus Hebræis & Abulensi) quò nimirum priùs omnium suorum spectaret cladem, antequam cādem ipse periret, itaque diutius & grauiùs cruciaretur. Hic quoque demerguntur priùs peccata in baptismo & pœnitentiâ, vt hoc videns Diabolus inde crucietur; ad extremum ipse quoque in mundi fine peribit. Ibi viderunt Hebræi Ægyptios mortuos super littus maris, Exodi 14. hic videmus extincta peccata nostra. Quoniam igitur hoc paschali tempore mare pœnitentiæ omnes pertransiuimus & in eo Pharaonicum illum exercitum vtique demersimus: hinc nouum nobis accrescit gaudium. Sanè transeuntibus Israelitis per mare & Iordanem: *Montes exultauerunt vt arietes & colles sicut agni ouium*, teste psalte Psal. 113. quodam more poëtico: Tantum fuit Hebræorum gaudium & exultatio, vt ipsi montes id sentire & vnà cum ipsis iubilare viderentur. Eccur hodie nō & nos præ gaudio exultemus, quando cernimus nos beneficio pœnitentiæ liberatos esse à peccatis nostris?

C. II. *Quia mors deuicta.* SECVNDÒ. Quia hodie mors deuicta & quodammodo occisa est, dumē morte in somnum mutata: quo nomine sæpissimè appellatur in scriptura; eò quòd cum Christo simus resurrecturi suo tempore omnes. Vnde *Oseæ* 13. dictum: *Ero mors tua ô mors.* Quæ verba Apostolus 1. Cor. 15. ex Septuag. paulò aliter vertit illudens morti: *Vbi est mors victoria tua?* quasi dicat: priùs imperabas hominibus, nunc ipsi imperant tibi: priùs terror, nunc deliciæ es mortalium: priùs instar Leonis obuiabas ijs cum rugitu, nunc ipsi in ore tuo deprehendunt dulce mel. Ita enim olim Samson in Leonis ore, quem paulò antè occiderat, sibi occursantem sæuum & rugientem, in reditu inuenit fauū mellis, de quo comedit ipse primùm, attulit deinde parentibus, & vt addit Iosephus atque Ambrosius *epist.* 70. Sponsæ suæ reliquum, *Iudic.* 14. Quid verò Leo rugiens & sæuus nisi mors, terribilium omnium terribilissimum? Hanc ergò dum animosè apprehendit Christus, laniauit & extinxit, ita vt neminem deuorare æternùm posset. Regressus deinde in mūdum Christus in sua resurrectione, inuenit in hoc Leone, dulcissimum quasi mel, gloriam resurrectionis, seu dotes gloriosi corporis: claritatem, quâ solis splendorem excederet: subtilitatem, quâ omnia penetrare: agilitatem, quâ in momento ferri quaquauersum: impassibilitatem, quâ nec mori nec pati quidquam poterat.

poterat. De hoc mellis fauo primus ipse comedit (nam per ianuas clausas ingressus est: in momento venit ad discipulos, & rursum in momento alibi fuit: nihil ampliùs pati potuit) reliquum dedit Ecclesiæ, familiæ suæ. Et forsitan propterea in comprobationem resurrectionis suæ comedit fauum mellis, deditque reliquias discipulis suis, *Luc.* 24. Hoc est illud mel, de quo Tertullianus ait: *Spes Christianorum est resurrectio mortuorum.*

D. III. Quia inferorum portæ perfractæ. TERTIÒ. Quia inferorum portæ hodie perfractæ & ex parte conclusæ sunt; siquidem patres veteris legis in limbo positi, hodie erepti & in lucem è tenebris producti sunt, atque ita occlusus limbus, vt in eam noctem nemo ampliùs descenderet. Purgatorium quoque à resurgente Domino euacuatum, animasque omnes inde liberatas esse existimat Gerson *Alphab.* 83. *l. F.* & alij, quò inclinare videtur Augustinus serm. 137. cùm ait: *De electis fuit nullum apud inferos reliquit.* Et S. Anselm. in Elucidario scribens: *Omnes absoluit & in gloriam duxit rex gloriæ*, iuxta id Isai. 49 *Dicet his, qui vincti sunt: Exite; & his qui in tenebris sunt: Reuelamini.* Sic enim solent Reges cùm alicubi inaugurantur, reos omnes è carceribus dimittere. Et forsan in figurâ huius *Num.* 35. omnes homicidæ inuoluntarij ex ciuitatibus refugij reuocabantur ad suos municipatus, donati libertate. Credibile igitur est Christũ primas indulgentias contulisse in eo articulo omnibus animabus purgantibus: nequaquam verò damnatis, quod sensit Marcion apud Iren. *l.* 1. *c.* 29. Colligitur id *Osea* 13. *c.* in personâ Christi dicente: *Ero morsus tuus, inferne.* Ad hunc locum S. Aug. *serm.* 137. *de tempore*, & ex eo S. Greg. *hom.* 22. *in Euang.* inquit: *Ex eo quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo ex inferno partem abstulit partemq́; reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernũ.* Perruptio hæc inferorũ præsignata olim fuit in magni illius Draconis, quẽ pro Deo colebant Babylonij, diruptione, *Dan.* 14. Massam enim picẽam iniecit in os illius Daniel, & diruptus est Draco. Ita etiam corpore Christi forpto tartarus est diffissus, quia nimirum corpus Christi, vtpote nulli vnquam peccato obnoxium, deglutire minimè potuit, vt exponit S. Chrysostomus *hom.* 38. *in* 1. *ad Corinth.* Clariùs adhuc in portis vrbis Gazæ, quas ibidem inclusus Sãson abstulit à postibus & portauit ad verticem montis, *Iud.* 16. Qua de re audiamus S. Gregorium hom. 21. in Euang. *Cùm Gazam*, inquit, *ciuitatẽ Philisthæorũ fuisset ingressus, Philistæi ingressum eius protinus cognoscentes, ciuitatẽ repente obsidionibus circũdederunt, custodes deputauerũt & Samson fortissimũ se iam comprehẽdisse gauisi sunt. Sed quid Samson fecit agnoscimus: Media nocte portas ciuitatis abstulit, & montis verticem ascendit. Quem fratres charissi hoc in facto, quem nisi redemptorẽ nostrũ Samson ille significat? Quid Gaza ciuitas, nisi infernũ designat? Quid per Philisthæos, nisi Iudæorũ perfidia demonstratur? Qui cùm mortuum dominum viderent: eiusq; corpus in sepulchro iam positũ: custodes illicò deputauerũt, & eum qui author vitæ claruerat, in inferni claustris retentũ, quasi Sãpsonẽ in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Sampson verò mediâ nocte non solùm exijt, sed etiam portas tulit, quia videlicet redemptor noster ante lucem resurgens, nõ solùm liber de inferno exijt, sed & ipsa etiã inferni claustra destruxit, portas tulit, & montis verticẽ subijt, quia resurgendo claustra inferni abstulit, & ascendendo cœlorum regna penetrauit.*

E. IV. Quia cõfusi hodie Iudæi. QVARTÒ. Quia confusi hodie perfidi Iudæi, qui de occiso Domino sibi gratulabantur. Audierũt enim vel à custodibus sepulchri, rediuiuum esse eum, quem exterminatum reputabant, suo ingenti metu & pudore, Christi verò gloriã. Deposuerant Iosephum fratres in cisternam veterem, indeque quasi iam sepultus esset, quem oderant, frater, lætati sederunt ad comedẽdum, *Gen.* 37. At verò vbi postea principem in Ægypto factum viderunt & audierunt, *non poterant ei respondere, nimio terrore perterriti*, Gen. 45. A formidabili enim potentia fratris attoniti & elingues, non nisi certã mortem sceleri suo debitam expectabãt. Idem credo euenisse hodie Iudæis, qui sublato Christo comederunt suum pascha; sed hodie cùm audierunt surrexisse Dominum corpore gloriosum, quis explicare queat, terrorem & stuporem, quo occupati pelli suæ non dubiè metuebant, ne pœnas sui sceleris Christo & Deo darent? Sed quantum inde perculsi & confusi sunt Iudæi, tantum inde gauisa & recreata est Ecclesia, designata in patre Iosephi Iacob, qui audiens viuere Iosephum, & dominari in Ægypto, cùm vidisset plaustra (frumenti) & vniuersa quæ miserat ei Ioseph, reuixit spiritus eius & ait: *sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam & videbo illum antequã moriar.* Gen. 45. Simili enim modo cùm audijt Ecclesia & audit hodieque viuere sponsum suum gloriâ & honore circumdatum summaque potestate præditum, quem ante triduum mori vidit: quando etiam cernit plaustra gaudiorum, quæ ex eius conspectu attulêre discipuli & mulieres: quando intuetur spolia eius, inferis detracta, quæ ab eodẽ accepit, resurrectionẽ carnis, remissionem peccatorum, pacem conscientiæ, virtutem miraculorum, orbis conuersionem, &c. quomodo non potest gaudio perfundi & quodammodo reuiuiscere, tametsi priùs mortua & desperabunda fuisset? Quomodo non dicet: sufficit mihi, si reuixit Dominus & sponsus meus; Vadam & videbo illum; omnem vitæ meæ rationem ita instituam vt videre ipsum in cœlo & gloria sua possim?

Exultarunt impij Iudæi & insultarunt Christo, quando dissoluerunt templum corporis eius; fleuerunt contrà Apostoli cum reliquis fidelibus. At hodie dum cernimus templum illud reparatum longè augustiore formâ, quàm fuerat priùs: quomodo non publicam edimus lætitiam dum contabescunt interim Iudæi? Existimo sanè hodierno die gaudium solemne excitatum esse per vniuersum mundum, & Primò quidem in cœlo à SS Angelis, qui propterea in albis vestibus ad sepulcrũ Domini visi sunt. *Candor enim vestu*, inquit, S.Gre- Hodie gaudium est: I. In cœlo.

S. Gregorius *hom. 21. in Euang. splendorem nostra denunciat solemnitatis. Nostra dicamus an sua?* (Angelorum scilicet) *sed vt fateamur verius, & sua dicamus & nostra. Illa quippe redemptoris nostri resurrectio & nostra festiuitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: Et Angelorum festiuitas extitit, quia nos reuocando ad calestia, eorum numerum impleuit.* Secūdò, Apud inferos in Limbo, cuius tenebræ luce aduentantis Christi depulsæ & è nocte in diem versæ sunt. Ipse Limbus in paradisum mutatus est, quia ibidem patres non modò humanitatem Christi, sed diuinitatem quoque intueri cœperunt. Vnde Origenes *hom. 15. in Gen.* Verbum Christi ad Latronem dictum: *Hodie mecum eris in paradiso*; ad omnes etiam Limbi patres extendit. Ad eorum igitur lætitiam indicandam terræ motus editus est, velut sonitus bombardarum ab aëre subterraneo profectus. Tertiò, in terrâ inter Apostolos ac mulieres Christo addictus, quæ viso Domino plenæ gaudio cucurrerunt ad discipulos dicentes: *Vidimus Dominum.*

2. *In limbo.*

3. *In terra.*

F. V. *Quia hodie cœlū apertum.*

QVINTÒ, Quia hodie cœlum apertum, ita saltem vt patribus & Latroni etsi nondūm inhabitare, introspicere tamen concessum sit & videre omnia bona, quæ in cœlo sunt, quia scilicet lumine gloriæ roborati ad beatificam Dei visionem eleuati sunt. In hunc sensum ait S. August. Serm. 1. in hoc Festum: *Igneam illam romphæam & paradisi ianuam, quam nullus potuit effringere, hodie Christus cum Latrone reserauit.* Hodie Arcā fœderis duce transierunt per Iordanem in terram promissionis primi omnium filij Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse, hoc est, sancti veteris Legis quos secuti deinde sancti nouæ legis, *Iof. 4.* Hodie impletum, quod per os Isaiæ dixit Deus pater filio suo: *Dedi te in fœdus populi vt suscitares terram* (id est, ab inferis euocares Patres terræ incolas) *& possideres hareditates dissipatas* (id est, cœli mansiones, per malorum angelorum ruinam dissolutas) *vt diceres his, qui vincti sunt: Exite; & his qui in tenebris sunt: Reuelamini. Isai. 49.* Hodie enim (vt exponit S. Anselmus *in Elucidario*) vincti illi è carcere in libertatem, è tenebris in cœlestis gloriæ lumen educti sunt, ita vt ipsum Deum & omnia, quæ in eo velut in speculo relucent, primo & vno intuitu aspicerent. Quanto impletos gaudio, quantā raptos admiratione putamus, cùm in abyssum illam & altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei oculos defixerunt? Hi ergò sunt primitiæ cœli & quadraginta pugnatorum millia (*Iof. 4.*) qui nos præcesserunt ad terram fluentem lacte & melle. Quò illi præiuerunt, secuturos nos speramus: ideoque intendamus vires vt assequamur. Nemo nostrûm sit, qui cis Iordanem remanere, in hoc sæculo: nemo qui postremus esse velit. Solent in quibusdam pagis hodierno die certare cursu Agricolæ pro paschali fauo (Umb den Osterfladen) Fauus noster melleus, cœlestis beatitudo est, terra melle & lacte fluens: illuc nos curramus & vincere contendamus, &c.

Conc. Fabri Pars Hyemalis.

CONCIO II.

Quâ ratione Christus vicerit mundum, dæmonem, peccatum, mortem, infernum.

1. *Vicit mundum, subijciendo eum per fidem, & abstrahendo ei amatores suos.*	3. *Peccatum, mergendo illud in baptismo per gratiam & pœnitentiam.*
2. *Diabolum, alligando eum, sinendo eum tentare ad nostram vtilitatem & Dei gloriā.*	4. *Mortē, à quâ surrexit nosque suscitauit &c.* 5. *Infernū, Patres e Limbo reddere coactum.*

THEMA.

Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Psal. 117.

HOdiernæ diei iubilum & lætitiam inter Christianos, præuidisse videtur in spiritu S. Dauid, quando *Ps. 117.* scripsit: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.* Quæ autem sit ista vox, subiungit: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.* Sed qualis ô Dauid, illa virtus & exaltatio? *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes,* inquit, *hic factus est in caput anguli.* Et ad extremum: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Quibus verbis non obscurè victoriam Christi describit, & triumphum: Victoriam in passione, triumphū in resurrectione. Vicit autem Christus quinque acerrimos hostes, Mundum primò *Ioan. 16. Confidite, ego vici mundum.* Secundò Dæmonē: *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter, Col. 2.* Tertiò peccatum: *Vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est, 1. Cor. 15.* Quartò mortem: *Vbi est mors victoria tua? ib.* Quintò Infernum? *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero Inferne. Ose. 13.* Cæterum dubitet aliquis, quomodo victi sint hostes isti, cùm etiamnum dominari videantur? An non mundus hodie quoque regnat in maligno positus? An non infestat dæmon & innumeros illaqueat vt ei seruiant & cultum deferant, magi præsertim & sagæ? An non regnat vsque hodie peccatum in cordibus mortalium? An non omnes morimur, quemadmodum & antè Christum? An non etiam infernus quotidie innumeros absorbet, qui in peccatis moriuntur? Vera sunt hæc omnia: sed interim verissimum est, quod Scriptura asserit, victoriam reportasse Christum & quidem gloriosissimam, de Mundo, Dæmone, peccato, Morte, Inferno. Audite quâ ratione. A.

PRIMÒ, Vicit Mundum. Primò subijciendo eum sibi per fidem & abstrahendo ab Idolorum cultu: quod nemo alius vmquam facere poterat. Tametsi enim multi viri sancti inter gentiles vixerunt, Abraham inter Chaldæos, Ioseph & Hebræi inter Ægyptios, Tobias inter Assyrios, Daniel inter Babylonios, &c. non potuêre tamen per eos abstrahi

B. I. *Vicit mūdum.* 1. *Subijciēdo eum per fidem.*

gentiles à suis persuasionibus & Idolis, vsque ad Christum, qui solus id præstitit, effecitque vt Reges & Imperatores orbis abiectis & combustis Idolis ac Fanis suis ad Christi crucem & Pontificum pedes se abijcerent: absolutionem & benedictionem ab ijs humiliter flagitarent: imò Romanorum Imperatores vsque in hodiernum confirmationem electionis suæ à sede Romanâ peterent. Effecit, inquam, vt Imperatores honori sibi ducerent, si Monachos pauperculos ad mensam adhibere, oculis cernere, salutare, per literas alloqui possent; vt Imper. Constantinus honori sibi duceret, si ad pedes piscatoris, id est, præ foribus templi S. Petri Constantinopoli sepulturam suam haberet, &c. Effecit vt ditissimi quique ingentibus impensis templa, monasteria & Episcopatus Christi seruis fundarent & dotarent, iuxta id *Psalm. 71. Coram illo procident AEthiopes & inimici eius terram lingent, Reges Tharsis & insulæ munera offerent*, &c. Nónne hæc insignis victoria: efficere vt extremæ nationes ad Christi pedes veniant, eius vestigia lambant & leges acceptent? Effecit etiam vt tyranni omnibus suis machinis & molitionibus in nihilum recidentibus Christo, quem extinctum ibant, palmam cedere, & se victos tandem asserere deberent. Sic enim Diocletianus & Maximianus Imperatores ob efflorescentem Christianam religionem quam tantâ persecutione delere non poterant (licèt de eâ deletâ vanè gloriarentur) tabescentes, Imperium deposuêre & priuati sunt mortui, apud Baron. Anno 304. Sic Tiberianus præses qui primæ Palæstinorum genti præerat, ad Traianum retulit, se non parem esse Christianis occidendis, qui vltro supplicia appeterent; vnde Traianus omnibus præfectis suis mandauit, ne eos supplicijs afficerent, vt inquit Suidas, *in histor. verb. Traianus Imperat.* Sic Iulianus Apostata in prælio lethaliter vulneratus ad cœlum exclamat: *Vicisti Galilæe, vicisti*, Theodoret. *lib. 4. histo. Eccles. cap. 25.* Nónne hæc maxima victoria, debilitare & fatigare tyrannos vt tandem Christianis cedere & regna sua concedere debuerint? Tametsi verò etiamnum Turca vexat & affligit Christianos, is tamen non aliter ac Carnifex præ foribus ciuitatis, ad coercendos ciues, vel vti Molossus pastoris ad retinendum in ordine gregem, à Deo præ foribus Ecclesiæ retinetur, vt rebelles & ab Ecclesia profugas puniat gentes, quemadmodum fecit 4. Patriarcharum sedibus, &c.

2. *Abstrahendo ei amatores.* Secundò, Abstrahendo ei amatores suos, eumque contemptui exponendo. Effecit enim Christus vt mundus à plurimis sperneretur: seruis Dei postponeretur & honorem deferre cogeretur: ab omnibus eius fallacia & vanitas agnosceretur. Vt de hoc prophetasse videatur per Nahum *cap. 3.* quo I ad literam de Niniue dicitur: *Ecce ego ad te, dicit dominus exercituum: & reuelabo pudenda tua in facie tuâ. Et ostendam gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam. Et erit omnis qui viderit te, resiliet à te*, &c. Quemadmodum enim Moyses vitulum aureum quem Hebræi pro Deo coluerunt, combussit & contriuit & de cineribus illius potum illis dedit *vt sic idolū suum vorarent Apostatæ & contemnere discerent quod in secessum proijci viderent.*, ait S. Hieronymus ad Fabiolam, *Exod. 32.* Sic ferè mundo fecit Christus, dum eius vanitatem, turpitudinem & falaciam ostendit, vt ita ab hominibus contemneretur, qui priùs pro Deo quasi colebatur ferè ab omnibus. Inde Paulus mundi bona arbitratur *vt stercora*. Inde tot reges & magnates, positis sceptris & tiaris, spretisque mundi delicijs, ad crucem Christi se adiunxerunt & sub eâ militarunt.

C. II. *Vicit diabolum.* SECVNDÒ, Dæmones, vt ipsimet testati sunt apud Euseb. *l. 5. de praeparat. c. 9.* & Plutarchum qui scribit Epitherse Echinadas Insulas prætemauigante vocem ex quadam Insula ad eum profectam: Nuntiarent Magnum Pana mortuum esse, quem gemitus inenarrabiles immensique eiulatus consecuti sunt, Magnum verò Pana principem Dæmoniorum intelligebant. Testati Ethnici Gazæ, quando S. Hilarion incantationes & præstigias dæmoniorum, qui operâ Magi equos cuiusdam ad certamen Circense destinatos carminibus ligarant, dissoluit aquâ benedictâ; exclamarunt enim: *Marnas à Christo victus est*, apud Baron. anno 362. Marnas autem Idolum Gazensium erat. Vicit autem Christus dæmones. Primò alligando Luciferum cum cohorte suâ ne adeò in homines dominari, sicut anteà, tanquam minister diuinæ Iustitiæ, posset. Vnde post Christum non potuerunt ampliùs reddere oracula & per præstigias homines decipere: sicut olim cùm v. g. Idolum Mineruæ in igne illæsum mansit; cùm Apollinis statua fleuit; cùm Deorum simulachra sibi mutuò loco cesserunt, vocem ediderunt, futura prædixerunt, &c. vt refert S. August. *l. 3. de ciuit. c. 7.* & 11. & *l. 4. cap. 19.* Postea enim nihil tale poterant præsentibus præsertim viris sanctis vel etiam alijs Christianis, vti Daphneus Apollo apud Antiochenos, præsentiâ corporis S. Babylæ Martyris impeditus, apud Sozom. *lib. 5. hist. cap. 18.* Serapis, præsentiâ S. Apollinaris, apud Sur. in eius vitâ. Et alia oracula teste Constantino M. apud Euseb. in eius vitâ *l. 2. c. 49.* Adeò vt Idolorum pontifices quando oraculum consulere volebant; priùs clamarent: *Procul hinc sit lotus & vnctus*, id est, baptizatus & confirmatus. Tandemque penitus conticuêre, quemadmodum Plutarchus in *lib. de defectu oraculorum* conqueritur. Multò minùs nocere nunc potest hominibus immediatè in animâ, nisi vltrò manus ei dent. *Alligatus est enim*, inquit S. August. Serm. 197. de tempore, *tanquam innexus catenis canis & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortiferâ securitate coniunxerit*. Et paulò pòst. *Latrare potest, sollicitare potest: mordere omnino non potest nisi volentē*, &c Et S. Antonius dixit: *Dæmon sicut passer irretitus tenetur & constringitur à Christo: Christiani ergo Christo nixi,* 1. *Alligando eum.*

dæmo-

damonem non timeant sed rideant. Hæc Christi de Dæmone victoria non absimilis est illi, quã obtinuit de Phrinone Pittacus. Cùm enim Athenienses & Mitylenenses ob agri possessionem dimicarent, Pittacus Mitylenęus vnus ex septem sapientibus solus ipse, ne tot homines in prælio perirent, cum Phrinone Atheniensium Duce singulari certamine congrediens; Phrinonem reti, quod sub clypeo clam gerebat, inuoluit & irretitum occidit. Ad eundem ferè modum Christus diabolum, diuinitatis potentiâ, quàm ipsi occultam gerebat, diabolum irretiuit, vt iam illaqueatus paruum nocere & facilè superari queat. Adhæc diabolus similis est vrso ad stipitem alligato, qui licet in catenâ suâ circumeat rugiens, neminem tamen lædere potest, nisi quem intra suum circulum stantem rapuerit. Vnde S. Petrus ait eum circuire tanquam leonem rugientem.

2. *Sinendo eum tentare.* Secundò, Licet adhuc tentare homines & quandoque etiam infestare possint: hoc tamen
1. *Ad nostrã vtilitatẽ.* Primò totum cedit hominibus ad maius meritum: atque ita dæmon seruit potiùs Christianis, quàm imperat, quia promouet eos ad maiorem gloriam. Ideo *Luc.* 8. Dominus non amãdauit dæmones in abyssum, sed permisit eis in terrâ manere & intrare porcos, vt homines per eos probatiores fierent, vt ibi Theophylactus ait: quia vbi non sunt certamina ibi non sunt coronæ. Hinc compelluntur in obsessis sæpe vera narrare, & aliquos torquere vel terrere ad aliorum cautelam. Sic B. Stephanus Episcopus circa annum 1210. obtinuit à Deo vt dæmones horribili specie spectandos se præberent populo suo, qui dominicis & festis diebus morabatur in tabernis, foro, theatro, vt vel sic inde expulsus ad templum veniret. Quos cùm cernerent homines, dixit illis Episcopus: *Hi sunt, quos sequimini, ego misi eos ad vestrum terrorem.* Sur. 7. Septemb. Sic B. Bernardus & alij innumeri coegerunt eos in obsessis veritatem dicere de cœlo, inferno, &c. ad cautelam Christianorum: quo modo miles ab hostibus interceptus cogitur enuntiare quid agat, possit, cogitet hostis, &c.

2. *Ad Dei gloriam.* Secundò, Dæmonum infestatio siue corporalis siue spiritualis facilè pelli potest. Corporalis quidem signo Crucis, nomine Iesu & Mariæ, minimâ re consecratâ, vt aquâ benedictâ, agno Dei, &c. Imò audito solùm aliquorum sanctorum nomine vt S. Antonij, territi fugabantur & eijciebantur, vt scribit Athan. in vitâ Sancti Antonij. Expelluntur adhuc in Ecclesiâ ab obsessis, & domibus, & certis alligantur locis. Simeonis Stylitæ imagines tantùm, vim pellendi dæmones habebant, quas in hunc finem Romæ Catholici ponebant in officinis suis, vt scribit Theodoretus in Philoth. c. 26.

Spiritualis verò, quia sufficientia arma in Ecclesiâ ad resistendum illis & exsufflandas eorum tentationes. Consule confessarium, dic: Vade Sathana; *resistite diabolo & fugiet à vobis.* Inuoca Deum. *Mihi credite*, dicebat S. Antonius, *fratres, pertimescit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam & humilitatem, maxime verò ardentem amorem in Christum Dominum, cuius vnico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit.* Hoc ipse quotidiana ferè experientia edoctus dæmonẽ in forma Gigantum, Leonum, Vrsorum sibi apparentem irridebat dicens: *Si habes potestatem à Deo in me, exsere: ecce ego; si non, quid frustra conaris me hisce monstrosis phãtasmatibus terrificare, qui nihil potes?* Hilarion & ipse sæpe mirè ab eo infestatus, audiens aliquando strepitũ armorũ cernensque rhedam feruentibus equis super se irruere, inclamat Iesum, & omnia mox euanescunt. Aliàs dæmonem cameli specie ferocientem & accolas percellentem, adortus dicebat: *Non me terres diabole tantâ mole corporis: & in vulpeculâ & in camelo vnus atque idem es.* Aliâ die Orionum virum primarium legione dæmonum obsessum & in se irruentem atridens hac voce compescuit: *finite & mihi meum palæstritam dimittite*; atque plantas vtroque calcans pede: *Torquere*, ait, *demonum turba, torquere.* Cumque is eiularet, miserum à dæmone soluit. Aliâ vice cùm dæmonem ab amasio in puellam immissum pelleret ipse clamaret: *O cruces, ô tormenta, quæ patior! Exire me cogis & ligatus subter limen teneor. Non exeo nisi adolescens, qui tenet, dimiserit*; dixit ei insultans: *Grandis fortitudo tua, qui licio & lamina strictus teneris.* Hieron. in eius vitâ.

D. III. *Vicit peccatum.* TERTIÒ, Peccatum. Primò, Omnia nostra
1. *Mergendo id in baptismo.* peccata submergendo in baptismo. Cuius rei figura erat submersio Pharaonis & exercitus illius in mari rubro, significans peccatorum deletionem in sanguine Christi, quemadmodum prædixit Michæas c. 7. dicens: *proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Porrò victoriam illam de peccato (vti & de mundo, dæmone, morte, inferno) obtinuit in cruce; vbi *deleuit chirographum peccati* (id est, reatum pœnæ æternæ) *quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci*, inquit Apostolus ad *Colos.* 2. quasi dicat: perforauit, cassauit, annullauit.

2. *Per gratiam & pœnitentiam.* Secundò, Quia nunc per gratiam facilè à peccatis nobis cauere, & si in ea rursum inciderimus, resurgere per pœnitentiam possumus. Vt enim per aspectum serpentis ænei liberati sunt statim illi qui à serpentibus icti fuerant *Num.* 21. ita si per fidem & contritionem aspiciamus Christum in cruce, mox sanamur à peccatis etiam lethalibus. Atqui venenum vicisse reputatur, qui theriacam ad manum habet, præsentissimum veneno remedium: vicisse labyrinthum, qui filum gerit, quo regressum mox inuenire seque extricare queat. Huiusmodi theriaca & filum est pœnitentia.

E. IV. *Vicit mortem.* QVARTÒ, Mortem. Primò, Quia post triduum seipsum à mortuis suscitauit imò &
1. *Quia à morte surrexit nosque suscitauit.* aliorum Sanctorum corpora, & nos tandem omnes in die iudicij suscitaturus est. Fecit morti Christus, quod Ichneumon Crocodilo, nam vt scribit Plinius *l.* 8. *cap.* 25. *Hunc saturum cibo pisciũ & semper esculento ore in littore somno datum, parua auis, quæ trochilos ibi vocatur, rex* auium

auium in Italia, innitat ad biandum pabuli sui gratiâ, os primum eius assultim repurgans, mox dentes & intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedine quàm maximè biantes: in quâ voluptate somno pressum conspicatus Ichneumon per easdem fauces vt telum aliquod immissus, erodit aluum. Hæc Plinius. Atque ita Ichneumon viuus iterū emergit, Crocodilus ventre perforato moritur. Hunc in modum Christus in fauces mortis insilijt & aluum eius perrupit, inde viuus egressus est egredienturque omnes quotquot deinceps fauces eius ingressuri sunt; atque ita mors eiecta fuitque viribus spoliata est.

2. *Quia mors facta est ianua vitæ.* Secundò, Quia etsi relicta in mundo est mors, ea tamen iustis non tam mors, quàm vitæ ianua & quasi arcus triumphalis est seu natiuitas ad vitam æternam. Valerianum Imp. subiugarat rex Persarum Sapor, qui quamdiu vixit Valerianus, incuruati eius ceruicibus pedem imponens equum ascendere consueuit, vt ait Sextus Aurelius. Similiter & mors ita à Christo subiugata est, vt scabellum nobis facta sit ad conscendendam cælestem beatitudinem. Vnde si absit mortis stimulus, peccatum, nihil omnino nocere potest: sicut apis stimulo carens, cui illudere possunt pueri, quomodo & morti illudebant Sancti, pueri & puellæ, qui eam etiam prouocarunt, vti S. Ignatius bestias: *Quòd si venire noluerint*, dicebat, *ego vim faciam, ego me vrgebo vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit, ego scio.* Ita S. Bernardi frater Gerardus in morte exultans mortique insultās obijt, vt scribit S. Bern. *serm. 26 in Cant. de eius obitu*, subditque. *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo & moriendo cantat. Vsurparis ad lætitiam mater mœroris, ad introitum regni porta inferi, & fouea perditionis ad inuentionem salutis idque ab homine peccatore*; Caussam subdit: *Iustè nimirum, quia tu iniquè in hominem innocentem & iustum potestatem temerariè vsurpasti. Mortua es ô mors & perforata hamo, quem incauta glutisti*, &c.

3. *Quia exercitiū fortium.* Denique, quia in eā fortiter superādā exercentur iusti ad meritorum cumulum & gloriam. Sic multoties in venatione retinetur lupus vel vrsus viuus ad exercendos canes in spectaculum Principis. In hoc duello omnium difficillimo ostenditur cuiusque virtus: in hoc agone spectator est Deus & omnes cœlites. Audi Chrysost. *hom. 4. in epist. ad Hebr. Illi qui per omnem vitam sub timore mortis agebant & seruierant, ijdem ab eadem liberati & derident eam quam illi horrescunt. Tale est hoc, quale si vinctum aliquem producendum ad mortem & semper hoc expectantem quispiam pinguem reddat ex multis deliciis Tale aliquid erat mors antiquo tempore; nunc autem velut si quisquam illum timorem excludens, cum deliciis agens pronuntietur pugnaturus & proponat agonem, vt iam non ad mortem sed ad regnū adducatur: Ex quibus esse volebas? Ex his qui in custodia pinguescerent quotidianis cibis sententiam sui interitus expectantes? an ex illis pugnaturis quidem multis & laboraturis vltroneâ voluntate vi diadematam regni suscipiant.* Hæc ille. Non dubium quin nemo non malit in prœlium descendere & cum hoste dimicando mori: quàm instar porci impinguari ad iugulum posteaque iugulari, vel instar rei capitis necari. Illud enim fortitudinem continet & laudem habet, hoc verò abiectionem & ignominiam: illud spem victoriæ semper præ oculis habet, hoc verò mortem solam & extinctionem.

F. V. *Vicit infernum.* 1. *Quia Patres è limbo reddere eos debuit.* Qvintò, Infernum. Primò, Quia Patres è limbo reddere debuit, & tandem etiam corpora omniū hominum reddere debebit in die iudicij. Ante Christum omnes ad infernum, id est, in gehennam vel purgatorium vel limbum descendere: modò iustis apertum cœlum, & clausus limbus: proinde iam è purgatorio non fit saltus ad limbum, vt olim, sed immediatè ad cœlum. Qui purgatorio non egent, saltum mox ad cœlū faciunt. Atque ita Christus morsus inferni fuit, quia patres è limbo, sicut partem sanam è pomo putrido dentibus exsecuit. Cuius figura erat Abraham qui persequendo Codorlahomor, prædam abactam & Loth cum socijs iterum eripuit: Dauid qui oues ex ore vrsi & Leonis 1. *Reg.* 17.

2. *Quia constrinxit ei fauces.* Secundò, Quia inferno constrinxit fauces, dum innumeros ei bolos abstulit animarum, quas alioqui deuorasset, nunc autem non nisi reprobas & à Deo abiectas sortitur: deinde quia quoad sufficientiam liberauit Christus ab inferno omnes. Quemadmodum Iudas victo Adonibezec fecit, vt cæsis summitatibus manuum & pedum colligeret sub mensâ eius ciborum reliquias, vt habetur *Iudic.* 1. Sic fecit Christus inferno. Truncauit eum viribus suis & sub mensâ quasi continere vinctum cœpit, vt non nisi quæ abiecta sunt in mundo, quasi ossa & cānum pabula, in eum proijceret. Absorbuit priùs fluuium (*Iob* 40.) nec mirabatur, & habuit fiduciam quòd etiam Iordanis influeret in os eius, id est, Christiani, baptismo sanctificati, & qui despectis terrenis, cœlestibus iunguntur, vt exponit S. Gregor. Sed fraudauit eum hac suâ spe Christus, & Christianorum ingentem numerum ei abstulit, ablaturus omninò omnes, si se Christo iungere vellent.

Vidimus quâ ratione Christus debellarit hostes nostros omnium acerrimos. Superest nunc vt nos fruamur hac victoriâ & diuidamus spolia per eam nobis parta, vtendo remedijs illis, quæ præscripsit nobis, vt etiam nos victores euadamus & cum ipso tandem in cœlo triumphemus.

CONCIO III.

Christus in resurrectione Leo.

1. *Quoad somnum mortis quomodo?*	3. 4. *Quoad resurgentis gloriam & imperium.*
2. *Quoad suscitationem sui de morte.*	5. *Quoad liberalitatem.*

THEMA.

Ecce vicit Leo de tribu Iuda. Apoc. 5.

Tametsi

A. *Quatuor Ezechielis animalia Christi typus.*

Tametsi quatuor illa animalia visa ab Ezechiele (Homo, vitulus, leo, aquila) ex communi sententiâ designant quatuor Euangelistas; eadem tamen secundùm gl. ordinariam *in cap. Apoc.4.* Hieron. *in proœmio in 4. Euangelia*, Anastasium Synaitam *l. 4. Suor. Comment. in hexameron*, & alios, Christum Dominum designant. Primò, quia per hominem designatur eius humanitas, per vitulum eius sacerdotium, per leonem regnum, per aquilam diuinitas. Deinde quia Christus in Incarnatione homo fuit; In passione vitulus, cùm victulus sit immolatitium animal. Vnde Apostolus 1. *Corinth. 5.* dixit: *Pascha nostrum immolatus est Christus*: In ascensione aquila, quod altissimus eius demonstrat volatus; In resurrectione verò Leo, Sic enim innuit Prophetia Iacob ad Iudam è cuius tribu Christus prognatus; *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo: quis suscitabit eum? Gen. 49.* Sic innuit Ioannes *Apoc. 5. Ecce vicit Leo de tribu Iuda.* Leo, quia Rex cœli & terræ: Catulus Leonis, quia secundùm naturam diuinam eiusdem cum patre diuinitatis & maiestatis, secundùm naturam humanam minor est patre. Quâ verò ratione Leo sit potissimùm in resurrectione, nunc videbimus.

B. I. Quoad somnum mortis. 1.

PRIMÒ, Quoad somnum mortis præcedentem, iuxta quod dicit Iacob: *requiescens accubuisti vt Leo.* Nam Primò Leo captâ prædâ geniculatis cruribus quasi accumbit ad eam comedendam: Sic etiam in Cruce Christus inclinato capite tradidit spiritum, vltro scilicet inclinãdo se & annuendo morti vt veniret, quæ alioquin accedere non fuisset ausa, vt scribit Anastasius Synaita *l. 4 ad Antioch.* Vnde S. Greg. in 4. *Psal.* pœnitentialem: *Vt Leo*, inquit, *requiescens accubuit, quia mortem sponte subiuit.* Hinc *Psal. 3.* ait: *Ego dormiui & soporatus sum.* In græco & Hebr. habetur: *Ego accubui vt dormirem.* Et hæc est gloria nostri Leonis, quòd non coactus sed sponte mortuus sit. Prædam porrò comedit, quando infernum spoliauit, educendo patres è limbo.

2\. Secundò. Leo dormit aperto loco, non in speluncis, vt aliæ feræ, animi nimirum præstantiâ fretus, vt ait Oppianus *lib. 3.* Cyneget. & nihil sibi timens. Vnde S. Hilarius *in Ps. 131.* ait: *Leo terrori est feris omnibus & hic solum per confidentiam & securitatem dormit intrepidus.* Sic Christus ad somnum se composuit loco & aëre apertissimo in monte Caluariæ, licèt vndique circumdatus hostibus suis, & in horto vicino sepultus est, nihil sibi timens à Iudæis, quia sciebat suæ resurrectioni nullum eos ponere impedimentum posse. Obsidebant illi & custodiebant sepulchrum militibus, & *munierunt signantes lapidem.* imò & ferramento obserarunt, vt scribit Nicephorus *l. 1. hist. c. 32.* Sed inter hæc omnia securissimè dormiuit Dominus, quia Leoninâ suâ potentiâ viam nihilominus resurrectioni suæ fecit, ac veluti Sampson in Gazâ circũdatus à Philisthæis portas vrbis sustulit, frustra sibi occlusas. Vnde in *Ps. 3.* ait: *Ego dormiui & soporatus sum & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me: nõ timebo millia populi circumdantis me*, id est, licet mille modis me circumdant & mille obices ponant, non tamẽ impedient meam potentiam, sed potiùs promouebunt. Vnde Athan. Serm. in S. parasceue ait: *Miser & infelix Iudex, qui mortis vincula dissoluit, nõ soluet sepulchri sigilla? qui spoliauit infernum, timebit monumenti signacula? Muni sepulcrũ, signa lapidem, statue milites, obside monumentum custodibus: isto modo egregiũ opus maius officii: statuis enim spectatores, ac testes resurrectionis, meorũque miraculorum pracones ministros tu preparas.*

Tertiò, Leo etiam cùm dormit, terribilis est: Sic *mors Dominica terrori fuit, tum morti, tum diabolo*, inquit Anastasius *q. 103. ad Antiochum.* Imò & Iudæis, timentibus eius resurrectionem. Vnde Amphilochius in serm. de sepult. Domini, ait: *Quis vnquam vidit mortuum asseruari, vel potiùs, quis vidit vnquam mortuum belligerare? quis audiuit aliquando mortuum & vndique circumseptum, metum eis incutere, qui eum interemerunt?* Magna fuit Christi in cunis adhuc iacentis potentia, quando Herodem terruit, quasi regnum ei erepturus esset: sed quantò maior iacentis in sepulchro, quando reuera exuit mortem & diabolum regnis suis? 3.

Quartò, Leo dormit apertis oculis: sic Christus in suâ morte apertum habuit diuinitatis oculum; mansit enim vnio Verbi cum animâ & corpore etiamsi separatis. Vnde *in Psal. 3.* mortem suam vocat somnum tantùm: *Ego dormiui & soporatus sum.* Sciuit ergo in morte suâ Christus, quid ageret, quantum dormire, & quando exurgere deberet. 4.

C. II. Quoad suscitationem sui.

SECVNDÒ, Quoad potentissimam sui ipsius suscitationem de morte. Vt enim *Leo fortissimus est bestiarum, qui ad nullius pauet occursum*, teste Salomone *Prou. 30.* Sic Christus diuinitatis suæ potentiâ superauit vti omnia alia, ita & ipsam mortem, cùm seipsum à mortuis suscitauit. Et quidem de catulo Leonis proditum est memoriæ à Ruffino, Eucherio & alijs, cùm primùm nascitur, tribus diebus ac noctibus eum dormire: deinde verò patris rugitu, tremefacto cubili suscitari: Sic etiam Christus postquam triduo dormiuit in sepulchro, tum patris voce seu potentiâ suscitatus est, vt habetur *ad Gal. 1.* non sine ingenti terræ motu, qui in Christi resurrectione accidit. Sed tamen eadem illa potentia, ipsius etiam Christi potentia fuit, quia vt Deus eandem cum patre habuit, eadémque se ipse quoque à morte suscitauit. Vnde Iacob in benedictione Iudæ, de Christo dixit: *requiescens accubuisti vt Leo: quis suscitabit eum?* q.d. non indiget resuscitante: ipse enim vt Deus seipsum resuscitabit. Ita S. Ambrosius ibid. *Quis enim est alius*, inquit, *qui resuscitet, nisi ipse se suâ patrisq́, resuscitet potestate? Video natum authoritate propriâ, video mortuũ propriâ voluntate, video dormientem potestate propriâ, qui omnia suo fecit arbitrio, cuius alterius auxilio indigebit vt resurgat? Ipse igitur resurrectionis sua author est.* Et August. *l. 6.* de ciuit. *c. 41.* ait: *Illũ nullus hominũ sicut Propheta aliquos vel sicut ipse alios suscitauit, sed sicut à somno ipse surrexit.*

Similiter S. Bernard. ferm. 5. in die paschæ ait: *Quis in cæteris omnibus suscitauit aliquando semetipsum? Ineffabile istud est vt à morte se excitet ipse qui dormit: singulare est; non est qui faciat, non est vsque ad vnum. Elisæus Propheta mortuum suscitauit, sed alterum, non seipsum. Ecce enim quot annis iacet in monumento? quod à se non potest, sperans ab alio suscitari: ab eo vtique qui triumphauit mortis imperium in seipso. Inde est, quod cæteros quidem dicimus suscitatos, Christum resurrexisse, qui solus virtute propriâ victor prodijt de sepulchro. Siquidem & in hoc vicit Leo de tribu Iuda.* Sic Bernardus.

D. III. Quoad resurgétis gloriam. TERTIÒ, quoad resurgentis gloriam & generositatem: Leoni enim, teste Plinio *l. 8. c. 16.* tunc præcipua aduenit generositas, cùm colla armosque vestiunt iubæ. Ita Christi maiestas præcipuè per resurrectionem splenduit: nam tunc immortalitatis vestibus indutus, quasi Leo iubas per colla armosque sparsit, generosum se Leonem de tribu Iuda ostentans. Cuius rei typus fuit Samson, cùm ei vnà cum crinibus restituta est fortitudo, teste Augustino, *ferm. 107. de tempore*, restituta item gloria & forma corporis longè maior quàm ante fuerit. Atque ita verissimè impleta est Prophetia Aggæi *cap. 2.* dicentis: *Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Christus enim templum corporis sui solutum à Iudæis, in triduo reædificauit, & quidem longè maiori gloriâ exornauit, quàm fuerit exornatum priùs. Magna fuit Christi gloria cùm in cunis adoraretur à Magis & prædicaretur ab angelis: sed erat tamen ibi etiam paupertas, contemptus & infirmitas, quia iacebat in stabulo infans. At in eius resurrectione fuit gloria sine contemptu, potentia sine infirmitate, diuitiæ sine defectu. Magna eius gloria dum in monte Thabor gloriosus apparebat: sed ostendit ibi vnam tantùm ex dotibus corporum gloriosorum, claritatem scilicet; non ostendit agilitatem, subtilitatem, impassibilitatem. Deinde ea claritas modicum durauit. Denique ibi sermo de morte eius fuit. At in resurrectione omnes istas dotes simul accepit Christus & retinuit constanter. Magna fuit Christi gloria, cùm super mare ambulauit, ventis & mari imperauit, dæmones eiecit, morbos sanauit, panes multiplicauit, mortuos suscitauit: sed hæc omnia tamen in forma serui gessit: interim esurijt, sudauit, alsit, fatigatus est. Maior est gloria domus eius secundæ quando seipsum à mortuis excitauit & cœlos ascendit gloriosus. Magna fuit eius gloria in cruce, cùm homines & Elementa diuinitatem eius, contestata sunt, sed fuit ibi simul dolor, ignominia, deformitas, mors. Nihil horum in resurrectione. Vnde optimè Aggæus: *In loco isto dabo pacem*, inquit. Gloria primi templi non fuit sine paupertate, contemptu, infirmitate, labore, timore, dolore, &c. gloria verò templi secundi hæc omnia excludit. Et quãta est hæc gloria, quanta fœlicitas: viuere vitam beatam sine metu mortis, sine periculis, sine molestiâ, sine defectu? habere corpus splendidius sole, robustius ferro, agilius vento, totum impassibile & spirituale, hoc est, spiritui omnino subiectum? Compara gloriam resurrectionis cum ignominiâ Crucis. O quanta diuersitas! Aspice ibi patientem, sanguine perfusum, vulneribus perfossum, inter latrones. Aspice hic impassibilem, rutilantem, agilem, subtilem, stipatum angelis & SS. Patribus. Quàm diuersa facies hæc à priori! Verè nunc *hyems transijt, imber abijt & recessit: flores apparuerunt in terrâ nostrâ.* Verè tunc dicere poterat Christus cum Iosepho exaltato: *Obliuisci me fecit, Deus omnium laborum meorum, Gen. 41.* Tam fœlicem nimirum finem sortitur vita iustorum. Vexantur hi nunc vti Samson robore destitutus. Sed expectent paululùm, donec capilli eis crescant, expectent resurrectionis diem, tunc conterent inimicos suos; tunc dicent: *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum.*

QVARTÒ. Quoad dominatum super orbem. Leo enim rex est animalium suoque ea subijcit imperio cùm vult, vel ipso rugitu imò solo etiam aspectu. Refert enim D. Ambrosius *l. 6. hexam. c. 3.* Leonis voci tantum naturaliter inesse terrorem, vt multa animantium, quæ per celeritatem possent impetum eius euadere, rugientis eius sonitu, quasi vi attonita atque icta deficiant & gressum firment veluti regis sui edictum expectantia. Ita etiam Christus post resurrectionem per aspectum Angeli & per terræ motum terruit custodes: deinde per Apostolorum prædicationem, instar Leonis rugiens gentes nullâ vi, solo rugitu, id est, famâ & fide resurrectionis suæ, attonitas reddidit victasque tenuit atque ad sui cultum & admirationem traxit, quod ad literam prædixit Abacuc *cap. 3.* post triumphum eius de morte & diabolo, fœlicem prædicationis successum recensens, *Cornua in manibus eius*, inquit, videlicet in Cruce: *Ibi abscondita est fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors & egredietur Diabolus ante pedes eius. Stetit & mensus est terram: aspexit & dissoluit gentes* (alij legunt: distabuerunt gentes) *& contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Hoc est, vt interpretatur Hieronymus, stans Saluator & cuncta perspiciens oculoque suo vniuersitatem mundi metiens, Gentium multitudinem dissipauit: quibus dissipatis contriti sunt montes huius sæculi & incuruati colles; Principes videlicet huius sæculi, qui priùs erectâ ceruice gradiebantur: contriti autem & incuruati sunt ab itineribus æternitatis eius, id est, à resurrectione eius ad vitam immortalem. Itaque territi sunt ad hanc vocem inprimis Iudæi, sed infœliciter, quia nihil inde emendati, fraudes potiùs & mendacia excogitarunt, quibus gloriosam Christi resurrectionem tegerent, custodes deprauando pecunijs & subornando, vt dicerent, sublatum esse Christum à discipulis, ipsis dormientibus. Sed longè aliter euenit, custodes enim ipsi facti sunt testes & præcones resurrectionis Christi. & eorum quæ circa ipsam

E. IV. Quoad imperiũ.

ipsam euenerunt, vt habetur *Matth.* 28. Deinde territæ sunt gentes sed fœlicius quàm Iudæi; siquidem ad hanc resurrectionis vocem steterunt & imperium Christi receperunt.

Porrò magna hic est differentia inter Leonem & Christum. Leo enim terret sistitque animalia vt deuoret: Christus verò vt saluet & viuificet. Vnde regis huius nostri dominatus non est Tyrannicus, sed paternus. Vt verò *Leoni tantùm ex feris clementia in supplices*, vt ait Plinius: sic Christo etiam domino. Leo non sæuit nisi irritatus, & in viros priùs quàm in fœminas: mitigatur & precibus; vti à fœminâ captiuâ apud Plin. *lib. 8. cap. 16.* Sic Christus Vnde Apostolus ad Hebr. *non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia*, &c. Quamquam etiã Christus non absurdè dici potest depascere peccatores, quia mortificatos & contritos per pœnitentiam, facit sibi intimos amicos, vnitque velut membra sua.

F. V. Quoad liberalitatem. QVINTÒ, Quoad liberalitatem & munificentiam. Leo enim, vt refert Solinus, Bart. Anglicus & alij, adeò liberali & generoso est animo, vt captæ prædæ partem reliquis impertiatur animalibus, solus prædam comedere erubescat, sæpe etiam sequentibus à longè bestijs derelinquat. Ita Christus prædam, quam cepit, gloriam & immortalitatem nobis communicauit, suo tempore conferendam: Imò in eius rei fidem & asecurationem aliquibus, qui cum ipso resurrexerunt, statim contulit; ne dubitaremus, tandem omnibus aliquando concedendam esse. Cuius rei typus fuit fauus mellis, quem in ore Leonis à se occisi inuenit Samson, quemque non ipse solus comedit, sed communicauit etiam parentibus suis, *Iud.* 14. Leo occisus Christus, è cuius ore postea prodijt inprimis fauus ille dulcissimus. *Pax vobis.* Deinde: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Denique fauus resurrectionis & gloriæ. Atque idcircò post resurrectionem dominus comedit fauum mellis & reliquias dedit discipulis, *Luc.* 24. Nos hunc fauum nondum gustamus, expectamus tamen. Sufficit interim spe illius viuere. *Fiducia enim Christianorum*, inquit Tertullianus, *resurrectio mortuorum*, imò non fiducia tantùm sed etiam vita Christianorum esse debet hæc spes. Si enim nunc spes alit agricolas, cùm vident semina in agris sese erigere & virere, vnde messem expectant; cur non item nos spe illius gloriæ viuamus, cuius semen habemus in resurrectione Christi? Gregariorum & vilium militum est seruire propter stipendium paucorum florenorum menstruatim soluendorum: non item ingenuorum & nobilium, qui stipendium non quærunt, sed ob spem alicuius magnæ promotionis seruiunt. Mundi sectatores ob præsentia tantùm bona seruiunt, præsentibus tantùm gaudent. Sed non ita nos Christi sectatores, qui spe futurorum bonorum viuimus. *Nostra conuersatio*, ait Apostolus ad Philip. 3. *in cœlo est: Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Itaque ô Christiani, *si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*, Coloss. 3.

CONCIO IV.

Circumstantiæ resurrectionis.

Resurrexit Christus 1. *Post descensum ad inferos, die primâ sabbathi, in aurorâ ac die tertio, & quare.*	2. *Cum terra motu, cum Angeli internuncio, & vnâ cum multis Sanctorum corporibus. Cur?*

THEMA.

Surrexit, non est hic. Marci 16.

MIrum quid scribunt de Cynocephalo, Pierius *lib. 6. hierogl.* & alij, bestiâ manibus pedibusque & cætero corpore homini non absimili. Senescente enim Lunâ oculorum lumine nec non & viribus corporis deficit. Cùm verò adolescit Luna suumque orbem redintegrat, resumit & Cynocephalus vnâ cum ipsa oculorum aciem viresque corporis & reconcinnat orbicularem suam lubam ac tum se in posteriores pedes erigit & Lunarem circulum sublatis manibus ritu supplicantis venerabundus adorat: quâ quidem veneratione protestatur se omnem suam fœlicitatem gratiosissimo illi syderi debere & in acceptis referre. Non ita pendet, Auditores, Cynocephalus à Lunâ, vti nos à Christo Domino & Saluatore nostro, qui est lumen oculorum nostrorum, à quo vires omnes omnemque fælicitatem expectare debemus. Porrò vidimus ante triduum deficere hoc lumen ac demum prorsus extingui in cruce. Sensit hunc defectum sponsi sui sponsa, vniuersa fidelium Ecclesia, vnde lachrymis & gemitibus plena vnâ cum ipso affligi & quodammodo mori visa est. At verò postquam is hodierno die restaurauit corpus suum nouoque immortalitatis lumine vestiuit, ilico & Ecclesia cum eo reuiuiscere ac reuirescere, nouas animi vires resumere ac gaudijs vndique perfundi; Siquidem, vt Apostolus ad *Ephes.* 2. ait, nos cum Christo resuscitati sumus. Et D. Leo serm. 2. de resurrect. *Nos*, inquit, *in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nosmet die tertiâ resuscitati.* Quare iure merito attollimus nos hoc die ad contuendum grato & venerabundo animo cœleste illud sydus, à quo omnis nostra salus pendet. Ergò videamus quâ ratione & quarum interuentu rerum Christus vitæ eique beatæ & immortali restitutus sit. A.

PRIMÒ, Quando resurrexit? Respondetur Primò, Postquam ad Inferos descendit. Causæ descensus sunt. Prima, Vt subiret pœnas peccatorum nostrorum. His autem debebatur mors, & post hanc descensus ad Inferos, B. I. Quando resurrexit.

1. *Post descensum ad inferos. Curt* 1. Quamquam is descensus nullam Christo pœnam attulit. Valerius Max. *lib. 5. cap. 6.* scribit: *Cùm in medium partem fori, vasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumq; esset, ea re illu tantummodò compleri posse, quæ populo Romano plurimum valeret: Curtius & animi & generis nobilissimus adolescens interpretatus vrbem nostram virtute, armisq; præcipuè excellere, militaribus insignibus ornatus equum conscendit, eumq; vehementer admotu calcaribus præcipitem in illud profundum egit: super quem vniuersi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt, continuoque terra pristinum habitum recuperauit.* Huiusmodi hiatus fuit limbus patrum, numquā occludendus, nisi in eum se dimisisset omnium nobilissimus, Dei filius. Ergò hic in eum descendit mero nostri amore: Sicque mox sinus ille terræ occlusus fuit neminique deinceps patuit.

2. Secunda, Vt deuicto diabolo prædam ei eriperet & spolia, vinctos scilicet patres qui in

3. limbo detinebantur. Tertia, *Vt impleret omnia,* inquit Apostolus ad *Ephes. 4.* hoc est, vt sicut potestatem suam ostenderat in terrà viuendo & moriendo, sic etiam eandem ostenderet in inferno, illum visitando, illuminando & effringendo. Erat ergò velut sol quidam totum percurrens orbem vt omnibus impertiret suum lumen & calorem.

2. *Die prima Sabbathi.* Secundò, Die prima Sabbathi seu hebdomadæ, hoc est, die Dominico: sic dicto à resurrectione Domini, *Apoc. 1.* Nec incongruè; ille enim dies primus erat mūdi, in quo Deus cœlum & terram creauit, dixitque: *Fiat lux & facta est lux.* Dies verò resurrectionis Domini dies prima est recreati & Deo reconciliati mundi, in quâ Christus lucem gratiæ mundo impertiuit & iam non quasi terrenus sed quasi cœlestis homo apparuit.

3. *Manè in aurorâ.* Tertiò, Manè diluculò seu aurorâ, de communiore sententiâ. Ita enim videntur exponenda verba illa Marci 16. *Surgens Iesus mane primâ Sabbati apparuit primò mariæ Magdalenæ.* Vt videlicet manè copuletur cum voce surgens, quod suauis constructio petit. Idem sentit Ecclesia in hymno: *Aurora lucis rutilat, tùm Rex ille fortissimus, victor surgit de funere.* Accedunt Prophetiæ, *Ps. 46 Exurgam diluculò.* Et in titulo *Psalm.* 21. qui inscribitur *pro Ceruâ matutinâ seu aurorâ.* Talis autem cerua Christus fuit, cùm manè de sepulchri latibulo prosiliuit. Causam primam exponit S. Thomas *3. p. q. 53. art. 2.* dicens: *Christus surrexit iuxta diluculum, illucescente iam die, ad significandum quòd per suam resurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat.* Secundam S. Leo *serm. 1. de resurr. Ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret.* Tertia moralis, vt doceret tempestiuè Deo seruire, citò & alacriter ad bona opera nos accingere, denique summo mane surgere & ad opus prodire.

4. *Die tertio.* Quartò, Tertio die; qui tamen tres dies non sunt omnes integri: sed quoad primum & tertium, pars pro toto sumenda est, per synecdochen. Prædictum id à Christo *Ioan. 2. Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Præfiguratum in Ionâ, qui triduo in ventre ceti fuit, *Matth. 12. Ion. 2.* Ratio seu congruentia huius rei Prima est, quia ex vnâ parte debuit certò constare mors Christi, ad quod sufficiebat triduum: ex alterâ non debebat eius resurrectio diu differri, ne fides credentium corrueret & ne caro Christi corrumperetur, Rectè ergò tertia dies decreta est resurrectioni. Ita D. Thomas loco citat. Secunda, Quia si tardiùs surrexisset, non videretur ipse surrexisse, sed quis alius: nec fuisset habitus mortis triumphator. Tertiò, Quia *per resurrectionem Christi tertium tempus incipiebat; nam primum fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratiâ. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status sanctorum; nam primus fuit sub figuris legis, secundus sub veritate fidei, tertius erit in æternitate gloriæ, quem Christus inchoauit resurgendo.* Ita S. Thomas loco citat. 1. 2. 3.

C. II. *Cur resurrexit.* 1. Secundò, Quare resurrexit Christus? Respondet ad hoc idem Doctor *3. p. q. 53. artic. 1. Dicendum quòd necessarium fuit Christū resurgere propter quinque. Primò quidem ad commendationem diuinæ iustitiæ, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant, secundùm illud* Luc. 1. *deposuit potentes de sede & exaltauit humiles; quia ergò Christus propter charitatem & obedientiam Dei se humiliauit vsque ad mortem crucis, oportebat quòd exaltaretur à Deo vsque ad gloriam resurrectionis. Vnde ex eius personâ dicitur in psalmo: tu cognouisti, id est, approbasti sessionem meam, id est, humilitatem meam & passionē, & resurrectionem meam, id est, glorificationem in resurrectione; sicut glossa exponit. Secundò ad fidei nostræ instructionem, quia per eius resurrectionē confirmata est fides nostra circa diuinitatem Christi, quia vt dicitur,* 2. Cor. vlt. *etsi crucifixus est ex infirmitate nostrâ, sed viuit ex virtute Dei. Et ideo* 1. Ad Corintū. 15. *dicitur: Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra. Et in psalmo dicitur: quæ vtilitas erit in sanguine meo, id est, in effusione sanguinis mei descendendo quasi per quosdā gradus malorum in corruptionē? quasi diceret, nulla. Si enim statim non resurgo corruptumq; fuerit corpus meum, nemini annunciabor, nullū lucrabor, vt glossa exponit. Tertiò ad sublenationem nostræ spei; quia dū videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus & nos resurrecturos. Vnde dicitur* 1. Corinth. 15. *Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est?* Et Iob 19. *dicitur: Scio, scilicet per certitudinem fidei, quòd redemptor meus, id est Christus viuit à mortuis resurgens & ideo in nouissimo die de terra surrecturus sum: reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quartò ad informationē vitæ fidelium secundū illud,* ad Rom. 6. *quoniā Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et infrà: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: ita & vos existimate mortuos esse peccato, viuentes autem Deo. Quintò ad complementum nostræ salutis; quia sicut per hoc quòd mala sustinuit moriendo vt nos liberaret à malis, humiliatus est: ita glorificatus est resurgendo vt nos promoueret ad bona, secundùm illud* 2. 3. 4. 5.

illud ad Rom. 4. *traditus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram.*

D. III. *Quo apparatu?* TERTIÒ, Quâ pompâ & quo apparatu surrexit? Respondetur Primò, cum terræ motu, quo perterriti custodes facti sunt velut mortui. Factus est autem hic terræ motus, *propter custodes, vt timore deiecti & terrore Angeli consternati fugerent & hac Iudæis nuntiarent ac testes ipsi fierent veritatis*, inquit Euthymius. Prædictum de illis videtur Nahum 3. *Custodes tui quasi locusta, qua consident in sepibus: in die frigoris soporatæ est & auolarunt.* Dies frigoris erat dies sepulturæ Domini: orto igitur præter spê sole, Christo, inquam, resurgente, auolarunt præ timore custodes. Secundò ad honorandam Christi resurgentis maiestatem. Solent passim Principes aduentantes in Ciuitatē, æneorum explosione tormentorum excipi. Idem ergò terra Christo ad se ingrediente & ab inferis reuertenti fecit. Tertiò ad notificandum Angeli descensum de cœlo. Hanc caussam reddere videtur Matthæus; ait enim: *Terra motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo.* Quartò ad indicandam Christi victoriam ab inferno domito reportatam. Vt enim ventus terræ ciuitatibus inclusus & vi erumpens terram scindit cum fragore: ita Christus ab inferis diuinâ vi prodiens, Limbum dirupit & inferna perterrefecit. Deuorauerat terra priùs hominum corpora, sed quia inter illa admisit etiam cibum corporis Christi innocentissimi & qui non poterat corrumpi; idcircò omnia eius viscera conturbata fuerunt & cibum illum cum ingenti ructu eiecit.

Cum terræ motu 1.

2.

3.

4.

2. *Cum Angeli internuncio.* Secundò, Cum Angeli internuncio. Expressit autem is statum rediuiui Christi nec non omnium gloriosorum corporū. Angeli enim impassibiles sunt, vulnerari & mori nequeunt. Agilissimi sunt, vt in eo patet, qui breuissimo temporis spatio detulit Abacucum in Babyloniam ad Danielem. Subtilissimi sunt, quia idem ille penetrauit in lacum Danielis clausum, nullis confractis feris, nec regio amoto sigillo. Clarissimi sunt, siquidem Matthæus de Angelo isto scribit: *Erat aspectus eius sicut fulgur, cap. 28.* At hæ sunt quatuor dotes corporis glorificati Christi. Præterea apparuit iuuenili formâ, quia Christus ea ætate, quâ erat mortuus, surrexit, iuuenili scilicet & decorâ. Sedit quoque, ad quietem eius designandam post peractam pugnam; nec non iudiciariam potestatem. A dextris denique sedit, quia ad dexteram patris sessurus erat Christus.

3. *Vnà cum multis sanctorum corporibus.* Tertiò, Vnà cum multis sanctorum corporibus, quod scribit Matthæus *cap. 27.* nec priùs factum esse videtur, quàm resurgeret Christus. Voluit autem Dominus suscitare secum aliquorum sanctorum corpora. Primò vt suam charitatem & liberalitatem ostenderet, qui non poterat se continere, quin bonum resurrectionis suæ & alijs mox communicaret, ad instar nimirum nobilis Aquilæ, quæ prædam suam sola non comedit, sed cum alijs auibus se comitantibus diuidit. Secundò. Vt hi pauci essent testes resurrectionis eius, & hinc nos

1.

quoque spem conciperemus, resurrecturos etiam suo tempore nos, quemadmodum surrexerunt isti. Tertiò, Vt nobis aperiret voluntatem suam, quâ desiderat, quantum in ipso est, vt mox omnes resurgamus spiritualiter nouam inchoantes vitam: ac sicut ipse feralem exuit amictum & induit cœlestem, ita nos exuto veteri homine induamus nouum, ac quantum fas est, corpus gloriosum, simulque immortales cum firmitate, ne amplius ad letalia peccata redeamus, sicut Christus semel resurrexit, non ampliùs moriturus; Impassibiles, nullis animi perturbationibus aditum præbentes, quæ morbum aliquem animæ afferant; Splendentes lumine internæ cognitionis rerum cœlestium; Agiles ad exequendum absque vlla repugnantia, quidquid erit voluntatis Dei; Subtiles & spirituales, ita omnibus terrenis renunciantes, vt nihil ex eis nisi quod sit necessarium accipiamus, vt conuersationem nostram habere in cœlis possimus, quamuis corpore versemur in terris. Quod nobis præstet Deus. 3.

CONCIO V.

Quomodo cum Christo resurgendum.

1. *Surgend ut verè: & quinam non surgant verè.*	*Qui ita surgant?*
2.3. *Integrè & firmiter.*	4. *Ad normam corporis gloriosi.*

THEMA.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite. Coloss. 3.

QVandò Christus adhuc infans in templo præsentabatur, prophetauit de illo Simeon: *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, Luc. 2.* Id verò completum esse hodie, non difficilè apparet. Scimus enim multos sanctos resurrexisse cum Christo, venisse in S. ciuitatem & apparuisse multis. Vicissim Custodes sepulchri, Christo resurgente facti sunt velut mortui: Principes etiam & Sacerdotes ex Christi resurrectione facti peruersiores, teste S. Matthæo *cap. 28.* Istis ergò in ruinam, illis in resurrectionem Christus resurrexit. Idque fit vsque hodie, maximè hoc tempore cùm ab alijs in ruinam & iudicium, ab alijs in resurrectionem & vitam Christus in Eucharistiâ sumitur. Et quamquam bene spero, neminem esse nostrûm, cui ruinam attulerit Christi resurrectio: Sed omnes nos & singulos cum ipso resurrexisse; tamen ne in re tanti momenti aliquis decipiatur, idcirco meritò inquirimus, an & nos ita surrexerimus quemadmodum surrexit Christus. A.

PRIMÒ, *Surrexit Dominus verè*, vti dixerunt discipuli, *Luc. 24.* Verissimam enim resurrectionem suam probauit Dominus quando discipulis non modò crebrò apparuit & cum illis B. I. *Surgendū verè.*

illis locutus est, sed etiam cum eis comedit & palpabilem se præbuit. Non ita surrexit Samuel, qui euocatus à Saule de mortuis, apparuit quidem Pythonissæ in assumpto & phantastico corpore: Sed non fuit ea vera resurrectio 1. Reg. 28. Ad hunc modum omnes quidem hoc tempore videmur resurrexisse & quidem aliqui sibiipsis, sed vtinam reuerà omnes surrexissemus, nec reperiretur qui adhuc in fœtido vitiorum suorum sepulchro iaceret! Neque hoc miretur aliquis quod dico; si enim Episcopo Sardicensi scripsit Ioannes. *Apoc. 3. Nomen habes quòd viuas, & mortuus es*, quantò magis id nostrûm alicui contingere potest?

Non surrexerunt.

1. Inprimis enim si quis à notabili tempore non est confessus & probabiliter grauibus peccatis fuit obstrictus, nullâ tamen aut leuiculâ conscientiæ examinatione præcedente ad confessionem festinauit & ea tantùm quæ obiter incidebant, recensuit: dico talem hominem nondum surrexisse ad gratiam, sed adhuc in sepulchro dæmonis & statu damnationis iacere. Quemadmodum enim necesse est ciuitatem aliquam malis moribus plenam esse, cuius Magistratus dormit & nullam aut leuem inspectionem habet, licèt ille principi suo rationem gubernationis suæ reddens, dicat se nihil in eâ culpare posse. Si enim is vultum gregis sui non sedulò recognouit, quomodo commendare illum potest? Sic etiam custodes sepulchri, si dormierunt, quomodo potuerunt rationem reddere Magistratui de Christo furtim ablato? Et quomodo fieri potest vt in magno populo non multa peccata regnent maximè dormiente patrefamilias & rectore? Idem dico in præsenti: Fieri nequit vt in animo versante inter tot passiones & mundi illecebras, non dominentur multæ cupiditates, maximè si rector huius ciuitatis dormiat. Quòd si posteà confessario rationem reddat & in nullo suos accusare sensus & passiones queat, sola ei inquisitio defuit. Ac licet fortè non habeat aliquod mortale: si tamen hoc non scit probabiliter, hoc ipso quòd negligit inquirere, salutem suam in discrimen ponit ac pro nihilo ducit, *Maledictus* autem *qui facit opus Dei fraudulenter* (Septuaginta vertunt, *negligenter*) *Ierem. 48.*

2. Deinde si quis non habuit contritionem de peccatis suis lethalibus vel saltem attritionem tempore confessionis: nondum resurrexit, adhuc iacet in sepulchro. Quomodo enim potuit ei Deus remittere offensam, si is nondum agnouit culpam nec tetractauit? Nimis magnus est Deus, qui nequaquam placatur offensus, nisi offendens coram eo se humiliet, culpam agnoscat & defleat. Et quid mirum? Homines hoc exigunt & domini præsertim: cur non magis Deus?

3. Tertiò, Si quis non habuit propositum seriò vitandi peccata & propinquas peccandi occasiones: nondum resurrexit: adhuc enim pugionem sub togâ gestat, volens iterum nocere datâ occasione, & offendere Deum: retraxit tantùm venenum, breui reuocaturus, vt de nouo noceat. Vnde S. Isidorus *lib. de summo bono cap. 16.* ait: *Illusor & non pœnitens censendus est, qui id facit aut facere cogitat, cuius dolorem præsefert.*

4. Denique si quis sciens volens mortale peccatum reticuit in confessione, absque vrgente & rationabili causâ (qualis foret si rationabiliter timeret quis graue damnum sibi inde emersurum) nondum is surrexit. Ratio, quia si vel vnum capitalem Dei suiipsius hostem retineat ac foueat in domo suâ, nónne filius mortis & Dei inimicus erit? Nec etiam remittitur vnum peccatum absquê alio. Vnde Christus quando plures dæmones in eodem homine inuenit, omnes simul eiecit. Et quid profuisset eijcere vnum sine altero? Adhæc, qui de peccato surgere & in statum gratiæ reponi vult, Deum diligere debet *Quomodo* autem *amas me*, inquit Dalila Sampsoni (quando secretum eius expiscari ab eo non poterat) *cùm animus tuus non sit mecum? Iud. 16.* cùm totus adhuc deditus sis pristinæ conuersationi, societati, poculis, aleis, vsuris, &c. Hoc igitur lecto qui decûbit, nequaquã resurrexit, licèt viuere se putet; quin imò profundiùs sepultus est, & grandior adhuc lapis aduolutus eius sepulchro, qui tam temerè & grauiter cum Deo suo lusit.

SECVNDÒ, surrexit integrè, nihil quod ipsius erat relinquens in sepulchro, non capillum, non pedem, non manum, non dentem, &c. Ita nos in sepulchro peccatorum nec affectum quidem peccati relinquere debemus. Eccur enim angelus in carcere Petro excitato præcepit: *præcingere & calcea te caligas tuas, circumda tibi vestimentum tuum? Act. 12.* quia voluit vt is nihil relinqueret in carcere, cuius amore retrahi posset. Pharao plagis coactus, dimittere quidem voluit viros in desertum, sed fœminas & paruulos retinere; demum pecora tantùm eorum. Sed respondit Moyses: *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula. Exod. 10.* ne videlicet per hæc retraherentur in Ægyptum labiles Hebræi. Ergò multi quidem resurgunt, sed pedem adhuc in sepulchro habent, dum ea retinent vel repetunt, quæ ipsis petra scandali & occasio sunt relapsus, v. g. libros hæreticos vel impuros, quos legerunt priùs: domos suspectas; societates prauas: commercia periculosa. Item amuleta vel figuras aut scripturas superstitiosas. Si toti resurrexissent, talia abijcerent sicut *Act. 19.* legitur: *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus.* Ergò qui cum periculo salutis inter hæreticos degit, ab eis discedat, & liberos suos auocet: qui habet domi suæ pellicem, vel personã sibi periculosam, amoueat: Choreæ & compotationes vitentur: ebrietas caueatur: merces & pecuniæ adulterinæ abijciantur: pecunia ad vsuram credita repetatur: lusu abstineatur: susurrones excludantur: societati malæ renuntietur.

C. II. Surgendũ integrè.

Quis enim vestrûm clauum acutum in scamno videns, in quo vestem lacerauit, non

non continuò illum extrahit? Quis foueam in domo tolerat, in quam incidens pedem fregit? clauus acutus est quælibet occasio peccandi: *fouea profunda* est *meretrix*, ait Sapiens *Prouerb.* 23. Eccur eam non amouetis? *Cur fœminas reseruastis?* ait Moyses principibus exercitus; *Nónne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam? Num.* 31. Certè Moyses vitulum illum, qui occasio Idololatriæ fuit Iudæis, comminuit & combussit cineresque in aquam sparsit. *Exodi* 32. Sic prudens pater arcum, quo filius se læsit, proijcit in ignem. Qui hoc non facit, pedem, id est affectum, adhuc in sepulchro tenet & facilè retrahi potest: sicut canis cum catenâ aufugiens.

D. III. Surgendum firmiter.

TERTIÒ, Surrexit firmiter. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur*, inquit Apostolus ad Rom. 6. Ita verè suscitato mors animæ, peccatum, dominari imposterum non debet. Suscitatus à mortuis est Lazarus & qui cum Christo resurrexerunt & apparuerunt multis, sed non ad vitam immortalem: iterum mortui sunt. Tales sunt, qui post confessionem & tempus paschale mox iterum desiderijs suis habenas laxant ad pristina peccata. Ariolus ille Balaam in itinere territus ab Angelo bonam mentem induerat: paulò tamen pòst ad ingenium suum redijt. *Num.* 23. Dum Arca portaretur per alueum Iordanis, steterunt aquæ & continuerunt fluxum suum, *Ios.* 3. Sed postquam arca transijt, iterum redierunt ad priorem cursum tendentes in mare mortuum. Idem multis euenit, qui in hebdomadâ sacrâ desinunt aliquantisper à cursu suo ordinario, tendente ad infernum, quia tunc per eos transit arca fœderis, S. Eucharistia vel Christi passi memoria. At posthæc mox repetunt cursum suum; similes item grassatoribus nocturnis, qui vbi vident satellites aduentantes, arma deponunt tuto loco, quasi nihil vnquam mali moliti essent. Sed vbi satellites transierunt, arma resumunt & nouos tumultus concitant. Quamdiu confessarij scrutantur & reprehendunt peccatores, tam diu illi sese continent & deponunt ad tempus aleas, gladios, pocula, carnis esum, labores interdictos, &c. At postquam horum manus euaserunt, omnia illa resumunt. Sed quæ vtilitas, quæso, & quis fructus talis resurrectionis? *Canis reuersus ad vomitum suum & sus lota in volutabro luti*, quæ vtilitas vtrique? 2. *Petr.* 2. Quid profuit vxori Loth exijsse de Sodomis, si postea retrospiciens versa est in statuam? Quid profuit Israëlitis exisse de seruitute Ægyptiacâ; si postea in deserto Deum offenderunt & omnes interierunt? Quid profuit Pilato, voluisse Christum dimittere & innocentem proclamasse, si postea ob amorem Cæsaris eundem condemnauit? Quid prodest, magno pretio redimi de patibulo, si redemptus & dimissus mox alibi capiatur & suspendatur? Quid profuit Iudæ restituisse & pœnituisse, si postea se suspendit? Quid profuit Balaamo benedixisse Israëlitis ac dixisse: *Moriatur anima mea morte iustorum & fiant nouissima mea horum similia*; si postea relapsus perijt? Sufficit dæmoni vicisse te in fine, & ideò calcaneum nostrum obseruare dicitur, *Ps.* 55. Et nónne expulsus, videns domum scopis mundatam, satagit reuerti cum septem alijs spiritibus nequioribus se? & vbi rursum ingreditur, fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus?

Ac licèt post relapsum, iterum sit spes veniæ & locus pœnitentiæ: incertum tamen est, vtrum eum obtenturus adeoque rursum excitandus sis. Quid enim si in peccatis indurescas & obsordescas? Audi S. Gregor. Nazianz. orat. 4. in S. Baptisma: *Caue*, inquit, *ne rursus emoriaris ijsq́, qui in sepulchris habitant aggregeris, ac peccatorum tuorum funibus constringaris. Incertum enim est, an rursum ex sepulchro excitaberis vsque ad postremam resurrectionem.* Sanè Balaam cùm ad ingenium redijsset & modos satisfaciendi impio Balaac quæsijsset, inter infideles occisus est.

E. IV. Surgendū ad normā corporis gloriosi.

QVARTÒ, Denique resurrexit cum corpore glorioso, cuius 4. sunt dotes, impassibilitas, claritas, agilitas, subtilitas. Igitur *sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis*, inquit Apostolus 1. *Cor.* 15. ac Primò simus, vt ipse, impassibiles, id est, impenetrabiles, siue prosperæ siue aduersæ fortunæ tela in nos mittantur, vt dicamus illud Socratis: *In cœlum mente conscendi: Solem hunc solumq́, hoc despicio.* In triumphantes olim conuitia dicere licebat; verùm ne illi his mouerentur aut vindictam sumerent, Fascinum inuidiæ medicum currui appensum gerebant, teste Plinio *lib.* 28. *c.* 4. Hæc nobis dos adhæreat, vt ne moueamur telis, quæ inuidi in nos iaculantur. Secundò, Simus fulgidi & clari, vt luceat lux nostra coram hominibus palamque fiat nos reuerà cum Christo surrexisse, vt hinc illustrentur & incalescant etiam proximi nostri. Tertiò, Simus agiles & prompti ad ea peragenda, quæ officij nostri sunt & obedientiæ Christianæ, ad implenda Dei, Ecclesiæ & superiorum præcepta, virtutumque exercitia; quales erant illi Monachi apud Cassianum *l.* 4. *Instit. c.* 12. qui pulsu vocati ad orationem aliudve exercitium, dum scriberent, literam quam inchoarant non finiebant, quin ilicò exsilirent ad quod vocabantur opus. Quartò, Simus subtiles, vti Christus fuit: penetremus ianuas clausas, cùm proximo succurrendum est: penetremus muros, valla, armatorum cuneos, cùm pro gloriâ Dei dimicandum est: penetremus cœlos, cùm orandum & contemplandum, vt mente à terrâ in cœlum eleuati, iungamur sanctis Deoque vniamur, quod nobis ipse donet, qui hodie surrexit, &c.

CON-

CONCIO VI.

Alleluia quid sibi velit.

1. Alleluia *hortatur nos ad gaudium spirituale.*	*rum actionem.*
2. *Ad laudem & gratia-*	3. *Ad pugnam spiritualem.*
	4. *Ad vitæ renouationẽ.*

THEMA.

Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia. Apoc. 19.

A. MIrabitur forsan aliquis, quid Ecclesiæ contigerit, quòd quæ paulò ante lugubre illud. *Kyrie eleison* & *miserere* toties nobis occinuit, tam repente nunc prorumpat in lætissimum Alleluia idque toties ingeminet. Sed respondetur Ecclesiæ accidisse quod contingere solet mulieri, quæ, vt ait & prædixit ei Dominus *Ioan.16. Cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mũdum.* Itaque Ecclesia per Quadragesimam quidem tristis fuit, quia defleuit partim sua peccata, partim Christi passionem, maximoperè desiderans liberari à peccatis & videre Christum resuscitatum vnaque cum eo filios suos. Nunc ergò quoniam hodie à pœnitentiæ doloribus liberatam sese conspicit, nec non rediuiuum Christum & cum eo filios suos secundùm animam resuscitatos; hinc illa exultatio; hinc iubilus & Alleluia. Iuit priùs quodammodo cum Magdalenâ ad sepulchrum plorans: nunc autem viso Domino regreditur cum lætitia dicens: *Quia vidi Dominum.* Superest nunc vt audiamus quid sibi velit Alleluia.

B. 1. Hortatur ad gaudium spirituale.

PRIMÒ Hortatur nos ad gaudium spirituale, quo beneficium reconciliationis nostræ agnoscamus, q.d. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ* Quemadmodum enim milites cum Imperatore suo de prælio victores redeuntes clamabant, *Io triumphe*, teste Varrone *l.5 de linguâ latinâ*; Et in hodiernum etiã qui iubilare volunt, *Io* ingeminant, voce significante lætitiam: ita etiam Ecclesia modò quia per Christum victoriam adepta est, idcircò gaudium suum his diebus per vocem iubilationis iure merito enunciat. Postquàm Iudæi permissione Cyri de captiuitate Babylonicâ ascendissent in terram suam & dirutum templum suum in Ierusalem reædificassent, *vociferantes lætitiâ*, vt dicitur 1. Esd. 3. *eleuabant vocem: nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium*, &c. Deposueramus hactenus à Dominicâ 70. vsque ad hanc diem canticum Alleluia, ob captiuitatem nostram, quâ sub seruitute dæmonis tenebamur; Vnde sicut Iudæi in Babylone non poterant canere cantica lætitiæ, dicentes: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* Ita & nos quamdiu extra gratiæ statum nos constitutos vidimus, non potuimus canere Alleluia. Quoniam igitur hodie per Christum eiusque Sacramenta ad patriam nostram regressi sumus (vti bene speramus) & prætereà videmus templum nostrum, Christum, paulò antè in passione dirutum & dissolutum (iuxta id Domini: *Soluite templum hoc & post triduum reædificabo illud*) denuò restauratum & maiori quidem gloriâ quàm fuerit priùs: Cur non igitur & nos *vociferantes cum lætitiâ vocem eleuemus & clamemus Alleluia*?

Non videtur prætereundum, quod scribit Humbertus Episcop *l.contra Græcos* his verbis: *Quòd autem nouem hebdomadibus Alleluia intermittimus, nõ incongruè per nouem hebdomadas nouem ordines Angelorum accipimus, quorum decimus ordo per superbiam corruens, angelicum numerum imminuit & fœlicitatem perturbauit. Qui condolẽtes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, à perfectâ laude creatoris fuère præpediti. Quorum recuperationi & consolationi consulens omnipotens creator, primum hominem de limo terræ formauit: qui sui generis multiplicatione damna cælestis patriæ resarciret, atque Angelorum gaudia suppleret. Qua spe Angelicus chorus admodum exhilaratus; nec mora, ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus: Vnde ille nouem ordinum concentus in laude creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille protoplastus, illo augmento sui collegij, & meliori spe Angelicus exercitus gauisus in nouum Alleluia consurrexit totus, & in eo perstat deuotus. Quæ & nos pro modulo nostro imitantes, à Septuagesima quãdo lapsus protoplasti in Ecclesia recitatur, Alleluia nouẽ hebdomadibus intermittimus, scilicet in pascha, vbi Christus resurgens à mortuis tristitiam nostram in gaudium vertit, & Alleluia reddit.* Hæc Humbertus.

De Græciæ vrbibus quæ in seruitute Philippi Macedonum regis tenebantur, scribit Valer. Max. *l.4.c.vlt.* quòd cum Quintus Flaminius pop. Rom. Dux deuicto Philippo & ad insigne spectaculũ totâ Græciâ conueniente per præconẽ omnes Græciæ vrbes quæ Philippo seruierant, liberas esse atque immunes iuberet: Græci audientes tantis clamoribus aërẽ compleuerunt, vt aues superuolãtes attonitæ pauentesque deciderint. Sed quid ista libertas si cum illâ comparetur, quam nobis attulit hodie Christus? Tenebamur enim non in hominis alicuius, sed Diaboli seruitute, siquidem illi per peccata nostra miserè subijciebamur & ad gehennã obligabamur, nec erat vllus modus excutiendi iugum eius, quia non sufficiebant humanæ vires ad nos redimendos. Vnus Dei filius redimere nos poterat suaque passione redemit, & hodie cum à mortuis surrexit, libertate nos donauit nec non adoptione filiorum Dei quæ sola vera est libertas, & cœlesti hæreditate. Itaque meritò hodie omnes vocem exaltamus & clamamus *Alleluia*: quia sicut hac lætitiâ Christum Seruatorem nostrum glorificamus, ita aduersarios nostros dæmones in aëre volitantes perterrefacimus, exanimamus & quodammodo ex aëre in orcum deijcimus. Cæterùm hoc gaudium non qualecumque sed spirituale esse debet ad Dei

laudem

laudem cedens, vti sonat *Alleluia*, id est, laudate Deum. Congaudere enim debemus inprimis Christo resurgenti, qui post tot passiones suas tantam consecutus est gloriam; gaudere ob resurrectionem nostram, quâ peccatorum vinculis exsoluti libertatem filiorum Dei consecuti sumus per pœnitentiam: sicut lætatur aliquis qui è triremibus aut Turcico iugo euasit; & sicut gaudet passer cùm euadit laqueum vel caueam & cantillat præ gaudio. *Anima enim nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Psal.* 123. Sed heu mundus hoc tempore non intelligit hoc gaudium nec canit Alleluia, sed Iô Bacche potiùs, quia ideò lætantur, quòd tempus ieiunij, orationum, pœnitentiæ & confessionis, vel etiam hyemis præterierit, nunc verò redeant carnium esus, tripudia, choreæ, tibiarum & fidium sonitus, noua peccandi libertas, ver amœnum, auium cantus, &c. hi sanè non intelligunt gaudium paschale sed lætantur *in nihili*, vt Amos c. 6. dicitur: *& exultant in rebus pessimis*. Isti non modò non perterrefacient gaudio suo volucres cœli, dæmones, sed potiùs exhilarabunt. Lamentatur id D. Bernardus *serm.* 1. *de resurrectione Domini* cùm ait: *Proh dolor peccandi tempus, terminus recidendi, facta est resurrectio Saluatoris. Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitia repetuntur, & laxantur cupiditatibus frana: quasi ad hoc surrexerit Christus & non magis propter iustificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum, quem suscepistis? Venturo parastis hospitium confitentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, Eleemosynas impendentes: Et ecce susceptum proditis inimici, nam exire compellitis, priores nequitias admittendo. Quid minus præsenti debetur quàm venturo? Quid minus reuerentia resurrectionis tempus exigit, quam passionis? Sed vos, vt manifestum est, neutrum honoratis*, &c. Hæc illc. Possemus dicere istis quod *Luc.* 7. Pharisæis dixit Dominus: *Cantauimus vobis tibijs & non saltastis: lamentauimus & non plorastis*. Etenim tempore quadragesimali lamentauit nobis Ecclesia, incitando nos ad compatiendum Christo patienti & deflenda peccata nostra: Nunc verò cantat nobis tibijs, incitando ad spirituale gaudium vt Christo resurgenti congaudeamus & in Domino gaudeamus propter resurrectionem nostram: sed quid interim homines? nec ibi plorarunt ob Christi passionem & peccata sua: Sed confessionem ex abrupto sine vllâ diligentiâ & lachrymis fecerunt, neque hic lætantur vt decet, sed ineptæ solùm lætitiæ se totos dant deduntque. Sanè Timotheus Alexandri Magni Musicus, vt refert Basilius *hom.* 24. Alexandrum pro varietate carminis mouebat: modò classicum canens, ad iracundiam accendebat vt Martio correptus furore in arma prosiliret: mox sedato cantu, ad pacem & quietem sedauit. Conatur etiam in nobis hoc efficere Ecclesia: sed non tam felici euentu. Per Quadragesimam occinebat nobis Ecclesia: *Miserere & Kyrie eleison*. Nunc canit *Alleluia*. Sed qualis ibi tristitia, talis hîc lætitia.

SECVNDÒ, Ad Dei laudem & gratiarum actionem, quâ reconciliatorem nostrum Christum & Deum cui reconciliati sumus laudemus & gratiarum actione prosequamur; qui secundus gradus est gratitudinis. Solemus enim nos post insignem aliquam obtentam victoriam, conuenire in vnum & cum tubis, tympanis & Musicâ cantare hymnum *Te Deû laudamus*, in gratiarum actionem: id quod didicimus primò à patribus veteris legis. Ita *Exodi* 15. post demersum in mari rubro Pharaonẽ, persecutorem Israelis, cecinit Moyses & filij Israel carmen Domino: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare*, &c. Idem fecit Debora cæso Sisarâ, *Iud.* 5. Et Iudith percusso Holoferne, *Iudith c.* 16. Discimus idem à gentilibus, Romanis præsertim, qui pro victoriâ obtentâ plurium & sæpe 50. dierum supplicationes ad Deorum suorum templa instituebant, vbi grandes natu matres manibus amplexæ & viri seorsim coronati procedere & Dijs suis, quos veros putabant, gratias agere solebant; vt refert Maiol. *tom.* 3. *Canic. coll.* 2. Auctor antiquit. Roman. *l.* 10. *cap.* 28. Quantò rectiùs igitur & æquiùs nos id facimus, qui à grauissimis omnium hostibus liberati sumus: à peccato inprimis, quod instar Pharaonis nos insequentis, in mari rubro sanguinis Christi suffocatum est? A diabolo qui instar Sisaræ affixus est & clausus in abysso per Christum, vt iam non nisi volentem lædere queat? à morte, cui velut Holoferni caput est ademptum superbiæ & Tyrannidis? Vnde ei illudens Apostolus 1. *Cor.* 15. ait: *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est, virtus verò peccati lex. Deo autem gratiæ qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM. Propterea igitur Ecclesia per 50. dies vsque ad Pentecostem plures, quasi 50. dierum, supplicationes instituit & in ijsdem toties *Alleluia* ingeminat, vt nos ad laudem Dei & gratiarum actionem hortetur, si quidem *Alleluia*, vt diximus, laudate Deum, sonat. Imò si taceremus, pudefacerent nos pueri illi, qui Christo prælium inituro accinebant: *O sanna Benedictus*, tanquam iam victori. De quibus etiam Dominus dixit: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*. Scribit S. Hieronymus de S. Paulâ Abbatissâ in epitaphio eius ad Eustochiũ, solitos olim Monachos & Moniales hac voce *Alleluia* conuocari ad nocturnas preces in templum. Sit igitur & nobis hæc vox incitamentum ad laudandũ Deum. S. Franciscus audito auium cantu statim excitabatur ad Dei laudem. Dauid excitabatur è somno & surgebat ad psallendum, quando sonitum aëris cytharam & psalterium de manè iuxta se verberantis audiebat, vt volunt Rabbini in *Ps.* 56. vbi ait Dauid: *Exurge psalterium & cythara, exurgam diluculo*. Ita & nos cùm audimus Ecclesiæ cantores, aërem quoque ipsum in Organis & tubis, in cytharis & psalteriis *Alleluia* resonantem, excitemus nosmetipsos ad Dei laudem concinendam.

C. II. Ad Dei laudem & gratiarum actionem.

D. III. Ad pugnam spiritualem.

Tertiò, Hortatur nos ad pugnam spiritualem vt Christo pro nobis & ante nos dimicanti strenuè cooperemur: quomodo milites tympanis & tubis, vel etiam horrisono clamore vt Vngari ad prœliandum accenduntur. Tametsi verò Christus iam de facto principalem nobis obtinuit victoriam, quâ nos à diaboli tyrannide & peccati liberauit iugo libertatemque nobis restituit, non ideò tamen rem totam confectam existimemus; supersunt enim adhuc hostes licèt fracti, dispersi & debilitati, qui nobis insidientur; quia spiritus malus pulsus assumit secum alios septem spiritus nequiores se & reuerti cupit, *Luc. 11.* Vnde etiamnum nobis vigilandum & fortiter pugnandum est. Quid enim iuuat hostes nostros expulsos & fugatos esse à Christo, si nos lusui luxuique vacantes iterum ijs portas aperiamus? *1. Reg. 7.* terruit Deus magno fragore Philisthæos & sine pugna fugauit; ne tamen sperarent Israelitę, Deum id sæpiùs aut semper facturum, ideoque ignauiæ se dederent, erexit Samuel ibi lapidem adiutorij & dixit: *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus*; q. d. hanc quidem victoriam obtinuimus per meram Dei gratiam sine cooperatione nostrâ, sed non semper id eueniet; reliquum est, vt deinceps nos alacriter pugnemus. Deuicit quidem & fugauit Christus hostes nostros, peccata scilicet, per ingentem fragorem, quando *clamans voce magna expirauit*: cuius rei testis est figura Crucis erecta, quasi lapis adiutorij, sed hucusque auxiliatus est nobis Christus: videndum nunc vt id conseruemus, quod ipse nobis victoriâ suâ peperit. Obtinuimus primam victoriam in baptismo sine omni nostro labore: eò vsque auxiliatus est nobis Dominus. Quòd si posteà rursum peccemus, tunc Christus non saluabit ampliùs nos sine nobis, sed requirit pœnitentiæ laborem & cooperationem nostram. Quanquam etiam sic victoriam nobis acquisiuit, quia ita debilitauit hostes nostros, dæmonem & peccatum, vt facili negotio superare illos possimus per remedia nobis data, quo modo ciconia serpentem iam à se confractum & collisum obijcit pullis suis omnino dilacerandum. Sed videamus quid virium in prœlijs habeat vox *Alleluia.* Et quidem primò contra visibiles hostes tantum potuit *Alleluia* vt eius ingeminatione territi & in fugam acti sint Pelagiani Britanni à Gallis Duce S. Germano, qui tempore paschali Sacerdotes tertiùm id inclamare iusserat, posteà populum clamore subsequi. Vnde repercusso aëre in montibus voces multiplicatæ sunt: ex quo hostes territi & in fugam proiectis armis conuersi sunt, vt est apud Baron. ann. 429. Quin etiam *2. Par. 20.* cùm Israëlitæ sub Rege Iosaphat cœpissent laudes canere ac dicere: *Confitemini Domino*, id est, laudate Dominum (seu Alleluia) *vertit Dominus insidias* hostium *in semetipsos.* Deinde ad tolerandas fortiter aduersitates vsurpatum *Alleluia* à SS. Martyribus Fœlice, Fortunato & Achilleo, qui ob fidem incarcerati ad martyrium se animabant, psalmi illius 65. decantatione: *Omnis terra adoret te & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo Alleluia*, vt refert Surius 23. Aprilis, denique contra inuisibiles etiam hostes, cuius exemplum refert Cæsarius *l. 4. c. 54.* de Gerardo Tyrone religioso, qui per *Alleluia* cantatum, à vexatione dæmonum liberatus fuit. Igitur si tantum potuit *Alleluia* in his prælijs, cur non etiam in nostris quæ cum dæmone gerimus!

E. IV. Ad vitæ renouationem.

Quartò. Hortatur ad vitæ renouarionem & puritatem sectandam, quia canticum nouum & angelorum est, qui perpetuò laudant Deum adeoque canunt *Alleluia* semper, vt videre est *Apoc. 19.* idemque cantabant resurgente Christo, quando per resurrectionem noui Adam ruinas suas explendas viderunt, vt habetur *c. hi duo, de consecrat. dist. 1.* Rursum tempore S. Gregorij M. cùm canere auditi sunt: *Regina cæli letare Alleluia*, vt refert Ioan. Diacon. in actis Gregorij. Ideò tanquam vox patriæ cœlestis non est translata in linguam nostram. Quoniam igitur Ecclesia tempore Quadragesimæ & pœnitentiæ non putauit se dignam vt ore adhuc polluto laudaret cum Angelis & Angelicâ voce Deum, (ad instar Thaidis illius Alexandrinæ pœnitentis, quæ ob præteritam lasciuiam nō æstimabat se dignam, quæ Dei nomen ore proferret, ideòque solùm dicebat: *Qui plasmasti me, miserere mei*, vt refert Marulus *l. 4. c. 10.* nunc verò per pœnitentiam purificatam se existimat, ideò tanta alacritate prorumpit in *Alleluia.* Ad eundem enim modum S. Dauid in psalmis suis, non cantauit priùs *Alleluia*, quàm per multos psalmos amouisset impedimenta istius celeberrimæ laudis. Vnde in fine *Psalm. 103.* sic concludit: *Deficiant peccatores à terrâ & iniqui ita vt non sint, benedic anima mea Domino Alleluia*; sicque deinceps repetit id multoties. Vt igitur Ecclesia vt deposito mundi crocitatu, nunc incipiamus cantare canticum Domini & loqui linguam alterius patriæ quâ laudemus Deum, non ore tantùm sed & operibus, iuxta Psal. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Sed prô dolor, vereor ne Ecclesiæ accidat, quod Duci Carthaginensi Hannoni, qui, vt refert Ælianus *lib. 12.* cùm plurimas & varias auiculas inclusisset in auiario & docuisset eloqui verba illa: *Hannon est Deus*, quo nimirum posteà emissæ nomen eius vndique proclamarent: spe suâ defraudatus est; Siquidem dimissæ aues mox ad pristinum & naturalem suum rediêre cantum. Similiter enim Ecclesia per Quadragesimam nos quodammodò inclusit in caueam pœnitentiæ & varijs pietatis operibus aptauit vt Deum dignè laudare, amare & venerari disceremus. Sed vbi dimissi sumus, mox ad pristina nostra carmina redimus; alijs canentibus: Plutus est Deus; alijs: Bacchus est Deus; alijs: Venus est Dea; alijs: Mars est Deus, &c. Pauci reperiuntur, qui Christū Deum verum laudent, ament, prædicent, sectentur. Sed quæ est hæc stultitia? quæ Dei iniuria? qui Ecclesiæ contemptus? mox destruere, quod ædificaris? mox vitupe-

vituperare, quem laudaris? mox obliuisci, quod ab Ecclesiâ didiceris? Et quis non malit cum angelis laudare Deum in omnem æternitatem, quàm blasphemare cum damnaris? Atqui qualem hîc didiceris linguam, talem ibi loqueris, talem & sortieris regionem.

CONCIO VII.

De Paschate Christianorum.

1.2. Quæritur cur Christiani celebrent Pascha, idque, nō in plenilunio cū Iudæis sed Dominicâ sequente. *3.4. Cur semper in Dominica, & quare mutatim sit Sabbathum in Dominicam & quo in honore semper habita fuerit Dominica Resurrectionis.*

THEMA.

Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Marci vlt.

A. *Errores circa Pascha.* DIu multumque olim quæsitum fuit, quo potissimùm tempore Pascha Christianorum celebrandum foret. Inprimis Blastus quidā, teste Tertulliano *l. de præscr.* docuit pascha cum Iudæis celebrandum Luna 14. siue ea incideret in Dominicam, siue in aliā diem. Fuerunt deinde Cappadoces, qui teste Epiphanio *hær.* 50. semper Pascha celebrabāt die 25. Martij, quia putabāt eo die Christum passum fuisse ipsoque passionis die Pascha celebrandum. Tertiò Britones & Scoti apud Bedam *l. 3. hist. c.* 25. contra communem totius Ecclesiæ vsum Pascha celebrabant primâ Dominicâ post Lunam 13. Ita vt aliquando ipsâ Lunâ 14. Pascha celebrarent, aberrantes tam à Iudæis quàm à Christianis; siquidem Iudæis primus dies Paschæ solemnis erat Luna 15. inchoabat tamen à Vesperâ diei præcedentis, Lunâ scilicet 14. quâ & agnum comedebāt. At illis dies Paschæ erat Luna 14. inchoans à vesperâ pridianâ Lunæ 13. Quartò Nouatiani, teste Socrate *l. 5. hist. c.* 20. in decreto suo, quod vocabant ἀδιάφορον, statuerunt liberum esse vnicuique debere, celebrare Pascha quando velit. Denique Aërius Pascha omninò exterminabat, quod Iudaismum saperet, teste Epiphanio *hær.* 75. Sed quid nos inter has tenebras, Auditores? Vbi nobis quærendum verum & congruum tempus Paschatis nostri? Vtique in Ecclesiâ Catholicâ, ad quam sub typo Galilææ remittit Angelus fideles in hod. Euangelio: *Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis.* Galilæam Ecclesiæ typum dico primò, quia Galilæa sonat transmigrationem: Ecclesia autem militans toto conatu quærit transmigrare ad triumphantem & cœlestem patriam. Deinde in Galilæâ habitabant gentiles & Iudæi; Ecclesia etiam ex vtrisque coaluit in vnum. Denique in Galilæâ Christus spectatissimâ apparitione omnibus fidelibus, qui adesse poterant, videndum sese præbuit: Ecclesia congregati est omnium fidelium. Ergò ad hanc eamus, hanc interrogemus, quid de Paschate sentiendum sit, ibi Christum videbimus.

B. I. *Cur pascha celebrent Christiani.* PRIMÒ, Opponat aliquis cum Aërio: Ad quid Pascha Christianis? nónne id Iudaismū sapit? Resp. Cum Card. Bellarmino *l. 3. de Cultu Sanct. c.* 12. non agere nos Pascha Iudæorum, sed quod illo significabatur. Significabat autem Primò transilitionem Angeli, qui nocte quâ immolabatur agnus ab Hebræis in Ægypto, transcendit quasi per saltum domos Hebræorum, ne percuteret eorum primogenita; quæ ratio redditur *Exod.* 12. *Est enim phase,* moxque ratio subiungitur: *Transibo enim per terram Aegypti nocte illâ & percutiam primogenita Aegyptiorum: erit autem sanguis vobis in signū in ædibus vestris & videbo sanguinem & transibo vos; nec erit in vobis plaga.* Secundò, Ipsum agnum Paschalem, qui per immolationem transibat de vitâ ad mortem. Vnde dicitur *Luc.* 22. *Necesse erat occidi pascha.* Tertiò, Transitum populi, qui illâ ipsâ nocte liberatus à tyrannide Pharaonis, transiuit per mare rubrum, vt iret in terram promissionis. Et hanc significationem agnoscunt Gregorius Nazianzenus *orat.* 2. *de Pascha*, Et Augustinus *tract.* 55. *in Ioan.* Quartò, Ipsum festum diem. Nam *Luc.* 22. dicitur: *Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.*

Porrò hæc quatuor sunt etiam suo modo apud Christianos. Nam Angelus transiliens & occidens primogenita Ægypti saluansque filios Israel, est Christus, magni consilij Angelus, qui dum hodiernâ die transijt de morte ad vitam, saluauit omnes qui eius sanguine aspergendi erant, relictis cæteris in manu vastatoris: occidit etiam pessima illa primogenita, diabolum, peccatum, mortem, infernum. Deinde idem Christus Dominus noster, Agnus etiam Paschalis est, pro nobis in Cruce immolatus. Rursum transitus per mare rubrum quid aliud significat nisi transitum populorum per aquas baptismi? Eam ob causam olim in Paschate ordinariè baptizabantur Catechumeni. Denique festus Iudæorum dies nostrum figurabat festum, quod hodie ob memoriam resurrectionis Dominicæ peragimus.

C. II. *Cur non in plenilunio cū Iudæis, sed Dominica sequente celebremus Pascha.* SECVNDÒ, Opponat aliquis cum Blasto & Quartodecimanis: Cur non ipsâ Lunâ 14. vnâ cum Iudæis celebramus Pascha, sed Dominica primùm sequente? Respondetur in omnibus Concilijs statutum fuisse ne Pascha cum Iudæis celebraretur Lunâ 14. post æquinoctium vernum, sed Dominicâ sequente primùm. Id ostendit Constantinus Imp. in Epistolâ ad omnes Ecclesias, apud Euseb. *lib. 3. de vitâ Constant.* tribus rationibus. Primò, ne concurramus cum Iudæis Christi interfectoribus. 1. Secundò, quia par est vt in totâ Ecclesiâ sit vna ratio celebrandi Pascha & par etiam est vt pauciores pluribus cedant. 2. Porrò ab antiquis temporibus Roma, Italia, Africa Gallia, Hispania, Britannia, Ægyptus, Libya, Græcia, Pontus, Cilicia, & magna pars Asiæ celebrant Pascha die Dominico, soli autem pauci Orientales contra totum Meridiem, Occidentem, Aquilonem & magnam Orientis

partem

3. partem, cum Iudæis Pascha celebrant. Tertiò quia absurdum est vno anno bis pascha facere, & alio anno numquam. Atqui hoc accidebat illis, qui Pascha quartadecimâ die agebant; nam illi non obseruabant æquinoctium, sed solùm menses 12. Lunares & celebrabant Pascha Lunâ 14. mensis primi, dicti Nisan (primi, inquam, in anno sacro, qui ab æquinoctio verno seu 21. Martij inchoabat: non anni vulgaris, qui ab æquinoctio autumnali) non curantes si illa decimaquarta esset ante æquinoctium vel post. Itaque interdum accidebat vt vno anno celebrarent Pascha post æquinoctium & anno sequenti ante æquinoctium & proinde bis in vno anno. Quartò his accedunt diuina testimonia. Refertur inprimis in vita S. Marcellini Ebredunensis Episcopi, cuius meminit Ado in Martyrol. 12. Calend. Maij, baptisterium quod ipse iuxta Ebredunum condidit, in sanctis Paschæ vigilijs, Dei virtute singulis annis aquis subitis inundare idque per septem eiusdem solemnitatis dies continuari solitum. Atque ex hoc miraculo collegerunt Pascha non esse celebrandum ipsâ 14. Lunâ cum Iudæis, vti volebant Quartodecimani, sed in Dominicâ sequente. Tunc enim contingebat hoc miraculum. Testatur etiam Paschasinus Episcopus Lilibæi in Epistolâ ad Leonem, quæ est 63. inter Epistolas S. Leonis, tempore Zosimi Papæ, anno 417. (vt ibi ex eo refert Baronius) ortam quæstionem de Paschate, quòd Occidentales dicerent, Pascha celebrandum illo anno 25. die Martij: Orientales autem 22. Aprilis. Porrò in quadam Ecclesia Siciliæ solebat singulis annis sacer fons diuino miraculo per se repleri ipsa nocte Paschatis, quâ Catechumeni baptizandi erant. Illo autem anno cùm ex præscripto Zosimi Pascha ageretur 25. Martij, fons inanis & aridus mansit; deinde 22. Aprilis fons repletus est; atque ex eo intellectum est, errasse Occidentales in celebratione Paschæ. Huiusmodi miraculum contigisse etiam Anno Domini 573. scribit Sigibertus in Chronico. Siquidem annotauit eo anno fontem baptismalem in Hispania diuinitus impletum fuisse in Sabbatho veri Paschatis, quod tunc Galli rectè seruabant, Hispani autem malè. Idem in alio fonte Lucaniæ fieri solitum docet Baronius ex Cassiodoro; Et in alio Lyciæ, vbi aqua perseueret vsque ad Pentecosten & tunc euanescat, scribit Ioan. Moschus *in prato spir. c. 214.*

Britonum quoque error, de quo suprad. per miraculum, quo S. Augustinus Anglorum Episcopus cæcum illuminauit, confutatus est, vt refert Ven. Beda. *l. 2. hist. Angl. cap. 2.* Quando ergò Deus tot miraculis ostendit verum diem Paschatis, consequens est, non esse rem indifferentem nec sine graui peccato recedi posse à definitione & consuetudine Ecclesiæ.

D. III. Cur semper in Dominica celebr. is Pascha.

Tertiò, Opponat aliquis cum Cappadocibus & Gallis, qui 25. Martij celebrabant Pascha semper: illi quòd eo die Christum passum, hi quòd eo resurrexisse putarent? Cur non eo stabili die, quo surrexit Dominus, celebratur Pascha, quamcumque in feriam incidat, quo modo Christi Natiuitas, Circumcisio, Epiphania? Cur semper in Dominicâ? Respondetur Ecclesiæ traditionem, quæ hoc docet, obseruandam esse. Testatur id Eusebius *l. 5. cap. 23.* dicens: *Vnum omnes Ecclesiasticum dogma confirmant, ne liceat aliquando nisi in die Dominicâ, quâ Dominus resurrexit, Dominicum Pascha celebrare mysterium.*

Causam huius differentiæ inter hoc & alia Christi festa affert S. Augustinus epistol. 119. ad Ianuarium, nimirum in Catholicâ Christi Ecclesiâ alios festus dies in memoriam tantùm alicuius rei gestæ, alios in memoriam simul & sacramentum celebrari. Prioris generis sunt Christi Natiuitas, Circumcisio, Epiphania: posterioris verò Passio, Resurrectio, Ascensio, Pentecoste: quæ non ideò solùm celebriùs peraguntur, vt Dominum pro nobis mortem obijsse, resurrexisse, ascendisse, Spiritum Sanctum misisse recordemur: sed etiam vt aliquid prætereà à Domino gestum vel à nobis gerendum intelligamus. Ergò Dominica resurrectioni decreta Primò, quia vt eo die mundus fuit à Deo factus, ita in eo fuit à Christo rediuiuo refectus & renouatus nec non immortalitate in Christo donatus. Secundò, quia ea dies vocatur dies Solis, vti à Iustino Martyre *apol. 2. in fi.* in quâ nempe Sol Iustitiæ Christus, a qui mortis eclipsi fuerat obscuratus, nouâ claritate effulsit. Vnde appositè S. Marcus, ea fortè respiciens, scripsit mulieres venisse ad sepulchrum *orto iam sole*; sole, inquam, Christo iam resuscitato. Sydus enim solare tunc quidem radios diffuderat supra horizontem, nondum tamen ortum erat, vt ex Matthæo colligimus. Tertiò, vt meditandis Christi mysterijs certos & stabiles haberemus dies, feriam sextam Passioni, Sabbathum sepulturæ, Dominicam resurrectioni. Feria sexta diem pœnitentiæ, Sabbathum diem quietis seu mortis, Dominica diem æternæ gloriæ, in quâ omnes rediuiui occurremus Christo, repræsentat: quibus diebus vitæ nostræ cursus absoluitur.

Accedit etiam ad hæc diuina comprobatio. Testatur enim liber de Rom. Pontificibus in Pio Papa, eo tempore quo Apostolicam traditionem de celebratione Paschatis Pius Papa decreto sanciuit, fratrem ipsius Pij Hermem librum scripsisse, in quo mandatum contineretur, quod ei præcepisset Angelus Domini apparens in habitu Pastoris, vt sanctum Pascha die Dominicâ celebraretur, apud Baron. anno 159.

E. IV. Quamobrem mutatum Sabbathū in Dominicam.

Qvartò. Opponat aliquis cum Iudæis & Sabbatianis: Quo iure & quamobrem mutauit Ecclesia Sabbathum diuino iure præceptum, in Dominicam diem? Resp. Iuris quidem diuini imò & naturalis esse vt dies aliqua diuino cultui dicata sit: quòd verò eam diem nominarit & definierit Deus Iudæis diem Sabbati, id non naturalis iuris, sed legis tantùm

tùm cæremonialis fuiſſe. Potuit ergo Eccleſia, quæ in noua lege minimè obligatur ad leges Iudæorum cæremoniales, mutare illum diem & determinare alium ad diuinum cultum; idque magnis de cauſis fecit. Primò, Ne cum Iu-
1. dæis celebrando Sabbathum videretur Iudai-
2. zare. Secundò, Quia ingentia beneficia die illâ mundo exhibita: creatus mundus; reſurrexit Chriſtus, miſſus Spiritus ſanctus, abrogata lex vetus & promulgata noua. Tertiò, Quia
3. Sabbathum celebratum fuit partim in memoriam beneficij præteriti, creationis mundi videlicet, partim ad ſignificandum aliquid futurum. Figurabat autem tria futura beneficia, ad quæ reuocantur omnia alia. Primò, Quietem Chriſti in ſepulchro. Vt enim Deus Sabbatho quieuit ab opere creationis: ita Chriſtus quieuit Sabbatho ab opere redemptionis, vt Apoſtolus obſeruat *ad Hebr.4.* Et hoc ſenſu allegorico. Secundò, ſenſu tropologico, quietem mentis humanæ à ſeruilibus peccatorum operibus. Iudæi enim dum Sabbatho vacabant, monſtrabant venturum tempus gratiæ, quo liberati homines à ſeruitute peccati, quiete ſpirituali fruerentur, vt exponit Auguſtinus *tract. 30. in Ioan.* Tertiò, ſenſu anagogico figurabat quietem ſanctarum animarum, quam poſt mortem in ſinu Abrahæ expectabant, vt docet Auguſtinus *ep. 119.* Iam verò propter has eaſdem cauſas decuit vt Sabbathum in lege nouâ mutaretur in Dominicam. Quantum enim ad memoriam præteritorum, dies Dominica longè præcellit Sabbathum; nam refert nobis memoriam Natalis Chriſti (ſiquidem die Dominicâ natum oſtendunt calculi Mathematicorum) & reſurrectionis eiuſdem, nec non aduentus Spiritus ſancti, quo die nata eſt quodammodo Eccleſia. Repræſentat etiam memoriam creationis mundi non minùs quàm Sabbathum, quia illo die cœpit mundus fieri & factus eſt quoad principales ſui partes. Quoad futurorum ſignificationem, ceſſare debuit Sabbatum, quia omnia impleta ſunt, quæ per illud figurabantur. Etenim Chriſtus iam in ſepulchro quieuit, & quies animorum in Deo iam agitur: quies verò animarum in ſinu Abrahæ iam eſt mutata in gloriam & beatitudinem, quæ per Dominicam meliùs repræſentatur quàm per Sabbathum. Et ideò S. Auguſtinus *epiſt. cit.* ait Sabbathum rectè datum Hebræis, qui poſt mortem ibant ad ſolam quietem; Chriſtianis verò datam eſſe diem Dominicâ, quia iam reuelata eſt gloria reſurrectionis in Chriſto, & quod præceſſit in capite etiam corpus totum expectat.

Has ob cauſas Eccleſia magno ſemper in honore habuit diem Dominicam & quatuor inſigniuit prærogatiuis. Primò Chriſtiani conueniebant in Eccleſiam ad lectionem, concionem, ſacrificium, communionem, vt ex Iuſtino patet *Apoc. 2.* Secundò, Vacabant ab operibus ſeruilibus, vt patet ex Hieronymo *epiſt.* ad Euſtochium de Virginit. & Gregorio *lib. 11. epiſt. 3.* Tertiò, Non ieiunabant, vt patet ex Tertulliano *de corona militis* & alijs. Quartò, Non flectebant genua, ſed ſtantes precabantur, de quo extat Canon 20. Nicæni Concilij, & Tertull. *lib cit.* *Ritus veterum in Dominicâ.*

Inprimis verò ſummo in honore ſemper habita fuit Dominica reſurrectionis, ſeu hodierna dies, quam S. Gregorius appellauit, *Feſtum Feſtorum & Regem dierum*, apud Gretſer. *lib. de Feſtis.* Ad eius honorem Imperatores reos libertate donarunt. Anno Chriſti 385. Valentinianus, Valens & Gratianus Auguſti ſanxerunt, & ad Lampadium Vrbis præfectum ita reſcripſerunt: *Ob diem Paſchæ, quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus aſtringit, carcer incluſit, clauſtra diſſoluimus. Vbi primum dies Paſchalis extiterit, nullum teneat carcer incluſum: omnium vincula ſoluantur.* Extat hoc reſcriptum *l. 8. de Indulg. crim. C. Theodoſ.* Eandem indulgentiam reis eodem feſto dedit in Oriente Theodoſius Imp. vti teſtatur S. Chryſoſtomus *orat. de Flauiano Epiſc.* *Honor & cultus paſchatis.*

His accedit diuina atteſtatio, quæ ſanctæ huius diei violatores grauiter puniuit. In vitâ S. Maurilij Andegauenſium Epiſcopi (qui fuit diſcipulus S. Martini) 5. Septemb. narratur de quodam, cui nomen erat Belgicus. Hic die Paſchæ mandauerat ſeruis vt ſegetes mundarent; replicant illi eſſe diem Paſchæ, ipſe vrget & inuitos cogit. Sed cùm illi ſegetes ſarrire tentarent, mox Belgicus oculorum cæcitate percuſſus, clamauit vt ceſſarent. Cùm autem tres annos in eâ cæcitate permanſiſſet, tandem tangens S. Maurilij pertranſeuntis veſtes, ſanatus eſt. In vitâ S. Bertini narratur ipsâ nocte reſurrectionis tres ſeruos ex S. Mauritij mart. Monaſterio piſcationi vacaſſe, atque cepiſſe quidem piſcium copiam, ſed duos ex ipſis manuum & pedum officio priuatos, toto corpore contritos è naui exire non potuiſſe: tertium verò & claudum & ſurdum effectum, qui tandem ſcipionum operâ in nocte reſurrectionis viſitans monaſterium Sancti Bertini cumque cum lachrymis inuocans, per eius merita ſanitati reſtitutus eſt. Ergo, Auditores, quando hodiernum feſtum tanti ſemper æſtimatum eſt in Eccleſiâ Catholicâ, ſupereſt vt nos quoque debitâ cum reuerentiâ illud ſuſcipiamus eoque cultu & pietate, quâ primi Chriſtiani ſolebant, ferias iſtas tranſigamus, quò tandem aliquando cœleſte illud Paſcha cum Chriſto manducemus in regno eius.

CONCIO VIII.

Documenta.

Ex sepulchro, quo nos remittit Angelus, discimus
1.2. *Rationem seruiendi Deo, & conuersandi in templo.*
3. *Aeternitèr in Deo sperare.*
4 *Ibi reprehendimus Hæreticorum imposturas.*
5. *Discimus modum præparandi nos ad S. Communionem.*
6. *Cernimus ibi effigiem beatitudinis.*

THEMA.

Ecce locus vbi posuerunt eum. Marci 16.

A. *Templum corpus Christi.* NOstis Auditores, Saluatorem nostrum comparasse corpus suum templo Salomonis. *Ioan. 2. Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud*, dicebat de templo corporis sui, & quidem sapientissimè. Nam primò
1. vti primum illud templum extructum à Salomone destructum est à Chaldæis, reparatum à Zorobabele: ita corpus Christi erectum est à Iudæis, restauratum ab ipso Christo. Secundò,
2. Reparatio templi Salomonici, magnâ festinatione peracta est, vrgentibus Leuitis, vt habetur 1. *Esdr.* 3. Corpus etiam Christi Domini tertio die vix inchoato restitutum & ab inferis excitatum est. Tertiò, de secundo illo tem-
3. plo scribit Aggæus *c. 2. Magna erit gloria domus istius nouissima plusquàm primæ.* Templum etiã corporis Christi reparatum longè fuit augustius, quàm fuerit prius, vtpote & gloriosum & immortale. Denique vbi templum illud secundum consummatum fuit, ingens Hebræorum clamor & vociferatio præ gaudio audita fuit, ita vt clamantium voces intelligi non possent: Nos etiam hoc die, quo instauratum est corpus Christi, iure merito lætamur & vociferamur Alleluia, tametsi vocem hanc peregrinam aliqui non intelligunt. Cæterùm vt cum fructu gaudere hodie possimus, mente reuoluamus, quæ circa huius templi reparationem cõtigisse narrantur in Euangelio: Sepulchrum aspiciamus, quò nos remittit Angelus dicens: *Ecce locus vbi posuerunt eum.*

B. I. *Ratio seruiendi Deo.* PRIMÒ, Ecce locus, vbi discimus modum seruiendi Domino Deo & quidem in mulieribus pergentibus ad sepulchrum. Primò enim
1. summo mane, imò de nocte surrexerunt & emerunt aromata vt venientes vngerent Iesum, ieruntque ad sepulchrum diluculò, ante Solis ortum. Docent ergo non vsque ad multam lucem stertere, sed solis ortum præuenire surgendo, quemadmodum & Christus ipse surrexit ante solis ortum: præterea primam diei actionem Deo eiusque cultui, orationi vel meditationi consecrare. Pretiosum vnguentum est oratio & meditatio, quod de nocte paramus, cùm noctu subinde nos colligimus, quid manè meditaturi vel boni acturi simus. Habuit hoc solemne Dauid, qui *Ps* 62. ait: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.* Eundem psalmum ita incipit: *Deus Deus meus ad te luce vigilo: Sitiuit in te anima mea; quàm multipliciter tibi caro mea?* q.d. Cùm primùm lucem aspicio corporalibus oculis, aperio pariter oculos mentis ad te lucem spiritualem & ita vigilo ad te quærendum & desidero te velut cibum & potũ, animo & corpore. Mundi & gulæ mancipia quàm primùm manè euigilant, haustum selectioris vini postulant ob sitim ex præcedente crapulâ, atque ita summo mane rursum se proluunt: hæc illorum oratio & meditatio matutina est; sed non similis Dauidicæ; *Sitiuit in te anima mea*, inquit, nec non & *caro mea.* Idem quàm soleret tempestiuè surgere, prodit *Psal.* 56. cùm ait: *Exurgam diluculò.* Alij legunt: *Excitabo auroram*, quasi ægrè ferret moram surgentis auroræ, quâ se orationi dederet. Pretiosum etiam vnguentum est Missæ sacrificium manè præsertim cum deuotione quotidie auditum, quod vocamus **die Frumeß** à maioribus nostris sedulò frequentari solitum & in eum finem magnis piorum impensis fundatum. Eò instigat nos exemplum Iob, qui *sanctificabat* filios suos *consurgensq́, diluculo offerebat holocausta pro singulis*, Iob 1. Non tanti constat sacrificium nostrum, quanti sacrificia Iudæorum, ouis, capra, vitulus, bos. Non tanti, quanti vnguenta & aromata mulierum: eccur ergò tardamus sacrificare nos & vngere Dominum nostrum.

2. Secundò, Magdalena adiunxit sibi socias, mulieres deuotas, & cum ijs velut signifera perrexit ad sepulchrum. Ita boni fideles nituntur ad Christum, hoc est, ad fidem, ad Dei cultum, ad templum adducere secum alios quoque præsertim cognatos & familiares suos. Quòd egregiè præstitit S. Bernardus, qui vbi se religioni deuouit, studuit mox ad idem propositum pertrahere fratres suos aliosque propinquos & notos, idque fœlici prorsus successu, vt habetur *lib. 1. vita eius cap.* 3. Omne agens priùs & fortiùs agit in res sibi vicinas & cognatas, quàm in remotas & dispares: ita ad suos quisque propinquos, domesticos & subditos attendere debet vt Christo eos lucretur, ne alioquin iuxta Apostoli sententiam fit *infideli deterior*, 1. *Tim.* 5.

3. Tertiò, Rigidè obseruabant Sabbathum; cùm enim transisset Sabbathum, emerunt primùm aromata non ipso Sabbatho; sed, vt ait S. Lucas, *Sabbatho siluerunt* (id est, quieuerunt ab opere) *secundùm mandatum.* Opus pium erat parare Christo vnguenta, nec multi laboris: ne tamen propterea officinæ aromatariæ recludi deberent indeque aliqui scandalizarentur, maluerunt in Sabbatho supersedere hoc opere. Decet igitur vt festiuis diebus clausæ sint officinæ mercatorum, nec facilè aperiantur exiguâ de causâ. Et si parare vnguenta Christo visum est mulieribus Sabbato aduersum: quid erit in eodem parare luxum vestium ad decipiendas animas? parare compotationes ad inebriandos & sepeliendos alios? parare aleas? instruere choreas, &c.

Quartò,

Quartò, Liberales quoque fuerunt ad erogandum pro honore Christi. Non erat illis satis, vnctum fuisse Christum à Nicodemo centum libris: Voluerunt & ipsæ vngere. Nemo ergò indignetur quòd ad cultum rei diuinæ & decorem templorum magnæ quandoque impensæ fiant, cùm totum Christo fiat, qui omnia rependere potest, quod experti nostri maiores, qui tot fundatis Episcopatibus, monasterijs, templis, &c. nihilo pauperiores facti sunt. Nemo dicat: quid opus dare pauperi, cui alius iam dedit? &c.

C. II. Ratio conuersandi in téplo. 1. SECVNDÒ, Ecce locus vbi cernimus rationem conuersandi in templo, per easdem fœminas ad sepulchrum commorantes. Primò enim ad conspectum angeli sedentis in sepulchro timuerunt; Vnde ad ipsas Angelus: *Nolite expauescere.* Ita par est in templo cum timore & reuerentiâ conuersari ob præsentiam non angelorum tantùm, sed etiam ac maximè ipsius Regis Angelorum Christi, cuius est domus illa. Hinc forsan templum Salomonis in formam Leonis extructum fuit, vt volunt Doctores apud Villalpand. *tom.* 2. ideoque *Ariel*, id est, *Leo Dei* dictum, vt fateremus Deum instar Leonis in templis suis pauendum esse. Certè sepulchrum Domini & templum supra id extructum hactenus Turcæ velut Leo fuit, dum id ipse numquam demoliri ausus est, ne Deo pœnas daret, licèt hoc Christianis sæpiùs comminatus fuerit. Cæterùm timori confidentia iungenda; idcircò enim Angelus ait: *Nolite expauescere.* Quia Deus in templo malis & impœnitentibus est instar Leonis, bonis verò & pœnitentibus instar agni.
2. Secundò. *Iesum* quærunt *Nazarenum*, vt angelus testatur, mentem earum perspiciens. Ita nullo alio fine in templa est eundum, nisi vt quæratur Iesus. Non quæratur pecunia, non respectus hominum, non præeminentia, non inanis gloria: Salus quæranda est, quam dat & significat Iesus. Alioquin nobis dici posset: *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* quid vitam & salutem vestram in rebus fluxis & perituris?
3. Tertiò, *Declinarunt vultum in terram*, vt scribit Lucas. Pari modo in templis componendum cum verecundiâ. Quam etiam docebant angeli visi. *Isai.* 6. qui in templum coram Dei solio constituti duabus alis velabant facies suas & duabus pedes suos. Facies, quòd tantum diuinitatis iubar irretorto oculo aspicere non possent: pedes præ verecundiâ, ne quis aspiceret imperfectionem eorum. Quod si ita angeli: quomodo nos mortales & peccatores? Sanè hac de causa veteres orabant obtecto capite & facie, & hinc vsus amictûs, quo sacerdos sacrificaturus caput suum velat. Ad terram ergò vultum declinamus, cùm nostram vilitatem coram Deo expendimus ad instar Abrahami dicentis: *Loquar ad Dominum cùm sim cinis & puluis. Gen.* 18. & illius publicani, qui in templo stans à longè non audebat attollere faciem suam, *Luc.* 18.
4. Quartò, Silentium obseruarunt; nihil enim locutæ leguntur apud sepulchrum. Quare docent & in templo audiendum potiùs Angelum, id est, sacerdotem, quàm loquendum. Garrulæ dictitantur mulieres, quia pronæ ad loquendum sunt: Verùm in hoc venerando loco nouerunt domare linguam: quò modo etiam anseres syluestres, animal sanè streperum, vbi Caucasum montem prætervolant, metu aquilarum sciunt seruare silentium, sumpto in rostrum lapillo. Ergò vt alibi garrire liceat, non licèt tamen in templo, vbi morantur Angeli & obseruant garrulos. Quòd si propter angelos voluit Apostolus velatas esse in templo mulieres 1. *Cor.* 11. quantò magis tacitas?
Quintò, Manserunt apud sepulcrum donec abire iussæ sunt ab Angelo dicente: *Ite, dicite discipulis.* Ita etiam decet perseuerare ad rem diuinam, donec dicat sacerdos: *Ite Missa est*, hoc est, Ite plebs dimissa est: Sed de his alibi ex instituto dicendum. 5.

TERTIÒ, Ecce locus, vbi erigimur ad spem & confidentiam in Deo collocandam. Primò enim fœminæ matutino in crepusculo pergunt ad sepulchrum, non habitâ ratione satellitum, qui id custodiebant; nec lapidis sepulchralis, cui reuoluendo minimè pares erant. Conferebat quidem inter se de hac difficultate dicentes: *Quis reuoluet nobis lapidem?* Non tamen idcircò regressæ sunt quasi despondentes animum: Sed constanter perrexerunt, in Deo confidentes, vt cui non defutura esset ratio & medium ad sepulchrum reserandum. Itaque factum Dei prouidentiâ vt & lapis ab Angelo remoueretur & custodes Angeli conspectu territi diffugerent. Nimirum vbi humanum deficit auxilium, ibi adest diuinum, modò in Deum confidamus. Testis Iudæorum disertissimus Philo, qui cum alijs Iudæis apud C. Caligulam Cæsarem accusatus ab Apione, quòd Cæsari diuinos honores non tribueret, eiectus ex aulâ, socijs Iudæis respondit: *Bono animo nos esse oportet: quibus iratus est Caius: quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium.* Testis est Eusebius *lib.* 2. *hist. c.* 5. D. III. Firmitas in Deo sperandi. 1.

Hac spe in Deum obfirmatus S. Ioannes, qui eò quòd iure coleret silentium, Silentiarius est dictus, cùm relicto Episcopatu in monasterium clanculum sese recepisset, & in disciplinam S. Sabæ tradidisset; atque Alamundarus cum suis Saracenis Palæstinam, eiusque monasteria vastaret, & multa hominum millia in seruitutem abduceret, cæteris fugientibus solus Ioannes in monasterio remansit, ponens Altissimum refugium suum. Vrserunt eum Monachi, vt & ipse fugâ sibi consuleret; quibus ille, *si Deus*, inquit, *mei curam non gerit, vt quid viuo?* nec eum spes, aut Deus fefellit. Misit enim illico ingentem & horribilem Leonem, qui Ioannem custodiret die & nocte, eumque semper comitaretur, ac à Saracenorum insidijs & iniurijs tutaretur. Ita refert oculatus testis Cyrillus in eius vita.

At verò ignauos & pusillanimes terret sæpe lapis cordi eorum impositus, ne ad Deum conuertantur, velut difficultas pœnitentiæ, amor illecebrarum, timor perseuerantiæ,

 spes

ſpes longioris vitæ, caro & ſanguis, ſocietas amicorum, reſpectus hominum, ignorantia, &c. Hi lapides premunt multos, ne expedire ſe è ſepulchro hæreſeos aut aliorum ſcelerum queant: Similes exploratoribus illis, qui Palæſtinam inexpugnabilem fingebant, quaſi meros gigantes, & muros vſque ad cœlum pertingentes håberet deuoraretque incolas ſuos, *Num.* 13. Sed pudefiunt iſti ab hodiernis mulieribus, quæ obiectas ſibi difficultates contempſerunt, ideoque diuinitus adiutæ ſunt.

2. Secundò, Magdalena peccatrix fuerat, ei tamen præ cæteris & fœminis & viris appareuiſſe Chriſtus ſcribitur *Marci* 16. Deinde Petrus ante triduum grauiter offenderat abnegando Dominum ſuum, & tamen hoc poſthabito mulieres ad Petrum in ſpecie ablegantur vt denuncient ei Magiſtri anaſtaſin; apparet etiam illi Dominus ſeparatim & ſoli. Quis ergò inpoſterum deſperet de Dei miſericordiâ pœnitentibus impertiendâ vel de efficaciâ pœnitentiæ; quando hæ duæ errantes ouiculæ in humeros paſtoris tam amanter impoſitæ: hæc duo fracta crura tam firmiter ſanata: hi duo Æthiopes tam fœliciter abluti & dealbati: hi duo perduelles in tantam Dei gratiam recepti ſunt?

E. IV. Hæreticorum impoſturæ. QVARTÒ. Ecce locus, vbi deprehendimus Hæreticorum impoſturas. Imprimis enim argumentantur Caluiniſtæ Chriſtum non ſurrexiſſe clauſo è ſepulchro, ſed indiguiſſe angeli operâ, qui reuolueret lapidem ab oſtio monumenti; ne cogantur fateri duo corpora poſſe eſſe in vno loco & vnum in duobus, vti eſt Chriſtus in Euchariſtiâ. Sed inſaniunt miſeri, quia *reuoluit Angelus lapidem, non vt Domino præberet ditum; ſed vt Dominum iam reſurrexiſſe monſtraret*, inquit D. Chryſologus *ſerm.* 75. idemque ſentiunt omnes alij SS. Patres. *Quemadmodum enim natus eſt ſeruatis integris clauſtris virginis: ita quoque reſurrexit ſeruatis integris monumenti ſignaculis*, ait Euthymius *Matth.* 28. Angelus idcircò ſolùm lapidem reuoluit, vt ipſum ſepulchrum teſtaretur reſurrexiſſe Dominum; ad hoc enim vtitur eius teſtimonio: *Ecce locus, vbi poſuerunt eum*. Et ſtultùm eſt cogitare Chriſtum potuiſſe reſurgere & non potuiſſe lapidem penetrare. Longè verò ſtultius non potuiſſe proprijs viribus lapidem amouere, ſi tamen amouendus eſſet, indiguiſſe ope angeli; quaſi angelus Chriſto fortior eſſet.

Deinde occurrunt Lutherani conanturque oſtendere mulieribus congruere munus concionandi non ſecus ac viris, quod conceſſit ſanè Lutherus, & hinc probare conatur Ægidius Hunnius in poſtilla ſuâ ſuper hac Dom. Siquidem mulieres mittuntur ad Apoſtolos vt annuncient eis Chriſtum rediuiuum. Verùm & hi cecutiunt. Non enim audiunt mulieres: *Ite & prædicate Euangelium hoc. Sed, Ite, dicite diſcipulis & Petro*. Aliud eſt prædicare, aliud dicere cuiquam aliquid. Nec mittuntur fœminæ promiſcuè ad omnes, ſed ad Apoſtolos, futuros concionatores, quibus concionari fœminas minimè decebat. *Actorum cap.* 18. legimus ab artifice nomine Aquilâ & vxore eius Priſcillâ inſtructum Apollo, prædicatorē cæteroqui eloquentē & eruditum, in baptiſmate tantùm errantem (vtebatur enim Ioannis non Chriſti baptiſmo) non legimus tamen ſiue ab Aquilâ ſiue ab vxore eius aſſumptum eſſe concionandi officium. Denique iugulantur Vbiquiſtæ ab angelo dicente: *Surrexit non eſt hic*. Fingunt illi communicationem idiomatum inter vtramque Chriſti naturam, vt quod vni competit, etiam alteri competat. Quoniam igitur diuinitas Chriſti vbique eſt, volunt etiam vbique eſſe eius humanitatem. At contradicit Angelus, *Surrexit, non eſt hic*; ſecundùm humanam ſcilicet naturam ſecundùm quam ſurrexerat nec erat ampliùs in ſepulchro. Mentiuntur ergò Vbiquiſtæ. Communicatio idiomatum locum habet in perſonâ Chriſti, non in naturis eius.

QVINTÒ, Ecce locus, vbi diſcimus modum præparandi nos ad dignam communionem. Docent hoc mulieres, quæ, Primò ſummo manè ſurgunt & præparant vnguenta. Hæc paramus nos cùm elicimus contritionem de peccatis noſtris eaque lachrymis diluimus. Fit autem hoc vnguentum ex conſideratione grauitatis & multitudinis peccatorum noſtrorum: maieſtatis diuinæ quam offendimus: vilitatis & ingratitudinis noſtræ, qui offendimus. Hæc tria ingredientia in mortario cordis contuſa & lachrymis commixta, præclarum vnguentum conſtituunt. F. V. Ratio parandi nos ad S. Communionem. 1.

Secundò, Diſquirunt inter ſe, quis reuoluturus eſſet lapidem. Facimus id nos, cùm eligimus Confeſſarium doctum & diſcretum, qui reuoluere poſſit lapidem, hoc eſt, graue peccatorum onus à dorſo noſtro, ſalutari ſuâ inſtructione, prudenti abſolutione, & congruâ pœnitentiæ impoſitione. Non eſt hæc inutilis quæſtio: quis eligendus Confeſſarius, qui reuoluat lapidem. Pius ſimul & peritus ad hoc adhibendus. 2.

Tertiò, Introſpiciunt in ſepulchrum, imò & ingrediuntur. Nobis etiam in confeſſione inſpiciendum & perſcrutandum eſt cor noſtrum an perfectè ſe exonerarit ab operibus mortuis: num fortè in eo ſint adhuc reliquiæ peccatorum vel affectus erga illa: an ſyncerum emendationis propoſitum. Non ſimus contenti examine conſcientiæ à Confeſſario adhibito, ſed ingrediatur vnuſquiſque in ſeipſum & rimetur viſcera ſua. 3.

Quartò, Exeuntes fugiunt de monumēto, vt teſtatur Marcus: cū timore & gaudio magno vt addit Matthæus. Pari modo nos regreſſi de confeſſione fugiamus de ſepulchro vitiorum & priſtinâ noſtrâ conuerſatione malâ, iuxta id Sapientis: *Quaſi à facie colubri fuge peccata, Eccli.* 21. Gaude te euaſiſſe laqueos Diaboli, ſed interim etiam tibique attende ne in eoſdem recidas. 4.

Quintò, Pergunt ad Apoſtolos & cum illis abeunt in Galilæam ad videndum Ieſum. Et nos peractâ confeſſione ſi Chriſtum in S. communione cernere & tangere volumus, in domum 5.

domum cordis nostri ad bonas cogitationes recipere nos debemus & transmigrare (hoc enim sonat Galilæa) à vitijs ad virtutes, eas inprimis, quæ in S. cõmunione exercendæ sunt, fidei, amoris diuini, humilitatis, reuerentiæ fiduciæ, fanis spiritualis, &c. deinde ad nouam vitæ conuersationem; atque ita demum pascha ritè celebrabimus. Pascha enim transitum significat, sitque Christo transitus à morte ad vitam eamque immortalem. Vnde S. Ambrosius in serm. de Paschate ait: *Moneo vt ritè Pascha celebretis, id est, transitum faciatis. Quicumque mali hanc festiuitatem celebratis, transite de vitiis ad virtutes* Et D. Bernardus ser. 1. de resurrect. *Christus quia transijt in nouitatem vitæ, nos quoque inuitat ad transitum, vocat in Galilæam.* Vbi etiam ait eos priuare hunc diem nomine suo, qui hoc tempore ad peccata redeunt. Transitus ergò sit, non reditus, Pascha Christianorum & quidem ad vitam perennem.

G. VI. Effigies beatitudinis. SEXTÒ, Ecce locus, vbi cernimus effigiem beatitudinis quam expectamus in die Resurrectionis vniuersalis. Eam verò exhibet angelus, qui, Primò apparuit iuuenili specie, quia omnes resurgemus *in mensura ætatis plenitudinis Christi*, vt ait Apostolus *ad Ephes.* 4. adeoque in iuuentutis flore. Secundò, Fulgureo erat aspectu, quia beatorum corpora splendebunt instar solis. Tertiò, Vestibus indutus erat albis ad instar niuis, quæ significant gloriam & beatitudinem animæ, iuxta id *Apoc.* 6. *Data sunt illis singulæ stolæ albæ.* Eadem promissè vincenti *Apoc.* 3. Quartò, Sedit super lapidem, qui in cœlo constans & perpetua quies nec non regalis dignitas in beatis. Quintò, A dextris, quia nihil in cœlo sinistrum aut aduersum, omnia dextra, secunda & fœlicia. Sed de his alibi satis.

Margin numbers: 1. 2. 3. 4. 5.

Superest nunc vt quæramus nobis locum quoque in cœlo, vbi in templo gloriæ cernamus Deum & Dominum nostrum eumque cum angelis & beatis perpetuò laudemus.

CONCIO IX.

Mysteria.

1.2.3. *Explicatur, cur, qua, & quo tempore mulieres venerint ungere Iesum.*	*annuntiata fœminis.*
4. *Quare ad voluendum lapidem missus Angelus.*	7. *Ante omnes apparuit Christus Deipara. Quando?*
5. *Cur hic dicatur iuuenis, fulgens, coopertus stola & sedens à dextris.*	8.9. *Cur mulieres ad discipulos mittantur, ac primò nũtiare resurrectionem Petro.*
6. *Cur resurrectio primò*	10. *Quare ad videndum Christum ablegentur Apostoli in Galilæam.*

THEMA.

Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Marci 16.

A. QVod mulieres de sepulchro Christi dicunt, hoc vos Auditores dicere potestis de Christi Euangelio: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Etenim Euangelium & tota S. Scriptura quoddam Christi sepulchrum est, in quo reperitur Christus, sed obscurum & profundum clausumque grandi lapide: ita vt magnum illud Ecclesiæ lumen Augustinus *lib.* 12. *Confess. cap.* 14. exclamet: *Mira profunditas eloquiorum tuorum Deus meus, mira profunditas.* Et Sanct. Ambrosius *epistol.* 44. ad Constant. *Mare est in se Scriptura diuina habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.* Et hinc Eunuchus ille Æthiops legens Isaiam reperit quidem locum in quo latebat Christus, quasi in sepulchro descriptus à Propheta: Sed absque viæ duce & interprete minimè ingredi potuit: *Quomodo possum* (inquit) *intelligere, si non aliquis ostenderit mihi* Græcè: *Si non aliquis dux via mihi fuerit?* Itaque *ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in literá,* &c. *vt intelligeres te in scripturis sanctis sine prævio & monstrante semitam non posse ingredi*; inquit S. Hieronymus *in epist.* 103. *ad Paulinum.* Ergò litera Scripturæ lapis ille magnus est, sub quo clausus latet spiritus sacri Euangelij: & nisi is reuoluatur ab aliquo qui viribus intellectus pollet, non video, Auditores, quomodo vos ingredi in Scripturæ adyta possitis & salutem reperire. Quare Dei præsidio nixus conabor amouere lapidem ab hod. Euangelio & latentem sub literâ spiritum vobis commonstrare.

Q. PRIMA, Cur venerunt vngere Iesum mulieres? nónne sciebant eum à Ioseph & Nicodemo iam priùs vnctum fuisse? *Resp.* probabilius esse sciuisse eas hoc, rursum tamen vngere voluisse Dominum. Primò, Vt amori suo satisfacerent eiusque magnitudinem alijs testatam facerent. Amor enim numquam dicit: *Sufficit*; nec contentus est aliorum obsequio, quamdiu manus ipse non admouit. Hinc qui verè amant, non satis habent, si pauperes & miseros ab alijs adiutos putent: ipsi quoque iuuare & in propriâ personâ volunt. Secundò, Vt Hebræorum consuetudini, quâ charorum cadauera solebant sæpiùs perungi, (vti Iacob Patriarchæ per dies 40. *Genes.* 50.) se accomodarent. Ea verò consuetudo ab Ægyptijs fluxit ad Iudæos, quâ intendebant dilectorum corpora à putredine seruare, saltem ad memorabile tempus. Vnde arguit in his mulieribus imperfectionem fidei; siquidem Christus tertiâ die surrecturus, nulli corruptione obnoxius erat, adeoque non indiguit tali vnctione. Durauit etiam hic mos adhuc in primitiuâ Ecclesia vt scribit D. Dionysius *cap.* 7. *Eccl. Hierar. p.* 2. & 3. tum vt eâ vnctione honorarentur sanctorum corpora velut Spiritus S. organa, tum vt indicaretur perfecisse eos pugnam suam, ad quam in baptismo vncti erant, tum vt nos defunctos vngamus pijs suffragijs, precum & eleemosynarum.

Margin: B. I. Cur venerunt vngere Iesum. 1. … 2.

Q. SECVN-

C. II. Quænam illæ mulieres.

Q. Secvnda, Quæ & quot mulieres ad sepulcrum abierunt? Resp. Matthæus recenset duas tantùm, Magdalenam & alteram Mariam; videlicet Mariam matrem Iacobi minoris, quam etiam *cap.* 27. iunxerat Magdalenæ. Marcus addit Salomen matrem Ioannis Euangelistæ. Lucas addit Ioannam (vxorem Chusæ procuratoris Herodis, *Lucæ* 8.) & alias quæ cum eis erant. Plures ergò quàm tres, imò quàm quatuor erant. Deipara non interfuit; quia certò credidit filium tertio die resurrecturum adeoque nullis indigere vnguentis. Sanè si sepulchrum adiisset, eam præ cæteris Euangelistæ commemorassent, vt opinor, non tamen asseuero, quia sunt etiam qui sepulchro adfuisse putent.

D. III. Quo tẽpore venerunt.

Q. Tertia, Quo tempore venerunt ad sepulchrum? Respond. Marcum scribere, *vnâ*, id est, primâ *Sabbathorum*, quæ est dies Dominica: *valdè manè orto iam sole*. Lucam *valdè diluculo*. Matthæum verò, *vespere Sabbathi, qua lucescit in primâ Sabbathi*. Sed qui hæc consentiunt? Respond. quod Matthæus scribit, vespere, seu vt sonat græca vox ὀψὲ, id est, serò, sumendum pro toto serotino & obscuro tempore Sabbathi quod extendit se vsque ad diluculum primæ Sabbathi seu Dominicæ diei. Nocturno ergo tempore egressæ videntur & diluculo seu paulò ante solis ortum ad sepulchrum peruenisse. Quod verò Marcus scribit: *Orto iam sole*, intelligendum non de ipso corpore solari quasi horizontem iam supergressum fuerit, sed de solari lumine quod iam emicabat in diluculo supra horizontem.

E. IV. Quis reuoluit lapidem? Angelus.

Q. Qvarta, Quis reuoluit lapidem ab ostio monumenti? Respond. Matthæus: *Angelus enim Domini descendit de cœlo & accedens reuoluit lapidem & sedebat super eum*. Missus ad hoc è cœlo Angelus. 1. Primò, quia lapis erat valde ponderosus, qui vnius & alterius hominis viribus remoueri non poterat. 2. Secundò, Vt cœlestis ille opitulator ostenderet pacem inter cœlum & terram, Angelos & homines esse iam compositam, foreque deinceps maiora & suauiora inter eos commercia, quàm ante Christi passionem fuerint. 3. Tertiò, Vt homines ad Christi resuscitati & glorificati cõspectum præpararet. Idcirco facies eius radiabat instar fulguris, vestis instar niuis, vt dotem claritatis, subtilitatis, agilitatis & immortalitatis in Christo & beatis alijs demõstraret. Quid enim fulgure radiantius? quid penetrantius? quid agilius? quid fortius? Adhæc super lapidem sedit, vt ostenderet Christum deinceps ab omni passione liberum, perpetuâ & stabili in quiete victurum.

Porrò reuoluit Angelus lapidem, non vt Christo resurgenti viam aperiret, sed vt vacui sepulchri & vestium ostensione Christi resurrectionem iam factam comprobaret, Clauso enim sepulchro non poterant ea tam apertè discipulis constare. Hinc Angelus sepulchri testimonio vtitur: *Venite & videte locum, vbi positus erat Dominus.*

F. V. Quis iuuenis sedens in dextera?

Q. Qvinta, Quis ille iuuenis sedens in dextris, coopertus stolâ candidâ? Respond. esse eundem Angelum, qui reuoluit lapidem. 1. Iuuenis. Qui Primò appellatur iuuenis, vt nos doceat omnia in cœlo esse florida, virentia, sana, iucunda; deinde omnes beatos resurrecturos iuuenili formâ, quod docet D. Thomas 3. p. Secundò. 2. Fulsit. Dicitur fulsisse à Matthæo fulguris instar, tum vt perterrefaceret custodes sepulchri, tum vt dotem claritatis reliquumque splendorem in beatis ostenderet. 3. Coopertus stolâ. Tertiò, Coopertus stolâ candidâ, tum vt festiuitatem gaudij Paschalis nobis insinuet, festiuitatem, inquam, & hominum & angelorum, quia illorum resurrectione horum reparantur ruinæ, tum vt ostendat omnia in cœlo niuea & candida esse debere, nihilque inquinatum in illud introire. Vidit per somnium B. Anno Episcopus Coloniensis paulò ante mortem, amplissimum palatium, in quo inter vicinos Episcopos sanctitate claros, Heribertum Coloniensem, Bardonem Moguntinum, Popponem & Euerardum Treuirenses, Arnulphum Wormatiensem aliosque quos in viuis nouerat, se quoque vestibus indutum pretiosis & albis conspexit, sed pectori inerat macula, quam frustra conabatur tegere. Vidit etiam cathedram sibi paratam eamque splendidam; quam cùm ascendere pararet, audijt ab Arnulpho: *Patres hi consessu hoc te non recipiunt, nisi eluas maculam.* Hoc dicto euigilans Anno notatum se persensit de auersione quadam animi à Coloniensibus, à quibus iniuriâ affectus & vrbe eiectus fuerat; atque ita se correxit maculamque diluit. Reginhardus *lib. 2. vita c.* 25. Lamb. Schafnab. *in Chron.* 4. Sedit. Quartò. Sedisse dicitur, ad denotandam beatitudinis quietem & immutabilitatem. Nihil in hac vitâ stabile, nihil in quo acquiescere possimus. Vnde Sanctus Augustinus: *Domine, ait, inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* 5. A dextris. Quintò, à dexteris, designans statum beatæ æternitatis, in quo degere cœpit Christus rediuiuus, & in quo degent omnes beati, constituti ad dexteram Iudicis: statum, inquam, perpetuæ prosperitatis, gaudij & gloriæ.

G. VI. Quibus primò annũciata Christi resurrectio. Fæminis.

Q. Sextò, Quibusnam primò annunciatus & ostensus Christus rediuiuus? Resp. Fæminis, Magdelenæ & deinde alijs quæ cum ipsa venerant. Causæ cur in hoc viris prælatæ sint, hæ videntur esse. 1. Prima, Quia prima mulier, Eua, mortis internuncia fuit & prior gustauit pomum mortiferum, voluit Deus vt mulieres iam vitæ nunciæ essent & priores participarent gaudium resurrectionis. 2. Secundò, Quia maiore zelo & deuotione præditæ erant. Planxerunt enim Dominum exeuntem ad Caluariæ montem, astiterunt etiam crucifixo tametsi à longè, adfuerunt sepulto, primæ ad sepulchrum abierunt, cùm Apostoli penè omnes diffugissent & seriùs venissent: Iure ergò ante illos gaudio resurrectionis Dominicæ recreatæ sunt. 3. Tertiò, Ne muliebris sexus eiusque deuotio à viris spernatur & rideatur, quem scimus hoc priuilegio iuris esse prælatum.

tum. Durat adhuc in mulieribus quasi hæreditario iure hæc deuotio & viris stimulum addit vel certè pudorem inijcit, dum ordinariè in templo & re diuinâ, nec non Sacramentorum perceptione priores & frequentiores viris sunt. Quod ergò Dominus de Magdalenâ dixit Pharisæo: *Vides hanc mulierem?* hoc de istis fœminis videtur omnibus viris dicere: Videtis
4. has mulieres? quantum vos præcellunt? Quartò, Quia magis erant idoneæ ad resurrectionis promulgationem, velut minùs de dolo suspectæ quàm discipuli, minùs etiam obnoxiæ animaduersioni Iudicum.

H. VII. An & quando Deiparæ Christus apparuit. *Ante omnes,* 1. Q. SEPTIMÒ, An & quando Deiparæ filius rediuiuus apparuit? Resp. Apparuisse ei ante omnes, vti censent communiter patres D. Ambrosius *lib. 3. de Virg.* D. Anselmus *de excell. Virg. c. 6.* D. Bonauentura *in vita Christi.* D. Birgitta *l. 3. reuel. c. 94.* & alij. Ratio est Prima, Quia hoc matris dignitas postulabat & filij erga eadem obseruantia. Samson fauum mellis in ore Leonisquè occiderat, repertum parentibus impertiuit, *Iud. 14.* Eccur non & Christus matri suæ dulcissima resurrectionis suæ gaudia, quæ ex interremptâ morte reportauit, primò omnium communicaret? Secundò, Quia idipsum
2. matris merita requirebant. Nemo omnium ita sensit Christi passionem, nemo tot tristitiæ fluctibus obrutus fuit, nemo tam desideranter expectauit rediuiuum Christum atque ipsius mater: decuit ergò vt ipsa præ omnibus gaudij resurrectionis eius particeps fieret. Vnde Rupertus *l. 7. de diu. offic. c. 25.* putat Christi resuscitati, hanc primam fuisse vocem: *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris, Cant. 4.* Erat enim illa tūc mons myrrhæ, quia amarissimæ passionis filij recēti dolore plena. Collis thuris, quia meditationi & desiderio resurrectionis eius intenta. Cæterùm huius apparitionis non meminére Euangelistæ, quia eas tātùm scripsere, quæ citari poterant in testimonium resurrectionis Christi; matris autem testimonium de filio receptum non fuisset à Iudæis.

I. VIII. Cur mulieres ad discipulos mittuntur. Q. OCTAVÒ, Cur mulieres ad discipulos mittuntur nuntiatum eis resurrectionem Domini? Resp. Primò, Quia Apostolorum erat eandem toti orbi annunciare: ergò & præ alijs
1. scire. Secundò, Quia ipsi præ cæteris ex passio-
2. ne Domini suaque fugâ magis consternati & deiecti, præ cæteris etiam erectione indigebant. Tertiò, Quia conspectu Domini & Ma-
3. gistri magis erant digni magisque ad credendum dispositi. Iudæi velut porci margaritam hanc pedibus calcassent, ideò eis obiecta non fuit. Non capit gaudium Domini, qui putrescit in peccatis suis.

K. IX. Cur in specie nunciatur Petro. Q. NONÒ, Cur in specie iubentur eam indicare Petro: & cur eidem primò inter viros peculiariter apparuit Dominus, vt colligitur ex Luca *cap. 24.* Resp. Primò, Quia erat caput
1. Apostolorum, futurus etiam totius Ecclesiæ pastor. Secundò, Quia ipsius testimonium plu-
2. rimùm valebat apud cæteros Apostolos. *Surrexit Dominus verè*, inquiunt, *& apparuit Simoni.* Fœminarum testimonij nullam mentionem faciunt. Tertiò, Quia ex suâ negatione magis 3.
contristatus erat quàm cæteri: vnde egebat præsentiori & peculiari Medici operâ ad dolorem leniendum. Voluit ergò Dominus eum speciali hoc fauore ad fiduciam & priorem amicitiam erigere: quasi non meminisset iniuriæ acceptæ: ne concideret animo discipulus qui peccarat ex timore. Vnde apparet Christi benignitas & clementia, qui tam citò obliuiscitur peccata lachrymis punita & præterea solatur illos ac speciali fauore prosequitur, vt fortiùs resurgant.

Q. DECIMÒ, Cur in Galilæam ablegantur Apostoli ad videndum Christum resuscitatum? Resp. Primò, Quia in Galilæâ iucundiùs velut in propriâ patriâ, nec non securiùs cum ipso agere poterant; nam in Iudæâ metu Iudæorum continebantur, præsertim Ierosolymis, vt docet S. Chrysostomus *hom. 90. in Matt.* Secundò, Quia illo destinarat spectatissimam & omnibus discipulis communem apparitionem, factam plusquā quingentis fratribus, quorum multi degebant in Galilæa. Tertiò, Quia in Galilæâ frequens prædicaras, imò prędicationem inchoarat & plurima signa fecerat; debuit igitur ibi suam resurrectionem specialim manifestare ad confirmandam doctrinam & miracula sua, & solidandos in fide eos, quos ibidem ad se traxerat. Quartò, Ob causam mysticam, vt doceret nobis transmigrandum esse (quod sonat Galilæa) à vitijs ad virtutem, à cupiditatibus præsentis sæculi ad desiderium futuri, si videre ipsum in gloriâ cœlesti velimus. L. X. Cur in Galilæā ablegantur discipuli. 1. 2. 3. 4.

Sed cur præuenire Dominus suam promissionem voluit dum apparuit priùs nec semel discipulis in Iudæâ? Resp. Galilaicæ apparitionis mentionem factam, non quasi ea sola vel prima futura esset, sed vt inde confirmarentur in fide discipuli, memores prædictionis Dominicæ. *Matth. 26. Ego cùm resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Voluit autem citiùs & mox in Iudæâ se illis ostendere. Primò, Ne in fide eius vacillarent, aut omninò corruerent. Quanta enim eorum infirmitas fuerit, testantur duo illi qui dicebant: *Nos autem sperabamus quòd ipse redempturus esset Israel, Luc. 24.* Secundò, Ne ex dilatione aspectus eius nimiùm affligerentur, qui amore eius æstuantes, absentiā ægrè ferebant. Denique vt non vno loco nec vno tempore, sed pluribus eis apparens, suam resurrectionem testatiorem ac certiorem faceret ijs, qui eius testes & præcones in orbe futuri erant. Admiremur ergò, Auditores, Domini nostri bonitatem & paternam solicitudinem erga fideles suos: deinde videamus quales nos vicissim & quàm promptos ad seruitium eius exhibere debeamus, &c. *Præuenit suam promissionem Christus.* 1. 2. 3.

FERIA SECVNDA PASCHÆ.

Euangelium Lucæ 24.



IN illo tempore, Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans, ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos. Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem, ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo: & quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel. Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello, quò ibant, & ipse se finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorũ. Et dixerunt ad inuicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Hierusalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

CONCIONES.

- I. *Causæ relapsus & remedia.*
- II. *Causæ cur è S. Communione multi non proficiant.*
- III. *Vbi & quomodo Christum Dominum videre possimus.*
- IV. *Christiani sint peregrini.*
- V. *Hospitalitas suadetur.*
- VI. *Schola obliuionis, seu, Quænam obliuiscenda Christiano.*
- VII. *Prophetia de Christi vitâ & morte.*
- VIII. *Documenta.*
- IX. *Mysteria.*

CONCIO I.

Causæ relapsus & remedia.

Prima causa est temeritas & præsumptio.
2. Defectus propositi.
3. Delectatio in peccatis.
4. Defectus exercitij bonorum operum.
5. Consuetudo. Quibus singulis sua subiunguntur remedia.

THEMA.

Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit. Luc. 24.

QVærunt sancti Patres, quid voluerit sibi Dominus, cùm finxit se longiùs ire; fictio enim propriè loquẽdo deceptio quædam & mendacium in facto est. Ad hoc respondet S. Thomas 2.2.q.111.art.1.ad 1. ex D. August. fictionem hanc non mendacium, sed figuram alicuius

alicuius mysterij seu occultæ veritatis fuisse significantem à discipulorum illorum fide longiùs absuisse Dominum, à quibus longiùs iuit. Eodem modo respondet S. Gregorius *hom.* 23. quæ est de Euangelio hodierno. *Talem*, inquit, *se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente.* Et igitur fictio, ni fallor effigies quædam fuit illius veritatis, quam hoc paschali tēpore sæpe sæpiùs experimur. Quàm multi enim sunt, qui peractâ S. communione mox abeunt in *Emmaus*, hoc est (vt Hebraicè sonat) ad populum abiectum: videlicet ad reproborum cuneum? Vel si mauultis nostrâ linguâ, *gen Mehenauf*; dum à viâ virtutis initâ deflectunt rursum ad vitiorum tramitem: de statu gratiæ in statum peccati: de cœlo ad infernum? Ergò sicut Christus, vbi discipuli appropinquarunt Castello Emmaus, deflexit ab iisdē quasi longiùs ire vellet: ita & ab eis, quos videt à susceptâ gratiâ rursum deuiare & inferis appropinquare, seu quod idem est, ire *gen Mehenauf*; & spretis Dei mandatis declinare ad dextram vel sinistram, longiùs recedit & subtrahit gratiam ac præsentiam suam. Quæ res, Auditores, magnoperè panenda est. Quid enim sine Iesu sumus? quid possumus? quid habemus? Nónne cum discipulis illis precari assiduò debemus: *Manè nobiscum Domine, quoniam aduesperascit*, & te recedente recedit sol iustitiæ, lumen oculorum nostrorum & omne nostrum gaudium? Ergò vt nobiscum retineamus Dominum, inquiramus causas, cur aliqui tam facilè relabantur in peccata & quæramus remedia.

B. I. Temeritas & præsumptio.

Causa PRIMA. Temeritas & præsumptio; qualis cernitur in conualescentibus. Videas enim aliquem febricitātem, qui vbi per vnum alterumve diem desertus est à febri, statim dicit: Nunc iterum bibam & comedam ad satietatem. Itaque rursum incurrit febrim; dum vires nondum plenè recuperatas, iterum opprimit & sternit. Idem accidit illis, qui post confessionem iam se omnino sanos & robustos esse credunt, nec considerant per pœnitentiæ sacramentum non tolli radices peccatorum, habitus prauos & affectus inordinatos, quæ sunt peccatorum reliquiæ. Dum ergò nimium sibi fidunt, pristina studia repetunt & peccandi occasiones adeunt, mox in priora vitia recidunt. Quamuis ex Ægypto Hebræi educti essent in terram promissionis, habuerunt tamen adhuc superstites inimicos, vicinos Philisthæos, quibuscum dimicare subinde debebant. Pari modo nos, licet è peccatorum tenebris eruti simus beneficio pœnitentiæ, manent tamen adhuc in nobis habitus praui & inclinationes ad vitia: habemus carnem deprauatam, mundum allicientem & dæmonem insidiantem, qui negotium nobis facessunt & dominari nobis volunt.

Remedium.

Quid igitur factu opus, noli tibi fidere nimis; sed imprimis contine te in timore Domini: ne te exponas temerè peccandi occasionibus: recordare prioris lapsus & ora Deum instanter, cum discipulis hod. *Manè nobiscum Domine*, ne iterum desertus à Deo & tibi ipsi relictus relabaris. Sanè hac oratione coēgerunt & tenuerunt Christum discipuli ne discederet ab eis. Ora & tu instanter, & coges eum manere tecum. Scimus hoc ipso medio tentum fuisse Deum à Moyse *Exodi* 32. Ait enim Deus Moysi; *Dimitte me vt irascatur furor meus.* Chaldæus vertit: *Intermitte deprecationem.* Precibus ergò Deus teneri & retineri potest.

C. II. Defectus propositi.

SECVNDA, Defectus propositi serij emendandæ vitæ. Quemadmodum enim paries, qui ædificatur ex debili cæmēto, in quo parum est calcis; vel ex argillâ paleis non mixta, citò corruit & modicâ tempestate deijcitur, ita qui nō proponit firmiter emendare vitam, sed obiter tantùm & oretenus. Propositum emendationis murus est & paries peccata excludens; at nisi firmum sit & iuratum quodammodò, parùm prodest. Vnde *Ezech.* 13. dicitur: *Dic ad eos, qui liniunt absque temperaturâ* (id est absque paleis parietem) *quòd casurus sit: erit enim imber inundans*, &c. Experientia testis est eos qui abiurant aliquod opus, v.g. choreas vel aleas, cōstanter abstinere, non item qui simpliciter aliquid proponunt.

Remedium.

Quid igitur hîc faciendum? renouandum & firmandum est emendationis propositum dicendumque cum Dauide, *Ps.* 118. *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Quemadmodū pondera horologij semper deorsum trahunt & tandem terræ insistentia horologium sistunt, ideoque semel aut bis quotidie attollēda sunt: ita nos propter concupiscentiæ deorsum semper trahentis pondus, sensim deficimus: ideoque quotidie nouis propositis indigemus, quibus animum attollamus & ad virtutem erigamus. Sanè D. Bonauentura monet, vt quoties horologium sonat, toties renouemus propositum seruiendi Deo. Leo, vt refert Bart. Anglicus, iratus terram caudâ verberat: Placatus proprium tergum, quasi castigando in se iram. Ita faciendum monuit etiam Dauid *Psal.* 4. *Irascimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* q.d. Cùm surgunt praui & rebelles motus in vobis, irascimini naturæ vestræ corruptæ (vt exponit Bellar.) & firmiter statuite non peccare. Et si quidem peccastis, statim domi in silentio vos ipsos corrigite & castigate atque ad emendationem erigite.

D. III. Delectatio in peccatis.

TERTIA, Delectatio, quæ est in peccatis. Hæc enim semel degustata facilè ad se reuocat hominem. Omnes corporis morbos vitamus, non item animi morbos; quia hi delectant, illi cruciant. Vnde Seneca epist. 98. ait: *Quod plerosq; inemendabiles facit: omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt offenduntque errantem: vitæ peccata delectant*, &c. Senserūt hoc Hebræi in itinere per desertum, qui postquam in Ægypto victitarant piscibus, peponibus & cucumeribus, assueti dulcibus his & selectis cibis, regredi in Ægyptum voluerunt. *Recordamur piscium*, inquiunt, *quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentē nobis veniunt cucumeres & pepones* &c. Num. 11. In quem locum scribit Oleaster: *Maximum malum est hominem noxia dulcia fuisse* aliquando,

aliquando expertum. In hoc enim pœnitentes maximè laborant vt vitiorum præcedentem ex se memoriam expellant. Hoc enim malum vitia habent, quòd recordatione lædant, cùm non possunt suâ præsentiâ nocere. Quare elaborandum est tibi, vir Dei, vt si fieri posit, talianō experiarù, ne contingat post reditū ad mentem meliorē cum his laruatis hostibus dimicare. Sed quid si ea dulcedo iam degustata fuit? custos apponendus, timor Domini, mortis & Iudicij, quemadmodū ad excludēdos è gustatis paradisi delicijs protoplastos, flammeus gladius ante paradisum pósitus fuit. *Timor enim Domini expellit peccatum*, ait Ecclesiasticus c. 1. Vigilet autem hic custos (nam custodes sepulchri dormientes perdiderūt Christū; & ostiaria obdormiens necem attulit Domino suo Isboseth 2. *Reg.* 4.) reuocetque in memoriā primo mortem eiusque propinquitatem; *quoniam aduesperascit & inclinata est iam* ad mortem vita nostra. Cogitet Iudicium Iudicisque romphæam bis acutam. Descendat mente ad infernum & ardores sempiternos. Hoc antidoto vsus Deus est ad auertendos ab amatoribus, id est, Idolis suis Hebræos, qui crebrò ad eos deflectebant: *Sepiam viam tuam spinis*, inquit, *& sepiam eam maceriā & semitas suas non inueniet*, Ose. 2. Quod fecit immittēdo eis hostes Phul, Teglathphalasar & Salmanasar reges Assyriorum, qui eos vndique infestarent & obsiderēt, ne relabi ad Idola possent. Huiusmodi spinæ sunt mors, iudicium, infernus, seriâ meditatione expensa, prætereà damna & pernicies peccati delectationem sequens, vti morbi & capitis dolores sequentes ebrietatem, gallica lues sequens venerē, paupertas sequens aleam, infernus sequens peccatores omnes.

Remedium.

QVARTA. Defectus exercitij bonorū operum & aliarum honestarum actionum. Hac enim de causâ spiritus ille nequam ab homine expulsus redire machinatur in domum suam, quia inuenit eam *vacantem*, vt Matthæus cap. 12. scribit, hoc est, otiantem & feriantē, vt habet vox Græca σχολάζοντα. Vacat domus cùm nemo eam inhabitat, & tunc citiùs perditur & collabitur: Vel cùm omnes in eâ otiantur & dormiunt. Ita cùm homo conuersus otio se dedit, patentes Dæmoni fenestras præbet; Christus etiam in hodierno Euangelio, vbi discipuli cessarunt de pijs rebus loqui, finxit se longiùs ire; vt doceret nos, ibi non persistere diu gratiam Dei, vbi cessant bona opera. Quid igitur remedij? Exerceat se homo in operibus bonis alijsque honestis actionibus. Paralyticus opus habet, vt paulatim sese moueat, quo membra eius exerceantur atque ita sensum & motum recuperet: ita qui ab ægritudine peccati liberatus est, bonis actionibus & operibus pijs se exerceat: frequenter sacramenta verbū Dei sedulus audiat, studio literarum aliòve honestè sese occupet: confabuletur de rebus pijs cum discipulis hodiernis, maximè de vitâ & passione Domini: cogitet semper Deū vbique præsentem & omnia spectantem: legat pios libros indeque sibi vitiorū antipharmaca seligat, &c. Hoc opinor, docere voluit Dominus, cùm paralytico sanato ad piscinam dixit: *Surge tolle grabatum tuum & ambula*, Ioan. 5. Et alteri sanato in domo: *Surge tolle lectum tuum & vade in domum tuam.* Matth. 9. q. d. ito de virtute in virtutem donec venias in domū tuam & videas Deum Deorum in Sion. *Psalm.* 83. Ideo enim sanatur æger, non vt otietur, sed vt ambulet & operetur. Quod docet S. August epist. 108. *Sicut*, inquit, *à vulnere claudicans ideo curatur vt sanato malo præterito futurus dirigatur ingressus: sic mala nostra non ad hoc solùm supernus medicus sanat, vt illa iam non sint, sed vt de cætero rectè ambulare possimus.*

E. IV. Defectus exercitij bonorum operum.

Remedium.

QVINTA. Consuetudo. Hæc enim quasi gibbus vel onus quoddam est, perpetuò deprimens hominem, tametsi is se aliquando erexit: Fluuius est secum abripiens & deuoluens natantē, nisi is continuò contrà nitatur. Idipsū pulchrâ similitudinē pueri qui auiculam filo ligatam retinet & huc illuc auolare finit, sed mox filo retrahit, declarat S. Ansel. l. de similitudine c. 189. *Instar huius pueri*, inquit, *iocatur diabolus cū peccatoribus, quos irretitos suis laqueis pro sua voluntate in diuersa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim multi auari, ebriosi, luxuriosi, qui proponunt auaritiam, gulam, libidinē deserere & putant instar auis se liberè auolaturos, sed quia prauo vsu irretiti ab hoste retinentur, nolentes in eadē vitia deijciuntur, fitq́, hoc sæpius, nec omnimodis liberātur, nisi magno conatu & gratia Dei funis rūpatur praua cōsuetudinis.* Sic ille. Experti hoc Hebræi, qui ob diuturnam cum Ægyptijs cōsuetudinem, Ægypti nō poterant obliuisci sed perpetuò eam respectabant, vti & vxor Loth Sodomā. Frustrà porcum delicato cibo nutries & in lecto eburneo repones; quia oblectis sordibus ilicò se in eas immerget, vtpote earū assuetus. Idem ab homine expecta vitijs assueto.

F. V. Consuetudo.

Quid igitur? nullúmne huic malo remedium? Sanè cum Dei gratiâ resisti etiam prauæ consuetudini potest. Itaque primò sedulò orandus Deus, verbis Augustini: *Domine da quod iubes & iube quod vis.* Testatur enim ipse *l.* 9. *Conf. cap.* 1. se ad extremum Dei gratiâ rupisse ferreum inueteratæ consuetudinis vinculum. Orandū crebrò cū discipulis hodie: *Mane nobiscum Domine.* Cogetur quodammodò hoc pacto Deus nobiscum remanere, si instanter pulsemus aures eius. Deinde cōtrariarum virtutum actus vitijs opponendi; gula ieiunijs, auaritia eleemosynis, libido & turpis amor fugâ, cilicio flagello edomandus, &c. Deinque freques Sacramentorū Confessionis & Communionis vsus adhibendus. Si potuit Mithridates Rex quotidie venenum bibere præsumptis remedijs, vt consuetudine ipsâ innoxium fieret; quemadmodum scribit Plinius *lib.* 25. *c.* 2. eccur fieri non queat vt homo assiduo Sacramentorum, Eucharistiæ præsertim, vsu in alium & immortalem quasi virum mutetur exuatque veterem hominem veneno peccati infectum, & induat nouum, qui secundum Deum creatus est? Certè in fractione panis (Eucharistici, vt multi Patres existimant) aperti, sunt oculi discipulorum & cognouerunt

Remedium.

ſerunt Chriſtum. Spes eſt igitur cæcitatem animi & languorem prauæ conſuetudinis abſtergi poſſe tam potenti pharmaco, quale eſt Euchariſtia.

Ergò Auditores, attendamus ad cuniculos iſtos, ne in foueam relabamur è quâ erepti ſumus: Non declinemus in *Bethenauſ*; ne appropinquemus illi caſtello, in quo populus habitat à facie Dei abiectus: ne à nobis Chriſtus longiùs recedat deſerendo nos, &c.

CONCIO II.

Cauſæ cur è communione multi non proficiant.

1. 2. *Defectus intentionis & diſpoſitionis debita.*	3. 4. *Defectus deuotionis in ſumptione, & collectionis poſt eam.*

THEMA.

Aperti ſunt oculi eorum & cognouerunt eũ. Luc. vlt.

A. SI vera eſt ea ſententia (quæ multorum eſt,) quâ aſſeritur Chriſtum Dominum dediſſe duobus diſcipulis in hodierno Euangelio S. Euchariſtiam, adeoque fractionem panis denotare participationem corporis Domini, tũc profectò cernimus quàm diſpar ſit effectus S. Communionis ab illo, quem primis noſtris parentibus attulit eſus pomi vetiti. Illi enim vbi comederunt, cognouerunt ſe eſſe nudos, erubuerunt & abſconderunt ſe: iſti verò diſcipuli vbi comederunt, cognouerunt Chriſtum Dominum ſuum, gaudio impleti ſunt, eoque perurgente recurrerunt ad diſcipulos ſuos. Itaque pomum illud docuit ſcire malum: panis Euchariſticus docuit ſcire bonum: illud arbor mortis, hic verò arbor vitæ fuit. Sed quid eſt, Auditores, quòd hæc arbor vitæ, quam toties aliqui guſtant, ſimiles effectus in ijs non producat? cur multorum oculi in S. communione minimè aperiuntur vt agnoſcant Dominum ſuum & toto corde ferantur in amorem eius: vt impleantur gratiâ & gaudio Spiritus Sancti, &c. Audiamus cauſas.

Aggæus c. 1. quaſi digito nobis oſtendit, cauſas & radices illius ſterilitatis, quam multi experiuntur in S. communione. Ait enim: *Seminaſtis multum & intuliſtis parum; comediſtis & non eſtis ſatiati; bibiſtis & non eſtis inebriati; operuiſtis vos & non eſtis calefacti.* Demum omnes quaſi ſimul complectens, addit: *Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.*

B. I. *Defectus intentionis.* Cauſa Prima. Defectus intentionis debitæ. Multi enim accedunt ad S. communionem pro formâ, vt vulgò loquimur, ſiue ex conſuetudine præcisè quia ita ſolent, ſiue ob præceptum Eccleſiæ, ſiue quia cæteros quoque vident accedere, non enim ſuri ſine notâ: aliqui etiam intentione malâ, vt videantur, &c. Hinc fit quod Aggæus dixit, vt ſeminent multum & inferant parum; quia ad inſtar illius Seminatoris Euangelici ſeminant vbi non debent in viam, petram vel ſpinas. In viam, qui intentione placendi alijs & aucupandi exiſtimationem, ideoque conculcantur ab hominibus & dæmonibus: in petram, qui ex conſuetudine: in ſpinas, qui metu alicuius pœnæ vel pudoris, &c. Quare ſicut milites qui ad præliandi artem exercentur, incaſſùm armis concurrunt, incaſſùm ſclopetis iaculantur, quia non in hoſtem, ſed in aërem vel in terram ſolùm dirigunt iactum: pari ratione nihil efficiunt, qui abſque debitâ intentione ad communionem veniunt; non enim ad rem ſeriam & victoriam parandam ſe accingunt, ſed quaſi ad certamen ludicrum. Manna illud talem vnicuique ſaporem exhibebat, qualem quiſque deſiderabat, vt qui carnes optabat, carnem ſe edere crederet, non piſces: qui piſces optabat, piſces edere, non carnem, &c. vt habetur *Sap.* 16. Ita etiam Euchariſtia ſaporem nobis dabit, quem intendimus & quærimus. Si non quæramus inde proficere, corroborari contra tentationes, Chriſto vniri, &c. quid mirum, ſi nihil horum percipimus? Euchariſtia lignum vitæ eſt, *Apoc.* 2. Sed ijs qui id ſumunt cum ſerio propoſito renouandi ſe ad vitam ſpiritualem, ne deinceps moriantur in peccato & à Chriſto ſeparentur. Quare ſi fructum è communione volumus percipere, priùs cogitemus, quid & quorſum communicare velimus. Qui in agro ſerere vult, priùs terram vertit, ſpinas exſcindit & quorſum ſerere velit cogitat: ſic faciendum nobis. Vnde *Ieremia* 4. dicitur: *Nouate vobis nouale* (id eſt, priùs terram proſcindite antequam in eam ſemen iaciatis) *& nolite ſerere ſuper ſpinas*, exterminate intentiones malas & ſeligite intentionem bonam, renouandi ſpiritum, vniendi vos cum Chriſto, placandi Deum, armandi vos contra peccata, &c. *Remedium.*

C. II. *Defectus diſpoſitionis.* SECVNDA. Defectus diſpoſitionis, duplici ex radice; vel quia conſcientia non eſt ſufficienter expurgata à peccatis; vel quia palatus eſt infectus terrenis affectionibus erga creaturas, nondum extinctis. Et hinc Aggæus dixit: *Comediſtis & non eſtis ſatiati*, id eſt, ſine fructu. Si ſtomachus deſtructus ſit vel palatus, non prodeſt nec ſapit cibus. Stomachus animæ deſtructus eſt, cùm conſcientia à noxijs peccatorum humoribus nõ eſt expurgata; & tunc inutilis imò noxia ſit communicanti S. communio (ſi in peccato mortali ſit) & quod ore polluto ſumitur, fit pollutum ſuo modo, quia polluit hominem. Ita enim teſtatur Dominus *Malach.* 1. cùm ait ſacerdotibus malis: *Offertis ſuper altare meũ panem pollutũ, & dicitis: In quo polluimus te?* Panis ergo Euchariſticus fit pollutus in ore polluto, ac proinde noxius, ſicut cibus in ſtomacho deſtructo hominem grauat vertiturque in putredinẽ & humores noxios. Audi S. Hieron. in eum locum: *Polluimus panem, id eſt, corpus Chriſti, quãdo indignè accedimus ad altare & ſordidi mundũ ſanguinem bibimus*, &c. Exod. 16. legimus manna Hebræorũ fuiſſe quaſi *ſemen coriandri* habens guſtũ ſimilæ cum melle. Narrat au-

tem Berchorius *l. 12. reduct. mor. c. 27.* Coriandrum canibus venenum esse ac mortiferum, cùm tamen hominibus conducat. Tale est ergò manna Eucharistiæ, ad instar coriandri videlicet vitam affert hominibus, id est, rectè & rationabiliter vtentibus: mortem verò canibus, id est, malis & immundis, indignè sumentibus. Propterea etiam *Ps. 77.* manna vocatur *Panis Angelorum*, Hebr. *Panis Abbirim*, id est, fortium, quia videlicet Eucharistia non est cibus languentium in peccatis, sed fortiorum & eorum, qui à peccati languore immunes sunt. Iam verò quoniam multi obiter tantùm & abruptim confitentur de peccatis, ac sæpe absque dolore & proposito emendationis, proinde non abluunt priùs sordes suas, quid mirum si fructu careant? Sed & veniales illæ culpæ, quæ aduertenter & studiosè admittuntur, fructum S. communionis impediunt. Si enim nos huiusmodi peccatis irascimur & delinquentibus negamus beneficia vel dona gratuita: si pater filium tali modo peccātem toruè intuetur & priuat, verbi gratià, aliquo ferculo, veste, &c. Cur id non faciet Deus? Palatū animæ inficiunt amor proprius, delectationes peccatorum dimissorum, illecebræ & memoria repetendorum, affectus terreni & delectationes carnales, quibus homo priùs occupatus fuit & adhuc sub communione imbutus est; quo modo Hebræis in deserto insipidum fuit manna, quamuis alioqui gratissimum & omnium saporum, quia adhuc ex illorum ore redolebant pisces, carnes, cæpe, allia, pepones, *Num. 11.* Siquis igitur carni & terræ addictus, terrena tātùm sapit & carnalia cogitat & tractat: quomodo eius faucibus sapiet manna cælicum? & si non sapit, quomodo nutriet? si non nutrit, quomodo saturabit? *Bene non satiari dicitur*, ait S. Gregorius hom. to. in Ezech. *qui aliud mandit & aliud esurit.* Comedis Sacramentū, quod non esuris; esuris autem res terrenas & inanes, quas non comedis. Obstrictus es amoribus alijs inanium creaturarum, & quomodo ab his te abstrahes & vnies creatori?

D. III. Defectus deuotionis in sumptione.

TERTIA. Defectus deuotionis in ipsâ sumptione. Consistit autem ea deuotio in studio placendi Deo, & in contemplatione, quâ cibus Eucharisticus à cōmunibus cibis diiudicatur, & pro dignitate suâ æstimatur & suscipitur cum debitis obsequijs, humilitatis, reuerentiæ, appetentiæ, charitatis, &c. Hinc Aggæus subdidit: *Bibistis & non estis inebriati.* Eucharistia *calix Domini inebrians est*, Psal. 22. quia inhomines alios mutat. *Bibentes inebriat*, ait S. Cyprianus l. 2. ep. 3. ad Cæcilium, *vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritualem sapientiam redigat, vt à sopore isto sæculari ad intellectum Dei vnusquisque resipiscat, & quemadmodum vino isto communi mens soluitur & anima relaxatur & tristitia omnis exponitur: ita & potato sanguine Domini & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis & fiat obliuio conuersationis pristinæ sæcularis, & mæstum pectus ac triste, quod priùs peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgētiæ lætitiâ resoluatur.* Hæc Cyp. Sed cur ad istum modum plerique non inebriantur? Quia bibunt Eucharistiam seu sumunt eam instar lactis, quemadmodum infantes. Per modum cibi sumi debet, non per modum potus. Cibus enim in ore præmanditur, potus statim sorbetur. Qui cibum nō præmansum deglutit, parum aut nihil gustus percipit. Mandi ergò & subigi debet S. Eucharistia, non dentibus corporeis (hoc enim nō deceret) sed spiritualibus, qui nil aliud sunt, quàm attenta consideratio summi doni ac beneficij, quod tunc percipimus. Hinc enim paruulis non exhibetur ante annos discretionis, quia non possunt concipere deuotionem ad hoc sacramentum requisitam, vt docet D. Thomas *3. p. q. 80. art. 9. ad 3.* adeoque tunc absque fructu & debitâ dispositione communicarent. S. Augustinus *l. 7. Conf. cap. 10.* ex ore Domini, ait: *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Paruuli si hunc cibum sumerent, conuerterent illum in se, sicut cibos alios, non conuerterentur in illum. Non ergo sicut infantes sumamus Eucharistiam, qui eam discernere nesciunt: sed sicut adulti, ritè expendendo illum: ita proficiemus & in Christum sensim mutabimur, exuendo veterem hominem & nouum induendo. Vultin' exempla talium adultorum? S. Cassius Narniensis vrbis Episcopus, quotidie celebrare solitus, cùm ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lachrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat, vt scribit S. Gregorius ei coæuus *hom. 37. in Euang.* Legimus in Chronic. Cisterciens. Monachum quendam quoties S. Synaxin sumebat; toties sibi visum fauum mellis sumere, cuius suauitas illi in ore triduum ipsum perdurabat. *S. Franciscus*, inquit S. Bonauentura in eius vita cap. 9. *flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem & dignissimam charitatem. Sæpe communicabat & tam deuotè, vt alios deuotos efficeret, dum ad immaculati agni degustationem suauem quasi spiritu ebrius, in mentis plurimum rapiebatur excessum.*

S. Maria Ægyptiaca vadens ad Eremum sumpsit S. Synaxin, ac deinde in eremo sine cibo vixit plurimos annos: moritura verò eandem instar viatici accipiens, extensis in cœlum manibus, ingemiscens cum lachrymis exclamauit: *Nunc dimittis Domine ancillam tuam secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et mox sanctè placideque obdormiuit in Domino. Ita refert oculatus testis Zozymas in eius vitâ. Idem maiori pietatis & amoris sensu fecit S. Magdalena, paulò ante mortem Eucharistiam præbente ei S. Maximino.

E. IV. Defectus collectionis post communionem.

QVARTA. Defectus collectionis post communionem; dum non cohibentur sensus, sed mox effundūtur ad externa & sæcularia commercia: dum beneficium Eucharistiæ perceptæ non ruminatur, nec mens cum Christo vnitur. Hoc indicat Aggæus, cùm ait: *Operuistis vos & non estis calefacti.* Induimus Christum per

Sacra-

Sacramenti susceptionem, ait S. Thomas *in ep. ad Rom. c. 13.* Maximè verò per Communionem, in quâ velut Iacob sub vestibus Esau fratris primogeniti valde bonis & odoriferis sistimus nos Deo ad impetrandam benedictionem. Verùm vt sub veste incalescamus & foueamur, necesse est vt eam nobis bene applicemus; alioquin etiam pelles optimæ, si à corpore diffluant, calorem ei non subministrabunt. Sic faciendum in præsenti negotio. Si calorem spiritualem & fructum communionis volumus percipere, non ilicò post eam effundamus nos ad risum, ludum, iocos, confabulationem, cibum & potum, deambulationes, consolationes terrenas & alias mentis ac corporis euagationes; (Hæc enim perturbant cœlestem illum hospitem nec sinunt requiescere in lecto cordis nostri.) Sed potiùs colligamus nos & arctè nobis vniamus Christum, vestimentum nostrum, intentè in ipsum figendo oculos mentis nostræ, cum ipso colloquendo, ipsum reuerendo, amplectendo. Adhibeamus cingulum mortificationis, constringendo per eam vires animæ ac corporis, vt ne à Christo nos auocent. Quid prodest accepisse potionē medicam si domi te non contineas & calore foueas, sed mox in publicum aërem prodeas? Quid prodest hypocaustum vel balneum calefieri, si mox apertis vndique fenestris & ianuis calor inde exulet? Quid iuuat vnguenti pretiosum infundere in vas fractum, vnde rursum exstillet? *Cor fatui*, ait Ecclesiasticus cap. 21. *quasi vas confractum, omnem sapientiam non retinebit.* Tale autem est cor multorum communicantium; qui vtinam perpenderent sequentes veritates pij cuiusdam viri apud Corn. à Lap. in Zach. cap. 9. *Prima. Infirmus Domine, qui tecum non exhilaratur, valde prope est, vt cadat. Secunda Anima, quæ tecum nō exultat, vnde poterit exultare? Tertia. Qui tecum Domine, non est contentus, quomodo non crepat? Quarta Qui dum te hospitē habet, properat vt domo exeat facilè ostendit se cor habere alibi obstrictum. Quinta. Cui tecum manere tædium est, nescit quòd tu sis Deus & totum bonum eius. Sexta. Qui tecum non manet libenter, ostendit se phrenesi laborare, cùm huius rei causā natus sit.* Quatuor hi defectus, totidem quasi cordis nostri foramina sunt, per quæ excidit nobis fructus sacræ communionis. Vnde subdidit Aggæus: *Et qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Nō est expeditior ratio colligendi spirituales diuitias, quàm digna & frequens communio. Verùm si cor nostrū sacculus eiusmodi pertusus sit, frustra colligemus, quidquid inieceri-mus; nimirum si absque rectâ intentione, absque debitâ præparatione, absque deuotione, absque collectione Christū suscipiamus. Inspiciat ergò vnusquisque sacculum cordis sui, & si aliquod ex his foramen deprehendit resarciat: ne alioquin & sibi noceat & Christo grauem iniuriam inferat, cuius vtique præstantissima medicina spernitur & vituperatur à Iudæis, Ethnicis, Hæreticis, si eam in nobis viderint tam esse inefficacem & inanem.

Quòd si verò quis ab his se immunem videt, bono animo sit, frustrà non communicat, tametsi vel dulcedinem ac pinguidinem spiritualem vel etiam notabilem profectum in se non experiatur. Nam quod attinet ad gustum & dulcedinem deuotionis; sciendum, non esse necessariam, nec de eâ valdè laborandum, modò culpâ nostrâ non præpediatur. Neque enim est huius vitæ gustus & dulcedo illa, sed ad futuram reseruatur. Sufficit hominem facere quod in se est, ad excitandam deuotionem, licèt eam non obtineat iuxta placitum sed aridus remaneat; id quod communicanti sæpe est vtilius. Habet nihilominus communio suos alios fructus.

Quòd verò ad profectum spectat, sciendum huius Sacramenti effectus non minùs occultos quàm mirabiles esse, vt homo vix eos aduertat. Æmulatur enim gratia naturam. Vnde *quemadmodum cibo corporali hominem conseruat augetq́, cunctis inaduertentibus: ita hoc Sacramēto anima corroboratur augeturq́, imperceptibili incremento*; ait S. Laurentius Iustinianus.

Deinde non solùm progredi, sed etiam non regredi & non labi profectus censendus est: sicut non minoris sit medicina morbum arcens, quàm sanitatem promouens. Quare si vi communionis sentias te multo tempore absque lethali culpâ viuere, iam non parum profecisti, qui vitam animæ tamdiu sustentasti. Quòd si etiam sæpe communicans, subinde cespitas; cogita quòd abstinens toties omninò caderes. Faciamus ergò quod in nobis est & vitemus defectus indicatos, de fructu porrò reportando nihil simus soliciti. De S. Cassio vt diximus quotidianum sacrificium offerre solito scribit S. Gregorius loco suprad. quòd quadam nocte eius presbytero per visum Dominus astitit, dicens: *Vade & dic Episcopo: Age quod agis: operare quod operaris, nō cesset pes tuus, non cesset manus tua: natali Apostolorum venies ad me & retribuam tibi mercedem tuam.* Prædictioni respondit effectus, septimo post anno. In natali enim Apostolorum postquam missarum solemnia peregisset, suisque vltimum vale dixisset, repentè exclamans, dixit: *Hora est*; & obijt. Et quæ putatis, illa hora fuit nisi diei vltima, quæ vocabat operarium ad mercedem accipiendā?

CONCIO III.

Vbi & quomodo Christum dominum videre possimus.

1. *Videndus est Christus in pauperibus.*
2. *In sacrificio Missæ.*
3. *In oratione.*
4. *In Superioribus.*

THEMA.

Aperti sunt oculi eorum & cognouerunt eum Luc. 24.

EXodi 33. cap. Desiderans Moyses videre Deum dixit: *Ostende mihi faciem tuam.* Sed responsum accepit: *Est locus apud me & stabis su-*

pra petram & ponam te in foramine petra & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. Neminem esse nostrum puto, qui non vehementer, si fieri posset, Christum videre desideraret, & plurimos etiam abituros reor vsque in Emmaus & Ierusalem, si adhuc ibidem in terris degeret; sed fieri iam non potest vt Christum videamus: sed neque necessarium, quia scimus Dominum Thomæ dixisse: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.* Quo nomine gratulandum nobis potiùs, qui credimus in Christum, quem oculis non vidimus. Sed non caremus tamen omni Christi nostri aspectu; Videmus enim eum oculis fidei maiore nostro merito, quàm si corporeis cerneremus. Videmus eum quasi à tergo, id est, obscurè & in aliquâ eius imagine nobis relictâ per foramen petræ oculo scilicet fidei. Sed vbinam fides, inquies, ostendit mihi Christum? Audi patienter. Multis quidem in locis Dominus post resurrectionem suam videndũ se præbuit discipulis & primis Christianis. Quatuor tamen loca nominatim exprimũtur, in quibus se Dominus luculenter præbuit videndum: Emmaus, mare Tiberiadis, Mons Galileæ, & Bethania. Vnde non incongruè quatuor processiones tempore paschali instituit Ecclesia, vnam in Festo S. Marci, tres alias in ferijs Rogationum, quasi velit monere nos vt ad quatuor illa loca supplicando abeamus, vbi Christum videre possimus.

B. I. In pauperibus. PRIMÒ. Eundum nobis est in Emmaus, si Christum videre volumus. Emmaus populus despectus vel abiectus exponitur & quid significat nobis, nisi pauperes, Christi personam repræsentantes, siquidem ipse dixit: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Vnde bene in formâ peregrini tunc apparuit Dominus: & cùm discipuli putarent se ire & loqui cum peregrino, inuitarent ad hospitium & mensam peregrinum, Christo hæc fecerunt. Neque hoc rarò deinceps accidit. Inter alia enim exempla multa, S. Martyrius, vt refert S. Greg. *hom. 39. in Euang.* Leprosum debilem in viâ repertum, dum super humeros gestat ad monasterium, in eius foribus Christum se gestasse videt sibi apparentem & coram se in cœlos abeuntem ac dicentem: *Martyri tu non me erubuisti super terram, ego te nõ erubescam super cælos.* S. Catharina Senensis peregrinum paupere se induere vestibus sibi detractis existimans, Christum vestijt, qui mox ab ea euanuit & noctu ei apparens vestem illã in manu ferens, aliam inuisibilẽ promisit quæ omne frigus ab ea arceret. Anton. 3. *p. hist. tit.* 23. Alius item peregrinorum amator & hospes *cùm quotidie ad mensam suã peregrinos susciperet, quodã die peregrinus quidam inter alios aduenit, ad mensam ductus est. Dumq́, paterfamilias ex humilitatis cõsuetudine aquã vellet in eius manibus fundere: conuersus vrceũ accepit: Sed repentè eũ in cuius manibus aquã fundere voluerat, non inuenit. Cumq́, hoc factũ secum ipse miraretur: eadẽ nocte ei dominus per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.* Ita refert S. Greg. hom. 23. in Euang. Sed licet pauperes quos videmus non sint ipse Christus, adhuc tamẽ Christo damus quod ipsis propter Christum damus. Sanctus enim Martinus tunicam suam verè pauperi homini dedit, & tamen in ea Christus ei apparuit dicens: Martinus hac me veste contexit Seuer. Sulp. in vitâ c. 2. S. Catharina Senensis pauperi eleemosynam petenti crucem argenteam dedit, vero quidem homini: Christus tamen eidem apparens crucem illam auro & gemmis insignitam ostendit dicens, se in die Iudicij eam coram totâ angelorum & hominum frequentiâ ostensurum. S. Antonin. vbi suprà. Quia enim Christus, pauperum patronus, eos nobis commendauit & se nobis obligauit, habiturum se acceptum, quidquid illis daretur, inde pauperes Christi personam verissimè repræsentant. Ad hunc enim modum Dauid benefecit posteris Ionathæ propter ipsum, vt sic quia ipsi gratiam referre, vt interfecto, non poterat, in posteris eius referret. Vnde 2. Reg. 9. ait: *Putásne est aliquis qui remanserit de domo Saul vt faciam cum eo misericordiam propter Ionathan?* Moxque Miphiboseth filium Ionathæ claudum adhibuit mensæ suæ. Liberauerat Ionathas de gladio Patris sui Dauidem, & propterea iram Patris in seipsum deriuarat: idcirco Dauid conabatur ei interfecto hanc saltem referre gratiam. Atqui nónne & nos per Christum ab irâ & gladio patris eius erepti sumus? nónne ideò Christus Patris iram in se prouocauit & pro nobis excepit? Quid igitur putatis, non debemus ipsi? Sed non eget Christus ope nostrâ, nec possumus ei benefacere: egent tamen membra & posteri eius pauperes, quos ipse tanquam suos nobis commendatos reliquit, imò fratres suos vocauit, *Matth.* 25. quique de domo eius, id est, paupertatis illius imitatores sunt, & idcircò à tot sæculis præ foribus templorum tanquam aulicos suos excubare voluit. Igitur si Christo tanto benefactori tuo gratiam vis rependere, inquire illius pauperes & dic: Estne aliquis in ciuitate, pago, &c. de domo Dei vt faciam cum eo misericordiam propter Christum? Sed heu multorum oculi quodammodò tenentur ne Christum sub pauperibus videant & agnoscant, quia non in propriâ sed in personâ pauperum eis apparet, quemadmodum & duorum illorum discipulorum oculi tenebantur ne Christum agnoscerent, quia in formâ peregrini apparuit: Vnde fit vt plures eant nõ in Emmaus, sed **gehen nebenauf**; vt pauperes prætereant quasi non viderent. **Geben den Armen so vor den Laffen sitzen vnd nicht deuen so vor der Kirchen sitzen**: similes illis, quibus maledicet in Iudicio Dominus, dicens: *Esuriui & non dedistis mihi manducare*, &c. dicent enim illi: *Domine quando te vidimus esurientem?* sed audient: *quamdiu vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25. Cæterùm cognouerunt Dominum discipuli in fractione panis tandem, & à Christo pasti sunt, quem ipsi pascere volebant. Ita si ditiores sedulò vacarent operibus misericordiæ, tandem cognoscerent Dominum sub

pau-

pauperibus latere, quia experirentur sibi sua non modò non minui, sed etiam augeri, & plus accipere se quàm dare.

C. II. In sacrificio Missæ. SECVNDÒ, Eundum nobis est ad mare Tiberiadis, nam ibi piscantibus apparuit discipulis, *Ioan.* 21. Tiberias, *bona visio*, exponitur: & vbi, quæso, melior visio, quàm in sacrâ Missâ, vbi Christus ipse videtur? Nam inprimis ea Mare amaritudinis est, quia passionem Domini repræsentat, & mare immensum meritorum eius. Sed quemadmodum ibi Dominus ad littus tantùm maris Tiberiadis, non in ipso mari stetit: ita & in Missâ, quia iam extra passionem in sacrificio incruento quasi in portu. Bona autem visio est, quia maioris meriti, quàm si in propria forma Christus visibilis appareret: Vnde S. Ludouicus Franciæ Rex dum fortè Missæ sacrificio cum proceribus in palatij Parisiensis Sacello interesset, & illis puerulum formæ elegantissimæ in manibus celebrantis cernentibus moneretur vt ad eundem videndum iret, respondit: *Qui non credit, vadat & videat. Ego credo & fidei meritum libens conseruo.* Refert præter alios F. Ioan. Viguerius in Institut. ad Christi Theolog. cap. de Eucharistiæ Sacramento. Ibi totâ nocte piscantibus frustrà discipulis, Dominus parauit piscê prunis superpositum, & panem (præter insignem piscium capturam) & pransus est cum illis: ita etiam Dominus in Missâ exhibet nobis insignem piscem, seipsum videlicet, igne charitatis in cruce tostum, vt exponit Gregor. *homil.* 24. spiritualiter manducandum: panem etiam Eucharisticum realiter sumendum: præter domesticam benedictionem. Vnde si ad Missam diligêter accederemus, cum ipso prandere spiritualiter & corporaliter possemus, & domi interim non modò nihil negligeremus, sed plus acquireremus (saltem spiritualium bonorum, quæ rete conscientiæ nostræ non rumpunt: quod tamen ferè solent bona facere temporalia) qui alioqui domi laborantes totâ nocte parum aut nihil capimus. Vnde Dominus bene dixit: *Mittite in dexteram nauigij rete & inuenietis*, q. d. *operamini cibum qui non perit*, piscamini res salutis, &c. Sed heu quamplurimi etiam hîc Dominum non agnoscunt vt discipuli piscantes; si enim agnoscerent, festinanter accurrerent omni alio seposito negotio. Petrus certè cùm audisset à Ioanne *quia Dominus est*, qui in littore stabat, mox tunicâ se præcinxit & moræ impatiens, misit se in mare natandoque ad Christum venit. Non dubito ergò si & nos Christum in Missæ sacrificio seriò agnosceremus, quin quotidie, audito ad Missam sonitu, pallium indueremus & ad eam festinaremus. Sed quæ est nostra vel cæcitas vel infidelitas vel ignauia? nam tot exhortationibus totque promissionibus excitati, & præterea ingentibus campanis euocati, vix in festis & dominicis ad S. Missam pergimus; & huic quàm frigidè interfumus! Vtinam, Auditores, videretis Romæ specus illas subterraneas & meatus per quos primi Christiani tempore persecutionum ad Missas clanculum repetabant & ad locum vnum confluebant, vbi sub terrâ Missam audire & Sacramenta percipere possent! Vtinam legeretis Acta Cyrthensia apud Baron. Anno 303. vbi mori se potiùs paratos dixerunt, quàm sacrificio Missæ carere: Cùm vetarentur id audire. Stuperetis vtique & vestram ignauiam damnaretis siquidem plurimi modico frigore, pluuia vel leuissimo negotio ab illâ retrahi se patiuntur: adeoque cum cæteris discipulis nauigio ad Christum adduci debent, cum nim. suauiter & sine molestiâ ad eũ veniri potest; quia nô adeò viuâ fide agnoscunt in Missâ Dominum, quemadmodũ agnouit Petrus Christum in littore stantem.

D. III. In oratione. TERTIÒ, Eundum in montem Galilææ, *Matth.* 28. Galilæa secundum S. Gregorium *hom.* 21. *in Euang.* Et D. Bern. *serm.* 1. *in Pascha*, *transmigratio* exponitur. Transmigramus autê quasi de corpore cùm montem orationis ascêdimus, & in ea Deum mente aspicimus & præsentem contemplamur, siquidem oratio est ascensio mentis ad Deum. Hinc aptè fideles viso Domino in eo monte, dicuntur adorasse eum. Præterea mons ille Thabor fuisse communiter putatur, à Dionysio Chartus. Lirano, Bonau. Magistro historiæ, &c. Vbi Christus dum oraret, transfiguratus aliquando fuerat. Montem igitur hunc ascendimus & Christũ videre meremur, cùm per orationem animum à terrenis cogitationibus auocamus & ad Dei conspectum & meditationem eleuamus; speciatim verò cùm ad certa pia loca & SS. templa & reliquias peregrinamur vt ibi Deo & orationi accuratiùs vacemus. Sic enim quodammodo cum discipulis ad montê Thabor ascendimus, & dum orationi sedulò intêti Deum in mente nostrâ effingimus, quasi præsentem cernimus, in mente nostrâ velut in speculo relucentem. Dum enim imaginem crucifixi aut sancti alicuius intuemur, haud dubiè ibi non sistimus, sed mente & cogitatione ad Christum ipsum & Sanctum ferimur tanquam in præsentes. Est quidem Deus vbique adeoque etiam gentilibus præsens & hæreticis: sed non ita vti Christianis, quibus promisit Christus, se speciatim cum illis fore in orationibus. Vnde multò meliùs quàm Iudæi dicere possumus id Deut. 4. *Non est alia natio tam grãdis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Quando enim Iudæis tantæ promissiones factæ, quantæ nobis de exaudiêdâ oratione? Certè siquis semper & quandocumque liberum haberet accessum ad principem & facultatem colloquendi quamdiu vellet, quid non speraret se obtêturum? Habemus hanc libertatem nos Christiani, imò iubemur esse importuni Deo nostro in orando. Habemus præterea toties repetitam & quasi iuramêtis firmatâ eius promissionê: *Amen, amen, si quid petieritis, &c. fiet vobis.* Sed & hîc repetiũtur dubitanti, sicut & in monte illo. Dubitant alij vtrum possit eis auxiliari cùm tamen in monte illo apparês dicat: *Data est mihi omnis potestas in cælo & terrâ.* Tales sunt, qui de pane lucrãdo & necessarijs conquirendis, magis confidunt in arti-

in artibus, fraudibus & mędacijs suis, quàm in Deo, quem orare pro ijs rebus non curant. Si diues & opulentus vir aliquid tibi debeat, syngrapham debiti nō petis imò nec sponsionem, sed vno eius verbo contentus es & securus: cùm verò Christus, cui omnia subiecta, tibi promittat omnia necessaria oranti: *Nolite solliciti esse &c. petite & accipietis*, &c. fidem ei non habes. Tales, qui in suis afflictionibus ad Deū non recurrunt, sed vel desperant vel ab hostibus Dei opem petunt, vti Ochozias, qui in ægritudine misit ad Deū Accaron, Beelzebub. 4. Reg. 1. Vnde & in ea perijt, quia non consuluit Deum verum. Dubitant alij vtrum velit, cùm tamen Dominus in eodem monte dixerit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Ita dubitant, qui dum non statim audiuntur, mox ab oratione cessant. Mira diffidentia, si enim Iudæus tibi debeat & chirographum debiti tradat, illo contentus es: Christo Domino tuo, qui se tecum fore omnibus diebus promisit, non credis. Sed sæpe, inquis, expertus sum, me non audiri, dominum orationi meæ non adesse. Crediderim id, si montem Galilææ non ascendas, si in oratione animum ad Deum non eleues, nec à terrenis cogitationibus auoces: si non credas viuâ quadam & efficaci fide Deum esse præsentem, & te reuera ab illa summâ & tremendâ maiestate orantem videri & audiri. Tu enim sæpissimè interim mente alibi es, alia intueris, profana & noxia: quid mirum si Deum nō videas, nec præsentem experiaris? Vnde S. Hieron. in dial. contra Lucifer. ait: *Ad orationem assisto, non orarem, si non crederē: sed si vere crederē, illud cor quo Deus noster cernitur, mundarē, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarē, corpore inhorrescerem, ore pallerē, iacerem ad Domini mei pedes eosq́; fletu perfunderē, crine tergerē, hærerem certè trunco crucis nec priùs absisterē quam misericordiam impetrarem; Nūc verò creberrimè in oratione meâ aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam quæ dictu erubescēda sunt gero. Vbi est fides? sicciue putamus orasse Ionā? sic tres pueros? sic Danielē inter Leones? sic certè latronem in Cruce?* Hæc Hier. de seipso humiliter, de nobis veraciter. Denique audi Dauidem Ps. 144. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.* Vide quid sibi velit istud, *In veritate:* Nā vt ait Card. Bellarm. in eū Psal. *qui sine verā fide orat, nō inuocat Deum in veritate, sed idolū capitis sui: & qui sine spe & fiducia orat, non inuocat Deum in veritate, quia non potest serio & ex animo inuocare eum à quo non sperat se audiri: Et qui sine charitate vel sine dilectione saltem inchoatâ orat, nō inuocat Deū in veritate, quia nemo inuocat serio eū quem odit & à quo se odio haberi credit. Et qui sine affectu ac desiderio orant, vt qui recitāt Psalmos & orationem Dominicam absque desiderio consequendi quæ petunt; non inuocant Deū in veritate, sed inuocare videntur. Denique qui sine attētione orant, nec sciunt quid dicant, ij voce tantùm, non mente orant, & ideo non inuocant Deū in veritate, quia non ipsi verè inuocant, sed signum inane inuocationis ostendunt.* Hæc Bellar.

QVARTÒ. Eundum cum illo in Bethaniam eique vicinum Olíueti montem, quò postremum eduxit discipulos suos Dominus ad cœlum ascensurus *Luc.* 24. & *Act.* 1. Bethania domum obedientiæ significat in quâ est & videtur Christus, sicut Rex in regno suo: *videlicet in vicarijs* & præsidētibus suis: quia superiores tam sæculares quàm Ecclesiastici ab illo nobis constituti & relicti sunt, eiusque personam & auctoritatem repræsentant imò & ab eo reguntur & mouentur. De his enim ipse dixit Luc. 10. *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Et Apostolus Eph. 6. *Obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo.* Sanè Dominus de Bethaniâ perrexit cum discipulis ad vicinum montem Olíueti indeque ascendit ad cœlum *Act.* 1. In monte autem Olíueti exactissimam nos docuit obedientiam, dum ibidem orans ad patrem vt voluntas eius fieret, responsum non ab ipso patre, sed ab angelo patrem repræsentante, alioquin se longè inferiore, lubēs acceptauit. Dum igitur in eo monte se videndum præbuit & ex illo in Cœlum ascendit, clarè docuit, in domo obedientiæ erga superiores ipsum optimè videri ipsiusque voluntatem; nec non securè ad cœlum perueniri. Inprimis enim Dei voluntatem superiores tibi aperiunt, quam si sequaris non errabis. Vnde Paulo volenti scire Dei voluntatem, *Domine, quid me vis facere?* Respondet Christus: *Surge & ingredere ciuitatem & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*, Act. 9. Illi sunt instar columnæ illius, quæ ducebat Israëlem per Ægyptum & monebat, quando proficiscendum esset, quando sistendum. *Num.* 9. Eam vocat Deus *faciem suam*, Exod. 33. quia scilicet angelus qui columnæ vt naui nauclerus præsidebat, personam Dei repræsentabat. Quis autem sibi non magnoperè gratularetur, si per singulas actiones videre voluntatem Dei posset, quid faciendum vel omittendum? Si quotidie mane radius solis per fenestram ad te dirigeretur, qui tibi in pariete monstraret, quid Deus à te requirat: quanta hæc foret gratia? Modò ecce tibi radium talem, Episcopum tuum, Magistratum tuum, dominum tuum, præceptorem tuum, parentem tuum, Confessarium tuum, &c. Nam nisi manifestè repugnantia ratinni & præceptis diuinis tibi imperent, securè eis obedis, quasi ipsi Christo, licèt alioquin errent. Sunt velut index horologij, quem solum aspicimus, cùm scire volumus horam diei. non introspicimus ipsum horologium. Et tametsi aliquando index cùm horologij cursu non concordat, nihil tamen id nocere nobis potest si fortè tardiùs coram hero compareuerimus, quia referimus nos ad Indicem horologij: similiter etiam non est quòd sis solicitus, quæ sit voluntas Dei, dummodo scias & sequaris superioris tui voluntatem, io eo enim Christum eiusque voluntatem videre te existima. Vnde S. Hieronymus *in Reg. monial. c.* 6. ait: *In obedientiâ summa virtutum clausa est, nam simplici gressu hominem ducit ad Christū, & non solum mens excusatur ad reddendā Deo rationem*

E. IV. In superioribus.

tionem de subditis, sed nec etiam obligatur reddere de seipsâ. O summa libertas, quâ obtentâ vix possit homo peccare. Hæc Hieron. Hinc consequitur alterum, quòd in domo obedientiæ optima & secura sit ad cœlum via; siquidem obedientes alienis humeris, sicut ouis illa inuenta humeris pastoris sui, ad cœlum feruntur & alienis natant brachijs. Hinc orta tot monasteria in quibus homines vt pueri viuunt, totique à pædagogis suis pendent, ad superiorum arbitrium vitam & mores suos componunt: Hinc etiam sæcularibus tot dati à Deo superiores, parẽtes, Domini, Iudices, Principes, Tutores, Præceptores, Pastores, Confessarij, &c. vt sic aliorum saltem ductu ad cœlum peruenirent, qui suo interirent. Quæ quidem mira Dei inuentio est vt parendo aliorum voluntatibus plurimi saluarentur, qui per propriam voluntatem perirent. Vnde Origenes *hom. 3. in Iosuem,* ait: *miranda benignitas & prouidentia Dei apparet, qui volens peccatori Cham præstare remedium & salutem, seruum fecit eum fratribus suis,* Genes. 5. *sicut Esau fratri suo Iacob,* Gen. 27. *non vt periret, sed salutem melioribus obediendo acquireret. Præstatur enim plurimum malis, qui se regere nesciunt, cùm sibimetipsis non committuntur, sed serui fiunt sanctorum & subiacent melioribus.* Ita Orig. Exemplum talis obedientiæ describit nobis Raymundus de S. Catharina Senensi in eius vitâ his verbis: *Hoc suauissimo hospite (Christo nempe) contenta, vicit diabolum, & eius machinas. Docebat illa eam intus vias & rationes mirabiles externa omnia superandi. Imaginabatur sacra virgo patrem suum repræsentare Christum Iesum; matrem suam, Dei Genitricem sanctissimam; cæterosq́; de familia, Apostolos & discipulos Saluatoris. Hac imaginatione fortiter conceptâ, assecuta est, vt omnibus illis cum omnium admiratione hilariter & officiosè inseruiret; tum etiam vt illis seruiendo, semper cogitaret de sponso suo Christo, cui se & omnia officia præstare credebat: sicque factum est, vt dum in culinâ versaretur, semper esset intra sancta sanctorum, seruiensq́; ad mensam recumbentibus, animum suum mirè pasceret imaginandâ præsentiâ Saluatoris, contemptum verò sui & iniurias omnes etiam iucundo ferret animo.*

Ergo Auditores, rogemus Dominum vt qui in hodierno Euangelio discipulorum oculos aperuit, aperiat etiam nostros, quibus eum agnoscamus in pauperibus in sacrificio Missæ, in oratione, in superioribus nostris, atque vt demum è Bethaniâ seu domo obedientiæ cum ipso euehamur in cœlum.

CONCIO IV.

Christiani sint Peregrini.

1. *Non ament honores, opes, delicias, hinc efferre nequeunt.*	*splendorem, &c.*
2. *Nimia in hoc mundo aliena reputent.*	4. *Non quærant sibi hîc manentem ciuitatem.*
3. *Non curent mundi irrisiones, ob vitæ austeritatem, virtutum*	5. 6. *Modestè se gerant, & muniant se virtutibus.* 7. *Cogitent semper patriam.*

THEMA.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem?
Luc. 24.

PEregrinus quidem Christus fuit in Ierusalem nec non in omni terrâ: nequaquam tamen solus. Quotquot enim Christo adhæserunt, quotquot cœli ciues sunt, fatentur etiam ipsi sese hîc peregrinos esse. Ita inprimis credentium pater, Abraham, Genes. 23. *Aduena ego sum,* inquit, *& peregrinus apud vos.* Ita eius nepos, Iacob, interrogatus à Pharaone de ætate suâ: *Dies peregrinationis meæ,* inquit, *centum triginta annorum, parui & mali.* Genes. 47. Ita Dauid Rex: *Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres nostri,* Psalm. 38. idemque de omnibus asserit. 1. Paral. 29. Testantur idem Apostolorum principes, Petrus & Paulus. Ille 1. Petr. 2. cùm ait: *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs.* Iste 2. Cor. 5. dicens: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino* Idemque de omnibus patribus affirmat ad Hebr. 11. *Confitentes,* inquit, *quia peregrini & hospites sunt super terram.* Idcircò veteres illi patres ferè totâ vitâ peregrinando de loco ad locum migrarunt, nullibi stabilem sedem habuerunt. Abraham exire iubetur à patriâ & habitare in terrâ alienâ. Idem filium Ismaelem ablegat à se in terram alienam. Nepos eius Iacob deserere cogitur paternam domum & pergere in Mesopotamiam vt seruiat in alienâ. Idem postea cum totâ familiâ peregrinatus est in Ægyptum ad filium Iosephum; Vnde dicebat Pharaoni: *Ad peregrinandum in terram tuam venimus.* Genes. 47. Eius posteri Israelitæ postea coguntur migrare ex Ægypto & peregrinari in deserto per annos 40. Sed quid opus multis? Anima nostra cœlestis est, & à Deo creata ac paradiso eiecta venit in terram & hoc mortale corpus, nec non in exilium. Ibi aduena est, indeque velut peregrina cupit redire ad cœlum, patriam suam, cuius typus est Cleophas, qui cùm haberet domum suam in Emmaus, teste Hieronymo in Epitaphio Paulæ, tendit in patriam suam. Soli homines improbi, mundi ciues sunt vel potiùs esse volunt cùm reuerà non sint. Ergo quando om- A.

nes

nes peregrini sumus, videndum nobis est, quâ ratione vitam nostram instituamus, quo modo peregrini suam peregrinationem; Audiamus.

B. I. Non emant ea quæ hinc efferre nequeūt. PRIMÒ. Peregrinus nihil in viâ emit quod secum ferre nequeat vt arbores aut prædia: nec ædificat domos aut hortos: nec quærit sibi seruos aut equos: quia aliò tendit. Sola vero ea coëmit & parat, quæ secum ferre potest, veluti vniones & pretiosa monilia. Ita Christianus, qui peregrinum se agnoscit, non quærat hîc honores, opes, delicias, quia secum è mundo non efferet, sed mundo relinquet nolens volens: prouideat sibi potiùs de operibus bonis, quæ sola secum efferet. *Opera enim illorum sequuntur eos*, inquit Ioannes *Apoc.* 14. Sola efferentur opera, quia sola apud superos in pretio sunt. Stultus est qui nauim onerat mercibus, quæ in ea regione, ad quam nauigat, nullius pretij sunt. Diuitiæ, honores, voluptates nihil in cœlo valent. Queritur S. Iob c. 9. *Dies mei pertransierunt quasi naues poma portantes.* Hoc ipse ex humilitate, nam improborum dies propriè sunt velut naues poma portantes. Quid enim citiùs putrescit quàm pomum? & quis non rideret eum, qui ex Indiâ adueheret nauim pomis onustam? quot enim poma sana & integra afferret? nullum omnino. Auro & argento, gemmis & aromatibus onerantur naues Indicæ. Talia autem sunt bona opera, reliqua omnia nil nisi poma sunt. Hinc igitur monuit nos Saluator noster Ioan. 6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Eodem spectat admonitio S. Petri 1. Pet. 2. *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs.* Quidquid enim carnale est, fluxum & putredini proximum est: non competit ergo peregrino mundi.

C. II. Omnia aliena reputent. SECVNDÒ. Peregrinus omnia quasi peregrè videt, dum omnia à se aliena & peregrina æstimat: Vnde ea non amat. Sed obiter quasi ad se non pertinentia aspicit ac pertransit. Eodem modo se habet erga homines quoslibet siue indigenas siue obuios quosque; vt peregrinos enim aspicit, non alloquitur, non comitatur: cor eius in patriâ est, mens cum parentibus & filijs. Ita Christianus omnia in hoc mundo peregrina & aliena reputet, etiam homines & inprimis fœminas, quasi ad se nihil pertineant: cor apud Deum in cœlo, apud Angelos & sanctos habeat, quemadmodum monet S. Basilius admonit. ad filium spiritualem: *Auiditate cœlesti anima flagrans*, inquit, *vt figura quadam inter homines versari videtur & tota côuersatio eius in cœlis est.* Cernuntur in aulis principum variæ statuæ & figuræ: discurrunt & fabulantur iuxta eas homines pulcherrimæ formæ, elegantissimè vestiti: feruntur ad mensam epulæ lautissimæ; agitantur ludi, &c. nihil tamen sibi statuæ illæ ex his omnibus côcupiscunt. Talem S. Basilius vult esse Christianum. Huiusmodi autem fuit bonus ille latro, qui affixus cruci & præter vicinam mortem aliud nil expectans, omnia terrena, quæ tunc oculis cernebat, tanquam aliena & peregrina vidit; siquidem à Christo, quem cœli Regem credidit, nihil in terris postulat, non opes, non honores, non vitam, non doloru vel modicam relaxationem, sed sui tantùm memoriam in cœlesti eius regno. Habuit is in côspectu suo, vtpote in monte exaltatus, splendidissimam ciuitatem Ierusalem, montes & colles speciosos, viridantia arua, ridentia prata, ciuium Ierosolymitanorum hortos, ingentem populi multitudinem, in eoque potentes multos & milites, nec non equos phaleratos, mulieres quoque & adolescentes formâ conspicuos, &c. Nihil tamen horū ipsum mouit, vt descensum de cruce peteret & his frui posset: Solam præ oculis mortem habuit, ad iter suum attendit deque eius termino solicitus fuit. Itaque vt ostendit S. Ambrosius, verus peregrinus fuit. Alter verò non item, quia liberari voluit nec affectum suum à terrâ separauit.

TERTIÒ. Peregrinus aspicitur ab indigenis, pueris præsertim, velut barbarus & monstrum aliquod, ob peregrinum habitum, loquelam, mores; sed contemnit & pertransit ridetque pariter eos à quibus ipse ridetur. Idem euenit iustis, in terrâ peregrinantibus: ridentur enim à mundo ob vitæ austeritatem, morū innocentiam, virtutum splendorem mundo insuetum & penè inauditum: & vicissim ipsi rident mūdum. Vnde Isaias in personâ Christi propheticè de ijs loquitur cap. 8. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentū Israël.* Portentum Israeli mundi sectatori fuit Isaias, quando sacco cilicino super nudā carne indutus velut Eremicola, habitu pœnitentis assiduè concionabatur mira & magna carni & carnali populo repugnantia: item cùm per triduum nudus discurrit in vrbe Ierosolymâ vt populum commoueret ad compunctionem. Itaque non propheta solùm sed typus etiam & prodromus sanctorum aliorum fuit, qui ob miram vitæ sanctitatem monstra & portenta à mundo habita fuerunt. Talis Paulus Eremita, Antonius, Alexius, Franciscus, Simeon Stylites, Simon Salus, Iacoponus alijque innumeri; qui *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*, &c. Vt scribit Apostolus ad Hebr. 11. Cæterùm quò magis à mundo derisi fuére, eò magis ipsi deriserunt mundum sibique placuerunt in contemptu suo; vti S. Macarius, qui cum socio Nilum transiturus, totus pannosus & squalidus, cùm à Tribuno regionis audiret: *Beati vos, qui mundum illuditis*; respondit: *Nos mundum illudimus, sed vos illudit mundus.* Refert Palladius in *Lausiacâ hist. c.* 20. Quare si quis vult in mundo peregrinus esse & haberi talis, asperos pœnitentiæ & mortificationis induat mores & continuò à mundo spernetur, pelletur & ridebitur. Ita solent rusticæ hœdulis iam adultis matrum vbera subtrahere: alligant eis ad caput pellem herinacei, hispidam & aculeatam; hac igitur laruâ tecti hœduli dum caprarum vbera petentes pungunt, ab ijsdem repelluntur. Indue & tu Sanctorum Anachoretarum, Pauli, Antonij, Romualdi & similium mores: & videbis ilicò mundum tibi negaturum

D. III. Non curent mundi irrisiones.

gaturum vbera solatiorum suorum, imò calcibus te impetiturum ac repulsurum. Sic eris peregrinus verus.

E. IV. Non hic moram trahunt. QVARTÒ. Peregrinus nullibi moram trahit, sed demoratus vnâ nocte in hospitio, manè iterum abit & alijs venturis hospitium relinquit. Idem faciat peregrinus cœli: non quærat sibi hîc manentem ciuitatem, sed cogitet se velut hospitem hodie ad mundum diuertere, cras ab eo recessurum. Ita sensit Dauid Rex paulò ante mortem suam tradens regnum Salomoni filio: *Peregrini sumus*, inquit, *coram te (Deus) & aduenæ sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram & nulla est mora.* Peregrinus per vnâ noctem manet in diuersorio, quemadmodum vmbra in horologio manet per vnũ diem: & nulla est vtriusque mora, sed hospes hospiti & dies diei cedit: ita cessit Dauid regnum Salomoni: Salomon Roboamo: ita alter alteri lampadem tradit. *Vnusquisque*, inquit S. Augustin. Serm. 32. de verb. Dom. *hîc & in domo suâ hospes est: Si non est hospes, non inde transeat; Si transiturus est, nolit velut hospes est; nam dimittit illam filiis suis, hospes hospitibus. Cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filijs tuis: nec mansurus manes, nec mansuris relinquis.* Hoc suis procul dubio successoribus insinuare voluit Cardinalis Albertus & Archiepiscopus Moguntinus qui sepulchro suo incidi fecit hanc epigraphen: **Albernach** omnes sequimini. Refert Serarius *in reb. Mogunt. l. 1. c. 31.* q. d. sequemini peregrini. Quare sicut hospes aut peregrinus pernoctans in hospitio non laborat in exornando sibi lecto aut conclaui neque illud renouando tempus terit: nec ægrè admodum fert, si non omnia ad gustum suum inuenerit parata, quia ibi modico tempore se mansurum nouit: ita peregrinus mundi cùm norit vitam suam esse breuem, non est sollicitus de superfluo domus, familiæ, corporis ornatu: non iniquè fert, si non omnia ad eius nutum fiant & parentur ad gustum.

F. V. Modestè se gerant. QVINTÒ. Peregrinus sibi attendit vt modestè sese gerat, cum omnibus pacatè & pacificè agit, omnibus se affabilem præbet, bona verba dat, libenter alijs cedit, nemini iniurius est, quia peregrinum se agnoscit, nec habere ius municipatus ad instar ciuiũ, ideóque facilè se expelli aut ad iudices trahi posse. Ita Christianus peregrinus componat hominem exteriorem in vultu, vestitu, sermone, incessu, iuxta regulam S. Augustini in reg. *In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* Nosse enim debet se nihil in hoc mundo vel cũ mundo habere, nihil in eo iuris habere, terram mũdi sectatoribus cedendam, & ideò cum ipsis cautè agendum esse: humiliter, parcè & pacatè loquendum, ne in eorum cẽsuram incidat. Attendunt enim sæculares regularibus, Laici clericis & vniuersim probis improbi, ciues huius mundi eiusdem peregrinis, vt habeant quod in ipsis carpant, rideant, accusent, mulctent, vti fecerunt habitatores Geraræ Isaaco, *Gen. 26.* Laban genero suo Iacobo, *Gen. 31.* Ægyptij Hebræis. Hinc Apost. ad Philippenses c. 4. monet vt modestiâ muniti contra gentiles aliosque se persequẽtes & affligentes non excandescat, nec indignẽtur. Sed per animi moderationem omnia quantumuis dura patienter ferãt atque erga hostes suos placidi & benigni sint, memores Domini aduentũ nõ abesse procul. *Modestia vestra*, inquit, *nota sit omnibus hominibus: Dominus enim propè est.* Hac virtute præditi erant magni illi peregrini Abraham, Isaac, Iacob, qui penè semper in alienis versati terris, omnibus se affabiles, humiles & mites præbuerunt, erantque gentilibus speculũ virtutũ. Eadẽ claruit S. Cyprianus martyr, de quo scribit Pôtius eius Diaconus in vitâ: *Tantũ sanctitatis & gratia ex ore lucebat vt confunderet intuentiũ mentes grauis vultus & latus: nec gressus tristis, nec comitas nimia*, &c. Talis S. Lucianus martyr, qui solo suo aspectu modesto multos ad Christum conuertit. Tantus enim in eo morũ decor & vitæ innocentia apparebat, vt angelus videretur, non homo, nemoque eum intueri posset quin fidei & Christi amore tãgeretur. Ita enim de eo scribit Baronius anno D. 311. *Cùm de Luciano à multis audiret Maximianus, tantam in eius facie insidere reuerentiam, vt si eum solum vidisset, veniret in periculum, ne fieret Christianus; postquã iussit vt ille adduceretur, timens ne sibi tale quid accideret, velo intersecto se parat sermonis congressionem & verba procul ad eum emittebat, intermedio vtens sermonis ministro.* Eadẽ modestiâ mirè enituit S. Bernardus, vt in eius vitâ *lib. 3. c. 1.* quẽ aliquando visitans in Claraualle Pontifex cum suis, ipsius & Monachorũ modestiâ visâ adeò commotus est vt plerique in lachrymas soluerentur. S. Franciscus suos adeò modestiam docuit, vt mittens eos ambulatum per vrbem diceret: *Ite concionatum*, quasi eorum modestia in vultu, habitu & incessu, instar concionis ciuium animos mouere ad pietatem deberet.

G. VI. Muniant se virtutibus. SEXTÒ. Peregrinus parat & munit se rebus ad iter necessarijs, scipione, quo nitatur & regat gressus suos: penulâ è crassiore panno vel corio cõfectâ ad arcendas pluuias cœliquè iniurias sustinendas: lagenulâ ad hauriendũ potum: calceamentis ad tuendos pedes; viatico &c. Ita & fidelis quisque munire se debet præsidio virtutum contra omnes difficultates & tẽtationes; veluti inprimis scipione fiduciæ in Deum, cuius directioni & prouidentiæ fortiter innitatur, quia *apud Dominũ gressus hominis dirigentur & viam eius volet.* Ps. 36. Scipio Cornelij filius cæcum patrem regebat, inde nomen accepit, quod ei velut baculo pater innitetur. Cæci sumus nos, Scipio noster Deus est, illi innitendum. Baculi subsidio peregrinus transilit sepes & fossas. Christianus Dei cum præsidio superat omnes difficultates. Ita Dauid etsi iam seniculus: *In Deo meo transiliam murũ*, inquit, *2. Reg. 22.* Penula boni Christiani quid nisi patientiâ, quæ imbres tribulationũ fortiter & sine noxa excipit? Hi enim tametsi corpus illius feriunt, ad animã tamen non penetrant, quia à serenitate & pace mentis minimè eã deijciunt. Hac indutus erat Chrysostomus è Constantinopoli

nopoli in exilium pulsus & varijs itinerum molestijs cōfectus. Ita enim ad Cyriacum scribit: *Equidem cùm Vrbe Cōstantinopolitana exigerer nihil horū curaui, sed ita mecū ipse locutus sum: Si Imperatrix me proscribere volet, proscribat, Domini est terra & plenitudo eius. Si serrâ discindere volet, discindat: Isaiam habeo exemplū. Si me in mare vult proycere, Ionæ reminiscar. Si in Caminum vult conijcere, tres illos iuuenes habeo qui id pertulerūt. Si me bestijs vult obijcere, Danielis meminero in lacū Leonum coniecti. Si lapidare me vult, Stephanum habeo protomartyrem. Si caput mihi vult auferre, Ioannē habeo Baptistam. Sin substantiā vult adimere, adimat sanè, nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Quid verò lagenula peregrini nisi temperantia? non enim plus aquæ capit, quàm quod siti extinguendæ sufficit: nulla inde ebrietas, nullæ compotationes prodeunt. Itaque & nos *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus*, inquit Apostolus 1.*Tim.* 6. S Cypr. in exposit. Orat. Dom. pro *alimenta* legit *exhibitionem*, hoc est, præbendam. Vult igitur Apostolus vt simus præbendarij; qui nihil aliud expectant à præbendâ suâ præter ordinarium pastum, minimè exquisitum, & hoc contenti sunt. Nam vt S. Guilielmus Eremita discurrit: *sub Adam per pomum non per rombum vniuersale factum est excidium: Esau reprobatus est appetendo leutis non carnis edulīū: Sub Moyse populus in deserto prostratus est propter aqua non vini desiderium.* Adhæc vti peregrinorum lagenæ plerumque exinani cucurbita factæ ideoque leuissimi ponderis sunt: ita venter sobrius nunquam grauat hominem. Calceamenta peregrini, constantia sunt eiusdem. In calceis consistit & firmiter ambulat homo: constantiâ armatus homo persistit in virtutis viâ licèt asperâ & currit viam mandatorum Dei. Calceus extrema & infima vestis, est perseuerantia, quæ claudit iustorum vitam & virtutibus eorum coronidem imponit. Inutilis fit equus cùm amittit vngulam. inutilis fit homo cum deficit à Cōstantiâ. Vnde S. Hieronymus *ep.* 10. *ad Furiam* ait: *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis.* Viaticum peregrini est Dei verbum, bonorum operum merita, Sacramentum Eucharistiæ; de quibus ait S. Basilius de Leg. lib. Gentil. *Ad futuri sæculi, cuius non est finis, possessionem viaticum tibi para.*

H. VII. Cogitent semper patriam.

SEPTIMÒ, Peregrinus perpetuò cogitat patriam, ad patriam anhelat, casus parui æstimat nec in ijs immoratur: ingemiscit potiùs ob patriæ distantiam & itineris moram. Ita *fideli homini*, inquit S. Augustinus in Psal. 14 5. *& peregrino in sæculo nulla est iucundior recordatio, quàm ciuitatis illius, vnde peregrinatur.* Et S. Bernardus serm. 7. de Quadrag. *Peregrinus viâ regiâ incedit: non declinat ad dexteram neque ad sinistrā. Si fortè iurgantes viderit, non attendit. Si nubentes aut choros ducentes aut aliud quodlibet facientes, nihilo minùs transit, quia peregrinus est & non pertinet ad eū de talibus. Ad patriā suspirat: ad patriā tendit, &c.* Exemplum vel figura potiùs talium peregrinorum sunt Hebræi qui abducti ab Ierusalem in cap.i iuitate n Babylonicam cum à Babylonijs iuberentur modulari cantica sua, responderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ? si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua faucibus meis.* q. d. arescat dextera mea, quâ pulsauero instrumentum: muta fiat lingua mea, quâ cecinero, Psal. 136. Nam vt rectè Augustinus in Psalm. 148. ait: *Qui non gemit peregrinus, non gaudebit ciuis, quia desiderium non est in illo.*

Vidimus, Auditores, conditiones peregrini: superest nunc vt nos peregrinorum habitum induamus si volumus magnum illum peregrinum Christum comitem esse itineris nostri. Hunc verò si habuerimus, securè perueniemus cum Cleopha ad patriam. S. Olympius Abbas, vti narrat Ioannes Moschus *in prato spirit. c.* 12. rogatus à quodam, quâ ratione vitam suam rectè instituere posset ad consequendam beatitudinem, respondit: *Vbique æstima te peregrinum, & vbicumque sederis dic: peregrinus sum.* Fac in Christiane hoc & viues.

CONCIO V.

Hospitalitas suadetur.

1. *A scripturâ sacrâ.*	*rum.*
2.3. *Ab exemplo Patrū veteris & nouæ legis.*	5. *A brutis animantibus.*
4. *Ab exemplo Paganorum & Barbaro-*	6.7. *A præmio & mercede hospitalium, & pœna inhospitalium.*

THEMA.

Coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum Domine. Luc. 24.

VErbum Apostoli est 1. Corinth. 4. *Non in sermone est regnū Dei sed in virtute.* Cuius dicti veritas apparet, in hodierno Euangelio, vbi audiuimus discipulos duos parum quidem in lege fuisse eruditos, in virtute tamen & bonorum operum studio fuisse præcellentes, eoque medio consecutos Christum, Cœli Regem. Non nouerunt Dominum secum ambulantem, etiam dum scripturas illis aperiret, agnouerunt inuitatum, & amanter à se pastum. Tardi erant ad intelligendum, & agnoscendum Dominum: sed non tardi ad amandum etiam vt peregrinum: Quem ergo per sermonem & scripturarum cognitionem deprehendere non poterant, deprehenderunt per virtutem hospitalitatis. Præstat igitur virtute, quàm sermone excultum esse: Præstat charitate quàm scientiâ excellere: Præstat legis factorem, quàm Auditorem esse, quia non in sermone, sed in virtute est Regnum Dei. Intuemur in his discipulis præclarum hospitalitatis exemplum, & discimus peregrinos ad hospitium non solùm inuitandos esse sed etiam trahendos. Cæterùm vt hæc virtus cordi nostro fortiùs imprimatur, audiemus Consiliarios, qui eandem suadent. A.

B. I. A scriptura.

PRIMVS est scriptura sacra, præsertim noui testamenti. Audiamus hâc de re primarios tres Apostolos Petrum, Paulum, Ioannem. Imprimis

mis Paulus ad Rom. 12. vult esse Christianos *hospitalitatem sectantes* Græcè διώκοντες *persequentes*, vt nimirum magnâ contentione virtutem hanc amplectantur & peregrinos vel ad se expectent ac nolentes cogant diuertere ad se. Rursum ad Heb. cap. 13. *Hospitalitatem*, inquit, *nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis*. hoc est: latenter Angelos receperunt. Idemque rursum quasi rem summi momenti ad finem Epistolæ similibus verbis inculcat ibidem: *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci*. Quàm seriò enim Dauid præcepit Ducibus exercitûs sui ad prælium exeuntibus; *seruate mihi puerum Absalon*. 2. Reg. 18. tam seriò hic Apostolus commendare nobis videtur: suscipite & seruate mihi pauperes & peregrinos: nolite hoc obliuisci.

Deinde S. Petrus epist. 1. cap. 4 *Estote*, inquit, *hospitales inuicem sine murmuratione*. Scribit hoc ad Ponticos, & vicinos populos. De Ponto autem scribit Plinius *lib. 6. cap. 1. Pontus Euxinus antea ab inhospitali feritate Axenus appellatus, postea à contrario per cauillationem Pontus Euxinus*, (id est, hospitalis) appellatur, inquit Ammianus *l. 2.* & Ouidius *lib* de Ponto, *Quem tenet Euxini mendax cognomine Pontus*. Ergò inhospitali & axeno Ponto præcipit S. Petrus, vt sit hospitalis atque Euxinus; & quidem patienter, *sine murmuratione*, solent enim hospites facilè conqueri, & aduenarum multitudine, morâ, sumptu, edacitate, importunitate &c. quemadmodum faciebant Pontici. Nec dubium, quin verè Euxini effecti sint, post hanc Petri admonitionem. Denique S. Ioannes in Epist. sua tertia laudat Caium sibi familiarem ob hospitalitatē, & confirmat in proposito: reprehendit vicissim Diotrephem ob inhospitalitatem. Ad illum sic scribit: *Charissime fideliter facis* (id est, Christianè facis) *quidquid operaris in fratres & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ*. subditque: *Nos ergò debemus suscipere huiusmodi vt simus cooperatores veritatis*. Græcè: *debemus occupare, prehendere., vel detinere huiusmodi*, quo modo scilicet discipuli hodierni coëgerūt Christum ad se diuertere. De hoc verò ita: *Diotrephes non recipit nos. Propter hoc, si venero, commonebo eius opera, quæ facit, &c.* Ergò quantum boni odoris spargit hospitalitas, tantum mali & tetri gignit inhospitalitas.

C. II. Ab exemplo Patrū veteris legis. SECVNDVS est Exemplum Patrum veteris legis. Celebratur imprimis Abraham *Gen.* 18. qui sedens in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei, videnſque tres viros (erant autem Angeli) cucurrit in occursum eorum & adorauit eos, dixitque: *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore ponamq, buccellam panis. & confortate cor vestrum.* Festinauit deinde ad Saram, dixitque ei: *Accelera tria sata similæ & commisce & fac subcinericios panes.* Ipse verò ad armentum cucurrit & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque Saræ coquendum, nec nō butyrum & lac, & apposuit eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore quasi ministrans & incitans eos ad prandendum. Quo in facto multa sanè animaduertione digna sunt. Primò enim tabernaculi sui ostia aperta habet, vt notat Chrysost. *hom.* 7. in Luc. de Laz. non timens fures deprædantes, sed optans vectores, qui, quæ bona habebat, acciperent in cœlum transferenda. Secundò, ante ostium sedebat, inquit Ambrosius *lib. 1.* de Abraham *cap. 5.* in meridie vrgente solis ardore, quando alij requiescebant, hospitum explorans aduentum &c. Tertiò. *Domo egrediebatur pauperum venator effectus*, inquit S. Chrysostomus Ser. 21. in Epist. ad Rom. *nec ita lætatur venator prædam capiens, sicut ille inueniens pauperem*, &c. Quartò. Quamuis trecentos decem & octo haberet vernas, non alium tamen misit, sed cursu ipse ad boues contendit & pinguiorem vitulum attulit, commendans non ancillæ alicui sed ipsimet Saræ, vt illa etiam sua opera in pauperes collocaret. Denique *adstabat ventenarius conie...* *illis*, inquit Chrysostomus, &c.

Post hunc celebratur Loth nepos Abrahæ, *Gen.* 19. qui eandem virtutem haud dubiè à patruo didicit; nam & ipse præ foribus ciuitatis sedit hospites expectans, & cum vidisset duos, (erant autem & ipsi Angeli) *surrexit & iuit obuiam eis adorauitq, pronus in terram & dixit: obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri & manete ibi, lauate pedes vestros & manè profi...i, ceminiti in viam vestram. Qui dixerunt: minimè, sed in plateâ manebimus. Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum, ingressiq, domum illius fecit conuiuiū & coxit azyma & comederūt*. Ecce Loth conuersās *in medio impiorum Sodomitarum, nec vespere discedebat à foribus ciuitatis*, inquit Chrysostomus, *sed manebat ne fortè thesaurū amitteret ex hospitalitate. deinde obuiam procedebat hospitibus, & compulit ad se diuertere.* Non dissimilis fuit S. Iob, qui, vt notat Origenes *lib. 2.* in Iob, ideò facultates suas conseruabat, vt pauperibus communicaret. Propterea apud eum nunquam pauper foris mansit: nunquam vacuus ab eo exiuit. Ipse nunquam buccellam suam comedit solus: de velleribus ouium suarum pauperes vestiuit: *foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit*, vt scribit ipse *cap. 31*.

D. III. Ab exemplo Patrū nouæ legis. TERTIVS est exemplum Patrum nouæ legis. Sanè in primitiua Ecclesia mirè floruit hospitalitas, adeò vt Tertullianus *lib.* de præscript. *cap. 20.* hæc tria numeret catholicæ fidei & vnionis symbola, communicationem pacis, appellationem fraternitatis, & contesserationem hospitalitatis; quæ certum aliquod signum erat, ex quo noscebatur aliquis esse Christianus, indeque vt talis hospitio excipiebatur à Christianis. Hoc signū cùm ab Hæreticis & Gentilibus adulteratū & dolosè vsurpatum esset (vti impostor quidam Peregrinus nomine fecit, qui Christianum se fingens, multā corrasit pecuniam, teste Luciano, quemadmodum alibi diximus) à Catholicis sæpè mutatum est. Tandemque in Concilio Nicæno eius loco literæ institutæ, quæ formatæ dicebantur & subscriptionem continebāt, quatuor harum

harum literarum π.ε.π. id est, πατὴρ υἱὸς ἅγιον πνεῦμα, Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Patet idem ex vitâ SS. Praxedis, & Pudentianæ sororum, quæ omnes Christianos hospitio excipiebant, & ex vita sancti Pachomij qui visâ Christianorum Thebanorum in commilitones hospitalitate & charitate, cùm adhuc militaret in castris Licinij, ex gentili in Christianum conuersus est, tantusque Vir euasit, quantum omnes iam mirantur.

Quin etiam ante sexcentos adhuc annos fuit hospitalitas illa in pretio, imò in præcepto. Etenim D. Burckhardus Episcopus VVormaciensis, qui vixit sub annum D. 1020. *l. 1. decret. c. 94.* interrog. 7 t. docet Episcopos in solenni parochiarum visitatione, in quâ de grauibus criminibus inquirunt, ex officio quasi de crimine interrogare debere, num in parœciâ essent, qui ad se venientibus peregrinis aut viatoribus hospitium negarent.

E. IV. Ab exemplo paganorum & Barbarorum.

QVARTVS Exemplum paganorum, & barbarorum. Scribit Ælianus *lib. 4. Var. hist.* & Alexander ab Alexandro *l. 4 c. 10.* Lencanorum legem fuisse, vt si quis sole occidente diuertentes hospites, notos ignotosve, domo arceret, mulctam ξενίας seu inhospitalitatis pendere cogeretur. Apud Homerum Rex ipse Alcinous hospites etiam forte oblatos non aliter ac fratres vult esse tractados. *Loco fratris*, inquit, *hospes & supplicator est.* Iidem Gentiles posuerunt hospites in tutelâ Iouis; Vnde Virgil. *Iupiter hospitibus nam te dare iura loquuntur.* In prouincia Camul. Tartarorû Regi subiecta, incolæ ad prodigium vsque hospitales sunt: siquidem peregrinos quoscumque vel ignotos suscipiunt. Domum cedit hospiti paterfamilias, vxorem, & liberos illi commendat nec ante hospitis discessum redit. M. Paulus Venetus *lib. 1. c. 46.* Oriental. Regionum.

His addamus extremos Aquiloois populos, quantum à sole, tantum ferè à fide remotos. Carolus Gothorum & Suecorum Rex antiquus inter maximas leges constituit vt Gothi & Sueci inter se & maximè in omnes aduenas, & peregrinos hospitalitatê obseruarent, summumque nefas ducerent, siquis Viatorem tecto arceret: quod si quis facere tentasset & idoneis testibus ter negâsse hospitium conuictus fuisset, immisso igne ædes eius comburi iussit: vt ita domibus propriis priuaretur; qui earû vsum inhumaniter denegasset. Hinc existimant, in tota Europâ vix reperiri promptiorem liberaliorem que hospitalitatem, quàm apud Suecos & Gothos Ioan. Magnus *lib. 4. cap. 2.* De iisdem scribit Olaus M. Archiepiscopus Vpsalensis *lib. 16. cap. 03.* ex Kranzio: *Quamuis omnes hyperboreæ Gentes hospitalitate sint insignes, præcipui tamen sunt, Succorum & Gothi ijs coniuncti, quibus est omni probro grauius hospitiû negare transeuntibus: ita vt sit certamen, quis aduenam hospitio suscipiat: cui gratuitâ liberalitate omnia exhibent hospitalitatis iura, quotquot diebus permanserit, egredientemque commendant amicis in itinere quod instituit, commorantibus.* Addit ipse: *Quin imò & iumentorum vsum sollicito viatori, quousq; voluerit, præbent, ipsumq; per compita viarum alacriter ducunt, vt quæ tali eorum beneficio viator obsequiis & precibus vrgent.* Et quid mirum, si etiam Barbari hospitalitatem coluerunt, cùm eandem miseris impertiri, lumen ipsum rationis doceat, iam vt canit Satyricorum quidam:

——— *vltimus*

Ærumnæ cumulus, quod nudum & frustra rogantem,

Nemo cibo, nemo hospitio tectoq; iuuabit.

F. V. A brutis animantibus.

QVINTVS. Est brutum animal. Id nobis in exemplum proponit D. Basilius *hom. 8. Hexameron*, & D. Ambrosius *l. 5. Hexameron c. 56.* Cornices, inquâ, quæ ciconias hospites, ad sua redeuntes tecta deducût ac dirigunt, & veluti turmis quibusdam stipatricibus prosequûtur, atque contra inimicas aues pro eis depugnant, & propriis periculis aliena bella suscipiût. Cuius rei argumentum est, quòd nullæ cornices certo temporis interuallo, dum scilicet ciconiæ abeunt, consuetis in locis reperiantur; quodque cum vulneribus reuertantur, manifestâ hac sanguinis sui voce loquentes grauiû se certaminum subiisse conflictum. Hæc postquam suis verbis narrauit Basilius, subiicit: *Audiant hoc homines hi, qui nullo hospitio homines excipiant ianuasq; suas occludunt, & neq; hyeme noctu solo tegmine peregrinos adiuuant;* suscipiûs Sanctus verò Ambrosius subdit: *Discant homines hospitalia seruare iura, & ex auibus cognoscant, quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum, quibus Cornices etiam periculâ sua negare non solent. Hu igitur ianuas nostras claudimus, quibus aues etiam animas suas conferunt, & quos illa consortio prosequuntur discriminis, eos tecti prohibemus hospitio?* Hæc ille; profectò ad confusionê inhospitalium. Si enim hoc aues, quid nos homines? si cornices ciconiis specie à se distinctis, quid nos fratribus? si illæ exh. bere animas; quomodo nos negamus ianuas? si illæ sine mercede, solâ naturâ instructrice, eccur non etiam nos, qui præmium in cœlo expectamus & tot aliis modis ad hoc instigamur?

G. VI. A præmio & mercede hospitalium.

SEXTVS. Est præmium & merces virtuti huic decreta. Abraham dum peregrinos recipere se putabat, Angelos recepit & ex sterili vxore filium obtinuit. Loth, quia coëgit hospites angelos ad se diuertere, meruit vt & ipsi quoque cogerent eum effugere Sodomæ incendium. Rahab Ierichuntina quia hospitio excepit exploratores Hebræorum, per hoc salutem sibi & domui suæ peperit, *Iof. 2.* Sunamitis, quia Elisæo præbuit hospitium, filium ab eo filiûque mortui suscitationem impetrauit, *4. Reg. 4.* Zachæus, Martha & alij, à quibus hospitio exceptus Dominus, quam mercedem retulerint, scimus. Discipuli in hodierno Euangelio dum ad mêsam eum perbeneuolè inuitarunt, Christum rediuiuum inuitarunt & videre meruerunt. Cerbonius Populonij Episcopus (vti refert S. Gregorius Papa *lib. 3. Dial. cap. 11.*) quosdam milites transeuntes hospitio excepit, eosque à Gothis superuenientibus abscondit, & in vitâ seruauit. Quod cûm Totilas Rex Gothorum

Gothorum audisset, iussit eum vrsis obiici coràm toto populo vt ab eis dilaniaretur. Sed vrsus in eum immissus ferocitatis suæ oblitus, demissâ ceruice lambere eius pedes cœpit, vt *patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei, & feritas essent corda hominum, & quasi humana bestiarum.* Quare populus & ipse Rex ad venerationem eius permotus est. Idem Sanctus Papa *homil.* 23. *in Euangel.* recenset aliud exemplum de hospitali quodam patrefamilias, qui inter peregrinos Christum susceperat, quod alibi recensuimus.

Leo nonus Pontifex, vir mirè hospitalis, cum semel ante fores suas leprosum inuenisset, eum in lectulo suo collocari iussit, sed apertis manè à ianitore foribus nusquam leprosus comparuit. Creditum ergò est Christum sub leprosi specie eò loci recubuisse. Platina in eius vita anno Domini 1050.

Ex his apparet quàm verè dixerit Dominus, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; nec infrequens fuisse, vt pro pauperibus Christus & angeli susciperentur. *Quemadmodum enim piscator*, inquit S. Chrysostomus hom. 2. de Lazaro, *iacto in mare reti, piscem quidem attrahit, attrahit autem frequenter & aurum & Margaritas: Itidem & Loth* (adde Abraham, Leonem, & alios) *reti captans homines, piscatus est tandem & Angelos, quodq́; mirum est etiam inscius.* Vnde S. Ambrosius *lib.* 1. de Abraham ait: *Qui scis an Deum suscipias, cùm hospitem putas?*

H. VII. A pœna inhospitalium. SEPTIMVS. Pœna inhospitalium. Senserunt hanc imprimis improbi Sodomitæ, qui ob violata iura hospiti in duobus Angelis, igne & sulphure cœlitùs demisso vastati sunt, *Gen.* 19. senserunt & Ægyptij qui dum Israëlitis aduenis & hospitibus suis bellum inferre moliuntur, omnes cum Pharaone in mare demersi sunt, *Exodi* 14. senserunt Gabaëni de tribu Beniamin, quorum nemo Leuitcn peregrinum noctu recipere volebat, sed insuper & vxorem eius constuprarunt vsque ad mortem. Idcircò enim à cæteris Israëlitis cæsi sunt ad 25. millia, remanserunt sexcenti tantùm viri de omni numero Beniamin, ciuitas etiam illorum & omnes circùm viculi succensi, reliquiæ quoque ciuitatis à viris vsque ad iumenta percussæ sunt *Iudic.* 18. & 19. sensit & Anachoreta quidam Galata, qui cùm priùs ouium pastor esset, contempserat pauperem prætereuntem peregrinum, qui sub dio degens à canibus deuoratus est, cùm tamen illi commodum fuisset excipere & seruare sub tugurio: factus posteà Anachoreta hac de re conscius, forsitan ob huius criminis atrocissimi pœnitentiam, se à canibus deuorandum per Dei reuelationem didicerat. Ad eum igitur noctu inogniti Leones accedebant, cum ipso cubitantes nihilque lædentes: at post triennium quod sæpe prædixerat euenit; nam à canibus discerptus est, cùm Leonum rabiem impunè sæpe euasisset. Ita *Pratum spirit.* Sophronij seu potiùs Moschi *cap.* 167.

Denique S. Odo Abbas Cluniacensis cœcos & claudos cœli ianitores esse asserebat ac proinde, qui eos in domum suam suscipere nollet, eùm quoque ab ipsis non recipiendum esse in cœlum. Cœlum igitur ex illius sententia simile est arci Sion, cui Iebusæus non alios defensores proposuisse dicitur, quàm cœcos & claudos, vnde dictum Dauidi eam oppugnanti: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos.* 2. *Reg.* 5. quisquis ergò cœlum expugnare vult, euret cœcos & claudos, pauperes & peregrinos tollere in plateis & inducere in domum suam. Vnde S. Gregorius homiliam citatam ita claudit: *Prabete fratres modò peregrinis Christo hospitium vt vos in iudicio; non quasi peregrinos nesciat, sed vt proprios recipiat in regnum, ipso adiuuante, qui viuit Deus in secula.*

CONCIO VI.

Schola obliuionis seu quænam obliuiscenda Christiano.

1. *Obliuioni tradenda sunt mundi ille.ebra.*	3. *Patrata opera bona.*
2. *Vitia inolita & praua habitus.*	4. *Iniuria accepta.*
	5. *Res ludicra*
	6. *Cura superflua.*

THEMA

Tu solus peregrinus es in Ierusalem & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus? Luc. 24.

THemistocles vir inter Athenienses clarissimus & memoriâ valentissimus, qui potuit intra annum linguam Persicam edisce-re, ludum literarium præteriens interrogauit quid ibidem doceretur? Cumque responsum esset, artem memoriæ hic doceri, subintulit: *At ego mallem doceri artem obliuiscentiæ.* Refert Cic. *l.* 2. *de Orat.* & Plut. *in Grac. Apopht.* idemque rursum cùm Simonides artem memoriæ pollieeretur: *Obliuionis*, inquit, *mallem; Nam memini etiam quæ nolo: obliuisci non possum quæ volo.* Cic. *l.* 4. *de finibus.* Non est, Auditores, absurda ex stimanda hæc tanti inter Ethnicos viri sententia. Sunt enim quæ Christianus memoriæ commendare & altâ mente reponere debet: Sunt etiam quæ obliuisci debet. Non erit igitur abs re si non tantùm memoriæ sed & obliuionis scholam erigamus. Et verò si hodiernum Euangelium bene inspiciamus, deprehendemus ibi Doctorem posterioris huius artis. Quid enim sibi vult quòd Magister noster Christus in die resurrectionis suæ oblitus esse videtur omnium illorum, quæ triduo anteà contigerant in Ierusalem, dolorum & cruciatuum suorum, ludibriorum & sannarum, iniuriarum & contumeliarum à Iudæis acceptarum, vestium sibi detractarum, spinarum & flagellorum, ignominiæ crucis, meritorum denique suorum, quibus mundum redemit? Ita enim loquitur in hodierno Euangelio, quasi horum nihil prorsus meminisset: *Qui sunt hi sermones*, inquit ad discipulos duos, *quos* A.

conferetis ad inuicem & estis tristes? Cumque diceret Cleophas: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem & non cognouisti, quæ facta sunt in illâ his diebus?* respondit ille: *Quæ?* quasi nihil meminisset. Ecce igitur vobis mirum professorem, artis obliuiscendi, non minùs necessariæ & vtilis, quàm artis reminiscendi. Ergò in ludum istum hodie eamus & discamus obliuisci.

B. I. Obliuioni sepeliendæ mundi illecebræ.

PRIMÒ, Obliuioni tradendus est mundus eiusque illecebræ, præsertim si iis valedixisti, per ingressum religionis aliudve votum vel per iuramentum in baptismo editum & abrenunciationem Sathanæ eiusque pompis factam vel in pœnitentiâ per emendationis propositum. Scimus vaccas illas, quæ portauerunt arcam versus Bethsames petrexisse recto itinere, reclusis licèt domi earum vitulis, nec ad eorum vagitus & mugitus vel minimum attendisse, quasi eorum prorsus oblitæ fuissent. 1. *Reg.* 6. Tales ergò sint imprimis viri religionis iugo adscripti; pergant rectâ & constanter in cœpto religionis itinere, nec attendant ad parentum & consanguineorum lachrymas & querelas, obliuiscantur mundi illecebras tametsi aliquando gustatas: audiant dicentem sibi sponsum suum Ps. 44 *Obliuiscere domum patris tui & concupiscet rex decorem tuum.* Id quod docere etiam voluit Dominus, cùm inter docendum audiens quæri se à matre & propinquis, respondit: *Quæ est mater mea & qui sunt fratres mei?* Matth. 12. quasi nimirum tunc oblitus fuisset matris & consanguineorum. Dura in speciem responsio, sed ita respondendum erat ei, qui sermonem Christi interrumpere volebat. Amandi sunt parentes, sed præferenda Dei dilectio & religio. Tales deinde sint omnes Christiani suo modo, quia in baptismo renunciârunt Sathanæ & pompis eius. Vnde ait Apostolus ad Coloss. 2. *Consepulti* eos esse *Christo* in baptismo. Et ad Coloss. 3. *mortuos esse.* Atqui mortui & sepulti omnium mundi illecebrarum prorsus obliti sunt. Vnde Sapient. 2. dicunt; *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire.* Ita ergò per baptismum nauiget Christianus, vt prioris vitæ & viæ suæ malè peractæ non inueniat vestigium nec meminerit ampliùs. *Quid tibi cum pompis Diaboli quibus renunciasti?* inquit August. *l.* 4. *de Symb. ad Catech. c.* 1. Quid tibi cum Diaboli præstigiis, sagis & magis, veridicis & diuinatoribus? quid cum moribus Ethnicorum, Iudæorum & Turcarum? Scimus quid euenerit vxori Loth, quæ dum obliuisci noluit pessimorum Sodomitarum quibuscum vixerat, sed contra præceptum Angeli ad eos respectauit, versa est in statuam salis, ad exemplum aliorum, qui Sodomæ suæ obliuisci nolunt. Quod idem obseruandum respectu peccatorum in pœnitentia dimissorum, ne eorum recordati dulcedinis, retrahamur ad eadem repetenda.

C. II. Vitia inolita.

SECVNDÒ, Vitia inolita & praui habitus. Multi eiusmodi habitus adeò imbiberunt, vt exuere impossibile eis videatur; verbi gratiâ, consuetudinem iurandi & execrandi, ebrietatem incurrendi, mentiendi, detrahendi, ludendi, scortandi, &c. Vnde interdum dicunt: Vtinam obliuisci possem huius vel illius vitij! Sciendum igitur ea quæ addiscimus frequentatione actuum, dediscere & obliuisci posse cessatione eorundem. Didicisti aliquando linguam Gallicam aut Italicam? nónne eam oblitus es, dum à multo tempore non locutus? Sciuisti aliquando ludere fidibus vel organo? nónne rursum tibi excidit hæc ars, dum tibi frequentata non est? Idem vsu veniet tibi, si peccatis confessione deletis sic abstinueris, vt deinceps non relabaris; fiet enim vt initio oderis, deinde ab iis paulatim alienus fias, denique eorum impetus iam quasi victor vix sentias & contemnas. Hanc obliuionem persuadere nobis voluit Dominus cùm *Matth.* 24. dixit: *Cùm videritis abominationem desolationis, &c. qui in agro est, non reuertatur tollere tunicam suam.* Quid abominatio desolationis nisi peccatum super omnia abominandum omniaque deuastans? Hoc ergò quisquis vidit & abominatus est, adeoque è pristinâ viuendi consuetudine recessit in agrum & agriculturam animæ suæ: non reuertatur ad induendos pristinos, quos exuit, vitiorum habitus: siue vt ait S. Aug. *ep.* 80. in ea verba, *qui profecerat in anteriora se extendens, ne deficiendo in posteriora respiciat.* Dicat eum sponsâ Cant. 5. *Expoliaui me tunicâ meâ; quomodo induar illâ?* At difficile est hoc, inquis, penéque mihi impossibile. Esto, fieri tamen debet ac potest, vi adhibitâ. Scimus euelli arbores altissimas, metalla etiam rudia leuigari & complanari, saxa guttis perforari. Scimus multos in religione breuî deposuisse habitus malos, temperantes euasisse ex intemperantibus, castos ex impudicis, &c. Quod alij possunt cur tu non possis? Denique nisi obliuiscaris, vt dixi, prauorum tuorum habituum, Obliuiscetur tui Deus, quemadmodum minatur Hebræis, qui Idololatriæ suæ, gentilium commercio imbibitæ, obliuisci noluerunt, *Ose.* 1. cùm præcipit Prophetæ, vt filiam suam appellet, *Absq; misericordiâ.* Caussam enim subiiciens ait: *quia non addam vltra misereri domus Israël, sed obliuione obliuiscar eorum.* hoc est, abiiciam & deseram velut incorrigibiles.

D. III. Patrata opera bona.

TERTIÒ, Præterita bona opera nostra, labores & passiones pro Christo & regno cœlorum exantlatæ. Hac enim ratione Dominus loquitur in hodierno Euangelio quasi oblitus omnium cruciatuum & laborum suorum, quòd eos ob amorem nostri paruos existimaret, paratus plura facere, si necesse fuisset. Quantò verò potiori iure oportet nos obliuisci leuissimorum operum & laborum nostrorum, quibus non tam Christo quàm nobis ipsis laborauimus, arauimus & occauimus? Hinc igitur Apostolus Paulus licèt plurima & ingentia pro Christi nomine perpessus, ea tamen obli-

tus ad futura solùm & noua perpetienda se conuertit quasi nihil dum præstitisset: *Sequor si quo modo comprehendam, &c. Quæ quidē retrò sunt obliuiscēs,ad ea verò quæ sunt priora extēdens meipsū.* Quemadmodum enim Stadiodromidum in stadio currunt,non respectant quantum spatij transmiserint, sed quantum supersit ad metam eoque toto conatu feruntur:ita & Apostolus peracti cursus sui oblitus, quod superarat itineris solùm respiciebat. Ceruarium Lupum scribit Plinius *l.8.cap.22*.adeò prædæ auidum esse,vt quamuis in fame mandens prædam,vbi aliò respexerit, obliuionem cibi capiat & digressus aliud quærat. Huiusmodi Lupus rapax & insatiabilis,non ampliùs sanguinis Christiani,sed meritorum appetens,erat Paulus,qui licet ingenti meritorum cumulo sibi parato, vbi respexit in prædas alias nondum comparatas, priorum oblitus, totum se ad illas obtinendas contulit. Timuit nimirum Apostolus ne sibi eueniret, quod de Pandora scripserunt vel finxerunt potiùs Veteres, quæ cùm omnium virtutum dona possideret eaque in pyxide condidisset, dum ea contemplatura, pyxidem aperiret, omnes sibi elabi passa est. Pier. *l.59. Hierogl.* Timuit, inquam, Apostolus ne si comparatas sibi virtutes per superbiam aspiceret, omnes simul perderet iuxta id Saluatoris: *Receperunt mercedem suam* In tergum ergò abiecit & obliuioni tradidit recluitque in corde suo. Apostolum secutus est S. Franciscus,qui sub ipsam mortem,licet bonorum operum plenus dicebat ad suos: *Fratres vsque nunc parum profecimus, incipiamus nunc seruire Deo.* Similiter Abbas i ambo moriens aiebat: *Sic vado ad Dominum quasi qui nec initium fecerim seruiendi Deo*; vt habetur in vitis Patrum *l. 5.t.1.*

E. IV. Iniuriæ acceptæ. QVARTÒ,Iniuriæ acceptæ. Ita enim præcepit Deus expressè Leuit. 19. *Non quæras vltionem nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Nec non Ecclesiasticus c. 10. *Omnis iniuriæ proximi tui ne memineris.* Solent aliqui dicere, se velle quidem remittere, sed non obliuisci iniurias (vergeben aber nit vergessen) similes Camelo,qui memor verberum acceptorum dissimulat quidem ad tempus,sed cùm opportunè potest, vlciscitur, vt scribit S.Basilius in Hexam. Sed non est hoc remittere ex corde, quod præcepit Dominus *Matth.* 18. imò reseruare in memoriâ quasi in sacculo iniurias. Audiamus Isidorum Pelusiotam l. 3. ep. 21. ad Eustath. *Inimicitia in aquâ scribenda est vt statim è mente & memoria effluat: amicitia verò incidenda in ea vt iugiter menti inhæreat.* Exemplar huius disciplinæ quærimus? Christum imprimis contemplemur, qui post acceptas innumerabiles à Iudæis iniurias, ait: *Qua?* quidnam est quod passus sum nec minùs humaniter egit cum discipulis quàm si nihil vnquam in eum deliquissent. Dauidem intueamur præclarum Christi imitatorem. Hic pulsus regno ab Absolone filio, eo in acie cæso misit Sadoc & Abiathar Sacerdotes ad Seniores Iuda(qui præ cæteris maximè steterant à partibus Absolonis) dicens: *Fratres mei vos, os meum & caro mea vos: quare nouiss.mi reducitis regem?* Et Amasæ(qui castris hostium præfuerat) *dicite nonne os meum & ca o mea es? Hec faciat mihi Deus & hæc addat,si non Magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Vide oblitum regem omnium iniuriarum tametsi recentissimarum: quin & beneficia pro iniuriis rependentem. At quis fructus? *Et inclinauit cor omnium virorum Iuda quasi viri vnius miserunt, ad regem dicentes: Reuertere tu & omnes serui tui. 2. Reg. 19.* Hæc ergò clementia Dauidis omnium etiam rebellium animos inflexit vt eum accerserent regnoque restituerent. Quid quòd etiam Iulius Cęsar, Ethnicus homo, nihil nisi iniurias (teste Cicerone orat. pro Marcello) solebat obliuisci? Suasit Dominus *Matth.* 10. vt essemus simplices sicut columbæ. Atqui illæ surreptis sibi ab Hero pullis,nónne mox ad eum reuertuntur eique nouos pullos pariunt, prioris oblitæ iniuriæ? Bene itaque dixit Mimus Publius: *Iniuriarum remedium obliuio.* Et Iustinianus Instit. lur. de actione iniuriarum l. 4. ait *Hæc actio dissimulatione abolitur.* Denique si quis obliuisci nequit iniuriæ & vltionis, nouit huic morbo remedium superesse, mortem & gehennam. Experimur quod scribit Pierius *l. 16. Hierogl.* Scorpios & Serpentes similiaque venenata, ad nocendum vbique parata, in aquam iniecta omni nocendi vi destitui,quasi in grandi periculo constituta secum quod agant habeant,adeoque obliuiscantur suorum aduersariorum. Quisquis ergò vltionis obliuisci nequis, igneũ illum tartari fluuium specta,& nocere non solùm desines sed & obliuisceris.

QVINTÒ, Res ludicræ, scurriles, pueriles, absurdæ; cuiusmodi sunt ioci, nugæ, ludi, choreæ, cultus corporis leuiusculus & similia, quorum obliuionem *sapientiam* vocabat Euripides apud. Stob. *serm.* 18. Quisquis ergò sapiēs haberi & esse vult, stultitias illas exuere & obliuisci debet. F. V. Res ludicræ. Scimus quas ineptias animique leuitates excitarit in Hebræis vitulus ille conflatilis, stultissimis choreis ab ipsis cultus & adoratus. Vt ergò Moyses huius leuitatis & turpitudinis memoriam è mentibus Hebræorum penitus aboleret; contriuit vitulum in puluerem, eumque in potu absorbendum illis dedit, sepeliens eum perpetuâ obliuione in illorum ventribus, *Exod.* 32. Docet igitur Moyses vitulorum & vitulantium mores,scurrilitates, leuitates ita longè remouere vt nulla eàrum in nobis memoria supersit. Credibile est permultos ex Hebræis non verè credidisse vitulum illum esse Deum suum, vti non dubiũ de Aarone, adeoque non nisi per iocum & externam speciem coluisse vitulum illum saltando, canendo, clamando, &c. Nihilominus tam grauem animi leuitatẽ grauissimè Deus vltus est multorum millium cæde. Ita par est credere scurrilitates Christianorum nequaquam fore impunes. Cuius rei exempla non difficile est afferre. S. Hugo Abbas Cluniacensis, qui vixit tempore S. Anselmi, monuit sæpe Durannum Episcopum Tolosanum, vt à nugis & ridiculis verbis quibus alliceret, sibi temperaret;

peraret, alioquin enim post mortem tumētibus labris & spumoso ore appariturum. Verùm *non correxit Episcopus; vnde defunctus cuidam Sacerdoti Signino apparuit, &, vt sanctus prædixerat vlcerosis tumida labijs ora præferebat. Petit auxilium patris lachrymabiliter, quē audire noluerat. Signinus refert patri quod viderat. Miseretur Abbas; & excessum oris septem fratrum silentio sanare festinat. Septem fratres deligit, quibus septem dierum silentiū pro Episcopo indixit. Vnus ex ijs transgreditur, silentiū soluit. Redit Episcopus ad Signinum, fractum accusat silentium, de transgressore conqueritur, dilatam oris sanitatem propter septimi inobedientiam causatur. Signino has iterum ad patrem referente, Abbas inquirit de transgressione. Transgressio inuenitur, & alter septenarius silētio dedicatur. Quo completo tertiò præsul apparuit gratias agens Abbati pontificali indutus chlamyde, et sanatum ostendit.* Quocirca S. Hugo magis quàm antè nugas vitans, seria tractabat. Vultin' aliud? *Vidi*, inquit Niderus *in formicario*, (in Conuentu Coloniensi) *fratrem verbis satis iocosum, sed in gratiâ expellendi Dæmones valde famosum. Hic cùm in terminis Conuentus coloniensis Dæmonem in obsesso corpore arctaret, dæmon petijt à fratre locum recedendi. Quo gauisus frater ait in ioco: In cloacam meā vadas. Exijt igitur Dæmon; & nocte cùm frater ventrem purgare vellet, dæmon tam dirè eum vexit prope cloacam, vt vitam cum difficultate saluaret*; apud Delrium in Disquisit. l. 6. c. 2. sect. 3. q. 3. Quare sapienter S. Basilius in exhortat. ad filium spiritualem ait; *Ne in modum paruuli iocari velis assiduè, quia non conuenit ei, qui ad perfectionem nititur, iocari vt paruulus.* Solemus certè in maturâ ætate paruulorum mores exuere planeque obliuisci; cur igitur non similiter obliuiscimur vanitatum ac leuitatum, quæ paruulos magis quàm viros decent? Non audimus dicentem Apostolum 1. Cor. 13. *Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Euacuaui, hoc est, è memoriâ quasi aboleui & deleui. S. Thomas Aquinas è duobus hisce signis cognosci posse dicebat, an quis in virtute multùm profecerit: *si quem videris verbis leuibus nugisq; delectari ac ægrè ferre se contemni, scito hunc non esse perfectum, etiamsi miracula faciat.* Taceo his nugis malè teri tempus de quo aliquando Deo ratio reddenda erit. Vnde Eusebius Emissenus (vel potiùs Eucherius) homil. ad Monachos exclamat: *Quis mihi reddet hunc diem quem in fabulis vanis perdidi?*

G. VI. Curæ superfluæ.

SEXTÒ, Curæ & solicitudines superfluæ, de victu, vestitu, liberis, lucris, tempestate, de bonis perditis vel parandis; quia indignæ sunt, quibus tempus teramus & nosipsos cruciemus, ideoque à Domino Christianis prohibitæ *Matth.* 6. Cùm vrgemur temporis angustiâ, solemus obliuisci vel negligere res leuioris momenti, nobis non necessarias; vti suadet Dominus *Matth.* 24. faciendum iis qui excidium Ierosolymæ euadere vellent: *Tunc qui in Iudæâ sunt, fugiant ad montes & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam.* q. d. negligite & obliuiscimini omnia, quæ ad incolumitatem vestram non modò necessaria non sunt, sed etiam implicare vos possunt & hostium manibus tradere. Atqui tempus vitæ nostræ breue est, insidiis ac periculis plenum: non ergò curis illis terendum, quibus intricari & præpediri à salute possumus. Qui graui tempestate iactantur, omnia illa eiiciunt in mare, quæ nauim onerare possunt & tuendæ vitæ necessaria non sunt. Ita *Act.* 27. qui cum Paulo nauigabant naufragio imminente eiecerunt armamenta nauis & triticum, Scapham quoque appensam fune abscisso passi sunt excidere, Sarcinas tantùm aliquas quibus enatarent, in naui retinuerunt. Quid est vita nostra nisi perpetua tempestas quotidianæ nobis luctæ cum carne, mundo, dæmone, quid nisi salutis naufragium minari nobis solent? Quisquis ergò sapit, superfluas mundi curas, animum aggrauantes è memoriâ suâ eiicit Scaphamque non necessariæ solicitudinis resecat & patitur excidere: ne per eas mergatur; sola illa cogitat & fortiter apprehendit quibus enatare ad salutem potest. Dei verbum, Sacramentorum vsum, opera bona, &c.

Ita Magdalena curarum domesticarum oblita ad pedes Domini sedit & audiebat verbum illius, quia hoc vnum erat necessarium; *Luc.* 11. Ita & discipuli præsentiæ, miraculis & sermonibus Magistri sui intenti, cum ipso inscenderunt nauim & transfretarunt, panum obliti, *Matth.* 16. *Obliuio hæc panis*, inquit D. Anselmus, *indicium est, quòd modicam carnis curam haberent discipuli in reliquis, quibus ipsa reficiendi corporis necessitas intentione dominicæ comitatus & dulcedine veri panis, qui cum eis erat, id est, Christi, menti exciderat.* Et cùm posteà huius obliuionis memores soliciti essent de panibus, grauiter increpati sunt à Domino, quasi non posset eis panes prouidere, qui immediatè antè quatuor hominum millia saturârat septem panibus. Sciant ergò se quoque à Christo Iudice increpandos, qui inanes & futiles curas nolunt obliuisci, statimque in transuersum aguntur, quoties minimâ in re vel defectum sentiunt vel damnum aliquod metuunt. Sciant denique omnes illi, qui quæ diximus, obliuisci nolunt, venturos aliquando annos obliuionis, in quibus ob instantes gehennæ pœnas obliuionem capient omnium præteritorum bonorum & delitiarum; quemadmodum sub Pharaone in Ægypto septem anni sterilitatis septem alios fertilitatis consecuti deuorârunt, & effecerunt vt obliuioni traderetur cuncta retrò abundantia, *Gen.* 41.

CON-

CONCIO VII.

Prophetiæ de Christi vita & morte.

A numero 1. vsq. ad 13. inclusiuè alleguntur prophetia de incarnatione, natiuitate aliisq. in vita, & præsertim in passione gestis. A nu. 54. Ad finē vsq. de morte, Resurrectione, Ascensione, &c.

THEMA.

Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Luc. 24.

A. DVdum lamentatus est Ieremias, quòd non esset Doctor, qui instrueret Iudæos excidio vicinos: *Paruuli petierunt panem*, inquit *& non erat qui frangeret eis*, Thren. 4. Sed ecce vobis Iudæi Doctorem talem, de stirpe vestrâ, Christum, qui duobus suis discipulis, paruulis in fide fregit hodie panem, non tantùm corporalem in Castello Emmaus, sed etiam spiritualem in itinere, dum scripturas de se subobscurè traditas explanat & declarat, vt nemo non eas intelligere, nemo non hunc panem mandere queat. Quod ergò in viâ tractauit cū discipulis, hoc in Castello symbolicè expressit, dū in fractione panis cognosci ab illis voluit. Ergò & nos proferamus in medium scripturarum de Christo prophetantium panes eosque exponendo nonnihil frangamus, quò etiam à paruulis ac rudibus mandi & intelligi possint.

B. I. Incarnatio. PRIMÒ, Deum in specie humanâ cum hominibus versaturum plurimis locis insinuatur, sed clarissimè Baruch. 3. *Hic est Deus noster & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viā disciplinæ & tradidit illā Iacob puero suo & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est & cū hominibus conuersatus est.* (hoc est, videlicet, & conuersabitur, more loquendi prophetico, ob euentus certitudinem.) *Post hæc*, inquit, scilicet post veterem legem datam in monte Sinai. Porrò Deus in terris visus est mediâ vnione hypostaticâ, quę tam arcta fuit inter humanam & diuinam naturam, vt viso hoc homine, Iesu, verè dici posset, visum esse Deum, ambulare, loqui, &c. ob idiomatum in vnicâ hypostasi diuinâ communionem. Quod ergò prædixit Baruch, hoc factum scribit Ioannes: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*.

C. II. Natiuitas ex Virgine. SECVNDÒ, Nasciturum ex Virgine, Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emmanuel.* quo nomine insinuatur illum fore Deum & hominem: quia *Emmanuel* idem est, quod *Nobiscum Deus*. Vocabitur ergò Emmanuel, hoc est, erit Emmanuel: Phrasi hebræâ. Porrò Virgo eo loco *Hebr.* vocatur Alma, id est, adolescentula virgo: addito articulo ha, Haalma, id est, illa Virgo; quæ vox nunquam vsurpatur nisi de Virgine in scripturâ. Neque dicas cum Caluino parituram Virginem in sensu diuiso, post corruptionem videlicet; quia hoc nullum esset miraculum. At promittitur Regi Achaz partus Virginis pro signo seu miraculo. Idque confirmat Angelus, *Matth.* 1. dicens Iosepho: *Quod in ea natum est, de Spiritu S. est.* Subditque hanc prophetiam: *Vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit*, &c.

D. III. Locus Natiuitatis. TERTIÒ, Nasciturum in Bethlehem, Michææ. 7 *Et tu Bethlehē Ephrata paruulus es in millibus Iuda ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israël & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Dominator iste alius nō est nisi Christus: quia insinuatur eius diuinitas in postremis verbis *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Vnde Chaldæus expressè vertit: *Ex te coram me prodibit Christus.* Accedunt scribæ Iudæorum qui hunc locū de Christo intellexerunt & monstrārunt Herodi, *Matth.* 2. Et alij *Ioan.* 7. Quod autem Michæas Bethlehem vocat *paruulam*, scilicet vicum, Matthæus verò *nequaquam minimam* vtrumque bene dicitur; paruula erat in se spectata, maxima ratione Christi, qui in eâ natus est.

E. IV. Tempus Aduentus. QVARTÒ, Tempus quo Messias venturus esset, designauit Iacob Gen. 49. *Non auferetur sceptrū de Iuda & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Septuaginta legunt: *Non deficiet princeps de Iuda.* Vult ergò dicere: Cùm tribus Iuda acceperit regnum in Dauide, seruabit hunc principatum suum donec veniat Messias, hic enim solus fuit expectatio gentium, vt in eum crederent & per eum saluarentur. Vnde Chaldæus vertit: *donec veniat Messias cuius est Regnum.* Porrò mansit hoc sceptrum penes tribum Iuda vsque ad Christi aduentum, quia mansit penes Iudæos, qui post captiuitatem Babylonicam, ex quâ sola tribus Iuda rediit cum paucis aliis aliarum tribuum, omnes censebantur esse tribus Iuda quasi ad eam cooptati, vt docet Suarez 3. *p. disp.* 1. *sect.* 1. deinde quia corona & ius regni mansit penes tribum Iuda ad quam etiam Metropolis regni, Ierosolyma spectabat: ac licet ad extremum Machabæi ex tribu Leui oriundi principatum gererent, cum tamen à tribu Iuda eiusque electione obtinebant; vt docet Pererius ibi. Defecit igitur hoc sceptrum sub aduentum Christi nati anno 35. regni Herodis, qui primus Iudæorum rex alienigena natione Ascalonita ab Augusto in regnum intrusus fuit. Tempus illud annorum 35. in tantâ serie temporum non computatur à Scripturâ. Sufficit natum Christum sub eo rege in quo defecerat sceptrum Iuda.

F. V. Præcursor. QVINTÒ, Habiturum præcursorem qui animos populi ad illum excipiendum præparet, prædixit Malachias c. 3. *Ecce ego mitto angelum meum & præparabit viā ante faciem meā, & stat. m venies ad templum suum dominator quem vos quæritis & angelus testamenti quem vos vultis.* Quē locū quoad priorem partem de præcursore suo intelligendum docuit ipse Dominus *Matth.* 11. & *Luc.* 7. qui mittendum eum à patre asserit

(cum propheta ab ipso Christo mittendum dicat) ne arrogantiæ insimularetur à Iudæis: tametsi vtrumque verum. Posterior pars ad Christum pertinet, qui in templo oblatus est, prædicare & miracula facere consueuit. Ipse dominator est omnium & angelus testamenti seu fœderis, quod Deus per Christi sanguinem cum hominibus pepigit.

G. VI. Prædicatio. SEXTÒ, Prædicatio Domini prædicta est Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me eò quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me vt mederer contritis corde & prædicarem captiuis indulgentiam & clausis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino*, &c. Quam etiam prophetiam in se completam docet Christus Lucæ 4. vbi reuoluens librum statim locum hunc inuenit & exposuit.

H. VII. Miracula. SEPTIMÒ, De miraculis vaticinatus est idem Isaias c. 35. *Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus & aperta erit lingua mutorum*, &c. Quem locum de se intelligendum insinuat Dominus discipulis Ioannis, quærentibus an ipse esset Messias: Matth. 11. cùm ad eum alludens inquit: *Ite & renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* q.d. Ex hoc quod pauperes euangelizo & mira ab Isaia prædicta facio, colligite quis sim.

I. VIII. Ingressus in Ierusalem. OCTAVÒ, Ingressum Domini in Ierusalem prædixit Zacharias c. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi. iustus & saluator: ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ.* Hoc autem impletum esse in Christo, constat ex *cap.* 21. Matthæi & 12. Ioannis, qui de illo hoc interpretantur. Vtrique autem animali successiuè insedisse videtur Dominus ob mysterium, quia vtrumque populum Gentilium & Iudæorum sibi subiecturus & iugo suo alligaturus venerat. Asina subiugalis populum Iudæorum iugo veteris legis subditum: pullus cui nemo insedit, Gentiles repræsentat, indomitos & exleges.

K. IX. Proditio. NONÒ, Proditionem per discipulum faciendam vidit Dauid Ps. 40. *Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Quam scripturam de suo proditore exponit Dominus *Ioan.* 13. tametsi mitiore phrasi iuxta Hebraicum textum: *Ego scio quos elegerim; sed vt adimpleatur scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum*, quod Septuaginta vertunt supplantare, respicientes ad sensum. Homo pacis est Iudas, quia per osculum pacis Magistrum tradidit; & quia nulla priùs inter eos intercessit inimicitia, nulla iniuria vel odij causa. Ait se in eo sperasse, quia credens ei loculos, signa confidentiæ ostendit. Ait ed sse secum panem quia adhibuit eum ad mensam & porrexit ei in cœnâ buccellam intinctis panis, atque vt volunt aliqui, Eucharistiam quoque. Leuauit Iudas calcaneum contra Dominum, cùm per insidias subdolè eum tradidit inimicis.

L. X. Venditio. DECIMÒ, Triginta argenteis vendendum legimus Zach. 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proijce illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab ea. Et tuli* 30. *argenteos & proieci illos in domum Domini ad statuarium.* Hoc in Christo impletum esse scribit Matthæus c. 27. Porrò argenteum, qualem ex illis 30. nummis se Parisiis vidisse asserit Budæus l. 5. *de Asse*. & alium Romæ Cornelius à Lapide in hunc loc. ponderabat dimidium siclum; seu duos denarios, siue 2. iulios Romanos aut Regales Hispanicos monetæ nostræ 10. cruciferos. Vnde fit vt 30. argentei constituant decem nostrates florenos, quindecim Brabanticos. Hoc ergò *decorum pretium* per ironiam vocat Propheta; siquidem iuxta legem *Exodi* 21. Serui occisi vita æstimabatur 30. siclis adeoq; duplo pluris quàm Christi vita. Hoc ergò iussit Deus Prophetam per imaginariam visionem proiicere in templo ad pedes sacerdotum, cùm vt illi æstimarent vilitatem huius pretij: tum quia præuidit eò proiiciendum esse à Iuda. Iubetur autem ipsemet in personâ Christi proiicere argēteos, quia Christus innocētia suâ & prædictione sceleris Iudæ eum pupugit atque impulit ad argenteos abiiciendos. Iubetur proiicere ad statuarium qui scilicet ex argillâ statuas format, seu vt Matthæus habet, figulum; quia noluit Deus mitti id in corbonam; sed adhiberi in vsum pauperum peregrinorum emique ad hoc agrū figuli. Quòd verò Matthæus hanc prophetiam tribuit Ieremiæ, putant aliqui probabiliter librariorum incuriâ nomen Ieremiæ irrepsisse pro nomine Zachariæ; cùm quædam vetusta Biblia non habeant nomen Ieremiæ. Nisi malimus dicere idipsum prædictum fuisse à Ieremia, Iudæorum tamen malitiâ erasum. Vnde S. Hieronymus *in cap.* 27. *Matth.* ait sibi hæc verba in apocrypho Ieremiæ à quodam Nazareæ sectæ ostensa. Fieri etiam potest vt in alio Ieremiæ libro, qui intercidit, scripta fuerint.

M. XI. Fuga discipulorū. VNDECIMÒ, Fuga discipulorum prædicta à Zacharia cap. 13. *Percute pastorem & dispergentur oues.* Ita enim hunc locum interpretatur ipse Dominus passione imminente *Matth.* 26. impletusque est in discipulis, cùm capto Magistro suo fugerunt omnes & dispersi sunt.

N. XII. Cruciatus. DVODECIMÒ, Multiplices ipsius dolores, per flagella, coronationem, crucem, prædixit Isaias *cap.* 53. tam clarè & planè quasi eos coram spectasset: *Non est aspectus ei neq; decor. Et vidimus eum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem*, &c. Nec habent quod contra hoc obiiciat Iudæi nisi somnia sua, quibus ea quæ de Christo dicuntur, sibi applicant velut pressis & afflictis à Turcis & Christianis. Sanè Chaldæus ipse hæc de Christo; non de populo accipit. Sic enim vertit sub finem capitis: *Ecce prosperabit seruus meus Messias, exaltabitur & eleuabitur & confortabitur nimis.*

O. XIII. Causa passionis. TERTIODECIMÒ, Causa passionis exprimitur ibidē: *Ipse autē vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis*

pacis nostra super eum & liuore eius sanati sumus. Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm. Oblatus est quia ipse voluit & non aperuit os suum & quasi agnus coram tondente se obmutescet, &c. Quæ omnia in Domino impleta esse constat ex Euangelistis.

P. XIV. Crucifixio. DECIMOQVARTÒ, Crucifixio prædicitur *Psalmo* 21. qui totus de passione luculentissimè scriptus est: *Foderunt manus meas & pedes meos*. Atque vt nō quæuis fossio seu vulneratio intelligi queat, additur: *dinumerauerunt omnia ossa mea*; quia scilicet ex corporis in cruce extensione factum vt omnia eius ossa numerari possent. Scio in Hebraico textu legi: *Quasi Leo manus meas*, &c. Sed perperā: septuaginta enim nō *caari*, id est, *quasi Leo*: sed *caaru*, id est *foderūt*, legunt. *Caari* vel librariorū vitio vel Iudæorū malitiā irrepsit: nec efficit sensum congruum.

Q. XV. Latronū societas. DECIMOQVINTO, Quòd inter latrones crucifigendus & pro suis persecutoribus oraturus esset Patrem prædixit Isaias *cap. prædicto: Et cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit & pro transgressoribus rogauit*. Primum in ipso impletum testatur Marcus *cap*. 15. dicens: *Et impleta est scriptura quæ dicit. Et cum iniquis reputatus est*. Alterum impletum cùm in cruce orauit: *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt*. Pro voce *rogauit*, habetur in Hebr. *occurrit*, iræ Dei videlicet, quasi ea tunc armata fuerit ad perdendos Iudęos quos ostendunt elementa commota & sol obscuratus: Intercesserit tamen Christus & suis precibus Patris iram extinxerit.

R. XVI. Irrisiones. DECIMOSEXTÒ, Iudæorum irrisiones & blasphemiæ in Christum crucifixum, eodem *Psal*. 21 *Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis. omnes videntes me deriserūt me, locuti sunt labijs & mouerūt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum*. Omnes videntes, inquit; quia omnium hominum genera, nobiles, ignobiles, Sacerdotes, Laici, Hebræi, Gentiles; quod impletum est, quando, vt scribit S. Lucas *cap*. 23. *Stabat populus spectans & deridebant eum principes cum eis*: Et infrà: *illudebant autem ei & milites. Locuti sunt labijs & mouerunt caput*; hoc etiam impletum fuisse docet S Matthæus *cap*. 27. *Blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templū Dei! Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum*. Easdem voces Iudæorum fuisse testatur S. Matthæus in eodem loco: *Confidit*, aiebant, *in Deo, liberet nunc eum si vult*. Nec multum refert quòd Propheta dicit, *quoniam vult eum*; & Euangelista refert eos dixisse, *si vult*. Nam cùm Propheta dicit: *saluum faciat eum, quoniam vult eum*, subintelligitur, vt ipse dicit; quod perinde est, ac si dixisset, liberet eū, si vult eum, id est, si amat eū, vt ipse dicit; liberet eum; vel, quandoquidem vult eum, vt ipse dicit, liberet eum. Admiranda prorsus Prophetę illustratio, qui non solùm res gestas, sed etiam verba prænouit, & prædixit, quæ Iudæi in passione Christi dicturi fuerant, vt scribit eo loco Bellarminus.

S. XVII. DECIMOSEPTIMÒ, Vestimentorum diuisio & sortitio, eodem illo psalmo. *Diuiserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortē*. Vestium diuisio. Alteram enim vestem diuiserunt in quatuor partes; pro alterā, quia scindi sine damno non poterat, miserunt sortem, vt scribit impletum esse Ioannes *cap*. 21.

T. XVIII. Fel & acetum. DECIMO OCTAVÒ, Quòd felle & aceto in cruce potandus *Psal*. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti meā potauerunt me aceto*. Fel propinatum esse Domino testatur Matth. *cap*. 27. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*; vinū pro potu, fel quasi pro escā. Acetū scribit Ioannes *cap*. 19. Sitiendi propinatum, vt impleretur scriptura, huius vtique psalmi, quem omnes expositores veteres, Hilarius, Augustinus, Hieronymus, nec non recentiores de Christi passione ad literam intelligunt.

V. XIX. Ossa non frangēda. DECIMO NONÒ, Ossa eius nō confringēda. *Exodi*. 12. Et *Num*. 9. vb. de esu paschalis agni ad literam quidem præcipitur; *Nec os illius confringetis*; Mysticum tamen & allegoricum sensum de SS. Christi corpore nō frangendo præcipuè intendit ibi Spiritus S. quem impletum scribit S. Ioannes dum solius Christi crura non sunt in cruce fracta, *Ioan* 19.

X. XX. Lateris vulnus. VIGESIMÒ, Lanceā ictus eius perforandum Zach. 12. *Aspicient ad me quem confixerunt*. Quem locum Ioannes mutatis verbis, sed sēsu Prophetę retento, impletum in vulnere lateris Christi scribit: *Videbunt in quem transfixerunt*. Aspicient oculis partim fidei, partim cōpassionis & doloris, vt Centurio & qui cum eo erant, qui viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerūt valde dicētes: *Verè filius Dei erat iste*. Matth. 27. nec nō ij qui *percutientes pectora sua reuertebantur*. Scio Septuaginta nō legisse, *confixerūt*, sed *insultarūt*: sed vel ipsi decepti sunt similitudine literæ Resch & Daled, & pro *Dacharu*, id est, *cōfixerūt*, per metathesin legerunt *Rachadu*, id est, *insultarunt*; vel Hebræi eorum textum corruperunt. Corruptam enim esse multis in locis editionē Septuaginta interpretum auctor est Iustinus Martyr dial. cum Tryph. & Hieron. *præfat. in* *ll. Paralip*. & c. 30. Isa. & Aug. l. 15. *de ciu*. c. 13.

Y. XXI. Resurrectio. VIGESIMO PRIMÒ, Resurrectio prædicta Ps. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiā cum vultu tuo*. Quem locum de Domini resurrectione intelligendum docet S. Petrus in prima illā suā concione post acceptum spiritum S. recēs illustratus, *Act*. 2. significat antè primò Christi animā descensurā ad inferos, in limbū scilicet Patrū; deinde eius corpus nòn putrefactum iri in sepulchro, sed præseruandum Dei virtute à putredine, & ad vitam immortalem educendum.

Z. XXII. Tempus resurrectionis. VIGESIMO SECVNDÒ, Resurrecturum die tertiā prædixit Ose. *c*. 6. *Viuificabit nos post duos dies & in die tertiā suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius*. Quem locū de resurrectione Christi intelligunt perè omnes Patres, putantq; aliqui dici hoc in personā eorū qui cū Christo resurrexerunt, Confirmatur ex Apostolo 1. *Cor*. 15. vbi ait Christum resurrexisse tertio die secundùm scripturas. Quo verò alio loco prædicitur in scri-

in scripturis veteris testamenti tertio die resurrecturus? Vult ergò dicere propheta tertiâ die mortis Domini nos in & cum Christo resurrecturos, partim in re, vt qui cum Christo resurrexerunt; partim in spe, vt cæteri.

Aa. XXIII. Ascensio in cœlum. VIGESIMÒ TERTIÒ, Ascensio in cœlum habetur Ps. 67. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* Hunc locum de ascensione Christi explicat Apostolus ad Eph. 4. paulùm immutatis verbis: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Sensus verò idem est, significans Christum ascendentem in cœlum, captiuos Diaboli fecisse captiuos suos fœlicissimâ commutatione, quales erant patres è limbo educti & cum Christo ad cœlos euecti: item captiuos quasi in triumpho duxisse mortem, infernum, Diabolum, peccatum, Idola, Tyrannos. Deinde dedisse dona hominibus, seu accepisse dona in hominibus, quia accepit dona à patre quæ daret hominibus & de facto dedit, dona, inquam, Spiritus S. in missione eius. Et sic idem est dare & accipere dona.

Bb. XXIV. Missio Spiritus Sancti. VIGESIMO QVARTÒ, Missio Spiritus S. prædicitur Ioel is 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt & iuuenes vestri visiones videbunt.* Quod impletum fuisse in die Pentecostes docet S. Petrus *Act.* 2. quando Apostoli loquebantur varijs linguis, docebant, miracula faciebant, &c. quæ omnia significat vox *prophetare*, latè sumpta.

Vidimus, Auditores, & nonnihil explanauimus prout tempus tulit, scripturas quæ de Christi vitâ & morte sine controuersiâ vaticinantur. Superest vt hinc agnoscamus Christũ, vel si eum iam agnouimus, firmiùs saltem in eum credamus, impensiùs eũ colamus & amemus, vtpote tot scripturis à tot sæculis annunciatum, vt per eum salui omnes fiamus, &c.

CONCIO VIII.

Documenta.

1. *Proponuntur Christi virtutes, ac præsertim in quo apparuerit eius bonitas & clementia, charitas, suauitas & prudentia: item, cur duriùs increpat discipulos?*
2. *Docetur ex Euangelio, cœlum merito esse obtinendum.*
3. *Præsuli ac Prædicatori esse aliquas dotes necessarias.*
4. *Resurrexisse in nobis Christum.*
5. *Peregrinationes ad loca sancta recipiendas ac probandas.*

THEMA.

Surgentes eâdem horâ regressi sunt in Ierusalem. Luc. 24.

A. QVARTO *Regum septimo* legimus quatuor leprosos ingressos castra Syrorum, qui Samariam obsederant, diuinitùs autem territi, repente fugere compulsi erant, repetisse castra quidem à Syris deserta, sed ingentes interim diuitias in castris ab iisdem derelictas, aurum & argentum, nec non cibos omnis generis & annonæ abundantiam. Hoc igitur comperto, dicebant ad se inuicem: *Hac dies boni nuntij est, si tacuerimus & noluerimus nunciare vsque manè, sceleris arguemur: Venite eamus & nunciemus in aulâ Regis.* Quod leprosi hi fecerunt, faciunt in hodierno Euangelio duo illi discipuli & ipsi nonnihil maculis aspersi stultitiæ & tarditatis. Cùm enim in Castello Emmaus agnouerunt Christum à mortuis excitatum adeoque mortis & dæmonum domitorem, continere se non potuerunt, quin illicò surgentes eâdem die reuerterentur magnis passibus in Ierusalem vt iam optatum nuncium afferrent aulæ & Collegio Christi dicentes vt opinor: *Hac dies boni nuntij est: hac dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in eâ.* Eamus & nonciemus fratribus nostris resurrectionem Domini nostri. Nimirum nobilis & ingenuus est amor diuinus; qui enim Deum amat, cupit & desiderat eum ab omnibus amari; gaudet etiam ac gestit sua bona communicare aliis, dicens cum Isaia: *Omnes sitientes venite ad aquas & qui non habetis argentum properate, emite & comedite,* Isa. 55. Contrà amor mundi ignobilis & seruilis est, participem non admittit, solus gaudere prædâ vult. Istud canum & gallinarum, illud Leonum & Aquilarum est: istud mundi sectatorum, illud Dei seruorum. Quando igitur Auditores, gaudium paschale heri vobis annunciaui & communicaui; hodie communicabo quidquid boni deprehendi in hod. Euangelio. Sceleris me reum arbitrarer, si tacerem: vos ne rei sitis, audite & accipite.

Illuminati sunt discipulorum oculi in fractione panis & cognouerunt Christum. Nos etiam agnoscemus Christum nec non alia plura in hodierno Euãgelio si frangere id voluerimus diligenti consideratione.

B. I. Virtutes in Christo. I. Patientia. Video imprimis miras & diuinas planè virtutes & perfectiones in Christo Domino nostro, & PRIMÒ Patientiam, dum discipulorum diffidentiam & stultam opinionem de suâ morte & resurrectione ad longũ audit patiẽs & silens quoad absoluissent; quod certè nobis molestum est; solemus enim insipientum verbocinia cum indignatione abrumpere vel fugere. Verùm Dominus noster discipulorum infirmitati condescendens, patienter eos auscultauit vt medelam adhibere languentibus posset. Quod imprimis imitari decet Confessarios in excipiendis confessionibus: audire, inquam, pœnitentes donec omninò sese expliceent: ne fortè ad primum statim peccatum increpatos absterreant à confessione cæterorum peccatorum. Neque enim auceps primam statim auem, quæ desilit in aream, corripere vel retibus tegere solet, sed expectat socias alias, vt simul omnes capiat. Deinde superiores quosque vt querelas subditorũ licèt fastidiosas audire ne detrectent: quo modo magnus

magnus ille Dux Moyses audiebat populi querelas à mane vsque ad vesperam, *Exodi* 18.

2. *Bonitas & clementia.* Secundò, Bonitatem & clementiam, dum, vt duos saluet discipulos, non ex Apostolorum numero sed ex septuaginta duobus, non dedignatur eis apparere & cum eis incedere sat longam viam, nec non instruere eos in omnibus prophetis. Quod sane aduertendum est Episcopis & prælatis, ne dedecori sibi ducant instruere proprio ore paruulos & rudes, audire confessiones pauperum & humilium: ne solis Regibus & principibus scientiam suam vendere quærant.

3. *Charitas.* Tertiò, Charitatem dum negotium salutis discipulorum ipse prior inchoat, interrogans eos: *Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem?* non curiositatis causa, (vti nos ferè interrogamus,) sed vt ansam arripiat eos instruendi. Tacuisset ipse, tacuissent & discipuli; incepit ergò qui plus amauit. Ita paralyticum illum nihil rogantem interrogauit: *Vis sanus fieri?* Ioan. 5. Ita Samaritanam allocutus est: *Mulier da mihi bibere*, Ioan. 4. eamque mirâ prudentiâ duxit per ambages ad peccati sui agnitionem & detestationem; id quod etiam fecit in alloquio hodierno, dum è quæsito in quæsitum sese insinuauit in corda discipulorum.

4. *Suauitas.* Quartò, Suauitatem in trahendis ad se discipulorum animis, dum eis appropinquat & cum eis ambulat & quidem in specie peregrini illorum simili, vt viam sibi sternat ad eos erudiendos. Rursum ergò hîc discunt superiores condescendere inferioribus, eorum infirmitatibus se accommodando vt medelam eis afferre queat. Id quod accuratè præstitit Apostolus 1. Cor. 9. scribens: *Omnibus omnia factus sum* (*non mentiendo sed compatiendo; non simulantis astu, sed commiserantis affectu*, ait S. Augustinus *ep.* 9. & 19.) *vt omnes facerem saluos.* Ita S. Barlaam Eremita fingens se gemmarium gemmamque afferre eximij splendoris (fidem scilicet Euangelicam) aditum sibi patefecit ad Iosaphatū Regis Indiæ filium eumque ad fidem pellexit, apud Damascen. in eius vitâ. Ita S. Abrahamus Anachoreta Ægyptius neptem suam Mariam lapsam in fornicationē, ideoque fugâ dilapsam assumpto mercatoris habitu inuenit & ad viam salutis reduxit; apud S. Ephrem in Vitis Patrum. Ita S. Xauerius à concubinariis auellebat concubinas, insinuans se in eorum amicitiam, & nunc vnam, nunc alteram sub alio & alio prætextu eis adimebat donec ad vnam omnes abstraheret, apud Tursel. *in vitâ l.* 6. *cap.* 10. doctus absque dubio à Magistro suo Ignatio, qui hoc suis monitum dabat: *Ingredimini cum eo quod est illorum sed exite cum vestro.* q.d. curate primò omnibus omnia fieri, vt tandem eis persuadeatis, quam intenditis viam virtutum & salutem. Nec mirum, quia si amator solet se omnibus modis, obsequiis, seruitiis, munusculis, ornatu insinuare in amorem nobilis, diuitis & speciosæ filiæ vt eam in sponsam obtineat: si auceps vt raras vel delicatas aues capiet, frondibus se vestit escamque eis optatam obiicit: quid mirū si pro lucrandâ animâ, quæ pretium sanguinis Christi valet vitâq; eius coëmpta est, omnia tentemus? *Magna res est anima*, inquit S. Bern. *ep.* 54. *quæ Christi sanguine redempta est.*

Quintò, Prudentiam in corrigendis errantibus. Videtur quidem asperior æquo fuisse correctio illa: *O stulti & tardi corde &c.* Sed sciendū Primò: Mitiùs sonare vocabulum, quo vsus Christus. Græcè enim habetur. ὦ ἀνόητοι, ô amētes vel insensati (nostrâ linguâ: ghy onwetende) quæ vox contumeliâ caret. Deinde Deus est, qui loquitur, potens ac volens increpando accendere & stimulare corda discipulorum ad credēdum. Si par parem increpare non potest, superior tamen potest: & quantò magis Deus hominem. Habet domi aurifaber vas è terrâ selectissimâ, vel è chrystallo quod aureis anulis atque annulis vult ornare & vsui accommodū facere. Mādat hic ministris, ne opus hoc attingant aut perficere attētent: posteà veniens ipse adoritur & ictibus tundens ornamento suo induit: quod tyrones perdidissent. Ita nouerat Dominus quibus obiurgationū ictibus tūdere deberet discipulos, vt eos expoliret; nôrunt & superiores corripere delinquētes: nō nouerunt alij. Adhæc *malo nodo malus debetur cuneus.* Malè sanos & malè credulos monstrârant se hi discipuli; tum quia redemptionem Israël sperabant fore à iugo seruitutis temporario & imperio Romanorum, non intelligentes scripturas: tum quia suis se verbis cædebant, dum mulierū sibi notarum testimonia adducebant de Christo suscitato, iis tamen non credebant; tū denique quia spem resuscitandi Magistri deponebant: *Nos autem sperabamus*, inquiunt, cùm tamē nondum effluxisset tertia mortis dies. Malus itaq; cuneus adhibendus erat: *O stulti & tardi corde.* Hoc est quod Psal. 17. legimus ad literam de Deo scriptum: *Cum electo electus eris* (Hebr. *cum puro purus eris*) *& cum peruerso peruerteris*, (Hebr. *cū peruerso luctaberis seu pugnabis*.) Quamdiu enim hi discipuli candidè loquebantur de passione Domini tamdiu patienter auditi sunt. At vbi suam diffidentiam & insipientiā prodere cœperunt, ibi in eos pugnare & inuehi cœpit Dominus. Eodē planè modo in suâ resurrectione terribilem se præstitit custodibus sepulchri, vtpote armatis & inimicis: amabilē verò mulieribus & discipulis velut inermibus & amicis. Quare alio modo corrigendi sunt præfracti & contumaces, alio modo humiles & obedientes. Quartò, Denique hæc correctio fuit priuata & inter solos, quia talis etiam discipulorū culpa. Occulta igitur peccata occultè castigāda sunt. Ita Christus Samaritanam de viro illegitimo reprehendit solam, dimissis in vrbem discipulis, Ioan. 4. Ita Ioseph proditurus se se fratribus (quod non poterat facere nisi simul proderet eorū scelus dicendo: *Ego sum Ioseph, frater vester, quē vēdidistis in Ægyptum*) *præcepit vt egrederentur cūcti foras & nullus interesset alienus*, Gen. 45. Videant ergo qui subditos aut pares etiam corrigere volunt, vt hanc corrigendi normam seruent.

5. *Prudentia.* *Cur durius increparet discipulos.* 1. 2.

C. II. *Cœlum.* Video SECVNDO, Gloriam cœlestem meritis parandam non solo hæreditatis titulo sperandam esse adultis. Audimus enim dicentem Dominum;

meritis obtinendum.

Dominum: *Nónne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam?* Si ipse per passionem intrare debuit in gloriam suam; quantò magis nos per merita & tribulationes intrare oportebit in alienam? Porrò Christus sibi meruit nomen super omne nomen & gloriam non animæ (hanc enim à primo instanti conceptionis habuit) sed corporis, quæ sex excellentias complectitur. Prima. Est resurrectio, vt docet S. Athanasius *serm. 2. contra Arianos*, quia enim Christus obediens fuit ad mortem, hinc meruit vt primus à morte resurgeret vique mortis victor eã in se & mẽbris suis mysticis aboleret. Secunda. Sunt dotes corporis gloriosi; quia enim corpus suum in passione dilaniandum dedit, hinc promeruit, vt in resurrectione acciperet corpus gloriosissimum, scilicet, immortale, impassibile, fulgidum, agile, subtile; iuxta id Psalmi 29. *Conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitiâ.* q.d. Corpus meum passibile per tormenta conscidisti velut pannum & inde mihi concinnasti nouam gloriosi corporis vestem, vt exponit S. Augustinus *ser. 256. de temp.* Tertia. Exaltatio super omnes Angelos & Sanctos. Quarta. Sessio ad dexteram patris. Quinta. Potestas iudicandi viuos & mortuos. Sexta. Regia potestas in cælo & in terrâ. Licet verò hæc exaltatio & sex prærogatiuæ Christo iam debitæ essent ab instanti conceptionis propter vnionem hypostaticam; eas tamen nouo & altero titulo, per meritum videlicet suæ humilitatis & obedientiæ, quasi coronam & mercedem obtinere debuit, vt non merè gratuito, sed iustitiæ quoque titulo eas possideret. Quare nos etiam licet per baptismum statim acquiramus ius ad cœlestẽ hæreditatem, eam tamen vbi per ætatem licuerit, nouo titulo promereri debemus virtutum operibus.

D. III. Præsulum & prædicatorum dotes.

Video Tertiò Præsulum & prædicatorum dotes eis necessarias, vt sint potentes opere & sermone corã Deo & omni populo quemadmodum de Christo dicunt hi discipuli. *Primò opus, deinde sermo*, inquit hîc Theophylactus; *Nullus enim sermo Doctoris firmus est, nisi priùs doceat se factorem declaret.* Atque hæ sunt duæ illæ tubæ argenteæ, quas fieri ad conuocandã multitudinem iussit Deus, N. 10, tuba operis & tuba sermonis; seu vt ait Procopius, *tuba doctrinalis & tuba moralis.* Tuba dũ ore inflatur, manu interim duci debet vt concinnũ edat sonum. Qui ergò verbis alios instruit, exemplis quoq; confirmet ne hiulcum & ridiculum reddat sonum & solum aërem verberet. Latronẽ de iustitia, incestum de castitate, ebrium de sobrietate disputantem, sine risu non audiremus, nedum aliquo fructu. Christus suo sermone accẽdit discipulorũ animos; vnde aiunt: *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis dũ loqueretur in viâ?* Qui ergò auditorũ corda cupit inflammare ardore pœnitentiæ vel amoris diuini alteriusve virtutis, manibus ligna apponat, flatibus verò ignem excitet; hoc est, potens sit opere & sermone.

E. IV. Iudicium resurrexisse in nobis Christum.

Video Quartò. Iudicium non vanum resurrexisse in nobis Christum adeoque nos cum illo; si nimirum ambulet nobiscum in omnibus nostris actionibus, vti hodie cum discipulis. Sic enim memini dixisse ad Deum Moysem Exodi 33. *In quo scire poterimus ego & populus tuus inuenisse nos gratiã in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum?* Porrò ambulant cum Christo, qui eum quasi præsentem semper præ oculis habent, ad eiusque voluntatem & beneplacitum suas omnes actiones conformant, iuxta illius, quamuis Ethnici, Senecæ verè Christianam sententiam epi. 10. *Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo tanquam homines audiant.* Ita *ambulauit cũ Deo* Henoch. *Gen. 5.* Septuaginta vertunt, *Henoch placuit Deo.* Targũ Ierosolymitanum legit: *Seruiuit Henoch in veritate coram Domino.* Qui ergò sic ambulant, verè Deo seruiunt & placent. Idem facere iussus est à Deo Abraham, *Gen. 17. Ambula coram me & esto perfectus.* Idem omnibus consulit Salomon Prouerb. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum: & ipse diriget gressus tuos.* Tobias quoque filio suo. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Tob. 4.

F. V. Peregrinationes ad loca SS. defenduntur.

Video Quintò peregrinationes ad loca sacra recipiendas & probandas. Video enim discipulos nec non eorum Magistrum Christum peregrini habitu discedentes ab Ierosolymis, quò ad festum Paschatis celebrandum ingens Hebræorũ turba confluxerat. Vnde aiunt Domino, *Tu solus peregrinus es*, &c. q.d. ex tanto peregrinorum numero tu solus nõ vidisti vel audisti quę acta sunt his diebus in Ierusalem? Sed confirmemus hoc ipsum pluribus cõtra Hæreticos nostri temporis; & probatur Primo, Scripturæ testimonio. *Deut. 16.* instituit Deus vt omnes filij Israël ter in anno ad tabernaculum vel templum Domini peregrinarentur. Quod præceptum studiosè seruabat Helcana & Anna vxor eius *1. Reg. 1.* nec non Christus ipse cum matre suâ & Iosepho *Luc. 2.* Gentiles quoque veniebant adorare in Ierusalem propriã religione relictâ, Ioan. 12. Vti & Eunuchus Æthiops, *Act. 8.* Paul. item Apostolus festinabat in itinere vt in Ierusalem faceret Pentecostẽ, *Act. 20.* Secundò, Ostenditur patrum testimonio & exemplo. Eusebius *l. 6. hist. c. 9.* ait: *Alexander Hierosolymam adorandi & locorum sanctorum videndi causâ properauit.* S. Hieronymus ep. 17. de obitu Paulæ inquit: *Cuius gentis homines ad loca sancta non veniunt?* Anastasius in Constantino scribit: *His temporibus duo reges Saxonum ad orationes Apostolorum cum alijs pluribus venientes velociter (vt optabant) vitam suam finiuerunt.* Idẽ testatur Paulus Diaconus, qui & subdit: *His téporibus multi Anglorũ gẽtis nobiles & ignobiles viri & fœmina diuini amoris instinctu Romã venire consueuerũt.* De Ceadualla Britonũ Rege scribit Beda l. 5. h. c. 7. *Venit Romam, hoc sibi singulare desiderans adipisci, vt ad limina BB. Apostolorum fonte baptismatis ablueretur, simul etiam sperans, quia mox baptizatus, carne solutus, ad æterna gaudia sã mundus transiret: quod vtrumque vt mente disposuerat, Domino adiuuante cõpletum est. Et cum illò peruenisset, Pontificatũ agente Sergio, baptizatus est die Sancto Sabbati paschalis, anno ab incar. Domi. 689. & in albis adhuc positus, languore correptus 12. Calen. Maias solutus est à carne, &*

m, & Beatorum est consortio sociatus in cœlo. Subdit eum nomen Petri sumpsisse in baptismo & in S. Petri basilica esse sepultum, cuius & epitaphium recitat.

Idem fecit Hun. Ceaduellæ successor, qui & ipse relicto regno Romam peregrinatus monasticam ibi vitam amplexus in Domino quieuit, vt ib. scribit Beda. Denique Carolus Magnus anno Domini 774. peregrinatus est Romam, cumque ad vrbem accederet, ex equo descendens pedes perrexit ad S. Petrū, ac gradus S. Petri sigillatim deosculans, ab Hadriano Pōt. exceptus, alias deinde ecclesias pari deuotione visitauit. Quocirca Deus ei benedixit. Nam rediens Ticinum cepit, ac Desiderium Longobardorum regem captiuum abduxit, regnumque Longobardorum tot annis Italiæ molestum, extinxit. Deinde Saxones subiugauit; Ita ex Anastasio & alijs Baronius anno Domini 774. Tertiò. Ratione. Primò enim

3\. peregrinationes cedunt ad honorem Dei & sanctorum non mediocrem, quando itinerum laborem & pericula suscipimus ad Dei cultum & sanctorum reliquias. Deinde sunt opus pœnitentiæ & satisfactionis, quia laboriosæ & molestæ. Denique augent deuotionem: præsentia enim loci sancti incutit horrorem & excitat reuerentiam. Et licèt vbique sint aliqua sancta loca, tamen sæpe alibi sunt loca sanctiora: vel alia saltem ab his quæ in nostrâ patriâ inueniuntur: ipsaque nouitas iuuat ad deuotionem excitandam. Sæpe etiam peculiari amore ferimur erga sancti alicuius memoriam, quæ procul abest à nobis.

Verum quidem est & fatemur perlibenter, non ponendam in peregrinationibus eam spem, quasi iis solis quomodocunque peractis obtineri salus queat: aut sufficiat ad peccatorum expiationem vidisse & visitasse loca sacra. Hoc enim non asserimus; quo etiam sensu dixit S. Hieronymus in Ep. *Non Ierosolymam vidisse, sed Ierosolymis benè vixisse laudandum est.* Pietas ergo & cæteræ virtutes Christiano necessariæ peregrinum comitari debent. Verùm etiam non omnibus expedire vel concedi vt suscipiant peregrinationes, veluti sunt religiosi, vxores, aliique certis adstricti legibus; de quibus loquitur in oratione Gregorius Nyssenus apud Magdeb. Centuriatores *Cen. 4. cap.* 10. Et S. Hieronymus ad Paulinum.

Sed missâ nunc ista peregrinatione, ad eam nos conferamus quæ in cœlestem ducit patriam, ad quam nos perducat Deus.

CONCIO IX.

Mysteria.

1.2. *Exponitur, quinam fuerint hi discipuli: & cur illis se iunxerit Christus.*	6. *Quomodo aperuerit Christum pātē?*
3.4. *Quâ ratione Christus dictus peregrinus, & quare responderit Quæ:*	7. *Cur finxerit se longiùs ire.*
5. *Cur adeo durè increpet discipulos.*	8. *An discipulis porrexerit Eucharistiam; adferuntur argumenta in vtramque partem.*
	9. *Quare voluerit agnosci in fractione panis.*

THEMA

Interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Luc. 24.

A. CYnicus ille Diogenes quàm addiscendæ sapientiæ addictus esset vel vnde ostendi potest, quòd ea de causa Athenas profectus ad Antisthenem, cùm ab eo repelleretur intentato baculo, subiecit caput ictui dicens: *Cæde si vis: at nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigat, dum aliquid dixeris.* Refert Laërtius *l. 6. c. 2.* Non minus sapientiæ studium & amorem reperire est, Auditores, in duobus illis discipulis, qui in hodierno Euangelio abierunt in Castellum. Quàm enim addicti essent cognitioni verbi diuini, ex eo satis patet, quòd etiam increpati duro illo verbo: *O stulti, & tardi corde:* minimè repelli à Magistro potuerunt, dum eos erudiebat: quin etiam fatentur arsisse interim amore corda sua: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas?* Adhæc à Doctore isto diuelli non potuerunt, sed coëgerunt illum, vt secum permaneret. Quare tametsi hi discipuli, ex vna quidem parte reprehensionem merebantur ob defectum fidei; ex alia tamen laudem ob amorem verbi diuini & cœlestis sapientiæ: ideoque digni habiti sūt, qui Christum rediuiuum corporeis oculis cernerent. Qua ex re, Auditores, satis opinor, intelligimus, quàm addicti verbo Dei & concionibus audiendis esse debeamus, ita nimirum vt nec minis nec increpationibus Concionatorum auerti ab eo nos patiamur; deinde vt cor nostrum ardeat in nobis, dum aperiuntur nobis scripturæ: Denique vt ægrè à concionibus diuellamur, finem earum molestiùs quàm initium feramus. Freti igitur hac de vobis spe aperiamus quantum possumus scripturam hodierni Euangelij. Dominus dignetur nobis aperire oculos.

B. QVÆST. PRIMA. Quinam erant hi duo discipuli, & quomodo tenebantur eorum oculi? Resp. ad primum, probabile esse fuisse ex 72. discipulis. Nomē vni Cleophas; quis verò fuerit iste Cleophas, & quo nomine alter vocatus sit, plures sunt sententiæ, sed incertæ omnes, ideo nec referre operæ pretium duco.

1\. Quinam fuerunt hi discipuli?

Ad Secundum. Respondeo tentos illorum

oculos non à Sathana fuisse, sed à Christo ipso, vti sentiunt plerique, immissa in discipulorum oculos specie alterius effigiei, non eius, quam gerebat Christus. Ita Barradius hoc loco. D. Thomas 3. *sentent. dist.* 21. *art.* 4. ait diuina potestate impeditas fuisse internas potentias, ne Christum agnoscerent; quamuis externa species eundem repræsentaret. Resurrexit Dominus cum iisdem lineamentis, eademque effigie corporis, vt agnosci posset, non alius, sed idem ipse surrexisse, qui crucifixus fuerat, quamuis haud dubiè maiore cum venustate; vnde ex hac parte facilè agnosci à discipulis potuisset, nisi ex alia detenti ipsorũ oculi fuissent. Quod ergo Marcus ait ostensum illis esse Dominum in alia effigie, non ita intelligendum, quasi Dominus aliam à suâ assumpserit effigiem; sed quòd immutati discipulorũ oculi aliam in ipso effigiem aspexerint.

C. II. Cur iunxit se illis Christus?

QVÆST. SECVNDA, Cur adiunxit se his discipulis Dominus? Respondeo Primò, quia præ cæteris afflicti & debiles erãt in fide. priùs ergò Dominus, velut prudens Mater, accurrit ad eos filios, qui periculosius laborabant.
1. Primò, omnium apparuit Matri, ob excellentiam & honorem maternę dignitatis. Deinde Magdalenæ, ob excellentiam amoris eius. Post hanc salutauit mulieres alias; ob excellentiam deuotionis earum. Hinc ad Petrum sese contulit, ob excellentiam primatus eius & pusillanimitatem ex negatione conceptam. Ab hoc ad discipulos hos se contulit, quia vidit eos non tristes solùm, sed etiam penè desperantes.

2. Secundò, Quia de rebus piis, morte & passione Domini inter se colloquebantur. Dixerat autem Dominus, vbi duo vel tres in nomine eius congregati essent, se in medio illorum fore, *Matth.* 18. Vnde discimus Christum adesse iis, qui crebrò de ipso loquuntur, præsertim de passione eius.

3. Tertiò, Mysticè, quia ab impiâ & sanguinolentâ ciuitate discedebant, ne illius sceleribus contaminarentur. Qui ergò se à Dæmone, à mundi conuersatione & delitiis segregant, eos visitare & adiuuare solet Deus in proposito. Emmaus postea ex Castello ciuitas facta est dicta Nicopolis, id est, ciuitas victoriæ, teste D. Hieron. Epitaph. Paulæ. Quod si igitur à terrestri Ierosolyma, peregrinamur ad cœlestem quæ vera est Nicopolis, Christum absque dubio viæ comitem habemus.

D. III. Quomodo Christus dictus peregrinus.

QVÆST. TERTIA, Qua ratione Christus vocatus est peregrinus à Cleopha? Respondeo
1. primò ad literam, quasi solus ipse peregrinatus esset in Ierusalem, nec tamen sciret, quæ ibidem gesta erant: vel quasi solùs peregrinus, hoc est, inscius & tamquam ab vrbe absens non nosset, quæ coram oculis omnium facta sunt. Sed vnde collegit Cleophas hunc peregrinum nihil ea de re scire? Respondeo credibile esse Dominum aliquantulum spatij iam iuisse cum discipulis & illorum de ea re sermonem audisse, vel Cleopham existimasse, nihil aliud iam in ore hominum esse quàm tragœdiam passionis Magistri sui.

Respondeo secundò, Mysticè rectè vocatũ peregrinum. Primò, quia Christus è cœlo in terram, quasi alienam venit. Secundò quia licet terræ esset Dominus & venisset in propria, sui tamen eum quasi peregrinum non receperũt, nec agnouerunt. Tertio, quia caducis terræ bonis non est vsus nisi ad necessitatem, quemadmodum peregrinus. Non habuit vbi caput reclinaret, non propriam domum, non propriam pecuniam, non sepulchrum: nullo rerum huius viæ & vitæ captus est amore: sed pertransiit, velut peregrinus. Idem videre est in iis, qui se peregrinos hîc agnoscunt. 2.

E. IV. Cur respondit Dominus: Quæ?

QVÆST. QVARTA. Cur respondet Dominus: Quæ? quasi nesciret, quid actum esset Ierosolymis? Respondeo Primò, ad litteram, vt discipuli, vlcus suum aperiant & ipse medelam adhibeat doceatque ignorantes. Fingit se nescire, vt eos in planum deducat. 1.

Secundò, Vt ostendat statum beatificum esse tam fœlicem & gaudiis refertum vt absorbeat quodammodo in Deo hominem, ita vt nihil faciat nec recordetur amplius cruciatus & labores præteritos. In huius rei figuram Ioseph ereptus è squalore carceris & euectus ad dignitatem principis, filium suum primogenitum appellauit Manassen, id est, obliuionem, subiunxitque causam: quia *obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum*, Gen. 41. Eodem tendunt verba illa Psalmi: *Inebriabantur ab vbertate domus tuæ*. Vt enim ebrij obliuiscuntur omnium suarum curarum, miseriarum & laborum præteritorum: ita etiam beati omnium afflictionum, quas in mundo passi sunt. Hinc dixit Augustinus serm. de beatit. cœlesti, quòd si vnica tantùm gutta cœlestis beatitudinis in damnatorum pœnas deflueret, tanta dulcedine repleret gehennam, vt nullum dolorem aut tormentum sentirent. Econtrà etiam damnati obliuiscuntur omnium delitiarum quas receperunt in hoc sæculo; vnde dicunt Sap. 5. *Quid profuit nobis superbia?* &c. 2.

Tertiò, Vt ostendat infinitum suum amorem, quo nos prosequitur. Ita enim nos diligit, vt omne id, quod passus est pro nobis, parum esse reputet, si cum amore, quo nos afficit, appendatur: quodque plura etiam, si opus foret, pati paratus esset, dummodò lucraretur animas nostras. Quemadmodum enim Iacobo septem anni, quibus pro Rachele seruiuit, pauci dies visi sunt præ amoris magnitudine, *Gen.* 29. sic Christo, tanta licet pro hominibus passo, parum esse videtur, quod passus est, ita vt nunc interroget: Quæ sunt illa, quæ pertuli in Ierusalem? Nos contrà exigua, quæ pro Deo facimus? magna reputamus cum Pharisæo illo, *Ieiuno bis in Sabbatho* &c. Luc. 18. 3.

F. V. Cur adeò durè increpat discipulos.

QV. QVINTA. Quamobrem adeò durè, increpat discipulos: *O stulti & tardi corde?* Respondeo hoc verbum non esse contumeliã formale, sed materiale tãtùm, quia ex amore, & animo corrigendi prolatum: Græcè ὦ ἀνόητοι, id est, insensati vel amẽtes. Ad hæc Deus erat, qui loquitur & increpando accendit corda eorũ.

Portò hi discipuli duriorem hanc increpationem

tionem non vno modo meruerũt. Primò enim nimis humiliter loquuntur de Magistro suo, appellando eum *virum Prophetam*, cùm agnoscere deberent Dei filium. Secundò, *Sperabamus*, inquiunt, *quod ipse esset redempturus Israel*. Ergo spem hanc iam abiecerant, quia nondum viderunt resuscitatum. Tertiò. Quia nimis citò spem resurrectionis eius abiciunt. Audierant enim post triduum resurrecturum: atqui tertia dies nondũ elapsa erat: ante tẽpus ergo spẽ deponunt. Quartò. Quia mulieribus narrantibus Angelorum visionem & sepulchri vacui conspectum, fidem non adhibuerunt. Mirum ergo non est, si homines duro capite duro verbo obiurgati sunt. Malo nodo malus cuneus, dicere solemus: Vtinam verò isti non haberent multos similes! At verò plurimi sunt, qui nimiùm humiliter sentiunt de Deo, quasi non plura possit facere quàm nos intelligere, quasi calamitates nostras minimè intueatur aut curet, quasi non audiat nec auditurus sit petitiones nostras. Desperat pauper de sua sustentatione, ideò furari incipit: desperat virgo de honesto connubio, ideò impudicitiæ se tradit: desperat studiosus de profectu, ideo militiæ nomen dat: neque credere volunt, tot Dei promissionibus, tot exemplis, &c. sed *qui estis vos qui tentatis Dominum?* ait Iudith ad conciues suos Bethulienses, qui tradere Assyriis voluerunt ciuitatem, eò quòd non statim Dei opem impetrassent, Iudith 7. Quis existimasset gladium Abrahami strictum iam in puerum à Deo inhibendum, seruandumque puerum? Gen. 22.

G. VI. Quomodo oportuit Christũ pati?

QVÆST. SEXTA. Quomodo oportuit Christum pati? Respondeo oportuisse supposito Dei decreto. Abstrahendo verò ab hoc, nõ oportuit absolutè, sed ad bene esse, seu decuit eum pati primò, *vt per omnia fratribus assimilaretur*, quemadmodum ait Apostolus ad Hebr. 2.

1. adeoque vt *similiter passis & tentatis misereri, ac compati ipso disceret experimento: & infirmi filij Adam (quos suos fieri, & appellari fratres non dedignatus est) suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas & posset vt Deus, & vellet vt proximus & cognosceret vt eadem passus*, inquit S. Bernardus in tractatu de grad. humil.

2. Secundò vt sanciret iustitiam illique satisfaceret, ne dedecus peccati maneret sine decore iustitiæ. Itaque patiendo satisfecit parti læsæ, Deo, vt peccatum expiaret.

3. Tertiò vt fidelibus suis patientiæ, & charitatis exemplo præiret, dando pro eis vitam suã.

4. Quartò, vt *ita*, hoc est, cum honore & meritorum cumulo, *intraret in gloriam suam*, vti ait ipse in hodierno Euangelio. Decretum enim à Deo: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*. 2. Tim. 2.

H. VII. Cur finxit se longiùs ire?

QV. SEPTIMA. Cur finxit se longiùs ire? Respondeo primò, vt discipulorum amorem & desiderium, quasi folle qoodam accenderet ad se retinendum: *Cupiebat enim audire, mane nobiscum Domine*, inquit S. Bernard. ser. 74. in Caot. *Præteriens teneri vult, abiens reuocari*, &c. Sic distulit, & dissimulauit se audire Chananæam, vt ipsa perseuerando & fortiùs clamando fieret postulato dignior Matth. 15.

Secundò respondet S. Gregorius homil. 25. in Euang *Quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, se ire longiùs finxit*. Vel vt Augustinus ait, *quia cùm longiùs recessurus esset in cœlum ascendendo, per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terra*. Hæ rationes Mysticæ sunt.

I. VIII. An Eucharistia discipulis porrectas

QV. OCTAVA, Præbuitne Chtistus discipulis Eucharistiam in Castello? Resondeo hoc incertum esse & in vtramque partem disputari posse & esse auctores. Magna sunt argumenta inclinantia in partem affirmantem.

Pro parte asserente argumentum.

1. Primum, quia dicitur Christus fregisse panem: fractio autem panis, Eucharistiæ dispensatio solet appellari Act. 2. *Erant perseuerantes in communicatione fractionis panis*, 1. Cor. 10. *Panem, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?*

2. Secundum, quia accepit panem & benedixit. Si vulgaris tantùm hæc cibi benedictio fuisset, non accepisset panem in manum, sed reliquisset in mensa: Deinde non panem solùm, sed etiam alios cibos benedixisset.

3. Tertium, quia fractum panem porrigebat illis, quemadmodum in vltima Cœna fecit; at quid opus erat porrigere, si communis tantùm panis fuit?

4. Quartum, quia mirus & supernaturalis effectus eam fractionem consecutus est, dũ agnouerunt Christũ, quem prius nõ agnouerant.

Potuit autem Christus ad Eucharistiam credendam & sumendam disponere eos in via, præsertim, quia iam amoris igne inflammati erant.

Pro negante.

Sunt etiam non spernenda argumenta in partem negantem.

1. Primum, quia discipuli tunc non videtur adhuc nouisse, quid esset Eucharistiâ, cùm vltimæ cœnæ non interfuerint.

2. Secundum, quia tunc adhuc in fide nutabant, adeoque imparati fuisse videntur. Hinc igitur vel hoc habemus, non omnia liquida esse, quæ leguntur in SS. literis.

K. IX. Quare agnitus Christus in fractione panis.

QV. NONA, Quare agnosci voluit Dominus in fractione panis? Respondeo

1. primò, vt indicaret cœlestem Euchatistiæ panem oculos illuminare ad cognoscendum Deum, nec non alia ad salutem necessaria, vti est cognitio sui ipsius, vanitatis mundi, grauitatis peccati, præstantiæ rerum cœlestium, atrocitatis Gehennæ &c. Huius etiam typus fuit illud mel, qood vt gustauit Ionathas illuminati sunt oculi eius, 1. Reg. 14. Prohibuerat quidem Saul militibus quidquam cibi sumere, donec omnes hostes debellati essent: verùm Ionathas, contra hoc mandatum, de melle gustans didicit experientiâ sibi id profuisse. Prohibet etiam mundus aliquibus accedere ad Eucharistiam cùm accedendum est, veluti tempore Paschali, quia scilicet adhuc lites forenses habeant nondum definitas: vel quia inimicos nondum sibi reconciliatos, vel quia alia negotia sæcularia. Verùm ista nequaquam impedire aliquem debent à S. communione, præsertim cùm in præcepto est; siqui-

dem forenses lites suum progressum habere possunt, etiamsi interim communices; similiter inimici, nisi tu adhuc geras odium in pectore vel nondum satisfeceris læsis, impedire te non possunt à fructu communionis. Perge igitur securus & satisfac præcepto aut propriæ deuotioni: non priuaberis fructu S. Communionis.

2. Secundò, vt doceret etiam in fractione panis, quæ est eleemosyna (iuxta id, Isa. 58. *frange esurienti panem tuum*) agnosci largitorē eius. Diues enim eleemosynæ studiosus omnium ore celebratur, ab omnibus amatur, auarus non præsumitur, nemo inuidet ei diuitias, sed apprecantur omnes, denique cœli hæres non immeritò censetur.

3. Tertiò, Quia etiam panis verbi Dei fractus seu explanatus, vel maximè illuminat oculos mentis, iuxta id Psal. 118. *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* De huius panis fractione loquitur Ieremias Thren. 4 *paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Habemus ergo hîc triplex oculorū collyrium quo frequenter vsi sunt primi Christiani. Ita enim legimus Act. 2. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*; (Eucharistici videlicet) *& orationibus.* Perseueret ergo Christi sectator, in digno & frequenti vsu S. Communionis: deinde in verbi diuini sedulo auditu: denique in liberali eleemosynarum erogatione: & habebit non solùm in vita oculos apertos ad cognoscendum Deum sibi præsentem & beneuolum, verùm etiam, ac maximè in articulo mortis, vbi aperientur eius oculi ad videndum Deum facie ad faciem.

FERIA TERTIA PASCHÆ.

Euangelium Lucæ 24.



N illo tempore, Stetit IESVS in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis: ego sum; nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis. Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.

CONCIONES.

I. *Reliquiarum SS. cultus comprobatur.*
II. *Quanto fructu audiatur S. Missa.*
III. *Explicantur ritus sacrificij Missæ.*
IV. *Noua Christi & Christianorum conuersatio post resurrectionem.*
V. *Schola memoriæ seu Quorum maximè debeāt meminisse Christiani.*
VI. *Ad pacem & concordiam quæ inuitent.*
VII. *Figura vita mortis Christi explicantur.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Mysteria.*

CONCIO I.

SS. Reliquiarum cultus comprobatur.

1. *Ex scripturis.*
2. *Ex vsu Ecclesiæ & traditione.*
3. *Ex ratione.*
4. *Ex mirâ Dei prouidentia.*
5. *Ex miraculis & virtute earumdem.*
6. *Ex punitione contemptorum.*

THEMA.

Sumens reliquias, dedit eis. Luc. 24.

MYsterium esse debet, quòd tam sedulò collecta sunt fragmenta seu reliquiæ panum & piscium, in vtroque illo conuiuio quod exhibuit Christus *Ioan. 6. & Marci 8.* Et quidem in hod. Euangelio cùm oblata ei esset pars assi piscis, & fauus mellis, inde comedit & *sumens reliquias dedit eis.* Mysterium igitur hoc esse debet. Quodnam verò illud? Fragmenta seu reliquiæ ciborum, sanctorum denotant reliquias. Cibus Christi, sunt viri sancti, quorum maiorem partem ipse comedit, cùm animas eorum sibi in cœlo vnit: reliquias verò seu viliorem partem, id est corpora eorundem in terris relicta seruis suis viuentibus donat. Has igitur sedulò vult à nobis asseruari Dominus, A.

ne

ne pereant, quia partes illorum ciborum sunt, de quibus ipse partem & quidem præcipuam comedit. At reclamant magnis vocibus Hæretici: volunt enim has reliquias proiici in cloacas, & cùm eas obtinere possunt abuciunt facto ipso: Scandalizantur etiam in nobis, dum eas nos veneramur. Sed quid ad nos? *Sinite illos, Cæci sunt & Duces cæcorum*, vt de Pharisæis in simili casu dixit Dominus. Nos hic ostendemus cultum & venerationem reliquiarum non solùm licitum sed & debitum esse.

B. I. Ex scriptura.

Ostenditur PRIMÒ: Ex scriptura. Nam imprimis 4. *Reg.* 13. legimus hominem mortuum, cùm proiectus esset in sepulchrum Elisæi prophetæ & tetigisset ossa eius, reuixisse & stetisse super pedes suos. Deinde nouimus ex Euangelio fimbriam Christi ab Hæmorrhoissâ tactam, proficuam ei fuisse contra fluxum sanguinis. *Matth.* 9. Aliis item quamplurimis infirmis. *Marci* 6. Adhæc legimus in Actis Apostolorum c. 5. Petri vmbram saluti fuisse ægris. Et *Actor.* 19. Pauli sudaria & semicinctia. Quòd si res externæ sanctis adhærentes istud potuerunt, & propterea magna contentione à Christianis quæsita fuerunt, cur non potius eorum ossa & reliquiæ? Vnde S. Chrysostomus *serm.* 35. *de virtut. & vitiis* ait: *Sicut virtus erat in veste Pauli & vmbrâ Petri ad sanandum ægrotos: ita in sanctorum cineribus ad expellendos dæmones*; &c. Rursum Moyses ex Ægypto discessurus honorificè secum asportauit ossa Iosephi, Exod. 13. Moysis verò corpus Deus ipse sepeliuit, Ex. di vlt. Vti aduersus Vigilantium argumentatur S. Hieronymus. Sic *curauerunt Stephanum* (post martyrium) *viri timorati*. Quâ de re Pius Papa sanctissimus & antiquissimus Martyr scribit ad Iustum Episcopum Viennensem, *Cura autem sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanum.*

C. II. Ex vsu Ecclesiæ & traditione.

SECVNDÒ, ex vsu perpetuo & traditione Ecclesiæ, Patrumque consensu. Nullum imprimis tempus assignari potest, quo primùm cœperit hic cultus, & anteà non fuerit in Ecclesia: semper enim fuisse legitur. S. Onesimi, discipuli S. Pauli Martyris reliquias legimus Romà Ephesum translatas. Martyrol. Ro. 16. Febr. S. Polycarpi discipuli Ioannis, item Martyris reliquias pio studio collectas à Christianis, Baron. an. 169. Aliorũ plurimorũ Martyrum sanguinem à S. Pudentiana & Praxede in domo patris sui (qui SS. Apostolorum Petri & Pauli hospes erat) in puteum qui adhuc Romæ videtur, expressum & collectum fuisse: Sedem S. Iacobi, primi Ierosolymorũ Antistitis diu honorificè asseruatam vti & alia sanctorum vtensilia, apud Niceph. l. 6. c. 16. Sedem S. Petri seruatam Romæ vsque hodie. Testatur S. Hieronymus in vita S. Pauli primi Eremitæ, quanti fecerit D. Antonius tunicam eius è palmarum foliis ab eo confectam, scribēs eum diebus solennibus tantùm Paschæ & Pentecostes eâ amiciri solitũ fuisse. Eandem S. Hieronymus cunctis Crœsi anteponit opibus. Theodosius iunior Imp. gloriosum sibi duxit, indui sago admodum sordido Episcopi Chebronensis *credens se aliquid ex defuncti sanctitate promereri*; ait hist. Trip. l. 11. c. 17. Cùm anno 594. Constantia Augusta in suo palatio Ecclesiã in memoriam S. Pauli ædificasset & ad eam cohonestandam à S. Gregorio Papa caput S. Pauli, vel partem corporis eius petiisset, respondit pontifex sibi multis de causis id minimè licere, quia corpora Apostolorum Petri & Pauli tantis in Ecclesia coruscant miraculis atque terroribus, vt neq; ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Addit se quid aliquãdo circa sepulchrum S. Pauli meliorare voluisse, & cùm præpositus loci illius ossa aliqua circa id reperisset & alio transferre præsumpsisset, subita morte defunctum esse. Idem contigisse sub decessore suo circa sepulchrum S. Laurentij; cùm enim sepulchrũ martyris ignoranter apertum esset, ij qui præsentes erant atque laborabant Monachi & mansionarij, quia corpus martyris viderunt, omnes intra decem dies defuncti sunt. Adhæc Romanis consuetudinem non esse quando reliquias dant, vt quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodò in pyxide brandeum mitti & ad corpora sanctorum poni: huiusmodi brandeum aliquando à S Leone Papa, cum de talibus reliquiis dubitarent Græci, forfice incisum, sanguinem stillasse. Subdit denique se imperatrici limaturam de catenis, quas ipse S. Paulus in collo & manibus gestauit missurum, si tamen inde aliquid per limam tollere queuerit: fieri enim frequenter vt aliquibus petentibus facilè inde aliquid resecetur: aliis contra nihil inde obtineri posse. Baron. Anno 594. Quanta in veneratione habuerit illas catenas Pauli S. Chrysostomus, ipse variis in locis testatur *Homil.* 8. *cap.* 4. *ad Eph.* ait: *Cuperem videre catenas illas, quas quidem verentur & horrent Dæmones, venerantur verò angeli.* Accedunt alia Patrum testimonia plurima omnibus sæculis. Reliquia Martyrum sub altaribus condi solitas scribit S. Ambrosius in exhort. ad Virg. Hieronymus contra Vigilant. Conc. Carthag. 14. Christianos coram iis adgeniculari solitos ait Tertull. *l. de pæ.* Easdem coli solitas testatur Athanasius in vita Antonij. Basilius *in Psa.* 115. & *orat. in* 40. *Mart.* & alij plurimi.

D. III. Ex ratione.

TERTIÒ, Ostenditur ex ratione. Primò. Quia sanctorum corpora erant organa Spiritus Sancti viua & voluntaria, in quibus & per quæ mirabiliter operatus est; erant eiusdem habitaculum: seruiebant spiritui ipsique Deo, & suam quodammodo exuta naturam, induebant angelicam & cœlestem. De corpore suo testatur Paulus se stigmata & mortificationem IESV in eo circumferre. Eadem in suo diuinitus expressa habuit S. Franciscus. Alij sancti miras in eo & per id virtutes exercuerunt, castitatis, temperantiæ, patientiæ, &c.

Secundò. Quia habent relationem ad compartes suas, animas iam glorificatas & in cœlo positas, & hæ obtutum in illa figunt, tanquam in re sumenda suo tempore, & tanquam in socios participes factos in tribulationibus &

meritis, futuros etiam in gloriâ & regno. Sic aulici Anglicani venerantur & circumsistunt venerabundi vacuam Regis sedem (in qua sedit & sessurus est non minus ac si Rex in ea de facto sederet. Itaque corpora & reliquiæ sanctorum repræsentant hîc in terris ipsos sanctos & illorum instar excubant ac quodammodo peruigilant pro nobis. Legimus *Gen.* 12. Ægyptios Abrahamo, cùm sublata esset eius vxor in domum Pharaonis ob formæ pulchritudinem benefecisse propter illam. Quando ergo nos intelligimus alicuius sancti animam sublatam esse à Deo in domum eius cœlestem propter eius sanctitatem: cur non & nos serui Dei honorem exhibeamus coniugi illius animæ, corpori?

3. Tertiò, Quia non tantùm sociæ eorum animæ in cœlo fulgent, sed & ipsa in die Iudicij glorificanda sunt cœloque inferenda. Decet ergo, vt etiam hîc honorificè habeantur. Sic regni alicuius designatus hæres, licèt nondum sit possessur, regio cultu honoratur. Sic vestes aliquando resumendæ & induendæ in nuptiis, mundo loco asseruantur.

4. Denique, quia tali honore, quem sanctis pro merito eorum impendimus, nosipsos admonemus ad insistendum vestigiis eorum & imitanda heroica facta. Dum enim hunc eorum honorem intuemur, cogitare incipimus; Ecce isti homines fuerunt humanis miseriis subiecti æquè ac nos, & tamen Deo adiuuante ad tantam sanctitatem & gloriam peruenerunt. *Tu non poteris, quod isti & istæ?* An verò isti in se hoc potuerunt & non potiùs in Domino Deo suo?

E. IV. Ex mira Dei prouidentia.

QVARTÒ, Ostenditur ex mirâ Dei prouidentiâ circa reliquias, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauidis Psal. 83. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Et ipse Christus: *Capillus de capite vestro non peribit.* Luc. 21. In veteri testamento reperimus Leonem Dei quidem iussu virum sanctum ingulasse, sed non comedisse de cadauere, nec asellū quidem eius læsisse. 3. Reg. 13. Multos sanctorum legimus post mortem viuis apparuisse & monuisse, vt honorificè alibi sepelirentur; vt Michæā & Habacuc Prophetas Sebenno Eleutheropoleos Episcopo; Zachariam Prophetam Calomero cuidam apud Sozom. *l. 7. c. vlt.* &c. S. Ioannes Baptista duobus Monachis in somno apparuit, ostendens quo loco caput suum altissimè defossum à ministris Herodis fuisset & maneret. S. Barnabas Apostolus Anthemio Salaminæ Episcopo, suum ostēdit corpus, Gamaliel Luciano presbytero apparens, vbi ipsius & S. Stephani ac Nicodemi corpora essent ostendit, monens vt producta decentiori loco sepelirentur. Corpus sancti Luciani cùm fuisset in mare proiectum, Delphines id exceperunt & ad littus aduexerūt, Christiani postea sepelierunt, apud Metaphr. Corpus S. Vincentij feris obiectum coruus defendit; idem in mare proiectum cum ingenti saxo ad collum appenso ad littus enatauit, vbi à pia fœmina in somnis monita conquisitum & sepultū est, Greg. Tur. *de glor. Mart. c.* 89. & 90. S. Stanislai Martyris corpus defensum ab Aquilâ idemque post concisionem mirabiliter redintegratum: S. Anastasij martyris à canibus seruatum, quibus deuorandum datum erat: S. Eadmundi corpus à Lupo. S. Floriani corpus protectum, ab Aquila. Victoris Mauri corpus feræ duæ, vna ad caput sedens, altera ad pedes sunt tutatæ. Corporum SS. 40. Martyrum combustorum cineres in flumen proiecti in vnum ad ripam confluxerunt & stellarum instar fulgentes se prodiderunt. S. Clementis corpus cùm in mare demersum esset, mare ad tria milliaria recedens, templum marmoreum detexit, in quo corpus eius conditum erat; idem mare postea quotannis in martyris festiuitate recessit & iter adeuntibus præbuit. Corpus S. Xauerij in calce sepultum, integrum & incolume permansit multis mensibus & adhuc nullà labe corruptum aut fœtore infectum Goam vsq; perlatum est. Et quis tandem recenseat modos & miracula, quibus Deus sanctorum reliquias seruauit & cohonestauit? Aliæ perpetuò incorruptæ permanent: aliæ oleum stillant: aliæ splendorem emisêre: aliorum corpora dissecta redintegrata fuêre: alia viuentium functiones præstabant: alia suauissimum odorem exhalabant. Quin & circa ea quæ Martyres quoquo modo contingebant, mira Dei prouidentia apparet. Catena Petri, quâ Ierosolymis vinctus erat, dum compararetur cum illa, quę Romę illū vinxerat, in manibus Pontificis mirabiliter connexa est, & vna ex duabus facta, vt S. Petri ad vincula Festum ostendit. S. Ioan. Chrysostomi corpus cum Imp. Theodosius ab Euxino Ponto Constantinopolim reduci imperasset, misissetque in eum finem aliquot è Senatu lectissimos: minimè potuerunt legati loco mouere S. tumbam. Tum Imp. per Epistolam veniam à Sancto velut per iniuriam à sua sede pulso, petens, misit iterum Legatos: ergo epistola pectori Pontificis imposita, mox vrna leuantium manibus cessit. Rader. *in Aula* 8. *c.* 13. Iam si Deus ipse tam miro studio cōseruauit & honorauit Sanctorum suorum corpora: nos ea non honorabimus?

F. V. Ex miraculis.

QVINTÒ, Ostenditur ex miraculis & virtute earundem. Inter innumera Primò: Pellunt dæmones teste non solùm experientiâ, sed & S. Chrysost. hom. 66. ad pop. cùm ait: *Sanctorum ossa Dæmones sistunt & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis.* Rursum tempestates sedarunt, morbos depulerunt, mortuos suscitarunt, pestem depulerunt, naufragium auerterunt. Scribit S. August. *l.* 22. *de ciuit. Dei c.* 8. non pauca eiusmodi miracula sibi contestata, velut, mulierem cæcam cùm flores tantùm ad reliquias S. Stephani obtulisset, & receptas oculis admouisset, repente visum recepisse. Plura alia refert S. Gregor. Turon. Inter alia *l.* 1. *de glor. Mart. c.* 6. refert Iustinum magicis præstigiis ac laruis mirè infestatum supposuisse capiti frænum Constantini, in quo claui Dominici vnius virtus intexta erat: & tertiâ vexationis nocte quietem recepisse. S. Chrysostomus

l. con.

l. contra gentiles, refert de sancto Babyla, eius reliquias dæmoni oracula reddere solito os obturasse, templum Apollinis euertisse & alia mira edidisse. Referunt Annales Francorum apud Baron. anno Domini 805. de Venatione Caroli Magni Vrsum miræ magnitudinis à venatoribus agitatum in S. Saluatoris irrupisse Ecclesiam & quasi ratione præditus fuisset, ad reliquias S. Gudilæ Virginis supplicem procubuisse, quasi ad asylum confugisset à strepitu insequentium; ac deinde feritatis oblitum venientium monialium vestigia lambisse ac more catulorum illis abblanditum esse, quasi hoc gestu indicaret, se patrocinio famulæ Dei defensum esse: ac deinceps apud easdem moniales non aliter vixisse, quàm ab illis iussus esset. Sed quid opus talia referre, cùm pleni sint horum testimoniorum libri? quotidiana etiam experientia apud Sanctorū tumulos variis in locis per vniuersum orbem? Quot ibi tabulæ, quot picturæ, quot armariola, quot monumenta receptarum sanitatum & aliorum beneficiorum meritis & interuentu Sanctorum ad reliquias eorum? Meritò eas S. Damascenus vocauit fontes salutiferos, ex quibus plurima ad nos beneficia manant suauissimumque vnguentum profluit, *l. 4. de Orthod. fid. c. 5.* Et quid contra hæc obiici potest? Si Deus ita voluit honorare sanctos, vt ad præsentiam corporum eorū tot miracula fiant, an nō hoc ipso vult vt eosdem veneremur & nos?

G. VI. Ex punitione contemptorum. Sextò, Ostenditur ex punitione eorum qui SS. Reliquias contēpserunt vel ignominiâ affecerunt. Inter quamplurimas literis fide dignissimis consignatas, celebris est illa Clodouæi regis Francorum punitio, qui cùm argenteam S. Dionysij tumbam tollere & pauperibus ob ingentem penuriam erogare vellet, sancti illius ossa minùs reuerenter contrectans, brachium auulsit. Vnde mox mente captus est & tāta aëris obscuritas in templo secuta, vt qui illic præsentes erant, omnes consternati fugerent. Ac licet rex brachium gemmis & auro condecoratum restitui iussisset, nunquam tamen ab insaniâ prorsus liberatus est. Bellefforet. *in Clodoueo 2.* Laziar. *l. 3. hist. c. 60.* Philippus itidem rex Galliæ, cùm moto in Petrum Aragonum regem bello, Gerundam cepisset, eius milites vi templis illata, sancti quoque Narcissi patroni illius vrbis sepulchrum diruperunt: sed inde egressa inaudita forma & magnitudine muscarum examina, magno impetu in multitudinem inuolantes, acutis & venenatis morsibus eam vulnerarunt vt intra paucos dies hominum plus quadraginta & equorum plus 24. millia interierint. Quin ipse Petrus Aragonum rex scribit in epistola ad Sanctium Castellæ regem ad 40. millia equorum periisse. Ex quo tristi euentu, ortum est prouerbium: *Musca S. Narcissi*: vt notat Baron. in Martyrol. 18. Martij. Surita *l. 4. c. 69.* Rursum cùm Caluinistæ in Gallia Turonis ossa S. Martini in ignem conieciſſent, ad internecionem cuncti à Catholicis miserrimè bis fuēre cōcisi, vt scribit Thom. Boz. *l. 23. de Sign. Eccl. c. 3.* Quod iidem nuper in Bohemia sunt experti, nam in octaua omnium SS. memorabili prælio cæsi & turpem in fugam acti, penitusque deuicti sunt, absque dubio in pœnam patrati facinoris, quo in templo Regio paulò ante Sanctorum reliquias impiè tractarunt, subsannarunt, combusserunt, &c.

CONCIO II.

Quanto fructu audiantur SS. Missæ.

Deuotè audientes Missā	*culis.*
1. Participant de valore eius.	*5. Prosperantur in temporalibus.*
2. 3. Accipiunt gratiæ augmentum & remissionem venialium.	*6. Impetrant efficaciùs quæ petunt.*
4. Præseruantur à peri-	*7. Muniuntur cōtra dæmonum infestationes.*

THEMA.

Mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? Luc. 24.

A. NOn possumus iam nos, Auditores, in terra adhuc constituti videre Dominum nostrum in ea visibili & gloriosâ specie, quâ apparuit discipulis; possumus tamen eundem intueri in alia, peregrino vestitum habitu in S. Eucharistia, quam commonstrant nobis sacerdotes dum sacratam hostiam ac calicem eleuant in Missâ, eo nimirum fine vt Christus ibi, verissimè præsens omnibus sit conspicuus. Atque hoc sufficere nobis pro hac vita debet ad parandum cordis gaudium, qui per fidem ambulamus illuc, vbi videamus Deum, per speciem, clarè scilicet & coram. Certè maiores nostri cum auditâ missâ reuerterentur domū, dicebant se vidisse Dominum, indeq; sibi gratulabantur & sperabant rerum suarum prosperus successus: ac si infaustum quid contigisset post neglectam Missam, culpabant mox se ipsos quod eo die in Missâ non vidissent Dominum. Quod etiamnum faciunt multi, pietati impensius addicti. Quare nunc videbimus quanti sint auditæ Missæ fructus.

B. I. Participant de valore Missæ. Qui deuotè audiunt Missæ sacrificium, Primò, participant de ipsius valore & efficacia, & quidem duplici ratione: Imprimis actiuè dum vnà cum sacerdote Missā Deo offerunt, velut Comites Legati ad Regē missi. Est enim Missa quasi legatio totius Christianitatis vel certè alicuius communitatis seu Ecclesiæ particularis ad Deum facta, vbi sacerdos est Legatus, populus eius comites; ideoque Celebrans ad oblationem calicis in sua & populi persona orat: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris*, &c. Adhæc minister Missæ totum populum repræsentat & ipsius nomine inseruit ac respondet sacerdoti. Qui ergo cum celebrante coniungit mentem suam, dicendo verbi gratiâ: Domine

Deus offero tibi per hunc Oratorem nostrum filium tuum, qui vtique multò plus tibi placet quàm displiceant peccata mea, haud dubiè & ipse missam offerre censebitur: sicut cùm vnius manu supplicatio multorum scribitur & offertur, omnium supplicantium sigillis communita.

Deinde etiam passiuè, quia non solùm ab ipsis, vt diximus, sed offertur etiam pro ipsis. Tametsi verò ex hoc capite prodest etiam absentibus Christianis in gratia constitutis, magis tamen præsentibus, quorum fit specialis commemoratio illis verbis: *Et omnium circumstantium*. Et quia sunt propinquiores Capiti suo, Christo, ideò magis de eo participant: sicut cùm multi offerunt munus Regi, præsentes magis respiciuntur quàm absentes. Doctissimus etiam vnaque religiosissimus Societatis Iesu Theologus Suarez *Tom. 3. in 3. p. d. sp. 79. Sect. 8.* censet assistentes missæ ex opere operato consequi proprium illius fructum, etiamsi sacerdos intentione suâ nullum eis talem fructum applicet: præsertim verò eos, qui Missas dici faciunt, vel ad eas dicendas sacra, vasa, &c. subministrant.

C. II. Accipiunt gratiæ augmentum. SECVNDÒ, Consequuntur gratiæ & virtutum augmentum, præcipuè verò fidei, Charitatis & religionis, quæ sunt magni meriti. Ratio ex suprad. colligitur, quia partim ab ipsis, partim pro ipsis Missa offertur, ac proinde impetrat eis speciales gratias. Si enim Booz ille videns Ruth tam sedulò sectari vestigia messorum suorum & colligere in agro spicas, præcepit seruis suis vt de industria proiicerent manipulos, quos illa colligeret, nec non vt messorũ mensæ accumberet: (Ruth, 2.) non dubium quin Deo quoque valdè placeat, si nos videat sectari gnauiter vestigia sacerdotum & de S. Missæ agro, vel, vt vocat spōsa Cant. 6. de *areola aromatũ* passionis Christi, legere quasi spicas. Non dubium quin talibus, qui Missæ participationem quęrunt, adiiciat præ aliis gratiarum aliquot manipulos. Si enim Chananæa teste & *catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensis Dominorum* cur non & homines mensæ Dei in sacrificio crebrò assistentes & micas exposcẽtes? Atque hinc tam sancti euaserũt, qui à pueritia se assuefecerunt ad Missam quotidie audiendam, vti S. Eduardus Angliæ, S. Ludouicus Galliæ, S. Wenceslaus Bohemiæ Reges, & S. Elzearius Comes Ariani, Thomas Morus & alij. Toties enim accepto gratiæ & virtutum augmento ad perfectionis apicẽ veramq; sanctitatem tandem peruenerunt. Quantum laborum, curarum, periculorum, fastidiorum suscipiunt Aulici, quo augmentũ aliquod stipendij, præfecturam vel promotionem aliam à Principe obtineant? Quàm sedulò ad aulam comparent & assistunt principi? quàm se illi insinuant; quàm ad gratiam eius loquuntur! At quanto faciliori labore possemus nos acquirere gratiæ, quæ æternæ glorię pignus est, auctarium adeoque ingentem in cœlo promotionem, si modò Regi nostro in Missâ crebrò & deuotè assistere vellemus? Pa:ũmne hoc esset, si tibi habenti ius ad comitatum, adderetur gratia vt haberes ius ad principatum? Plus est quod obtinemus, cùm gratiæ augmentum capimus.

D. III. Obtinent remissionem venialium. TERTIÒ, Remissionem venialium peccatorum obtinent, nec non pœnarum temporalium, pro cuiusque deuotione. Quin & Concilium Tridentinũ *Sess. 22. c. 2.* ait huius oblatione Dominum gratiam & donum pœnitentiæ concedere, peccata etiam ingentia dimittere; dispositiuè intellige, excitando ad contritionem. Quod hinc confirmari potest. Primò, si Iudæi è monte Caluariæ reuertebantur percutientes pectora sua: quid mirum si in sacrificio Missę gratia conuersationis quibusdam impertiatur? Idem enim Christus & in isto immolatur, tametsi incruento modo. Deinde hoc sacrificium magis repræsentat Christum Crucifixum, quàm serpens ille æneus in perticâ exaltatus; siquidem hîc Christus reuerà immolatur, non in figura vt ibi. Atqui illius serpentis aspectus ignitorum serpentum morsus sanabat: eccur ergo nō deuota passionis Dominicæ in Missa repræsentatæ meditatio & veneratio sanare possit morsus peccatorum? Denique si vmbra Petri vim habuit sanandi ægros, qui cum affectu & fide eam tetigissent, quid mirũ si & Missæ, quæ adumbratio & quædam replicatio passionis Dominicæ est, tribuamus vim sanandi morbos animi? Quanquam eo affectu, fide & fiducia adesse oportet Missæ, si hunc effectum consequi volumus, quâ Hebræi & serpentem aspexerunt & vmbrā Petri subierunt. Scripsere Patres Societatis in literis annuis ex Franciæ Prouincia, in Bituricâ infantulum hærentem matris vberibus clara voce exclamasse: *Missam, Missam*; (quam Hæretici ibidem exterminarant & cane peius oderant) Ea re permota mater puerum ad Catholicorum templum & Missam detulit, dumque ibidem concioni interest, repentè immutata, eiurata hæresi ad fidem rediit. Iam verò pœnarum etiam temporalium magnam partem pro cuiusque deuotione remitti frequentantibus hoc sacrificium, quis dubitet? Si enim Ninus Assyriorum Rex quibuscunque reis ad statuam patris sui Beli confugientibus veniam dedit & pœnas remisit: Itemq; postea gentiles alij confugientibus ad statuas Deorum & Asyla; quomodo non cœlestis pater remittat pœnarum debita iis, qui ad filij eius altare recurrent? Iam verò quis non malit per horam adstare altari & audire Missā, quàm vri in purgatorio? Mirum est quod in aliis negotiis tam delicati sumus, in solo negotio animæ tam in nos crudeles. Cùm enim sciamus peccata expianda tēporalibus pœnis, & vt plurimùm purgatoriis: cur eas nō redimimus tā facili pretio?

E. IV. Præseruantur à periculis. QVARTÒ, Præseruantur sæpe à periculis. Nō enim patitur se vinci ab homine Deus: si ergò primo mane, vel singulis diebus cùm potes, cōtendis vt sis cum Deo, eum videas, ei assistas: ne dubita, contendet etiam Deus vt ipse tecũ sit, tibi assistat, teque comitetur in omnibus viis. Vade toties in Missâ dicitur: *Dominus vobiscum*,

biscum, scilicet per auxilium & protectionem. Videtur huius rei figura fuisse lucta illa Iacobi cum Deo, id est, angelo Dei, *Gen.* 32. Dum enim retinet angelum sanctâ quadam audacia nec dimittere vult, ab eodem benedicitur & confortatur, vti securè & intrepidè pergere audeat ad fratrem Esau, alioqui sibi infensum. Vnde ait: *Vidi Dominum facie ad faciem & salua facta est anima mea*, id est, liberatus sum à metu fratris, vt exponunt S. Chrysostomus & Lipō. Idque ei contigit; humanissimè enim à fratre acceptus est, quem hostem metuebat. Modò Sacrificium talis quędam lucta est, in quâ detinemus in terrâ Dei filium, quamdiu in altari tractatur: donec ab eo benedici mereamur. Igitur non dubium quin suam benedictionem impertiat nobis Deus adsitque in periculis suâ protectione. Atque hinc viri pij negotia & itinera difficilia auspicari solent cum sacrâ Missâ. Innumera sunt exempla. Primò, Hieronymus Mengus refert apud Pinellum *l.* 2. *de Missa c.* 3. duos socios simul ad venationem profectos quorum vnus tantùm eo die Missam audierat: cumque essent in aperto campo subito exortâ tempestate, vox per aërem supra illos insonuit: *Occide, occide*. Et ille quidem qui Missam nō audierat, fulmine tactus repente concidit. Quo spectaculo territus alter huc illuc discursans iterū vocem audiuit? *Occide, occide istum*. Cumque miser iste nil præter fulmen expectaret, aliam audiuit vocem dicentem: *Non possum, quia hodie audiuit: Verbum caro factum est*. Sicque euasit. Ibidem refertur de Capitaneo Ducis Galeatij, quem continuò persequentes inimici lædere non potuerunt, quo die Missam audierat: vnâ tandem die, quâ id prætermisit, occiderunt. Itē ex Chronicis S. Francisci *l.* 8. *c.* 28. de iuuene innocente erepto è fornacis periculo, beneficio Missæ. S. Eduardus risit sub Missâ, dum vidit in Spiritu submergi in mari Regem Danorum contra se mouentem & nauim inscendentem, vt in vitâ eius. Ioannes Dubrauius apud Sur. *in vitâ S. Venceslai c.* 15. scribit aurigam quendam impiæ Drahomiræ Boleslai regis nutricis, persecutricis pessimæ, fortè audientem pulsari in vicino templo ad Eleuationem, è curru descendisse ad videndum & adorandum Domini corpus: execrante eum Drahomirâ, & interim à terrâ absorptâ cum curru & sociis.

F. V. Prosperantur in temporalibus. QVINTÒ, Prosperantur in temporalibus, vel eorū loco cumulantur bonis spiritualibus, ita vt suam paupertatem hilari ferant animo, non commutaturi cum diuitiis. Non enim fefellit nos Dominus, cùm dixit: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Nec credendum est obliuisci Dominū eorum, qui in ipsius occupantur obsequio, ita vt eis non suppeditet saltē necessaria: quando nec paterfamilias aliquis obliuiscitur seruorum & operariorum suorum. Sanè Christus *Marci* 8. numerauit dies illos, quibus eum causâ verbi diuini sectatus erat populus: *Misereor super turbam*, inquit, *quia ecce iam triduo sustinent me nec habēt quod manducent*. Prouidit igitur illis cibum per miraculum, ita vt superesset, quod erogari etiam in pauperes posset. Huius rei duo exempla refert Pinellus lib. 2. de Missa c. 3. ex serm. Discipuli. Alterum de duobus sartatoribus vicinis, quorum alter in omnibus prosperabatur & abundabat; alter admodum laborans etiam festiuis diebus semper egebat & patiebatur. Rogatus igitur ille ab hoc, vnde ei tanta foret prosperitas, respondit se ei craftino id monstraturum. Socium ergo abducit ad Missam manè altero; similiter altero & tertio die, rursumque ad labores domum ire iubet. Tum hic: *Viam amitte*, inquit, *ad templum antea sciui, & Missam non ignoro: hoc quæro: vnde tanta tibi prosperitas?* Tum alter: *ex Missâ*, inquit, *opinor, secundum illud Christi: quærite primùm regnum Dei & reliqua omnia adijcientur vobis*. Quare statuit ille deinceps Missam quotidie audire & sic ditatus est. Alterum de operario, qui, quòd Missam die quodam audisset, seriùs ad forum veniens nec inueniens qui eum conduceret, domum tristis redijt, nesciens quomodo eo die familiā aleret. Cui domo egresso occurrit diues quidam rogans cur non laboraret: respondit hic quod erat: subdit diues: *Si reuersus ad tēplum pro me oraueris soluam tibi mercedem integrā*. Orat ille, soluit iste. Redeunti domū operario occurrit quidam Senex dicens: *Redi ad diuitem & dic, nisi plus dederit malè illi cessurum*. Hocque iterato dixit. Obsecutus diues, cui postea noctu Christus dixit, eum damnandum fuisse, nisi dedisset, quod petitum erat. Hispanus quidam Capitaneus, Paschalis Viuas, dum contra Mauros decertare deberet, & armis indutus in tēplo Missas pro more audiret, persistens quoad omnes absoluerētur; visus est interim in prælio acriter decertare & vexilliferum occidere ac causa victoriæ esse (sicut & in armis & equo eius apparuerunt vulnera & ictus, quasi reuera prælio interfuisset) cùm tamen in prælio non esset: angelo nimirum pro eo pugnante. Olor. *tom.* 4. *Conc. de Missæ sacrificio*.

G. VI. Impetrant efficaciùs quæ petunt. SEXTÒ, Impetrant efficaciùs ea, quæ in oratione petunt. Ille enim fortes & efficaces facit preces suas, qui munus præmittit: Sacrificium autem est munus Deo gratissimum. Hoc pacto Iacob placauit fratrem Esau, & inuenit apud eum gratiam, quem ab vtero matris offensum semper habuerat: muneribus scilicet præmissis, *Gen.* 32. Hoc pacto non difficilè impetrarunt Gabaonitæ vitam & securitatem à Iosue, *Ios.* 9. quam nemo alius impetrare facilè potuit. Quomodo igitur non faciliùs impetrabitur à patre, quod petitur, si idē in Sacrificio placetur munere Filij sui? Id autem offert non Sacerdos tantùm, sed & audiens vt supradictū. Exemplum præbet sanctus Theodorus Archimandrita, qui in loco Mazanitæ contra ingens locustarum agmen, supplicationē in agros instituerat, & cùm earum tres captas oratione peremisset in manibus, in Ecclesiam cum populo reuersus Sacrificium peregit: quo facto sequenti die locustæ omnes mortuæ sunt inuētæ. Vt in eius vita apud Sur. 22 Aprilis. Stupēdum etiam quod refert Beda l. 4 *hist. Angl. c.* 22. de Tuma Sacerdote, qui pro Germano suo Huma,

ma, quem mortuum putabat & in prælio cæsum, dum sacrificabat ferrea fratris vincula, (quia captiuus erat) sponte soluebantur. Denique Ecclesia in omnibus suis calamitatibus placare Deum sacrificio Missæ semper in more habuit.

H. VII. Muniuntur contra Dæmonũ infestationem. SEPTIMÒ, Muniuntur contra maleficia & Dæmonum infestationes. Quis enim dubitet Dæmonibus infestã esse & amaram victoriæ illius repræsentationem, quâ ipse debellatus est? Missa Christi triumphus est, in quâ victus traducitur dæmon, iuxta id ad Col. 2. *Expolians* (Christus) *principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Nam vt aduertit in hunc locũ Theophylactus, diabolus nihil magis conaretur, si liceret, hominibus persuadere, quàm Christum mortem non obiisse, hominem scilicet innocentem: vnde & hæreses circa hôc plures excitauit. Nihil enim vnquam adeò eum confudit, quàm quòd vnius innocentis morte victus ipse sit; *Quemadmodum si Athleta*, inquit Chrysostomus hom. 6. in ep. ad Coloss. *cùm aduersarium suum secum prostrauisse putat, lethalem plagam acciperet.* Iam verò vbi quæso magis & veriùs traducitur victus tam turpiter dæmon, coram toto mundo, quàm in Sacrificiu Missæ, vbi passio & mors Christi toti mundo palam ostenditur? Vnde *fatentur hodie malefica*, inquit Mart. Delrio l. 6. disquisit. c. 2. f. 3. q. 3. *se dum Missam audiunt, ab omni dæmonis vexatione liberas esse.* S. Bernardus sub Missæ sacrificio mulierem à dæmone liberauit l. 2. vitæ eius c. 3. S. Petrus Tarantasius Abbas aliam mulierem Missę interuentu à maleficio expediit; apud Surium 8. Maij. c. 23. S. Augustinus refert lib. 22. de ciuit. c. 8. rogatum aliquando suorum presbyterorum aliquem vt in domo dęmonibus infestã Hesperij viri tribunitij, Missam diceret: dixisse, & infestationes cessasse protinus.

Quando igitur vidimus, quantum boni sit videre in Missâ Dominum, superest vt nos maiore imposterum conatu quæramus hunc illius conspectum. Vanissimus ille Herodes *gauisus est viso Domino*, sed ex vanâ curiositate. *Sperans aliquod signum videre ab eo.* Non ita nos, Auditores: non speremus ex auditu Missæ miracula, non fluxa & transitoria bona. Sufficiant nobis spiritualia, & ordinaria Dei beneficia: quæ procul dubio nobis dabuntur, & si Deo visum fuerit, cætera adiicientur.

CONCIO III.

Explicantur ritus Sacrificij Missæ.

Exponitur Missa dupliciter. { 1. *Prout repræsentat totam pene vitam Christi.* 2. *Prout solã Passionem.* }

THEMA.

Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Luc. 24.

A. IN libro Abacuc c. 2. præcepit DEVS Prophetæ, vt visionem sibi ostensam scriberet maiusculis literis in tabulâ, ita vt omnes qui scripturã intuerentur facilè legere & intelligere possent. *Scribe visum*, inquit, *& explana eum super tabulam, vt percurrat qui legerit eum*: seu (vt Chaldæus transfert) *vt festinet ad sapientiam assequendam quicunq; legerit.* Quo loco Prophetice insinuatur Ecclesiæ, vt vitam Christi ita fidelibus describat, quò eam sæpe ante oculos habere & facilè intelligere adeoque sapientiam consequi possint. Id quod ipsa facit in Sacrificio Missæ, vbi totam Christi vitam ita populo repræsentat & tã claris cęremoniis quasi maiusculis literis describit, vt nemo non facilè intelligere & inde sapientiam consequi possit, si modò aduertere velit. Vereor tamen ne adhuc multi sint, qui scripturam hanc non intelligant & de vitã Christi parum vel nihil sciant: Itaque ne quis sese excusare queat scripturam hanc exponemus. Seruator noster Christus, qui in hod. Euangelio aperuit sensum discipulis suis vt intelligerent scripturas, aperiat etiam sensum nostrum, vt scripturã hanc intelligamus.

B. I. Repræsentat totã penè vitam Christi. Duplici ratione exponere Missam possumus vel applicando eam ad totam Christi vitam, vel ad solam eius Passionem. Quod attinet ad primum tria sunt præcipua vitæ Christi tempora; ab incarnatione ad passionem; ab hac ad Resurrectionem; ab illa ad Ascensionem. Primum repræsentatur ab initio Missæ vsque ad Canonem. Secundum inde ad hostiæ in calicem immissionem. Tertiũ inde ad finē.

1. Crux in Introitu. Itaque Primò Sacerdos in Introitu signat se signo sanctæ Crucis, quia Mysterium Crucis, etsi executione est vltimum vitę Christi, est tamen intentione primum.

2. Psal. Iudica. Deinde stat ante altare velut ante SS. Trinitatis tribunal quasi Aduocatus Generis humani & incipit Psalmum *Iudica*, qui denotat consilium SS. Trinitatis de redimendo hominum genere. Prior pars psalmi continet querelam generis humani dicentis: *Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta*, (Dæmonem sc.) *Quia tu es Deus fortitudo mea* (id est satis fortis ad liberandum) *quare me repulisti? Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me adduxerunt.* Sequitur statim in altera promptitudo filij, quã se ipsum offert in redemptionem: *Introibo ad altare Dei*; idque tertiò replicat, quia sponte & promptissimè se obtulit, prout etiam indicatur Isa. 6. *Quem mittam*, ait SS. Trinitas, *& quis ibit nobis? Ecce ego mitte me.* Sequitur: *Gloria Patri*, &c. quasi Conclusio SS. Trinitatis affirmatiua.

3. Confiteor. Statim ergo inchoat *Confiteor*, & dicit: *Mea culpa*, &c. quia extunc posuit DEVS in Christo iniquitates omnium nostrum. Hinc etiam inclinatus orat, sicuti Camelus dum oneratur à domino suo, incuruatur interim & flectit genua. Exinde de culpis nostris nõ aliter loquitur ac de suis. Aspice hic Isaacum *Gen. 22.* cui pater imposuit ligna, cum immolaturus.

Introitus. Itaque accedit ad altaris medium, id est, mũdi huius; & osculatur altaris mappam, hoc est, salutat Mariam Virginem per Angelum Gabrielem iuxta id sponsæ *Cant. 1. Osculetur me osculo*

osculo oris sui. Ibi modicû orat quasi responsum à Virginis expectans: deinde quasi eo obtento vadit ad cornu altaris lecturus *Introitũ*, hoc est, vterum Virginis ingreditur per incarnationē.

5. *Kyrie eleyson.* Post hæc dicit *Kyrie eleyson* nouies repetitum, gratulationes nouem Angelicorum ordinum, vel nouem menses significat, quibus in vtero matris gestabatur.

6. *Gloria.* Iungit manus & incipit *Gloria*, inclinato capite, quia raro Christo *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: Iustitia & pax osculata sunt: veritas de terra orta est*. Inclinat caput, quia reclinatus est in præsepe. Chorus hymnum prosequitur, quia subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantiû DEVM, &c. Canit autem: *Et in terra pax hominibus*; ecce coniunctas manus, DEI nimirum & hominum. Finit hymnum cum signo crucis, quia gaudiũ illud natalitium mox subsecuta Crux, Circumcisio videlicet & fuga Herodis Oblatio quæ interim fit ad altare, munera trium Regum significat.

Oblatio.

7. *Dominus vobiscũ.* Dominus vobiscum, verso ad populum corpore dicit in personâ Ioannis Baptistæ Christum annunciantis & dicentis: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis*, &c.

8. *Oratio.* Discedit ad latus & orationes legit alta voce, quia pro toto humano genere Christus orabat (vnde dicitur Collecta, Oratio scilicet totius populi) quando discedens in desertum & similia loca, *erat pernoctans in oratione*, vt dicitur Lucæ 6. Eleuat in oratione manus instar Moysis *Exod*. 16. in signum efficaciæ orationis suæ; si enim vincebat Israël, quamdiu eleuabat manus Moyses, quantò magis efficax fuit oratio Christi?

9. *Epistola. Graduale.* Canitur Epistola, id est, prædicatio Ioannis tacente adhuc Christo & quodammodo latente. Illam sequitur Graduale, quod est pœnitentiæ lamentum, significans pœnitentiam quam is prædicabat. Hancque Alleluia, id est spiritualis lætitia audientium & pœnitentium, quæ Sacerdos interim legit, quia tunc ieiunauit Christus in deserto & Diabolum vicit. Puer librum reportans significat post deuictum Dæmonem Angelos accessisse & ministrasse ei. Vel liber defertur à dextro latere ad sinistrum, vt notetur Euangelium, quia à Iudæis repellebatur, translatum esse ad Gentes, quæ respectu Iudæorum ad sinistram Dei erant. Circa finem tamen refertur iterum ad dextrum, quia circa finem mundi iterum prædicabitur Iudæis Euangelium & multi conuertentur.

Alleluia

Libri mutatio.

10. *Reditus ad mediũ altaris.* Redit Sacerdos à loco Epistolæ ad medium altaris & inde ad cornu Euangelij legendi seu cantandi, denotans Christi regressum ex deserto in Galilæam ad faciendum initium prædicationi *Luc*. 4.

11. *Euangelium.* Canit Euangelium, quia tunc publicè prædicabat. In sinistra parte altaris, quia venit vocare peccatores, nõ iustos. Consignat se ad initium eius in fronte, ore & pectore, vt corde id credamus, ore confiteamur, frõte nõ erubescamus: Manibus eleuatis, quia cœpit IESVS facere & docere, vel quia prædicationi miracula iunxit; id quod Baptista non fecit; vnde ad Epistolam manus non eriguntur. Campana pulsatur ad Euangelium, quia in omnem terram exiuit sonus eius. Feruntur luminaria, quia ipsum est vera lux mundi. Thus additur ad differentiam prædicationis Ioannis: Christi enim Euangelium longè efficacius fuit; quia gratiam adduxit, nec aures tantùm implere, sed etiam corda flectere poterat; thus ergo suauitatem gratiæ Euangelij significat. In fine osculatur Euangelium, quia solo amoris impulsu mundo euangelizauit.

Credo significat fructum Euangelij, Apostolos & alios ad Euangelium accurrentes, idque passim diuulgantes; vnde Sacerdos incipit, quia fides à Christo prædicari cœpit, populus subsequitur, velut præco Euangelij. Recitat id in medio, quia Euangelium prædicabitur toti mundo: manibus eleuatis, quia fides operibus iungenda. In fine signat se signo Crucis, quia crux tollenda & toleranda est omni fideli. Recitat alta voce, quia fides palam & intrepidè profitenda. 12. *Credo.*

Legit Offertorium, quia Christus suam passionem Discipulis prædixit antequã pateretur: *Ecce ascendimus Ierosolymam*, &c. Exponit vasa oblationis, quia prædixit eis speciatim: *Filius hominis tradetur, flagellabitur, conspuetur, crucifigetur*. Cantat interim chorus Offertorium, quia Iudæi interim inierunt consilium quomodo IESVM *dolo tenerent, & occiderent*. Abhinc aliquamdiu secretò orat vt repræsentet tẽpus, quo post suscitationem Lazari iam non palã ambulabat apud Iudæos, quia cogitabant eum interficere, sed abiit in ciuitatem Ephrem & ibi morabatur cum Discipulis. Oblatio quæ interim ad altare fit, significare potest liberalitatem Magdalenæ quæ in domo Simonis effudit super caput Christi vnguentum pretiosum. 13. *Offertorium.*

Offert panem & vinum: quia sciens appropinquare tempus Passionis, ad eam se paratum exhibet, eamque vt vicinam desiderat, ita vt nisi ipsemet vellet, nemo ei nocere posset; vnde ipse sibi infundit calicem, quem sponte bibere voluit. Aquam vino miscet, quia genus humanum sibi vnit, vt quod ipse per crucem meruit, nobis etiam prosit. Lauat manus, quia circa id tempus sæpius innocentiam suam Iudæis contestatus est: *Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis*? Ioan. 7. *Quis vestrûm arguet me de peccato*? Ioan. 8. Secretas deinde preces aliquas recitat, quia ante passionem suam in hortis secretò orare solebat. 14. *Oblatio panis & vini.* *Lotio manuũ.*

Præfatio quam canit vel legit clarâ voce significat Ingressum in Ierusalem triumphalem & publicum. Sanctus & Benedictus à choro decantatum, canticum victoriale puerorum est & aliorum Christo obuiantium. Pulsus tintinnabuli commotionem ciuitatis notat, quia ad ingressum eius commota est vniuersa ciuitas dicens; *Quis est hic*? vt habetur *Matth*. 21. 15. *Præfatio.* *Tintinnabulũ.*

Factâ præparatione ad consecrationem, facit subinde multas cruces, quia in vltimã cœnâ 16. *Cruces super oblata.*

nâ passionis suæ meminit. Postea simili ritu consecrat panem & vinum, quo in cœnâ vsus fuit. Deinde flectit ante sacramentum genua, vt denotet orationem in monte oliueti.

17. *Ioh 19.10.* Mox sequitur Eleuatio corporis Domini, ad crucem, intellige, præcipitem & abruptam eius condemnationem. Calicis Eleuatio, sanguinis effusionem in cruce signat Septem verba inter Eleuationem à sacerdote dici solita se. *Hæc quotiescunque feceritis in mei commemorationem facietis*, totidem Christi verba in cruce significat. *Campanula.* Pulsatur interim campana vel tintinnabulum ad significandum terræ motum aliaque prodigia, quæ tunc contigêre & toti orbi patefacta sunt. Et quemadmodum S. Birgitta scribit, tunc omnium hominum corda inuasit quidam horror, licèt nescirent, vnde is proueniret. *Lumina.* Accenduntur lumina vt recordemur fuisse tenebras circa meridiem super vniuersa terram. *Quinque cruces.* Facit quinque cruces super calicem ad designanda quinque Christi vulnera. *Tunsio pectoris.* Percutit pectus suum clarâ voce dicens: *Nobis quoq; peccatoribus*; vt repræsentet Centurionem & populum agnoscentem Deum & percutientem pectora sua. *Memento, &c.* Dicit: *Memento etiam Domine*, in signum eius, quod dixit bonus latro: Memento mei Domine, &c. Remotio velaminis à patenâ, & humeris subdiaconi velum templi scissum refert. Discooperitur subinde calix: quia & sepulchra aperta in morte Christi. Species Panis & Vini ab inuicem separatæ mortem Christi repræsentant & sanguinem eius effusum.

18. *Oratio Dominica, &c.* *Pater noster* clarâ voce lectum vel cantatum petitionem Iosephi ab Arimathiâ significat, quâ *accessit ad Pilatum audacter & petijt corpus Iesu*, vt dicitur *Marci* 15. Oratio subsequens secreta: *Libera quæsumus, &c.* iuncto signo crucis ante pectus facto cum patena Depositionem Christi de cruce. Patena deinde supponitur Corpori Christi, in signum sepulturę eius. Deinde profundè inclinatur sacerdos, quia Christus descendit ad limbum. Postea detegit Calicem in signum reuolutionis lapidis à sepulchro. Fractio hostiæ in tres partes significare potest Ecclesiam Christi, tunc diuisam in Triumphantem (Patres sc. è limbo ereptos) Purgantem & Militantem.

19. *Pax Domini.* Particula sacræ hostiæ in calicem immittitur in signum Resurrectionis Domini, in qua corpus cum sanguine & animâ Christi rursum vnitum fuit. Additur *Pax Domini*, cum signo crucis, quia pacem Christus resurgens precatus est Discipulis. Diaconus flectens expectat Pacis osculum à sacerdote velut Thomas à Christo contactum cicatricum. *Agnus Dei.* Dicitur *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*: quia tunc dedit Christus Apostolis potestatem remittendi peccata.

20. *Sumptio.* Per sumptionem Corporis & sanguinis Domini Ascensio designatur, siquidem per eam ab oculis nostris tollitur. Fit crux cum hostia & calice in sumptione, quia ascendit Christus suis benedicens. Postea sumit etiam vinum & aquam, quia Angeli & patres Christũ comitati sunt. Deinde vadit ad dexteram altaris, quia sedet ad dexteram Dei. Dicit *Dominus vobiscum*; quia discedens ait: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Orationes subsequentes, vota Discipulorum & cæterorum fidelium notant, qui ascensioni interfuerunt, in cœlum aspiciebant & abeuntem sequi desiderabant, vti imprimis B. Virgo. *Ite missa est*, vocem Christi vltimam, quâ Apostolos suos misit in vniuersum mundum, prædicare Euangelium: significat & reuersionem Discipulorum in Ierusalem; vel cùm Diaconus id cantat, notat Angelos dicentes: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Placeat*, dicitur in signum fidelium, qui spiritus sancti Aduentum expectabât. Benedictio à sacerdote plebi exhibita missionem spiritus sancti notat. Sancti Ioannis Euangelium, in fine Missæ, prædicationem Euangelij in vniuerso orbe per Apostolos factam. Circa illius finem dicit flexis genibus: *Et Verbum caro factum est*, quia in fine mundi Christus Iudex ab omnibus adorabitur. Eo finito recedit ab altari & intrat in sacrarium, quia Christus suos electos post iudicium secum ducet in cœlum.

C. II. *Repræsentat solam Christi passionem.* Quod attinet ad secundum: Ad confessionem cogita ingressum Christi in hortum oliueti & orationem ad patrem. Introitus deductionem eiusdem in vrbem ad Annam. Reditus ad altaris medium deductionem ad Caipham tibi repræsentat.

Ad Kyrie eleison nonies repetitum cogita nouem genera iniuriarum, quas accepit in domo Caiphæ. Prima, alapa ministri. Secunda, falsa accusatio. Tertia, iniqua condemnatio, quâ condemnauerunt eum omnes reum mortis. Quarta, Petri abnegatio. Quinta, expuerunt in faciem eius. Sexta, velauerunt faciem eius. Septima, colaphis & alapis eum cæciderunt. Octaua, palmas in faciem eius dederunt. Nona, illuserunt ei dicentes: *Prophetiza nobis quis te percussit?*

Ad Gloria in excelsis cogita Galli cantum. Ad hymni prosecutionem Petri lachrymas.

Ad Dominus vobiscum & transitum ad cornu altaris cogita deductionem Domini ad Pilatum.

Ad Epistolam perpende accusationem Iudæorum.

Ad Graduale & Alleluia, responsionem Pilati ad Iudæos & Christi interrogationem. In reditu ad altaris medium, vbi sacerdos secretò inclinatus orat, abductionem Domini ad Herodem, vbi tacuit & illusus est. Ad Euangelium, reductionem ad Pilatum.

Ad symbolum eiusque prosecutionem, quæ à Choro fit, intellige Pilatum apprehendisse Christum & flagellasse: Milites verbera prosecutos. Dum genu flectitur in medio symboli, adorationem ludicram cogita à militibus factam sub Christi coronatione. Dum salutat populum: *Dominus vobiscum*: cogita produci Christum ad populum à Pilato dicente: *Ecce homo.*

Ad Offertorium dum offert hostiam & calicem, audi Iudæos clamantes: *Tolle, Tolle*: Dum

crucem

crucem facit super oblata, audi Pilatum adiudicantem fieri petitionem eorum.

Ad manuum lotionem, cogita Pilatum manus lauantem ac dicentem: *Innocens ego sum*, &c.

Ad inclinationem, conuersionem ad populum & orationem, cogita Christum suscipere in se crucem & duci ad montem Caluariæ. Ad præfationem alloqui mulieres: Ad Canonem, ascendere montem; dum fiunt quinque cruces super oblata, cogita affixionem Christi ad crucem.

Ad Eleuationem, cogita erectionem crucis & crucifixi. Cymbali sonitus terræ motum tibi repræsentat.

Ad quinque signa crucis super oblata, cogita quinque dolores crucifixo accedentes ex latronis blasphemia, ex militibus sortem mittentibus; ex Principibus & cohorte illudentibus; ex fellis potatione; ex Matris præsentiâ, vt impleretur illud; *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*.

Ad Orationem Dominicam, cuius septem sunt petitiones, cogita septem Christi verba.

Ad patenæ osculum, intellige gustationem aceti eidem porrecti. Dum ad terram incuruatur sacerdos: cogita quia Christus inclinato capite tradidit Spiritum.

Ad fractionem hostiæ cogita mortem Christi, separationem scilicet corporis & animæ. Depositio hostiæ super corporale descensum animæ Christi ad inferos tibi ingerit. Demptio particulæ, vulnus lateris: Eiusdem immissio in calicem, depositionem corporis de cruce.

Ad Pacis precationem, cogita pacem quæ tunc facta est inter DEVM & hominem: per hostiam oblatam, & quam Christus in limbo patribus attulit.

Ad *Agnus Dei*, cogita Patrum gaudium, de eius aduentu in limbum. Ad tunsionem pectoris, Iudæorum pœnitentiam, qui percutientes pectora sua reuertebantur.

Ad Pacis osculum cogita patrum ereptionem è limbo & beatificationem. Communio, sepulturam Christi; Iterata infusio vini in calicem, resurrectionem: *Dominus vobiscum*, salutationes eiusdem factas ad mulieres & Discipulos: Postcommunio colloquium & conuersationem eius cum Discipulis vsque ad Ascensionem denotat. Ad vltimam salutationem, seu *Ite Missa est*, cogita missionem Apostolorum & vltimum vale: *Ecce ego vobiscum sum*, &c.

Ad benedictionem, Missionem spiritus sancti.

Hæc sunt ferè, quæ in Missâ expendenda veniunt, quæ si crebrò & attentè cogitaremus, veram vtique sapientiam consequi possemus. Refert Henricus *instit. inquisit.* apud Pinellum *de Missâ l. 2. cap. 5.* quendam Idiotam, sed Missæ studiosissimum, fratrem suum clericum eumque sciolum breui in sapientiâ longè superâsse, eò quòd sub Missâ tres tantùm literas soleret considerare, vnam nigram in quâ recolebat cum dolore peccata sua: alteram rubram, in quâ Passionem Domini pro peccatoribus: tertiam albam, in quâ cœlestem gloriam.

Quòd si solam Christi vitam in eâ discere & quasi in compendio videre desideramus: In primâ literâ consideremus Christi Incarnationem & vitam vsque ad passionem. In secundâ passionem. In tertiâ Immortalitatem seu Resurrectionem, Ascensionem, &c. Fingamus nos vbique comitari Christum velut eius discipulos, &c.

CONCIO IV.

Noua Christi & Christianorum conuersatio post Resurrectionem.

1.2. *Post Resurrectionem conuersandum cum Deo & cælitibus, ac cum hominibus bonis tantùm.*	*vitandæ; loquendum non nisi quod ædificet.*
3.4. *Peccandi occasiones*	5. *Temperantia in cibo & potu seruanda.* 6. *Non simus ijdem qui antè.*

THEMA.

Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum. Lucæ 24.

NEscio quomodo obtinuerit passim consuetudo vt in Paschate plerique nouis indui vestibus appareant. Videntur nostri maiores conformare se voluisse Christo, qui & ipse hodie nouus homo apparuit; vt simul doceremur cum eodem nouam vitæ conuersationem induere post Paschalem pœnitentiam & spiritualem nostram resurrectionem. Hoc enim exigit Apostolus *ad Rom. 6. Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris*: (hoc est, per vitam gloriosam & immortalem, quam Christus resurgens accepit à patre: vt exponit Caietanus Card.) *ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* q. d. Sicut Christus resurgens deinceps vitam cœlestem & Dei filio congruentem duxit: ita & nos spiritualiter resuscitatos decet agere vitam, filiis Dei dignam. Porrò nouam viuendi rationem tenuisse Christum post Resurrectionem indicauit ipse in hod. Euangelio cùm discipulis congregatis apparens dixit: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum.* Quid enim sibi vult hoc? Nónne etiam tunc erat cum discipulis, quando hoc loquebatur? Erat sanè, sed non eo modo, quo ante resurrectionem suam, vti nunc audiemus A.

PRIMÒ, Ante Resurrectionem fuit cum illis in carne passibili, numquam penè ab eorum latere discedens, cum illis sitiens, fatigatus, &c. Sed postea non item: subitò enim eis apparuit velut homo cœlestis, & postquam locutus est cum eis, iterum euanuit & in locum solitarium vel incognitum hominibus se recepit: vel in paradisum, cum Enoch & Elia, & patribus è limbo eductis versaturus. Sic post B. I. Conuersandum potissimû est cum Deo & cælitibus.

post spiritualem nostram resurrectionem, non semper conuersari cum sæculo & sæcularibus negotiis occupare nos debemus, sed subinde ab illis abstrahere & in solitudinem cordis vel templum nos recipere & cum Deo & animâ nostrâ loqui. Si priùs velut talpæ terræ tantùm inhæsimus & lumen cœli fastidiuimus, nunc superna & solida quæramus bona, iuxta id *Col. 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite.* Anseres domestici & cicures rarò se attollunt ad volatum, semper ferè in terrâ & aquis degunt: & si volare cœperint, citò desinunt, ob carnis molem. Contrà feri anseres volatu delectantur, plerumque in sublimi aëre visuntur, rarò in terram confident, nisi pabuli gratiâ. Quod si igitur ante pascha terrei anseres fuimus terrenis rebus affixi, simus nunc aërei, cœlestibus addicti. Quid enim est conuersio nisi mutatio situs (vt ait Alb. M. *in Ose. c. 14.*) vt quæ sinistra sunt, dextra fiant: quæ anteriora, posteriora: quæ superiora, inferiora? Qui ergò opes terrenas priùs habuit dextras, spirituales verò sinistras: mutare situm debet. Qui mundum & terram superiore loco, DEVM & cœlum inferiore posuit: mutet situm necesse est: DEVM suprà, mundum infrà collocet.

C. II. Versandû cum bonis tantùm. SECVNDÒ, Ante resurrectionem versabatur Christus cum bonis & cum malis, discipulis, Iudæis, publicanis & peccatoribus: sed post resurrectionem versatus est cum bonis tantùm, nimirum vel cum discipulis suis, Matre, Magdalena, &c. vel cum patribus, quos eduxerat è limbo, vel cum Enoch & Elia in paradiso, vt sentiunt D. Anselmus in Elucidario. D. Thom. *3. sent d. 22. q. 3.* Imò S. Augustinus *tract. 76. in Ioannem* negat Christum ab vllo impio visum: *Suscitatum Christum nemo vidit impiorum*, inquit. Sic post conuersionem valedicendum prauis societatibus & bonis tantùm adhærendum. Ita Paulus post conuersionem suam *iunxit* (Græcè, *agglutinauit*) se Christianis, intrans & exiens cum illis in Ierusalem; nec iam cum Iudæis, tametsi contribulibus & amicis suis quidquam veteris amicitiæ habuit, *Act. 9.*

D. III. Peccandi occasiones vitandæ. TERTIÒ, Ante resurrectionem passus est se palpari à Magdalenâ: sed posteà non item. Tunc enim audiit illa: (vtique cùm tenere & osculari pedes eius vellet) *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum.* Sic etiam siquis anteà passus est se continge à re quapiam illicita, à bonis alienis, alienâ specie, &c. ne patiatur id imposterum, quia eiusmodi tactus occasio est peccati. Ideò Eua ait præceptum sibi, ne comederent & tangerent lignum vetitum. Noli tangi ab occasionibus peccati easve tangere: quia licet resurrexeris, nondum tamen ascendisti in cœlum: nondum es impeccabilis, nondum beatus: sed viuit adhuc in te igniculus & fomes peccati. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ*, ait Sapiens *Eccl. 13.* Cropilus Platonis discipulus domus paternæ fenestras mare spectantes clausit; causam rogatus: *Æquora*, inquit, *aspicere nolo, ne cupiat illa animus conscendere adeoque periculum naufragij subire.* Claude & tu sensus tuos; ne intuere vinum cùm flauescit, &c.

E. IV. Loquendum non nisi quod decet & ædificat. QVARTÒ, Ante resurrectionem variis de rebus, prout occasio ferebat, loquebatur Dominus cum hominibus; etiam de terrenis & transitoriis: sed posteà non item. Omnis eius sermo erat de regno Dei, de mysteriis fidei & Scripturæ arcanis, de correctione & reuocatione errantium discipulorum, &c. vt habetur *Act. 1.* & alibi. Sic etiam si olim profani erant sermones nostri: si iuramentis, execrationibus ac blasphemiis referti, tales non sint ampliùs. Mirum huius rei exemplum refertur in prato spirituali Sophronij seu potiùs Ioannis Moschi Euirati, (qui libellum illum scripsit ad S. Sophronium Episcopum Hierosolymitanum, citaturque in 7. Synodo) c. 143. Narrat enim latronem sicarium fuisse apud Hermopolim, cui nomen Dauid omnium sicariorum tum famosissimum, triginta sequacium præfectum. Is igitur diuinâ aliquando tactus gratiâ, atque compunctus ad se rediens, perrexit ad monasterium, vt monachus fieret. Eum Abbas, cui Dauid facinoribus iam erat notus, reiecit: quamobrem Dauid indignabundus dixit: *Nisi admissus fuero, ad priora redibo facinora, euersurus etiam monasterium.* Tunc Abbas admisit, admissus reliquos septuaginta monachos virtutibus superauit adeò vt miracula peregerit; & quod admirabile præcipuè, factus mutus, nihil omnino præter psalmodiam loqui vlteriùs potuit. Eius rei testis est, qui viderat, vt ibi attestatur. Tales ego mutos optarem vos esse Auditores, vt nihil aliud loqui, nisi quod ad Dei gloriam tendit, sciretis.

F. V. Temperātia in cibo & potu seruanda. QVINTÒ, Ante resurrectionem comedebat præ esurie & cum appetitu, sicut cæteri homines: sed posteà non item: comedit enim solùm ad comprobationem suæ resurrectionis & sine appetitu, quia cibo non egebat ampliùs. Itaque & nos si priùs in cibum & potum nimium effusi fuimus, nunc saltem ad temperantiæ limites appetitum restringamus: si priùs viximus vt comederemus, nunc comedamus tantùm vt viuamus: si priùs comedimus vt pecudes, quæ saginantur ad macellum, comedamus nunc vt homines. Præbet huic doctrinæ stimulum, quod legimus de Guilielmo Aquitaniæ Duce Pictauorum Comite, qui sæculo adhuc militans tantæ edacitatis & bibacitatis erat, vt ei vix quolibet prandio ea cibaria sufficerent, quæ octo fortissimis edacibusque iuuenibus pararentur. At vbi mundi delicias excussit, Deoque se totum per conuersionem dedidit, ieiuniis occupatus, pane modico & aquâ contentus, magnâ incolumitate vixit; vt scribit Theobaldus Episcopus in vita ipsius Guilielmi *cap. 2. & cap. 24.* apud Surium *Tomo 1. Februarij.* Accidit persimile anonymo cuidam viro à dæmonibus obsesso, cui cadus vini, ac panis modij tres quotidiano illi alimento non sufficerent: At ibi Macharij virtute diuinâ ope dæmo-

dæmoniacâ insaniâ liber extitit, tres ad summû panes quotidie illi in alimentum cessere, vt ex viris Patrum constat *p. 2. cap. 8.* in impressione quadam recentiore. Mulier quoque Syriaca quædam triginta gallinis quotidie saturabatur: at vbi diui Macedonij lustrali aqua conspersa est, perexiguâ carne alebatur. Vt Theodoretus recolit in Philotheo qui eius têporis scriptor fuit, quandoquidem Macedonio ipsi valde familiaris erat. Tanta est quorundam voracitas & bibacitas vt obsessi videri possint, & quod ipsi abliguriunt, id multis temperantibus sufficeret. Pellendus ergò hic dæmon, compellendus ad sobrietatem venter nouâ viuendi & victitandi consuetudine, nisi malit aliquis cum diabolo cœnare in inferno.

G. VI. Non simus iidê, qui fuimus. SEXTÒ, Priùs in eâdem specie semper apparebat vt facilè agnosci posset, sed non item posteà. Etenim Magdalenæ, in horto existenti, apparuit velut hortulanus. Discipulis duobus peregrinantibus in Emaus, apparuit velut peregrinus. Aliàs aliâ specie apparuit eisdem: in non aliâ formâ corporis, sed in alio habitu, vestitu, gestu vel decore: & idcircò non statim eum agnouerunt: vt cùm piscantes viderunt eum in littore, sed non agnouerunt initio: & in hod. Euangelio cùm congregati putabant eum esse spiritum. Sic decet vt post Resurrectionem nostram non simus iidem qui fuimus, sed in nouitate vitæ ambulemus. Simus velut hortulani animæ nostræ, semper euellendo & plantando aliquid quod promoueat salutem. Simus peregrini quasi cœlo delapsi & in mundo ignoti, mundum vt alienum aspiciamus, vtamur eo vt hospitio, &c. In hanc sententiam scribit S. Ambr. l. 2. de pœnit. c. 10. *Seipsum homo abneget*, inquit, *& totus immutetur. Sicut quēdam adolescentem fabula ferunt, post amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ. Quæ vbi non interpellata, mirata putauerit non recognitam, rursus occurrens dixerit Ego sum; responderit ille: Sed ego non sum ego.* Sic ille. Et hoc est nî fallor, quod ait Dominus: *Qui vult venire post me abneget semetipsum.* In quem locum S. Greg. *hom. 32. in Euang.* ait: *Tunc nos ipsos abnegamus, cùm vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quod per nouitatem vocamur. Pensemus quomodo se Paulus abnegauerat, qui dicebat:* (Gal. 2.) *Viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profectò non esset.* Quod ad Romanos *c. 12.* scripsit Apostolus, omnibus nobis scripsit, scilicet: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Non ait: Nolite vti sæculo, cibo, pecuniâ, potu, quiete, recreatione, hominibus; (his enim vtendû) sed: nolite in his conformari mûdo qui in his acquiescit. Et hoc est exuere veterem hominem & induere nouum, quod vtinam nobis omnibus hodie contingat, Amen.

CONCIO V.

Schola memoriæ, seu quorum maxime debeant meminisse Christiani

1. *Omnipræsentia Dei, beneficiorum & mãdatorum eius.*	*Patrum spiritualiũ.*
2. *Proximorum viuorum & defunctorum, ac*	3. *Meminisse vniusquemque oportet suipsius, qui fuerit, qui sit, & futurus sit.*

THEMA.

Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum. Lucæ 24.

MIRACVLVM naturæ est, quod scribit Plinius *lib. 31. cap. 2.* In Bœotia iuxta flumen Orchomenon duos esse fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem affert; indeque nomina eius indita. Non errauero, Auditores, si hunc fluuium dixero Euangelium S. Lucæ, quod heri & hodie legimus ex *c. 14.* In eo enim reperio duos istiusmodi fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem gignit. Vidimus in hesterno Euangelio traditam nobis disciplinam obliuionis, profluentem à Christo Domino qui in suâ resurrectione omnium præteritorum dolorum oblitus esse videbatur. In hodierno deprehendimus fontem alterum, disciplinam scilicet memoriæ, promanantem ab eodem Christo, qui discipulis suis refricat in memoriam ea, quæ toties eis prædixerat de suâ passione & resurrectione: *Hæc sunt verba*, inquit, *quæ locutus sum vobis cum adhuc essem vobiscum.* Dicunt Medici & experientia docet lethargum esse morbum prouenientem ex pituitâ humidiore & frigidiore cerebri ventriculos, in quibus sedes est memoriæ, opplente, indeque obliuionem rerum omnium inducere. Huiusmodi morbo correpti erant Apostoli, obliti, inquam, omniû illorum, quæ de suâ passione & resurrectione toties illis inculcarat Dominus; idcircò in hodierno Euangelio haustum illis propinat de memoriæ fonte, reuocans in mentem quæ dudum illis prædixerat. q. d. Recordamini verborum, quæ dixi ad vos cùm ascenderemus Ierosolymam, quia oportet filium hominis tradi gentibus, flagellari, conspui, occidi & post hæc tertiâ die resurgere. Refert Plinius *l. 7. cap. 24.* quendam ex præalto tecto lapsum, matris & propinquorum: alium ægrotum seruorum etiam: sui verò nominis Messalam Coruinum oratorem oblitum fuisse. Sed quid si etiam nos hoc morbo laboraremus? Obliuiscimur enim Dei, obliuiscimur proximi, obliuiscimur & nostrî, tanto perniciosius, quanto culpabilius. Huic ergò pernicioso morbo vt medeamur, Auditores, hibemus hodie ex fonte illo, qui memoriam gignit.

B. I. Memento Dei. PRIMÒ, Meminisse præ cæteris oportet Dei Optimi Maximi, & inprimis præsentiæ ipsius omnibus in locis. Hoc inter alia præcepta inculcauit Tobias filio suo: *Omnibus diebus* vitæ

Omni-præsentia Dei. *vitæ tua in mente habeto Deum. Tob.* 4. Idem omnibus præcipit Sapiens Prou. 3. *In omnibus viis tuis cogita Dominum & ipse diriget gressus tuos.* Ratio, quæ nos ad hoc impellere debet, est Primò, quia reuerà nobis Deus semper & vbique præsens est regens & conseruans nos. Grandis autem inciuilitas imò stoliditas foret, habere semper in conspectu Ducem tuum & non subinde respectare illum à quo regeris & sustentaris. Hanc causam expendit Dauid *Psal.* 15. dicens: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Secundò, quia etiam ipse perpetuò in nos respicit, obseruans omnia nostra, & ne ad momentum quidem nostri obliuiscitur. Quis autem est, qui aduertens Regis oculos in se defigi intentissimè & adhibitis perspicilus, mentem non colligat, ad modestiam se non componat & præsentiam Regis semper cogitet? qui Rege insuper habito ridere, fabulari, nugari, oculis euagari audeat? Hanc causam tangit Augustinus id Psalmi 31. *firmabo super te oculos meos*, expendens: *Non aufer am à te*, inquit, *oculos meos, quia & tu non aufere à me oculos tuos.* Tertiò, quia non qualiscunque est spectator; sed terribilis & tremendus: & si fortè deliquerimus, Iudex seuerissimus. Atqui videmus vel ipsos paruulos, vbi aliquid deliquerint, v. g. vitrum fregerint, vel agere quidpiam voluerint, quod an patri placiturum sit, dubitant, illicò in patrem oculos ex obliquo conijcere vultumque eius metuere ex naturæ instinctu. Cùm ergò & sæpissimè delinquamus & plerumque incerti simus num actus nostri Deo placeant, quomodo non continuò in DEVM respectamus cum timore & tremore? Quartò quia est largitor omnium bonorum, quæ ab ipso velut vnico fonte continuò ad nos manant. Hinc ergò S. Ambrosius *l. de dign. cond. hu. cap.* 2. dixit: *Sicut nullum est momentum, quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum quo eum præsentem non habeat in memoriâ.* Deinde meminisse oportet sedulò beneficiorum Dei nullumque diem prætermittere quin ea mente reuoluamus Deoque accepta feramus, præsertim specialia. Cuius rei præceptum & quidem crebrò inculcatum legimus Iudæis *Deut.* 8. vbi ait:

2. *Beneficiorum Dei.*

Moyses: *Recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus quadraginta annis per desertum*, &c. Et rursum: *Recorderis Domini Dei tui quòd ipse vires tibi præbuerit*, &c. Omnes verò tangit, quod per Isaiam *cap.* 46. ait Dominus: *Redite præuaricatores ad cor.* Hebr. *reducite ad cor;* quomodo videlicet vos creauerim, educauerim, sustentarim, &c. Ratio, quia hâc quasi pensionem & censum pro beneficiis debemos largitori, memoriam beneficij, quæ sanè minimo constat. Quod vel Ethnici agnouerunt, vti Seneca, qui scripsit *l.* 2. *de benef. cap.* 10. *Hæc beneficij inter duos lex est: alter statim obliuisci debet dati, alter accepti numquam.* Exegit hanc pensionem Deus plerumque in magnis beneficiis, vti eùm in memoriam dati mannæ iussit asseruari eius gomor in tabernaculo, *Exodi* 16. Cùm erigi 12. lapides in memoriam diuisi Iordanis *Ios.* 4. Cum in memoriam creationis celebrari Sabbatum *Gen.* 2. in memoriam conseruationis & gubernationis festum Neomeniæ *Num.* 28. in memoriam liberationis à Pharaone Pascha *Exod.* 12. datæ legis Pentecosten, &c. Reddidit hanc pensionē sanctâ illa Anna quæ in memoriam accepti à Deo filij, vocauit filium *Samuelem* (hoc est *positum à Deo*; vel, *dedit illum Deus* eò quòd postulasset & accepisset illum à Domino; vt hoc beneficium è memoria numquam ei excideret, & vt Samuel quoties audiret suum nomen debere se Deo recordaretur, quòd esset & viueret 1. *Reg.* 1. Reddidit & Iudith, quæ in memoriam deuicti Holofernis omnia eius armamenta & conopæum obtulit templo Domini in anathema obliuionis, hoc est, execrationem & detestationem obliuionis, quasi anathemate feriendus esset, qui beneficium illud oblitus fuisset, *Iudith* 16. Reddidêre & Iudæi, qui figuram accepti mannæ impressêre monetis suis, ticlis, teste Aria *l. de mensuris*; vt tanti beneficij toties meminissent, quoties pecuniam tractarent.

Sed & Dei mandata memori mente reponenda passim præcipit nobis Scriptura, vti Prouerb. 3. *Fili ne obliuiscaris legis meæ.* Atque idcircò tam accuratè præcipit Deus Iudæis *Deut.* 6. *Eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo & narrabis ea filiis tuis & meditaberis in eis sedens in domo tua & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tuâ eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos scribesq; ea in limine & ostiis domus tuæ.* Quid amplius quæso, ad commendationem præceptorum suorum dicere potuisset Dominus? Igitur Hebræi hæc omnia ad literam intelligentes Decalogum membranulis inscriptum brachio, fronti, fimbriis & ostiis domûs affigebant, quæ vocat Dominus phylacteria *Matth.* 23. Verùm aliud non vult Deus nisi vt iugem legis diuinæ memoriam habeamus, ita vt in omnibus actibus & gressibus sit quasi res pendula ante oculos nostros seu regula actionum nostrarum. Propterea etiam Dauid legem Dei vertere in cantilenam solebat (quod etiam cum suis legibus fecisse gentiles scribit Philosophus *sect.* 19. *probl. n.* 28.) vt eam inter occupationes alias mente reuoluerct; vnde ait *Ps.* 118. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Ratio est quam dat eodem Psalmo dicens: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*; hoc est, summâ diligentiâ, studio & solicitudine; quia qui præcipit, est magnus nimis: merces seruantibus promissa est magna nimis: pœna præuaricantibus imminens est magna nimis. 3. *Mandatorum Dei.*

SECVNDÒ, Meminisse oportet proximorū, ac primò quidem viuorum ope indigentium; quod inprimis commedârunt Paulo & Barnabæ tres illi magni Christi Apostoli Petrus, Iacobus & Ioannes ad *Gal.* 2. vt videlicet pauperum memores essent. Quod & fecit alisque faciendum serìò inculcauit cùm ad Hebr. 13. scripsit: C. II. *Memento proximorum.* I. *Viuorū.*

ſcripſit: *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuiſci.* Communionis, id eſt, communicationis, vt legit Syrus, in pauperes. Paulò etiam ſuperiùs eodem cap. dixerat: *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci.* Et quibus, quæſo hæc loquitur? Iudæis ad Chriſtum conuerſis, quos ſuprà *cap.* 10. dixerat omnibus ſuis bonis à Iudaicis Magiſtratibus propter Chriſtum ſpoliatos & rapinam bonorum ſuorum paſſos. His itaque tam egentibus tam ſeriò commendat miſericordiam in egentes quaſi rem prorſus neceſſariam. Commendârat illis immediatè antè Dei laudem & orationem, moxque eis appendit beneficentiam in pauperes quaſi duas hoſtias quibus placetur Deus. Ait ergò: Dum volo vos hoſtiam laudis offerre, nolo vos elëemoſynæ obliuiſci. Volo vos ita agere Magdalenam vt non negligatis Martham. Illa manus dextra, hæc ſiniſtra eſt. Quin etiam contingere poteſt vt hæc dextra, illa ſiniſtra ſit, vt oſtendit Dominus *Matth.* 9. e a Oſeæ 6. cap. *Miſericordiam volui & non ſacrificium*: quia cùm neceſſitas vrget pauperem, cedit illi Deus; quo modo Iulius Cæſar hoſpitio exceptus in vili tugurio, in quo vnus tantùm lectulus erat, conceſſo cuidam infirmo militi lecto, dormiuit cum reliquis ſub Ioue pluuiali ante tugurium totam noctem. Tanti nimirum refert miſereri pauperum. Quocirca Ioſaphat Rex apud Damaſcen. in hiſt. *cap.* 36. relicto regno tendens ad vitam anachoreticam, Barachiæ quem ſibi in regno ſubſtituerat, valedicens, hoc ei primum dedit præceptum & memoriale: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

2. *Defunctorum.* Secundò, Defunctorum, quos in purgatorio adhuc detineri poſſe credimus. Horum enim obliuiſci nequaquam decet viuos, neceſſitudine præſertim aliquâ ſibi deuinctorum, de quibus iure conqueri alioqui poſſent cum Dauide Pſ. 30. *Obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde.* q. d. putant iam de me actum eſſe ideoque obliuiſcuntur mei. Non fecerunt iſtud veteres, qui, vt ſcribit Forch. *de funeribus*, cordis figuram ſepulchris defunctorum ſuorum inſculpebant, indicantes ſe eorum memoriam in corde ſuo habere. Non ſic Eccleſia mater noſtra, quæ in Miſsâ præcipit memoriam defunctorum ſuorum fieri dicente ſacerdote: *Memento etiam Domine famulorum famularumq; tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis.* De quo Euſebius Alexandrinus hom. in diem Dominicam, ait: *Memento in oblatione etiam eorum, qui de vitâ iam diſceſſerunt, parentum ac fratrum. Hoc ſi feceris magnam eis requiem præbes.* Non denique ſic Iudas Machabæus, qui ſuorum in prælio cæſorum militum memor, venit alterâ die cum ſuis vt eorum corpora poneret in ſepulchris paternis; & cùm inueniſſet quædam furta de donariis Idolorum (à quibus lex prohibet Iudæos) ſub interfectorum tunicis, ad preces conuerſus rogauit vt delictum hoc, ob quod cecidiſſe videbantur, obliuioni traderetur (in græco habetur: *vt peccatum admiſſum perfectè deleretur*; ita ſcilicet nulla eius litura vel veſtigium appareret adeoque non quoad culpam ſolùm, ſed etiam quoad pœnam dimitteretur) deinde factâ viritim collatione duodecim millia drachmarum argenti (faciunt 2000. noſtrates florenos) miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum, 2. *Mach.* 12. Nos etiam ſi defunctorum animos poſſemus explorare, plerumque furta aliqua militaria, hoc eſt, delicta venialia vel reatus peccatorum nondum deletos reperturi eſſemus: decet igitur nos pro ipſis preces inprimis fundere & viritim ſingulos ſtipem aliquam conferre pro eorum liberatione; ſiue ea ſit elëemoſyna, ſiue miſſæ ſacrificium, ſiue aliud opus pium. *Mementote vinctorum*, ait cit. loco Apoſtolus, *tanquam ſimul vincti.* Quinam verò magis vincti ſunt, quàm qui in purgatorio detenti ſeipſos iuuare nequeunt? ſed vel rigorem iuſtitiæ expletum, vel ſuffragia piorum expectare debent?

3. *Patrum ſpiritualium.* Tertiò, Patrum noſtrorum ſpiritualium in cœlo iam triumphantium, à quibus fidem Catholicam edocti & Chriſto initiati ſumus. Hoc enim ibidem commendat nobis Apoſtolus dicens: *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes* (græci ἀναθεωροῦντες, recogitantes ſcil. iterum iterumque cogitantes) *exitum conuerſationis, imitamini fidem.* Qui ſunt autem iſti noſtri Præpoſiti? Bonifacius, Wilibaldus, Burchardus, Kilianus, Vdalricus, Wolfgangus, Rupertus, Corbinianus, Conradus, Otho aliique primi Germaniæ Apoſtoli, quorum meminiſſe oportet. Primò vt ab eâ fide, quam nobis tradiderunt, nos diuelli ne patiamur nec nouatores audiamus. Memores ſimus parentum noſtrorum, cuius religionis fuerint & vnde eam hauſerint. Itáne Lutherus vel Caluinus fidem intulêre in Germaniam? nonne poſt ſementem bonam zizania primùm ſparſerunt? Deinde vt non ſolùm eorum fidem ſed & vitę conuerſationem crebrò ob oculos nobis ponamus & imitemur, vel vbi imitari non poſſumus, ſaltem admiremur, ideoque geſta illorum legamus. Denique vt fælicem illorum exitum & vitæ coronidem, gloriam videlicet in cœlo & in terrâ partam contemplemur. *Ecce enim quomodo computati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos ſors illorum eſt!* Quis vnquam Imperator ſibi ſuis præliis, victoriis & triumphis tantam nominis immortalitatem & in cœlo gloriam peperit atque iſti? Ad illorum ergò palmas, ad illorum thronos, crebrò eleuemus oculos, memores patriæ noſtræ, quam illi iam occuparunt, nos verò adhuc oppugnamus. Dicamus cum Dauide: *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea*, *Pſalm.* 136. Vbi eſt enim theſaurus noſter, ibi & cor noſtrum erit. *Nunquam*, inquit Cicero in Catone maiore, *ſenem quenquam audiui oblitum, quo loco theſaurum obruiſſet*, tametſi alioquin in ſenibus minuitur memoria. At vbi, quæſo, nos defodimus theſaurum noſtrum? nónne in cœlo? Abſit ergò à nobis obliuio theſauri huius.

D. III. Memento tui.

1. Prioris status tui.

Tertiò, Meminisse vnumquemque oportes suiipsius quis fuerit, quis sit, quis futurus sit; ac Primò status sui in quo aliquando fuit, vilis & contemptus: ne super alios se extollat. Notum est Agathoclen Regem patre figulo natum cœnasse semper in vasis figulinis vt figulum se aliquando fuisse meminisset. Notum etiam Viligisum Archiepiscopum Moguntinum Rhedario patre natum, rotæ effigie sua condecorasse insignia sibique identidem dixisse: *Veligise memento qui sis & qui fueris.* Eò pertinet & hoc quod Placilla vxor Theodosij, qui ex milite creatus erat Imperator, crebò ei occinebat: *Semper te, mi vir, cogitare oportet quis olim fueris & quis iam sis.* Theodor. *l. 5. hist. c.* 18.

2. Peccatorum suorum.

Secundò. Peccatorum suorum, vt ea defleat. Ita præcipitur Ezech. 36. *Recordabimini viarum vestrarum pessimarum studiorumque non bonorum: & displicebunt vobis iniquitates vestræ & scelera vestra.* Vatablus ex Hebr. vertit: *Pudebit vos in facies vestras iniquitatum vestrarū.* Ita Deut. 9. *Memento & ne obliuiscaris quomodo ad iracundiā prouocaueris Dominū Deum tuum.* Et Ier. 2. *Vide vias tuas in conualli: Scito quid feceris.* Vult dicere: Aspice vestigia quæ terere consueuisti in valle Ennon, vbi filios tuos Idolo Moloch immolasti; illa testes sunt idololatriæ, stultitiæ & impietatis tuæ. Ita Apoc. 2. *Memor esto vnde excideris.* A Deo excidisti & cœlo, in profundum abyssi cecidisti. Audi S. Gregorium super 7. Psal. pœnitentiales: *Attendat*, inquit, *vnusquisque in quo profundo iaceat & quàm longè à Deo peruersè agens effectus sit*, &c. Sanè brutæ etiam animantes vbi in benefactores suos aliquid deliquissent, memores delicti & pudore suffusæ vel supremæ vltrices repertæ sunt. Ad Nilum in Eremo lupa cuidam Anachoretæ sedula astabat & cibum è manu capiebat, interim manum eius quasi deosculans, hæc aliquando absente Monacho tuguriolum eius fame vrgente ingressa panes è sportâ abstulit: ac mox furti memor ac pœnitens per dies plurimos pudore ducta non rediit. Reuersa tandem depressis oculis & capite se accusans veniam delicti vt poterat petiit; ita habent vitæ Patrum *p. 3. c.* 7. Ad Iassum vrbem Delphinus puerum adamabat atque in tergora sua inuitatum vehebat per mare quàm longè puero placeret, tandemque ad littus reuehebat mirâ pueri & piscis & spectantium delectatione. Tandem cùm incautus puer in Delphinum insiliret, in spinam dorsi incidit sicque transfosso vmbilico extinctus est; quem Delphinus restituens littori, conspiciens saucium, sanguinolentum ac defunctum, mortis causam sibi attribuens, animi defectu ipse quoque expirauit, ibique Iassenses vtrique sepulchrum statuerunt. Refert Plinius *l. 9. c.* 8. Ælianus *l.* 6 *c.* 14. Bestiæ igitur erubescunt de erroribus suis & doloris sensu tanguntur: non erubescat homo? non doleat peccator?

3. Mortis tuæ.

Tertiò, Mortis suæ. Ita enim monet Ecclesiasticus c. 7. *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Et cap. 14. *Memor esto quoniā mors non tardat.* Eandem in nobis memoriam excitare volens Ecclesia, initio quadragesimæ inspergit cinerem in capita nostra dicens: *Memento homo quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Docuit S. Augustinus *l.* 10. *Confess. c.* 14. memoriam esse in animâ quod est stomachus in corpore, ideoque eam sæpe animæ stomachum vocat. Quemadmodum ergò stomachus si languens sit, cibos non retinet nec concoquit indeque vitam in periculo ponit: ita si memoria meditationem mortis non retineat, signum est malè affecti & de salute periclitantis animi. Idcircò Ecclesia potentissimum medicamentum fouendæ & roborandæ memoriæ adhibere voluit, cinerem. Hoc autem quod Ecclesia semel in anno facit, facere nos quotidie decet. Sanè hoc medicamen præscribere voluisse videtur Deus Adamo & Euæ cùm è mortuorum animalium pellibus vestes eis confecit, vti censet glossa interlin. *Gen.* 3. Eodem pharmaco vsi Elias & Ioannes Baptista dum zonâ pelliceâ se cinxerunt. Post hos S. Ioannes Patriarcha Alexandrinus dictus Eleemosynarius, qui sibi monumentum sed imperfectum extrui iussit: Solennibus autem festis in conspectu multorum voluit sibi à fabris dici: *Monumentum tuum Domine adhuc imperfectum est; iube ergò vt tandem perficiatur; incertum enim est quâ horâ mors ventura sit.* Refert Leontius in eius vitâ. Alij vt hanc memoriam crebò in se excitent, mortuorum crania in suis asseruant cubiculis: alij sepulchra obeunt. Denique ad hunc finem credit D. Chrysostomus *hom. 3. de Spiritu S. tom.* 3. factum esse antiquitùs vt iuxta portas ciuitatum sepulchra extruerentur omnibus conspicua, quò ingredientes scholam humilitatis suæ per oculis cernentes, memores essent mortis suæ. Quare, Auditores, frequentemus quæso sedulò scholam hanc memoriæ, & discamus quâ ratione Dei, proximi & nosmet oporteat meminisse, ne obliuiscatur nostri Deus, vti minatur Ose. 4. Synagogæ: *Oblita es legis Dei tui: obliuiscar filiorum tuorum & ego.* Quin etiam magis indies proficiamus in hoc studio, ne de scholâ memoriæ detrudamur ad scholam obliuionis æternæ, vbi nec opus nec ratio, nec sapientia nec scientia erunt; vbi Deus per omnem æternitatem obliuiscitur damnatos; quod à nobis ipse auertere dignetur.

CONCIO VI.

Ad pacem & concordiam quæ inuitent.

1. *Inuitat nos vniuersū.*
2. 3. *Pacis pulchritudo & vtilitas.*
4. *Fauor Dei, quo prosequitur pacis sectatores.*
5. *Tempus colluctandi cum diabolo.*
6. *Communio Paschalis.*

THEMA.

Pax vobis, Lucæ 24.

DVCES

A. DVces & Imperatores huius sæculi à bellis & victoriis suis titulos sibi assumpserunt Scipio Africanus à bello Africano: Vitellius Germanicus à Germanico bello ita vocari voluit: Nō ita Dux & Imperator noster Christus, qui à pace potiùs, quàm natus mundo intulit, moriturus reliquit & rediuiuus commendauit, nomen habere voluit. Sic enim Isaias c. 9. prædixit vocandum eum, *Principem pacis*: Illi fortè pacem tandem repererunt, sed per bella, per cædes, per vrbium euersiones: & pacem mundi fallacem. Christus veram & Christianam pacem nobis acquisiuit, non aliorum internecione, sed suâ vnius morte. Vnde ait: *Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Illi occiderunt vt fruerentur pace, iste occisus est, vt frueremur nos. Quando igitur Dux noster est *Princeps pacis*, vtique tales etiam vult habere milites, qui paci & concordiæ studeant. Sic enim de iis prophetauit idem Isaias c. 11. *Habitabit lupus cū agno: & pardus cum hœdo accubabit vitulus & Leo & ouis simul morabuntur.* Quamobrem, Auditores, vt veri milites Christi fitis, conabor hac concione ad pacē vos accendere. Vos audite.

B. I. Vniuersum. Ad pacem inuitat nos. PRIMÒ Vniuersum, quod pulcherrimâ proportione & pace connexum & firmatum est. Inprimis naturæ auctor Deus trinus quidem in personis, vnus tamen est non tantùm in essentiâ, sed etiam in voluntatum vnione. Vnde dicitur *Deus pacis*, imò *pax* ipsa, ab Apostolo 2. *Cor.* 13. *Eph.* 2 Deinde in cœlo inter angelos pax summa est & omnimoda concordia, tametsi specie inter se differunt. Et cum Lucifer pacem illam turbare vellet, deiectus est in infernum. Adhæc in motu cœlorum, Solis, Lunæ ac Syderum cursu quāta pax & confœderatio? Præest ille diei, hæc nocti: neque verè est vulg. fabula, Solem pugnare cum Lunâ in Eclipsi. Elementa item suis consistunt locis & alterum alteri cedit, imò & in alterius gratiam contra naturam suam mouetur, leuia descendunt, grauia ascendunt, ne relinquatur vacuum adeoque ne dissoluatur vnio & harmonia corporum in vniuerso. Quatuor item anni tempora placidè miscentur & sensim mutuò sibi cedunt. In homine quamdiu qualitatum est concordia tamdiu viget sanitas: illâ dissolutâ, morbus adest. Quin & animalia pacis sunt amantia. Præterquam enim quòd *omne animal diligit sibi simile* (*Eccl.* 13.) Accipitres in Thraciâ teste Æliano *l.* 2. *cap.* 42. adiuuant homines in aucupio. Aucupes enim retia tendunt, accipitres verò aues in ea compellunt: pòst vnà prædam partiuntur. Lupi, quando iis flumen transeundum est, ne aquarum vi euertantur, caudis se inuicem mordicus tenent, vnde longum ac forte agmen constituunt, quod perrumpere cùm non valeant fluctus, nullo negotio tutissimè transnatant. Ælian. *lib.* 3. *cap.* 6. Cerui flumen traiicientes aut fretum cibi conquirendi gratiâ eum seruant ordinem vt capitum suorum onera super se inuicem portent posteriore super antecedentis tergum ceruicē collocante. Plin. *l.* 8. *c.* 32. &c.

SECVNDÒ, Pacis ipsius pulchritudo & suauitas iuxta id *Isa.* 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Pax tempori sereno similis est, bellum & discordia tempori tempestuoso, tonitruis & fulminibus ac grandine horrenti: pax sanitati, bellum ægritudini. Quis autem non malit serenum quàm nubilum & fulminans cœlum? Sanitatem quàm ægritudinem? Antoninus Pius Imperator dicebat: *Malo seruare vnum ciuem, quàm mille hostes occidere*; Iul. Capitolino auctore. Fredericus III. Saxoniæ Dux pacis amans, nullas arces aut munitiones condidit, imò conditas ab aliis solo æquauit: nec pecunias congregabat, sed in vsus pios & vtiles erogabat. Rogatus cur id faceret? Respondit: *Ne ego leuiter offensus aliquando, arcibus & pecuniis meis confisus vicinos facilè vicinos me inferiores bello lacessam & pacem cum iis violem.* Ioan. Agricola in *Prouerb. German.* Hoc est quod Apostolus monet ad Coloss. 3. *Pax Christi exultet in cordibus vestris*, Græcè *palmam ferat.* Ita Abraham cedendo fregit iram & contentionem pastorum Loth: ita Dauid iram & inuidiam Saulis fugiendo eique parcendo vicit. C. II. Pacis pulchritudo.

D. III. Pacis vtilitas. TERTIÒ, Pacis vtilitas & pernicies discordiæ & belli. *Concordiâ enim res paruæ crescunt, discordiâ dilabuntur*, vt dixit rex Micipsa moriturus filiis suis. Salust. *in Iugurth.* Pax ad maturam ætatem homines perducit. Vnde Crœsus à Cyro captus hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis tempore filij sepelirent patres, in bello contrà patres sepelirent filios, Herodot.

Pax abundantiam parit, quod indicare voluit Vespasianus Imp. nummo, in quo sculptæ erant plenæ spicæ è duabus manibus simul iunctis egredientes, ad indicandum, pacem & concordiam matrem esse abundantiæ. Patet experientiâ; In pace enim abundantia est, in bello penuria. Pax inuictam reddit ciuitatem. Audiamus testes. Cùm Lacedæmonij periclitarentur & de ciuitate muro cingenda cogitarent, Isæus Sophista illud Homeri carmen recitauit: *Scutum basis scuto, galea galea atque viro vir*; Et adiecit: *Sic mihi state Lacedæmonij & muris cincti fumus.* Idem dixit Sapiens: *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas fortis.* Marcus & Marcellianus, Christiani fratres stipitibus infixi Psalmum illum cantabant: *Ecce quam bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum*: eumque irridentem tormenta, erubuit Diocletianus & ambos lanceis confodi iussit. Scilurus Rex Scytharum octoginta liberos masculos habens, cùm esset moriturus, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitq; rumpere. Id cùm singuli recusassent, eò quod videretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atq; ita facilè confregit omnia, filios admonēs his verbis: *Si concordes eritis, validi manebitis: contrà si discidiis & seditione distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles.* Non potuit Scytha magis Scythicè rem ob oculos ponere. Plutarchus in apophthegmat. Quòd si nos Christiani

pari concordiâ muniti essemus, non difficilè vinceremus Turcas aliosque Ecclesiæ hostes. Contrà discordiâ omnia dilabuntur, iuxta id Domini: *Omne regnum in seipso diuisum desolabitur & domus supra domum cadet.* Et ad Gal. 5. *Quòd si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Idipsum insinuaturus Athenienfibus inter se dissidentibus Leo Byzantius Sophista, venit Athenas populo concordiam suasurus: cumq; prodiisset in suggestum corpore admodum pusillo, omnium risus obortus est. Ille fortuitam occasionem vertens in procemium: *Quid*, ait, *ô viri Athenienses, si conspiceretis vxorem meam: quæ tam pusilla est, vt vix pertingat ad genua mea?* Ad hanc vocem cùm maior etiam populi risus subortus esset, subiecit: *At nos tam pusillos si quando dissidemus, vix ciuitas Byzantium capere potest.* Plut. in præcept. polit. Vltimus Iudæ filius fuit Sela, id est, dissoluens; eo nato vxor eius parere vltrà cessauit, vt dicitur *Gen.* 38. Ita nimirum per dissidium omnia perduntur, vti Regnum Romanorum & Græcorum.

E. IV. Fauor Dei.

QVARTÒ, Quia pacis sectatores Deus magno fauore prosequitur, discordiarum verò odio habet. *Beati pacifici*, ait Dominus (Græcè, *beati pacificantes*,) *quoniam filij Dei vocabuntur*. Et Apostolus 2. *Cor.* 13. *Pacem habete & Deus pacis erit vobiscum.* Hinc Anselmus (teste Edinero in eius vitâ) dicere solebat eos, qui in hac vita conformant se aliorum voluntati (saluâ æquitate) & cum eis pacem colunt, id à Deo mereri, vt post hanc vitam se accommodet eorum voluntati & cum eis quoque pacem colat. Eos verò, qui discordias amant, pari modo post hanc vitam neminem reperire, qui eorum se accommodet voluntati, iuxta censuram illam: *quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Consentit Augustinus de verbis Dom. qui dicit: *Concorda cū aduersario tuo, nescis quando vita finiatur. Cùm vita finita fuerit, iudex restat & minister & carcer. At si seruaueris aduersario tuo bonam voluntatem & cum eo consenseris, pro iudice inuenies patrem: pro ministro sæuo angelum tollentem te in sinum Abrahæ: pro carcere paradisum.* Paphnutio Abbati & Eremitæ reuelatum est, quemdam Heracleæ sibi vitæ meritis esse parem. Hunc igitur inquirens, inuenit eum quidem vxoratum, sed post secundam prolem, seruare cum coniuge castitatem, iustitiæ & pietati studere: præsertim verò ad hoc incumbere, vt si quos inter se odio distractos cognouisset, reconciliaret. Pallad. *cap.* 64. Vide quo loco sint apud DEVM pacifici.

Contrà *si filij Dei vocantur*, ait S. Gregor. 3. p. pastor. adm. 24. *qui pacem faciunt procul dubio Sathanæ sunt filij qui pacem confundunt.* S. Wolstanus Episcopus Wigorniensis cùm in Ecclesiæ cuiusdam Dedicatione, de pace ad populū concionaretur, plures priùs dissidentes sunt reconciliati: vnus tamen erat qui adduci non poterat, vt fratris occisori se reconciliaret. Adducto igitur in medium Episcopus ait: *Dominus dixit in Euangelio: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur; constat ergò quòd si pacifici sunt beati & filij Dei, discordantes sunt miseri & filij Diaboli.* Itaque diabolo eum torquendum tradidit, qui confestim eum obsidere & tamdiu affligere non destitit, quousque is pacem hosti daret. Guil. Malmesbur. *de Pontif. Anglorum gestis.*

F. V. Tempus colluctādi cum Diabolo.

QVINTÒ, Quia non est modò tempus litigandi cum hominibus sed cum diabolo. Audi Apostolum ad *Eph.* 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem*, id est, homines: *sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Maligni enim spiritus & robustiores & astutiores & nocentiores nobisque infensiores sunt, qui si videant litigare nos & mutuas alere simultates, timendum ne idem nobis faciant, quod in apologo muri & ranæ miluus. Vidit is murem & ranam rixantes & bastis concurrentes, adeoque contendentes de principatu in palude; Vidit, inquam, & citò litem diremit; vtrumq; enim vnguibus suis rapuit raptumque deuorauit. Ad eundem modum dum homines in hac mundi palude de præcedentiâ, de lucello aliisque nugis contendunt, interim Dæmon attendit, quomodo dissidentes suis complectatur vnguibus & rapiat in infernum. Vt ergò canes inter se rixantes, cùm fortè intuentur lupum, pacem mox componunt & communem hostem iunctis viribus persequuntur; Vti serpenti cum vulpe conuenit, teste Plur. *in l. de industriâ animal.* quod illis communis hostis sit aquila: ita multò magis oportet nos seruare pacem, quibus luctandum est cum dæmonibus communibus & capitalissimis hostibus. Aristides & Themistocles dum inter hostes versabantur & pro Republica suâ Atheniensi bellum gerebant, priuata odia valere iubebant & in gratiam redibant, ne diuisi ab inuicem præda aliorum fierent. Chauass. *l.* 1. *de prud. c.* 8. Rudolphus Habspurgensis Comes, qui primus Imperialem dignitatem in Austriacam domum intulit, cum Abbate Sangallensi primò lites gerens, tandem vltrò se, ad conuiuium eius inuitans pacem cum eo fecit, & discedens inde præclarum hoc monitum prolocutus est: *Cui tres sunt lites, meo iudicio rectè fecerit, si duabus compositis tertiam tantò diligentiùs prosequatur.* Tymp. *in spec. Magistr. p.* 2. *fig.* 43. Itaque si quis litē habeat cum hominibus, cum seipso & cum dæmonibus: priores duas componat & vltimam tantò impensiùs prosequatur. Hoc est quod monuit Dauid *Psal.* 33. *Inquire pacem & persequere eam.* Et Apostolus ad Hebr. 12. *Pacem sequimini* (Græcè *persequimini*) *cum omnibus.*

G. VI. Commumio Paschalis.

SEXTÒ, Quia ante paucos dies nos inuicem confœderauimus in S Eucharistiâ. De Romanis Ethnicis scribit Valerius M. l. 2. c. 1. *Conuiuium*, inquit, *solenne maiores instituerunt, idq; Charistia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: Vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensa & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Et quid aliud sibi vult conuiuium

nostrum,

nostrum, quod Eucharistiam appellamus? nónne vt in eo omnes confœderemur & omnes querelas deponamus, ac veluti fratres & sorores nouam amicitiam contrahamus? *Hoc mysterium*, inquit Chrysostomus hom. 60. ad pop. Antioch. *non à rapinâ tantùm, verùm & ab omni vel tenui inimicitiâ purum esse penitus iubet: est enim pacis mysterium.* Et mox: *Nullus itaque Iudas hanc mensam petat, nullus Simon.* Ferunt ædificia, quæ ex calce vino mixta sunt extructa, durabiliora esse. Nos Apostolo teste 1. *Cor.* 3. *Dei ædificatio* sumus, nec vino, sed pretioso Christi sanguine conglutinati in sumptione Eucharistiæ. Itaque stemus simul & persistamus in pace, quam toties optauit & reliquit nobis Dominus. Barnagasius præfectus exercitûs regis Abyssinorum, cum Prætore Lusitano fœdus initurus, apprehensâ cruce nixus genibus: *Quam*, inquit, *pacem Iesus Christus generis humani redemptor discipulis reliquit, eadem esto inter nos, qui eiusdem profitemur cultum & fidem*, apud Maffeium *l.* 7. *hist Indica.* Idipsum & nos Christiani faciamus; crucem apprehendamus, in quâ Christus cœlum & terram, DEVM & homines pacificauit, & dicamus: Quam pacem Christus nobis attulit natus, quam reliquit moriturus, quam commendauit resuscitatus, eadem esto inter eos. Audite Apostolum quantâ energiâ, quanto affectu commendet Philippensibus pacem ex vinculis suis scribens capite 2. *Si qua ergò consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes.* Sic ergo & vos vnanimes estote in fide, in obseruatione mandatorum, in Dei cultu, in fuga peccatorum, &c.

CONCIO VII.

Illustriores figuræ passionis Christi declarantur.

1.2.3. *Præfigurata Christi venditio, alapa in domo Caypha, & illusio coram Herode.*	10. 11. *Societas latronum, ac iudicium in eos.*
4.5.6. *Collatio cum Barrabba, flagellatio, & Coronatio.*	12. 13. *Immolatio & vulnus lateris.*
7.8.9. *Baiulatio crucis, nudatio & crucifixio.*	14. 15. *Sepultura ac requies in Sabbato.*
	16. 17. *Resurrectio & mortis debellatio.*

THEMA

Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas, Lucæ 24.

A. MVlta quidem, Auditores, prædixit Christus Dominus noster discipulis suis de passione suâ, quæ ipsi tamen velut inaudita & stupenda capere non poterant; vt apparet *Lucæ* 18. vbi cùm dixisset illis Dominus: *Omnia consummabuntur quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus & illudetur & flagellabitur & conspuetur & postquàm flagellauerint, occident eum & tertiâ die resurget.* Subiicit Euangelista: *Et ipsi nihil horum intellexerunt: & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebãt quæ dicebantur.* Ecce quantâ verborum mole describitur ignorantia discipulorum! Nimirum velamen literæ, quod spiritum Scripturæ S. operiebat, adhuc erat super oculis eorum; figuræ enim veteris legis passionem Christi subtili delineantes penicillo, nondum reseratæ, nondum impletæ; ideóque à discipulis nondum intellectæ erant. At verò vbi omnia illa ordine contigerunt, ibi patuerunt; ideóque mortuo in cruce Domino velum templi, quod arcana veteris legis operiebat, scissum est, significans aperta iam esse mysteria, quæ sub typis & scripturis veteris legis latebant, vt docet D. Ambrosius in Lucam; & pulchrè D. Cyrillus in Ioan. *Quia*, inquit, *pulcherrimus fidei nucleus, ariditate literalis testo perfractâ, denudatus est, scissum est velum.* Quare sapienter D. Matthæus prodigium id describens, particulam *Ecce* adhibet: *Ecce velũ templi scissum est*, q.d. statim atque emisit Spiritum, *Ecce* scisso velo patuerunt figuræ veteris legis. Ecce ibi Ioseph venditus: ecce ibi aries vepribus adhærens: ecce ibi agnus in Paschate immolatus: ecce ibi serpens in ligno exaltatus: ecce ibi Ionas ad sedandum mare eiectus, &c. Itaque rediuiuus Christus in hodierno Euangelio aperuit sensum Apostolis vt iam intelligerent Scripturas, quas priùs adhuc velatas intelligere non poterant. Porrò, quia æquissimũ videtur vt non soli Apostoli & Doctores, sed quiuis etiam Christiani figuras illas intelligant, idcircò eas nunc quasi in vnâ depictas tabulâ digito commonstrabimus.

B. I. *Venditio Christi præfigurata.*

PRIMÒ, Ecce vobis Iosephum illum venditum Ismaëlitis *Gen.* 37. Primò enim vti Ioseph instigante Iuda fratre vno ex duodecim venditus est: ita Christus venditus à Iuda discipulo suo vno ex duodecim quos fratres appellabat. Dicebat Iudas Patriarcha: *Melius est vt venundetur*, Dicebat Iudas proditor: *Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam?* Vnde Seuerianus: *Oportebat venditionem Ioseph per Iudam fieri; quia & Dominus noster à Iuda venditus est.* Secundò, Ioseph venditus est Ismaëlitis & Madianitis mercatoribus, vt habetur *Gen.* 37. Quia scilicet mercatores illi partim Ismaëlitæ, partim Madianitæ erant. Christus etiam venditus est partim Iudæis velut Ismaëlitis improbis, progenitis ex Agar: partim etiam gentilibus velut Madianitis, qui DEVM verum penitus ignorabant: vtrisque pessimis negotiatoribus. 1. 2.

Tertiò, Ioseph venditus fuit argenteis viginti; Christus argenteis triginta. Causa huius discriminis est. Primò, Quia Ioseph seruus, Christus Dominus; non decebat autem famulum tanti vendi, quanti Dominum, ait S. Hieronymus. Secundò, Christus erat vir, Ioseph puer; non minùs autem vile est pretium viri pro 30. quàm pretium pueri pro 20. argenteis. Tertiò, Christus emptus fuit ad crucem, Ioseph ad seruitutem solùm. Vilior ergò fuit 3.

fuit Christi venditio quàm Iosephi. Quartò, Ioseph velut homo purus ex animâ & corpore constabat: Christus autem ex animâ, corpore & diuinitate; bene ergò binarius pro Iosepho, ternarius pro Christo datus est.

C. II. Alapa in domo Cayphæ. SECVNDÒ, Ecce vobis Michæam percussum in maxillam, 3. *Reg.* 22. Christum à seruo cæsum in faciem. Dum Michæas interrogatus à Rege Achab de futuro belli euentu verissimè respondit occubiturum in prælio Regem, accessit Sedecias qui contrarium Regi prædixerat, & percussit Michæam in faciem dicens: *Mene ergò dimisit spiritus Domini & locutus est tibi?* Ita omnino dum Christus interrogatus à Pontifice de doctrinâ & discipulis, respondit se palàm docuisse, alios igitur interrogandos quid docuerit ipse; vnus ministrorum dedit ei alapam dicens: *sic respondes Pontifici?* Fecit illud Sedecias impunè, tametsi præsente rege: fecit & hoc seruus impunè, coram summo Pontifice.

D. III. Illusio coram Herode. TERTIÒ, Ecce vobis Dauidem illusum coram Achis Rege Geth. 1. *Reg.* 21. Nam Primò
1. sicut Dauid fugiens à facie Saul inimici sui, venit ad Achis, itidem inimicum, vtpote Philisthinorum, quibus ipse multas clades intulerat, Regem, à Iudæo ad gentilem: (Deo sic disponente, vt eius patientia vndique exerceretur & vt figuram exhiberet Christi ab Herode illusi) ita Christus à Pilato mittitur ad Herodem, ab vno hoste ad alium, à gentili ad Iudæum, vt ab vtroque populo pateretur, qui vtrumque redempturus veniebat.
2. Secundò, sicut Dauid in aulâ regis Achis stultitiã simulauit, collabens (mente potiùs quàm corpore) inter manus ductorum & in ostia domus impingens, quasi vertigine aut ebrietate laboraret: ita Christus in aulâ Herodis, magna quædam prodigia ab eo expectantis, impotentem atque ignorantem se simulauit, quasi nec posset aliquid nec sciret; neque enim signum vllum fecit, neque ei respondit vel vnicum verbum, tametsi constanter accusaretur; itaque collabebatur quodammodo inter accusatores, quasi impotens & infirmus: impingebat quasi cæcus & ignorans.
3. Tertiò, sicut Dauid ab Achis eiusque seruis pro furioso & amente habitus adeoque exsibilatus (vt indicant illa Regis verba ad seruos suos: *Vidistis hominem insanum?*) ac demum expulsus est: ita Christus spretus ab Herode eiusque aulicis, remissus est ad Pilatum in veste albâ, per irrisionem, quasi ea vestis minimè deceret hominem insanum. Achis nihil nocuit Dauidi quòd amentem reputaret: Similiter Herodes noluit condemnare Christum, quòd fatuum existimaret. Denique sicut Saul (si Magistro hist. Schol. credimus) missis ad Achis literis repetiit Dauidem velut seruum suum fugitiuum: ita etiam Herodes reconciliatus est Pilato, quòd hic illius iurisdictioni deferens Christum ei misisset, eius subditum.

E. IV. Collatio cum Barabba. QVARTÒ, Ecce vobis Caprum illum expiatorium, pro peccato sortibus iactis morti adiudicatum, alterum emissarium dimissum, *Leuit.* 16. Iste enim Barabbam latronem, ille Christum significat secundùm Origen. & Bedam eo loco.
1. Primò enim Christus, etsi reuerà agnus erat innocentissimus, hirci tamen seu fætidi & villosi atque in DEVM arietantis peccatoris formam induit, adeoque Barabbæ latroni similis factus est, qui magni illius latronis, Adami personam repræsentauit.
2. Secundò, sors super vtrumque hircum missa est, quandò à Pontifice duabus chartulis, quarum vni nomen DEI, alteri nomen capri emissarij inscriptum erat, in vrnam missis, vna extrahebatur & suo capro imponebatur: simili modo missa quasi sors est super Christum & Barabbam, quando Præses dixit populo: *Quem vultis dimittam vobis: Barabbam an Iesum?*
3. Tertiò, quia solus Christus expiare peccata generis humani poterat, ideò sors in ipsum cecidit, vt esset hostia Deo pro peccato hominum: Barabbas verò (genus humanum) liber dimitteretur in solitudinem, id est, peccatis dimissis & obliuione sepultis.

F. V. Flagellatio. QVINTÒ, Ecce vobis tunicam Iosephi Polymitam sanguine hœdi tinctam, *Gen.* 37. Hæc enim quid est aliud nisi caro Christi flagellis concisa à vertice vsque ad plantam?
1. Nam primò Caro Christi tunica erat, quia filio Dei caro humana extrinseca seu extranea erat, non necessariò adhærebat: nobis caro intrinsecè & per essentiam iuncta est.
2. Polymita & variegata erat, quia omnium virtutum splendore ornata. Deinde caro Christi flagris adeò lacerata fuit vt planè tota sanguine respersa speciem referret tunicæ sanguine tinctæ, Vnde *Isa.* 63. de eo dicitur; *Quis est iste qui venit de Edom? tinctis vestibus* (Hebr. *rubricatus*) *de Bosra?*
3. Tertiò, Intincta erat in hœdi sanguine, quia Christus *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostra* (Hebr. *retributionis nostra*, quam scilicet Deo pro peccatis nostris debebamus) *super eum*, *Isa.* 53. Sanguis hœdi peccata hominum sunt, quæ cruentarunt carnem Christi. Vnde ibi subdit Dominus: *Torcular calcaui solus: & aspersus est sanguis eorum* (impiorum) *super vestimenta mea & omnia indumenta mea inquinaui.*
4. Quartò, Iacob visâ filij tunicâ scidit vestimenta sua: Deus pater visâ filij sui immani concisione, scidit velum templi sui.

G. VI. Coronatio. SEXTÒ, Ecce vobis arietem inter vepres hærentem cornibus, *Gen.* 22. Quid enim aries ille, animal immolari solitum ex ouium grege, nisi Christum designat, qui sicut ouis ad occisionem ductus est in ætate perfectâ?
1. Inprimis sicut aries pro Isaaco immolatus est ab Abrahamo: ita Christus pro hominibus, vt ait Augustinus *l.* 16. *de ciuit.* cap. 32. Debebat mori genus humanum nisi Christus interuenisset.
2. Secundò, Vti aries ille cornibus hæsit inter vepres: ita Christus inter spinas, quibus coronatus in capite fuit. Vnde August. loco cit. *In ariete*, inquit, *vepribus inhærente Iesus Christus significabatur antequam immolaretur, spinis Iudaicis coronatus.*
3. Tertiò, Abraham vidit arietem illum post tergum: & Deus pater vidit filium

filium suum stantem instar peccatoris à parte
generis humani Deo exoît, cuius peccata in se
susceperat filius, atque ita in cruce luit, vt vi-
deretur ei pater tergum vettere, quando nihil
pœnarum remisit etiam supplicanti.

H. VII. Baiulatio crucis. SEPTIMÒ, Ecce vobis Isaacum fasciculum
ligni pottantem, *Gen.* 22. Christum, inquam,
crucem baiulantem. Nam primò sicut ligna
illa Isaacum combustura de asino translata
1. sunt in Isaacum: ita crux seu reatus pœnæ &
ignis æterni, peccatorem combusturi, de pec-
catore translatus est in dorsum filij DEI, non
quidem vrgente necessitate, sed instigante
2. eius charitate. Secundò, Quomodo Isaac tu-
lit in dorso ligna, quibus ipse exurendus erat,
vsque ad montem Moria, decretum immola-
tioni: ita Christus exiuit in montem Calua-
riæ baiulans sibimet crucem. Tertiò, Sicut
3. Isaac à patre colligatus, impositus est strui;
sed pro ipso aries immolatus. Ita Christus
tempore passionis à Patre derelictus & pote-
stati tenebrarum traditus adeoque ad tempus
ligatus & auxilio diuino destitutus, eruci fuit
impositus; cæterùm non secundùm diuinam,
sed humanam tantùm naturam passus & oc-
4. cisus. Quartò, Abraham educens filium por-
tabat ignem & gladium: & Deus pater im-
molans filium præsetulit partim charitatis
ignem, dum filij satisfactionem pro expiatio-
ne generis humani accepit; partim seueritatis
gladium, dum ob alienam culpam tam seuerè
castigauit filium. In igne misericordia, in gla-
dio iustitia DEI enituit.

I. VIII. Nudatio. OCTAVÒ, Ecce vobis Noën nudatum &
à filiis irrisum, *Gen.* 9. Christum, aio, vestibus
exutum. Primò namque sicut Noë è vino,
1. quod protulit ei vinea ab ipso plantata, bibens
inebriatus est: ita Christus à synagoga quam
plantauerat ipse, vino cum felle mixto pota-
tus est in Caluariæ monte: deinde inebriatus
calice passionis, hoc est, tot cruciatibus, iniu-
riis & tormentis obrutus, vt plus dolorum
bibere non posset. Secundò, Quemadmodum
2. Noë vino suo inebriatus indeque nudatus fuit;
ita Christus amore generis humani, quod crea-
uerat, victus & quodammodo inebriatus est, vt
vestibus se spoliari & nudùm in crucem agi pa-
teretur; adeoque rectè dicimus ab ipso genere
humano velut à propriâ vineâ Christum ine-
3. briatum & nudatum esse. Tertiò quo modo
Cham irrisit Noën patrem suum coram se nu-
datum: eo modo impij & degeneres Iudæi de-
riserunt Christum in cruce nudatum; quod
non præteriit Dauid *in Psalm.* 21. scripto de
passione, vbi cùm dixisset: *Foderunt manus meas
& pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea;*
subiicit ilico: *Ipsi verò considerauerunt & inspexe-
runt me: diuiserunt sibi vestimenta mea*, &c. q. d.
cum risu & subsannatione viderunt nuditatem
meam.

K. IX. Crucifixio. NONÒ, Ecce vobis serpentem æneum in
hastili exaltatum, *Num.* 21. Christum videli-
cet in cruce suspensum. Etenim Primò sicut
serpens ille effictus & in perticâ suspensus
1. fuit, vt sanaret morsus serpentum ignitorum
in Hebræis: ita Christus cruci affixus vt sana-
ret in nobis morsum illum, quem intulit no-
bis serpens Diabolicæ suasionis igne corri-
piens & inficiens in paradiso primos nostros
parentes: peccatum videlicet. Secundò ser- 2.
pens ille æneus (Hebr. *Seraph*, hoc est, ignitus)
fuit, formam quidem habens serpentis, sed
non venenum: ita Christus vt homo quasi
æneus: vt Deus quasi ignitus fuit: adhæc pec-
catoris quidem formam assumpsit, sed non
peccatum. Tertiò, qui serpentem percussi aspi- 3.
ciebant, sanabantur à morsu, & qui Christum
crucifixum intuentur per fidem & contritio-
nem sanantur à peccato. Quartò, serpens ille 4.
flexuosus erat: Christus etiam in cruce præ
doloris vehementia flexit procul dubio cor-
pus nunc in hanc, nunc in illam partem; vt in-
de conijceremus reuerà eum pati in cruce &
pati acerbissimè.

DECIMÒ, Ecce vobis botrum à duobus vi- L. X. Societas latronū.
ris, terræ Sanctæ exploratoribus gestatum,
Num. 13. Christum inter duos latrones cruci-
fixum. Qui enim duo illi viri botrum in ve-
cte portantes, nisi duo latrones, hinc & hinc
iuxta Christum crucifixi? Omnium trium
dorsi incumbebat vectis crucis; sed impœni-
tens latro, qui præcessit, hoc est, qui prior lo-
cutus est, dorsum Christo vertit; quia non
erat timor Dei ante oculos eius, sed blasphe-
mabat Christum. Vnde à socio audit: *Neque
tu times* DEVM? Alter pœnitens qui secutus
est, id est, qui posterior locutus, DEVM in con-
spectu suo habuit & per fidem in Christum
intendit. Ambo terram sanctam humanitatis
Christi iuxta se viderunt, sed vnus detraxit
terræ, alter eam commendauit; idcircò hic de
eâ testimonium feret apud superos: ille apud
inferos.

VNDECIMÒ, Ecce vobis Iosephum inter M. XI. Iudicium in latrones.
duos reos pincernam & pistorem, nullâ eius
culpâ in carcere constitutum, *Gen.* 40. Chri-
stum scilicet medium inter latrones crucifi-
xum & vtrique iuxta fidem vel meritum
suum sententiam dantem. Illic Pharao de 1.
carcere mediante Ioseph, pincernam assum-
psit in aulam suam, pistorem suspendit: hic
autem Deus de cruce mediante Christo, si-
militer vnum assumpsit & in paradisum sustu-
lit, alterum reliquit in prædam tartareis cor-
uis. Pincerna assumptus in aulam fuit, quia per 2.
somnium regi suo calicem vini obtulit: pistor
verò suspensus, quia somniauit se gestare su-
pra caput omnis generis cibos, nihil tamen in-
de regi suo porrexit. Hic assumptus est latro
dexter, quia Christi innocentiæ præclarum te-
stimonium dedit suamque adeò salutem &
animam ei commendauit: relictus verò latro
sinister, quia cū à dextro corrigeretur, eius ta-
men correctionem nihili fecit, nec Christo se
commendauit, sed potiùs insultauit.

DVODECIMÒ, Ecce vobis agnum in pascha- N. XII. Immolatio.
te immolatum, *Exodi* 12. Christum, inquam,
innocentissimum in Paschate occisum. Nam
Primò, Ad vesperam immolabatur agnus: 1.
Christus vespertino tempore, circa horam
dici

2. diei nonam obiit, Secundò, Agnus immolabatur ab vniuersa multitudine Israël: Christus ad mortem condemnatus est ab vniuersâ turbâ clamante: *Crucifige, crucifige eum*. Tertiò. Agni
3. sanguine tingebatur vterque postis & superliminare domus: Christus sanguine tinctum est vtrumque crucis brachium nec non supedaneũ cui velut limini insistebat. Quartò, Agnus
4. assabatur in crucis formam expansus: Christus etiam extensus in crucis veru partim dolore, partim amore tostus fuit, ibique nihil aquæ, id est, nihil mitigationis, nihil solatij in pœnis habuit.

O. XIII. Vulnus lateris. TERTIODECIMÒ, Ecce vobis ostium in latere arcæ factum *Gen. 6.* Vulnus nimirum postremum, quod lateri Christi iam defuncti lanceâ militis inflictum est. Vnde Augustinus *l. 15. de Ciuit. c. 26. Ostium*, inquit, *quod in latere accepit arca, profectò illud est vulnus, quando latus crucifixi lanceâ perforatum est: hac quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manârunt, quibus credentes initiantur.*

P. XIV. Sepultura. DECIMOQVARTÒ, Ecce vobis Iosephum tunicâ suâ exutum & missum in Cisternam *Gen. 37.* Teste enim D. Ambrosio & Augusti-
1. no, tunica illa Iosephi carnem Christi significauit omnium virtutum colore decoratam. Eam igitur Christo detraxerunt quidem Iudæi, sed diuinitatis immortalitatem detrahere non potuerunt: quemadmodum fratres Iose-
2. phum tunicâ quidem exuerunt, vitâ tamen non spoliârunt. Iosephum miserunt fratres in cisternam carentem aquâ, Christus etiam deponitur in sepulchrum vacuum, in quo nondum quisquam positus erat. Vel secundùm Cyrillum cisterna non habens aquam, inferos significat, vitâ destitutos: ad quos descendit Christus.

Q. XV. Requies in Sabbato. DECIMOQVINTÒ, Ecce vobis Deum in Sabbato requiescentem, *Gen. 2.* Vt enim die Sabati requieuit Deus à creationis opere: ita Christus postquam feriâ sextâ opus redemptionis mundi perfecit dixitque: *Consummatum est*, Sabbato requieuit in sepulchro; vt docet S. Augustinus *l. 4. de Gen. ad lit. c. 11.*

R. XVI. Resurrectio. DECIMOSEXTÒ, Ecce vobis Ionam è ventre ceti in littus reiectum, *Ionæ 2.* Christum, inquam, ab inferis resurgentem. Primò siqui-
1. dem vti Ionas ad sedandam tempestatem in mare eiectus & à pisce deuoratus est: ita Christus ad Dei iram, sæuientem in humanum genus, sedandâ in turbulentam passionis tempestatem missus ac demum in cor terræ, sepulchrum, demissus est. Secundò, Vti Ionas tri-
2. duo in ventre ceti constitutus ad ima pelagi deductus, tertio verò die reiectus fuit in aridam: ita Christus triduo in sepulchro fuit & interim secundùm animam ad inferos descendit, demum die tertio resurrexit gloriosus, ita vt ex tunc extra maris & passionis pericula, securus in littore immortalitatis staret. Tertiò,
3. Ionas cetum in ventre arctauit & à respiratione impediuit afflixitque vt coëgerit eum vomere, quo modo cibus crudus prouocat stomachum ad vomitum: ita Christus in mortem & infernum descendens afflixit ea, vt cogeret reuomere & se & alios mortuos. Quartò, Io- 4.
nas à ceto eiectus est, vt fidem faceret se à Deo missum præconem euersionis Niniuitarum: Christus resurrexit vt persuaderet mundo se à Deo missum mundi redemptorem & præconem regni cœlorum.

SEPTIMODECIMÒ, Ecce vobis Sampsonem è somno mediâ nocte surgentem & portas Gazæ auferentem *Iud. 16.* Christum, aio ab inferis suscitatum & mortis triumphatorem. Figuram hanc inter alios explanat S. Gregorius *hom. 21. in Euang.* his verbis: *Samson cum Gazam ciuitatem Philisthinorum fuisset ingressus: Philisthæi ingressum eius protinus cognoscentes, ciuitatem repentè obsidionibus circundederunt, custodes deputauerunt, & Sampson fortissimum se iam comprehendisse gauisi sunt. Sed quid Sampson fecit agnouimus. Mediâ nocte portas ciuitatis abstulit, & montis verticem ascendit. Quem fratres Charissimi hoc in facto, quem nisi redemptorem nostrum Sampson ille significat? Quid Gaza ciuitas, nisi infernum designat? Quid per Philistæos, nisi Iudæorum perfidia demonstratur? Qui cùm mortuum dominum viderent: eiusq; corpus in sepulchro iam positum: custodes illuc deputauerunt, & eum qui author vitæ claruerat, in inferni claustris retentum quasi Sampsonem in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Sampson verò mediâ nocte non solùm exijt, sed etiam portas tulit, quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solùm liber de inferno exijt, sed & ipsa etiam inferni claustra destruxit. Portas tulit, & montis verticem subijt, quia resurgendo claustra inferni abstulit, & ascendendo cœlorum regna penetrauit. Hanc ergò resurrectionis eius gloriam fratres charissimi quæ & priùs demonstrabatur ex signo & post patuit ex facto, totâ mente diligamus, pro eius amore moriamur. Ecce enim in resurrectione authoris nostri ministros eius angelos conciues nostros agnouimus. Ad horum ergò ciuium illam frequentem solemnitatem festinemus. His cùm necdum visione possumus, desiderio & mente iungamur.* S. XVII. Mortis debellatio.

CONCIO VIII.

Documenta.

1. *Discunt superiores in medio consistere. Cur?*
2. *Discunt omnes tria boni Christiani symbola. Quæ?*
3. *Rationem discernendi spiritum.*
4. *Temperanter vigilandum.*
5. *Quæ cogitationes admittendæ, quæ non.*
6. *Cooperandum esse gratiæ diuinæ.*
7. *In quo appareat Christi suauitas, charitas, humilitas, clementia & liberalitas.*

THEMA.

Sumens reliquias, dedit eis. Lucæ 24.

VSitatum erat antiquis mittere de conuiuij cibis partes & apophoreta cognatis & amicis. Agesilaus ille Lacedæmoniorum Rex A.

Rex duas sibi semper conuiuij partes apponi iussit,quarum alteram amicis dabat. Pertinax Imp.suis etiam amicis mittere aliquid de mensâ cõsueuit,teste Iulio Capitolino.Ioseph quoque Ægypti principem misisse fratribus de mensa sua ciborum partes, nouimus ex libro *Gen.c.43.*Huic etiam consuetudini accommodauit sese Christus in hodierno Euangelio, quando gustato pisce & fauo,sumens reliquias dedit suis amicis,discipulis:imò,ne errem,nobis omnibus; siquidem reliquiæ illæ nihil aliud significant nisi panem verbi diuini, de quo Ps.118.dicitur: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo!* Et Psal.23.*Dulciora super mel & fauum.*Nobis autem scriptum est,quidquid à Christo Domino dictum atque gestum est. Porrò huiusmodi mensa Christi est hodiernum Euangelium spiritualibus cibis refertum, de quo impræsentiarum sumemus ac gustabimus aliquot reliquias, quas offert nobis Dominus.

B. I. Superiores in medio consistant.

PRIMVM Apophoretum. Discite qui præestis,consistere in medio,iustitiam seruando,si in pace regere subditos pacemque habere vultis. Cur enim,putatis, Christus precaturus pacem discipulis, in medio illorum stare voluit, nisi vt indicaret præsulem in medio subditorum,animo nõ corpore,stare oportere, quemadmodum libræ examen, ita vt ne sit personarum acceptor, neque in vnam magis quàm in aliam partem ex affectu amoris vel odij propendeat? Hoc enim nisi fecerit, pacem inter subditos statuere non poterit, sed mutua potiùs odia,lites & contentiones excitabit ac rẽpublicam turbabit. Sol in medio astrorum errantium constitutus est & medium cœli perambulat vt omnibus ex æquo lumen suum impertiat,inde tanta temporum æquabilitas & frugum vndique prouentus. Columna in medio domus statuta totam sustinet fornicem ac domum. Sol nisi mediam cœli viam teneret, vnam quidem orbis plagam calore nimio,alteram frigore perderet.Columna si in vnam partem magis se inclinaret,totum ædificium subrueret. *Cur terra sola,* inquit Hector Pintus in Isa.c.32. *immobilis est ex omnibus elementis, nisi quia est in medio mundi veluti centrum constituta? Ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum, & in eam feruntur omnia suo motu ponderata;ideo quieta manet cùm omnia alia elementa moueantur. Si præsul quietem voluerit obtinere,fit veluti terra producens fructus,humilis, non superbus: omnes recipiat, sitque in medio collocatus & tunc dicat: Pax vobis.* Repræsentauit hoc Calanus Philosophus Alexandro Magno in corio sicco;illi enim in limitibus dum insisteret Philosophus subsiliebat corium:dum verò in medio illud calcabat,totum quiescebat. Plut. in Alexandro. stet similiter Rex in medio æquitatis & pax erit reipublicæ. Denique hoc est, quod Isaias c.32.dixit: *Opus iustitiæ pax,* qui dicat: iustitiæ administrationem sequetur pax reipublicæ. Gloriantur aliqui mundi Rectores in fine gubernationis se relinquere suis diuitias, latifundia,ditiones bello vel auro partas,auctũ imperium,&c. Augustus Cæsar gloriabatur se relinquere Romam marmoream quam inuenisset lateritiã. Verùm melius gloriari possent, si pacem suis relinquerent; quia pax est mater abundantiæ & omnis prosperitatis, adeoque melior quàm omnes diuitiæ: plusquàm marmorea mœnia Hanc reliquit suis Christus: *Pacem relinquo vobis;* non aurum,non palatia.

C. II. Tria boni Christiani symbola.

SECVNDVM, Discite vniuersi tria boni Christiani symbola, tribus verbis à Christo notata:quando ait: *Pax vobis,ego sum nolite timere.* Primo verbo indicat bonum Christianum pacis amantem esse debere. Hoc enim de Christianis crebrò prædictum est à prophetis,velut ab Isaia dicente Christianos conflaturos gladios in vomeres & lanceas in falces, cap.2. Rursum sub Euangelio habitaturum lupum cum agno, pardum cum hædo accubiturum: vitulum, Leonem & ouem simul moraturos, cap.11.Ab Aggæo c.2.*In loco isto*(*Ecclesia*)*dabo pacem.* A Dauide Ps.71. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis.* Id verò in primis Christianis maximè impletum fuit,apud quos pacis osculũ seu vt loquitur & testatur Tertullianus l.de præscript. c. 20. *communicatio pacis* symbolũ & tessera erat Christianorum. Quemadmodũ ergo columba illa ad arcam reuolans ramum oliuæ secũ tulit,*Gen.8.* ita Christianus quocunque vadit, pacem secum afferat dicendo: *Pax huic domui,* vel; *Pax vobis.* Olea cùm cæditur, securis aciem hebetat & emollit, teste Pierio *l.51. hierogl.* Christianus arma omnia mediante pace eneruet: contentiones pace sopiat. Sic erit columba ad arcã Christi spectans. 1.

Secundo verbo notat sinceritatem, animi Christiani ornamentum esse, ita vt dicat: *Ego sum;* vbicunque versetur; non alium se fingat, non abneget se esse eum qui est: quemadmodum & Christus ipse requisitus à cohorte militum quærentium Iesum Nazarenũ: *ego sum,* inquit. Hanc sinceritatem viguisse in Christianis æuo S.Petri, insinuat ipse *2.ep.c.3.* dicens: *Hanc ecce vobis charissimi, secundam scribo epistolam in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem.* Sinceri igitur erant, id est,puri & simplices,velut vinum merum & balsamum non mistum; nihil fictum aut fucatum in pectore gerebant,sed aperta omnia,candida & fidelia. Quod etiam commendat nobis S.Paulus 1.Cor.5. *Pascha nostrum immolatus est Christus: Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Panis azymus purus est: fermentatus verò impurus & mixtus. Eandem etiam virtutem discimus à columba quæ sine fuco & dolo est,oculos habens non in diuersa, vt vulpes, sed in idem intentos. Et tales esse nos iubet Dominus Matth.10. *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.* 2.

Tertiò verbo insinuat tertiũ boni Christiani decus, mansuetudinẽ, cùm ait: *Nolite timere.* 3.
q.d. In spiritu lenitatis & mãsuetudinis ad vos venio, sine armis, sine ira, nolite me metuere, quin potiùs accedite ad me. Voluit quidẽ auctor naturæ omnes prorsus homines mansuetudine

tudine esse præditos, dum cæteris quidem animantibus sua adiunxit arma, alia dentibus muniendo, alia cornibus, alia vnguibus, solum hominem armis destituit, nudum atque inermem formauit, præcipuè tamen Christianos mansuetudine voluit excellere. Idcircò Christus discipulis præcepit vt ne virgam quidem secum in itinere ferrent, Matth. 10. quâ nimirum alios offenderent vel se defenderent, vt ibi Iansenius & Caietanus docent. Nam virgam seu baculum, cui innitetentur, concessit Marci 6. Docet & hoc columba, quæ vel bilem non habet, vel in vropygio, vltima spinæ parte, habet teste Pierio l. 22. Ergo & Christianus vel non habeat iracundiam vel procul à se habeat, ita vt non nisi magnâ vrgente necessitate & tardè eam exerat.

D. III. Ratio discernendi spiritus. TERTIVM, Discite rationem discernendi spiritus eorumque suggestiones. Tametsi enim Christus hîc non spiritus, sed verè corpore & animâ præsens fuit: docet tamen rationem dignoscendi spiritus. Solet siquidem Diabolus transformare se in angelum lucis & sub specie boni decipere homines. Itaque notanda

1. Primò regula D. Antonij, quam suis tradidit his fermè verbis: *Non est difficilis bonorum malorumque spirituum discretio: Si enim post timorem successerit gaudium, à Domino sciamus venisse auxilium: Si autem incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur.* Quæ à Deo & bonis angelis procedunt, lætitiâ prædita sunt, Charitate, pace, veritate: quæ autem à malis, turbatione plena sunt, carent dilectione & gaudio erga Deum. Quare si primo congressu lætitiam afferant animo, postea horrorem, turbationem vel desolationẽ relinquant, vel etiam magno cum fœtore, strepitu vel clade abeant, mali spiritus sunt. Discipuli conspecto Christo primùm quidem territi, postea verò gauisi & consolatione impleti fuere.

2. Secundò Notanda regula D. Ignatij Loyolæ, in l. exerc. de dignosc. spirit. *Proficientibus spiritus malus se durè, implacidè & violenter, quasi cum strepitu quodam; vt imber in saxa decidens, infundit; bonus verò ijsdem leniter, placidè & suauiter, sicut aqua irrorat spongiam. Illis verò qui in deterius proficiunt experientia docet, contra euenire.* Christus in hodierno Euangelio placidè & suauiter se insinuauit suis discipulis: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.*

3. Tertiò, Si spiritus appareat formâ non humanâ, formosâ & bene formatâ; sed tetrâ, deformi aut vili velut canis, serpentis, suis, draconis, aranei, bufonis vel similium; vel nigri Æthiopis: malus est genius. Si verò formâ humanâ, bonâ, angeli vel beati vel Dei, tunc consideranda est operatio: si ex genere suo improba sit, malus: si bona, bonus erit, Christus formâ humanâ, placidâ, bonâ & sibi simili apparuit; bono item fine, vt desolatos consolaretur, bona operatione, quia charitatem, humilitatem, bonitatem, aliosque virtutum actus exeruit.

E. IV. Temperanter victitandum. QVARTVM, Discite rationem victitandi temperanter, in quantitate, qualitate, modo & fine.

1. Nam Primò duo tantùm fercula Christo legimus apposita, piscem nimirum & fauum. De antiquis etiam Romanis scribit Seruius, eos solùm duobus ferculis cœnare solitos. De Augusto quoque Cæsare scriptum, cœnasse eum ternis vt plurimum ferculis: aut cum abundantissimè, senis præbuisse conuiuium. Seneca quoque *ep.* 110. scribit: *Disce paruo esse contentus & illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam.*

Secundò fercula vulgaria, non exquisita erant, piscis & fauus: non perdices, non cupediæ, non carnes. Adhæc quiduis etiam vilius comedere se paratum fuisse insinuat eo verbo. Dominus, *Habetis aliquid quod manducetur?* q. d. quidquid illud sit, dummodo ostendam vobis me reuerà edere & viuere. Seneca *ep.* 108. scribit se animalibus & esu carnium abstinere, his persuasum argumentis. Primum, quòd homini satis alimentorum citra sanguinem sit & crudelitatis consuetudo fiat, vbi in voluptatem est deducta laceratio. Secundum, contrahendam materiam esse luxuriæ. Tertium, bonæ valetudini contraria esse alimenta varia & nostris aliena corporibus. Quartum, quòd carnes sint alimenta Leonum potiùs & Vulturum. Additque hanc consuetudinem abstinendi animalibus anno peracto sibi non tantùm facilem, sed & dulcem factam. Audiant hoc delicatuli. Eadem in epistola scribit se delicatis illis cibis ostreis & boletis in omnem vitam renunciasse. *Hæc enim non cibi sed oblectamenta sunt,* inquit, *ad edendum saturos cogentia*, &c. Tertiò,

Modus erat moderatissimus; delibauit enim solummodò cibos illos, reliquias discipulis dedit. Ita Ruth illa tulit de mensâ reliquias & attulit socrui suæ, *Ruth.* 2. Non ergo vltra modum edendum, fames tantùm explenda est. Vnde Ecclesiastici monitum cap. 31. *Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur: vt non cùm manducas multum, odio habearis.* Quartò.

Intentio erat non voluptatem exsatiandi, sed viuum se ostendendi. Non ergo ad voluptatẽ, sed ad vitam viresque conseruandas edendum ac bibendum est. Ita Socrates ille rogatus qua in re ab alijs differret, ait: *Alij viuunt vt edant: ego vero edo vt viuam.* Egregiè S. Augustin. l. 10. Conf. c. 31. *Hoc me docuisti (Domine) vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Denique semel tantùm illo die post vespertinum tempus, & vniuersim per quadraginta dies à resurrectione vsque ad ascensionẽ suam non nisi ter comedisse legitur cum discipulis: primo scilicet die in hodierno Euangelio, deinde ad mare Tiberiadis, denique die vltimo paulò ante ascensionem; quia etsi gustum & saporem cibus illi præberet, necessarius tamen non erat, in gratiam tantùm discipulorum ab eo sumptus erat. Discant igitur hîc helluones & bibones se nequaquã Christo similes esse, sed Charybdi potiùs (freto angusto inter Italiam & Siciliam sito) quæ *ter in die erigit fluctus & ter absorbet; nam accipit aquas vt vomat; vomit vt rursus accipiat*, inquit Plinius l. 14. c. 18. Intra quadraginta dies ter delibauit cibũ Dominus, isti intra vnum diem ter ingurgitantur.

QVINTVM,

F. V. Quæ cogitationes admittendæ: quæ excludendæ.

QVINTVM, Discite quibus cogitationibus cor sit reserandum, quibus occludendum. Dominus ait: *Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Non vult ergo admitti cogitationes illas quę ascendunt in cor nostrum; tacitè insinuans admittendas contra eas, quæ desuper in cor descendunt. Ascendunt porrò in cor illæ cogitationes, quæ de terra & terrenarum rerum amore sunt, & hæ perturbant mentem, non secus ac vapores, qui æstiuo tempore ascendunt in regionem aeris mediam, ibique in nubes coacti, turbant aerem, solem obnubilant & ad extremum tempestates cient, fulgura, tonitrua & fulmina pariunt. Ita enim cogitationes terrenæ si in ipsa cordis penetralia ascendant, mentis tranquillitatem & perspicacitatem turbant hominemque exagitant & in grauia sæpe peccata, quandóque etiam in desperationem impellunt. Huiusmodi erant cogitationes discipulorum de metu Iudæorũ, de formidine spectri, de diffidentia resurrectionis Dominicæ, &c. Ideo Dominus: *Quid turbati estis*, inquit, *& cogitationes ascendunt in corda vestra?* q.d. ideo turbamini, quia ascendũt in vos cogitationes. Aquam turbari dicimus, cùm limus in profundo residens ascendit in superficiem aquæ: quæ nisi perturbetur, clara & pellucida erit. Et cur tu perturbaris mentisque tranquillitatem perdis? nónne quia amorem inordinatum huius vel illius personæ vel rei in cor ascendere passus es? nónne quia iniurias, quas obliuione sepelire & pedibus subijcere debebas, ob oculos tibi ponis? nónne quia honores, opes & mundum, quæ calcare debebas, mente agitas? Infimus animæ locus terræ & terrenis rebus debetur: Supremus cœlo & cœlestibus. Admittendæ cogitationes, quæ de cœlo in cor descendunt: intuere quæ Christus pro te passus sit: expende grauia damna quæ tibi inordinatus amor affeıet: pericula, quæ honor & diuitiæ, bonum maximum, quod inimici te persequentes: cogita peccata tua quid mereantur, &c. & tunc haud dubiè non turbaberis, sed plenus solatio conquiesces. Hinc Magdalena sedens ad pedes Domini, quia ex illius ore sanctæ cogitationes descenderant in cor ipsius, minimè turbata est: contrà verò Martha, quia terrenis cogitationibus occupabatur, solicita fuit & turbata erga plurima. Limpidam quæris aquam? noli fundũ eius exagitare. Serenam & quietam vis mentem tuam? noli amorem & curas sæculi in cor admittere.

G. VI. Cooperandum gratiæ diuinæ.

SEXTVM, Discite non omnia prorsus quæ ad salutem nostram sunt necessaria, à Christo præstita esse, sed quædam etiam à nobis præstanda, vti pœnitentiam per quam applicentur nobis Christi merita. Ait enim hîc Dominus oportere in nomine eius prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum. Illa opus nostrum, hæc opus Christi est: illa præcedere, hæc sequi debet. In cuius rei figuram prius adeps hostiæ cremandus erat, *Leuit.* 4. postea à Sacerdote hostia absumebatur, *Leuit.* 6. Quia nimirum peccator prius affligere cor per compunctionem debet, postea eius peccata abolebit Christus summus Sacerdos. Non erat satis Ieremiæ in cænosum lacum misso demitti pannos & funes, vt è cœno emergeret vitamque seruaret, ipse suam quoque operam ad hoc conferre debuit, pannos nimirum supponere axillis & funes fortiter apprehendere vt extrahi posset. Vnde Æthiops ad eum eximendum ablegatus demissis pannis & funibus dixit ei: *Pone veteres pannos & hæc scissa & putrida sub cubito manuum tuarum & super funes*, atque ita extraxit eum, Ier. 38. Quinam illi panni, nisi Christi merita quibus nos vestimur? quænam illa scissa nisi membra Christi discissa in passione? quænam illa putrida nisi crucis ignominia, *Iudæis quidem scandalum, gentibus verò stultitia?* Quinam funis nisi pœnitentia? Hanc ergo amplecti, illis inniti debet, qui in barathrum peccati cecidit si emergere velit.

SEPTIMVM, Perpendite virtutes Christi planè admirabiles, ac Primò Humanitatem & suauitatem, dum discipulos suos inuisens suauissimè salutat, ac ne eos velut calamos quassatos confringat perterrendo, clanculum ingreditur & timorem ponere iubet, pluribus argumentis ostendens se ipsorum Dominum esse: nec non potestatem eis faciens vt tangere ipsum possint. H. VII. Virtutes Christi miræ. 1. Suauitas.

Secundò, Charitatem, dum non contentus prioribus indicijs vult etiam coram illis edere, nullo adductus cibi appetitu, sed amoris tantùm affectu, vt eos lucrifaciat, non enim cibum corporeum desiderant glorificati corpora, sed vescuntur alijs cibis inuisibilibus, & cœlestibus, qui tantò nobiliores sunt epulis nostris, quantò cœlum terram superat. 2. Charitas.

Tertiò, Humilitatem, dum ipse in tam glorioso statu non dedignatur tam humiliter versari cum discipulis suis rudibus & pauperculis piscatoribus, nec non eodem cum illis cibo vesci. In cæteris hominibus plerumque honores mutant mores; sed non in Christo Domino. 3. Humilitas.

Quartò, Clementiam, quandoquidem iniuriarum acceptarum oblitus, ne verbo quidem mentionem facit; non interrogat, cur fugerint, cur negarint, cur in cruce eum deseruerint; nihil illis triste ingerit, læta solùm tractat & ad mentis serenitatem eos componit; quia nimirum olim per os Prophetæ dixerat: *Si impius egerit pœnitentiam; omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*, Ezech. 18. 4. Clementia.

Quintò, Denique liberalitatem, quando cibi sui reliquias discipulis communicauit volẽs vtique ostendere se eandem gloriam, quam in cœlis habet, facturum esse communem omnibus electis, vt edant ac bibant ibi super mensam eius, quod nobis etiam ipse pro sua ineffabili munificentia dignetur impertiri. 5. Liberalitas.

CONCIO IX.

Mysteria.

1. Respondetur ad litteram & symbolicè, cur Christus in medio steterit.
2. 3. Cur pacem precetur suis, & dicat: Ego sum &c.
4. Quid sibi velit piscis assus & fauum mellis.
5. Cur reliquias dederit discipulis.
6. Qui illi tres modi quibus probauit suam resurrectionem.
7. Cur tot modis ac medijs eam probauerit.

THEMA.

Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Luc. 24.

A. CVm Iacob Patriarcha post visionem scalæ illius proficisceretur in terram Orientalem, Mesopotamiam videlicet, accepturus sibi vxorem, vidit puteum in agro, cuius os grandi lapide claudebatur, ouium quoque greges iuxta eum accubantes; qui vt bibere possent, amouit à puteo lapidem solus, quod ex pastoribus ouium nemo præstare poterat, iunctis plurium viribus amoueri debebat, *Gen.* 29. Quis hic Iacob, Auditores, nisi Christus Dominus, qui post visionem illam mirabilem scalæ seu crucifixionis suæ peruenit in terram Orientalem, hoc est, in statum vitæ gloriosæ & immortalis accepturus sibi paulò pòst sponsam, cœlestem beatitudinem seu Ecclesiam in cœlo triumphantem, inuenitque in huius sæculi agro gregem discipulorum suorum, simul in eâdem domo congregatorum? Erat iuxta eos sacræ scripturæ puteus, vnde aquam sapiētiæ expectabant; sed enim à scribis & Pharisæis grandi lapide ignorantiæ & inuidiæ clausus erat; vnde audierunt Christum sibi dicentem: *Væ vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis & eos qui introibant, prohibuistis*, Luc. 11. Quid igitur Dominus? adaquaturus gregem suum, remouit hodie lapidem à puteo scripturæ *cùm resurrectionis suæ Apostolis sensum aperuit, vt intelligerent scripturas*, inquit Lipomanus. Nemo hoc ante Christum solus & perfectè præstitit; omnes legis Doctores quod agerent habebant, si lapidem hunc amouere vellent. Quando igitur nunc Christus aperuit nobis puteū istum, accedamus ad illum & nos, adaquemus animas nostras aquâ sapientiæ.

B. 1. Cur in medio stetit Christus. QVÆST. PRIMA. Cur in medio discipulorum stetit Christus? Resp. Primò, ad literam, vt ab omnibus pari in distantia videri, agnosci, palpari & audiri posset, sicque omnium animos per fidem præsertim resurrectionis suæ ad se traheret. Erant igitur hic discipuli Christi sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ Domini, vt ab eo omnes simul videri, salutari, recreari & pane verbi diuini pasci possent. Nulli vicinior esse voluit, ne inuidia & contentio inter eos oriretur; quis eorum videretur esse maior; quod anteà quidem contigerat. Secun-
2.
dò, Symbolicè, quia Christus est mediū totius vniuersi. Media in SS. Trinitate persona inter Patrem & Spiritum S. Mediator inter Deum & homines per opus redemptionis. Medius nexus inter Creatorem & creaturas, quia omnia per ipsum facta sunt. Ea propter in vniuerso medium ferè locum semper obtinuit per totam vitam: Media nocte natus est, *Sap.* 18. Infans medius inter duo animalia reclinatus in præsepio; Puer in medio Doctorum inuentus; Iuuenis inter matrem & nutricium domi adoleuit: vir in medio fuit Apostolorum sicut qui ministrat; Doctor in medio terræ salutem operatus est; Moriens in medio latronum pependit: In cœlo medium tenet inter patrem & electos. Ipse adhuc est quasi canalis medius per quem à fonte viuo, Deo, fluunt ad nos aquæ viuæ gratiarū. Ipse est scala Iacob quâ mediante ascendimus è terra in cœlum. Tertiò, Tropologicè, vt doceat nos amare auream mediocritatem; qualis est omnis virtus, quæ in medio cōsistit, vti temperantia inter ingluuiem & famem: liberalitas inter auaritiam & prodigalitatem: Pax & concordia inter dissidentes, &c. 3.
Vnde S. Bern. *Ser. 1. de S. Michaële* ait: *Amat semper media Iesus, diuerticula semper & reclinatoria reprobat filius hominis, Dei & hominum mediator.*

QVÆST. SECVNDA. Cur salutat eos pacis imprecatione? Resp. Primò ex recepto Hebræorum more qui obuiantes sibi nec non incolas & domos ingressi salutabant: *Salomlach, pax vobis*, vel *pax huic domui*, vti præcipit Dominus *Matth.* 10. discipulis. Pacis autem nomine Hebræi intelligebāt omne bonum seu prosperitatem. Ita 2. Reg. 18. ait Dauid: *Estne pax puero Absalom*? q.d. Estne illi bene? Saluúsne est? prosperéne agit? Salutat ergo Dominus suos humano & recepto more, ne aspectu eius repentino & miro vehementiùs perturbentur. C. 11. Cur pacem precatur suis? 1.
Secundò, Vt denuntiet illis venire se vt amicum, non vt inimicum. Primùm quod ab exteris peregrè aduenietibus quæritur à custodibus est: Quinam vos? amici an inimici? Ita seniores ciuitatis Bethlehem ingrediente vrbem Samuele Propheta dixerunt ei: *Pacificúsne est ingressus tuus? Qui respondit: pacificus.* 1. Reg. 16. Ita Paulus ad Corinthios scribit: *Quid vultis? in virga veniam ad vos: an in charitate & spiritu mansuetudinis?* 1. Cor. 4. Quia igitur discipuli dubitare poterant quisnam & quo animo ingrederetur ad se in conclaue, non petitâ priùs licentiâ nec factâ denunciatione, idcirco dubitationem illis adempturus Christus amicum se ostendit & pacificum ingressum suum. Noluit optimus Dominus vel ad breue spatium perturbari suos propter se aut perplexos hæsitare, quantum erat in se. 2.

Tertiò, Vt fructum prælij & victoriæ suæ eis nunciet & communicet. Vt enim Samson fauum mellis quem in ore Leonis à se occisi reperit, communicauit mox familiæ suæ, *Iudic.* 14. ita Christus pacem, quam velut suauissimum spolium tulit de triumphata morte, attulit familiæ suæ Apostolicæ, vt hinc discerent, deuictum esse Diabolum ac mortē, reconciliatum

ciliatum mundo Deum. *Fauus mellis composita verba*, inquit Sapiens *Prouerb*. 16. Talia autem vero erant illa, *Pax vobis, nolite timere*. Vnde ad hoc significandum paulò post fauum mellis à se gustatum, discipulis communicauit, vt participes essent gaudij resurrectionis suæ.

D. III. Cur ait: Ego sum: nolite timere? QV. TERTIA, Cur addit: *Ego sum, nolite timere?* Resp. quia vidit Dominus varias cogitationes timorem incutientes ascendere in corda discipulorum. Primò vidit suam apparitionem fore eis insolitam & prodigiosam

1. adeoque panici timoris causam, idcirco eos præuertere abstergendo timorem voluit. Solent enim ipsæ quoque mortuorum vmbræ, terrorem viuis incutere: vt patet in his discipulis, qui conturbati & perterriti existimabant se spiritum videre. Ait igitur: *Ego sum*, hoc est; ille idem qui aliàs fui, Magister & protector Dominus & amicus vester.

2. Secundò, Quia propterea etiam discipuli poterant ac debebant meritò terreri aspectu Domini sui, quòd scirent se in eum non leuiter deliquisse, partim ob desertionem, partim ob diffidentiam de eius resurrectione, & in specie Petrus ob negationem. Sic enim & fratres Iosephi, cùm viderent & audirent eum dicentem se esse Iosephum ab ipsis venditum, *non poterant respondere, nimio terrore perterriti*. Ergo sicut Ioseph tunc vocatis ad se fratribus suauiter aiebat: *Ego sum Ioseph, frater vester, quem vendidistis in AEgyptum. Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus, pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in AEgyptum*. Gen. 45. ita nunc & Christus erecturus ad confidentiam discipulos. *Ego sum*, inquit, *nolite timere*, vt ostendit ibi Amorosius.

3. Tertiò, Quia verisimile est eos ex recenti spectaculo passionis & mortis Christi timore ac terrore plenos adhuc fuisse; idcircò iubet Dominus ponere timorem; si quidem ipse de victa morte rediuiuus appareret, gloriosus & immortalis. Ac propterea vt probabiliter existimat S. Augustinus serm. 156. de tempore, & sanctus Bonauent. in Medit. Splendido apparuit habitu & vestitu ex aëre & luce formato, vt discipulos eo splendore ad spem gloriosæ resurrectionis erigeret. Terribilium quidem omnium terribilissimum mors; sed si resurrectio nuncietur deponendus timor est: quemadmodum nec gemunt sed canunt potiùs agricolæ cùm sementem iaciunt, quia sperant ea grana, quæ nuda & pauca seminarunt, sese recepturos vestita cum fœnore.

E. IV. Quid assus piscis & fauus mellis? QV. QVARTA, Quid sibi vult piscis assi pars & fauus mellis? Respond. 1. indicare partim egestatem, partim temperantiam discipulorum, qui residuas istas cibi partes de

1. mensa sustulerint & futuræ fami reseruarint. Solent enim pauperes ferè quod superfluum est mensæ, reseruare in futurum. Prodigi & heluones omnia deuorare solent. Piscis etiam assatura minimo impendio constat, nulla confectione eget; Pisces verò habere non difficilè poterant, quia aliqui piscatores erant. Nullæ hîc cupediæ, nulla bellaria.

2. Secundò, Allegoricè piscis assus significat Christum & in cruce tostum, igne amoris & ligno crucis seu doloris. Vnde Augustinus tract. 123. *Piscis assus Christus est passus*, inquit. Fauus mellis significat gaudium & dulcedinē Dominicæ resurrectionis, quam ob causam solent Christiani in ferijs paschalibus fauum ab Ecclesia benedictū edere ad memoriam Christi rediuiui. Diximus supra Leonem illum à Sampsone occisum, cùm ad eum post aliquot dies Sampson diuerteret in reditu, habuisse in ore fauum mellis. Quis autem Leo hic occisus, nisi Christus Leo de tribu Iuda, qui post triduum rediuiuus fauum immortalitatis secum attulit tam sibi quàm toti humano generi? Verùm audiamus hac de re S. Gregorium hom. 24. super Euangelia: *Quid signare piscem assum credimus, nisi ipsum mediatorem Dei & hominum passum? Ipse enim latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostræ, & quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ. Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione, fauus mellis nobis extitit in resurrectione. Nam qui in pisce asso figurari voluit tribulationem passionis suæ, in fauo mellis vtramque naturam exprimi voluit personæ suæ. Fauus quippe mel in cera est. Mel verò in cera est, diuinitas in humanitate. Quod ab hac quoque lectione non discrepat; nam piscem comedit & panem. Qui enim assari vt piscis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex diuinitate, qui ait: Ego sum panis viuus qui de cœlo descendit. Assum ergo piscē comedit & panē: vt ipso suo cibo nobis ostenderet, quia & passionē ex nostra humanitate pertulit: & refectionē nostrā ex sua diuinitate procurauit.*

Congruit Saluatori nostro Græcum piscis vocabulum ἰχθὺς, cuius initiales literæ constituunt hanc sententiam. Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ id est, IESVS CHRISTVS DEI filius Saluator, vt habetur in acrostichis Sybillæ, quam recenset Eusebius l. 4. de vita Constantini.

Tertiò, Tropologicè significat hæc merenda, asperos & difficiles virtutum labores semper sequi mel dulcis consolationis & mercedis. Piscis enim qui tribulationem significat, prius Christo oblatus est, postea fauus mellis. Christus priùs piscem edit (imò piscis assatus fuit) in passione: postea fauum mellis in resurrectione: Hoc est quod dicitur Sapient. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Ex agriculturæ sudoribus, seges est: è negotiationis periculis, quæstus: è militiæ vulneribus, victoria: è studiorum vigilijs, doctrina: è virtutum exercitatione, regnū cœlorum. Pulchrè Card. Baronius in Martyrologij prælóquijs c. 10. *Fauum mellis à SS. Martyribus in persecutorum rabie coagmentandum, fauus ille mellis ex ore Leonis à Samsone depromptus typicè demonstrauit*. Martyres ergo à faucibus persecutorum fauum gloriæ immortalis eruerunt. Sanctus etiam Hieronymus cùm labores suos pertinacissimos in linguâ Hebræa narrasset *ep. ad Rusticum*, subdit: *Gratias ago Domino quod de amaro semine literarum dulces fructus carpo*.

F. V. Cur reliquias dedit Discipulis? QV. QVINTA. Cur reliquias cibi dedit discipulis? Resp. Primò. Ad literam; vt eas ser-

seruarent, iuxta id Ioan. 6. *Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant.* Vel vt ipsi etiam ederent atque ita priùs reficerentur, quàm ad labores Euangelij pergerent. *Columba in terram longinquam mittenda*, inquit Didacus Stella in Luc. c. 24. *priùs tritico melle musto cibantur vt semper conentur ad locum, quo delicatum se tractatas fuisse meminerunt, redire.* Sic priùs refecti
2. Apostoli, quàm ad labores mitterentur. Secundò Symbolicè, quia ipsi etiam Apostoli tribulatione & persecutione assandi erant, ac postea cœlestis beatitudinis fauo recreandi. Nobis quoque omnibus has reliquias reliquit; quia non edet fauum mellis in cœlo, qui non comederit in terra piscem tribulationis. Assari igitur non recuset qui fauum edere vult. Vnde venerabilis Beda: *Cum asso pisce fauus sumitur, quia qui hic afflictionem pro veritate suscipiunt, illic dulcedine vera satiantur.*
3. Tertiò, Tropologicè vt doceamur alijs indigentibus communicare postquam ipsi comedimus, non solùm cibos illos, qui corpus, sed eos etiam qui animam reficiunt, Dei verbum, sapientiam, scientiam, præsertim verò ijs, quibus maximè obligati sumus, parentes liberis, præceptores discipulis, Domini seruis, Pastores ouiculis. Sic enim Christus suis discipulis fauum & piscem: Sic Samson fauum suum parentibus primò, &, vt scribit Iosephus, sponsæ communem fecit.

G. VI. Quot modis probauit Christus suam resurrectionem? QV. SEXTA, Quot modis demonstrauit Christus suam resurrectionem discipulis? Resp. Quatuor potissimùm. Primò, visu, dum se illis conspiciendum dedit, dicens: *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum.* Ac licet splendidiore habitu & vultu, vt suprà diximus, apparuerit, non tamen alijs lineamentis à priore aspectu diuersis; vt agnosci posset. Secundò, tactu: *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Tetigisse autem Apostolos Christi manus & pedes, admodum probabile est. De Thoma non est dubium: de cæteris videtur asserere Ioannes ep. 1. c. 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ cõtrectauerunt* (Græcè, *palparunt*) *de verbo vitæ.* Nam & cibũ ei porrexerunt & ab eodem receperunt. Adhæc amplexati eũ videntur in aduentu vel recessu vel osculati eius pedes. Atque ita sentiunt S. Leo, Augustinus, Athanasius, Beda, alij. Tertiò, Gu-
3. stu, dum coram eis edere voluit. Fuit autẽ comestio illa vera vitalis actio, vera masticatio cum perceptione gustûs & traiectione in stomachũ, quamuis absque digestione & conuersione cibi in carnẽ; quia corpus gloriosum non eget nutrimento. Cibus ergo ille in aërẽ mox à comestione mutatus est. Charitas illũ comedere fecit, vt probaret se constare corpore, non esse spiritũ, vt putabant discipuli. Quartò, au-
ditu, dũ eis locutus est & scripturas explanauit. 4.

QV. SEPTIMA, Sed cur tot modis ac medijs probauit suam resurrectionem Dominus? Respon. Primò, quia discipuli erant deputati ad prædicandum euangelium adeoque ad persuadendam alijs Christi resurrectionem; ergo in hoc articulo fidei firmissimi esse debebant. Ipsi exploratores terræ sanctæ, id est, humanitatis Christi erant, vt eam alijs describerent ac dilaudarent; Vnde eam videre, audire & tangere debuerunt. Propterea S. Petrus Act. 10. ait eum post resurrectionem apparuisse *non omnibus sed testibus à Deo præordinatis.* H. VII. Cur tot modis probauit? 1.

Secundò, Quia articulus resurrectionis præcipuus est in fide nostra, ideoque bene firmãdus fuit. Nam *si Christus non surrexit*, inquit Apostolus 1. Cor. 15. *inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*; quia frustra expectaremus nos resurrectionem nostram; & in ea retributionem meritorum; quã sublatã spe miserabiliores essemus omnibus hominibus, vt ibidem ait Apostolus, velut qui falsã & inani spe dira pateremur & dura ageremus. Iam si in ore duorum vel trium stat omne verbum, cur non credatur resurrectio Christi, tribus comprobata sensibus? Vnde Tertullianus l. de anima c. 17. ait: *Falsa vtique testatio, si oculorum & aurium & manuum sensus natura mentitur.* Atq; hoc est quod ait S. Lucas Act. 1. *Præbuit seipsum viuum* (Discipulis) *in multis argumentis.* Talia enim fuerunt tot Christi apparitiones, manducationes, locutiones, stigmata plagarum quę ostendit tangique à Thoma voluit; miracula, vt cùm clausis ianuis ad discipulos introiuit & subitò cum vellet disparuit. Quæ omnia sat superque demonstrarunt Christi resurrectionem. Nobis ergo, Auditores, non iam quærendum est, an Christus resurrexerit, sed qua ratione vita nostra instituenda sit, vt cum ipso aliquando resurgere mereamur ad beatam immortalitatem, quam nobis largiatur, qui triumphata morte resurrexit Victor Christus IESVS, AMEN. 2.

AD MAIOREM DEI DEIPARÆQVE GLORIAM.

INDEX

INDEX MATERIARVM ET RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO TRACTANTVR.

A.

B.

1. Non

7 Vt

Nona

Cogni-

Con-

1 Cur

1 Colli-

Re-

3 *Qui*

FINIS.



G 13.

